COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM.

S. MATTHÆUS, S. MARCUS, S. LUCAS, S. JOANNES, ET ACTA APOSTOLORUM, CUM VARIIS LECTIONIBUS IN EVANGELIA.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN OMNES LIBROS
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

Opus Gallice primum ab Authore, nunc vero Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucensi.

Editio novissima ab Authore recognita, alicubi emendata, textuum aliquot antea præteritorum explanatione adaucta, passim vero novis animadversionibus locupletata.

TOMUS SEPTIMUS.



VENETIIS, MDCCLVI.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

Obstrictam in Operis hujus exordio Lectoribus nostris fidem liberaturi, alteri huic Commentariorum parti Præfationem alteram adscribimus, ut in evolutis ingentis Operis voluminibus octo si quid offendimus, hic una veluti conspectu exhibeantur, atque illustrentur. Igitur quod in primo Versionis nostræ limine professi sumus, hic nobis iterum asserendum arbitramur. Authoris hujus doctrinam sanam esse, eruditionem amplam, judicium maturum, ingenium acutum, Sacræ linguæ scientiam exquisitam, criticen accuratam. Ex his singula in uno alterove præcedentium Scriptorum rerum Biblicarum deprehendi posse, ultro fatemur & agnoscimus: simul omnia vix, præter quem in uno hoc nostro, reperies. Ecquis unquam tanta diligentia singulos singularum sententiarum sensus evolvit & explicavit? quis illos ad priscas versiones ex probatissimis MSS. Codicibus perpetuo expendendos assumpsit? Quis rem chronologicam majori accuratione digessit? In uno hoc Opere (ut de rebus Novi Testamenti aliquid dicam) habes quidquid optimum in variantibus suis Millius exhibuit; quidquid lucis narrationi quatuor Evangelistarum, in unam continuam seriem secundum Chronologiæ syntaxim digestæ, Toynardi ingenio affusum est; quidquid denique bonæ frugis in Commentariis recentiorum Heterodoxorum, præsertim Clerici, inter stipulas plures & paleas reconditur.

Sed & tam pulcrum Opus suos habere nævos, & facile credimus, & ultro agnoscimus. Pluribus eruditis Viris displicuisse comperimus, quod Author noster ex nimio erga Toynardum studio justi rectique metas aliquantulum transgressus videatur, scripta de Paschate Dissertatione contendens, Jesum Christum supremo in terris vitæ suæ anno legale Pascha non celebrasse, cum anno illo dies XIV. Nisan in feriam illam sextam, qua die Cruce peremptus fuit, inciderit. Id si admittatur, Latinorum mos, jam inde a primis Ecclesiæ sæculis obtinens, de Eucharistia in azymis conficienda, Græco mori, utpote primæ Eucharistiæ institutioni magis congruenti, plurimum concedet. Equidem fateor, quæstionem hanc salva fide agitari in utramque partem posse; sed Latino Scriptori sententiæ Latinorum, & prope dixerim Latinæ Ecclesiæ, insistendum fuisse videri poterat, nisi alioquin rei veritas perspicuis argumentis assensum in contrariam partem extorqueret. Nunc longe aliter res habet sese: valida licet argumenta pro sua sententia, quæ & Græcis favet, promat cum Toynardo Calmetus; Latinorum tamen sententia aperto adeo Scripturæ testimonio propugnatur, ut, nisi assensum pro se extorquet, certe tamen omnem in contrarium mentis propensionem cohibeat & suspendat. Cum igitur hæc non fugerint viros illos Eruditos, rogarunt nos, ut vel Dissertationem illam de Paschate prorsus tolleremus, vel in novam formam refingeremus. Jussionibus obtemperantes, simulque ne quid fidei Interpretis sinceri in nobis desideraretur, totam Calmeti Dissertationem ita retinuimus, ut in ejus calce argumenta quæ illius sententiam vel convellunt, vel concutiunt, adderemus; ex quibus factum est, ut tota Dissertatio in problema verteretur. Quoties vero per Commentarium mentio legalis illius Paschatis incidit, ad Dissertationem illam per nos reformatam Lectores remittimus.

Theologum etiam accuratiorem desiderant ea quæ Commentarii hujus Scriptori exciderunt de Clavium suprema potestate a Christo tradita, non ipsi per se primo S. Petro, ut Capiti Ecclesiæ, sed Petro ut Ecclesiæ universæ personam vicesque gerenti. Huic Doctrinæ repugnare sanctiorem Scripturæ expositionem, repugnare Patres, repugnare Theologos summi nominis constat. Omnes quidem ultro fatemur, S. Petrum Ecclesiam ipsam ita expressisse, sed ita uti Princeps Rempublicam, ut caput reliqui corporis dignitatem præfert. Quemadmodum autem quæ Principi inest authoritas, Reipublicæ universæ inesse rectissime dicitur: ita pariter & Petro tamquam summo Ecclesiæ Antistiti creditæ supremæ potestatis claves, Ecclesiæ ipsi commissæ censeri merito possunt. Doctrinæ hujus assertorem habeo S. Augustinum in Psalmum CVIII. Ecclesiæ Petrus agnoscitur in figura gestasse personam propter Primatum, quem in Discipulis habuit, sicuti est: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Ab ulteriori disputatione abstineo, cum Præfationem scribam, non Prælectionem Theologicam; Lectoresque harum rerum studiosos ad Cl. P. Roncagliam in suis adnotationibus ad Historiam Nat. Alex. tom. 9. p. 450. remitto.

Plura insuper Calmeti, aliorumque, quorum ille fidem sequitur, sphalmata ad Acta XXVII. & XXVIII. notat, & emendat illustris P. Georgius, author Operis inscripti, Dissertationes Anticriticæ, &c. Male igitur Strabonem inter eos recenset, qui maris Adriatici nomen ad totum Jonium, & Siculum mara prorogant. Apertissime enim Strabo mare Jonium & Sinum Jonium distinguens, postremum hunc, non vero illud cum tractu confundit, ut idem sit Sinus Adriaticus, & Sinus Jonius, longe aliud vero Sinus Adriaticus, & mare Jonium. Insuper Epidauri coloniam Calmetus cum Bocharto quatuor tantummodo passuum millibus a Melita Illyricana removet; cum passuum VI. M. distet. Ad hæc Militensem glebam venenum repellere vel retundere, ex Insularium side

certum tenet Calmetus; quod tamen ex recentibus accuratisque Vallisnerii experimentis apud eumdem falsi arguitur. Quid lapidei illi ophiomorphi, quibus Insula tota fœta est? Serpentes sunt, serpentum linguæ, dentes, oculi, lapidea crusta obducti, respondet Calmetus. Sed rerum naturalium peritis nihil sunt aliud quam dentes marinorum cetorum, ac testacea quadam cornua in lapidem rigentia, quibus veteratorum quorumdam ars lapideos anguium rictus induxit, ad incautos decipiendos. Hæc omnia merito ab erudita Dissertationis Scriptore in Calmeto arguuntur. An vero, quod caput est causæ, S. Pauli naufragium non Melitæ Africanæ, uti vult Calmetus, sed Insulæ hujus nominis in Adriatico adscribendum sit, cum Georgio definire, alienum a nostro Interpretis instituto judicamus. Illud animadvertisse juvat, Georgio quidem favere nomen maris Adriatici, ubi naufragium in Actis XXVII. consignatur, quod ætate illa non ultra Sinum Venetum Geographis porrigebatur. Reliqua vero omnia cum Melita Africana melius quadrant. Publius Princeps Melitensis in Africana lapide legitur. Nomen autem illud plane Romanum, nec sane nisi Roma datis Magistratibus Melita Africana parebat. Navis, qua Paulus post naufragium iter prosequutus fuit, e Melita Syracusas, deinde Rhegium petiit; quod sane iter est e Melita Africana Romam navigantium, non vero e Melita Illyricana solventium, quibus expeditior erat via, si portum aliquem Adriatici tenentes, reliquum iter pedestres facerent. Portus erat etiam per eam ætatem Melitæ Africanæ Romanis Orientalibusque navibus Romam tendentibus frequentatus, in quo proinde facilius quam in Melita Illyricana nancisci navem illam Alexandrinam potuerint, qua Romanam navigationem prosequuti sunt. Unicum, iterum repeto, Georgio profugium in nomine Adriatici, Veneta tantummodo Sinui ætate illa, & alteri præterea nulli concesso. Sed cum, vel ipso fatente Georgio, post centum amplius a Christo nato annos Claudius Ptolemæus, nomen Adriatici latius prorogans, ad pelagum ipsum Melitæ vicinum provexerit, videris ipse, num forte reputari queat, S. Lucæ ætate id nominis explicari latius cœpisse, ut saltem id ab imperitioribus locorum usurparetur, donec inducta successu annorum consuetudo vel peritissimos Geographos secum abstraxerit. Neque enim Provinciarum, marium, & rerum ejusmodi nomina ut latius prorogentur, vel cogantur arctius, statim & subita mutatione, sed paulatim & plurium annorum assuetudine contingit. Sinus Adriatici nomen primo quidem intra superiorem Veneti Sinus partem totum continebatur, cum inferior portio a Gargano monte ad Fauces ad Jonium sinum pertinerent. Deinde paulatim obtinuit, ut Adriaticum nomen latius spatians vel ipsa Jonii Sinus jura usurparet. Ita plane & in re præsenti accidisse, æquis rerum æstimatoribus approbabitur. Sed manum e charta, cum præsertim Melitensium jura viros plures doctissimos propugnaturos norim. Hos inter stabit P. Sebastianus Pauli, Instituti mei Socius, qui in hoc studiorum genere versatissimus, sese pluribus scriptis libris, ac præsertim Opere egregio Codicis Diplomatici Melitensis, Orbi universo exhibuit. Superest nunc, Lectores nostros rogemus, ut quam in Doctissimo Commentariorum istorum Auctore nos exercenimus censuram lenem atque modestam, eamdem pariter & ipsi in Versionem hanc nostram pro sua benignitate exhibere velint.

IN

IN LIBROS
NOVI TESTAMENTI
PROLEGOMENON.

M*Ultifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula.* Heb. I. 1. 2. Loquutus eſt ad Patres in Veteri Teſtamento, loquutus eſt & in Novo. Moyſes vetuſti fœderis conciliator eſt, Prophetæ miniſtri: Legem ille tulit, hi Meſſiæ adventum prædixere. Lex & Prophetæ aliud quid ſpectabant; nec illud, cujus priores tantum rudioreſque lineas duxerunt, perficere unquam potuere (1); dare non poterant, quod promittebant; neque omnibus numeris abſolvere, quod veluti delineatum repræſentabant. Hominum vota promovebant tantum, non implebant.

Sed Jeſu Chriſto inter homines tandem lapſo, & Novo Fœdere in Veteris locum ſuccedente, pulſæ ſtatim umbræ, figuræ & Prophetarum oracula impleta. Lex perfecta, novus populus pro veteri: venere tempora, quibus, ex Jeremiæ XXXI. 3. vaticinio, *Frriam Domui Iſrael* (ajebat Dominus) *& domui Juda fœdus novum. Non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dixit Dominus. Sed hoc erit quod feriam rum Domo Iſrael poſt dies illos: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.*

Fœdus in monte Sinai initum uni tantum domui Iſraelis favebat; novum æque omnes filios hominum complectitur. Primum obſignatum eſt cruore arietum & taurorum; novum Filii Dei ſanguine. Poſterius hoc fœdus primam ſupremi Legislatoris curam tenebat (2); huc omnia, quæ in Libris Veteris Teſtamenti leguntur, ſpectabant. Timor & ſervitus veteris Legis capita erant; amor & libertas novæ decus ſunt & laus. Illa ſtato tempore duratura; hæc æterna, ut omnia æquaret ſæcula, omneſque in gentes diffunderetur: eademque præmia pollicetur æterna pariter & infinita, cum peritura tantum bona Lex illa vetus promitteret.

Eccleſia Chriſtiana promiſſorum omnium, quibus Deus fidem ſuam obſtrinxerat Synagogæ, hæres, pretioſum Scripturarum Veteris Teſtamenti depoſitum ſancte cuſtodit, veluti inſtrumentum poſſeſſionis ſuæ & electionis, æmulæque ſuæ Synagogæ reprobationis. Sed majori quadam cura & veneratione ſervat Libros Novi Teſtamenti, quibus veluti fides conſtat adoptionis ſuæ, ceu pignus felicitatis, veluti publicas Tabulas late demonſtrantes Domini & Patris ſui voluntatem; tamquam codicem vitæ, prodigiorum & doctrinæ Dei ſui, ac tandem uti regulam rerum morumque moderatricem.

Jeſus Chriſtus nihil ipſe per ſe poſteritati ſcripſit (3), neque vitam ſuam & doctrinam, ut literis mandarent, Apoſtolis unquam præcepit. Contentus tantum voce populos ſive pro concione ſive privatis colloquiis docuiſſe, cætera neglexit. Antequam tamen homines præſentia ſua deſereret, miſſurum ſe inviſibilem Præceptorem ſpopondit (4), quo intus docente, veritatem diſcerent, & ea quæ quiſque præſtare & dicere tenerentur, ubi populos docerent, & Evangelium prædicarent.

Hujus promiſſionis fidem impleturus, S. Spiritum quinquageſimo poſt Reſurrectionem die ad Apoſtolos miſit, cujus illapſu ſubito lumine illuſtrati, novoque ardore accenſi, & Sancta Evangelia, & cæteros Novi Teſtamenti Libros ſcribere aggreſſi ſunt; quos ſane Libros merito nos tanquam ipſa Jeſu Chriſti Opera, digito Dei ſcripta, ſuſpicimus (5). *Non dicamus: O illi felices qui eum videre potuerunt! quia multi in eis, qui viderunt, occiderunt. multi autem in nobis, qui non viderunt, crediderunt. Quod enim pretioſum ſonabat de ore Domini, & propter nos ſcriptum eſt, & nobis ſervatum eſt, & propter nos recitatur, & propter poſteros recitabitur, donec ſæculum finiatur* (6).

Nec major Apoſtolis ſcribendi ſollicitudo; prius enim illi, Præceptoris ſui exemplum ſequuti, docendos inſtituendoſque viva voce populos ſuſceperunt. Alte enim menti impreſſas habentes, quas ore loquentis Præceptoris audierant veritates, illarum oblivisci non verebantur; quos inſuper tutos in

(1) Hebr. VII. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* (2) Auguſt. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 3. cap. 4. num. 7. (3) Vide Aug. lib. 1. de Conſen. Evang. cap. 7. & 9. & lib. 28. contra Fauſt. Manich. cap. 4. Epiſt. 237. Nov. edit. Sermo ibi eſt de hymno, qui Jeſu Chriſto adſcribitur, ex quo nonnulla refert. Meminit etiam alterius Operis, ejuſdem J. C. nomine inſcripti ad S. Petrum & Paulum. Liber erat Magicus. Scitum eſt, quid de Epiſtola J. C. ad Abgarum feratur. Sed hæc omnia ab Eruditis rejiciuntur.
(4) Joan. XIV. 26. & XVI. 13. (5) Auguſt. lib. 1. cap. 15. de Conſenſu Evangel. *Non aliter accipiet quod narrantibus Diſcipulis Chriſti in Evangelio legerit, quam ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit.* (6) Auguſt. Tract. 30. in Joan.

in ea re faciebant ejusdem Magistri promissiones, futurum scilicet, ut ab illius Spiritu nunquam desererentur. Deinde vero pium Fidelium studium ab illis tandem impetravit, ut quæ ipsi ab iis voce acceperant, hæc literis mandata de scripto legerent. Hujus rei gratia S. Matthæus scribere aggressus est; nec facile alio consilio S. Marcus id suscepit, ut synopsim operis ejusdem S. Matthæi daret, nonnullis adjectis, quæ ipse aliorum narratione haberet explorata.

S. Lucas I. v. 2. hanc se habuisse scribendi causam prodit, quod scilicet plures Libros de vita & doctrina *Jesu Christi*, ex ore loquentium Apostolorum exceptos, in vulgus spargi animadvertisset; se vero omnia quæ scriberet, ex iis qui ea viderant, comperisse; rem autem Ecclesiæ maxime utilem se præstiturum confidere, si ordine omnia digereret, quæ ab ipso rerum exordio contigisse verissime norat. Docent tandem Patres (1), S. Joannem ad Evangelium suum literis mandandum exortis hæresibus Cerinthi & Nicolaitarum, Jesu Christi divinitatem negantium, impulsum fuisse.

Ad Acta Apostolorum quod spectat, continuatio sunt Evangelii S. Lucæ, & historia rerum gestarum ab exordio Ecclesiæ Jerusolymis adusque S. Pauli ad Christiana sacra transitum; quibus deinde accedit historia rerum ab eodem Apostolo gestarum usque ad primum ejus iter Romanum. Nihil ferme recitat in eo Libro S. Lucas, quod ipse oculis non explorarit, quippe qui comes in omnibus ejusdem Apostoli tum laboribus tum vicissitudinibus, ac deinde prædicationibus fidus hæserit. Pro variis rerum opportunitatibus, & cum maxime e re Ecclesiæ censeret, S. Paulus Epistolas suas scripsit; non tamen eo consilio, ut veritates omnes, quas ipse prædicatione docuerat, uno veluti scripto ad posteritatis memoriam complecteretur; quamquam divinæ providentiæ consilio factum est, ut quæ ipse fortuito casu scriberet, hæc posteritati, tamquam supplementum Evangeliorum, instruendis populis maxime utile, commendarentur. Eadem cæteris Apostolis, quorum manent Epistolæ, fuit scribendi causa, ut nimirum utilitati Ecclesiarum, ad quas literas dabant, servirent; rametsi certo norant futurum, ut tandem cæteris Ecclesiis traderentur: adeo Apostolica scripta suspiciebantur, & eo usque pium Fidelium studium conservandis illis doctrinæ & pietatis preciosissimis monumentis devenerat.

Canon Novi Testamenti. Nihil in præsentia moramur tum Sacrorum Librorum Novi Testamenti authoritatem, cum eorum Librorum sive Authores, sive scribendi finem, tempus & occasiones, quæ omnia peculiaribus ad singula illa Scripta Prolegomenis fusius prosequemur. Sunt in utroque Testamento Opera, quorum omnibus retro sæculis asserta fuit authoritas; sunt de quibus in nonnullis Ecclesiis dubitatum est aliquandiu; quamquam nullus Scripturæ Liber hodie in Canone recensetur, quem sanior veterum Ecclesiarum pars suffragio suo non probaverit. Frustra veteres Hæretici seu fictis Evangeliis procudendis, seu veris corrumpendis laborarunt; integra semper fides Archetyporum in Ecclesiis Catholicis mansit; & labente tempore corruptis eorum Libris in oblivionem, Ecclesiarum sollicitudine, proscriptione & damnatione, traditis, veritas obtinuit.

Quo anno Canon Librorum Novi Testamenti absolutus sit, certo definiri non potest; sed satis expressus jam inde a secundo Ecclesiæ sæculo legitur. Cum ab Asiaticis Episcopis tria Evangelia, scripta jam & publici juris facta, S. Joanni Evangelistæ exhiberentur, recepisse illum & probasse narrat Eusebius lib. 3. cap. 24. Hist. Eccl. supplendis autem quæ illis deesse videbantur, alterum ipse scribere aggressus est, addit idem Eusebius, quo gesta omnia in exordio prædicationis Jesu Christi, ab aliis omissa, recitantur. Ita Canon Evangeliorum constitit. Tria illa priora Evangelia laudantur in Epistola S. Clementis ad Corinthios, quæ Evangelio S. Joannis vetustior est. S. Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola quinquies vel sexies usurpat Evangelia S. Matthæi, & Lucæ, nomine tamen illorum suppresso. Crebro legas quatuor Evangelistas in Epistola S. Barnabæ laudatos; idem observes in septem Epistolis S. Ignatii, in quibus maxime ad Evangelium S. Joannis alluditur.

Commentaria Apostolorum legas apud S. Justinum Martyrem Apolog. 2. quo nomine designat Evangelia ab Apostolis, sive ab eorum Discipulis scripta. Tertullianus adversus Marcion lib. 4. cap. 5. hæc habet: *Si constat id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum*. Addit idem ibid. cap. 4. antiquitatem Evangeliorum ex corruptis eorum Codicibus ab Hæreticis, maxime demonstrari: *Itaque dum emendat, utrumque confirmat, & nostrum anterius, id emendans quod invenit, & id posterius quod de nostri emendatione constituens, suum & novum fecit*. Novis Hæreticorum scriptis vetera & probata Apostolorum archetypa opponit S. Irenæus lib. 5. cap. 30. quatuor Evangelia simul agnoscens, & congruas ejusdem numeri rationes asserens lib. 3. cap. 2. num. 7. 8.

Ex his, quantum arbitror, demonstratur, exeunte primo sæculo, & ineunte secundo totoque tertio, canon quatuor Evangeliorum receptus agnitusque, cui authoritas ex ipsis Apostolis constabat; cum S. Joannes tria Evangelia viderit, probaritque; & S. Paulus Evangelium plerumque ex S. Luca laudet. Porro canon ille non in cœtu aliquo publico vel Concilio digestus est, sed Ecclesiarum consensu, & de sententia Episcoporum, quorum plerique cum Apostolis & Discipulis familiarem consuetudinem habuerunt.

Epistolarum Apostolicarum authoritas neque minor habenda est, neque eorum collectio quatuor Evangeliis multo recentior. S. Polycarpus diserte laudat Epistolas S. Pauli, S. Petri, & S. Joannis. Nihil quidem apud illum de Epistola ad Hebræos, secunda S. Petri, secunda & tertia

(1) Iren. lib. 3. cap. 11. Hieron. de Viris Illust. cap. 9. Victorin. Pictav. in Apocal.

tia S. Joannis; sed ideo facile, quod in priori illa Epistolarum collectione desiderarentur. Habebat enim Ecclesia jam inde ante Marcionem (1) in unum corpus collecta Evangelia & Epistolas; ejusque exemplo hæreticus procudit Codicem suum Evangeliorum, & *Apostolicum*, nempe Apostolicarum Epistolarum collectionem. S. Ignatius ad Philadelph. non obscure designat Scripturarum corpus, ex Evangelio, Apostolis & Prophetis collectum: *Confugiens ad Evangelium, tamquam ad carnem Jesu Christi; & ad Apostolos, velut ad Ecclesiæ presbyterium. Prophetas etiam diligo, ut qui Christum annuntiarunt.* Apostolicarum Epistolarum Autographa sua adhuc ætate alicubi servari, Tertullianus de Præscript. cap. 36. testatur: *Authentica ipsa literæ Apostolorum, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque.*

De Pantæno Philosopho Christiano, qui Alexandriæ circa A. C. 184. Scholam moderabatur, legimus apud Eusebium Hist. Eccl. l. 5. c. 10. invenisse illum apud Indos Hebraicum Evangelii S. Matthæi exemplar, eo, uti ferebatur, a S. Bartholomæo delatum. Porro exemplar illud Alexandriam detulisse Pantænum, S. Hieronymus, & Rufinus est author. Addit idem S. Hieronymus in Catalog. Script. Eccles. c. 3. exemplar Hebraicum S. Matthæi Cæsareæ Philippi in Bibliotheca Pamphyli servatum esse; ex quo facilis conjectura est, Alexandria Cæsaream Exemplar illud translatum fuisse; nisi forte Codex Cæsariensis ex Alexandrino descriptus credatur. S. Petri Alexandrini ætate, labente scilicet secundo sæculo, sive tertio ineunte, Autographum S. Joannis, ipsa ejus manu descriptum, religiosissime servabatur (2). Nihil ego hic de Codice Veneto, tamquam Autographo S. Marci habito, cum de illo fusius in Prolegomeno ad illud Evangelium differere constituerim. In Insula Cypri, anno 488, super ipsum S. Barnabæ pectus positum, Evangelii Exemplar inventum est; quod ipsa ejus Apostoli manu in ligneo axe, pretioso æque & solido, descriptum ferunt (3); illud autem addunt diu Constantinopoli servatum, ubi pariter singulis annis feria quinta majoris hebdomadæ legi consueverit.

Hæc quidem satis superque dicta arbitror, ut ora obstruantur dictitantium, Canonem Librorum N. T. nonnisi sæculo secundo, & serius etiam digestum fuisse; sicut eorum, qui censent, numerum Evangeliorum & Epistolarum nonnisi serius definitum. Quamvis enim prioribus Ecclesiæ sæculis plures obtinerent Libri Apocryphi, ab Hæreticis procusi, sive eorum opera corrupti; æque tamen constat, certum Sacrorum & Canonicorum Librorum numerum ab aliis quibusque discretum, suam habuisse, alterius plane a cæteris ordinis, authoritatem.

Textus Archetypus N. T.

Textus Archetypus Librorum N. T. Græcus est. S. Matthæi Evangelium Hebraice (4) primum, sive potius vernaculo tum temporis apud Hebræos sermone, Syriace descriptum est; citissime tamen Græcis literis traditum. Servabatur etiam Hebraicus iste Textus SS. Epiphanii & Hieronymi ætate; dein prorsus intercidit. Corruptus enim Ebionitarum aliorumque hæreticorum fraude, contemptui primum, deinde oblivioni traditus est. Græca versio, qualis hodie extat, atque archetypi locum usurpat, vetustissima est, & S. Jacobo a nonnullis (5), ab aliis vero Joanni (6) tribuitur; nec minoris est sive fidei, sive sedulitatis, sive vetustatis Latina versio Authoris incogniti. Persuasum olim fuit nonnullis permansisse S. Matthæi Evangelium manu S. Barnabæ scriptum, & supra ejus pectus in sepulcro positum, tempore Severi Imperatoris. Vide Assemani tom. 2. pag. 81. 82. Vide inferius Matth. XXVII. 44. 45.

Suspicabantur olim nonnulli (7), S. Marcum Latinis literis Opus suum tradidisse; quorum tamen sententia hodie assertore caret. Non defuerunt (8) qui crederent, Epistolam ad Hebræos, Hebraice primum scriptam, in Græcum deinde translatam fuisse. Sed temere prorsus illi; ejusque Exemplar, nisi Græcum, spectasse neminem constat. Cum vero Librorum N. T. Authores Judaicam referrent originem, & Hebraicæ vel Syriacæ linguæ ab ineunte ætate assuevissent, vernaculi illius sermonis ingenium servant, nihil præseferunt illius elegantiæ & cultus, qui in probatis ejusdem ætatis Græcis Authoribus sentitur. Nec ab his nævis prorsus immunis est S. Lucas, quamquam majori eloquii puritate nitet. Sed minimum hoc vitium rerum granditas & majestas satis superat; eoque magis prodigium Evangelicæ prædicationis spectandum est, quo admiranda plurima patrata intelligimus *non in doctis humanæ Sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus* (9).

Versiones Novi Testamenti.

Cum ab ipsis crepundiis Ecclesia longe lateque per orbem diffunderetur, factum est, ut ab ipso pariter ejus initio variorum sermone tradita Evangelia vulgarentur. Eusebius in Isa. 45. 20. de sua ætate, quarto nempe sæculo, testatur, omnium sermone & elementis descriptos Sacros Libros nullam gentem latere. Cum vero inter omnes linguas Latina maxime & Syriaca post Græcam latissime obtinerent, Versiones illæ N. T. omnium primæ merito reputantur.

Versio Syriaca.

Persuasum est apud Syros, vernaculam N. T. Versionem ad ætatem Regis Abgari pertinere, quem Regem ferunt, nunciis ad Jesum Christum missis, illum invitasse, ut ad Urbem Edessam Regni sui Metropolim confugeret. S. Thaddæus, eo a Jesu Christo missus, in eam Versionem laborasse fertur. Sed cum utriusque hujus rei fides apud Eruditos nostræ ætatis nutet, nihil exinde

(1) Paruit Marcion. A. C. 127. (2) Fragmen. MSS. Petri Alexand. de Paschate apud Petavium: Καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ. (3) Vide Theodor. lect. l. 2. p. 557. Edit. Valef. Surium Vita S. Matt. x. Junii. (4) Papias apud Eusebium lib. 3. c. 39. Hist. Eccl. Iren. Origen. Euseb. Cyril. Jerosolymit. Epiph. Hieron. alii. (5) Synops. S. Script. seu Author additam. in fine Synops. Cujus tamen verba designare etiam possunt, S. Jacobum Evangelium illud Fidelibus explicasse. (6) Theophyl. ex fama tantum. (7) Ita Syr. Arab. MSS. quidam Græci, Baron. Selden. Vide nos, Præfat. in S. Marcum. (8) Clem. Alex. apud Euseb. Hist. Eccl. lib. cap. 14. Hieron. Catalog. voce Paulus. Vide & Theodoret. &c. (9) 1. Cor. II. 13.

in ea se faciebant ejusdem Magistri promissiones, futurum scilicet, ut ab illius Spiritu nunquam desererentur. Deinde vero pium Fidelium studium ab illis tandem impetravit, ut quæ ipsi ab iis voce acceperant, hæc literis mandata de scripto legerent. Hujus rei gratia S. Matthæus scribere aggressus est; nec facile alio consilio S. Marcus id suscepit, ut synopsim operis ejusdem S. Matthæi daret, nonnullis adjectis, quæ ipse aliorum narratione haberet explorata.

S. Lucas 1. 1. 2. hanc se habuisse scribendi causam prodit, quod scilicet plures Libros de vita & doctrina Jesu Christi, ex ore loquentium Apostolorum exceptus, in vulgus spargi animadvertisset; se vero omnia quæ scriberet, ex iis qui ea viderant, comperisse; rem autem Ecclesiæ maxime utilem se præstiturum confidere, si ordine omnia digereret, quæ ab ipso rerum exordio contigisse verissime norat. Docent tandem Patres (1), S. Joannem ad Evangelium suum literis mandandum exortis hæresibus Cerinthi & Nicolaitarum, Jesu Christi divinitatem negantium, impulsum fuisse.

Ad Acta Apostolorum quod spectat, continuatio sunt Evangelii S. Lucæ, & historia rerum gestarum ab exordio Ecclesiæ Jerusolymis adusque S. Pauli ad Christiana sacra transitum; quibus deinde accedit historia rerum ab eodem Apostulo gestarum usque ad primum ejus iter Romanum. Nihil ferme recitat in eo Libro S. Lucas, quod ipse oculis non exploracit, quippe qui comes in omnibus ejusdem Apostoli tum laboribus tum vicissitudinibus, ac deinde prædicationibus fidus hæserit. Pro variis rerum opportunitatibus, & cum maxime e re Ecclesiæ censeret, S. Paulus Epistolas suas scripsit; non tamen eo consilio, ut veritates omnes, quas ipse prædicatione docuerat, uno veluti scripto ad posteritatis memoriam complecteretur; quamquam divinæ providentiæ consilio factum est, ut quæ ipse fortuito casu scriberet, hæc posteritati, tamquam supplementum Evangeliorum, instruendis populis maxime utile, commendarentur. Eadem cæteris Apostolis, quorum manent Epistolæ, fuit scribendi causa, ut nimirum utilitati Ecclesiarum, ad quas literas dabant, servirent; rametsi certo norant futurum, ut tandem cæteris Ecclesiis traderentur: adeo Apostolica scripta suspiciebantur, & eo usque pium Fidelium studium conservandis illis doctrinæ & pietatis preciosissimis monumentis devenerat.

Canon Novi Testamenti.

Nihil in præsentia moramur tum Sacrorum Librorum Novi Testamenti authoritatem, cum eorum Librorum sive Authores, sive scribendi finem, tempus & occasiones, quæ omnia peculiaribus ad singula illa Scripta Prolegomenis fusius prosequemur. Sunt in utroque Testamento Opera, quorum omnibus retro sæculis asserta fuit authoritas; sunt de quibus in nonnullis Ecclesiis dubitatum est aliquandiu; quamquam nullus Scripturæ Liber hodie in Canone recensetur, quem sanior veterum Ecclesiarum pars suffragio suo non probaverit. Frustra veteres Hæretici seu fictis Evangeliis procudendis, seu veris corrumpendis laborarunt; integra semper fides Archetyporum in Ecclesiis Catbolicis mansit; & labente tempore corruptis eorum Libris in oblivionem, Ecclesiarum sollicitudine, proscriptione & damnatione, traditis, veritas obtinuit.

Quo anno Canon Librorum Novi Testamenti absolutus sit, certo definiri non potest; sed satis expressus jam inde a secundo Ecclesiæ sæculo legitur. Cum ab Asiaticis Episcopis tria Evangelia, scripta jam & publici juris facta, S. Joanni Evangelistæ exhiberentur, recepisse illum & probasse narrat Eusebius lib. 3. cap. 24. Hist. Eccl. supplendis autem quæ illis deesse videbantur, alterum ipse scribere aggressus est, addit idem Eusebius, quo gesta omnia in exordio prædicationis Jesu Christi, ab aliis omissa, recitantur. Ita Canon Evangeliorum constitit. Tria illa priora Evangelia laudantur in Epistola S. Clementis ad Corinthios, quæ Evangelio S. Joannis vetustior est. S. Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola quinquies vel sexies usurpat Evangelia S. Matthæi, & Lucæ, nomine tamen illorum suppresso. Crebro legas quatuor Evangelistas in Epistola S. Barnabæ laudatos; idem observes in septem Epistolis S. Ignatii, in quibus maxime ad Evangelium S. Joannis alluditur.

Commentaria Apostolorum legas apud S. Justinum Martyrem Apolog. 2. quo nomine designat Evangelia ab Apostolis, sive ab eorum Discipulis scripta. Tertullianus adversus Marcion lib. 4. cap. 5. hæc habet: *Si constat id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum*. Addit idem ibid. cap. 4. antiquitatem Evangeliorum ex corruptis eorum Codicibus ab Hæreticis, maxime demonstrari: *Itaque dum emendat, utrumque confirmat, & nostrum anterius, id emendans quod invenit, & id posterius quod de nostri emendatione constituens, suum & novum fecit*. Novis Hæreticorum scriptis vetera & probata Apostolorum archetypa opponit S. Irenæus lib. 5. cap. 30. quatuor Evangelia simul agnoscens, & congruas ejusdem numeri rationes asserens lib. 3. cap. 2. num. 7. 8.

Ex his, quantum arbitror, demonstratur, exeunte primo sæculo, & ineunte secundo totoque tertio, canon quatuor Evangeliorum receptus agnitusque, cui authoritas ex ipsis Apostolis constabat; cum S. Joannes tria Evangelia viderit, probaritque; & S. Paulus Evangelium plerumque ex S. Luca laudet. Porro canon iste non in cœtu aliquo publico vel Concilio digestus est, sed Ecclesiarum consensu, & de sententia Episcoporum, quorum plerique cum Apostolis & Discipulis familiarem consuetudinem habuerunt.

Epistolarum Apostolicarum authoritas neque minor habenda est, neque eorum collectio quatuor Evangeliis multo recentior. S. Polycarpus diserte laudat Epistolas S. Pauli, S. Petri, & S. Joannis. Nihil quidem apud illum de Epistola ab Hebræos, secunda S. Petri, secunda & tertia

(1) Iren. lib. 3. cap. 11. Hieron. de Viris Illust. cap. 9. Victorin. Pictav. in Apocal.

tia S. Joannis; sed ideo facile, quod in priori illa Epistolarum collectione desiderarentur. Habebat enim Ecclesia jam inde ante Marcionem (1) in unum corpus collecta Evangelia & Epistolas; ejusque exemplo hæreticus procudit Codicem suum Evangeliorum, & *Apostolicum*, nempe Apostolicarum Epistolarum collectionem. S. Ignatius ad Philadelph. non obscure designat Scripturarum corpus, ex Evangelio, Apostolis & Prophetis collectum: *Confugiens ad Evangelium, tamquam ad carnem Jesu Christi; & ad Apostolos, velut ad Ecclesiæ presbyterium. Prophetas etiam diligo, ut qui Christum annunciarunt.* Apostolicarum Epistolarum Autographa sua adhuc ætate alicubi servari, Tertullianus de Præscript. cap. 36. testatur: *Authenticæ ipsæ literæ Apostolorum, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque.*

De Pantæno Philosopho Christiano, qui Alexandriæ circa A. C. 184. Scholam moderabatur, legimus apud Eusebium Hist. Eccl. l. 5. c. 10. invenisse illum apud Indos Hebraicum Evangelii S. Matthæi exemplar, eo, uti ferebatur, a S. Bartholomæo delatum. Porro exemplar illud Alexandriam detulisse Pantænum, S. Hieronymus, & Rufinus est author. Addit idem S. Hieronymus in Catalog. Script. Eccles. c. 3. exemplar Hebraicum S. Matthæi Cæsareæ Philippi in Bibliotheca Pamphyli servatum esse; ex quo facilis conjectura est, Alexandria Cæsaream Exemplar illud translatum fuisse; nisi forte Codex Cæsariensis ex Alexandrino descriptus credatur. S. Petri Alexandrini ætate, labente scilicet secundo sæculo, sive tertio ineunte, Autographum S. Joannis, ipsa ejus manu descriptum, religiosissime servabatur (2). Nihil ego hic de Codice Veneto, tamquam Autographo S. Marci habito, cum de illo fusius in Prolegomeno ad illud Evangelium differere constituerim. In Insula Cypri, anno 488, super ipsum S. Barnabæ pectus positum, Evangelii Exemplar inventum est; quod ipsa ejus Apostoli manu in ligneo axe, pretioso æque & solido, descriptum ferunt (3); illud autem addunt diu Constantinopoli servatum, ubi pariter singulis annis feria quinta majoris hebdomadæ legi consueverit.

Hæc quidem satis superque dicta arbitror, ut ora obstruantur dictitantium, Canonem Librorum N. T. nonnisi sæculo secundo, & serius etiam digestum fuisse; sicut eorum, qui censent, numerum Evangeliorum & Epistolarum nonnisi serius definitum. Quamvis enim prioribus Ecclesiæ sæculis plures obtinerent Libri Apocryphi, ab Hæreticis procusi, sive eorum opera corrupti; æque tamen constat, certum Sacrorum & Canonicorum Librorum numerum ab aliis quibusque discretum, suam habuisse, alterius plane a cæteris ordinis, authoritatem.

Textus Archetypus Librorum N. T. Græcus est. S. Matthæi Evangelium Hebraice (4) primum, sive potius vernaculo tum temporis apud Hebræos sermone, Syriace descriptum est; citissime tamen Græcis literis traditum. Servabatur etiam Hebraicus iste Textus SS. Epiphanii & Hieronymi ætate; dein prorsus intercidit. Corruptus enim Ebionitarum aliorumque hæreticorum fraude, contemptui primum, deinde oblivioni traditus est. Græca versio, qualis hodie extat, atque archetypi locum usurpat, vetustissima est, & S. Jacobo a nonnullis (5), ab aliis vero Joanni (6) tribuitur; nec minoris est sive fidei, sive sedulitatis, sive vetustatis Latina versio Authoris incogniti. Persuasum olim fuit nonnullis permansisse S. Matthæi Evangelium manu S. Barnabæ scriptum, & supra ejus pectus in sepulcro positum, tempore Severi Imperatoris. Vide Assemani tom. 2. pag. 81. 82. Vide inferius Matth. xxvii. 44. 45.

Textus Archetypus N. T.

Suspicabantur olim nonnulli (7), S. Marcum Latinis literis Opus suum tradidisse; quorum tamen sententia hodie assertore caret. Non defuerunt (8) qui crederent, Epistolam ad Hebræos, Hebraice primum scriptam, in Græcum deinde translatam fuisse. Sed temere prorsus illi; ejusque Exemplar, nisi Græcum, spectasse neminem constat. Cum vero Librorum N. T. Authores Judaicam referrent originem, & Hebraicæ vel Syriacæ linguæ ab ineunte ætate assuevissent, vernaculi illius sermonis ingenium servant, nihil præseferunt illius elegantiæ & cultus, qui in probatis ejusdem ætatis Græcis Authoribus sentitur. Nec ab his nævis prorsus immunis est S. Lucas, quamquam majori eloquii puritate nitet. Sed minimum hoc vitium rerum granditas & majestas satis superat; eoque magis prodigium Evangelicæ prædicationis spectandum est, quo admiranda plurima patrata intelligimus *non in doctis humanæ Sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus* (9).

Cum ab ipsis crepundiis Ecclesia longe lateque per orbem diffunderetur, factum est, ut ab ipso pariter ejus initio variorum sermone tradita Evangelia vulgarentur. Eusebius in Isa. 45. 20. de sua ætate, quarto nempe sæculo, testatur, omnium sermone & elementis descriptos Sacros Libros nullam gentem latere. Cum vero inter omnes linguas Latina maxime & Syriaca post Græcam latissime obtinerent, Versiones illæ N. T. omnium primæ merito reputantur.

Versiones Novi Testamenti.

Persuasum est apud Syros, vernaculam N. T. Versionem ad ætatem Regis Abgari pertinere, quem Regem ferunt, nunciis ad Jesum Christum missis, illum invitasse, ut ad Urbem Edessam Regni sui Metropolim confugeret. S. Thaddæus, eo a Jesu Christo missus, in eam Versionem laborasse fertur. Sed cum utriusque hujus rei fides apud Eruditos nostræ ætatis nutet, nihil exinde

Versio Syriaca.

---

(1) Paruit Marcion. A. C. 127. (2) Fragmen. MSS. Petri Alexand. de Paschate apud Petavium: Καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε ἰδιόχειρον δὲ Εὐαγγελίου Ἰωάννου ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ. (3) Vide Theodor. lect. l. 2. p. 557. Edit. Vales. Surium Vita S. Matt. 2. Junii. (4) Papias apud Eusebium lib. 3. c. 39. Hist. Eccl. Iren. Origen. Euseb. Cyril. Jerosolymit. Epiph. Hieron. alii. (5) Synops. S. Script. seu Author addition. in fine Synops. Cujus tamen verba designare etiam possunt, S. Jacobum Evangelium illud Fidelibus explicasse. (6) Theophyl. ex fama tantum. (7) Ita Syr. Arab. MSS. quidam Græci, Baron. Selden. Vide nos, Præfat. in S. Marcum. (8) Clem. Alex. apud Euseb. Hist. Eccl. lib. cap. 15. Hieron. Catalog. voce Paulus. Vide & Theodoret. &c. (9) 1. Cor. ii. 13.

inde certi, ne quid gravius dicam, pro historia ejusdem Versionis deduci posse arbittor. Valtonius, rei hujus examine omisso, ad ætatem Apostolorum Versionem illam censuit pertinere, hoc potissimum ductus argumento, quod in eo Codice nihil legatur tum de secunda Epistola S. Petri, cum de secunda S. Joannis, S. Judæ, & Apocalypsi; unde facilis conjectura, opus illud adornatum fuisse antequam hæc omnia in Canonem reciperentur. Verum eos omnes Libros, non secus ac reliquos, in Canonem Syri recipiunt; eorumque Versiones, ejusdem Valtonii opera, in Polyglottis Londinensibus insereæ sunt. Si in nonnullis Syris Codicibus desiderantur, ideo contigisse credendum est, quod Operum illorum minor esset usus, sive raritas major.

Sunt qui Versionum illarum Autborem constituant Thomam Heracleensem; cujus tamen opera potius recensitos Sacros Codices putamus; cum Exemplaria Syriaca pluribus sæculis antea obtinerent, qnam ille Ægyptum peteret, corrigendis Codicibus Syriacis ad normam Græcorum Monasterii S. Antonii. Post eam ætatem, receptum est apud Sytos, ut Codices suos ad Exemplaria ejusdem Thomæ emendarent, utpote quæ omnium potissima haberentur (1).

Syrorum nonnulli putavere (2), S. Marcum, scripto Latine Evangelio, illud Hebraice vel Syriace, quæ vernacula erat tum temporis Hebræorum lingua, reddidisse; idemque deinde & de aliis Libris N. T. ab ipso eodem Authore præstitum. Simonius Hist. Crit. N. T. p. 162. arbitratur, Syriacam illam Versionem neque Antiochiæ, neque in regione illa, quæ peculiari nomine Syria appellatur, ubi Græcus sermo vernaculus habebatur, sed potius trans Euphratem, ubi Syriacus, adornatam fuisse. Huic conjecturæ multum deest ad persuadendum; quamquam enim Græcus sermo Antiocbiæ & in florentissimis ejus regionis Urbibus vulgo obtineret, in agro tamen & in reliqua Syria pristina loquendi ratio familiaris esse potuit. S. Ephrem quarto sæculo, & Moyses Bar-cepha decimo, in ea regione versantes, Syriace scripserunt; nec infrequentes occurrunt Episcopi in Conciliis, qui Syriace tantum loqui norant.

Vidmanstadius & Guido Fabricius in ea fuerunt sententia, Archetypum S. Matthæi apud Syros mansisse; nec sane ulla fuit ratio, quare scriptum Syriace Opus Syriace verteretur. Verum ut persuadeamur, Syriacam S. Matthæi Versionem e Græco expressam esse, satis est, ut utrumque simul exemplar conferamus. Regnat in Syriaco Exemplari Græcus locutinnum sonus; errata plurima deprehenduntur, quæ nonnisi ex Græco subrepserunt; & sane expressam eam Versionem constat e Græco Exemplari vetustissimo, unciali charactere, antequam accentuum usus super vocales literas obtineret; ejusdemque Græci Codicis voces inter se non satis distinctas fuisse oportet; sunt enim plura in Syriaco menda, quæ nonnisi ex varia legendi accentus, & puncta adscribendi, ac tandem distinguendi voces Græcas ratione, referenda videntur. Vide Prolegom. D. Millii Proleg. 1237. & seq.

Aliud etiam animadversione dignum occurrit, Syriacum scilicet prorsus congruere cum Græco, quod sibi vertendum Author Vulgatæ proposuerat, ut Syriacus semper cum Vulgata in his quoque locis conveniat, in quibus illa a Græcis impressis sive MSS. dissidet. Ea porro est utriusque Versionis affinitas, ut Millio Proleg. 1249. 1250. suspicionem moverit, utrum Syriacus ad Latinam Versionem recensitus fuerit; sed cum paulo diligentius rem examinasset, suam hanc conjecturam futilem inanemque deprehendit.

Versio Latina. Latina N. T. Versio archetypis ipsis pene coæva, ad tempora Apostolorum spectat, quamquam certum ejus tempus & Author ignoratur. Cum Romani Imperii ditio late per orbem porrecta esset, iisdemque fere finibus, quibus Imperium illud, Lingua Latina terminaretur, plures fuere qui iisdem literis Versionem Scripturæ traderent. Ut enim quispiam de lingua Græca & Latina aliquid norat, satis sibi esse in censu arbitrabatur, cur portionem aliquam N. T. vertendam susciperet. Hinc inundarunt adeo Versiones, ut earum copia numerum vinceret, uti S. Augustinus observat in lib. 2. c. 11. Doctr. Christ. *Qui Scripturas ex Hebraica Lingua in Græcam transtulerunt, numerari possunt; Latini autem Interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, ausus est interpretari.*

Hinc copia illa variantium in omnibus Latinis Exemplaribus (3), quæ deinde Damasum Pontificem impulit, ut a S. Hieronymo novam versionem obtineret. Porro inter priscas illas Versiones eminebat, & communi assensu probabatur Italica Versio (4), quam alio nomine Communem, Vulgatam (5), & Veterem (6) appellabant, cujus illud ferebatur elogium (7): *Verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ.* Post versionem S. Hieronymi, vetus hæc Italica nullibi locorum integra in MSS. reperitur. Extant tantummodo collecta quædam fragmenta, sive scripta nonnulla, veluti Evangelium S. Matthæi, Epistola S. Jacobi, Job, Psalmi, aliique quidam Libri, publici juris facti in nova Editione S. Hieronymi, & seorsum in exiguæ molis Libello. Priscam V. T. Vulgatam restituendam in sua Romana Editione Nobilius suscepit; sed cum Patres, e quibus longa ille fragmenta descripsit, non raro dictante memoria scriberent, utrum integer Veteris Vulgatæ Textus in ejus Opere maneat, ambiguum est & incertum. Manuscriptum tamen Corbejense, quatuor referens Evangelia, spem de reliquis tandem in publicum proferendis facit.

Cum de S. Hieronymo fertur, Versionem N. T. illum suscepisse, *Novum Testamentum Græcæ red-*

---

(1) Euseb. Renaudot, in Addend. ad Bibliot. Sac. P. Le Long pag. 650. (2) Guillel. Postel. uti narrat Guido Fabric. Boderian. in Præfat. tom. v. Polyglott. Antuerp. (3) Hieronym. Præfat. in quatuor Evangelist. *Tot enim sunt Exemplaria pene, quot Codices.* (4) August. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 15. (5) Hieronym. in Isai. xix. & xlix. (6) Greg. Magn. Præfat. Moral. (7) August. de Doctr. Christ. lib. 2. cap. 15.

reddidi authoritati (1), non est continuo reputandum, novam Versionem adeo molitum fuisse, ut nihil ex Italica retineret. *Ita*, ait Præfat. in vt. Evangelia ad Damas. *calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua pateremur manere ut fuerant* (2): quæ S. Doctoris modestia ejus Versioni toti Ecclesiæ approbandæ ac veteri abolendæ magnopere profuit. Plura tamen supersunt monumenta Veteris Italicæ, qua in Vulgata, qua in Patrum Libris & Mss. uti in Claromontano, & S. Germani Pratensis Græco & Latino, in quibus omnibus, quæ ex Veteri Interprete sunt, & quæ ex S. Hieronymo, satis discernuntur.

Millius integram Latini Interpretis S. Matthæi fidem, ad religionem usque, agnoscit; quem dicit non raro, neglectis Syntaxeos regulis, ipsos in Textu suo casus, genera & modos nominum ac verborum Græcorum expressisse. Censet, Versionem Latinam S. Marci alterius esse Authoris a Latina S. Matthæi; ille enim eidem rei exprimendæ alias, quam hic, voces usurpat; a quo pariter felicius interdum vis Græcarum vocum exprimitur. Interpretem S. Lucæ alium etiam censet ab illis; sicut & alium S. Joannis; quod iisdem conjecturis demonstrat. Vereor tamen, ne viri docti critices subtilior sit quam res tulerit. Quis, rogo, Latinus Interpres iisdem semper vocibus utitur? Quis eumdem retinet stilum, cum ad literam vertendos suscipit Scriptores, qua stilo, qua scribendi ratione adeo diversos, quantum inter se S. Matthæus, S. Lucas, & S. Joannes discrepant?

Versio Arabica N. T. e Græco ne an e Syriaco expressa sit, non satis convenit inter Autho- Versio Arabica.
res. E Syriaco defendit Simonius Hist. Crit. N. T. c. 18. e Græco Badvellus in Epist. 1. Joan. ad calcem, & Valtonus Prolegom. c. num. 23. Millius, qui Syriacum & Arabicum cum Græco sedulo contulit, egregie demonstrat in Prolegom. 1295. Arabicum ex aliis deducendum fontibus, quam e Syriaco, cum duo illa Exemplaria frequenter inter se discrepent, maxime in lectione propriorum nominum locorum, Urbium, & provinciarum. Erpenius persuasum habuit, quatuor Evangelistas e Græco in Arabicum transtulisse Nesjulamanum quemdam filium Azalkefat; reliquum vero N. T. e Syriaco Exemplari ignotum alium Authorem vertisse (3), quod suffragio suo viri alii Eruditi nonnulli confirmant.

Græco Alexandrino, optimæ notæ Exemplari, Versionem Æthiopicam N. T. debemus (4); Versio Æthiopica.
cujus tamen Author non satis interdum in reddenda vi Græcarum vocum felix est, sive quod Græcas literas minus calleret, sive quod oscitans scriberet. Quæ styli varietas in variis N. T. Libris animadvertitur, totum opus pluribus Authoribus deberi satis demonstrat (5). Quatuor Evangelistarum Versio correctior est reliqua & accuratior; in reliquis enim Author interpretationes quasdam de suo addere, religioni non ducit. Subinde quædam in eo Codice desiderantur, quibus supplendis ab Editoribus ad Græca & Latina Exemplaria confugiendum fuit.

Tempus & Author ejus Operis æque ignorantur: spectat facile ad exordium nunciati apud Æthiopes Evangelii; quod alii factum credunt sæculo quarto, S. Athanasii ætate; alii, sexti dimidio, Justiniano imperante. Sunt qui opus credant Monachorum, quos Frumentius ad Æthiopes ad Christiana Sacra translatos duxit (6); nec desunt, qui eidem Frumentio tribuant. Observatum est, Versionem hanc Æthiopicam plurimum congruere cum vetustissimo Mss. Alexandrino, nostra ætate in Anglia servato. Menda etiam nonnulla deprehenduntur, non aliunde quam ex veteri isto vel alio simili Codice derivanda.

Renaudotio (7) remota illa Versionum Æthiopicarum, quæ vulgo asseritur, vetustas non persuadetur. Expressas enim credidit e Versionibus Cophticis sive Ægyptiis, quæ pariter originem suam referunt ex vetustis Mss. Græcis, in Ægypto vulgatis, unde repetenda affinitas illa inter codicem Æthiopicum & Mss. Alexandrinum. Cæterum operæ pretium est animadvertere, Æthiopicam linguam, qualis Versione illa exprimitur, non vernaculam esse quæ hodie apud Æthiopes obtinet, sed vetustiorem alteram, hodie abolitam (8), & olim ante desertam ab Æthiopibus urbem Axumam, vulgarem.

Versio Cophtica sive Ægyptiaca, numquam, quamvis maxime omnium Orientalium excusarum Versio Cophtica.
Versionum id mereretur, typis vulgata est. Minus sane curandæ fuerant aliæ plures, veluti Arabica & Persica, quarum hac postrema nonnisi ex alia priori Versione expressa est. Porro Versio hac Coptica e vetustis probatisque Mss. est adornata. Variantia plura, ex variis Mss. Codicibus Cophticis studio Marechalii collecta, Millius in sua Editione N. T. vulgavit; quorum pariter alia non pauca in N. T. Oxoniensi anno 1675. publici juris facta fuerant.

Suspicantur nonnulli (9), ipsa S. Antonii ætate, tertio nempe sæculo exeunte & ineunte quarto, Ægyptiacam Versionem aliquam jam obtinuisse; vir enim ille Sanctus, qui nonnisi Ægyptiam sermonem norat (10), majorem Scripturarum partem memoria complectebatur, & pro opportunitate in colloquiis, earum sententias apte laudabat. P. Kircherius (11) censet, circa dimidium quarti sæculi cœpisse Versionem Cophticam adornari; quam ille opinionem probat ex fide vetusti Coptici Martyrologii, narrantis, Monachos ejus ætatis in vertendis ex Græco, Hebræo & Chal-

---

[1] Hieronym. ad Lucinium Epist. olim 28. nunc 52. nov. Edit. [2] Vide etiam Epist. ad Sun. & Fretell. *Nolaimus ergo immutare quod ab antiquis legebatur, quia idem sensus erat . . . . Et nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat, mutare noluimus.* [3] Erpenius Præfat. in N. T. Arab. editum Leid. 812. [4] Mill. Prolegom. 1472. [5] Idem Prolegom. 1122. [6] Vide Ludolf. Histor. Æthiop. l. 3. c. 4. & Epist. ad Hottinger. & Hottinger. Dissert. 3. de translatione Bibl. in ling. vernac. [7] In Append. ad Biblioth. Sacr. P. Long. pag. 666. [8] Ludolf. Histor. Æth. lib. 1. cap. 15. num. 6. 10. 11. 20. [9] Vide Jacob. Le Long, Bibl. Sacr. t. 2. c. 2. sect. 9. [10] Pall. Histor. Lausiac. c. 26. [11] Prodrom. Copht. cap. 8. Ita & Simon. Disquis. Critic. de variis Bibl. Edit. cap. 22.

& Chaldæo in Cophticum Sacris Libris potissimum fuisse occupatos. D. Pik (12) Versiones Cophticas non nisi ab octavo sæculo vel prius aliquanto revocat. Cæterum Cophticus sermo inter priores & matricea linguas habetur; vetus est enim Ægyprius, quamvis maxime corruptus.

Versio Persica.

Duæ circumferuntur Persicæ Versiones: recentior ex Græco adornata, cura Abrahami Vecloch, linguæ Arabicæ Cantabrigiæ professoris, publici juris facta est: vetustiorem & melioris notæ, e Syriaca expressam, Valtonius in suis Polyglottis (13) impressit. Posterior hæc, satis fidelis quidem, interdum tamen a Textu recedit, & glossemata quædam minus necessaria addit.

Versio Armena.

Versionem suam Scripturarum Armeni ad S. Chrysostomi ætatem spectare arbitrantur (14); adornatam vero putant duplicis Scriptoris opera, Moysis scilicet Grammatici, & Davidis Philosophi. Ex Græco rota, tam quoad Vetus quam quoad Novum Testamentum, expressa est. Prodiit Antuerpiæ primum anno 1666, deinde alibi pluries. Sunt qui illam tribuant S. Chrysostomo (15), dum in exilio Cucusæ detinebatur; alii vero tradunt (16), B. Mesropam, cum consilium agitaret tradendi gentilibus suis Armenam Scripturarum Versionem, misisse sub Theodosio juniore suis e Discipulis duos, Eznar & Josephum, ad urbem Edessam, ubi juncta simul opera Versioni studerent. Adornarunt igitur Opus e Syriaco Textu. Sed utraque hæc opinio ejusdem est fidei & authoritatis. Constat sane, Armenam Versionem e Græco repetendam (17), quo tamen Authore, incertum.

Versio Gothica.

Ulphilas, qui circa annum J. C. 360. Episcopus Gothorum erat (18), Gothicæ Versionis est Author. Ab eo viro inventos characteres Gothicos tradunt Socrates, Sozomenus, & Philostorgius; addentes, vertisse illum pariter universam Scripturam, Libris Regum exceptis. Id autem en consilio a viro præstitum, quod timeret, ne tot bellorum, quæ in Libris Regum leguntur, lectione, bellicosa gens & fera plus nimio excitaretur.

Porro Versio hæc longa oblivione sepulta mansit, donec fragmenta quædam Mss. in Abbatia Werdinensi, prope Coloniam, reperta sunt. Codex erat mebranaceus vetustissimus, argenteis scriptus characteribus, quin & aureis initialibus literis ornatus; hinc nomen inditum Exemplari, *Codici argenteo*. Emptum est 500. ducatis pretiosum illud vetustatis monumentum a D. de la Gardie, Sueciæ Cancellario, quod deinde exscribens Franciscus Junius, publici juris fecit anno 1665. additis Notis D. Mareschalli, & Lexico.

Ulphilas Arianam sectam profitebatur: verum sive opus adornarit antequam a fide desciseeret, sive metu ne doli mali convinceretur, illud plane constat, loca omnia, quibus maxime hæresis impugnatur, integra fide in ejus Versione servari. Unus est in capite XIII. S. Joannis locus, qui suspicionem movere posset; sed facta ejus cum altero loco ejusdem Interpretis collatio, omni illum fraudis suspicione liberat. Fidem secutus est veteris & probatissimi Græci cujusdam Codicis, cujus ille sinceritati sinceritate sua adeo respondit, ut periisse reliqua hujus pretiosissimi monumenti ægre feramus.

Cum Versiones hasce in nostris subinde Commentariis pro locorum opportunitate laudemus, jucundum erit Lectoribus illas nosse, & quanti habendæ sint intelligere. Maxima omnium, quæ ex Versionibus hisce utilitas deducitur, illa est, nimirum constare ex illis quam secuti sint legendi rationem veteres codices, unde Versiones illæ exprimuntur; alioquin enim scientia Græcæ linguæ nostra ætas nihil vetustis illis Interpretibus concedit. Sed de genuina & vetusta Græcorum exemplarium lectione non satis convenit, quod Exemplaria Græca discrepare plurimum hodie deprehendantur. Quare commodissimum accidit nosse, quam lectionem Veteres secuti sint, ut certa in nostris Exemplaribus definiatur.

De Versionibus tum Latinis recentioribus, tum vernaculis nostræ ætatis nihil agendum ducimus in præsenti, tum quod a proposito nimis abducturæ sint, cum etiam quod labori par fructus non sit responsurus. Gallicam Versionem ex Latino, & ad Vulgatam tunc etiam in Commentario sequuti sumus, cum Græcus Latino meliora præferre videretur. Sedulo pariter alicujus momenti variantia tam Græci & Latini, quam Græcorum Exemplarium, ad infimas paginarum oras, ne Textus nimis inserciretur, adnotavimus.

Porro eamdem in Novi Testamenti interpretatione, quam in Veteris, methodum sequuti sumus, nisi quod plus aliquid in Novo laudavimus ex PP. Græcis & Latinis, genuinis scilicet divini hujus Operis Interpretibus. Junximus Authores Catholicos una cum illis, Ecclesiasticæ traditionis in sensu Sacri Textus seriem continuantes. Nec in rebus criticis, & literalibus Textuum expositionibus Authores Heterodoxos neglеximus. Fatemur autem ingenue, plus externæ opis invenisse nos in Novi, quam in Veteris Testamenti intrepretatione, quod Græcum N. T. eloquium multo notius sit, quam Hebræum Veteris. Major sane fuit difficultas in conciliandis inter se Evangelistis, & mente S. Pauli assequenda; minima in genuina verborum significatione aperienda.

In historia Harmonica & Chronologica ex quatuor Evangelistis eam Chronologiam secuti sumus, quam Toynardus statuit, cujus viri Harmonia nuper typis excusa est. Censemus autem cum peritissimis Chronologis, Æram Vulgarem, Ecclesiæ Latinæ usu post Dionysium Exiguum receptam, nempe post sæculum sextum, tertio anno post veram Epocham ab exorto Jesu Christo inci-

---

(12) Epist. ad V. Cl. Mill. Prolegom. ad N. T. (13) Vide Mill. Prolegom. in N. T. G. Proleg. 1369. (14) Uscam Episcop. Armen. apud Simon. Histor. Crit. V. T. lib. 2. cap. 16. (15) Georg. Alexand. qui claruit an. 620. & post eum Sixt. Senens. lib. 6. (16) Author vitæ S. Mesropæ, apud P. Le Long, Bibl. Sacr. cap. 2. sect. 8. pag. 230. (17) Mill. Prolegom. 1402. (18) Vide Mill. Prolegom. 1396. & Præfat. in N. T. Goth.

incipere, adeo ut quo loco nos hodie annum Jesu Christi 1715. numeramus, statuendus sit annus 1718. Quamobrem ut ambiguitas omnis tollatur, in annorum adscriptionibus duplicem Epocham consignamus, vulgarem nempe, & veram; ut primus J. C. annus ex Æra Vulgari respondeat quarto J. C. ex Epocha genuina, & cum Christus diem clausisse statuatur anno tertio & trigesimo ætatis ex æra vulgari, ejus loco juxta veram Chronologiam scribendum sit, ætatis anno septimo & trigesimo.

In Harmonica historia adscripsimus in ora libri nedum rerum gestarum annos, verum etiam Evangelistarum Capita & versus, quo facilius illorum seu discrimen seu concordiam agnosceres. Ita uno simul volumine habebis continuam Evangelistarum Epitomen, ordine temporum digestam, Chronologicam Tabulam atque Concordiam. Tabula Geographica eadem est quam dedimus in Josue, sed emendatior atque auctior.

IN EVANGELIUM
S. MATTHÆI
PROLEGOMENON.

S. Matthæus, Evangelii, quod modo explicandum suscipimus, Scriptor, Alphæum habuit patrem (1), patriam Galilæam, Religione Judæus & professione Publicanus. *Publicanum* egisse, cæteri Evangelistæ non exprimunt, & *Levi* tantummodo appellant, quod scilicet invisum esset apud Judæos *Publicanorum* nomen & munus (2) Quamquam vero non satis expresse loquuti sunt Evangelistæ de Publicani munere a S. Matthæo gesto, tacite id tamen insinuant S. Marcus II. 14. & S. Lucas V. 27. Sibi tamen vir Sanctus id cavendum non censuit; sed nomen suum & munus palam protulit, quo beneficii a J. C. accepti, Apostolatus nempe, magis magisque donum commendaret, suoque demonstraret exemplo, de misericordia Dei nemini desperandum (3). Urbis Capharnaum incola, telonium habebat extra Urbem positum, in litore mari Tiberiadis (4); qua transiens Jesus illum ad sui clientelam vocavit.

Cognomen *Alphæi* sive *filii Alphæi*, quod apud S. Marcum (5) obtinet, suspicionem movit Veteribus nonnullis (6), cui fidem addunt Græci recentiores (7), fratrem habuisse S. Jacobum filium Alphæi sive minorem; cui tamen opinioni nulla species est veritatis.

Conjecturas quasdam Grotius (8) congessit adversus receptam illam opinionem, qua S. Matthæus cum Levi filio Alphæi, de quo SS. Marcus & Lucas, confunditur. Observat ille, I. S. Matthæo numquam adjectum esse Levi cognomen, nec vicissim Levi nomen S. Matthæi in omnibus N. T. Libris. II. Heracleonem, a S. Clemente Alexandrino l. 4. c. 5. laudatum Matthæum & Levi ceu duos viros distinguere, nec ejus sententiam S. Clementem refutasse. III. Origenem lib. 1. contra Celsum scripsisse, Levi Publicanum, qui Jesu Christo comes accessit, inter Apostolos non recenseri; nisi, ait, in quibusdam Exemplaribus S. Marci. Profecto Exemplaria quædam illius Evangelii & inter cætera Mss. Cantabrigiense legunt (9): *Jesus vidit Jacobum filium Alphæi*; alia legunt: *Vidit Matthæum Publicanum*; pro eo quod in Vulgata & plerisque Codicibus tam Mss. quam impressis Græcis legitur, *Levi Publicanum*. Addit Grotius, Levi fortasse ipsum fuisse mancipem portoriorum; Matthæum vero illius vicarium; & convivium, de quo S. Matthæus, non in Matthæi domo sed Levi instructum.

En Grotii conjecturas, quas minus habere ponderis agnoscimus, ut adversos Veterum opinionem, assertam adeo, omnibusque historiæ partibus congruentem, quemadmodum ipse etiam Grotius fatetur, valeat. Heracleonis authoritas, Origenis dubitationes, silentium S. Clementis, quorumdam Mss. lectio tantine facienda sunt, ut Codicum omnium, & perpetui omnium Scriptorum assensus, tum & XVII. sæculorum possessionis fidem enervent? Origenes Præfat. in Ep. ad Rom. & in Matth. ultro recognoscit Matthæum & Levi duo esse nomina ejusdem hominis. S. Clemens Alexandrinus, seu potius Heracleon, cujus ipse testimonium profert, de Levi apud S. Marcum II. 14. commemorato forte non loquitur, sed de Lebæo, seu Levæo quodam, alio nomine Thaddæo, quem plane constat distinctum esse hominem a Levi & a S. Matthæo.

Faustus Manichæus olim negaverat, scriptum esse a S. Matthæo Evangelium, quod ejus nomine habemus; quod scilicet, cum in eodem Evangelio ejusdem Matthæi vocatio recitatur, non scripserit Sacer Historicus: *Jesus vidit me, & dixit mihi: Sequere me*. Ridiculum argumentum! indignum, cui adeo solida & gravis S. Augustini refutatio opponeretur (10). Rufinus Hist. Eccl. lib. 10.

[1] Marc. II. 14. Luc. v. 27. [2] Hieronym. in Matth. [3] Chrysostom. t. 6 homil. 28.
[4] Marc. II. 13. 14. Luc. v. 28. [5] Marc. II. 14. *Vidit Levi Alphæi, sedentem ad telonium*.
[6] Chrysost. hom. 25. Theodoret. in Psal. LXVIII. 28. [7] Vide Bolland. 21. Maii p. 19. [8] Grot. ad Matth. IX. 9. Vide & Cleric. in Hamm. ad Luc. v. 27. [9] Marc. II. 14. [10] Augustin. lib. 17. cap. 4. contra Faust. Manich.

lib. 10. cap. 9. & Socrates Hist. Eccl. l. 1. c. 19. aliique nonnulli (1) tradunt, S. Matthæum in Æthiopia Evangelium nunciasse; in Perside sive apud Parthos, S. Ambrosius (2), S. Paulinus (3), aliique. Incerta omnia; & cum non raro apud Veteres Æthiopiæ nomen latissimo sensu usurpetur, designatam facile credimus eo nomine Provinciam aliquam Regni Parthorum; atque ita nullo negotio utraque hæc sententia conciliatur.

Antequam e Judæa digrediens in remotas Provincias Evangelii nunciandi gratia proficisceretur (4), ut Fidelium Palæstinæ votis annueret, ea quæ viva voce prædicaverat, literis mandare aggressus est. Scripsit ergo Evangelium, bonum nempe nuncium salutis & libertatis, quam J. C. mortalibus omnibus largitus est. Apostolorum precibus & jussu huic rei manum admovisse, Patres nonnulli (5) asseruerunt. Scripsit Jerosolymæ (6), usus sermone Hebræo, sive Syriaco, Palæstinis Judæis tunc temporis vernaculo (7). Ea res tamquam certa a priscis omnibus Scriptoribus traditur.

Opus hoc suscepisse (8) narratur S. Matthæus anno octavo post resurrectionem J. C. & 41. Æræ vulgaris. Eam temporis adscriptionem servant in calce operis vetera omnia Græca Mss. Omnium primum scribendi Evangelii consilium suscepisse, tradunt SS. PP. cujus rei argumentum est pariter ordo, quem in omnibus Exemplaribus N. T. tenet; est enim omnium Evangelistarum primus. S. Irenæus lib. 3. cap. 1. illum scripsisse testatur circa annum Christi 61. cum, ait ille, eo tempore se ad opus accinxerit, quo SS. Petrus, & Paulus Romæ Evangelium nunciantes, Ecclesiæ J. C. fundamenta locabant. Verum eo semel admisso, nimirum S. Matthæum omnium primum Evangelium scripsisse, & S. Marcum suum adornasse circa annum 43. epocham S. Irenæi deserere cogemur (9). Cornelius a Lapide & Baronius post Authorem imperfecti in S. Matthæum putant, scribendi occasionem dedisse primam Apostolorum dispersionem, circa tertium vel quartum annum a J. C. in Cœlum recepto. Sed incerto ejus dispersionis anno, nihil exinde certi ducitur.

Summo Veterum assensu traditum est, hoc S. Matthæi Evangelium Hebraico sermone vel Syriaco, tum temporis Palæstinis vernaculo, scriptum fuisse (10). *Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis, scriptum*, ait S. Hieronymus (11). In usu fuit Judæis Palæstinis ad Christiana sacra translatis, qui obsidionem Urbis per Romanos vitaturi, Pellam trans Jordanem digressi, una illud detulere. Inde per totam Decapolim & regionem trans Jordanem scriptum illud obtinuit; quo pariter usos ejusdem Regionis Christianos, ætate S. Epiphanii (12), & Eusebii (13) constat.

Codicem quemdam Evangelii S. Matthæi vel secundum Hebræos præ manibus habuisse, & Græcis Latinisque literis se tradidisse, S. Hieronymus testatur. Addit insuper, laudari idem Exemplar ab Origene; neque ambigere se, quemadmodum nec S. Epiphanium, ipsum esse Autographum S. Matthæi; quamquam a Christianis Hebraizantibus, quorum plerique parum sancte purioris fidei depositum servavere, in pluribus interpolatum (14).

Prima igitur huic interpolationi via aperta est, quod plura ex ipsis Apostolis sive prioribus Discipulis audita, addenda reputarunt. Hinc evenit ut in Evangelium illud penes cæteros Fideles suspicio. Deinde semel aperto interpolandi Textum aditu, Ebionitæ addere plurima atque detrahere, uti maxime erroribus suis conducebat, ausi sunt; ex quo cæteris Fidelibus rejiciendi Operis occasio data est. Ipsa Origenis ætate, idest secundo sæculo (15), e Sacrorum Librorum authoritate Evangelium illud exciderat. Inter Apocrypha rejicit Eusebius; quæque apud S. Ignatium, S. Clementem Alexandrinum, S. Hieronymum, & alios laudantur ex eodem Evangelio sententiæ, frustra in Græco quærendæ, illius interpolationem satis superque demonstrant.

Puerilia etiam plura & erronea in eodem Libro legebantur, ut illud de juvene, cui a J. C. imperatum est: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus;* quem juvenem legimus in eodem Evangelio abiisse scabentem sibi caput (16). Jesum Christum invitum a S. Joanne aqua Baptismatis tinctum, ex eodem Evangelio refert S. Hieronymus (17). Laudat etiam ex eodem Evangelio Hebræorum S. Hieronymus (18) illam sententiam: *Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate.*

S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. refert ex eodem: *Qui admiratus fuerit, regnabit, & qui regnaverit, requiescet;* & illud lib. 5. Strom. *Secretum meum mihi, & omnibus domus meæ.* Potuit tamen posteriorem hanc sententiam decerpere S. Clemens ex Evangelio secundum Ægyptios, interdum ab ipso laudato. Origenes (19) loquentem inducit Jesum Christum juxta Evangelium secundum Hebræos: *Modo accepit me mater mea S. Spiritus in uno capillorum meorum, & me in montem magnum Tabor portavit.* Cursim hic adnotandum est, Hebræum *Ruah*, nempe *Spiritus*, vocem esse fœmininam; hinc data occasio illis verbis: *Mater mea S. Spiritus.* Hæc pariter verba S. Spi-

(1) Eucher. qu. lib. 1. pag. 379. Fortun. lib. 5. cap. 1. Gregor. in Reg. 12. (2) Ambros. in Psal. XLV. (3) Paulin. carm. 26. Ita Martyrolog. sub nomin. Hieron. & alii. (4) Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 24. Chrysost. in Matth. homil. 1. Iren. lib. 3. cap. 1. Hieron. de vir. illustr. aliique. (5) Euseb. Iren. (6) Euseb. Demonst. lib. 3. cap 24. & Mss. Græca Evangelii secund. Matthæum ad calcem. Ita Chrys. & Theophyl. &c. (7) Τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ ἔγραψε. Ita Codd. Mss. plures, Syr. Arab. Pers. Athan. in Synopsi, Iren. Origen. Hier. Epiph. Chrysost. Theophyl. Euthym. alii passim. (8) Athanas. in Synops. ... Theophyl. Euthym. in Matth. Nicephor. lib. 2. cap. 45. Euseb. in Chronic. (9) Vide notam ... Tillemontii in S. Matthæum. (10) Orig. hom. 6. in Matth. Iren. apud Euseb. lib. 5. cap. 10. Hieronym. in Catalog. Epiphan. Hæres. 29. Theodoret. de hæres. &c. (11) Adversus Pelag. lib. 3. cap. 2. (12) Epiphan. hæres. 29. cap. 7. (13) Euseb. lib. 3. cap. 25. Histor. Eccles. (14) Vide Hieron. in Catalog. V. Matthæus, & V. Jacobus, & in Matth. XII. (15) Hom. 8. in Matth. Edit. Latin. (16) Vide Origen. in Matth. hom. 8. (17) Contra Pelag. lib. 3. cap. 1. (18) In Epist. ad Ephes. v. 4. (19) In Joan. tom. 2. Vide & homil. 15. in Jerem. pag. 148. Edit. Huet. & Hieron. in Isa. XL. 11.

S. Spiritus ad Jesum Christum, e fluento Jordanis post Baptismum S. Joannis ascendentem, leguntur: *Fili mi, ego expectabam adventum tuum in omnibus Prophetis: Tu es filius meus dilectus, qui in aeternum regnas*. Et alibi (1): *Et ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Joannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum; eamus & baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Nisi forte hoc ipsum quod dixi, ignorantia est*. Plura essent alia ex eodem Evangelio congerenda, quæ nos opportune in Commentariis recitavimus.

Non abs re credimus, ipsum esse Hebraicum S. Matthæi Evangelium, quod nomine Evangelii duodecim Apostolorum a pluribus laudatur (2). Ita enim a Christianis Hebraizantibus appellatur, ratis, illud ex Apostolorum Collegio se accepisse, atque in eo collecta esse omnia, quæ e loquentium ipsorum ore excepta fuerant. Dictum est etiam Evangelium Nazaræorum (3), quod eo uterentur primi illi Christiani, Nazaræi ex Nazareth Jesu Christi patria appellati. Nihil probrosum primo nomen illud sonabat; deinde Hæreticos cujusdam sectæ denotavit; qui adeo Legalibus cæremoniis hærebant, ut nullam absque illis superesse salutis spem arbitrarentur.

Diu quidem hujus Evangelii sanctam integrumque depositum mansit penes Nazaræos sive primos Fideles (4); mansit, inquam, etiam post ejus interpolationem fraude Ebionitarum, qui facta a fide secessione, plura in Divinitatem J. C. & virginitatem B. Mariæ erronea effutierunt.

Erant etiam S. Hieronymi ætate Nazaræi (5), quibus nihil tale ut Ebionitis exprobrabatur. Nihil ex Evangelio detraxerant, nullam ex traditionibus Pharisaicis recipiebant; quamquam observationi Legalium inhærerent.

Docet etiam Theodoretus (6), adjectam pariter Evangelio Nazaræorum Inscriptionem: *Evangelium S. Petri* (7) sive *Evangelium secundum Petrum* (8). Utebantur eo S. Petri Evangelio *Docetæ*, hæretici secundi sæculi, ajentes, Jesum Christum specie tantummodo natum, specie pariter mala passionis mortemque ipsam tolerasse. Hujus sectæ Authorem se ducemque præbuit Julius Cassianus (9), discipulus Valentini, qui sub Imperio Marci Aurelii nova hæc hæresi Ecclesiam afflixit. Serapio Episcopus Antiochiæ sub Commodo, cum Marciano ejusdem Cassiani Discipulo conflixit (10).

Prædicatio S. Petri (11), qua Heracleon Valentini amicus utebatur, ipsum erat Evangelium secundum Petrum, de quo in præsentia. Omnes porro hujusmodi Hæretici e numero erant priorum Fidelium, ex Hebræis ad Christi sacra conversorum; quare omnes idem habebant Evangelium, singuli, ut sibi commodum censebant, addere aliquid ac detrahere ausi: reipsa tamen idem erat omnibus Evangelium Hebraicum S. Matthæi.

Archetypum S. Scriptoris Evangelium hodie periit; quæ enim publici juris facta sunt a Munstero Basileæ 1537. a du Tillet Parisiis 1555. nullius sunt authoritatis, & ex Latino expressa, atque recentiora ab Eruditis creduntur (12). Quædam etiam in illis ad Rabbinorum ingenium expressa animadvertuntur; quibus aliisque notis fraudis & novitatis meritissime Exemplaria illa damnantur. Munsteri Exemplar altero mendosius, utpote ex Autographo mutilo & imperfecto descriptum.

Millius, post Titum Bostrensem (13), putat, *Evangelium Hebræorum*, de quo huc usque, recentissime post passionem Jesu Christi procusum a Viro aliquo Fideli Jerosolymis versante, qui Jesum Christum de facie norit; & ex illis Evangeliis unum censet, quemadmodum & Evangelium Ægyptium, quorum S. Lucas in ipso Evangelii sui exordio meminit, testatus, plurimos historiam rerum ab initio gestarum scribendam suscepisse (14). Porro conjectura hæc certum constituit id quod nobis suspectum maxime creditur, vel etiam omnino falsum; nimirum Evangelium Hebræorum aliud esse ab Evangelio Nazaræorum, & ab Opere S. Matthæi diversum. Arbitramur enim, omnia hæc scripta variis tantum additionibus & detractionibus, Hæreticorum injuria factis, inter se discrepare.

Quæ hactenus deduximus de Archetypo Hebraico S. Matthæi, in dubium a nonnullis nostræ ætatis Criticis revocantur (15). Statuunt nimirum illi, S. Scriptorem Græcis literis Opus suum mandasse, & quæ de ejus Evangelio, Syriace, Chaldaice, sive Hebraice (16) scripto, a SS. Patribus feruntur, sive falsa esse, sive incerta, vel saltem præpostere intellecta. Non satis enim inter Veteres ea de re convenit, nec singuli aliquando secum ipsi constant. S. Hieronymus interdum velut eximium Opus commendat (17), & pluribus laudat; cum tamen de corrigendis Exemplaribus N. T. sive jussu Damasi vertendo Evangelio agitur, Hebraico neglecto, ad Græcam veritatem confugit (18). Origenes laudat quidem sæpe (19); interdum tamen levissimæ authoritatis

(1) Hieron. lib. 3. contra Pelag. cap. 1. (2) Apud Origen. hom. 8. in Matth. Ambros. Proœm. in Luc. Hieronym. lib. 3. contra Pelag. cap. 1. (3) Iren. lib. 1. cap. 26. & lib. 3. cap. 11. Hieronym. in Matth. xii. (4) S. Ignat. apud Euseb. hist. Eccl. lib. 3. cap. 36. & S. Hieronym. in Matth. S. Epiph. hæres. 30. in fin. Evangelium illud tamquam genuinum S. Matthæi laudant. (5) Hieron. in Isai. viii. 9. xxix. 20. xxxi. 6. ix. 1. (6) Theodor. hæret. Fabul. lib. 2. cap. 2. (7) Frag. Serapion. Τὸ ὀνόματι Πέτρου Εὐαγγέλιον. (8) Euseb. lib. 6. cap. 3. Τὸ κατὰ Πέτρον ἐπιγραφόμενον Εὐαγγέλιον. Origen. in Matth. pag. 232. Edit. Huet. Τὸ ἐπιγεγραμμένον κατὰ Πέτρον Εὐαγγέλιον. (9) Clem. Alex. lib. 3. Strom. (10) Euseb. lib. 6. cap. 12. Hist. Eccl. (11) Κήρυγμα Πέτρου. Origen. Clem. Alex. Euseb. (12) Grot. init. Comment. in Matt. Huet. de Claris Interpp. §. 12. Heidegger. Enchirid. Bibl. l. 3. c. 2. Mill. Proleg. 1236. (13) Tit. Bostr. in Mſ. Colleg. nov. apud Mill. Proleg. p. 120. col. 2. (14) Luc. 1. 1. (15) Erasm. in Matth. vi. 2. v. 22. & viii. 22. xix. 5. Apol. ad Stunicam; Cajetan. ad Matth. 11. 23. Calvin. ad Matth. 21. 6. Gomar. Dissert. Oper. tom. 3. p. 513. Ligfoot. Hor. Hebr. ad Matth. 1. 23. Vitsakea. Schmith, Frassen, Disquis. pag. 661. 662. Beza ad Matth. 1. Casaubon. in Baron. Illyric. Cleric. Dissert. 5. in suam Concord. Ev. alii plures. (16) Hieron. lib. 2. de Script. Ecclesiast. & in Matth. xii. (17) Idem, Præfat. in quatuor Evangel. (18) Hieron. in Comment. in Matth. xii. (19) Origen. hom. 8. in Matth. in Edit. Latin.

Opus esse innuit. S. Epiphanius, qui semel illud tamquam authenticum non sine elogio usurpat (1), alibi suggillat tamquam mutilum & corruptum (2).

Cum autem Græca lingua vulgaris in Palæstina ea ætate haberetur, e re maxime fuerat, si Græcis literis S. Matthæus Opus suum traderet; quippe quod populis e vulgo potius, quam Sapientibus scriberetur. Profecto scriptum Hebraice Opus cur oblivioni tandem traditum periisset? Nemine enim repugnante, Hebraica illa Evangelia, aliquot ab hinc annis excusa, longe diversa sunt ab Archetypo S. Matthæi; quod idem judicium de Syriaco ferendum est, quidquid in contrarium Editores ejusdem Testamenti Syriaci adnitantur. Addunt, vix fieri potuisse, ut Opus a S. Matthæo Hebraice scriptum Græcas interpretationes nominum Hebræorum præseferret; quæ tamen in Evangelio S. Matthæi spectantur. Nunquam etiam ejusdem Auctor testimonia Scripturæ e Versione Septuaginta Interpretum laudasset. Porro eo tempore vulgaris erat per universum Imperium Græcæ linguæ usus in familiari consuetudine; ut S. Paulus Græce ad Romanos scriberet, & SS. Petrus & Jacobus Epistolas darent Græcas ad Judæos dispersos; quemadmodum Sanctus Paulus ad Judæos Palæstinæ. Cur igitur unus S. Matthæus inter omnes Novi Testamenti Authores, Græce scribentes, Hebræum sequeretur? Fulciendæ pariter huic sententiæ Rabbinorum suffragium petitur, pronunciantium, piaculum esse, Libros Sacros alteri quam Græcæ linguæ tradere (3). Hæc momenta hujus sententiæ.

Hujus assertores consueto supercilio stultitiæ damnat Isaacius Vossius (4), & contemptu potius quam refutatione dignos judicat. *Stulti simus, si istiusmodi deliriis aliquid reponamus.* Imprudens tamen ille adversariis, quos tantopere spernit, arma suppeditat, ajens, Græcum sermonem vernaculum fuisse Palæstinorum, Jesu Christi ætate, Chaldaico vel Syriaco unis tantum viris doctis relicto; Jesu Christum, Apostolos, & Judæos omnes Jerosolymæ versantes, Græce tantum locutos. Sed unde, quæso, Evangelistæ Hebraicas quasdam vel Syriacas voces, veluti a Jesu Christo prolatas, non semel referunt (5)? Cur S. Paulus ad Judæos in Templo pro concione loquens, Hebraice vel Syriace perorat (6)? Unde Paraphrases Chaldææ, paulo post Jesu Christi ætatem, populi gratia, adornatæ, si hic Græcum non ignorabat?

Quo tamen rationes negantium scriptum Hebraice a S. Matthæo Opus directe petamus, reponendum est primo, ea, quæ in testimonio Veterum pugnantia animadvertuntur, specie tantum sibi ipsis adversari. Idem Textus, varia ad diversa tempora & personas, quæ illo utebantur, relatione spectatus, a se ipso discrepat, variisque sententiis locum fecit. Primo enim integer erat, purus, sacer, & certæ fidei; deinde nonnullis additionibus minoris momenti & fidei sublestæ interpolatus est; atque ita apud Nazaræos usque ad quartum sæculum mansit. Simul tamen exeunte primo sæculo corruptus est mala fide ab Ebionitis; atque in Hæreticorum manibus spectatum est Opus, velut Hæreticum, Apocryphum, & nullius authoritatis rejectum ab Ecclesiis. Hinc variis Authorum sententiis & opinionibus occasionem unus idemque Textus præbuit.

II. Quæ de Græco sermone, tamquam in Palæstina eodem tempore vernaculo, feruntur, cum veritate prorsus non congruunt. Jesum Christum Hebraice locutum esse, ex ipso Evangelii testimonio intelligimus. III. Græca Hebræorum nominum expositio scriptum Græce Evangelium ita plane demonstrat, quemadmodum nomina Hebræa, Græce sive Latine in Genesi reddita, scriptam esse Græce vel Latine Genesim minime persuadent. Quin & contraria omnia eo argumento probantur; nun enim Hebraicorum nominum in altera lingua interpretatio alio consilio adjicitur, quam quod Græci Interpretes vim nominum, de quibus in Archetypo, totam volunt Lectoribus pandere.

IV. Magis quidem proposito servire videntur ea, quæ de laudatis sententiis Veteris Testamenti ex Versione Septuaginta Interpretum animadvertuntur; quo unico argumento, si cum veritate constaret, aliquid sane, non omnia convincerentur; cum fieri optime potuerit, ut Interpres Textu Septuaginta veluti omnium probatissimo utendum sibi censeret, in iis locis, in quibus S. Matthæus Hebræum laudavit. Sed hæc cum veritate non constant. S. Matthæus non verba plerumque, sed Prophetarum sensum usurpat; & ex decem sententiis V. T. ab eo relatis, septem (7) ad Hebræum magis quam ad Septuaginta accedunt. Tres tantummodo Septuaginta Interpretibus respondent (8); sed illæ vicissim cum Hebræo congruunt; ut proinde cum Septuaginta & cum Hebræo convenire perinde censeantur. Consule S. Hieronymum (9), qui luculenter observat, S. Matthæum non Septuaginta Interpretes, sed Hebraicum Codicem sequi.

Cum itaque de Evangelio Hebraico S. Matthæi agendum est, ut ambiguitas omnis tollatur, tempora & personæ sedulo distinguenda sunt. Purum namque putumque ex Evangelistæ manibus exiit, & ex puro pariter probatæque fidei Autographo jam inde ab initio Græcæ Latinæque Versiones derivatæ sunt. Dein Christiani hebraizantes sive Religionis studio, sive inscitia, sive audacia adjicienda quædam bona fide censuerunt; quæ nimirum ex Fidelibus, qui Jesum Christum noverant, & ex Apostolis didicerant. Is Exemplaris status in manibus Catholicorum Nazaræorum diu mansit, apud quos scilicet non integra omnino fide sanctèque Depositum illud ser-

---

(1) Epiphan. hæresi 29. ἐκλησιαστ. (2) Idem, hæresi 30. & 51. (3) Vide Jerosolym. Megillat, fol. 9. apud Ligfoot. in Matth. Hor. Hebr. Vide & Bynæ. de Natali Christi lib. 1. cap. 1. art. 15.
(4) Isaac. Vossius, Præfat. Append. in lib. 2. de Septuag. Interpret. *Audio, semitheologos quosdam Rabbinistas omnium Patrum omniumque Ecclesiarum testimonia conculcare, ac serio affirmare, Matthæum non Hebraice, sed Græce scripsisse.* (5) Matth. xxvii. 46. Marc. xiv. 36. v. 41. (6) Act. xxi. 40. xxii. 2. xxvi. 14. (7) Vide Matth. i. 23. ii. 6. 15. 17. iv. 10. 15. viii. 17. (8) Matth. iii. 3. iv. 4. 7. (9) Catalog. Scriptor. in Matth.

servatum est; quamquam non ea erat corruptio, quæ rejiciendum prorsus Librum, & e manibus Fidelium detrahendum suaderet.

Ex ipso Ecclesiæ Nazaræorum sive Christianorum hebraizantium cœtu secessionem fecit primo sæculo exeunte, & ineunte secundo, ingens hæreticorum turba, divinitatem Jesu Christi & Mariæ Virginitatem negantium; quibus etiam erroribus plura & maximi plane momenti adjecerunt. Erroribus suis fulciendis, inserere ac detrahere in Evangelio S. Matthæi, quod unice plerique probabant (1), utpote cæterorum maxime sibi savens, ausi sunt quidquid erroribus suis maxime censerent opportunum. Itaque idem prorsus Evangelium, quod in Nazaræorum manibus laudatur probaturque, penes Ebionitas rejectum veluti Hæreticorum commentum damnatur. Ne vero Scriptum illud a quoquam agnosceretur, neve doli mali Hæretici, tamquam genuini Textus interpolatores, convincerentur, personarum titulum nomenque addiderunt, appellantes: *Evangelium duodecim Apostolorum*, *Evangelium S. Petri*, *Nazaræorum*, *vel Ebionitarum*, *&c.*

Non est igitur cur miremur, si Hebraicum Evangelii hujus Exemplar nostra ætate penitus interciderit, cum illud interpolari statim ab initio contigerit. Semel vero Ebionitarum fraude corruptum, cum nullis prodesset Catholicorum usibus, negligi ab Ecclesia jure meritoque par fuit. Plus aliquid curæ in servando Evangelio Nazaræorum adhibitum est; sed cum turba hominum esset infrequens, ac tandem Nazaræi veluti Hæretici haberentur, quod Legis cæremoniis plus nimio hærerent; tandem factum est, ut ipsi pariter cum Evangelio suo evanescerent. Rari erant Catholici, qui Hebræum istud Exemplar intelligerent, sive qui uti illo possent, vel si maxime possent, vellent. Græcum maluerunt, cujus asserta erat authoritas, seu Versiones e Græco adornatas; id enim utilius visum est, quam ut ad Hebraicos Codices, corruptos plane vel saltem maxime suspectos, confugerent.

Nihil Rabbinorum authoritatem moramur, quorum sententia piaculum est, Sacros Libros aliis, quam Græcorum literis tradere. Ridiculam sane objectionem! Cum de facto aliquo, ut in præsenti, agitur, unanimis Veterum omnium assensus, qui sese vidisse, legisse, vertisse, revocasse in examen vetus illud Archetypum asserunt, majoris ponderis habendus est, quam deductæ ex rerum convenientia Scriptorum nostræ ætatis ratiocinationes. Neque propositum probat, si quis asserat, veterem illum Hebræum Textum, Origeni, S. Hieronymo, aliisque visum, e Græco expressum fuisse; neque enim hæc asserenda tantum, sed etiam solidis rationibus fuerant demonstranda.

Versio Græca, quæ sola nostra ætate superest, & post Hebraici amissionem archetypa habetur, ad ipsa Apostolorum tempora spectat. Temere prorsus, & nonnisi divinando quidam tribuunt S. Jacobo Episcopo Jerusolymæ (2), S. Joanni Evangelistæ (3), S. Paulo (4), S. Barnabæ, S. Lucæ, atque ipsi tandem S. Matthæo, ut ipse opus suum Hebraicis Græcisque literis consignarit. Inter tot ambigua id unum constat, Versionis hujus sine controversia vetustissimæ certum Authorem ignorari. Papias apud Eusebium lib. 3. cap. 39. Hist. Eccles. tradit, plures fuisse, qui pro modulo suo vertendum Græce id opus susceperint. Incertior adhuc reputandus est Author Latinæ versionis ex Græco, ipso Ecclesiæ exordio adornatæ, quod nos in superiori Prolegomeno demonstravimus.

Hunc maxime scribendi finem habuit S. Matthæus, teste S. Augustino (5), ut regale genus J. C. & humanam ejus inter homines vitam describeret. Id enim suarum esse partium potissime duxit, ut gesta & institutiones J. C. recitaret, in quibus sapientiam ille cum majestate adeo temperavit, ut exemplum exhiberet imbecillitati mortalium accommodatum. Neminem ex Evangelistis accuratius illo singula percurrisse, S. Ambrosius animadvertit; addens simul, neminem vitæ regulam & morales institutiones, maxime naturæ humanæ J. C. conformes, Matthæo luculentius expressisse *(6)*. Eumdem locum inter Evangelistas tenere illum ait S. Petrus Damiani (7), quem Moyses inter Scriptores V. T. utrique enim primæ deferuntur, illi inter Veteris, huic inter Novi Fœderis Scriptores.

Cum S. Matthæus opus suum auspicatus est, inter Apostolos & Judæos magna illa quæstio agitabatur, utrum Christus Messias habendus esset. Ultro quidem dabant Judæi, Christum e Maria parente natum in Bethlehem prodiisse, in Nazareth nutritum, Davidicum genus referre. Norant omnes tum prædicationis illius, cum mortis historiam; sed Filium Dei, Messiam, & e virgine parente natum esse, pervicacius negabant; ejus prodigia veneficiis tribuebant, ipsumque ceu deceptorem Legisque eversorem damnabant. Accusabant & Apostolos, tamquam malæ fidei testes, qui furtim sublato Præceptoris cadavere, e mortuis surrexisse illum venditarent.

S. Matthæus contra illos J. C. Divinitatem asserit, e virgine parente satum, ac tandem venisse illum non evertendæ Legi sed perficiendæ demonstrat; ejus vero prodigia neque humano artificio, neque magicis præstigiis tribuenda; quin potius cum rara essent & Divina, argumentum ex illis duci firmissimum, quo Jesus verus esse Messias demonstretur. Hoc operis propositum.

Si hoc Evangelium cum cæteris conferatur, rerum gestarum seriem aliter ab illo atque apud alios dirigi, statim apparebit; quod mire torquet Chronologos & Interpretes. Alii temporum ordinem secutum ajunt; alii vero neglexisse putant; facilius enim unus ordinem temporis, quam

(1) Iren. lib. 1. cap. 26. & lib. 3. cap. 11. (2) Athan. seu alius in addit. ad Synops. (3) Theophylact. præfat. in Matth. (4) Anast. Synaita, serm. 8. in Gen. A Luca, & Paulo. (5) Augustin. lib. 1. de Consens. Evangel. Vide & Tertull. de Carne Christi cap. 22. Vide & Theophylact. in Prooem. in Matth. (6) Ambros. Præfat. in Luc. (7) Petr. Damian. serm. de S. Matthæo.

tres invertisse creduntur. Accidit huic opinioni suffragium ex S. Marco, qui in reliquis S. Matthæum historiæ ducem sequutus, alium tamen chronologiæ ordinem servat.

Unde vero id in Matthæo? Casune an ex industria? Incertum plane. Sunt qui meditato consilio id servasse S. Scriptorem credant (8), ut plures veluti sub uno conspectu historias argumento servientes proponeret, quo Judæos incredulos magis magisque vinceret. Malunt tamen alii, hanc ordinis inversionem fortuito casui (9), ex tumultuaria schedarum S. Scriptoris collectione, tribuere.

Quæ si vera sint, oportet sane hanc temporum inversionem post S. Marcum contigisse, facile enim S. Marcus ordinem chronologicum, quem Exemplar S. Matthæi, unde Evangelium suum expressit, secutus est. Ut ut res habuerit sese, nos in Chronologia nostra atque rerum serie deducenda, S. Marco, S. Lucæ, & S. Joanni ita hæsimus, ut a S. Matthæo post caput IV. 22. usque ad XIV. 13. penitus recederemus.

Sunt qui S. Matthæo authori tribuant Evangelium Infantiæ Jesu Christi, & Liturgiam, qua hodie utuntur Æthiopes.

HARMONIA
QUATUOR EVANGELIORUM,
VEL

Synopsis Vitæ Jesu Christi, Chronologico ordine deducta.

A. M. 3999. Periodi Julianæ 4709. ante Christum natum A. 2. ante Æram Vulgarem 5.

Conceptio Joannis Baptistæ.

CUM divinæ providentiæ consilio, venturo in mundum Messiæ Præcursor pararetur, Zachariæ Sacerdoti e familia Abiæ divinitus nunciatum est futurum, ut ex uxore sua filium crearet, cui Ioannis nomen dandum esset. Cum Angeli Gabrielis alloquio lætum nuncium accepit Zacharias, in Sancto versabatur, munus suum, thus Domino adolendi, implens; sed cum Angelicis dictis fidem non addixisset, actutum loquendi usu privatus obmutuis (1). Nec multis ab hinc diebus restituto jam Zacharia in domum suam in Hebron, Elisabeth ejus uxor concepit.

A. M. 4000. Per. Jul. 4710. Ante Æram Vulg. 4. J. C. 1.
Nuncium de orituro in Mundum J. C.

POst sex menses Angelus Gabriel coram Maria Sponsa Iosephi se sistens, futuram illam mox parentem Servatoris Mundi, Jesu nomine donandi, renunciavit. Maria S. Spiritus virtute concepit (2); & paulo post e Nazareth ad sobrinam suam Elisabetham, jam inde a sex mensibus Præcursore Messiæ fœtam, contendit.

Visitatio.

Ad primam Virginis Mariæ salutationem, Elisabeth in nova gaudia & exilire ipsa se, & exultare pariter tenerum in utero fœtum sensit. Nam divino perfusa lumine, quanta dignaretur visitatione novit, atque vicissim Maria tota in gratiarum actiones ad Dominum conversa, carmen effudit (3).

Joannis Baptistæ Natalitia.

Cum Elisabeth felicibus auspiciis puerum edidisset, cognati ejus omnes & vicini gratulatum ad illam venerunt; & octavo jam vertente die, quo pueri circumcisio decreta erat, cum ad eam rem destinati venissent ministri, de imponendo puero nomine disceptatum est. Zachariam volebant propinqui; sed mater Joannem præferebat. Rogatus ea de re Pater, sumpto pugillari scripsit: *Joannes est nomen ejus*. Statimque linguæ vinculis solutis, ipse Zacharias in laudes Dei effusus, cum divino quodam œstro subito afflaretur, extemporale carmen cecinit (4).

Josephi suspicio.

Mariam, post trium mensium in ædibus sobrinæ moram, in Nazareth reversam (5), Josephus fœtam deprehendit; & cum nulla se maritali consuetudine novisse uxorem suam sciret, legum severitate puniendam tradere noluit, sed clam remittere cogitabat. Talia meditanti apparuit per quietem Angelus Domini, totiusque rei mysterium aperuit. Uxorem igitur domi suæ retinuit; quamquam non conjugis, sed (6) sororis loco habuit.

Jesus Christus nascitur die 25. Decembris, Feria 5. & 7. mensis Thebat.

Novem circiter post conceptum Filium Dei mensibus, legem Augustus Imperator tulit, qua singuli patres familias jubebantur in loco natalitio vel originis suum quisque nomen profiteri. Principis imperio morem gesturus Josephus, e Nazareth una cum Maria uxore sua in Bethlehem, locum unde trahebat originem, profectus est. In publicum Urbis diversorium sacri conjuges declinavere, ubi Maria Primogenitum suum effudit. Cum vero nullus ibi commodior locus præberetur, reclinando infanti præsepe animalium selectum est (7).

Pa-

(8) Vantil. (9) Toynard. Prologom. ad Harmon. c. 1. p. 5. (1) Luc. 1. 5.... 22.
(2) Luc 1. 26. ... 38. (3) Luc. 1. 39. ... 56. (4) Luc. 1. 57. ... 79. (5) Luc. 1. 56.
(6) Matth. 1. 18. 25. (7) Luc. 11. 1. 7.

Pastores Infantem adoraturi veniunt.

Vix in Bethlehem nato Jesu, Angelus Domini lætum ejus rei nuncium ad Pastores in viciniis versantes, & excubias nocturnas gregis agentes, detulit. Nec mora, illi ad locum convolantes, Mariam, Josephum, & Infantem in præsepio positum invenerunt. Visa a se omnia obviis quibusque narrabant; id quod omnibus, ad quos rei fama pervenit, admirationi fuit (8).

A. M. 4001. Per. Jul. 4711. J.C. 1. ante Æram Vulg. 3. Circumciditur feria 5. & 1. Januarii 14. Thebat. A Magis adoratur.

OCto diebus natum puerum circumcisione initiandum, Jesum nomine, Angelica visione præmoniti, parentes appellarunt (9).

Post aliquod tempus Magi, duce stella, quam sub ipsa Jesu natalia spectarant, ex Oriente Jerosolymam venerunt. Primo eorum adventu conturbari civitas, cum præsertim cujus rei gratia venissent, adorandi nempe recens nati Judæorum Regis, cujus viderant in Oriente stellam, audiere. Herodes, qui tunc valetudine affecta Jerichunte versabatur, accitis ad se Sacerdotibus quæsivit, ecquem locum Messiæ patriam futurum ducerent. Illis Bethlehem designantibus, Rex actutum vocatos ad se clam Magos ire jussit ad Regem, eoque invento, renunciare statim, ut & ipse pariter adoratum veniret. Digressi igitur Magi, iterum stellam prius in Oriente visam, iter in Bethlehem signantem, spectarunt; quę cum supra pueri contubernium insteret, eo indicio Magi locum ingressi, puerum noverunt, agnitumque tum corporis obsequio, tum munerum oblatione adorarunt. Sequente autem nocte, ab Angelo per quietem admoniti, ne ad Herodem regrederentur, alia via domum remearunt (10).

Purificatio Mariæ, die 2. Februarii 7. Sebat, juxta Hebræorum supputationem.

Post XL. a puerperio dies, Maria stato purificationis tempore e Bethlehem Jerosolymam se contulit, ut Filium suum in Templo coram Domino, & victimas a Lege fœminis post puerperium præscriptas offerret. Simeon vir grandævus, Spiritu S. afflatus, cum eadem ipsa hora ad Templum se contulisset, manibus excipiens puerum, gratias egit Deo quam maximas ob tam insigne beneficium, quod scilicet tamdiu sibi vitę usuram indulsisset, ut Servatorem Mundi & spem Israelis suimet oculis aspiceret. Tum ad matrem conversus, futurum nunciavit, ut ejus animus gravi doloris sensu premeretur, ejusque Filius offendiculo & resurrectioni multis esset. Versabatur pariter in Templo vidua sanctissima, Anna filia Phanuelis, quę, visis rebus hisce omnibus, in laudes Dei effusa est; unde pariter rerum earum fama per totum Israelem increbuit (11).

Fuga in Ægyptum 3. Februarii.

Secundum hęc, ambo Conjuges domum redituri, ab Angelo per quietem a Josepho viso jussi sunt, puerum in Ægyptum deducere, ut furorem Herodis, in necem illum mox quęsituri, declinarent. Paruit Josephus, atque iter Ægyptum versus iniit (12).

Innocentium cædes. Josephus Judæam repetit die 2. Aprilis circiter.

Cum Herodes deceptum se a Magis intelligeret, suisque rebus vehementer timeret, metuens, ne tandem a novo Rege e Regno extorris ageretur, missa in Bethlehem satellitum manu, trucidari mares omnes a biennio & infra in Urbe ejusque finibus jussit (13).

Post eam cædem quinto vel sexto die, Herode fatis functo, Archelaus ejus filius regnavit; & Josephus, Angelo monente, post mentem fortasse, in Judæam reducere puerum jussus est. Divertit autem in Nazareth Urbem Galilææ, ubi Jesus Christus usque ad annum 30. æræ vulgaris, ætatis vero 33. moratus est.

A. M. 4012. Per. Jul. 4722. Æræ Vulg. 9. J. C. 12. Iter Jesu Jerosolymam 30. & 31. Martii 15. & 16. Nisan.

DUodennis Jesus una cum Parentibus Jerosolymam ad Festum Paschale se contulit. Impletis Legis jussionibus, Josephus & Maria regressi sunt; ratique redire pariter Jesum una cum consanguineis sive amicis, nihil de eo requirentes, unius diei iter confecerunt. Sed cum vespere filium quærentes non invenissent, actutum Jerosolymam redierunt, quæsitumque invenerunt in Templo inter medios Doctores sedentem, percontantem, audientemque ea quæ ab illis dicebantur. Sollicitudinem ea de re suam Filio parentes significarunt; illisque querentibus, respondit Jesus, nosse illos debuisse, nuspiam nisi in Templo Patris Filium reperturos. Secundum hæc, Nazareth cum parentibus repetens, in eorum obsequiis perseveravit (14).

A. M. 4032. Per. Jul. 4742 J.C. 31. Æræ Vulgaris 28. Joannes Baptista prædicationem suam auspicatur anno J.C. 31. Æræ Vulg. 28. Joannis Baptistæ 32.

JOannes Zachariæ filius, post exactam usque ad XXXII. ætatis annum in deserto vitam, ad Jordanem exiens, Baptismum pœnitentiæ prædicare exorsus est; factusque ad eum ex omni late adjacenti regione concursus Baptismum postulantium, tum & criminum suorum exomologesim facientium. Verba ad illos faciebat gravia, & vehementi sermone hortabatur, nullius personam veritus; nunciabat, ad radicem arboris securim esse jam positam, & nisi statim resipiscentes Deum sibi redderent propitium, fore, ut brevi gravem in se ejus ultionem experirentur. Plura milites docebat, Publicanos, Pharisæos, Sadducæos, & neminem, qui ad sese veniret, monitis vacuum remittebat. Vitam agebat frugi oppido & austeram, solis locustis & melle sylvestri victitans, ac veste utens ex cameli villis texta, quam pellicea zona adstringebat (15).

Joannes Baptista Jesum Christum verum Messiam agnoscit.

Cum inter cæteros vitæ genere, & præclaris virtutis exemplis Joannes emineret, succurrit pluribus suspicio, utrum Messiæ, qui venturus expectabatur, personam gereret & officium. Sed ille hanc a se opinionem depulit, alium se a Messia esse professus; venisse autem, ut aquæ baptismate initiatum populum, tum ad pœnitentiam, tum ad alterum venturum recipiendum compararet; alterum, inquam, cui ipse & viribus & dignitate multo concedens, ne solvere quidem ejus corrigiam calceamenti auderet. Hunc autem scirent baptismum in Spiritu Sancto & igne collaturum; ventilabrum in manibus tenere, illudque purgandæ areæ suæ paleisque igni tradendis in promptu jam paratumque versare (16).

A. M. 4033. Per. Jul. 4743. J.C. 33. Ær. Vul. 30. Jesus Christus baptismate Joannis tingitur.

EX omni late regione concursu facto ad Joannem, venit inter cæteros e Galilæa Jesus; quem a se baptisma postulantem removit Joannes,

(8) Luc. II. 8. 20. (9) Luc. II. 21. (10) Matth. II. 1. ... 12. (11) Luc. II. 22. ... 38. (12) Matth. II. 13. ... 15. (13) Matth. II. 16. 18. (14) Luc. II. 42. 52. (15) Matth. III. 1. 10. Marc. I. 1. ... 6. Luc. III. 1. ... 14. (16) Matth. III. 11. 12. Marc. I. 7. 8. Luc. III. 15. 16. 17.

nes, se potius ab eo baptizandum esse professus. Sed iostante Jesu, & a se justitiam omnem implendam esse dictitante, tandem alter acquiescens, Baptismate Dei Filium initiavit. Ascendente ex aquis Jesu, atque orante, Cœlo statim dehiscente, S. Spiritus in columbæ formam advolavit, auditaque simul est vox dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (17).

Jesus in desertum se confert.

Initiatus baptismate Jesus cum Nazareth repeteret, subito a Spiritu in desertum raptus est, ut ibi cum tentatore luctaretur. Post productum eo loco XL, dierum totidemque noctium jejunium, esuriens tandem, obvium habuit malum Spiritum, a quo lapides oblatos ut in panes verteret sollicitabatur. Repulit ille, dicens, non solo pane vitam homines tolerare, sed omnia alendo homini sufficere, quæ a Deo in cibum præberentur. Tum in summum altissimi montis cacumen a Dæmone raptus, Regna terræ universa oculis subjecta spectavit, suggerentemque audivit tentatorem, hæc omnia ab illo in sui potestatem tradenda, si pronus ipsum eumdem Dæmonem adoraret. Cui Jesus: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis*. Tandem supra Templi pinnaculum ab ipso Dæmone constitutus est, provocatusque ut præcipitem se daret; futurum enim dicebat Dæmon, ut ruentem Angeli manibus exciperent, ne læderetur. Cui iterum Jesus: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum*. Prætiipuit itaque se Dæmon ab eo usque ad tempus; & continuo accurrentes Angeli allatis cibis esurientem recrearunt (18).

Judæorum ad S. Joannem legatio.

Cum S. Joannes Baptista, desertis Judææ, ubi prius baptismum dabat, relictis, in Bethaniam trans Jordanem se contulisset, docendis baptizandisque populis operam dabat. Cum autem prædicationum illius longe lateque fama propagaretur, Sacerdotum & Levitarum ab optimatibus missa legatio illum convenit, num Christus esset, sciscitatura. Negavit ille, professus se neque Christum, neque Eliam, neque Prophetam esse; instantibusque Legatis ecquem demum se diceret, respondit, Vocem se esse clamantis in deserto: *Parate viam Domini*. Adjecit, se quidem aqua baptizare; quem vero ipsi quærerent, in cœtu suo (19), incognitum tamen, illos habere.

Joannes Jesum Christum iterum Messiam agnoscit.

Mane alterius diei Joannes, cum forte ad se venientem Jesum vidisset, populo indicavit, dicens, illum esse Dei Agnum, qui ad crimina Mundi tollenda venisset. Adjecit ipsum esse, de quo testatus fuerat ipsemet Joannes, venturum Servatorem sese vetustiorem: quem de Facie nunquam nosset; sed divinitus admonitum fuisse, eum, supra quem labi S. Spiritum videret, ipsum esse Dei Filium; vidisse autem se Dei Spiritum super hunc hominem illabi (20).

Joannes tertio confitetur J. C. SS. Andreas & Petrus vocantur.

Altera die Joannes pertranseuntem Jesum videns, duobus Discipulis suis digito illum indicans, ait: *Ecce Agnus Dei*. Quare duo illi Discipuli ad Iesum divertentes, illius domum petierunt, totaque apud ipsum die commorati sunt. Post quatuor a meridie horas Andreas fratrem suum Simonem ad Iesum adduxit, cui Iesus; *Tu es Simon filius Jona*; adjecitque, deinceps *Cephamc*, idest petram, appellandum (21).

Jesus petit Nazareth: Philippus & Nathanael vocantur.

Mane alterius diei Iesus in Nazareth Galilææ redux, Philippum forte offendens, ut sibi comes accederet invitavit. Paruit Philippus, & cum forte in Nathanaelem incidisset, una Iesum sequi, quippe qui Propheta esset a Moyse & Prophetis annunciatus, persuasit. Cui Nathanael vix persuaderi se dixit, boni aliquid a Nazareth expectari posse. Tum Philippus, veniret ipse & experimento probaret, respondit. Vix autem viso Nathanaele Iesus: *Ecce*, ait, *verus Israelita, in quo dolus non est*. Miranti Nathanaeli, se a viro agnitum, iterum Iesus significavit, vidisse se illum sub ficum, antequam a Philippo appellaretur. His auditis, Nathanael experimento probare se ait, Iesum Filium esse Dei, & Regem Israelis. Majora expectare illum jussit Iesus, addens, ipsum testem fore, cum Cœlis dehiscentibus, Angeli Domini in obsequium Filii hominis descensuri essent (22).

Nuptiæ in Cana Galilææ. Primum Jesu Christi prodigium.

Post tres a relicta Bethania sive Bethabara dies, Iesus cum Discipulis & Matre ad nuptias invitatus, eo se contulit. De vini penuria admonitus a Matre, sex hydriis aqua plenis in vinum conversis abunde occurrit. Hoc primo post susceptam missionem prodigio Jesus claruit (23).

Jesus primo Capharnaum, inde Jerosolymam ad Festum Paschatis divertit. Primum Pascha J. C. post prædicationem.

Post nuptias, quæ intra hebdomadæ spatium plerumque claudebantur, Jesus Capharnaum Urbem ad mare Tiberiadis divertit, ubi & paucis diebus cum Matre & discipulis stetit. Venit inde Jerosolymam occasione Festi Paschalis, post Baptismum suum primi. Templum ingressus, nummularios inde, & eos qui pecudes & victimas in usum sacrificiorum vendebant, e loco Sancto expulit; rogatusque qua id ageret authoritate, respondit: *Destruite Templum hoc, & tribus diebus reædificabo illud*. Quæ ille de interitu & reparatione corporis sui usurpabat. Iis autem claruit ea occasione prodigiis, ut pluribus persuaderet; quibus tamen se Jesus minime credidit (24).

Nicodemus Jesum Christum convenit.

Ex Optimatibus Judæorum quidam, Nicodemus nomine, morantem adhuc Jerosolymis Jesum convenit, significans credere se, nunquam fieri posse, quin tanta pollens prodigiorum virtute sine Deo esset. Cum illo Jesus plura disseruit de regeneratione & baptismo S. Spiritus & aquæ; quæ tamen ab illo minime intelligebantur. Adjecit insuper, sese e Cœlo descendisse; lumen esse Mundi, ac tandem Filium Dei (25).

Jesus in Judæam veniens Baptismum administrat.

Paschali festo Jerosolymis celebrato, actaque ibi bidui mora, egressus Jesus in Judæam se contulit, ubi ministrando baptismate una cum Discipulis occupabatur (26).

Joannes Baptista Ænon venit. Discipuli Jesu baptizant.

Relicta Bethania sive Bethabara, Joannes Baptista in Ænon prope Salim commorans, muneri suo, Baptismate nempe initiandi, vacabat. Sed cum major ad Baptisma Jesu fieret concursus, Joannis Discipuli ægre id ferentes, rem ad Joannem detulerunt; quibus ille, uti decebat sapientissimum virum, reponens, ait, sese id sibi non arrogare, ut Messiam se jactitaret; sed Præcursorem & veluti illius Paranymphum præbere (27).

A. M. 4034. Per. Jul. 4744. J. C. 34. Æræ Vul. 31.
Joannes in carcere detinetur.

Liberioribus verbis arguens Joannes Baptista Herodis cum Herodiade, quam Philippo fratri suo scelestus rapuerat uxorem, nuptias incestas,

(17) Matth. III. 13. 17. Marc. I. 9. 11. Luc. III. 21. 22. (18) Matth. IV. 1. 11. Mar. I. 12. Luc. IV. 1. 13. (19) Joan. I. 19. 28. (20) Joan. I. 29. 34. (21) Joan. I. 35. 44. (22) Joan. I. 45. 52. (23) Joan. II. 12. 15. (24) Joan. III. 1. 21. (25) Joan. III. 1. 22. (26) Joan. III. 22. (27) Joan. III. 25. 36.

stas, in se tandem Herodem ipsum, ab Herodiade sollicitatum, adeo provocavit, ut in arce Macherunte (28), quasi nimio populi studio suspectus redderetur, arcto carceri traditus fuarit (29).

Jesus in Galilæam secedit. Cum Samaritana colloquium.

Detruso igitur in carcerem Joanne, metuens Jesus, ne hortantibus Judæis Pilatus quid simile in se, exemplo Harodis in Joannem, tentaret, relicta Judæa, in Galilæam, regionem extra fines Præfecturæ Pilati & in ditione Philippi, contendit. Transeundum illi fuerat Samaria; & eum non longe esset ab Urbe Sichar, missis in Urbem Discipulis ut emerent cibos, ad puteum Jacobi non longe a portis Sichar consedit. Accidit ut fœmina e propinqua Urbe eo ad hauriendas aquas veniret; quæ a Jesu, ut potum sibi præberet, rogata, mirari se dixit, Judæum hominem aquam a fœmina Samaritana postulare; non enim Judæi cum Samaritanis consuetudinem habebant. Tunc Jesus plura mulierem edocuit, ejusque animi secreta omnia detexit; seque ipsum Messiam prodidit, futurum nuncians, ut brevi purus Fidelium cultus in spiritu & veritate Patri, non in Garizim, neque in Templo Jerosolymitano, sed ubique locorum exhiberetur. Venientibus interim Discipulis, ac cibos capere Jesum suadentibus, respondit ille, latentes sibi epulas, quibus satiaretur, voluntatem nimirum Patris sui, in promptu fuisse. Mulier autem illa in Urbem regressa, totius rei historiam atque sermones Jesu omnes longe lateque promulgavit. Egressi proinde cives, ut in Urbem veniret, invitarunt; quibus assentiens, biduo plurimorum bono ibidem mansit (30).

Jesus fidem nunciat in Nazareth. Præcipitem e vertice montis agere illum Judæi tentant.

In Galilæam igitur veniens, & Synagogas peragrans, concionabatur; quod eum aliquando ageret in Synagoga Nazareth patriæ suæ, occasione sententiæ Isaiæ, quam ibidem legerat, seque ipsum eo Prophetæ oraculo Messiam esse a Prophetis nunciatum demonstraret, omnium in se oculos & admirationem convertit. Sed revocata deinde in memoriam natalium ipsius obscuritate, quippe qui Josephi filius crederetur, cives Nazareth contemptui hominem habuerunt. Quare Jesus nullo illis prodigio, quibus sibi demeruit Capharnaitas, favendum censuit. Adjecit, neminem e Prophetis in Patria sua magni fieri. Quibus aliisque objurgationibus provocatus populus, supra verticem montis, cui Urbs insidebat, constitutum, præcipitem agere moliti sunt. Sed Jesus per medios illos dilapsus, ex Urbe secedens (31), sedem in Capharnaum (32) fere perpetuam constituit; unde excurrens per universam Galilæam, summo populi assensu audiebatur (33).

Incolumem restituit Filium unius ex Regiis Præfectis Capharnaum.

Venerat iterum Canam; cum Præfectus quidam Regius in Capharnaum commorans, ad illum se contulit, pro valetudine filii sui rogaturus. Nec mora; læto de impetrata incolumitate nuncio a Jesu remissus est. Quare cum bona spe plenus rediret, obvios habuit familiares, nunciantes superiori die, septima hora, nempe prima post meridiem, quo ille momento nuncium acceperat a Jesu de filii valetudine, puerum convaluisse (34).

Andreas & Petrus secundo vocantur.

Post aliquot dies, per litus maris Tiberiadis ambulans, duos fratres, Simonem, alio nomine Petrum, & Andream piscationi intentos offendit, quos cum ad sui clientelam vocasset, illi statim, retibus, navicula, cæterisque omnibus relictis, paruerunt (35).

Jacobus & Joannes filii Zebedæi vocantur.

Inde longius aliquanto digressus, duos fratres, Jacobum & Joannem, in navicula cum Zebedæo patre retia reficientes invenit, qui pariter ab illo vocati, omnibus relictis, vocanti comites accesserunt (36).

Curatur Dæmoniacus in Capharnaum.

Commorans igitur in Capharnaum Iesus, singulis Sabbathis prædicabat. Accidit, ut in Synagoga esset vir quidam Dæmoniacus, qui in clamores effusus, elata voce dixit: *Scio te, quis sis, Sanctus Dei*. Dæmonem objurgans Iesus, actutum sileret, & e viri corpore facesseret, imperavit. Torquebatur misere æger; sed brevi, Dæmone facessente, incolumis fuit (37).

Socrus Petri febri laborans curatur.

E Synagoga in domum Simonis, alio nomine Petri, ad curandam Socrum illius febri laborantem se contulit (38).

Inclinante in vesperam die, omnes undique ex universa Urbe ægroti, præ foribus ædium Iesu Christi positi, incolumes ab illo restituti sunt (39).

Jesus in desertum se confert.

Diluculo alterius diei Iesus in desertum secedens, orationi vacavit; quem Petrus aliique discipuli consequentes, ab ingenti hominum turba ejus præsentiam flagitari significarunt. Duxit Discipulos Iesus in vicos totamque Galilæam, undique Evangelium Regni nuncians (40).

Magdalena sanatur.

In eo itinere creditur Magdalena septem Dæmonum contubernio liberata convaluisse (41); sicut & præsentissimam eamdem opem expertas fuisse constat Ioannam uxorem Chuza, aliasque nonnullas, quæ deinde Iesum in prædicationibus sequutæ, ejus obsequiis sese addixerunt (42).

Increbuit fama nominis Iesu Christi per universam late Syriam, adeo ut ex universis undique regionibus ægroti ad illum deducerentur (43).

Piscatio prodigiosa.

Redux a Galilæa, cum ad lacum Genesareth venisset, turbam hominum, ut se audirent, confluentium offendit. Quare Simonis Petri navicula conscensa, inde populum docuit. Tum in altum ducere navim Petrum, & jacere in piscatum retia jussit; qui morem Præceptori gerens, ingentem adeo prædam egit, ut piscium copia retia scinderentur (44).

Valetudo Leprosi.

Sub hæc tempora, Iesus leprosum, solo tactu curatum, ire jussit ad Sacerdotes, receptam valetudinem testaturos; mandatis insuper oneravit, ne medicum suum aperiret (45).

Curatio Paralytici.

Vulgata ejus miraculi fama, adeo apud omnes Iesus claruit, ut secretus in Urbibus manere neutiquam posset. Trajecto mari Genesareth, deinde in Capharnaum se contulit, ubi pluribus curatis ægrotis, paralyticum e tecto domus funibus ante se demissum, eodem, quo cæteros, beneficio donavit (46).

Vocatio Matthæi.

Cum ad lacum Genesareth se contulisset, Publicanum quemdam, nomine Levi sive Matthæum, videns, ad sui comitatum vocavit. Cum autem convivio exceptus ab eo esset, eam ob rem Pharisæi

(28) Matth. xiv. 3. 4. Marc. i. 14. vi. 17. 18. Luc. iii. 19. 20. (29) Antiq. lib. 18. c. 7. (30) Joan. iv. 1. 45. (31) Luc. iv. 14. 30. (32) Matth. iv. 13. 16. (33) Joan. iv. 45. (34) Joan. iv. 46. 54. (35) Matth. iv. 18. 20. Marc. i. 16. 18. (36) Matth. iv. 21. 22. Marc. i. 19. 20 (37) Marc. i. 21. 28. Luc. iv. 31. 37. (38) Marc. i. 29. 30. 31. Matth. viii. 14. 15. Luc. iv. 38. 39. (39) Matth. viii. 16. Marc. i. 32. 33. 34. Luc. iv. 40. 41. (40) Matth. viii. 23. Marc. iv. 21. Luc. iv. 42. (41) Marc. xvi. 9. Luc. viii. 2. (42) Matth. xxvii. 55. 56. Marc. xv. 40. 41. Luc. viii. 2. & xxiii. 45. 55. (43) Matth. viii. 24. 25. (44) Luc. v. 5. 2. (45) Luc. v. 12. (46) Matth. ix. 2. Marc. ii. 3. Luc. v. 18. 19.

risæi in Iesum obloqui cœpere. Sed Iesus sese omni crimine purgans, docuit, misericordiam potius quam severitatem probare se, ac jejuniorum tempus Discipulis suis non in præsenti, sed in futuro esse (47).

Secundum Pascha post Baptismum J. C.

Curatio Paralytici ad Piscinam Probaticam.

Contulit se Jesus ad Urbem Metropolim, Festum Paschatis celebraturus, ubi saluti fuit Paralytico, qui octo & triginta annos in ora Piscinæ probaticæ, nomine *Betesdæ*, moratus, numquam salubri ejus lavacro mergi potuit. Cum autem valetudini æger restitutus ea die, magni nempe Sabbati, seu Sabbathi Paschati proximioris, lectulum tollens recederet, in varios sermones vulgus abiit. Porro ille Jesum minime norat; sed aliquandiu post cum eumdem Jesum in Templo cernens, moneretur ab illo ne deinceps peccaret, tunc Liberatorem suum agnoscens, acceptum ab illo beneficium palam prædicavit. Offensi ea re Judæi, necem Jesu Christi, tamquam Sabbathi violatoris, qui sese Dei Filium venditaret, communi consilio decreverunt (1).

Discipuli spicas ad cibum carpunt.

Sabbatho primo post Pascha succedente, transeuntibus Jesu ejusque Discipulis per sata ad messem jam ferme matura, esurientes Discipuli spicas carpentes, excussum manu frumentum manducabant. Rem animadvertentes Pharisæi, cum Jesu de violatione Festi querebantur; sed ille necessitatem excusavit, Davidis exemplo, qui panibus Propositionis, alio non suppetente cibo, pastus est; & Sacerdotum, qui a præstandis in Templo operibus die festa non abstinebant. Tandem sese majorem Sabbatho ac Templo esse, palam edixit (2).

Manus aridæ curatio.

Proximo deinde Sabbatho cum instituendis populis in Synagoga Capharnaum vacaret, oblatum sibi hominem manum aridā curavit; demonstrans Pharisæis, nihil se contra Legis religionem in valetudine homini præstanda egisse (3).

Pharisæi & Herodiani.

Pharisæi adversus Jesum irati, in ejus necem cum Herodianis conspiravere. Quo eorum consilio intellecto, Jesus ad mare Galilææ confugit, euntemque turba multa, ex omnibus late regionibus veniens, curandosque deferens ægrotos, secuta est (4).

Duodecim Apostolorum electio.

Parari sibi naviculam jussit Jesus, ut e confluentibus turbis recederet. Secessit igitur in montem, ubi totam noctem exegit orando; mane vero descendens, designatos aliquos e Discipulis suis accivit, electosque ex illis duodenos, Apostolorum nomine insignivit (5).

Sermo in Monte.

Cum e monte descendisset, e loco quodam prominente docendos Apostolos cæterosque e populo suscepit; octo beatitudines interpretatus est, totamque illam orationem plane mirabilem pronunciavit, quæ totius veluti doctrinæ Evangelicæ summa jure meritoque habetur (6).

Leprosi curatio.

Ex eo loco descendenti leprosus coram se obtulit, sanatumque solo tactu ostendere se Sacerdotibus jussit (7).

Curatio servi Centurionis Capharnaum.

Venit inde Capharnaum, & venienti occurrêrunt Optimates Judæorum, rogantes, ut servum Centurionis periculoso morbo laborantem sanitati restitueret. Cum igitur Jesus ad Centurionis domum se conferret, ille amicos misit, significantes indignum se, ut in domum suam veniret, agnoscere. Venit & ipse pariter post amicos, eadem professus. Tantam viri fidem admiratus Jesus, absentem beneficio, de quo rogabat, donatum remisit (8).

Jesus vitæ restituit filium viduæ Naim.

E Capharnaum Jesus ad Naim contendens, funebrem pompam filii mulieris cujusdam viduæ offendit; matrisque lacrymis permotus, defunctum revocavit ad vitam (9).

Joannes Baptista duos e discipulis suis ad Jesum legat.

Fama prodigiorum J. C. ad Joannem in carcerem delata, duos ille e Discipulis ad Jesum legavit, rogantes: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quos Jesus, pluribus ægrotis, qui forte aderant, curatis, ire jussit, & quæ viderant, cæcos nempe ad visum, surdos ad auditum, mortuos ad vitam, leprosos ad valetudinem revocatos, Joanni renunciare. Abeuntibus ergo Discipulis Joannis Baptistæ, Jesus magnifico elogio Præcursoris sui virtutem & sanctitatem commendavit; addens, illum cæteris præstare, ipsumque esse Eliam a Prophetis prænunciatum (10); quem nec nosse, nec recepisse, Judæis crimini vertit.

Jesus Christus convivio a Simone Pharisæo excipitur. Fœmina peccatrix.

Versans adhuc in Naim, ad cœnam a Simone Pharisæo vocatus venit. Interim mulier quædam, criminum fama tota Urbe notissima, ad Pharisæi ædes se contulit, atque ad Jesu pedes provoluta, illos & lacrymis & pretioso unguento perfudit. Infamem ob consuetudinem mulieris offensus ea re Pharisæus, utrum Messias Jesus habendus esset, in dubium revocabat. Jesus, cui cogitationes illius exploratæ erant, usus duorum obæratorum parabola, quorum uni plus, alteri minus a fœneratore remissum est, pronam illius in ferendo judicio facilitatem objurgavit (11).

Ita Jesus totam Galilæam prædicans peragrabat, habebatque itineris comites fœminas, obsequiis suis addictas (12).

Necessarii Jesu ad illum capiendum veniunt.

Cum iterum venisset Capharnaum, turbarum copia adeo detinebatur opprimebaturque, ut ne capiendi quidem cibi tempus haberet. Inter hæc, ejus necessarii venientes, e medio populo reducere illum tentarunt, statu mentis emotum dictitantes (13).

Dæmoniacus cæcus & mutus curatur.

Ibi pariter saluti fuit Dæmoniaco cæco simul & muto (14).

Eam miraculorum famam inique ferentes Scribæ & Pharisæi, malignos quosdam sermones sparserunt in vulgus, dictitantes, illum nomine Beelsebub Dæmones expellere: quas illorum calumnias falsi arguit Jesus, & simul grande illorum crimen demonstravit, ostendens, peccasse illos in Spiritum Sanctum eo genere criminis, quod natura sua capax veniæ non esset (15).

Pollicetur signum Jonæ Prophetæ.

Signum aliquod sive prodigium postulantibus ab illo Pharisæis, nullum ipsis expectandum dixit, nisi signum Jonæ Prophetæ. Expectarent etiam nunciavit duriorem in se quam in Ninivitas ultionem; arguendosque ait die judicii a Regina Austri, causam contra illos dictura. Proposuit Dæmonis parabolam, qui ex homine egressus, deinde una adductis septem aliis nequioribus spiritibus, regreditur (16).

Ma-

(47) Matth. ix. 10. Marc. ii. 15. Luc. v. 29. (1) Joan. v. 1. 47. (2) Matth. xii. 1. 8. Marc. ii. 23. 27. Luc. vi. 1. 5. (3) Matth. xii. 9. 13 Marc. iii. 1. 5. Luc. vi. 6. 10. (4) Matth. xii. 14. 15. 21. Marc. iii. 6. 2. Luc. vi. 11. (5) Marc. iii. 9. 19. Luc. vi. 12. 17. (6) Matth. v. vi. vii. Luc. vi. vii. Luc. vi. 17. 49. (7) Matth. viii. 1. 4. (8) Matth. viii. 5. 13. Luc. vii. 1. 9. (9) Luc. vii. 11. 17. (10) Matth. xii. 1. 19. Luc. vii. 18. 35. (11) Luc. vii. 36. 50. (12) Luc. viii. 1. 3. (13) Marc. iii. 20. 21. (14) Matth. xii. 22. (15) Matth. xii. 24. 37. Marc. iii. 22. 30. (16) Matth. xii. 38. 45.

Mater, & Fratres Jesu illam allocuturi conveniunt.

Renunciatum est interim Jesu, adesse Matrem & Fratres suos, qui colloqui postularent. Respondit ille, Matris se fratrumque loco agnoscere eos, qui suas Deique voces audirent (17).

Varias parabolas proponit.

Post cibum, Jesus in litore maris ambulans, populumque circa habens consertum, conscensa navicula, ne a confluentibus opprimeretur, concionatus est. Pro concione exposuit parabolam serentis (18); lucernæ, quæ supra modium, non sub illo collocatur; lolii sati ab adversario, quo frumenti semen corrumpitur; grani sinapis, & fermenti (19).

Parabolarum Interpretatio.

Dimissis jam turbis domum, cum Discipulis sedens, rogantibus illis ut sensum illarum parabolarum depromeret, acquievit: qua occasione felicitatem conditionis illorum, quibus daretur non audire tantum, sed assequi pariter intellectu ea, quæ aliis fuerant inexplorata, demonstravit (20). Adjecit insuper parabolam thesauri humi absconditi, margaritæ inventæ, & retium, quæ in piscatum expansa, ingentem tum optimorum tum deteriorum piscium prædam referunt (21).

Legisperitus Jesum secuturus ad illum venit.

Vespere ejus diei, trajecto cum Discipulis mari Genesareth (22), Legisperitus sese offerens, velle se nomen inter Discipulos illius dare profitetur. Cui Jesus: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Rogavit alius quidam, ut antequam ipsi se totum addiceret, liceret sibi patrem suum sepulturæ mandare. Jesus ad hæc: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos* (23).

Tempestas in mari Galilææ.

Cum naviculam conscendisset, dormiebat; statimque exorta tempestas in ultimas angustias nautas adduxit. Accurentes igitur Discipuli Jesum excitavere: at ille ventis marique silere jussis, omnia statim, non sine præsentium omnium admiratione ac terrore, composuit (24).

Curatio duplicis Dæmoniaci in Gerasena regione.

In finibus Gerasenorum duos offendit Dæmoniacos, quorum alterum maxime terribilem integra Dæmonum legio efferabat. Venit ille in occursum Jesu; magnisque Dæmones ejulatibus querebantur, venisse illum ad se torquendos maturius: rogabant insuper, ne in abyssum inferorum detruderentur; quin potius, si permitteret, occupaturos porcorum in vicinis montibus pascentium gregem. Annuente Jesu, statim porci subito furore in mare Galilææ præcipites acti sunt. Quare Geraseni sinistrum aliquid sibi timentes, rogarunt Jesum, ut e sua ipsorum regione facesseret (25).

Dæmoniacus Jesum secuturus venit.

Maritimum ad Capharnaum iter initurum Jesum conveniens vir ille Dæmone nuper liberatus, rogavit, ut socium se & Discipulum sibi esse pateretur. Renuit Jesus, jussitque domum reverti, ac beneficium a se divinitus acceptum palam omnibus edicere (26).

Filiam Jairi ad vitam revocat.

Mari trajecto, a turbis exceptus est; nec longe a mari obvium habuit Jairum Principem Synagogæ Capharnaum, rogantem, ut veniens puellam filiam suam unicam duodennem sanitati restitueret. Annuens Jesus, domum viri petebat (27); atque interim mulier sanguinis fluxu laborans, clam vestium illius fimbriam tetigit, sequente statim incolumitate. Clam hæc; sed Jesus palam omnibus aperuit, ne & mulieris fides, & Dei virtus sua gloria fraudarentur (28).

Iter autem prosequentibus occurrerunt famuli Jairi, triste de obitu puellæ nuncium afferentes. Bono tamen animo esse patrem jussit Jesus; ingressusque cum tribus Discipulis domum, recederent tibicines, qui funeri celebrando aderant, imperavit. Egressis igitur omnibus, ipse haud magno negotio puellam revocavit ad vitam, allatisque cibis recreari, ac tandem miraculi famam supprimi mandavit (29).

Duo cæci in Nazareth curantur.

Ibat in Nazareth patriam suam (30) cum Discipulis, euntemque duo cæci prosecuti, ut valetudini restituerentur, enixe rogabant. Cum domum venisset, utrum crederent sibi virtutem esse morbum illum curandi, interrogavit. Affirmantes manu sua tetigit, tactumque continuo valetudo secuta est. Jubenti ne cui rem proderent, parere recusarunt, longe lateque famam prodigii vulgantes (31).

Sub idem fere tempus curato Dæmoniaco, qui loquendi facultatem carebat, ansam præbuit Pharisæis obloquendi, quasi accepta a Beelsebub virtute polleret (32).

Dæmoniacus mutus [illegible]atur. Jesus in Synagoga [illegible]areth.

Aderat die Sabbathi in Synagoga Jesus, omnium plausu & admiratione exceptus; sed natalium ipsius obscuritas nonnullis obloquendi occasionem dabat, quærentibus invicem: *Nonne hic est filius fabri?* Mater ejus appellatur Maria, ejusque apud nos fratres & sorores diversantur (33)? Jesus igitur Urbe egressus nunquam rediit, simul pronuncians, neminem e Prophetis in Patria sua probari.

Peragravit autem vicos & pagos Galilææ, ubique prædicationis & prodigiorum monumenta relinquens.

A. M. 4035. Per. Jul. 4745. J.C. 35. Æræ Vul. 32. Uberrima messis. Apostoli ad fidem nunciandam mittuntur.

CUm studio verbi Dei audiendi teneri populos Jesus intelligeret, Apostolis significavit, uberem quidem messem esse, at raros adeo messores, ut, quo novos etiam atque etiam mitteret, Paterfamilias enixe rogandus esset. Simul autem Discipulos binos binosque per diversa regionum loca dimisit, patrandorum miraculorum facultate donatos; oneratos insuper mandatis, nequid secum ferrent commeatus, non arma, non vestes duplices, non gemina sandaliorum paria; sed irent, nunciarent Judæis quæcumque vera de Regno cœlesti scirent; caverent autem, ne quid proderent Ethnicis vel Samaritanis; dignissimorum domos & religiosissimorum eligerent in sedem, neque facile mutarent, quamdiu in loco morarentur. Si quis vero, ait, loco quopiam vos prohibuerit, excusso prius in illos calceorum pulvere, discedite (34). Plura etiam adjecit ea occasione, dignissima plane atque utilissima, quæ legas apud Matthæum x. 17. .... 42.

Prædicatio & miracula Apostolorum.

Novo munere aucti Apostoli regionem undique per-

(17) Matth. xii. 46. 50. Marc. iii. 31. 35. Luc. viii. 19. 20. 21. (18) Matth. xiii. 1. 36. Marc. iv. 1. 35. Luc. viii. 4. 18. (19) Matth. xiii. 33. &c. (20) Matth. xiii. 10. 23. Marc. iv. 10. 20. Luc. viii. 9. 18. (21) Matth. xiii. 44. 45. 52. (22) Matth. viii. 18. Marc. iv. 35. Luc. viii. 22. (23) Matth. viii. 19. 22. (24) Matth. viii. 23. 27. Marc. iv. 36. 40. Luc. viii. 23. 25. (25) Matth. viii. 28. 34. Marc. v. 1. 17. Luc. viii. 26. 37. (26) Marc. v. 18. 20. Luc. viii. 38. 40. (27) Marc. v. 22. 23. Luc. viii. 41. 42. (28) Matth. ix. 20. 22. Marc. v. 25. 34. Luc. viii. 43. 48. (29) Matth. ix. 18. 26. Marc. v. 35. 43. Luc. viii. 49. 56. (30) Marc. vi. 1. (31) Matth. ix. 27. 31. (32) Matth. ix. 32. 33. 34. (33) Matth. xiii. 54. 58. Marc. vi. 1. 5. (34) Matth. ix. 36. 37. 38. x. 1. 17. Marc. vi. 7. 11.

peragravere, prædicationibus ubique & prodigiorum gloria clari. Sequebatur, eorum veluti relegens vestigia, Jesus, ad eas Urbes divertens, quas Apostoli antea lustraverant (2).

Obitus Joannis Baptistæ.

Sub idem tempus, Joannes Baptista jussu Herodis Antipæ, hortante Salome filia Herodiadis, quæ scita saltatione oculos Principis ceperat, obtruncatus est (3).

Arguit Urbes Bethesaidam, Corozain & Capharnaum.

Peragrata regione, relictisque miraculorum suorum ubique in Urbibus, potissimum ad mare Tiberiadis, vestigiis, illarum incredulitatem pluribus arguit, exprobrans futurum fuisse, ut, si Tyriis & Sidoniis ea affulsissent prodigia, quæ incolis Bethsaidæ, Capharnaum, & Corozain, diu antea rectum virtutis tramitem tenerent (4).

Herodes suspicatur, Joannem Baptistam iterum in Jesu Christo ad vitam rediisse.

Delata ad Herodem prodigiorum Jesu Christi fama, revocare cœpit in mentem, utrum sub Christi persona Joannes Baptista iterum ad vitam rediisset (5).

Apostoli e missione sua regrediuntur.

Functi munere suo Apostoli, certiorem de omnibus Jesum Christum facturi venerunt (6). De omnibus Patri suo gratias egit Jesus quam maximas, totumque mundum, ut collum jugo suo submitteret, suaque sequeretur vestigia, invitavit (7).

Jesus recipit se trans lacum Genesareth.

Certior factus Jesus omnium quæ Herodes de se diceret, in deserta una cum Discipulis ad quietem aliquam capiendam se contulit. Cum vero affluentibus undique turbis adeo premeretur, ut ne capiendi quidem cibi spatium daretur, navim cum Apostolis ingressus, lacu Genesareth trajecto, in montem aufugit (8).

Pedestri itinere circumeuntes turbæ, in desertum Bethsaidæ ipsæ pariter venerunt, Descendens autem e monte Jesus, misericordia motus, ægrotos omnes curavit, docendosque populos suscepit (9).

Jesus Christus quinque hominum millia pascit.

Elapsa jam capiendi cibi hora, & inclinante in vesperam die, monebant Apostoli, ut populos tandem remitteret, quo singuli ad vicinas Urbes divertentes, cibos sibi compararent. Sed Jesus nihil esse dixit cur irent; sufficerent ipsi singulis cibos. Rogavit deinde, quot secum detulissent panes; & cum quinque panes & geminos pisces præsto esse dicerent, confestim accumbere populum, & singulis ea ex annona distribui jussit. Illico omnia, pastoque abunde populo [turba erant hominum quinque millia, præter fœminas & pueros] duodecim canistri ex reliquiis collecti sunt (10).

Jesus & S. Petrus super aquas gradiuntur. Capharnaum perveniunt.

Subeunte vespere, probe noscens Jesus, consilium agitare populum de concilianda sibi regia dignitate, coegit Discipulos conscensa navi lacum trajicere. Turbam itaque dimisit; ascensoque monte, vacavit orationi. Interim Apostoli in medio lacus contra flantes ventos fluctusque luctabant; nec longius a litore quam xxv. vel xxx. stadiis aberant, cum Jesus super undas gradiens, prætergressurus navigium videbatur. Illi primo intuitu, spectrum esse rati, timuerunt; sed ejus vocibus confirmati sunt. Tunc Petrus, Domini voce audita, rogavit, ut, bona illius venia, super aquas gradiens accedere permitteretur. Annuente Jesu, illico se mari Apostolus commisit; sed fluctus seu immanis cujusdam vorticis objectu turbatus, jam mergebatur, cum voce clamore accitum Jesum præsto habuit, manuque, ne mergeretur, sustentatus est. Rogantibus autem Discipulis, navim Præceptor conscendit, statimque ad litus appulsi sunt (11).

Volebant Discipuli iter Bethesaidam versus dirigere; sed adverso vento probibiti, Tiberiadem primum, inde Chapharnaum venerunt.

Inter hæc, turbæ putantes mansisse Jesum in deserto Bethsaidæ, quippe quæ norant, illum in navim una cum Discipulis non conscendisse, mane alterius diei sedulo virum perquirebant, ut inventum tandem Regem constituerent. Sed nautarum Tiberiade advenientium narratione intelligentes, illum eo venisse, actutum Tiberiadem convolarunt. Cum Jesus eo temporis intervallo Capharnaum divertisset, venerunt illi pariter Capharnaum, nactumque in Synagoga ejusdem Urbis Jesum interrogarunt, qui illuc pervenisset. Quibus Jesus, quæri se ab illis significavit non prodigiorum causa, sed præstitæ paulo ante alimoniæ: monere tamen se, ut incorruptum alium optarent cibum; addens, se panem esse cœlestem, alium sane a manna per Moysem parentibus eorum dato. Durius ea verba exceperunt turbæ, offendebanturque maxime, quod fabri filius talia da se usurparet. Inceptum tamen sermonem prosequens Jesus, quantum esset discriminis inter manna & panem a se oblatum, etiam atque etiam demonstravit; declarans insuper, carnem suam verum esse cibum, verumque potum esse Sanguinem. His ejus sermonibus offensi Discipuli plerique, ejus clientelam reliquere. Quæsivit tunc Jesus ab Apostolis, utrum ipsi pariter abituri essent: cui Petrus, se cæterosque nusquam recessuros ab eo, qui vitæ æternæ verba loqueretur, significavit, persuasum vero habere omnes, ipsum esse Christum Filium Dei vivi. Tunc Jesus se quidem ait duodecim illos elegisse, sed in eorum numero proditorem suum agnoscere, Judam scilicet Iscariotem (12).

Tertium Pascha in Evangelio expressam post Baptismum J. C.

A. J. C. 35. Æræ Vulg. 32.

Adducebantur undique ad Jesum in Capharnaum ægroti, omnesque abibant incolumes; at non diu post ille ad Pascha Jerosolymam se contulit.

Rediit demum in Galilæam, nec infausto languentibus omine; siquis enim vestium ipsius oram tantummodo tangeret, continuo integra valetudine donabatur (13).

Scandalum Pharisæorum, quod Discipuli illotis manibus cibum capiant.

Pharisæorum Scribarumque nonnulli, qui e Festo Paschali Jerosolyma redierant, cum receptam apud Judæos manus ante cibum lavandi traditionem minus sancte a Discipulis Jesu servari animadverterent, querelas ea de re ad Jesum detulerunt. Sed ille vicissim hypocrisim illis exprobravit; quippe qui potissima & majoris momenti Legis præcepta negligentes, illud præsertim, quo colere parentes jubebantur, traditionibus suis unice studebant (14); accitisque deinde turbis palam edixit, hominem inquinari non iis quæ per os demittuntur, sed iis quæ inde emittuntur; tacite designans, maculas illas legales ex se quidem nihil labis in animam inferre (15).

Scandalum Pharisæorum.

Cum e populo se recepisset, narrantibus Apostolis,

---

(2) Matth. xi. 1. Marc. vi. 12. Luc. ix. 6. (3) Matth. xiv. 2. 12. Marc. 6. 14. 30. Luc. ix. 7. 8. 9. (4) Matth. xi. 20. 21. 22. 23. 24. (5) Matth. xiv. 1. 2. Luc. ix. 7. 9. Marc. vi. 14. 14. (6) Marc. vi. 30. Luc. ix. 10. (7) Matth. xi. 25. 32. (8) Matth. xiv. 13. Marc. vi. 31. 32. 33. Joan. vi. 1. 2. 3. (9) Matth. xiv. 14. Marc. vi. 34. Joan. vi. 4. 5. 6. 7. (10) Matth. xiv. 15. 21. Marc. vi. 35. 44. Luc. ix. 11. 17. Joan. vi. 8. 13. (11) Matth. xiv. 13. 34. Marc. vi. 47. 51. Joan. vi. 16. 21. (12) Joan. vi. 22. 71. (13) Matth. xiv. 32. Marc. vi. 56. 57. Joan. vii. (14) Matth. xi. 1. 4. Marc. vii. 5. 9. (15) Matth. xv. 10. 14. Marc. vii. 14. 15.

stolis, Pharisæos durius ejus verba accepisse, *Simite*, respondit ille, *cæcos duces cæcorum*. Adjecit, plantam omnem alia quam Patris sui cœlestis manu consitam, denique evulsum iri. Cum Discipuli minus se assecutos dicerent ea verba, nihil scilicet eorum, quæ per os demitterentur, hominem inquinare; ostendit, omnia quæ per os mittuntur in stomachum, decoqui, tum quæ minus alendo corpori apta sunt; per secessum abire; at ea quæ ex ore hominum egrediuntur, e corde procedere, & criminis reum hominem constituere; uti jurgia, mendacia, pravas cogitationes, concupiscentias, & omnia tandem inhonestas (16).

Filia mulieris Chananææ sanatur.

Majo ineunte, ad fines Tyri & Sidonis iter inivit, latendi occultandique se gratia; brevi tamen proditus est. Accucurrit statim mulier Chananæa, filiæ suæ postulans sanitatem, quam primo Jesus rejecit; sed ea clamante, rogantibusque Apostolis ne miseram despiceret, respondit Jesus, non venisse se nisi ad errantes domus Israelis oves reducendas. Cum tamen domum venisset, & ante pedes provolutam fœminam haberet, rogantem, ut voti compos tandem efficeretur; respondit ille quidem primo, iniquum esse panem filiorum dari canibus; sed reponens illa, micas interdum e mensa heri decidentes catellis permitti, tandem merito fidei & admirationem & sanitatem a Jesu retulit (17).

Vir surdus & mutus curatur.

Inceptum iter per Sidonem & Decapolim prosequens, inde ad mare Galilææ deflexit. Oblatum sibi hominem surdum mutumque seorsum ab aliis deducens, positis intra illius aures digitis, litaque saliva sua illius lingua, duplici morbo liberum dimisit (18).

Septem panes cum pisciculis quibusdam multiplicantur.

Triduum in monte egit, cum interim plurima ægrotantium multitudo ad montis radices ejus descensum opperiebantur; quos omnes morbis liberavit. Quod autem turbæ adventum suum triduo sustinuissent, significavit Discipulis, iniquum esse illos jejunos domum dimittere. Arcta illis erat septem panum & pisciculorum quorumdam annona; quæ ut omnibus sufficeret [millia ferme quatuor erant, præter fœminas & pueros] insigni prodigio a Jesu multiplicata est. Ex reliquiis collecti septem canistri (19).

Signum Ionæ Prophetæ Pharisæis promissum.

Conscenso statim navigio, Magedan, in regione Dalmanuthæ, locum ad litus ejusdem maris, sed meridionalem magis, venit. Opperiebantur ibi ejus adventum Pharisæi & Saducæi, signum de Cœlo aliquod ab eo rogaturi. Quibus Jesu mirari se dixit, cur ipsi, qui varias Cœli facies noscere, vicesque aeris distinguere profiterentur, non satis autem callerent temporis distinguendi, atque legendi notas veri Prophetæ, quas ipse præseferebat. Professus est tandem, ipsos visuros, nullum aliud signum quam signum Jonæ Prophetæ; relictisque actutum illis, maritimo itinere Bethsaidam, urbem in ora septemtrionali lacus Genesareth, contendit (20).

Fermentum Pharisæorum, Saducæorum, & Herodis.

Cum Apostoli annonam sibi comparare neglexissent, in adversam lacus ripam nonnisi unicum panem detulerunt. Qua occasione Jesus cavendum illis edixit a fermento Pharisæorum, Saducæorum, & Herodis. Hæc ille quidem de noxiis illorum dogmatibus usurpavit. Sed Discipuli de vero pane dicta arbitrabantur. Quare Jesus imbecillitatem fidei exprobravit, revocans in memoriam duplex illud prodigium, quorum ipsi testes fuerant; aliud nempe quo brevi quinque panum annona quinque millia hominum pavit; alterum quo quatuor millia septem panibus aluit. Tunc denique intellexere Apostoli, tropica illa loquutione moneri se, ut a doctrina Pharisæorum, Saducæorum, & Herodianorum caverent (21).

Cæcus curatur Bethsaidæ.

Bethsaidam, Urbem in ripa septemtrionali lacus, venit, ubi cæcum nactus, extra urbem deduxit; tunc litis saliva oculis, manibusque impositis, virum rogavit, utrum aliquid videret? Significante illo, cernere se homines velut arbores ambulantes, Jesus iterum manu oculos tetigit; idque præstantissimum fuit illi collyrium. Sanus ergo remissus est, jussus, ne cui rem proderet (22).

S. Petrus Messiam esse Iesum confitetur.

Relicta Bethsaida, & ulterius in plaga septemtrionali, qua parte Cæsaream Philippi respicit, excurrens, accidit quadam die, ut seorsum cum Discipulis orationi vacans, ab ipsis Discipulis quæreret, quid de se homines sentirent. Respondentibus illis, ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, Joannem Baptistam, vel unum ex Prophetis ad vitam reversum putari; iterum Jesus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Tunc Petrus, *Tu es*, ait, *Christus Filius Dei vivi*. Egregiam viri confessionem nedum laudavit Jesus, sed & pollicitus est super ipsum, qui petra esset, se constituturum Ecclesiæ ædificium, firmum adeo, ut nullis Inferorum viribus dejici posset; daturum insuper illi claves Regni Cœlorum, ut quæ ipse in terris solveret vinciretque, in Cœlo pariter solverentur aut ligarentur: *Præcepit tamen ut nemini dicerent quia ipse esset Christus* (23).

Quæ sibi toleranda essent, Jesus prædicit.

Cœpit autem Jesus quæcumque se manerent Jerosolymis mala, Apostolis aperire; idque Petrus ægre ferens, seorsum deducens Magistrum, ait: Absint a te ista. Sed Jesus ad cæteros Apostolos conversus, acriter Petrum arguit iis verbis: *Vade retro, Satana, scandalum mihi es*. Tum accitas turbas ita est allocutus: Si quis mihi comes accessurus est, sibi ipse renunciet, atque cruci humeros subjiciens, mea legat vestigia. Qui enim studio servandæ vitæ tenebitur, ipsam perdet; quique mei gratia perdiderit, servabit. Quem puduerit nomen meum coram hominibus confiteri, me pariter illius pudebit, cum venero majestate mea & Patris Angelorumque circumdatus. *Dico vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei* (24). Quæ ejus verba sive ad Transfigurationem ipsius, sive ad ultionem per Romanos imminentem referenda sunt.

Transfiguratio Domini.

Sexto post hunc sermonem die, Iesus tres e Discipulis, Petrum, Iacobum, & Ioannem seorsum in montem duxit; & cum per quietem noctis totus in preces resolveretur, insueta statim luce, fulgentibusque & candidis instar nivis vestibus micuit. Alto sopore detinebantur Apostoli: quo tandem excusso, transfigurationem Magistri viderunt. Adfuerunt ibi pariter Moyses & Elias, sermonem cum Iesu de futura ejus nece Ierosolymis ferenda miscentes. Petrus gaudii magnitudine extra mentem raptus, nec satis quæ diceret sciens, proposuit Iesu, num vellet tria ibi poni tentoria, alterum ipsi Iesu, alterum Moysi, tertium Eliæ. Dum hæc Petrus loquebatur, evanuere comites, nubesque subito Discipulos obvolvit. Tunc audi-

(16) Matth. xv. 15. 20. Marc. vii. 18. 19. 23. (17) Matth. xv. 22. 28. Marc. vii. 25. 30. (18) Marc. vii. 32. 35. (19) Matth. xv. 32. 39. Marc. viii. 1. 10. (20) Matth. xv. 39. xvi. 1. 5. Marc. viii. 10. 13. (21) Matth. xvi. 5. 12. Marc. viii. 13. 21. (22) Marc. viii. 22. 26. (23) Matth. xvi. 13. 20. Marc. viii. 27. 28. Luc. ix. 18. (24) Matth. xvi. 21. 28. Marc. viii. 31. 39. Luc. ix. 22. 27.

audita de Cœlo vox: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*. Ejus vocis fragore obriguerunt Apostoli; sed a Jesu confirmati, inter descendendum exorto jam die, jussi sunt nemini usque ad Resurrectionem, quæ viderant, aperire (1).

Elias in Joannis persona venit.

Quæ a Jesu de futura ejus resurrectione audierant Apostoli, non satis intellecta, in causa fuerunt, cur illi familiaribus inter se colloquiis ea de re disceptarent. Quare Jesum interrogarunt, cur igitur docerent Scribæ, Eliam ante resurrectionem venturum? Respondit Jesus, venturum quidem Eliam novissimæ diei nuncium, ut omnia restitueret; venisse tamen ipsum in spiritu Eliam in persona Joannis Baptistæ, quem Judæi excipere recusaverant, & in quem pro arbitrio sævierant, nec æquiores illos in filium hominis futuros (2).

Curatio pueri lunatici, muti & dæmoniaci.

Elapsa transfigurationis nocte, Jesus mane e monte una cum tribus Discipulis descendens, venit ad reliquos Discipulos, qui magna animi contentione in medio frequentis populi cum Scribis disceptabant; quod scilicet valetudini restituere hominem lunaticum pariter & epilepticum, mutumque ac Dæmoniacum non valuissent. Vix prospecto Jesu, omnes convenerunt; & inter cæteros pueri parentes rogabant, ut filii morbo subveniret. Quibus Jesus: O gens infidelis & perversa, quousque ero apud vos, & vos patiar? Adduci autem ad se puerum jussit, quem statim mire Dæmon torquebat; sed Jesus patrem admonuit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. Pater in lacrymas resolutus, credere se ait; rogare tamen, ut fidei suæ imbecillitas ejus virtute confirmaretur. Minitans ergo Jesus, Dæmonem facessere a puero coegit (3).

Dæmon sola oratione & jejunio pellendus.

Ingressus inde domum, ac solus cum Discipulis versans, iis rogantibus, cur omnes suos ipsorum conatus pueri illius morbus elusisset, respondit, ejus rei in causa fuisse, quod fidei essent imbecillioris; tantum enim fidei, quantum granum sinapis, ejus esse virtutis, ut transferre montes valeret. Adjecit insuper, ejus generis Dæmones oratione tantum & jejunio pelli (4).

Peragravit deinde, nemini notus, Galilæam, Narravit autem Apostolis futurum, ut ipse Judæorum manibus permissus occideretur, atque post triduum ad vitam rediret; quod tamen Discipuli intellectu minime assecuti sunt. Quamquam ejus sermonibus designari aliqua de adventu Regni Filii Dei subodorati, occasionem inde ceperunt disceptandi, quis inter ipsos in Regno Cœlorum primas habiturus esset (5).

Jesus didrachma solvit Templo.

Jesus & Petrus præcurrentes, Capharnaum pervenerant, cum exactores didrachmatis, quod per capita tributum Templo solvebatur, quæsiverunt a Petro, utrum Magister didrachma vel hemisiclum solveret. Affirmantem Petrum Jesus, cum primum domum pervenit, antequam ab illo quidquam sciret, interrogavit, quosnam viros Reges terræ ad solvendum tributum cogerent, filios ne an extraneos. Extraneos, respondit Apostolus. Ac Jesus: Immunes ergo habentur filii? tacite verbis illis designans, se, qui Filius esset Summi Parentis, tributi lege non cogi. Ne tamen, adjecit, solvere recusantes illis offensioni simus, ad mare statim te conferens, piscem, qui primus ad hamum venerit, exentera, atque duo in ejus ventre reperta didrachmata, tui meique tributum solve. Ad fidem dictorum omnia (6).

Disceptatio Apostolorum, quis primus in Regno Dei futurus esset.

Eodem tempore venere Discipuli; neque enim adfuisse credimus, cum tota de solutione tributi historia ageretur, & serius venisse, disceptantes de Principatu. Cum igitur venissent, quæsierunt illico a Jesu, quis in Regno Cælorum primas habiturus esset. Ille, qui factos ab absentibus sermones norat, interrogavit, quid inter se venientes disceptassent. Siluerunt illi pudore suffusi. Tum Jesus postulatis eorum respondens, dixit, ad obtinendum principem in Cœlo locum, illos omnium novissimum tenere opus esse; atque accito in medium puero, adjecit, illum, qui Regnum Cœlorum optaret, ad pueri illius statum reduci (7) oportere.

Vir quidam, a Discipulorum numero, alienus, Dæmones invocato Christi nomine depellit.

Narravit Joannes Magistro, vidisse se cæterosque socios hominem, qui Dæmones ipsius nomine invocato pelleret, quamquam a Discipulorum cœtu alienus; prohibuisse autem ne id tentaret. Negavit Jesus prohibendum; qui enim suo nomine invocato miracula patraret, certe sibi iniquum esse non posse, & quicumque contra se non staret, eum pro se plane reputari (8).

Quantum damni sit in scandalo.

Adjecit, ne cyathum quidem aquæ frigidæ, suo nomine Discipulis suis collatum, mercede vacuum fore. Væ autem illis, qui pusillis suis scandalo essent! præstare ut ii mola collo suspensa in mare projicerentur. Oportere tamen esse in mundo scandala; sed væ scandalorum authori! Si autem, adjecit, manus tua vel pes tuus scandalo tibi est, abscinde, & projice abs te. De impiis ad inferna damnatis dixit: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit, cui usui erit (9)?

Parabola ovis errantis.

Admonuit, neminem ex Fidelibus, quantumvis minimum, contemnendum, quippe quorum Angeli faciem Patris Cœlestis aspicerent. Venisse, ait, se ut res amissas quæreret. Proposuit deinde parabolam hominis, qui cum centum oves sibi haberet commissas, novem & nonaginta in monte relictis, palantem unam quæritat. Plura insuper de correctione fraterna disseruit: oportere primum fratrem seorsum ab omnibus monere; deinde coram duobus vel tribus testibus; refractarium denique Ecclesiæ nunciare; & si Ecclesiam non audierit, ab ejus consuetudine recedendum, habendumque tamquam profanum & publicanum. Testatus est, ea quæ ab Apostolis suis ligarentur aut solverentur in terris, in Cœlo pariter ligata fore aut soluta. Cum duo vel tres simul ejus nomine convenirent, medium se inter illos futurum: si duo ex ipsis postulando aliquid a Patre consenserint, impetraturos omnia (10).

Regula fraternæ correptionis.

Cum Jesus de correptione fraterna quædam disseruisset, ea occasione Petrus interrogavit, quoties fratri venia postulanti danda esset? an septies? Cui Jesus: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*. Proposuit deinde parabolam Regis, qui rationem cum servis suis initurus, a servo, qui mille talenta sibi debebat, rogatus est, ut temporis aliquid sibi ad solvendum daret. Ille nedum postulata, sed debitum etiam omne remisit. Digressus inde servus, cum obæratum sibi centum denariis conservum invenisset, faucibus arreptum, rogantem frustra obsecrantemque in carcerem conjecit. Ea in fratrem inhumanitate iratus Rex, malum servum carnifici dedit, donec totum de-

bitum

(1) Matth. xvii. 1. 9. Marc. ix. 1. 8. Luc. ix. 28. 36. (2) Matth. xvii. 9. 13. Marc. ix. 8. 12. (3) Matth. xvii. 14. 18. Marc. ix. 14. 27. Luc. ix. 37. 42. (4) Matth. xvii. 19. 21. Marc. ix. 28. 29. (5) Matth. xvii. 22. 23. Marc. ix. 30. 33. Luc. ix. 44. 45. (6) Matth. xvii. 24. 27. (7) Matth. xviii. 1. 5. Marc. ix. 34. 37. Luc. ix. 47. 48. (8) Marc. ix. 38. 41. Luc. ix. 49. 50. (9) Matth. xviii. 6. 9. Marc. ix. 41. 50. (10) Matth. xviii. 10. 20.

bitum penderet. Tantumdem, inquit Jeſus, Deus cum illis præſtabit, qui fratri in ſe peccanti parcere recuſarint (11).

Jeſus Feſto Pentecoſtes Jeroſolymam concedit.

Ineunte jam poſtremo vitæ J. C. anno, contulit ſe Jeſus Jeroſolymam ad Feſtum Pentecoſtes. Inter eundum, viros quoſdam in vicum Samaritanorum parando ſibi hoſpitio præmiſit; ſed a Samaritanis ne illuc ingrederetur prohibitus eſt. Quare duo ex Diſcipulis Jacobus & Joannes monuerunt Magiſtrum, ut deducto cœlitus igne vicum abſumeret. Quibus ille neſcire ait eos, ad quem Spiritum pertinerent; ſe vero ſervandis, non perdendis hominibus veniſſe. Hujus ardoris cauſa duobus illis Diſcipulis nomen inditum *Boanerges*, ſeu filii tonitrui (12).

Qui Jeſum ſequi oporteat.

Obtulit ſe quidam, fidum totius vitæ comitem ſe acceſſurum profeſſus; cui Jeſus: Vulpibus ſuæ non deſunt foveæ, nec volucribus nidi; Filio vero hominis ne locus quidem ſuppetit, ubi caput reclinet. Cum virum alterum ad ſui clientelam vocaſſet Jeſus, permitti ſibi prius ille poſtulavit, ut parentem ſuum ſepulturæ mandaret; cui Jeſus: *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Alteri vero, qui concedi ſibi poſtulabat, ut vale neceſſariis diceret, dixit, eum qui manum habet ad ſtivam, retrorſum oculos convertere minime oportere (13).

Septuaginta duo Diſcipuli ad fidem nunciandam mittuntur.

Elegit Jeſus, præter duodecim Apoſtolos, duos & ſeptuaginta Diſcipulos, quos ante ſe ad loca deſtinavit, ſibi deinde petenda. Cum Jeroſolymam pergeret, dixit, uberrimam quidem meſſem eſſe, raros meſſores; mittere ſe illos tamquam arietes inter lupos, jubere autem, non crumenam ſecum, neque commeatus, nec duplices calceos deferre, neminem per viam ſalutare, domum aliquam ſubeuntes fauſta omnia domeſticis precari; quæ ſcilicet pax, inquit, ſi quidem illi digni ſint ut vos excipiant, ſuper ipſos cadet; ſecus, ad vos revertetur. Monuit, ut in eadem ſemper domo manerent, quamdiu a domeſticis non pellerentur; comederent quæcumque in menſa apponerentur; curarent morbos, & Regni Dei adventum nunciarent. Adjecit, ſi ex urbe quadam prohiberentur, excuterent in illos pulverem pedum, ſtatimque faceſſerent; ſcirentque durius in eam Civitatem ultima Judicii die animadverſum iri, quam in Sodomam & Gomorrham: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, væ tibi Capharnaum! Tyro & Sidoni remiſſius erit in Judicio, quam vobis* (14).

Septuaginta duo Diſcipuli poſt impletum munus redeunt.

His igitur onerati mandatis ſeptuaginta duo Diſcipuli omnia ea loca peragraverunt, quæ deinde Jeſus viſere ſtatuerat, alia ubique prædicationum & prodigiorum veſtigia relinquentes. Quo munere functi, Jeſum ſive Jeroſolymis ſive in proxima regione nacti ſunt, quem de proſpero expeditionis ſuæ eventu fecerunt certiorem. Cum narrarent, ſeſe obſequio ſuo morigeros Dæmones habuiſſe, Jeſus videre ſe dixit Satanam velut fulgur e Cœlo ruentem: tum Diſcipulos ſuper ſcorpiones & ſerpentes impavidos gradi juſſit; quippe quibus adverſus venena & noxia quæcumque virtutem largiretur. Demum gratias Patri egit, quod myſteria ſua ſuperbis tumidiſque abſcondens, humilibus & parvulis aperiret. Prodidit, ſibi omnia a Patre tradita eſſe, neminem vero Patrem noſſe niſi Filium, neminem noſſe Filium niſi Patrem, cæteroſque quibus Pater dedit. Tum beatos prædicavit Diſcipulos, quibus intueri datum eſſet, quem Reges & Prophetæ videre & noſſe ſummis votis optarant (15).

Parabola hominis vulnerati in via Jerichuntis, cui Samaritanus opem præſtitit.

Jeſum convenit Legisperitus, quid facto opus eſſet, ut vitam æternam aſſequeretur, interrogans. Quem ille, quid Lege imperaretur, rogavit. Tum alter: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum*. *Recte*, ait Jeſus: *hoc fac, & vives*. Adjecit Scriba, quis eſſet proximus ſuus. Ad hæc Jeſus hanc inſtituit parabolam. Judæus quidam Jeroſolymis Jerichuntem proficiſcens, prædones offendit in via, qui ipſum ſpoliaſſe non contenti, miſerum vulneribus confoſſum pene cadaver reliquerunt. Accidit, ut Sacerdos tranſiens, eo ſpectaculo minime detineretur: idem & de Levita, paulo poſt eamdem viam tenente, narratur. Tandem Samaritanus quidam forte illac tranſiens, miſerum ſuis manibus levavit, obligavit vulnera, in equum ſuſtulit, detulit ad diverſorium, & ſollicite curavit, data pariter cauponi mercede, ut ſedulam illius curam gereret. Interrogavit deinde Jeſus, quis ex tribus hiſce miſeri illius hominis proximus crederetur. Reſpondit Scriba, Samaritanum arbitrari, cui Jeſus: *Vade, & tu fac ſimiliter* (16).

Jeſus in domum Marthæ & Mariæ Bethaniæ recipitur.

Exceptus eſt Jeſus in domum Marthæ, Bethaniæ commorantis, ſtadiis quindecim a Jeroſolymis. Novo hoſpiti cibos anxie parabat Martha; cum interim Maria ejus ſoror ante ejus pedes otioſa loquentem audiret. Conqueſta eſt Martha ea de re cum Jeſu, quippe quæ ſola rei familiaris curis oneraretur. Cui Jeſus: *Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (17).

Precandi formula a Jeſu Apoſtolis tradita.

Verſantem Jeſum in monte Olivarum e regione Jeroſolymæ, cum jam preces abſolviſſet, rogarunt Diſcipuli, ut formulam precandi aliquam, quemadmodum Joannes Baptiſta ſuis tradiderat, ſeſe doceret. Docuit illos Jeſus Dominicam orationem, eamdem quam prius in ſermone montis tradiderat (18). Tum multa adjecit de virtute & dotibus orationis. Propoſuit parabolam hominis, qui cum tribus panibus indigeret, quod ad ſeſe præter ſpem veniſſet amicus, eam ob rem vicinum ſuum, qui cum tota familia cubitum jam iverat, poſtulavit. Recuſavit ille primum; ſed rogantis importunitate victus, omnia dedit, quæ poſtulabat. Quare Jeſus, *Petite*, ait, *& accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Quis pater filio ſuo, panem vel ovum poſtulanti, lapidem vel anguem dedit (19)?

Dæmoniacus mutus ab utroque morbo curatur. Regnum diviſum non ſtabit.

Oblatum ſibi Dæmoniacum, loquendi facultate carentem, Jeſus incolumem reſtituit; cujus rei invidiam apud Phariſæos ſubiit, quaſi vi Beelſebub Principis Dæmonum Dæmones expelleret. Alii e Phariſæis prodigium aliquod e Cœlo poſtularunt; ſed eorum prava conſilia intelligens Jeſus, ita doloſus viros affatus eſt: Omne Regnum in ſe diviſum everteiur: quare ſi Dæmonis Regnum diviſum eſt, qui ſtabit? Si ego vi Beelſebub ejicio Dæmones, cujus nomine filii veſtri pellunt? Quare illi ſuo vos judicio damnabunt. Si vero Dei virtute Dæmones in fugam ago, Regnum Dei profecto ad vos pervenit. Cum ſtrenuus vir armis inſtructus domum defendit, nemo locum ingredietur, niſi ſtrenuum virum vicerit, & armis exuerit.

Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit. Spiritus nequam loco ſuo pulſus, requiem quærit ubique; & cum nuſpiam invenerit, in priſtinam domum regreditur,

(11) Matth. xviii. 15. 35. (12) Luc. ix. 51. 56. (13) Luc. ix. 56. 62. (14) Luc. x. 1. 16. (15) Luc. x. 16. 24. (16) Luc. x. 25. 37. (17) Luc. x. 38. 42. (18) Matth. vi. 9. 13. (19) Luc. xi. 1. 13.

novisque se munitionibus, & accitis in auxilium septem aliis nequioribus se Spiritibus, defendit: ita status miseri illius, qui malo hospite antea liberatus erat, miserabilior quam antea efficitur (20).

Iesus Christus plura exprobrat Pharisæis.

Pergens Christus Pharisæos arguere, tertio ait nullum ex se aliud signum illis expectandum esse, quam signum Jonæ Prophetæ (21). Adjecit, Reginam Saba & Ninivitas causam contra illos stata judicii die dicturos, eorumque pervicaciam & audiendæ veritatis segnitiem redarguturos. Accensam facem non sub modio, sed in sublimi collocari, ut tenebras undique depellat. Porro, ait, *lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: sin minus, tenebræ omnia. *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint* (22).

Jesus cœnat cum Pharisæo, indignum reputante, quod non lotis manibus cibos capiat.

Pharisæus quidam Jesum vocaverat ad cœnam; cumque illum non lotis manibus discubuisse animadverteret, rem tulit indigne. Sed Jesus, Vos, ait, Pharisæi, nihil habetis antiquius, quam ut exteriora vasis mundetis, cum interiora omnia rapinis & fraudibus fœdentur. Tum pluribus arguit eorum fraudem, qui decimam quidem è mentha & ruta religiosissime pendunt, justitiam & charitatem negligunt. Exprobravit quæsita prima in Synagogis locisque publicis subsellia, ait illos sese veluti dealbata sepulcra exhibere, foris nitida, intus sanie plena. Adjecit: Væ illis, qui gravissima onera aliorum humeris imponunt, cum ipsi ne digito quidem oppressos levent! væ iis, qui monumenta Prophetis construunt, illis, inquam, Prophetis, quos Patres eorum neci tradiderunt! væ iis, qui cum scientiæ clavim usurparint, neque ipsi ingrediuntur, neque alios ingredi sinunt! Acerbe hæc omnia excipientes Pharisæi, sedulo in Jesum incumbebant, studebantque virum capere, atque ex ipsius sermonibus accusationes in ipsum struere (23).

Hypocrisis, Pharisæorum fermentum.

Verba faciebat Jesus ad Discipulos suos coram frequenti populo, monens, ut sedulo ab hypocrisi, quæ fermentum est Pharisæorum, caverent; nil enim tam occultum esse lateosque, quod tandem non pateat. Scirent, ea, quæ clam disseruerant, palam aliquando nunciatum iri, & quæ in aure, super tecta prædicatum. Ne timerent eos, qui perdendi corporis habent potestatem; sed eum potius vererentur, penes quem & corpus & animam ad inferna detrudendi potestas est. Duæ aviculæ, quæ duobus obolis, vilissimo pretio, væneunt, curæ sunt Deo: cur igitur vos non curabit Deus, cui ipsi pariter capitis crines in numerato sunt? Adjecit: Qui confessus fuerit me coram hominibus, ego confitebor illum coram Angelis Dei: qui nomini meo renunciaverit, ipsi pariter renunciabo. Qui dixerit quippiam in Filium hominis, dimittetur illi: qui in Spiritum Sanctum, non dimittetur. Cum vos ad tribunalia & Magistratus rapuerint, ne solliciti sitis quam paretis responsionem; vos enim Spiritus Sanctus docebit (24).

Exquiritur Iesus, ut bona inter duos fratres dividat.

Venit ad Jesum quidam, rogans, ut fratrem suum ad hæreditatis divisionem adigeret, cui Jesus nil tale se curaturum dixit: atque opportunitatem nactus, de avaritia disserere cœpit, proposita viri cujusdam locupletis parabola, quem destruere horrea sua, & ampliora ædificare meditantem, atque de commodæ vitæ deliciis sibi blandientem inopina mors occupavit. Non est igitur, cur cibum & vestimenta sollicitiori cura quæramus, cum utrumque Deus aviculis paret, cui sane de iis minor est, quam de hominibus providentia.

Humilitatem docet, & erga pauperes studium.

Quorsum horum causa excruciamur? Quantumcumque cogitaverit homo, staturæ suæ ne cubitum quidem unum adjicere poterit. Quare si minoribus præstandis impar est, facere majora non poterit. Lilia agri de parando sibi vestimento sollicita non sunt, quæ tamen magnificentissime vestiuntur a Deo. Quærite ergo primum Regnum Cœlorum; & hæc omnia vobis accedent. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, locupletes vobis thesauros in Cœlis parantes. Renibus accincti præsto estote, & lucernas ardentes manibus gerite, ut domino e convivio regredienti occurratis. Futurum omnino polliceor, ut cingat sese, & discumbentibus ministret. Si sciret Paterfamilias, qua hora fur venturus esset ad ædium parietes suffodiendos, vigilaret utique: & vos estote parati; qua enim hora non putatis, Filius hominis veniet (25).

Parabola fidelis Oeconomi, mali servi, & alterius famuli male morigeri.

Quæsivit Petrus, utrum ea quæ hactenus disputaverat, ad Discipulos tantum, an ad omnes æque spectarent. Cui respondit Jesus, pluribus parabolis propositis, I. Oeconomi fidelis & prudentis, quem Dominus, fidei merito, universæ familiæ præposuit. II. Mali illius famuli, qui absente Domino conservos vexat, sibique nihil ad voluptatem reliquum facit; regressus enim Dominus nequam hunc famulum capitali supplicio plectit. III. Famuli, qui Domini voluntatem probe noscens, nec tamen executus, vapulat multis; sed mitius cum ignorantibus agitur. Multum sane ab eo exigitur, cui multum conceditur. *Veni*, adjecit, *ignem mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Ego baptismo* sanguinis *habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Non pacem in terram intuli, sed bellum, divisurus nimirum parentes a filiis, filios a parentibus, &c. (26).

Cum adversario ante prolatam a Judice sententiam lis componenda.

Exprobrat Jesus Pharisæis, omnes aeris vicissitudines sola Cœli inspectione prædicere illos potuisse, cum tempus adventus Messiæ distinguere non valerent. Adjecit: Ubi ad judicem accesseris cum adversario, id age ut rem cum illo componas, ne forte a Judice damnatus in carcerem detrudaris, donec novissimum numisma reddideris (27).

Galilæi a Pilato cæsi inter sacrificia.

Renunciatum est Jesu, Pilatum Galilæorum Sacrificia quorumdam ejus gentis cæde fœdasse. Quæsivit Jesus, num crederent, miseros illos majoris esse criminis reos quam alios ejus regionis. Non sane, ait: quemadmodum & illi, quos subito corruens turris Siloe oppressit, non ideo criminibus reliquos Jerosolymæ incolas vincebant. *Quare, nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Proposuit deinde parabolam ficulneæ sterilis, quam succidi dominus jussit; sed moram unius anni vinitor impetravit, pollicitus majori se cultu illam curaturum, quibus laboribus si nullus in arbore fructus responderet, succisurum tandem spopondit (28).

Mulier incurva ab annis XVIII. *curatur.*

Docebat Jesus pro consueto more in Synagogis Sabbatho, cum fœmina a XVIII. jam annis incurva, ut sursum aspicere minime posset, adducta est. Præfecti Synagogæ questi ea de re sunt, iniquum esse dicentes, ut cum hebdomada tot diebus constaret, adhuc tamen Sabbathi dies curandis morbis impenderetur. Tunc Jesus hypocrisim illorum arguit; quippe qui asinum vel bovem die Sabbathi solvere atque adaquare religioni non ducerent; haberent autem gravius, fœminam molesto eo morbo a XVIII. annis laborantem ea die curari (29).

Para-

(20) Luc. xi. 14. 28.
(21) Vide Matth. xii. 39. xvi. 4.
(22) Luc. xi. 29. 36.
(23) Luc. xi. 38. 54.
(24) Luc. xii. 1. 12.
(25) Luc. xii. 13. 41.
(26) Luc. xii. 41. 53.
(27) Luc. xii. 54. 58.
(28) Luc. xiii. 1. 9.
(29) Luc. xiii. 10. 17.

Parabola grani sinapis & fermenti. Festum Pentecostes.

Proposuit deinde Jesus iterum parabolam grani sinapis, in arborem satis proceram crescentis, & fermenti quod tria farinæ sata subigit. Ita vero iter Jerosolymitanum prosequebatur, ubique per Synagogas docens. Cum autem Jerosolymis die Pentecostes versaretur, interrogavit quispiam, num rari essent qui salutem assequerentur. Respondit ille: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt*. Non omnes, qui ostium pulsantes instabunt, ingeminando pariter, Domine, Domine, reclusis foribus introducentur: dicet quippe Deus: *Nescio vos unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis: ibi erit fletus, & stridor dentium*. E quatuor mundi plagis undique confluent convivæ discumbentes in mensa cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, exclusis Judæis. Ita erunt novissimi qui sunt primi, & erunt primi qui sunt novissimi (30).

Herodes necem Jesu Christi molitur.

Eadem die cum renunciaretur a Pharisæis Magistro, Herodem necem ipsis moliri, ita illos affatus est: *Dicite Vulpi illi: Ecce ejicio Dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor*. Producendum est mihi longius aliquanto susceptum a me ministerium; mors tandem Jerosolymis me manet; neque enim alibi fas est occumbere Prophetam. Tum Urbis illius, Prophetarum cædibus cruentæ, quæ voluntati suę, covendi nempe ejus filios, uti gallina pullos sub alis fovet, nunquam non pervicaci ausu restitit, exitium prædicit, ac tandem ita orationem claudit: *Non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini* (31).

Hydropicus sanitati restitutus coram Pharisæis.

Relicta Jerosolyma, Capharnaum repetiit, ubi ex optimatibus Pharisæorum quidam die Sabbathi ad cœnam illum vocavit. Sedulo autem a Pharisæis observabatur, utrum die illo ægrotum aliquem curaret, ut accusationes in illum, tamquam Sabbathi violatorem, struendi occasionem caperent. Stabat coram Hydropicus, quæsivitque Jesus a Pharisæis, num liceret Sabbatho curando homini operam dare. Silentibus illis, ægrotum valere jussit, simulque interrogavit Pharisæos, num die Sabbathi lapsum in foveam jumentum suum præterituri essent (32); & illi reponere quidquam non valebant.

Ne prima loca in mensa affectentur.

Animadvertens Jesus, Pharisæos, quibuscum una discumbebat, primas ambire sedes, hæc in parabolæ modum locutus est: Cum ad cœnam veneris vocatus, infimum de industria locum elige, ut a domino ad honestissimum locum evoceris; cave enim ne ipse honoratissimum locum ambias, ne forte honestior te aliquis veniens, locum ipse tuum teneat, te ad infimum amandato; *Quicumque enim se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur*. Convivium aliquod parans, cave ne locupletes amicos ac necessarios voces; fiet enim ut ipsi pariter te, par pari reddentes, vocent; sed potius voca egenos, ægros, cæcos, ut gratiam non homo, sed in resurrectione justorum referat Deus (1).

Parabola instructissimi convivii, quo vocati convivæ venire quibusdam de caussis recusant.

Hæc disputante Jesu, ex convivis quidam opportunitatem nactus, beatum fore pronunciavit, cui id dabitur, ut in Regno Dei discumbat. Tunc Jesus hanc ingessit parabolam: Locupletissimus Vir quidam instruxerat convivium, quo vocati plures, venire, cautationem prætendentes, recusarunt; alius enim se villam emisse respondit, alius boves, alius duxisse uxorem. Eam rem ægre ferens convivii dominus, jussit ad cœnam obvios quoscumque egenos claudosque vocari; virosque misit per agros, qui quoscumque in via offendissent ea infima hominum fæce, eo deducerent; tum nunciavit famulis futurum, ut nemo e prioribus vocatis ad cœnam ipsis paratam introduceretur (2).

Parabola hominis ædificium aggredientis, qui secum rationem init, num tantum habeat in numerata, quantum absolvendo ædificia sat est.

Magno turbarum satellitio Jesus Galilæam peragrabat, docens ubique per Synagogas, comitibusque nuncians, neminem inter Discipulos Filii hominis recensendum, quin prius parentibus suis necessariisque, ac sibi tandem renunciaverit; oportere, ut sublata in humeros cruce, ipsius Magistri legantur vestigia. Proposuit demum parabolam hominis, qui ædificium aliquod molitus, secum rationem init, num tantum habeat in numerato, quantum ad absolvendum opus sat est. Regis pariter, qui ante susceptam expeditionem aliquam in alium Regem, deliberat prius, num collecto decem millium exercitu resistere valeat adversario, bis totidem militibus valido. Ita, inquit, *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus. Bonum est sal; sed si forte evanuerit, in quo condietur? neque in terra, neque in sterquilinio utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat* (3).

Jesus cum Publicanis vescitur. Parabola ovis palantis.

Redierat jam Capharnaum; factusque est ad illum audiendum & Publicanorum & perditorum hominum concursus, quibuscum ne vesci quidem Jesus dedignabatur. Obloquentibus ea de re Pharisæis, parabolam narravit. Erant viro centum oves, quarum cum unam deesse animadverteret, cæteris relictis, errantem quæsivit, inventamque in humeros tollens, reduxit ad gregem. Tanto ille reductæ gaudio affectus est, ut amicos ad convivium lætitiæ vocaret. Ita *gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*.

Parabola Filii Prodigi.

Priori alteram attexuit parabolam, filii prodigi, qui parte hæreditatis sibi debitæ a Patre quæsita acceptaque, in regionem quamdam longinquam cum divertisset, amicorum compotationibus, & libidine patrimonium omne consumpsit. Quare in extremas rerum angustias redactus, pascendo grege porcorum vitam tolerare coactus est. Iis angustæ vitæ incommodis ad saniora revocatus consilia, reverti ad patrem statuit. Venit igitur; exceptusque humanissime a patre, novis vestibus indutus est. Tum amplissimum instruxit pater convivium, ut lætam adventus filii sui diem celebraret. Accidit ut frater natu major ex agro veniens, & omnia intelligens, graviter tantum lætitiæ apparatum ferret. Cui senex oportere dixit lætum adventu fratris diem agere, quippe qui quodammodo in vitam rediisset, & errans palansque tandem inventus esset (4).

Secundum hæc, trajecto Jordane, per regionem trans amnem in Judæam venit. Comitabatur virum cum turbis frequentissimis ingens ægrotantium multitudo, quos omnes recepta valetudine incolumes remittebat (5).

Parabola Oeconomi infidelis, & pessimi administratoris.

Narravit pariter Discipulis parabolam Oeconomi infidelis, qui dissipatis domini sui bonis, cum in reddenda ratione de rebus suis diffideret, singulos convenit ejusdem domini debitores, debitumque remisit, ut scilicet e domo heri pulsus, illos benevolos hospites nancisceretur. Monuit ergo

[30] Luc. xiii. 19. 30. [31] Luc. xiii. 31. 35. [32] Luc. xiv. 1. 6. [1] Luc. xiv. 1. 14. [2] Luc. xiv. 15. 25. [3] Luc. xiv. 25. 35. [4] Luc. xv. 1. 32. [5] Matth. xix. 1. 2. Marc. x. 1. 2.

go Jesus, ut sibi e divitiis iniquitatis amicos compararent, a quibus in æterna tabernacula exciperentur. *Qui*, ait, *in minimo fidelis est, erit & in majori; & si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo potest duobus dominis servire; non potestis Deo servire & mammonæ* (6).

Pharisæi, quibus erat auri fames valida, Jesum talia disserentem ridebant; sed ille Deum dixit intima cordis rimari, & quæ in honore essent apud homines, hæc maxime execrationi esse Deo & ludibrio. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem; ex eo Regnum Dei evangelizatur; & omnis in illud vim facit*. Facilius est autem Cœlum & terram perire, quam de Lege unum apicem cadere (7).

Licet ne ab uxore, facto divortio, recedere?

Tentandi Jesu gratia rogarunt Pharisæi, utrum liceret, facto divortio, uxorem dimittere. Interrogavit vicissim Jesus, quid Moyses ea de re statuisset. Cum permitti repudii libellum audisset, Fateor, ait Jesus; *sed hæc a Moyse permissa sunt ad duritiam cordis vestri: ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Omnis qui dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur* (8).

Tria Eunuchorum genera. Virginitas commendatur.

Regressum domum Jesum Apostoli iterum super his interrogarunt, eademque ille, quæ prius Pharisæis, reposuit. Sed, inquiunt Apostoli, si ita est, non expedit nubere. Tunc Jesus: *Non omnes capiunt verbum istud*. Tria sunt Eunuchorum genera: alios reddit naturæ sive temperamenti vitium, alios necessitas, alios voluntas, quorum postremi ab eo voluptatum genere se continent, ut Regnum Cœlorum promereantur (9).

Parabola Lazari, & Divitis impii.

Narravit aliam parabolam Lazari & divitis impii, quorum hic splendidissimis vestibus, & instructissimis semper conviviis luxum spirabat; Lazarus præ foribus illius jacens, micis tantummodo e mensa illius decidentibus saturari rogabat. Uterque tandem diem clauserunt, sed impari sorte; nam Lazarus in sinum Abrahæ, dives in Infernum exceptus est. Quare tollens oculos miser ille, & longe Abrahamum prospiciens, ut mitteret Lazarum rogavit, qui gutta solummodo frigidæ, e summo digitulo stillante, æstuantem refrigeraret. Reposuit Abraham, illum quidem, dum viveret, nil ad voluptatem reliqui fecisse; quare modo vicissim Lazarum oblectari par esse: statui pariter inter utrosque medium ingens aliquod & insuperabile chaos, quo transire Lazarus hinc illuc prohibebatur. Iterum Dives obsecrabat saltem, ut nuncium sortis suæ ad quinque fratres superstites mitteret, ne parem vitæ exitum haberent. Cui Abraham: *Habent Moysem, & Prophetas: audiant illos: & si non audiant, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent* (10).

Scandali malum & discrimen.

Impossibile est ut non veniant scandala, ait Jesus, Discipulos alloquens: *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit! utilius esset illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis*. Si frater tuus aliquis injuria te affecerit, verbis illum corrigere potes: si pœnitentiam egerit, dimitte: & si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dimitte. Rogarunt Magistrum Apostoli, ut in se fidem augeret; quibus ille: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis* (11).

Servi inutiles sumus.

Ut nostra erga Deum obsequia nihil esse demonstraret Jesus, & post hæc omnia inutiles esse servos palam argueret, parabolam narravit domini, cujus servus pascendo grege sive colendo agro occupabatur; revertenti enim illi ex agro, imperabit ne mensæ accumbat, an potius ut sibi cibum paret, vescentique serviat, ac deinde ipse cibum capiat? Numquid autem gratiam habet dominus servo, quia imperata fecit (12).

Festum Tabernaculorum vel Scenopegiæ, 19. Tizri, 13. Octobris, An. J. C. 35. Æræ Vulg. 32.

Jesus a necessariis suis monetur, ut Jerosolymam petat.

Instante jam festo Tabernaculorum vel Scenopegiæ, a necessariis suis urgebatur Jesus, ut Jerosolymam se conferret, quo scilicet devinctos sibi in exordio prædicationis suæ biennio ante ibidem Discipulos (13), visis, quæ ab ipso patrabantur, miraculis, magis magisque confirmaret, seque ipsum palam orbi ostenderet: *neque enim fratres ejus adhuc credebant in eum* (14). Sed Jesus, irent quidem ipsi, siquidem vellent, Jerosolymam; se non iturum, non enim adhuc tempus adesse. Cum tamen illi eo ivissent, venit & Jesus, cujus multus erat rumor in populo, & undique ab omnibus quærebatur (15).

Jesus docet in Templo. Doctrinam ejus mirantur Judæi.

Media jam effluxerat octo dierum solemnitas, cum in Templo Jesus instituere populum aggressus est, non sine Judæorum admiratione, quippe qui nullis vacasse illum literis norant. Sed Jesus non esse cur ea de re stuperent, prodidit: habere enim se a Patre Cœlesti, quo mittente venerat, sibi creditam eruditionem. Cum vero mala eorum in se consilia videret, palam edixit, reos esse ipsos Mosaicæ Legis violatæ; illa enim homicidium prohibente, ipsos suam necem moliri. Ad hæc populus, cui nihil de prava Sacerdotum & Pharisæorum voluntate erat exploratum, agi ipsum a Dæmone palam dictitabat: Quis enim, dicebant, necem suam cogitavit unquam? Quibus Jesus: Ego, ait, unico inter vos prodigio clarui, valetudine scilicet ægroto ad probaticam piscinam concessa (16); & vos hæretis stupentes. Ducitis autem iniquum, me die Sabbathi hominem curate, cum eadem die, ut Mosaico præcepto, seu potius Antiquis eam rem imperantibus, obsequamini, a circumcidendo homine nulla vos religio absterreat (17).

Unde proditurus Messias, ignotum.

Digito notabant hominem cives quidam Jerosolymæ, secum invicem stupentes, cur homo, quem Pharisæi in necem quærerent, verbis adeo liberis loqui impune permitteretur. An dicebant, vere cognoverunt Principes, hunc esse Christum? Alii vero contra negabant, Messiam esse; hunc enim, dicebant, scimus unde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. Clamabat interim Jesus in Templo: *Et me scitis, & unde sim scitis; misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit*. Volebant injicere in illum manus, sed nondum maturo ad eam rem tempore, eorum consilia frustra erant. Multi autem credebant in eum ex populo, id apud se reputantes: *Christus, cum venerit, nunquam plura signa faciet, quam quæ hic facit* (18).

Sacerdotes capiendo Jesu collectum manum immittunt.

Hos vulgi sermones cum compertos haberent Sacerdotes & Pharisæi, capiendo Jesu viros miserunt; quibus ille: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui me misit. Quæretis*

---

[6] Luc. xvi. 1. 13. [7] Luc. xvi. 14. 17. [8] Matth. xix. 3. 9. Marc. x. 3. 9. Luc. xvi. 18.
[9] Matth. xix. 10. 12. Marc. x. 10. 12. [10] Luc. xvi. 19. 31. [11] Luc. xvii. 1. 6.
[12] Luc. xvii. 7. 10. [13] Joan. ii. 22. [14] Joan. vii. 2. 13. [15] Joan. vii. 2. 15.
[16] Joan. v. 1. 15. [17] Joan. vii. 14. 24. [18] Joan. vii. 25. 31.

tis me, & non invenietis; & ubi ego sum, vos non potestis venire, Ambages illum loqui putabant Judæi, secum invicem quærentes: Quid sibi volunt hæc? *Quæretis me & non invenietis*. Num, dicebant, *in dispersionem gentium, & docturus gentes, iturus est* (19)?

Jesus fons aquæ vivæ.

Novissimo Festi Tabernaculorum die Jesus stans in Templo clamabat, fontem se esse, ex quo sitientes omnes potarent: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; quibus verbis tacite innuit Spiritum, quem accepturi erant ii qui credituri essent. Varie hæc inter populum excipiebantur; alii enim verum Prophetam putabant, alii Christum. Sed numquid Christus a Galilæa? dicebant nonnulli. Nonne testatur Scriptura, ex genere Davidis & oppido Bethlehem, unde ortus est David, Christum esse oriturum? Dissidium erat ea de re inter turbas; missique e Sacerdotibus ad eum capiendum viri, re infecta redierunt, locutum hominem, quæ nemo unquam alius, stupentes. Cum hæc renunciarent Sacerdotibus & Pharisæis, responderunt illi ex adverso: Numquid & vos decepti estis? an ex Principibus & Pharisæis aliquem inter ejus sectatores, & nonnisi ex turba vilissimos aliquot, vidistis? Nicodemus, qui Christo occulte favebat (20), Nemo, ait, inauditus in Lege damnatur. Illi contra: Nemo e Galilæa Propheta: an tu Galilæus es? Subeunte jam tum vespere, abierunt omnes in diversa, totamque illam noctem Jesus in monte Olivarum exegit (21).

Mulier in adulterio deprehensa ad Jesum adducitur.

Rediit in Templum mane, prædicationis munus aggrediens; ductaque ad illum muliere in adulterio deprehensa, parata per dolum quæstione, interrogarunt Pharisæi, quid facto opus esset. Tacens Jesus tunc scribebat; deinde surgens jussit, qui nulla peccati conscientia teneretur, primum omnium lapides in fœminam mittere; iterumque inclinatus scriptitabat. His auditis, accusatores alius post alium dilapsi sunt; relictamque fœminam solam interrogavit Jesus, num a quoquam damnata fuerit. Et cum illa a nemine se damnatam esse respondisset, *Vade*, ait Jesus, *& jam amplius noli peccare* (22).

Jesus lumen Mundi.

Tum institutam ad populum orationem prosequens Jesus, dicebat: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Dicentem exceperunt Pharisæi: *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum*. At Jesus: *Etsi testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni, & quo vado*, quorum utrumque vos ignoratis. *Si ego judico, judicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater*; ex Legis autem sanctione duorum testimonium ratum assertumque est. Rogarunt illi, ubi nam Pater versaretur; & ille: *Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*. Hæc disputabat Jesus in gazophylacio Templi; & cum destinata ipsa hora nondum venisset, nemo injicere in eum manus audebat (23).

Jesus abibit, & Judæi in peccato suo morientur.

Iterum nunciavit Jesus, abiturum se, frustra deinde ab illis quærendum, sed illos in peccato suo adhuc versantes, morte occupatum iri, ac tandem, quo ipse abiret, venire illos non posse. Reputabant illi hæc audientes, utrum sibi mortem consciscere moliretur? Tunc Jesus: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro*. Interrogarunt illi, ecquis tandem esset; & Jesus: *Principium & qui loquor vobis*; nempe, quæ loquor primum animadvertite. *Multa habeo vobis loqui, & ego quæ audivi ab eo, qui misit me, hæc loquor in mundo. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & quæ docuit me Pater, hæc loquor*. His verbis plures induxit, ut sibi crederent; quibus ille: *Si vos manseritis in sermone meo, vere Discipuli mei eritis, & veritas liberabit vos*. Ad hæc Judæi, nemini se unquam servisse, utpote qui semen essent Abrahæ, dictitabant. Iterum Jesus: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati: si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*. Adjecit scire se, originem illos suam ex Abrahamo referre, sed necem pariter sibi inferendam in mente tacitos agitare; quod scilicet verba loqueretur, quæ ipsi in animum admittere nollent. *Si filii Abrahæ estis*, ait, *opera Abrahæ facite*. Cur meam necem molimini? Hoc Abraham non fecit. Ad hæc illi: Nos unum Patrem habemus Deum. Et Jesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me, qui a Deo missus ad eum regredior. *Vos ex patre Diabolo estis*, cujus voluntati obtemperatis; jam enim inde a mundi exordio ille homicida erat & mendax (24).

Jesus vitii minime capax. Qui ex Deo est, Dei verba audit.

Pergens Jesus adjecit: *Qui ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Tenemus te, intercepere Judæi; ex his enim satis habemus argumenti, ut Samaritanum te & Dæmoniacum probemus. Tunc Jesus: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet. Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*. Iterum Judæi clamantes ad hæc, se nosse novo hoc argumento dictitabant, agi virum a Dæmone, quippe qui scirent interiisse Abrahamum, cum Jesus profiteretur, eos, qui jussionibus suis obtemperaverint, nunquam interituros. *Numquid major es*, ajebant, *Patre nostro Abraham? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?* Ego, inquit Jesus, *si glorifico me ipsum, gloria mea nihil est; Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est: & non cognovistis eum: ego autem novi eum, & sermonem ejus servo. Abraham Pater vester exultavit* spe *videndi diem meum, vidit & gavisus est*. Hæc dicentem indignati exceperunt Pharisæi: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Utique*, ait Jesus, *antequam Abraham fieret, ego sum*. Nec plura; nam concurrentibus ad lapides Judæis, Jesus furtim e Templo se subducens, abiit (25).

Cæcus a nativitate curatur.

Mane alterius diei Urbem inambulans Jesus, cæcum a nativitate offendit, rogantibusque discipulis, cujus merito hæc viro accidissent, proprione, an parentum: nihil horum in causa fuisse respondit Jesus, sed permissum viro morbum, ut opera Dei manifesta fierent in illo. *Me oportet*, adjecit, *operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Ego lux sum Mundi*. Tum saliva humum subigens, coacto ex ea luto, cæcos oculos linivit, jussitque miserum hominem lotum ire oculos ad fontem Siloes. Paruit ille, nihilque ad valetudinem recipiendam moræ factum est. Cum autem ille mendicans tota Urbe notissimus esset, quicumque virum incolumem offendebant, falli se, atque alterum pro altero usurpare arbitrabantur; sed ille virum se esse cæcum, antea ipsis cognitum, sancte affirmans, totam receptæ valetudinis historiam narrabat (26).

Cæ-

[19] Joan. VII. 32. 36. [20] Joan. III. 1. 21. [21] Joan. VII. 37. 53. [22] Joan. VIII. 1. 11. [23] Joan. VIII. 12. 21. [24] Joan. VIII. 21. 45. [25] Joan. VIII. 46. 59. [26] Joan. IX. 1. 12.

Cæcus ad Sacerdotes vocatur.

Mane alterius diei ad Pharisæos cæcus ille ductus est, ut receptæ valetudinis historiam exponeret. Contendebant Pharisæi, Jesum Christum a Deo missum non fuisse, quippe qui cæci nati curatione Sabbathi religionem non satis vereretur. Sed alii minime credebant, sacrilegum hominem ea miracula patrare unquam posse. Cæcus verum esse Prophetam defendebat. Inter eas disceptationes, parentes cæci illius acciti rogantur, num filium hunc suum noscerent, scirentque a nativitate cæcitatis morbo laborasse. Affirmarunt illi; sed de recepta ob ipso valetudine nihil comperti habere se, professi sunt: illum, utpote ætate capacem, rogarent. Hac illi aste locuti sunt, metu Pharisæorum, a quibus pellendos se norant e Synagoga, si Jesum Christum Messiam esse dixissent. Statutum iterum in medio cæcum etiam atque etiam hortabantur, ut vera in Dei gloriam proderet; exploratum habere se, Jesum hominem esse nequissimum. Tunc cæcus: *Si peccator est, nescio: unum scio, quia cum cæcus essem, modo video.* Interrogatus iterum, qua ratione cæcitatem Jesus depulisset, respondit, semel se omnia narrasse; quorsum igitur interrogarent. *Numquid & vos*, ait, *vultis Discipuli ejus fieri?* Irati ob hæc verba Sacerdotes, dira in illum imprecati, inquiunt: *Discipulus illius sis; nos autem Moysi Discipuli sumus. Scimus, quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.* Ideo mirum est maxime, reposuit alter, vos, unde venerit homo iste, cujus beneficio visum recepi, ignorare. Profecto *scimus, quia peccatores Deus non audit:* quare *nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Ea viri constantia graviter offensi Pharisæi, exprobrantes, *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* e Templo expulerunt (27).

Cæcus in Jesum Christum credit.

Certior de his omnibus Christus, homini in via occurrens, num crederet in Filium Dei, interrogavit. Ecquis esset Filius Dei, respondente altero, non alium, quam se, ait Christus. Continuo ad ejus pedes procumbens cæcus, adoravit. Addidit Jesus, ideo se in mundum venisse, ut cæci ad lumen venirent, obruerentur autem videntes tenebris. Hæc cum ad se pertinere intelligerent, qui forte aderant, Pharisæi, num se pariter cæcos diceret, interrogarunt. Jesus: Si cæcos vos ipsos agnosceretis, *non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, quia videmus; peccatum vestrum manet* (28).

Verus Pastor in ovile per ostium ingreditur.
Fur aliunde, quam per ostium.

Tunc parabolam instituit Jesus furis, qui in ovile aliunde, quam per ostium, ingreditur; cum Pastor nonnisi per apertum ostium introeat, quem Pastorem noscunt & sequuntur oves. Porro ostium ipse est Jesus; & qui aliunde, quam per eam portam, ingressi sunt, hi tamquam fures habendi; qui vero per apertum illud ostium ingredientur, illis salus obtinebitur. Jesus optimus est Pastor, vitam suam pro ovium salute ponens; mercenarius, fuga dilapsus, irruenti lupo oves in prædam relinquit. Sunt Jesu aliæ quidem oves, quæ non sunt ex hoc ovili; nempe de Synagoga, quas in easdem caulas una coacturus est, ut tandem fiat unum ovile, & unus Pastor (29).

Pater amat Filium, quia hic vitam ponit, ut iterum sumat. *Nemo*, pergebat Jesus, *tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso.* Hæc loquentis verba Judæos inter se commiserunt, aliis agi a Dæmone virum contendentibus, negantibus aliis; neque enim, dicebant, Dæmoniacus talia loqueretur, nec cæco a nativitate visum restitueret (30).

Festum Dedicationis Templi, 22. Casleu, 15. Decembris. Decem Leprosi curantur.

Conferens se Jesus Jerosolymam, occasione Festi Dedicationis Templi, per mediam Galilæam & Samariam iter faciebat; cum in Urbem quamdam ingressuro decem leprosi occurrerunt, rogantes: *Jesu Præceptor, miserere nostri*; quos ille ire jussit, & ostendere se Sacerdotibus: cum irent, mundati sunt. Erat inter illos vir quidam Samaritanus, qui unus ad agendas Jesu Christo gratias venit; quod miratus est Christus; cum enim decem beneficium accepissent, unus tantummodo, & alienigena, qui gratiam referret, inventus est. Tunc ad illum conversus, *Vade*, ait, *fides tua te salvum fecit* (1).

Regnum Dei non ita veniet, ut sensuum testimonio noscatur.

Cum in Templum venisset Jesus, rogatus a Pharisæis, quando nam Regnum venturum esset, respondit, non ita appariturum illud, ut sensuum testimonio probandum sit, eoque majestatis apparatu ut omnium oculos ad se convertat; scirent autem, Regnum Dei inter ipsos medium versari. Conversus inde ad Discipulos, Futurum aliquando est, ait, ut optetis videre diem Filii hominis unam, & non videatis. *Et dicent vobis: Ecce illic, & ecce illic. Nolite ire.* Sicut fulgur coruscans sub Cœlo fulget, *ita erit filius hominis in die sua.* Nunciavit deinde quæ illis imminerent a Judæis mala; sed diem ultionis inopinato hominibus venturum; quemadmodum diluvium ætate Noemi, & incendium Sodomæ & Gomorrhæ tempore Lothi: cum scilicet bibentibus, ludentibus, atque nuptias celebrantibus hominibus, ingruit cœlitus ultio. Ita pariter die Filii hominis continget. Tunc qui fuerit in tecto, & vasa habuerit in domo, ne descendat ea tollere; & qui in agro, non redeat retro. Memores estote Uxoris Loth. *Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam; & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum: una assumetur, & altera relinquetur. Duo in agro: unus assumetur, & alter relinquetur.* Rogantibus Discipulis, quando ista eventura essent, per ænigma respondit: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ* (2).

Parabola Judicis, qui nec Deum reveretur, nec homines.

Ut continuæ orationis necessitatem doceret, hanc Apostolis parabolam proposuit. Judex quidam, nec Deum satis nec homines reveritus, importunis a Vidua precibus pulsabatur, ut in adversarium suum jus diceret. Distulit ille diu; sed importunitate victus, tandem miseram fœminam molestia liberavit. Ita Deus, ait, cui justa rependendi ingenium inest, electos suo clamantes ad se die ac nocte ulciscetur (3).

Cum venerit Filius Dei in terras, fidem ne inveniet? Parabola Pharisæi & Publicani ad Templum venientium.

Interrogatis primum Discipulis, num veniens in terras Filius hominis fidem inventurus esset, deinde parabolam exorsus est, qua homines arguit, opinione sua adeo justos, ut reliquos parvipendant. Duo homines ascenderunt ad Templum, Pharisæus nempe & Publicanus, quorum primus stans gratias agebat Deo quam maximas, quippe qui a reliquorum hominum nequam, raptorum, & adulterorum fæce abhorreret; longeque se fecisset justiorem, quam Publicanum illum, quem coram cernebat. Publicanus autem seorsum orans, humilis pronusque, ne oculos quidem tollere in Cœlum audebat; sed tundens miserabiliter pectus, seque peccatorem ingeminans, rogabat veniam. Certe, ait Christus, abiit hic justior illo (4).

Judæi lapidibus petere Jesum minantur, quod Filium se Dei profiteretur.

Cum in Porticu Salomonis, Templo adjacente,

[27] Joan. ix. 13. 34. [28] Joan. ix. 35. 41. [29] Joan. x. 1. 17. [30] Joan. x. 17. 21.
[1] Luc. xvii. 11. 21. [2] Luc. xvii. 20. 37. [3] Luc. xviii. 1. 7. [4] Luc. xviii. 8. 14.

te, ambularet, in frequenti hominum corona rogatus est, quamdiu animos suspensos detenturus esset, neque se Christum palam professurus; respondit, se quidem dixisse, neque, si ipse taceret, fore ut silerent de se opera, ipsos tamen nunquam in animum eam rem induxisse, quod ex ovibus suis non essent. *Oves enim meæ*, ait, *vocem meam audiunt, & sequuntur me. Non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* His auditis, veluti flagitium audierint, horrescentes Judæi, lapides in illum intentarunt. Tunc Jesus; *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo* [idest, nomine Patris mei]: *propter quod eorum opus me lapidatis? De bono opere*, exceperunt Judæi, *non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum* (5).

Ad hæc Jesus ostendit, in Scriptura homines, quos Deus allocutus est, Deos appellari; quare non immerito sibi a Patre misso, & sanctitate donato, Filii Dei nomen arrogasse. *Si non facio*, ait, *opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, credite, quia Pater in me est, & ego in Patre*, Secundum hæc, moliebantur iterum Judæi manum in illum injicere, sed dilapsus abiit (6).

Jesus trans Jordanem contendit.

Petiit ergo Betbaniam, trans Jordanem, baptismo ibidem a Joanne Baptista collato celebrem; moratus est autem mense uno; plurésque Judæi eo convolantes in illum crediderunt, illud reputantes, Joannem Baptistam nullo claruisse prodigio; e verbis autem Jesu nullum non e media esse veritate (7).

A. M. 4036. Per. Jul. 4746. J. C. 36. Æræ Vulgaris 33. Lazarus ægrotat.

LAzaro fratre Marthæ & Mariæ ægrotante, ejus rei nuncium ad Jesum trans Jordanem missum est. Ille, re audita, respondit, ægritudinem illam non ad mortem esse, sed ut gloria Dei magis magisque coruscaret. Biduo post nuncium quietus in loco substitit (8).

Pueri coram Iesu statuuntur.

Oblatis sibi pueris manus Jesus imposuit; prohibentibusque Discipulis ne accederent, præcepit ille ut venire sinerent; nam, sit, *talium est Regnum Cœlorum* (9).

Lazarus obit.

Eo temporis intervallo obiit Lazarus. Tunc Jesus Discipulis iter in Judæam proposuit; stupentibusque illis quo animo eo redire decrevisset, unde nuper, lapidibus petitus, præsentissimum discrimen fuga evitarat, respondit: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* adjecitque, Lazarum sopitum quiescere, ire autem se, ut eum a somno excitaret. Hæc Apostolis re ipsa de somno dicta accipientibus, mortem viri innuere se idem Jesus exposuit. Quare Thomas, *Eamus*, ait, *& nos, ut moriamur cum ille* (10).

Quid facto opus sit ad vitam æternam obtinendam.

Iter ergo Judæam versus iniens, obviam occurrentem offendit juvenem quemdam Judæum, qui ante ejus genua provolutus, eum, ceu bonum magistrum, rogavit, quid facto opus esset, ut vitam æternam acquireret. Cui illa: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Cum illa se ab ineunte ætate servasse adolescens profiteretur, Jesus amice illum intuitus, adjecit: *Unum tibi deest; vade, & vende quæcumque habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Non lætis auribus hæc excepit locupletissimus adolescens, tristisque recessit. Ea occasione Jesus ita Discipulos affatus est: Difficile dives intrabit in Regnum Cœlorum; facilius est enim camelum per foramen acus transire. Hæserunt ad hæc Discipuli, illud inter se reputantes: *Quis ergo poterit salvus esse?* & Jesus: *Apud homines hoc est impossibile; apud Deum autem omnia possibilia sunt* (11).

Merces eorum, qui, omnibus relictis, Iesum secuti sunt.

Tunc Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia; & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Bono esse illos animo jussit Jesus; ipsis enim cæterisque, qui sua omnia tam bonam ob causam deseruissent, paratas esse sedes in novo Regno, ibi tamquam Judicibus jus dicturis super omnes Tribus Israelis. Adjecit, omnes qui bona & domesticos pro nomine Jesu & Evangelio reliquerint, centuplum accepturos in hoc mundo, quamquam non sine plurium malorum accessione; &, quod caput est, vitam æternam. Multos enim qui primi erant, futuros esse novissimos, & novissimos primos (12).

Parabola Operariorum, qui in vineam mittuntur.

Ea occasione parabolam narravit. Regnum Cœlorum, ait, simile est Patrifamilias, qui primo mane operarios in vineam misit, pacta cum illis mercede denarii pro opere diurno. Misit subinde novos & novos, tertia, sexta, nona, ac tandem undecima hora. Sub vesperam accitis operariis, solvi singulis æqualem mercedem jussit; quod cum iniquum videretur operariis primo mane conductis, majori enim præmio digni videbantur ii, qui diei pondus & æstus tulerant, quam alii qui una tantum hora laboraverant; ea de re cum Domino questi sunt. Sed ille, nulla a se affectos injuria dixit, convenisse enim secum de mercede. *Ita*, ait Christus, *erunt novissimi primi, & primi novissimi* (13).

Lazari resurrectio.

Veniens tandem Jesus Bethaniam, Lazarum quartum ante diem sepulturæ mandatum audivit. Jesum advenisse, nunciatum est duabus defuncti sororibus, Marthæ & Mariæ; cum magnus Jerosolymis concursus ad eas fieret, levandi doloris gratia de interitu fratris. Vix id comperit Martha, surgens in occursum venientis processit, atque inter primas salutationes testata est, minime obiturum fuisse Lazarum, si opportunius ille venisset. Jesu fratrem in vitam rediturum esse pollicente, *Scio*, ait Martha, *resurrecturum in novissimo die*. Et Iesus statim se resurrectionem esse & vitam dixit; *& qui*, ait, *crediderit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & qui vivit & credit in me, non morietur in æternum*; rogavitque deinde Martham, utrum ista crederet. Affirmavit illa, sancte testata; *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi*; statimque Mariam sororem de adventu novi hospitis admonuit. Advolavit illico Maria, & ante pedes Magistri procumbens lacrymansque ob fratris mortem idem quod prius Martha, professa est. Ingemuit una & frequens illa comitum turba, quæ mœstas sorores prosequebatur. Horum misertus Iesus, infremuit spiritu; deinde rogavit, ubi Lazarum posuissent. Ad locum deductus, primo recludi sepulcrum imperavit; deinde actis Deo gratiis, quod precibus suis annuisset propitius, clamavit: *Lazare veni foras*: quibus ille vocibus excitus, linteis adhuc & sudariis obvolutus processit. Solvi, & liberum hominem relinqui Iesus jussit (14).

Pharisæi necem Iesu Christi decernunt.

Tanti prodigii testis frequentissima Iudæorum turba, pars quidem in Iesum credidit, pars vero rei nuncia ad Sacerdotes & Pharisæos venit,

Qua-

[5] Joan. x. 23. 34. [6] Joan. x. 34. 39. [7] Joan. x. 40. 42. [8] Joan. xi. 1. 6.
[9] Matth. xix. 13. 15. Marc. x. 13. 16. Luc. xviii. 15. 17. [10] Joan. xi. 7. 18. [11] Matth. xix. 16. 26. Marc. x. 17. 27. Luc. xviii. 18. 28. [12] Matth. xix. 27. 30. Marc. x. 28. 31. Luc. xviii. 18. 28. [13] Matth. xx. 1. 16. [14] Joan. xi. 17. 45.

Quare illi nimium populi studium in Iesum, simulque ne Romanorum furor in Templum totamque gentem provocaretur metuentes, de rei summa deliberaturi consilium inierunt. Caiphas, penes quem summa erat ejus anni Sacerdotalis dignitas, sententiam protulit, pronuncians, oportere unius hominis nece saluti totius gentis consuli. Quæ ab illo vatidico spiritu dicta fuisse constat; mortem enim Iesu Christi salus quærenda erat non Iudæis modo, sed Dei filiis universis. Communi igitur consilio Iesu Christi mors a Sacerdotibus & Pharisæis decreta est; sed ille eorum congressum fugiens, in Ephrem, urbem loco ab hominum frequentia remotam, secessit, ibique commoratus est usque ad feriam tertiam, xxav. Martii, & iv. Nisan (15).

Iesus ad Festum Paschatis celebrandum Ierosolymam venit.

Aliquot ante Festum Paschatis diebus, cum Judæorum plures e regione Ephrem vicina Jerosolymam venirent, venit una & Jesus (16), prætermisso nunquam in itinere instituendi populi munere, omnibus illius eruditionem mirantibus (17). Seorsim autem vocatis Discipulis exposuit, quæ sibi imminerent Jerosolymis mala: sese Sacerdotum fraude capiendum esse, damnandum, injuriis omnibus afficiendum, despuendum, flagris cædendum, ac denique morte plectendum; eaque toleratu, tertia die ad vitam esse rediturum. Hæc narrans, ænigmata latensque mysterium loqui Apostolis videbatur (18).

Mater Filiorum Zebedæi filiis suis aliquid petit.

Secundum hæc, Mater Filiorum Zebedæi una cum filiis Jesum conveniens, & ante illius pedes procumbens, duo honestissima in Regno ipsius loca utrique filio postulavit. Cui Jesus: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismo, qua ego baptizor, baptizari?* Omnia spondentibus illis, ait Jesus: *Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Hæc duorum fratrum postulata minus æque tulerunt Apostoli; sed Jesus accitos ad se omnes ita affatus est: *Principes gentium in illis dominantur; non ita erit inter vos; sed qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis* (19).

Cæcus prope Iericbuntem curatur.

Accedente ad Jerichuntem Jesu, cæcus juxta viam mendicans, & transeuntis turbæ strepitu quid rei esset certior factus, clamans, ut sui misereretur, etiam atque etiam rogabat. Accitum igitur virum idem Jesus merito fidei suæ statim valetudine donavit (20).

Zacchæus ad Dominum convertitur.

Cum igitur Iericbuntem ingressus per viam transiret, Zacchæus Princeps Publicanorum, vir locuples, qui magno ac diuturno videndi Iesum desiderio tenebatur, in sycomorum ascendens (erat enim statura pusillus) venientem speculabatur. Iesus eo succedens, descendere actutum jussit, significans, velle se ea die apud ipsum morari. Eo dignatus honore Zacchæus, illum cæterosque comites lætus excepit: quæ res variis populi de Iesu sermonibus, tamquam ad domum peccatoris diverterit, occasionem præbuit. Sed Zacchæus tantum hospitem sibi gratulatus, ita Dominum affatus est: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Tunc Jesus: *Hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Veni quærere, & salvum facere, quod perierat* (21).

Parabola Regis, qui longinquum quoddam Regnum postulaturus, proficiscitur.

Narravit ea occasione parabolam Regis, qui ad postulandum in remota quadam regione Regnum iret suscepturus, decem mnas totidem servis singulis singulas distribuens, jussit pecuniam negotiationi exponere, ut redux auctam reciperet. Minus ille a subditis amabatur: quare vix e suis finibus egresso per nuncios significavere, nolle se deinceps ejus imperio subesse. Verum ille obtento Regno, quod postulabat, accitos servos de pecunia requisivit. Primus decem mnas pro ea, quam acceperat, rependit; ac præmii loco a Rege decem Urbium præfectura donatus est. Secundus quinque mnas afferens, totidem urbibus præfuit. Venit tandem alius, qui unicam illam mnam in crumena sedulo servatam restituit, dictitans, metuere se durum, sævum avarumque Regis ingenium, metentis ubi non seminaverat, atque id exigentis, quod nunquam posuerat. Gravi supercilio miserum intuitus Rex, Tua, inquit, confessione damnaris: statimque ablatam ab illo pecuniam ad alium, qui decem habebat mnas, divertit, addens: *Omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Perduelles autem illos, qui suum jugum excusserant, coram se raptos trucidari jussit (22).

Egressus Jerichunte duos cæcos sanat. Feria sexta 7. Nisan, 17. Martii.

Jerichunte egressus, Jerosolymam iter instituturus, duos cæcos magnis vocibus sanitatem postulantes offendit, quorum alter filius erat Timæi, vir in tota regione notissimus. Accitos illos ad se, rogatosque quid vellent, visum postulantes, voti compotes fecit (23).

Die Sabbathi, 8. Nisan, 28. Martii.

Sabbatho statim ante Paschalem solemnitatem labente, diu quæsitus Jesus, nuspiam apparuit; quamquam venisse illum ad festum habentes exploratum, alter alterum de illo sciscitabantur. Jusserant enim Pharisæi & Sacerdotes, siquidem alicubi proderetur, illum capi (24).

Die Dominica, 6. Nisan, 29. Martii. Jesus apud Simonem Leprosum cœnat, & Maria unguenti vase ejus pedes perfundit.

Sexta die ante Pascha apud Simonem Leprosum Jesus discumbebat, cœnantique ministravit Martha, & Lazarus inter convivas erat. Cœnantibus illis, Maria, soror Marthæ & Lazari, unguenti nardi vas super pedes Jesus effudit, itosque coma capitis abstersit. Tantam pretiosi unguenti profusionem damnavit Judas proditor, dictitans, melius impendi potuisse, si trecentis denariis væniret, collectaque ea summa in pauperes erogaretur. Sed Jesus Mariæ factum defendens, dixit, eo unguento corpus illam suum in sepulcro curandum prævenisse; totamque eam historiam palam toto orbe, quo venturum erat Evangelium, promulgandam. Plures Jerosolymis Bethaniam ea occasione venerunt, non Jesu tantum, sed & Lazari videndi causa (25). Interea Sacerdotes famam prodigiorum ipsius, ac præsertim resurrectionis Lazari ægre ferentes, Jesu & Lazari necem decreverunt (26).

Feria secunda, 10. Nisan, 30. Martii. Triumphantis habitu Jerosolymam ingreditur.

Mane alterius diei, Bethania egressus, Jerosolymam versus, processit; & cum ad Bethphagen jam accessisset, duos e Discipulis ad proximum pagum misit, quibus futurum nunciavit, ut nb-

[15] Joan. xi. 45. 54.
[16] Joan. xi. 55.
[17] Marc. x. 32.
[18] Matth. xx. 17. 19. Marc. x. 32. 34. Luc. xviii. 31. 34.
[19] Matth. xx. 20. 28. Marc. x. 35. 45.
[20] Luc. xviii. 35. 41.
[21] Luc. xix. 1. 10.
[22] Luc. xix. 11. 28.
[23] Matth. xx. 29. 34. Marc. x. 46. 52.
[24] Joan. xi. 56. 57.
[25] Joan. xii. 1. 9.
[26] Matth. xxvi. 6. 13. Marc. xiv. 3. 9. Joan. xii. 10. 11.

obviam haberent asinam cum pullo, cui nemo adhuc insedisset. Hanc autem jussit adducere, & si quid a quoquam interrogarentur, dicerent, ea indigere Magistrum. Euntes igitur illi asinam cum pullo adduxere; quo pullo, Discipulorum vestibus instrato, vectus Jesus, eo apparatu iter prosecutus est. Acclamabant interim eunti turbæ, sternentesque vestibus suis vias, triumphum ipsius celebrabant. Erant pariter, qui cæsis arborum ramis easdem vias ornarent, magnis interim vocibus clamantes: *Hosanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis*. Pharisæi, qui venientem opperiebantur, monuerunt illum, ut turbarum clamores coerceret. Negavit Jesus, sese id facturum, cum vel tacentibus illis, lapides ipsi plausus ingeminaturi essent (27).

Jesus Jerosolymam prospiciens, gemit.

Urbi jam proximus, oculis ad illam sublatis, ingemuit, hæc simul cum lacrymis fundens: *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosternent te, nec relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ* (28).

Delato adventus Christi Jerosolymam nuncio, procurrentes obviam turbæ, palmarum ramis faustisque vocibus clamabant: *Hosanna: Benedictus Rex Israel, qui venit in nomine Domini* (29).

Jesus in Templum veniens, negotiatores pellit.

Inter medios clamantis populi plausus in Urbem exceptus, ad Templum se contulit, unde negotiatores omnes ementes vendentesque depulit, nummulariorum evertit mensas, & cathedras pariter vendentium columbas, addens: *Scriptum est: Domus mea Domus orationis est; & vos fecistis illam speluncam latronum*. Tum omnes, quos ibi invenit, cæcos claudosque, sanos jussit abire, & Scribis ac Sacerdotibus, puerorum clamoribus *Hosanna filio David* ingeminantium, offensis, monentibusque ut silentium indiceret, hæc reposuit: *Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem* (30).

Homines alieno genere, videndi Jesum desiderio tenentur.

Græcorum nonnulli, alterius a Judæis generis, qui occasione Festis Paschalis Dominum adoraturi venerant, S. Philippum Apostolum convenientes, videndi Jesum copiam sibi fieri postularunt. Ille ad ipsum Jesum retulit: qui venisse jam horam dixit, qua Patris sui gloriæ consuleretur; granum frumenti germen non emittere, nisi terræ creditum mortuum fuerit; eum qui nimio vitæ suæ amore teneretur, illam amissurum; at qui illam odio in hoc mundo prosequeretur, tota æternitate servaturum. *Si quis mihi ministrat*, adjecit, *me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit*. Secundum hæc, subito conturbatus, Patrem, ut suæ gloriæ consuleret, obsecravit: statimque facta est de Cœlo vox: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Ad inopinæ vocis sonum hæserunt qui adstabant, atque attonitis similes, alii tonitrui strepitum se audisse, alii vocem Angeli loquentis testabantur. Tunc Jesus: *Non propter me vox venit, sed propter vos. Nunc judicium est Mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Quorum verborum ambagibus genus mortis suæ designabat. Adjecit: *Adhuc modicum lumen in vobis est;* monuitque, ut quamdiu lux fulgebat, properarent, ne tenebris occuparentur (31).

Jesus lumen est Mundi.

Post hæc dicta, abscondit se Jesus a Judæis, qui tot visis prodigiis nunquam tamen in animum induxerant, ut ipsi crederent. Quamquam non infrequens erat Principum populi numerus, quibus ipse persuaserat, at se prodere in publicum metu Pharisæorum non audebat. Tandem e latebris suis prodiens Jesus, elata voce clamavit: *Qui credit in me, credit in eum qui misit me; & qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem. Qui accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor* (32).

Initum consilium perdendi Jesum Principes Sacerdotum & Optimates populi ne executioni mandarent, nimium populi in illum studium prohibebat (33).

Feria tertia, 11. Nisan, 31. Martii. Diræ in ficulneam sterilem.

Subeunte vespere, recepit se Jesus una cum Discipulis suis Bethaniam, & mane alterius diei Jerosolymam repetens, cum cibo indigeret, ad ficulneam, foliis quidem fœcundissimam, sed fructibus sterilem, venit. Frustra excussæ, cum immaturum esset ferendis fructibus tempus, maledixit; statimque ejus vim sentiens arbor exaruit (34).

Negotiatores iterum Templo ejecit.

Venit iterum in Templum, iterumque in negotiatores incidens, eorum tabulis mensisque eversis, omnes ejecit. Opportunum præstolabantur tempus illius capiendi Sacerdotes; sed populi ad ejus sermonem obstupescentis studium illos coercebat. Inclinante in vesperam die, Bethaniam rediit (35).

Feria quarta, 12. Nisan, 1. Aprilis. Vis fidei mira.

Redeunte die, rediit & Jesus una cum Discipulis Jerosolymam, & cum secum viam aridam ficulneam illam, de qua supra, intuerentur, dixit Jesus Discipulis, hæc & majora eos præstituros, & nutu montes in mare translaturos, siquidem fidem haberent. Adjecit: *Amen dico vobis: omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut Pater vester, qui in Cœlis est, dimittat vobis peccata vestra: quod si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis* (36).

Baptisma Joannis unde, e Cœlone, an e terra.

Cum pro more ad Templum venisset, interrogavere Jesum quidam ex Pharisæis & Optimatibus, qua hæc auctoritate ageret? Interrogavit vicissim illos Jesus, unde nam Baptisma Joannis, e Cœlone, an ex hominibus? Vim ejus quæstionis intelligentes Sacerdotes, quippe qui si e Cœlo fuisse responderent, a Christo urgerentur, cur igitur Joanni non credidissent; si vero ex hominibus, adversarium haberent populum; optimum factu censuerunt, si nescire se responderent. Tunc Jesus: *Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio* (37).

Parabola duorum Filiorum, qui ambo ad colendam vineam missi, alter quidem vadit, non alter.

Parabolam illis proposuit Jesus duorum filiorum, quos ambos pater in vineam misit. Primus ire recusavit, ivit tamen, alter vero se iturum spondens, reapse tamen paternis mandatis non paruit. Quæsivit autem, uter paternæ voluntati morem gesserit. Respondentibus illis, filium, qui ad vineam se contulit; iterum Jesus; *Publicani & meretri-*

[27] Matth. xxi. 1. 9. Marc. xi. 1. 10. Luc. xix. 29. 40. [28] Luc. xix. 39. 44. [29] Joan. xii. 12. 19. [30] Matth. xxi. 10. 15. Marc. xi. 11. Luc. xix. 45. 46. [31] Joan. xii. 20. 34. [32] Joan. xii. 37. 50. [33] Luc. xix. 47. 48. [34] Matth. xxi. 18. 19. Marc. xi. 12. 13. 14. [35] Marc. xi. 15. 19. [36] Matth. xxi. 20. 22. Marc. xi. 20. 26. [37] Matth. xxi. 24. 29. Marc. xi. 29. 33. Luc. xx. 2. 7.

retrices præcedent vos in Regnum Dei. Venit ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei; publicani autem & meretrices crediderunt ei (38).

Aliam subtexuit parabolam Patris familias, qui vineam suam locavit agricolis, exigendisque ab illis opportuno tempore fructibus servos suos misit. Sed captos agricolæ, atque injuriis affectos, depulerunt alios, alios occiderunt. Ratus proinde dominus, ad officium filii sui præsentia nequissimos agricolas cogendos fore, eo filium misit. Sed vix prospectu, agricolæ mutuis sese sermonibus hortabantur, ut illata in illum nece, tota hæreditate potirentur. Vix igitur venit, captus & extra possessionem raptus, misere occisus est. Quid, rogo, parricidis istis fiet, cum ultionem exacturus dominus veniet? Respondit quidam ex præsentibus, fore, ut omnes trucidarentur, atque vinea aliis locaretur. Sed probe intelligentes Sacerdotes & Pharisæi, vim sermonis Jesu Christi ad ipsos converti, reposuerunt: Absit; statimque Jesus: *Quid est ergo hoc quod scriptum est? Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus; & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.* Hæc omnia sine ambagibus de se dicta probe norant Principes Sacerdotum, omnemque opportunitatem quærebant, ut illum caperent, sed metu populi, ceu Prophetam illum verentis, continebantur (39).

Parabola nuptiarum filii Regis, ad quas vocati convivæ recusant.

Hanc narrare parabolam aggressus est. Regnum Cœlorum simile est Regi, qui ad paratas filii sui nuptias multos vocavit; sed illi omnes recusarunt. Quare alios servos pariter ad illos misit, eadem rogans, sed vocati, pervicacius adhuc resistentes, alii quidem varias causationes prætexuerunt, alii servos affecerunt injuria, quin & occiderunt nonnullos. His offensus Rex juravit fore, ut nemo ex vocatis cœnam suam gustaret; missisque statim ad capita viarum servis, obvios quoscumque vocavit ad Cœnam. Cum omnes accumberent, ingressus Rex, hominem non vestitum veste nuptiali intuitus, capi illum jussit, atque manibus pedibusque ligatis, in viam inter tenebrosus noctis horrores projici. Ita vero narrationem clausit Jesus: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (1).

Pharisæi & Herodiani capere Jesum in sermone tentant.

Secedentes a Jesu Pharisæi, capere virum in sermone meditati sunt; quare submissis Discipulis suis una cum Herodianis interrogarunt, utrum vectigal Cæsari pendere fas esset. Callidas eorum artes probe intelligens Jesus, exhiberi sibi numisma census jussit; rogansque, cujus illud imaginem & inscriptionem preferret; auditoque Cæsaris esse, ita sententiam tulit: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo* (2).

Saducæi repulsi.

Eadem die venerunt Saducæi, genus hominum nullam esse dictitans resurrectionem Mortuorum, immortalitatem animæ, nullosque dari Spiritus; rogaruntque tentandi hominis gratia, fœmina, quæ septem viris alteri post alterum nupsit, in resurrectione ullius ne, & cujus nam futura sit. Quibus Jesus, ignorare illos Scripturas æque & Dei potentiam, dixit. Nam in resurrectione nulla, ait, futura sunt connubia, *sed erunt omnes sicut Angeli Dei*. Quod autem, adjecit, ad resurrectionem a vobis negatam spectat, non legistis, Deum e rubo ardente ad Moysem verba facientem se ipsum appellasse Deum Abrahami, Deum Isaaci, Deum Jacobi? *Non est autem mortuorum Deus, sed viventium*; vivunt ergo Patriarchæ. Eo responso perculsi Saducæi, deinceps tentare virum ausi non sunt (3).

Quod maximum in Lege mandatum.

His secedentibus, tentaturi venerunt Legis consultissimi viri, quærentes quodnam maximum esse diceret in tota Lege præceptum. Jesus præceptum amoris Dei primas tenere indicavit; secundum locum deberi præcepto amoris proximi. *In his duobus mandatis*, ait, *tota Lex pendet & Prophetæ*. Responsum Magistri Legis peritus probavit; cui Jesus: *Non es longe a Regno Dei* (4).

Cujus filius Christus.

Nemo exinde Jesum quæstionibus tentare audebat; sed ille, pluribus propositis, ipsos torquebat. Interrogavit, quid de Christo crederent, cujus filium arbitrarentur. Illis nihil cunctantibus, & e Davide proditurum respondentibus; cur ergo, ait Jesus, David in Spiritu Dominum suum illum appellat, dicens: *Dixit Dominus Domino meo*? Si Filius Davidis, quomodo ejusdem Regis Dominus? Siluerunt Judæi coacti, & deinde ne convenirent quidem virum, se continebant (5).

Scribæ & Pharisæi in Moysis cathedra sedent.

Converso tunc Jesus ad populum & Apostolos sermone, dixit, Scribas & Pharisæos Moysis quidem cathedram occupare; audirent proinde docentium verba, sed ab exemplis abstinerent; cum grandia illi onera eorum humeris imponerent, quæ ipsi vel unico digito tollere recusarent; atque id unice spectarent, ut eximii in populo viderentur, prima occuparent subsellia, & ambitioso magistrorum titulo superbirent. Idcirco, ait, ampliores in vestibus suis ansas & fimbrias trahunt, ut a cæteris secernantur. Vos igitur ne vana hæc & ambitiosa quæratis; *sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: qui enim se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur* (6).

Pharisæos arguit.

Pergens acriter arguere Pharisæus, vitio illis vertit I. Quod Cœlum aliis ita clauderent, ut ne sibi quidem aperirent. II. Quod proventus viduarum vorarent, sub affectato prolixarum orationum obtentu. III. Quod terras & maria excurrerent, ut Proselytum unum facerent, quem deinde plus multo nequiorem, quam antea, redderent. IV. Quod duces essent cæci, populos erroneis Legis interpretationibus fallentes, uti, e. g. cum docerent, sacramento obligari illum, qui pro auro Templi, & munere, quod in Altari offertur, fidem suam adstrinxisset; at jurantes pro Altari & Templo nulla jurisjurandi religione teneri; quasi non major esset Altaris & Templi, quam victimarum & auri religio (7).

Hypocrisis Pharisæorum.

Exprobravit pariter, decimas menthæ & rutæ hortorum suorum religiose ab illis offerri; Legis vero necessaria negligi, justitiam, misericordiam, fidem; excolare illos culicem, camelum autem glutire; exteriora calicis mundare, *intus autem*, ait, *pleni estis rapina & immunditia; ædificantis sepulchra Prophetarum, & dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum*. Interim *impletis mensuram Patrum vestrorum*, cum missos a Deo sanctissimos viros impie occiditis, adeo ut *veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & Altare. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt! Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gal-*

(38) Matth. xxi. 28. 32. (39) Matth. xxi. 33. 46. Marc. xii. 1. 12. Luc. xx. 9. 19.
(1) Matth. xxii. 1. 14. (2) Matth. xxii. 14. 22. Marc. xii. 12. 17. Luc. xx. 22. 26. (3) Matth. xxii. 23. 33. Marc. xii. 18. 27. Luc. xx. 27. 39. (4) Matth. xxii. 34. 40. Marc. xii. 28. 34. (5) Matth. xxii. 41. 46. Marc. xii. 35. 37. Luc. xx. 41. 44. (6) Matth. xxiii. 1. 13. Marc. xii. 38. Luc. xx. 45. 46.
(7) Matth. xxiii. 13. 23. Marc. xii. 40.

gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Converso deinde ad populum sermone, *Non me videbitis*, inquit, *amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini* (8).

Gazophylacium, collatæ a Fidelibus pecuniæ, & muneribus excipiendis destinatum.

Sedens Jesus e regione Gazophylacii, viros plures locupletes ingentem pecuniæ summam conferentes animadvertit, cum mulier quædam vidua & inops non nisi duo minuta, nempe quartam sicli partem, obtulisset. Accitos ergo Discipulos ita affatus est: Vidua hæc inops plurimum omnium contulit. Omnes enim ex eo quod abundabat obtulerunt; hæc vero de penuria sua omnia, quæ habebat, largita est (9).

Templi magnifici ædificium. Excidii illius imminentis vaticinium.

Sub vesperam, exeunti e Templo Jesu sumptuosam illius ædificii structuram, munerum divitias, & lapidum, quibus constabat, immanitatem indicarunt. Quibus Jesus futurum tandem prædixit, ut tota ea moles adeo everteretur, ut ne lapidis quidem lapidi incumbens maneret. Cum autem ad clivum Montis Olivarum, unde in Templum prospectus est, pervenisset, sedit; rogantibusque Discipulis, quando oraculum illud de eversione Templi implendum foret, & quod de oraculi illius fide signum daret, hæc reposuit (10):

Plures Pseudochristi & Pseudoprophetæ.

Cavete nequis vos fallat; plures enim meo nomine venientes sub obtentu Christi incautos decipient. Undique autem obstrepent bellorum, præliorum, & seditionum rumores. Quæ omnia non finis erunt malorum, sed initium & crepundia. Gens in gentem committentur, sævient pestes, fames, terræmotus, & data cœlitus terrendis hominibus signa; quæ omnia futuræ calamitatis præsagia erunt. Ante hæc, injectis in vos manibus rapient ad Judices, coram suis cœtibus sistent, ut palam nomen meum fateamini. Bono tamen animo vos esse inter hæc mala jubeo, neque sollicitos de paranda vobis defensione cogitare; ego enim tantam vobis sapientiam & eloquentiam suppeditabo, ut stare contra vos hostes nequaquam possint; *neque enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis*. Hostium vestrorum numerum augebunt necessarii & amicorum charissimi, totiusque orbis in vos mei gratia invidiam creabitis; ab omnibus prodemini; ac tandem nece vestra odium suum illi explebunt. Surgent pariter plures falsi fratres, & falsi prophetæ, *sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*. Ante harum rerum exitum, Evangelium longe lateque per orbem nunciabitur (11).

Cum Jerosolyma obsidione premetur, fugite ad montes.

Loqui pergens, ait: Cum hostium corona cinctam Jerosolymam videritis, atque abominationem desolationis, prædictam a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, tunc imminere Urbis excidium reputate. Quare si quis in Judæa tum temporis versabitur, ad montes statim fugiat; qui super tecta, fuga se proripiat, ne dato quidem ingrediendi domum, ut charum aliquid secum auferat, tempore; qui in agris, neglecta urbe, cum iis, quibus amicitur, vestibus fugiat. Urget enim dies ultionis: *Væ nutrientibus & prægnantibus, illis diebus! Orate autem, ne fiat fuga vestra in hyeme vel Sabbatho* (non enim satis prompta esset eo tempore fuga). *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi propter electos, non fieret salva omnis caro*. Adjecit, multos tunc deceptores, Christi & Prophetæ nomen prætexentes, prodigiorum fulgore ita oculos mortalium perstricturos, ut vel electos ipsos fallere possent; adventum autem Filii Dei veluti fulgur, qua late patet Judæorum gens, futurum (12).

Signa in Sole & Luna.

Hæc omnia consequentur signa in sole pariter & astris edita, quæ omnium gentium luctus & consternatio excipiet, utpote imminens grande aliquod malum expectantium. Flebunt vicem suam omnes terrarum homines, cum signum Filii hominis subito inter nubes micabit, atque ipse tandem nube vectus, & Angelorum satellitio stipatus, parebit; quorum Angelorum ministerio e quatuor Cœli angulis electi cogentur. *Cum videritis hæc omnia*, ait, *levate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra*. Imminentis æstatis omen ex arbore fici gemmantis capitis: ita pariter ex his omnibus de adventu Regni Cœlorum certum vos capere argumentum licet. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* (13).

Sic erit adventus Filii hominis, quemadmodum diluvium ætate Noemi.

Ita plane Filius hominis venturus est, quemadmodum olim ætate Noemi diluvium. Inter comessationes lætaque connubia diem fallebant mortales, cum obruta subito aquarum imbribus terra, omnes mersi sunt. Ita plane erit & adventus Filii hominis. *Tunc duo erunt in agro; unus assumetur & unus relinquetur. Duæ molentes in mola; una assumetur, & una relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*. Ita vos exhibete, quemadmodum vigil servus, qui adventum Domini sui, incertus qua hora, nunquam non opperitur. *Si sciret Paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia, qua nescitis hora, Filius hominis venturus est* (14).

Parabola duorum servorum, quorum alter fidelis, alter infidelis.

Adjecit parabolam famuli, qui a Domino distribuendæ in reliquos conservos annonæ præpositus, munus suum integra adeo implevit fide, ut ejus merito universæ domus Oeconomus constitutus fuerit. Si vero idem servus, concessa sibi potestate abusus, conservos injuriis & verberibus afficiat, comessationibus, & ebrietate tempus fallat; inopinus veniens dominus illum pro merito, ait Christus, multabit, detrudet in carcerem, & infidelitatis atque impudentiæ pœnas exiget acerbissimas (15).

Parabola decem Virginum.

Attexuit alias parabolas, ad idem propositum collimantes, uti decem Virginum, quarum quinque sapientes, stultæ totidem; illæ instructis lampadibus oleo sponsum opperiuntur; istæ omnia negligunt. Veniente sponso, quo tempore sopor omnes tenebat, sapientes excusso statim somno lampades suas facile aptarunt; stultæ postulato a sociis oleo, nec obtento, ad emendum excurrerunt. Venit inter hæc Sponsus, *& quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*, cæteris exclusis. *Vigilate itaque*, ait Jesus, *quia nescitis diem neque horam* (16).

Parabola Patrisfamilias, talenta in servos distribuentis.

Narravit pariter de homine, qui iter initurus, pecuniam divisit in servos, negotiationis agendæ gratia. Dedit uni quinque talenta, alteri duo, tertio unum. Cum rediisset, & rationem e servis exigeret, is, cui quinque talenta crediderat,

(8) Matth. xxiii. 37. 38. (9) Marc. xii. 41. 44. Luc. xxi. 1. 4. (10) Matth. xxiv. 1. 3. Marc. xiii. 1. 4. Luc. xxi. 5. 7. (11) Matth. xxiv. 5. 14. Marc. xiii. 6. 13. Luc. xxi. 8. 19. (12) Matth. xxiv. 15. 27. Marc. xiii. 14. 23. Luc. xxi. 20. 24. (13) Matth. xxiv. 28. 32. Marc. xiii. 24. 32. Luc. xxi. 25. 34 (14) Matth. xxiv. 38. 44. Marc. xiii. 33. 37. (15) Matth. xxiv. 42. 51. (16) Matth. xxv. 5. 13.

bis totidem tulit; qui duo, quatuor rependit; quare laudatos utrosque ad instructum a se convivium admisit. Venit tertius, qui datum sibi talentum restituit, dicens, defossum humi sedulo custodisse se, ne s quoquam pecunia raperetur; nosse enim rem sibi esse cum domino duro pariter & sævo, cujus pecuniam discrimini exponere periculosum esse arbitraretur. Iratus herus, auferri ab eo talentum, & dari alteri, qui decem rependerat, eumque domo ejici jussit (17).

Judicium Filii Dei describitur.

Venturus ad hominum judicium Filius Dei, ait, Angelorum satellitio stipatus descendet, atque in solio gloriæ suæ sedens, oves ad dexteram, hædos statuet ad finistram. Horum primos ad gloriam Regni sui vocabit, illos mittet in ignem æternum, *qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*. Porro Electis suis laudi dabit, quod esuriens, sitiens, in malis versans, ipse solatium apud illos & levamen invenerit; *quod enim*, inquit, *uni ex minimis meis fecistis*, *mihi fecistis*. Reprobis crimini vertet, quod inops, & fame sitique laborans duros illos atque immisericordes nactus sit; sibi enim factum putare, quidquid minimis suis mali rependissent (18).

Jesus Christus mortem suam & passionem Discipulis praenunciat.

Versa deinde ad Apostolos oratione, monuit futurum, ut Paschate post biduum celebrando Filius hominis in manus hostium traditus, crucis supplicio tandem perimeretur (19). Inter hæc, deliberabant Principes Sacerdotum, qua ratione Christum tenere possent; in quam tem minus opportunum tempus diem festum, nequid seditionis in populo excitetur, censebant (20). Dum hæc agitabantur consilia, Judas, unus ex duodecim Apostolis, cum iniquo esset in Jesum animo, Sacerdotes conveniens, pacta mercede, proditurum se ipsis Magistrum spopondit. Oderat Magistrum Apostolus, quod sese de profusione unguenti pretiosi in pedes Jesu effusi obloquentem, Præceptor ipse reprehendisset. Proditionem igitur aggressus Judas, opportunitatem præstolabatur, qua solum, & a turbarum concursu remotum Jesum nactus, Judæis illum traderet (21).

Feria quinta 13. Nisan 2. Aprilis. Festi Paschalis præparatio.

Feria quinta (22) contulit se Jesus ad montem Olivarum, sive Bethaniam, nec nisi inclinante jam die Jerosolymam contendit. Cum vero nullam ibi certam haberet domum, a Discipulis rogatur, quodnam cœnaculum celebrando Paschali convivio seligeret. Jussit ille Petrum & Joannem ire ad Urbem, & quem primum offenderent hominem, lagenam aquæ portantem, sequi; deducendos ab illo in cœnaculum stratum, in quo nihil eorum, quæ ad Pascha desiderantur, defuturum scirent. Venerunt illi, factaque fermenti perquisitione de more, cœnam pararunt. Inclinante autem die, ad montem Olivarum regressi, præstita a se omnia Magistro retulerunt (23).

Novissima cœna Jesu Christi Jerosolymis, Feria quinta sub vesperum 13. Nisan, quo tempore incipiebant dies 14. ejusdem mensis 3. Aprilis.

Sub vesperam ingressus in Urbem Jesus, ad paratum ab Apostolis cœnaculum Paschali convivio celebrando se contulit. Discumbentibus omnibus, palam edixit, ex ipsorum numero unum proditionem in se moliri. Attonitis similes Apostoli, pro se singuli rogabant, num de se diceret. Siluit Jesus, id tantum addens, unum ex duodecim, eidem adhibitum convivio, nefarium illud crimen meditari; oportere autem ire se, ut Scripturarum fides impleretur; sed væ infandæ proditionis authori! Simul Judas, num de se loqueretur, interrogavit; & Jesus submissa forte voce, cum Apostoli cæteris nihil intellexerint: *Tu dixisti* (24).

Eucharistiæ institutio.

Inter vescendum, significavit Jesus, se magno semper desiderio flagrasse Pascha illud cum Discipulis celebrandi; postremum enim illud esse, quod cum illis celebraret, convivium. Simulque calicem accipiens, dixit, se nusquam de eo fructu vitis gustaturum, donec novum biberet in Regno Dei; actisque gratiis, gustare jussit ex illo omnes singillatim (25). Accepto pane, benedixit, fregit, atque convivis distribuit, dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Ita & benedicens prius poculo, gustandum tradidit, suum esse sanguinem dicens, pro humani generis salute effundendum. Tum adjecit: *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*; tum & illud iterum testatus, se nihil cibi potusve amplius gustaturum, donec in Regnum suum veniret (26). Ad Petrum autem conversus, significavit (27): *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Apostoli de prima inter se dignitate disceptant.

Disceptabant Apostoli, quis eorum dignissimus haberetur; quibus Jesus: *Reges terræ*, ait, *dominantur eorum; vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor. Vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis; ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim Tribus Israel* (28).

Pedes Apostolis lavantur.

Post cœnam, Jesus insigne humilitatis & amoris erga Apostolos argumentum relicturus, surgens a mensa, positisque vestibus, & linteo cinctus, lavandos suscepit singulorum pedes, & linteo, quo cingebatur, abstergere. Ad Petrum cum venisset, recusavit ille pedes ad lavandum exhibere, nunquam se id commissurum dicens, ut lavari se a Magistro sineret. Cui Jesus: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Protulit illico pedes Apostolus, oblaturum se pariter & caput testatus. Lotione peracta, Jesus vestibus iterum sumptis, id a se præstitum dixit, ut insigne exemplum imitarentur; si enim Magister pedes illorum lavisset, lavare se invicem ipsi pariter debebant (29).

Jesus Judam proditorem designat.

Tunc animo turbatus, Apostolis significavit futurum, ut ipse ab eorum uno proderetur; quibus verbis iterum commotis Discipulorum animis, Petrus innuit Joanni, cujus caput prope Jesu pectus erat, ut proditorem ab eo sciscitaretur. Jesus igitur panis frustum in jure tingens, Judæ præbuit, illum proditorem esse Joanni significans. Statim vero Judas, malo Spiritu, quo illius animus occupabatur, agitatus, e mensa domoque sese proripiens, abiit. Abeuntem Jesus his vocibus monuit: Quod facis, fac cito. Quæ quidem verba cæteri Apostoli ita interpretati sunt, quasi moneretur, emeret ea, quibus ad præsentem solemnitatem opus erat, vel aliquam pauperibus pecuniam

(17) Matth. xxv. 14. 30. (18) Matth. xxv. 31. 46. (19) Matth. xxvi. 1. 2. Marc. xiv. 1. 2. (20) Matth. xxvi. 3. 4. 5. Marc. xiv. 1. 2. Luc. xxii. 1. 2. (21) Matth. xxvi. 14 16. Marc. xiv. 10. 11. Luc. xxii. 3. 6. (22) De hac temporis distributione vide quæ adjecimus ad calcem Dissertationis de Paschate. (23) Matth. xxvi. 17. 18. 19. Marc. xiv. 12. 16. Luc. xxii. 7. 13. (24) Matth. xxvi. 20. 25. Marc. xiv. 17. 21. (25) Luc. xxi. 15. 18. (26) Matth. xxvi. 26. 29. Marc. xiv. 22. 25. Luc. xxii. 19. 20. Confer 1. Cor. xi. 23. 25. (27) Luc. xxii. 24. 32. (28) Luc. xxii. 25. 30. (29) Joan. xiii. 1. 32.

niam largiretur; quippe qui communis marsupii custos erat (30).

Charitatis & concordiæ vinculum inter Apostolos.

Loqui pergens Jesus, dixit, non nisi modico adhuc temporis spatio se cum illis versaturum; quærendum ab illis fore, nec inveniendum. Hortatus ad mutui amoris concordiam, His, ait, notis Discipulos vos esse meos præstabitis. Interroganti Petro, quo demum esset abiturus, respondit: *Quo ego vado, tu nescis modo, scies autem postea*. Et Petrus, cur ego, ait, non possum? vel vitam pro te tradere paratus sum. Jesus ad hæc: Animam tuam pones pro me? Prædico tibi: non cantabit Gallus, donec ter neges me nosse (31).

Interrogavit deinde, num ad Evangelium nunciandum antehac a se missis, sine argento & calceis, quidquam defuerit; & cum nihil defuisse responderent, *Sed modo*, ait Jesus, *qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*. Quibus verborum ambagibus rerum omnium, qua deinde opprimendi erant, inopiam, & imminentes illis ærumnas designabat. Sed Apostoli ad verbum sermonem illius interpretati, attulerunt illico geminos gladios, num satis essent interrogantes. Sed Jesus majoris momenti aliquid ipsis nunciaturus, nil hæc curans, respondit: *Satis est*; quippe qui nosset futurum, ut post resurrectionem verborum illorum sensum assequerentur (32).

Jesus discedit, & Apostoli locum nesciunt.

Quantum sibi fidere deberent, post hæc fusius demonstrans, testatus est, se ire in domum Patris, in qua plures essent mansiones, singulas singulis paraturum. Rediturum se postea ad illos deducendos; & tunc notum illis futurum & locum, quem ipse petierit, & viam. Ad hæc Thomas: *Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* Excepit Jesus: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*. Philippus ostendi sibi Patrem, nec aliud se cæterosque poscere, obsecrabat. Cui Jesus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater in me manens, ipse facit opera. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate; & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & Mundus jam me non videt, vos autem videtis me. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Et ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* (33).

Jesus Christus manifestavit se discipulis, non Mundo.

Quæsivit Judas, sive Thadæus, cur ipse se Discipulis, non Mundo proditurus esset. Respondit Jesus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Adjecit, scientiam illis suppeditaturum Spiritum Paraclitum a Patre mittendum, ut dicta a se omnia assequantur. Dare se illis pacem, non quam solet Mundus: at ne turbarentur, neque formidarent. *Audistis*, ait, *quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, utique gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Jam non multa loquar vobiscum; venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus* (1).

Ad Montem Olivarum se confert.

E cœnaculo igitur egressus, recitato hymno actionis gratiarum de more, ad montem Olivarum se contulit (2).

Jesus vitis est, Pater agricola, Discipuli palmites.

Euntes alloquebatur Jesus, se vitem esse, cujus agricola Pater, dicens: *Omnem autem palmitem*, ait, *non ferentem fructum, tollet eum* [Pater]; *& omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si manseritis in me, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis* [fructus quem feretis, gloria Patris erit] *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea sicut & ego Patris mei præcepta servavi; & maneo in ejus dilectione. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium vestrum impleatur* (3).

Apostoli, Amici Jesu Christi.

Testatus est, nolle se deinceps servos illos dicere, cum servum consilia domini lateant, sed amicos, quibus commissa sibi a Patre secreta aperuit. Adjecit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Ait, nihil esse cur stuperent, si odium Mundi in se provocarent, cum & ipse prius ejus invidiam expertus sit. *Si de Mundo fuissent, suos amasset Mundus*; segregatos & selectos, ut sint Christi, Mundus tamquam alienos odio prosequeretur: revocarent in memoriam, id a Magistro antea fuisse prædictum; servi conditionem nihilo quam Domini meliorem esse; & si odia ipse tulisset, & illos paria toleraturus. Si sermones meos, inquit, homines servarint, & vestros servabunt. *Si non venissem*, adjecit, *& locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* (4).

Mala & ærumnas, quæ Apostolis imminent, prædicit.

Narravit quæ ipsos manerent mala, ne in errorem sive infidelitatem prolaberentur. Prænunciavit itaque, extorres e Synagogis fore; & neci traditum iri; qua in re suæ in Deum religionis specimen exhibituros se homines crederent. *Et hæc facient vobis*, inquit, *quia non noverunt Patrem neque me. Sed hæc loquutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis*. Dixit redire se ad eum, a quo missus fuerat; *nemo autem interrogat me, Quo vadis: sed tristitia implevit cor vestrum*. Scirent tamen, e re ipsorum esse, ut iret; secus enim Spiritum Paracletum super ipsos minime venturum. *Et cum venerit ille*, adjecit, *arguet mundum de peccato, de justitia & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de justitia vero, quia vado ad Patrem, & jam non videbitis me; de judicio autem, quia Princeps hujus mundi jam judicatus est* (5).

S. Spiritus Apostolos docebit.

Plura adhuc superesse dixit Christus, quæ Apostolos doceret; silere autem, quod ipsi ferre tanta non possent; Spiritum, qui venturus esset, in

D 2 om-

(30) Joan. xiii. 21. 32. (31) Joan. xiii. 33. 38. Luc. xxii. 33. 34. (32) Luc. xxii. 35. 38.
(33) Joan. xiv. 1. 21. (1) Joan. xiv. 22. 31. (2) Matth. xxvi. 30. Marc. xiv. 26. Luc. xxiii. 39.
(3) Joan. xv. 1. 13. (4) Joan. xv. 15. 23. (5) Joan. xvi. 1. 12.

omnem scientiam illos adducturum; quippe qui non ex se ipso locuturus esset, sed quæ audiret, quæque pariter ventura essent, nunciaturus. *Ille*, ait, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Ænigma audire se putabant Apostoli, secum verba illa versantes; *Modicum*, &c. Quas eorum cogitationes intelligens Jesus, prævenit, dicens: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Utiut exemplo puerperæ, quæ puerum edens, gemit, enixa vero, matrem se intelligens, gaudet. *Et vos igitur*, ait, *nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Questus est, nihil adhuc illos nomine suo n Patre postulasse; quærerent, & acciperent, ut sincero plenoque gaudio perfruerentur. Professus est, se hactenus per parabolas locutum, deinceps sine ambagibus locuturum. *Exivi a Patre*, adjecit, *& veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Loquentem interceperunt Discipuli: *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis; nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia a Deo existi.* Respondit Jesus: *Modo creditis?* (6),

Apostoli in obitu Christi turbabuntur.

Iterum disserens, prædixit Apostolis futurum, ut illa eadem nocte omnes sui causa turbarentur; venisse jam horam, qua ipsis dispersis ipse solus relinqueretur, ex fide oraculi: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam resurrexero*, ait, *præcedam vos in Galilæam. In novissimo pressuram habebitis; sed confidite: ego vici mundum.* Ad hæc Petrus ait, se minime passurum in Magistro scandalum, quamvis omnes imbecillitatis suæ argumentum ea occasione exhibituri sint. Cui Jesus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Pervicacior in sua sententia Petrus, vel mortem ipsam se pro Christo toleraturum spondebat. Paria de se Apostoli quique affirmabant (7).

Oratio Jesu Christi ad Patrem pro Apostolis.

Secundum hæc, sublatis in Cœlum oculis Jesus in hæc verba oravit: Pater, venit hora: Filii tui gloriam augeto, uti tuam auget Filius. Quos Filio tuo dedisti, illis vitam æternam largiaris rogo. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Ego gloriæ tuæ studui inter homines; quod imperasti, explevi. Tu nunc ea me gloria illustrem facito, qua apud te ante Mundi initia clarui. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Quæ te jubente illos docui, omnia tenent; noruntque me a te prodiisse, meque a te missum esse credunt. Rogavit deinde, ut quandoquidem ipse e mundo decederet, illos servaret, efficeretque, ut sint unum, ait, sicut & nos. Adjecit, se quidem, quamdiu cum illis fuit, sedulo curasse, ut servarentur; nunc vero eosdem in mundo tueri, atque a Dæmone liberare, ejus esse curæ: efficeret proinde, ut e mundo non essent, quemadmodum ipse non sunt, se enim ipsos mittere, quemadmodum ipse missus erat a Patre. Rogavit insuper, non pro ipsis tantum, sed & pro cæteris, qui verba eorum audituri erant, ut ipsi nimirum *sint unum*, ait, *sicut & nos unum sumus;* sciretque mundus Filium a Patre missum fuisse. Adjecit: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi; & hi cognoverunt, quia tu me misisti. Ego notum feci eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis* (8).

Jesus ad montem Olivarum se confert.

Secundum hæc, trajecto Cedron torrente ad Orientale latus Jerosolymæ, venit ad hortum in loco Gethsemani situm, quem & sæpe alias, & tunc etiam cum Discipulis ingressus est; quare notissimus erat Judæ proditori locus. Ibi jussis Apostolis tamdiu sistere, quamdiu preces absolveret, procedentem cum Petro, Jacobo, & Joanne continuo tristis adeo angor invasit, ut ad Discipulos conversus, *Tristis est*, dixerit, *anima mea usque ad mortem*; monensque vigiles illos excubare, ne sopitis irreperet tentatio, ad lapidis jactum secedens, prono in terram ore procumbens, orationem exorsus est, Patrem rogans, siquidem fieri posset, ut a se amarus ille calix transiret. *Verumtamen*, ait, *non mea, sed tua voluntas fiat* (9).

Continuo missus e Cœlo Angelus in solatium venit cum angore luctantis; & Jesus in mortali agone constitutus, prolixius adhuc oravit, itaut eo pariter tædio & angore sudor quidam, veluti guttæ sanguinis decurrentis in terram, exprimeretur (10).

Jesus in horto preces fundit. Apostoli dormiunt.

Absoluta oratione, rediens ad Apostolos Jesus, in somnum resolutos invenit; objurgatoque Petro, qui ne brevi quidem hora secum vigilare potuisset, surgere jussit omnes ad orationem, ne in tentationis discrimen venirent. *Spiritus quidem*, ait, *promptus est, caro autem infirma.* Iterum ad priorem orationis locum se conferens, eodem, quo prius, corporis habitu, eadem, quæ antea, Patrem rogavit. Tum iterum ad Apostolos, quos alto adeo sopore mersos nactus est, ut ne respondere quidem interroganti possent. Quare continuatas preces ad Patrem tertio instituit; tum denuo ad Apostolos, quos ita affatus est: *Dormite jam & requiescite. Surgite; ecce appropinquat qui me tradet* (11): occurramus.

Judas in hortum veniens, Jesum osculatur.

Magistri proditor Judas militum cohortem a Principibus Sacerdotum acceptam, ad hortum, non sine armorum, facium, & lanternarum apparatu; [quamquam micante Luna] secum duxit. Condixerat antea cum militibus; ut quem ipse osculo exciperet virum, hunc Jesum esse scirent, statimque captum ducerent. Accedens ergo ad Jesum, salutantis prius amplexu osculaturus excepit, hæc simul amici effatus: *Ave Rabbi.* Cui Jesus: *Amice, ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis* (12)?

Jesus verbo milites sternit.

Recepit se statim Judas ad milites, & Jesus quæ sibi imminebant noscens, obviam illis venientibus procedens, quem quærerent, interrogavit. Respondentibus, quærere se Jesum Nazarenum, *Ego sum*, ait; statimque in terram omnes dejecti sunt. Surgentes iterum, Jesus eadem interrogavit, eademque illis reponentibus, *Dixi vobis*, ait, *quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos* [Apostolos nempe] *abire* (13).

A militibus capitur.

Tunc procurrentes omnes in Jesum, ceperunt; statimque Petrus educto gladio in consertam turbam irruens, abscindit aurem Malcho Summi Sacerdotis servo. Ne ulterius sæviret, prohibuit Jesus; tangensque cæsam aurem, continuo restituit, Petro simul imperans, ut ensem vagina conderet;

(6) Joan. XVI. 12. 31. (7) Matth. XXVI. 31. 35. Marc. XIV. 27. 31. Joan. XVI. 32. 33. (8) Joan. XVII. 1. 26. (9) Matth. XXVI. 36. 39. Marc. XIV. 32. 36. Luc. XXII. 40. 42. Joan. XVIII. 1. 2.
(10) Luc. XXII. 43. 44. (11) Matth. XXVI. 40. 46. Marc. XIV. 37. 42. Luc. XXII. 45. 46.
(12) Matth. XXVI. 47. 50. Marc. XIV. 40. 45. Luc. XXII. 42. 48. (13) Joan. XVIII. 4. 9.

deret; *omnes enim*, ait, *qui gladio feriunt, gladio peribunt*. Adjecit, posse se quidem duodecim amplius legiones Angelorum a Patre in sui præsidium impetrare, nolle tamen, ut Scripturarum Oraculis sua fides constaret (14).

Versus deinde ad turbas, Sacerdotes, Scribas, & Præfectos Templi, qui cum militibus venerant, *Tamquam ad latronem*, ait, *existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Continuo Apostoli, Magistro relicto, in diversa fugerunt. Cum autem juvenis quidam amictus sindone super nudum illum sequeretur, captus a militibus, relicto illis amictu, nudus dilapsus est. Captus itaque ligatusque Jesus, adductus est continuo ad Annam Socerum Caiphæ, Summi eo anno Sacerdotis, qui capiendi Jesu author fuerat Judæis (15).

Simon Petrus in domum Summi Sacerdotis succedit.

Simon, & alius quidam e Discipulis Magistrum sequebantur longe; & cum postremus hic Discipulus in domo Summi Sacerdotis notissimus esset, in atrium ingressus est, egressusque deinde, una & Petrum præ foribus versantem introduxit. Cohors militum, qui Jesum deduxerat, igne in eodem atrio excitato, frigus depellebat: accessit & Petrus (16).

Jesus a Summo Sacerdote interrogatur.

Annas Summus Sacerdos de doctrina & Discipulis suis Jesum interrogavit; cui ille, nunquam se nisi in Templo & Synagogis palam esse locutum; ejus rei testes esse auditores suos, ea de re interrogandos, dixit. Ita respondentem quidam e servis Caiphæ alapa percussum, ita objurgavit: *Ita ne respondes Pontifici?* Cui Jesus, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis* (1)?

Ab Anna ad Caipham ducitur; tum ad Synedrium Sacerdotum.

Interrogatum Jesum Annas ad socerum Caipham, in eadem forte domo commorantem, misit. Eo convenientes Principes Sacerdotum, Scribæ, & Doctores, idoneos adversus Jesum testes quærebant; & cum omnes eorum conatus irriti essent, multos licet falsa adversus ipsum testantes audirent; duo tandem venerunt, accusantes, audivisse se virum jactantem, eversurum se Templum Dei, & intra tres dies restituturum. Sed capitale illud crimen minime censebatur. Silebat Jesus ad eas cavillationes; cumque de silentio interrogaret Summus Sacerdos, in silentio pariter perseveravit. Tum Caiphas: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei*. Affirmavit Jesus, adjecitque futurum, ut aliquando viderent Filium hominis in dextera virtutis Dei, nubibus vectum, venire ad judicium. Quibus auditis, Caiphas laceratis vestibus se audisse flagitium, quod damnando reo abunde sufficeret, clamavit: conclamatum est pariter ab omnibus, morte dignum esse virum, qui ista jactaret (2).

Jesus ludibrio militum permittitur. S. Petrus ter illum negat.

Dimisso cœtu, Jesus militum in atrio commorantium custodiæ pariter & licentiæ permissus est. Illi ludibrio hominem excipientes, illius os linteis velabant, expuebant, cædebant colaphis pugnisque, atque insultantes dictitabant: *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* Inter hæc, Petrus in eodem atrio versans, ad prunas stabat cum cæteris; cum ancilla quædam Summi Sacerdotis virum intuita, Plane, ait, & *hic cum Jesu Nazareno erat*. Negavit Petrus, testatus se hominem non nosse. Paulo post ex atrio egrediens, in vestibulum se contulit, statimque cantantem audivit gallum. Post modicum tempus alia pariter ancilla idem quod prior, de illo affirmavit; iterumque ipse jurans negavit. Post horam quidam e præsentibus Discipulum esse Jesu illum asseruit; cui & cæteri omnes assensi, ex ipso loquentis sermone Galilæum esse probabant. Tandem necessarius quidam Malchi illius, cujus ciderat Petrus auriculam, se vidisse illum in horto testatus est. Sed Petrus jusjurandum ingeminans, ne nosse quidem se hominem pejerabat. Inter hæc accidit, ut iterum galli cantus audiretur; & Jesus ad Petrum conversus virum aspexit. Tunc ille in mentem revocans ea quæ a Jesu audiverat, futurum nempe, ut ipsum, antequam gallus bis caneret, terno perjurio negaret, egressus ex atrio, lacrymis crimen expiavit (3).

Feria sexta, mane 14. Nisan, 3. Aprilis.
Sacerdotes in Synedrium conveniunt.
Jesus ad Pilatum ducitur.

Primo diluculo Sacerdotes, Scribæ, & Doctores in Synedrium coeuntes, de nece Jesu Christi deliberarunt. Vinctum igitur ad concilium ductus, num Christum se diceret, interrogatus est. Respondit, sibi licet affirmanti non crediturος; si vero ipse interrogaret, nec responsum ullum daturos, nec remissuros liberum. *Ex hoc* autem, adjecit, *erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei*. Conclamarunt omnes una voce, num Filium Dei se diceret: affirmantemque, dignum esse morte communi suffragio statuerunt, neque alios ea de re testes esse audiendos. Soluto in hunc modum concilio, ductus est Jesus ad Pilatum, totius provinciæ Præsidem, quamquam ne contaminarentur, & a gustando Paschate religione prohiberentur, ipsi Prætorium ingredi non audebant (4).

Pœnitentia Judæ, & desperatio.

Judas, proditionis in Magistrum reus, illum morte damnatum intelligens, criminis pœnitentia ad Principes Sacerdotum & Scribas pecuniam retulit, peccasse se, cum innoxium virum neci traderet, testatus. Responderunt illi, nihil sua id referre. Sed Judas, projecto in Templum argento, abiit, & laqueo sibi fauces elisit. Deliberatum est inter Sacerdotes, quid de pecunia illa decernendum esset; cumque pretium sanguinis in Ærarium Templi inferre nefas arbitrarentur, emendum eo pretio agrum figuli cujusdam in sepulturam peregrinorum, communi suffragio censuerunt (5).

Sacerdotes Jesum accusant.

Traditum Pilato Jesum, cum Accusatores extra Prætorium se continerent, ad illos Præses eduxit. Deinde quid accusationis in illum afferrent interrogans, cum respondentes audisset, nunquam se commissuros fuisse, ut illum, siquidem culpa vacaret, neci tradendum ad illum ducerent; ipse eorum arbitrio reum se permittere, multandum pro arbitrio legisque præscripto, dixit. Ad hæc Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*; cæterum addebant, hunc esse virum publicæ quietis perturbatorem, qui dari tributum Cæsari nefas esse doceret, seque Christum Regem Judæorum jactitaret. Reductum igitur in Prætorium, sedens in Tribunali Pilatus interrogavit, an Rex esset Judæorum. Quæsivit Jesus, num hæc ex semetipso diceret, an aliorum verbis & narratione. Cui Præses: *Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti?* Excepit Jesus, se aliud quam hujus Mundi Regnum posſi-

(14) Matth. xxvi. 50. 54. Marc. xiv. 48. 47. Luc. xxii. 49. 51. Joan. xviii. 10. 11. (15) Matth. xxvi. 55. 57. Marc. xiv. 48. 53. Luc. xxii. 52. 54 Joan. xviii. 12. 13. (16) Joan. xvi. 15. 18. Matth. xxvi. 58. (1) Joan. xviii. 19. 23. (2) Matth. xxvi. 59. 66. Marc. xiv. 54. 64. (3) Matth. xxvi. 67. 75. Marc. xiv. 15. 65. 72. Luc. xxii. 58. 63. Joan. xviii. 25. 26. (4) Matth. xxvii. 1. 2. Marc. xv. 1. 2. Luc. xxii. 66. 71. (5) Matth. xxvii. 3. 10.

possidere; si enim regnaret in Mundo, subditos suos vitæ defensores adversus Judæos habiturum fuisse. Interrogavit itaque denuo Pilatus, num Rex esset. Affirmavit Jesus, se in Mundum venisse addens, ut veritati testem sese exhiberet. *Quid est veritas?* ait Pilatus: simulque ad Judæos egressus, nil eo viro morte dignum se invenisse testatus est (6).

Jesus coram Pilato silet.

Ingeminabant accusationes in Jesum Principes Sacerdotum, quas ille silens patiebatur, itaut Præses vehementer miraretur. Quare iterum atque iterum elata voce accusatores seditiosum esse virum, turbasque per totam regionem a Galilæa usque Jerosolymam ciere clamabant. Audito Galilææ nomine Pilatus, cum Galilæus esset vir ille, interrogavit; auditoque ad Herodis ditionem pertinere, ab illo judicandum remisit (7).

Ad Herodem mittitur.

Præclarum id sibi accidisse censebat Herodes, ut Jesum, quem longo jam tempore nosse optaverat, ad suum Tribunal ductum judicaret. Quare pluribus interrogationibus virum tentavit, sed frustra; silente Jesu ad omnia, quæ ejus adversarii in ipsum congerebant. Contempsere proinde Jesum Herodes ejusque satellites, indutumque veste alba, quasi Regiæ ejus dignitati illudentes, atque exutum deinde ad Pilatum remiserunt. Quo tempore mutuæ hactenus inter Pilatum & Herodem simultati finis impositus est (8).

Pilatus de calumniis Judæorum in Jesum certior factus est.

Eo temporis intervallo, odium Judæorum adversus Jesum Pilatus intellexerat: admonebatur etiam, ut innoxium virum dimitteret, ab uxore, quæ illius causa horrendis quibusdam insomniis molestam eam noctem sese egisse narrabat (9). Quare tertio e Prætorio egressus, Jesum pariter eduxit, testatus, nihil se morte dignum in illo invenisse, eademque pariter Herodem censuisse, quippe qui indemnem remiserat, emendatum igitur correctumque se remissurum proposuit.

Barabbas Jesu præfertur.

Facultas data erat Judæis, ut in solemnitate Paschali cujuscumque mallent criminosi hominis e carceribus publicis libertatem obtinerent. Vinctus eo tempore detinebatur Barabbas, vir facinorosus, & homicidii in seditione reus. Quæsivit ergo Pilatus, utrum e vinculis educi mallent, Barabbam an Jesum. Populus, agentibus Sacerdotibus & Scribis, Barabbæ libertatem, Jesu vero necem postulavit. Eadem Pilatus iterum interrogavit, eademque responsione spe sua deceptus est. Rogavit igitur Præses, quid ergo fieret de Rege Judæorum; & cum illi ad crucem postularent, quæsivit iterum, cujus criminis reus ageretur; se etenim nullum in eo invenisse: quare post severam animadversionem dimissurum. Non acquievit populus, sed iterum ad crucem quasi reum postulavit (10).

Pilatus Jesum flagris cædendum tradit.

Tunc flagris in Jesum animadvertendum Pilatus edixit, cui tormento milites de suo addiderunt spineam coronam capiti ejus impositam, addita insuper purpurea veste, irridendi hominis gratia. Ita vero paludato alapas impingebant & colaphos, dictitantes: *Propbetiza nobis, quis est qui te percussit?* Secundum hæc, ducitur iterum Jesus a Præside coram populo, ut eo spectaculo permotus, tandem consilia mitiora non respueret. Sed ille pervicacius Jesum ad crucem postulabat. Acciperent illum & pro arbitrio tractarent, Pilatus proposuit; se etenim nullius criminis reum capitali supplicio minime damnaturum. Tunc Judæi dignum esse morte clamarunt, ex receptis apud ipsos legibus, quippe qui Filium Dei se venditaret. His populi clamoribus permotus Judex, recipiens se iterum in Prætorium, & pro tribunali sedens, novam cum Jesu quæstionem instituit. Interrogavit ergo primum, cujas esset; & cum sileret ad ista Jesus, Non mihi respondes? ait: an nescis vitam mortemque tuam in mea sitam esse potestate? Tunc Jesus: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi data esset desuper; propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum babet* (11).

Clamores populi in Jesum. Pilatus Jesum cruce damnat.

Nullum non movebat lapidem Pilatus, ut Jesum liberaret; sed obstantes Judæi, atque ad necem urgentes, reluctanti demum illi nunciavere futurum, ut alienus ab Imperatoris sui partibus censeretur, si virum hunc, qui se Regem agebat, liberum abire sineret. His auditis, jussit afferri sellam judicialem, sedensque pro tribunali coram populo, Jesum indicans, dixit: *Ecce Rex vester*. Tradi illum cruci clamavit populus; & Pilatus: *Regem vestrum crucifigam? Non babemus Regem*, reponunt Judæi, *nisi Cæsarem*. Tunc frustra se agere intelligens Præses, & crescere seditionem animadvertens, manus palam lavit, testatus immunem se esse sanguine viri innocentis; clamantibusque Judæis, in suum & posterorum caput crimen illud sese evocare, tandem adversariorum potestati crucifigendum tradidit, Barabba in libertatem restituto. Hæc omnia gesta sunt circa tertiam horam sive nonam matutinam (12).

Jesus deridetur a militibus.

Arripientes ergo milites Pilati Jesum, extra Prætorium rapuerunt, accitisque sociis militibus, propriis illum vestibus exuerunt; tum purpureo pallio velatum, spinea corona redimitum, arundineum sceptrum tenentem in genua provoluti adorarunt; & nequid deesset ad ludibrium, exspuentes in ejus faciem, atque arundineo illo sceptro, quod manibus gerebat, percutientes, salutabant: *Salve Rex Judæorum* (14).

Jesus ad Calvariam ducitur.

Deinde propriis iterum vestibus induitur, atque onere crucis suæ oppressus, deductus est ad Calvariam, ut ultimo supplicio perimeretur. Cum ad Urbis extrema ventum esset, & crucis pondere opprimi jam vir, tot antea toleratis malis, viribus exhaustus cerneretur; Simon quidam, forte occurrens, a militibus Romanis coactus est, ut crucem ferret post Jesum (15).

Mulieres Jerosolymitanæ Jesum lugent.

Sequebatur Jesum ad Calvariam non ingens tantum populi multitudo, sed & fœminarum, vicem ejus dolentium, turba, quas conversso ore Jesus respiciens, *Filiæ Jerusalem*, ait, *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno bæc faciunt, in arido quid fiet?* Ducebatur autem Jesus ad supplicium inter duos latrones medius (16).

Jesus ad Calvariam ducitur, ubi in crucem agitur.

Ventum erat ad Calvariam, statimque vinum felle & myrrha conditum mox perimendo viro miscetur, quod ille vix gustatum respuit. Tunc e cruce suspenditur medius inter duos latrones, quos

10

(6) Matth. xxvii. 11. Marc. xv. 2. Luc. xxiii. 2. 3. Joan. xviii. 29. 38. (7) Matth. xxvii. 12. 13. Marc. xv. 4. 5. Luc. xxiii. 5. 6. (8) Luc. xxiii. 8. 12. (9) Matth. xxvii. 19. (10) Luc. xxiii. 13. 16. (11) Matth. xxvii. 15. 23. Marc. xv. 6. 13. Luc. xxiii. 18. 23. (12) Joan. xix. 1. 12. (13) Matth. xxvii. 24. 26. Marc. xv. 15. Luc. xxiii. 24. 25. Joan. xix. 12. 16. (14) Matth. xxvii. 27. 29. Marc. xv. 16. 19. (15) Matth. xxvii. 31. 32. Marc. xv. 20. 21. Luc. xxiii. 26. (16) Luc. xxiii. 27. 32.

in supplicio comites habuit. Ex eo supplicio pendens, primo pro carnificibus suis Patrem in hæc verba rogavit: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt* (17).

Titulus crucis Jesu Christi.

In sublimi crucis loco hæc inscriptio, Græcis, Latinis & Hebraicis literis tradita, legebatur: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Quam cum Judæi plures legissent, rogarunt Pilatum, ut pro Rege Judæorum juberet scribi: *Qui dixit: Rex sum Judæorum*. Sed Pilatus nihil mutavit (18). Acta hæc circa horam tertiam vel nonam matutinam (19).

Milites inter se vestes Jesu partiuntur.

Milites, qui cruci Jesum affixerant, vestimenta ipsius omnia æque inter se diviserunt; tunicam, quæ unica continuaque textura tota constabat, non dividi, sed sortis arbitrio committi voluerunt. Sedebant autem circa crucem, ut & excubias agerent, nec quemquam accedere ad miseros deponendos paterentur (20).

Populi & Magistratus Jesu Christo e supplicio pendenti illudunt.

Illudebant pendenti e cruce Christo, qui eo venerant populi & Magistratus, objicientes: *Alios salvos fecit, se ipsum salvum faciat, si potest. Christus Filius Dei vivi descendat nunc de cruce, & credimus ei*. Milites acetum offerebant, dicentes: *Si tu es Rex Judæorum, salva temetipsum*. Alii moventes caput insultabant: *Vah qui destruis Templum Dei, & in tribus diebus reædificas! salvum fac temetipsum, descendens de cruce*. Nec minora exprobrabant Principes Sacerdotum dictitantes: *Descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus*. Illudebat pariter alter e latronibus simili supplicio affectis, obtrudens: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos*. Talia loquentem illum objurgavit alter e cruce, ingerens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit*. Conversus deinde ad Jesum, ait, *Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum*. Jesus ad illum: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso* (21).

Jesus Matrem suam S. Joanni commendat.

Stabat juxta crucem Jesu mater Maria, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene: suamque Matrem Jesus intuitus, & non longe Discipulum sibi maxime carum aspiciens, ita Matrem affatus est: *Mulier, ecce filius tuus*, Joannem innuens: tum ad Joannem: *Ecce Mater tua*. Ex quo factum est, ut dilectus Discipulus Mariam apud se & domi suæ deinceps haberet (22).

Solis eclypsis, quo tempore Jesus Christus in cruce mansit.

Sexta circiter diei hora agebatur, nempe meridies, cum sol atra obductus caligine lumen negavit usque ad horam nonam, nempe tertiam post meridiem. Ad nonam, dissipatis tenebris, clamavit Jesus: *Eli Eli Lamma sabachtani*, idest, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quas ejus voces quidam de Elia interpretati, appellari ab illo Prophetam censuerunt; & ex militibus unus statim currens, obtulit in spongia, hyssopi virgæ imposita, acetum. Dicebant alii: *Sinite, videamus, an veniat Elias liberans eum*. Tandem gustato Jesus aceto, exclamavit: *Consummatum est. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum:* & inclinato capite, expiravit (23).

Defuncto Christo, velum Templi scinditur.

Tunc scissum est a summo usque deorsum Templi velum, terra subito horrore tremuit, hiscere lapides visi sunt, & sepulcra patuerunt. Quæ animadvertens Centurio, militesque qui defuncta reorum corpora custodiebant, inter pavorem & stuporem attoniti, Deo & veritati credentes, ajebant: *Vere hic homo justus erat: vere Filius Dei erat iste*; & turbæ pariter e spectaculo redibant, pectora in doloris indicium tundentes (24).

Hæc omnia in monte, satis a cruce distantes, spectarunt amici Jesu, & fœminæ, quæ venienti e Galilæa comites accesserant (25).

Latus Jesu Christi perfoditur.

Interim Judæi, ne mane alterius diei, quo Sabbathi & Paschatis duæ simul solemnitates coibant, reorum corpora e cruce pendentia triste exhiberent spectaculum, rogavere Pilatum, ut & deponi, &, quo citius interirent, crura eorum frangi juberet. Venerunt ergo milites, & utriusque latronis crura fregerunt; Jesum vero, quod obiisset jam, reliquerunt illæsum; sed unus militum pendentis e cruce latus lancea perfodit, apertumque vulnus aqua manavit & sanguine; quemadmodum dilecti Discipuli, qui id vidit, narratione memoriæ proditum est (26).

Joseph ab Arimathia postulat cadaver J. C. & tumulo infert.

Subeunte vespere, Joseph ab Arimathia, vir amplissimus e Patribus, posito metu Pilatum adiit, postulans corpus Jesu, ut ante occasum Solis tumulo inferret; ad occasum enim Solis Sabbathi Festum inibat. Substitit aliquanto Pilatus, tam cito obiisse Jesum miratus; sed de morte ipsius certior etiam a Centurione factus, roganti facilis acquievit. Deposuit itaque Joseph e cruce cadaver, & sindone candida obvolutum, tum & aromatibus conditum [centum libras myrrhæ & aloes Nicodemus ad pium illud officium paraverat] tumulo intulit, quem ipse sibi Joseph excidendum curaverat in horto, non longe ab eo loco, nullius antea usibus addicto. Clauso deinde ingenti lapide sepulcro, discessit (27).

Mulieres, quæ Jesu e Galilæa venienti comites sese adjunxerant, sepulcri hujus locum sedulo notarunt, volentes post exactam illius diei solemnitatem condire iterum aromatibus defuncti Magistri cadaver (28).

Milites custodes sepulcri statuuntur.

Monuerunt Pilatum Principes Sacerdotum & Pharisæi, Jesum, dum viveret, in cœtu Discipulorum jactitasse, se post tridui sepulturam inter vivos rediturum; quare merito suspicari se, Discipulos defunctum cadaver furaturos, famam interim Resurrectionis ipsius, non sine ingenti Judaicæ Religionis discrimine, spargentes in vulgus. Respondit Pilatus, præsto illis esse milites Templi custodes, quos pro arbitrio ad sepulcri custodiam destinarent. Statuerunt igitur ad ostium monumenti milites, lapidemque, quo claudebatur, annulo obsignarunt. Acta sunt hæc vesperis ejusdem diei, antequam Sabbathum iniret (29).

Die Sabbathi 4. Aprilis 15. Nisan. Piæ Mulieres, ementes aromata, defuncti corpus curaturæ veniunt. Jesus Christus e mortuis resurgit.

Totam Paschalem diem piæ Mulieres ex Legis præscripto quietam egerunt; vesperis, absoluta jam Sabbathi solemnitate, atque prima hebdomadæ die ineunte, emerunt aromata, quo maturius mane alterius diei ad sepulcrum accurrerent. Ante auroram igitur viam ineuntes, mutuo loquebantur: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Erat enim lapis major, quam ut

(17) Matth. xxvii. 33. Marc. xv. 22. Luc. xxiii. 33. 34. (18) Matth. xxvii. 37. Marc. xv. 26. Luc. xxiii. 38. (19) Marc. xv. 25. (20) Matth. xxvii. 35. 36. Marc. xv. 24. Luc. xxiii. 34. (21) Matth. xxvii. 39. 44. Marc. xv. 29. 32. Luc. xxiii. 35. 43. (22) Joan. xix. 25. 27. (23) Matth. xxvii. 45. 50. Marc. xv. 34. 37. Luc. xxiii. 46. Joan. xix. 28. 30. (24) Matth. xxvii. 51. 54. Marc. xv. 38. 39. Luc. xxiii. 47. 48. (25) Matth. xxvii. 55. Marc. xv. 40. 41. Luc. xxiii. 49. (26) Joan. xix. 31. 37. (27) Matth. xxvii. 57. 60. Marc. xv. 42. 46. Luc. xxiii. 50. 54. Joan. xix. 38. 40. (28) Matth. xxvii. 61. Marc. xv. 47. Luc. xxiii. 55. 56. (29) Matth. xxvii. 62. 66.

ut mulìebri robore amoveretur. Hæc secum reputantes continuo validæ terræ concussio terruit. Quo indicio & Domini e mortuis Resurrectio, & Angelus e Cœlo ad removendum monumenti lapidem descendens designabatur. Porro Angelus supra lapidem sedens, eo terrore milites custodes perculsit, ut dilapsi protinus in fugam converterentur (a).

Dominica die 6. Aprilis 16. Nisan. Duo Angeli ante sepulcrum apparent.

Venientes igitur mulieres ad sepulcrum, binos Angelos invenerunt, humana specie, candido amictu, ore rutilanti; quorum aspectu attonitæ paventesque hæserunt. Animis despondentes alter ex Angelis confirmavit, nuncians, Christum, quem illæ quæsituræ venerant, e mortuis jam ad vitam revocatum, sepulcrum deseruisse: venirent autem, & viderent locum, ubi defuncti corpus jacuerat. Mandavit deinde, ut irent statim ad Discipulos, & ad Petrum lætissimum nuncium afferrent, certioresque pariter facerent, eorum in Galilæam adventum Jesum Christum præcessurum, ubi illis videndum se præbiturus erat, quemadmodum fidem ea de re suam antea obligaverat (3).

Maria Magdalene, nuncia Resurrectionis Jesu Christi, ad Apostolos venit. SS. Petrus & Joannes ad sepulcrum.

Maria Magdalene socias præveniens, ad Apostolos Jerosolymam convolavit, nuncians, furto sublatum cadaver Jesu Christi, nuspiam apparuisse. Tunc statim ad sepulcrum iterum se contulit; venerunt pariter Petrus & Joannes, inter timorem & stuporem hærentes. Præcucurrit tamen citius dilectus Jesu Discipulus, & cum ad sepulcrum venisset; substitit. Venit & Petrus; inclinansque sese deorsum, ut interiora sepulcri scrutaretur, nihil reperit nisi lintea posita, & sudarium, quo defuncti caput jam obvolvebatur. Post Petrum ingressus est monumentum & alter Discipulus, qui præ foribus substiterat, atque ambo totius rei testes Jerosolymam redierunt (4).

Jesus Christus apparet primum Mariæ Magdalenæ.

Versabatur Maria ante ostium sepulcri, & cum interioribus monumenti lustrandis deorsum sese inclinasset, duos spectavit Angelos, alterum ad pedes, alterum ad caput sepulcri sedentes. Interrogantibus illis quid ploraret, conquesta est, sublatum, nec scire se quo, Præceptoris sui cadaver. Conversa simul retrorsum, vidit coram Jesum, qui sub olitoris specie mulierem, quid ploraret, quidve quæreret, interrogavit. Illa olitorem esse rata, *Domine*, ait, *si tu sustulisti eum, dicito, ubi posuisti eum, & ego eum tollam*. Tunc Jesus Mariam nomine appellans, agnoscendum se fœminæ præbuit; quæ statim accurrens, pedes ejus prona osculari tentabat. Prohibuit Jesus; non enim, ait, adhuc ad Patrem meum ascendi; quare alia erit tibi mei videndi opportunitas. Ire autem jussit ad fratres suos, & nunciare, ascendere se ad Deum Patremque suum, Deum pariter & Patrem ipsorum (5).

Secunda apparet piis Fœminis ad Sepulcrum venientibus.

Ad mœstos Discipulos, lætum afferens nuncium, venit Maria, & visum a se Dominum, & colloquium cum illo suum narrans. Interea Jesus spectandam se præbuit piis fœminis e sepulcro regredientibus; quibus obviam factus & timorem excutere jussit, & nunciare Discipulis, in Galilæa sese illos & alloquio & præsentia sua dignaturum. Accidentes illæ statim ad Magistri pedes, pronæ adorarunt; tum Jerosolymam regressæ, omnia narrarunt Apostolis, qui tamen hanc narrationem veluti delirantium muliercularum ludibrium habuerunt (6).

Tum Petrus ad sepulcrum iterum se conferens, non secus ac prius posita lintea spectavit (7).

Furto sublatum cadaver J.C. falsa rumore spargitur.

Interea milites, quibus sepulcri custodia credita Sacerdotibus fuerat, Jerosolymam venientes, quæ sibi contigissent, omnia narraverunt. Sacerdotes ad consilium coeuntes, de re ita deliberarunt, ut ingenti pecuniæ vi corrupti milites sublatum a Discipulis noctu cadaver, cum ipsi somno tenerentur, spargerent in vulgus. Polliciti sunt autem militibus, ejus rei periculum, si quod ipsis immineret a Præside, utpote qui munus suum fide non integra obiissent, totum in sese suscepturos. Falsus iste rumor, ait S. Matthæus, hodie usque apud Judæos perseverat, persuasum habentes, corpus Jesu Christi a Discipulis sublatum evanuisse (8).

Jesus Christus quarto apparet duobus Discipulis euntibus in Emmaus.

Eadem die 16. Nisan, Paschali solemnitate celebri, nocte jam subeunte, duo ex Discipulis Jesu, Jerosolyma discedentes, in Galilæam veniebant. Cum autem Emmaus, locum LX. stadiis ab Jerosolyma, contenderent, viæ tædium mutuis colloquiis de rebus, quæ per eos dies acciderant Jerosolymis, levabant. Inter loquendum, veniens Jesus, peregrini speciem præseferens, tertius euntibus accessit, rogavitque, quos invicem sermones miscerent. Cleophas, ex illis alter, mirari se dixit, illum unum advenam Jerosolymis esse, qui nesciret quæ per eos dies contigerant. Quæ? respondit Jesus. De Jesu a Nazareth, ait alter, qui cum Propheta esset & opere & sermone, Deo coram & hominibus potens, a Principibus Sacerdotum & Magistratibus supplicio traditus est. Nos autem, inquit, sperabamus, ipsum esse redempturum Israelem; & nunc tertia dies est hodie, ex quo hæc facta sunt. Mulieres quidem ex nostris nonnullæ, quæ ante lucem adiere monumentum, non invento corpore, venerunt dicentes, se etiam Angelos intuitas, qui dicunt eum vivere: quidam etiam ex nostris, qui sepulcrum inviserunt, mulierum narrationem confirmavere.

Tertia apparet S. Petro, antequam Discipulis euntibus in Emmaus videndum se præberet.

Arguit Jesus fidei illorum imbecillitatem, productis e Scriptura testimoniis demonstrans, oportere Christum pati, & ita gloriæ suæ compotem fieri. Ventum est tandem in Emmaus, & simulantem se progressurum Jesum, coegerunt Discipuli secum manere. Mansit igitur, & una discumbentibus, benedicens pani, distribuit. Quo accepto, illico apertis oculis Magistrum agnoverunt, isque agnitus illico evanuit. Actutum Discipuli Jerosolymam advolantes, totius rei certiores fecerunt Apostolos; a quibus in unum congregatis cœtum apparitionem Petro factam audierunt (9).

Quinto apparet Apostolis simul congregatis.

Cum Apostoli omnes in eadem coacti domo, foribus sera munitis, versarentur, inter ipsos subito spectandum se offerens Jesus, pacem omnibus nuntiavit. Subito aspectu tamquam spectro turbari omnes; sed confirmati a Jesu intueri jussi sunt manus pedesque sibi jam notos, atque tactu explorare, carnem habere se pariter & ossa, corporis argumentum. His dictis, simul manus, pedes & latus ostendit; & cum nondum metum ab eorum animis excussum intelligeret, cibum, si quem haberent, postulavit. Oblatam piscis assi partem, & favum mellis palam gustavit, iterumque

(a) Matth. xxviii. v. 4. Marc. xvi. 2. 4. Luc. xxiv. 1. 4. Joan. xx. 1. 2. (3) Matth. xxviii. 5. 8. Marc. xvi. 6. 8. Luc. xxiv. 5. 8. (4) Joan. xx. 2. 8. (5) Marc. xvi. 9. 10. Joan. xx. 11. 17. (6) Matth. xxviii. 9. Marc. xvi. 10. 11. Luc. xxiv. 9. 11. Joan. xx. 18. (7) Luc. xxiv. 11. (8) Matth. xxviii. 11. 15. (9) Marc. xvi. 12. Luc. xxiii. 13. 14.

que pacem nuncians, ita deinde locutus est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* Tum insufflans in eos, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt* (10).

S. Thomas fide nutat. Sexto apparet S. Thomæ cæterisque Apostolis.

E cœtu Apostolorum unus tunc aberat S. Thomas, qui, Apostolis vidisse se Jesum affirmantibus, fidem se nunquam eorum sermonibus habiturum dixit, nisi digitis ipse suis vulnera clavorum in manibus pedibusque, tum & latus ipsius exploraret. Post dies octo, Apostolis una cum S. Thoma, clausis cœnaculi foribus, apparuit Jesus, qui post nunciatam omnibus pacem, ad Thomam conversus, *Infer*, ait, *digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Thomas stupenti similis, *Dominus meus & Deus meus*, exclamavit. Tunc Jesus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Multa equidem plura, quam quæ referuntur in Evangelio, prodigia a Jesu patrata fuisse, S. Joannes est author, *hæc autem scripta sunt*, ait, *ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* (11).

Septimo apparet Discipulis ad mare Tiberiadis, Mira piscatio.

Post octavam Paschatis, cum Apostoli secessissent in Galilæam, obvium habuerunt Jesum ad mare Tiberiadis. Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus, Joannes, & alii duo ex Discipulis in lacu Genesareth versabantur. Petrus piscatum se ire dixit: ituros se pariter & alii dixerunt. Quare conscenso omnes navigio, tota nocte jaciendis recipiendisque retibus frustra laborarunt. Mane alterius diei Jesus in litore apparens, Discipulis incognitus clamavit, num aliquid pisciu apprehendissent. Respondentibus illis, frustra se laborasse, jussit retia ad navigii dexteram jacere. Cum paruissent, tanta repente piscium præda capta est, ut reducere retia Discipuli vix possent. Tunc Dilectus Discipulus agnitum Jesum Petro indicavit; ille veste statim cinctus pelago sese commisit, quo citius ad litus perveniret. Reliqui reducendo navigio, retibusque CLIII. immanibus piscibus refertis, nec tamen scissis, manserunt. Cum igitur omnes ad litus pervenissent, ex piscibus afferrent aliquid, Jesus præcepit; sed cum attulissent, prunis impositum piscem atque panem invenerunt; quæ simul cum Jesu omnes gustavere, nemine, quis esset, interrogare audente, cum Jesum esse haberent compertum. Ita tertio spectandum se præbuit Jesus post resurrectionem suam pluribus simul Discipulis (12).

Jesus pascendum Gregem suum S. Petro committit.

Post gustatum ab Apostolis cibum, rogavit Jesus Petrum, num ab ipso plusquam a cæteris amaretur; eique affirmanti in hæc verba, *Tu scis, Domine, quia amo te*, Jesus imperavit: *Pasce oves meas.* Tum iterum eadem interrogatione institit; & alteri eadem reponenti, eadem Jesus injunxit. Tertio tandem eadem interrogatione pulsatus Apostolus, ait: *Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Et Jesus: *Pasce oves meas;* adjecitque: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* *Tum addidit: Sequere me.* Paruit Apostolus; sed retrorsum conversus, cum sequentem pariter dilectum Jesu Discipulum spectasset, quid de illo futurum esset, Magistrum interrogavit; & ille: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Rumor ex his verbis inter Discipulos increbuit, futurum, ut mortis lege dilectus ille Discipulus eximeretur; Jesus tamen non eximendum dixit a morte, sed tantum: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est Discipulus ille*, scribit S. Joannes, *qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus, quia verum est testimonium ejus* (13).

Jesus octavo apparet amplius quingentis simul in monte Galilææ.

Convenerant Discipuli, Angeli jussionibus parentes, in Galilæam; & cum omnes in montem quemdam venissent, in medio cœtu stantem Jesum subito spectarunt. Qua occasione apparuisse Christum cœtui amplius quingentorum, quorum plures vitam adhuc agebant, cum S. Paulus primam daret ad Corinthios epistolam, credimus (14). Visum igitur Magistrum omnes adorarunt; dubitavere tamen nonnulli, utrum verum corpus spectrum illud, quod coram cernebant, haberet; resurrexisse tamen Jesum minime ambigebant. Ita vero Discipulos illos affatus est Jesus: *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis; & ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (15).

Nono apparet Jesus Discipulis, & cum illis familiarius agit in monte Olivarum.

Ascensuro in Cœlum Jesu e monte Olivarum, redierunt Apostoli Jerosolymam, ubi amice iterum cum Magistro egerunt, convivam habuerunt, & incredulitatem suam super Passione & Resurrectione, Scripturarum testimonio arguentem. Tunc excussis ex illorum mentibus tenebris, oracula Scripturarum omnia, quibus & toleranda ab ipso mala, & resurrectio tertia die prædicebantur, patuerunt. Ex ipsis etiam Scripturis tunc primo intellexerunt Apostoli, nunciandam esse omnibus pœnitentiam & criminum remissionem, omnibus, inquam, ab Jerosolyma ad universas usque nationes. *Euntes ergo*, ait, *prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis, serpentes tollent, super ægros manus imponent, & bene habebunt* (16).

Jesus Christus spectantibus Discipulis in Cælum ascendit.

Jussit post resurrectionem Jerosolymis manere, quamdiu induerentur virtute ex alto, Baptismo scilicet, S. Spiritus quem recepturi erant post non multos dies (17). Secundum hæc, Jerosolyma comitantibus Discipulis discedens, Bethaniam usque processit, tollensque in Cœlum oculos, præsentibus benedixit, atque subita quadam fulgentique nube obvolutus, statim ex aspicientium oculis evanuit. Cum discipuli euntem oculis prosequerentur, en subito duo Angeli obviam facti; a quibus certiores redditi sunt, Jesum, quem mox in Cœlum ferri viderant, eo habitu aliquando venturum. Tum Discipuli e monte Olivarum Jerosolymam venientes, in eadem simul domo manserunt, jugi vacantes orationi, una cum Maria Matre cæterisque necessariis Jesu, donec Spiritu Sancto die Pentecostes labente, promisso cœlitus munere donati sunt (18).

(10) Luc. xxiv. 36. 41. Joan. xx. 19. 23. (11) Joan. xx. 26. 31. (12) Joan. xxi. 1. 14. (13) Joan. xxi. 15. 24. (14) 1. Cor. xv. 5. 6. (15) Matth. xxviii. 16. 20. (16) Marc. xvi. 14. 18. Luc. xxiv. 44. 48. Act. 1. 3. 18. 41. (17) Act. 1. 4. 6. 7. (18) Marc. xvi. 19. Luc. xxiv. 49. 53. Act. 1. 5. 14.

DIS-

DISSERTATIO

IN EVANGELIA APOCRYPHA.

IN ipso Evangelii sui limine narrat S. Lucas, plures Scriptores rerum ab origine Christianæ Religionis gestarum memoriam literis consignasse: cum tamen illorum plerique sive quam par est fusius, sive quam ferri posset brevius, vel minus accurate Commentarios suos digessissent, operæ pretium se facturum censuit Evangelista, si limatius aliquid traderet, ut cæteris ejusmodi imperfectis commentariis fides detraheretur. Res cessit pro voto. Quatuor genuina Evangelia, nempe S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & omnium postremum S. Joannis, sola ab Apostolis probata, & ab insignibus Ecclesiis recepta sunt; cætera oblivioni tradita & neglectui; & ingens est ambigendi locus, utrum aliquod ex Evangeliis ante S. Lucam scriptis nostra ætate supersit.

Sed mendacii pater, qui plures Pseudo-Christos & Pseudo Prophetas, falsis præstigiis fallentes, produxerat, ut veris Jesu Christi prodigiis fides minueretur, eadem arte fraudatores pariter supposuit, qui genuinas Scripturas corrumperent, commentitias plures procuderent, ut minor esset authoritas Operum S. Spiritus, quibus verba vitæ æternæ, & supremæ veritatis oracula continebantur. Illud autem in ea re mirum omnino est, viros aliquos pios & bonæ fidei plenos, sed doctos parum, id sibi pessimo plane exemplo suscepisse, ut Libros procuderent, quos Religioni utiles putabant; id molientes, ut pia hac fraude Judæos atque Ethnicos incredulos ad fidem pertraherent. Quare nomine celeberrimorum apud illos Authorum Libellos quosdam obtruserunt, veluti Esdræ, S. Jacobi, S. Petri; eodemque consilio ingesserunt Ethnicis carmina Sybillarum, Oracula rei Christianæ adeo faventia, ut, siquidem cum veritate constarent, nullius non fidem & assensum extorquerent.

At incredibile est, quantum illi rei Christianæ nocuerint. Ita enim inserta mendaciis veritate, rebusque dubiis inter certas mistis, Religionis hostes tum in veras genuinasque Scripturas invidiam creavere, cum etiam plura pro suo arbitrio procudere, quibus sub amplissimorum nominum obtentu veræ Scripturæ & nostræ Religionis sanctissima dogmata concuterentur. Hac detrectandi opportunitate usos in nos constat Celsum, Porphyrium, & Julianum Apostatam; nec ab his armis cessant increduli nostræ ætatis, qui Religionis veritati, & Librorum Sacrorum authoritati bellum indixerunt.

Incommodum ejus rei intelligentes Sancti Patres id maxime curandum censuerunt, ut Sacros Libros religiose servarent; caute vero Libros intra Canonicæ authoritatis arcem & parce reciperent. Factum inde est, ut Ecclesiæ quamplures diu ancipites deliberarint, num quosdam Scripturarum Libros, quibus nonnullæ Ecclesiæ adversabantur, exciperent; factum pariter, ut Concilia & SS. PP. tum frequentes Sacrorum Librorum catalogos instruerent, tum ea scripta abjicerent, damnarent, supprimerent, sive quæ Hæreticorum fraus dolusque procuderat, sive quæ præpostera Christianorum quorumdam pietas pariter & inscitia sub amplissimorum nominum, Apostolorum nempe vel Discipulorum, specie supposuerat.

Nostræ ætatis fideles in iis, quæ ad Libros apocryphos spectant, erroribus obnoxii non esse videntur. Nemo enim ex iis ejus generis scripta defendit. Contemptui jam illa & oblivioni tradita sunt adeo, ut qui vel de nomine Libros illos norint, rari occurrant. Absit autem, ut authoritatem illorum confirmare suscipiamus; sed cum nullius discriminis res sit, scripta illa nosse, quis prohibet, ne hoc argumentum fusius tractemus? cum præsertim plurimum prodesse credendum sit, ut de illis serio agatur, quo vana Lucubrationum illarum, ex raritate captata, apud quosdam æstimatio tollatur; æstimatio, inquam, quorumdam suspicantium, ideo potissimum in latebris illas relinqui, quod solidis argumentis refelli non valeant. Porro falsitatis & fabulæ aperta adeo exhibent hujusmodi libri documenta, ut vel parum eos legisse, refutasse sit.

En catalogus Pseudo-Evangeliorum, quorum scripta nomina in Libris Patrum ad nos pervenerunt. Extant nonnulla nostra etiam ætate; alia vero penitus interciderunt.

1 Evangelium secundum Hebræos.
2 Evangelium secundum Nazaræos.
3 Evangelium duodecim Apostolorum.
4 Evangelium S. Petri.

Hæc quatuor Evangelia facile unum idemque habenda sunt, vario tantum nomine diversa.

5 Evangelium secundum Ægyptios.
6 Evangelium Nativitatis B. Virginis. Extat Latine.
7 Protevangelium S. Jacobi, Græce, & Latine.
8 Evangelium Infantiæ Servatoris, Græce & Arabice.
9 Evangelium S. Thomæ, idem ac præcedens.
10 Evangelium Nicodemi, Latine.
11 Evangelium Æternum.
12 Evangelium S. Andreæ.
13 Evangelium S. Bartholomæi.
14 Evangelium Apellis.
15 Evangelium Basilidis.
16 Evangelium Cerinthi.
17 Evangelium Ebionitarum.
18 Evangelium Encratitarum. Idem ac Tatiani.
19 Evangelium Evæ.
20 Evangelium Gnosticorum.
21 Evangelium Marcionis. Idem ac S. Pauli.
22 Evangelium S. Pauli. Idem ac Marcionis.
23 Mariæ Interrogationes majores & minores.
24 Liber de Nativitate Servatoris. Facile idem ac Protevangelium S. Jacobi.
25 Evangelium S. Joannis. Aliter Liber Interitus B. Virginis.
26 Evangelium S. Matthiæ.
27 Evangelium Perfectionis.
28 Evangelium Simonitarum.
29 Evangelium secundum Syros.
30 Evangelium Tatiani. Idem ac Encratitarum.
31 Evangelium Thadæi, vel S. Judæ.
32 Evangelium Valentini. Idem ac Veritatis.
33 Evangelium Vitæ, seu Evangelium Vivum.
34 Evangelium S. Philippi.
35 Evangelium S. Barnabæ.
36 Evangelium S. Jacobi Majoris.
37 Evangelium Judæ Iscariothæ.
38 Evangelium Veritatis. Idem ac Valentini.
39 Evangelia Leucii, Seleuci, Luciani, Hesychii.

Plura ex his unum idemque habenda sunt, varias licet præseferant inscriptiones, ut proinde multo breviorem eorum catalogum confici posse credamus. Sed eorum Scriptorum numerum sane amplum ea, quæ inferius dicenda sunt, demonstrant.

Præter Pseudo-Evangelia, acceptorum fraudibus procusa, sunt etiam Acta quædam Apostolorum, & Epistolæ Jesu Christi, B. Virginis, Apostolorum, ac tandem Apocalypses nonnullæ, de qui-

quibus in Prolegomenis ad Acta, ad Apocalypsim, cæterasque Apostolorum Epistolas.

In Prolegomenis ad S. Matthæum, adductis argumentis probavimus, 1. *Evangelium secundum Hebræos*, 2. *Evangelium Nazaræorum*, 3. *Evangelium duodecim Apostolorum*, 4. *Evangelium S. Petri*, unum idemque Evangelium Hebraicum S. Matthæi habenda esse; quæ illic fusius demonstrata, hic repetere supervacaneum ducimus.

5 *Evangelium secundum Ægyptios* laudatur a S. Clemente Papa ep. 2. §. 12. S. Clemente Alexandrino Strom. l. 3. S. Epiphanio hær. 62. S. Hieronymo Prooem. in Matth. Theodoto in calce Oper. S. Clemen. Alexand. Origene in Matth. Tito Bostrensi, & Theophylacto in Matthæum. Vetustissimum est omnium Apocryphorum Evangeliorum, quorum cognitio ad nos usque pervenerit.

S. Clemens Papa laudat ex eodem Evangelio historiam hominis, qui Jesum Christum interrogavit, quo tempore mundi exitus definitus esset: cui Jesus respondit (1): *Cum duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus, & masculum cum fœmina neque mas neque fœmina*: addit S. Clemens Alexandrinus: *Quando pudoris indumentum conculcaveritis*. His verbis innuitur, uti credimus, secundum Jesu Christi adventum nonnisi post resurrectionem hominum futurum; tunc, ait, homines nullo pudore nullaque concupiscentiæ illecebra nuditatem suam prodent, ut proinde ad Angelorum veluti statum reducantur, qui connubii expertes sunt. Facile etiam innuitur recepta apud Veteres opinio, discrimen sexuum nullum in resurrectione futurum. Potest etiam hæc sententia usurpari de institutione Ecclesiæ Christianæ, Judæis atque Ethnicis in unam Ecclesiam coalescentibus.

Legitur etiam in eodem Evangelio, Salomen Jesum interrogasse, quonsque homines morti futuri essent addicti (2). *Dixit Dominus: Quousque vos mulieres parietis. Cumque ea dixisset: Recte ergo feci, quæ non peperi; excepit Dominus, dicens: Omni herba vescere, ea autem quæ habet amaritudinem, ne vescaris*. Hanc etiam ex eodem Evangelio Servatoris verba laudat idem S. Clemens de amore & generatione sententiam: *Veni ad dissolvendum opera fœminæ*. Quam multa mala pariturae essent hæ sententiæ, satis, ut arbitror, Lectores intelligent. Profecto Hæretici, qui generationem abolere satagebant, cum cæterum libidini fræno laxarent, illas plenis buccis prædicabant. Cum tamen ænigmaticum quidam præferrent, poterant pravo æque rectoque sensu usurpari; ita nomine *herbæ amaræ* peccatum reddi potuit; *operum fœminæ*, crimen originis, quod e fœmina, divinum præceptum violante, in posteros derivatum est.

Narrat S. Epiphanius, Sabellianos erroris sui patrocinium ex eodem Evangelio quæsivisse, laudantes illud tamquam a Christo dictum: *Eumdem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*; quod sane Catholico sensu usurpari potuisset, de tribus nempe Personis Divinis, unius ejusdemque communione naturæ junctis. Sed æque favere poterat Hæreticis, si ad eam sententiam traheretur, quæ tres illas personas ita conjungebat, ut nulla in re distingueret.

Non defuerunt, qui suspicarentur, Evangelium illud cum Evangelio Basilidis esse miscendum, quod scilicet in Ægypto errores suos Basilides docuerit (3). Putavit Baronius, Hæreticos quosdam Ægyptios Scriptum illud sub specioso S. Marci nomine procudisse (4). Grabæus persuasum habuit, opus esse Fidelium Ægypti, antea scriptum, quam S. Lucas suum Evangelium adornaret (5); nec alterum spectatum esse credit Evangelium a S. Luca, cum is in ipso Operis sui limine, rerum ab exordio Ecclesiæ gestarum historiam plures scribendam suscepisse tradit. Millius maluit, scriptum esse in gratiam Esseniorum, quos ille primos & perfectissimos Ecclesiæ Ægyptiacæ Christianos arbitratur (6). Scitum est, quo illi literaturæ genere maxime delectarentur, parabolico scilicet & allegorico; notumque quanti castitatem facerent; quæ duo plane demonstrantur raris illis fragmentis ex eodem Evangelio, quæ ad nos usque deducta sunt. Sed quo certius ea de re ferri posset judicium, integrum Opus, quod penitus intercidit, præter fragmenta supra recitata, legere oporteret.

6 *Evangelium Nativitatis B. Virginis*. Tria nota sunt de ortu Virginis Evangelia: duo integra supersunt. Omnium potissimum habendum est Protevangelium, S. Jacobi Minoris Episcopi Jerosolymitani nomine inscriptum. Extat Opus Græce & Latine. Alterum est Evangelium Nativitatis Beatæ Virginis Latine, cum epistola scripta nomine Chromatii & Heliodori ad S. Hieronymum, qua Viri sanctissimi illum rogant, ut Librum ex Hebræo Latinum faciat. Addita est & Epistola S. Hieronymi ad eosdem, qua votis illorum se annuisse profitetur. Sed Epistolæ & Liber pariter inter apocrypha rejicienda sunt. Evangelium Latinum Nativitatis Beatæ Virginis mera est epitome *Protevangelii S. Jacobi*, de quo nos fusius egimus in Dissertatione, qua conciliare aggressi sumus geminas Christi genealogias, apud Lucam & Matthæum.

Tertium denique Evangelium Nativitatis B. Virginis intercidit, cujus S. Epiphanius aliquid, non leve quidem, sed fabulosum refert; quod etiam habet Serapion Episcopus Tmuensis in libro adversus Manichæos. Porro S. Epiphanius hær. 26. 2. 12. hæc ex eo Evangelio refert. Zachariar, pater Joannis Baptistæ, cum in Templo muneri suo thymiamatis offerendi vacaret, hominem asini speciem præseferentem obvium habuit, cujus aspectu territus, e Templo se proripiens, exclamavit: *Væ Vobis! quæ enim tandem adoratis?* Ne clamaret, monstrum manu os ejus claudens prohibuit. Postquam loquendi pristinam facultatem, nato Joanne Baptista, obtinuit, mysterium iniquitatis prodere ausum Judæi in Templo occiderunt; ubi cruenta ejus necis vestigia pavimento impressa diu manserunt.

Narrat etiam S. Augustinus contra Faust. l. 23. c. 9. in Libro Nativitatis Mariæ, quo utebantur Manichæi, memoriæ prodi, Joachimum Mariæ patrem ad Tribum Levi spectasse, cum in cæteris Libris, qui extant ejusdem argumenti, e Familia Davidis, adeoque e Tribu Juda repetatur. Protevangelium nihil quidem habet satis luculentum de Joachimi genere, sed illum e ditissima & gregibus locupletissima domo deducit. Porro Scripta hæc omnia, e Protevangelio, uti facile credimus, deducta, longam præseferre antiquitatem, negaverit nemo, qui primis Ecclesiæ sæculis laudata apud PP. animadverterit. S. Epiphanius hær. 26. n. 12. Gnosticis tribuit. Origenes l. xi. in Matth. & Tertullianus in Scorpiac. c. 8. ad illa interdum alludunt. Serapion, Scriptor quarti seculi (7), S. Gregorius Nyssenus in homil. de Nativ. B. Virg. S. Hieronymus contra Helvid. S. Zeno Veronensis homil. 6. de Nativ. Author Operis imperfecti in Matthæum homil. II. Eustathius Antiochenus in Hexaemero, sive alius quispiam sub ejus nomine ab Allatio vulgatus, S. Petrus Alexandrinus Can. 13. de Pœnit. aliique plures iisdem Operibus usi sunt.

8. *Evan-*

[1] Apud Clemen. Rom. loc. cit. Ὅταν ἔσται τὰ δύο ἕν, καὶ τὸ ἔξω ὡς τὸ ἔσω, καὶ τὸ ἄρσεν μετὰ τῆς θηλείας οὔτε ἄρσεν οὔτε θῆλυ. Clem. Alex. Ὅταν τὸ τῆς αἰσχύνης ἔνδυμα πατήσητε. [2] Apud Clem. Alex. lib. 3. Strom.
[3] Apud Albertum Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 335. [4] Baron. ad Ann. 44. num. 45.
[5] Spicil. PP. t. 1. p. 31. [6] Mill. Proleg. 30. in N. T. Græc. [7] Serapion cont. Manich.

8. *Evangelium Infantiæ Servatoris*, Opus tota antiquitate notissimum (8). Arabice extat cum Latina versione Henrici Sikii. Ejus Græcum fragmentum vulgavit Cotelesius, cui Author inscribitur Thomas quidam. Scatet Opus prodigiis, a Jesu, prima adhuc ætate puero, sive in itinere ad Ægyptum, sive cum Nazareth rediisset, usque ad annum ætatis duodecimum, factis. Pleraque tamen supra fidem & puerilia sunt adeo, ut vix mulierculis probentur. Quin & S. Joannis Evangelistæ testimonio cap. 2. 11. scimus, aquam in vinum mutatam ad nuptias Canæ primum fuisse signorum Jesu Christi. Vix sane aliter fieri potuisset, ut Jesus in oblivione tamdiu maneret, si a prima ineunte ætate tanta prodigiorum gloria claruisset.

Sunt qui operis hujusce Authorem crediderint S. Petrum, alii S. Matthæum, aut S. Thomam; multo tamen vero propius Hæreticis primorum Ecclesiæ sæculorum tribuitur. Porro usos eo Libro Marcionitas, qui genus erant Gnosticorum, S. Irenæus Lib. 1. cap. 17. est author. Meminit illius, sub nomine Evangelii S. Thomæ Apostoli, Origenes, S. Ambrosius, & S. Hieronymus; sed S. Cyrilli Jerosolymitani testimonio in Catech. 6. constat, non Apostolo S. Thomæ, sed uni ex tribus discipuli Manetis, Thomæ tribuendum. Porro tres illi Discipuli erant Thomas, Buddas & Hermas. Verum si Thomæ, Manetis discipulo, Opus de Infantia Servatoris vindicetur, alterum sane reputandum est ab eo, quod ætate nostra superest, laudaturque a S. Irenæo & Origene, ac vetustiorem Manete ætatem præsefert. Sane Gelasius, & Timotheus Presbyter (9) duo hæc scripta, Evangelium Thomæ & Infantiæ, luculenter distinguunt. Facilius tamen unum idemque Opus est, deceptumque arbitramur S. Cyrillum, cum illius Authorem esse Thomam Manichæum credidit. Ille profecto aliud nullum opinionis suæ habere potuit fundamentum, quam quod eo Opere familiarius uterentur Manichæi, quemadmodum S. Augustinus, aliique post ipsum plures observant (10).

Hæc summa prodigiorum, quæ in Libro Infantiæ Servatoris leguntur. *Invenimus in Libro Josephi Pontificis, alio nomine Caiphæ, Jesum locutum esse, & quidem cum in cunis jaceret*. Idem & in Alcorano sæpius legas. Cum Joseph & Maria Bethlehem accederent, significavit Maria Josepho, partus sui horam instare; quare cum ad Urbem pervenire non possent, ibi in speluncam divertere, ubi fœtum suum illa edidit. Eo tempore quæsiturus obstetricem, aberat Josephus, qui una cum inventa fœmina vix speluncæ limen attigerat, insueto fulgore micantem locum, natumque puerum in præsepi jacentem, panisque obvolutum admiratus est. Tetigit infantem obstetrix; nec mora, præsentissimum lepræ, qua tenebatur, remedium experta est. Apparuerunt per visum pastoribus in medio subitæ lucis Angeli, quemadmodum & S. Lucas recitat. Circumcisi in spelunca Infantis præputium ab obstetrice sedulo servatum est, conditumque in alabastri vase pretiosis unguentis pleno. Porro vas illud deinde emens Maria peccatrix, Jesu Christi pedes inunxit.

Quadragesima die puer, Angelorum satellitio stipatus, oblatus fuit in Templo, ulnis Simeonis exceptus, Anna interim Prophetissa gratias agente Deo quam maximas. Venerunt Magi, ex vaticinio Zoroastri, quos Maria panniculo Infantis, pretiosissimi muneris loco, donavit; redieruntque deinde in patriam, Angeloque sub forma sideris reducente, quem ducem antea itineris habuerant.

Fascia illa a Magis Mariæ dono accepta, in ignem projecta, illæsa reducta est. Decreverat Herodes pueros omnes Bethlehemiticos trucidare; qua de re admonitus per somnium Joseph, atque in Ægyptum secedere jussus, cum Alexandriam venisset, corruit Idolum [Serapidis]; ingenti terræ motu regio universa turbata est; obsidentes filium Sacerdotis Dæmones contactu panniculorum Jesu fugati. Josephus & Maria Ethnicorum metu ex urbe se proripientes, cum divertissent in desertum, speluncam Latronum subierunt. Nequid grave ab illis paterentur, fecit subitus quidam fragor, cujus terrore in fugam se dare coacti sunt, relictis iis quos ceperant. Obsessa a malis spiritibus fœmina quædam, singulis noctibus a Dæmone sub forma anguis vexata, liberata est; lepræ incommodum nullum deinceps sensit alia itidem fœmina, quæ aquis, Jesu Christi lotione sacris, corpus suum lavit; quo itidem remedio convaluit puer quidam leprosus.

Ne conjugio suo uteretur vir quidam veneficio aliquo impediebatur: exsufflata sunt statim omnia. Juvenis quidam in mulum transformatus erat; statimque ad pristinam figuram rediit. Cum Titus & Dumacus, ambo latrones, liberos abire permisissent Josephum & Mariam, ambos una secum in crucem sublatum iri Jesus Christus prædixit. Venerant Matariam ad fontem, ubi lota pueri tunica a Matre, in fonte balsamum virescens apparuit. Eo loco alia quædam prodigia facta narrat Sozomenus in hist. Eccl. l. 5. c. 21. Manserunt triennio in Ægypto, ubi pluribus prodigiis, nullibi descriptis, Jesus Christus claruit. Tandem monitu Angeli Josephus redire Nazareth jussus, primo Bethlehem contendit, ubi & puerum gravi morbo affectum sanitati, & defunctum alterum, aqua Jesu Christi lotione sacra, vitæ restituit.

Unius viri uxores duæ filium unaquæque suum morbo affectum dolebant; quarum altera ad Mariam confugiens, panniculis Jesu acceptis, valetudinem contulit filio, Æmulæ filius decessit; id quod simultati in alteram augendæ causa fuit. Eo ventum est, ut mortui filii mater vivum alterius in flagrantem furnum, ac deinde in puteum immitteret; sed nihil inde incommodi in puerum. Post aliquot dies criminosa illa mulier in puteum decidens, interiit. Mulier altera, duorum filiorum mater, alterum extinctum dolebat, alterum mox extinguendum; sed postremi hujus valetudo statim restitura est, cum in lectulo pueri Jesu jacuit; porro idem est puer iste, qui deinde Bartholomæus in Evangelio. Leprosam fœminam mundavit aqua, qua Jesus lotus est; sicut & alteram eodem morbo afflictam Dæmonem tandem, puellam quamdam sub draconis forma voraturum, expulit Jesus.

Judas, filius mulieris cujusdam, Dæmone agitabatur [Judas est Iscariothes]: hic Jesu latus momordit, & salva omnia [idem est latus in passione lancea perfossum]. Compingebat aliquando Jesus per ludum e luto animalia una cum aliis pueris; sed fabricata a Jesu vita statim donabantur, ut nihil illis deesset, non motus, non cibi capiendi facultas [ejusdem prodigii meminit Alcoranus Surat. 3. & 5. & *Toldos Jesu*]. Accidit, ut versans in officina infectoris Jesus, pannos, quos ibi forte offendit, simul omnes in cacabum tinctorium injiceret: tum eductos peculiari singulos ad voluntatem domini colore imbutos exhibuit. Discurrebat Joseph una cum filio suo Jesu

---

[8] Iren. advers. hæres. lib. 1. cap. 17. Epiphan. hæres. 51. num. 20. Orig. hom. 1. in Luc. Chrysost. hom. 16. & 20. in Joan. Ambros. proœm in Luc. Hieronym. Præfat. in Matth. Euseb. lib. 3. Hist. Eccl cap. 25. Cyrill. Jerosol. Catech. 4. & 6. Athanas. in Synopsi. Alii plures apud Albertum Fabric. de Apocryph. N. T.
[9] Timoth. Presb. Constantinop. lib. de his, qui ad Ecclesiam accedunt, edito a Meursio, de variis divin. pag. 117. [10] August. contra Adimant. cap. 17. & lib. 22. contra Faust. cap. 79. & lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 20. num. 65.

Jesu per Urbis ædes, carpentariam sive lignariam exercens; quicquid autem brevius sive longius, quam opus esset, occurreret, Jesus ad mensuram reddebat. Ita Regis Jerosolymæ solium amplia-vit, inquam, pretiosissimis lignis, jam inde ab ætate Salomonis servatis, biennali opere a Josepho fabricatum.

Ludentium puerorum turbæ sese miscuerat Jesus, in hædos pueros illos transformans, tum ad pristinam formam restituens. Pupugerat puerum quemdam vipera, & Jesus adducto puero ad belluæ foramen, illam accivit, jubet sugere quantocius vulnus; ex quo factum est ut anguis necaretur, & puer sanitati restitutus, inter Discipulos Liberatoris sui futurum se tandem ab ipso eodemque intelligeret; ipsissimus est autem Simon Zelotes. Misit Josephus Jacobum filium suum una cum Jesu ligna in nemore quæsiturum, factum est autem, ut vipera Jacobum morderet, qui statim Jesu Christi opera convaluit. Cum forte puer quidam cum Jesu versaretur, e tecto ædium lapsus interiit: accusatus est parricidii Jesus; sed ille extincto puero loquendi facultatem restituens, egregie se coram omnibus purgavit. Missus ad hauriendas aquas Jesus, lagenam casu fregit, nec tamen inde aliquid ex aquis effluxit, quas in pallio tulit ad Matrem.

Die quadam Sabbathi Jesus parvum fontem luto constrnxit, luteis item passeribus in ejus margine constitutis. Actutum violati Sabbathi reus Anano defertur; accurrit ille, suisque oculis non sine admiratione avolantes aves spectavit; fontem vero cum destruere niteretur Anani filius, evanuit aqua; quo pariter emblemate designari futurum, ut ejus vita evanesceret, Jesus non frustra pronunciavit; illico enim arescens ille occubuit: quo eodem fato interemptus est alius puer, Jesum impellens, ut caderet; cadens enim puer ille protinus expiravit. Ludimagister quidam Jerosolymæ inter Discipulos habere Jesum cupiebat; quem hic arduis adeo quæstionibus tentavit, ut quem Discipulum habere volebat, hunc sibi magistrum sentiret. Tandem solus alphabetum recitavit, magistro stupente; cum autem ipse magister verberaturus puerum manus extenderet, aruit illico manus, tum & intercluso spiritu occubuit.

Duodennis Jesus ad Urbem sanctam veniens, inter medios Doctores sese constituens, plura viros interrogabat, & respondebat itidem plura, non de Lege tantum, sed de Philosophia etiam, Astronomia, omnique scientiarum genere; que re in admirationem sui rapuit universos. Redit inde Nazareth cum parentibus, ad trigesimum usque ætatis annum ibi moraturus. *Atque ab hoc die miracula, arcana, & secreta sua occulere cæpit*. En brevis conspectus Evangelii Infantiæ, Arabice a Sikiu editi.

E Græco quodam fragmento, a Cotelerio vulgato, constat, paulo alium fuisse in Græco Codice prodigiorum ordinem, & narrationem. Primum ibi prodigium occurrit de duodecim passeribus luteis, quos Jesus ad vitam vocavit. Legitur etiam ibidem prodigium de aqua fontis ad puriores latices restituta, de sanitate & motu redditis filio Anani, quem prius membrorum stupore perculerat, quod fontium suarum aquas effudisset; ne tamen unquam prodigii memoria intercideret, unum ex artubus arentem reliquit. Accidit, ut puer quidam inambulantem per viam Jesum retro post terga teneret; cui minitans, iter suum minime prosequuturum ipse Jesus denunciavit. Nec mora, puer exanimis cecidit; parentes vero ipsius querelas ea de re suas ad Josephum deferentes, cæcitate a Jesu percussi sunt. Sublatos ea de re clamores intelligens Joseph, Jesu filio suo aures vulsit; quare Jesus in patrem irascens, Satis sit tibi, ait, bas gentes quærere nec invenire; non plane egisti sapienter; memento me filium tuum esse, & quietum relinque. Secundum hæc, legitur historia ludimagistri. Ex his satis, quantum arbitror, intelligimus, Græcum Evangelium plus etiam quam Arabicum, cujus epitomen dedimus, ineptiis & fabellis scatere.

10. *Evangelium Nicodemi*, Opus est apud Veteres incognitum, cujus nullum apparet apud Græcos Authores vestigium. Meminit illius, sed tamquam Operis aliorum narratione comperti, *Synaxarion* Græcorum, Liber recentissimus, cujus Author nunquam facile Evangelium illud viderat. Laudantur sæpe apud Veteres Acta Pilati (1), quæ Evangelii hujus Authori veluti argumentum ac materiam præbuerunt: occurrunt enim in Evangelio quæcumque in vetustis Actis referebantur, sed fabellis plurimis vitiata. Ætate Pauli Orosii (2), & S. Gregorii Turonensis (3) altum erat de Evangelio Nicodemi silentium; laudantur tamen ab illis Acta Pilati.

Fabricius persuasum habet (4), procusum esse Opus, quale nostra ætate superest, ab Anglis, qui primum regionis suæ Apostolum Nicodemum esse censent. Id sane constat, Evangelium, quale hodie superest, recentiorem esse fabellam, quam quæ veteribus Patribus, Acta Pilati nominantibus, innotuerit. Latina hujus Evangelii oratio infima est, & barbara; Græce nunquam scriptum est, pluresque præsefert locutiones, quæ nonnisi post plura a Christo sæcula auditæ sunt.

Vetusta Pilati Acta Opus fuisse credimus deductum ex Epistola ejusdem Præsidis ad Tiberium, qua is de rebus Jesu Christi certiorem Tiberium faciebat; sed Nicodemi Evangelium prolixa est lucubratio, morosa, barbara, fabellis referta, ab Authore Nicodemi Judæi nomine inscripta. Nihilo meliori fide Hebraicis literis primum traditam fuisse, vulgatum est. De ementitis actis Pilati vide apocrypha Fabricii in Nov. Testam. pag. 298. tom. 1.

Porro genuina Pilati epistola, pia quadam sed præpostera Christiani alicujus fraude deformata, in Librum satis prolixum inscriptumque, *Acta Pilati*, transivit. His Actis lapsu temporis intercidentibus, Latinum aliud eorum loco procusum est Opus, inscriptum: *Evangelium Nicodemi*.

Quidquid sit, legitur in eo Evangelio, Annam, Caipham, Summam, Datam, Gamalielem, Judam, Levim, Nephtalim, Alexandrum, Cyrum diem dixisse Jesu Christo coram Pilato; Pilatum vero diu multumque reluctantem, ne sententiam in illum diceret, importunitate tamen & minis accusatorum victum, tandem eorum manibus Crucis supplicio interimendum permisisse. Porro interrogationes Pilati, accusationes Judæorum, quæque pro se dixit Jesus Christus, fuse satis & prolixe referuntur. Adfuit Nicodemus, defendendi Jesu partes in se suscipiens, una cum Paralytico, qui ad Probaticam sanitati restitutus est, cum cæco a nativitate, qui oculorum facultatem ejus beneficio receperat, ac tandem cum fœmina, quæ sanguinis profluvio duodecim annorum spatio laboravit, cujus morbi præsentissimum remedium tacta fimbria Jesu Christi experta est. Huic fœminæ Veronicæ nomen tribuitur. Frequens pariter testium turba pro Jesu stans ibidem inducitur, prodigiorum, quæ ipsi certo cognoverant, in ejus favorem numerum & magnitudinem commendantes. Frustra tamen hæc; Judex enim, dicta in illum sententia, Cruce inter duos fures *Dimam & Gestam* damnavit.

[1] Justinus Martyr. Apol. 2. pag. 76. & 84. Tertull. Apologet. cap. 21. Euseb. Chronic. lib. 2. ad an. 2051. & Histor. lib. 2. cap. 2. Epiphan. hæres. 50. n. 1. Chrysost. hom. 7. in Pasch. [2] Paul. Oros. lib. 7. Histor. cap. 4. [3] Gregor. Turon. lib. 1. Histor. Franc. cap. 21. [4] Fabric. de Apocryph. Nov. Test. pag. 215.

Ad Calvarium itaque ductus, Cruci affigitur, & statuitur ad dexteram pari supplicio affectus *Dimas*, ad sinistram *Gestas*. Longinus Christi latus hasta perfodit; Dimas resipuit. Inferendi sepulcro cadaveris Jesu curam suscepit Joseph ab Arimathia; quare invidia Optimatum Judæorum in se concitata, carceri traditus fuit; unde intempestæ noctis silentio non sine ingenti prodigio liberatur; nam opera quatuor Angelorum quatuor ædificii parietibus in altum sublatis, ut abiret, liberum captivo spatium factum est; tum ædificium in pristinum statum est restitutum. Milites excubias ante sepulchrum agentes, Resurrectionem Jesu Hebræis narrarunt; sed ii deinde auro corrupti, falsos ea de re sermones sparserunt in vulgus. Tres viri Scribis renunciarunt, vidisse se Jesum in Monte Olivarum, verba cum Discipulis facientem; sed illis affirmantibus credere recusarunt. Joseph ab Arimathia narravit Annæ & Caiphæ, plures e senioribus una cum Jesu ad vitam rediisse, præsertim duos fratres longævi Simeonis, qui in ulnas suas puerum Jesum exceperat; narravit pariter, duos ipsius Simeonis fratres Arimathiæ commorari. Acciti illi Jerosolymam, plura narravere de adventu Jesu Christi ad Inferos, deque ipsius una cum aliis pluribus Resurrectione; referebant colloquium Sathanæ Principis mortis cum Lucifero Principe Inferni, qui coram se statuendum Jesum Christum, quemadmodum & cæteros defunctos, contendebat. Sed Jesum, apertis Inferni foribus, secum justos omnes duxisse, tetro in carcere malis tantum spiritibus una cum reproborum animabus relictis.

Ascendentibus in Cœlum viris justis Henoch & Elias occurrerunt, iisque accedentes inter eundum narrabant, quæ sibi novissima Mundi die contra Antichristum agenda superessent. Venit tandem & probus Latro, crucem suam gestans, & ipse pariter cum toto cœtu in Paradisum introductus est. Hæc duorum fratrum Simeonis, *Charini* nempe & *Lenthii*, narratione Jerosolymis comperta sunt; & nequid interiret, historiam hanc omnem literis mandarunt; raptimque translati trans Jordanem inventi sunt.

Horum omnium certior factus Pilatus, ad Templum se conferens, ostendi sibi sacros Libros a Sacerdotibus jussit; invitosque & reluctantes fateri coegit, Jesum Christum ipsum esse Messiam, in eorum Scripturis prænunciatum. Clauditur Evangelium hac adscriptione: *In nomine Sanctæ Trinitatis explicitunt gesta per Salvatorem Jesum Christum, quæ invenit Theodosius Magnus Imperator in Jerusalem in prætorio Pontii Pilati, in Codicibus publicis. Facta in anno decimonono Imperatoris Tiberii Cæsaris Romanorum, & Herodis filii Herodis Regis Galilææ, anno decimaseptimo principatus ejus*, VIII. *Calendas Aprilis, quod est* XXIII. *die mensis Martii, Consultoriæ Revelationis, in anno* CCII. *Olympiadis, sub Principatu Judæorum Josephi & Caiphæ; quanta post crucem & passionem Domini historiatus est Nicodemus literis Hebraicis.*

Extant geminæ Latinæ epistolæ Pilati ad Tiberium de obitu Jesu Christi; utraque tamen recentissima & suppositia, Lambecius Græcas legerat, quas hic recitare omittimus. Adeat, si quis vult, Libros Apocryphos N. T. a Fabricio vulgatos. Vide pag. 298. &c.

Scitum est, referente Eusebio Hist. Eccl. lib. 9. cap. 5. Ethnicos sub Maximiano Imperatore Acta quædam Pilati, conviciis in Jesum Christum refertissima, longe lateque vulgasse, jussosque esse Ludimagistros, illa pueris tradere in Scholis. Opus illud penitus intercidit, ejusque falsitatem ex falsa temporis adscriptione prodit Eusebius hist. Eccl. l. 1. cap. 9. consignabantur enim quarto Tiberii Consulatu, nempe anno Imperii ipsius septimo, cum Pilatus nonnisi anno Imperii illius duodecimo in Provinciam Judæam venerit. Nulla denique supersunt genuina Pilati Acta, & forsasse nulla unquam fuere. Quæ habentur, & magno quidem numero, tum impressa tum manu exarata, falsa sunt. Vide quæ de hoc argumento fusius disseruimus in nostra Dissertatione *de Actis Pilati*.

11. *Evangelium æternum*, recens est viri Religiosi ex Ordine Mendicantium sæculi XIII. commentum. Porro Author sententia Alexandri IV. igne damnatus est, quamvis clam supplicium illud subierit, ne in Fratres crearetur invidia (5). Nomen Evangelii æterni ex Apocalypsi XIV. 6. derivatum est, ubi Angelus Evangelium hoc æternum per universam late terram omnesque gentes evulgat. Porro Author, qui opus sæculo XIII. supposuit, prædicebat futurum, ut Evangelium Jesu Christi, penes Ecclesias receptum, tandem vel aboleretur, vel saltem abrogaretur; quemadmodum Legis Mosaicæ præcepta rituum & judiciorum locum dare Evangelio jussa sunt. Porro de hoc Evangelio fusius in Prolegomenis ad Apocalypsim egimus.

12. *Evangelium S. Andreæ*, ex uno ferme decreto Gelasii, quo censura inuritur, notum est. De Actis S. Andreæ, Libro nec incognito nec obscuro, alibi agemus.

13. *Evangelium S. Bartholomæi* ab eodem Gelasio damnatur. Extat ejus mentio apud S. Hieronymum Prolog. Com. in Mart. & Bedam Proœm. in Luc. Facile tamen idem est Opus cum Evangelio Hebraico S. Matthæi, quod, referente Eusebio Hist. Eccl. lib. 5. cap. 10. aliisque nonnullis post ipsum (6), delatum scimus ad Indos ab eodem Apostolo; inventumque ibidem a Pantæno, & Alexandriam relatum. Pseudo Dionysius Areopagita de Mystica Theolog. c. 1. sententiam hanc S. Bartholomæi nomine refert, *Copiosam esse Theologiam & minimam, atque Evangelium tum amplum & magnum, tum rursus concisum*; quam ex Evangelio S. Bartholomæi deductam aliqui suspicantur (7), sunt qui ex ejus Epistolis maluerint (8); alii ex traditione a Fidelibus religiose servata (9).

14. *Pseudo Evangelium Apellis* notum est apud S. Hieronymum Proœm. Comm. in Matth. & Bedam Prolog. Com. in Luc. Novum ab eo Hæretico procusum esse Evangelium vix credimus; sed facile, communi apud Hæreticos exemplo, genuina Evangelia corrupit, quod illi exprobrat Origenes (10), & S. Epiphanius Hæres. 44. hæc illius verba refert, quæ ingenium viri satis demonstrant: *Estote probi argentarii: utere omnibus, ex Scriptura quævis utilia seligens*. Pravum Magistri exemplum Marcion ejus Discipulus deinde imitatus, Evangeliis quædam pro arbitrio adjecit, quædam abstulit.

15. *Evangelium Basilidis*, Opus apud Veteres celebre (11), ex quo nihil ætate nostra superest. Eo titulo nihil aliud designari putasse videtur Fabricius, quam libros XXIV. ab eo in Evangelia scriptos, de quibus Eusebius. Exstant eorum fragmenta quædam in Spicilegio Grabei (12). Porro Basilides doctrinam suam se hausisse jactitabat ex Glaucia interprete S. Petri (13). Origenes & S. Hieronymus non obscure designant Evangelium secundum Basilidem, qui verborum ambages cæterorum Hæreticorum negligens, Opus suum non sub

[5] Matth. Paris. ad 1257. [6] Nicephor. lib. 4. cap. 32. Hieron. cap. 48. Catalog. [7] Itting. pag. 124. Append. de hæresiarch. Dallæ. lib. 1. cap. 27. de scriptis Dionys. apud Fabric. de Apocr. N. T. [8] Corder. in Not. ad Dionys. [9] Maxim. Pachym. Vide Combefis ad Nicet. pag. 492.
[10] Orig. Epist. ad Ambros. in Apolog. Rufini pro Origene. [11] Origen. & Ambros. Proœm. in Luc. Hieronym. Præfat. in Matth. Origen. lib. 28. in Matth. XXIII. 34. 35. Euseb. lib. 4. & 7. Histor. Eccles.
[12] Vide Grab. Spicileg. PP. par. 2. pag. 39. [13] Clemens Alexand. lib. 7. Strom.

ſub religioſo Apoſtolorum nomine obtruſit, ſed de ipſo ſuo nomine appellans, inſcripſit: *Evangelium ſecundum Baſilidem*.

16. *Evangelium Cerinthi* unum eſſe credit S. Epiphanius hæreſ. 51. ex illis, quæ in Operis ſui veſtibulo ſcripta circumferri S. Lucas I. 1. teſtatur. Idem S. Epiphanius hæreſ. 30. cap. 14. innuere interdum videtur, Cerinthum Evangelio S. Matthæi uſum; & Hæreſ. 51. nu. 3. tradit, Alogos eidem Hæretico Evangelium S. Joannis tribuiſſe.

17. *Evangelium Ebionitarum*, ipſum erat S. Matthæi Opus, quod Hæretici pro arbitrio recipiebant interpolabantque. Exordium ducebat ab illis verbis (1): *Factum eſt in diebus Herodis Regis Judææ, ut veniret Joannes baptizans baptiſmo pœnitentiæ in Jordane fluvio, quem ferebant ex genere Aaronis Sacerdotis, filius Zachariæ & Eliſabeth; & egrediebantur ad illum omnes.* Legebatur in eo, Jeſum ad Joannis Baptiſmum veniſſe, eoque ex aquis aſcendente patuiſſe Cœlum; continuo vero S. Spiritum *vidiſſe deſcendentem columbæ ſpecie & intrantem in ſeſe. Et vox reddita de Cœlo dicens; Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens affulſit; qua conſpecta Joannes ſic eum alloquitur: Tu quis es, Domine? Rurſumque ipſa vox de Cœlo: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ad hæc Joannes ad ejus pedes procumbens, Quæſo, inquit, Domine, tu me ipſe baptiza. At ille prohibebat eum, dicens: Sine; ita enim decet nos implere omnia.* Ex his, ut arbitror, ſatis intelligimus, Ebionitas Evangelium S. Matthæi fœde corrupiſſe, ut ex eo patrocinium dogmatis ſui adverſus Divinitatem Jeſu Chriſti compararent.

Alibi vero ita loquentem Jeſum inducebant Ebionitæ (2): *Ego ad abroganda ſacrificia veni: & niſi ſacrificare deſieritis, Dei in vos ira non ceſſabit.* Ita pariter Jeſus Chriſtus ad Apoſtolos in noviſſima cœna loquens inducebatur: *Num deſiderio deſideravi hoc Paſcha carnale* [ſive carnem] *manducare vobiſcum* (3)? cum S. Lucas cap. XXII. 15. habeat ſolum: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Hæc duo loca adverſus Nazaræos, qui ſervandos eſſe legis ritus contendebant, procuſa videntur.

Narrat S. Epiphanius hæreſ. Ebionit. num. 23. Hæreticos illos, ut ſimplices fallerent, nomina duodecim Apoſtolorum admiſiſſe, & quoſdam eorum ſuppoſuiſſe Libros, uti *S. Jacobi*. Innuit facile Protevangelium, de quo in ſuperioribus egimus.

18. *Evangelium Encratitarum* a quatuor Canonicis Evangeliis non diſcrepat, ſed ea quatuor unum Tatianus compegit, quod ab illo *Evangelium Tatiani* ſive *Encratitarum* (4), vel *ſecundum Hebræos*, nomen obtinuit. Eo Codice uſos eſſe non Encratitas modo, ſed & Catholicos Provinciarum Syriæ & Ciliciæ, Theodoretus Hæretic. fabul. l. 1. cap. 20. eſt author.

19. *Evangelium Evæ*, familiare apud Gnoſticos (5). Rara quædam de illo ſuperſunt: referebat ex. gr. *Vidi arborem duodecim fructus quotannis ferentem; & dixit mihi: hoc eſt lignum vitæ*; quæ de fluxu menſtruo fœminarum Hæretici interpretabantur. Ænigmaticum aliquid in eodem Opere legebatur (6): *In arduo monte conſtiteram, cum ecce video procerum hominem & mutilum alterum. Inde vocem tonitrui inſtar exaudio. Propius igitur ad audiendum accedo, cum me in hunc modum eſt allocutus: Ego idem ſum ac tu, & tu idem atque ego, & ubicumque tu es, illic ego ſum, ac per omnia ſum diſperſus. Et undecumque volueris, me colligis; me vero colligendo, temetipſum colligis.* Lege S. Epiphanium, qui hæreticorum hujuſmodi turpitudinem explicat: nos hic apertius iniquitatis myſterium proferre exhorremus.

20. *Evangelium Gnoſticorum*, non unum erat & ſingulare opus; ſed cum genus eſſet Hæreticorum ex pluribus hæreſum ſectis conſtans, & inter varios hæreticos diviſum, ita plura ejuſdem farinæ ſcripta ſub uno hoc generico nomine Evangelii Gnoſticorum circumferuntur (7). Uſurpatur igitur ea inſcriptio de Evangelio *Infantiæ*, *Nativitatis Mariæ*, de libro *Interrogationum Mariæ*, *Evangelio Perfectionis*, *Evangeliis Baſilidis*, *Apellis*, *Valentini*, & *Evæ*. Porro ex eo Gnoſticorum fonte tota ferme peſſimorum Librorum primis Eccleſiæ ſæculis alluvio inundavit.

21. *Evangelium Marcionis*, ipſum eſt Sancti Lucæ Evangelium, ab eo Hæretico interpolatum corruptumque (8); cujus interpolationis exempla plura, fraude Marcionitarum inducta, apud Tertullianum & Sanctum Epiphanium exhibentur. Scriptum autem Evangelium illud putabant hæretici non a Sancto Luca, ſed ab Apoſtolo Paulo, unico e ſacris Scriptoribus, cujus probarent exciperentque authoritatem; quamquam non ita ſanctam ratamque habebant, ut totum Evangelium & Apoſtoli illius epiſtolas exciperent; rejiciebant enim quidquid erroribus ſuis contrarium exiſtimabant. Loca illa, hæreticorum fraude corrupta, ſedulo in Commentario adnotavimus.

22. *Evangelium Sancti Pauli*, illud eſt, quod in ejus Epiſtolis innuitur, uti cum Rom. II. 16. ſcribit: *Cum judicabit Deus occulta hominum, ſecundum Evangelium meum*; & 2. Timoth. II. 8. *Memor eſto, Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, ſecundum Evangelium meum*. Quibus verbis ſive Evangelium generatim innuit Apoſtolus ſibi divinitus revelatum (9), ſeu Evangelium Sancti Lucæ, juxta Veterum quorumdam opinionem (10), exiſtimantium, Sanctum Lucam, fidum itinerum Apoſtoli comitem, ea ſcriptis redegiſſe, quæ Paulus inter prædicandum promebat. Porro Marcionitæ, uti jam innuimus, Evangelium Lucæ ad S. Paulum ſpectare contendebant: id quod in illis citra diſcrimen tolerari potuiſſet, niſi ſimul temerariam manum in ſacrum illud ſcriptum auſi fuiſſent inferre, detrahentes addenteſque quidquid e re ſua eſſe arbitrarentur. Nec tamen ita reputandum eſt, quaſi Evangelium aliquod haberent Marcionitæ, ab Evangelio S. Lucæ vel S. Pauli reapſe diverſum.

23. *Interrogationes Mariæ*. Duo erant hujus inſcriptionis Libri, Gnoſticis familiares: alterius titulus: *Majores Interrogationes Mariæ*; alter vero inſcribebatur: *Minores interrogationes Mariæ*. Utrumque autem turpiſſimum erat Opus, ut ne recitari quidem ſine pudoris diſpendio eorum ſententiæ queant. Porro Gnoſtici quæcumque e corpore fœda voluptate exprimebant, ore deinde lambebant, ita ſe a Jeſu Chriſto edoctos eſſe dicentes. Plura hujus generis, ſane monſtruoſa, apud S. Epiphanium hæreſ. 26. cap. 8. leguntur, quæ homines ratione utentes ne cogitaſſe quidem quis ſibi perſuadeat.

[1] Apud Epiphan. hæreſ. 30. cap. 13. [2] Ibid. num. 16. [3] Ibid. num. 22. [4] Epiph. hæreſ. 47. num. 1. Λέγεται δὲ τὸ διὰ τεσσάρων Εὐαγγέλιον ὑπ' αὐτοῦ γεγενῆσθαι, ὅπερ κατὰ Ἑβραίους τινὲς καλοῦσι. [5] Epiphan. hæreſ. 26. num. 2. Εἶδον δένδρον φέρον δώδεκα καρποὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ εἶπέ μοι· Τοῦτό ἐστι ξύλον τῆς ζωῆς. Ὃ αὐτοὶ ἀλληγοροῦσιν εἰς τὴν κατὰ μῆνα γινομένην γυναικείαν ῥύσιν. [6] Ibid. num. 3. Ἐγὼ σὺ, καὶ σὺ ἐγὼ, καὶ ὅπου ἐὰν ᾖς, ἐγὼ ἐκεῖ εἰμι, καὶ ἐν ἅπασίν εἰμι ἐσπαρμένος. Καὶ ὅθεν ἐὰν θέλῃς συλλέγεις με, ἐμὲ δὲ συλλέγων, ἑαυτὸν συλλέγεις. [7] Vide Epiphan. hæreſ. 26. num. 8. & 11. [8] Iren. lib. 3. cap. 12. *Hi qui a Marcione ſunt, non habent Evangelium: hoc enim, quod ſecundum Lucam, decurtantes, glorianturſe habere Evangelium*, &c. Vide & Tertull. lib. 4. cap. 3. cont. Marc. & Epiphan. hær. 42. [9] Galat. I. 12. Epheſ. III. 3. [10] Iren. lib. 3. cap. 1. Euſeb. lib. 3. cap. 4. Hiſtor. Eccleſ. Hieronym. in Catalog. *Quotieſcumque in Epiſtolis dicit Paulus, Juxta Evangelium meum, de Luca ſignificat volumine.*

24. *Liber de Nativitate Servatoris*, ex damnatione Gelasii tantum notus: cum autem in ejus decreto sub eadem inscriptione cum Libro *De Virgine & Obstetrice* recenseatur, facilis inde conjectura est, ejusdem fere esse argumenti cum Protevangelio S. Jacobi, in quo & ortus Servatoris historia, & factum ab Obstetrice periculum de integritate Mariæ post puerperium, describitur.

25. *Evangelium S. Joannis*, alio nomine *De Dormitione Deiparæ*, censura inuritur a Gelasio. Extat Græcum in nonnullis Bibliothecis (11); & in quibusdam Mss. tribuitur S. Jacobo fratri Domini, in aliis S. Joanni Evangelistæ. Nondum prodiit in lucem, sed nec magnopere desideratur.

26. *Evangelium S. Matthiæ*, de quo Origenes in Luc. hom. 1. & S. Ambrosius Præfat. in Luc. S. Hieronymus Proœm. in Matth. Beda Venerabilis Præfat. in Luc. a quibus tamen solum operis nomen servatum est. Inter Apocrypha a Gelasio rejicitur. Erant etiam Acta Apocrypha ejusdem Apostoli, sicut & *Traditiones* vel axiomata, quæ facile totum Evangelium ejus nomine inscriptum constituebant; vel saltem ex eodem opere excerpta sunt. Legebatur e. g. in eo Libro, docuisse Apostolum (12), primum cognitionis gradum *in admiratione rerum præsentium* constituendum, quibus verbis facile innuitur, non esse rebus præsentibus insistendum, neque earum usum tamquam indifferens aliquid esse reputandum. Ex illo acceptam ferebant Carpocratiani sententiam, *oportere cum carne pugnare, & ea abuti*; quibus verbis aliud designari volebant Hæretici, quam a S. Viro innuebatur; ita enim ejus mentem interpretatur S. Clemens Alexandrinus (13): *Cum carne pugnare, & ea abuti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem*. Illud etiam tamquam ab eodem Apostolo dictum ferebatur (14): *Si Electi vicinus peccaverit, peccavit Electus. Nam si se ita gessisset, ut jubet verbum seu ratio, ejus vitam ita esset reveritus vicinus, ut non peccasset*. Hujus sententiæ optimus esse poterat sensus; oportere nempe ita a Christiano vitam institui, ut recte vivendi atque a crimine abstinendi cæteris & frænum sit & exemplum. S. Clemens Alexandrinus, penes quem hæ sententiæ leguntur, testatur, non Carpocratianos modo, sed & Valentinum, & Basilidem ejusdem Apostoli nomine erroribus suis defendendis abusos fuisse.

27. *Evangelium Perfectionis*, a Gnosticis confictum, erroribus suis, & libidinibus defendendis, solo ejus contemptu apud Patres notum. Diabolici Operis elogio notat S. Epiphanius (15), quod inscribendum sit potius Consummatio doloris, & luctus, quam Evangelium Perfectionis, nempe bonum sive eximium Perfectionis nuncium.

28. *Evangelium Simonianorum*, sive Discipulorum Simonis Magi, legitur in Constitutionibus Apostolicis Lib. 6. c. 16. & in præfatione Canonum Arabicorum Concilii Nicæni tom. 2. Concil. Porro in novissima ea Collectione narratur, Simonianos totum Evangelium suum distribuisse in quatuor tomos sive quatuor libros, quos mundi angulos sive cardines, totius mundi machinam sustinentes, appellabant. Legimus in Constitutionibus Apostolicis, duos viros, Simonem & Cleobium plures perniciosos Libros sub specioso Patriarcharum & Apostolorum nomine supposuisse, quibus totum evertebatur dogma de creatione, providentia, nuptiis, generatione, Lege, & Prophetis. Nec aliud de eo Libro memoriæ proditum est.

29. *Evangelium secundum Syros*, notum apud S. Hieronymum in Catalogo, & Eusebium hist. Eccl. l. 4. c. 22. Miscendus est facile Liber cum Evangelio Nazaræorum, sive Hebraico S. Matthæi, vel saltem cum Libro Tatiani, ex quatuor Evangeliis constante, cujus frequens erat usus apud plures Catholicos in Syria & finitimis regionibus, authore Theodoreto. Porro Evangelium Hebraicum S. Matthæi commodato se accepisse a Nazaræis Berœæ in Syria, S. Hieronymus profitetur: id quod maxime favet opinioni de *Evangelium secundum Syros* cum Evangelio Nazaræorum miscendo. Verum S. Epiphanius Hæres. 47. num. 1. Evangelium illud Syrorum a Tatiani Opere non distinguit.

30. *Tatiani Evangelium* harmonia potius Evangeliorum est, ex quatuor simul Evangeliis, quam novum aliquod Evangelium (1). Porro Tatianus institutorem habuit S. Justinum Martyrem, cui hæsisse adhuc nonnulli putant, cum harmoniam suam scriberet (2). Verum quæ e Textu audacissime detraxit, virum a Catholicorum sacris, dum scriberet, alienum satis demonstrant. Sublatas ab illo docet Theodoretus Hæretic. Fabul. lib. 1. cap. 20. genealogias omnes, & quæcumque natum Jesum Christum secundum carnem e genere Davidis demonstrabant. Idcirco autem eo Libro usos esse plures Catholicos refert, quod breviore via ad studium Evangeliorum duceret, cum brevius esset opus, quam integer quatuor simul Evangeliorum Textus; addit insuper, plusquam ducenta ejus Exemplaria e manibus Fidelium se subduxisse, quatuor Evangeliorum Canonicorum Codice substituto. Extat in Orthodoxographis & Bibliothecis PP. Harmonia quædam, sive Evangelium, Tatiani nomine inscriptum; cum autem nullæ in eo genealogiæ desiderentur (3), argumentum ex eo ducitur apertissimum, non Tatiani Opus illud, sed Ammonii Alexandrini haberi oportere. Quare interiisse prorsus nostra ætate Opus Tatiani creditur; saltem Græce scriptum nullum extat; nam ejus Germanicam seu veterem Allemanicam Versionem Fabricius in Notis ad Evangelium Tatiani pollicetur.

31. *Evangelium Thadæi* sive *Judæ*, Gelasii Papæ judicio apocryphum. An tamen ullum extiterit Thadæi Evangelium, ambigit Fabricius (4), 1. Quod altum de illo sit apud Veteres silentium; 2. Quod Vincentius Bellovacensis & vetus Ms. Abbatiæ S. Claudii, loco Thadæi habeant *Matthiam*, cujus Apostoli nomine Evangelium quoddam inscriptum legitur apud Gelasium. Quidquid tandem sit, Evangelium Thadæi penitus ignoratur.

Evangelium S. Thomæ tota antiquitate celeberrimum, alio titulo, nempe Evangelii Infantiæ Servatoris, de quo in superioribus, agnoscitur. Sunt qui suspicentur, duo esse Evangelia Infantiæ, alterum apud Gnosticos vulgatum, aliud apud Manichæos. S. Augustinus sententiam quamdam ex Libris apocryphis Manichæorum recitat, non aliunde facile, quam ex aliquo eorum Evangelio decerptam. Quærunt a Jesu Christo Apostoli, quid de Prophetis reputandum sit; quibus ipse respondet: *Dimisistis vivum, qui ante vos est, & de mortuis fabulamini* (5).

32. *Evangelium Valentini* (6), seu potius Valentinianorum; nullum enim a Valentino scriptum Evangelium uspiam legimus. Porro idem esse opus credimus, ab Hæreticis illis Evangelii Veritatis titulo inscriptum, de quo S. Irenæus Lib. 3. c. 13. *Qui sunt a Valentino, in tantum processerunt audaciæ, ut quod ab his non olim conscriptum est, Veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis*.

Inde

(11) Codex Labb. 453. Lambec. lib. 4. de Bibl. Vindob. 232. 234. & lib. 5. pag. 24. (12) Clem. Alex. lib. 2. Strom. (13) Strom. lib. 3. & Euseb. lib. 3. c. 29 Hist. Eccl. (14) Strom. lib. 7. pag. 748. (15) Hæres. 26. n. 2. (1) Euseb. Hist. Eccles. lib. 4. cap. 29. (2) Victor Capuan. Præfat. ad Harmon. Tatiani. (3) Leguntur illæ capite V. (4) Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 136. not. ad Gelasii decretum. (5) Cont. Adversar. Legis & Prophet. lib. 2. c. 4. (6) Tertull. de Præscript. adversus hæres. c. 47. *Evangelium habet etiam suum (Valentinus) præter hæc nostra*.

Inde facile Hæretica illorum dogmata exscripsit S. Epiphanius hær. 31. Ita vero opus illud exordiebatur. *Apud animales, apud carnales, apud mundanos, apud exaggeratam animi vim, Nus nunquam deficiens, perpetuis ac nunquam desinentibus, salutem. Equidem eorum, quæ neque nominari nec explicari oratione possunt, quæque cœlestibus ipsis superiora sunt, mentionem apud vos instituam, quæ neque Principatus, neque Potestates, nec quæ illis subjecta sunt, neque aliud quidquam intelligentia potest consequi, &c.* Reliqua ejusdem erant naturæ, absurda præter fidem continebant, apta simplicibus rerum mirabilium narratione fallendis. Doctrinam suam didicisse se Valentinus ex Theuda Discipulo S. Pauli jactitabat (7).

33. *Evangelium Vitæ* seu *Vivum*, Manichæis probatum (8), apud Veteres nonnullos memoratur (9); at nihil nisi nomen uspiam superest. Porro probabatur pariter ab iis Hæreticis Evangelium S. Thomæ, sive Infantiæ Servatoris, & alterum Sythiani cujusdam viri Ægyptii, ac tandem alterum inscriptum *Adda* sive *Modion*; quæ omnia ætate nostra penitus ignorantur.

34. *Evangelium S. Philippi*, Manichæis familiare, quantum colligimus ex anathematismis, quibus olim homines, eorum sacra renunciantes, hæresim ejurabant. Erat etiam alterum Evangelium ejusdem nominis, Gnosticis probatum, cujus fragmentum hoc recitat S. Epiphanius hæres. 26. n. 13. *Mihi Dominus aperuit, quibus anima verbis uti, cum in Cœlum ascendit, ac quemadmodum unicuique Cœlestium Virtutum respondere debeat; nimirum: Ego me ipsam agnovi, atque undequaque collegi, neque Principi* (Mundi, Dæmoni) *filios genui; sed ejus radices extirpavi, ac dissipata membra in unum coegi; teque adeo qui sis novi; sum enim e Cœlestium numero. Atque hoc modo illa dimittitur. Si autem sobolem propagasse reperitur, tamdiu infra detinetur, donec filios suos recipere potuerit, & ad semetipsam attrahere.* Facili prorsus opera horum verborum sensum interpretari, & occulta iniquitatis Gnosticæ mysteria reserare quis posset; sed pudor vetat. Videsis S. Epiphanium Hæres. 26.

35. *Evangelium S. Barnabæ* inter Apocrypha a Gelasio Papa rejicitur. Memoriæ proditum est, anno CDLXXXVIII. in Insula Cypro inventum esse S. Barnabæ corpus, atque super jacentis pectus positum Librum, quem ejus Apostoli manu scriptum ferunt (10). Porro in eo Codice Evangelium Hebræum S. Matthæi descriptum fuisse, aliqui affirmarunt (11); cum alii Versionem Græcam ejusdem Evangelii maluerint (12); alii Evangelium S. Marci (13). Quod autem a Gelasio censura inustum est Evangelium, alterum plane fuisse Librum oportet, facile ab Hæretico Authore scriptum. Fateri tamen cogimur, nihil satis certi de Opere a Gelasio damnato constare.

36. *Evangelium S. Jacobi Majoris*, in Hispania, uti fert Bivarius, inventum anno 1595. (14), in monte Granatensi una cum sacris Lypsanis Tesiphontis, & Cæcilii, discipulorum S. Jacobi, & XVIII. Codicibus, plumbeis in laminis descriptis, quarum aliqui exarati narrantur ipsius Apostoli manu. Inventa est inter cætera Missa Apostolorum una cum Cæremoniali S. Jacobi & historia quadam Evangelica. Sed scripta hæc omnia Innocentius XI. anno 1682. cenfu... inussit.

37. *Evangelium Judæ Ischariothæ*, commentum Cainitarum, & absurdæ illius Hæreseos propugnaculum (15). Porro Hæretici illi virtutem quamdam agnoscebant, ipso Creatore, quem inferiorem virtutem appellabant, præstantiorem, sapientiæ titulo insignitam. Hanc supremam virtutem notam habuisse viros impietate in Veteri Testamento notissimos, Cainum, Core, Sodomitas, & ipsum pariter Judam, ajebant; addentes quoque, bellum eorum opera adversus virtutem Creatoris pro defendenda superiori virtute susceptum. Ut igitur absurda hæc dogmata sua constanter venditarent, Evangelium Judæ procuderunt, totum illud iniquitatis mysterium, ab ipso Juda tantummodo inter omnes Apostolos agnitum, exponens. Periit Opus, apud Veteres quidem frequenter memoratum, sed æterna dignum oblivione.

38. *Evangelium Veritatis*, alius est Evangelii Valentinianorum titulus, quemadmodum supra articulo 33. innuimus.

39. Mentio est apud Veteres de Pseudoevangeliis interpolatis a Leucio, Luciano, Seleuco, & Hesychio (16); quorum non integra erant procusa Opera, sed genuina Evangelia Sacrorum Scriptorum, eorum fraude corrupta. Si vero nova erant Evangelia, hæc cum aliquo ex superioribus a nobis descriptis miscebantur. Grabæus in Iren. l. 1. c. 17. se reperisse in Bibliotheca Corporis Christi Oxoniensis testatur Codicem Pseudoevangelii Leucii, cujus refert fragmentum, totidem verbis in Evangelio Infantiæ recurrens; quo narratur fabella de Jesu, qui ad Ludimagistrum ob discendas literas missus, quæstionibus propositis habere se quo Doctorem suum doceret, demonstravit.

Hæc habuimus quæ de Apocryphis Evangeliis apud Veteres occurrentibus dissereremus. Odium, quo scripta illa Ecclesia semper prosequuta est, & contemptus, quo semper rejecit, id tandem effecerunt, ut æternæ tradita oblivioni interirent. Cujus quidem jacturæ, si ex fragmentis in Dissertatione hac nostra recitatis argumentum capere licet, nullo mœrore affici nos oportet; & si nullos alios nacta esset Ecclesia nostræ ætatis Hæreticos adversarios, quam quos in superioribus memoravimus, quieta satis sibi esse omnia reputaret. Sed ea erant Ecclesiæ illius tempora, ut nihil magis laborandum sibi Diabolus susciperet, quam ut, odium & contemptum in illam creans, externos in illam adversarios incitaret.

(7) Clem. Alexandr. Strom. lib. 7. pag. 764. (8) Vide Timoth. Constantinopol. libro de his, qui ad Ecclesiam accedunt. Anathematism. Manich. apud Cotelet. tom. 1. Patr. Apostolic. (9) Phot. Cod. 85. Mss contra Manich. lib. 1. apud Fabric. de Apocryph. N. T. pag. 141. & 351. (10) Theodor. Lector, lib. 2. Cedren. &c. (11) Sigebert. Gemblac. ann. 489. (12) Casaubon. in Baron. c. 12. (13) Græci in Synaxario. (14) Bivar. ad Chron. L. Dextri, an. 57. (15) Iren. lib. 1. c. 35. contra hæres. 28. n. 1 Theodoret. hæretic. Fabul. tom. 1. c. 15. Tertull. Præscript. c. 47. (16) Vide Decret. Gelasii, & Epistolam tertiam Innocentii III. c. 7.

DISSERTATIO

DE MAGIS, QUI JESUM ADORATURI VENERUNT.

MAgorum ad cunas Jesu Christi adventus, & præstita ab illis Divino Infanti adoratio, inter prodigia N. T. primas jure meritoque tenet; tum & argumentum est plane evidenter Divinitatem Jesu Christi demonstrans; ac tandem relatum fidei & gratiæ insignem triumphum prædicat, ait S. Chrysostomus Homil. 6. in Matth. Fulgens illud, quod intuentium oculos perstrinxit, sidus nova luce & mentem illustravit, & animum novo incendit ardore, ut & de ortu novi Regis monerentur, & ad novum, longum æque ac periculosum, iter suscipiendum Magi excitarentur. Opportunum tunc succurrit vetus illud ante MD. annos prolatum a Balaamo Oraculum: *Orietur stella ex Jacob, exsurget virga de Israel* Num. XXIV. 17. Gratia pariter eorum mentibus affulsit, cujus luce indicari eo astro Regem, de quo in Oraculo, noverunt. Venientes igitur Jerosolymam, nihil veriti, de novo Rege aliquid quæsierunt; atque ubi intellexere, Bethlehem locum esse oraculis Prophetarum Messiæ cunabulis designatum, eo statim se conferentes, Infantem nacti sunt, pauperem, imbecillem, & nulla Regiæ dignitatis præseferentem insignia: procumbentes adoravere, muneribus etiam in obsequii pignus oblatis. Quale, rogo, exemplum fidei illustrius? quale majus insigniusque prodigium?

Totam hic ejus rei historiam examinandam non suscipimus; iis tantum contenti, quæ ad Magos ipsos, eorum regionem, & sidus pertinent.

Magorum nomen generatim usurpatur de præstigiatoribus, ariolis, genethliacis, & somniorum interpretibus, vel etiam de Sacerdotibus & Divinis Persarum, qui potissimum Magorum nomine designabantur. Ejus etymon derivatur ex Hebræo *Moug* sive *Mag*, dissolvi, diffluere, & figurata locutione animis cadere (1). Habebatur enim persuasum, Magica arte terrorem in armatos injici, & adversarios suos artibus, quibus pollebant, in fugam vertere Magos valere. Deducunt alii ex Hebræo הגה *Hagah* (2), ex quo *Mehagah*, meditari, mussitare, & intra dentes loqui; solent enim Magi preces suas obmusmurare.

Veterum plerique tradunt (3), Magos Persarum ex incestu filii cum matre, sive patris cum filia, quod familiare erat, nec inauspicatum apud illos, natos esse oportere. Theologiæ potissimum, & Religioni operam navabant; fungebantur enim Sacerdotis, & Divinorum apud Persas munere (4), quod amplissimum erat apud eas gentes, & maximæ æstimationis, ut eorum disciplinæ instituendos se tradere Reges ipsi juberentur (5). Inter Aulicos Principis sedebant (6); nihilque, quod ipsi non probarent, ratum habebatur; pœnas pro arbitrio & præmia decernebant. Cambyses, in expeditionem Ægypriacam profecturus, Magos Imperii administratores reliquit; eoque fatis functo, supremam invadentes authoritatem, aliquo temporis spatio regnavere.

Divitias plerumque Magi contemnebant, & ab hominum consuetudine maxime secreti, durissimum vitæ genus agebant (7); humi enim cubantes, leguminibus victitabant & caseo. Vestibus utebantur albis; parebant viro e suo cœtu electo: ne igni traderent defuncta suorum corpora, religione absterrebantur, ne ignem, rem apud illos maxime sacram, violarent. Eorum omnia studia potissimum ad Magicen collimabant, non atram illam, & diabolicam (8), sed naturalem. Pandendis futurorum oraculis curam impendebant, somnia interpretabantur, utramque hominum fortunam legere se in astris jactitantes. Nulla erant huic hominum generi Templa, Aræ, Statuæ; neque enim Divinitatem brevi loco claudi posse rebantur; sed perpetuum in atriis sub dio ignem religiose alebant; quæ loca mane singulorum dierum adeuntes, atque virgarum fasciculum tenentes, prolixas instituebant preces, capite velato, veli laciniis super genas & labra pendentibus (9). Sacris operabantur in montium cacumine, purissimo ad eam rem loco. Hos autem in sacris servabant ritus. Primo Magus, tiaram habens in capite, prolixe orabat; postea unico clavæ ictu victimam mactabat, in frusta deinde concidebat, partibus in lectulo quodam virentibus herbis contexto distributis; tum cantata Theogonia, sive Genealogia Deorum, victimæ carnem sibi usurpabant. Hæc de Magia Persarum memoriæ prodita sunt.

Hæc facile succurrebant Veteribus illis, qui arbitrati sunt, Magos, qui cunas Jesu Christi adoravere, e Perside venisse (10). Magos enim illi veluti Persarum Philosophos habebant. Porro ea veterum opinio apud Recentiores pariter non paucos obtinuit (11). Magos hosce ortos tradunt Armeni (12) ex vico Maveg, ad lacum Ran in Armenia; quem etiam locum martyrio suo consecraste, postquam Bethlehemo redierunt, affirmant. Evangelium apocryphum Infantiæ Servatoris Discipulos Zoroastri constituit; quare e Perside illos accersit. Beda, & Rupertus Abbas in Matth. 2. persuasum habuisse creduntur, ex tribus Orbis partibus, Asia, Africa, & Europa venisse. Id saltem hi Scriptores volunt, Magis hisce tres Orbis partes designari; quod etiam a Pictoribus nostræ ætatis insinuatur, Æthiopem, Persam, & Græcum sive Romanum exprimentibus. Vetus Author (13) inter Opera S. Augustini, ex ultimis Æthiopiæ finibus accersit; Author Libri de Mirabilibus S. Scripturæ (14) e terra Evilath; Tertullianus e Regione Damascena (15).

Sed ex his conjecturis pleræque defendi vix possunt; neque enim Africa, neque Ægyptus, neque Æthiopia regiones sunt Judææ Orientales; Armenia, & Damascus ad meridiem eamdem regionem spectant. Quod ad Magorum nomen pertinet, quod accersendi viros e Perside maximum momentum est, nullum est pro ea ætate præsidium: postquam enim Persarum Imperio, sub Cyro ejusque successoribus, major Orientis portio acces-

---

[1] Vide Stanley par. 14. Philosoph. Persar. & Cleric. Indic. Philolog. ibidem. [2] Vide Isai. VIII. 19. [3] Vide Menag. Notas in Laert. Proœm. [4] Hesychius: Μάγον, τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεόλογον, καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι λέγουσι. [5] Cicero de Divin. lib. 1. cap. 41. [6] Dio Chrys. orat. Borysthenica. [7] Laert. in Proœm. Hieron. lib. 2. contra Jovinianum. [8] Laert. in Proœm. ex Dinonis Persicis. [9] Vide Herodot. lib. 1. cap. 131. & Strab. lib. 15. p. 503. [10] Chrysost. hom. 7. in Matth. Author Oper. imperfect. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Isai. Juvencus Poeta, Clemens Alexand. lib. 1. Strom. Basil. de homaoa Christi Nativitate; Theophylact. in Matth. [11] Maldon. Spanhem. Drus. Genebr. Petav. Scalig. alii innumeri. [12] Chardin, Voyage de Perse tom. 3. pag. 131. [13] Serm. olim 9. de Sanctis, nunc 126. in Appendice. [14] Quæst. 4. inter Opera Augustini. [15] Tertull. contra Judæos.

accessit, Magorum nomen prorogatum est ad Sacerdotes & Divinos omnes, qui ad subjectas Imperio Persarum gentes pertinebant. Quare hoc nomine æque censebantur Vates Chaldæorum, Arabum, & aliorum populorum; nec plane alio sensu, quam qui ætate illa obtinebat, nomen Magorum usurpasse creditur S. Matthæus, ut proinde nihil aliud eo designare voluerit, quam viros Sapientes, qui astrorum observationibus futurorum auspicia capere novissent.

Quæ nostra conjectura duplici potissimum ratione probatur: primum ex Regione, unde viri moviss narrantur; secundo ex studio sapientiæ, quod profitebantur. Venerunt igitur ex Oriente (16), idemque studium, quod Balaam profitebantur; Balaam, inquam, qui novi sideris ortum vaticinatus fuerat; cum illi novi pariter sideris aspectu Bethlehemum vocati venerint. Porro in Scriptura Orientis nomen plerumque usurpatur de Arabia deserta, Mesopotamia, & Chaldæa. Balaam ad Arabiam desertam pertinebat, ubi nec Magorum nomen ignotum erat; quo titulo censebantur homines sapientiam professi, & qui futurorum arcana pandere nossent. Id fusius demonstrandum est. Ipse Balaam testatur, se venisse ex Aram de montibus Orientis Num. XXIII. 7. erat autem civis *Pethuræ ad fluvium filiorum populi sui* (17), nempe *Pethoræ* vel *Pacoræ* ad Euphratem. Illam supra seu trans Mesopotamiam Eusebius in locis constituit; utrum vero cis an trans amnem sita esset, eo tacente, incertum; mallem tamen ultra, & in Syria vel Arabia deserta collocare.

Porro regiones istæ omnes Orientis nomine in Sacra Scriptura designantur. Isaias cap. 41. 2. verba de Abrahamo faciens: *Vocans ab Oriente avem* [Hebr. justum] *& de terra longinqua virum voluntatis meæ, & locutus sum, & adducam illum*; quibus verbis vocatus Abraham ex Ur Chaldæorum Urbe designatur (18). Jeremias cap. 49. 28. nomine filiorum Orientis innuit Arabes Scenitas, & Saracenos, qui nullis certis sedibus, nullis Urbibus domibusque huc illuc errantes discurrebant, sub tentoriis agentes, comamque tonsam ferebant (19). *Surgite, ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis. Tabernacula eorum & greges eorum capient pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum tollent sibi, & vocabunt super eos formidinem in circuitu. Consurgite, & ascendite ad gentem quietam & habitantem confidenter; non ostia nec vectes ei: soli habitant: & dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam.*

Jungit Ezechiel cap. 25. 10. filios Orientis cum Moabitis & Ammonitis, tamquam finitimis & limitrophis gentibus; ut proinde eo nomine nonnisi Arabes Scenitas, de quibus modo, designaveris. Job, Idumææ orientalis incola, sedem habens in Bozra vel in adjacenti regione (20), dicitur vir magnus inter omnes Orientales, idest, inter Syros, Arabes, & Chaldæos. Non semel etiam Prophetæ (21) innuunt, Hebræos captivos ex Oriente, nempe e Chaldæa, in proprias regiones, in Judæam nempe, reversuros. Est itaque cur affirmemus, Arabiam desertam, Mesopotamiam & Chaldæam singulari Orientis nomine in Sacris Libris designari; ut proinde a vero non abhorreas, Magos ex iis regionibus in Judæam venisse.

Secunda, qua movemur, ratio ex eo ducitur, quod viri illi sapientiam profiterentur, quemadmodum & nomine ipso Magorum satis exprimitur. Porro familiares fuisse apud Chaldæos viros sapientiæ professores, qui futurorum arcana referarent, jam scitum est, quam quid aliud. Plures horum Divinorum classes distinguit Daniel, cujus historia universa perpetuum est argumentum, studium earum rerum in Chaldæis perspicue demonstrans. Quantum illi momenti collocarent in somniorum & prodigiorum interpretatione, exempla Nabuchodonosoris, & Balthasaris satis docent. De Sapientibus Chaldæorum plura legas apud Profanos; ejusque gentis philosophiæ referandæ Stanleyus decimam tertiam partem historiæ suæ philosophicæ impendit. Arabes & Idumæi, Orientalium nomine in Scriptura noti, sapientia & sublimium rerum cognitione plurimum claruerunt: *Numquid non ultra est sapientia in Theman?* ait Jeremias XLIX. 7. Porro Theman urbs est in Idumæa Meridionali. Abdias, ℣. 8. *Perdam Sapientes de Idumæa*. Inter Sapientes Orientales non infimum locum tenebant Job & ceteri ejus Amici. De Salomone memoriæ proditum est 3. Reg. 4. 30. illum omnibus Orientalibus Sapientiæ laude præstitisse. Ipsos etiam Philosophos suos ex consuetudine & doctrina Sapientum Orientalium profecisse plurimum, ipsi sua confessione Græci testantur. Sapientes Arabes consuluisse Pythagoram, Porphyrius est author.

Balaam, ejus regionis incola, Ariolus erat & Propheta, Moysis ætate clarissimus, cujus viri successores Magos illos, qui ad Jesum adoraturi venerunt, Patres & Interpretes constituunt; addentes pariter, ejus oraculo vocatos Jerosolymam venisse de novo Rege, cujus signum viderant, quæsituri. Ipsi mentem suam Magi apertissime exponunt: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in Oriente*. Matth. II. 1. 2.

Ubinam alibi in Sacra Scriptura adventus Messiæ exorientis astri ænigmate designatur? & unde potuissent viri alieni generis, viso novo sidere, de adventu Messiæ, quem Judæi expectabant, fieri certiores, nisi ex Oraculo Balaami, cujus apud illos traditio ex patre in filios accepta servabatur? Philosophi Orientis, Chaldæorum, Mesopotamiæ, Arabiæ, Cappadociæ nullo alio ferme quam Magorum nomine (22) ea ætate censebantur; eodemque Ariolos Babylonios ætate Danielis appellant Septuaginta. Quare a vero non abludit, nomen illud ab Evangelista usurpari de viris Sapientibus Chaldæis, sive Arabiæ desertæ, denique Philosophis, Ariolis, Balaami gentilibus, sive patriam ejus regionem ultra, sive cis Euphratem constituamus.

Hanc, quam firmavimus, de regione Magorum opinionem, sive illos ex Arabia deserta, sive ex Chaldæa, sive ex Mesopotamia accersamus [neque enim de certo aliquo ex istis locis satis constat] communi Patres (23) & Interpretes (24) suffragio fulciunt; cui illud commodi præ aliis accedit, quod Orientis nomen regionibus illis in Scriptura tribuatur. Nec etiam illud spernendum, quod ex ea regione paucorum dierum iter Jerosolymam, Urbem per omnes late illas provincias ad Euphratem sitas notissimam, pateat.

Ad professionem Magorum quod spectat, nos plane non latet, Patrum (25) quamplures in ea fuisse persuasione, viros illos Magicen, curiosas artes, diabolicam divinationem, præstigias, astrologiam judiciariam exercuisse. Idem etiam vulgo judi-

[16] Matth. II. 1. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.* [17] Num. XXII. 5. פתורה אשר על Chald. לפתור ארם דעל פרת הנהר ארץ בני עמו [18] Vide Genes. XV. 7. [19] Herodot. lib. 3. cap. 8. [20] Vide Comment. in Job 1. 1. [21] Isai. XLIII. 5. Baruch IV. 37. V. 5. Zach. VIII. 7. [22] Vide Plin. lib. 30. cap. 1. & Grot. ad Matth. II. [23] Tertull. contra Judæos; & lib. 3. contra Marcion. Justin. Dialog. cum Tryphon. Epiph. Epitome fidei Catholicæ; alii nonnulli. [24] Tostat. Mariana, Barradd. Grotius, Cornel. a Lapide, Ligfoot, [25] Ignat. Epist. ad Ephes. Justin. Dialog. cum Tryph. Origen. hom. 13. in Num. & lib. 1. contra Celsum; Ambros. lib. 2. in Luc. Tertull. de Idololatr. Basil. de humana Christi Nativitate; Hieron. in Matth. II. & in Isai. XIX. & XLVII. Hilar. lib. 4. de Trinit. num. 36. August. serm. 2. & 5. de Epiphan.

judicium de Balaamo, quem virum Magum, & Idololatram reputabant, Veteres tulisse, in Numeros XXII. 5. animadvertimus. Evangelium Apocryphum Infantiæ Servatoris narrat, Magis, ut ad Jesum venirent, in causa fuisse oracula Zoroastri, inclyti Persarum Philosophi.

Alia tamen sedit de professione Magorum opinio apud alios Patres (16) & Interpretes (17) multos, persuasos, nihil Diabolicum in eorum studiis reprehendendum, quippe qui magicen tantum naturalem callerent. S. Epiphanius in Epitome Fidei Cathol. illos ad genus Abrahami ex Cetura, cujus filii in Magodia consederunt, pertinuisse putavit. Prophetas & viros Dei Spiritu afflatos appellat Rupertus Abbas in Matth. 2. Origenes (18) persuasum habuit, Magos illos, cum imbecilliorem solito Dæmonis virtutem in præstigiis animadvertissent, simulque novum subito exortum sidus inspexissent, autumasse ipsum esse sidus, Balaami oraculo prædictum, novi Regis ortum nuncians, cujus virtus malis Spiritibus & spectris, quæ hactenus consulverant, longe major esset. Ea persuasione ducti, in viam se date statuerunt, novum Regem adoraturi. Gemina ferme habent S. Basilius de humana Christi generat. & S. Ambrosius in Lucam lib. 3.

Tertullianus de Idololatria innuere videtur, astrologicæ scientiæ cognitione Magos de adventu Jesu Christi certiores factos fuisse. *At enim*, ait, *scientia ista usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde nativitatem alicujus de Cælo interpretetur*. Opinionem de Magis suam ex Origene mutuatus videtur S. Hieronymus in Isai. 19. hæc scribens: *Magi de Oriente docti a Dæmonibus, vel, juxta prophetiam Balaam, intelligentes natum Filium Dei, qui omnem eorum artis destrueret potestatem, venerunt Bethlehem*. Propius tamen vero nos arbitramur, Magos illos viros fuisse Sapientes, veri Dei cultores, qui, uti Job & ejus Amici, aliique facile plures, Legem scriptam cæterosque Hebræorum ritus ignorantes, Deum tamen supremum rerum arbitrum venerabantur, & Dominatorem illum a Balaamo prædictum opperiebantur. Porro Orientem universum ea ætate arrectum fuisse in expectationem Regis cujusdam, qui e Judæa veniens, totum suo Imperio mundum obnoxium facturus esset, ex Josepho de bel. l. 7. c. 12. & profanis Authoribus (19) compertum habemus. Regionis suæ obtinuisse principatum tres illos (20) [tres enim (21) numerant] vulgo traditum est. Nihil tamen adeo certum ea de re apud Veteres. Laudatur quidem pro Regia illorum dignitate Tertullianus (22); sed ille, laudato loco Psalmi LXXI. 10. *Reges Arabum & Saba dona adducent*; addit tantummodo: *Nam & Magos Reges fere habet Oriens*. Nihil hic ego moror hanc ejus opinionem, Reges nempe Orientales plerumque e Magis constitui, quod sane incertum est, &, ne quid gravius dicam, ambiguum. Quamobrem regia Magorum dignitas, si hoc tantum probetur argumento, futilis est & fabulosa.

S. Hilarius de Trinit. l. 4. n. 38. quem alterum pro ea opinione laudant, magis ambiguus est Tertulliano; ita enim habet: *In Principum labore totius Ægypti labor demonstratus est*. Alludit his verbis ad illud Isaiæ XLV. 14. quo Ægyptus, & Æthiopia Domino laborasse dicuntur. Addunt ejus sententiæ patroni S. Chrysostomum in Matth. hom. 6. Authorem Operis Imperfecti, S. Basilium hom. de ortu Christi, Hieronymastrum in Psal. 71. sed nihil apud illos est, huic opinioni satis favens.

Author Sermonis de Baptismo, S. Cypriani nomine laudatus (23), Magos diserte Reges appellat; sed Operis hujus Author habendus est Arnaldus Abbas Bonævallis, S. Bernardi amicus. Author sermonum ad Fratres in *eremo*, sub S. Augustini nomine latens, sermone XLIII. eodem illos titulo donat; sed recentissimum esse Scriptorem, sæculo XIII. vel forte XIV. non vetustiorem, ambigit nemo. Ambrosiaster, Sermone XII. trium Regum nomine eosdem viros designat (24): sed scriptum illud ad S. Cæsarium Arelatensem, sæculi VI. Scriptorem, pertinet; quin & Regum titulus recentioris manu adjectus in Codice videtur. Paschasius Radbertus in Matthæum II. noni sæculi Scriptor, Abbas Corbejensis, *Magos*, ait, *Reges extitisse, nemo qui historias legit Gentilium, ignorat*. Theophylactus apud Græcos pro Regia dignitate Magorum merito laudatur (25); sed post ipsum Nicephorus Hist. Eccl. lib. 1. c. 13. viros esse tantum scientia illustres, & potentes scribit. Hæc majoris momenti pro hac opinione apud Veteres Recentioresque occurrunt.

Si Ecclesiæ plurimum interesse arbitraremur, ut dignitas hæc Regia Magorum assereretur, non certe operam huic rei sedulam navaremus. Cum autem neque Scriptura, neque vetustissimi Patres satis expressum aliquid ea de re tradiderint, nihilque certi definierit Ecclesia, relicta singulis potestate, ut ejus veritatem pro arbitrio defendant rejiciantve; illud nobis fatendum arbitramur, Regiam hanc dignitatem, quæ firmo nullo argumento fulcitur, satis certam assertamque non esse reputandam. Olim quidem apud Persas summa erat Magorum authoritas, quorum institutioni ipsi pariter Reges tradebantur: sed regiam penes illos dignitatem fuisse uspiam, nullibi legimus, cum præsertim Christi ætate nulla esset regio neque in Perside, neque in Chaldæa, Mesopotamia, vel Arabia, ubi Reges Magi appellarentur, sive Magorum professio ad Regnum obtinendum necessaria putaretur.

Magorum numerus longa jam ætate ad tres definitus est. Id tamquam certum ubique constituit S. Leo (26); luculenter adstruit S. Cæsarius (27). Paria legas in duobus sermonibus, S. Augustini nomine inscriptis, quorum priori alibi præfixum est nomen Eusebii Emiseni (28), alteri S. Leonis in omnibus Mss. (29). Beda, Rupertus Abbas (30), & Interpretum post illos turba, quin & communis atque unica nostra ætate sermo apud Ecclesiam recepta sententia paria docent. Id autem statuendi conjecturam præbuerunt tria munerum genera, aurum, thus, & myrrha, a sanctissimis illis viris Christo oblata Matth. 2. singuli enim peculiare munus exhibuisse creduntur.

Sed communis nostra ætate sententia non semper in Ecclesia recepta est. Author Operis Imper-

per-

[16] Hieron. in Dan. 11. *Consuetudo & sermo communis Magos pro maleficis habet, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam Reges quoque, & Principes ejus gentis omnia faciant*. Vide Author. Oper. Imperf. in Matth. & Author. QQ. ex N. T. qu. 63. [17] Vatab. Brogen. Hamm. Jansen. Yprens. Erasm. Ligfoot. Maldonat. &c. [18] Orig. lib. 1. contra Celsum. Vide & homil. 13. in Num. [19] Tacit. lib. 5. Sueton. in Vespas. [20] D. Thomas, Strabus seu Gloss. ordinar. Albert. Magn. Lyran. Carthus. in Matt. Incognitus in Psal. Mald. alii plerique. [21] Leo, Ser. 1. 4. 5. 2. 7. 8. de Epiphan. Ser. 133. & 136. Append. tom. 5. S. August. Beda, Rupert. [22] Tertull. contra Judæos, & lib. 3. contra Marcion. [23] Cyprian. seu Arnald. Abb. Bonævall. serm. 2. de septem Cardinal. operibus: *Non satis est, quod Angeli locuti sunt, quod apparuit stella Regibus*. [24] Cæsar. serm. 139. in Append. tom. 5. S. August. inter Cæsarian. 43 [25] Theophylact. in Matth. 12. [26] Leo Magn. serm. 1. 4. 5. 2. 7. 8. Epiphan. & Epist. 16. cap. 1. [27] Serm. 139. Append. tom. 5. S. August. [28] Serm. 138. Append. olim 29. de temp. [29] Serm. olim 133. append. tom. 5. olim 33. de tempore. [30] Beda, Rupert. in Matth. 11.

perfecti in Matth. hom. 2. ex veterum quorumdam Apocryphorum Librorum, quibus Seth nomen præfixum erat, authoritate narrat, duodecim fuisse Magos, ex universa gente lectos, & plurium sæculorum successione ea patre in filium destinatos, ut Cœli assidua inspectione exortum novi sideris a Balaamo prædicti explorarent. Hi ad eam rem in editissima montis specula constituti, Cœlum nunquam non spectabant, donec tandem voti compotes post tot elapsa sæcula facti sunt. Author Glossæ ordinariæ, nihil certi definiens, magno numero fuisse perhibet.

Nomina quædam Magis hisce nostra ætate tradunt, toti incognita antiquitati, appellant enim *Gasparem*, *Melchiorem*, & *Balthasarem*; quæ sane recentissima sunt nomina, & nullius fidei, quemadmodum alia quædam recitata ab aliis fidei pariter sublestæ Authoribus. Ita appellatos Græcis nominibus tradunt, *Magalat*, *Galgalat*, *Saracin*; Hebraicis vero *Apprllium*, *Amerum*, *Damascum*; quæ sane commenta sunt hominis Hebraice & Græce æque imperiti. Nominant alii *Atorem*, *Statorem*, *Paratoram* (31); ludibria omnia, & fabellæ non ante duodecimum sæculum proculæ.

Author Operis imperfecti in hom. 2. narrat, S. Thomam in Perside Magos nactum instituisse, Baptismo initiasse, & in Evangelio nunciando socios adhibuisse. Ferunt, martyrium subiisse in Urbe quadam Arabiæ; in Maveg Armeniæ malunt Armeni. Sacra eorum lypsana Coloniæ monstrantur, & peculiari coluntur honore. Hæc habuimus, quæ de Magis memoria digna scriberemus.

Quo potissimum tempore in Judæam venerint, non una est Chronologorum sententia. Totus autem controversiæ cardo in loci distantia situs est, unde Viri illi ad incunabula Jesu Christi deducendi sint. Qui enim in Perside (32) statuunt, biennii iter venientibus assignant, tamquam certum constituentes, novum astrum biennio ante natum Christum micuisse, juxta illud Evangelii, narrantis, Herodem pueros omnes in Bethlehem ejusque finibus occurrentes a biennio & infra, *secundum tempus quod exquisierat a Magis*, trucidari jussisse Matth. 2. 16. Alii vero biennium ejus itineris a nato Christo exordiuntur, eo primum temporis articulo micuisse astrum putantes (33). Alii tandem ipso nati Christi tempore apparuisse sidus contendentes, XIII. dierum itinere Bethlehem viros deducunt; ut autem totam a Perside in Bethlehem viam tam brevi tempori spatio decurrisse facilius demonstrent, iter habitum dromedariis, camelis pernicissimis, statuunt.

S. Chrysostomus hom. 7. in Matth. nihil de tempore, quo Jerosolymam pervenerint, definiens, nullosque sibi biennii fines præscribens, notat, sidus paulo ante exortum Christum apparuisse; Herodem vero majori, quam pro necessitate atque tempore exorti sideris, solertia, nequid sibi deesset, biennales pueros trucidandos edixisse. Non defuerunt qui crederent, sidus illud ipso Incarnationis Filii Dei tempore paruisse (1); malunt alii tempore concepti S. Joannis Baptistæ (2). Certum tamen suscepti a Magis itineris tempus definire audet nemo, cum tamen plerique illos XIII. die post exortum Christum pervenisse Bethlehemum fateantur. Porro si e regione ad Euphratem, nempe e finibus Pathuræ, sive e Chaldæa, vel Babylonia deducantur, viginti ad minus itineris dies, prolixæ adeo viæ per mediam Arabiam desertam, camelis in ea regione familiaribus, conficiendæ, impendisse illos reputandum est; distat enim ab Euphrate Jerosolyma non minus quam CC. leucarum intervallo.

Modo aliqua de sidere, quod viam Magis signavit, & nuncium adventus Messiæ attulit, dicto proinde ab Augustino (3), *Magnifica lingua Cœli*. Veteribus nonnullis (4) creditum est, novum illud fuisse creatum in Cœlo astrum, ut exorti Messiæ nuncium mortalibus veniret; suspicantur alii, cometæ in aere apparentis speciem prætulisse (5). Putat Ligfootus (6), eamdem lucem, quæ Pastoribus prope Bethlehem micuerat, visam procul a Magis in Judæa, cui imminens regioni videbatur illos vocare. Non defuerunt qui crederent, Angelum, lucido quodam corpore instar sideris sumpto, viam Magis in Judæam monstrasse (7). Postremam hanc sententiam confirmant S. Chrysostomus, Cæsarius, Theophylactus, quippe quibus intelligentia & ratione instructum astrum credebatur, parens, evanescens, sistens, pergens, uti res exigebat.

Author Operis Imperfecti in Matthæum tradit, sidus illud in montem, unde Cœlum spectabat jam inde a pluribus sæculis succedens Magorum soboles, descendisse, atque in medio veluti sinu puerum exhibuisse, cujus capiti crux immineret; ejusque pueri voce illos esse jussos ad Judæam se conferre. Eamdem ex Libro apocrypho Seth traditionem sequutus est S. Epiphanius Hær. 26. 39. Affirmarunt alii, novum istud sidus ipsum fuisse S. Spiritum, qui Magis sub ea specie spectandum se præbuerit, quemadmodum deinde eum Jesus Baptismo ablueretur, in specie columbæ (8). Tanta fulgoris gloria micuisse tradit S. Ignatius, ut astra omnia vinceret; quin & solem, lunam, cæteraque astra post se veluti in obsequium traxisse (9): addit, suo veluti lucis imperio omnia illum habuisse subjecta, totiusque mundi oculos in sui admirationem convertisse.

Innotuisse etiam aliquid de hoc phænomeno profanis Authoribus, facile credimus. Neque hic moror cometem, septem succedentibus diebus Romæ visum post obitum Julii Cæsaris & initum ab Augustu regnum, cui Templum dedicatum est a Romanis, putantibus Cæsaris animam in astro micuisse (10). Non defuerunt quidam ex nostris, qui suspicarentur, eo præsagio adventum Jesu Christi portendi; quibus tamen ut assentiamur, longior inter utrumque illud factum distantia temporis prohibet (11). Propius ad rem idem Plinius in Hist. natur. narrat, paruisse cometen argentea coma & rutilum adeo, ut oculos intuentes ægre admitteret, in quo veluti *specie humana Dei effigies ostendebatur*.

Est quidem locus nonnullis Criticis suspectus; neque contentiosum eum illis trahendum mihi funem suscipio, ut hanc lectionem defendam. En alterum Chalcidii Philosophi Platonici, & a factis Christianis non alieni, cujus certa ætas ignoratur, apertissimum ea de re testimonium (12).

Est

(31) Vide Casaubon. in Baron. Bolland. Maji t. 1. p. 7. 8. (32) Quidam apud Theophylact. Auctor serm. 131. & 132. in Epiph. appendic. t. 5. S. August. (33) Epiphan. hæres. 52. Euseb. seu Hieron. in Chronic. Nicephor. lib. 1. c. 13. Beda, alii. (1) Bolland. April. t. 1. p. 8. Maii t. 1. p. 7. (2) Bolland. Maii tom. 1. Supplemen. pag. 519. 520. Toynard. Harmon. Evang. ann. 2. ante Christi nativitatem aer. 3. (3) August. tom. 5. serm. 200. nov. edit. olim 30. de Tempore: *Quid erat nisi magnifica lingua Cœli?* & Serm. 223. olim 24. de Divers. initio: *Stellam sibi apparentem, pro infante Verbo visibiliter loquentem; velut linguam Cœli secuti sunt.* (4) Leo Magn. serm. 1. de Epiphan. Chrysost. in Matth. hom. 2. Basil. de hum. Christ. nativitat. Ambros. lib. 2. in Luc. c. 2. Author de Mirabilib. Sacræ Script. Fulgen. hom. de Epiph. Author. serm. 131. Append. tom. 5. S. August. (5) Origen. l. 1. contra Celsum, Maldon. Grot. Sculter. (6) Ligfoot. Hor. Talmud. & in Harmon. (7) Ita Evang. Infantiæ, Chrysost. & Theophyl. in Matth. Author de Mirabilib. Sacr. Script. Cæsar. Dialog. 20. Maldon. (8) Quid. apud Author. de Mirabilib. Sacr. Scriptur. apud August. (9) Ignat. Epist. ad Ephes. Ita Evangel. Infantiæ. (10) Vide Plin. lib. 2. c. 25. (11) Natus est Christus XLI. annis post obitum Julii Cæsaris. (12) Qua vixerit ætate, incertum. Commentarium scripsit in Timæum Platonis, ubi hæc legas pag. 19.

Est aliqua sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet de ortu stellæ cujusdam, non morbos mortesque denunciantis, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conversationis, rerumque mortalium gratiam. Quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profecto sapientes viri, & consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse; quæ tibi multo melius sunt comperta, quam cæteris.

Verum ut ad naturam sideris regrediamur, certamque seligamus tot inter varias extremasque sententiam, constituendum nobis arbitramur, flammeum aliquod fuisse phænomenon in media aeris regione (1); quod Magi spectantes, cum res nova & mira, omnibus probe perpensis, videretur, in suspicionem venerunt, utrum Balaami oraculum eo veluti sidere tunc primum exorto impleretur. Quare in viam se dare cogitarunt, de novo illo Rege in Judæa nascituro sciscitaturi. De re deliberaturi, advocarunt in consilium receptam tunc temporis universo Oriente de venturo Messia opinionem (2); cujus tantum penes illos fuit pondus, ut tandem iter instituerint, viam monstrante flammeo illo phænomeno, quod, tamquam columna nubis Hebræos (3), pios illos viros deduxit.

An mortalium omnibus obtutibus patuerit illud Magorum sidus, incertum. Sunt qui Magis tantummodo visum fuisse censuerint (4); addunt alii (5), semel tantum, vel iterum lucem illam Magis in sua regione versantibus coruscasse, denuo vero ex urbe Jerosolyma egressis. Deductos per totam viam præeunte phænomeno, alii maluerunt (6); addentes, illud ingredientibus Urbem radios abscondisse, quamobrem illi de Messia Jerosolymis quæsivere. Sunt demum qui omnium oculis patuisse credant (7); quod autem cæteri per orbem populi illud non sequerentur, id unice tribuendum, sive interiori S. Spiritus virtuti, qua soli inter omnes Magi ad iter pellebantur, sive quod ejus mysterium cæteros lateret. Venientes Jerosolymam Magi constanter rogavere: *Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in Oriente*: quibus verbis datum mortalibus omnibus ejus astri aspectum credidisse videntur.

Verum si Judæis omnibus sidus affulsit, cur Herodes tanta sollicitudine tempus illius exorti quæsivit? Non abs re igitur suspicamur, spectatam in Oriente a Magis in regione sua versantibus sidus venientes Jerosolymam usque ducem præcessisse; negato autem ipsis Jerosolymæ commorantibus aliquandiu lumine, iterum se egredientibus exhibuisse, ac Bethlehem usque deduxisse; quo cum venissent, tamquam munere suo functum, evanuisse. Reductos quidem in patriam Magos ab eodem astro, Author Evangelii Infantiæ testatur; sed incertæ fidei Scriptori nulla fides præstanda est. Protevangelium S. Jacobi tradit, specus, ubi Infans jacebat, interiora subiisse sidus, atque in superiore ejus parte constitisse, quamdiu Magi supplices puerum adorarunt (8). Quæ si vera sint, minimum fuisse corpus illud lucidum, oportet. Plura ea de re silet S. Matthæus, quam ut curiositati nostræ satis habeantur.

Nec magis constat de tempore spectati a Magis sideris; neque enim certi quidquam in ea re a traditione sive ab authoritate reperitur. Paruitne biennio ante ortum Christum, an ipso ejus nascentis articulo? Hæc omnia æque latent, & operosior de illis exquisitio tædium augeret, non scientiam. Profecto si Magi a Persarum finibus ad Jesum XIII. tantum diebus natum venerunt, diu ejus ortum præcessisse sidus credendum est; præcessisse etiam reputandum aliquandiu, si ex Euphrate sive Chaldæa moventes, Jerosolymam die sexta Januarii venerunt, dum tempus nati Jesu Christi constituamus die XXV. Decembris. Cum tamen ad certam illam diem adventum Magorum in Judæam definite nulla necessitate cogamur, satis habentes si intra totum XL. dierum spatium, quo B. Virgo Bethlehemi substitit, venisse statuantur (legis enim præscripto Lev. XII. 2. XL. dies fœminis puerperis ad purificationem destinabantur) poterant iter suum confecisse sive die XX. sive XXV. sive etiam XXX. Januarii. Nam die tantum II. Februarii B. Virgo ad Templum ascendit; & Innocentium cædes nonnisi post aliquot dies jussu Herodis facta est; cum Josephus interim in Ægyptum aufugeret.

Licet autem Ecclesia Latina Festum Epiphaniæ eum die sexta Januarii composuerit, non tamen ita reputandum est, quasi tria illa mysteria, quæ unius ejus diei Religione jungit, nempe Magorum adventus, primum in nuptiis Canæ prodigium, & Baptismus Jesu Christi, ad unam eamdemque diem reapse pertineant. Sexta Januarii dies Nativitate Jesu Christi sacra longa ætate apud Græcos mansit. Nostræ ætatis Græci ea die nonnisi Baptismum Jesu Christi colunt; Magorum adventum una cum Nativitate J. C. eadem die XXV. Decembris componunt (9). Non est itaque, cur præcepto ullo adigamur, ut adventum Magorum in Bethlehem ad diem VI. Januarii definiamus; commodoque proinde itinere licet illos e Mesopotamia, Chaldæa, sive regione supra Euphratem deducere, modo confectum iter illud statuamus, antequam B. Virgo in Ægyptum proficisceretur.

Quam tenuit S. Matthæus (10), ejus historiæ de exortu sideris narrandæ ratio, duas inter se pugnantes sententias induxit. Persuasum habent aliqui, Magos Jerusolymam venientes, vidisse se in *Oriente*, seu in Orientali Cœli plaga sidus designasse (11); alii vero non in Orientali Cœli plaga, sed *exoriens astrum* aspexisse malunt (12). Prima tamen versio proclivior est; cum præsertim Evangelista eamdem adhibeat locutionem ibidem ℣. 9. ubi minime de exortu sideris usurpari potest: *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Quam viderunt in Oriente*, ait, non quam *exorientem viderant*; inepte enim nunc postremum sensum hic usurpasset Evangelista.

Igitur ut totam hanc dissertationem in unam veluti summam colligamus, statuendum est, Magos alios fuisse viros a Sapientibus eo nomine apud Persas jam inclytos; sed potius eo nomine designatos viros sapientes Arabiæ desertæ, Chaldææ, Mesopotamiæ, sive regionum ad Euphratem, qui vatis seu arioli Balaami vestigia relegerent, quique receptum haberent traditione oraculum de novo sidere, cujus fulgore exortus nunciandus esset Rex in Jacobo, Gentium omnium salus

(1) Spanhem. ex Origene, & August. Bing. Cleric. Author Præadam. lib. 4. c. 3. (2) Sueton. in Vespas. Tacit. histor. lib. 5. Cicero lib. 2. de Divinat. (3) Exod. XIII. 21. (4) Author Præadamit. lib. 4. c. 3. (5) Basil. hom. de Humana Christi Nativ. Author de Mirabilib. Sacr. Script. q. 4. Tillemont. not. 11. in Jesum Christ. Toynard. Harmon. Evang. (6) Chrysost. hom. 2. in Matth. Author Oper. imperfecti; Ambros. lib. 2. in Luc. 11. Bern. Serm. 4. in Epiph. Augu. Serm. 200 201. 203. nov. edit. Theophylact. Chronic. Alexand. (7) Evangel. Infantiæ; Ignat. ad Ephes. (8) Subiisse speluncam sidus non legitur in Græco, sed in Latino Postelli. En Græcum: Ἰδὲ ἀστὴρ ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτοὺς, ἕως τὸ ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω τοῦ σπηλαίου τῆς κεφαλῆς τοῦ παιδίου. (9) Vide Tillemont, Not. IV. sur Jesus Christ. (10) Matth. II. 2. Εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ. (11) Chrysost. Maldon. Grot. Drus. Hammon. alii. (12) Borremans, & alii quidam.

salus & expectatio. Quare viso eo sidere, inquirendum de novo Rege suscepisse. Potuit etiam id cogitantibus animos addere vel S. Spiritus repentinus in mentem illapsus, vel somnium aliquod divinitus immissum. Ad phænomenon quod attinet, non sidus illud, neque cometem habendum esse censemus, sed potius metereon quoddam, brevi dissolvendum, in media aeris regione instar sideris micans, & venientibus Jerosolymam iter monstrans; cum autem biduo triduove lumen suum prohibuisset, iterum sese monstravit, ut Bethlehem usque iter habentes duceret. Quod autem exortum sideris natalem Jesu Christi diem præcessisse statuamus, sive intra dies XIII. Magorum definiamus iter, vel tandem die XIII. a nato Christo venisse illos fateamur, nihil est; satis est enim, si ante quadragesimam diem, Purificationis B. Virginis in Lege præscriptam, venisse statuantur.

DISSERTATIO

DE NOVISSIMO PASCHATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

TOT in rem præsentem Scripta postremis hisce annis edita sunt, ut novi aliquid produci vix ac ne vix quidem possit. Quare si Sapientibus tantum viris nostro hoc Opere laboraremus, satius profecto duceremus rem totam præterire, hoc tantum vel illud systema præferre nos indicantes; singulis relinquentes, ut de suo argumenta & conjecturas supplerent. Sed cum ultro citroque data de hoc argumento Scripta raris admodum innotescant, operæ pretium duxi, si mea hac dissertatione varia saltem variorum systemata in medium producerem, allatis simul, quæ illis probandis deducta sunt, argumentis.

Recepta apud utramque Ecclesiam, Græcam scilicet Romanamque, sententia tenet, celebratum a Jesu una cum Discipulis legale Pascha vesperia feriæ quintæ, die XIV. Nisan, tum altera die XV. ejusdem mensis, supplicio crucis affectum interiisse. Cœpit inde in Ecclesia Latina mos pane azymo conficiendi mysteria; quod scilicet Christus in celebratione Paschatis, eodem quo Judæi tempore, datum illis de azymis præceptum servasse crederetur. In hanc sententiam frustra Patrum & recentiorum Interpretum testimonia laudaverim; fatendum enim est, omnes in illam summo assensu concessisse; atque ita de illa in Tridentino sess. 13. cap. 1. constitui, quasi communi Ecclesiæ suffragio reciperetur.

Quamquam autem hæc ita se habent, nunquam tamen veluti fidei dogma ab Ecclesia quidquam ea de re definitum est; nec religioni sibi duxerunt viri quidam in primis Catholici nova alia systemata procudere, ac palam defendere, nulla propterea censura ab Ecclesia inusti, nec offensionem ullam ea de re apud religiosos Fideles inducentes. Illorum quidam altera die Jesum, altera Judæos Pascha celebrasse putavere; illum nempe feria V. in vesperam declinante, hos vero feria VI. sub vesperas (1). Persuasum est aliis, Judæorum aliquos feriam quintam, alios vero feriam VI. convivio Paschali solemnem habuisse; Galilæos scilicet & Israelitas decem Tribuum per Palæstinam dispersos feriam V. Jerosolymæ & Judææ universæ incolas feriam VI. (2).

Celebratum a Jesu Christo legale Pascha negarunt alii (3), defendentes, novissimam illius cœnam vulgare fuisse convivium, nihilque a cæteris diversum. Postremam hanc opinionem, non quod cæteris præponenda videatur, sed quod possit in eodem cum reliquis authoritatis gradu consistere, adductis argumentis fulciendam suscipimus. Nec tamen propterea aliorum systematum rationes refellemus, sed integrum relinquemus Lectori, ut quascumque maluerit partes sequatur, modo id maxime præ oculis habeat, ne quid unquam contra Ecclesiæ sensum vel admittat, vel defendat.

Exploratum est, *Paschatis* nomen latissimo in Scriptura sensu patere. I. Angeli exterminatoris Exod. XII. 11. qui universam percurrens Ægyptum, sæviente gladio omnes ejus gentis primogenitos natu interfecit, servatis Hebræis, *Transitum* designat; quæ prima est & literalis ejus vocis notio. II. Pascha est etiam *Agnus* Exod. XII. 21. quem, memoriam colentes servatorum ab Angelo exterminatore Israelitarum, immolare consueverunt. III. Obtinuit pariter, ut Festum, quo accepti ea occasione beneficii, liberati nempe ab Ægypto Israelis, memoria ad posteros transmissa est, Pascha itidem appellaretur (4). IV. Eodem censebantur nomine *victimæ omnes* ea die ad sacrificium destinatæ (5); agnus enim in pervigilio ejus diei immolabatur, die nempe XIV. & decima quinta ineunte, subeunte nocte, Paschale ex illo epulum instituebatur. V. Eodem pariter *azyma*, quæ illis diebus adhibebantur in cibum (6). VI. Eodem *Agni Paschalis epulum*. Exod. XII. 43. 44. 45. 47. VII. Pervigilium pariter, tum & septem illi solemnes Paschatis dies Numer. IX. 2. XXXIII. 3. 2. Par. XXX. 1. 2. &c. Ezech. XLV. 21. & in Evangelio passim. VIII. tandem, cæremoniæ ritusque omnes, ejus Festum præcedentes comitantesque, Paschatis nomine designabantur, ut *parare Pascha* perinde habeatur, ac locum Paschali convivio opportunum instruere, victimas comparare, immolare, fermentatum panem sedulo, ne quid ex illo remaneat, conquirere; conficere, coquere azyma, &c.

Hæc simul omnia, vel ex his quædam tantummodo præ oculis habuisse Evangelistas oportet, cum missos a Jesu Discipulos ut *pararent Pascha*, & reipsa paratum ab illis narratur (7). Denique, sicut Paschæ nomen vel stricta & literali significatione, vel vaga & latiori usurpatur; ita pariter verbum *parare* & proximam aliquam præparationem, & remotam designat. Ita cum Moysis præcepto jussi sunt Hebræi, in Ægypto versantes, a die

[1] Paulus Burgensis, Paulus Midelburgensis, Lucidus, Grotius, Onuphrius, Hensenius, Cornel. Jansenius, Maldon. Scalig. Calvis. Lallemantius. Laudari etiam possunt S. Epiphan. Euthymius Zigaben. de quibus infra c
[2] Harduin. in tract. de Novissimo Paschate J. C. Vide etiam Pezron. Histor. Evangelic. [3] Toynard, Harmon. Evangel. pag. 147. 158. Lamy, variis de Paschate Lucubrationibus. [4] Exod. XII. 14. 15. 16. & passim. [5] 2. Par. XXX. 22. 23. 24. Deut. XVI. 1. 2. Num. XXVIII. 18. 19. [6] Luc. XXII. 1. *Dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* [7] Matth. XXVI. 17. 19. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7. 8. 12. 13.

a die x. Nisan agnum die xiv. vel ineunte xv. ejusdem mensis immolandum parare, agnus ille jam die x. Nisan Pascha appellatur Exod. xii. 3. 21. & agnum illum sibi comparare perinde habetur, ac *parare Pascha*. Nihil autem moror ceteros morales sensus eidem nomini tributos; scitum est enim, Apostolum 1. Cor. v. 7. ita de Jesu Christo loquutum: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*.

Receptum est etiam apud omnes, & sanctum apud Interpretes, qui conciliare aggrediuntur inter se Scripturas, ut obscuris clariorum textuum collatione lux affundatur, & quod illis deest de aliorum perspicuitate suppleatur, ambiguæ voces certis aliis determinentur; nec unquam committitur, ut inverso ordine, perspicuis certisque relictis, minus aperta & ambigua præferantur. In eo igitur, quod versamus, argumento, quinque vel sex occurrunt apud S. Joannem loci, si quis alius, perspicui, ut nihil illis desit ad evidentiam, apertis demonstrantes verbis, Jesum Christum cum Discipulis suis legale illud Pascha non celebrasse. Cur igitur, tot certis & perspicuis ejus Evangelistæ testimoniis relictis, ambigua aliorum Evangelistarum ita sequamur, ut cum facili negotio cum apertis illis conciliari possint, inverso potius ordine clara ad obscura distrahantur? Facile namque tres illi Evangelistæ ita exponi queunt, ut Jesus Paschale illud convivium non celebrasse dicatur; cum S. Joannes non facile in eam sententiam distrahatur, quæ institutum a Jesu epulum Paschale defendit. Porro S. Joannes omnium postremus ad scribendum se conferens, incertum vagumque priorum Evangelistarum sensum definivit; nec altero ipse sensu, quam obvio & Lectoribus ultro sese offerente, exponendus est.

Luculentum pariter ad eam sententiam argumentum ex ipsa textus S. Scripturæ serie deducitur. Evangelistas inter se conciliare, rem esse operosissimam, satis inter omnes arbitror convenire; neque enim alioqui diuturnæ adeo disputationes invaluissent. In tanta autem rerum difficultate ea maxime præferenda hypothesis videtur, quæ & cætera tollit incommoda, & Evangelistarum variis locis apprime congruit. Hæc autem maxime in nostra hypothesi conveniunt.

Die Dominica *ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam* (1), apud Simonem Leprosum (2) cœnaturus; qua occasione Maria soror Lazari pretioso nardi spicati unguento Jesu discumbentis pedes linivit. *In crastinum* (3), feria nempe secunda, & x. Nisan, triumphantis more Jerosolymam veniens Christus exceptus est (4). *Cum jam vespera esset hora* (5), ex Urbe digressus noctem egit Bethaniæ. *Mane* (6) feria tertia & xi. Nisan, ad Urbem regrediens, in ficulneam foliis vestitam & fructibus nudam dira imprecatus est. *Cum vespera esset* (7), Bethaniam iterum contendit. *Mane* (8) feria iv. & xii. Nisan, *venit rursus Jerosolymam*, stupentibusque Discipulis de ficulnea ante diris devota, quam pertranseuntes arefactam videbant, respondit, hæc & majora prodigia illis facienda servari, siquidem fide valerent. Tota ea dies docendis in Templo turbis exacta est.

Inclinante jam die, e Templo egredienti (9) monstrabant Discipuli ejus structuræ magnificentiam, sed ille futurum nunciavit, ut tandem omnibus eversis e tanto ædificio ne lapis quidem super lapidem remaneret. Tum ex Urbe digressus, montem Olivarum conscendit (10). Ea occasione cum in loco e regione Templi omnes sederent, interrogavere Jesum Discipuli, quo temporis articulo oracula de eversione Templi implenda essent; quibus prolixa istis oratione, a nostro argumento aliena, Jesus respondit. *Erant autem Pascha & azyma post biduum* (11); monuitque Jesus Discipulos, futurum ut eo tempore *filius hominis traderetur* ad necem, & crucem.

Mane alterius diei (12), feriæ quinta, & xiii. Nisan, *primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*, idest, qua die sub vesperas inibat dies xiv. Nisan, agni Paschalis immolationi destinata, tum & azymorum prima. Porro azymorum religio nonnisi post meridiem diei xiv. exordiebatur, & agnus Paschalis post duas horas a meridie ejusdem diei immolari debebat (13). Cum tamen instrui cœnaculum, & omni purgari fermento oporteret, neque ea omnia ipso Paschatis pervigilio, quo temporis articulo victima immolabatur, præstari commode possent, *dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha* (14)? non ea die scilicet, sed altera sequente. Missi sunt itaque Petrus & Joannes, ut pararent Pascha, ea nempe instruerent, quæ epulo Paschali altera die celebrando requirebantur, cœnaculum fermento purgavere; paravere mensam & lectos &c. Munere suo functi Apostoli, ad Magistrum regressi, omnia in promptu esse nunciarunt. Porro Apostolos illos Templum adiisse, & Pascha immolasse, ne verbum quidem in Evangelio. Quin nec ab alio fieri id oportebat, quam a patrefamilias, seu a viro, qui cæteris præerat; quare ipsum Jesum in Urbem venire, & suis ipsum manibus victimam offerre oportebat.

Vespere autem facto, ejus scilicet diei feriæ v. & xiii. Nisan, *venit Jesus cum duodecim; & cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo* (15). *Ante diem festum Paschæ* (16) [animadverte diligenter, nondum Pascha inivisse] *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, surrexit, & lavit pedes eorum*. Tum ad suos: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (17); communicare nempe vobiscum in cibo Eucharistico, cujus jam jam instituebat mysterium (18); sive iis verbis innuit, se optasse quidem novissimum Pascha, cui altera die celebrando omnia jam erant in promptu, una cum suis celebrare; nosse tamen, se adversariorum molitionibus, ne, quod maxime vellet, exequeretur, impediendum; hanc proinde novissimam esse, quam cum ipsis ageret, cœnam, antequam e mortuis resurgeret.

Post lotos Discipulorum pedes (19), iterum Jesus in eorum versari cœtu virum proditorem, cujus dolo in manus Principum Sacerdotum ipse tradendus esset, nunciavit. Quærenti autem S. Joanni, quis e Discipulis tantum nefas moliretur, illum esse significavit, cui intinctum ipse panem porrigeret; statimque intinctum panem obtulit Judæ, simul addens: *Quod facis, fac citius*. Illud Magistri dictum quinam ex Discipulis ita sunt interpretati, quasi emere aliqua ad diem festum necessaria Judas moneretur. Hæc sane omnia cum Paschali requie ea nocte ineunte minus congruunt; quemadmodum & cætera, quæ post cœnam facta narrantur, uti pedum lotio, ac deinde ex Urbe secessus; in eadem enim domo, ubi Pascha celebratum fuerat, cubare Hebræi jubebantur (20).

Jesu

[1] Joan. xii. 1. [2] Matth. xxvi. 6. [3] Joan. xii. 12. [4] Matth. xxi. 1. Marc. xi. 1. Luc. xix. 29. [5] Marc. xi. 11. Matth. xxi. 17. [6] Marc. xi. 12. Matth. xxi. 18. [7] Marc. xi. 19. [8] Marc. xi. 20. . . . 27. [9] Matth. xxiv. 1. Marc. xiii. 1. [10] Matth. xxiv. 3. Marc. xiii. 3. [11] Marc. xiv. 1. Matth. xxvi. 2. [12] Matth. xxvi. 17. Marc. xiv. 12. Luc. xxii. 7. [13] Exod. xii. 18. 19. Levit. xxiii. 5. Num. xxviii. 16. [14] Matth. xxvi. 17. 18. Marc. xiv. 13. 14. Luc. xxii. 8. 9. [15] Matth. xxvi. 20. Marc. 17. Luc. xxii. 14. [16] Joan. xiii. 1. 2. &c. [17] Idem, v. 15. 18. [18] Origen. Chrysost. homil. 82 83. [19] Joan. xiii. 21. &c. Luc. xxii. 21. &c. [20] Maimonid. Halac. Pesac.

Jesu in horto ad montem Olivarum orantem, speculatorum & satellitum Summi Sacerdotis adeoque Judæorum manus venit, armis instructa, & parata resistenti vim inferre (28); quod ne fieret in Solemnitate Paschali, leges moresque Judæorum prohibebant. Deductus reus coram Anna primum, deinde coram Caipha statuitur: interrogatur; testes audiuntur; damnatur. Quot, rogo, Legum, diei festi religionem sanctam habentium, violationes? Primo mane coram Synedrio constitutus Jesus accusatur iterum, damnaturque. Tum ad Pilatum rapitur, extra Prætorium interim se continentibus Judæis, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* Joan. 18. 28. quæ verba sedulo animadvertenda sunt; probant enim, nondum Pascha gustasse Judæos.

Frustra vero respondeas, Pascha illud a Judæis gustandum ipsas designare victimas, in Templo solemni Paschatis die & septem inde ordine succedentibus immolandas, ex Moysis sanctione Deut. 16. 1. Solemnia enim per eos dies Sacrificia, quamquam reapse *Phase* vel Pascha appellarentur, ea holocaustorum genere erant, uti constat ex Numeris xviii. 17. 23. 24. e quibus nulla pars victimæ in cibum servabatur, sed omnia igne sacro absumebantur. Poterant quidem eadem die victimæ pacificæ, quarum cibus permittitur, immolari; sed nulla erat hujusmodi sacrificiis peculiaris religio. Integrum erat hac vel illa die pio voluntate offerre; nulloque adigebantur præcepto Judæi, oblatas eo Sacrificii genere victimas die Paschatis vel alio quocumque gustare. Quis sibi persuaserit, levi adeo de causa, nullaque necessitate Judæos ab exercendo in Christum odio, struendisque adversus illum coram Pilato accusationibus, cessaturos fuisse, aut Romanum Præsidem coactum ultro citroque discurrere, ut Judæos turbasque extra Prætorium stantes alloqueretur? Fac autem voluissent Judæi; indulsisse ne volentibus Pilatus, nisi gravi de causa, qualis profecto habebatur Paschatis celebratio?

Post plures turbas, quæ vix cum religiosa Paschatis quiete componi poterant, id tandem obtinuerunt Hebræi, ut capitalis in Jesum sententia diceretur. Ductus itaque ad Calvarium, ibique actus in Crucem circa horam nonam, tertiam nempe vespertinam expiravit. Matth. xxvii. 48. &c.

Aliquanto post Judæi Præsidem convenientes, rogavere, ut crura reorum frangi juberet, ne misero illo spectaculo solemnitas Sabbathi funestaretur, *erat enim magnus dies ille Sabbathi*, vel *Magna erat ejus diei solemnitas* (29). Quænam, rogo, nisi Paschatis? Quare depositum e cruce cadaver Jesu cæterorumque; curatum ejusdem Christi cadaver a Josepho ab Arimathia & Nicodemo, linteisque obvolutum, tumulo illatum est, atque patenti ori sepulcri magnus lapis oppositus. Dein recepere se omnes, quoniam Parasceve erat (30), idest, præparatio ad diem festam, sive Sabbathum, quod occiduo sole iniens, religiosam quietem imperabat.

Totam hanc historiæ Passionis seriem a Dominica die, sexta ante Pascha, eo consilio tradendam suscepi, quo melius Lector & temporum adscriptiones & dies comparans, intelligat tandem, Paschalem solemnitatem ejus anni in diem Sabbathi incidisse, & quæ Judæi tanto studio adversus Christum feria sexta moliti sunt, nullo pacto componi posse cum quiete, quæ sanctissimæ Paschatis diei religioni debebatur.

Profecto Agrippa post affectum supplicio S. Jacobum Majorem, atque detentum in carcere S. Petrum, hunc capitali supplicio diebus Azymorum sive Paschatis (31) plectere religioni duxit: quare usque post Festum supplicii illius dilationem [norat enim quid ferrent leges moresque Judæorum] imperavit. Eodem consilio Judæi urgere necem Jesu Christi, ipso Paschatis pervigilio, ne forte diei festi religione abstinere coacti, subducendi se ab ipsorum furore spatium illi relinquerent.

Nihil moror eorum sententiam, qui duobus succedentibus diebus Pascha celebrari potuisse statuunt; quidquid enim a Rabbinis ea de re traditum est, recentiorem esse morem, veteribus Hebræis ignotum, P. Lamy post Bochartum (32) demonstravit. Quamvis autem potuerit duobus succedentibus diebus in remotissimis Provinciis Pascha celebrari, quod phasis lunæ incerta esset, id tamen cur Jerosolymis præstaretur, nihil erat. Quæ eodem addunt de translatione Festorum, si forte in feriam sextam inciderent, tum per se nullis argumentis probantur, tum & ipsorum Rabbinorum authoritate negata sunt. Videsis Ligfootum, & Bochartum.

Huic sententiæ maxime pariter favet Festum Pentecostes, nunquam non in Ecclesia die Dominica celebratum; quod proinde in eamdem diem incidisse anno J. C. emortuali, negaverit nemo. Porro Festum illud apud Judæos quinquagesima die ab Azymis ita recurrebat, ut altera ab azymis die xvi. mensis, qua nempe *homer* sive manipuli novi hordei oblatio destinata erat, periodus illa duceretur. Dies igitur decima quinta mensis, adeoque & solemnitas Paschalis cum Sabbatho componenda erat; sicut & dies decima quarta cum feria sexta sive *Parasceve*, qua Agnum Paschalem immolari, atque in cibum adhiberi, lege sanctum habebatur. Cœnam autem suam instituit Jesus vesperis diei decimę tertiæ, quam proinde alteram fuisse a cœna Paschali, apertissime convincitur. Videsis de hoc argumento luculentius disserentes P. Lamy (33) & Toynardum (34). Si quis autem illud constituerit, nimirum quintam Sabbathi, novissima cœna J. C. celebrem, xiv. lunæ incidisse, atque sequentem deinde diem decimam quintam fuisse Paschalem, tunc manipuli oblatio ad alteram diem, Sabbathum nempe, rejicienda erit; neque enim solemnitas illa Sabbathi messione rei in Templo offerendæ violabatur (35). Incidet autem, ex facta supputatione, dies Pentecostes ejus anni in Sabbathum; id quod primorum sæculorum receptæ ubique in Ecclesia disciplinæ repugnat.

Vetus est altera, & apud utramque Ecclesiam communis traditio, feria quarta majoris hebdomadæ decretum fuisse in pleno Judæorum Synedrio, ut in necem Jesu Christi conspiraretur. Quare eam diem solemni jejunio destinarunt Ecclesiæ Latina & Græca, vel saltem id pii quiqu Fideles servabant, in memoriam proditionis Judæ atque necis Jesu Christi a Judæis decretæ. Factum id autem biduo ante Pascha, diserte asserunt Evangelistæ *Erant autem Pascha & Azyma post biduum*, ait S. Marcus, xiv. 1. *& quærebant Summi Sacerdotes, quomodo Jesum dolo tenerent*. Et S. Matthæus, xxvi. 2. 3. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent & occiderent*. Profecto a feria quarta ad quintam non duæ, sed una tantum dies numeratur. Necesse fuit proinde, Pascha feria sexta sub vesperas cœpisse, cum scilicet Jesus e Cruce pendens animam efflavit.

[28] Matth. xxvi. 47. &c. Marc. xiv. 43. &c. Luc. xxii. 47. &c. Joan. xviii. 4. &c. [29] Joan. xix. 31. Ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου. [30] Luc. xxiii. 5. 6. Joan. xix. 42. [31] Act. xii. 4. [32] Lamy, Epist. de Paschate, pag. 83. Vide Bochar. de Anim. Sacr. lib. 2. cap. 50. & Petav. Not. in hæres. 51. S. Epiph. [33] Lamy, Epist. de Paschate, pag. 66. [34] Toynard. Harmon. Evangel. not. pag. 151. [35] Mischna vi. lib. 18. num. 1.

Scitum est apud omnes, Hebræos in mensibus suis digendis lunæ cursum servasse. Festum Paschale ducebatur a vesperis lunæ decimæ quartæ, ac deinde tota decima quinta celebrabatur (1). Exploratum est etiam, Hebræos festa sua omnia a vesperis ad vesperas duxisse, quemadmodum & in Scriptura disertissime asseritur (2). Igitur ut certam diem festi Paschalis assignemus, astronomicis supputationibus demonstrandum est, diem xiv. Nisan ejus anni 33. Æræ vulgaris, in feriam sextam incidisse, quod sane exactissime præstitum est a peritissimis nostræ ætatis Astronomis, ut nullus dubitationi locus relinquatur, Jesum Christum die xiv. Nisan post meridiem supplicium crucis subiisse; ac proinde Paschale convivium cum cæteris Judæis celebrare non potuisse (3).

Duo opponi possunt: 1. Annum 33. Æræ vulgaris emortualem Jesu Christi non fuisse; 11. Astronomorum nostrorum supputationes falli, vel falsem minus exactam temporum rationem sectatos esse Hebræos Jesu Christi ætate. Ad postremum hoc quod spectat, nonnisi optimis exhibitis documentis, jure id asseri potest. Quis enim credat, Judæos, in ritibus suis omnibus servandis religiosissimos, temporum supputationes neglexisse? Poterant autem illi commode istarum rerum peritiam sive proprio studio comparare, sive ope externorum Mathematicorum, quorum plures in vicina Ægypto consulere poterant.

Neque peritia aut fides Astronomorum, quos in ea supputatione P. Lancellottus, & Toynardus adhibuerunt (4), minori temeritate in suspicionem revocari potest. Porro eorum tabulas & documenta omnia, publici juris facta, in examen revocare omnibus permissum est. Vide laudatos Scriptores.

Profecto si loci Evangeliorum apertissimi essent, atque luculenter celebratum a Jesu Christo postremum Pascha demonstrarent, nihil ego morarer supputationes illas astronomicas, aut minus accuratos Judæos ea in re credere non recusarem. Cum autem nihil in Scriptura adversus illas exploratum habeatur, nullaque imperitiæ in Hebræos expostulatio, non est cur pro arbitrio defecisse illos in ratione temporum definiamus.

Quod vero ad emortualem Jesu Christi annum spectat, componendum illum cum 33. Æræ vulgaris, adductis argumentis demonstrari potest. S. Joannes munus suum Præcursoris inivit Luc. 3. 1. anno xv. Imperii Tiberii, incidit autem annus ille in xxix Æræ Vulgaris. Aliquandiu post susceptum a Præcursore munus, Jesus Christus Baptismi lavacro tinctus est. Deinde Jesus Christus duobus saltem annis & dimidio post Baptismum muneri prædicationis institit. Apud S. Joannem 2. 13. & 6. 4. gemina Paschata, præter novissimum illud, quo diem clausit (5), non obscure designantur. Non ergo ante annum xxix. Æræ vulgaris Jesus Christus interiit.

Obiit Jesus procurante Judæam Pilato, quem Præsidem ante obitum Tiberii e provincia pulsum fuisse constat. Porro Tiberius, nemine ambigente, obiit anno 37. Æræ vulgaris; ac proinde obitus Jesu Christi intra annum 29. & 37. Æræ consignandus est. Ex annis vero intra eos terminos nullus occurrit, præter 33. cujus Pascha in feriam quintam vel sextam inciderit. Is ergo emortualis Jesus Christi statuendus est (6).

Quamquam hoc systema apud Veteres communi suffragio non probatur, non defuerunt tamen inter eos, qui ejus partes defenderint; nullaque est receptior apud Priscos illos sententia, si ea tantum excipiatur, quæ legale Pascha a Jesu Christo cum Apostolis celebratum docet. Neque hic referendam censeo opinionem S. Chrysostomi in Matth. hom. xr. statuentis, postremum Pascha cum Apostolis celebrasse quidem Jesum, non vero Sacerdotes & Scribas, cæterosque Judæos, ejus neci urgendæ intentos. Quo enim furore, livore, & odio erant in Jesum, eo prohibiti sunt, ut religioni & piis illis cæremoniis vacarent; quare tota diei sacri religio in alteram diem remissa est. Hæc sane opinio, cum admodum singularis sit, omnes deterret; id tantum nobis in præsentia ejus occasione animadvertendum est, Textus S. Joannis eam fuisse vim penes S. Doctorem, ut non alia ratione sibi exponendum illum arbitraretur, quam ut postremum illud Pascha dilatum in alteram diem a Persecutoribus commisceretur.

Victor Antiochenus (7), Scriptor sæculi quinti, quippe qui S. Chrysostomum tamquam superstitem laudat, observat, Judæos biduo ante Pascha & Passionem Jesu Christi, nempe feria quarta, de perdendo Christo deliberasse; oportebat enim, ait, die xiv. primi mensis verum Agnum Paschalem in ara crucis immolari. Addit, illud S. Matthæi, *Apud te facio Pascha*, designare potuisse, non esum, sed Paschatis apparatum; luculenter enim S. Joannes narrat, qua die Christus neci traditus est, Judæos nondum Pascha gustasse. Porro, ait, hac ipsa die debuit Pascha typicum in Templo immolari, & verus Agnus in cruce mactari.

Nec minus eidem sententiæ favet Apollinaris (8), scribens, apposite S. Joannem post cœnam a Christo factam animadvertisse, nondum Festum Paschale initum: *Ante diem festum Paschæ, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Nondum igitur gustatum erat Pascha, cujus eodem tempore Agnus comedendus erat, quo Jesus Christus, verus Agnus Paschalis, in crucis ara mactaretur. Reputandum est igitur, addit ille, Textum Evangelistarum, quo dicuntur *prima die Azymorum* missi Jesu Discipuli, ut cœnaculum instruerent, nihil aliud designare, quam missos fuisse Apostolos *biduo ante Azyma*, idest, die decima tertia mensis; ac tandem cœnam illam alteram fuisse a Paschali. Hæc sane expositio præferenda est, ut simul S. Joannes cæterique Evangelistæ concilientur, eamdemque innuit S. Matthæus, recitans illud Jesu Christi ad Discipulos: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet, &c.* Quare Jesus eodem tempore in crucem actus est, quo Pascha immolabatur. Ita Apollinaris.

S. Epiphanius (9) persuasum habet, plerosque Judæorum anno Jesu Christi emortuali Pascha biduo prævertisse; quibuscum consenserit Jesus, cum alii melius edocti ad feriam sextam Festum distulerint. Hanc sententiam nostro suffragio probandam non ducimus; sed satis ex illa innui arbitror, quantis in ambagibus pro conciliando S. Joanne cum cæteris Evangelistis Prisci versarentur,

Ca-

[1] Exod. xii. 2. 6. Levit. xxiii. 5. [2] Levit. xxiii. 32. [3] Vide Tabulas impressas in calce Bibliorum Vitrè, pag. 51. Toynard. Harmon. not. pag. 145. [4] Fabium, Bovillaudum, Paulum Mildeburgensem. [5] Joan. xi. 55. xii. 1. xiii. 1. [6] Vide hæc fusius apud P. Lamy & Toynardum, ac supputationes Bovillaudi. [7] Victor Antioch. in Marc. xiv. 1. Cod. Reg. 1058. & 437. apud Toynard. Harmon. not. pag. 151. Ἐν ταύτῃ γὰρ τῇ μέλλει, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ τὸ ἀληθινὸν Πάσχα ἔδει τυθῆναι. Idem in Marc. xiv 13. Τὸ πρὸς σὲ ποιῶ τὸ Πάσχα. Δύναται δὲ τοῦτο τὴν παρασκευὴν τοῦ Πάσχα δηλοῦν, ἢ τὴν βρῶσιν . . . . ἔγνω γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν, καὶ ὥραν, τό τε τυπικὸν Πάσχα, καὶ τὸ ἀληθὲς ἐπιτελεσθῆναι. [8] Apollinar. Caten. in Joan. xviii. 28. Cod. Reg. 247. Ἐγὼ δὲ ἐπιλαβὼν, καὶ παρὰ τῶν ἄλλων Εὐαγγελιστῶν, ὅτι πρώτην τῶν ἀζύμων, τὴν πρὸ ἀζύμων καλοῦσι, τοῦτ᾽ ἐστὶ τὴν τρισκαιδεκάτην, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τὸ Πάσχα ὑπὸ τῶν μαθητῶν, τὸ δὲ δεῖπνον ... τοῦ Πάσχα βρῶσις. [9] Epiphan. Panarii, hæres. 51. & ibi Petav. in animadvers. in Epiph.

Casaubonus Exercit. 17. n. 24. P. Petavius de Doctr. Temp. c. 15. & post illos Lamy, sententiam laudant exceptam e Præfatione Chronici Alexandrini (10), Petro ejusdem Urbis Episcopo tributi, qua Paschalis Agnus novissimo Paschate a Jesu Christo degustatus negatur; sed ea ipsa hora immolatus dicitur in crucem Jesus, ac in Templo Agnus Paschalis.

Porro Author hic, sive Chronici Scriptor, huic fulciendæ sententiæ laudat testimonium S. Hyppoliti Martyris Episcopi Portuensis in Italia, ex ejus libro adversus Hæreses, quo in Opere Author evertendas aggreditur Quartadecimanorum opiniones, ita ratiocinantium: Jesus Christus Pascha celebravit die quarta decima lunæ: non altera igitur est nobis dies Paschalis habenda. Calamum acuens Author adversus illos, defendit, Jesum Christum legale Pascha tempore Passionis non degustasse; quippe qui verum esset Pascha eadem hora immolatum, qua ipse antea prædixerat. Alterum ejusdem Authoris testimonium laudari potest, & in eamdem sententiam ex libro de Paschate.

Ibi etiam servatur fragmentum Apollinaris Episcopi Hierapolitani (1), in quo sententia reprehenditur eorum qui putant, Jesum Christum cum Discipulis suis die XIV. ejusdem mensis Pascha gustasse. Tandem locus alter tamquam ex S. Clemente Alexandrino, sed perperam inscriptus, producitur, ubi paratum quidem ab Apostolis Pascha, sed a Jesu Christo minime celebratum statuitur; cum enim verum in se Agnum, cujus Judæorum agnus typus erat, exhiberet, debuit eadem uterque hora immolari. Minime negaverim, ex his fragmentis plura falso illis Authoribus inscribi, sed ex vetustissimis desumpta esse Libris, adversus Quartadecimanos plerumque scriptis, constat. Author Quæstionum ad Orthodoxos, quæstione LXV. luculenter asserit, Jesum Christum nece damnatum obiisse die Parasceves, vel Paschatis pervigilio. Euthymius Zygabenus in Commentario ad Matthæum demonstrat fusius, Christum Pascha celebrasse die XIII. Lunæ, obiisse vero die XIV. ac tandem Pascha in diem XV. incidisse.

Philoponus, qui florebat anno 604. sub Phoca, de hoc argumento disserens, negat celebratum a Jesu Christo novissimum illud & Eucharisticum Pascha. In eamdem sententiam scripsisse Metrodorum, aliosque duos, qui lucubrationes suas adversus Judæos & Quartadecimanos ediderunt, Photius Codd. 115. 116. est author. Id pariter nonnullis ætate sua probari, Theophylactus & Euthymius asseruerunt; & rem esse adhuc sub judice, Photius ipse testatur.

In nova Operum S. Joannis Damasceni Editione gemina Scripta in lucem prodiere, quibus eadem sententia defenditur (2), ibique pariter extat fragmentum Authoris cujusdam Græci, sub S. Joannis Damasceni nomine (3), in quo Scriptor asserit, Jesum Christum mysticam cœnam feria quinta, sexta hora vespertina gustasse, cum Azyma nonnisi altera die, feria nempe sexta, Christo jam in tumulum illato, exordirentur. Euthymius Zygabenus, Græcus, & Schismaticus Author, tradit, Jesum quidem una die Pascha Judaicum prævertisse; quare celebratum ab ipso Festum feria quinta, a Judæis cæteris feria sexta; esum autem in cœna vulgari pane, in quo pariter mysteria confecerit.

Laudat etiam Casaubonus pro sententia de non celebrato a Jesu Christo Paschate Cedrenum, asserentem, Jesum Christum a veteri quidem abstinuisse, novo Paschate, in quo ipse Author esset & victima, contentum.

Petrus Antiochenus in epistola ad Dominicum Patriarcham Gradensem (4), sententiam de non adhibitis in confectione mysteriorum a Jesu Christo Azymis defensurus, nostram hanc sententiam confirmat, nam, ait, dies decima tertia lunæ agebatur, cum Agnus Paschalis nonnisi quartæ decimæ addictus esset, & postera inde die Azyma inciperent. Posset etiam his omnibus jungi testimonium Judæorum (5), asserentium, Christum Jesum, quem filium Pandir & Saidæ appellant, supplicio crucis Lyddæ, sive Diospoli peremptum esse damnatumque judicio Magni Synedrii, ipso Paschatis pervigilio.

Nec altera fuisse mens Tertulliani facile creditur; ita enim ille in Libro adversus Judæos, capite VIII. *Quæ passio perfecta est die octavo Kal. April. die prima Azymorum; quo Agnum ut occiderent ad vesperam, a Moyse fuerat imperatum. Itaque omnis Synagoga filiorum Israel illum interfecit.* Quæ postrema verba ad illud Exodi XII. 47. spectant: *Omnis cœtus* [Septuag. *Synagoga*] *filiorum Israel faciet illud* (Pascha). Innuit autem Scriptor, universum Israelem in immolationem veri Agni consensisse, quod nempe omnes ejus necem postularint, eo potissimum temporis articulo, quo Agnus Typicus in Templo mactabatur.

Hilarius, Diaconus Ecclesiæ Romanæ sub Liberio, Author, uti fertur, Quæstionum in Vetus & Novum Testamentum, hanc quæstionem veluti in Ecclesia receptam proponit: *Quid causæ fuit, ut illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octavo Kal. Aprilis Pascha celebraturi erant Judæi* (6). Et in responsione rem illam tamquam certam constituit. Gemina habet in responsione ad quæstionem XCIV. *Vespere*, ait, *eadem die Pascha acturi erant.* Favere pariter eidem sententiæ S. Augustinus videtur, scribens Tract. 55. in Joan. n. 1. *Tunc primum Pascha celebravit Filius Dei, quando ex Ægypto fugientes Rubrum mare transierunt. Nunc ergo figura illa Prophetica in veritate completa est, cum sicut ovis ad immolandum ducitur Christus.* Nihil tamen in ea S. Doctoris authoritate momenti collocandum censeo, cum ambigua scribentis mens non satis appareat.

Illud tantummodo generatim asserendum arbitror, Latinos Patres non satis argumentum hoc excussisse. Cum enim Textum S. Joannis interpretantur, ita mentem suam exprimunt, quasi non degustatum a Jesu Pascha cum Judæis autumarint. Idem pariter servatur a Patribus Græcis, veluti S. Chrysostomo in Matthæum XXVI. & Theophylacto (7), illud autem S. Matthæi XXVI. 7. *Prima die Azymorum*, de pervigilio Azymorum interpretantur. Recentiores vero adeo ab ejus sedulo examine abhorruerunt, ut quicumque aliquid de contraria opinione mussitarent, illos tamquam hæreticos & ludibria venditantes insectarentur. Vechiettus carcerem Inquisitionis eo nomine sustinuit, quod a communi ea opinione recedere ausus fuerit. P. Lamy, qui primus systema suum de Paschate vulgavit (8), plurium annorum spatio deliberavit, mentem suam ea de se proditurus esset nec ne: neque antea prodere ausus est, quam vidit Toynardum eamdem opinionem defendere in sua Harmonia, quæ plurium annorum labore

(10) Petr. Alexand. in Chr. Alexand. Præfat. (1) Apollinaris Hierap. Epist. p. 6. Ἡ τὸ τῶ ἀληθινὸν τῶ Κυρίου Πάσχα ἡ θυσία ἡ μεγάλη, ὁ ἀντ' ἀμνοῦ παῖς Θεοῦ ὁ δεθεὶς ὁ ἄρας τὰς ἁμαρτίας, &c. (2) Vide nov. Edit. S. Joannis Damasceni, tom. 1. pag. 847. 648. (3) Dissert. de Azym. p. 12. (4) Apud Michaelem Le Quien, Dissert. tom. 1 Joan. Damasc. p. LXXI. Τὰ γὰρ ἄζυμα τῇ ἰε. Τὸν πάσχα γίνεσθαι συμπροσήκον ἦν. Τῇ δὲ τὰ Ἄζυμα, ἐν μόνον θύεσθαι. (5) Talmudist. Tract. Sanhedrin. (6) Auth. QQ. Vide tom. 3. q. 55. Edit. nov. qu. 55. pag. 83. & qu. 94. pag. 85. (7) In Matth. XXVI. & in Luc. XXII. Vide Dissert. de Azymis præfixam priori volumini nov. Edit. S. Joannis Damasceni a P. Le Quien. (8) Epist. de Pasch. pag. 26. 27. Gallice.

ab ipso elaborata, tandem post Authoris obitum prodiit in lucem. Frequens alterius opinionis assertorum turba non est cur magni in eam rem momenti habeatur, cum nullum hactenus sedulum examen hæc res subierit.

Vetus etiam consuetudo adhibendi panis fermentati in Sacrificio Altaris, postremum est, quo sententiam hanc fulcimus, argumentum. Vetustissimus hunc esse in Oriente morem, satis constat. Semel quotannis azymo usos esse Ebionitas, Paschalibus nempe diebus, tradit S. Epiphanius, satis innuens, reliquo anni tempore fermentatum adhibuisse. Armeni omnium primi inter Orientales, relicto fermentato, ad azyma se contulerunt (9). Joannes Philoponus, sexti sæculi, ut jam innuimus, Scriptor in tract. de azymo, testatur ætatis suæ Ægyptios nonnisi in fermentato Sacramenta conficere. Idem de recentioribus Æthiopibus affirmat Ludolphus lib. 2. Hist. Æthiop. procem. t. n. 28. & de Ægyptiis Vanslebius (10). Abraham Echellensis (11) testatur, legi in Canone Jacobitarum & Nestorianorum: *Et accipiens panem fermentatum, benedixit*, &c. Solemnis est etiam apud Græcos nostræ ætatis consuetudo, cujus incerta est & ignoti fontis origo. Est igitur, cur ab initio derivatam suspicemur.

Ad Ecclesiam vero Latinam quod attinet, P. Sirmondus Tract. de Azymis, & Cardinalis Bona de rebus Liturg. defenderunt, fermentatum panem ad decimum usque sæculum circiter apud illam obtinuisse. Contrariam sententiam tuetur Mabillonius, De Fermentato & Azymo, cui vetustior Azymorum consuetudo probatur; quin & semper apud Latinos eam mansisse traditionem contendit, adstipulatore usus Papa Leone IX. (12), qui obtrectationibus Græcorum respondens, affirmat, jam inde a MXX. annis azymo usam esse Ecclesiam, & eo pane nutritos Martyres omnes Ecclesiæ Latinæ. Constat plane, Michaelis Cerularii ætate, cum adversus Græcos fervebant concertationes, morem illum in Occidente longe lateque obtinuisse, quem veteri consuetudine receptum testantur Alcuinus Epist. 69. Rabanus Maurus Instit. Cleric. l. 1. c. 31. & S. Isidorus Hispalensis de Offic. Eccl, l. 1, Fateri tamen oportet, hanc consuetudinem tota fuisse antiquitate probatam, non satis demonstrari.

Martinus Polonus in Chronico refert, Alexandrum I. panis fermentati usum lato edicto sanxisse; qua de re nihil in falsis Decretalibus Isidori. Veteres quidem Scholastici (13) produnt, sed nullo, quantum scimus, fundamento, Leonem nescio quem Pontificem id decrevisse, studio opponendi se dogmati Ebionitarum, ferentium, Sacra mysteria in Azymis confici oportere; iis vero hæreticis dissipatis, ad Azyma Ecclesiam rediisse. Azymorum disciplinam nonnisi post Carolum Magnum obtinuisse, Græci Schismatici recentiores contendunt (14). Porro ille, inquiunt, Vandalorum Arianorum copiis auctus, Urbe sub jugum missa, morem illum, Felicis Pontificis, illis faventis, authoritate, invexit. Sed fides horum obtrectatorum ea est, quæ ne in examen quidem revocari paulo operosius mereatur.

Vetustissimus pro antiquitate panis fermentati in Ecclesia Latina Author laudari potest Scriptor Libri de Sacramentis, sub S. Ambrosii nomine inter ejus opera vulgatus (15). Porro Author ille quinti vel sexti sæculi luculenter asserit, Eucharistiam confici in *usitato pane*. Laudatur etiam veluti S. Gregorii Magni locus, ubi ille indiscriminatim in Ecclesia Romana azymum & fermentatum panem adhiberi affirmat (16). Sed in ejus impressis operibus nihil tale uspiam legitur. Patres Ecclesiæ Latinæ, & Concilia ita de pane Eucharistico agunt, quasi de pane communi (17); si quid autem ea in re præscriptum occurrit, illud tantummodo cavet, ne furfureus, ater, vulgarisque panis adhibeatur; pura etenim mysteria candidus decet & defæcatissimus panis (18). Non est igitur adeo omnibus persuasum, Jesum Christum sacra postremo in Paschate in azymis confecisse.

Nihil moror conjecturas ex eo deductas, quod Jesum Christum postremum illud Pascha omittere maxime omnium conveniret. Cum enim vetere abolito ad novum Pascha instituendum venisset, debuit Sacrificium suum eodem tempore complere, quo typicus Agnus in Templo immolabatur; ex quo fieret, ut rei veritas in locum figuræ substitueretur. Id maxime omnium commendant SS. Patres; & S. Irenæus l. 4. c. 23. disertissime asserit: *Passus est Dominus adimplens Pascha*. Origenes in Joan. tom 3. & S. Hieronymus in Matth. XXVI. in illud Evangelii, *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, interpretantur de novo Paschate, nunquam ante celebrato, cujus nova tunc fiebat institutio, vetere Paschate abolito. *Finem carnali festivitati volens imponere, umbraque transeunte Paschæ reddere veritatem*; mactata scilicet veri Agni, loco typici Paschalis, victima. Hæc quidem rationum momenta, solida alioqui, tunc plane convincunt, cum sententia solidis primum documentis asserta est. Certum aliquod assertumque factum nullis omnino contrariis conjecturis expugnatur, ubi hæ solummodo ex rerum convenientia trahantur: at si quæ fuerint, naturaliter ex illo profluentes, hisce sane plurimum juvatur.

Cum igitur Ecclesia integrum cuique permittat, ut, quod maxime systema placuerit, illud teneat; & deductum huc usque systema difficultates omnes subducat, Textus Evangelistarum explicet, repugnantes in speciem conciliet, nihilque habeat incommodi, nihil pugnans cum legibus historiæ, Chronologiæ, & moribus Judæorum; congruat autem maxime cum vetustissima de Festo Pentecostes Dominica die celebrato traditione, & jejunio feriæ quartæ, a primis sæculis instituto in memoriam initi a Judæis adversus Jesum biduo ante Pascha consilii; quadret insuper cum vetustissima Ecclesiæ Græcæ quin & Latinæ per plura sæcula consuetudine, mysteria nempe in azymis conficiendi; non est cur in eodem cum ceteris systematibus authoritatis gradu consistere non possit. Præsertim cum adstipulatores habeat plures Veteres Patres, uti Tertullianum, Hilarium Diaconum, & Authores sub nomine S. Clementis Alexandrini, S. Petri itidem Alexandrini laudatos, Philoponum, Metrodorum, Cedrenum, aliosque nonnullos veteres; & placuerit Vecchietto, Toynardo, & P. Lamy. Ita pariter persuasum habent Judæi; neque nostræ ætatis plures ab eadem sententia recedunt. Author quæstionum ad Orthodoxos, sub ementito S. Justini martyris nomine impressus, quæstione 65. haud ambigue tradit, Jesum Christum Sententiam mortis retulisse die Parasceve Paschæ juxta Evangelium S. Joannis. Euthymius Zigabenus in Matt. cap. XLIII. tom. 19. Biblioth. PP. pag. 577. non spernendis argumentis evincit Christum Pascha celebrasse die XIII. Lunæ; obiisse die XIV. Pascha vero in diem XV. Nisan incidisse. S. Chrysostomus hom. 82. in Joannem pag. 414. Theophylactus ibidem sentiunt Jesum

(9) Narratio de rebus Armen. c. 8. Auct. Biblioth. PP. col. 294. (10) Vansleb, Voyage d'Egypte. (11) Abrah. Echell. Epist. ad Joan. Morin. inter Marini Epist. 55. (12) Leo IX. ep. ad Michael. Cornel. Idem Epist. 1. (13) Alens. Bonavent. Scotus Durand. Thom. in 4. Sent. Distinct. 11. (14) Epiphan. Constantinopolit. & alii apud Michael. Le Quien Dissertat. de Azymis. (15) Ambros. seu quis alius, lib. 4. de Sacram. c. 4. (16) Greg. Mag. apud D. Thomam, Catena in Matthæum, c. 28, & lib. 2. contra errores Græcorum. Vide & Phot. Cod. 252. (17) Tertull. lib. 5. c. 5. ad Uxorem; August. Serm. 217. & 229. Epist. 59. & alii passim. (18) Conc. Tolet. XVI. can. 4.

Jesum Christum Pascha anticipasse, idque pariter statuit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. pag. 1032. in Joannem. Inter nostrates ita Evangelium exponit D. Toumeux in sua hebdomada Sancta ad diem Jovis & Veneris sancti. Bartholoccius par. 2. pag. 572. & seq. suse redarguit Marcum Antonium de Dominis, qui scripserat Dominum Christum in novissima cœna cum discipulis celebrata, Pascha Legale prævertisse; Judæos vero Pascha illud ad diem Sabbathi protraxisse. Si quis Legendum illum assumpserit argumenta nova offendet pro hac sententia, & quæ adversariis reponat, nanciscetur.

Hæc quidem pro ista sententia: modo vero quæ pro communi opinione, paucis exponenda. Ad hanc autem controversiam dirimendam, unice spectandam esse literam S. Textus, utra pars proclivem magis interpretationem, & hominum sensui magis accommodatam præferat, a nemine revocatur in dubium. Quæ enim in auxilium prioris sententiæ, antea expositæ, adducta sunt, ex Astronomicis supputationibus, & serie chronologica dierum Antepaschalium petita, hæc minoris ponderis sunt momenta. Neque enim illa dierum series, ex quatuor Evangelistis derivata, utrum exacta satis sit, ad sensum demonstrari posse arbitror, uti ex variis variorum Harmoniis intelligimus. Lunares vero supputationes accuratissimas tenuisse Judæos, ambiguum est maxime, cum & erroris illi ea in re accusentur in Constitutionibus Apostolicis lib. 5. c. 9. *In ipso etiam calculo falluntur, quem putant se recte ponere, ut omni ex parte errent*, &c. Omnibus igitur relictis conjecturis, ipse adeundus est S. Scripturæ Textus; sed cum utraque pars aperta pro se afferat testimonia, utra cum veritate consentire censenda sint, a nemine melius quam a traditione judicium petitur. Quæ enim constantiorem & vetustiorem, ipsi penæ rei, de qua agitur, coævam traditionem afferri, huic plane lis ab æquis rerum æstimatoribus adjudicanda est. Magna vis est veritatis, nec fieri unquam potest, ut persuasio ab ipso pene tempore rei gestæ incepta, & longe lateque obtinens, non aliquid habeat pro se veritatis. Quæ cum in aliis omnibus verissima sint, in assignando ultimæ cœnæ a Christo Domino celebratæ tempore multo sunt evidentiora. Quis enim credat, pios illos Fideles, Apostolis coævos, qui omnia Jesu Christi gesta tam solerter notarunt, ut nec minoris momenti multa negligerent, circa tempus novissimæ cœnæ a Jesu Christo celebratæ, cum scilicet augustissimum illud Eucharistiæ mysterium institutum est, incuriosos se habuisse? Quis credat, noluisse Fideles illos sese a viris Apostolicis ea de re doceri, occasione controversiæ a Quartadecimanis agitatæ? Universam autem Veterum traditionem pro celebrato a Jesu novissimo illo Paschate stare, ipsis fatentibus contrariæ sententiæ assertoribus, compertum est. Porro traditionem illam ex ipsis incepisse Apostolicis temporibus inde intelligimus, quod Christiani illi defendentes Paschalem solemnitatem die XIV. Lunæ cum Judæis celebrari oportere, exemplo se Christi, qui Pascha eadem die celebraverat, tuebantur. Lege S. Epiphanium in hæresi Audianorum, & Chronicon Alexandrinum, & quod maxime proposito favet, fragmentum epistolæ Polycratis Episcopi Ephesini ad Victorem Pontificem Romanum, quod recitat Eusebius hist. Eccl. lib. 5. cap. 24. Ita enim habet: *Isti omnes diem Paschatis* XIV. *die Lunæ ex Evangelii præscripto observarunt*. Ubinam id præcipit Evangelium, nisi proposito Jesu Christi exemplo, qui novissimum Pascha die XIV. Nisan celebravit? Si enim solummodo celebraturum se fuisse Pascha illud Christus significasset, si in vivis egisset, nullum profecto datum in Evangelio præceptum ea de re Christianis censeretur; quin potius id sibi præscripsissent, nunquam committendum esse a Fidelibus, ut unum idemque haberent cum Judæis Pascha, quandoquidem de servato a Jesu Christo legali Paschate, quo tempore Legis præcepta ejus morte dissolvenda erant, nihil in Evangelio legebatur. Nec sane aliter huic Quartadecimanorum argumento reposuerunt sequioris ætatis Scriptores Catholici, apud quos, abolita jam vel obscurata temporis, quo a Jesu novissima illa cœna instituta est, memoria, contraria opinio de non celebrato a Jesu Paschate gliscere apud quosdam cœperat. Reponebant enim illi Quartadecimanis, Christum novissimum Pascha cum Judæis non celebrasse; quare neque Christianis id esse servandum colligebant. Hæc Christiani Scriptores, sed rari & sequioris ætatis; vetustissimi enim, sicut & cæterorum turba, id ultro dantes adversariis, Christum scilicet legale Pascha celebrasse, aliis illos argumentis vincebant. Secundi ergo sæculi traditio pro celebrato a Jesu Paschate stabat.

At enim Tertullianus, qui pariter sub Victore florebat, Christum obiisse dicit *die primo azymorum, quo Agnus ut occideretur ad vesperam*, Moyses imperaverat. Quid hic adversus communem sententiam? Prima dies azymorum æque dicebatur & dies XIV. Lunæ & dies XV. proxime succedens; cum autem dies XV. prima azymorum solemnis haberetur, & festi apud Judæos dies a vesperis diei præcedentis inirent, tum & in vesperis præcedentis diei XIV. Lunæ, Paschalis Agnus immolaretur, rectissime utique dictum est a Tertulliano, Christum die prima azymorum obiisse, die scilicet XV. Lunæ, cujus exordium, vesperas nempe diei præcedentis, Paschalis Agnus consecraverat. Vetus igitur, ab ipsis ferme Apostolicis temporibus incepta traditio, claros in utramque partem Scripturæ locos ad sententiam de celebrato a Christo novissimo Paschate duci jubet.

Superest, ut, quos diximus, apertos saltem in speciem Evangelii locos pro communi hac sententia, apertos reipsa in medium adductos demonstremus. Prima azymorum dies illa sine controversia habebatur, quæ immolationi Agni proxime succedens, hebdomadæ Paschalis ducebat exordium. *Decimaquinta dies mensis hujus solemnitas azymorum est. Septem diebus azyma comedetis; dies primus erit vobis celeberrimus*. Levit. XXIII. 5. Vide & Numer. XXVIII. 16. 17. Quare si dies XIV. ipsa eadem pariter dies prima azymorum appellatur, ejus rei in causa fuisse oportet, quod cum Festi Judæorum dies a vesperis præcedentis inirent, participatione quadam dies XIV. Lunæ prima azymorum diceretur; vesperæ enim ejusdem diei initium erant solemnitatis azymorum die XV. celebrandæ. Diei igitur primæ azymorum propria non erat diei XIV. sed ab altera die, scilicet XV. communicata appellatio. Porro mirum est, eodem pariter primæ diei azymorum nomine diem quoque XIII. Lunæ censeri, quod scilicet in vesperis ejusdem diei XIII. dies XIV. Lunæ iniret, ut quam dies ista XIV. a proxima die XV. trahebat appellationem, eamdem in diem XIII. reflecteret, tresque sibi succedentes dies eodem communi nomine primæ diei azymorum nuncuparentur. Nemo sane prudens id commissum a Judæis, nisi apertissimis Scripturæ locis convictus, crederet. Id autem reipsa factum constituunt contrariæ sententiæ patroni; & ita constituunt, ut nisi hæc Textus Evangelici interpretatio probetur, actum sit de illorum systemate universo. Ita ergo habet Evangelium Matth. 26. 17. *Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus Pascha?* Tum Marc. 14. 12. *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant* &c. Et Luc. 22. 7. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*. Tres isti Evangelistæ uno assensu, & una eademque phrasi asserunt, qua die gemini Apostoli ad parandum cœnaculum missi sunt, eam primam azymorum fuisse. Quam vero? diem ne decimam quintam Nisan, quæ prima azymorum solemni nomine appellabatur? Minime, inquiunt ex illis Evangelistis duo, sed dies agebatur prima azymorum quidem, sed qua *necesse* simul *erat occidi*

cidi Pascha, nempe xiv. Nisan, quæ sane prima azymorum rectissime dicebatur, cum in ejus diei vesperis azyma inirent. In hac interpretatione & sententia omnia plana sunt, non item in contraria, qua illud *prima die azymorum* interpretari coguntur ejus assertores de die xiii. Nisan. Quis, rogo, hanc interpretationem arduam non esse, & vix ipsis, a quibus adstruitur, probatam, non intelliget? Promant illi similem loquendi phrasim ex Sacris Libris, sive e cæteris etiam Recentiorum Lucubrationibus, vel unam, qua dies ante pervigilium Festi tamquam dies ipsa festa habeatur appelleturque. Nunc autem insueta hac phrasi usos non unum modo vel duos, sed & tres simul Evangelistas, dissito tempore, loco & consilio scribentes, constituunt.

Sed iterum ad Evangelium. *Venit*, ait S. Lucas, *prima dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*: tunc missos narrat ad instruendum convivium duos ex Discipulis, qui *euntes paraverunt Pascha*. Reversis illis ad Jesum, & præsto esse omnia narrantibus, *cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo*. Idem pariter apud S. Matthæum legas; postquam enim parata sunt omnia a Discipulis, ait: *Vespere facto, discumbebat cum duodecim*. Plus aliquid addit S. Marcus, nempe & paratum a Discipulis Pascha, in cœnaculo grandi & strato, atque intra Urbem sito; tum ait: *Vespere facto, venit cum duodecim*. Quo, rogo, venit? scilicet ad locum paratum celebrando convivio Paschali, de quo Evangelista ille sermonem instituit. Cur tam solerter tres illi Scriptores adnotavere, Jesum vespere facto discubuisse? Quænam hora innuitur a S. Matthæo pro cœna instituenda, nisi hora Paschali convivio præscripta, vespertina illa scilicet, uti ab omnibus Evangelistis fideliter notatum est?

Cum cœnaret Jesus, familiare cum Apostolis colloquium exorsus, ait: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*. Fallor? an hæc verba pro convivio Paschali tunc instituto designando, demonstrationis loco habenda sunt? Quamquam enim a SS. Patribus nonnullis de Eucharistico convivio mystice exponuntur; nihil tamen vetat, quin ad literam pariter de Paschali intelligenda sint, uti reipsa a plerisque tum ex Patribus cum ex Interpretibus omnium ætatum exposita sunt. Periculosum est maxime, a communi Patrum & Interpretum expositione recedere, nisi forte literæ Textus apertus sit adeo, ut aliam a communi inire interpretationis viam cogat.

Ad hæc, vix ac ne vix quidem persuademur, Jesum parando cœnaculo pro celebratione Paschatis tam sedulo missis duobus Discipulis studuisse, si neque sibi gustandam cœnam illam norat, neque Apostolis huc illuc morte sua dispergendis integrum fore præviderat, ut quieti in unum convivii locum convenirent. Cur Apostolis rogantibus, quo in loco Pascha celebrare decrevisset, non statim prodidit, omnem sibi Paschalis illius cœnæ gustandæ occasionem Judæorum livore tollendam? An forte de imminenti sibi morte triste nuncium afferre Discipulis timebat, quos paulo antea de omnibus fecerat certiores: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur?*

At enim S. Joannes diserte asserit, Jesum neci traditum die *Parasceve Paschæ*, atque defuncta reorum corpora e supplicio deposita fuisse ante solis occasum, ne *remanerent in cruce corpora Sabbatho; erat enim magnus dies ille Sabbathi*; idest solemnitas azymorum cum Sabbatho illo inibat. Addit tandem, Judæos, ne in Prætorium ingrederentur, religione absterritos fuisse, *ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha*. Nondum igitur feria sexta, quando scilicet Jesus ad Pilati Tribunal ductus fuit, Paschalem Agnum degustaverant. Scitum est, quam verbis hisce Evangelistæ interpretationem Viri doctissimi communis sententiæ assertores tribuerint. Nam ea quæ de Parasceve Paschatis a S. Joanne narrantur, hæc intelligenda censent de die Parasceves intra Paschalem hebdomadam futura. Præceptum enim erat apud Judæos, quemadmodum & Bochartus observat, singulos hebdomadæ dies ita distingui: Prima Sabbathorum, secunda Sabbathorum &c. quinta Sabbathorum, & Parasceve. Itaque feria sexta Paschalis hebdomadæ rectissime Parasceve Paschæ appellata est. Quod autem inferre pedem in Prætorium religiosi ducerent Hebræi, inde causa repetenda est, quod Paschalem solemnitatem victimarum pacificarum immolatione solemniorem habere consuevissent, quarum esus singulis, modo expiatis, permittebatur. Ita servatum legas in solemni illo Paschate sub Ezechia celebrato: *Immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum* 2. Par. xxx. 22. Ne igitur quidquam e consuetis cæremoniis detraheretur, id potius sibi committendum censuerunt Hebræi, gens rituum suorum studiosissima, ut Præses Romanus ultro citroque discurreret, quam ut sacris cæremoniis aliquid afferretur incommodi.

Caverunt tandem, ne remanerent in cruce corpora Sabbatho, quod dies ille Sabbathi in hebdomadam Paschalem incidens duplicis Festi conjunctione solemnitatem augeret. Ita quidem S. Joannis Textum Viri sine controversia doctissimi interpretantur, quorum expositio, tametsi multum ab evidentia abesse videtur, illud tamen apud æquos rerum æstimatores evincit, ut non minus proclivis saltem & literalis habeatur, quam contrariæ sententiæ altera, die xiii. Nisan primæ azymorum appellationem vindicans.

Quæ cum ita sint, eadem plane, quæ prius adducta est, consecutio recurrit. Cum de aliqua Scripturæ interpretatione res est, si utriusque partis Textus apertissimi in speciem videantur, illius est potior ratio, cui omnium sæculorum traditio favet. Favet autem huic postremæ sententiæ, non recepta utcumque, sed ab ipsis Apostolicis temporibus incepta traditio, quam Fidelium omnium sæculorum persuasio fulcit; doctissimorum Criticorum Maudit, Tillemontii, Bessini, &c. suffragia confirmant; ac tandem ipsa Ecclesiæ, nisi definientis, saltem in illam inclinantis, authoritas vindicat.

DISSERTATIO

DE TENEBRIS IN OBITU JESU CHRISTI.

INter potissima prodigia, in obitu Jesu Christi spectata, suum sibi vendicant locum tenebræ illæ, queis solido trium horarum spatio mundi facies obducta fuit a meridie ad tertiam usque horam vespertinam. Tunc sane nullæ intercedere poterant eclypses; ea anni tempestas erat, qua serenus maxime & purus regnat aer, in Palæstina potissimum; ac tandem ea diei hora, qua & Sol maxime fervet, & vividiori lumine aerem illustrat. Hoc quidem prodigium spectatores non habuit raros, nec uno in loco factum est, sive parum celebri, sive ab hominum cognitione remoto. *Tenebræ factæ sunt super universam terram*; totum nempe hemisphærium nostrum continerunt; & cum Sol dimidium diei cursum emensus fuisset, quo scilicet tempore totam hemisphærii oppositi partem habebant tenebræ: ideo jure meritoque in universam terram inductæ tenebræ illius eclypsis dicuntur; nisi malueris, solemni Scripturæ phrasi, universæ terræ nomine Palæstinam, & regiones finitimas designari.

Pervigilium tunc agebatur [vel forte dies ipse festus] solemnissimi Judæorum Festi, cum scilicet undique Judæi Jerosolymam confluxerant, Pascha celebraturi. Phænomenon est non momento temporis spectatum, quod brevitate sua nec videri facile potest, nec causæ suæ pronum exhibet documentum. Tribus integris horis perseveravit, ut omnium oculis commode exploraretur, omnium scilicet ea ætate, qua nihil erat expendendis omnibus attentius. Quibus omnibus prodigii adjunctis in unum collectis, ad eum certitudinis gradum res illa pertingit ut aliæ in historiis nulla, vel rara.

Propositum est autem nobis in hac Dissertatione naturam scrutari, causas, effecta, diuturnitatem, & amplitudinem celeberrimi hujus phænomeni, omnia expendere ad normam severioris critices, & veritatem adstruere testimoniis Profanorum Scriptorum, apud quos de illo mentio est.

Christiani nominis osores quidam (1) ajebant, tenebras in obitu Christi nihil fuisse aliud, quam eclypsim, quam rudes Christi Discipuli spectantes, rei maxime naturali prodigii gloriam illi vindicarint. Ipsi vero, qui talia objiciebant, argumentum præbebant inscitiæ suæ, & animi adversus res nostras occupati. Cum enim Pascha Judaicum tum temporis ageretur, nullæ poterant esse in plenilunio eclypses. Raræ sunt etiam eclypses, quæ totum Solis discum obducant, quamobrem & universam terræ faciem obumbrent tenebræ: breves sunt plerumque, cum nostra tribus horis perseveraverit, & Solis faciem universæ terræ interdixerit. *Et ne forsitan videretur umbra terræ, vel orbis lunæ Soli oppositus breves & ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut causantium occasio tolleretur*, ait S. Hieronymus.

Patia observat Origenes (2), addens insuper, Evangelistarum sinceritate factum esse, ut talia objicerentur. Habent quædam S. Lucæ Exemplaria (3), terram tenebris horruisse, *deficiente sole*: respondet autem ille, phrasim hanc *deficiente sole* deesse in optimis Exemplaribus; ut quæ illam præferunt, piam fraudem passa sint indocti alicujus Christiani, qui eam substituendam censuerit perspicuitatis gratia; sive invidi cujuspiam & dolosi, qui hanc sibi præbuerit occasionem struendi calumnias in Ecclesiam, quasi scilicet arguens Evangelistas, obtrudantes eclypsim alieno prorsus tempore. Utcumque autem res habuerit sese de Origenis exemplaribus, constat, nulla modo Exemplaria hanc lectionem servare: *Deficiente sole*. Legitur in nonnullis nostris, & in omnibus S. Lucæ: *Et obtenebratus est Sol*.

Idem Origenes (4) testatur, viros quosdam sæculi sapientes aliud habere, quod veritati hujus prodigii opponant. Qui fieri potuit, inquiunt illi, ut patens adeo & supra fidem prodigium nemini nisi Christianis innotuerit, non Græcis, non Barbaris ullis Scriptoribus, non publicos Annales, non earum rerum fabellas exarantibus? Sunt ista quidem per se valida; multo autem validiora, quod Origenis ætate recens adhuc memoria ejus rei perseverare potuit, cum nonnisi CLXXXX. annis post Christum Origenes floreret (5). Hoc plane silentium rei veritatem revocat in suspicionem, atque de Evangelistarum fide minus recta sentire homines cogit.

Duo ad hæc reponit Origines; I. Fieri potuisse, ut tenebris illis non tota quidem universi facies, sed Jerosolymæ tantum & vicinæ regionis tegeretur. II. Mentionem de illis occurrere apud Phlegontem Profanum Scriptorem. Ego vero, addit, illud reputaverim, ut, quemadmodum cetera in obitu Christi prodigia nonnisi Jerosolyma spectavit, ibi enim scissum est velum Templi, ibi rupes confractæ, aperta sepulchra: ita pariter tenebris nonnisi Judæa vel forte Urbs Jerosolyma obduceretur; neque enim novum est in Scriptura, ut universæ terræ nomine Judæa designetur (6). Non est igitur, cur e Profanorum Authorum silentio sinistri aliquid de Evangelistis suspicemur.

Meminit quidem, addit ille, Phlegon in Annalibus eclypseos cujusdam sub Tiberio; sed in plenilunio eam contigisse silet. Quid est autem monstri, si extra plenilunii tempus spectetur eclypsis? Si pergant, & urgeant, prosequitur Origenes, Unde ergo tenebræ nisi ex eclypsi? Reponit ille, sermonem esse tantum apud Evangelistas de tenebris terræ faciem tenentibus; nihil de sole, sive eclypsi; unde facilis conjectura est, opacissimarum nubium objectu solares radios prohibitos, ne Judæam, sive Jerosolymam illustrarent.

Nec abs re canitur, tenebras illas ejusdem esse causæ ac Ægypti tenebras sub Moyse Exodi x. 21. 22. quibus caligo offusa est Ægypto, cum regio Hebræorum puræ lucis sereno frueretur. Ægypti tenebræ triduo duravere; tenebræ Jerosolymæ tribus tantum horis; priores illæ hisce præluserunt; ut enim Moyses tenebras in Ægyptum inducturus sublatis ad Cœlum manibus Dominum invocavit; ita Jesus Christus caliginem offusurus in Judæam sive Jerosolymam, manus extendit in Cruce ad populum ingratis vocibus clamantem: *Crucifige, crucifige eum*. Porro ea caligo,

a

[1] Apud Origen. in Matth. tract. 35. & Hieronym. in Matth. xxvii. [2] In Matth. xxxv. tract. 35. pag. 158. col. 1. [3] Omnia Græca exemplaria habent: Καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, *Et obtenebratus est Sol*. Quod tantundem ferme est, ac *Deficiente Sole*. [4] Ibidem. [5] Obiit J. C. ann. 33. Æræ Vulg. & Origenes natus est circa ann. 185. J. C. [6] 3. Reg. xviii. 10. *Gens aut Regnum, quo non miserit Dominus meus te requirere*. Luc. II. 1. *Exiit Edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus Orbis*.

ligo, atra licet & obſcura, nonniſi emblemate quodam deſignabat tenebras, in quibus hodie errare coguntur Judæi; puram lucem, e ſole juſtitiæ derivatam, Eccleſia interim Chriſtiana hauriente. Hæc ferme Origenes.

Paſchaſius Radbertus in Matth. xxvii. lib. 12. pag. 1171. &c. poſt relatam, ſuppreſſo tamen nomine, Origenis ſententiam, adverſus illum certat, tenebras in obitu Chriſti non Judææ modo, ſed univerſæ terræ faciem tenuiſſe; inductas vero non objectu nubium inter ſolem & lunam, quemadmodum in Ægypti tenebris ſub Moyſe factum eſt, ſed vera eclypſi, quamquam contra naturæ leges; alienum eſt enim ab eclypſibus plenilunii tempus. Porro ſol ipſe, ut ait S. Lucas xxiii. 45. Ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος *obſcuratus eſt*; quibus verbis ſatis explicavit ambiguas aliorum Evangeliſtarum voces (7): *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*. Recta inde conſecutione ducitur, lumen ſuum negaſſe tunc Cœlum mundo univerſo, ut ad literam impleretur illud Amus viii. 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. Aſſertores ejus rei laudat Oroſium, Phlegontem, & Dionyſium Areopagitam, apud quos de tenebris in obitu Chriſti mentio.

S. Chryſoſtomus hom. 89. in Matth. tunc primo factum cenſet, ut Jeſus poſtulantibus Judæis *ſignum de Cœlo*, argumentum miſſionis ſuæ (8), exhiberet. Ad Crucem & ad exitum uſque vitæ expectavit, ut illuſtre virtutis ſuæ argumentum daret. Tenebris univerſam terræ faciem obduxit, quemadmodum & in Ægypto præſtiterat, quo tempore primum Paſcha celebrandum fuerat a Judæis, paulo ante quam ex ea regione pedem referrent. Nec prætereunda eſt temporis animadverſio, quo prodigium illud ſpectatum eſt; meridies enim agebatur, quo tempore terra univerſa, vel ſaltem noſtrum hemiſpherium luce ſolis nitebat; qua prohibita, totam late terram tenentibus tenebris, univerſi oculos inuſitatum prodigium traxit.

Nec ad eclypſim rem totam redigendam eſſe probat caliginis hujus ſive diuturnitas, ſive etiam amplitudo. Breves enim ſunt eclypſes, addit ille, nec mundum tenent univerſum. Nunc vero contraria omnia; trium horarum ſpatium tenebris per univerſam terram offuſis datum eſt. Sed cur inuſitato hoc phænomeno parum adeo curioſitas hominum commota eſt? Ejus rei cauſa repetenda eſt ſive ex obfirmato in nequitia hominum corde, ſive ex mortalium incurioſitate & ignorantia. Aliis enim cauſam ne ſciſcitari quidem ſuccurrit; alii rem totam tribuerunt eclypſi, nihil ultra quærentes; Judæi, prodigii teſtes, ſive alteri potius, quam Jeſu Chriſto, adſcripſerunt, ſive incurioſis oculis ſpectarunt hæc omnia, quemadmodum & cætera a Jeſu Chriſto patrata prodigia. Brevioribus verbis eadem repetunt Euthymius, & Theophylactus.

S. Gregorio Nazianzeno, S. Cyrillo Alexdrino, Theodoreto, & S. Hieronymo, & S. Hilario nec eclypſes, nec nubes probantur: Habent hi perſuaſum; ſolis ignem ea occaſione extinctum fuiſſe, ſive radios ſuos in ſe recepiſſe fulgentiſſimum aſtrum, ut ſine luce & ſine fulgore ſeu luctum ageret pro obitu Servatoris, ſeu horrorem præferret ſceleris & parricidii Judæorum. Tenebris horruiſſe ſolem, ſcribit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 42. ac deinde priſtinam lucem reſumpſiſſe; Lumen ergo antea quodammodo extinctum erat. Lucem & radios in ſe continuiſſe, ait S. Cyrillus Alexandrinus in Joel ii. ne in terram illos mitteret.

Sol non occidit, ait S. Hilarius de Trinit. l. 3. n. 11. *ſed refugit. Quid refugiſſe dico? Non receptus in nubem eſt, ſed de curſu operis defecit*. Dolens obitu Servatoris ſui Cœlum, conceptum de ſcelere Judæorum horrorem cum alio argumento exhibere non poſſet, tenebris faciem in meridie obduxit, ait Theodoretus in Iſai. 5.

S. Hieronymus in illud Joelis c. ii. *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magna*, habet ſolem cum aſpicere non poſſet Dominum ex infami pendentem patibulo, velaſſe faciem ſuam tenebris, & luctuoſa nocte mundum univerſum veluti ad lugendum invitaſſe. Tunc autem lunam veluti in ſanguinem mutatam fuiſſe, vel ſanguineum prætuliſſe colorem, ut in eclypſibus; quamvis enim nihil tale expreſſerint Evangeliſtæ, hæc tamen oraculi Prophetici pars impleta non abs te creditur.

Innuit Tertullianus Apolog. c. 21. Solem radios ſuos veluti in ſe recepiſſe, nulla licet nube aerem tenente. Dies ſtatim defecit, ſole licet medium diei curſum nondum tranſgreſſo. *Eodem momento dies, medium orbem ſignante ſole, ſubducta eſt*. Profani, addit ille, eclypſim putavere, ignorantes Prophetico id oraculo Amos viii. 9. olim pronunciatum fuiſſe, in obitu Jeſu Chriſti implendum. Quicumque ejus rei cauſam ſcrutati ſunt, cum certam nullam inveniſſent, rem totam negarunt. *Et tamen*, ait, *eum mundi caſum relatum in arcanis veſtris habetis*. Rufinus pariter lib. 9. c. 6. ita loquentem ad Profanos inducit S. Lucianum, Sacerdotem Antiochenum & Martyrem, anno 312. *Requirite in Annalibus veſtris: invenietis, temporibus Pilati, Chriſto patiente, fugato Sole, irruptum tenebris diem*.

S. Leo (9) de hoc argumento: *Denſis tenebris ſplendor ſolis obductus, extraordinariæ nocti ſubdidit diem*. Elementa omnia, addit ille alibi, obſequium ſuum Judæis negarunt: *Nobis ſol ſervitutem ſuam diemque ſubtraxit*. Innuit autem, nedum Solem, ſed & aſtra lumen ſuum in horroris argumentum pro obitu Chriſti negaſſe.

S. Auguſtinus, rationem prodigii relinquens intactam, prodigium tamen re ipſa agnoſcit, cum enim plenilunium ageretur, nunquam fieri poterat, ut deliquium ſol pateretur (10). Cenſet autem, iiſdem quibus tunc offundebatur tenebris mundus in obitu Servatoris, ipſis pariter in exitu mundi recurrentibus, Cœlum & terram, juxta Oraculum Jeſu Chriſti (11) offuſcanda.

De ratione igitur hujus prodigii tres diſtingui poſſunt ſententiæ. I docet, interjecta luna Solis radios eſſe prohibitos, ne terram illuſtrarent, ut in eclypſibus accidit; ita rem explicant Pſeudo Dionyſius Areopagita, & profani Scriptores illi, qui apud Origenem, & S. Hieronymum invidiam creare ſatagunt in Evangelium. Nec alia plane ſedit opinio Phlegonti, & Thallo, rem narrantibus, ſi certum conſtituamus, quemadmodum perſuaſum eſt Interpretibus omnibus poſt Origenem, Euſebium, Africanum, & S. Hieronymum, Scriptores illos mentionem egiſſe de tenebris, quæ in obitu Servatoris contigerunt. Huc etiam referendi videntur S. Leo, & Paſchaſius Radbertus; ac tandem hæc ſententia, teſte Maldonato (12), *fere apud omnes jam Catholicos obtinuit*.

Quid tamen recentiores iſti Interpretes reponent authoritati Origenis, S. Hieronymi, S. Auguſtini? Quid Aſtronomorum axiomatibus, quid ſæculorum experientiæ, quid phyſicis rationibus, uno omnibus aſſenſu negantibus, nec contigiſſe, nec potuiſſe pariter contingere, ut eclypſis induceretur in plenilunio? Opponunt illi hiſce omnibus autho-

(7) Matth. xxvii. 45. Marc. xv. 3. (8) Matth. xvi. 1. Marc. viii. 11. Luc. xi. 16. (9) Serm. 55. de Paſſ. Dom. cap. 1. *Denſarum horrore tenebrarum radios ſolis abſcondit*. Et ſerm. 19 qui eſt 10. de Paſſ. Domini cap. 5. *Sol ſideraque inſolito defectu tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtentant*. (10) Auguſt. Epiſt. 199. cap. 10. num. 34. (11) Luc. xxi 25. *Erunt ſigna in ſole & luna*, &c. (12) In Matth. xxvii. Vide Corn. a Lapid. in eumdem Matthæi locum.

authoritatem S. Dionysii, præsentis & coætanei, asserantis suis se oculis eclypsim spectasse, cum in Ægypto versaretur, narrantisque factum miro divinæ virtutis prodigio, ut luna toto hemisphærio Soli opposita, converso cursu delata, inter ipsum & terram se mediam constitueret: ita plane, ait, superior ætas vidit sub Ezechia solem converso cursu decem gradus remetientem, ut eo prodigio certum Ezechiæ recuperatæ valetudinis argumentum præberet. Judicium permitto Lectoribus, sola ne Pseudo Dionysii authoritas tanta sit, ut tam ingenti, minime tamen necessario, prodigio adstruendo satis habeatur. Prodigium quidem agnoscimus, sed unicum, nec plura in uno cogimur fateri.

Secundam explicandi prodigii rationem statuunt S. Gregorius Nazianzenus, S. Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus; atque inter Latinus Tertullianus, S. Hilarius, & S. Hieronymus, censentes, solem radios in se suos lucemque recepisse, prohibito mortalibus omnibus, vel saltem Judæis lumine, ex Oraculo Joelis II. 30. III. 15. *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Quare ipse sibi deliquium Sol induxit, conditoque in se lumine cæteris tenebras affudit.

Hæc tamen non modo humanam intelligendi vim superant, sed & impossibilia videntur; neque enim lumen adscititia est Solis qualitas, ut pro arbitrio ducatur reducaturque: si lucem extinguat, ipsum extingui solem necesse est. Fulgidum est natura sua astrum, necessario omnia illustrans, nisi objecto corpore aliquo opaco emissi ab illo radii intercipiantur prohibeanturque, ne terram pertingant, ut in eclypsibus spectatur, & cum aer densis occupatur nubibus, vel crusta aliqua solaris discus vestitur. Cum igitur Scriptura & Patres continuisse astra lumen suum scribunt, illos populari phrasi usos constat, qua sensu quodam tangi astra dicuntur, ut eorum absentia, sive rerum ab illis producendarum prohibitio vividius sanciatur.

Tertiam tandem opinionem adstruunt Origenes, Theodoretus, Euthymius, aliique, docentes, prohibitis densæ alicujus nubis objectu radiis solaribus, subitis tenebris omnia inhorruisse, quemadmodum & in tenebris Ægyptiis factum est. Hæc sane commodior est, & facilior intelligendi prodigii ratio; quam procliviorem efficies, si *universæ terræ* nomine Judæam tantum designatam agnoscas. Totum igitur prodigium in eo situm erat, ut statim ea anni tempestate, atque intempestiva maxime hora, densæ illæ nubes inducerentur, quæ deinde post trium horarum spatium dissiparentur.

Si quis vero Textum Evangelistæ ad literam exponere voluerit, contendens, *universæ terræ* nomine totam hemisphærii nostri faciem, vel saltem maximam illius partem designari, illi præsto erunt maculæ sive crustæ, solarem discum vestientes; uti & in alii astris fieri norunt aliquando Eruditi (13); quibus crustis astri facies obducitur, atque, uti crassiores sunt vel tenuiores, omnes ejus radii vel partim tantummodo prohibentur. Tunc plane densiores fuisse, quam pro consueto more, crustas illas oportet; sed intra tres tantum horas resolutæ sunt. Ex hac hypothesi prodigio ab Evangelistis narrato vis tota manet; sua etiam ratio asseritur legibus a natura constitutis; nihil est, quod cum testimonio Phlegontis non conveniat, asserentis, ut infra demonstrabimus, universæ terræ faciem tenebris obductam fuisse, ut plena die stellæ spectarentur. Nec tamen idcirco prohibiti sunt Judæi, ut observant Maldonatus, & Jansenius, quin rebus & negotiis suis pro more vacarent, vicariam solis operam præstantibus dubio lumine stellis, ac solaribus quibusdam igniculis, quos aer circumfusus ebiberat.

Cæterum res erat præter consuetas naturæ leges, in dimidio diei cursu, alieno ab eclypsibus tempore, Solem atrum prorsus spectare: & si densissimæ illæ ignorantiæ tenebræ Judæorum mentibus offusæ non fuissent, fieri non poterat, quin digitum Dei agnoscerent, atque ad mentem revocati, saniora consilia reciperent. Oraculorum veritatem his tandem veluti facibus spectassent (14); oraculorum, inquam, furorem Dei ac tenebras pleno meridie minitantium; persuasi tandem fuissent, illum, quem e cruce pendentem extremum spiritum agere cernebant, ipsum esse Dominum elementorum, qui servi habitu, quid ipse posset, non obscuris argumentis demonstrabat.

Voluit plane Deus majora virtutis suæ specimina ex ipso patibulo crucis, quam reliquo vitæ suæ tempore, exhibere, ut malam aspectu crucis inditam mentibus Discipulorum, ac cæterorum, qui morientem infami mortis genere spectaverant, opinionem contraria altera veluti retunderet. Quis enim alioquin inducere potuisset in mentem, ipsum hunc, quem morientem in supplicio spectabant, Messiam esse, Deum fortem, Prophetarum oraculis prænunciatum, nisi latere aliquid sub illis exuviis Divinum, hoc veluti emissu radio indicasset? Tanta plane arte disposuit Divina Sapientia ortum, vitam, & obitum Jesu Christi, ut cum maxime deprimeretur, tunc etiam clarissimis prodigiis extolleretur.

Cæteræ, quas afferunt ejus prodigii rationes, morales sunt, populares, atque ad morum vitæque institutionem pertinentes. E. g. solem insueto parricidii facinore inhorruisse, radios contraxisse, quasi vultum a tanto scelere averteret. Addunt, intimo veluti doloris sensu tactum Solem lumen in se suum recepisse, ac ne micaret, velut in abscondito, sese continuisse, eo emblemate designantem, quid Soli Justitiæ contigisset. Notant pariter, iis tenebris exprimi glomerantes in Judæorum mentibus tenebras, eosque in obscuro errantes, tandem misero lapsu casuros. Certum pariter erant tenebræ illæ divini furoris argumentum; caligo enim soli inducta, siderum lapsus, nox & tenebræ, non semel in Scriptura ob Dei furorem exprimendum asseruntur.

Quanto tempore durarint tenebræ, satis luculenter exprimunt tres Evangelistæ, S. Matthæus XXVII. 45. S. Marcus XV. 33. S. Lucas XXIII. 44. habent enim: *A sexta hora tenebræ factæ sunt usque ad horam nonam*, nempe a meridie ad tertiam usque horam vespertinam. Solemne enim erat Judæis, diem noctemque in duodecim æquales horas ita distribuere, ut sexta diei hora semper cum meridie congrueret, & noctis sexta cum dimidia nocte. Cæteræ vero horæ non semper cum nostris diurnis horis congruebant; ex inæqualitate enim dierum fiebant, ut inæquale etiam spatium horis variarum dierum responderet. Ita hyemalium dierum horæ breviores habebantur, longiores æstivæ. Cum vero æquinoctium tunc ageretur, & quartadecima lunæ, nona diei hora fere incidit cum tertia vespertina.

Patres nonnulli innuere videntur, tenebras illas sub ipsum mortis Domini articulum paruisse; sed latius articulus ille accipiendus est pro toto eo tempore, quod a meridie ad tres usque inde horas fluxit.

Censent alii, toto eo tempore perseverasse, quo Christus mansit in patibulo: quod ad literam falsum est, nisi ex eorum sententia, qui ajunt, Dominum Jesum sub ipsum meridiei articulum cruci affixum fuisse, sexta nempe diei hora, quemadmo-

(13) Vide Regis Physique, liv. 2. par. 2. chap. 8. Ezech. XXXII. 7. 8.

(14) Amos VIII. 9. Joel II. 10. III. 15.

admodum notat S. Joannes (1). Sed præstitum id citius, credimus probabiliter; habet enim S. Marcus xv. 25. in crucem actum esse Christum tertia hora, nempe nona hora matutina, quod tempus ita distribuimus. Tertia hora circiter, vel nona matutina agebatur, cum Pilatus mortis sententiam dixit in Jesum. Major sane Codicum S. Joannis pars habet, damnatum fuisse Jesum morte *hora quasi sexta*: sed & alia vetustissima legunt, *Hora tertia*, uti & apud S. Marcum narratur (2). Post dictam ergo sententiam hora illa quasi tertia, ductus ad Calvarium Jesus suspensus fuit in patibulo. Nec sane unico momento id totum peractum est; quare undecima circiter hora meridiana agebatur, cum Jesus tolleretur in crucem. Mansit injuriis adversariorum expositus, usque ad horam sextam vel meridiem; quo temporis articulo inductæ tenebræ perseverarunt usque ad nonam, seu tertiam horam post meridiem, quemadmodum a cæteris Evangelistis luculenter expressum est.

Disquirendum est modo, quid profani ea de re scripserint. Laudatur supposita quædam Epistola S. Dionysii Areopagitæ ad S. Polycarpum, qua respondet calumniis Apollophanis veteris amici sui, sibi exprobrantis, quasi non sincera fide testimonia Profanorum Scriptorum adversus Ethnicam superstitionem afferat. Revocat igitur illi in mentem ea quæ, cum simul essent in Ægypto, suis uterque oculis spectaverant (3). Tunc ambo juxta Heliopolim „ præsentes simul & adstantes „ mirabili ratione soli lunam coincidere cernebamus (neque tamen tempus conjunctionis erat); ipsamque rursus sub horam nonam vespertinam diametro soli opposito supernaturaliter restitui. Quin etiam in memoriam illi revoca quiddam aliud: scit enim, quomodo viderimus illum lunæ occursum ab Oriente cœpisse, & usque ad solis extremitatem pervenisse, ac tum demum resiluisse, & rursum non eadem parte occursum illum, & recessum extitisse, sed ex adverso diametri. Hæc si fas est, ei dicito; tuque, Apollophanes, refelle, si potes, idque adversum me, qui tunc præsens una tecum adfui, & simul aspexi, & observavi omnia cum admiratione. Denique tunc nescio quo spiritu afflatus, in divinationem quoque Apollophanes prorupit, & ad me conversus „ *Istæ sunt*, inquiebat, *o præclare Dionysi, divinarum vicissitudines rerum* (4).

Legitur etiam alia Epistola supposita S. Dionysii ad Apollophanem, ad Christiana sacra jam translatum (5), in qua Dionysius hæc habet inter cætera ad Apollophanem „ Nobis Heliopoli „ degentibus [eram tum annos circiter viginti „ quinque natus, & tu mihi ferme coævus] die „ quadam sexta, & hora item fere sexta, Sol „ horribiliter, subeunte luna, obscuratus (non „ quod Deus, sed quod Dei opus in veræ lucis „ occubitu lucere non quiverit) tumque ex te percunctatus ego, quid tibi, vir prudentissime, super hoc videretur; tu autem ejusmodi responsum dedisti, quod menti penitus infixum, nulla prorsus oblivione, nulla vel mortis imagine dilabi possit. Cum enim totus Orbis tetra tenebrarum caligine uniformiter obductus fuisset, ac jam repurgari globus solis & renitescere cœpisset, tum assumpta Philippi Aridæi regula, & contemplatis Cœli orbibus deprehendimus, quod erat alias quoque notissimum, non potuisse id temporis defectionem solis evenire: deinde observavimus, Lunam ab oriente Solem subiisse, ejusque radios obstruxisse, donec totum occuleret, quæ tamen alias ab occidente solita esset occurrere; quin illam quoque notavimus, cum ad extrema solis pervenisset, ejusque universum orbem obtexisset, tum retro Orientem versus recurrisse; quamvis id esset tempus, quod nec Lunæ præsentiam, nec Solis concursum postularet. Ego igitur, o multiplicis eruditionis sacrarium, tanti mysterii nescius cum essem, sic te alloquebar: Quid sibi vult hoc rei, o doctrinæ speculum Apollophanes? Insolita ista portenta cujusnam tibi mysteriorum videntur indicia? Tu autem ore divino magis, quam humanæ vocis sermone, *Hæ sunt, bone Dionysi*, inquiebas, *divinarum rerum mutationes*. Denique cum diem annumque adnotassem, & tempus illud cum eo, quod Paulus mihi quondam ab ore suo pendenti annuntiaverat, signis conclamantibus concordare sensissem, tum & veritati manus dedi, & me falsitatis nexibus expedii.

Hæc Author, qui sub ficto S. Dionysii Areopagitæ nomine diu latuit: nostro tamen sæculo detecta veritate, Scriptor esse quinti vel sexti sæculi, qui illustri eo nomine authoritatem scriptis suis conciliarit, agnitus est. Nec irrita cessit viro fraus; nam constanti ad postremum usque sæculum possessione, æque apud Græcos & Latinos S. Dionysii Areopagitæ nomen obtinuit. Hujus igitur Dionysii authoritas multum valuit ad persuadendum, tenebras in obitu Christi inductas fuisse mira quadam & præter naturæ leges eclypsi. Quis enim præsenti, erudito homini, & adhuc Ethnico fidem negaverit?

Modo vero authoritas Operia, tamquam genuini S. Dionysii Areopagitæ fœtus, Eruditos plane non fallit, cum optime norint, Lucubrationes illas Scriptori quinti vel sexti sæculi deberi. Ferunt etiam, S. Dionysium ea occasione stupentem clamasse: *Aut Author naturæ patitur, aut totius Universi machina dissolvetur* (6). Alii vero in hæc verba locutum volunt (7): *Deus ignotus carne patitur*; seu: *Deus patitur ignote, cujus causa orbis universus tenebris offusus, & turbatione concussus est.*

Phlegontis, Adriani liberti (8), testimonium majus est aliquid. Hic religione Ethnicus, Historiam Olympiadum Libris xvi. complexus est, ab origine illarum usque ad annum J. C. CXL. circiter. Narrat autem, anno quarto Olympiadis CCII. cujus erat exitus circa dimidium anni 33. Æræ, Jesu Christi emortualis, eclypsim majorem solito spectatam fuisse, deficiente adeo Sole, ut ipsa meridiana hora stellæ apparerent in Cœlo. Quo pariter tempore, addit, valida terræ concussione in Bithynia maxima Nicææ urbis pars corruit. Quo in loco Eusebius hoc Phlegontis testimonium laudat, hæc pariter se reperisse in vetustis Græcorum monumentis refert: *Anno Tiberii* XVIII. *Solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia terræmotu concussa, & in urbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt.*

Julius Africanus apud Syncellum pag. 322. narrat, legi apud Phlegontem, sub Tiberio in plenilunio eclypsim plenam in Cœlo visam a sexta usque ad nonam diei horam. Eadem legas in fragmento Africani apud Eusebium in Chronico; quamquam ipse nec Phlegontem laudat, nec de *plenilunio* habet quidquam. Mancus tamen locus videtur in Chronico; at ingens suspicandi datur conjectura, hoc plenilunii adjunctum in archetypo non defuisse; testatur enim Origenes coætaneus

(1) Joan. xix. 14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη .... ℣. 16. Τότε παρέδωκεν αὐτὸν αὐτοῖς ἵνα σταυρωθῇ. Alii codd. Ὥρα ὡσεὶ τρίτη ita Cantab. Vechel. Nonn. Petr. Alex. (2) Marc. xv. 25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. (3) Dionys. lib. 2 Epist. 7. pag. 91. (4) Καὶ πρὸς ἐμὲ ὥσπερ τὰ γιγνόμενα συμβάλλων, ἔφη, ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. (5) In vita Dionys. apud Corder. tom. 2. pag. 271. (6) Vide Corder. not. in Epist. VII. S. Dionys. (7) Michael. Syncell. Hierosol. lib. 2. Oper. S. Dionys. pag. 207. & apud Suidam in Dionys. Ἄγνωστος ἐν σαρκὶ πάσχει Θεός, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται καὶ σεσάλευται. (8) Phleg. de Olympiad. apud Eus. Chron. pag. 203.

neus Africani in Gen. hom. 35. plenilunium in Phlegonte non legi: cumque Phlegontis locum recitantes Eusebius, S. Hieronymus, Philoponus, Chronicon Alexandrinum, omnes æque illud omittunt.

Post Eusebium, & S. Hieronymum, quicumque inter Græcos & Latinos testimonium hoc Phlegontis novere, omnes ferme habuerunt persuasum, non alio referendum esse, quam ad obitum Jesu Christi, fidem addente ipso tempore; componitur enim cum anno XVIII. Tiberii, Æræ scilicet vulgaris 33. De eclypsi quidem sermo est apud Phlegontem; quæ autem tenebræ terram tenuerunt in obitu Christi, aliunde sane quam ex eclypsi repetendæ sunt; fieri tamen potuit, ut Phlegon in publicis sub Tiberio monumentis legens historiam tenebrarum sub meridiem, quibus tanta orbem occupavit caligo, ut vel sidera in Cœlo apparerent, nihil ulterius expendens, eclypsim reputaverit. Hoc plane, quod imprudenti viro exciderit, tanti faciendum non est, ut reiiciendam suadeat totam ejus historiam, testimonio Evangelistarum in reliquis omnibus convenientem.

Hæc autem multo veriora videbuntur, si vera sint ea quæ ponit Ferrandus (9), nullam reipsa contigisse, & ne potuisse quidem contingere eclypsim solis quarto anno Olympiadis CCII. sed unam tantum lunarem hora dimidia post tenebras, de quibus in Evangelio. Porro certus ejus eclypseos temporis articulus fuit paulo post decessum Jesu Christi; duravit autem tribus horis circiter, medio lunaris magnitudinis disco occultato (10). Ita factum est, ut una eademque die sol pariter & luna deficerent, ac tenebris vestirentur, ut sua de utroque astro fides constaret Prophetarum oraculis.

Ut autem ad Phlegontem regrediamur, alia sunt etiam quæ in ejus textu negocium facessant. Eusebius, Philoponus lib. 2. c. 2. Chronicon Alexandrinum, Julius Africanus apud Syncellum, aperte docent, eclypsim, de qua Phlegon, spectatam anno quarto Olympiadis CCII. Petavius (11) contendit, corruptum esse locum, & pro anno quarto legendum annum secundum Olympiadis CCII. Nullum pro se affert sive MSS. seu veteris alicujus Scriptoris authoritatem, neque componi non posse Chronologiæ notas cum epocha illa demonstrat. Observat tantum, Eusebium, & Julium Africanum Jesu Christi obitum nequaquam consignare ad quartum hunc annum, sed ad secundum vel tertium ejusdem Olympiadis CCII. Quis autem sibi persuaserit, testimonio Phlegontis illos uti voluisse, si illud persuasioni suæ, adeoque proposito minime serviens, deprehendissent? Habebat ex Textus Phlegontis non quartum, sed secundum annum Olympiadis.

Reponimus hisce, I. Nefas esse, nulla adigente necessitate, validis non cogentibus argumentis, veterem lectionem, communi omnium Exemplarium assensu confirmatam, corrigere. II. tametsi verum esset, deceptos fuisse Eusebium & Africanum in componendo textu illo Phlegontis cum systemate suo Chronologico de anno emortuali Jesu Christi, non continuo tamen deserendum esse, & lectionem esse corrigendam, quippe quæ favet epochæ hodie in Ecclesia maxime obtinenti. III. tandem Eusebius constituit Baptismum Jesu Christi per S. Joannem anno primo Olympiadis CCII. & XV. Tiberii, & ejus obitum anno IV. ejusdem Olympiadis, XVIII. Tiberii. Sola Græci Chronici Editionis Scaligerianæ lectio, pag. 202. & in Latina Editione pag. 158. docere Lectores potest. Addit Eusebius in eodem Libro, hujus systematis sui rationem notans, post annum XV. Tiberii (primus est Olympiadis CCII.) Jesum Christum tres inde annos, teste S. Joanne, in prædicatione perseverasse; quare ejus obitus necessario consignandus est anno XVIII. Tiberii. Ad Julium Africanum quod attinet (12), notat ille non obscure, annum secundum Olympiadis CCII. qui cum Tiberii XVI. congrueret, exitum imponere LXX. hebdomadis Danielis.

Præter Phlegontem, laudat etiam Julius Africanus (13) Thallum quemdam Græcum historicum, qui in tertio Historiæ suæ Libro meminit tenebrarum (eclypsim dicit in obitu Christi). Cum tamen hæc tribuat eclypsi, falli virum notat Africanus, quod nulla sit solis eclypsis in plenilunio. An Eusebius locum hunc Thalli insinuaverit, cum suppresso nomine hæc se reperisse in monumentis Græcis habeat, versor in incerto. Habet igitur Eusebius in Chron. *Anno tertio Olympiadis CCII. solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia terræmotu concussa, & in Urbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt.* Certa ætas Thalli manet in obscuro; cum tamen S. Justinus (14), & Tertullianus Apologet. cap. 10. mentionem de illo habuerint, coætaneus, vel forte ætate vetustior Phlegonte statuendus est.

Ad Annales Phlegontis & ad historiam Thalli revocasse facile Ethnicos, censendi sunt Tertullianus Apolog. c. 21. & S. Lucianus Martyr Antiochenus apud Rufin. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 6. pag. 149. ut certiores fierent de prodigio tenebrarum in obitu Christi. Suspicatur autem Tillemontius, Phlegontem, & facile etiam Thallum, totam eam historiam rescifcere potuisse ex relatione, quam Pilatus de obitu Christi miserat ad Tiberium. Utcumque autem res habeat sese, nulla suppetit ratio satis convinceos, quæ deserere nos cogat celebre hoc testimonium, adeo congruens cum Evangelistis & Chronologia a nobis constituta, ac tandem plurimum Religioni nostræ favens.

Utriusque igitur testimonio adoptato, statuamus oportet, tenebras illas paulo ante Christi obitum causam suam prodigio debuisse. Quam vero Phlegon eclypsim reputavit, putanda est potius crusta quædam ante solis discum concreta, quæ valide adeo solares radios per tres integras horas retudit, ut noctem induceret, vicariam solis lucem gerentibus stellis, quæ refulserunt in Cœlo, tenebras vero illas longe lateque terram tenuisse. Nihil autem esse quod miremur, si in Tabulis Astronomicis rei hujus historia desit; nedum enim supra naturam fuit, sed repugnat etiam naturæ legibus, ut eo tempore solis defectus contingeret. Hypothesis nubium, quibus aer occuparetur, nunquam congruere potest cum opinione stellarum in Cœlo ea occasione apparentium, quas plane stellas nubes & caligo terræ offusa perinde ac solis lucem prohibuissent. Quæ tandem habet Pseudo-Dionysius Areopagita, cujus authoritate Scriptores quamplurimi etiam vetustissimi decepti sunt, non modo repugnant historicæ veritati, verum etiam incommodis pluribus ex eo obnoxia sunt, quod prodigia nulla cogente necessitate accumulent.

---

(9) Ferrand, tome 1. pag. 321. Reflexions sur la Religion Chrétienne. (10) Vida Toynard. Harmon. Evang. pag. 131. (11) De Doctrina temporum, lib. 12. cap. 21. pag. 435. Vide etiam Tillemont, not. 35. sur Jesus Christ. tom. 1. pag. 474. (12) Vide ejus Fragm. in Chron. Græc. Euseb. p. 77. & apud Syncell. (13) Idem ibid. (14) Cohort. ad Gent. Vide Voss. de Histor. Græc. lib. 3. pag. 417.

DIS-

DISSERTATIO

De Resurrectione SS. Patrum, quo tempore Christus rediit ad vitam, ad Matth. XXVII. 51. 52.

VIX extremum spiritum egerat Christus, cum *terra mota est*, (ait S. Matthæus XXVII. 51. 52. 53.) *& petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*. Veluti Christus eo virtutis suæ argumento demonstrare voluerit, victoriam se de morte retulisse; venisse se pariter ad revocandos veluti e sepulcro miseros illos mortales, qui criminis letho oppressi jacebant. Tandem *monumenta aperta sunt*, ait S. Hieronymus ad Hedibiam Epist. 52. *in signum futuræ resurrectionis*.

Cum igitur argumentum versemus, in quo jucunditatis est plurimum, multa cum utilitate conjunctæ, & quæstiones ex illo plures amœnæ formentur; fusius examinandum suscipimus, quærentes, quinam potissimum redierint ad vitam; quando redierint; qua forma, quo corpore paruerint, utrum secundo obierint, an potius ascenderint cum Christo in Cœlum, ut æterna non solum animæ, sed & corporis vita fruerentur. Qua in re integrum est unicuique, quamcumque maluerit, sequi sententiam; agitur enim de argumento in utramque partem versato a Patribus & Recentioribus quibusque Scriptoribus; neque ullum affert Religioni discrimen, modo certa constituatur, uti reipsa constituitur apud omnes, historiæ Evangelicæ veritas, tota controversia ad adjuncta, rationes prodigii, & quæ prodigium consecuta sunt, sedata.

Certus eorum numerus, qui ad vitam revocati sunt, & qui potissimum revocati ad vitam statuantur, exacte satis definiri præter temeritatis notam non potest. Hæc tantum de illis Evangelista: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Non igitur omnes: & siquidem verum sit, uti constituunt Interpretes quidam, terræmotum illum & montium scissionem atque disrupta sepulcra nonnisi Jerosolymis & in vicina regione spectata fuisse; recta inde consecutione colligitur, illos tantummodo a viris Sanctis ad vitam rediisse, qui in iis locis sepulturæ mandati, digni sunt habiti, ut a Filio Dei eo beneficio donarentur. Si quis contendat, sepulcra Sanctorum patuisse sive per universam terram, vel saltem per Palæstinam, in tanta terrarum extensione multo etiam magis in incerto vagabitur mens, ne quid statuat satis exactum sive de numero sive de qualitate eorum, qui ad vitam regressi sunt.

Sunt qui credant, vetustissimis quibusque Patriarchis id beneficii collatum fuisse, quod scilicet rei æquitas postularet, ut qui longiorem traxerant expectando Jesu Christo moram, citius pariter sentirent ejus adventus & Passionis vim præsentissimam. Quæ si vera sint, beneficium illud obtinuisse oportet Adamum, Abelem, Sethum, Mathusalemum, Lamechum, Noemum, Semum, Abrahamum, Jacobum, Josephum, Moysem, Josue, Davidem, Veteresque cæteros. Cum autem probabili conjectura credantur, veteres Patriarchæ antediluviani, quin & cæteri omnes ante Abrahamum, vitam egisse ac sepulti fuisse extra Palæstinam, arduo plane negocio ad vitam rediisse cum Jesu Christo demonstrabuntur, ea persuasione admissa, sepulcra nonnisi in Judæa sive in vicina Jerosolymæ regione patuisse. Adde, nonnisi verisimilia suspicari illos, qui tenent, revocatos fuisse potius ad vitam viros Judæis tunc superstitibus cognitos, vel ab eorum ætate minime distitos, quam veteres illos Patriarchas, quorum nonnisi vetustata pena obliterata manebat cognitio.

Non abs re pariter reputari potest, Prophetas, adventus, ortus, vitæ, mortis, & resurrectionis Jesu Christi potissimos testes, quorum plerique sanguine etiam veritatem illam confirmavere, inter primos habitos fuisse, qui fructum obitus & resurrectionis ipsius sentirent. Quare præferendi cæteris videntur Moyses, David, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, cæterique, quorum scripta supersunt; præferendi, inquam, videntur cæteris, qui eodem licet Prophetiæ spiritu instructi, nullum tamen vaticiniorum suorum monumentum reliquerunt. Opinantur nonnulli, Jobum, & Jonam, & tres juvenes e fornace Babylonis liberatos, veluti Resurrectionis Jesu Christi typos & figuras; Isaiam veluti Prophetam Evangelicum; Melchisedechum veluti Sacerdotii Jesu Christi imaginem; Danielem qui omnium accuratissime annos adventus Jesu Christi definierit, ante cæteros resurrectionis beneficio potitos fuisse. Vide Pined. in Job XIX. 25.

S. Epiphanius in Anchorato cap. 102. mavult, præferendos cæteris viros ætati Jesu Christi vicinissimos, qui facie noti erant Judæis tunc superstitibus, quique testimonium post Jesu Christi adventum de ipso reddiderant; inter quos Zacharias pater Joannis Baptistæ, Simeon grandævus, S. Joannes Baptista, & probus ille Latro. Lorinus in Act. 2. 29. fœminas omnes ab ea resurrectione excludit, habet enim persuasum, B. Virginem omnium primam inter fœminas ad vitam rediisse, uti Jesus Christus *primogenitus* erat *mortuorum* Coloss. 1. 18. Quasi scilicet Jesus Christus non mulieribus æque ac viris beneficium resurrectionis promeruerit. Contraria placent aliis (1), ratis, Evam ea occasione ad vitam, & sane inter primos rediisse, quod mater esset communis hominum. Verum satis datum est conjecturis; & ne quid certi statuamus in re incertissima, illud solum teneamus, quod scribunt Evangelistæ: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*.

De tempore resurrectionis huiusce Sanctorum, duplex est sententia. Docent alii (2), statim post obitum Jesu Christi ad vitam rediisse Sanctos, statimque post decessum illius concussa terremotu sepulcra patuisse. Alii vero malunt, nonnisi post resurrectionem Jesu Christi defunctos surrexisse e sepulcris (3), ut sua veritas constet illis Pauli Apostoli de Christo: *Qui est primogenitus mortuorum*. In suffragium utriusque opinionis vocatur S. Matthæus. Priori favet illud, quod post actam a Jesu Christo animam, *Terra mota est, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Nullum hic ponitur intervallum inter obitum Jesu Christi & Sanctorum resurrectionem. Quibus contraria sedat opinio, ob-

(1) F. Luc. Brug. in Matth. XXVII. (2) Vide Chrysost. & Theophylact. in Matth. XXVII. Theodoret. Gror. Ligfoot Ludovic. de Dieu, Heinsium. (3) Origen. in Matth. XXVII. Raban. Maur. Paschas. Radbert. Beda, Gloss. ordinar. Lyran. Cornel. a Lapid. alii plures.

observant, S. Matthæum, recitata sanctorum resurrectione, addidisse statim: *Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*; quibus verbis innuitur, nonnisi post Christum vel una cum Christo resurrexisse Sanctos, quamquam eorum resurrectio & lapidum sepulcralium scissio anticipatione quadam narratæ fuerunt. Quid sane facerant eo spatio temporis post obitum & resurrectionem Christi, cum nec præbere se videndos jubebantur, nec reipsa præbuerunt, nisi post Resurrectionem Jesu Christi? Tunc sane, cum Jesus Christus rediit ad vitam, munere suo functi sunt, spectandos se in Urbe sancta præbentes.

Utramque sententiam in medium adducit S. Augustinus (3), & neutram damnat; quin nec immoratur in illis expendendis, utpote a proposito suo alienis. Origenes in Matth. tract. 35. luculenter asserit, justos illos ad vitam rediisse *non ante resurrectionem primogeniti ex mortuis*. S. Gregorius Magnus similiter Homil. 21. in Evang. num. 6. de Christo habet: *Solus mortuus est & tamen solus minime surrexit*. S. Hieronymus adhuc apertius profert testimonium in Matth. 27. Quamquam enim, ait, in obitu Christi monumenta patuerint, *tamen cum monumenta aperta sunt, non ante surrexerunt, quam Dominus surgeret; ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis*.

Innuere videtur S. Hilarius in Matth. 27. resurrexisse illos eo temporis momento, quo Jesus expiravit: *Tunc*, ait, *monumenta aperta sunt*, quod mortis vincula contererentur. Surrexerunt autem mortui, *quia illuminans mortis tenebras, & Inferorum obscura collustrans, in Sanctorum ad præsens conspicatorum resurrectione, mortis ipsius spolia detrahebat*. Quibus verbis innuit, Jesum Christum cum ad Inferos statim post obitum descendisset, vitam continuo, antequam ipse resurgeret, defunctis restituisse. Apertius etiam S. Chrysostomus in Matth. XXVII. hom. 88. asserit, Christum, revocatis ad vitam servis suis, probe demonstrasse Judæis, quam falsa obtruderent, dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*. Profecto si admirationi fuit Lazarus e tumulo revocatus, multo fuit admirabilius spectare Sanctos, qui ad vitam revocati videndos se pluribus obtulerunt. Theophylactus in Matth. 27. & Græcorum cæteri, qui S. Chrysostomum præceptorem in omnibus sequuntur, paria sentiunt cum illo, putantes, mortuorum resurrectionem, antequam Jesus e cruce deponeretur, contigisse, in pignus & signum futuræ eorum libertatis, qui in Infernis detinebantur.

Si tamen verum est, uti nullus esse locus ambigendi videtur, animas Patriarcharum non ante ex Inferni carcere solutas fuisse, quam ad illos liberandos descenderet Jesus, neque prius eorum corpora ad vitam revocata, quam animæ ex iis locis, ubi tamdiu venientem expectaverant, liberæ abire permitterentur; agnoscamus plane oportet, resurrectionem Sanctorum serius aliquanto consignandam esse, quam statim post obitum Christi. Quamquam enim momento citius animæ ex uno in alterum locum feruntur, ut quæ a Spiritibus ab omni secretis materia geruntur, temporis successione non indigeant, vix tamen fieri posse intelligimus, ut unico temporis momento plura hæc simul absolverentur; Jesus nimirum ad Inferos descenderet; adventum suum nunciaret, Sanctos Patriarchas educeret ex iis locis, animas corporibus conjungeret.

Censuerunt veteres Patres Origenes, Clemens Alex. Irenæus, alii traxisse Christum moram aliquam in Infernis, quippe qui prædicaverit detentis ibi incredulorum animabus, quarum plures revocaverit ad fidem. Alia est hodie quidem communis Ecclesiæ sententia; constat tamen, eos, quibus ista persuadebantur, putasse, Sanctos nonnisi aliquo tempore post obitum Servatoris ad vitam redusse, vel saltem, inter vivos non venisse illos, antequam Christus e sepulcro egrederetur. Nunquam autem legimus, Christum præsentiæ suæ super terram ulla exhibuisse argumenta, nisi post resurrectionem; quasi totum illud temporis intervallum egerit in Inferis, Sanctorum Patriarcharum animas solaturus. Vide Euseb. Emis. hom. 6. in Pascha; Theophylact. & Brugens. in Matth. XXVII.

Est igitur cur opinemur, Sanctos nonnisi post Resurrectionem Jesu Christi ad vitam rediisse. Sed quis resurgentium corporis habitus? an omnibus gloriæ & immortalitatis dotibus ornatum, quale post universalem hominum resurrectionem expectamus? an mortali corpore circumdati, uti factum novimus cum Lazaro, cæterisque revocatis ad vitam, quibus reddita sunt mortalia corpora palpanda, & cibi potusque necessitati subjecta? an denique fulgenti quadam, sed temporaria luce nitebant, solvenda brevi, postquam se videndos obtulissent? quemadmodum Moysis & Eliæ corpora in ipso transfigurationis Jesu Christi articulo insigni rutilarunt fulgore, quo brevi dissipato, in pristinum statum redierunt. Elias enim ad locum suum, ubi Messiam opperiebatur, restitutus est; Moysis corpus tumulo redditum usque ad secundam hanc peculiarem, vel saltem ad universalem corporum resurrectionem.

Horum solutio maxime omnium repetenda est ex iis, quæ deinceps disputabuntur, utrum hi Justi ad vitam revocati euntem in Cœlum Jesum comitati sint, non anima tantum, sed & corpore; an corpora sepulturæ iterum restituta, ad novam resurrectionem servent? Si quis velit, rediisse illos ad vitam, nunquam deinceps ponendam, cæteras illis beatitudinis dotes nequaquam invideat necesse est, tenuitatem nempe, faciles quælibet loca permeandi virtutem, & cætera, quæ Beatos decent. Si vero momento tantum, vel saltem producta ad horas vel dies aliquot vita gavisi sunt, quemadmodum olim Moyses & Elias in monte Thabor, ægre definierim, quæ fuerit horum corporum natura, quibus absoluta nondum immortalitas erat.

Verum enim vero discrimen omnino aliquod statuendum est inter hosce cæterosque ceu Lazarum, & alios Veteris Testamenti homines, a Prophetis Elia & Elisæo ad vitam revocatos, qui communem deinde cum cæteris consuetudinem habuere: hos enim ex Evangelio intelligimus non omnium æque mortalium obtutibus patuisse, sed pro arbitrio exhibuisse sese; quare vix est cur negemus, alio circumdatos fuisse corpore, quam quo mortales cæteri utuntur; neque enim pro arbitrio intuentium obtutibus nos permittimus subducimusque.

Pseudo-Justinus Quæst. ad Orthodoxos quæst. 85. mediam in hac re viam tenens, agnoscit, viros hosce Sanctos ad vitam rediisse nunquam deinceps ponendam; non tamen Cœli felicitate donatos credit. Data illis corpora nondum gloriam corporis Christi obtinuere; transmutationem enim suam oppetiuntur; quemadmodum Henoch, & Elias, superstites quidem adhuc, sed nondum præmio suo donati sunt; siquidem, addit ille, unus hactenus inter omnes Jesus Christus ad vitam rediit immortalem & incorruptam, veluti primogenitus mortuorum & primitiæ dormientium.

Quærendum ergo esset, quis hodie sit corporeum Henochi & Eliæ status. Illos plane corpore nostro dissimili circumdari, nihil est quod sua-

(3) Epist. ad Evodium 164. novæ Edit. tom. v. pag. 576. *Respondetur, hoc dictum per anticipationem, ut monumenta quidem illo terræmotu aperta esse intelligantur . . . resurrexisse autem Justorum corpora non tunc, sed cum ille prior resurrexisset.*

dear, ea tamen in re nobis funt feliciores, quod corpora illa nullis humanis vicibus & infirmitatibus obnoxia funt. Verum tametsi de Elia & Henocho id conftaret, dubii tamen femper verfaremur, utrum Authoris hypothefis hujus confiet cum veritate, nec ne. Ubi, rogo, locorum degunt Viri illi Sancti, fi extra Cœlum manent? Hæe difficultatis folvendæ ratio difficultatem non minuit, fed auget; majus facesfunt, quam quo liberamur, negotium. In re igitur incerta fufpenfi pendere potius optamus, quam judicare quidquam temere.

Quid vero in tota hac Differtatione arduum fit maxime, illud reputandum eft, utrum viri illi Sancti ad Cœlum una cum Christo afcenderint; an in terra alteram fubituri cum cæteris mortalibus mortem manferint. Sunt in utramque partem non opiniones tantum, fed & authoritatum ac rationum non infimi ponderis momenta. Afcendentem in Cœlum Dominum exhibet Scriptura ceu victorem Regem, fpoliis onuftum, & captivorum, quos in libertatem afferuit, fatellitio ftipatum (4). Defcendit ille in mundum *Prædicare captivis remiffionem*. Luc. IV. 18. Decebat igitur, illum in cœlum redire, pompam comitante manumiffa illa captivorum turba; cumque rediret ipfe, corpus referens gloria & immortalitate donatum, par equidem videbatur, ut fimili gloria fulgerent potiffimi refurrectionis illius teftes, atque amicorum felectiffimi, quos maxime ea de caufa ad refurgendum una fecum vocaverat (5). Æquum ne videbatur, ut eorum animas a corporibus, eum quibus vinculum ipfe fociaverat, revocaret, ut iterum corpora illa putrefcerent in fepulcro? Nec fane potuit præter intimum doloris fenfum fociale illud vinculum diffolvi; cum tamen dolorem omnem a fpiritibus beatis abeffe par fit. An Deus collata a fe dona revocat, & quæ una manu præbet, altera repetit (6)?

S. Ignatius Martyr in fua ad Magnefios Epiftola cap. 9. ita refurrectionis Prophetarum in obitu Chrifti meminit, quafi beneficii abfolutiffimi; neque fubjectos illos iterum morti, vel leviter quidem infinuat: *Ipfum ut Doctorem expectabant, & propter hoc ipfum is adveniens fufcitavit ipfos ex mortuis*. Pfeudo-Juftinus (7) cenfet, Patriarchas ad vitam quidem immortalem refurrexiffe, fed in Cœlum receptos non effe, uti fupra obfervatum eft.

Origenes (8) innuit, viros illo Sanctos, refurrectionis Jefu Chrifti comites, euntem pariter in cœlum effe fequutos. Luculentius tamen in Canticum Canticorum afferit, illum e mortuis refurgentem una fecum ad vitam revocaffe eos, quos mortis captivos detineri comperit; fecum autem in Cœlum non fpiritus tantum, fed & corpora illorum rapuiffe, uti, ait ille, docet Evangelium: ex quo multos viros Juftos vitæ reftitutos in Sancta Civitate Dei viventis vifos intelligimus. S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. obiter tantum rem tangens, habet tamen fatis aperte, viros Sanctos, poft Servatoris obitum vitæ reftitutos, in meliorem alteram vitam fuiffe translatos.

Eufebius Cæfarienfis Demonft. Evang. c. 12. ob ipfos oculos vividis coloribus exprimens victoriam a Jefu Chrifto de morte eo tempore relatam, addit, Jefum Chriftum, poft commendatum Patri fuo fpiritum, ftatim relicto corpore, ne expectato quidem fupremo mortis ictu, interiiffe; fed, ait, mortem morientem prævenit, trementem victor apprehendit, & fugam tentantem retinens, coegit ad pedes victoris cadere; confregit tenebricofi illius carceris fores, quibus Sanctorum animæ claufæ detinebantur, eafque eduxit, atque in dias luminis auras & animas ipfas, & pariter revocavit; tum nobili illo fatellitio ftipatus, Cœleftem Jerofolymam triumphantis more ingreffus eft. Favet huic opinioni, nec obfcure, S. Hilarius (9) afferens, Jefum Chriftum regnare in Sion, non terreftri illa Jerofolyma parricidii fanguine fœdata, fed in cœlefti altera, *cujus*, ait, *& exiftimo, hodieque incolæ funt in Paffione Domini refurgentes*.

Non fatis fibi conftare hac in re videtur S. Epiphanius; quippe qui exponens illud S. Pauli 1. Cor. 15. 20. *Primitiæ dormientium Chriftus*, obfervat (10), fpectatos quidem una cum feduce in vitam Chrifto defunctos alios in vitam revocatos, nonnullos etiam ad vitam reftitutos ab Elia & Elifæo; Lazarum aliofque nonnullos reftituiffe pariter Jefum Chriftum; fed, addit, in eo Chrifti refurrectio a cæteris diftinguitur, quod ille ad vitam immortalem rediit, ifti vero omnes ita ad vitam revocati fuere, ut morti iterum fubmitterentur. Alibi vero (11) agens de Juftorum in terra cadaveribus, ex eo numero excipit Sanctos una cum Jefu Chrifto in vitam revocatos, & cum ipfo in conclave Sponfi introductos, quos legimus in Evangelio veniffe in Sanctam Urbem, & fpectandos pluribus fefe obtuliffe. Conftat enim illos, addit S. Doctor, primo quidem Jerofolymam terreftrem ingreffos, deinde vero in Cœleftem introductos, cujus fores nemini hactenus patuerant.

Ut fecum ipfe S. Epiphanius concilietur, primus ejus locus explicari poteft de mortuis, quibus confuetæ vitæ ufura in corpore mortali & corruptibili reftituta eft; non vero de illis, quibus fubtile & gloriofum corpus beneficio divino collatum fuit (12). Lazarus, cæterique ad vitam ab Elia & Elifæo revocati, tunc in vitam reftituti funt, cum eorum corpora nuper in tumulum illata, neque in faniem neque in pulverem adhuc diffoluta fuerant: mortuos vero jam inde a pluribus annis & in pulverem refolutos; ftare vivos juffit Chriftus. Priorum caro integrum erat adhuc & nondum marcidum frumenti granum; nondum ad germen emittendum paratum: horum vero mollefcens jam & diffluens, aptumque proinde ut germinaret. Caro ifta novo vitæ fpiritu fota, immortalitati germinavit.

Plus etiam variat S. Hieronymus, & majori negotio fecum ipfe conciliatur. In Epiftola III. hæc fcribit: *Poft Chriftum Latro in Paradifum, & idcirco in refurrectione ejus multa dormientium corpora furrexerunt, vifaque funt in cœlefti Jerufalem*. In Epiftola vero XVII. a Paulam & Euftochium habet: *Nec ftatim Jerofolyma cœleftis, ficut plerique ridiculo arbitrantur, in hoc loco intelligitur; cum fignum nullum effe potuerit apud homines Domini refurgentis, fi corpora Sanctorum in Cœlefti Jerufalem vifa funt*.

Vera funt ifta quidem, fi ftatim in Cœlum recepti viri illi Sancti fuiffent; qui vero ajunt, illos in Cœlum una cum Jefu tranfiiffe, habent pariter perfuafum, fpectatos effe prius in terreftri Jerofolyma. Locus enim ille Evangelii, ubi legimus viros illos in Sancta Civitate, triplici ratione exponitur: I. Juftos illos fpectandos fe reipfa in urbe Jerofolyma præbuiffe; II. Figuram vero refurrectione fua exhibuiffe tum fpiritualis hominum refurrectionis, qui per fidem, Baptifmum & proborum

(4) Vide Ofee XIII. *De manu mortis liberabo eos, & ero mors tua, o mors*. Pfalm. LXVII. 19. *Afcendifti in altum, cepifti captivitatem*. Ephef. IV. 8. *Afcendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona hominibus*.

(5) Vide D. Th. 3. par. quæft. 55. art. 3. ad 2. & Maldonat. in Matth. XXVII.

(6) Rom. XI. 29. *Sine pœnitentia enim funt Dei dona*.

(7) Auth. QQ. ad Orthod. qu. 25.

(8) In Matth. tract. 35. & in Cantic. pag. 542.

(9) In Pfalm. II. num. 22. pag. 40. Vide, fi lubet, & in Matth. XXVIII. num. 7.

(10) Hæref. 64. num. 65. pag. 594.

(11) Hæref. 75. num. 7. pag. 911.

(12) Vide, fi placet, eumdem Epiphan. Anchor. cap. 102. pag. 103.

borum operum exercitium in Cœlesti Jerosolyma jus sibi civitatis promeruerunt; quam expositionem ipse S. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 8. suppeditat. III. Forasse ad Cœlestem Jerosolymam immortali & perpetuo gaudio fruituri ascenderunt. Triplex hæc Evangelici textus expositio legitur tum apud S. Hieronymum, cum etiam apud Interpretes.

In terrestrem Jerosolymam primum, deinde & in Cœlestem Justos illos spectandos ducit Beda Venerabilis in Matth. xxvii. vivos in Cœlum una cum Jesu ascendisse illos, docent Rabanus Maurus, & Druthmarus in Matthæum. Paschasius Radbertus in Matth. lib. xii. pag. 1187. quæstionem agitari notat, utrum viri illi Sancti post resurrectionem iterum obierint, ut novæ iterum resurrectioni pararentur, quemadmodum & in Lazaro bis defuncto & bis pariter ad vitam revocando factum scimus. Addit, nihil expressum ea de re legi in Evangelio; obtinere autem apud plerosque sententiam, ita viros illos ad vitam revocatos fuisse, ut immortalitate & cœlesti beatitudine donati sint. Porro viros illos credit testes fuisse assertæ fidei de resurrectione Servatoris, ac proinde non pie tantum credi, sed & credi pariter ad vitam immortalem fuisse revocatos: qui enim veri resurrectionis Jesu Christi & nostræ pariter assertores haberi potuissent, si a mortuis revocati morti iterum destinarentur? Nihil sane, addit ille, satis expressum ea de re habetur in Evangelio, sed nec contraria sententia ex eodem Evangelio, vel minima conjectura, probatur.

Agnoscit Tertullianus De Anima cap. 53. p. 304 persuasum esse quamplurimis, Patriarchas & Prophetas ad vitam restitutos in Cœlum ascendisse, ut *appendices Dominicæ resurrectionis*. Eamdem sententiam recitat S. Augustinus Epist. 164. ad Evod. num. 9. *Scio quibusdam videri, morte Domini Christi jam talem resurrectionem præstitam justis, qualis nobis in fine promittitur*. Neuter hanc opinionem probat. Sed vetus ex eo Augustini testimonio & celebris in Ecclesia persuasio satis fuisse cognoscitur; quam pariter admittit Rufinus in Symboli Expositione. *Ingressi sunt in sanctam Civitatem, sine dubio ingressi sunt civitatem, de quo Apostolus ait: Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, &c.*

Accedit his omnibus recentiorum Interpretum turba, quibus persuasum est, viros illos Sanctos ad vitam immortalem revocatos fuisse, & cœlesti beatitudine in corpore pariter & in anima donatos. Hanc sententiam proponit, & nonnullis adductis argumentis fulcit S. Thomas 3.p.q.53. art. 3. quamquam ipse alio divertit. Laudat idem pariter Orationem de Assumptione, sub S. Hieronymi nomine vulgatam, in qua res in medio relinquitur. Nihil etiam satis certi asserit ea de re Dionysius Carthusianus in Matth. xxvii. Cornelius a Lapide in Matth. 27. asserit, magis communi & probabili persuasione putari, Sanctos illos in Cœlum una cum Jesu ascendisse. Ita revocatos ipsos ad vitam, ut ab omni secundæ mortis metu liberarentur, innuere videtur Rupertus Abbas in Joan. lib. 6. Comment. p. 310. cum oppositam sententiam tamquam novam quorumdam opinionem notet: *Qui utique [ut quidam æstimaverunt] iterum morituri resurrexerunt*. Eximit pariter a morte Maldonatus.

Verum opposita huic sententia, docens, neque immortalitate neque Cœlo viros illos, vitæ restitutos, donatos fuisse, alteri præstat, tum Scripturæ locis, tum Patrum authoritatibus, tum denique rationum momentis. S. Paulus Hebr. xi. 40. habet de Patriarchis: *Non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Non adhuc ergo illi in cœlestem beatitudinem viventia corpora intulerunt; quid enim tunc sperandum ipsis aliud superesset?

Idem pariter Apostolus de futura resurrectione agens, asserit, Jesum Christum primitias esse dormientium, excitandorum suo tandem tempore ad vitam. Profecto si quis vivus corpus in Cœlum illaturus fuisset una cum Christo, nemo sane præferendus videbatur Davidi, S. Joanni Baptistæ, Patriarchis, & Prophetis in Palæstina sepulturæ mandatis. Constat autem, virorum illorum & tumulos & sacra pariter lypsana in ea regione etiam post Ascensionem Domini culta fuisse; ut proinde fateamur oporteat, nunquam fuisse in vitam immortalem revocatos, vel saltem aliam fuisse ejus regionis persuasionem.

S. Petrus ad Judæos Jerosolymitanos verba faciens Act. xi. 29. habet: *Viri fratres, liceat audacter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus, & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem*; ex quo colligebat Apostolus, de Jesu Christo & non de se ipso dixisse Davidem: *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quæ vis, rogo, esset argumenti hujus, si David gloria & immortalitate anima pariter & corpore donatus fuisset? Reposuissent tunc certo Judæi, vaticinii hujus oraculum in Davide impletum fuisse, qui in tumulum quidem fuisset illatus, sed revocatus iterum ad vitam immortalitate & gloria frueretur.

Si quis reponat, lypsana illa S. Joannis, Samuelis, Eliæ, Elisæi, & sepulcra Abrahami, Isaaci, & Jacobi, quæ in Palæstina, & alibi monstrabantur, proposito minime servire; fieri enim utique potuisse, ut vacua essent sepulcra, & lypsana illa incerta. Esto quidem: sed quicumque de veritate earum rerum certa persuasione tenebantur, illis utique contraria immortalitati illorum Sanctorum sedebat opinio; ex quo adversus contrariam sententiam, utpote populorum persuasioni oppositam, magnum ducitur argumentum.

Refellit Tertullianus De Anima cap. 55. sententiam illorum, qui Patriarchas, & Prophetas post Resurrectionem Jesu Christi ad Cœlos ascendisse ajunt. Imbecillibus ille argumentis probat, animas solummodo Martyrum Cœlo donari: asserit insuper, & scripto Libro sese probasse, animas omnes, Martyrum tantum exceptis, in Inferis usque ad diem Domini detineri (1). Hæc argumenta rejicimus, satis habentes, Scriptorem hunc testem sententiæ apud Veteres plurimos obtinentis (2) attulisse; sententiæ, inquam, docentis, Sanctorum animas non prius beatitudine donandas, quam post universalem hominum resurrectionem: quod de omnibus æque Sanctis, ne iis quidem exceptis, qui ad vitam una cum Jesu Christo redierunt, admittunt. Unde facilis conjectura est, ne probasse quidem illos sententiam de recepto illorum SS. corpore in cœlestem beatitudinem.

S. Chrysostomus hom. 40. in 1. Cor. xv. diserte asserit, viros illos ad vitam revocatos, cum Jesus Christus in Cruce adhuc penderet, obiisse iterum, & homil. 28. in ep. ad Hebr. xi. *Affirmo post Apostolum, SS. Prophetas & Patriarchas veteris Testamenti debitum sibi præmium non adhuc recepisse, nolente Deo, ut ante nos retributionem obtineant*. Inter illos Justos recenset Abelem, Noemum, Abrahamum, & ipsum denique Apostolum. Adeo ergo longe aberat Chrysostomus ab adstruenda corporum illorum Sanctorum beatitudine, ut ne animabus quidem concederet. Eadem ferme scribit Theodoretus in eumdem locum S. Pauli; omnes enim Sanctos, nullo excepto, opperiri ait debitas sibi coronas, & præmia. Docet Theo-

(1) *Habes etiam de Paradiso a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.* (2) Vide in primis Iren. lib. 5. c. 31. pag. 331. nov. edit.

phylactus in Matth. xxviii. viros illos sanctos ad vitam solummodo revocatos fuisse, ut resurrectionis Jesu Christi veritatem adstruerent; cujus signum est, ait, quod, postquam se spectandos pluribus Jerosolymæ commorantibus obtulerunt, iterum jacuerunt in sepulcro. Agnoscit Euthymius in Matth. 27. rediisse illos ad vitam, ut fidem adstruerent prædicantibus Jesu Christi resurrectionem; sed iterum obiisse affirmat: quæ communis est Græcorum persuasio, sententias S. Chrysostomi plerumque adoptantium.

Asserit non ambigue S. Ambrosius in Job. vii. Jesum Christum gratiam futuræ resurrectionis nobis promeruisse, *sed*, ait, *solus ipse adhuc resurrectione perpetua resurrexit*. Et alibi (3), temporali resurrectione viros illos Sanctos ad vitam rediisse affirmat; agnoscens simul, æternæ nostræ resurrectionis typum illa exhiberi.

Patres, quorum testimonia hactenus laudavimus, nonnisi obiter rem attigerunt; serio expendit S. Augustinus Epist. 164. ad Evod. n. 7. 8. 9. Revocat in examen argumenta fere omnia, supra a nobis deducta, & post librata utriusque partis momenta, statuit tandem, minus sibi persuaderi, justos ad vitam revocatos cum Jesu Christo, sive eodem, quo illum, tempore, sive post illum [nihil enim sibi affirmandum ea de re censet], ad vitam immortalem revocatos fuisse. Aliter credit Augustinus asseri non posse Christo nomen *primogeniti mortuorum*; neque aliter constare illud Apostoli Hebr. xi. 40. Deum nimirum providentiæ suæ consilio id voluisse, ut Patriarchæ perfectam operum suorum mercedem ante nos nequaquam acciperent. Addit tandem, imbecilliorem futuram alioqui vim argumenti S. Petri, qui e sepulcro Davidis, in Judæa sua adhuc ætate spectato, Judæis demonstrat, Davidem ipsum corruptionis expertem non fuisse, ac proinde alio plane spectare Textum Psalmi secundi, de quo nos supra.

S. Thomas 3. par. q. 53. a. 3. recitatis utriusque opinionis rationibus, sententiam suam proferens, docet, Sanctos illos una cum Jesu Christo ad vitam revocatos, nova iterum morte interiisse: quam nos pariter sententiam magis consentaneam reputamus Scripturæ, Patribus, atque ipsi demum traditioni. Nec responsione carent argumenta, quibus Sanctorum æterna resurrectio probatur. Triumphum Jesu Christi satis decorabat ingens illud animarum satellitium, quod longa illa tot sæculorum captivitate liberatum, secum ille triumphantis more in Cœlum, tunc primo patens mortalibus, duxit. Æqua etiam ratio volebat, triumphatorem a cæteris, qui, qui pompam comitabantur, secerni, ut gloriosum ejus & immortale corpus omnium primum in gloriam introduceretur; quod satis erat ad fidem nostram confirmandam, spem erigendam, solandos viros Sanctos, qui futuram corporum resurrectionem, non secus ac nos, opperiuntur,

Cum autem Prophetæ & Patriarchæ reipsa ad vitam, licet deinde ponendam, redire, documentum exhibere potuerunt apertissimum de veritate resurrectionis Jesu Christi; quæ si mortalibus constitisset, constare utique poterat futuræ nostræ resurrectionis dogma. Viri illi Sancti, qui corpus receperunt, ut de resurrectione Christi fidem exhiberent, eo jubente corpus illud sine dolore & dolorum tumultu posuerunt, statim ac munere suo functi sunt: commodum enim sibi ducebant, si voluntatem cœlestis Patris implerent. Nec Deus inconstantiæ vel pœnitudinis in eo arguendus est, quod novæ illos morti permiserit; non enim nisi ea conditione revocavit ad vitam. Hoc illis beneficium plenum utique & absolutum contulit; nihil autem illum cogebat, eo concesso, alterum pariter addere, satis utique diversum, ut scilicet immortalitate corporis & Cœlo donaret.

Patres illi, qui pro immortalitate Sanctorum laudantur, in tres classes distingui possunt. Alii aperto testimonio, sed nullo satis valido argumento, rem asseruerunt; alii ambigue loquuntur, alii tandem sibi ipsis non constant, eorumque testimonia in utramque sententiam afferuntur. Prioribus alios opponimus, æque clare & expresse, sed melioribus ductos rationibus, oppositum affirmantes. Quorum testimonia obscura sunt & ambigua, & eorum, quorum pro utraque sententia momenta valent, authoritatem non moramur; æque enim pro nobis atque contra nos laudantur. Ejus plane generis testimonia nulla sunt; & cum Patres & Ecclesiastici Authores inter se committuntur, æqua ratio postulat, ut utriusque partis momenta expendantur. Persuasum autem habemus, Scripturæ locos, quos laudavimus, multo esse clariores, quam qui pro adversa sententia afferuntur. Accedit insuper nobis suffragium illorum Patrum, qui veluti tres columnæ Theologiæ habentur, nimirum S. Chrysostomi apud Græcos, S. Augustini apud Latinos, & S. Thomæ apud Scholasticos.

Audacter igitur affirmandum nobis ducimus, Sanctos illos ita rediisse ad vitam, ut novæ morti subderentur; e qua iterum in novam vitam statа die revocandi sunt. Si minus autem constet numerus, ætas, & cætera omnia, quæ ad illos pertinent, constat tamen reipsa resurrexisse instructos corpore, non omnium quidem intuentium oculis subjecto, nec ea forte gloria aucto, qua tandem fruituri erunt Justi in gloria Cœlesti; apto tamen ad persuadendam & præsentem Jesu Christi resurrectionem, & hominum futuram. Asserimus tandem, contigisse facile, ut nonnisi post Domini resurrectionem, adeoque post reditum ejus ab Inferis (eo enim descendisse post obitum ad liberandas Sanctorum animas in ejus expectationem arrectas, Fides docet) Sanctos illos vitæ esse restitutos; quamquam S. Matthæus xxvii. 52. 53. habet, patuisse monumenta statim, ac Jesus Christus in cruce spiritum emisit.

(3) In Luc. viii. *Sic & resurrectio temporalis in Passione Domini celebratur, ut perpetua illa credatur.*

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN EVANGELIUM S. MATTHÆI.

CAPUT PRIMUM.

Jesu Christi Genealogia. In Virginis utero concipitur. Josephus, Mariæ vir, timoribus agitatur. Confirmatur ab Angelo. Jesus Bethlehemi nascitur.

ꝟ. 1. LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI filii David, filii Abraham. 2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. 3. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. 4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. 5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David Regem. 6. David autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. 7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. 8. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. 9. Ozias autem genuit Joathan. Joathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. 10. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. 11. Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis. 12. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. 13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. 15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. 16. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. 17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: & a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim. 18. Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. 19. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. 21. Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus JESUM; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. 22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam, dicentem: 23. Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum, Nobiscum Deus. 24. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam. 25. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus JESUM.

ꝟ. 1. LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI. Totius quodammodo Evangelii, a S. Matthæo descripti, titulus (1). Reddi potest: *De Vita Jesu Christi Liber*; seu, Liber, quo continetur narratio vitæ, gestorum ac necis Jesu Christi. Quodlibet scriptionum genus Hebræi communi vocabu-

(1) Ita Maldonat. Menoch. Hamond. alii plures.

lo Librum nuncupant, *Generatia* pro universa hominis alicujus historia usurpatur, uti Gen. v. 1. *Hic est liber generationis Adam*. Et Genes. 37. 2. *Hæ sunt generationes Joseph*. Et Num. 3. 1. *Hæ sunt generationes Aaron & Moysi, in die qua locutus est Dominus, &c.* Narratio rerum a Moyse & Aarone gestarum, a die qua verba ad Moysem fecit Deus in Sinai. Tum de Cœli Terræque Creatione Gen. 11. 4. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt*; Narratio creationis cœli & terræ. Fabulam de rebus gestis Jesu Christi, a se male confictam, Judæi nuncupant (2) *Sepher Toledoth Jesu*; quæ verba idem sonant atque illa, *Liber generationis Jesu Christi*.

Alii (3) prima hæc verba ita usurpant: *Catalogus Genealogicus Avorum Jesu Christi*. Vel: *Descriptio originis*. Parentes habuit Jesus Davidem, Abrahamum, & cæteros, quibus nobilissima omnium, quæ fuere, origo componitur. Habes enim conjunctas in Davide & Abrahamo Regis, Prophetæ ac Sacerdotis dignitates; Davide nimirum Rege & Propheta; Abrahamo Propheta & Sacerdote. Triplex hoc nomen eximia divinaque ratione obtinuit Jesus. Poterat nullo negotio Matthæus, uti Lucas, ad Adamum usque originem producere; at ad Abrahamum usque satis erat superque; hinc enim ad primum hominum parentem proclivis est via.

Jesu Christi. *Christi* appellationem, hominis nimirum uncti, addit Jesu Matthæus: porro unctio nota Regni est, seu Sacerdotii. Christus idem est ac Hebræum (4) *Messiah*; quo nomine Hebræi Redemptorem & olim & nunc etiam expectatum semper nuncupavere. Communis jam tunc erat apud Fideles hæc Jesu appellatio, cum hæc scriberet Matthæus, ipso teste (5): *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Iis vero qui Christum esse Jesum minime credebant, ipsum revera esse in consequentibus luculentissime ostendit.

Filii David, filii Abraham: Davidem priore loco nominat Matthæus, quod hic Abrahamum Regia dignitate superaret, ac nobilissimus inter Jesu Christi avos esset (6); quodque vaticinia (7), Messiam Abrahamo pollicentia, & deinde soboli Judæ confirmata (8), in familiam Davidis deinde collecta fuerint (9). Atque ita veritas pluribus revelata, ab universalibus ad singularia descendens, mutuo explicatur. Adde, quod, cum Jesus Christus apud Judæos sub Filii Davidis nomine nosceretur, cæteris Hebræis sese Filios Abrahæ nominantibus, Davidis nomen statim initio ponendum erat, ut Jesus a cæteris secerneretur. Vernaculo Hebræorum sermone, *filii* appellatio non semper filium revera significat, sed hominem ex altero prognatum, quovis intervallo. Reddi potest Græcus (10): *Jesu Christi, qui filius fuit Davidis, & filius Abrahami*; vel, *Jesu filii Davidis*, qui *filius* erat *Abrahami*. Prior tamen explicatio potior est, magisque cum Matthæi propositio convenit.

Cum Judæi ad sacra Christiana conversi, quibus potissimum scribebat, de Jesu Christi Divinitate minime dubitarent, sermonem hac de re habere minime necessarium esse duxit Matthæus (11); satisque habuit describere illum humana carne indutum, atque e Virgine ortum; non quod hæc inter Fideles ambigua essent, sed quod ab Judæis incredulis ac pervicacibus negarentur. At Joannes, inter Ethnicos scribens, Jesu Christi Divinitatem commendare studuit, quod res esset, cui Ethnici ægerrime fidem haberent.

℣. 2. Abraham genuit Isaac. Ii tantummodo in hac serie numerantur, quibus omnino opus est, ut certa Jesu Christi origo texatur (12); relictis Ismaele Abrahami filio, Esau filio Isaaci, cæterisque Jacobi liberis, præter Judam.

℣. 3. Phares et Zaram de Thamar. Quid hisce nascentibus contigerit (13), neminem latet; eorumque hic videtur data opera meminisse Matthæus, ut mysterium traderet filii natu majoris minori posthabiti; id quod futurum erat imago fortunæ, quam subitura erat Synagoga, Ecclesiæ postposita (14). Illud etiam animadvertunt (15), quatuor solummodo fœminas famæ non satis integræ in hac serie numerari; Thamarem, incesto Judæ concubitu celebrem; Ruth, Moabitico genere, & Rahab Chananæo sanguine ac turpi arte despectas; ac denique Bersabeen, Davidis adulterio notissimam. Docuit his exemplis Matthæus, Jesum, qui peccatores servaturus venerat, tales non dedignari in majorum suorum censu, omnesque ab illo indiscriminatim ad salutem vocari, justos & iniquos, peccatores & pios. Simplicissimam hujus rei rationem comminiscitur Maldonatus: Legitimas, inquit, uxores, quarum vel connubium vel conditio nihil ferebat insolitum, omittit Matthæus; & iis quæ vulgo fieri solebant, relictis, extraordinaria dumtaxat enarrat. Fœminas in originum descriptionibus prætereunt Hebræi, nisi gravis aliqua, quemadmodum hic usu venit, causa id fieri vetet.

℣. 5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Rahabem Jerichuntinam, quæ Hebræos exploratores Jerichunte celaverat Josue 11. 5. Salmon duxit uxorem. Hujus cum Rahabe connubii nullibi meminit Scriptura (16); illud solummodo tradens Ruth 4. 20. ex Aminadabo e Tribu Juda ortum esse Naassoo, atque ex eo Salmonem, qui Boozum procreavit, omissa Boozi matre. At omnino Matthæus vulgarem certamque secutus est ætatis suæ traditionem; quippe cum eo tempore illustrium Familiarum origines sedulo servarentur (17); quæ deinde monumenta sexdecim amplius sæculorum lapsu periere. Narrat Eusebius Histor. Eccl. l. 1. cap. 7. Herodem tabularia omnia hujuscemodi monumentorum cremasse. Herode recentior procul dubio est Matthæus; at Herodes exempla omnia ex iis tabulis descripta, & in privatis ædibus servata, abolere non potuit. Quamvis autem omnia ea monumenta perierint, ipsa hominum memoria diu servari potuere. Eodem certe Eusebio teste loco citato, Davidicæ stirpis homines, qui inter consanguineos Jesum Christum sese recensere gloriabantur, suas ipsorum origines in accuratissimis monumentis exhibebant, quorum ope conciliabantur aptissime Matthæus & Lucas iis in locis, ubi maxime dissidere videntur.

Profecto si hæ originum descriptiones, ab Evangelistis recitatæ, fraudis damnari possent, nihil facilius tum temporis erat, quam ut Judæi & illarum fraudem detegerent, & omnem sacris Scriptoribus fidem detraherent. Judæorum simultas & odium in Christianos id minime neglexisset, siquidem ullus accusationi locus fuisset. Quam multis vero gravibusque conviciis obnoxii fuissent Evangelistæ, siquidem data opera originum Tabulas corrumpere ausi essent, eo præsertim tempore, quo Davidica stirps optime noscebatur? Quamobrem si nihil accusavere Judæi, statuendum omnino est, eas origines vulgo habitas esse sinceras.

Ori-

---

(2) ספר תולדות הישוע (3) Grot. Cleric. Anaot. in Hamond. Vatab. Alii. (4) משיח Χριστὸς, vel ἠλειμμένος. (5) Infra ℣. 6. (6) Irenæus lib. 3. cap. 18. Chrysost. in Matth. homil. 2. Author Operis imperfect. homil. 1. Alii. (7) Genes. xxii. 55. 16. xvii. 7. xxi. 13. xxii. 17. 18. Galat. iii. 27. (8) Genes. xlix. 10. (9) 2. Reg. vii. 12. 13. 14. 16. 1. Par. xvii. 10. Psalm. lxxxviii. 3. Psal. cxxxi. 11. Act. xiii. 23. (10) Τοῦ Δαβὶδ, υἱοῦ Ἀβραάμ. (11) Author Operis imperfecti. (12) Chrysostom. & Theophylact. hic. (13) Genes. xxxviii. (14) Author Oper. imperfect. homil. 1. Chrysost. Euthym. (15) Hieronym. in Matth. cap. 1. Theodoret. qu. 1. in Ruth. Theophylact. in Matth. Chrysost. Euthym. hic. (16) Grot. Hamon. Ligfoot. (17) Joseph. contra Appion. lib. 1. pag. 1036.

Origenis & Africani ætate (18), quædam adhuc quasi per manus tradita narratio habebatur, ex ipsa Davidis & Jesu Christi familia derivata, qua hujusmodi ambages penitus solvebantur, ut infra notabimus. Celsus, Porphyrius, & Julianus Apostata, qui nonnulla in hanc rem objecere, nihil solidi adversus Ecclesiæ fidem protulerunt.

Dubitant nonnulli (19), Rahab, quæ hic recensetur, eadem sit quæ exploratores excepit Jerichunte, nec ne. Alii (20) triplicem Boozum fuisse ajunt, non unum, cum tres solummodo vel quatuor homines in Scriptura numerentur, quibus diuturnum annorum sex & triginta supra trecentos spatium, nimirum ab Jerichuntis expugnatione usque ad ortum Davidis, impletur. At alteram sententiam nulla fulciunt argumenta; alteri neque ullus Scripturæ locus neque necessitas favet. Unicus dumtaxat Booz in tota Scriptura nominatur (21): quamquam autem ægre contingere fatemur, ut quatuor hominum sibi succedentium vita trecentos & triginta sex annos impleat, omnino tamen res non est quæ fieri nequiverit, præsertim quo tempore longe diuturnior erat hominum vita, & non rari occurrebant, qui sæculum unum vivendo superarent.

℣. 6. Genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Reddi potest Græcus (22): *Genuit Salomonem ex uxore Uriæ*; quasi Salomon ex Davidis adulterio procreatus fuerit. At Salomonem legitimo genitum esse connubio constat, post prioris filii e Bersabee mortem, ea in legitimam uxorem ducta (23). Quamobrem Latinus Interpres addidit τὸ *fuit*, ut significaret, illam tunc Uriæ uxorem esse desiisse.

℣. 8. Joram genuit Oziam, aliter Azariam (24); ex eo notissimum, quod sacrum thus in Templo cremare ausus, statim a Deo elephanti morbo *mulctatus est* (25). Proximus Jorami filius non fuit Ozias; tres enim Reges intercedunt. *Ochozias* patrem habuit Joramum, Ochoziam *Joas*, hunc *Amasias* pater *Oziæ*. Porro hoc docent omnes Regum Juda catalogi, eorumque successio.

Cur vero tres omisit Evangelista, Ochoziam, Joasum, & Amasiam? Duplex inter cæteras ratio affertur. Prima ea est, quod cum Matthæus in Catalogo Majorum Jesu Christi ter quatuordecim hominum numerum servare decreverit, tres eo numero majores prætermittere debuit (26). At cur tres hosce Reges, Ochoziam, Joasum, & Amasiam, non alios? Horum impietatis causa, inquiunt, sive ob Eliæ vaticinium 3. Reg. xxi. 21. qui universum Achabi genus deletum iri prædixit; cui sua fides penitus stetit, occisis ab Jehu Joramo Rege Israelis ejusque liberis 4. Reg. ix. 2. sublatisque Ochozia Athaliæ filio, genero Achabi & Jezabelis, & Joaso atque Athalia, quorum origo flagitiis Athaliæ aviæ corrupta fuerat. Hæc tamen nostris emunctæ naris Scriptoribus minime satisfaciunt; quippe Athaliæ flagitia satis causæ non erant, ut originis series mutilaretur; nempe hic quæritur, utrum Reges hi impiam matrem, sed regium Davidis genus nec ne habuerint.

Censuere alii (27), tria hæc nomina casu intercidisse, nulla Scriptoris fraude, sed oscitantia librarii, quem nominum similitudo fefellerit. At quorsum Matthæus genealogicam hanc seriem tres in classes distribuit, singulas a quatuordecim hominibus conflatas? Periturus est certe numerus, si tres hi Reges adjiciantur. Neque putandum est, Matthæum ex historiæ ignorantia hos omisisse, cum crassus nimium futurus esset error; nec decipiendi lectoris causa, cum id ipsi utile non esset, contra vero res plena discriminis foret, nutante scilicet ob id narrationis fide. Dionysius Baselibas affirmat vidisse se Syriacum Codicem S. Matthei ex Hebræo expressum, in quo nomina trium Regum omissorum in Evangelio S. Matthæi, quod nunc superest, legebantur; nihilo tamen secius in fine ejusdem genealogiæ legisse se ibidem affirmat illud *Generationes quatuordecim*, quemadmodum nostri Codices ferunt (28). Addit ibi sententiam Gregorii Episcopi Arabum, qui opinatus est librarios incautos tria illa nomina omisisse, quibus fucum fecit nominum similitudo; pro eo enim quod legerint *Joram genuit Ochoziam*, ut ferebant exemplaria sincera S. Matthæi, tribus nominibus incaute neglectis, posuerunt *Joram genuit Oziam*.

Cernere etiam juvat discrimen ingens inter S. Matthæum & S. Lucam in genealogia Jesu Christi retexenda. Græci etiam & Syriaci eorum codices inter se discrepant. Dionysius Baselibas affirmat in Syriaco Codice suo Evangelio S. Lucæ cap. 3. 23. ita legi *Joseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*, uti etiam vulgatæ nostræ Codices ferunt; in aliis vero omitti tradit *Mathat & Levi* ut legerint *Josephi qui fuit Heli, qui fuit Melchi*. Monet etiam Julium Africanum ex Abrahamo ad usque Joseph generationes quinquaginta supputasse apud S. Lucam, cum Syriaci Codices ad 56. prorogant. S. Gregorio Theologo ab Adam usque ad Christum sunt generationes septuaginta. Codices tamen Syriaci, qui accuratiores putantur, nonnisi 56. præferunt, unde non levis induci persuasio potest in his Codicibus aliquid ex incuria omissum.

Fieri tamen potuit, ut Matthæus hæc nomina ita distribuerit, quo facilius memoria retinerentur. Res quippe ipsa etiam in Scriptura non carebat exemplo. Sacri Scriptores in rebus vulgo notissimis nonnulla frequenter negligunt; atque ubi originum series texunt, recitatis solummodo iis nominibus, quibus opus est, breviori via ad propositum tendunt. In 1. Paralipom. iv. 1. Sobal ceu proximus Judæ filius ponitur, quamvis quinque vel sex ætatibus ab eo remotus. Plura etiam nomina desiderantur in capite secundo primi Esdræ, collato cum capite septimo libri secundi. Homines undeviginti numerat Lucas inter Salathielem & Josephum, Matthæus decem. Apud profanos series Regum veterum Imperiorum imperfectæ sunt & hiantes (29). In annorum censu solent Historici anarchias, & tempora tumultibus & calamitatibus dira præterire. Quo sincerior est Scriptoris fides, eo negligentior est in rebus minimis circumspectio.

℣. 11. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Iterum hic Matthæus in re notissima parum accurate loquitur, quippe qui lectorem satis edoctum putat, ut quæ desiderantur suppleat. Nullus Jechonias Josiæ filius fuit, sed nepos, qui Joakimo in Regno Judæ successit. Putavere nonnulli (30), omissum a librariis Joakimi nomen, locumque ita esse restituendum (31): *Josias genuit Joakim, Joakim autem genuit Jechoniam*, qui fuit *in transmigratione Babylonis*.

(18) African. apud Euseb. loco cit. (19) Theophylactus dubitat; Author Operis imperfecti non audet affirmare. (20) Lyran. & alii nonnulli. (21) Ruth. iv. 20. 21. & 1. Par. ii. 11. 12. & Luc. iii. 32. (22) Δαβὶδ δὲ ὁ βασιλεὺς ἐγέννησε τὸν Σολομῶντα ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου. (23) 2. Reg. xi. 27. xii. 24. (24) 4. Reg. xv. 1. 1. Par. iii. 12. (25) 2. Par. xxvi. 21. 4. Reg. xv. 5. (26) Hieron. hic. Ita & D. Thom. Jansen. c. 6. Concord. Mariana hic; Barad. lib. 5. c. 12. Jansen. Ipr. hic; Abul. qu. 17. Grot. Jun. Vide & Hilar. & Rupert. hic; & Auth. qu. in Matth. inter Opera Aug. 1. 3. qu. 85. (27) Quid. apud Tost. Sanct. in 4. Reg. xix. 18. (28) Vide Asseman. tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 160. 161. (29) Vide Grot. ad ℣. 17. Ligfoot. hor. Hebr. (30) Vide Epiphan. Hæres. Epicur. Opus imperf. in Matth. Maldonat. Pareum, Kemnit. Jac. Capell. alios. (31) Ita fere legunt Laud. 2. Seld. 4. Mosc. 1. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ, Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. Alii καὶ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ, &c. Ita plures in variant. lect. a Millio collectis. Et alii apud D. Bern. de Monfauc. Diarii Ital. lib. 1. c. 21.

lonis ; & post transmigrationem Babylonis , Jechonias genuit Salathiel. Ita series integra efficitur.

Aliis placet (1), Jechoniam hoc loco eumdem esse qui in Libris Regum & Paralipomenon (2) dicitur *Jaakim*, *Eliacim*, sive *Jaachim*, atque hic pro duobus poni , ipso nimirum & ejus filio : quamobrem ut integer sit locus , legendum esse (3) : *Josias genuit Jechoniam* , aliter Joakimum ; & *Jechonias* sive *Jaachim genuit* alium *Jechoniam* sive *Jaachimum* , qui deinde captivus ductus est Babylonem. Certat Sanctius (4) Jechoniæ appellationem omnibus Josiæ liberis fuisse communem; idque probare conatur ex tertio Esdræ libro (5) collato cum quarto Regum, & secundo Paralipomenon . Quem duo posteriores hi Libri Joachazum, Jechoniam nominat tertius Esdræ Liber; & S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Joachimum*, quem nos *Jechoniam*, dicimus. Ut ut tamen explices , fatendum omnino erit , unius Regis nomen hic desiderari, ut secunda vel tertia classis , quatuordecim hominibus conflata impleatur . Si enim Joakimum in secunda classe collocaveris e tredecim dumtaxat erunt ; si vero Jechoniam secundæ huic addas, tredecim supererunt in tertia. Agnovit id S. Hieronymus, in Danielem scribens , ubi Porphyrium ignorantiæ arguit (6).

1 Abraham.	1 Salomon.	1 Jechonias.
2 Isaac.	2 Roboam.	2 Salathiel.
3 Jacob.	3 Abias.	3 Zorobabel.
4 Juda.	4 Asa.	4 Abiud.
5 Phares,	5 Josaphat.	5 Eliacim.
6 Esron.	6 Joram.	6 Azor.
7 Aram.	7 Ozias.	7 Sadoc.
8 Aminadab,	8 Joathan.	8 Achim.
9 Naasson.	9 Achaz.	9 Eliud.
10 Salmon.	10 Ezechias,	10 Eleazar.
11 Booz.	11 Manasse.	11 Mathan.
12 Obed.	12 Amon.	12 Jacob.
13 Jesse.	13 Josias.	13 Joseph.
14 David.	14 *Jaakim*. sive *Jaachim*.	14 JESUS.

JECHONIAM ET FRATRES EJUS IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS. Tria hic sunt , quæ non levem difficultatem pariunt . I. quod Josias Jechoniæ pater fuisse dicitur , cum avus fuerit . II. de fratribus Jechoniæ , qui nulli uspiam fuisse leguntur . III. de tempore captivitatis Babylonicæ ; Josias enim ad eam usque ætatem non vixit, ante viginti annos mortuus . At si Joachimum in Textu addas, ardua omnia explanantur. Josias Joachimum sive Eliacimum vel Joakimum ejusque fratres , *Johananum* scilicet, *Sedeciam* & *Sellum* (7), procreavit; vel ex Libris Regum (8), *Joachazum*, *Matthaniam* , vel *Sedeciam* . Quid Johanano contigerit, ignoratur : *Sellum* idem creditur ac Joachaz. Joakim , vel Eliacim , sive Joachim procreavit *Joachimum* sive *Jechoniam* , circa Babylonicæ captivitatis ætatem.

Tria quippe Babylonicæ captivitatis tempora numerari possunt . Prima captivitas contigit anno quarto Joakimi Josiæ filii , Mundi 3398. Eo anno Nabuchodonosor , expugnata Jerosolyma , ingentem captivorum numerum Babylonem abduxit . Altera captivitas ad regnum Jechoniæ , filii Joachimi , pertinet , qui , gesto trium mensium regno, captus est anno 3405. ductusque Babylonem cum populi optimatibus . Tertia denique captivitas acta est post Jerosolymæ excidium , anno Sedeciæ undecimo , Mundi 3416. Ita igitur explicandus est ℣. 11. *Josias genuit Joachimum & fratres ejus ; Joachim genuit Jechoniam* circa tempus primæ *captivitatis Babylonicæ ; Jechonias genuit Salathielem post transmigrationem Babylonis*.

℣. 12. ET POST TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS JECHONIAS GENUIT SALATHIEL. Captus a Nabuchodonosore Jechonias , & Babylonem ablatus, publicis quodammodo in vinculis fuit usque ad Nabuchodonosoris obitum; quo fatis functo , Evilmerodachus regno potitus Jechoniam ærumnis eductum inter primos aulæ suæ proceres numeravit , cæterisque prætulit (9). Liberos procreavit Jechonias ; ejusque filius Salathiel Davidicæ stirpis sobolem propagavit.

Minitatus fuerat Jechoniæ Jeremias 22. 30. futurum, ut is prole careret : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur : nec enim erit de semine ejus vir , qui sedeat super solium David*. Quæ verba nonnulli ita interpretati. sunt , quasi nullos habuerit liberos Jechonias : at vera Jeremiæ sententia est , nullos fore Jechoniæ successores , qui regno potiantur ; morituros in privata fortuna captivos illius liberos , honoribus & dignitate spoliatos . Revera capto per Nabuchodonosorem Jechonia , successit patruus Sedecias, quo regnante Regnum Juda penitus periit . Jechoniæ liberos tradunt Paralipomena l. 1. c. 3. *Asir* & *Salathielem* ; neuter tamen Judæam vidit. Salathieli filius fuit Zorobabel , qui e captivitate redux, successorem Davidicæ stirpis edidit *Abiud* ex Matthæo, *Resas* ex Luca.

JOSEPH VIRUM MARIÆ. Vir Mariæ Joseph , & Josephi uxor Maria , ex consueto Hebræorum sermone , quamvis nullæ intercesserint nuptiæ (10); Hebræi enim sponsos viros , sponsas uxores appellabant , teste S. Hieronymo (11). Sponsorum flagitia adulterii loco habebantur ; quiqui sponsæ stuprum intulisset , ceu adulterii reus morte plectebatur [*Deut*. XXII. 25. 28.] , accusante illum Sponso, & Legum severitatem adversus illum

(1) August. de Consensu Evang. lib. 2. cap. 4. Epiphan. Hæres. Epicur. Hieron. hic; Ambrof. in Luc. lib. 3. alii passim. (2) 4. Reg. XXIII. 34. XXIV. 1. 2. Par. XXXV. 4. 5. 8. (3) Vide Maldonat. hic, & Sanct. in 4. Reg. XIV. 18. (4) Sanct. loco citato. (5) 3. Esdr. 1. 34. collatum cum 4. Reg. XXIII. 30. & 2 Par. XXXVI. 1. (6) Hieron. in Dan. 1. initio : *In Evangelio secundum Matthæum una videtur deesse generatio, quia secunda Tessaradecas in Joachim desinit filio Josia, & tertia incipit a Joachin filio Joachim. Quod ignorans Porphyrius calumniam struit Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum Evangelistæ Matthæi arguere nititur falsitatem*. Vide & Hieron. in Matth. (7) 1. Par. III. 15. (8) 4. Reg. XXIII. 34. 34. XXIV. 17. (9) Jerem. XXXI. 10. Vide Text. Hebr. (10) Chrysost. in hunc locum hom. IV. Γυναῖκα δὲ ἐνταῦθα τὴν μνηστὴν λέγει. Ὥσπερ δὲ τὸ γαμβροὺς οἶδεν ἡ γραφὴ λέγειν, καὶ πρὸ τοῦ γάμου τοὺς μνηστῆρας. (11) Hieron. hic ℣. 19. *Recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vocantur uxores*. Ita & in ℣. 20. & lib. contra Helvid.

lum invocante. Sponſalia nonniſi dato divortii libello ſolvebantur; idque fuſius docet Seldenus Judæorum teſtimoniis (41). Conjugium non in corporum ſed in animorum conjunctione conſiſtit, ait S. Auguſtinus (42): quamobrem tametſi Maria & Joſeph nunquam uſi ſunt conjugio, verum tamen conjugium fuit.

De S. Joſeph conjuge B. Virginis adeas Bollandiſtas ad diem 19. Martii. Conſule etiam vitam S. Joſephi, opus ſane putidum, Arabice impreſſum Lipſiæ anno 1722. editioni huic ſcriptor quidam e Proteſtantium ſecta, magnus catholici nominis oſor, notas ſuas, doctas tamen & criticas ſubjecit. Poſt præfationem legenda occurrit epiſtola D. Croſæ, qui ſe ejus auctorem prodit. Profeſt ibi authores opinantes S. Joſephum ex ipſo matris utero expiationem peccati originis obtinuiſſe. Nota par. 2. 10. Joannes Gerſon tract. 59. lib. 3. operum.

Numquid Joſeph faber erat cœmentarius, lignarius, aut ferrarius? Vide eundem authorem pag. II. Nunquid conjugatus? Vide ibid. pag. XI. XII.

Nulla ſacra ejus lypſana alicubi reperiuntur, eo quod ſcilicet anima juncta corpori in cœlum tranſlata ſit, ait S. Bernardinus Senenſis.

℣. 17. Generationes quatuordecim. Memoriæ gratia fortaſſe Matthæus Jeſu Chriſti originem ita diſtribuit. Optime ille notat, fieri non potuiſſe, ut non plures quam duæ & quadraginta ætates ab Abrahamo uſque ad Jeſum Chriſtum intercefferint, quibus anni ferme bis mille implerentur (43); at numerum hunc ſervare voluit ob eam, quam diximus, cauſam; quamobrem & nonnulla nomina in originis ſerie omiſit, uti ſupra animadvertimus. Vidimus enim, ſecundam teſſaradecadem non quatuordecim ſed tredecim nomina habere, relicto *Joachimo*; id quod nonniſi librariorum vitio tribuendum eſt.

℣. 18. Cum esset desponsata Mater Jesu. *Deſponſatæ* nomen optime congruit cum Græco (44), idem ſignificante; ac deſponſam ſolummodo eo tempore fuiſſe Mariam, ajunt Origenes (45), S. Hilarius (46), S. Hieronymus (47), S. Baſilius (48), S. Epiphanius (49), S. Bernardus (50), S. Chryſoſtomus (51), aliique quamplures Interpretes (52); totaque narrationis ſeries huic ſententiæ favet. Vide ℣. 20. Patres alii, & magno numero Interpretes aſſerunt, Mariam, quo tempore humanis artubus Jeſum induit, veram fuiſſe Joſephi uxorem. Author Operis Imperfecti in Matthæum, S. Ambroſius in Lucam, libro II. Theophylactus aliique plures Textus verba de vero conjugio interpretantur.

At fortaſſe nonniſi de rei nomine hic diſputatur; deſponſæ enim apud Hebræos nuptarum loco habebantur, uti diximus, ut nonniſi dato divortii libello repudiari poſſent. Putant S. Chryſoſtomus Hom. 4. Author Operis Imperfecti Hom. 1. & S. Bernardus Serm. 2. ſuper Miſſus eſt, conſueviſſe tunc temporis Judæos deſponſas ſponſis cuſtodiendas tradere; id quod repugnare videtur iis, quæ apud Scripturam hac de re leguntur, aut a Rabbinis traduntur: vel ſaltem habendum eſt ſeu privata nonnullorum in quibuſdam regionibus Judæorum conſuetudo, communi cæterorum contraria: qua tamen ea confirmantur quæ diximus, deſponſas nimirum apud Judæos nuptarum loco haberi conſueviſſe, ſoloque uſu conjugium a ſponſalibus differre. Docet aperte S. Hilarius (53), Mariam nonniſi edito Jeſu conjugem Joſephi fuiſſe.

Antequam convenirent, inventa est in utero habens. Vel, antequam in viri domum induceretur (54), & implerentur nuptiæ. Vetuſtiſſimus enim mos Judæorum eſt, ut ſponſæ in parentum domo multis ante nuptias menſibus maneant, antequam viris tradantur. Samſonis uxor Judic. xiv. 15. dio apud parentes fuit, antequam nuptiæ implerentur. Lothi filiæ Gen. xix. quamquam deſponſæ, apud patrem erant, quo tempore Angeli excidium Sodomæ intulerunt. Solent adhuc Judæi puellas viro deſponſas ſex menſibus, uno interdum vel duobus annis apud ſe habere, uti pacta vel deſponſarum ætas poſtulant (55).; puellæ enim quam citiſſime deſponderi apud illos ſolent. Eadem fuiſſe videtur in Africa conſuetudo. S. Auguſtinus l. 8. Confeſ. *Inſtitutum eſt, ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam.*

Veteres nonnulli apud Origenem hom. 7. in Luc. heretici, Tertullianus (56), Bonoſus Macedoniæ Epiſcopus, de quo S. Ambroſius Epiſtola 79. & Helvidius (57), ex iis verbis, *Antequam convenirent*, collegerunt, Mariam & Joſephum poſt Jeſu Chriſti ortum uſu conjugii non abſtinuiſſe, liberoſque procreaſſe, qui deinde fratres Jeſu in Evangelio (58) nuncupentur: at raros habuit aſſeclas hæc ſententia, acerrime a S. Hieronymo refutata. Audias paſſim, aliquem interiiſſe, antequam ea quæ moliebatur expleret: an idcirco poſt mortem explevit? reum a Judice, antequam audiretur, fuiſſe damnatum: an poſt ſententiam auditum eſſe arbitraberis? Vulgaris hominum ſermo innumeris hujuſmodi locutionibus ſcatet. Paria his habet paſſim Scriptura. Vide *Geneſ.* viii. 7. 2. *Reg.* v. *ult.* *Pſal.* cix. 1. xciii. 15. cxxii. 3. *Matth.* xii. 20. xxviii. 20. 1. *Cor.* xv. 25. *&c.*

Author Operis Imperfecti in Matthæum, ex veteris hiſtoriæ fide narrat, quo tempore Angelus ad Mariam venit, Incarnationis myſterium nuncians, ipſaque in montibus Juda peregre fuit, Joſephum domo abfuiſſe; reverſum vero poſt multorum menſium abſentiam, cum Mariam gravidam cerneret, illam flagitii accuſaſſe, Dei judicia minitatum. At reſpondente Maria, & cum lacrymis ſuſpirioque jurante, *Vivit Dominus, neſcio unde ſit hoc*, timuiſſe Joſephum; expenſiſque Mariæ moribus, cum nihil in ea minus pudicum ſanctumque cerneret, maluiſſe illam credere nulla hominis opera gravidam, quam adulterii ream.

Hu-

[41] Selden. uxor Hebr. lib. 2. cap. 1. & 8. [42] Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Evangel. cap. 1. *Poſſe permanere vocarique conjugium, non permiſto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Vide & lib. 1. de Nuptiis & concupiſc. cap. 11. & lib. 5. contra Julian. cap. 9. S. Chryſoſt. homil. 4. in Matth. ℣. 20. [43] Abraham natus eſt anno Mundi 2008. J. C. natus eſt anno Mundi 4000. [44] Μνηςευθείσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ. [45] Origen. ſeu alius Author in diverſ. Evangel. homil. 2. [46] Hilar. hic: *Ergo & conjugis & nomen ſponſa ſuſcepit. Et poſt partum in conjugem recognita tantum Jeſu mater oſtenditur.* [47] Hieron. hic: *Joſeph non licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat.* Et ℣. 16. *Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum.* Ita & ℣. 20. [48] Baſil. homil. de Humana Chriſti generatione p. 507. [49] Epiph. Hæreſ. 78. [50] Bernard. ſuper Miſſus eſt, ſeu de Laudib. B. M. homil. 2. n. 12. *Mos Judæorum erat, ut a die deſponſationis ſuæ, uſque ad tempus nuptiarum, ſponſis ſponſæ traderentur cuſtodiendæ*, &c. [51] Chryſoſtom. homil. 4. in Matth. ℣. 20. [52] Eraſm. Maldonat, Baronius, Hammond. Le Clerc, Beza, Schmith, &c. [53] Hilar. in Matth. *Ergo & conjugis nomen ſponſa ſuſcepit, & poſt partum in conjugem recognita tantum Jeſu Mater oſtenditur.* [54] Beza, Vat. Spanh. Syr. Ligfoot. Grot. alii paſſim. [55] Selden. uxor Hebr. Baſnage Hiſtoire des Juifs Livre 5. chap. 19 art. 12. Leone Modena part. 3. c. 3. Byon. de Natali Chriſti lib. 1. cap. 2. art. 5. [56] Tertull. de Monogam. cap. 8. & de hum. Chriſti cap. 7. Vide Hieronym. adverſ. Helvid. [57] Vide Hieronym. contra Helvid. cap. 2. & in hunc loc. & Chryſoſtom. Homil. 4. Jovinian. apud Auguſtin. lib. de Hæreſib. Epiph. hæreſ. 78. de Antidico-Marian. [58] Matth. xii. 46. 47. xiii. 55. Marc. xiii. 31. 34. Luc. viii. 19. 20.

Hujus tamen Scriptoris fides levissima est, quippe qui falsa interdum recitare non veretur. Neque Josephum Mariæ timoris sui argumenta, neque Mariam Josepho rei gestæ mysterium aperuisse, tradunt Evangelistæ. Tranquillo humilique animo præstolata est Maria, ut suam ipsius pudicitiam Josepho Deus ostenderet.

Cur vero Christus nuptam vel saltem sponsam elegit, ut sibi mater fieret, cum ipse e virgine nasciturus, ac prodigiosa illius nativitas fidei nostræ articulus futura esset? Nonne nobilissimum hujusmodi mysterium calumniis obnoxium futurum erat? nonne arma & criminationes incredulis hostibusque dabantur? Plures afferuntur arcani hujus causæ. I. ut Mariæ pudicitia & fama defenderetur, ac fœcundæ virginitatis miraculum ipsis Filii prodigiis manifestum fieret (58). Quæ in populo dicteria, quantum Mariæ probrum futurum fuisset, si puella innupta uterum gerens cerneretur? *Maluit* Christus *aliquos de sua generatione, quam de Matris pudore dubitare; nec putavit ortus sui fidem Matris injuriis adstruendam*, inquit S. Ambrosius lib. 2. 12. Luc. II. ut Mariæ & Jesu præberetur dux itinerum e Nazareth Bethlehemum, & Bethlehemo in Ægyptum; ut adjutor suppeditaretur, qui opera & labore annonam utrique compararet; ut præsto esset Mariæ custos pudicitiæ, ac testis prodigiosi ortus & prodigiorum Jesu Christi. Veteres quidam (59) tertiam addunt causam, ut scilicet Messiæ ortus Diabolum lateret. Minime ignorabat Diabolus, Christum e Virgine oriturum; quamobrem suspicari non poterat, fœminam nuptam illius esse parentem. Nascentem igitur vidit, adolescentem, atque inter homines clarum, quin illum a cæteris secerneret. Illum ne tentasset Diabolus, & Judæos in illius necem armasset, siquidem illum Messiam esse intellexisset? *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. 1. Cor. 2. 8.

℣. 19. Joseph cum esset justus, et nollet eam traducere. Putavere nonnulli (60), Josephum, cum Verbi Incarnationem intellexisset, summo Virginis obsequio occupatum, ab ea secedere decrevisse, quippe qui sese illius contubernio indignum esse arbitraretur. Contraria tamen sententia pluribus probatur (61). Hujus rei mysterium Josephus tunc denique intellexit, cum ab Angelo audivit, ℣. 20. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*.

Ante Angeli affatum, cum Mariæ pudicitiam & sanctitatem sciret, illam neque damnare, neque uti adulteram traducere ausus est. Vim potius passam esse credidit, aut ignota aliqua ex causa ortum esse id quod cernebat, quam ex turpi illius consuetudine. Id solummodo a se præstari posse putavit, ex æquitatis legibus, ut nequid judicaret, atque e patrio solo, aliquid causatus, discederet; vel clam, geminis tantum testibus, divortii libellum Mariæ exhiberet, non palam & cum probro; ajunt enim, secretum hunc repudii modum interdum Hebræis fuisse usitatum (62); vel denique illam secreto moneret, sese datæ fidei renunciare; quamobrem integrum illi esse, cui vellet, nubere. Hoc secessionis & divortii genus, nullo tumultu, utraque parte libere secedente, simplicissimum erat & commodissimum, præsertim cum neque signatæ conjugii tabulæ essent, neque ipsum conjugium usu completum.

Quid hoc loco significet *Justi* appellatio, disputant Interpretes. Nonnulli enim (63) de justitia proprie dicta explicant, qua quis suum unicuique jus reddit, ac Dei sanctiones religiosissime servat. Cum sponsam cerneret Josephus uterum gerere, nefas sibi esse duxit, ulterius cum illa versari, ex ea Scripturæ Lege (64): *Qui tenet adulteram, stultus est & impius*. Quamobrem illam vel relinquere vel dimittere meditabatur. Cum vero incertum esset, stuprum sponte passa fuisset, nec ne, illam neque probro obnoxiam esse voluit, neque legum severitati, quæ adulteram lapidibus damnabant (65). Qua in re sanctissimas justitiæ leges sequutus est. Judicium non protulit ultra id quod noverat. Gravis Mariæ uterus certum procul dubio argumentum erat, satisque causæ, ut illam relinqueret: at neque certum erat, illam adulterii ream esse, aut morte dignam.

Alii (1) nomen *Justi* usurpant pro leni, miti, benigno. Norat utique Josephus licere sibi per Legem, sed non cogi ream adulterii uxorem punire (2); utendum sibi clementia ducens, maluit recipere se ab illa, vel repudio eam abdicere, quam palam traducere, & probrosæ morti exponere. Plane constat, in veteri novoque Testamento nomen *Justi* perinde esse ac *misericordis*, sicut & justitiam pro misericordia accipi. Ut e. g. Psal. 1. 16. *Libera me de sanguinibus, & exultabit lingua mea justitiam tuam*. Et Psal. 142. 1. *Exaudi me in tua justitia*. Ecclesiastes 7. 17. *Noli esse justus multum*; id est juxta Hebræos (3), noli in clementia esse nimius, ut Saul in Agagum Regem Amalecitarum (4). Apostolus Rom. 3. 25. de Christo: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguinem ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ*: Et alibi (5): *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*. S. Joannes (6): *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*, idest misericordem. Nihil igitur prohibet, quin hanc interpretationem Textui aptemus.

Vulgo apud Patres (7) est hic *Justus* vir probus, Deo carus, laudibusque omnibus viri honestissimi præditus. Tres illæ vocis significationes commode in unum colligi possunt, ut in Josepho coaluisse censeantur omnia, quæ nomine Justi menti offeruntur, sive hanc vocem de justitia proprie dicta, sive de clementia, sive de absolutissima sanctimonia usurpemus.

Verbum *traducere*, quod nos hic reddimus *infamare*, juxta vim Græcæ locutionis (8) exprimit in exemplum statuere, exponere reum ignominiæ, publico aliquo supplicio de illo sumpto, ut moris est de furibus, & homicidis, qui in furcam & in catastam elati, ad publicum terrorem necantur. Latinos plures Codices legisse olim affirmat S. Augustinus (9): *Nolens eam divulgare*.

℣. 20. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Ne timeas illam ducere, maritales in ædes inducere. Certum enim ponimus, Mariam hactenus paternis in ædibus pro more regionis illius (10) mansisse. Secundum hæc, Josephus

(58) Origen. Homil. 8. in divers. Evang. Hilar. can. 1. in Matth. Chrysost. homil. 4. Basil. Homil. de humana Christi gener. Theophylact. hic; Bernar. serm. 2. in Missus est. (59) Ignatius Martyr, Epist. ad Ephesios; Origen. Homil. 6. in Luc. Hieron. Chrysost. hic; Author Oper. imperfect. Homil. 5. alii plerique. (60) Origen. Homil. 2. in divers. Evang. Basil. tom. 1. Homil. 15. Bernard. super Missus est. (61) Chrysost. hic; August. Ep. olim 54. nunc 153. & serm. olim 18. de Verb. Domini, nunc 82. Hieronym. in Matth. (62) Vide Byææ. de Natali Christi lib. 1. cap. 2. art. 9. 10. 11. 12. (63) Brug. Pisc. (64) Prov. xviii. 22. Vide Chrysost. & Hieron. hic; August. lib. 1. cap. 19 Retract. Basil. can. 9. & 21. ad Amphiloch. (65) Levit. xx. 10. (1) Grot. Drus. Hammon. Spanh. dub. Evang. Came. Priceus, Martianæus, Cnatbul. Gataker. Cleric. ad Hammon. Toynard. Vide & Aug. Serm. 5. nov. edit. num. 9. & Chrysost. Homil. 4. (2) Ambros. in Psalm. cxviii. Serm. 7. (3) Chald. & Midras, & Rabb. Haccaðas, & Salom. in eumdem locum. (4) 1. Reg. xv. 22. 23. (5) 2. Cor. 12. 9. & Psalm. cxi. 9. Proverb. 21. 15. 24. (6) 1. Joan. 11. 2. (7) Chrysost. Author Oper. imperf. Ita Maldon. (8) Παραδειγματίσαι. Vide Grot. hic. Sculter. alios in Synopsi critic. (9) August. serm. 51. nov. Edit. n. 9. (10) Ita Origen. Basil. Epiphan. Hilar. alii sup. cit. ad ℣. 18. Vide & Vatab. Pisc. Drus. Bez. Grot. Toynard. alios.

phus in conjugem illam adſcivit, in domum ſuam induxit, ℣. 24. *Accepit conjugem ſuam*.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Ne de integritate & fide uxoris tuæ quidquam dubites; quo enim tumet, fœtum non ex crimine & adulterio, ſed e S. Spiritu habet. Nullum novit ſponſum Maria, præter Spiritum Sanctum, qui ſalutis in ea germen produxit. Non quod Spiritus Sanctus Pater ſit reipſa Jeſu Chriſti, ſumpto *Patris* nomine rudi & carnali ſignificatione (11); ſed Spiritus Sanctus Virginem mira prorſus & divina operatione fœcundavit. Tota utique S. Trinitas Verbi Incarnationem operata eſt, cum ex recepto Scholæ axiomate conſtet, omnia, quæ extra Deum ſunt opera, a Tribus ſimul Perſonis abſolvi; ſed Incarnatio uni S. Spiritui tribuitur, utpote quæ vitæ opus ſit, liberalitatis, bonitatis; quemadmodum a Patre præſtari dicuntur ea quæ potentiæ ſunt & dominii; ac tandem Filio ea, in quibus ſapientia maxime elucet, tribuuntur.

Verba illa, *Quod enim in ea natum eſt*, non probant utique, ut quidam arbitrati ſunt (12), corpus Jeſu Chriſti totum ſimul in ſinu Matris creatum fuiſſe; ſed potius, Mariam veram extitiſſe Jeſu Chriſti matrem, fingendoque corpori ejus mortali materiam ſuffeciſſe, ut non aliter ac reliqua infantium corpora, corpus Jeſu paulatim in ſinu matris compingeretur.

℣. 21. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Deſpondentem animis Joſephum confirmans Angelus, in argumentum veritatis rem illi futuram quidem ſed proximam exhibet. Fœta eſt Maria Filio, cui nomen erit *Jeſus*, utpote qui populum ſuum ſit ſervaturus. Perſamiliare eſt Scripturæ, ut cum aſſeritur res aliqua eventura, *appellanda* dicatur. Cum igitur Angelus Filium Mariæ *vocandum* dicit Jeſum vel Servatorem, deſignat futurum, ut ille officia ſua omnia impleat, ac Servatoris nomen & rem teneat. Honor nominis puero dandi Joſepho hic vindicatur; ſed apud S. Lucam l. 3. Angelus id tribuit Mariæ: *Vocabis nomen ejus Jeſum*. Apud Hebræos ambo parentes indiſcriminatim nomen filiis dabant; nihil enim ſatis conſtans ea in re ſervatum eſſe, crebris exemplis docemur. Nominis Jeſu primus author Deus ipſe fuit, nihilque a Joſepho & Maria actum fuit, quam ut ejus juſſiones exequerentur.

℣. 22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam. Græcorum plerique poſt S. Chryſoſtomum (13) verba hæc eſſe putant Angeli, ſermonem ſuum cum Joſepho proſequentis. Hæc omnia quę Mariæ uxori tuæ acciderunt, arcanum illud quo hæc omnia tecta, & ſilentium quo tibi omnia celata ſunt, hæc, inquam, omnia a Numine decreta ſcias, ut oracula Prophetarum impleantur; fac igitur ut animo confirmeris, & ſuſpicionum nebulas e corde tuo depellas.

Sed Patres reliqui & Interpretes cenſent, animadverſionem eſſe Evangeliſtæ, qui in ipſa Jeſu Chriſti in ſinu matris Incarnatione impletum agnovit vaticinium Iſaiæ, quod ſtatim recitabitur. Igitur hæc loquendi phraſis, *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam*, non ſemper ad amuſſim literæ accipitur, ac ſi res prænunciata ratio eſſet eorum quæ acciderunt; ſive res quæ accidit recta inde ſequatur ex iis quæ prædicta ſunt. Sępe enim perinde valet ac: Qua in re oraculi Prophetici veritas aſtruitur. Seu potius: Tunc ſua fides ſtetit oraculo prophetico, &c. Hæc a nobis animadverſa lucem affundere pluribus Novi Teſtamenti (14) ſententiis, ex infra dicendis conſtabit.

℣. 23. Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Ad Virginis parentis integritatem adſtruendam, oraculo iſto luculentius eſt nihil. In peculiari Diſſertatione ad Iſaiam, variis ejus interpretationibus expenſis, a nemine in dubium revocari merito poſſe demonſtravimus, quin hæc dicta de ortu Meſſiæ e Virgine parente accipienda ſint; idque primo e vocum, quibus expreſſum eſt oraculum, perſpicuitate evicimus: dein ita pariter nobiſcum expoſuiſſe Apoſtolos ætatiſque illorum Judæos. Profecto niſi conſtans Eccleſiæ Judaicæ traditio Meſſiam e Virgine parente oriturum eſſe tuliſſet, numquid Apoſtoli & Diſcipuli id commiſiſſent, ut rem adeo incredibilem, & probatu difficilem aſſererent? Iudæi vero, alte perſuaſi, Meſſiam a Virgine parente edendum fore, nunquam in animum induxiſſent ut in Ieſum Chriſtum crederent, niſi prius convincerentur, Mariam Ieſu Chriſti Parentem Virginem ſimul & Matrem fuiſſe.

Emmanuel ſonat *Deus nobiſcum*; quod oraculum eſt de Divina Ieſu Chriſti natura apertiſſimum. Si autem nunquam id nominis *Emmanuel* inter mortales agens Ieſus obtinuit, ejus tamen nominis veritatem (15) in ſe expreſſit; vere enim Deus latens fuit; Deumque ſe copia miraculorum probavit. Et hæc ſatis ad formandam oraculi prophetici fidem. *Vocari* ſępe ponitur pro eſſe, ut jam animadvertimus. S. Ioannes de Ieſu Chriſto ſcripſit 1. 14. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*.

℣. 25. Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum. Mariam Ioſephus in domum ſuam inducens, accepit in uxorem pro more gentis illius; continentiam tamen cum illa ſervavit cum ante tum poſt puerperium perpetuam. Hæreticis quibuſdam (16), uti jam adnotavimus, ſuccurrit, Virgini parenti alios tribuere liberos, ex S. Ioſepho poſt ed tum primogenitum ſuſceptos. Profecto illud *primogenitum* cum addita particula *donec peperit*, & mentio fratrum Ieſu Chriſti in Evangelio occurrens, fucum aliquem veritatis inducere huic opinioni videntur. Sed illam tota late antiquitas refutavit, utpote cui ſemper firma illa perſuaſio ſedit, Mariam perpetuam virginitatem tam ante quam poſt puerperium coluiſſe. Vox *primogenitus* non ſemper ſignificat, filios poſt primum ſucceſſiſſe (17). *Primogenitum non eum vocant*, (*Scripturæ*) ait S. Hieronymus (18), *quem fratres ſequantur, ſed qui primus natus ſit*.

Particula *donec* non neceſſario exprimit, rem aliquam, de qua agitur, poſt hæc accidiſſe; ſed tantummodo nihil tale ad id uſque uſuveniſſe. An cum ſcriptum legitur, Ieſum Chriſtum regnaturum, *donec* Pater ſub illius pedibus hoſtes ejus ſtraverit (19), reputemus regnum ejus ceſſaturum, poſtquam hoſtes ipſe ſibi ſubmiſerit? Cum dicimus hominem quemquam veniam ſe dare adverſario ſuo uſque ad mortem negaſſe, ſignificamus ne pepercisse illi poſt obitum? Timotheum monet Apoſtolus 1. Tim. iv. 13. *Attende lectioni dum venio*; num igitur, ubi venerat Apoſtolus, lectio a Diſcipulo negligenda fuerat? Vide Geneſim xxvii. 15. 1. Regum xv. 35. Iſaiam xlvi. 4. Matthæum xii. 20. & ſupra ℣. 18.

S. Hilarius in Matth. hic, S. Epiphanius hær. 78.

(11) Author Operis imperfecti: *Unigenito Deo Virginem ingreſſuro, Spiritus ſanctus præceſſit, ut præcedente Spiritu ſancto, in ſanctificatione naſcatur Chriſtus ſecundum Corpus, divinitate ingrediente pro ſemine.*
(12) Baſilius Homil. 25. tom. 1. de Human. Chriſt. generat. (13) Chryſoſt. Homil. 5. Theophylact. Euthym. alii Græci. (14) Vide Hammond. hic, & Grot. (15) Juſtin. qu. 132. ad Orthodox. Tertull. contra Judæos, & l. 3. contra Marcion. Lactant. lib. 4. c. 12. de vera Sapientia, &c. (16) Eunom. apud Author. Oper. imperf. Helvid. apud Hieronym. Jovinian. apud Auguſt. Anti-dicomar. apud Epiphan.
(17) Vide 2. Par. ix. 5. xxiii. 16. 17. (18) Vide Hieronym. hic, & adverſ. Helvid. Epiphan. Hæreſi 78. Opus imperfect. in Matth. Maldonat. Grot. alios paſſim. (19) Pſalm. cix. 1. 1. Cor. xv. 25.

78, n. 7. Theophylactus in Matth. 13. aliique ex veteribus plures arbitrati sunt, S. Joseph liberos fuisse ex alio conjugio, antequam Mariam duceret, eosdemque liberos designari in Scriptura, cum fratrum Jesu Christi meminit. Hanc opinionem repeti ex apocrypho Evangelio S. Petri, vel S. Jacobi, Origenes in Matth. 13. animadvertit. S. Epiphanius in Anchorato docet, conjugium cum Virgine obtigisse S. Josepho, cum sortito extraheretur, quænam Virgines & Viduæ ex iis, quæ alebantur in Templo, in matrimonium cum viris suæ Tribus collocandæ essent. Sed traditiones istæ omnes, utpote nullo sinceræ historiæ fundamento nixæ, solidi nihil habent.

S. Hilarius, laudatus a S. Thoma hic, & Author Glossæ ordinariæ tradunt, Virginem parentem, quamdiu in utero puerum gessit, vultum habuisse insolita luce adeo micantem, ut fixis oculis a Josepho spectari, aut oris lineamenta discerni non possent; id autem totum designari ab Evangelista verbis illis: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*; tunc enim mira illa lux evanuit; & Josepho datum fuit, ut agnoscere illam oculis corporis posset, non autem ut carnali coitu cognosceret. Indignam plane S. Hilario opinionem, apud quem frustra illam quæras, quæ nec refutationem meretur.

C A P U T II.

Magorum adoratio. Fuga Jesu in Ægyptum. Cædes Infantium Bethlehemiticorum ab Herode edita. Jesus ab Ægypto regreditur.

ỳ. 1. CUM ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, 2 Dicentes: Ubi est qui na-
tus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare
eum. 3. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.
4. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab
eis, ubi Christus nasceretur. 5. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: Sic enim
scriptum est per Prophetam: 6. Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima
es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.
7. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ
apparuit eis. 8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter
de puero: & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.
9. Qui cum audissent Regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente,
antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. 10. Videntes au-
tem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. 11. Et intrantes domum, invenerunt
puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris
suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. 12. Et responso accepto in
somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.
13. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens:
Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque
dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.
14. Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum:
15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Do-
mino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. 16. Tunc He-
rodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde: & mittens occidit om-
nes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & in-
fra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. 17. Tunc adimpletum est quod
dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: 18. Vox in Rhama audita est, plo-
ratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non
sunt. 19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Jo-
seph in Ægypto, 20. Dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade
in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. 21. Qui con-
surgens, accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Israel. 22. Audiens
autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: &
admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, 23. Et veniens habitavit in civi-
tate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quo-
niam Nazaræus vocabitur.

ỳ. 1. Cum

ỷ. 1. CUM ERGO NATUS ESSET JESUS IN BETHLEHEM JUDA. Codices Græci, & qui Græce scripserunt Patres, legunt (1): *Bethlehem Judææ*. Sed Codices Latini ferunt: *Bethlehem Juda* (2), ad distinctionem alterius Urbis cognominis in Tribu Zabulonis (3). Quæ in Juda sita est, jacet ad meridiem, leucis ab Jerosolyma binis. Apud S. Lucam I. 26. & 2. I. adnotabimus, quomodo Dei consilio factum sit, ut Virgo, quæ in Urbe Nazareth versabatur, conferret sese Bethlehem in Tribu Iuda, ut fœtum ibi suum ederet, quo sua fides oraculis Prophetarum constaret. Quoad diem natalem J. C. animadvertisse juvat Syrorum saltem quosdam ut S. Ephrem, & Armenos pariter recentiores ac Orientalium plures convenire in assignando ortu J. C. die VI. Ianuarii.

Iulius Maratus tradit paucis ante ortum Augusti diebus visum Romæ prodigium, annuncians futurum ut natura conciperet gentis Romanæ imperatorem. Id ut rescivit Senatus mandavit, ne quis infans masculus anno illo proditurus reservaretur. Verum, ait, mulieres blandientes sibi, sperantesque id ominis in suum commodum cessurum, id egerunt apud Patres, ne lex promulgaretur. Factum inde ut oraculum istud, siquidem veritati cohærere arbitremur, impletum censeretur in Augusto, qui Reipublicæ Romanæ statum immutavit. *Author est Iulius Maratus* (ait Suetonius) *ante paucos, quam nasceretur* (Augustus) *menses prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur Regem populo Romano naturam parturire. Senatum perterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur. Eos, qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse ne Senatus consultum ad Ærarium deferretur*. Animadverti etiam hic potest, expectationem illam, in quam orbis tunc arrectus erat, de mundi Rege prodituro, in Iesu Christo expletam fuisse.

Bethlehem. Urbis hujus descriptio extat apud De Breves pag. 171. 172. Templum ibi constructum habetur ibidem pag. 113.

IN DIEBUS HERODIS REGIS (4). Sermo est hic de Herode Magno, filio Antipatri, origine Idumæo, qui septem supra triginta annis in Iudæa regnavit, si tempus illud ab accepto ex Romanis Regni jure ducatur. Postremo Regni ejus anno Iesus Christus natus est. Cum autem plures hujus nominis Principes in Novo Testamento pareant, e re esse censemus, si catalogus illorum & genealogia hic texatur.

Herodes Magnus filius Antipatri uxores habuit decem, nullam sine liberis (5). Omnium prima est Doris, quæ Idumæa creditur, quam & privatus adhuc duxit. Hujus autem conjugii fructus extitit Antipater, filiorum illius maximus natu, ab ipso Herode quinto ante obitum suum die interfectus (6).

Successit huic *Mariamne*, e stirpe Asmonæorum, quo ex connubio nati sunt *Alexander* & *Aristobulus*, ab Herode in Urbe Sebaste neci traditi (7). Aristobulus liberos reliquit, de quibus infra.

Hanc excepit altera *Mariamne*, filia Simonis Summi Sacerdotis, ex qua *Herodes*, alio nomine Philippus, & *Salome*. Herodes, seu Philippus duxit Herodiadem matrem saltatricis illius, quæ caput Joannis Baptistæ petiit Marc. 6. 22. In supremis tabulis Herodes Salomen secundo loco hæredem constituerat post Antipatrum; sed ejus nomen erasum fuit, ubi patuit, *Mariamnem* matrem ejus consciam fuisse criminum *Antipatri* filii natu maximi Herodis Magni (8).

Quarta uxor *Maltace*, Samaritana, unde *Archelaus*, & *Philippus*. Archelaus Regni paterni ex dimidio possessor sub Tetrarchæ titulo, habuit Idumæam, Judæam, Samariam (9). Novennio regnavit; dein apud Augustum Imperatorem delatus, exulavit Viennæ in Galliis, ubi & diem clausit extremum (10). De hoc Archelao sermo erit ỷ. 22.

Frater ejus Philippus uxorem habuit Salomen saltatricem, Herodiadis filiam; & sine liberis decessit.

Quinta uxor Herodis *Cleopatra*, orta Ierosolymis, genuit *Herodem* cognomento *Antipam*, qui superstitis adhuc Philippi fratris sui uxorem Herodiadem sibi adscivit, qua de re arguentem Ioannem Baptistam non sustinens (11), in carcerem illum egit, ac denique obtruncari jussit, ut obstrictam temere fidem suam filiæ Herodiadis suæ uxoris scita saltatione sibi charæ (12), liberaret. Idem etiam Princeps molitus fuit capere Iesum Christum, quem & neci tradere meditabatur (13); sicut & ad illum remissus fuit a Pilato idem Iesus, dum Passionem suam toleraret (14). Lugduni exulavit, & cum proripuisset se in Hispanias, ibi cum Herodiade uxore sua decessit (15).

Sexta uxor *Pallas*, unde natus Phasaelus, cujus res nihil ad Novum Testamentum.

Septima *Phædra*, mater Roxanis, quæ filio Pheroræ nupsit.

Octava *Elpis*, mater Salomes, alterius filii Pheroræ uxoris.

Reliquæ duæ uxores Herodis ignoti sunt nominis, & nihil habent cum nostra Historia, sicut & nihil pariter habent nobiscum Pallas, Phædra, & Elpis; quarum tamen hic nomina recitare visum est, ut accuratissimi simus.

Aristobulus filius Herodis Magni, & Mariamnes Asmonææ, filios reliquit duos, & filiam unicam, videlicet Agrippam, Herodem, & Herodiadem, mulierem infamem ex incesto conjugio cum Antipa, cujus thorum vivo adhuc Philippo viro suo ascendit.

Agrippa, alio nomine *Herodes*, in carcerem actus fuit a Tiberio, quod temere quædam in illum effutiisset, ac denique eductus a Caligula, Iudææ Regnum ab ipso obtinuit (16). Ejus jussu necem subiit S. Iacobus, & carcerem S. Petrus, uti ex Actis XII. 2. discimus. Obiit Cæsareæ eo casu, de quo in Actis & apud Iosephum (17). Filium reliquit Agrippam, de quo infra sermo recurret.

Herodes, filius alter Aristobuli, in Chalcide regnavit, & post fratris obitum ab Imperatore obtinuit jus sacra Summi Sacerdotis ornamenta custodiendi, eligendique ad arbitrium, qui sacræ dignitati præesset. Vide Iosephum, *Antiquit. lib.* 20. *c.* 1. Filium habuit nomine Aristobulum, qui minorem Armeniam a Nerone impetravit, duxitque Salomen saltatricem, filiam Herodiadis.

Agrippa, filius Herodis Agrippæ Regis Iudææ, & nepos Aristobuli ac Mariamnes, primo quidem regnavit in Chalcide, dein ad Tetrarcham Galilææ in locum Philippi patrui sui promotus fuit (18). Coram illo, ejusque sorore Berenice, ac Felice, qui conjugium inierat cum Drusilla, altera Agrippæ filia, causam suam Apostolus dixit. Actor. XXV. & XXVI.

(1) Ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. (2) Hieron. hic, & in Mich. V. (3) Josue XIX. 15. Judic. XII. 8. (4) Hæc non leguntur in Græcis Codicibus multis. Vide Not. Mill. hic. (5) Euseb. lib. 1. c. 9. p. 27. (6) Joseph. lib. 1. de Bello c. 21. & Antiqu. lib. XVII. c. 10. (7) Joseph. Antiqu. lib. XVI. c. 13. de bello lib. 1. c. 17. (8) Joseph. de bello lib. 1. cap. 18. 19. 20. (9) Joseph. Antiqu. lib. XVII. cap. 11. & de bello lib. 2. c. 1. 2. (10) Joseph. Antiq. lib. XVII. c. 15. (11) Matth. XIV. 3. Marc. VI. 17, Luc. III. 19. (12) Matth. XIV. 2. Marc. VI. 22. (13) Luc. XIII. 31. 32. (14) Luc. XXIII. 7. (15) Joseph. Antiqu. lib. XV. c. 14. & de bello lib. 2. cap. 8. (16) Joseph. Antiqu. lib. XVIII. cap. 8. & de bello lib. 2. cap. 8. (17) Act. XII. 22. 23. Joseph. Antiq. lib. XIX. cap. 7. (18) Joseph. Antiqu. lib. XX. c. 5.

Herodias, Mariamnes & Aristobuli filia, mulier, cujus jam meminimus, geminis fratribus alteri post alterum, Philippo & Antipæ, patruis suis nupsit, necique S. Ioannis Baptistæ funestam causam præbuit. E priore conjugio tulit *Salomen* saltatricem, uxorem Philippi Tetrarchæ Trachonitidis, Herodisque Magni filii. Cum liberis caruisset, alterum sibi virum conciliavit Aristobulum patruelem, filium Herodis Regis Chalcidis, fratris Agrippæ & Herodiadis, unde liberos plures tulit. Hæc ferme necessaria scitu duximus, quoad stirpem Herodis, ad distinguendos illos, qui de hac familia in Libris Novi Testamenti proferuntur.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam. Post mensem circiter (19) a nato Domino, postremo Regni Herodis anno, pervenerunt. Viri erant autem sapientes ex Arabia deserta, ab Euphratis plaga digressi. Vide Dissertationem nostram de Magis. Venerunt autem Ierosolymam; nec sane alio quam ad Metropolim divertere par erat, ut natum Regem quærerent. Quæ iter illis monstravit stella, tunc evanuisse, vel substitisse (20) creditur, ut civitas universa sciret, quid novi ferrent advenæ isti, & Herodes terrore compelleretur ad sciscitandum e Viris doctis, unde Christus nasceretur. Id autem totum Numinis providentia disponebat, ut ex eorum confessione argumentum duceret ad confirmandam fidem Magorum, qui Bethlehemum in locum Messiæ natalem destinatam fuisse intellexerunt. Sed plane incertum est ex Scriptura, utrum astrum illud Magos Ierosolymam usque deduxerit. De Magis Persidis vide Itiner. e Mosch. in Persidem tom. 1. pag. 605.

℣. 2. Ubi est qui natus est Rex Iudæorum: Vidimus enim stellam ejus in Oriente. Astrum illud aspeximus in regione nostra, in Oriente; inde enim exoriens illud cernentes, statim intelleximus, indicare adventum Principis illius, de quo olim vaticinatus fuit Balaamus Num. 24. 17. oraculo illo: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga* (sceptrum) *de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus; hæreditas Seir cedet inimicis suis; Israel vero fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias Civitatis.* Puer iste Rex est, Dominator, ac Triumphator, quem Magi quæsituri veniebant. Horum gentilis erat Balaamus, cujus oraculum alte insederat gentis illius menti; virique inter illos docti, ac Magi in ejus expectationem sedulo arrecti erant. Intima quædam lux, menti illorum affulgens, detexit, signum hoc esse Dominatoris illius, tamdiu ante promissi. Nec unis illis contigisse, ut astrum viderent, arbitramur; ita enim loquuntur Ierosolymæ, ac si patens omnibus innotuisse, quod ipsos non latuit. Sed non omnibus datum fuit, ut mysterium illud noscerent, atque soli inter omnes interioris gratiæ fidei ductum sequuti sunt.

Et venimus adorare eum. Agnoscunt, illum, cujus adventus annunciatus fuerat phænomeno miro adeo & insueto, quemque tot retro seculis Balaamus prædixerat, non alium esse a Messia, quem Hebræi expectabant, Hebræorumque Prophetæ vaticinati fuerant. Per totum late Orientem hæc opinio pervaserat, futurum, ut per ea tempora Messias ille prodiret (21). Nec apud Judæos in dubium revocabatur, quin Messias idem & Deus futurus esset. Igitur Magi illum adoraturi ceu Numen venerunt. Nec aliter sonare verba illorum, ex totius antiquitatis confessione compertum est. Si merum purumque Regem quæsivissent, cur Herodes Sanhedrium, & quidquid erat Virorum doctissimorum consuleret de loco, ubi Christus nasceretur? Et cum Magi venientes Bethlehemum, obviam habuerunt Jesum in squalore paupertatis jacentem, nullisque regiis insignibus fulgentem, num ante illum sese provolvissent, & tributa servitutis obtulissent, si nihil supra hominem in eo agnovissent?

℣. 3. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est. Inopinus adventus exterorum istorum Jerosolymam venientium, apparatus, interrogationes, itinerisque argumentum Urbem & Aulam totam sollicitam reddiderunt. Herodes tunc Jerichunte versabatur (22), ubi lethalem illum morbum curabat, qui sibi vitam non diu post ademit. Certior factus eorum, quæ Jerosolymæ acciderunt in Magorum adventu, sollicitudine augebatur. Princeps hic insito ingenio suspiciosus & inquietus, utique non ignorabat invisum se esse, si quem alium, maxime apud Judæos, metuebatque ne quid turbarum inopino nuncio cieretur, quod in apertam defectionem prorumperet. Nec sane quietæ erant Jerosolymis res, cum quisque de re præsenti pro suo ingenio dissereret; nemo tamen de novo Rege quærendo cogitavit; metus enim Herodis suspensos omnes detinebat.

℣. 4. Congregans omnes Principes Sacerdotum, et Scribas, sive Populi Doctores. *Principes Sacerdotum* capita erant summarum familiarum stirpis Aaronicæ, vel qui munus aliquod seu dignitatem in Templo gerebant; plures enim erant rerum sacrarum Præfecti, Summis Sacerdotibus inferiores, videlicet qui vicariam operam superioribus Principibus præstabant, & Principes quatuor & viginti classium Sacerdotalium (23). Denique dicta hæc accipi possunt non de illo tantum viro, qui summo Sacerdotio tunc potiebatur, sed de illis pariter, qui antea sacris præfuerant; jam inde enim ab aliquot annis Summi Sacerdotii dignitas perpetua esse desierat, ut singulis fere annis ad nutum Imperatorum vel Regum Sacerdotes crearentur. Igitur Herodes Magos una cum Sacerdotibus & Doctoribus omnibus Jerichuntem ad se accivit, ac illo Magisque præsentibus de re proposita disceptatum fuit.

Scribis populi in Veteri Testamento, & ante Babylonicam captivitatem latissima erat authoritas in rebus bellicis, & forensibus (24); quæ tamen inter angustiores redacta terminos, in Novo Testamento nihil peculiari munere tractabant, nisi res Religionis, lectionem, interpretationem, ac scientiam Legis. Sui erant Scribæ ex omnibus Tribubus, sed ex Levitica potissimum, cum Tribus illius viris, minime omnium occupatis rebus colonicis, plus esset otii ad literas & studium Legis. S. Lucas (25) vocat interdum Legis Doctores, quos cæteri Evangelistæ appellant *Scribas*; quamquam & ille *Scribarum* nomen non ignorat (26). Exprobrat illis Jesus Christus abusum ejus, quam in populo obtinebant, authoritatis, utpote qui haberentur ceu successores Moysis in cathedra veritatis (27); abusum, inquam, authoritatis illius ad seducendum populum, falsa spargendo dogmata, ac traditionum commenta, pravisque moribus offendiculum incautis præbendo. Exprobrat

(19) Toynardus censet, pervenisse illos Jerosolymam die 28. Januarii; altera die se contulisse Jerichuntem, ibique die trigesima & trigesima prima substitisse. Profecti sunt Bethlehem die prima Februarii. Jesum vero natum statuit die 25. Decembris præcedentis. (20) Chrysost. homil. 7. Author Operis imperfecti; Basil. alii passim. (21) Vide Tacit. Hist. lib. v. Sueton. in Vespas. Ciceron. lib. 2. de Divinat. Virgil. Eclog. 4. Suidam in Αὔγουστος. (22) Joseph. Antiqu. lib. xvii. cap. 8. & de Bello lib. 1. c. 21. Toynard. Harmon. Evangel. hic. (23) 1. Par. xxiv. 5. 2. Par. xxxv. 14. (24) Vide nostram Dissert. de Præfectis Regum Juda, præfixam Paralipp. & Comment. ad Judith ℣. 14. (25) Luc. ii. 46. Ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων. Et vii. 30. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι, καὶ οἱ νομικοί. Ita & xi. 45. 46. 52. xiv. 3. (26) Luc. v. 21. Ἤρξαντο οἱ γραμματεῖς. Ita & v. 30. vi. 7. &c. (27) Matth. xxiii. 13.

brat illis, quod gravissima supra vires sarcinis alios onerent, quæ tollere ipsi ne summo quidem digito velint; carpit eorum fastum, superbiam, hypocrisim; accusat, quod Discipulis suis Cœlum claudant, quo nec ipsi pariter aditus pateat. Denique ut cæcos illos suggillat, & duces cæcorum. Hæc autem omnia duo probant; I. Creditas fuisse illis claves scientiæ, atque ex ipsa Moysis Cathedra docuisse; II. homines fuisse moribus corruptissimos.

Præter hanc authoritatem, quam sibi conciliabant ex munere Magistrorum & Doctorum Legis in ferenda de rebus ad mores pertinentibus sententia, & in libero ac spontaneo usu jurisdictionis, quam obtinebant in mentes & arbitrium hominum; multum illis pariter committebatur in litibus, & judiciis eorum, quæ ad Legem pertinerent. Dei Filius permittendum se dicit manibus Sacerdotum & Scribarum, ut ad supplicium damnaretur (28); ac sane Scribæ una cum Principibus Sacerdotum in consessu apud Caipham aderant, dum Jesus damnatus fuit Matth. xxvi. 57. Ita pariter dum Apostoli rapti fuerunt ad Synhedrium Act. iv. 6. Scribæ pro arbitrio de populo decernebant, inducebantque, ut seu vitam seu necem peterent illorum, quos illi perdere vel servare statuerant. Author Ecclesiastici x. 5. docet: *Super faciem Scribæ* (Deus) *ponet honorem suum*; quod satis indicat, quanto in honore genus illud hominum esset apud Judæos.

℣. 6. *Et tu*, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda. Ex hoc Sacerdotum Scribarumque oraculo intelligimus, vaticinium istud tunc de Messia vulgo accipi consuevisse. Notat S. Hieronymus (29), Evangelistam neglexisse quidem totidem verbis recitare oraculum, uti apud Michæam legitur; genuinam tamen Sacri Scriptoris mentem assecutum illum fuisse, satis constare. Ita igitur Textus Michææ ad literam (30) sonat: *Et tu, Bethlehem*, alio nomine *Ephrata*, quæ plus multo *parvula es ad existendum in millibus Juda*, ut in censum Urbium Juda haberis; *ex te egredietur Dominator in Israel*. Locus hic plane oppositus videtur S. Matthæo; id enim affirmat, quod negat Evangelista; habet namque, Bethlehem *nimis parvulam esse Urbem*; cum Evangelista contrarium affirmet: *Nequaquam minima es*, &c. Sed totum hoc discrimen facile conciliatur, si Hebræo nota interrogantis accedat (31): *Et tu, Bethlehem*, alio nomine *Ephrata*, numquid *parvula es*, ut inter principes Urbes Juda habearis? *Ex te mihi egredietur Dominator in Israel*. Vel aliter (32): *Et tibi, Bethlehem Ephrata, minimum est decus, quod locus natalis Principum Juda fueris; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum.*

Criticorum quidam (33) contendunt, vocem Hebræam, quæ hic redditur *minima*, oppositum sæpe designare, quam in rem afferunt locum Jeremiæ xlviii. 4. & xlix. 20. & Zachariæ xiii. 7. ubi, nec ipsis dissentientibus Judæis, vox eadem (34) designat Principes, & Optimates populi. Suspicantur alii (35), Doctores Judæos retulisse oraculum hoc ad Herodem juxta expositionem,

quam in Glossis tunc vulgatis legebant, neglectis ipsis verbis Textus, quæ nonnisi viri docti assequebantur. Græci quidam Codices Septuaginta (36) legunt hic & in Michæa particulam negantem. Sed multo probabilius suspicamur, emendationem hanc esse Christiani cujusdam, qui corrigendum Prophetam ex Evangelista censuerit.

S. Hieronymus (37), aliique post illum plures putavere, hunc locum historica tantum fide a Matthæo recitari, quemadmodum a Doctoribus ea ætate recitabatur, ut veluti præteriens illorum oscitantiam vel inscitiam carperet: at explicatio priore loco allata simplicior est ac melior. Judæi (38) Christo Iesu recentiores hunc locum ad Zorobabelem retulere: at certe Zorobabel ortus est Babylone; neque omnino illi conveniunt Michææ verba de Israelis Dominatore: *Egressus ejus*, seu generatio, *ab initio, a diebus æternitatis*.

℣. 7. Clam vocatis Magis, &c. Verba cum Magis in cœtu facienda non esse censuit Herodes: didicerat mox e Sacerdotibus, novum Regem oriturum esse Bethlehemi: quærit nunc certum tempus ortus illius, quo certius illum capiat & interficiat. Politicas illas artes sævitia & cædibus exercuit; nullique prorsus flagitio pepercit, cum de servando Imperio ageretur.

℣. 8. Ite, et interrogate diligenter de Puero. Mirum, cur Herodes, hominum suspiciosissimus, neminem cum Magis miserit, ut certiora de puero rescisceret. At fortasse fiduciam simulavit, ut Magos falleret, ac securius omnia intelligeret. Verebatur, ne suorum præsentia commoverentur, aut aliquid metuerent Bethlehemitæ, aut pueri parentes. Sacerdotes cæterique Doctores, totaque Ierosolyma, his auditis, in tranquillo fuere, veluti res ad sese minime spectaret. Nemo de puero rogat, illumque aut quærere aut videre studet. Advenæ a remotissimis regionibus accersuntur, ut debita obsequia puero præstent. Lapidibus similes fuere Sacerdotes viam indicantibus, ait S. Augustinus (39), ipsis immotis.

℣. 9. Stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Latuisse stella creditur (40), Magis Ierosolymam ingressis; iterum vero apparuisse, ubi illi intellexere, quæsitum Regem Bethlehemi oriturum, iterumque sese in viam dedere. Hæc tamen sententia difficultate non caret. Magis Ierosolyma egressis, præcedebat astrum seu phænomenon, ita ut ab iis cerneretur. Scriptor vetus quidam tradit (41), stellam supra caput Iesu stetisse; atque addit Origenes, tacente Scriptura locum, quo illa secesserit, putandum esse, illam supra sacrum illius corpus stetisse, perspicuum Divinitatis indicium. Scribit Gregorius Turonensis (42), stellam hanc in puteum quemdam se abdidisse, ubi a puræ mentis hominibus adhuc ipsius ætate cernebatur. Fabula nostra adhuc ætate servatur, monstraturque peregrinis puteus (43). Probabiliora loquitur S. Chrysostomus, ubi ait, stellam statim supra fastigium domus stetisse, tum supra pueri caput, ac denique evanuisse.

℣. 11. Intrantes domum, invenerunt puerum. Publici hospitii domum, sive stabulum, uti Patribus multis visum est (44), ac præsepe ingressi,

(28) Matth. xx. 18. Marc. xiv. 53. Luc. xxii. 26. (29) Hieron. hic, & in Michæam c. v. ℣ 2. & ad Pammach. (30) Mich. v. 2. ואתה ביתלחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל (31) Ita Jans. Grot. Ribera, Jun. Glass. Le Clerc, Alii. (32) Osiander, Lud. de Dieu, Forster. Pfeiffer. (33) Pokoch, Hottinger. Frischmut, Hammod. Mill. hic. (34) Vide Chaldæum & Rabb. Syr. & Arab. hic. (35) Simon, Hist. Critiq. du nouveau Testament. ch. 21. (36) Vide Nobil. ad Mich. v. 2. S. Cypr. & Tertull. particulam negantem hic legunt. (37) Hieronym. in Mich. v. D. Thom. in Matth. Melchior Can. l. 2. c. 14. Maldon. Jun. (38) Apud Chrysostom. & Theophylact. hic, & Theodoret. in Mich. (39) August. serm. 1. de Epiphan. qui est 199. nov. Edit. (40) Opus imperfectum hic; Ambros. lib. 2. in Luc. c. 2. Chrysost. Homil. 7. & Theophylact. hic; Basil. Homil. de hum. Christi gener. August. Serm. 30. 31. 35. de temp. nunc 200. 201. 203. Bernard. Serm. 1. in Epiphan. (41) Idem. Vide & Origen. in Numer. Homil. 22. (42) Gregor. Turon. lib. 1. miracul. c. 1. (43) Maundrel, Voyage d'Alep a Jerusalem. (44) Justin. contra Tryphon. Author Oper. imperf. hic; Chrysost. Homil. 7. Euthym. Thom. Raban. hic; August. Serm. 2. & 3. de Epiphan. Bernard. Serm. de Epiphan. Hieron. hic, & Ep. 17.

vel etiam locum paulo commodiorem hospitii (43): quippe decrescente hominum concursu, paulo majoris hospitii copiam habere potuerunt. Qui Magos Bethlehemum venisse putant biennio post Christi ortum (44), minime ambigunt, quin Magi puerum in civica domo, commodiore quam ubi natus erat, invenerint.

Operæ pretium est, publica hujusmodi Orientalium hospitia describere, qualia nunc etiam toto Oriente spectantur. Quadrata sunt ædificia, ferme uti apud nos Monachorum claustra, unica plerumque contignatione. Aditus in aream ostio ingenti patet, ubi plura utrinque conclavia, peregrinis parata, prorsus nuda, quo tu ipse feras necesse est quo vescaris & cubes. Qui primum venere, conclave eligunt, occupantque quod elegerunt. Retro post conclavia sunt equorum & jumentorum stabula. Nihil pretii pro hujusmodi hospitiis, quæ *Carvanseras* vulgo appellantur, in agro solvitur; minimum quid in oppidis. Noctu hospitium custos claudit, ex eoque omnium quæ evenire queant, ratio exigitur.

Accepta per manus narratio docet, Christo nascenti præstitisse incunabula speluncam, quæ stabulum erat hospitii, quo Josephus & Maria diverterant. Ea certe spelunca magno semper in obsequio apud Christianos habita est & habetur; eamque invisunt advenæ & venerantur. Præsepe Romam delatum est.

In hac de Magis narratione omittitur omnino Josephus, sive data opera, quod illud narrationi necessarium non esse videretur, sive quod is revera abfuerit; ita moliente Deo, ne Josephus a Magis pueri Jesu parens crederetur (45).

Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera. *Thesauras* dicitur Hebræis quicquid servandum conditur, aurum, argentum, vinum, triticum, oleum, aromata; tum etiam harum rerum repositoria, ita conclave, cella, vestiarium, arcula, cista thesauri appellantur, ob ea quæ condunt. Arculam igitur seu sacculum aperuere Magi (46), & rerum quas attulere pretiosissimas puero obtulerunt. Communis est omnium Orientalium consuetudo, ut nemo ad quempiam magnæ dignitatis hominem accedat absque muneribus, saltem cum primum venit. Obsequii genus illud est, quod Principes ab accedentibus exigunt. Ipse etiam Deus populo imperaverat (47): *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Nihil pretiosius ferebat Magorum patria quam aurum & aromata. Judæi, ætate S. Epiphanii (48), veluti a majoribus acceptum narrabant, Abrahamum natis e Cethura liberis munera dedisse ex auro, thure & myrrha; dicebanturque Magi horum posteri eorum exemplo paria Jesu Christo obtulisse.

Interpretes nonnulli (49) putavere, singulos Magos tria Jesu Christo munera obtulisse, primum ex auro, alterum ex myrrha, tertium ex thure. Censent alii (50), hæc simul illos obtulisse. Communi tamen nostrorum temporum opinione creduntur suum singuli munus dedisse; primus aurum, alter myrrham, tertius thus; si tamen tres fuere, uti vulgaris fert persuasio, quæ dubitatione non caret, ex Veterum sententia, quemadmodum latius in Dissertatione de Magis ostendimus.

Patres (51) ferme omnes in tribus hisce muneribus mysterium agnoscunt, Jesu Christi Divinitatem, Regiam dignitatem, & hominis conditionem indicans. Thus Deo convenit, aurum Regi, myrrha mortali, cujus corpus condiendum erat aromatibus. S. Bernardus (52), præter mysticam hanc explicationem, putat, permisisse Deum, ut aurum offerretur Jesu ob inopiæ solatium, thus ob corrigendum stabuli fœtorem, myrrham ad solidanda pueri membra. Modica fuisse videntur hæc munera, cum Maria stato Purgationis die geminos turtures Templo obtulerit (53), pro agno, uti Moyses in gratiam inopum sanxerat (54). Aliquos fortasse aureos nummos obtulere Magi obsequii causa potius, quam inani opum ostentatione.

℣. 12. Responso accepto in somnis, per quietem moniti. Græca vox (55) Divinum oraculum seu responsum significat. Jesum Christum venerati, redituri erant altera die Jerichuntem Magi, ut rem gestam Herodi narrarent: at eadem nocte moniti sunt per quietem, ut alia via regrederentur. Quamobrem a tergo maris mortui iter instituisse creduntur, ut Arabiæ desertæ solitudines, qua venerant, remetirentur. Moralem huic loco explicationem adhibent Patres, illos nimirum fidem mutasse, Religionem & mores.

℣. 13. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, diebus aliquot post Magorum discessum; statim enim illis abeuntibus (56), expleto tempore Purgationis Mariæ, hæc Jerosolymam profecta, una cum puero Jesu in Templo fuit (57). In ipsa fortasse urbe Jerosolyma, & nocte purgationem Mariæ consecuta, Angelus sese Josepho videndum obtulit: sollicitus enim Herodes ob Magos, qui tertium aut quartum ante diem Jerichunte profecti, nondum redierant, Bethlehemum aliquos misit, qui de Magis sciscitarentur. Renunciatum est, illos biduo ante Bethlehemi fuisse, at demum esse reversos. Eadem hac die Josephus in Ægyptum fugit.

Ægyptum elegit Jesus asylum, utpote omnium proximam & commodissimam. De hac fuga explicant Patres locum illum (58): *Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebantur simulacra Ægypti a facie ejus*. Nubes levis Maria est. Vetus Græcorum narratio est (59), ingrediente Ægyptum Jesu, omnia Ægypti simulacra coram illo ruisse. Evagrius in vita Patrum testatur, sese vidisse Templum, cujus simulacra corruerant, quo tempore Jesus in Ægyptum venit: ex quo colligendum est, non omnia prorsus simulacra ruisse. Addunt, Mariam & Josephum Hermopoli sedem fixisse; atque adhuc inter Cairum & Heliopolim locus visitur, Matara nomine, ubi hortus opobalsami ferax, & sacra ædicula prope fontem, ubi Maria pueri fascias lavabat. Plus aliquid narrat Sozomenus, subeunte scilicet Hermopolim Jesu, ingentem mali persicæ arborem, quæ prope urbis portas erat, humi caput demisisse, veluti adoraturam. Nihil his incertius. Illud solummodo verissime affirmari potest, Jesum Christum, ut in Ægyptum venit, evertere cœpisse Dæmonis & inanium Deorum Imperium, quod deinde Apostolorum concionibus omnino ruit. Ita explicandæ sunt quamplures Patrum locutiones (60), quæ vulgari sententiæ favere videntur de simulacrorum ruina. Scribit Eusebius lib. 6. Demonst. c. 20. Dæmones simu-

[43] Maldon. Grot. alii. [44] Epiphan. hæres. 51. Theophylact. hic. [45] Raban. Corael. a Lapide, Jans. hic. [46] Animadvertit Epiphanius, nonnullos Codices Græcos ferre πήρας, *sacculos*, pro *thesauros*. Persica versio fert etiam *marsupia*. [47] Exod. xxiii. 15. xxxiv. 20. Deuteron. xvi. 16. [48] Epiphan. Exposit. Cathol. fidei. [49] Christian. & Remig. in Bibl. Patrum. [50] Vide Strab. seu Glossam ordinar. hic. [51] Irenæus lib. 3. cap. 10. Origen. contra Cels. Basil. de human. Christi generatione; Ambros. lib. 1. de fide cap. 2. August. Serm. 1. de Epiphan. Hieron. hic; Juvenc. & Sedul. &c. Hilar. in Matth. Bernard. Serm. 1. in Epiphan. [52] Bernard. Serm. 3. in Epiphan. [53] Luc. 11. 22. 24. [54] Levit. xii. 8. [55] Χρηματισθέντες. [56] Toynard. Harmon. Evang. [57] Luc. 11. 22. [58] Isai. xix. 1. [59] Athan. de Incarnat. Verbi. Vide Sozomen. Histor. Eccles. lib. 5. cap. 21. [60] Vide Origen. seu alium Homil. 3. de divers. Cyrill. Catechef. x. Opus imperfect. in Matth.

ſimulacra Ægyptiorum occupantes, populoſque falſis reſponſis decipientes, ad ſilentium redactos fuiſſe, turbatos, probroque obrutos, veniente in Ægyptum Jeſu. Eadem ferme docet S. Hieronymus in Iſai. 19.

℣. 15. Erat ibi usque ad obitum Herodis. Eodem anno obiit Herodes, quo natus eſt Jeſus, & infantium cædes peracta eſt. Quinta ante obitum die Antipatrum filium ſuum natu maximum necavit. Sunt qui aliquot menſium intervallum inter infantium cædem & Herodis obitum fluxiſſe credant. Alii (61) dies tantummodo quinque arbitrantur. Herodis morbus & mors a Deo immiſſa creduntur, tamquam pœnas ſcelerum illius exigente (62). Nam ignis erat eum lente exurens, qui non tantum tactui ardorem prodebat, quantum partibus internis dolorem afferebat. Ab eodem malo erat illi vehemens cibi deſiderium, cui non obtemperare non licebat. Aderat etiam inteſtinorum exulceratio, maximeque eum vexabant acerbi in colo cruciatus. Quin & pedes occupaverat humor aqueus & pellucens, ſimiliſque circa abdomen mali labes. Porro genitalium putredo gignebat vermes; & laborabat, cum erectus eſſet, gravi ſpirandi difficultate, quæ tum ob anhelitus fœtorem tum ſpiritus crebritatem erat moleſtiſſima. Denique convulſiones per univerſa propemodum membra inſuperabile ipſi robur addebant. Ajebant porro divini, & qui in hujuſmodi vaticinandi ſcientia ſtudium ſuum collocaverant, hanc multiplicem impietatis pœnam Deum a Rege expoſcere. Ille vero, licet gravius affligeretur, quam ut quis cruciatum ferre poſſe videretur, ſalutem tamen ſperabat, & medicos accerſebat, eorum conſiliis per omnia obſequebatur: at denique extremos inter cruciatus animam efflavit.

Ex Ægypto vocavi filium meum. Non idcirco ſecedit in Ægyptum Jeſus, ut oraculi fidem impleat, quemadmodum innuere videtur Matthæus iis verbis: *Ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam, &c.* Hæc enim verba non rei geſtæ cauſam, ſed rem ipſam ſignificant (63). Expletum eſt in Jeſu vaticinium, ubi is ab Ægypto rediit. Hebræi ex Ægypto fugientes, duce Moyſe, figura erant rei a Jeſu Chriſto gerendæ. Neceſſe omnino eſt, Judæos Jeſu Chriſti ætate hæc de Meſſia intellexiſſe, cum eadem Matthæus ad illum referat.

Non una eſt explendorum vaticiniorum ratio. I. Interdum ad verbum explentur, uti cum Iſaias vii. 14. inquit: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, nobiſcum Deus; quorum fides apertiſſime ſtetit in Chriſto Jeſu. II. Cum res aliqua fit, cujus figura præceſſit. Ita quæ de Salomone ceu Meſſiæ figura dicuntur, in Chriſto Jeſu ceu figuræ archetypo contigere. III. Cum res quæ olim contigit, ad rem præſentem refertur; vel aliqua Prophetæ ſive Authoris ſacri locutio ad aliquam vitæ ſeu mortis Chriſti partem accommodatur; veluti ea quæ Iſaias xxix. 13. de Judæis ætatis ſuæ ſcripſit, *Populus hic labiis me honorat*, ab Evangeliſtis ad Judæos Jeſu Chriſto coætaneos transferuntur (64). IV. denique, Cum res aliqua in Veteri Lege prædicta atque expleta iterum in nova contigit. Ita quæ Daniel ix. 24. de abominatione deſolationis prædixit, primum ſub Macchabæis expleta ſunt (65), ſæviente in Judæos Antiocho; tum ſub Romanis, in ſuprema Jeroſolymæ obſidione (66); ac denique implenda ſunt ætate Antichriſti, ſub mundi exitum.

Quod attinet ad locum quem explicamus, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, animadverte, Græcos Patres (67), S. Hieronymo vetuſtiores, putaſſe hunc locum ex Numerorum Libro deſcriptum, ubi legitur (68): *Deus educens eum* [populum] *ex Egypto.* At edita S. Hieronymi verſione, plerique multo probabilius cenſuere, ſpectatum eſſe ab Evangeliſta illum Oſee locum, ubi ex Hebræo legimus (69): *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Quo loco Septuaginta ferunt: *Ex Ægypto vocavi filios ejus.* Hinc porro Julianus Apoſtata malæ fidei arguit Evangeliſtam, cum hunc locum ex Hebraica fide ab eo recitari ignoraret (70).

℣. 16. Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, vehementiſſime iratus eſt. Conſilia ſua intellexiſſe Magos cenſuit; ignorabatque, illos per quietem monitos fuiſſe, ut alio itinere diſcederent. Magorum fuga meditati conſilii viſa eſt; cumque Herodes Magus eadem nece cum novo Rege obvolvere moliretur, ſtatim ſpe deceptum ſe ſenſit.

Occidit omnes pueros . . . a bimatu et infra. Veteres nonnulli (1) cenſuere, hanc infantium cædem contigiſſe poſt annum a Chriſto nato alterum. Huic ſententiæ favet illud quod hic dicitur, Herodem nempe trucidaſſe pueros bimulos & ea ætate minores; illaque item perſuaſio, Magos ad Chriſti incunabula nonniſi altero anno poſt illius ortum acceſſiſſe. Alii (2) menſes quindecim inter Jeſu Chriſti ortum & ſævam Herodis ſententiam ſtatuunt. Ingens eſt in ea re ſententiarum varietas, quas recenſere non vacat. Illud ſolummodo addendum videtur, ab optimis Chriſtianorum Chronologis (3) conſtitui, Magos perveniſſe Bethlehemum poſt unicum a Chriſti ortu menſem, ut quam lentiſſime; Herodem vero periiſſe paucos poſt menſes vel etiam dies ab infantium cæde. Illud certum omnino eſt, Herodis mortem ſerius ſtatui non poſſe, quam Paſchatis Feſtum ejus anni, ſcilicet, ut quam longiſſime, duobus menſibus ac dimidio poſt Jeſu Chriſti ortum. Quamobrem infantium cædes omnino inter Decembris exitum, & proximum Martii menſem collocanda eſt.

Quorſum autem pueros omnes bimulos ac bimulis minores interfecit? Nimirum ut novum Regem certiſſimo exitio obvolveret, necatis pueris omnibus Bethlehemi natis ab altero anno antequam ſtella ſeſe Magis oſtenderet (4). Stellam porro non ante viſam eſſe cenſuit, quam Meſſias oriretur (5). Quamobrem inanem fore operam duxit, eos quærere qui poſt ſtellæ ortum nati fuerant. Cum autem fieri potuerit, ut ſtella poſt aliquod tempus a pueri ortu exhibita eſſet, pueros omnes toto biennii curriculo editos juſſit occidi. Simplex maxime & probabiliſſima hæc ſententia eſt (6). Putat Cnatchbullus, occiſos eſſe Herodis juſſu pueros, qui alterum ætatis annum inceperant, & elapſis aliquot menſibus agebant. Ita explicat hæc verba, *A bimatu, & infra.* Apud Scripturam *filius anni* eſt non is, qui primum ætatis annum explevit, ſed qui annum primum agit: ita *pueri bimuli* ſunt ii, quibus alter annus exigitur.

[61] Toynard. Harmon. [62] Joſeph. Antiqu. lib. xvii. cap. 8. [63] Vide Maldonat. hic, Janſ. Hammon. alios. [64] Matth. xv. 7. 8. [65] 1. Macch. 1. 51. [66] Matth. xxiv. 15. [67] Theodor. Heracl. in Catena. Græc. in Matth. Simon Hiſt. Critique du nouveau Teſtament chap. xx. [68] Num. xxiii. 22. & xxiv. 8. Θεὸς ὁ ἐξαγαγὼν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου. [69] Oſee xi. 1. ממצרים קראתי לבני Septuag. Ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ. [70] Hieronym. hic, & in Oſee xi. [1] Epiph. Theophylact. [2] Euſeb. in Chronicn. Eucher. Anſelm. Lyran. &c. [3] Uſſer. Lancelot. Toynard. alii Authores Concordantiarum Evangel. [4] Toynardus putat, Magos docuiſſe Herodem, ſtellam ſibi conſpicuam exhibuiſſe menſe decimo octavo, antequam Jeroſolymam venirent, ſcilicet ſexto & decimo ante Jeſu Chriſti ortum. Ex Chronici Alexandrini authoritate, toto biennio ante Chriſti ortum micuit. [5] Matth. ii. 2. [6] Euthym. Strabus, Maldon. Janſ. Eſtius, Sa, Brug.

Mirum videtur, cur Josephus, Herodis gesta fuse describens, hanc infantium cædem omnino præterierit. Nicolaus fortasse Damascenus, cujus monumenta secutus est Josephus, flagitium hoc Herodi probrosissimum omisit. At illam minime ignoravit Macrobius Saturnal lib. 2. cap. 4. profanus Scriptor sæculi quarti circa exitum, qui ingeniosas Augusti sententias recensens, ait: *Cum audisset* Augustus, *inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium*. Herodes nimirum sub idem ferme cædis Bethlehemiticæ tempus Antipatrum filium suum occidi jussit; allatusque Romam simul utriusque rei nuncius hunc a Cæsare lusum expressit. Porcum exsecrabatur Herodes, quemadmodum Judæi omnes atque Arabes, qui neque suem mactabant, neque in cibum adhibebant.

Liturgici Æthiopum Libri, & Græcorum Kalendaria numerum Bethlehemiticorum infantium ad quatuordecim millia definiunt. Incertus tamen est numerus, uti incerta sacra Sanctorum Innocentium lypsana, quæ apud multos coluntur (7). Cæterum horum infantium cultus vetustissimus est in Ecclesia, quæ illos ceu Martyrum primitias nunquam non venerata est.

℣. 18. Vox in Rama audita est, &c. Vaticinium Jeremiæ xxxi. 15. hic recitatum, oratio est Dei solantis Rachelem, quæ filios suos e Tribubus Ephraimi & Manassis, ex Josepho carissimo Rachelis filio natos, in captivitatem raptos luget; pollicentisque futurum, ut illos brevi reduces videat. Mœrentem matrem ita alloquitur: Voces tuas tuosque gemitus ob filiorum exilium & captivitatem intellexi. Ephraimum audivi migrantem in exilium, dicentemque: Feristi me, Domine; at ubi me castigasti, statim resipui. Hæc tamen addit Deus: Plorare desine, o Rachel, aut lacrymas fundere; mox enim laborum tuorum finis adfuturus est. Tu, Ephraim, filius es mihi carissimus: tui adhuc memor ero. Ephraimi & Manassis captivitatem non prædicit hoc loco Jeremias, quippe cum ante centum & viginti ac tres annos Salmanasar Samariam evertisset, & reliquos e decem Tribubus homines abstulisset. Quid tunc gestum sit, narrat, & captivorum matres flentes clamantesque, Rachele Josephi matre, & Ephraimi ac Manassis avia significatas, describit (8). *Rama* generice pro edito loco (9) usurpari potest. Ephraimitica regio asperrima montibus erat; solebantque in publicis luctibus in montium fastigia ascendere, ut questus agerent. Nobilissimam habes hic prosopopœiam, ubi populi mater pro populo ipso inducitur, sortem suam lugens.

Interpretum plerique (10) in hunc locum arbitrantur, spectari a Propheta Judæ & Beniamini captivitatem, & Rachelem Beniamini matrem exhiberi veluti lugentem exitium filiorum, qui Babylonem ducebantur. Rachelem ponit Propheta in modico oppido Rama, Jerosolymæ septentrionali, & in Tribu Beniamini sito (11), quo Nabuzardan captivos collegit, expugnata Jerosolyma (12). At omnino Prophetiæ textus docet, ipsum de præterita re, non de futura agere, neque futuram Judæ captivitatem describere, sed veterem Ephraimi, cujus finem prædicit. Hæc sonat ex verborum & historiæ fide Jeremias.

Ea quæ tunc in Ephraimi captivitate contigerunt, gemitusque & voces, quæ tunc in editis locis personuere, comparat Matthæus cum Bethlehemiticarum matrum ploratu, liberorum cædem lugentium. Mera est alterius ad alterum relatio, ex rerum similitudine petita.

℣. 19. Defuncto autem Herode, statim post infantium cædem, uti diximus. Angelus tamen nonnisi post aliquod tempus Josephum monuit, ut in Judæam rediret. Cum enim ille Judæam attigit, scilicet fines Juda, circa Gazam & Simeonis Tribum, Regno potiebatur Archelaus. Quo tempore omnino redierit Josephus, aut quamdiu in Ægypto fuerit, disputant. Toynardus geminos exilio menses dat; alii (13) quatuor aut quinque; annum unum aut duos nonnulli; quidam quinos senosve, novem etiam aut decem.

℣. 20. Defuncti sunt, &c. Pluralis numerus pro singulari. Mortuus est Herodes, qui puero necem moliebatur. Ita ad Moysem Deus (14): *Revertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam*; Pharao nimirum obiit.

℣. 22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa. Herodes, necato Antipatro filio natu majore, quinto antequam moreretur die, tabulas mutavit (15), atque Antipam Galilææ ac Peræææ, Philippum Gaulanitidis, Trachonitidis, Batanææ & Paneadis Tetrarchas creavit; Judææ Regnum Archelao, superstitum filiorum maximo, reliquit. Vix mortuo Jerichunte Herode, coactis in Amphiteatrum militibus populoque, perlectæ sunt tabulæ: salutatus est Rex Archelaus, qui statim nobilissimo funere patrem extulit, delato in arcem Herodium cadavere, stadiis ducentis ab Jerichunte. Orta inter Jerosolymitanos seditione, ipso Paschatis pervigilio, trium amplius millium cæde in Templo, in urbe agroque in illos sæviit Archelaus (16). Paulo post Paschatis festum profectus est Romam, ut Herodis tabulas, Cæsaris assensu scriptas, confirmaret. Utrum ante, an post Romanum Archelai iter Josephus ex Ægypto redierit, ambigitur. Archelaus circa ejusdem anni autumnum in Judæam rediit. Nos iis accedimus, qui Josephum ante Archelai profectionem ab Ægypto revocant.

Galilæa, quo secessit Josephus, parebat Antipæ. Nihilo minus utilis ac fortasse optata esse Antipæ videbatur pueri Jesu cædes, siquidem illum novisset, quam Archelao; at præterquam quod Antipas natura mitior erat Archelao, Jesu Christi ortus non æque in Galilæa & urbe Nazareth celebris fuerat, quemadmodum Bethlehemi & Jerosolymis, Magorum adventu, & iis quæ die Purgationis Mariæ in Templo contigerant. Adde quod Antipas eodem ferme tempore atque Archelaus, Romam profectus est, causam in illum dicturus de regno, quod sibi ipse expetebat, priorum tabularum causa, quas sibi faventes scripserat pater. Hæc omnia Jesu in Nazareth, obscurum oppidulum ad radices Thaboris, fugienti favebant. Mariæ patria fuisse creditur Nazareth, uti & Josephi Capharnaum, urbs sita in ripa Maris Tiberiadis occidentali.

℣. 23. Quoniam Nazaræus vocabitur. Cum hæc scriberet Matthæus, Christus Jesus ejusque asseclæ fortasse Nazaræorum appellatione agnoscebantur. Docet igitur Evangelista, Nazaræorum appellationem temere aut casu illis aptatam non fuisse, sed a Prophetis prædictam. Quibus autem Prophetis? nullum de nomine recitat. Forte etiam locum hunc laudabat ex veteri traditione (17); plura enim ejus generis monumenta apud Judæos

sola

[7] Baillet, *Vie des Saints Innocens*. [8] Vide Hieronym. ad Jerem. xxxi. 15. Raban. ibid. Castr. Muis. Prolog. in Psalm. lxviii. [9] רמה Origen. in Catena in Matth. Quid. legunt: Ἐν τῇ ὑψηλῇ. Vide & Hieronym. seu Vulgat. in Jerem. xxxi. 15. [10] Maldonat. Grot. Spanh. alii. [11] Josue xviii. 25. xix. 13. [12] Jerem xl. 1. [13] Vide Jansen. hic. [14] Exod. iv. 19. collat. cum Exod. ii. 15. [15] Joseph. de Bello lib. 1. cap. 21. & Antiq. lib xvii. cap. 10. [16] Antiq. lib. xvii. cap. 11. de Bello lib. 2. cap. 1. [17] Vide Chrysostom. Homil. 9. & Theophylact. Euthym. Author. Operis imperf. Ex libris non canonizatis. Vide Cleric. hic; Not. ad Hammond. & Menard. not. in Epist. Barnab. pag. 176.

sola hominum memoria nulloque scripto servabantur. Ita nomina magorum Jannes & Mambres, qui Moysi in Ægypto restiterunt (17), & Enochi vaticinium, a S. Juda in Epist. ℣. 14. recitatum. Aiunt alii (18), spectari a Matthæo Veteris Testamenti Nazaræos, homines Deo obstrictos voto, qui sanctius cæteris Judæis vitæ institutum profitebantur (19). Hac quidem ex parte Christus Jesus verissime est Nazaræus; nihil enim sanctius aut divinius illius vita & institutis. Divinam Jesu Christi sanctitatem Scripturæ omnes & Prophetæ ubique testantur.

Cum Jacob Genes. 49. 26. & Moyses Deut. 33. 16. Josepho Patriarchæ benedicerent, illum appellavere *Nazaræum inter fratres suos*, scilicet inter cæteros fratres gloria, nobilitate, sanctitate clarissimum. Eximia Jesu Christi figura Josephus fuit. Fortasse etiam hunc Isaiæ locum spectavit Matthæus (20): *Egredietur virga de radice Jesse, & flos* (Hebraice, Nezer) *de radice ejus*) *ascendet*. Hic porro surculus vel flos (*Nezer*), e radice Jesse ortus, procul dubio est Jesus. Posteriori huic sententiæ accedit S. Hieronymus (21); addens, ita etiam Hebræos quamplures (22), Nazaræos fortasse, quibus Evangelium scripserat Matthæus. Optime notat S. Doctor, *Nezer*, ubi florem significat, aliter scribi, quam cum *Nazaræum* (23); id enim ipse animadvertit in Isaiam; ut tamen daretur locus allusioni, qua hic utitur Matthæus, satis erat, si aliqua pronunciationis similitudo duas hasce voces conjungeret. Hoc igitur vult Evangelista, posito a Jesu Christo in Nazareth domicilio redditam esse perspicuam affinitatem inter *Nazaræi* appellationem, & *Nezer*, germen seu florem, quo nomine illum Prophetæ designaverunt. Nazaræus erat Jesus ob vitæ sanctimoniam, qualem profitebantur Nazaræi, qui sese Domino devoverant. Nazaræus item erat, quod apud Prophetas *Nezer* seu flos dictus fuerit, ac denique posuerit in Nazareth domicilium.

C A P U T III.

Joannes Baptista prædicat & baptizat. Describuntur illius vestes & vitæ institutum, ejusque conciones. Venit ad Joannem Jesus, baptismo tingendus.

℣. 1. IN diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ. 2.
Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. 3.
Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. 4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre. 5. Tunc exibat ad eum Jerosolyma, &
omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem; 6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. 7. Videns autem multos Pharisæorum & Saducæorum,
venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9. Et ne
velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam:
qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta
portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. 12. Cujus ventilabrum in
manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum,
paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. 14. Joannes autem prohibebat eum,
dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? 15. Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. 16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt
ei cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.
17. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

℣. 1. IN DIEBUS AUTEM ILLIS VENIT JOANNES BAPTISTA. Hæc verba, *In diebus illis*, non illud significant, ea quæ mox dicenda sunt, statim post prædicta contigisse; sed genus conjunctionis sunt, quæ tempus rei gestæ minime indicat. Joannes Baptista verba ad populum facere, atque accedentes baptismo tingere cœpit anno Tiberii decimo quinto (1), ætatis suæ anno XXXII. & Jesu Christi XXXI. æræ vulgaris XXVIII. quam æram nos fere sequimur, tribus annis recentiorem vero Jesu Christi Natali.

Trigesimum ætatis annum definierant Judæi, quo verba facere ad populum liceret. Hac olim ætate apud Christianam Ecclesiam homines in Episcopos & Sacerdotes initiabantur.

JOANNES BAPTISTA PRÆDICANS IN DESERTO JUDÆÆ,

(17) 2. Timoth. III. 8. (18) Maldon. Grot. Spanhem. alii. (19) Num. VI. 12. & sequ. Judic. XIII. 5. XVI. 17. Thren. IV. 7. Amos II. 11. & 1. Macc. III. 49. (20) Isai. XI. 1. & LX. 21. (21) Hieronym. hic, & in Isai. XI. 1. & Opus imperfectum in Matth. Ita Jansen. & Est. hic. Hammond. (22) Idem in Isai. XI. 1. (23) נצר flos. נזיר Nazaræus. נצרת Nazareth. (1) Luc. III. 1.

cææ, Joannes, Zachariæ & Elisabethæ filius, cujus res gestas apud Lucam videbimus, diuturno vitæ spatio in solitudine acto, concionari cœpit in deserta Judææ, ad meridiem Palæstinæ jacentibus, in Tribu Juda, circa Ierichuntem; nulla enim pars erat in desertis Iuda, præter hanc, vicina Iordani, ubi Ioannes populum abluebat, ℣. 6. Hinc *Baptistæ* nomen sive ablutoris. Homines ille totos aqua mergebat, Iudæorum more. Vide ℣. 11.

℣. 2. POENITENTIAM AGITE: APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM COELORUM, vel, jam advenit. Consuetum hoc erat concionum Ioannis argumentum. Homines hortabatur ad pœnitentiam, ut ad excipiendum Iesum Christum pararentur. Concionibus baptismum addebat, sive aquarum lotionem, ita illos docens, interiores animi sordes abluere. Pœnitentia, quam prædicabat Ioannes, non simplex erat dolor ob peccata, vel de præteritis pœnitudo, & sollers sui ipsorum circumspectio de futuris; sed dignos pœnitentiæ fructus postulabat, labores & afflictationes, quibus & animo medicina, & justa Numini scelerum ultio exhiberetur. Ubi vulnus habueris, inquit S. Chrysostomus homil. 10. non modo telum eruis, sed & pharmaca admoves, ut sanus fias. Iungenda sunt pœnitentiæ opera conversioni mentis, & scelerum execrationi. Ioannis vita, vestes ac mores exemplum erant ejus pœnitentiæ, quam is postulabat. Quid illos esse oporteret, Baptista in se ipso exhibebat (2). Pœnitentiam in cinere & sacco agere Ninivitæ (3). Iejunium imperat Ioel 2, 15. corporis afflictationes, animi dejectionem, lugubres vestes ac luctum. Futurum fuisse ait Christus (4), ut Tyrii ac Sidonii diu antea pœnitentiam in cinere & sacco agerent, si sua ipsius prodigia spectavissent.

Appropinquavit Regnum Cælorum, seu venit (idem enim utrumque est), hoc loco significat, Divinam in impios animadversionem jamjam imminere (5); supremum Iudicem mox pronunciaturum esse sententiam; patrem familias tenere jam ventilabrum ut aream purget, ac securim, ut steriles malasque arbores cædat. Synonyma ejusdem rei omnia. Eodem hoc sensu Regnum Cœlorum in decem Virginum parabola usurpatur Matth. 25. 1. & in altera de servis, quibus talenta paterfamilias distribuit, ut mercaturam exercerent (6). Prædictis supremi Ierosolymæ excidii signis, Iesus ita Apostolos monuit Luc. 21. 28. Cum hæc videritis, *respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*. Et paulo post: *Prope est regnum Dei*; scilicet, mox venturus est Deus, ut ærumnarum, quas passi estis, pœnas a cæteris exigat, vobis præmia largiatur. Gloriam suam & ultionem mox prolaturus est. Et Matth. 16. 28. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis, venientem in regno suo*; nempe venientem, ut vindictam in Ierosolymam exerceat.

Similes hisce locutiones in Veteri Testamento leguntur; ut Psal. 96. 1. *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu ejus; justitia & judicium correctio* (fulcrum) *sedis ejus. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Et Psalmo XCVIII. 1. *Dominus regnavit, irascantur* (formident) *populi; qui sedet super Cherubim*, prope est ut judicium exerceat; *moveatur terra .... Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est, & honor Regis* magni *judicium diligit*, &c. Vide Abdiam, ℣. 21.

Regnum Dei interdum est manifesta Messiæ indicatio. *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*, inquit Christus Luc. XI. 20. Et teste Matthæo IV. 23. urbes atque oppida peragrabat Iesus, *prædicans evangelium regni Dei*. Et apud Lucam 17. 21. *Regnum Dei intra vos est*. Simile huic est quod habet Joannes 1. 26. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*.

Usurpatur etiam *Regnum Dei* pro æterna beatitudine, qua Beati & Angeli in Cœlis fruuntur. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum* Matth. 7. 21. Et 19. 14. *Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum*. Et 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*. Posteriore hac sententia intelligi etiam potest Ecclesia & Synagoga. Ita cum ait Christus Matth. 20. 1. Regnum Cœlorum simile esse patrifamilias, summo mane operarios in vineam mittenti, omnino intelligis, vineam esse Synagogam, Regnum vero Cœlorum esse providentiam, qua Deus erga Judæos primum, deinde erga ethnicos usus est, quos ultimo loco ad vineam vocavit. Matth. 8. 12. commendata Centurionis fide, vocationem gentium, Judæorumque exclusionem prædicit iis verbis: *Filii Regni ejicientur foras*. Porro hoc Regnum omnino est Synagoga, vel Judæi, legitimi Divinarum promissionum ac Regni Dei hæredes. Ita etiam usurpanda est parabola de Rege, ingens ob filii nuptias convivium parante Matth. 22. 2. qui, renuentibus amicis, externos vocat. Ita & aliæ de conductoribus, qui heri servos ejiciunt, & herilem filium necant Marc. 12. 8. His omnibus Judæorum exclusio, & vocatio Gentium significabatur.

At communis maxime harum locutionum acceptio ea est, quæ de Jesu Christi Ecclesia interpretatur. Huc referuntur pleræque comparationes a Jesu propositæ, ubi ait Matth. 13. 44. Regnum Cœlorum simile esse thesauro abscondito, quem inventum homo quidam emit, rerum omnium suarum dispendio; tum margaritæ, quam mercator omnium bonorum suorum pretio sibi vindicat Matth. 13. 45. Tum Regnum Cœlorum cum agro comparat, quem inimicus malo semine vitiat Matth. 13. 3. & cum piscatorum reti, bonos malosque pisces colligente Matth. 13. 47. Omnino autem vides, sermonem hic esse de Ecclesia, uti animadvertit S. Gregorius Papa hom. 12. in Evang. cum statim subjiciat: *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium*. Docet Matth. XI. 12. Regnum cœlorum injuriis impiorum obnoxium esse, & a violentis diripi; quibus verbis certe innuit mala, quibus pii homines in Ecclesia exercentur.

Denique Regni Cœlorum, seu Regni Dei appellatione suum ipsius adventum exprimit, peregrinationes, Ecclesiæ institutionem, vocationem Gentium, prædicandi Evangelii rationem, vindictam a se in impios atque infideles exercendam, parata servis amicisque præmia, imperium in animos mentesque ab ipso obtinendum. Messiam præstolabantur Judæi ceu Regem, Israelitici Imperii restauratorem, cujus nutibus terra omnis esset obtemperatura. Quod a Prophetis didicerant, id ea in re sequebantur (7). Mortale hoc Regnum sibi fingebant Discipuli, rogabantque (8): *Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* Porro Jesus, ut præjudicatis illorum opinionibus morem gereret, illæsa tamen veritate, instituendi mox a se Regni meminit, Regnum Cœlorum illis pollicetur, solium memorat, in quo sessurus ipse est ad Patris dexteram: at simul illos docet (9), suum ipsius Regnum ex hoc mundo non fore; qui facilem aditum sperant, eos exclusum iri (10), aliosque ipsorum loco ingressuros: secretum

(2) Chrysost. Homil. 2. p. 117. Vide & pag. 119. & 121. Vide & Ambros. plurib. locis, & Cyprian. l. de Lapsis, pag. 295. Edit. Rigalt. (3) Jonas III. 5. (4) Matth. XI. 21. Ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν. (5) Vide Chrysost. hic, Hammond. Le Clerc. (6) Matth. XXV. 25. Luc. XIX. 12. (7) Psalm. X. 16. XLI. 29. LXXI. 8. Isai. XL. 10. IX. 7. LII. 7. Jerem. XXIII. 5. Dan. VII. 13. 14. (8) Act. 1. 6. (9) Joan. XVIII. 36. (10) Matth. VIII. 12.

rum se bonos a malis; ac deletum iri eos, qui Regni sui prorsus spiritualis institutioni repugnaverint; ipsum vero, post severissimam justissimamque in illos animadversionem, regnaturum, atque una electos, projectis in exteriores tenebras flagrantemque fornacem inimicis, æterno igne semperque victuro ibi cremandis. Hæc autem non de supremo Judicio usurpanda sunt, sed de Divina animadversione in Judæos, monitia suis refractarios, deque præmio, quo is Martyres Justosque sibi morigeros, & nominis suis amatores afficiet. Nequis autem putaret, post hujus animadversionis æstum absolutissimam fore Dei servis pacem, monet futurum, ut Regnum Cœlorum ærumnis odiisque non careat, quibus homines Deo charissimi purgandi sint.

℣. 3. Vox clamantis in deserto: Parata viam Domini. Uno omnes assensu Evangelistæ (10) verba hæc ad Jesu Christi Præcursorem referunt. Tunc porro minime dubium erat, quin implenda forent in homine, qui paraturus esset Messiæ vias. Eliam ipsum expectabant Judæi, id præstiturum; at monet Jesus, Joannem Baptistam ipsum esse Eliam (11), spiritu nempe & virtute Eliæ instrui, ut omnium indiscriminatim animos ad Christum excipiendum paret. Dixerat hæc Isaias xl. 3. agens de Babylonicæ captivitatis fine: Vocem audio Dei gentibus imperantis, ut populo e captivitate tedennii vias parent. Hic porro reditus, hæc libertas figura erant ac pignus libertatis, miserrimo hominum generi per Dei Filium comparandæ. Revera viæ Judæis redeuntibus stratæ non fuerunt, quorum in rebus tropicæ erant & hyperbolicæ Isaiæ locutiones; at Joannes Baptista studiosissime laboravit, ut Judæorum animos ad Jesum excipiendum compararet: sublimia dejecit, implevit valles, at spirituali sensu, pulcherrimo tamen & justissimo.

℣. 4. Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Joannis Baptistæ vestis non cameli corium erat (12), quemadmodum nostris Pictoribus, nonnullisque Interpretibus, visum est, sed pannus e cameli villis, asper, crassus, ater ac tristis, qualis decebat hominem, qui gestis potius quam verbis pœnitentiam prædicaret. *Quid existis in desertum videre?* ajebat Christus, de Joanne loquens Matth. xi. 8. *Hominem mollibus vestitum?* Neque scribit Evangelista, Præcursoris vestes fuisse e lanis cameli, sed e villis crassioribus (13). Cameli lana tenuissima est, ex eaque vestes mollissimæ conficiuntur; at villi austerissimi sunt, inopum solummodo & agricolarum usibus relicti (14). Hinc Patres nonnulli (15) scripsere, Præcursoris vestem fuisse cilicium. Narrat Ælianus (16), camelos esse ad mare Caspium molli adeo lana, ut Miletiæ lanæ minime cedat, ex qua nedum Sacerdotes, verum etiam incolarum locupletissimi vestes conficiunt. Meminit Paulus Venetus (17) panni cujusdam, quem nominat *Zambilotti*, ex lana alba & lana camelina, pulcherrimi & sumptuosissimi: Thalmudistæ apud Braunium (18) docent, si misceatur lana camelina cum arietina, itaut camelina arietinam superet, confici ex ea posse pannos lino mistos; minime vero, si arietinæ pars æqualis sit, vel major.

Vestes igitur e cameli lana Judæis penitus inusitatæ non erant, uti vult Casaubonus (19); tametsi raræ erant e solis camelorum villis. Miscebatur plerumque ovium lana; vel cameli lana secernebatur ab austerioribus villis, quorum usus relinquebatur inopibus & agricolis; sive ex iis conficiebantur lugubres eæ vestes, quas Scriptura saccos vel cilicia nuncupat. Panni, quos vulgo dicimus *camelotti*, e camelis appellantur, quod fortasse olim e lana cameli conficerentur. At nostra ætate panni sunt e caprarum orientalium villis tenuissimi, misto holoserico seu lana vulgari.

Et zonam pelliceam circa lumbos. Vulgarium cingulorum materies linum erat seu lana. Tenuissima erant, & non raro pretiosissima. At Prophetæ (20), Nazaræi (21), & homines luctum agentes vel pœnitentiam, corio seu fune pro zona utebantur. His etiam utuntur apud nos ii, qui austerum vitæ genus profitentur (22).

Esca autem ejus erat locustæ. Vetat Lex Moysis Levit. xi. 22. ne locustæ in cibum adhibeantur. Communis sunt cibus apud Orientalium quamplurimos, veluti Parthos, Syros, populos Libyæ, Africæ & Asiæ, atque olim Græcos, & nunc etiam aliquos. Monachus quidam, qui Africam peragravit, testatur, sese locustas in cibum adhibuisse, easque communem esse in agro annonam per quatuor anni menses. Clenardus in Epistolis qui eas regiones præsens vidit, asserit, locustas plaustris vehi Fessam in Mauritania. Necantur hæ fumo sub arboribus excitato; labentesque e ramis saliuntur, vel fumo clibanove siccantur, servanturque in fasces collectæ toto anni curriculo. Recens locustarum caro pinguissima est. Leo in Africæ descriptione narrat, locustas sale condiri, tostasque aut in sole siccatas in farinam redigi, ut aptæ sint cibo. Annuus e locustis reditus Tripoli major est, quam in Capreis Regni Neapolitani Insula e coturnicibus. Meminit Sanctus Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. nubium locustarum, quæ in cibum usurpantur. *Pars quædam Æthiopum*, inquit Plinius (23), *locustis tantum vivit, fumo & sale duratis in annua alimenta*. Denique res adeo certa est, & veterum Recentiorumque testimoniis confirmata, ut revocari in dubium nequeat. Vide Bochartum (24). In Perside occurrunt locustæ enormes, scilicet tribus pollicibus oblongæ, & medio pollice crassæ. Vide Itiner. Moschov. tom. 1 pag. 449. Vide etiam quæ adnotavi ad caput 1. Joelis. Vide Iter Missionarii pag. 256. 257. 258. quo authore discimus locustarum esum ignotum esse Persis & Armenis, notum Arabibus. Apud Clenardum, de locustis epist. lib. 1. pag. 73. hæc leguntur: *Paucis ante diebus fere vidisses cœlum obductum locustarum agminibus, quæ hic non solum saltant, sed avium ritu volitant. Multis in locis nocte una sata perdunt universa. Bellum strenue cum illis gerunt rustici, nam plaustra plena locustis advehunt forum: nam vulgo hic condiunt.*

Vidisses totum cœlum obductum agminibus locustarum. Ulciscuntur rustici ut possunt, nam saccos plenos locustis in foro venditant, nam hoc genus hic mos est comedere. De locustis Madagascaris vide Mandorlum pag. 541.

Exercitus cui annona defecit nube locustarum forte volitantium se nutriit. Vide Porphyrium de abstin. lib. 1. art. 2.

At si vera hæc sunt, inquiet, mirum ne est, Joannem Baptistam usum esse locustis in cibum, quibus nemo abstinebat, quæque interdum in agro inter cupedias numerabantur? Huic objectioni ut respon-

(10) Marc. 1. 3. Luc. iii. 4. Joan. 1. 23. (11) Matth. xi. 14. xvii. 10. 11. 12. Marc. ix. 10. 11. (12) Ita Brug. Schmid. Piscar. (13) Matth. iii. 4. Εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου. (14) Author Oper. imperfecti hic: *Non dixit de lana cameli, sed de pilis cameli .... Quoniam autem non de lana camelina, sed de pilis cameli habebat vestimentum, ipse Dominus manifestat, dicens de Joanne: Quid existis in deserto videre? Hominem mollibus vestitum?* (15) Athan. Emissen. Anselm. hic, Hammond. Brug. Scult. (16) Ælian. hist. animal. lib. 17. c. 34. Vide & Apollon. de Admirabilib. cap. 20. (17) Paul. Venet. Peregrinat. l. 1. c. 31. (18) Vide Braun. de Vestib. Sacerdot. Hebr. l. 1. c. 9. (19) Casaubon. Exercit. 13. in Baron. (20) 4. Regum 1. 8. de Elia. (21) Grot. ex Hebræis. (22) S. Bened. Reg. c. 22. *Cincti cingulis, aut funibus*. (23) Plin. l. 6 c. 30. Vide, si lubet, Ludolf. Histor. Æthiop. l. 1. c. 13. (24) Bochart. de Animal. sacr. part. 2. l. 4. c. 5.

respondeant, Veteres nonnulli dixere (25), locustas, quibus vescebatur Joannes, non animalia fuisse, sed extremitates herbarum vel arborum. Teste S. Epiphanio, Ebionitæ vocem hanc ex Evangelio suo eraserunt, ne Joannes carnibus vesci solitus fuisse crederetur. Qui credunt, Baptistam pro cibo habuisse arborum gemmas, ingentem asseclarum numerum nacti sunt (26). Neque res omnino fide caret. Sarmatæ seu Germani arborum gemmis alebantur, & aqua manibus hausta, uti adhuc solent Encratitæ, inquit S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. Primos homines describit Ovidius Fast. lib. 4. herba solummodo victitantes, & teneris arborum frondibus.

Et modo carpebant vivaci cespite gramen,
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erat,

Primi S. Bernardi Discipuli Clarævallenses (27) frequenter obloniis vescebantur ex esculi frondibus. Meminit Diodorus lib. 3. quarumdam Æthiopiæ gentium, quibus herbæ & arborum gemmæ annonam suppeditabant.

Brocardus (28) & Jacobus de Vitriaco (29) nimis leviter credidere, eas quas Matthæus locustas nominat, herbas esse ejus nominis, quæ Monachis illius regionis in cibum pararentur, testibus ipsis Monachis. Eugenius Rogerius (30) ait, locustas hasce pomum esse, sanguineo colore, forma siliquæ fabaceæ, sapore dulci ceu panis aromatici, adstringentis naturæ. Arbor eas siliquas ferens, siliquaster nomine, circa S. Joannis Baptistæ solitudinem provenit. Putavere nonnulli (31), Baptistæ cibum fuisse marinos cancros, quorum Græca appellatio simillima est Græco nomini locustarum. Agrestia poma alii (32) Baptistæ tribuunt. Theophylactus & Euthymius ajunt, Evangelii vocem a nonnullis de *melagra* herba explicari, ab aliis de nucibus pomisque agrestibus (33). Cnatchbullus aliique nonnulli censent, illum vesci consuevisse iis arborum siliquis, quas Itali *carubas*, Galli *carrouges* nuncupant, quibus ventrem implere cum suibus optabat Filius prodigus (34).

Quorsum vero difficiles interpretationes loci maxime perspicui comminiscimur? Locustę cibus sunt maxime vulgaris, simplex, maxime obvius, nullo negotio aut impendio parabilis: id vero optime convenit vitæ instituto, quod Baptista servabat. Locustis ille vescebatur & melle agresti: cætera ciborum genera ignorabat. Arctus adeo erat cibus, ut illum a Dæmone obsideri dictitarent Judæi (35). Cum hæc ita se habeant, quorsum tot discrimina?

Et mel sylvestre. Evangelium secundum Hebræos, apud S. Epiphanium (36), legebat hoc loco: *Mel agreste, cujus sapor erat mannæ similis, velut lagani fricti cum oleo.* Putavit etiam Salmasius, mel agreste Joannis ipsum esse manna, quod adhuc in monte Libano & Arabia invenitur, quo Hebræos in deserto nutritos esse arbitratur. Nititur vero testimonio Suidæ, qui veteris cujusdam Scriptoris fide ait, mel agreste in arborum frondibus colligi, & a nonnullis manna nuncupari. Rabanus Maurus & Arculphus (37) docent, mel agreste quamdam esse frondem, teretem, latam, ac renarrimam, quæ manu trita, mellis odorem ac saporem exhibet. Herbam esse mel agreste, negat S. Isidorus Pelusiota lib. 5. Ep. 532. putatque verum esse mel, ex agrestibus apibus, sapore amarum.

Hosce tamen conatus ipsa evertit Scriptura, quæ mellis agrestis, ceu rei in Judæa maxime vulgaris, nulla ex parte vitiosi, meminit. Minus quidem illud dulce reliquo erat, sed in agro usitatissimum, asseruntque Itineraria, hujusmodi mel passim occurrere in Palæstina. Vide quæ nos animadvertimus in historiam Saulis & Jonathæ ad 1. Regum xiv. 26. Porro id de Joanne Baptista recitat Matthæus, ut vitam frugi, simplicem, ac vulgarem, quam ille ducebat, significet.

℣. 6. Baptizabantur ab eo in Jordane. Judæorum baptismus merso aquis corpore conficiebatur, non fusa supra caput aqua, uti in sacro apud nos Baptismate fit, & Pictores nostri, Jesu Christi baptismum exhibentes, comminiscuntur. Consuetæ erant in Mosaica Lege ablutiones, ut quędam legales sordes detergerentur; ac tunc totum corpus cum vestibus, vel seorsum corpus, seorsum vestes aqua mergebantur. Ita abluebantur, ubi quis cadaver (38) hominis aut immundi animalis (39) tetigisset, vel funeri præsens fuisset, vel impurum animal contigisset (40), seu denique post elephantiasis curationem (41), vel seminis effusionem sponte aut præter voluntatem, noctu sive interdiu (42), aliisque pluribus de causis.

Baptismus, quo Joannes Hebræos abluebat, alterius erat naturæ; spontaneum scilicet, privatæque religionis, nullo Legis præcepto; & symbolum remissionis criminum, quam accedentibus animo flagitia execrante, post peccatorum exomologesim, pollicebatur. Ita etiam significabat, oportere mores vitamque illos mutare; quemadmodum ferme Hebræi proselytos, Judæorum sacris initiatos, baptismo ablui post circumcisionem jubebant (43), ut eo baptismo novam quodammodo nativitatem, atque alterius vitæ instaurationem designarent. Cum hæc fusius disputaturi simus peculiari Dissertatione, plura hic addere omittimus.

Confitentes peccata sua. Hanc animi præparationem ab hominibus baptismo tingendis postulabat, uti Moyses ab iis, qui victimas pro peccato mactarent (44). Porro hi viventem adhuc victimam sistentes, manu capiti hostiæ imposita, crimen, cujus causa hostiam offerebant, confitebantur; veluti eo ritu Dominum orarent, ut in oblatæ victimæ caput sceleris sui pœna migraret. Utrum vero singula peccata, an universali quadam formula faterentur, sub lite est. At omnino consentiunt Interpretes, exomologesim his in rebus fuisse imperatam. Frequentes occurrunt in Scriptura precum formæ (45), quæ exomologeseos loco apud Hebræos habebantur. Vide Grotio (46) probabilis eorum sententia, qui existimant etiam apud Sacerdotem factam aliquam particularem culpæ confessionem, in iis, quæ cognita capitis pœnam non afferebant; in cæteris suffecisse generalem; eumdemque morem etiam solito religiosius ac liberius observatum putat a Judæis, qui ad Baptistam optimæ fidei hominem, nec Sacerdotem tantum sed & Prophetam, accedebant. Peccatorum exomologesim omnino necessariam esse ad criminis remissionem, docent Hebræi (47).

Ut populos ad excipienda salutis verba, & cervicem Jesu Christo submittendam compareret, jubet

(25) Isidor. Pelus. l. 1. Epist. 5. & 132. (26) Euthym. Nil. Serm. de Joan. Baptista; Pantaleon Diacon. serm. de Luminib. SS. & ex recentiorib non pauci. (27) Vitæ S. Bern. l. 1. c. 5. (28) Brocard. Descript. Terræ Sanctæ pag. 330. (29) Jacob. de Vitriaco, Histor. de Jerosol. c. 53. (30) Eugen. Roger. l. 1. p. 214. (31) Quid. apud Buch. de Animal. parte 2. lib. 1. c. 5. Legunt καρίδες, pro ἀκρίδες, locustæ. (32) Beza hic legit, Ἀχράδες, pyros sylvestres. (33) Theophylact. & Euthym. hic: Μέλαγρα . . . τὰ ἀκρόδρυα, ἤτοι ὀπώρας ἀγρίας. (34) Luc. xv. 16 (35) Matth. xi. 18. Luc. vii. 33. (36) Epiphan. Hæres. 30. Μέλι ἄγριον, οὗ ἡ γεῦσις ἦν τοῦ μάννα, ὡς ἐγκρὶς ἐν ἐλαίῳ. (37) Raban. Maur. & Arculphus in Catena aurea D. Thom. (38) Num. v. 2. vi. 6. &c. (39) Levit. xi. 25. (40) Levit. xi. 28. 40. (41) Levit. xiii. 8. xiv. 6. (42) Levit. xv. 5. 8. 7. (43) Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 2. c. 2. Hammond. hic. (44) Levit. iv. 4. 15. 24. Num. v. 7. (45) Dan. ix. 4. 5. Baruch 1. 17. 15. Psalm. xxxi. 5. 2. Esdr. 5. 16. ix. 2. (46) Grot. hic, & Jans. Est. (47) Vide Maimon. apud Ligfoot. Lyr. Hebr. 45. Buxtorf. Synag. Jud. cap. 20.

bet illos Joannes sase reos confiteri, ec pœnitencia, exomologesi & beptismo elui. Sue ipsi vulnere agnoscerent opus eret, ut Medici opem flagitarant. Egera se salute, nosse debebant, ut Servatorem optarent. Hic porro greviſſimus erat Judæorum morbus, quod sese mulium reos esse non crederent. Inenem hanc perniciosamque fiduciem ex illorum anjmia abolere, potiſſimum conatur Baptista (48).

℣. 7. Vioens autem multos Pharisæneum et Saducæorom; quæ geminæ erent sectæ, eo tempore inter Judæns florentiſſimæ, contrariis omnino sentantiis; Pherisæi enim Angelos elteramque vitam post resurrectionnem existere docebant; negebant Saducæi. Cum de gemina hae hæresi satis dicere hoc loco non liceet, quæstionam omnem alio remittimus, peculieri Dissertetiona exegitandam ad Lucam.

Utrum Pherisæi baptismom Josnnis excaperint, non liquet. Acribus fortasse expostulationibus Joannis irritati, ejusque varbis turbeti, re infecte discessere. Scribit Lucas (49), *Pharisæes sprevisse consilia Dei erga semetipsos, a Joanne non baptizatos*. Pietate ec misaricordie erga illos uti volebat Deus, quas illorum nequitia impedivit. Atque idem ipse Christus Jesus testatur, illos Joennis baptismom respuisse, cum ait (50): *Baptismus Joannis unde erat? e cælo an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes: Si dixerimus, e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam. Et respondentes Jesu, dixerunt; Nescimus.*

Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Futurum ne speretis, ut cum isto vitæ instituto Divinum furorem viteris? An salutem vobis promittere eudetis, dum scelestæ vivitis; & scelus ab ipsa origine ductum colitis, constantiſſimi paternorum criminum imitatores? Viperæ estis, & viperarum filii: impii, disciplinem penitus respuentas. Nullum fuisse necessa ast Pharisæorum ec Saducæorum flagitiis modum, cum illos adeo ecriter arguat Joannes. Hoc idem innuare videtur Christus, assiduis in illos objurgatinnibus (51). Nequitiem fortasse & hypocrisim in imis illorum enimis Baptista intuebatur (52), quibus illi ad Baptismum impellebantur, ut famam apud plebem tuerentur, nullo melioris vitæ proposito, sau consilio ipsum notandi, ejusve doctrinam vitamque reprehendandi. Apud Lucam 3. 7. hæc verba ad turbes facta esse narrantur. Nutu fortasse aut ipsa nretionis serie significavit Joennes, mistos in turba Pharisæos ec Saducæos potiſſimum hec objurgetione spectari.

℣. 8. Facite ergo fructum dignum (53) pœnitentiæ. Interiori flagitiorum exacretioni axteriores afflictationes, aontrariasque flagitiis virtutes addite; *omnis enim arbor*, subdit (54), *non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Fructus opere sunt. Fur repta restituat, ac furari dasinat. Ambitiosi, voluptarii, libidinosi, vitiis suis sese abdicent, atque enimi demiſſionam, temperentiam & vitæ austeritatam emplectentur. Id porro est, facare fructum dignum pœnitentiæ (55). Agens de Joanne Baptista Josephus (56), ait, virum fuisse sanctiſſimum, hortentemque Judæos, ut bene facta exercerent, ad Baptismum accederent, atque in cæteros justitiem, erga Deum pietatem colerent. Deo gratum esse baptismum non posse, si aliquibus solummodo flagitiis abstinerent; opus esse, ut corpori mundiriei sanctimoniem animæ jungarent, quæ nonnisi justitiæ exercitio comparetur. Hæc erent Joennis Baptistæ institute.

℣. 9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Judæi filiorum Abrahami dignitate magnopere gloriebantur, eamque originem passim in Scripture jectabant (57). Profecto nihil commodius hoc nomine illis erat, quippe quo promiſſionum filii, gens intar cæteros terrarum populos sancta & electe, filii & electi Dei dicerentur. At non æque studebant ea facere quæ Abraham, teste Christo Jesu (58): *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Filii Abrahæ erant carne, non spiritu. Illustres porro promiſſiones non ex carna, sed ex spiritu ed Abrahemum spectabent (59). Credentium, Fidelium Justorumque patar est Abraham, non infidelium & impiorum. *Non enim successio carnis quæritur*, inquit hic S. Hilariue, *sed fidei hæreditas . . . & prosapiæ gloria fidei imitatione detinetur.*

Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, Abrahemo. Solitudinis suæ rupes indicabat, vel, ut ejunt nonnulli (60), lapides eb Israelitis positos in Jordenis alveo, amnem illum trejicientibus sub Josua (61). Censent alii (62), spectari ab Joaone illa Isaiæ LI. 1. varba: *Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis.* Abrehamum & Sarem parantes vestros intuemini. Pios homines ac fideles aruere potast Deus ex hisce lapidibus; ex Ethnicis nimirum & Infidelibus, eodem prodigio, quo olim e Sara sterili liberos ipsi jem effœto dedit. Petres plerique (63) arbitrantur, lapidum nomina intellexisse Joannem Ethnicos atque Infideles. Populi, de quibus nunquem telis future erat suspicio, filii Dei efficiuntur. Id res ipsa probavit in Gentium vocatione.

℣. 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Divine in vos ultio imminet. Hoc jam tempus vestre de electione aut damnatinne, deque exitio aut felicitete decernat. Pendet hinc res tote. Iesum Christum exceperitis, nec ne; illius instituta amplexi fueritis, an rejeceritis; vitem denique imiteti fueritis, an non. Hactenus a longinquo minitebentur Prophetæ, minis elique semper conditione edstrictis, Deoque arctos ultioni suæ fines imponeote: certum jam nunc exitium vastrum ast. Nisi ee quæ suadeo amplexi fueritis, securis jam redici erborum imminet; non ramis aut caudici, sed radicibus. Derelicta omnino est damnataque Synegoga, nisi hoc tempore ed Deum confugerit, ac Messiam exceperit. Jamjam fracturus est Deus fœdus cum patribus vobisque juretum (64). *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Israelem omnino periturum esse non dicit: multi ex iis fuere, qui nomine Iesu Christo dederint; at omnes qui minime resipuerint, suaque ipsius monite amplexi non fuerint, perituros; etque ex Abrahami ac populi Domini fœdere excisuros.

℣. 11. Ego baptizo vos in aqua . . . ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni (65). Joannis beptismus mara erat præparetio baptismatis

(48) Chrysost. Hemil. x. in Matth. (49) Luc. VII. 30. *Pharisæi & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.* (50) Matth. XXI. 24. 25. (51) Matth. XXIII. 12. 13. (52) Hieronym. in Isai. XXX. Gregor. Homil. XX. in Evang. Theophylect. hic. (53) Plures legunt : Καρποὺς ἀξίους. Ita Lucas, & Græc. impres. de Origen. in Joan. Καρπὸν ἄξιον. Et alii quamplurimi. Vide Mill. var. lect.
(54) Infra ℣. 10 (55) Vide Chrysost. hic, & Gregor. Magn. Homil. XX. in Evangelia. (56) Joseph. Antiqu. lib. XVIII. cap. 7. &c. (57) Joan. VIII. 33. Act. XIII. 26. Rom. IX. 7. et. 1. 2. Cor. XI. 22. Hebr. II. 16. &c. (58) Joan. VIII. 39. (59) Rom. IV. 8. & IV. 11. 12. 13. (60) Anselm. Remig. Pineda. (61) Josue IV. 7. (62) Chrysost. Jansen. Grot. alii. (63) Hieron. & Chrysost. hic; Ambros. in Luc. Irenæus l. 4. c. 16. Origen. Clem. Alex. Theophylact. alii passim. (64) Marian. Grot. Maldon. &c. (65) Hæc vox *& igni*, καὶ πυρί, non legitur in Codicibus Græcis bene multis. Septem numerat Robertus Stephanus, in quibus desideratur; amplius vicenos Millius. At Latini Patres, & Græcorum plerique legunt. S. Chrysostomus, Cyrillus, Origenes, Justinus Martyr.

cis Christi; homines enim pœnitentia & sanctimoniæ exercitio comparabat, ut Messiæ aures præberent, & criminum remissionem baptismo Jesu Christi exciperent. Christi Baptismum igne & spiritu confici docet; meram scilicet lotionem non fore, qua corpus aquis mergitur, sed animum præterea S. Spiritus vi atque igne inflammari. Cum Christus baptismo tingeretur, quo totum illius Corpus mersum est aquis Iordanis, Spiritus Sanctus in illum sub Columbæ imagine illapsus est, micuitque ignis hiscente Cœlo, audiraque voce ceu tonitru, clamante (66): *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Sacra Pentecostes die, Discipuli Spiritum Sanctum accepere, igneæ linguæ forma labentem, post vehementis procellæ fragorem (67). Hæc omnia fortasse spectabat Ioannes. Fusius de his disputabimus in Dissertatione de Baptismo Iesu Christi.

Cujus non sum dignus calceamenta portare. Vilissimorum mancipiorum munus erat, calceos herorum herarumque gestare (68) in itinere, vel illis per urbem incedentibus; calceos nimirum pretiosiores, in thecis conditos. Calceos ponebant Iudæi, uti dicitur, cum in Templum ingrederentur, pueroque servandos dabant. Servant adhuc morem hunc Turcæ, Libyes & Æthiopes, ac nonnisi nudis pedibus in sacras suæ Religionis ædes ingrediuntur. Olim etiam qui ad mensam accumberent, ex regionis more, calceos servo tradebant. Quod heris servi, hoc Discipuli Magistris præstabant, teste passim Scriptura. Iosue Moysis famulus erat Exod. xxv. 13. & Elisæus *fundebat aquam super manus Eliæ* 4. Reg. 3. 2. Honoratissimum sibi fore ajebat Ioannes, si humillima ministeria Iesu præstare liceret. Servum se ejusque discipulum fatetur (69).

Lucas hæc narrans habet 3. 16. *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Idem porro est, nimirum utrumque servorum; calceos hero detrahere, lora solvere, gestare calceos, calceare, &c. (70). Hebræi plerumque calceis nonnisi foris utebantur; nudisque cruribus incedebant, sandaliis solummodo pedes protecti: calceos ignorabant integros, totum pedem obvolventes, uti nos solemus.

℣. 12. Cujus ventilabrum in manu sua. Veteres quidam legebant (71): *Ferens palam in manu sua*. Areas habebat Palæstina pavitas, duratas, explanatasque in terendi tritici usum. Congerebantur eo manipuli, atque excutiebantur non flagellis, uti apud nos fieri consuevit, sed equorum boumque pedibus, crassioribusque assibus ferro armatis, seu lapidibus onustis, qui supra manipulos inducebantur; vel denique quodam humilium plaustrorum genere, rotis crassissimis instructo. Excusso tritico, stipula longior secernitur, & saccis conditur, in jumentorum annonam; at tritior palea ventilabris ad auras jactatur, tritico in aream cadente. Purgatis area & tritico, ignis in paleas quisquiliasque injicitur, illas omnino consumens (72).

Hæc areæ purgatæ comparatio, paleæque consumptæ igne nunquam deficiente, donec tota penitus cremata fuerit, sponte oritur ea minis, quibus Joannes Judæos terrere studuit. *Deus triticum a paleis jamjam secreturus est, bonos a malis*. Qui infidelitatem atque animi duritiem amaverint, hos deleret Deus, suaque illos in obstinatione destituet; dociles vero & morigeros, in Ecclesiam suam atque in censum filiorum colliget. Hujusmodi minarum fides penitus expleta est in Judæorum pervicacia, qui Jesum Christum cruce damnarunt, atque in Templi & Urbis excidio totiusque gentis ejectione per Romanos, aliquot post Christi obitum annis (73). Hoc ipsum deinde spectaculum, sed multo latius, exhibebitur in supremo Judicio, qua die reprobi a prædestinatis in universam æternitatem secernentur (74). Deus denique quovis tempore aream suam purgat, bonosque a malis segregat persecutionum vi, quibus purgantur boni, malis inter illas pereuntibus (75).

℣. 13. Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem. Joannes & Jesus nunquam se mutuo viderant oculis corporis, sed uterque alterum optime noverant. Jesum agnoverat Joannes, antequam in lucem ederetur, in utero matris Elisabethæ exultans, coram Maria, Deo humanis artubus induto fœta (76). Anno tertio ac trigesimo ab Jesu Christi ortu, altero prædicationis Baptistæ, Jesus e Galilæa ad Iordanem, e regione Ierichuntis, venit, baptismum a Ioanne accepturus. Quorsum vero venit Iesus, qui baptismo minime indigebat? I. ut cæteros exemplo ad sui ipsius baptismum vocaret, quo illi baptismo certe egebant (77). II. ut illustre præberet humilitatis specimen, justitiam omnem ac sanctitatem exercens, ut idem ipse infra testatur. III. ut Ioannis baptismum a se probari doceret (78). IV. ut locum faceret nobilissimis de se Ioannis, Spiritus Sancti, & Patris æterni testimoniis, atque ita populos ad sese audiendum sequendumque compararet. V. ut sacras faceret Iordanis aquas, suaque ipsius præsentia & secreta virtute purgaret, futuras olim cæteris salubres, aptasque abluendis criminibus (79), Sacramento ante ipsius obitum instituendo. VI. ut eo ritu Iudaicum baptismum aboleret, suumque induceret (80), quem tamen necessarium esse nonnisi diu post prædicavit.

Nonnulla recitat S. Hieronymus l. 3. contra Pelag. c. 1. ex Evangelio secundum Hebræos, hic omnino inserenda. *Ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Joannes baptizat in remissionem peccatorum: eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Nisi forte hoc ipsum quod dixi, ignorantia est.* Spernenda tamen fuit hæc, in Canonicis Evangeliis minime recitata. Minime ignorabat Maria, Iesum criminis expertem esse. Idem hoc Evangelium asserebat, Iesu Christi matrem esse Spiritum Sanctum, idque non semel ferabat (81).

℣. 14. Ego debeo a te baptizari. Ubi Iesum videt, statim agnoscit Ioannes, renuitque illum baptismo tingere, nonnisi hominibus criminum reis destinato. Iesum peccatu carere sentit, atque ab eo mundi scelera aboleri. Veretur, ne illum populus baptismo tingi intuens, cum cæteris hominibus baptismo egentibus misceat. Se ipsum

(66) Infra, ℣. 17. (67) Act. II. 1. 2. (68) Pignor. de serv. p. 225. 206. Plaut. Act. 3. Scen. 3. *Pueri sandalisgeruli*. Idem, Trinum. *Puella sandalisgerula*. (69) Hammond. Brug. Grot. Alii. (70) Terent. *Accurrant servi, soccos detrahunt*. Tibull. *Vincloque de niveo detrahet ipse pede*. Æschyl. Agamem. Τ' ἀλλ' εἰ... λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός. (71) Tertull. S. Cyprian. Aug. in Psalm. xcii. Vide Erasm. Brug. hic, & Martian. nov. Edit. Evang. S. Matth. juxta edit. Italic. (72) Vide Isai. xxi. 10. Hammond. hic. Homer. Iliad. E. 499.

Ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς,
Ἀνδρῶν λικμώντων, ὅτε τε ξανθὴ Δημήτηρ
Κρίνῃ ἐπειγομένων ἀνέμων, καρπόν τε καὶ ἄχνας.

(73) Hammond. Cleric. (74) Chrysostom. hic, Aug. alii. (75) Irenæus l. 3. c. 28. Tertull. de fuga in persecut. c. 1. (76) Luc. 1. 44. (77) Aug. in cap. 1. Joan. tract. 4. Chrysost. Homil. 12. Hieron. hic. (78) Hieronym. hic. (79) Opus imperf. hic; Hilar. hic, & in Psalm. LXV. & Ambros. in Luc. II. & Origen. in Joan. Aug. pluribus locis, Hieronym. hic. (80) Chrysost. Homil. 12. Aug. in Joan. 1. Tract. 4. (81) Vide Hieronym. in Isai. XI. & XL. & in Ezech. XVI. Origen. in Joan. p. 58.

ipsum baptismo Iesu Christi indigere fatetur, ut purus fiat; quibus verbis sese reum, uti cæteros homines, confiteri videtur. Ioannem Baptistam in utero matris peccato purgatum fuisse, credit Ecclesia (82); minime tamen cujusvis peccati deinceps expertem existimat, quippe qui concupiscentiam haberet, criminum omnium originem: quamvis autem sanctissimum atque innoxium vitæ genus duxerit, omnino tamen baptismo Iesu Christi egebat, ut novi Fœderis particeps fieret, si ultra tempus institutionis Sacramentorum vitam produxisset. Veteres nonnulli (83) putavere, Iesum a Ioanne tinctum baptismo, ipsum deinde Ioannem baptismo suo initiasse. Illud certe negandum non est, Ioannem baptismo Spiritus a Iesu donatum fuisse, postquam ab ipso tinctus est aquæ baptismo.

℣. 15. SINE MODO: SIC ENIM DECET NOS IMPLERE OMNEM JUSTITIAM. Omnino volo in turba hominum criminis reorum misceri, & subiici baptismo, quem tu ob criminum remissionem confers (84): suo demum tempore me meus Pater illustrem faciet, meamque innocentiam ostendet. Meum est deiici, atque inter minimos recenseri: Pater me commendabit, meamque gloriam augebit. Explendum mihi est quicquid optimum ac perfectissimum; & nedum omnia Legis officia persequi religiosissime debeo (85), verum etiam quicquid bene ac laudabiliter a cæteris agitur (86).

℣. 16. BAPTIZATUS IESUS, CONFESTIM ASCENDIT DE AQUA. Putat Euthymius, Iesum statim ex aqua ascendisse, ut a cæteris secerneretur, diu in aqua perseverantibus, & peccata fatentibus, cum interim Ioannes impositam illorum capitibus manum teneret. Iesus, nullius peccati reus, statim discessit, & a fluento ascendit. Plerique tamen Interpretes putant (87), τὸ *confestim* referendum esse ad consequentia: *Baptizatus Jesus ascendit de aqua; & confestim ecce aperti sunt ei cœli.* Favet huic explicationi Marcus (88): *Et statim ascendens de aqua, vidit apertos cœlos.*

Qua vero ratione aperti sunt Cœli? Vera ne partium sejunctione, an inopina quadam luce, ex imo Cœlorum vel nubis sinu erumpente, uti fit, cum fulgur aut fulmen aerem scindit, & opacæ nubes micant? Omnino (89); cœlorum enim natura fissilis non est. Populari locutione utitur Matthæus, cum Iudæi compactos solidosque esse crederent cœlos, ignesque ex alto ruentes, e cœlo erumpere, scisso amplissimo fornice, quo tellus ambitur.

Scribit Evangelista, *cœlos apertos esse ei*: cui vero? Ioanni, an Iesu Christo? Ipsa orationis forma ad Iesum Christum refert. Non unus prodigium hoc vidit Iesus: una intuiti sunt Ioannes & populus. At Columba deinde super ipsum labens, lux illius verticem lambens, splendor quo is micuit, populo universo satis demonstravere, vocem deinde immissam ad Iesum spectare: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Addit Lucas: *Ipsum audite*: quibus verbis vocem hanc a turbis perceptam fuisse, intelligitur.

VIDIT SPIRITUM DEI DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM. Columbam vidit Ioannes, teste alio Evangelista (90): cæteras etiam turbas vidisse, credibile est. Indignum putant Recentiores nonnulli (91), quod Spiritus Sanctus animalis cujuspiam specie sese exhibuerit; quamobrem ajunt, ignem e Cœlo lapsum esse in Iesu Christi caput pernicitate columbæ; vel ignem rudiori columbæ specie ipsi insedisse.

Christiana tamen Antiquitas universa (92) credidit, Spiritum Sanctum vera columbæ specie apparuisse, non flammæ solummodo, aut ignis columbæ similis. Religiosi adeo hac in re non fuere Patres, uti Recentiores nostri; neque indignam putavere Spiritu Sancto columbæ speciem; cum passim in Scriptura Dei Filius describatur nomine Leonis Iuda, Vermis Iacob, Agni, Lapidis angularis, Aquilæ, &c. Patres in columba, quam Noemus ab arca dimisit, aquas diluvii exploraturam, agnovere figuram Columbæ, quæ in Iesu Christi baptismo spectata est. Columba animal est lene, innoxium, benignum, castum, fœcundum, amabile; quibus columbæ doribus significantur Spiritus Sancti dona, bonitas, lenitas, liberalitas, fœcunditas. Docent Veteres (93), in Iesu Christi baptismo micuisse ignem, ac tonuisse. Id fusius expensum est in Dissertatione de Baptismo.

(82) Vide Catenam auream S. Thomæ in hunc loc. S. Aug. Serm. 291. in natali Joan. Baptist. & lib. 4. Oper. imperf. contra Julian. c. 134. *Hieremias & Joannes, quamvis sanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum.* (83) Auth. Oper. imperfecti: *Quamvis in sanctioribus libris manifeste hoc scriptum sit: Et Joannes quidem baptizavit illum in aqua, ille autem Joannem in Spiritu.* Hieronym. hic; Theophylact. Euthym. (84) Aug. l. 2. contra Donatist. c. 10. Hieronym. hic; Nazianz. orat. 34. (85) Chrysost. hic, Hieron. Euthym. (86) Maldon. Bingeaf. Grot. Jans. (87) Maldon. Bing. Grot. (88) Marc. 1. 10. Καὶ εὐθέως ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανούς. (89) Hieron. hic, & in Ezech. 1. & Author Oper. imperf. & Maldon. Grot. & alii. (90) Joan. 1. 32. (91) Boch. de animal. parte 2. l. 1. c. 6. Hammon. Le Clerc, Ligfoot. (92) Ita Patres omnes, fatente Grotio. Ita Grotius ipse, Mald. Bing. Spanh. alii. (93) Justin. Dialogo cum Tryphone; Nazaræi apud Hieron. l. 4. Comment. in Isaiam; Idem, seu alius ejus sub nomine in Psal. LXXV. 17. Euthym. in Psal. XXVIII. 3.

C A P U T IV.

Ductus in desertum Jesus, quadraginta diebus jejunium servat. Esurit, atque a Diabolo tentatur. In Galilæam secedit, sedesque in Capharnaum ponit. Prædicare incipit. Petrus, Andreas, Jacobus & Joannes vocantur. Prodigiosæ morborum curationes per Jesum factæ.

℣. 1. TUnc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. 2.
Et cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea
esuriit. 3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes
fiant. 4. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed
in omni verbo quod procedit de ore Dei. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in san-

ctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi, 6. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum; 9. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. 10. Tunc dicit ei Jesus: Vade, Satana; Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. 11. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. 12. Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam: 13. Et, relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim; 14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: 15. Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilææ gentium; 16. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. 17. Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum. 18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores). 19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. 20. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. 21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocavit eos. 22. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. 23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. 24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos: 25. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

℣. 1. TUNC JESUS DUCTUS EST IN DESERTUM A SPIRITU. Jesus statim baptismo tinctus, in desertum secessit, movente atque agente Spiritu Sancto, qui in ipsum descenderat. Actius aliquid habet Marcus (1): *Spiritus expulit eum in desertum*, non invitum quidem; sed sponte proficiscentem (2), secutumque vehementissimam Spiritus Sancti vim, qua ad solitudinem agebatur. Raptum in aere, uti olim Habacucum, voluere nonnulli, alii (3) animo tantum ductum esse in desertum. Has tamen sententias satis evertunt & orationis series, & ipsa Textus verba. Animadvertunt Patres (4), Diabolum statim post baptismum insidias nobis struere. Eos qui suo sub imperio tenentur, quietos sinit; ipsos statim exagitat, qui eo relicto ad Deum convertuntur. Dicere videtur Cnatchbullus (5), Jesum a *Spiritu* malo ductum esse in desertum, uti ibi tentaretur. Favere videntur huic explicationi verba Marci (6), & locus Lucæ (7), ubi dicitur Diabolus expellere in desertum homines quos possidebat: ac denique ipsamet ducendi illius causa, *ut tentaretur*. Cæterum minime injuriosa Jesu Christo est, cum idem mox dicatur translatus a Diabolo Jerosolymam, &c.

UT TENTARETUR A DIABOLO. Pugnam cum Diabolo miscuit, ut ipsum dejiceret ac superaret. *Ideo tentatus est Christus, ne vincatur a tentatore Christianus* (8). Exemplum exhibere voluit pugnæ, quæ adversus Diabolum habenda est. Missionis suæ exordium ducit a pugna, qua hostem superat, ut primi hominis peccatum in solitudine patratum corrigat. Docet, per tentationes & experimenta gradum esse faciendum ad gloriam. Per omnes conditionis nostræ labores transiit, ut arduum hoc iter facile nobis ac tutum efficiat. Nostra ipse mala, nostrasque ærumnas periclitari voluit, ut misereri nosset eorum, qui sese hisce obnoxios gemunt. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato*. Hebr. IV. 15.

Credidere Veteres nonnulli (9), præter recitatas ab Evangelistis, alias quamplures subiisse Christum in deserto tentationes. Singulis diebus tentatum censet Origenes hom. 29. in Luc. at Patres plerique putavere, Diabolum, cum toto quadraginta dierum spatio illum observasset, tum denique ausum esse ad illum tentandum accedere, cum esurientem vidit. Diabolum ignorasse arbitrantur, quis ille esset; Deus ne, an merus homo, tametsi omnium longe optimus. Illud quidem terruerat vox Patris (10): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; at nondum norat, quid sibi vellent hæc verba: *Filius meus dilectus*: utrum adoptione Dei Filius diceretur, an natura, Patris æqualis. Tentaturus igitur accedit, exploraturus scilicet, Deus ne vere esset, an merus homo; quod si homo esset, conaturus illum in gulæ aut superbiæ, aut curiositatis, vel ambitionis vitium impellere.

Non satis constat, quam in solitudinem secesserit Jesus: at omnino secessisse videtur in aliquem Judææ montem, scilicet in regionem Palæstinæ meridionalem, ubi plurima erant inculta loca & deserta; statim enim mox dicitur Jesus, cum

[1] Marc. I. 12. Εὐθὺς τὸ πνεῦμα ἐκβάλλει αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον. [2] Vide Oper imperfect. hic; Hieronym. & Hilarium. [3] Vide Cleric. not. in Hammond. [4] Hilar. Chrysost. Author Oper. imperfect. [5] Cnatchbull. ad Matth. XII. 43. [6] Marc. I. 12. *Expulit eum in desertum*. [7] Luc. VIII. 24. *Agebatur a dæmonio in desertum*. [8] August. in Psalm. XC. [9] Author Oper imperfect. Eufeb. l. 9. Demonst. Aug. de consensu Evang. c. 4. Beda, Euthym. hic. [10] Matth. III. 17.

cum Joannem publicis in vinculis detineri intellexisset, ex Judæa profectus, in Galilæam venisse. Cum vero Matthæus temporum ordinem in historia non sequatur, hæc ratio difficultate non caret. Censent alii (11), Jesum in montes Galaaditicos, asperrimos atque a Judæa remotissimos, discessisse. Favet illud huic sententiæ, quod peracta tentatione, Jesus iterum ad Joannem venit, baptismo operam dantem ad Bethaniam, trans Jordanem (12). Ostenditur peregrinis mons Jerichunti septemtrionalis, nomine *Mons quadragesimæ*, quod ibi Christus quadraginta hosce dies latuisse credatur. Mons est editissimus, sterilis, præruptus, ubi antrum cernitur, in quo Christus cibos accepisse narratur, pulso Diabolo. Hujus e montis vertice, inquiunt, omnia terrarum Regna ostendit Jesu Diabolus. Minimi tamen facienda sunt nostrorum Itinerariorum testimonia. Scribit Marcus 1. 3. Jesum in solitudine fuisse *cum bestiis*. At mons iste adeo sterilis est, ut ne feras quidem alat.

℣. 2. Cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, cibo potuque abstinens; abstinentia quippe a potu apud Synagogam & Ecclesiam ita necessaria semper habita est jejunio, uti a cibo. Hebræi diebus esurialibus cibum nonnisi sub diei exitum capiunt. Mahumeddani per eos dies, quos nuncupant *Ramadan*, interdiu cibo potuque penitus abstinent, noctu utrique indulgent. Ecclesia Christiana annis ferme mille & ducentis id in jejuniis servavit, ut nonnisi sub vesperam cibus permitteretur. Porro neque esset ambigendi ratio, aut credendi, jejunium a Jesu ita fuisse servatum, uti tunc a Fidelibus fieri solebat, sumpto nimirum semel sub vesperas cibo; aperte tradit Matthæus, Jesum diebus quadraginta totidemque noctibus cibum oescivisse. Diuturnius noluit jejunium, nequis sese hominem esse negaret (13); tamdiu produxit jejunium, quamdiu Moyses & Elias, ne illis minor esse videretur.

Postea esuriit. Vulgo ajunt Patres (14), famem non sensisse Christum, nisi peracto quadraginta dierum jejunio. Hactenus Diabolus sollicitus hæserat incertusque, ignorans quæ Jesu Christi natura esset atque conditio: at deinde illum fame tentari intelligens, minime dubitavit, quin is homo verissime foret. Jesus, qui hactenus vim famis coercuerat, sese denique illi dedit, atque ita Diabolum ad sese tentandum & in aciem pugnamque quodammodo pertraxit. *Pia fraus fuit*, inquit S. Ambrosius in Luc. l. 4. *fames Domini*, ut adversarius deciperetur. *Permittitur esurire corpus, ut diabolo tentandi tribuatur occasio*, ait S. Hieronymus (15), probro demum ipsi Diabolo futura. Censet Estius, jejunium hoc fuisse Jesu Christo molestissimum, multoque gravius quam Moysi & Eliæ; hos quippe vis divina sustinuit, Jesus vero jejunium aggressus est uti asperum pœnitentiæ opus; quamobrem virtutis suæ vim coercuit, ut omnem jejunii rigorem experiretur.

℣. 3. Accedens tentator, dixit ei, &c. Tentator, Dæmon, sathan, diabolus, hostis, nomina sunt unam eamdemque rem significantia. Dæmoniorum Principem hunc fuisse credidit S. Augustinus de Civit. l. 9. c. 21. Jesum vero tantum sese Diabolo agnoscendum permisisse, quantum opus esse censoit: *Tantum innotuit: quantum voluit; tantum autem valuit, quantum apparuit*. Diabolus Jesum esse Deum ac Dei Filium nonnisi post resurrectionem agnovit (16). Ad illum igitur humana sub specie accedit, atque assentans, ait; *Si Filius Dei es*, vel? cum Filius Dei sis (17), *dic ut lapides isti panes fiant*. Hac fraude primo olim hominum parentes fefellit, futurum pollicitus, ut, si vetitum pomum gustarent, Deo similes efficerentur. Famis non meminit, ne rem, qua infirmitas significatur, nominet (18).

℣. 4. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Eadem hæc dicta olim fuere a Moyse Deut. 8. 3. mannæ occasione. Dominus *afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei*. Deus omnipotenti verborum suorum vi alendi virtutem omnibus largitur, quibus videtur. Lapides ipsi optimus cibus fient, si ipse voluerit. Vel, *verbo* pro *re* usurpato (19): quacumque ex re visum fuerit, Deus homini præbere potest alimoniam. Nihil non aptum cibo fit, jubente Deo. Hoc responso Christus, se Deum esse non negans, sese hominem probat, & adversarium suis ambagibus obvolutum remittit (20).

Ita etiam explicari hic locus potest: Non modo corporeis cibis nutritur homo, verum etiam fideli Divinarum sanctionum obsequio. Docere voluit his verbis Moyses Israelitas, nihil unquam illis defuisse, cum sese morigeros Deo præbuerunt. Eodem modo respondere poterat adversario Jesus: Numquam inopes destituit illos Deus, qui sanctionibus suis obtemperaverint.

℣. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Tentationem hanc Lucas 4. 9. tertiam recenset; plerique tamen Interpretes ordinem a Matthæo servatum sequuntur. Utrum ne Dæmon Jesum per aera transtulit, nulli visum, supra urbes agrosque, ut illum Jerosolymis & in Templi fastigio sisteret; quemadmodum olim Angelus Habacucum ex Judæa Babylonem transtulit, capillis avehens Dan. 14. 32. An illum eo pernicissime duxit, uti Philippo Diacono usuvenit Act. 8. 39. post mersum baptismi aquis Reginæ Candacis Eunuchum? An denique illum solummodo vocavit, ut sese in urbem Jerosolymam sequeretur, uti hostis in aciem provocat? Probatissima est posterior hæc sententia, eamque Veteres nonnulli ferunt (21); & Recentiorum plures censuere (22), hanc cum Græco maxime omnium consentire (23), minusque Jesu Christi dignitatem dedecere. At ii, qui revera translatum in aere Jesum asserunt, a deserto usque ad Templi fastigium, longe plurimi sunt inter Veteres Interpretes ac Recentiores (24). Vetus Scriptor, sub nomine S. Cypriani editus (25), ait, Jesum ductum esse Jerosolymam ab eodem Spiritu, a quo raptus fuerat in desertum; minime autem re ipsa & corpore, sed spiritu, vectum esse in Templi fastigium, deinde in montem. Hæc tamen sententia asseclis caret; universa enim Matthæi narratio suadet, hæc revera contigisse.

Super pinnaculum Templi. Putant nonnulli, Dominum vectum esse a Diabolo super turrim, cubitis centum & viginti sublimem, in Sancti vestibu-

[11] Cleric. in hunc locum. Vide & Drutmar. hic. [12] Toynard. Haimon. Joan. 1. 28.
[13] Chrysost. Theophyl. [14] Opus imperfect. hic; Chrysostom. Hieronym. Hilar. Ambros. alii.
[15] Chrysost. Homil. 13. in Matth. & Hieronym. hic. [16] Vide 1. Cor. II. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio . . . quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* [17] Maldon. Menoch. Ligf. [18] Vide Chrysost. hic. [19] דבר Verbum, seu Res. [20] Hilar. Ambros. Aug. Joan. Chrysost. alii. [21] Auth. Oper. imperfect. *In sequente Domino non infirmitas, sed patientia est: in ducente diabolo non virtus, sed superbia est.* Vide & Euthym. [22] Maldon. Spanh. Le Clerc. Ita & Christian. Drutmar. hic. [23] Παραλαμβάνει. Hebr. לקח Confer Matth. xvii. 1. xxv. 31. Joan. viii. 3. Num. xxii. 41. xxiii. 14. 20. [24] Ita Patres passim, & Erasm. Brug. Pisc. Ligfoot. Spanh. Grot. alii plerique. [25] Cyprian. serm. de jejunio & tentatione Christi.

stibulo 2. Par. 3. 4. Nos tamen in Paralipomenon libro docuimus, nullam fuisse eo loco turrim, totumque Sancti & Sanctuarii ædificium pari fuisse altitudine. Ajunt alii, ipsis Matthæi verbis vel tectum editissimum & fastigiatum innui, qualia nostrarum turrium sunt, locatumque fuisse Jesum in ipso fastigii culmine, vel supra ipsum verticulum, quo turris culmen ambiebatur. Nullo tamen argumento probari potest, ullam in Templo fuisse turrim, forma nostris similem. Scribit Josephus Antiqu. l. 6. universum Templi tectum aureis obelis horruisse, nequa avis insideret, aut fœcibus illud inquinaret. Apud Palæstinos tecta æquata erant in areæ formam; circa aream vero lorica circumducebatur mediocriter edita, nequis e tecto rueret (26); tecta enim magnopere frequentabantur. Quamobrem super eam loricam constitutus fuisse videtur a Diabolo Jesus. Si præcipitem inde se dedisset, in atrium Sacerdotum ruisset, coram frequenti multitudine (27).

In manibus tollent te. Locum hunc male torquet Satanas. Dixerat Psalmista, Justos a Deo protegi, & Angelorum manu in via sustineri, ne pes illorum vestigio fallatur; atque hinc colligit Diabolus futurum, ut Deus Jesum prodigio tueatur, si ipse se ex editissimo ædificio præcipitem dederit. Id vero neque Propheta neque Deus promiserant. Deum tentasset Jesus, siquidem nulla necessitate prodigiosum Divinæ virtutis specimen postulasset. ℣. 7. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Patres quidam (28) ita hunc locum interpretantur, quasi Jesus Diabolo dixerit: *Non tentabis me Dominum Deum tuum*. Prior tamen interpretatio multo proclivior est.

℣. 8. Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum. Idem hic occurrit apud Interpretes sententiarum dissidium de ratione ducendi Jesum in montem, quod supra de translatione in urbem & in Templi fastigium. Ajunt alii, unico momento esse translatum, alii sponte secutum. De monte, quo delatus est Jesus, disputatur. Sunt qui illum prope Jerichuntem collocent, asserantque *montem esse quadragesimæ*, de quo supra ℣. 1. & sunt qui montem Hermonem esse arbitrentur, trans Jordanem, seu Thaborem, cis amnem. Nihil tamen ea de re certum est. Neque putandum est, quæsitum esse a Diabolo montem totius Orbis editissimum, aut hinc indicata esse Jesu Christo terrarum omnium Regna; satis enim erat, si ex editi alicujus montis fastigio innuens, diceret: En Romanorum Imperium; hic Persæ, illic Syria est, ibi India, &c. Mea hæc sunt, qui Princeps sum mundi, eaque pro arbitrio largior. Statim habebis omnia, si una in re morem mihi gesseris, mihi nimirum uti Deo tuo obsequium præstiteris. Ex consequentibus omnino videtur, verum latriæ cultum sibi postulasse.

℣. 10. Vade (1), Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis. Malas Diaboli suasiones dissipat Jesus, minime tamen se Deum esse significans: quamobrem abiit Diabolus ita incertus de Jesu Divinitate, uti venerat. Respondet Jesus, adorationem divinaque obsequia uni Deo deberi. Ita ex obliquo diaboli mendacium ac superbiam refellit, qui sese omnium orbis regnorum dominum esse jactaverat. Unus Imperiorum dominus est Deus: unus ipse obsequia cultumque meretur.

Censuere Patres nonnulli (2), suprema hac in pugna Jesum absoluta in Dæmonem authoritate ac potestate usum esse, cum illum abire jussit, *Vade Satana*; & clam innuisse, multo æquius esse, ut Diabolus sibi, utpote Dei Filio, non ipse Diabolo obsequium exhiberet: *Dominum Deum tuum adorabis*. Animadverte, ipsa Scripturæ verba a Jesu non recitari, sed sententiam. Fert enim Exodus 20. 2. 3. *Ego sum Dominus Deus tuus . . . non habebis Deos alienos coram me*. Et Deuteronom. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*.

℣. 11. Tunc reliquit eum Diabolus (3). Argumentis Jesu Christi, & vi Spiritus Sancti fractus, abiit cum probro, ita post pugnam atque antea incertus de iis quæ exquisierat. Frustra triplicem artem, qua facillime hominum mentes capiuntur, adhibuit, gulam, avaritiam & ambitionem; omnia enim elusit Jesus. Animadverte hic Dæmonis robur, ubi illum sinat Deus omnibus virium suarum & nequitiæ conatibus uti; deinde ipsius imbecillitatem & inertiam, si illum coercere voluerit Deus, modumque ejus artibus ponere. Jesum Jerosolymam ducit, ac super Templi pinnas defert, tum in montem sublimissimum. Quis sola ejus rei narratione non formidet? Quam multis sævissimi hostis injuriis obnoxii erunt Justi, nisi Deus illius vires malamque nocendi libidinem cohibeat?

Angeli accesserunt, et ministrabant ei. Spectabant Angeli pugnam Jesu Christi & victoriam. Pulso Dæmone, statim accessere, ut sua illi obsequia exhiberent. Præsente Diabolo non prodiere, quippe quorum præsentiam Princeps tenebrarum sustinere nequivisset (4). At eo abscedente, statim cibos Jesu Christo detulerunt; totoque deinde vitæ ipsius curriculo ipsi ministravere in ægrorum curationibus, cæterisque prodigiis quibus claruit, quamquam ipse illorum opera non indigebat, cum divina illius omnipotentia instar omnium esset; sed ut majestati illius, amplitudini & imperio inservirent (5).

℣. 12. Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset in publica vincula. Multa certe intercessere inter Jesu Christi tentationem, ejusque secessionem in Galilæam. Joannes non diu fuit in Jerichuntis deserto, post Jesu Christi baptismum; secessit quippe Bethaniam trans Jordanem, ubi tingendis baptismo hominibus vacavit. Jesus post quadraginta dierum jejunium, eo ad Baptistam venit, nonnullosque ibi discipulos sibi comparavit ex iis, qui cum Joannem Baptistam sequerentur, audito illius testimonio de Jesu, illi hæserunt. Ex his fuere Andreas, Bartholomæus, Simon, Philippus, & Nathanael. Hi una profecti Canam Galilææ, primum illius prodigium spectavere. Inde Capharnaum venit Jesus, ubi nonnullis prodigiis claruit. Denique Jerosolymam, ut Paschatis Festum ibi ageret.

Profectus Jerosolyma, ad Jordanem venit & in Judæam, multosque ad se accedentes baptismo tinxit (6). Eo tempore, Joannes, trajecto Jordane, in Enon venit prope Salim, ubi baptizavit. Cum autem nunquam cessaret flagitia Herodis Antipæ arguere, qui Herodiadem Philippi fratris sui viventis uxorem duxerat, factus illi odiosus, eo jubente publica in vincula datus est (7).

Captum igitur Joannem intelligens Jesus, ab Judæa discedens, in Galilæam venit. Quorsum vero in Galilæam, ubi regnabat Herodes, qui Joannem mox vinxerat? Cur non potius in Judæa mansit, ubi nulla erat Antipæ authoritas? Verebatur nempe Pharisæos, qui ea constantia irritati, qua ipse illorum dogmata moresque exagitabat, sese suspectum Pilato tunc Provinciæ Præsidi efficere poterant, monentes, quemadmodum He-

[26] Vide Deuter. xxii. 8. [27] Ita Maldon. Grot. Hamm. alii passim. [28] Hilar. hic, Ambros. in Luc. [1] Plures Cod. legunt, *Vade retro*, vel *vade post me*, ὀπίσω μου. Ex Matth. xvi. 23. Marc. viii. 33. [2] Chrysost. Auth. Oper. imperfecti. Vide & Hilar. & Hieron. hic. [3] Lucas iv. 13. addit: *Ad tempus*, Ἄχρι καιροῦ. Revera enim sæpe rediit. [4] Chrys. & Author Operis imperfect. hic. [5] Vide Opus imperfect. ad fin. Homil. 5. [6] Joan. iii. 23. 24. [7] Marc. vi. 17. Luc. iii. 19.

Herodes Joannem vinxerat, quod nimiam populi frequentiam ad se traheret, ita opus esse, ut ipse Pilatus eamdem ob causam Jesum detineret. Porro Jesu Christo, qui Joannis Discipulus minime censebatur, neque unquam de incesto Herodis connubio locutus fuerat, multoque pauciores, quam Joannes, baptismo tingebat, prædicationi potissimum & populi institutioni vacans, non eædem erant timendi Herodem causæ: quamobrem in illius ditionem proficisci, minime veritus est.

℣. 13. Relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum. Ex Judæa veniens Jesus, Nazarethæ patria sua fletit, ibi consuetum prædicationis exercitium exorsus. Cum autem aliquando, in Synagogam ingressus, cives suos incredulitatis & animi disciplinæ impatientis argueret, ductus ab iis est ad supercilium montis, cui oppidum insidet, eumque inde præcipitem e rupibus dare illi conati sunt. At Jesus medius inter illos transiens, Capharnaum secessit, ibique sedes posuit. Eo fortasse venit & Maria; crediturque Josephus, cujus nuspiam deinceps meminit Evangelium, aliquot ante annis supremum diem clausisse. Nonnulli Capharnaum Josephi patriam censent, quemadmodum Nazareth patria erat Mariæ. Id vero ratione caret. Sita erat Capharnaum in ora Occidentali Maris Tiberiadis (8). Meminit Josephus de Bello lib. 3. cap. 18. fontis Capharnai, in illud mare influentis; *Caphernomæ* etiam, loci ad orientem ejus maris (9), trans Jordanem. Capharnai situs longe opportunior erat Jesu Christo, quam Nazarethæ, ob populi frequentiam, eo mercaturæ causa confluentis.

℣. 14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: [℣. 15.] Terra Zabulon, &c. Non semel animadversum est, his verbis, *Ut adimpleretur*, *&c.* eventum sæpe significari, non agendi propositum. Isaias profecto illud sibi primum non proposuerat, ut describeret ea quæ futura erant, veniente in Galilæam Jesu. At animadvertit Evangelista, simile quid tunc evenisse iis quæ Isaias prædixerat. Huc refert Isaiæ vaticinium de captivitate Tribuum Zabulonis ac Nephthali, & de Judæ fortunis, cum circa idem tempus Teglathphalassar Achazi hostes insigni victoria fregerit; vel de iis quæ sub Ezechia contigerunt, cæso exercitu Sennacheribi. Historica igitur loci Isaiæ explicatio ea est (10): Nihil undique conspiciet Juda præter mœrorem, tenebras, formidinem, ærumnasque minime fugiendas. Terræ Zabulonis & Nephthali primæ omnium injurias Theglathphalassari sentient; deinde procella in regiones trans mare Tiberiadis & Galilæam gentium sitas ruet. Tunc Terra Juda, quæ hactenus densissimis veluti tenebris obruta jacuit, lucem aspicere, finemque malorum sperare incipiet. Translate vero, eadem Terra Zabulonis & Nephthali, Galilæa gentium, & regio trans Jordanem, quæ hactenus in tenebris fuerant, Prophetis & lumine carentes, longe ab urbe, Temploque, nitidum statim jubar in Jesu Christo aspexere.

Zabulon & Nephthali cis Jordanem erant in Galilæa inferiori; *via maris & Galilæa gentium* trans amnem, ad orientem. *Via maris* fortasse est iter Damasco ad mare Tiberiadis, sive etiam ad Mediterraneum.

℣. 17. Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite, &c. Silente Joanne Baptista, loqui cœpit Jesus. Lex & Prophetæ in Joanne desinunt; novæ Legis gratia in Jesu Christo incipit. Confirmat Jesus ac perficit ea quæ Joannes dixerat Matth. 3. 2. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* Sincera mente ad Deum convertimini, siquidem participes fieri cupitis promissionum Evangelii, & mala vitare credulis imminentia. Dum Joannis prædicationem confirmat Jesus, addit robur testimonio, quod de se tulerat Baptista, suæque ipsius gloriæ & Evangelii progressibus ex obliquo studet.

℣. 18. Juxta mare Galilææ. Idem interdum dicitur *Mare Tiberiadis*, interdum *Lacus* seu *Stagnum Genesareth*; & in Veteri Testamento, *Mare Cinereth*. Maria dicuntur Hebræis lacus, & ingentia aquarum conceptacula. Mare Tiberiadis in Galilæa est, & medium a Jordane finditur.

Vidit duos fratres, Simonem, &c. Utrumque prius viderat, uti animadvertimus supra ℣. 12. cum ad Joannem Baptistam prope Bethaniam venit, post quadraginta dierum jejunium (11). Porro uterque ad artis suæ exercitium redierant, conjecto in carcerem Baptista, cui potissimum hæserant. At posito Capharnai domicilio, ubi Petrus & Andreas versabantur, illos iterum vocavit Jesus, jussitque piscationem penitus relinquere, Evangelicæ solummodo prædicationi operam deinde navaturi Luc. 5. 2.

℣. 21. Vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem. Duo hi statim post Petrum & Andream vocati fuere. Jacobus Zebedæi filius idem est qui *Jacobus Major*, vel Senior, alter ab *Jacobo Alphæi filio*, cognomento *Minori* (12), Jesu Christi fratre, vel consanguineo. Joannes Zebedæi filius, & Jacobi frater ille est, *quem diligebat Jesus*; aliter Joannes Evangelista.

℣. 22. Relictis retibus et patre. Græcus legit (13): *Relicta navi & patre.* Relictum esse ab his patrem, quod Jesu Christo credere recusaverit, scribit Theophylactus.

℣. 23. Docens in synagogis eorum. Synagogæ loca erant, quo convenientes Judæi, Religioni suæ vacabant. Eo coibant singulis Sabbathis, festisque diebus, ut orarent, Divinasque institutiones legerent & audirent, & reliqua Legis suæ officia exercerent. Eruditi plures Synagogarum antiquitatem negant, nullaque illarum vestigia vident in Juda ante captivitatem Babylonicam. Mihi tamen contrarium probatur, vel ex ipsis Scripturæ locis demonstrandum. Certum est exemplo Sunamitidis, hospitæ Elisæi, pios in Israele homines, cum Domini Templum adire, aut Sacerdotes, quippe ab universa regione pulsos, audire non liceret, singulis Sabbathis coivisse apud aliquem ex Prophetis, ex quo Legis explicationem intelligerent (14). Asaph, in captivitate Babylonica scribens, & narrans mala, quæ in supremo per Nabuchodonosorem bello sævierant, ait, crematas esse a Nabuchodonosore *Synagogas Domini* (15). Erant igitur in Juda Synagogæ. Noctem egit Judith in Synagoga, vel in loco sacrorum cœtuum (16). Porro Judithæ historia contigisse creditur sub Manasse Rege Juda. En alterum vetustatis Synagogarum argumentum. Populus ad Ezechielem, ipso teste 33. 31. conveniebat, uti consueverat, illum loquentem auditurus: quibus verbis longa consuetudo significatur: *Et veniant ad te, quasi ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus, &c.* Jacobus denique Apostolus Act. 15. 21. ait: *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis.* Profecto qui fieri potuisset, ut Religionis scientia in universa regione servaretur, nisi scholæ fuissent ac loca publica, ubi Legis lectio & explicatio audiretur?

Per captivitatem nullus dubio est locus, quin populus ad Sacerdotes ac Prophetas, solatii & institutionis causa, coiverit. Docent id certissime verba Ezechielis mox recitata. Teste Estheris Libro 4. 16. Mardochæus collegit in orationis locum Judæos omnes Susis versantes, ut propitium Esthe-

[8] Joan. vi. 17. 24. & iv. 46. 47. Matth. iv. 13. [9] Lib. de Vita sua. [10] Isai. viii. 22. ix. 1. 2. 3. [11] Joan. i. 35. [12] Marc. xv. 40. [13] Ἀφέντες τὸ πλοῖον, καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν. [14] Vide 4. Reg. iv. 23. [15] Psal. lxxiii. 8. [16] Judith vi. 21.

Estheris facinori Deum exorarent. At fatendum est, post captivitatem multo quam antea frequentiores fuisse Synagogas. Non desunt tamen qui censeant, nullas fuisse ante Macchabæorum ætatem; quibus unica ratio est argumentum negans, nullas scilicet usque ad id tempus occurrere in facris Libris & Josepho, nullamque Synagogam aut cœtuum locum ab Antiocho crematum narrari. Argumentum plane levissimum. Notissima est sub Macchabæis (17) *Assidæorum* sive *Asdaniorum* secta vel *Synagoga*. Meminere iidem Libri loci orationis in Maspha, quo conveniens populus Legis Librum aperuit & audivit (18). Ecclesiastici Auctor (19), Macchabæis pene coætaneus, non semel nominat cœtus Altissimi, ubi Sapientum doctrina clarebat; quæ verba omnino de Synagogis usurpanda sunt, ubi doctiores verba facientes docebant. Author tertii Macchabæorum Libri, agens de sævitia, qua Ptolemæus Philopator Judæos exagitavit, Proseuchas diserte nominat ac Synagogas (20). Porro Philopator diu aute in Ægypto regnavit, quam Judæos exagitaret Epiphanes.

Post Macchabæos, Synagogarum numerus in Israele adeo crevit, ut in singulis ferme Judææ locis suæ essent Synagogæ. In ipsa urbe Jerosolymis tam multæ erant, ut seaaginta vel octoginta supra quadringentas numerarentur (21); suas quippe habebant singularum artium homines; multas etiam advenæ; inter quos Aleaandrini suam suis sumptibus construxere. *Proseuchæ* dicebantur Synagogæ, nempe orationis loca; sive *Didascaleia*, scholæ; vel *Phrontisteria*, Scholæ Sapientiæ; *Ecclesiæ* item, seu cœtus. Ubi nullæ essent Synagogæ, singuli privatis in ædibus orabant; ac præsertim super tectum, vel sublimem domus aream conveniebant familiares vel amici, ut singulis Sabbathis pars Legis aliqua perlegeretur. Interdum oraturi conveniebant eatra urbem, in amnium ripis (22), qui locus plerumque erat Proseucharum, seu locorum orationis. Septa interdum erant sub dio (23), ferme uti atria Templi Jerosolymitani. Quamobrem Ethnici, cum nulla iis in locis simulacra cernerent, illos accusabant, quod Cœlum solummodo nubesque adorarent (24).

Nil præter nubes & cæli numen adorant.

Singulis Synagogis sui erant Prinepes & Ministri, uti urbium amplitudo, & convenientium Judæorum numerus postulabat. Nonnullæ erant, quibus decem, novem, quatuor vel quinque, aut omnino unus Princeps seu Doctor (25). Synagoga publica erat domus, intra urbem vel extra, ubi locus seu facultas condendæ dabatur. Interdum, uti animadvertimus, Synagogæ sive orationis loca sub dio patebant; plerumque vero tecta erant ædificia & editissima; quippe quas cæteris circa ædificiis privatisque domibus eminere student; neque nuquam id negligunt, nisi vis major impediat.

In media Synagogæ area suggestum est, quo illatum Legis volumen solemni ritu legitur. Eo ascendit, qui sacros Libros eaplicaturus est, ibique verba facit; legensque & eaplicans capite velato est, obsequii causa; capite enim aperto stare, apud Hebræos libertatis indicium est & audaciæ. In ima Synagogæ parte armarium cernitur, ubi Legis volumen, linteo ingentis pretii & acu picto obvolutum. Fœminæ a viris secretæ adsunt, pulpitis quibusdam clatratis clausæ, ita ut agnosci nequeant. Cœtus in Synagogis habentur Sabbathis præsertim festisque diebus.

Siquis in Synagoga fuisset, ingenio doctrinaque aut virtute conspicuus, illum *Angelus Synagogæ*, præses nempe, is, cujus munus est Legem perlegere, publicasque preces nomine populi concipere, jubebat legere, piisque verbis cæteros edocere. Ita Jesus Christus, in Nazarethæ Synagogam ingressus, lecturus accessit, illique exhibitus est liber (26); quem ille aperuit legitque, ac rursus convolutum Ministro reddidit, verba facere & interpretari exorsus. Paulus Antiochiam Pisidiæ veniens (27), & Sebbstho Synagogam ingressus, in cœtu reliquorum sedit; lectisque Lege & Prophetis, Synagogæ Principes illum sociosque monuere, ut si quis illorum esset, qui aliquid in promptu haberet, publice diceret: quibus obtemperans Paulus surrexit, imperatoque manu silentio, verba faciens, Jesum Christum nuncievit. Jesus, inquit hic Matthæus, verba faciebat docebatque per universam Galilæam in Synagogis; id quod luculentissime ostendebat, quanti illius eruditionem facerent. Animadvertit Tertullianus (28): *Sed etsi passim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum, nisi ab optime cognito & explorato & probato jam pridem in hoc ipsum, vel aliunde commendato.*

Plura Præfectorum genera in Synagogis erant. Meminere Evangelia Principis Synagogæ, sub *Archisynagogi* appellatione (29). Hos Judæi nuncupant (30) *Chacamin*, Sapientes; atque horum erat de pecuniariis rebus, furtis aliisque similibus caussis cognoscere. Hi virgis damnabant Legi refractarios, anathemate etiam feriebant, pellebantque a Synagogis reos, teste passim Scriptura. Discipulos monet Jesus futurum (31), ut capiantur a Judæis, cædantur virgis, pellantur e Synagogis, Regibusque ac Magistratibus tradantur. Jussus fuit ab Jerosolymitanis Sacerdotibus Saulus Christianos ubique insectari, ac tradere plectendos virgis in Synagogis (32). Idem vero ad fidem conversus, disciplinæ hujus severitatem non semel expertus est, seseque quinquies novem & triginta virgarum ictibus cæsum esse testatur (33); quo plagarum numero Judæi animadvertere solebant in reos.

Plura hic de Præfectis Synagogarum non addemus, fusius disputaturi, si res tulerit. Hæc satis esse censemus, ut discas quæ fuerit Synagogarum disciplina, Jesu Christi ætate. Primi Christianorum cœtus simillimos habebant Synagogis mores & instituta. Horum princeps seu præses erat Episcopus. Huic parebant Presbyteri, vel Seniores, veluti a consiliis: sub his, Diaconi seu Ministri. Optat Paulus 1. Cor. 6. 5. ut homines pietate & virtute commendati eligantur in Ecclesia, qui de litibus inter fratres ortis sententiam ferant. Sacris cœtibus ac ritibus excludebantur ii, qui impium & contumax vitæ genus colerent, ut homini Corinthio, incestarum nuptiarum reo, usuvenit (34). Legitimus verbi atque institutionum minister erat Episcopus: id tamen muneris committi ab Episcopo aliis poterat, laicis etiam doctrina & probitate laudatis (35).

EVANGELIUM REGNI. Bonum illis nuncium afferebat, venisse Messiæ Regnum (36), in proximo esse Regnum Cœlorum, tempusque redimendi Israelis, a Prophetis significatum, pervenisse. *Evangelium* Græce est *bonus nuncius*.

℣. 24. QUI DÆMONIA HABEBANT. Ingens miserrimo-

---

[17] 1. Macc. II. 42. & 2. Macc. VII. 13. XIV. 7. & 4. Macc. VI. & Psalm. LXXVIII. [18] 1. Macc. III. 48. [19] Eccli. XV. 15. XXI. 20. XXXI. 2. [20] 3. Macc. cap. ult. [illegible] [illegible] [21] Gemar. ad tit. Megilla c. 3. ad tit. Cethuboth c. 13. [22] Act. XVI. 13. Philo advers. Flacc. [23] Tertull. de Pudicit. cap. 16. & Epiphan. de hæres. 80. [24] Juvenal. Satyr. XIV. versu 97. [25] Vide Basnage lib. 7. chap. 8. Histoire des Juifs art. 11. 12. 13. [26] Luc. IV. 16. [27] Act. XIII. 13. 14. 15. [28] Tertull. lib. 4. contra Marcion. [29] Marc. V. 22. 35. 36. 38. Luc. XIII. 14. Act. XVIII. 8. [30] חכמים [31] Matth. X. 17. [32] Act. XXII. 19. [33] 2. Cor. XI. 24. *Quinquies quadragenas una minus accepi.* [34] 1. Cor. V. 1. . . . 5. [35] Euseb. Hist. Eccles. lib. 6. cap. 27. & 29. [36] Vide Dan. II. 44. & sup. Matth. III. 2.

morum hujusmodi hominum numerus erat Christi ætate. Atra frequenter bilis, malaque corporum habitudo calamitatis hujus occasio est. Celeberrimum hujus rei exemplum habes in Saule 1. Reg. 16. Quem Lucas 9. 39. Dæmoniacum, hunc Matthæus 18. 15. solummodo lunaticum nuncupat. Hic vero lunaticos a dæmoniacis luculentissime distinguit. Frequenter etiam pœnæ loco erat a Deo immissæ ob peccata, si quis a Dæmone ageretur.

Lunaticos. Lunatici (36) cum Epilepticis plerumque miscentur. Putabant olim, molestissimum hunc morbum lunæ influxu effici, cum lunaticos singulis mensibus circa plenilunium aut senescente luna male torqueri cernerent. Lunaticum explicat Arabs hominem *in Neomeniis cadentem*. Epileptici, vel comitiali morbo laborantes alias vices patiuntur. Hi rarius, alii sæpius cadunt; sunt qui singulis mensibus, sunt qui singulis hebdomadis: alii denique singulis diebus, vel eadem die sæpius. Syrus lunaticum explicat *hominem ferum*, qui hominum consuetudinem & domicilia fugit. Ethnici, non secus ac Judæi, morbum hunc lunæ tribuebant, vel iratæ Dianæ (37).

Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana.

Contendit hic S. Hieronymus, lunaticos hujus loci verissime fuisse homines a Dæmone agitatos, ac nonnisi volgi errore lunaticos appellatos, quos dolo malo diabolus vexaret in Neomeniis, ut morbi causa vulgo lunæ tribueretur, atque hinc invidia in Creatorem efficeretur.

℣. 25. Galilæa cis & trans Jordanem porrigebatur, quam universam peragravit Jesus, omnesque generatim regiones cum cis tum trans Jordanem, teste hic Evangelista.

Et Decapoli. Decem urbes Decapoleos recenset Plinius l. 5. c. 18. *Damascum, Philadelphiam, Raphanam, Scythopolim, Gadaram, Hippon, Dion, Pellam, Gelasam, Canatham*. At non omnes ea de re consentire fatemur. Omnino Damascus, Raphana & Philadelphia sub Judæorum imperio non erant; quamobrem Evangelium eo non attulit Christus. Omnes præterea hæ urbes, præter Scythopolim, trans Jordanem erant, atque ad orientem Maris Mortui. *Gelasa* eadem esse videtur ac *Gerasa*, metropolis modicæ regionis Gerasenorum, de qua in Evangelio (38), procul dubio in Decapoli sitæ. Vide Marcum v. 5. a. 58. 59. ao. Nonnihil discriminis est de altero Marci loco 7. 31. scribentis: *Exiens* Jesus *de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos*; quibus verbis innui posse videtur, Decapolim lacui Genesareth occidentalem esse, & in Galilæa inferiori. Si tamen sedulo animadvertas, Jesus terga dat Mari Galilææ, Tyro Sidonem proficiscens. Is forsasse Sidone profectus est in regionem Libani, Cæsaream Phrygiæ versus, ultra fontes Jordanis, atque hinc venit ad mare Tiberiadis per superiorem Galilæam, seu Galilæam gentium, ubi pleræque Decapoleos urbes sitæ erant. Vide Marcum VIII. 10. & Matthæum XV. 39. narrantes, Jesum Sidone perrexisse trans Jordanem.

Judæa usurpatur hic pro meridionali Palæstinæ plaga, a Samaritide ad Idumæam,

Regio trans Jordanem hoc loco significat quicquid a Decapoli usque ad Mare Mortuum est; jam enim actum est de septemtrionali hujus regionis parte, sub *Galilææ* appellatione; tum de locis e regione Maris Tiberiadis, nomine *Decapoleos*: meridiana igitur solummodo ejus regionis plaga supererat,

[17] Σεληνιαζόμενοι. v. 1. Luc. VIII. 26. 27.

[18] Horat. de Arte Poëtica ad finem.

[19] Matth. VIII. 28. Marc.

CAPUT V.

Sermo Jesu Christi in monte. Octo Beatitudines. Non ad solvendam, sed ad perficiendam Legem venit Jesus. Majorem a Discipulis sanctimoniam postulat, quam Scribarum & Pharisæorum.

℣. 1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem; & cum sedisset, accesserunt
ad eum discipuli ejus. 2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens:
3. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. 4. Beati mites:
quoniam ipsi possidebunt terram. 5. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.
6. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. 7. Beati misericordes:
quoniam ipsi misericordiam consequentur. 8. Beati mundo corde: quoniam
ipsi Deum videbunt. 9. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. 10. Beati qui
persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.
11. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne
malum adversum vos mentientes, propter me. 12. Gaudete, & exultate; quoniam
merces vestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt
ante vos. 13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum
valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. 14. Vos
estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita; 15. Neque accendunt
lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat
omnibus, qui in domo sunt. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant
opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. 17. Nolite
putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.
18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum,

aut

aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum. 20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. 21. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. 22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: 24. Relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. 25. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. 27. Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. 28. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. 29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. 31. Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam det ei libellum repudii. 32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. 33. Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est: 35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis: 36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. 37. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. 38. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: 40. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. 41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. 42. Qui petit a te, da ei: & volenti mutuari a te; ne avertaris. 43. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: 45. Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos. 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? 47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? 48. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

℣. 1. VIDENS JESUS TURBAS, ASCENDIT IN MONTEM. Habitus est hic sermo diu post ea, quæ capite superiore narrantur. Vocatis ad sui clientelam Simone, Andrea, Jacobo & Joanne, regionem universam peragravit, docens obique, & prodigiis fulgens. Elephantiacum quadam in urbe curavit Luc. 4. 12. Capharnaum rediit, restituitque paralyticum, per tectum domus, ubi is docebat, demissum (1). Tum Levi seu Matthæum Publicanum accersivit (2). Deinde Jerosolymam proficiscitur, Pascha ab exordio prædicationis alterum celebraturus Joan. 5. 1. Ibi paralyticum, qui octo & triginta annos ad piscinam languerat, incolumem reddit Joan. 5. 23. Eo redeunte, cum Discipuli Sabbatho per sata ambulantes spicas vellerent, iisque manu excussis triticum manducarent (3), id ægre tulere Pharisæi. At Jesus Discipulos excusaos, probro obruit Pharisæos. Altera die Sabbathi, Synagogam ingressus, aridam hominis manum & motu carentem incolumem restituit. Irati ob hæc prodigia Pharisæi, inito cum Herodianis consilio, Jesum perdere decreverunt Matt. 12. 14. Hic vero pessima illorum molimina intelligens, secessit ad Mare Genesareth; cumque turbis opprimeretur, duci navim jussit, quo commodius inde populos edoceret. Nocte insecuta, turbisque discedentibus, in montem ascendit, noctemque ibi orando egit. Postridie Discipulos advocans, & duodecim ex iis eligens, Apostolos nominavit (4); unaque descen-

[1] Matth. IX. 2. Marc. II. 3. Luc. V. 18.
[2] Matth. IX. 9. Marc. II. 13. Luc. V. 27.
[3] Luc. VI. 1. Matth. XII. 2. Marc. II. 23.
[4] Marc. III. 13. 14. Luc. VI. 12. 12.

ſcendens, tumulo inſedit, & in proclivi montis cœpit docere turbas, quemadmodum hic animadvertitur. Hæc geſſit Chriſtus, poſtquam quatuor primos Diſcipulos vocavit.

Porro hic ſermo ceu totius Chriſti doctrinæ ſumma habendus eſt, & Evangelii Breviarium. Vides hic, quid in Novæ Legis inſtitutione ſibi propoſuerit Jeſus, Veterem nempe emendare, atque abſolutiorem efficere, ac moralis diſciplinæ leges, pravis Judæorum interpretationibus corruptas, ad primam ſanctitatem revocare. Plura hic Jeſu Chriſti dogmata congerit Matthæus, variis temporibus tradita.

Eamdem hanc rem paulo aliter legimus apud Lucam 6. 12. atque apud Matthæum. Aſcendens in montem Jeſus orationis cauſa, inquit Lucas, ibi noctem egit; vocatiſque Diſcipulis, duodecim ex iis elegit, quos Apoſtolos nuncupavit; tum una deſcendens, ſtetit in planitie (5), ſive *in loco plano & æquali*; tollenſque oculos ad Diſcipulos, quatuor ſolummodo beatitudines propoſuit; cum narret Matthæus VII. Jeſum turbas conſpicatum, aſcendiſſe in montem ac docuiſſe, expoſitis octo Beatitudinibus, aliiſque ſanctiſſimis inſtitutionibus, quas deinde expendemus.

Author Operis Imperfecti in Matthæum putat, narrari a Luca Jeſu Chriſti ſermonem ad Apoſtolos in monte, ceu compendium alterius, quem deinde in agrum deſcendens, ad turbas habuit. Ab hac ſententia S. Auguſtinus non magnopere abhorret (6). Cenſent, alii deſcendiſſe Jeſum ad quemdam uſque montis locum, ubi ſenſim ſeſe ſubducens clivus ſatis amplum faciebat audientibus ſpatium, & locum Jeſu diſſerendi ex alto dabat. Alii denique arbitrantur, Jeſum, cum e monte deſcendiſſet, in tumulum forte in agro ſitum aſcendiſſe, eoque ex loco Apoſtolos ſimulque turbas docuiſſe. Singulis hiſce opinionibus ſua eſt probabilitas. Quod ad quatuor beatitudines a Luca enumeratas attinet, S. Ambroſius optime docet lib. 5. in Lucam, iis octo Matthæi beatitudines contineri; fuſius enim hic habet, quæ brevius recitat Lucas.

Quæritur, quis iſte mons fuerit, in quo ſedens Jeſus mirificum hunc ſermonem habuit. Nonnulli, teſte S. Hieronymo in Matth. 5. putant, montem eſſe Olivarum, prope Jeroſolymam; ipſe Thaborem præfert. At collatis ſimul Luca & Matthæo (7), colligi poſſe videtur, montem hunc non multum a Lacu Geneſareth abfuiſſe, cum Jeſus ad hoc mare ſecedens, in navi ad noctem uſque fuerit, tum in montem aſcenderit, & poſtera die, abſoluto ſermone, Capharnaum venerit (8), oppidum trans Jordanem, amni occidentale. Thabor vero quindecim amplius paſſuum millibus a Capharnao abeſt.

℣. 2. Aperiens os suum, docebat. Vim quamdam & myſterium in his verbis vident Patres; iiſque ſignificari ajunt vel gravitatem rerum dicendarum, vel myſteriorum ſublimitatem, vel novitatem doctrinæ. Alii meram eſſe putant Hebraicam dicendi formam, quæ ſonet: Cœpit loqui. Ego tamen vim ineſſe cenſeo, atque expectata populi quiete ac ſilentio, verba illum facere incepiſſe ea majeſtate atque oris gratia, qua ſolebat. Similes videas apud Ethnicos locutiones, ubi Deos, Heroas, Principes, Sapienteſque loquentes inducunt.

. . . . . . *Donec ſua Jupiter ora*
Solvit, &, o, noſtri ſiqua eſt reverentia, dixit,

Arbitrantur Origenes (9) & S. Chryſoſtomus (10), Jeſum verba ad Apoſtolos convertiſſe, ut præſentis populi attentio & cupiditas excitaretur.

℣. 3. Beati pauperes spiritu, &c. Solebant Judæi, mortalia hæc bona ceu Dei beneficia exiſtimare; inopiam, pœnam. Favere videtur huic opinioni Teſtamentum Vetus, cum opes piis, impiis inopiam polliceatur. Corrigit hanc Jeſus, docetque pauperes vere eſſe beatos, dum *pauperes ſpiritu* ſint, ſcilicet paupertatem non coacti, ſine querela aut impatientia, ſeditione, vel intemperantia ferant; ipſaque paupertas cauſam non habeat ignaviam aut immoderatos ſumptus vel ſcelera, neque inertiæ prætextus ſit & excuſatio. Judæorum animos ea in re occupaverat jam Iſaias LXI. 1. prædixeratque nomine Meſſiæ loquens: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum* Evangelium *manſuetis* (pauperibus) *miſit me*, &c. Ipſe Chriſtus Jeſus, ut ſeſe verum Meſſiam Diſcipulis Joannis probaret, ait Matth. 11. 5. *Pauperes evangelizantur*, evangelium excipiunt, *leproſi mundantur*, *cæci vident*, &c.

Tametſi autem Græcus (11) inopiam revera ſignificat, inopeſque & mendicos; plerique tamen Patres (12) de animi humilitate ac lenitate interpretantur. Pauper ſpiritu is eſt, qui de ſe humilia ſentit, nulla re tumet, ſuperba non ſapit, & quodammodo ad puerorum mentem & naturam redit. Simplicitatem etiam ac docilitatem fortaſſe ſignificat, quibus illum inſtrui neceſſe eſt, qui Evangelii dogmata ſectari voluerit, fidemque myſteriorum, quæ & naturæ & falſis humanæ mentis cognitionibus adeo adverſantur. Explicari denique poteſt de humili ſubjectione divinis Providentiæ conſiliis, animi pœnitentia, patientia in adverſis, opum ac terrenarum cupiditatum contemptu. Docuit ſemper omnium ætatum experientia, amorem opum, ac inopiæ metum inſuperabilia eſſe virtutis ac ſapientiæ obſtacula. Idem hoc agnovere & experti ſunt inter Ethnicos Philoſophi. Præter cæteras interpretationes loci hujus accipi etiam verba hæc planius poſſunt de iis qui, vel ab ipſo ortu vel caſu aliquo mente deſtituuntur. Cum enim illi violatæ legis divinæ rei haberi non poſſint, utpote qui nec illam norunt, nec noſſe poſſunt, criminis noxam perinde ac infantes nullam incurrunt. Porro illi naturæ neceſſitate innocentes regnum Cœlorum plane aſſequuturi ſunt, dummodo tamen Baptiſmi gratiam receperint. Dominus Jeſus Chriſtus in Evangelio Matth. 17. 2. 3. edixit regnum cœlorum infantibus deſtinari, mandans ſimul diſcipulis ſuis, ut in pueros ſeſe reforment Matth. 19. 13. 14. S. Paulus 1. Cor. 3. 18. & 1. Cor. 1. 27. docet eos qui in ſapientia Jeſu Chriſti proficere optant, ſtultos fieri pro ejus amore, pronunciatque Deum ſelegiſſe ſtultos hujus mundi, ut ſapientes ſæculi confunderent. Mente captos obſervant Mahometani, rati illos ad æternam felicitatem prædeſtinati. Eos ſpontaneis largitionibus juvant; ex quo fit ut egeni quidam, quo plus pecuniæ corrogent, ſtultitiam ementiantur. Eccleſia Sanctos quoſdam viros colit, qui vel mente caruerunt, vel ſtultitiam ementiti ſunt. Vide Simonem Salum.

Quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Veri ſunt Filii Regni, Meſſiæ Diſcipuli, promiſſionum hæredes. Paupertate ſpiritus ad Evangelium excipiendum, ſervandaque ſalutis inſtituta, quibus ad cœleſtem beatitudinem ducendi ſunt, comparantur. *Regnum Cœlorum*, uti animadvertimus (13), ſæpe vocationem gentium ſignificat & Evan-

(5) Ibid. ℣. 17. Καὶ καταβὰς μετ' αὐτῶν, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ. (6) Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Evang. cap. 19. (7) Confer Marc. III. 7. 12. cum Matth. XII. 14. 15. V. 1. 2. 3. Luc. VI. 12. & ſequ. (8) Luc. VII. 1. (9) Origen. Tract. 24. c. 25. in Matth. (10) Chryſoſt. Homil. 15. in Matth. (11) Πτωχοὶ, *Mendici*. Grot. Mald. Scult. alii. Et ita aa Patrib. Tertull. lib. adverſ. Marcion. Hieronym. hic; alii. (12) Hilar. in Matth. Author Oper. imperfecti Homil. 9. Chryſoſt. in Matth. Homil. 15. Ambroſ. lib. 5. in Luc. Auguſt. lib. 1. de Sermon. Domini in monte; D. Leo Homil. de omnib. SS. Greg. Magn. lib. 32. in Job. Hieronym. alii paſſim. (13) Matth. III. Vide & Matth. XI. 5.

Evangelii obsequium, sæpe etiam æternam beatitudinem.

℣. 4. BEATI MITES, QUONIAM IPSI POSSIDEBUNT TERRAM. Qui mites sunt, morigeri, pacifici, patientes, qui pacem cum omnibus servant, omnesque litium & jurgiorum causas vitant, qui parem malis gratiam non referunt (13); hi revera *possident terram;* illos nemo non amat; omnium animos sibi conciliant, ea fruuntur pace ac tranquillitate, quam ignorant turbidi, inquieti, iracundi. Iis qui Divinis Legibus religiose obtemperaturi erant, diuturnam in promissa regione vitam Moyses pollicetur (14). Eadem lenibus animo promittit Jesus (15). At sub caducæ felicitatis vitæque in terris tranquillæ imagine, ad alteram terram vitamque minime cessaturam nos erigit (16); nempe ad *viventium terram* (17), æternamque felicitatem.

℣. 5. BEATI QUI LUGENT. Lacrymis, quas impatientia, desperatio, offensio, avaritia, inimicorum odium, malorum temporalium metus, denique terrena aliqua cupiditas exprimunt, nulla est a Deo merces, at amplissima est iis, quarum fons est Dei timor aut amor; iis, quibus propria vel aliena flagitia deflentur (18); quas parit pœnitentia vel misericordia, seu dolor diuturni ab optatissimo divinoque hominum fine exilii: has nimirum absterget Deus; quique ita viventes lugent, solatium sentient, infusa gratiæ suavitate, absolutoque supremæ felicitatis gaudio, cum decesserint. Usurpari etiam potest de iis, qui inter hujus sæculi ærumnas & calamitates lugent: qui morborum vi, infortuniis, paupertate, cæterisque hujus vitæ malis flere coguntur, modo hæc ferant animo Divinis consiliis subjecto, tandem aliquando solatium in Cœlo experientur. Hæc porro interpretatio maxime omnium simplex ac proclivis videtur (19).

℣. 6. BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT JUSTITIAM, &c. Qui justitiam ac Dei voluntatem amant, easque ita effuse quærunt, uti homo fame sitique laborans potum ac cibum, omnino invenient id, quod tantopere exoptant (20). Author hujus desiderii Deus, illud frustra ferri non patietur. Justitiam possides, ubi amas atque optas. Gratia qua mens nostra prævenitur, atque ad hæc optanda impellitur, ignis est non facile extinguendus, nisi nostra ipsorum culpa opprimatur, aut ita negligatur ut cesset. Explicationem hanc Patres & Interpretes vulgo probant.

Alii aliter. Lucas 6. 21. solummodo legit: *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Non habet τὸ *Justitiam*; quamobrem ita explicari potest (21): *Beati qui esuriunt & sitiunt* ob *justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ita Paulus cæterique Martyres passi sunt cruciatus, famem, sitim, nuditatem, ut veritatem & justitiam tuerentur. Alii (22); *Beati qui inter* inopiam, *famem & sitim amant justitiam*, exemplo Tobiæ dicentis c. 4. 23. *Pauperem quidem vitam gerimus: sed multa bona habebimus; si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Aliter: Beati qui sponte omnibus vitæ commodis abstinent, ut justitiam acquirant, & virtutem exerceant, quemadmodum ii qui omnibus sese abdicant, ut Jesum sequantur.

℣. 7. BEATI MISERICORDES, &c. Sævissimi erant in advenas Judæi, impii & cruenti in hostes. Multa dissimulaverat Moysis Lex, ut obstinatis illorum animis aliqua in re morem gereret. Clementiam hoc loco, misericordiam, erga cæteros lenitatem, veniam injuriarum, inimicorum amorem commendat Jesus. Hæc præcepta fusius alibi explicat (23). Satis tamen multa hic dicit, ut nullo negotio intelligas, nullam tibi esse misericordiæ spem, nisi misericordiam erga cæteros exercueris; nullam tibi fore veniam, quam ipse non dederis; Deum denique severissime in te animadversurum, si vindictam iramque nulla lenitatis lege persecutus fueris.

℣. 8. BEATI MUNDO CORDE: QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT. Triplicem admittunt interpretationem hæc verba, *mundo corde.* I. Beati, quibus nulla est conscientia sordium ac flagitiorum, quibus Deo inimici efficimur (24), atque ab ejus aspectu ac præsentia arcemur. II. Beati, quorum animus ea simplicitate, æquitate, candore ac sinceritate instruitur, quibus Filii Dei distinguuntur (25). III. denique, Beati, quorum corpus iis labibus caret, quibus corrumpitur caro, & animus vitiatur (26). Nihil æque homines a Deo ac beatissima illius præsentia removet, uti flagitia quæ pudicitiam lædunt. Hæc mentem in hac etiam vita densissimis tenebris obruunt. Purum se satis putabat Judæus, ubi legali sorde careret. Animi munditiem postulat Christus, peccati ignaram, pudicitiam, castitatem, innocentiam; atque his pollicetur Dei præsentiam, beatissimum nempe votorum omnium finem. Dum vivimus, sese nobis præbet obscura quadam ratione, ac veluti per ænigmata in Scripturis sacrisque mysteriis; at exacto vitæ hujus curriculo, ipsum coram nullaque nube intuebimur (27). Ethnici, tametsi animo rudes, optime norant, summam hominum felicitatem in eo esse, uti Deus absque figuris conspicarent. Ovidius de Ponto l. 2. eleg. 8.

Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deum coram corpora vera vident!

℣. 9. BEATI PACIFICI: QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR. Græcus proprie sonat (28): *Beati pacificatores* (29), qui pacem tuentur, confirmant, ubique quærunt, eamque servant inter amatores turbarum, qui lenitate, patientia, clementia, obsequio publice & privatim, domi & foris pacem colunt. Hæc natura est Christianæ Religionis, ab jurgiis, litibus, turbis, ambitione, cupiditate alienæ. Deus appellatur in Scripturis (30) *Deus pacis*; & qui pacem amant, æquissimo jure *Filii Dei* nuncupantur. Hoc loco S. Augustinus (31) animi tranquillitatem interpretatur, quam parit cupiditatum victoria, cum caro spiritui servit, animusque & spiritus obediunt Deo. Moyses & Josue eædem ubique ferebant armis, ut promissam majoribus hæreditatem Israelitis assererent. Iesus Christus lenitatem fert, patientiam, pacem; nihilque Discipulos præter tranquillitatem & patientiam docet. Iesu Christi regnum sunt pax & misericordia.

℣. 10.

(13) Vide August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. (14) Exod. xx. 12. Deut. v. 16. xxii. 7. xxxi. 47. (15) Chrysost. hic. Ita Euthym. & Theophylact. (16) Ita Orig. in Num. xxvi. Basil. in Psal. xxxiii. Cyrill. in Isai. xxxviii. Author Oper. imperfect. Homil. 9. Hieronym. hic. (17) Isai. lxi. 1. Vide August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. (18) Vide Chrysost. & Hilar. & Opus imperf. & Hieronym. hic; Ambros. l. 6 in Luc. S. Leo Homil. de omnib. SS. Cyrill. lib. 5. in Isai. alios. (19) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte; Nyssen. lib. de Beatitudinib. Grot. Hammon. Mald. alii. (20) Author Oper. imperfect.; Hilar. & Hieron. in hunc loc. Ambros. lib. 6. in Luc. August. lib. 1. de Serm. Domini in monte; S. Leo Serm. de omnib. SS. Chrysost. hic; Bern. Serm. de omnib. SS. Euthym. & Theophylact. hic, alii. (21) Maldon. Jansen. Cornel. a Lapide. (22) Theophylact. Mariana, Le Clerc. alii. (23) Vide infra, ℣. 44. & 45. & Matth. vi. 12 &c. (24) Basil. Regul. brev. 270. Hilar. in Matth. can. 4. Nyssen. Homil. de Beatit. Hieron. & Author Oper. imperfect. hic. (25) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte. (26) Chrysost. Euthym. Theophylact. hic. (27) 1. Cor. xiii. 12. (28) Μακάριοι εἰρηνοποιοί. (29) Vide Chrysost. Euthym. Theophylact. (30) Rom. xv. 33. xvi. 20. & 1. Cor. xiv. 33. (31) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte.

℣. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Ærumnas, injurias atque odia inimicorum pati, non semper est prædestinationis indicium, aut mera secundum Deum felicitas; est vero hæc pati *justitiæ causa*. Puniuntur mali, & qui scelestè agunt, illisque comes est calamitas tum in hoc sæculo, tum in futuro, Deo & hominibus odiosis. Faxit Deus, ut horum causa nullis unquam calamitatibus obnoxii simus (32): *Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat*. Fidem tueri debet Christianus, innocentiam, veritatem, justitiam, quamvis hominum inferorumque nequitia & furor in ipsum sæviant. Defendenda semper est virtus pietasque. Præmii causa non est persecutio, sed causæ quam tuemur æquitas: neque quid feras quæritur, sed cur & quomodo. Justitiæ nomine S. Hilarius Jesum Christum intelligit: Beati qui Jesu Christi causa malis opprimuntur.

℣. 11. Beati estis, cum maledixerint vobis homines. Duas adde conditiones, infra recitatas; I. ut *injuste* maledixerint; II. ut *Dei causa* (33). Præter hæc, inutile est ac noxium, calumnias pati, detractiones, maledicta, ærumnas (34). Nihil penitus omisere Judæi atque Ethnici, ut Jesum ejusque Discipulos omnibus odiosos efficerent: hi vero impietatis, veneficii, homicidii & incestæ libidinis accusati, nihil nisi patientiam opposuere: quin & ipsis inimicorum odiis gavisi sunt (35); rejectisque summa animi tranquillitate calumniis & accusationibus, serenam mentis pacem servavere, relicta Deo defensionis suæ cura. His artibus Christiana Religio altas radices egit; Regnumque Cœlorum iis promittitur, qui mala patiuntur. Unis Crucis Discipulis, & Jesu Christi imitatoribus gloriosa Christiani appellatio debetur (36). Græcus ad verbum (37): *Beati estis, cum vos conviciis obruerint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum adversum vos*, vel cujuslibet criminum ac flagitiorum generis accusaverint, *mentientes, propter me*.

℣. 13. Vos estis sal terræ. Quid sit *sal terræ*, discere possumus ex Luca (38); quippe qui ait, salem terræ, si semel evanuerit, inutilem prorsus esse *vel in terram vel in sterquilinium*, sed foras projici. *Exemplum de agricultura sumptum est*, inquit S. Hieronymus (39). Quærendus est igitur sal, cujus in agricultura sit usus, quique ubi vires amiserit, inutilis omnino efficiatur aut in terram aut in sterquilinium, & ab altero sale corrigi nequeat. Porrò hæc omnia in marga animadverto, quæ genus cretæ est, quo agricolæ ad agros stercorandos utuntur; vel in cinere ex herbis, frondibus, radicibus dumisve, quo agri insperguntur. Utrumque enim habet quoddam salis genus, quo humus stercoratur; quem salem ubi solverint imbres, & cum humo miscuerint, fœcundam humum efficiunt. Quod si salem hunc, margam scilicet aut cineres, diutius aeri vel imbribus expositum reliqueris in loco sterili, aspero ac lapidoso, hic vires amittit, illaque neque utilia sunt stercorandis agris, neque augendo sterquilinio, quippe quorum sal exprimi, uti prius, nequeat.

Docent Itineraria, nullum esse Orientalibus stercoris usum in agricultura, præsertim vero in Palæstina (40), ubi alia plane a nostra est stercorandi disciplina; quem in usum Palæstini margam & cineres adhibere videntur. Spectat hunc morem Psalmista Ps. 140. 7. *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, uti stercus tellури inspergitur, ita *dissipata sunt ossa nostra secus infernum*, circa os sepulcri. Agens Jeremias (41) de injuriis, quibus sepulcra Regum Juda afficienda erant a Chaldæis, ait futurum, ut illorum ossa humi spargant, ceu stercus terræ. Marga genus cretæ est fossilis, albæ seu cinereo colore, interdum rubro, pinguis, salsæ, quæ ex ima tellure eruitur. *Si nimia injecta est, exurit solum*, inquit Plinius l. 8. c. 6. *Inspergitur rara: sale eam misceri putant. Hoc genus semel injectum in quinquaginta annos valet, & frugum & pabuli ubertate*; in utrumque enim usurpatur, tum ad fruges, tum ad fœnum. Vetustissimus illius est usus nedum in Britannia & Gallia, ubi adhuc servatur, verum etiam apud Orientales & Græcos (42).

Cinis e ramis arborum, herbis, frondibusque crematis, humo inspersus, pro sale etiam adhiberi potest; quippe cui eadem omnino natura est quæ margæ aut stercori; vis tamen, & salis, quo fœcundatur, copia est minor. *Transpadanis*, ait Plinius l. 17. c. 8. *cineris usus adeo placet, ut anteponant fimo jumentarum, quod quia levissimum est, ab id exurunt. Nuper repertum, oleas gaudere maxime cinere e calcariis fornacibus*. Authore Paulo ad Heb. 6. 8. tellus nonnisi spinas & carduos ferens, damnata est atque obnoxia maledicto; quæ denique exuritur, crematis nempe dumis, herbis ac radicibus, quæ inveniuntur, ut hujus cineris sale fœcundetur.

Patres atque Interpretes vulgo hunc locum morali sensu explicant, relictis iis, quæ allegoriæ seu parabolæ fundamentum sunt. Illud innuit hic Jesus Apostolis, ipsos hominibus esse instar salis, quo fœcunditas agris restituitur, ac telluris vis iterum excitatur, ut hæc uberrimos fructus ferat. Horum sermone & exemplis ii qui vident audiuntque, virtutis amorem, rerumque cœlestium desiderium discere debent; ita ut bonorum operum fructus ferant, atque ad constantiam in bono excitentur. Monet iuturum, ut si ipsi corrumpantur, bonamque naturam amittant, & pro optimis pessima exempla præbeant, nemo futurus sit, qui amissam bonæ naturæ vim ipsis restituat; ipsi prorsus inutiles fiant, atque in sortis suæ infelicitate relinquantur. *Si sal infatuatum fuerit* (43), *ad nihilum valet ultra*. S. Hilarius: *Si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet id quod salietur*.

℣. 14. Vos estis lux mundi. Ita sunt hic mundi Apostoli ac Discipuli, uti sal terræ; quippe qui populum illustrare debeant, illique lumen Evangelii impartiri. Sin ipsi extinguantur, ac tenebras, non lucem ferant, quis illos illustrabit, quantisque in tenebris futurus est mundus? *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum*. Ita Jesus Apostolos non mittit, ut veritas intra ipsos lateat, sed palam ipsorum exemplis & sermonibus manifesta efficiatur. Timete igitur, ne lux vestra flagitiis obscuretur, aut erroribus & hæresi extinguatur. Candelabra hæc, quibus lucerna imponitur, illud veterum candelabrorum genus sunt, quibus olim in medio aulæ constitutis lucerna quæpiam imponebatur. Vide 4. *Reg*. IV. 10. & quæ diximus in Exodum 25. 31. de aureo candelabro, quod in Sancto ardebat, & Homerum, ubi de cadelabris, quibus Alcinoi Regia illustrabatur (44).

Non

(32) 1. Petr. IV. 15. (33) Ἕνεκεν ἐμοῦ, Plures Codd. ψευδόμενοι. Vide Mill. Var. lect. (34) Vide Author Oper. imperfect. (35) Act. V. 41. Rom. V. 3. 2. Cor. XII. 9. Galat. VI. 14. (36) 1. Petr. II. 21. & III. 11. (37) Μακάριοί ἐστε ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν ψευδόμενοι ἕνεκεν ἐμοῦ. Quidam omittunt: Ψευδόμενοι. (38) Luc. XIV. 34. Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστι. (39) Hieron. hic. Clericus in Notis ad Hammundum in Lucam, XIV. 34. putat, salem esse e lixivia cinerum, quibus stercorantur agri & prata. Vide Hammondum in eumdem Lucæ locum. (40) Eugen. Roger. l. 5. c. 2. p. 6. (41) Jerem. VIII. 2. & XVI. 4. (42) Plin. ibidem, & Varro de Re Rust. lib. 1. cap. 7. (43) Ἐὰν τὸ ἅλας μωρανθῇ; alii μαρανθῇ, Emarcuit. (44) Homer. Odyss. H 100.

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν
Ἕστασαν, αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. Hæc urbs Ecclesia Jesu Christi est (45), Prophetarum & Apostolorum fundamento innixa, qui & sublimitate, & firmitate dogmatum similes montibus sunt. Ipsi etiam Apostoli, & Evangelii Præcones similes sunt urbi in monte conditæ (46), & omnium oculis expositæ; quippe quorum vita, doctrina & sapientia populi docendi sunt. Ordinem hi a Deo constitutum pervertunt, si vel inertia cæteros docere negligant, vel flagitiis exemplum sint sceleris & erroris. Duas hasce parabolas de *luce Mundi*, & *civitatem supra montem posita*, non satis explicat Textus; at ex consequentibus optime colligitur, quid illæ significent.

℣. 16. Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Matth. vi. 1. 2. 5. vetat Christus bene agere in hominum præsentia, ambitionis causa; monetque, iis, qui plausus & famam ex hominibus quærunt, nullam præterea superesse mercedem. Jubet, si quam pauperibus stipem eroges, id clam adeo fieri, ut dextera manus ignotet, quid sinistra faciat. Hæc tamen non pugnant cum iis, quæ hic tradit. Nunquam licet bene agere, ut laus & fama ex hominibus colligatur: at omnino æquum est bene agere, ut ex videntibus Deo laus oriatur. Vera bene agendi causa esse debent Dei gloria (47), nostra ipsorum sanctitas, & utilitas proximorum. *Conversationem vestram inter gentes habeates bonam*, inquit Petrus in 1. epist. 2. 12. *ut in eo quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.*

℣. 17. Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas (48). Solent Rabbini usurpare verbum hoc *solvere* pro *permittere*, vel docere, jus fasque esse aliquid agere. At *ligare* significat, aliquid nefas esse aut vetitum (49). Ea porro est hujus locutionis origo, quod leges existimentur ceu vincula, quibus pro arbitrio agere prohibemur. Illud igitur vult hoc loco Christus, sese non idcirco venisse, ut Legi non obtemperaret, illiusve obsequium aboleret, aut homines Legis jugo subduceret, sed ut supremam Legi manum imponeret, ea quæ desunt Legi suppleret, atque omnia Legis officia impleret, omnem illius amplitudinem ostenderet (50), figuras denique & Prophetarum oracula in se uno explera esse demonstraret (51). Ita Judæorum, quos alloquitur, occupat animos circa ea quæ mox dicturus est, malamque de se suspicionem removet, facile ex eo orituram, quod ipsum adversari cernerent institutis Pharisæorum, qui studiosissimi omnium Legis amatores vulgo existimabantur.

Legis nomine intelliguntur hic quinque Moysis volumina; *Prophetarum* vero, cæteri Scripturarum Libri. *Lex* etiam pro Vetere Testamento universe, Synagoga uti Ecclesiæ opposita, pro Vetere Testamento ceu alio prorsus a Novo, pro Moysis Lege qua opponitur Evangelio, pro Judæo uti differt a Christiano, usurpatur. Atque hoc sensu optime ea vox latissime accipitur. Hac igitur parte Christus non venit ut Legem destruat, sed ut perficiat. Præcepta quæ tradit, nova non sunt animorum vincula, quibus vetera removentur, sed illorum explicationes, quæ Deus per Moysem dederat; vel adminicula, quibus illorum exercitium facilius redditur; vel arctiores in quibusdam laxitatis illorum fines; vel sanctiones quibus ea abolerentur, quæ Moyses dissimulavit; vel denique canones, quibus illorum mens probe explicatur.

Objiciunt Judæi, Mosaicam Legem ab Apostolis & Christianis abolitam damnatamque fuisse, quamquam id Christus sese nolle dixerit. At Mosaicam Legem non reliquimus Christiani in iis, quæ potissima sunt, & vicissitudini minime obnoxia (52). Neque in moralia præcepta manum intulit Christus, nisi ut ea perficeret absolveretque, eorumque exercitium multo accuratissimum ac purissimum reddidit. Rituum Leges, quas ipsimet Prophetæ (53) abolitum iri prædixere, ac prorsus inutiles esse probarunt, Apostoli ceu jugum molestissimum ac supervacaneum posuere (54); atque ita quidem, ut potissimum illorum propositum sancte servarint. Legislatoris quippe mentem assecuti, docuere quis plane futurus fuerit externarum hujusmodi exercitationum usus, aliis substitutis, quæ faciliores essent, utiliores, ac denique multo nobiliores. *Christus, Dei creatoris præcepta supplendo, & conservavit & auxit*, inquit Tertullianus lib. de Patientia. Rem sub hujusmodi figurarum involucris latentem explicuere; ablatoque a Fidelibus jugo figurarum ac rituum, charitatis Legem illis tradiderunt. E rudi tabula, primis lineis adumbrata, nobilissimam atque absolutissimam effecere.

℣. 18. Amen dico vobis. Utitur passim hoc dicendi genere Jesus: *Amen dico vobis*; vel, *Amen, amen dico vobis*. Ajo, verissime, inquam, ajo. *Amen* interdum etiam est probantis vox: *Fiat*. Dominus Christus, qui veritas ipsa est, hoc infirmitati populi tribuit, ut quæ dicit affirmet: simul illud affectans, ut populi attentionem excitet.

Donec transeat Cœlum et terra, Jota unum, &c. Vel: Prius Cœlum ac terra peribunt, quam non impleantur penitus omnia, quæ in Lege ad minimum usque apicem continentur. Hyperbole, qua idem illud confirmat Christus, quod mox prædixit, se nimirum non idcirco venisse ut legem aboleret, sed absolveret. Nedum Legem auferre non meditor, verum etiam æternam esse ajo; tamque arduum esse illam abrogari, quam Cœlum terramque funditus interire. Pari cum mundo æternitate integra perseverabit (55), ita ut ne vocula quidem, aut elementum ullum, vel elementi apex eventu caritura sint. Minimum omnium apud Hebræos elementorum est *jota* (56), simile minimæ apud nos distinctionum notæ. *Unus apex* (57), punctum, lineola, extrema elementi pars. Sunt qui de punctis vocalibus explicent, quæ puncta Hebræi subscribunt elementis, ut sint loco literarum vocalium, quæ plerumque desiderantur, certaque legendi ratio constituatur: at punctorum hujusmodi inventio multo recentior est Christo.

Quicquid in Lege ac Prophetis traditur, omnino implendum est. Omnes Messiæ notas unus in se Christus exhibuit (58). Vaticinia omnia, quæ illius adventum, certumque ortus illius tempus definiebant; figuræ, quibus ipse significabatur; ritus, qui ad illum ejusque vitam atque Ecclesiam referebantur, omnia integerrima fide certissimum finem habuere; habitura sunt ea, quæ adhuc eventu carent; fidem faciente de futuris luculenta præteritorum veritate. Morales leges, ac cætera Judaicæ Religionis fundamenta, servantur adhuc apud Christianos ac vigent, perfectius certe, quam apud Synagogam. Rituum Leges idcirco reliquimus, quod figuræ fuerint; quibus utiliores aliæ

(45) Author Oper. imperfect. Hieron. plurib. locis. (46) Maldon. Brug. Spanh. Grot. alii plerique. (47) August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. Hil. hic. (49) Καταλῦσαι τὸν νόμον. (49) Vide Clericum hic. (50) August. lib. 1. de Serm. Domini in monte, num. 20. *Christus Legem adimplevit, aut addendo quod minus habet, non utique solvit quod invenit, sed magis perficiendo confirmat, &c.* (51) Hilar. & Chrysost. hic. (52) Irenæus lib. 4. cap. 27. *Dominus naturalia Legis non dissolvit, sed extendit, sed & implevit.* (53) Isai. 1. 11. 12. 13. Jerem. vii. 29. Psalm. l. 18. Amos v. 22. (54) Act. xv. 10. Gal. v. 1. (55) Psalm. lxxi. 5. 17. lxxxviii. 38. Eccli. xxvii. 12. (56) י Jod. (57) Μία κεραία. (58) Vide Chrysost. & Hilar. in ℣. superiorem.

aliæ ac perfectiores successere. Qui ædificium instaurat, illudque firmius, commodius, amplius ac locupletius struit, is ædificium destruere quis dixerit? Talem igitur sese Christus Mosaicæ Legi præstitit.

℣. 19. QUI ERGO SOLVERIT UNUM DE MANDATIS ISTIS MINIMIS, ET DOCUERIT SIC HOMINES, MINIMUS sive ultimus VOCABITUR IN REGNO CÆLORUM; vel Cœlorum Regno penitus excludetur (59), nulla scilicet illi pars æternæ mercedis futura est, divinoque Judicio damnabitur. Similes huic locutiones passim habet Scriptura, in quibus eadem vox duplicem sensum habet, uti Matth. 5. 21. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 12. 50. cum renunciatum illi esset, matrem fratresque sese præstolari, ait: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater & soror & mater est.* Alii etiam (60) de exclusione ab Ecclesia interpretantur: Indignus erit, qui inter Jesu Christi discipulos recenseatur: in filiis Regni non numerabitur. Se suosque ad servandam Legem adigit Christus, omnesque illius sanctiones religiosissime coli jubet: qui violaverint, aut cæteros violare docuerint, illos e suorum numero ejectum iri testatur. Regula S. Antonii art. 1. *Vilis vocabitur.*

Quæ vero minima præcepta? *Unum de mandatis istis minimis?* Sunt (61) qui censeant, spectari a Christo hic ea versiculi superioris verba: *Jota unum aut unus apex non præteribit a Lege*: levissima nimirum Legis præcepta jota & apice significantur. Videtur aliis (62) innuere præcepta quæ mox dixit, vel de quibus statim dicturus est (63), novæ scilicet Legis instituta, quæ modestiæ causa nuncupat minima, vel ea Pharisæorum & Scribarum sententia loquitur (64): Præcepta quæ Doctores vestri minima appellant; ii enim multo plurimi faciebant præcepta quæ ad ritus, quam quæ ad mores pertinebant. Scribit S. Hieronymus, frustra te bene docere, si male vivas. *Beatitudo perfecta est, quæ sermone docueris, opere complere.*

℣. 20. NISI ABUNDAVERIT JUSTITIA VESTRA PLUSQUAM SCRIBARUM ET PHARISÆORUM, &c. Hic, quemadmodum supra, *Regnum Cælorum* vel pro alterius vitæ æternitate ac beatitudine, vel pro Christiana Ecclesia, & Christianæ vitæ professione usurpatur. Anticipata felicitas est, æternæque beatitudinis pignus, inter Christi discipulos recenseri, ejusque sanctionibus obtemperare. Suos jubet, uti vidimus, Christus, Legem undique sanctissime servare; quam si quis violaverit, aut cæteros violare docuerit, dignus est, qui sua ipsius societate ac Regno excludatur. Addit, non satis illam servari, nisi illius obsequio superentur Scribæ ac Pharisæi, quos vulgus studiosissimos omnium Legis amatores existimabat (1). Hos, inquam, superari vult a Discipulis studio Legis ac religione; atque hujusmodi sanctitatem Pharisaica majorem exemplis explicat.

Pharisæi exteriori operis probitate contenti, minime curabant, qua illud charitate, humilitate animi, aut religione facerent. Nihil nisi externam speciem manumque moderabantur, neglectis omnino pessimis cogitationibus ac desideriis, quæ effectu vacua perirent. Hoc de Pharisæis tradit Josephus Antiqu. l. 12. c. 13. ipse Pharisæus. Scripserat Polybius, punitum a Deo esse Antiochum Epiphanem, quod Templum Dianæ diripere molitus fuerit. Polybii sententiam expendens Josephus, ait, solam absque opere voluntatem dignam non esse supplicio. Kimchi, aliique plures eadem sentiunt (2). Paulus, olim Pharisæus, fatetur, se tunc primum novisse, desideria esse posse digna supplicio, cum dedit Christo nomen, ejus rei semper ignarus, dum in Lege fuit (3). Thalmudistæ revera docent (4), fas esse hominem necare, quem certo scias mox aliquid scelestè facturum: at avertendi criminis causa id fiet, non puniendi desiderii.

Præterea Pharisæi novam quamdam ex arbitrio traditionum seriem invexerant, cum Legislatoris mente, veraque Legis sententia & usu pugnantium; quamobrem, diuturna freti consuetudine, multa Legi contraria gerere non verebantur. Alia etiam confirmaverant, uti vindictam, repudium, &c. quæ vix dissimulaverat Moyses. Hinc fiebat, ut nulla ferme essent præcepta ad mores pertinentia, quæ Pharisæi pessimis explicationibus non everterent, aut summopere infirmarent. Sublimiorem multo probitatem, Legi obsequentiorem ac religiosiorem postulat Christus. Non idcirco mala est Lex, inquit hic S. Chrysostomus, quod ad Regnum Cœlorum non ducat, sed quod novissimis hisce temporibus per præcepta perfectiora veniendum sit ad Regnum. Legis finis venerat, locum facturæ Evangelio. Satis se justos esse putabant Pharisæi, si Legem servarent; at alia multo præstantiora postulabantur.

℣. 21. AUDISTIS QUIA DICTUM EST ANTIQUIS: NON OCCIDES. Homicidium vetuerat Moyses, indicta mortis pœna (5); cujus rei causa Judices singulis in urbibus constituerat (6). Præter hos, alii in perfugii urbibus erant, a quibus ferenda erat sententia, casu ne an sponte homicidium contigisset (7). Hæc sanciebat de homicidio Lex. Permittebat interdum, ut proximus e propinquis hominis interfecti homicidam occideret, siquidem obvium haberet (8). Denique id solummodo ad pœnam vocabat Lex, quod exteriori opere completum esset: nullam de secretis animi motibus sententiam ferebat. Non item Lex Christiana; quippe quæ odium damnat, iram, contumelias, multoque severius vim alteri illatam (9).

Ut locum hunc & consequentia probe assequatis, animadvertendum est, inter Judæos ætate Jesu Christi tria fuisse tribunalium genera (10): primum ex Judicibus tribus, qui de rebus minoris momenti, veluti de furto, sententiam ferebant, cujusmodi Tribunalia singula in singulis urbibus erant. Alterum ex Judicibus quatuor & viginti, qui de rebus gravioribus & capitalibus decernebant, plerumque capitali sententia, cum nonnisi capitales causæ ad hujusmodi Tribunal deferri solerent. Illud porro dicebatur Synedrium minus; atque huc fortasse spectavit Christus, ubi ait: *Reus erit Judicio*; nempe capitali sententia damnabitur. Tertium denique Tribunal magnum erat Synedrium, ex Judicibus duobus & septuaginta conflatum, quorum erat cognoscere de rebus omnium gravissimis, ad Religionem, Regem, summum Pontificem, & Rempublicam pertinentibus. Postremum hoc Tribunal Christus *Consilii* nomine designat.

Hoc igitur vult Christus, simplex odium, iram, vindictæ desiderium ita apud Deum digna esse supplicio, uti homicidium, quod morte punitur: qui enim odium animo fovet in proximos, illorum mortem optare censetur, soloque metu con-

[59] Chrysost. Theophyl. August. lib. 1. de Serm. Domini. Author Oper. imperfecti hic. Homil. 11. initio. Grot. Mald. Hamm. Brug. alii. [60] Greg. Mag. lib. 19. Moral. cap. 3. Est. Jans. Hamm. [61] Lightfoot. Hor. Heb. [62] Aug. lib. 1. de Serm. Dom. Ita & Hieron. [63] Author Oper. imperfect. Mald. Chrysost. & Theophil. hic. [64] Menoch. Tir. Pisc. Brug. Spanh. Vide Hieron. hic.
[1] Act. xxvi. 5. [2] Vide ad Psalm. lxv. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* [3] Rom. vii. 7. Vide Grotium hic. [4] Misna, tit. Sanhed. cap. 8. & Maimon. tract. Rozeah cap. 1. Vide Selden. de jure nat. & G. lib. 4. cap. 3. [5] Exod. 21. 13. Num. xxxv. 30. 31. Levit. xxiv. 21. [6] Deut. xvi. 18. & xxi. 2. 3. [7] Num. xxxv. 24. 25. [8] Num. xxxv. 18. 19. 26. 27. [9] Aug. lib. 1. de Ser. Dom. & Chrysost. hic. [10] Thalmud. lib. Sanhedrin c. 1. Grot. & alii hic.

gineri, ne violentas illis manus inferat. Qui vero adeo furit, ut injuriosis etiam verbis fratrem lacessat, uti *Raca*, quod est, mendicus, seu levis mente, easdem coram Deo pœnas meretur, quibus a Magno Synedrio majora flagitia plectuntur. Qui denique odio & contumeliis addit injurias & maledicta, reus gehennæ est; nullum enim apud homines est par huic peccato supplicium.

Animadvertendum tamen est, hunc ordinem, & tria hæc tribunalia non itidem in Scriptura & Josepho reperiri. Vide nostram Dissertationem de Republica Hebræorum ad Numeros.

℣. 22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, dignus quem damnent Judices. Vel: Qui odio in fratrem æstuat, supremo Dei Judicio ceu reus homicidii damnabitur. Judex homo exteriora tantum cognoscit: alius tamen est Judex, odium damnans, iram, iracundiam, vindictæ desiderium. Si fratrem oderis, par es homicidæ; in eo solum differens, quod manus non inferis (11). Te non virtutis amor aut charitas, sed supplicii metus coercet. Coram supremo animorum Judice ita reus es, ac si illud ipsum feceris, quod vetatur Lege. Hæc intelligenda esse creduntur solummodo de ira & vindictæ desiderio, quæ intra animum latent (12); de iis quæ in contumelias & proximorum contemptum erumpunt, mox infra dicetur.

Plerique ex Græcis Codicibus (13), & Latini plures modum addunt huic sententiæ: *Qui irascitur fratri suo temere*. Quæ vox hic omittenda videtur, uti & in consequentibus, cum Jesus non semel Pharisæis iratus fuerit, eosque genimina viperarum (14) & sepulcra dealbata (15) nuncupaverit. Paulus Galatas nominat insensatos (16), & eos, a quibus decipiuntur Galatæ ac fascinantur, optat *abscindi* (17). Antiquissimi Patres, uti S. Justinus (18), S. Irenæus (19), S. Cyprianus (20), & codices vetustissimi, veluti Cantabrigiensis, & versiones vetustissimæ, uti Syriaca, ferunt adhuc *temere*. Legebat in suis Codicibus Latinis S. Augustinus, at in Græcis non invenerat (21). Contra vero S. Hieronymus in Matth. hic auferri jubet *sine causa* ex Latinis Codicibus, quo irrepserat, veramque lectionem teneri, in optimis Libris servatam. Eamdem rem animadvertit Cassianus Instit. l. 8. c. 20. At si eam vocem e Textu deleas, omnino in ipsa sententia intelligenda est; nonnunquam enim irasci fas est atque indignari, dum iræ modum ponat Charitas, atque irascendi causa sit sceleris odium, Dei gloria, & proximorum salus. Si enim inter iræ & indignationis æstum homo se ipsum quærat, nihil est quod illum purget.

Qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Nedum homicidium, iram ac vindictam damno, verum etiam probra & contumelias, moneoque, illum qui hujusmodi exprobrandi formulis usus fuerit, Fatue, stolide, ignarissime, stupide (id enim sonat Hebraica, seu Syriaca vox *Raka*), supremi Concilii vel *Sanhedrin* (22) sententia damnabitur. Sanhedrin, e duobus & septuaginta populi Optimatibus, coalescens, Jesu Christi ætate de capite hominum decernendi authoritate carebat Joan. 18. 31. ea tamen olim instructum fuerat; nullumque Judæis Tribunal erat, quod illi æque formidarent. Vide Josephum, *Antiq. lib. 17. cap. 14.*

Quid proprie significet *Raka*, disputant Scriptores. Nonnullis enim (23) est contemnentis vox, cujus vim altero sermone exprimere nequeas, cum vox ipsa contemnentis animi motum indicet. Narrat S. Augustinus, a quibusdam ex Græco vocabulo *Racos*, pannus, derivari, quasi dixeris *pannosum*; at etymon non probat, procul dubio non probandum. Asserit Ligfootus, in Judæorum Libris *Raka* significare alicujus rei contemptum, addito contemnentis gestu, puta vel spuendo, vel os avertendo. *Raka* duci potest ex Hebræo *Rak*, spuere (24). Plerique tamen ducunt ex *Rak* sive *Rik*, vacuus, inops, iners, mendicus, homo nihili; vel, fatuus, stolidus. Dicitur in Iudicum Libro (25), Iephte a fratribus pulsus ducem se præbuisse inertibus vel mendicis, *Rekim*. Et in 2. Paralipom. 13. 7. fertur Ieroboamus filius Nabat collegisse homines nihili, *Rekim*, & filios Belial. Nulla melius voce exprimi posse puto τὸ *Raka*, quam mendici (26), vel stolidi, aut bardi appellatione (27).

Interpretes quidam putant (28), hic etiam intelligendum esse adverbium *temere*, quemadmodum membro superiori, cum & Iesus ipse & Paulus interdum iis vocibus usi sint, quæ tantumdem sonant ac *Raka* (29); quamquam iis in rebus, in quibus pius animi fervor & prudens consilium, non ira seu vindictæ cupiditas suadebant. Vatablus aliter explicat, ac supplet: *Audistis quia dictum est antiquis: Qui dixerit fratri suo Raka, reus erit concilio. Ego autem dico vobis: Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*. Nullus certe est Scripturæ locus, qui fratrem appellari *Raka* vetet; at, inquit, satis est, si id Pharisæi ex traditionum institutis docuerint. At inutilem esse hanc explicationem ducimus, minime tamen perniciosam, qua potius aufertur similitudo hujus sententiæ cum consequenti, quæ ex Iesu Christi mente oppositæ esse videntur.

Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Fatui appellatio hic odiosius aliquid præferre videtur, quam *Raka*, quippe cum hujus verbi reis solummodo Synedrii judicium subeundum sit, scilicet vel lapidum pœna, vel aliud mortis genus; qui vero illud usurparint, gehenna ignis, vel inferorum supplicio digni censeantur. Author Operis imperfecti (30) docet, utriusque hujus vocis sensum revera unum esse ex legibus Grammatices; utraque enim fatuum significari; at *Raka* vulgarem fuisse inter Iudæos vocem, quæ contemptum potius loquentis & superbiam, quam iram & odium indicaret; fatuum vero simul innuere contemptum, iram & arrogantiam, quibus peccati gravitas augetur. Certant alii, fatui appellatione explicari omnia probrorum genera, quibus proximi honor & fama lædi queant; vel pro impio scelestoque usurpari. Certum omnino est, fatuum & fatuitatem in Scripturis pro scelere ac nequitia poni (31).

Ge-

[11] Author Operis imperfect. *Omnis enim qui irascitur sine causa, quantum ad voluntatem suam, homicidium facit, etiam si non facit propter metum.* Unde Joan. in Epist. 1. cap. 3. ℣. 15. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* [12] Chrysost. hic. [13] Πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ. Et ita codd. Græci plerique. Vide var. lect. Mill. [14] Matth. XXIII. 33. [15] Matth. XXIII. 27. [16] Galat. III. 1. [17] Galat. v. 12. [18] Justin. Epist. ad Zen. & Seren. [19] Iren. lib. 2. cap. 56. & lib. 4. cap. 31. [20] Cyprian. lib. 3. Testim. [21] August. lib. 1. Retract. c. 19. [22] Sanhedrin fit ex Græco Συνέδριον, quod est Concilium, cœtus. Vide nostram Dissertationem de Republica Hebræorum, ad Numeros. [23] Chrysost. Theophyl. Author Oper. imperfecti, hic; August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. [24] Ludov. de Dieu, Dius. Munst. [25] Judic. IX. 4. & XI. 3. אנשים ריקים Septuag. Ἄνδρας κενούς. [26] Confer Exod. III. 21. XXIII. 15. XXXIV. 20. Deut. XV. 13. Judic. IX. 4. XI. 3. & 2. Par. XIII. 7. 2. Esdr. V. 13. Isai. XXIX. 8. XXXII. 6. [27] Vide Prover. XII. 11. מרדף ריקים חסר לב Et XXVIII. 19. מרדף ריקים ישבע ריש Vide Hieron. Hilar. Mald. alios. [28] Author Oper. imperfecti, Grot. Erasm. alii quidam. [29] Matth. XXIII. 17. 19. Luc. XXIV. 25. Galat. III. 1. 3. [30] Author Oper. imperfecti, Homil. XI. [31] Psalm. XIII. 1. XLVIII. 11. LXXIII. 18. XCI. 7. Baruch III. 28. 1. Par. XXI. 8. Sap. V. 21. Eccli. XVI. 20.

Gehenna ignis procul dubio hic est inferorum locus, æternumque supplicium; cui loco id nominis accessit a valle filiorum Hinnon, Hebraice (32) *Ge-benei-Hinnon*, unde *Gehenna*, ubi olim humanis victimis sacra Molocho fiebant. Ibi, inquiunt, perpetuus ignis alebatur, in hujusmodi sacrificiorum usum; locusque erat Ierosolymæ proximus. Vallem Hinnon polluit Iosias Rex (33), congestis eo sordibus, vel morticinis, nequa deinceps humana victima ibi mactaretur; ac deinde publica Ierosolymæ cloaca fuit. Vitandæ autem pestis causa, inquiunt (34), perpetuus ignis in ea valle alebatur, quo projecta cadavera cremarentur; quamobrem ceu quædam inferorum figura censebatur. Putant nonnulli (35), *projici in gehennam ignis* ex mero literarum sono idem esse ac projici insepultum. Ea est scelestissimorum pœna, etiam post mortem, ut cæteris exemplo sint. Perpetuus ignis, uti animadvertimus, in valle Hinnon servabatur. Videtur aliis (36) a Christo spectari supplicium ignis, sævissimum omnium, quibus Hebræi in reos animadvertere solerent. Nemo ante Iesum Christum, uti notat S. Hieronymus (37), gehennæ nomine usus est. In vetustissimis quidem Iudæorum Scriptoribus eodem sensu legitur (38): at hi multo recentiores sunt Iesu Christo.

℣. 23. Si offers munus tuum ad Altare, &c. Habes hic dogma institutionibus moribusque Pharisæorum omnino contrarium. Cum nihil esse videatur, quod Dei obsequiis anteponendum sit, institutaque esse sacrificia, ut eorum ope admissa crimina deleantur, docebant, sacra fieri posse, animo simultatis & inimicitiarum pleno; quæ vero peccata humanorum judicum animadversione & humanis pœnis obnoxia non sunt ex Lege, ea sacrificiis & oblatis muneribus expiari (39). Perniciosum hoc dogma refellit Christus, docetque, nulla penitus hostia æternam hominum salutem juvari posse, si absit charitas; ortis vero simultatibus, primum omnium curandum esse illud, ut animi mutua pace concilientur. *Quid est ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus ad fratrem?* Tertull. de Orat. c. x.

Accipi hæc possunt veluti ex dictis consequentia (40). Audistis, homicidium lata lege antiquis fuisse interdictum: at ego & odia interdico, iram, contumelias, probra. His addo: Siquam ad Altare hostiam mactaturus duxisti, eodemque tempore memineris, fratrem tuum aliqua in te simultate affici, relinque ibi munus; statimque abiens quæsito fratre pacem facito. Neque illud solum moneo: Si quid adversus fratrem habes, odium omne ac simultatem pone, id enim gravis adeo obligationis est, ut omnino omittere nequeas, sed *Si frater tuus habet aliquid adversum te*. Satis non est, si fratrem amas. Siquam offensæ causam illi exhibuisti, placare illum debes, atque exteriori corporis obsequio amicitiam ac benevolentiam illi significare. Id si negligas, ne unquam futurum speres, ut munera tua Deo placeant (41). Quod si tibi ille offensam præbuit, illum tamen adito ac præverte: duplex tibi erit bene facti laus; ex patientia nimirum, & ex charitate, quam erga illum exercueris (42). Si ille nimis absens fuerit, aut aliam ob causam illum adire nequiveris, certa tibi esse debet animi præparatio illum adeundi: secus nulla penitus victima scelus tuum expiabitur.

Animadverte, hic agi de sacrificiis spontaneæ religionis, quæ vel differri, vel ad aliud tempus remitti fas erat, non de sacrificiis a Lege imperatis. Hæc plerumque non ad privatos homines, sed ad Sacerdotes ac Dei ministros pertinebant. Mos est apud Judæos, ubi ea quæ hic leguntur fere videas. Ubi duo male affecti invicem fuerint, si alter inimicum alia ratione flectere non potuit, hic ad Cantorem Synagogæ accedens, librum claudit, ex quo ille preces recitat, statimque cœtus omnis orare desinit, donec illi in amicitiam redierint; quod si illi noluerint, universa gens infecta oratione discedit; si autem in odio perseverent, cæteri plurium dierum spatio precibus abstinent, dum alia ratione animi concilientur.

℣. 25. Esto consentiens adversario tuo, &c. Adversarius, quocum causam habes, vel creditor cui quicquam debes, proximus est, qui tibi offensam peperit (43). Judex ad quem accedis, Deus; via, præsens vita; carcer tibi imminens, locus purgatorii nonnullis videtur (44), aliis inferorum (45). Sunt (46) qui adversarium esse censeant, Diabolum; alii (47) carnem, quæ adversus spiritum pugnat: hi (48) Legem, cum qua consentiendum tibi est, ducta ad illius præceptorum normam vita; illi (49) inimicos, hostes, eos qui te bonis exuunt. Servanda est pax cum iis, quorum odiis exagitamur, si Divini Judicii severitatem vitare cupimus.

Spectat hic Jesus Christus consuetum apud Hebræos judiciorum morem. Actor ipse reum occupabat, ducebatque ad Judicem; eoque renuente, publica vis postulabatur. Nulla solemni formula dicebatur causa, dicente accusatore, altero respondente: tum lata ab Judice sententia statim ab Apparitore urgebatur. Monet defensorem Christus, ut cum actore conveniat, antequam ad Judicem accedat, dum adhuc in via est. Si de re cognoscere cœperit Judex, nulla deinde compositionis libertas superierit. Ad minimum usque numisma res perducetur. Eadem fere judicii ratio legitur in Libro Ruth iv. 1. eademque servatur a Mahumeddanis, & olim a Romanis exercebatur (50); *Si in jus vocatus, ni it, antestatus manum injicite; aurem antestati capite.*

℣. 26. Novissimum quadrantem. Vides hic de debitore agi in jus vocato per creditorem. *Novissimus quadrans* minimum est numismatis genus, quarta scilicet pars assis, quæ, ut ajunt, denario-

K 2 lis

(32) גיא בני הנום Vide Hieronym. ad Matth. x. ℣. 28. (33) 4. Reg. xxiii. 10. Jerem. vii. 32.
(34) Ligfoot. Spanh. (35) Petit. var. Lect. c. Confer Jerem. xxii. 19. Joseph. de Bello lib. 5. cap. 8.
(36) Maldon. Vide & Canis. in Petit. (37) Hieron. in Matth. x. *Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur, sed primum a Salvatore ponitur.* (38) Vide Spanh. & Ligfoot. hic; & Chald. Paraph. ad Isai. xxvi. 15. xxxiii. 14. 17. & in Ruth ii. 12. & Rab. Salom. in Isai. xxiv 22. Baal Tur, in Genes. i. 1.
(39) Vide Grot. hic. (40) Maldon. Grot. (41) Vide Chrysost. & Hieron. & Author. Operis imperfect. hic; & Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte num. 27. (42) Chrysost. hic, & Author Oper. imperfect. *Ne dicat: ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tuæ jubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare, ut duplicem gloriam consequaris: unam, quia nocitus es; alteram, quia prior rogasti.* (43) Ambros. lib 7. in Luc. Vide & Chrysost. ad ℣℣. 23. 24.
(44) Origen. in Jerem. Homil. 18. Vide & Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte n. 24. (45) August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. (46) Clem. Alex. lib. 4. Strom. Tertull. lib. de anima. Quidam apud Hieron. & apud Chrysost. (47) Athan. qu. 29. Juvencus, & quidam apud Hieron. & apud Hil. & apud Aug. (48) Aug. lib. 1. de Serm. Domini. Bern. Serm. 124. de Divers. Anselm. & Beda hic.
(49) Basil. Regul. brevior. Chrysost. hic. (50) Leges xii. Tabul. alias: *Si vir vocatur, ni it, antestaminor; ni it, aurem capito antestati.* Horat. Sat. lib. 1. Sat. ix.

. . . . *Licet antestari? Ego vero*
Oppono auriculam; rapit in jus: clamor utrinque;

lis duobus & quarta denarioli parte ad nostrum numisma censebatur.

℣. 27. Dictum est antiquis: Non moechaberis, &c. Quemadmodum in superioribus nedum iniquam iram & humicidium damnavit Christus, verum etiam iram, simultatem, vindictæ desiderium, contumelias ac maledicta; ita docet hic, Mosaicæ Legis sanctitatem in eo tantum non sistere, ut nequis adulterium ac flagitium admittat, verum ut ne mala concipiat desideria, oculisque vagetur, ea visurus quæ natura sua malas cogitationes excitant. Peccandi voluntas, peccatum censetur; nullumque in Jesu Christi schola discrimen est, meditatus ne solummodo fueris flagitium, an feceris. Opera judicat Deus ex animo & voluntate.

Pharisæi, uti animadvertimus (1), malas cogitationes peccari loco minime habebant: quamobrem nonnisi adulterium re ipsa patratum, ac cætera hujus naturæ opera præcepto damnari arbitrabantur: *Non mæchaberis*. Iidem simplicem fornicationem hac lege non contineri putant (2): solaque majorum doctrina & sanctionibus vetitam censent. Sunt etiam ex Judæis, qui hanc in Asmonæorum Senatu primum damnatam esse velint. Omnia hæc vitia correxit Jesus, ac naturalem in rebus ordinem restituit, damnatque nedum flagitia pudicitiæ contraria, verum etiam desideria, cogitationes, contuitus, quicquid denique animum ac mentem polluit. Christianum non modo castum corpore esse jubet, sed oculis animoque (3); his enim in rebus primi omnium peccant oculi. Propertius Eleg. 2.

Qui videt, is peccat. Qui te non viderit, ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

℣. 29. Si oculus tuus dexter scandalizat te. Hoc ex dictis oritur. Curiosos contuitus fuge, quibus certa voluntas & mala desideria accedunt, ne animus flagitio ardeat (4). Si oculus dexter tibi occasio lapsus fuerit, illum erue; innoxias etiam voluptates vita, si laqueus tibi futuræ sunt. Fœdus inito cum oculis tuis (5), ne puellam intueantur. Siquo amicitiæ, propinquitatis, consuetudinis ac familiaritatis innoxiæ vinculo cum alterius sexus homine conjungeris, animumque oculis decipi sentis, aut mentem pernicioso amore labefactari, hanc amoris materiem desere (6).

Alii præceptum hoc latius interpretantur. Quemadmodum ubi aliquod corporis membrum putrescere cœperit, illudque servari absque totius corporis pernicie nequiverit, a medico abscinditur; ita in morali disciplina, ubi de animæ salute agitur, quidlibet carissimum abjiciendum est; coercendæ animi cupiditates ac desideria (7); relinquendi amicorum optimi (8), propinqui, omnes denique, quibuscum arctissima consuetudine conjungimur (9): quæ omnia communi oculi dextri figura significantur. At explicatio priore loco recitata multo aptior videtur, magisque cum superioribus constans.

℣. 30. Si dextera manus tua, &c. Hæc superioris sententiæ pars est, eodem modo explicanda. In nonnullis Græcis Codicibus desideratur (10).

℣. 31. Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem, &c. Permissa est Judæis Lex repudii, ut majoribus malis occurreret. Solius autem pervicaciæ ipsorum causa permissa est (11). Repudii causas distincte non enumerat Moyses (12), ac solummodo fert: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius*. Hanc tamen facultatem Christus sola adulterii causa permittit, atque ita separatos, ex plerorumque Patrum atque Interpretum sententia, post legitimas judicii formas, vetat ad alteras nuptias transire, tale enim conjugium docet perpetuum fore adulterium. De Divortio egimus peculiari Dissertatione ad Deuteronomium.

Veteres nonnulli putavere, repudium adulterii causa non modo permitti, verum etiam imperari; ac flagitiosum esse eum, qui uxorem adulteram penes se habeat. Accersunt in rem suam Proverbiorum sententiam ex Græco & Latino, minime vero ex Hebræo (13): *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens*, impius. Et alteram Ecclesiastici 25. 36. *A carnibus tuis abscinde eam, ne semper te abutatur*. Ajunt Rabbini (14), peccare hominem, qui minime dimiserit uxorem certo adulteram, quamquam argumenta satis valida non habeat, ut apud Judicem ream probet. Neque desunt Concilia (15), quæ viris imperent uxores adulteras dimitti; atque inter cætera Eliberitanum omnino id præcipit Clericis, minitans exclusionem a Communione, ipsumque mortis supplicium. Hermas (16), S. Basilius (17), S. Hieronymus (18), S. Augustinus (19), S. Hilarius (20) divortio adulterii causa favent. Ecclesiasticis Legibus addi possunt civiles Græcorum & Romanorum. Attica lex habet (21): *Postquam adulterum deprehenderit, ei qui deprehenderit porro in matrimonio habere mulierem eam ne liceat. Quam si retinuerit, ignominiosus esto*. Romanum Jus (22): *Qui adulterii damnatam, si quocumque modo pœnam capitalem evaserit, sciens duxerit vel reduxerit, Lege Julia ex causa Lenocinii punitur*. Communius tamen docent Patres ac Theologi, permitti ab Jesu Christo divortium, non imperari, etiam causa adulterii. Vide nos in Proverbia XVIII. 23. Apud Christianos Ægyptios hodie usque divortium obtinet. Vide Maillet Descript. Ægyp. par. 2. pag. 82.

℣. 32. Et qui dimissam duxerit, adulterat. Animadvertit S. Augustinus (23), verba hæc in quibusdam Latinis Codicibus non legi, quippe quorum sententia in superioribus continetur. Desiderantur etiam in veteri Codice Cantabrigiensi Græco & Latino.

℣. 33. Dictum est antiquis: Non perjurabis, &c. Vetabat perjurium Lex Levit. 19. 12. nequis falso vel frustra juraret Exod. 20. 7. jubebatque præstari ea quæ jurejurando promissa fuerant Num. 30. 8. Cum jusjurandum actus Religionis sit, illud suo nomine nuncupari volebat Deus (24), interdicebatque, ne quis inanium deorum nominibus juraret Exod. 23. 13. Ista imperabat Lex de jurejurando (25).

Hæc porro pessime interpretabantur Pharisæi, do-

(1) Vide in ℣. 20. (2) Vide Grot. ad explicat. Decalogi, Exod. xx. Scalig. animadv. ad Euseb. p. 149. Maimon. more Neboch pag. 1. Selden. de Jure N. & Gent. lib. 2. cap. 12. & lib. 7. cap. 5. (3) Pericles ad Sophocl. Τὰς χεῖρας στρατηγὸν οὐ μόνον τὰς χεῖρας, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις ἔχειν καθ' ἑαυτοῦ δεῖ. (4) Vide Chrysostom. ad ℣. 28. & August. & Hieron. ibidem. (5) Job xxxi. 1. *Pepigi fœdum cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. (6) Chrysost. hic, & Author Oper. imperfecti. (7) Hieronym. in Matth. (8) August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. Vide & Origen. in Matth. (9) Hilar. Theophylact. hic, Cyrill. lib. 12. in Joan. (10) Deest in Cantabrig. Cod. Colbert. 2259. (11) Matth. xix. 3. 8. (12) Deut. xxiv. 1. (13) Prov. xviii. 23. Ὁ δὲ κατέχων μοιχαλίδα, ἄφρων, καὶ ἀσεβής. (14) Vide Selden. uxor. Hebr. l. 3. c. 13. (15) Concil. Neocæs. can. 8. Eliberit. cap. 65. in Trullo c. 87. (16) Hermas lib. 2. Pastor. mand. 4. (17) Basil. can. 9. & 21. (18) Chrysost. in cap. xix. Matth. (19) Aug. lib. 1. Retract. c. 19. (20) Hilar. in Matth. v. ℣. 32. (21) Demosth. orat. in Neæram: Ἐπειδὰν ἕλῃ τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί. Ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. (22) Lege v. C. tit. Eodem C. præter DD. (23) August. apud Mill. hic. (24) Deut. vi. 13. Jerem. iv. 2. (25) Vide Selden. de Synedr. lib. 2. cap. 11. art. 7. Grot. hic. Vide infra Matth. xxiii. 16. 17. 18.

docebantque, nollam esse jurisjurandi, ore tantum non aoimo concepti, obligationem, non secus ac eorum, quæ neque Dei neque ullius Divinæ proprietatis appellatione nuncupabantur. Tuto autem jurari posse, ubi solummodo res ereatæ, veluti Cœlum, terra, suum ipsius eaput, aut alia pro testibus usurparentur. Præterea existimabaot, quodlibet jurisjurandi genus, minimas etiam ob causas, vetitum non esse, dum I. veritati penitus evidenti non officeret; II. nequis rem omnino perspicuam ac manifestissimam jurejurando affirmaret, veluti pleoo meridie diem esse; III. nequis jurejurando se facturum polliceretur, quod fieri non posset; IV. nequis se facturum juraret, quod nefas est fieri. His conditionibus explicant Judæi Doctores Legem, quæ frustra jurare vetat.

Ut igitur pristinam Legis puritatem restituat Dei Filius, præcipit nequis omnino juret: *Non jurare omnino*. Alii aliter hæc verba usurpavere; sunt enim qui absolute nullaque conditione accipienda esse putent, doceantque malum omnino esse jusjurandum, ac nullo tempore licitum. Id servabant religiosissime piorum temporum Christiani, testibus Eusebio (14), Tertulliano (15), S. Chrysostomo (16); quorum postremus sententiam hanc innumeris locis firmat. Consentiunt S. Basilius (17), S. Hieronymus (18), Author Operis Imperfecti (19), S. Epiphanius (20), Theophylactus, Euthymius, & Oecumenius in Matthæum. Ex hoc Evangelii loco Pelagiani quidam Syracusii, ætate S. Augustini (21), ac diu postea Wicleffistæ, & novissimis temporibus Anabatistæ collegerunt, nunquam fas esse jurejurando uti. Conati sunt nonnulli, S. Hilarium in hanc sententiam trahere (22); quem tameo alii tutati sunt.

At Apostoli & Patres plerique nonquam docuere, nefas esse cuilibet hominum generi & quolibet tempore jusjurandum nuncupare. Præstat certe nunquam jurare; optandumque est, tantum esse inter Christianos bonæ fidei, sinceritatis, veritatis & justitiæ studium, ut oemo jusjurandum aut postulare aut reddere cogatur; solamque asserentis fidem instar esse jurisjurandi (23). Denique servandum esset in hac re, in minimis etiam ac levissimis vitæ negotiis, id quod hic docet Christus. Atque hoc fortasse voluere Patres mox recitati, cum jusjurandum penitus damnavere, vitium scilicet corrigere, nimiamque jurandi facilitatem io iis etiam quæ nullius momenti sunt.

Melius nec verum juratur, inquit S. Augustinus Ep. 157. *quam jurandi consuetudine & in perjurium sæpe caditur, & semper perjurio propinquatur*. Jusjurandum in gravissimis rebus usurpatum damnandum non est, modo ex justitia & veritate nuncupetur; at nunquam non timendum, cum perjurii discrimen semper immineat (24): *Non quia verum jurare, peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est*. Ea erat apud Essenios, teste Josepho de Bello l. 2. c. 12. bonæ fidei integritas, ut verba quælibet instar jurisjurandi essent. Jusjorandum horrebant ceu pejus aliquid perjurio. Ipsi etiam Ethnici agnovere (25), nefas esse homini ingenuo & sapienti jurare, nisi extrema necessitas postulet. *Jusjurandum neque iniquum neque justum usurpandum est*, ajebat Chœtilus apud Stobæum Serm. 27. Siquando juravere Apostoli (26), aut sanctissimi novi Fœderis homines (27), id inviti præstitere, loquentium incredulitate coacti (28).

Reddas autem Domino juramenta tua. Duplicem explicationem admittunt hæc verba. I. Præstanda esse quæ Domino vel jurejurando vel voto promiseris, ex iis Scripturæ verbis (29): *Siquis votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit*. II. Jusjurandum nuncupandum esse Dei nomine, cum jurare opus fuerit; idque simile est loco Deuteronomii 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*. Postremo hoc sensu explicat Author Operis Imperfecti. Ait S. Chrysostomus, hæc verba illud velle, ut qui jurat, vera loquatur.

℣. 34. Neque per Cœlum, &c. Philonis ætate, ipso teste in lib. de special. Legibus initio, jurabant interdum per patris matrisque incolumitatem, si viverent; vel per eorum memoriam, ipsis mortuis. Hæc jurisjurandi genera probans, ait, satius esse his uti, quam Dei nomen usurpare. Ut autem mori huic addat authoritatem, narrat, Veterem quemdam Patriarcham per patris sui terrorem juravisse; piissimosque nonnisi ægerrime ad jusjurandum adigi, ac post prima jurisjurandi verba, statim ex abrupto subticere; vel alterum nomen pro altero substituere, ut pro ea formula, Ita me Deus puniat aut adjuvet, usurpent Cœlum, Terram, solemve aut mundum (30). Quamdam jurisjurandi formulam recitat S. Justinus (31) per Cœlum nuncupati, ex Orphei carminibus. Hoc idem usurpant in suis Libris Judæi (32).

Hæc omnino interdicit Christus, ut perjurii discrimen vitare doceat. Cœlum natura sua res est sensu carens, indignum ut pro teste jurisjurandi adhibeatur. Jubet Deus Deut. 6. 13. siquando juraveris, id suo ipsius nomine præstare. Adde, quod *Dei sedes Cœlum est*. Debito igitur erga Deum obsequio dees, ubi per Cœlum juraveris. In Deum peccas, si Cœli nomen temere usurpas. Superstitiosum & inane est, per terram jurare, si ipsam solummodo, nulla Dei ratione habita, inspicias. Quod si uti *scabellum pedum Domini* accipias, obsequiom quod Divinæ Majestati debes, frustra per terram jurans, violas. Idem dicito de jurejurando per Jerosolymam, vel per caput tuum. Hæc quippe natura sua, nulla Dei ratione habita, inepta sunt, quæ pro testibus jurejurando nuncupentur: sin uti Dei sunt spectentur, nostram illa conditionem longissime superant, fitque semper Deo injuria, si per ea vel falso vel frustra juraveris. Quamobrem nullum penitus erit jurisjurandi genus, quod debito erga Creatorem obsequio non noceat, quippe cum rerum omnium creatarum dominus ipse sit, atque hæ nonnisi illius virtute consistant. Author Operis Imperfecti in Matthæum: *Idololatram se facit omnis qui per aliquid aliud a Deo jurat, etiamsi jurare liceret; quia non reddit Domino Deo sua juramenta sua*.

Ex Ethnicis mutuari videntur Hebræi has jurandi formas, per terram, Cœlum, mare ac Solem:

(14) Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 4. (15) Tertull. lib. de Idolol. (16) Chrysost. Homil. IX. in Acta; Hom. XV. in Genes. & Hom. XVII. in Matth. & passim. (17) Basil. in Psal. XIV. (18) Hieronym. in hunc locum. (19) Author Oper. imperfecti hic. (20) Epiphan. in Panar. lib. 1. (21) Apud August. Epist. olim 88. nunc 156. & 157. (22) Vide Hilar. in Matth. & Not. Coutantii. (23) Aug. in Ep. ad Galat. cap. 1. ℣. 20. *Non est contra præceptum juratio quæ a malo est, non jurantis, sed incredulitatis ejus, cui jurare cogitur*. (24) Aug. Epist. 157. nov. Edit. (25) Epictet. Enchirid. Pythagor. apud Laert. lib. 8. (26) Vide Rom. 1. 9. & 1. Cor. 21. 31. & Galat. 1. 20. & Philipp. 1. 8. (27) Athan. Apolog. ad Const. Imper. Hieronym. nonnullis in locis. (28) Vide August. in Epist. ad Galat. 1. ℣. 20. & lib. 1. de Serm. Domini in monte num. 51. (29) Num. XXX. 3. & Deut. XXIII. 21. & ita latius passim. (30) Vide & Origen. lib. 6. contra Celsum. (31) Justin. Martyr. Exhort. ad Græc. pag. 12. Ex Orpheo: Οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον. (32) Rabb. Raba Beracoth, fol. 55. Thalmud tract. Schebuoth cap. 4. Vide Maim. & Ligfoot. Hor. Hebr. & Sanhedr. cap. 3. halac. 8.

lem: *Terram, mare, sidera juro* (33); per suum vel Principum caput. Per Pharaonis vitam jurat in Ægypto Josephus Gen. 42. 15. Vis inferebatur primorum temporum Christianis, ut per Imperatorum genium vel caput jurarent (34). Apud Aristophanem quis *per Cœlum* jurat (35); & apud Sophoclem, *per Olympum* (36). Apud Virgilium, Ascanius per avi Anchisæ caput.

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat,
Martialis:

Per tua jurares sacra tuumque caput.
Romani per Jovem lapidem (37): *Jurabo per Jovem Lapidem, Romano vetustissimo more*. Veteres Græciæ Reges per sceptrum quod ipsi gerebant.

℣. 37. SIT AUTEM SERMO VESTER, EST, EST, &c. Cum aliquid rogaris, vel alicujus rei testis arcesseris, illud simpliciter aut assere aut nega: Dicito, *Est*, vel *Non* est, nulla jurisjurandi fide interposita. Siquid addis, id nonnisi ea malo est. Nunquam vacas discrimine, vel cum vere juras. Non illud quidem ait Jesus, malum esse quicquid jurejurando affirmaveris, sed malo ea fonte oriri; quod scilicet illi, quocum loqueris, minime credat (38), vel ipse levissimus animo sis, vel jurisjurandi sanctitatem minime verearis, vel profana habitudine jurare soleas (39). Verba hæc, *A malo est* (40), Græci Patres quamplures ita interpretantur, quasi sit, *A diabolo est*. Nimiam jurandi consuetudinem inveait diabolus. Haae damnabat Plato (41), vetabatque ne Deorum nomina indiscriminatim usurparentur.

℣. 38. OCULUM PRO OCULO, ET DENTEM PRO DENTE. Legem hanc Moyses habet luculentis verbis (42). Nullo autem negotio intelligis, Legislatoris mentem non fuisse, ut ea ex mero verborum sono servaretur. Vindictam certum usque ad modum permittebat, vel dissimulabat. Jubebat, injurias aut corpori aut bonis illatas coram Judice ac modo juridico persequi: at vetabat nequis sibi judex aut vindex injuriarum suarum fieret. Modum iræ ponebat, vetans majorem injuria pœnam exigi. Quamobrem ea lex lenitatem potius quam vim suadebat, authore S. Chrysostomo (43).

Hebræi Doctores his non contenti, fas esse putabant, vindictam saltem ad talionem usque persequi; fretique verbis Legis, nulla religione absterrebantur. Ipsimet Saducæi eam legem ex verborum sono expleri jubebant, nullo temperamento aut restrictione; illud minime animadvertentes, eadem Lege, quæ talionem dabat, damnari vindictam, eamque solius Dei esse doceri (44); & nulla licet constituta a Deo in illos pœna, qui irrogatas sibi injurias per Judicem persequerentur, omnino ultionis cupiditatem & charitatis defectum, qui nunquam abest, ubi quis ob injuriæ vel famæ reparationem inimicos exagitat, improbari.

Non modo vicem, sed etiam ultionem, etiam recordationem & recogitationem injuriæ prohibet Christus, inquit Tertullianus (45), ac Levitici legem confirmat (46): *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, quam e civibus tuis retuleris. Cum vero vitia quamplurima hinc oritura sint, atque inter communem hominum corruptionem justitia & innocentia quantocius opprimendæ sint, si nullus defensionis, aut injuriam vi vel judicio coercendo locus detur; Patres (47) & Interpretes, Christi sententiam explicantes, ajunt, Christianorum sanctitatem postulare, ut injuriam nedum patienter, verum etiam hilari animo feras, persequentibus ne resistas, preces pro illis fundas, bonamque gratiam pro mala referas; at posse interdum, imo & debere, justitiæ ac veritatis amore, salvis charitatis & Evangelii legibus, malo resistere, falso instructas criminationes diluere, illatæque injuriæ reparationem postulare, cohibito vindictæ desiderio, paratoque potius ad patientiam animo, quam aut ipse in se aut in aliis charitatem violes.

Christus ipse & Apostoli ea quæ hic præcipiuntur, ad verbum aliquando non præstitere. Jesus alapa cæsus, alteram genam minime porrexit Jo. 18. 22. accusatusque quod dæmones nomine Beelsebub pelleret (48), atque ipse a Dæmone ageretur (49), flagitium diluit. Paulus non semel causam pro se apud Judices dixit (50); falsos de se rumores dissipavit, appellavit Cæsarem (51). Neque jubet Christus silere Discipulos, inauditosque subire sententiam, cum ad Judices rapti fuerint; sed ne dicenda parent, Spiritu Sancto clam dictaturo quid respodeadum sit (52). Minime probat Paulus, jurgia litesque esse inter Corinthios; id tamen illis crimini non vertit; damnatque solummodo, quod apud Ethnicos & profanos causam dicant (53), ac monet, ut pacem pro viribus egra omnes servent (54).

℣. 39. NON RESISTERE MALO (55). Nedum illud impero, ut vindictam atque odia ne exerceatis, verum etiam ne jus vestrum defendendo persequamini. Illatam semel injuriam dimittite, atque imminentibus ne resistatis. Date locum iræ. Aliter: Impero ne resistatis malo seu Dæmoni (56), a quo hostes vestri ad creandam vobis molestiam atque inferendam injuriam impelluntur: patientiam pro armis opponite. Denique, *non resistere malis* (57), impiis qui vos infectantur aut vexant. Triplicem hanc interpretationem ferme similem patitur Græcus. Non satis est, primas injurias pati; secundum est, quoties inimicus invaserit (58).

SIQUIS TE PERCUSSERIT IN DEXTERAM MAXILLAM TUAM, &c. Tropicæ locutiones sunt, proverbio similes (59), quibus docemur, siquando injuria inferatur, nedum non ulcisci aut resistere, verum etiam cedere, & inimicis parcere. Nunquam licet privato homini propria ipsius authoritate vindictam expetere; ea esse debet Christiani animi præparatio, ut justitiæ & charitatis servandæ causa omnia patiatur: id porro absolutæ obligationis est ac præcepti. Quæ vero hic præcipit Christus agere, ex consilio sunt. Longe sanctissimum est ac perfectissimum (60), nostram ipsorum

[33] Virgil. Æneid. XII. [34] Tertull. Apologet. [35] Aristoph. Plut. Νὴ τὸν οὐρανόν. [36] Sophocl. Antiqu. Οὐ τὸν Ὄλυμπον. [37] Apul. de Deo Socratis. [38] Vide August. lib. 1. de Serm. Domini in monte. [39] Philo de Legib. Οὐ τὸ πίστεως ἡ τεκμήριον, ἀλλὰ ἀπιστίας ἐστὶ παρὰ τοῖς ἀγαθοῖς. [40] Epiphan. lib. 1. Panar. Chrysost. in Psal. v. & Homil. XIX. ad Popul. Antioch. & alibi. Gloc. Ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι. Cod. Bold. Seld. 2. Clem. Alex. Pædag. lib. 2. cap. 10. Nyss. n. Ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί. [41] Plato, de Legib. lib. 12. [42] Exod. XXI. 24. Levit. XXIV. 20. Deut. XIX. 21. [43] Chrysost. in Matth. hic. Vide Tertull. contra Marcion. Libb. 4. & 5. [44] Deuter. XXXII. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam*. Psal. XCIII. 1. *Deus ultionum Dominus*. [45] Tertull. contra Marcion. lib. 4. [46] Levit. XIX. 18. [47] Vide Aug. lib. 2. de Serm. Domini in monte. Et Epist. 138. ad Marcell. & Maldonat. ad ℣. 39. & Jans. ad ℣. 40. 41. [48] Matth. XII. 24. 27. [49] Joan. VIII. 48. 49. [50] Act. XVIII. 13. 14. XXV. 6. 7. [51] Act. XXV. 10. 11. 12. [52] Luc. XXI. 14. [53] 1. Cor. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. [54] Rom. XII. 18. [55] Μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. [56] Chrysost. Homil. 18. Euthym. Theophyl. hic. [57] Erasm. Grot. Ham. [58] Aug. lib. 1. de Serm. Domini; & Chrysost. Hom. 18. [59] Job XVI. 11. Jerem. III. 30. Mich. V. 1. [60] Vide Maldonat. hic, & Jans. ad ℣. 41. & Aug. Ep. 138. ad Marcellin. n. 12. *Paratus debet esse homo pius & justus patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potius crescat bonorum, non ut pari malitia se quoque numero addas malorum.*

forum causam, nostrique juris defensionem Deo relinquere.

Animadverte (61), tum hoc tum duobus versiculis proxime consequentibus triplicis injuriarum generis exempla a Christo deduci. Primum ad corpus pertinet. Siquis alapa genam tibi percusserit, alteram porrige. Alterum ad bona. Siquis tunicam abstulerit, relinque & pallium. Tertium ad libertatem. Siquis te coegerit ad mille passuum iter, bis mille conficito.

℣. 40. Et qui vult tecum judicio contendere, &c. Damnat lites. Nedum illud præcipio, ut neminem in jus rapias, verum etiam ut judiciis vel iniquissimis petitus causam non agas. Si inimicus tunicam tuam judicio postulat, da & pallium. Vides igitur, jurgia, lites & sollicitudinem, qua quis opes aut defendit aut quærit, cum charitatis discrimine, ab Jesu Christi mente abhorrere, indignasque esse homine Christiano ac probo lites. Eadem hæc docet Paulus in prima ad Corinthios Epistola 6. 7. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Primorum temporum Christiani minime persequebantur eos judicio, quorum injuria fortunis suis exuebantur, teste Athenagora in Apologetico. Si lata a Jesu Christo præcepta religiosissime a Christianis servarentur, nulla unquam esset litigandi aut defendendi necessitas; nemo enim injuriam alteri irrogaret.

Hoc Jesu Christi præceptum iis conditionibus, quibus superius alterum, explicandum est. Si lites agi nequeant, salva charitate, veritate & justitia, omnino abstinendum est litibus, etiam cum fortunarum omnium dispendio. Discrimen ipsum lædendæ aliqua ex parte virtutis jurgiis litibusque, satis causæ esse debet, ut verus Christi imitator quodlibet litium genus execretur. Utilitas ex optimis causis orbura, nunquam ferme comparanda est cum damno ac discrimine, quod pariunt lites. At omnino fatendum est, interdum his præceptis hominem ita non obligari, ut vel alium judicio postulans, vel sua defendens peccet: quia & interdum agere debes; idque negligens, tentas Deum. Bonus ordo atque Imperii & Religionis utilitas poscit, ut viduæ ac pupilli defendantur, & malorum molimina coerceantur. Non licet Principi Reipublicæ populum injuriis & direptionibus aliorum obnoxium pati; neque Ecclesiæ Præsuli curam famæ negligere; aut dispensatori, ea quæ sibi credita fuerint, permittere ut ab aliis usurpentur. At ubi justitiæ aut charitatis lege justa vel postulatio vel defensio conceditur aut imperatur, id omnino curandum est, ut cum modo ac sapientissime fiat, quæsita prius sedulo pace; ut nemo non videat, te idcirco repugnare, quod clausæ prorsus sint undique pacis viæ; atque ad lites descendere potius continendi fratris studio, ne inique agat, quam tua servandi (62).

Tunica subjecta vestis erat; *pallium*, superior. Duplici tantum veste utebantur Hebræi. Jubet Christus, siquis subjectæ vestis causa tibi diem dicat, relinquere etiam superiorem; præstare scilicet docens, nudum penitus esse, rebusque necessariis carere, quam lites persequi. Aptiori ordine ferre videtur Lucas VI. 29. *Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Cum quis exuitur, superiorem prius vestem ponit.

℣. 41. Quicumque te angariaverit mille passus, &c. *Angariare* verbum est origine Persicum. Diversoria in Regiis Imperii sui itineribus disposuerant Persæ, quæ vocabant *Angara*, & tabellarios *Angaros* (1). Cogebantur autem subditi destinatos literis deferendis homines & equos alere: coactionis genus, *angaria* nomine, gravissimum subditis. Judæi post captivitatem, cum parerent Persis, huic obnoxii fuere: eodemque sub jugo gemuere sub Syriæ Regibus, Magni Alexandri successoribus, usque ad Demetrium Nicatorem (2), Alexandri Balæ æmulum, qui datis ad Jonatham Macchabæum Pontificem literis, hoc illos onere levavit.

Verba, quibus hic utitur Christus, innuere videntur, Judæos sub Romanorum Imperio hujusmodi coactionibus liberos non fuisse; & certe Romani milites (3) *angariaverunt*, coegere nimirum advenam quemdam, Simonem nomine, ut Jesu crucem ferenti comes accederet. *Angariæ* adhuc apud Turcas vigent. Usi sunt Romani verbo *angariare*, ut excubias a tyronibus armatis actas significarent (4). Legitur sæpe in Civilis Juris Scriptoribus, & in Actis sequioris Latinitatis, pro publicis privatisque subditorum oneribus erga dominos, veluti operis, itineribus, vecturis, &c. (5). Apud nonnullos etiam *Angaria* dicitur Jejunium quatuor temporum. Consuetum angariarum spatium quatuor millia passuum erant. Præcipit igitur Jesus, ut siquis *te coegerit ad mille passus*, quartam scilicet angariæ partem, *bis mille* conficias, dimidiam nempe, aut etiam tres angariæ partes, additis duobus millibus: *Vade & duo*.

℣. 42. Qui petit a te, da ei. Vel, ex Luca (6): *Omni petenti te, tribue*. Duplicem admittit interpretationem hic locus: I. Ne resistas iis qui res tuas rapere conantur. II. Stipem unicuique postulanti largire, nullius ratione habita, civis an, an advenæ; noti, an barbari; Judæi, an Ethnici; amici, an inimici. Tunc solummodo locus deliberationi est, ubi duo simul pauperes postulant: alteri enim subveniendum est, qui magis eget, amico, familiari, propinquo potius quam ignoto, aut minus inopi. Imperat interdum charitas, ut postulans indonatus dimittatur, puta, vel flagitii, vel inertiæ, vel criminis pœna. Tunc enim eleemosynam corpori negans, facis animæ utiliorem multo & nobiliorem. *Omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis. Et aliquando melius dabis, cum petentem injusta correxeris*, inquit S. Augustinus (7).

Volenti mutuari a te, &c. Hoc iisdem conditionibus explica, quibus illud de eleemosyna.

℣. 43. Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Primum hujus sententiæ membrum passim legas in Scripturis (8): nullibi alterum: imo & contrarium. Diserte vetat Judæis Deus (9): *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Exodi vero 23. 4. præcipit, ut siquis Israelita bovem aut asinum inimici errantem viderit, ad illum reducat, & sarcina oppressos collata opera levet. Cur igitur Christus ait, dictum esse antiquis: *Odio habebis inimicum tuum?*

Putant nonnulli (10), explicationem fuisse Pharisæorum, quam illi pro lege obtrudere voluerint, a Jesu Christo ex ipsorum sententia & traditione recitatam. Ajunt alii (11), revera Deum permisisse Judæis, & quodammodo imperasse, ut odissent inimicos, cum nullo unquam fœderis sive amicitiæ vinculo cum Chananæis jungi jusserit Exod. 34. 12. illos, insuper penitus delere,

(61) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte, Grot. & Jans. in hunc locum. (62) Vide Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 8. Epist. 93. cap. 4. & Ser. 351. num. 5. & maxime Ep. 138. ad Marcellin.
(1) Herodot. lib. 8. cap. 98. Xenoph. Instit. Cyri lib. 8. (2) Joseph. Antiqu. lib. XIII. cap. 5.
(3) Matth. XXVII. 32. (4) Veget. de Re militari. (5) Vide Glossar. du Cange, Angariæ.
(6) Luc. VI. 30. (7) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte. (8) Exod. XXIII. 5. Levit. XIX. 18.
(9) Levit. XIX. 18. Deut. XXII. 1. 2. & sequ. (10) Erasm. Drus. Schind. Jans. Brug. Spanh.
(11) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte. Grot. hic.

re, ac sævissime exagitare Deut. 7. 2. horrori & execrationi habere; Amalecitas implacabili odio prosequi Deut. 27. 17. nullum unquam fœdus sancire cum Moabitis, nullaque illis bona optare Deut. 23. 3 Scribit Psalmista, sese odio habere inimicos Domini, & invisorum hostium loco ducere (12). Sancit Moyses Deut. 1. ut ex Judæis ii, qui fratres in scelera & superstitionem pertrahere conati fuerint, opprimantur; & lapidibus obruantur statim ii, quos convicia in Deum vomentes quis audierit (13), aut Chaldæorum flagitia imitantes viderit (14). Duplex igitur erat hominum genus, in quos odium & horror Lege probabantur: Dei & populi hostes, Chananæi, Amalecitæ, Moabitæ; perversi cæterorum deceptores, impii, ac publici Divini Nominis aut Legis violatores.

Multa his addidere Rabbini; quippe qui in proximorum censu non haberent homines a sua gente ac Religione alienos (15); quos tanto horrore atque odio prosequebantur, ut communia juris & humanitatis officia, nemini deneganda, veluti iter aut fontem indicare, illis præstare dedignarentur. Id porro vitio illis acerrime vertunt Profani. Juvenal. Sat. 14.

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpas.

Nititur Josephus (16) gentem suam tueri Lacedæmoniorum exemplo, quibus odiosa erat cæterorum consuetudo, ne illorum moribus corrumperentur. Nonnullas etiam Moysis leges recitat humanitatis plenas erga advenas (17), & eos qui Palæstinæ vias peragrarent; imo & illos, quibuscum bellum erat; ac nemo certe inficiatur, nihil illum loqui nisi verissima, eamque esse Mosaicæ Legis institutionem. Illud tamen in re quæritur, utrum id Hebræi servaverint.

Perniciosissima humanitati & charitati dogmata in Rabbinorum Libris (18) leguntur; morumque & rerum ejus gentis notitia docet apertissime, quam effuse illi & vim & vindictam amaverint. Judæus quidam docet, hominem, qui neglecta ultione odium more anguis servat, Sapientis non esse discipulum. Ajunt, eo Levitici loco 19. 18. quo vindicta interdicitur, bona tantum corporis, non famam spectari. Licere igitur pœnam expetere eorum, quæ quis in famam, non quæ in bona corporis meditatur. Addunt, fas esse, hominem monitis refractarium atque indocilem odisse, & hæreticos, Epicuræos, publicosque Legis violatores necare: nefas quidem esse, Ethnicis, quibuscum bellum non est, necem moliri; at nullam esse ferendæ opis obligationem, si illi in mortis discrimine versentur. Hæc Judæorum instituta, quæ Christus correxit.

℣. 44. Diligite inimicos vestros: primus charitatis gradus. *Benefacite his qui oderunt vos*: en alterum. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*: en tertium. Ethnicos Judæi oderant ac Publicanos: Samaritanis cæterisque hostibus suis maledicebant. Singulos hosce amari jubet Christus, beneficiis affici, precibusque juvari. Quamobrem publica odia privatasque simultates proscribit. Græcus hic addit (19): *Benedicite eis qui vobis maledicant*; vel, bene de iis loquimini, a quibus vestra ipsorum fama proscinditur: quę verba ex Luca 6. 28. desumpta esse videntur; desiderantur que in Codicibus multis; eaque Gręci Codices plerique, Latini Patres (20), & Versio Syriaca non habent. *Calumniantibus vos* (21), reddi potest, *iis qui vobis infesti sunt*, injuriam in bona vel famam inferunt. *Calumniari* apud Scripturam sępe est, *infestum esse*, vexare, affligere. Gręca vox *Epereazein* proprie sonat, aliquem afficere injuria & contemptu, data opera, & unius odii ac simultatis causa.

℣. 45. Ut sitis filii Patris vestri. Dei, Conditoris ac Patris vestri, munificentiam imitamini, bonos ęque ac malos, fideles atque infideles, amicos atque inimicos misericordię suę opibus cumulantis. Benignissimam hanc Providentiam, omnibus ęque hominibus consulentem, ipsi etiam Profani admirati sunt. *Sol & dies non oritur uni & alteri, sed & omnibus in commune*, inquit Plinius Paneg. Quamobrem, ajebant, qui probus es, Deos imitare, neminem odio habentes, sed eos qui pietatem colunt, effusissime amantes (22).

℣. 46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, &c. *Publicanus* est is qui vectigalia, portoria, atque alia publica onera exigebat; responde tque Gręco vocabulo *Telones*, idem significanti. Primi ordinis Publicani, scilicet Mancipes generales in universo Imperio, apud Romanos plurimi habebantur; deque iis scribit Cicero Orat. pro Plancio. *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continetur.* At minores Publicani odiosissimi in oppidis ac provinciis erant, quippe quos furum loco haberent (23); eosque maxime omnium oderant spernebantque Judæi, qui libertatis amorem maxima omnium gentium profitebantur.

Gentiles suos, qui huic arti sese addicerent, Judæi ceu pestes Reipublicæ atque Ethnicos execrabantur (24); excludebant Synagogis, sacris, & Magistratibus, ac ne ad testimonii quidem dictionem admittebant (25). Ex parabola de Publicano & Pharisæo discis, Publicanos Templum adiisse: utrum vero in atrium Israelis ingrederentur, incertum. *Publicanus a longe stans, dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori* Luc. 18. 10. Hujus artis homines plerumque liberti erant, servi, e vulgi fæce, qui ut opes sibi compararent, debita Principi vectigalia severissime exigebant; suaque ipsorum conditione fraudibus, extorsionibus, injustisque vexationibus patrandis obnoxii erant. Narrat Suetonius in Vespas. c. 1. Sabino Vespasiani patri positas a civitatibus imagines cum epigrammate: *Bene publicum exercenti*. Is nimirum ex generalium Mancipum numero erat. Quicquid autem dixerit Cicero, publicanorum ars, præsertim apud alienos, minime honesta censebatur. Rogatus olim Theocritus, quam feram omnium sævissimam diceret, ex montanis, inquit, ursum ac leonem; ex urbanis, publicanum & parasitum (26).

℣. 47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, &c. Græci Codices ferme omnes habent (27) *amicos*, non *fratres*; atque alii *publicanos* pro *Ethnicis*. Salutationis nomine intelligenda hic sunt omnia urbanitatis officia, quibus in vitæ consuetudine homines utuntur. Ea erat Judæorum superbia, ut quibus in locis ipsi opulentiores essent, cæteros a sua Religione alienos ne communibus quidem salutationibus dignarentur. Jubet Chri-

(12) Psalm. cxxxviii. 21. 22. (13) Levit. xxiv. 14. (14) Levit. xviii. 25. 29. (15) Tacit. l. 5. Hist. *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu; adversus omnes alios, hostile odium.* (16) Joseph. contra Appion. l. 2. p. 1080. (17) Ibid. p. 1025. (18) Cod. Joma, apud Cartvigt. Mellific. lib. 2. c. 3. & Ligfoot. Hor. Hebr. (19) Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς. (20) Non legunt Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Salvianus, Cyprianus, Fulgentius, versio Cophtica. Editio Græca Stephani in 4. aliæque plures. Vide Mill. var. Lect. & Proleg. 384. (21) Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς. (22) Hierocles apud Grot. hic. (23) Vetus Poeta: Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. (24) Matth. xviii. 17. *Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* (25) Vide Grot. hic, & Vvaser. de Numis. Hebr. Ligfoot. Hor. Hebr. (26) Theocrit. apud Musonium. (27) Ita Stephani omnes, Codd. Bodl. mss. 7. alii permultimi. Vide Mill. not. Et loco ἐθνικοί, plures, legunt, τελῶναι.

Christus, Discipulos salutem omnibus indiscriminatim dicere, & amicitiam colere cum externis, ceu domesticis & amicis. Vult denique, nullos nobis esse inimicos, omnesque fratrum loco existimari (28).

Veterem hunc Judæorum rigorem minima ex parte servavere primorum temporum Christiani, quippe qui salutem neque dicerent hæreticis neque redderent; eademque ferme disciplina erga homines anathemate separatos utebantur: illud molientes, ut miseri illi, probro salubri moniti, hæresim abdicarent, & ingressum in Ecclesiam humillime flagitarent. Ita etiam imbecilliores adversus hominum ab Ecclesia segregatorum artes fraudesque tuebantur, eum illos ab eorum consuetudine arcerent. Narrat S. Irenæus lib. c. 3. Joannem Evangelistam, cum ad balneas, ubi Cerinthus erat, forte venisset, statim recessisse, quod metuere se diceret, ne ruerent balneæ, in quibus Cerinthus veritatis inimicus lavaretur. Et S. Polycarpus, cum ab obvio Marcione rogaretur, Nosti nos? respondit: Agnosco primogenitum Diaboli. Paulus ad Tit. 3. 10. omnino Fidelibus imperat, ut hæreticos semel & bis frustra monitos vitent. Hæc tamen cum iis quæ hic a Christo dicuntur, minime pugnant; neque ipsorum hominum odio ii vitabantur, sed erroris causa & discriminis, quod ex eorum consuetudine imminebat.

℣. 48. Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis. Lucas hanc sententiam recitans, fert (29): *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester Cœlestis misericors est*. Quibus verbis arctius contrahi videtur perfectio similitudinis, qua nos Cœlestis Patris misericordiam ac munificentiam imitari jubet, solem suum tum piis tum impiis largientis: itaut ea verba sermonem claudant versiculis superioribus deductum de Charitate erga proximos. Cœlestem Patrem his in rebus imitamini, eaque sit charitatis vestræ perfectio, ut, si fieri queat, Cœlestis Patris charitatem æmuletur.

At nihil est cur Matthæi verba deseramus. Patris sanctitatem ita proponit Christus, non ut illam quis assequi possit, sed veluti metam quo eundum est, uti exemplum imitationi exhibitum. Novos quotidie perfectionis progressus optate, neque unquam satis sit ille quem comparastis. Assiduum esto progrediendi studium, neque unquam oculos ad elapsa convertite (30). Qui vos ad suæ imaginis exemplum condidit Deus, optat, ut vestris sese moribus repræsentetis, quantum infirmitati vestræ, gratia opem ferente, datur. Veteres Philosophi intellexere (31), summam hominis perfectionem in eo sitam esse, ut similis Deo sit: hominem vero eo perventurum, si justitiam colat, pietatem, sapientiam. Id porro Stoici ultra justam æquitatis legem prorogabant; quorum tamen sententia intra justos fines explicari potest. Audaciores in eo erant, quod hominis ac Dei virtutem unam eamdemque esse existimarent (32). Hanc Stoicorum opinionem impietatis arguit S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. eamque omnino deferendi posse, negat Theodoretus Serm. xi. de Fine & judicio.

(28) Joan. ℣. 10. 11. (29) Luc. vi. 36. Vide Maldon. Brug. Grot. hic, & Author Oper. imperfecti in Matth. Homil. xii. (30) Luc. ix. 62. Philipp. iii. 13. (31) Plato in Theæteto. (32) Cicero lib. 1. de Legib. *Jam vero virtus eadem in homine, ac Deo est; neque ullo alio ingenio præterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perfecta natura. Est igitur hominis cum Deo similitudo.*

C A P U T VI.

Pergit Jesu Christi sermo in monte. De eleemosyna, Oratione & Jejunio. Thesaurus in Cœlo comparandus. Recta mentis intentio. Fiducia de Providentia.

℣. 1. ATtendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab
eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœ-
lis est. 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocri-
tæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vo-
bis, receperunt mercedem suam. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sini-
stra tua, quid faciat dextera tua: 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito; & pater
tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 5. Et cum oratis, non eritis sicut hy-
pocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videan-
tur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem cum
oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito:
& pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem, nolite mul-
tum loqui, sicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. 8. No-
lite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam peta-
tis eum. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur no-
men tuum. 10. Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo, & in
terra. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis
debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in
tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. 14. Si enim dimiseritis hominibus pec-
cata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non
dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. 16. Cum au-
tem jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, ut
appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu

17. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, 18. Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Ubi enim est thesaurus tuus: ibi est & cor tuum. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? 24. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odiu habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & mammonæ. 25. Ideo dico vobis: ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum? 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. 30. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? 31. Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primum Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. 34. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

℣. 1. ATTENDITE NE JUSTITIAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBUS. Propositis superiori capite officiis charitatis erga proximum, docet hic, quo animi consilio gerenda sint ea quæ facimus. Eodem ordine, quo Capite v. vitia Pharisæorum ostendit, docetque qua ratione fugienda sint. Minime negat, pie agendum esse coram hominibus, cum res postulaverit; sed idcirco agendum, ut illorum oculos atque existimationem ad bene gesta convertamus. *Sic autem sit opus in publico, ut intentio maneat in occulto* (1).

Plerique ac ferme omnes Græci Codices hoc loco ferunt (2): *Attendite, ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Hanc lectionem Græci Patres (3) vulgo sequuntur; minime tamen repugnantem Vulgatæ; cui favent nonnulli ex Codicibus Græcis, Syrus, Origenes (4), veteresque Latinorum Patres. Hebraica vox *Tzedakah*, quæ *justitiam* significat, interdum pro misericordia & eleemosyna usurpatur. Dixerat supra Christus (5): *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum*. Addit hic, nedum superandos esse bene agendo perfectissimos Judæorum; sed ea tantum mente bene agendum esse, ut placeas Deo, & debita proximis officia expleas, minime vero ut conspicuus fias, & hominum existimationem aucuperis (6). Rerum optime gestarum virus est superbia, bonos æque & malos tentans; validissima Diaboli machina adversus eos, quos malis suasionibus impellere in scelera non potuit. Vide Cap. v. ℣. 16.

℣. 2. NOLI TUBA CANERE, &c. Putant Interpretes quidam (7), solemne Pharisæis fuisse, tibicinem præmittere, qui inopes ad stipem accipiendam colligeret. Ajunt alii (8), cippum fuisse in Templo, in quem stipes congererentur, cujus cippi os in tubæ formam pateret; projectaque vehementi impetu in æs pecunia, gloriosos quosdam sonum elicuisse, ut a præsentibus animadverterentur. At alii, morum Hebræorum peritissimi (9), nullum hujus rei vestigium in illorum libris animadverti asserunt; docentque Patres (10), hæc verba ceu vulgarem loquendi formulam usurpanda esse, qua monemur, ne vel ambitioso apparatu vel publicis in cœtibus largiamur stipem, ut plausum captemus. Vis hujus locutionis satis sentitur. Solebant Hebræi festos dies cœtusque sacros tuba indicere (11).

IN SYNAGOGIS ET VICIS. In publicis precum locis, quo convenit populus. Optimum est, ubique eleemosynam largiri, sed nulla ostentatione; neque turba quærenda est, ut multos testes habeas. *In Synagogis* (12) intelligi potest, in populi cœtibus, uti Græcum vocabulum significat: at communis versio relinquenda non est.

SICUT HYPOCRITÆ. *Hypocrita* Græce est fabularum actor, alienam personam in theatro repræsentans. Porro id nominis ad eos transiit, qui pietatem simulant, cum nulla pietas ipsis in animo sit. Docet Christus, hujusmodi hominum genus, qui incautos simulata virtutis specie fallunt, *recepisse mercedem suam*; nullum scilicet ipsis esse in Cœlis præmium bene gestorum; vel quod quæsitos hominum plausus adepti fuerint, vel cæteri, intellecta simulatione, inanes illorum conatus irriserint. Sunt qui Græcum reddant (13): *Impediunt mercedem suam*. Minime tamen deserenda vide-

[1] Greg. Magn. Homil. 11. cap. 11. in Matth. [2] Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς. [3] Chrysostom. Theophyl. Euthym. alii plerique. [4] Origen. Homil. 2. in Exod. [5] Matth. v. [6] Chrysost. hic, Homil. 19. [7] Quid. apud Euthym. Lyr. Strab. Hug. Tirin. Cornel. Sa. [8] Vide Cleric. hic. [9] Ligfoot. Hor. Heb. [10] Chrysost. & Author Oper. imperfecti. [11] Num. x. 2. 3. & xxx. 1. & 3. Reg. 1. 41. & 4. Regum ix. 13. xi. 14. Psalm. lxxx. 4. [12] Erasm. Grot. Ham. [13] Ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Vide Knatchbull. hic.

videtur communis versio; vocumque Novi Testamenti vis in ipsis Novi Testamenti libris, non in optimis Græcorum Scriptoribus quærenda est. Porro *apecho* sonat *recipere* apud Lucam vi. 24. Philipp. iv. 18. Philem. ℣. 15.

℣. 3. NESCIAT SINISTRA TUA, QUID FACIAT DEXTERA TUA. Clam facito, ita ut ne ipse quidem, si fieri possit, scias (14). Hæc Jesu Christi verba optime docent, quam caute & secreto agenda sint ea, quæ uni Deo placitura sunt. Simile huic est illud Imperatoris, qui interrogatus quando signum itineri daret, dixit se tunicam quoque abjecturum, si consciam putaret. Tropicas hujus loci explicationes nonnulli ex Patribus quæsivere. Sunt qui (15) dextera manu Fideles, læva Infideles significari putent. Æquum est latere Ethnicos ea, quæ coram Fidelibus pie geruntur. Alii (16) dextera virum, læva uxorem, plerumque minus liberalem, usurpent. Ignorare illam decet ea, quæ maritus bene erga inopes facit. Hæc tamen explicationes exquisitæ potius sunt, quam veræ.

℣. 4. PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI. Græcus addit (17): *In publico*. Quæ ipse clam præstiterit, ipse palam omnibus reddet. Legitur etiam hæc additio infra ℣. 6. & 18. At in Codicibus bene multis desideratur (18); eamque in Græcis Codicibus a se minime inventam esse, lectam vero in Latinis quampluribus, scribit S. Augustinus l. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 2. Nostra ætate versæ sunt vices.

℣. 5. ET CUM ORATIS, NON ERITIS SICUT HYPOCRITÆ, &c. Publica orationis loca sunt Synagogæ; ibique Deum rogari, procul dubio non vetat Christus: cavet solummodo, nequis exquisitis artibus sese conspicuum reddere conetur (19). Putant nonnulli, & optimo quidem jure, *Synagogam* hic pro foro publicove cœtuum loco poni (20); ac Pharisæos quibusdam diei horis orare consuevisse quolibet indiscriminatim in loco, ipsa etiam in turba, extraordinariam pietatem præseferentes. Suam hos accepisse mercedem, docet Christus, nihilque illos a Cœlesti Patre manere, præter justam ambitionis & superbiæ pœnam.

Animadvertendum hic est, Judæos stantes orare consuevisse: *Amant stantes orare*. Stat Abraham coram Angelis, quos Sodomæ propitios reddere conatur Genes. 18. 22. Deum alloquens, ait Job xxx. 20. *Clamo, & non exaudies: sto, & non respicis me*. Jerem. xv. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*, ait Dominus. Alibi xviii. 20. *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum*, &c. Apud Nehemiam (21) Levitæ populum humi jacentem hortantur: *Surgite, benedicite Domino*. Hunc tamen morem omnino communem non fuisse, dicendum est, cum exempla non desint hominum flexo genu orantium, vel sedentium, aut jacentium humi, cum preces funderent. Monet Eliam Deus 3. Reg. 19. 18. superesse sibi in Israele septem hominum millia, qui genu coram Baale non posuerunt. Apud Jerem. xlv. 23. Deus futurum jurat, ut omne genu coram se flectatur, atque omnis lingua nomine suo juret. Daniel singulis diebus ter, posito genu, Domino supplicabat (22). Michæas vi. 6. *Quid dignam offeram Domino? curvabo genu Deo excelso*. Apostoli ac Fideles flexo genu orant in Actis (23); Publicanus in Evangelio (24). Coram Deo sedet David, gratias acturus de iis, quæ sibi ille promisit (25). Primorum temporum Christiani sacris in Cœtibus plerumque stantes orabant. Cæterum unusquisque privatam animi sui religionem sequebatur eo corporis statu, quem orans tenebat. Multa sunt hominum exempla, prono in terram ore precantium. Multiplex hic orantium status in usu est apud Ecclesiam.

℣. 6. TU AUTEM CUM ORAVERIS, INTRA IN CUBICULUM TUUM. Publicas solemnesque preces, quæ in cœtibus Fidelium habentur, minime damnat Christus; quin & docet, si duo treïve fuerint, invocato illius nomine, congregati, ibi se medium illorum esse (26). At ubi privatas ac spontaneas preces egeris, jubet te seorsum colligi, duplicem ob causam; 1. ut attentius ores; 2. ut ambitionem vites. Tropico etiam ac morali sensu explicavere Patres (27) cubiculum, quo succedendum est, & ostium deinde claudendum. Cubiculum, animus est, interior mens; ostium, sensus. Orandum est igitur tranquillo & quieto animo, attenta puraque mente, nullo curarum aut vocum strepitu. Excludendæ sunt terrenæ cogitationes, & cupiditatum tumultus: sensus claudendi adversus ea quæ animum seducere vel turbare facile poterunt. Hæc hujus præcepti mens.

℣. 7. ORANTES AUTEM, NOLITE MULTUM LOQUI. Minime vetat Christus Matth. 14. 23. ne diuturnas in preces solvaris; cum ipse totas interdum noctes orando exegerit; disertisque verbis dicatur idem in tristissimo supremæ noctis agone *prolixius orasse* (28). Inanes igitur solummodo blaterationes hoc loco damnantur. Id sonat Græcum verbum (29) *battologein*. Ea porro erat Ethnicorum persuasio, sese a Diis exauditum iri, si multa loquerentur: *Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur*. Narrantur in 3. Regum 18. 26. pseudoprophetæ Baalis a primo mane ad meridiem usque clamantes, *Baal, exaudi nos*; salientesque circa Aram mox constitutam, seseque culteris incidentes, ex superstitiosis ipsorum ritibus, surdo penitus Baale, atque irridente illos Elia: Validius vociferamini, fortassis enim Baal negotio aliquo distinetur, aut in agro est, aut dormit: clamate, ut expergiscatur. Supersunt adhuc nonnulli Veterum hymni, in quibus nihil legas præter inanes verborum iterationes, & Deorum epitheta ac synonyma (30). Hunc religionis suæ morem ipsimet Profani ridebant (31): *Oho, jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere, tuam esse inventam gnatam: nisi illos tuo ex ingenio judicas, ut nil credas intelligere, nisi idem dictum est centies*.

Tradunt (32), eumdem fuisse Hebræis morem, sive battologiam, ut longas preces iterationibus plenas funderent. Harum exempla in euchologicis ipsorum libris cernuntur; & Rabbinorum effatum est (33): *Qui multum orat, exauditur*. Accipe formulam orationis Judæorum (34): *Placeat tibi, Domine Deus noster, & Deus Patrum nostrorum, ut condones nobis iniquitates nostras omnes, & remittas nobis universas prævaricationes nostras, & expies nos ab omnibus peccatis nostris. Peccata quæ in te commisimus per vim coacti, & pec-*

(14) Vide Chrysost. Theophylact. Ambros lib. 1. Offic. cap. 30. Grot. Mald. alios. (15) Augustin. lib. 2. de Serm. Domini in monte; Author Oper. imperfecti. (16) Quidam apud Aug. l. 2. de Serm. (17) Ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. Ita legit August. in Latinis quibusdam, & Syr. & Græci fere omnes. (18) In Cantabrig. & Colb. duob. & aliis. Vide Mill. Not. (19) August. lib. 2. de Serm. Domini in monte: *Neque hic videri ab hominibus nefas est, sed ideo hæc agere, ut videaris*. (20) Hamm. Bez. Vide ad ℣. 2. (21) 2. Esdr. ix. 2. 5. Vide Dan. ix. 20. (22) Dan. vi. 10. (23) Act. ix. 40. xx. 36. xxi. 5. (24) Luc. xviii. 13. (25) 2. Reg. vii. 18. (26) Matth. xviii. 20. Vide Author Oper. imperfect. hic. *Alterum dico, alterius cordis: Qui autem ejusdem sunt cordis, etsi multi fuerint oratores, unum sunt*. (27) August. Hieronym. Hilar. Author Oper. imperfecti, in hunc locum. Ambros. lib. 1. de Caïn & Abel cap. 9. Chrysost. hic. (28) Matth. xxvi. 39. 42. 44. Luc. xxii. 43. (29) Μὴ βαττολογήσητε. (30) Vide Selden. de Diis Syris, proleg. cap. 3. (31) Vide Grot. hic. (32) Ligfoot. Le Clerc hic. (33) Jerosolym. Taanith 63. (34) Vide apud Selden. de Synedr. l. 1. c. 12.

peccata quæ in te commisimus sponte: peccata quæ commisimus in te ex ignorantia, & peccata quæ commisimus in te per revelationem turpitudinum. Atque hoc ordine longam texunt peccatorum seriem, iteratis identidem his verbis: *Remitte nobis, condona nobis, expias nobis.* Nemo jam non videt, quam absurdæ sint ineptæ hujusmodi repetitiones; quas Judæorum sapientissimi damnavere (33). Cogitandum est, cum oramus, nos *non narratores, sed rogatores* esse, inquit hic S. Hieronymus, precesque diuturniores Dei amplitudinem ac majestatem, nostramque ipsorum humilitatem dedecere, nisi aliter doceat Dei Spiritus; spiritus enim est qui intra nos orat, gemit, rogat Rom. 8. 26.

℣. 8. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis. Erras turpissime, si credas, Deum ignorare quid tibi opus sit, nostrisque illum verbis indigere, ut noverit. Stupidas Ethnicorum mentes solummodo hæc decet insania. Vult Deus nostram sibi a nobis inopiam enarrari, quo acrius sentientes & miseros nos esse, & Divina ope indigere, majori fiducia, atque animo demissiore ad ipsum confugiamus, ejusque beneficia grato magis animo excipiamus (34): Propitium nobis Deum facere nitimur, non docere quid cupiamus (35). Vetus quidam monebat ita Deum rogari: *Domine, miserere mei, ut scis, & ut vis.* Eadem ferme est Profani cujusdam sententia (Juvenal. Sat. x.)

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo, quam sibi.

Monebat Socrates (36), rogandos esse Deos simpliciter bona præstare, cum optime Dii quænam sint nobis bona scirent. Qui vero aurum, aut argentum, aut tyrannidem, aut quippiam hujusmodi a Diis orando petebant, illos simile quid opinabatur orare, ac si ludum talorum, aut prælium, aut aliquid orarent, cujus incertus exitus esset.

℣. 9. Sic ergo orabitis: Pater noster qui es in coelis. Cum Apostoli Jesum rogassent Luc. xi. 1. ut aliquam orandi formulam sese doceret, quemadmodum suos Baptista, hanc illos docuit, pulcherrimam certe atque excellentissimam omnium, quæ unquam dictæ fuere; quippe quæ paucis continet quicquid petendum ex Deo est, modumque orationi convenientem exhibet, humilem nimirum demissumque, ac plenum fiduciæ & obsequii erga Dei voluntatem absolutissimi (37). Hanc Tertullianus lib. de Orat. Dom. *breviarium totius Evangelii* nuncupat; utpote quæ revera, uti singula illius verba expendentes docebimus, doceat non ea modo quæ Christiano homini postulanda sunt, verum etiam quæ agenda, ut perfectam vitæ rationem assequatur.

Moris fuisse ajunt (38) apud Judæos, ut Doctores celeberrimi suis traderent Discipulis orandi formulas; multaque in Judæorum libris leguntur iis similia, quæ in Dominica oratione postulamus; quæ illi vel ex Evangelio mutuati sunt, vel ex communibus Religionis suæ sententiis, quibus sacra volumina passim scatent. Id porro certum est, orationem hanc penitus esse divinam, ac neminem, præter Dei ipsius Filium, docere potuisse qua ratione orandum esset, ut oportet. *Agnoscit Pater Filii sui verba, cum precem facimus* (39), & *dum oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audimur* (40).

Pater noster qui es in Coelis. Proprium hoc Legis novæ est, ut Deum Patris nostri appellatione invocemus: Christus enim id nobis comparavit, ut Cœlestis Patris filii & hæredes simus (41). Cum Deum appellamus patrem, originis nostræ principium agnoscimus, nostræque dignitatis reminiscimur. Nefas est, Dei filios terrena sentire, creatasque res amare. Deum illi absoluta animi fiducia ceu patrem adire possunt; cæterosque homines fratrum loco habere debent, quippe quibus communis unus est pater. Qui fieri poterit, ut Cœlestis Patris filii sint, cum idem Pater sese illis irarum fore minitetur, nisi amaverint? His verbis, *Pater noster*, docentur communi in loco & assensu orare, atque ab Ecclesia non sejungi (42): iis autem, *Qui es in Cœlis*, jubentur animum, desideria, cupiditates ad Cœlum atque æternitatem tollere. *Patris* nomine Veteres quamplurimi (43) Trinitatem universam intellexere; alii (44) *æternum Patrem. Cui dicimus, Pater noster? Patri Christi.*

Sanctificetur nomen tuum. Dei nomen, Deus ipse est. Porro nunquam non sanctus est Deus, nunquam non gloriosus, nunquam non laudatus, quin ulla nostrum sollicitudine indigeat. Nobis ille, nostris opibus laudibusque non eget; suam quippe gloriam tum ex bonis tum ex malis elicit. Quamobrem illud non petimus, ut suum ipse nomen gloriosum efficiat, aut nos illi gloriam comparemus; sed ut illius sanctitas, notitia, cultus, gloria omnes inter homines resque intellectu præditas increbescat (45). Dei nomen commendamus optimo vitæ instituto, rebusque pie & sancte gestis; nostramque ipsorum sanctitatem & gloriam flagitamus, cum nominis ipsius commendationem petimus, ait S. Augustinus (46): *Hoc rogas, ut quod semper sanctum est in se, sanctificetur in te, idest, sanctum habeatur, non contemnatur*, &c. Dei nomen sanctum non habebant Ethnici, quippe quod Numinibus tribuentes profanarent. Indignius de eo sentiebant Judæi, cum illud ea munditie & sanctitate, qua opus est, non usurparent. Bonitatis illius terminos intra solam Judæorum gentem ponebant, cæterosque penitus a fœderis communione excludebant. Jubet Christus optare Discipulos, ut Divini nominis cognitio omnes undique terrarum plagas gentesque pervadat (47).

℣. 10. Adveniat Regnum tuum. Multiplex est loci hujus explicatio. I. Utinam, o Deus, in mentibus animisque fide & charitate regnes (48)! II. Res omnes creatæ, intellectu potientes, Imperium tuum agnoscant, tuæque Providentiæ decretis humillime pareant (49). III. Statim veniat Cœleste Regnum, nosque in æterna tabernacula quamprimum excipiamur, vitaque nullis jam discriminibus aut infortuniis obnoxia gaudeamus (50). *Nihil est aliud, quam optare, ut dignos nos faciat regno suo*, inquit S. Augustinus. IV. deni-

(33) Eccli. vii. 15. Vide Grot. hic. (34) August. Serm. olim 48. de Divers. nunc 56. *Ideo voluit ut ores, ut desideranti det, ne vilescat quod dederit, quia & ipsum desiderium ipse insinuavit.* (35) Author Operis imperfecti. *Non ideo oramus, ut exponamus Deo quod volumus, sed ut placeat ei præstare quod desideramus.* (36) Xenophon, de Dictis & Fact. Socrat. (37) Vide August. Ep. 130. cap. 12. lib. 2. de Serm. c. 3. & Serm. 56. nov. Edit. & Cyprian. de Orat. Dominic. (38) Vide Luc. xi. 1. Gemarr. Babyl. Berachot; Ligfoot. Hor. Hebr. Grot. hic; Greg. not. 38. (39) Tertull. de Orat. Dominica. (40) Cypr. de Orat. Dominica. (41) Rom. viii. 15. 18. Galat. iv. 25. 29. (42) Author. Oper. imperfecti. (43) Chrysost. hic; Cyprian lib. de Orat. Dominica; Rupert. in hunc loc. (44) Aug. Tract. xxx. in Joan. & alibi. (45) Chrysost. hic. (46) Aug. Serm. olim 48. de Divers. nunc 56. & 57. (47) Tertull. de Orat. Dominica, c. 3. *Id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus, simul & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat.* (48) Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4. Auth. Oper. imperfecti; Hieronym. hic, & lib. 3. contra Pelag. Euthym. Greg. Nyss. lib. de Orat. Dominica. (49) Theophyl. Rupert. Mald. Est. Grot. Menochius. (50) Tertull. & Cyprian. lib. de Orat. Dominic. Chrysost. in Matth. Homil. 20. Aug. Ep. olim 21. nunc 130. ad Probam, c. 11.

denique, Jesu Christi Regnum fide, omniumque universi gentium conversione instituatur (51), nulloque unquam fine serveiur & crescat.

Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Absoluta Dei voluntas nunquam successu caret, cum vis nulla illius jussis repugnare queat. Impiorum etiam ac pervicacissimorum pessimi, *omnipotentis Dei consilia dum resistere nituntur, obsequuntur*, ait S. Gregorius Magnus l. 6. Moral. in Job c. 12. At hic illud postulamus, ut nostra ipsorum, cæterorumque hominum voluntas ita illius voluntati subjecta sit, ut nullo pacto illi repugnet (52). *Non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult*, inquit S. Cyprianus. Deum oramus, impiis conversionem impertiatur, ut ipsis Dei voluntati obsequentibus, ipsa Dei voluntas in ipsis expleatur (53). *Quando facimus voluntatem Dei, tunc fit voluntas ejus in nobis*. Optamus, ut Dei voluntas & decreta ita de nobis expleatur in terris, uti decretum in Cœlis fuerit: *Sicut fuerit voluntas in Cœlo, sic fiat* (54), ut Providentiæ consiliis absolutissime obtemperemus. Denique S. Augustinus (55), Author Operis Imperfecti (56), aliique plures ita explicant: *Fiat in nobis, sicut & in Angelis qui sunt in Cœlo, voluntas tua*.

℣. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. *Panis* nomine quodlibet ciborum genus in Scriptura usurpatur, atque ad omnia, quibus opus est ad vitæ conservationem, prorogari posset. Necessarius est panis, inquit S. Augustinus (57): insanum est divitias quærere, quæ superbiam alunt; minime insanum est postulare panem, quo carere non potes. Mendico similis es, Dei fores pulsanti: ne pudeat. Quantumvis dives, mendicus esse non desinis, nihilo secius quam cæteri. Quid porro flagitas? Panem quotidianum, uti mendicus. Unde enim habes, nisi ex liberalitate omnia largientis, cujus in potestate situm est, ut miserrimus statim fias? Quid haberes, si contraheret manum Deus?

Censent aliqui (58), his verbis, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis*, &c. nihil nos postulare, præter animæ cibum, gratiam, lucem, charitatem. Nihil Christo Jesu & Christiana sanctitate dignius, quam hæc postulatio. Explicant alii (59) de Divino Eucharistiæ Sacramento: *Sic vivamus, te largiente, o Deus, ut altari tuo non separemur*, inquit S. Augustinus. Impertire nobis *Eucharistiam tuam, quotidianum cibum*. Subdit: *Verbum Dei, quod quotidie nobis aperitur, & quodammodo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes*. At hujusmodi explicationes moribus magis, quam literæ serviunt.

Græca vox (60), quam Vulgatæ Scriptor in Luca *quotidianum*, hic *supersubstantialem* reddidit, magna fuit litium seges inter Eruditos. Monet S. Hieronymus in Matth. l. 1. c. 6. sese reddidisse *supersubstantialem* in Matthæo; at nequicquam sese repugnante, usu servatum esse *quotidianum*, cui vocabulo Antiquæ versionis assueverat populus. Idem animadvertit, in Nazaræorum Evangelio legi מחר *Machar*, cras: quamobrem, inquit Grotius (61), dirempta lis est, & Græcum *Epiousios* explicandum est pro die crastina, cum id omnino vox archetypa significet. Neque tamen stricto sensu usurpandum est de crastina tantum die, sed de futuro tempore. Impertire in posterum singulis diebus necessarium, quo alamur, cibum: at ne id quidem petimus, ut jam nunc omnia largiatur, quæ ad reliquæ vitæ usum necessaria sunt: id enim Divinæ Providentiæ ac liberalitati labem irrogare videretur. Illud solummodo rogamus, ut convenientem singulis vitæ diebus cibum largiatur; quasi dicamus: Victus nostri curam tuæ sollicitudini, o Deus, atque amori relinquimus. Ita Salomon Deum rogabat (62): *Divitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria*, Hebr. *panem mensuræ*, vel certam annonæ mensuram, quam quotidie servis distribuis. Suidas, Theophylactus aliique *Epiousion* interpretantur *sufficientem*, cum opponatur *Periousia*, quod est *superfluum*. Hæc autem sententia magnopere cum superiore consentit. Syrus: *Panem necessarium da nobis*.

Ajunt alii (63), servandam esse versionem, qua fertur *supersubstantialis*, panis nobiliori ordine ac natura; quasi, uti diximus, sacram Eucharistiam, vel Dei verbum, seu voluntatem intellexerit, quam par est verum esse nostrum omnium cibum, uti erat Christi (64): *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. Abaelardus (65) legebat: *Panem supersubstantialem*; atque ita recitari jusserat in Monasterio Paracleti; atque hanc legendi rationem adversus S. Bernardum tuetur. Reddunt alii: *Panem nostrum substantialem*, communem, nutriendo aptum. Non delicias aut superflua quærimus, sed ea solummodo, quibus omnino indigemus. Plerique demum Patres & Interpretes habent: *Panem nostrum quotidianum*. Non multa rogamus, sed panem; neque futurarum solicitudo nos angit: quotidiana contenti sumus annona; quæ probatissima est omnium interpretatio. Prior fortasse literæ magis servit; ab hac tamen non magnopere discrepat.

℣. 12. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus. Debita sunt peccata, teste Luca (66). Peccatorum veniam ita pollicetur Deus, ut & ipsi offensas cæteris dimittamus (67). Hoc simile est illi Matth. 5. 23. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo*. Vota tua & munera aspernatur Deus, dum odium & simultatem in fratrem animo foves. Æquum est, te denarios centum dimittere fratri, cum Deus decem tibi millia talentorum dimittat (68). Cum autem veniam fratri dederis, minime liber es pœnitentiæ necessitate, atque exhibendæ Deo & hominibus pœnæ ob crimina, quæ in utrosque patraveris. Mera conditio est, qua sine Deus veniam non largitur.

Verba hæc S. Augustinus (69) de quotidianis sis peccatis explicat, quibus plurimi etiam homines vel inviti non carent (70). Et dimittere vult quidem Deus, dum, quod ad te attinet, dimittas fratri quæ ille adversus te peccat. *Sponsionem cum*

(51) Aug. l. 2. de Serm. Domini in monte. (52) Aug. Serm. 58. novæ edit. (53) Aug. Serm. 68. n. 4. (54) 1. Macc. 11. 20. (55) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte; & Serm. olim 48. de Tempore, nunc 26. item Serm. 67. n. 6. Ita Chrysostom. Homil. 2. in 1. Tim. 11. & alibi. (56) Author Oper. imperfect. Homil. 14. Ita Hieronym. hic; Chrysost. Homil. 20. Theophyl. Euthym. (57) Serm. olim 48. de Divers. nunc 56. n. 2. 10. Ita fere Tertull. Cyprian. Chrysost. Nyssen. Beda, & alii innumeri. (58) Hieron. hic, Cyrill. Pet. Chrysolog. Rab. Isaac apud Cassian. alii. (59) Aug. Homil. olim 42. inter 50. nunc 58. n. 5. Tertull. & Cyprian. lib. de Orat. Ambros. l. 5. de Sacram. c. 4. & alii. (60) Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Luc. 11. 3. Δίδου ἡμῖν τὸ καθ᾽ ἡμέραν. (61) Vide Grot. & Ham. & Cleric. hic, & Mald. (62) Prov. xxx. 8. לחם חקי 70. Τὰ δέοντα, καὶ τὰ αὐτάρκη. (63) Ambros. l. 5. c. 4. de Sacram. Hieronym. alii. (64) Joan. iv. 34. (65) Abaelardi Epist. ad D. Bernard. (66) Luc. 11. 4. *Dimitte nobis peccata nostra*. (67) Cyprian. l. de Orat. Dominica. (68) Matth. xviii. 24. 25. 28. Vide infra, ℣. 14. 15. & Eccl. xxviii. 1. 2. 3. 4. (69) Aug. Serm. olim 48. de Divers. nunc 56. Serm. olim 42. inter 50. nunc 58. n. 6. 7. & Serm. alias 135. de Tempore, nunc 50. Idem Bonifac. l. 1. (70) 1. Joan. 1. 8. 9. 10. & Prover. xxiv. 16. & Matth. xviii. 21. 22.

Deo facimus. Hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: Dimitte, & dimitto. Non dimisisti: tu contra te eenes, non ego. Quotidianis te criminibus ipse opprimis, ceu sarcina. Quid vero refert, plumbo ne ao arena opprimaris? Moles una est plumbum; granulorum congeries, arena: hæc tamen minuta grana te numero comprimunt: levia peccata sunt, fateor: at *non vides, de guttis minutis flumina impleri, & fundos trahi? Minuta sunt, sed multa sunt.* Quamobrem ut quotidianorum hujusmodi criminum veniam referas, Dominica hæc oratio recitanda est, & quotidie dicendum: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. *Delet omnino hæc oratio quotidiana peccata* Aug. Enchirid. c. 71. ceu quotidiani baptismatis genus, quo assidua ferme flagitia abluimus.

Majora peccata, & quæ baptismum præcessere, dimittuntur pœnitentia, regenerationis Sacramento; modo tamen cæteris offensas dimiseris: secus, spes veniæ nulla est. Author Operis Imperfecti hom 14. animadvertit, quoddam hominum genus Dominica oratione abstinuisse, quod veniam cæteris largiri nollent. Hanc edita voce quotidie recitari jubet S. Benedictus Regul. c. 13. in officio ad Laudes & Vesperas, ut discant Monachi, debere se mutuam quotidianorum peccatorum veniam dare.

℣. 13. Et ne nos inducas (1) in tentationem. Vel, ne nos in tentatione relinquas; sive, Ne objicias nos tentationi; seu, Ne patiaris tentatione nos vinci. Innumeris obnoxii sumus Mundi, dæmonis, carnis & concupiscentiæ tentationibus. Mundus & blanditiis & terroribus aggreditur: diabolus arte omni ac nequitia utitur, ut nos in laqueum trahat. Hostem vero cæterorum perniciosissimum, unum illum, teste Jacobo 1. 14. quo trahimur ac superamur, concupiscentiam nimirum, assidua inter carnem & animum bella serentem, intra nos ipsi gerimus (2). Interdum etiam Deus arcano misericordiæ consilio tentationi nos objici patitur, ut probet aut purget: interdum justitiæ causa nos inimicis iratus tradit, ac superari patitur, ut infidelitatem aut superbiam puniat: quamobrem universa hominis vita dici optime potest assidua tentationis & præliorum vicissitudo, Job 7. 1.

His igitur verbis Deum rogas, ut vel ne sinat te obnoxium esse tentationi (3), qua superandus es, si tuis te viribus permittat, suaque ope & gratia destituat, vel necessarium tibi auxilium suppeditet, quo de inimicis victor evadas (4). Ex hoc loco validissimum ducebant argumentum Catholici adversus Pelagianos (5), qui nulla gratiæ ope posse hominem viribus suis peccata vitare asserebant. *Frustra dicimus, Ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere.*

Sed libera nos a malo. Græci Patres (6) & Latini quamplures hoc ita interpretantur, quasi diceret: *Libera nos a malo*, scilicet dæmone, saveque illis hoc loco Græcus. Accedunt his recentiores multi. Latini Patres (7) communius ita accipiunt: *Libera nos a malo*, nimirum hujus vitæ malis, ærumnis, calamitatibus, vel peccato, malorum omnium maximo. Postremam hanc interpretationem amplectuntur ii, qui Dominicæ orationis petitiones ex Judæorum usu acceptas esse ajunt, postulantium in Euchologiis libris, ut sese hujus vitæ malis ac periculis liberet Deus (8). Contendunt alii (9), hanc esse superioris petitionis explicationem, qua petimus, ut nos Deus a tentatione, quæ maximæ calamitatis loco a nobis habenda est, removeat; vel, siquidem obnoxii illi simus, minime superemur; id enim multo miserius foret.

Cum vero septem vulgo petitiones in Dominica Oratione recenseantur (10), atque hac sententia sex fiant, malumus, novam hanc esse petitionem, qua Deum rogamus, ut nos hujus vitæ malis liberet, sive illa ad corpus, sive ad animum spectent, ne ærumnæ quas patimur, gratiæ, patientiæ, Dei denique ipsius jacturam facere cogant. Flagitamus, ut vel hisce malis nos liberet Deus, vel iis vinci ne patiatur; victores ope gratiæ efficiat, vel beatissimo fine his discriminibus eripiat. Quamobrem dici potest, hac oratione a nobis postulari præteritorum criminum veniam, *Dimitte nobis debita nostra*; futurorum, *Ne nos inducas in tentationem*; & denique præsentium, *Libera nos a malo*. Huc spectare videtur Latina Ecclesia, cum in Liturgicis precibus, post ea verba, *Sed libera nos a malo*, subdat: *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præsentibus, præteritis & futuris* (11).

Post ea verba, *Sed libera nos a malo*, Græcus addit (12): *Quoniam tuum est Regnum, fortitudo, & gloria in sæcula. Amen.* Quæ additio legitur etiam in Constitutionibus Apostolicis, Opere Imperfecto in Matthæum, S. Chrysostomo, antiquis Græcorum Liturgiis, & Syriaca Gothicaque Versionibus. At probabilissimum est, hæc addita fuisse, atque e Liturgicis libris in Textum Matthæi irrepsisse; ea enim non ferunt Lucas xi. 4. aut ullus vetus Evangeliorum Codex apud Latinos, vetusti Græcorum Codices (13), Cophticæque & Arabicæ Versiones.

Amen, Fiat. Ita claudit Jesus orationem, quam docuit. Solebant Judæi, atque horum exemplo Christiani (14), publicis precibus in fine respondere: *Amen*. Vocem hanc non habent vetus Codex Cantabrigiensis, aliique quamplures Græci & Latini, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Augustinus, Versio Syriaca; eaque addita videtur ab altera quam Matthæi manu, postquam in Liturgicis precibus in fine Dominicæ orationis usurpari cœpit (15).

℣. 14. Si enim dimiseritis hominibus, &c. Vide supra, ℣. 12. & Matthæum, xviii. 24. 25. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam*, inquit Ecclesiasticus 28. 1. *& peccata illius servans servabit* Deus. *Relinque* (parce) *proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam; & de peccatis suis deprecatur? Ipse, cum caro sit, reservat iram; & propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius?*

℣. 16. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypo-

cri-

[1] S. Cyprianus, aliique plures ætate S. Augustini lib. 2. de Serm. Domini, legebant: *Et ne nos patiaris induci in tentationem.* [2] Galat. v. 17. [3] Tertull. & Cyprian. de Orat. Dominica; August. Ep. 157. cap. 6. & lib. de dono persev. cap. 6. Chrysost. alii. [4] August. lib. 2. de Serm. Domini; & Ep. olim 121. nunc 130. ad Probam cap. 11. [5] Hieron. lib. 3. contra Pelagg. & Aug. Ep. olim 89. nunc 157. ad Hilar. & olim 74. nunc 178. ad eumdem. [6] Chrysost. Homil. xx. Euthym. & Theophyl. hic; Tertull. & Cyprian. lib. de Orat. Dominica; Ambrof. l. 5. de Sacram. c. 4. & alii e recentiorib. plurimi. [7] Cyprian. lib. de Oratione Dominica; August. Epist. 130, nov. Edit. cap. 11. & lib. 2. de Serm. Domini, cap. 4. & lib. 2. de Serm. Domini in monte; Author Operis imperfecti, Jos. Gandav. cap. 41 Concord. [8] L. Musar 4. 12. Berachot fol. 18. Sedec Tephilim p. 142. [9] August. l. 2. de peccator. meritis. [10] Cyprian. lib. de Orat. Dominica; & August. lib. 2. de Serm. Domini in monte, & alibi. Brug. Erasm. [11] August. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 4. Tertull. lib. de Orat. Dominica, Maldon. [12] Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. [13] Vide Mill. var. Lect. Maldon. Grot. hic. [14] Deut. xxvii. 15. 16. 17. xxv. 26. & 1. Esdr. viii. 6. & 2. Esdr. v. 13. 1. Cor. xiv. 16. Justin. apol. 2. [15] Vide Not. Mill. in N. Test. & Grot. & Glass. & alios.

caitæ. Pharisæorum jejunium non damnat Christus, sed quæsitam tristitiam, os mœstum, languidum, afflictum. Græca vox (16) proprie sonat *tetricos*, austeros. Neque hic de jejuniis agit universæ genti communibus, & Lege imperatis; quippe quæ in magna jejunantium turba modicum relinquerent superbiæ Pharisæorum locum, nisi forte quæsita illorum austeritas, & extraordinaria afflictio emicuerit. At spontanea jejunia, severissime servata, Pharisæi affectabant, ex quibus ingens vulgi existimatio oriebatur. Jejunium servabant illi bis singulis hebdomadis Luc. 18. 11. secunda scilicet feria & quinta, vel interdum feria secunda & tertia, feria quinta & sexta, quibus diebus nedum carnibus, verum etiam jucundis quibuslibet obsoniis abstinebant. Cibum plane nullum sumebant ante solis occasum, dure cubabant, & sæpe humi (17); uxoribus etiam abstinebant. Nonnulli, teste S. Epiphanio, substernebant sibi spinas: ore incedebant macie ac pallore extenuato; addebantque tristem vultus habitum ac severiorem. Quæsita hæc jejunii adjuncta damnat Christus, eaque Discipulis interdicit. Quæ sit ratio Ægyptiorum Christianorum & Turcarum Ægypti in servandis jejuniis vide Maillet descript. Ægypti part. 2. pag. 68. & D. D' Arvieux tom. 1. pag. 267. 503. 509.

Exterminant (18) enim facies suas, ut appareant, &c. Servabant illi quidem jejunium, id quod negavit Author Operis Imperfecti; neque illud damnandum erat: neminem tamen id latere volebant, ridicula plane ineptissimaque ambitione. Græcus reddi potest (19): *Corrumpunt*, deformant, celant vultum; velato ore incedunt (20), veluti luctum agant. Vera tamen interpretatio est: Maciem, languorem, pallorem affectant. Inanissima hujusmodi exercitationum gloria, ineptaque hominum existimatio ex iis orta, loco mercedis futuræ iis sunt: *Receperunt mercedem suam*.

℣. 17. Unge caput tuum, &c. Cum jejunium servarent, balneo & unguentis abstinebant. Neque illud vult Christus, ut jejunii tempore deliciis hujusmodi utaris; sed ut inanem jejunii ostentationem ita fugias, ut aliud omnino agere videaris; ac pro tristi & austera Pharisæorum specie, os exhibeas facile, simplex, ac simillimum illi, quod reliquis temporibus præfers. Jubet denique te nulla simulatione aut arte uti, & ambitionem omnino aspernari (21). *Ne videaris jejunium tuum vendere hominibus, ne videaris contristaes in animæ tuæ salute*, inquit S. Ambrosius (22).

℣. 19. Nolite thesaurizare, &c. Thesaurum Hebræi nuncupant, quicquid servandum conditur, aurum, argentum, stannum, æs, pannos, vestes, vinum, oleum, fruges, & cætera. *Ærugo* (23) metalla corrumpit, vestes frugesque a vermibus (24) vitiantur; fur opes aufert, & parietes fodit. Perituras igitur opes, cujuslibet naturæ, ne quærito; indignas nimirum quas ames, ac nimium frequentibus periculis & calamitatibus obnoxias. Opes potius ac thesauros in Cœlis tibi compara, eleemosynæ bonorumque operum exercitatione. Minime vereberis, ne illa corrumpantur vermibus vel ærugine, aut a fure auferantur.

Vide ℣. 24. Vel, ex S. Hilario, cum superioribus conjuncta interpretare: Thesaurum tuum in hominum existimatione aut laude ne ponito; neque mercedem ex iis præstolare, sed ex Deo, & quidem uno. Deum specta & cœlum: eo thesaurum tuum & animum infer: *Ubi enim thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit.*

℣. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c. Parabolam seu comparationem non explicat Christus: at ita huic serviunt Patres (25). Oculus vicem lucernæ corpori tuo præbet: hic si nitidus fuerit, corpus totum in luce futurum est: sin ille obscurus fuerit ac nubilus, corpus totum tenebris occupabitur. Eadem omnino res in animo est. Animi oculus est ipse agendi finis, sive ut vulgo ajunt, intentio (26); quæ prout bona vel mala est, nitida vel obscura, quicquid agis, vel nitidum bonumque, vel obscurum ac malum facit. Quamobrem rectam facere satagito intentionem, rectaque desideria, si ea quæ tibi agenda sunt, recta & nitida esse cupis. Ut nitidus sit animi oculus, authore S. Bernardo (27), opus est sit *charitas in intentione, & veritas in electione*.

Alii (28), quampluribus freti Scripturæ locis (29), ubi *malus oculus* pro avaritia, *rectus oculus* & *simplicitas* pro liberalitate (30) usurpantur, damnari ajunt a Christo avaritiam & liberalitatem atque eleemosynam commendari; hæc vero consequi ex iis, quæ paulo ante dixit. Animum hujus vitæ bonis ne implicato, sed cogitationes & desideria ad Cœlum extollito; thesauros in æternas sedes colligito, ubi nullus est æruginis, tineæ & furis metus. Si liberalis & munificus fueris, futurus est in luce animus; si avarus, terumque terrenarum cupidus, animum tenebræ occupabunt. Avaritia denique vitium est odiosum, turpe, indignum, tenebricosum: liberalitas contra, virtus est nobilis, gloriosa, illustris, nitida. Animum avaritia humi deprimit; liberalitas quodammodo ad Deum attollit, quippe quæ illius misericordiæ, atque inexhaustæ bonitatis imitatorem facit. Multò proclivior, & Hebraicæ linguæ ingenio magis consentanea videtur hæc explicatio.

℣. 24. Nemo potest duobus dominis servire. Sequitur de avaritia & optimo divitiarum usu disputatio. Mammonæ servus est avarus: Dei servus est liberalis, qui optime divitiis utitur, easque in eleemosynas & bona opera erogat. Quemadmodum nemo servire duobus simul dominis potest; ita neque simul esse potes Dei servus & Mammonæ; avarus una & munificus. Avaritiam igitur & divitiarum amorem exue, siquidem Dei esse desideras. Optio datur duplicem inter dominum: elige. Minime vetat omnino Deus, ne sui bonis hisce caducis utantur, sed illa ne ament, illisque serviant. Porro qui utilem illorum usum habet, iisque præter cupiditatem & avaritiam utitur, servus minime est (31).

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique.

Aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Odio habere, contemnere hoc loco non est aliquem aversari aut spernere; sed minoris facere, minus amare quam alterum; prorsus illi addictum non esse aut amicum. Ita in Veteri Testa-

[16] Σκυθρωποί. [17] Vide Grot. hic. [18] Hieron. *Demoliuntur*. Chrysost. Διαφθείρουσι. Vatab. *Deformant*. [19] Ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες. [20] Hammond. hic. [21] Chrysost. Homil. xx1. Author Oper. imperfecti; Hieronym. Theophylact. Euthym. alii passim inter recentiores. [22] Ambros. lib. de Elia & Jejunio. [23] Βρῶσις hic synonyma est τῷ ἰῷ, rubigini. S. Augustinus & Auctor Operis Imperfecti legant; *Comestura exterminat*, pro *ærugo corrumpit*. [24] Σὴς, usurpatur pro verme vestes rodente, & fruges in horreis populante. [25] August. lib. 2. de Serm. Domini, num. 45. Ambros. in Psalm. cxviii. Serm. 14. Chrysostom. hic, Hieronym. Hilar. hic, Author Oper. imperfecti. Hix Erasm. Est. Brug. Grot. alii. [26] Augustin. lib. de Serm. Domini: *Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quicquid facimus; quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra necesse est bona sint.* [27] Bernard. de Præcep. & Dispensatione cap. 14. [28] Ligfoot. Hor. Hebr. Hamm. hic, & Cleric. in Matth. [29] Prov. xx. 1. 6. xxiii. 9. Matth. xx. 15. Rom. xii. 8. & 2. Cor. viii. 2. 12. 11. 13. Eccli. xiv. 8. 9. 10. [30] Vide Rom. xii. O' μεταδιδοὺς ἐν ἁπλότητι. 2. Cor. viii. 2. ix. 11. 13. [31] Horat. Epist. lib. 1. ep. 10.

mento sæpe usurpatur *odisse* (32). Unus ipse amari & coli vult Deus, nullo comite; vel illud saltem imperat, ut sui ipsius amor primas in hominum animis teneat. Porro qui opes effuse amat, is animum dividit, atque omnia desideria pecuniæ devovet.

Non potestis Deo servire et mammonæ. *Mammon*, seu *Matmon* (33) Hebraice & Punice sunt opes, lucrum, thesaurus. *Mammona* vox est Syriaca, idem sonans. Dicere videtur, tametsi non aperte satis, Tertullianus l. 4. contra Marcion. eu pariter nomine significari divitiarum Numen. Quamobrem idem erit ac *Dis*, *Ades*, seu *Pluto* Græcorum ac Latinorum, quæ nomina pro auro, argento & opibus sæpe usurpantur.

℣. 25. Ideo dico vobis: Ne soliciti sitis animæ vestræ, &c. Non damnat Christus justam victus vestitusque solicitudinem, quæ ratione ducatur. Deum tentas, si ea negligis, quibus Providentia res vitæ necessarias a te quæri voluit. Quamobrem non meram utcumque solicitudinem significat vox qua utitur Christus (34), sed, *Ne inquieti sitis*. Prohibet nimirum inquietas curas & animi angores, quibus aliquid effusissime quæritur. *Animæ vestræ*, vitæ, victui, corpori necessaria.

Nonne anima plus est (35) quam esca? Ut rerum nostrarum curam Deo relinquendam esse doceat, ita disputat Christus. Vita profecto bonum est multo pretiosius quam annona; corpus vero, quam vestis. Cum igitur Deus vitam & corpus, quæ majora sunt, dederit, minora etiam & quæ his accedunt, daturus est (36). Certissima munificentiæ illius pignora tenemus ex præteritis. Porro qui de nobis cogitavit, cum nondum essemus, nostri obliviscetur quos condidit? Primum fiduciæ de Deo argumentum. Tria deinde alia in consequentibus refert.

℣. 26. Respicite volatilia Cœli. Cum aves neutiquam laborent, Cœlesti a Patre nutriuntur. Multo igitur major illi erit vestrum cura, quos creavit, cæterisque animantibus præposuit (37); vestrum, inquam, qui ipsum nostis, & amare atque exorare debetis. Alterum habendæ de Deo fiduciæ argumentum. Quemadmodum autem Providentia, ferarum conservationi consulens, minime prohibet, quin illæ sibi victum comparent; ita quantumvis ingenti vestrum solicitudine teneatur, vestra itidem cura vesterque labor cessare non debent. Aves hoc loco S. Hilarius dæmones intelligit, alii Angelus (38). At tropicæ sunt interpretationes.

℣. 27. Quis autem vestrum cogitans, &c. Tertium fiduciæ argumentum, ex nostræ solicitudinis nostrorumque studiorum inutilitate. Cum ea in re, quæ in vestra potestate posita esse, atque ad vos propius spectare videtur, staturæ nimirum vestræ incremento, nihil penitus vestris e viribus pendeat (39); quid facturos speratis in iis, quæ extra vel supra vos sunt, puta in moliminum vestrorum successu, animorum ac voluntatis hominum conversione, temporum ordine, ex quibus felix aut misera vobis sors efficitur?

℣. 28. Considerate lilia agri. Hæc animadversio ad secundum argumentum pertinet. Si jucundas adeo efficit plantas Deus, earumque incrementum & perfectionem solicite adeo curat; qui fieri poterit, ut vos negligat? Nudos ne vos patietur, cum lilia pretiosis adeo ornamentis induat?

℣. 29. Nec Salomon in omni gloria sua, &c. Naturam imitari potest ars; vincere aut æquare innumeris in rebus nequit. Salomon in media vestium & Regiæ majestatis pompa nunquam ita micuit, uti lilium in agro; nobilis flos, procerus, venustissimus, coccinous, atque adeo candidus, ut oculos candore perstringat. Candidas vestes amabant Prisci. Monet Salomon Eccle. 9. 8. hominem jucundæ vitæ cupidum, ut vestes nunquam non candidas habeat. Ipse idem Salomon, teste Josepho Antiqu. 8. c. 2. plerumque candida indutus veste curru vehebatur. Cum Solon apud Crœsum Regem esset, hic omni Regiæ majestatis apparatu indutum sese exhibuit, rogavitque Solonem, num pulcrius ullum vidisset spectaculum. Vidi, inquit ille, gallos scilicet, pavones & phasianos (40).

℣. 30. Fœnum agri, agrestem herbam. Fœni nomine lilium donat, quod lilia in agro apud Palæstinos sponte proveniant. Vides hic, Judæos uti consuevisse ad ignem excitandum stipula, paleis, aliisque similibus (41): *Cras in clibanum mittitur*. Idem erat Ægyptiorum usus, uti docuimus in Ecclesiasticum, xl. 14.

Modicæ fidei. Latina vox *Fides* vel pro virtute, qua in Deum credimus, & fideles efficimur, vel pro fiducia in Deum, sive pro bona fide, sinceritate, æquitate, promissionis servandæ religione usurpatur. Hic pro fiducia in Deum accipitur.

℣. 31. Nolite ergo soliciti esse. Inquietas solummodo curas damnat, quales Ethnicis sunt, qui cum spe solida careant, fiduciam omnem in suo ipsorum labore & industria collocant. Ita laborate, ut nihil nisi ex Deo expectetis.

℣. 33. Quærite primum Regnum Dei, ejusque justitiam; atque hæc deinde appendicis loco omnia accedent. Primum omnium in illud nitimini, ut Dei Regnum quæratis, laboretis æternitati, justitiam & innocentiam vitæ colatis. Hoc primum & potissimum esto. Vitæ bona his accedunt. Neque laborandum esse negat, ut illa quærantur, inquit S. Augustinus (42), sed quæsito Dei Regno, posteriores solummodo curas his esse tradendas. Porro æterna dumtaxat vita necessaria est. Si fidelis es Deo, omnemque in eo fiduciam collocas, omnia ex illius providentia tibi expectanda sunt. Tria in eo expetuntur, ex quo aliquid expectas; sciat nimirum ea quibus eges, largiri velit, & possit. Omnia hæc Deus unus in se collecta tenet. Novit ille quid tibi desit; dare potest, utpote omnipotens, denique effusissime te amat, cum sit pater. Si ea denegat, quibus tibi opus esse putas, ut interdum Dei servis usuvenit, supplebit Deus, atque alia multo pretiosiora largietur.

Origenes & S. Clemens Alexandrinus legebant hic in suis Codicibus aliquid, quod in nostris deest (43): *Petite magna, & parva vobis adjicientur. Et petite cœlestia, & terrestria adjicientur vobis.* Omnino autem additiones hujusmodi ex vetere Nazaræorum Evangelio sunt, quorum in Codices nonnulla glossemata irrepserant.

℣. 34. Nolite ergo soliciti esse in crastinum, vel *in futurum*. Id agite, quod vestra in potestate positum est, & ita agite, uti vult Deus. Ea quibus vita indiget, labore quærite, at nulla solicitu-

[32] Genes. xxiv. 31. Deut. xxi. 15. 16. 17. Prov. xxx. 23. Judic. xiv. 16. xv. 2. 3. Reg. xxii. 8. Prover. viii. 36. xiii. 24. [33] ממונא *Mammona*. Syr. ממון *Mamon*. Hebr. ממוני *Mamoni*. Chald. [34] Μὴ μεριμνᾶτε. [35] Hilar. legit: *Pluris est*. [36] Chrysostom. Homil. 22. Author Oper. imperfecti; Augustin. lib. 2. de Serm. Domini; Hieronym. hic, Beda, Theophyl. Euthym. Strabur, alii. [37] Chrysost. Homil. 22. & alii passim. [38] Quidam apud Hieron. hic. [39] Chrysostom. Euthym. Theophylact. Maldon. alii. [40] Laert. in Solone. [41] Vide Sap. iii. 7. Matth. iii. 12. Luc. xii. 28. Eccli. xl. 16. [42] August. lib. 2. de Serm. Domini in monte: *Cum enim dixit illud primum, significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tamquam bonum nostrum, hoc tamquam necessarium nostrum.* [43] Αἰτεῖτε τὰ μεγάλα, καὶ τὰ μικρὰ ὑμῖν προστεθήσεται. Καὶ αἰτεῖτε τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰ ἐπίγεια ὑμῖν προστεθήσεται. Origen. de Orat. non semel; & Clem. Alex. l. 1. Stromat.

citudine aut anxietate: cætera Deo relinquite, ac vestri curam in futurum permittite (44). *Incuria solicitudinis relaxatæ*, quam imperat Deus, *non negligentiæ, sed fidei est*, inquit S. Hilarius in Matth.

Sufficit diei malitia sua, solicitudo, labor (45). Cum de futuris, rebusque in posterum imminentibus cogitas, inutilem sponte tibi laborem creas. Quorsum enim solicitudo & labor ob ea quæ nondum sunt, ac fortasse nunquam futura? *Malitiam* S. Hilarius hic peccatum interpretatur. Multa satis peccata quilibet dies habent, quibus expiandis diu noctuque occuperis, quin ob futura peccata tibi solicitudinem parias. Eodem modo explicat S. Ambrosius (46). Prior tamen interpretatio ab omnibus ferme probatur.

---

[44] Vide Augustin. loco citato, num. 58.

[45] Tertull. lib. 2. contra Marcion. Chrysost. in Matth. Homil. 25. Euthym. Theophylact. & Hieronym. hic; Augustin. lib. 2. de Serm. Domini in monte.

[46] Ambros. de Bono mortis, cap. 2.

C A P U T VII.

Pergit Jesu Christi sermo in monte. Ne temere judicaveris. Sancta cani ne dederis. Postulandum, quærendum, pulsandumque constanter. Falsi Propheta. Lupi pelle ovium induti. Bona arbor bonos fructus ferens. Domus lapidi superstructa, non arenæ.

℣. 1. Nolite judicare, ut non judicemini. 2. In quo enim judicio judicaveritis,
judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. 3. Quid
autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? 4. Aut
quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in
oculo tuo? 5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere
festucam de oculo fratris tui. 6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis
margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant
vos. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur
vobis. 8. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti
aperietur. 9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem,
numquid lapidem porriget ei? 10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget
ei? 11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto
magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona parentibus se? 12. Omnia ergo
quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex
& Prophetæ. 13. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est,
quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. 14. Quam angusta
porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inveniunt eam?
15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus
autem sunt lupi rapaces: 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt
de spinis uvas, aut de tribulis ficus? 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos
facit: mala autem arbor malos fructus facit. 18. Non potest arbor bona malos
fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. 19. Omnis arbor, quæ non
facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 20. Igitur ex fructibus eorum
cognoscetis eos. 21. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit
in Regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse
intrabit in Regnum Cœlorum. 22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine,
nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in
nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor illis: Quia nunquam
novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem. 24. Omnis ergo qui audit verba
mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra
petram. 25. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, &
irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. 26. Et
omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit
domum suam super arenam: 27. Et descendit pluvia, & venerunt flumina,
& flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.
28. Et factum est: cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ
super doctrina ejus. 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut
Scribæ eorum, & Pharisæi.

℣. 1. NOLITE JUDICARE, UT NON JUDICEMINI (1). Non quodlibet judiciorum genus damnat Christus; uti publica judicia, ab Reipublicæ quietem & concordiam instituta; neque ea, quibus Ecclesiæ Pastores de causis cognoscunt; sed mala judicia, maligna, præcipitata, temeraria, quibus proximus causa inaudita damnatur (2). Uni sibi servavit Deus, de hominum rebus moribusque ferre sententiam: ac vim infers Divinæ authoritati, ubi audeas judicare. Nihil obscurius homini est, quam quo consilio quis quid agat. Temerarium igitur est, de eo sententiam dicere. Denique, ubi certissime noveris malum quod vides, si divinorum judiciorum severitatem, tuæque ipsius vitæ institutum probe animadverteris, cautius multo in cæteros judicium & sententiam dices. In eo enim ipso, inquit Paulus Rom. 2. v. 2. quod fratrem judicas & damnas, tu ipse damnaris, cum fortasse pejora quam ille, tu admiseris (3).

His verbis potissimum argui putant Pharisæos, qui omnia quæ a cæteris agebantur, opinioni suæ contraria, omnino damnabant. Pessimum illorum ingenium toto passim Evangelio ostenditur. Christum assidue observant, atque omnia illius gesta pessimis interpretationibus torquent. Si ægros Sabbatho curat, aut cibum cum Publicanis sumit, vel fœminam, malæ olim famæ, accedere patitur, seu peccata dimittit, sive prodigiis homines sanat; omnia dicteriis spargunt, omnia temere ac deterrimam in partem distrahunt. Missus a Deo non est, inquiunt, sed profanus, a Dæmone actus, falsus Propheta, deceptor; prodigia ostendit nomine Beelzebubi. En Pharisæorum mores.

Temerariam illorum confidentiam damnat Jesus, monetque ne judicent, *ut ipsi non judicentur*. Quam vos in cæteros, eam in vos cæteri sententiam ferent. Si cæterorum gesta vos severissime expenditis, ipsi parem gratiam referent, nihilque dissimulabunt (4). *Qua mensura mensi fueritis, illi vos metientur*. Vel melius (5): Ita vos judicabit Deus, uti vos cæteros judicaveritis. Is porro judiciorum vestrorum inconsiderantiam, levitatem, nequitiam non imitabitur, sed severitatem, quæ in vobis iniquitas est, in Deo æquitas (6): *Judicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam*. Quod tibi fieri non vis, alteri ne facito: talem te cæteris exhibeto, qualea tibi cæteros optas. Certissima ea est charitatis erga proximos regula. Qui severissimus es in fratrem, mellius te excipi vis?

℣. 3. QUID AUTEM VIDES FESTUCAM IN OCULO FRATRIS TUI, &c. Vulgaris loquendi modus. Fratrum flagitia optime vides; tua non sentis nec vides: tibi lenis, austerus cæteris: omnia tibi ipse dimittis, fratribus nulla. Pharisæos alloquitur (7). *Festuca* (8), stipula, ligni frustulum sunt minima peccata, trabs, ingentia. Horat. l. 1. Sat. 3.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

℣. 5. EJICE PRIMUM TRABEM DE OCULO TUO. Optandum est, ut ii, quibus creditum est cæterorum regimen & judicium, vitio careant. Illud tamen præstandum iis est, ut æquissimi judices sui ipsorum sint, se ipsi observent, suaque vitia corrigere laborent, atque in cæteros ea lenitate utantur, qua cæteros erga se agere cupiunt. Qui vero nulla in proximos authoritate instructi, dicere de iis sententiam audet, curandum potius ipsis est, ut se ipsi corrigant atque expendant, quam cæteros (9). Ne pecces, cum de cæteris judicas, maxima tibi opus est prudentia & consilio.

℣. 6. NOLITE SANCTUM DARE CANIBUS, & suibus margaritas, ne has pedibus terant, & vos lacerent. Ysteron proteron. Legendum est: Ne vos lacerent canes, projectasque margaritas sues pedibus terant. Vulgares dicendi formæ, quibus exponenda negantur mysteria Religionis & salutis dogmata impiis, incredulis, obstinatis, denique hominibus illa cum obsequio non excepturis (10). Canis & sus impura erant animalia, ex Moysis sanctione, labemque contingentibus inferebant; quibus siquid sanctum aut sacrum projiceretur, puta carnes ex oblationibus victimisque Deo mactatis, id sacrilegii loco habebatur. Canibus significantur homines moribus dissolutis, impii, mali Christiani; vel etiam Judæi, hæretici, apostatæ, quibus illud solemne est, ut adversus optima dogmata sibi proposita impudentissime latrent; suibus Ethnici, infideles, Religionis hostes, nunquam non parati sanctissimas institutiones contemnere, ac pedibus terere, & eos insectari, quorum labore illæ nunciantur (11). Hujus sanctionis causa, veteres Ecclesiæ Patres (12) de Christianorum mysteriis caute adeo disputabant, eaque non nisi hominibus baptismate initiatis, cum obsequio excepturis, aperiebant.

Christianæ Ecclesiæ disciplinam de arcano mysteriorum, exemplo ferme omnium Antiquitatis Philosophorum, tuetur S. Clemens Alexandrinus (13). Maxime omnium Philosophica dogmata tenebris obvolvit Pythagoras (14). Silentii hujus necessitatem arcanis sententiis tradidit; quales sunt illæ; Ignem gladio ne fodito: hirundinem domi ne habeto: ollæ ab igne remotæ figuram in cinere ne relinquito. Monet Siracides Eccli. 32. 6. loquendum non esse, ubi aptus auditor non est: *Ubi auditus non est, ne effundas sermonem*. Id servavit Paulus erga Judæos Pisidiæ, convicia & jurgia in salutis dogmata congerentes (15). Judæis præsentibus ac Pharisæis, verba faciebat Jesus, pessimi illorum animi conscius; ac simul populi docilitatem agnoscebat: quamobrem & Discipulorum & multitudinis utilitati consuluit (16). Æquum erat, ut communis multorum utilitas modico seditiosorum numero præponeretur. Adde, quod arcano quodam loquendi genere cum illis agebat, neque indiscriminatim omnibus mysteriorum & parabolarum secreta aperiebat (17).

℣. 7. PETITE, ET DABITUR VOBIS. Non idem sub finem sermonis rerum nexus est, qui initio. Cum Jesus multa paucis tradere vellet, sententiosa & concisa oratione utendum fuit, ut brevis esset. forte etiam Evangelistæ id sibi non proposuere, ut Christi dogmata eo ordine, quo ille tradidit, recitarent. Jubet hic *petere*, *quærere*, *pulsare*, ut veritates saluti necessarias Divino lumine nosse atque intelligere, divinaque ope exequi possis. Docet, qua sedulitate, quo ardore, qua constantia petendum sit (18). Datutum sese pollicetur,
dum

(1) Codices nonnulli ferunt: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & condemnabimini.* Non legunt Patres. Vulgata cum Græco consentit. (2) Hieron. hic: *Non prohibuit judicare, sed docuit.* Vide August. Bedam hic, Basil. Regul. Brevior. 164. Maldon. hic. (3) Vide Chrysost. August. Bedam, Anast. Euthym. (4) Brugens. Piscat. alii quidam. (5) Chrysost. Homil. 24. August. lib. 2. de Serm. Domini; Author Oper. imperfecti, Beda, Euthym. alii passim. (6) Jacobi 11. 13. (7) Vide Matth. xxiii. 4. (8) Κάρφος, μικρὸν ξύλου λεπτόν. Hesych. Alii, φρύγανα, Sarmenta. (9) Chrysostom. Homil. 24. August. lib. 2. de Serm. Domini, &c. (10) Chrysost. Homil. 24. August. l. 2. de Serm. Domini, &c. (11) Græc. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. Alii. Τὰ ἅγια. Ita Stephan. codd. 2. & alii tres apud Mill. & Chrysost. hic. (12) Vide Hieronymum, Chrysostomum, Euthymium, Augustinum, &c. (13) Stromat. lib. 5. Vide Homil. 24. Chrysost. in Matth. hic. (14) Jamblic. de Pythagor. l. 2. c. 23. (15) Act. xiii. 45. 46. (16) August. lib. 2. de Serm. Domini in monte. (17) Luc. ix. 10. 11. (18) August. l. 1. c. 19. Retract.

dum uti oporteat, & quę oportet, postules (21). Quod maxime omnium dignum est ęstimatione, opus est illud solicite magnaque animi contentione quæras: non enim satis magni faceres, si nihili staret (22): *Diù desiderata, dulcius obtinentur: cito autem data, vilescunt.*

Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, inquit S. Augustinus l. de moribus Eccl. *amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum est permanetur*. Petit fides, spes quærit, charitas pulsat (23). Oratione petitur, quæritur vitæ probitate, pulsatur perseverantia (24). Nihil omnino est fides bonis operibus vacua: si fide oras, neque tamen bona opera subjicis, nihil æternitate dignum facis. *Si opera justitiæ non facis, id est, si non pulsas; nec orare ex fide potes; nam virtus orationis, est opus justitiæ.*

℣. 8. Omnis qui petit, accipit. Neminem a liberalitatis suæ opibus excludit Deus. Humilitatem solummodo, animi fervorem, perseverantiam ex nobis exigit. Præterea vult digna se, & saluti utilia postulari. His servatis, quidlibet postula: impetrabis (25). *Hortatur ut petas: negabit quod petis? Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat*; meliora daturus quam postulas (26): *Non tribuit sæpe quod volumus, ut quod mallemus attribuat*. Si filius toxicum patrem rogat, daturus ne est pater? Postulamus interdum ea, quæ concessa exitio futura sunt (27).

℣. 11. Quanto magis Pater vester, &c. Lucas xi. 13. habet: *Quanto magis Pater vester de Cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Bonus spiritus, mens bona, bonæ sententiæ omnium maxime necessaria sunt, ut Deum & justitiam ames, & virtutem exerceas. Hæc porro summa est officiorum, quæ ab homine Christiano debentur. Cætera deneget Deus: hoc unum si largiatur, satis beatus es: orationis fructum tulisti.

℣. 12. Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, &c. Ita claudit Christus ea quę de mutuis hominum officiis hactenus disputavit. Quæ tibi fieri vis, alteri facito: quę non vis, alteri ne facito. Hanc Christianorum sententiam admirabatur Severus Imperator, eamque assidue ore versabat. Monuit filium Tobias iv. 6. ut alteri ne faceret, quę sibi fieri nollet. Tales nos esse inferioribus jubet Isocrates ad Nicocl. quales nobis optamus majores. Ubi de charitate erga proximos agunt, nihil ferme nisi hoc ipsum commendant Lex & Prophetæ. Hæc fere summa est omnium, quę ab illis traduntur.

℣. 13. Intrate per angustam portam, &c. Angusta porta sunt Jesu Christi dogmata Evangelica pręcepta & consilia (28); latior via, sęculi mores, & mundi leges. Angusta ad vitam; lata ad exitium & inferos ducit. Christiani hominis vita est abstinens, ęrumnis & laboribus plena. Ut Christum sequare, tollenda est Crux, calcandaque Christi vestigia. Ut sequaris mundum, gerendus est mos cupiditatibus & naturę. Levis est Christi Crux, & jugum suave, iis pręsertim, qui Christi charitate fervent (29): sęculi iter, ejusque amatorum vita in pręcipitia ęternaque mala desinit. Beatitudinem, quam dare nequit, mundus pollicetur: Christus suaves, innoxias, æternasque voluptates; quas & suis vel in hac vita gustandas porrigit.

Viam, qua ad virtutem itur, longam esse, ait Hesiodus (30), initio difficilem atque asperam; at denique latiorem fieri & faciliorem. Monebat Discipulos Pythagoras ap. Athæum l. 9. ut majora itinera vitarent, & semitas infrequentiores sequerentur; quo ænigmate docebat, turbam non sequi & ea quæ faciliora videntur. Veteres denique Philosophi (31) eadem ferme comparatione, qua Christus, utuntur, ut utramque viam significent, quæ nimirum ad beatitudinem, & quæ ad exitium ducit.

℣. 15. Attendite a falsis Prophetis, &c. Prophetæ apud Judæos non ii modo sunt, qui futura prædicunt, sed omnes generatim, qui divino Numine se afflatus asserunt, Scripturas interpretantur, & publice docent. Falsi Prophetæ veros, qua licebat, imitabantur. Veterum verorumque Prophetarum vestis simplex erat, & austera; ex vellere nimirum Hebr. 11. 37. vel sacco & cilicio (32). Ita solebant Jeremias, Elisæus, & Baptista. Hujusmodi vestium genere utebantur falsi Prophetæ (33), omnemque veterorum Prophetarum habitum cultumque imitabantur; prædicebant futura, & Dei nomine loquebantur. Una tamen ex re optime noscebantur, secreto scilicet vitæ instituto, operibus, moribusque. Horum vaticinia mera erant mendacia; hypocrisim moribus, sermonibus inconstantiam præseferebant: lupi denique erant ovium vellere induti. Impios palpabant: Procerum ambitioni, impietati & flagitiis, vulgi superstitioni & idololatriæ assentiabantur; sanctissima dogmata sermonibus corrumpebant; Legis denique vim pessimis interpretationibus frangebant.

Tales plerumque erant Scribæ & Pharisæi, Christi ætate: hos præsertim hic arguit Christus. Discipulos munit adversus Pseudo-Christos & Pseudo-Prophetas, quos deinde diabolus producturus erat, veluti *Theodam* (34), & *Barjesum* de quibus Acta 13. 6. *Barchochebam*, filium sideris, sequenti sæculo adeo perniciosum; Simonem Magum, Apollonium Thyanæum, aliosque sexcentos.

Denique falsorum Prophetarum nomine Patres (35) complectuntur universos ex Judæis aut Christianis falsos Doctores, tum qui Evangelicum iter æquo angustius, tum qui latius facere conantur: qui res novas in Ecclesiam inferunt; qui simulata pietatis specie, novisque & superstitiosis exercitationibus populum fallunt; qui Christi dogmata vel laxitate vel austeriore doctrina corrumpunt: hos porro omnes, hæreticos, schismaticos, hypocritas, Jesus nuncupat rapaces lupos, ovium vellere indutos.

℣. 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Ut videas, arbor bona sit nec ne, fructum inspicis. Ut intelligas, verus ne an falsus Prophete quispiam sit, verus Apostolus an hypocrita, illius fides expende (36), quid credat, quid agat (37); qui mores, quæ dogmata. Statim prodibit, si deceptor est & hypocryta: error, animi inconstantia & vitium sponte ipsis operibus proferentur.

(21) Jac. iv. 3. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* (22) August. Serm. 5. de verbis Domini, nunc 81. in nov. Edit. (23) Vide August. Ep. 130. c. 9. & 13. (24) Tertull. de Orat. Dominica. (25) August. Serm. 61. (26) August. de Paulin. Ep 31. nov. Edit. num. 1. (27) Vide eumdem, Epist. 140. nov. Edit. p. 7. (28) Confer Luc. xiii. 23. 24. Rom. viii. 18. 2. Cor. iv. 17.
(29) Matth. 21. 30. Chrysost. hic.
(30) Hesiod. . . . . Μακρὸς δὲ, ϗ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.
(31) Vide Tabul. Cebetis, & Sophoclem, apud Justin. de Monarchia.
Καὶ τὰς καθ' ᾅδου δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χ' ἑτέραν ἀδίκων ὁδόν.
(32) 4. Reg. 1. 8. Isai. 22. 2. Matth. iii. 4. (33) Zach. xiii. 4. *Nec operientur pallio saccino, ut mentiantur.* (34) Act. v. 36. (35) Chrysost. hic, & Auth. Operis imperfect. (36) Tertull. lib. 1. contra Marcion. (37) August. & veteres omnes. Vide Maldon. & Jans.

gur. Fideles suos diu falli non patierur Deus, aut impium diu verborum suorum sanctitate abuti: quamprimum is manifestus fiet.

℣. 17. Omnis arbor bona bonos fructus facit. Ne illud hinc colligas, pios nihil mali agere, & nihil boni malos: sed universe de omnibus totius vitæ moribus & gestis intellige. Animum sequuntur opera: si vitium in animo est, quantumvis conere, innumeris e locis undique proferetur: si rectus purusque sit animus, universa operum series mundiriam hanc & æquitatem referet. Peccare interdum vel piissimi possunt: at hoc lapsuum genus optime secernitur ab iis, quæ ex corrupta atque effræna voluntate oriuntur.

℣. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, eo modo quo diximus. Si bona esse pergens, malos aliquos fructus fert, id vel imbecillitatis est, vel imprudentiæ. Bona tamen arbor fieri potest degener, & vitiari, quamobrem malos fructus feret; quemadmodum quæ mala est, fieri potest bona, & bonos fructus ferre (38), *Non dabit arbor mala bonas fructus, si non inseratur; & bona malas dabit, si non colatur*, inquit Tertullianus l. de anima. Fidelis Doctor bona arbor est; fructus nonnisi bonos feret; dogmata tradet verissima & optima. Arbor mala est hæreticus: quicquid ille doceat, time, quamvis enim ille bonitatis speciem præ se ferat, pessima sunt illius instituta, & corruptissima: veritas manifestissima apud illum perniciosis erroribus miscetur. Aptissima omnium videtur hæc explicatio.

℣. 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, &c. Qui salutis dogmata nunciant, qui Dei verba prædicant, qui longis precibus Deo supplicant, Divinumque nomen sæpe labiis versant, his non idcirco certa est Regni Cœlestis acquisitio (39), Fides charitate vacua, mortua est (40); bonisque operibus destituta, inutilis est æternitati. Animum moresque cum fide ac verbis consentire oportet (41). Fructum postulat Deus, non folia.

℣. 22. Nonne in nomine tuo prophetavimus? Prophetiæ ac Prodigiorum dona satis certo non probant, sanctitate & virtute excellere, quos Deus hisce donis instruxit. Ea prorsus inania sunt, si fides & charitas absint 1. Cor. 13. 1. 2. Quamplurimi sunt, qui in nobilissimis Ecclesiæ muneribus claruere; docuere multi & verba fecerunt; vaticinati etiam sunt, & responsa dedere, quibus tamen clausos est cœlestis Regni aditus, ob pessimum vitæ institutum. *Prophetare* hoc loco usurpatur universe pro publico quolibet munere, futura prædicendi, interpretandi Scripturas, docendi populum, verba publice faciendi, &c. *In nomine tuo*, tua auctoritate, missionis tuæ virtute, ut dogmatum tuorum veritatem, utpote Discipuli, confirmaremus.

Fatentur Patres (42), posse interdum fieri, ut impii homines veris prodigiis clareant, quamquam alio plane, quam Jesu Christi, spiritu ducantur. Caiphas, tametsi impius, de Christo prophetavit Jo. xi. 51. Balaam quoque Vates fuit Num. 24. 17. & Judas communi cum cæteris Apostolis potestate patrandi prodigia instructus, una cum reliquis ad Jesum venit, gratulans, malos etiam spiritus suis imperiis obtemperare (43). Ut dignus Dei Regno sis, non satis est, si Dei numen scias & cæteros doceas; opus est, illius gratia instruaris, ejusque spiritu vivas (44).

℣. 23. Numquam novi vos. Non eam cognitionem significat, quæ in sola contemplatione consistit, sed quæ probat & amat. Nunquam mei vere fuistis, neque ex eorum numero, quos mihi dedit Pater (45): mores vestri nunquam placuere; nunquam ex electorum grege fuistis. Vide *Joan.* x. 4. 1. *Cor.* viii. 3. 2. *Timoth.* ii. 19. &c. ubi *cognoscere* est *probare*.

℣. 24. Qui audit verba hæc, &c. Christus est lapis, cui nostræ salutis ædificium superstruendum est 1. Cor. 3. 2. Si ea quæ ipse docet expleveris, ejusque exempla imitatus fueris, promissam Discipulis & amicis beatitudinem assequeris. Ita strues ædificium, procellis & alluvionibus, hujus nimirum vitæ ærumnis ac tentationibus, minime obnoxium.

℣. 29. Erat docens eos, sicut potestatem habens, vel uti Dominus, ut Propheta, ut Deus. Legislatoris habitum præferebat, Scribis & Pharisæis non convenientem. Hi servorum more ipsa Legis verba sequebantur, vel Magistrorum dogmata & explicationes laudabant, vel argumentis & ratiocinatione utebantur, rationum momentis vincere & persuadere conati. At Christus responsa dabat, veluti ex oraculo, & absolutam responsis fidem exigebat, inquiens: Ego sum qui loquor; ego dico; ego præcipio. Veteres Prophetę plerumque verba facere incipiebant ex iis: *Hæc dicit Dominus*. Pharisæi & Scribæ: Imperat Moyses, Lex sancivit, magistri docuere.

Externam non quærit authoritatem Christus, ut fidem sibi conciliet: populum quodammodo cogebat rerum traditarum magnitudine, oris majestate, orationis vi, & imperio quod in animos mentesque exercebat. Hęc docendi ratio brevior est, facilior, augustior, & Numine dignior (46). Siquando doctrinæ suæ argumenta producere voluit, suam ipsius Divinitatem ac missionem ostendit: si vero dogmata sua cum Mosaicis & Propheticis consentientia probare placuit, id ea præstitit authoritate & dignitate, quas in admirabili hoc montis sermone, hactenus explicato, totiusque Religionis Christianæ Breviario, cernere licuit. Lactantius lib. 3. de falsa sapientia cap. 1. pag. 191. *Non decebat Deum aliter loqui, ut cum Deus ad homines loqueretur argumentis assereret suas voces tamquam fides ei non haberetur, sed ut oportuit est loquutus, & quasi rerum omnium maximus Judex, cujus est non argumentari, sed pronunciare*.

(38) August. Hieron. Chrysost. Author Oper. imperfecti ad hunc loc. (39) Author Oper. imperfecti. (40) Jacobi ii. 20. 26. (41) Hieron. Theophyl. Euthym. (42) Chrysostom. Homil. 25. Hieron. hic; Euthym. Theophyl. August. Serm. 90. nov. Edit. & libro de Divers. quæst. 83. q. 79. num. 3. 4. & lib. 2. de Serm. Domini. (43) Matth. x. 1. Luc. x. 17. (44) Auth. Oper. impers. (45) Joan. xvii. 2. 6. 7. 8. 11. 12. xviii. 9. (46) Vide Grot. Brug. Est. Ligfoot.

C A-

CAPUT VIII.

Curantur leprosus, filius Centurionis, & socrus Simonis. Jesus lacum Genesareth trajicit, procellam sedat, Dæmones ab hominibus abigit. Dæmones in porcos ingressi, illos lacu præcipites mergunt.

℣. 1. CUM autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: 2. Et
ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis potes me
mundare. 3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et
confestim mundata est lepra ejus. 4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed
vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium
illis. 5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum,
6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.
7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum. 8. Et respondens Centurio, ait:
Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sa-
sanabitur puer meus. 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens
sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii: Veni, & venit; & servo
meo: Fac hoc, & facit. 10. Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se
dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. 11. Dico autem vo-
bis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &
Isaac, & Jacob in Regno Cœlorum. 12. Filii autem Regni ejicientur in tenebras
exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. 13. Et dixit Jesus Centurioni: Vade,
& sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. 14. Et cum venisset
Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem: 15. Et teti-
git manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. 16. Vespere
autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus verbo: &
omnes male habentes curavit: 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam
prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras por-
tavit. 18. Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum:
19. Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te quocumque ieris. 20. Et
dixit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis
non habet ubi caput reclinet. 21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine,
permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. 22. Jesus autem ait illi: Se-
quere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 23. Et ascendente eo in navi-
culam, secuti sunt eum discipuli ejus. 24. Et ecce motus magnus factus est in ma-
ri, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat. 25. Et accesserunt ad
eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.
26. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit
ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. 27. Porro homines mirati sunt,
dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? 28. Et cum venisset trans
fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de mo-
numentis exeuntes, sævi nimis, ita út nemo posset transire per viam illam. 29. Et
ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis & tibi, Jesu fili Dei. Venisti huc ante tem-
pus torquere nos? 30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pa-
scens: 31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos
in gregem porcorum. 32. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: &
ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. 33. Pa-
stores autem fugerunt: & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis,
qui dæmonia habuerant. 34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu: & viso eo ro-
gabant, ut transiret a finibus eorum.

℣. 1. CUM AUTEM DESCENDISSET DE MONTE, &c. Magna hominum pars, qui sermonem superioribus tribus capitibus recitatum audiverant, Jesum sequuti, venere Capharnaum, ubi is sedem fixerat.

℣. 2. ECCE LEPROSUS VENIENS ADORABAT, &c. Vix docere desiit Christus, statim dogmata prodigiis confirmat (1). Neque ad Jesum, neque ad comites accedere ausus est Leprosus, quod hoc hominum genus a consuetudine cæterorum Lege excludi

[1] Chrysost. Homil. 26. Item Hieron. hic, & August. de utilitate credendi, cap. 14.

cladi nosset. Stetit igitur in itinere; atque ingressuro mox in urbem Jesu, flexo genu, ore in terram prono, oravit ut sese incolumem redderet. Ita hoc explicandum est, ut tres simul Evangelistæ concilientur. Marcus enim scribit, illum flexo genu orasse (2); Lucas v. 12. *cum esset Jesus in una civitatum*; scilicet, mox urbem ingressurus; leprosus enim in agro erat, neque urbem ingredi audebat; *procidens in faciem*, incolumitatem postulavit. Civitas esse videtur Capharnaum. Sunt qui leprosum Marci & Lucæ alium esse censeant ab hoc, de quo Matthæus.

DOMINE, SI VIS, POTES ME MUNDARE. Veteres quamplurimi (3) putavere, leprosum vero latriæ cultu Christum adorasse, cum *Dominum* nuncupavit. Fidei illius magnitudo, firma fiducia, ipsiusque voluntatis cum divina absoluta consensio ipsa precandi formula demonstratur. Porro nobilissimum est orandi exemplum, inter cætera quæ in Evangelio recitantur. Incolumitatem omnino nullaque conditione non postulat, sed si visum fuerit Deo. Neque ait, Potes incolumitatem mihi ex Deo impetrare, sed dare potes, si velis. Quamobrem illius divinitatem & omnipotentiam confitetur. *Voluntas Dei potestas est*, inquit S. Ambrosius in Luc. lib. 5.

Lepra morbus erat in Palæstina finitimisque locis notissimus, cutem afficiens, deformitas potius quam morbus. Quamobrem non orat leprosus: *Potes me curare*; sed, *Potes me mundare*, labem auferre. Leprosos arcet Lex ceu homines, quibus labes permanens hæret, unius Dei virtute purgandos. Manum idcirco curando homini medicus non admovebat, quippe cum pœna a Deo immissa crederetur. De hoc morbo fuse disputavimus peculiari Dissertatione, ad Leviticum.

℣. 3. TETIGIT EUM, DICENS: VOLO: MUNDARE (4). Leprosos Lex Levit. 13. 45. a cæterorum consuetudine arcebat, ne morbus alios invaderet, & qui labe carebant, illorum propinquitate inquinarentur. At nullum referendæ labis discrimen erat Sacerdotibus, si & tangerent, & examinarent; aut Medicis, si ægrotum inviserent, & solatium admoverent. Jesus quoque, dum tangens sanavit, labem non retulit (5). Nec mentem Legis violavit, nec verba; revera enim leprosum non tetigit; quippe simul tangens purgavit. Res prodigio & supra naturam gestæ, Legi obnoxiæ non sunt. Hic sese Christus non Legis servum, sed dominum probat; quippe qui pollutum hominem tangens, nedum ipse labem ex eo non refert, sed ipsum & purgat & sanat. Tres una hac re hæreticos vinci, animadvertit S. Ambrosius in Luc. 5. I. *Volo*, inquit Jesus, absolute imperans, refellensque Photinum, qui Filio potestatem Patri parem inesse negavit. II. Morbo imperat, *Mundare*; adversus Arium, Jesu Christi divinitati & Omnipotentiæ repugnantem. III. Leprosum tangit, quo conficitur Manichæorum error, negantium veram ac naturalem Christo carnem fuisse.

℣. 4. VIDE, NEMINI DIXERIS. Curatos a se homines, cæterosque prodigiorum testes sæpe jubet Christus nemini significare. Quorsum id? Patres plerique (6) censent, hoc a Christo servari humilitatis causa & modestiæ. Docere voluit exemplo, quantopere fugiendum sit, quicquid ambitionem ac superbiam pascit. Aliis id servasse videtur (7), ne invidiam nequitiamque Sacerdotum ac Pharisæorum, nullas non illius perdendi opportunitates quærentium, excitaret. Porro sapientissimum erat atque optimum, cessantes non provocare, ne decretum mortis & Passionis tempus præverteret (8). Præterea res ipsa postulabat, ut Evangelica dogmata propagarentur, majoresque vires acquirerent, minima hostium pugna. Provocandi igitur non erant ingenti prodigiorum strepitu. Ita ipsum vides silentium Dæmonibus imperantem, a quibus Christus esse dicebatur; tum fugientem, ubi populum videt mox convolaturum, seseque pro Rege salutaturum. Suum ipse Regnum quietis rebus ac sine tumultu condere meditabatur.

Placuit aliis (9), Christum, qui, ea quæ homines docere decreverat, sapientissime distribuebat, Divinitatis suæ argumenta proferre non festinasse, cum satis & verba & prodigia prædicarent. Hæc tamen confirmanda erant Resurrectione; qua peracta, prodigia & dogmata, antea ex parte solummodo intellecta, vim omnem prolatura erant, & multo validius persuasura. Hinc fit, ut Pharisæis aliquando signum seu prodigium postulantibus, responderit Christus Matth. 12. 39. aliud se prodigium non exhibiturum, præterquam Jonæ, nimirum Resurrectionis, dogmatum cæterorumque prodigiorum fidem confirmaturæ. Et Matth. 17. 9. Discipulos, Transfigurationis suæ testes, monet, ne cui hoc ipsum, nisi post Resurrectionem, narrent.

OSTENDE TE SACERDOTI, ac doce, Legem a me non destrui, sed impleri (10), imo & imperari, ut integerrima religione servetur. Vel (11): Ostende te Sacerdoti; at ne prius dixeris, te a me restitutum esse incolumitati, quam te Sacerdotes revera incolumem esse cognoverint; si enim id a me præstitum esse scirent, technas fortasse struerent, vetarentque ne in cæterorum consortium admittereris. Denique, exhibe te Sacerdoti, ut Messiam venisse intelligant; quippe inter ea quæ de Messia in Scripturis (12) dicuntur, leprosorum curatio recensetur. Necesse omnino erat, ut Sacerdotes veritatem prodigiorum Christi docerentur; cum futurum esset, ut, vel inviti, testes illorum fierent. Hæc parabat Apostolis argumenta Christus, post Resurrectionem promenda.

IN TESTIMONIUM ILLIS. Te exhibe Sacerdoti, & hostiam Lege Levit. 14. 50. imperatam adducito, ut vel hoc ipso incolumitas restituta demonstretur, siquando repugnare voluerint Sacerdotes (13). Aliter (14): Hostiam adducito, ut Messiæ adventum testere, cujus indicium est reddita leprosis incolumitas. Denique: Sistito te Sacerdoti, ob restitutæ valetudinis testimonium, ut populus universus videat ac sciat. Proficiscendum erat Jerosolymam, ut quis purgaretur lepræ macula, & oblationem sisteret. Nefas erat, leprosum in cæterorum societatem admitti, nisi Sacerdotes omnino purgatum esse pronunciarent (15). Docet Hammondus, id in ea re servari consuevisse, ut leprosus ad Jerosolymæ portas accederet, ibique a Sacerdote examinaretur, ex Legis instituto Levit. 13. 2. Ubi purus inveniretur, introducebatur in urbem, deinde in Templum, ubi is sacrum faciebat (16), mactatis prima die geminis passeribus, & agnis duobus octava.

℣. 5. CUM AUTEM INTROISSET CAPHARNAUM, ACCESSIT AD EUM CENTURIO. Curato in Capharnai portis, vel prope urbem leproso, ingressus oppidum Jesus, obvios habuit senatores, vel Judæorum seniores, orantes Centurionis nomine (17), ut ipsius puerum incolumem restitueret. Proficiscen

(2) Marc. 1. 40. *Genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare.* (3) Chrysostom. Auth. Operis imperfecti, Euthym. Theophylact. hic. (4) Καθαρίσθητι. (5) Auth. Oper. imperfecti in hunc loc. Mald. Jans. (6) Ambros. lib. 5. in Loc. Chrysostom. Homil. 26. Euthym. Theophyl. Beda, alii.
(7) Vide Auth. Oper. imperfecti, Grot. Mald. Menoch. (8) Joan. II. 4. VII. 8. 2. 30. VIII. 20. XII. 23.
(9) Vide Hammond. hic, & Le Clerc. (10) Tertull. lib. 4. contra Marcion. Chrysost. Hieron. Euthym.
(11) Theophylact. (12) Isai. XXI. 1. Matth. XI. 5. (13) Chrysost. & Hieron. hic; Ambros. in Luc. lib. 5. (14) Vide Hammond. hic. (15) Maimon. tract. Tomaeth Zeraei, cap. 9.
(16) Levit. XIV. 49. 50. (17) Luc. VII. 3.

fecote ad Centurionis domum Jesu, hic amicos misit, nunciantes: *Domine, noli vexari: non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.* Centurionem ipsum obviam venisse Christo, & ea quæ narravimus dixisse, scribit Matthæus. At fortasse hic rem summatim narravit (18), fusius a Luca descriptam. Probatum usu est, ut quis egisse aut dixisse asseratur, quæ per alium fecit aut dixit. Scatet passim hujusmodi locutionibus Scriptura. Ita suspensum ait a Pharaone pistorem (19), populum a Josue circumcisum (20), suspensum ab eo Regem Hai (21); capite diminutum ab Herode Joannem, Jesum a Pilato flagellis cæsum, &c. Vide & *Exod.* xviii. 6. ubi Moyses loquentem inducit Jetro, ceu præsentem, quamvis hic nonnisi altera die in castra venerit.

Sunt (22) qui censeant, missos initio a Centurione Proceres Judæorum, qui ut officium suum Centurioni probarent, Jesum rogavere, ut ad illius domum veniret, quamquam hic non illud rogavit, sed pueri incolumitatem. Quamobrem Centurio, Jesum accedere intelligens, amicos ad illum misit, rogantes, ne eo usque veniret, seque idcirco non accessisse, quod indignum se arbitraretur. Cum denique Jesum, se nequicquam repugnante, pergere audiret, ipse obviam veniens, & humillime factum excusans, ait: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, &c. Tum addidit, se hominem esse alterius potestati obnoxium, ac sibi aliquam militum manum obtemperare, &c.

Revera, cum Centurio esset, militum centum cohorti præerat; ipse tamen Tribunis, aliisque Præfectis parebat. Ethnicum fuisse hominem, vulgo credunt Patres (23); ac profecto Romani nonnisi Romanos Centuriones habebant: fortasse autem proselytus erat, uti Cornelius Centurio, de quo in Actis x. 1. Amabat hic Judæos, teste Luca vii. 6. iisque Synagogam condiderat. Judæum mavult S. Hilarius in Matth. at ubi ad Jesum accessit, Ethnicorum gentem repræsentasse. *Evangelium Nicodemi* vocem hanc, *Centurio*, tanquam si nomen esset hominis alicujus accipit. Sunt qui illud, *puer meus* perinde acceperint, ac si diceretur *filius meus*; at S. Lucas vii. 2. claris verbis affirmat designari hisce, non filium, sed famulum.

℣. 6. Puer meus, servus nimirum. Ita S. Lucas disertis verbis. Solebant Veteres miseræ servorum conditioni contumeliam lenioribus nominibus minuere (24); puerumque dicebant pro servo.

Jacet paralyticus, et male torquetur. Paralysis plerumque motum impedit, at dolorem non parit. Quoddam tamen ejus morbi genus est, simile arthritidi, pessime hominem torquens (25).

℣. 8. Sed tantum dic verbo, &c. (26) Verbum unum eloquere; seu, verbo uno eloquere; vel verbo tuo impera, ut pergens servum meum reddat incolumem; statimque ille restituetur. Dei verbum exhibet ceu rem anima instructam, eumtem curantemque, & jussis obtemperantem. Psalmista Ps. 106. *Misit verbum suum* Deus, *& sanavit eum.* Israelem. Et Sapientiæ Author 12. 9. scribit, potuisse Deum verbo Chananæos omnes abolere, quemadmodum uno ipsius verbo Hebræi omnes, anguium morsu icti, curati sunt, illi obtemperantes, angue æneo inspecto (27). Idem Dei Verbum, e solio Majestatis proficiscens, Ægyptiorum filios primores natu interfecit (28). Ajunt nonnulli (29), innui a Centurione Angelos Jesu Christo servientes, & nunquam non præsentes, ut illius jussa complerent.

℣. 9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus (30). Quamvis alterius potestati obnoxius sim, tamen si quem e militibus meis jussero aut aliquid agere, aut aliquo proficisci, statim parent. Multo igitur magis tibi, qui absoluta es in morbos, vitam mortemque authoritate, vix jusseris, omnia obtemperabunt (31). Merito Christus fidem Centurionis commendat, nihilque simile sese in Israele invenisse testatur; ægre enim inter tam multos, quos reddidit incolumes Christus, tam sublimia nobilis animi sensa in Evangelio invenias. Vides hic hominem bellico ingenio, ingenuum, rectum, sincerum: verba negligit, facta quærit.

℣. 10. Audiens autem Jesus miratus est. Admirationem parit ignorantia. Magnam beatitudinis partem nonnulli ex Philosophis in eo posuere, ut sapiens nihil admiraretur (32). Nihil ignorare poterat Dei Filius; nihil igitur admirari; sed ut cæteris aliquid commendaret, ita voces & facta temperare potuit, quasi revera admiraretur. *Jesus, qui omnia præsciebat, quod mirandum aliis commendabat, miranda laudabat* (33). *Tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri*, ait S. Augustinus (34).

Non inveni tantam fidem in Israel. *Fides* varie in Scripturis usurpatur. I. Est firma persuasio de Jesu Christi potestate, qua quis credit, ipsum, ejusque nomine Discipulos patrare posse prodigia. Hæc porro fides donum Dei est, quo ipsi interdum impii donantur, uti animadversum est supra; prodigia enim patrare possunt impii, quin & interdum Deus impiorum gratia prodigia exhibet. II. *Fides* usurpatur pro mentis habitu, quo Christiani & Fideles efficimur, & certissime credimus ea, quæ revelavit Deus, quæque ab Ecclesia Catholica traduntur. III. *Fidem* interdum Paulus (35) ponit pro arcano animi ac mentis testimonio, quo aliquid seu licitum seu vetitum esse docemur, IV. fiducia in Deum. V. fidelitas præstandi ea, quæ quis spopondit, sive de Deo, sive de hominibus agas. Hoc loco Centurionis fides est firma persuasio de Jesu Christi potestate, deque illius liberalitate fiducia. Cum ait Christus, tantam in Israele fidem se non invenisse, is certe Centurionem cum Joanne Baptista, Virgine Deipara, & Apostolis fide non comparat, sed cum populo (36). Alienus hic majore quodammodo Divinæ potestatis cognitione, ac de ejus verbis fiducia instruebatur, quam vulgo Judæi: quamobrem dignior multa admiratione erat, quippe

(18) August. lib. 2. c. 20. de Consensu Evang. & lib. 33. contra Faust. & ita Leont. Beda, Gloss. Mald. Jans.
(19) Genes. 41. 19. 22. (20) Josue v. 4. (21) Josue viii. 29. (22) Chrysost. Euthym. Theophyl. hic. (23) August. & Chrysost. Vide ℣. 10. & Luc. viii. 5. 6. (24) Macrob. lib. 1. cap. 11. Saturnal. *Nostri majores omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes: dominum patrem familiæ: servos familiares appellarunt.* (25) Plater. de Functionum Læsionib. c. 2. (26) Εἰπὲ λόγον, *Dic verbum.* Sed Stephani Codd. 8. Bodl. 5. Seld. 3. alii quam plurimi, εἰπὲ λόγῳ, *Dic verbo.*
(27) Sap. xvi. 12. (28) Sap. xviii. 15. 16. (29) Author Operis imperfecti & Hieronym.
(30) Græcus non legit *Constitutus.* Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας. Quæ verba reddi possunt: *Nam & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites.* At Lucas vii. 8. legit: Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος, *Sub potestate constitutus.* Vide S. Chrysostomum hic. (31) August. Serm. 62. nov. Edit. Chrysostom. Homil. 26. Beda, Strabus.
(32) Horat. lib. 1. Epist. 6. *Nil admirari, prope res est una, Numici,*
Solaque quæ possit facere & servare beatum.
(33) August. l. 1. contra adversar. Legis & Prophet. c. 7. (34) Lib. 1. de Genes. contra Manich. c. 8.
(35) Rom. xiv. 22. 23. Hebr. x. 22. (36) Vide Author. Operis imperfecti, & alios passim.

pe in ea Religione ortus atque educatus, ex qua nulla erant adminicula, ut animum mentemque ad Deum erigeret.

℣. 11. MULTI AB ORIENTE ET OCCIDENTE VENIENT, ET RECUMBENT CUM ABRAHAM. Confirmantur hic vaticinia de Gentium vocatione, quibus universum Testamentum Vetus passim scatet. Cibos cum Ethnicis capere (37), aut consuetudinem habere (38) detrectabant Judæi, ne vel tangentes, vel eorum cibis utentes, polluerentur. At Dei Filius fore testatur, ut in Ecclesia Ethnici & Judæi una gens sint; eadem mensa utantur, iisdemque sacris, & ejusdem in Cœlo mercedis & gloriæ participes fiant.

Veteres Judæi putabant futurum, ut in Regno Dei, Messia imperante, Fideles omnes ad mensam accumbant, & exquisitissimis obsoniis vescantur. Inanis hæc persuasio in vetustissimis Rabbinorum Libris (39), & quarto Esdræ Libro cap. 6. cernitur. Ad hanc Judæorum persuasionem alludere videtur Christus; qui alteram vitam ceu convivium exhibet (40), ubi sessuri sunt Electi, & jucundissime cœnaturi, medio in lumine & hilaritate, Ethnicis & impiis inter tenebras derentis, ac desperatione, frigore & fame rigentibus. Id vero indicant tenebræ exteriores, fletus, ac dentium stridor.

Græci Codices nonnulli legunt (41): *Recumbent in sinu Abraham*. Ad consuetum ea ætate discumbendi morem alludit. Honestissimus omnium locus erat ipsum mensæ caput; convivæ in triclinits discumbebant, cubito incumbentes, pedibus prominentibus post humeros alterius, qui statim infra sequebatur; ita ut inferioris caput ferme in superioris sinum caderet. Ita Joannes Evangelista in Christi sinu posuit caput, novissima cœna, quam is cum Apostolis habuit Joan. 13. 25. & 21. 20. Ait hoc loco Jesus, Judæos cum Ethnicis mistos familiariter cum vetustissimis Patribus discubituros, posito capite in Abrahami, Isaaci, & Jacobi sinu, &c.

℣. 12. FILII AUTEM REGNI EJICIENTUR IN TENEBRAS EXTERIORES. Filii Regni sunt Judæi, promissionum hæredes, electus populus, gens sancta. Attamen plerique a nuptiis excluduntur, atque admissi eorum loco Ethnici, cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in Cœlis sedent. *Tenebræ exteriores* (42) infernum carcerem significant; quem etiam Tobias, Petrus & Judas Apostoli tenebrarum appellatione designant (43). Pergit Jesus in convivii allegoria, quod plerumque noctu agebatur. Qui ea aula convivii excludebantur, in tenebris erant, flentes, frementesque furore atque indignatione (44).

Veteres nonnulli Græcorum Codices (45) post ℣. 13. addunt hæc verba: *Et reversus Centurio in domum suam, in illa hora offendit famulum suum sanum*.

℣. 14. CUM VENISSET JESUS IN DOMUM PETRI, VIDIT SOCRUM EJUS JACENTEM, ET FEBRICITANTEM. Gestum huc est Capharnai (46), ubi domicilium posuerant Petrus & Andreas, quamquam orti Bethsaidæ. Petri socrus (47) diu ante leprosum ac Centurionis servum, imo & ante sermonem in monte sanata est; egrediente scilicet Jesu a Synagoga Capharnai, quo Jesus venit cum primum ad Petrum diverrit, vocatis quinque adhuc solummodo discipulis.

Petri uxorem martyrio absumptam obiisse, veteres Patres tradunt (48), cumque illam Petrus ad supplicium euntem cerneret, dixisse narratur: *O mulier, memento Domini*. De nomine dissident: alii enim *Mariam*, alii *Concordiam*, vel *Perpetuam* nuncupant. Sunt qui filiam Petro tribuant *Petronillam*, item Martyrem. Res tamen difficultate non caret (49).

℣. 16. VESPERE AUTEM FACTO, OBTULERUNT EI MULTOS DÆMONIA HABENTES. Petri socrus Sabbatho sanata est. Egresso Jesu e Synagoga, post solis occasum, adeoque post Sabbathi quietem, ad domus Jesu fores ducti sunt omnes, qui vel a Dæmone vel morbis angebantur, eosque Jesus verbo incolumes reddidit.

℣. 17. UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER ISAIAM PROPHETAM: IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, &c. Triplex est hujus vaticinii sensus: I. Peccata nostra suscepit Jesus, nostraque omnium victima ipse effectus est. II. Hominum infirmitates accepit, cum humanis artubus sese induit, fami obnoxius, siti, lassitudini, somno, doloribus, lacrymis, morti. III. denique tum corporis tum animi morbos ipse curavit (50). Corporis morbi figura sunt morborum animi, quos potissimum Christus, & recitata mox Prophetæ verba spectabant. Triplex Prophetæ propositum absolutissime implevit Christus (51). Hunc Isaiæ locum veteres Judæi de Messia interpretantur, teste Jonathan Paraphraste Chaldæo.

℣. 18. JUSSIT IRE TRANS FRETUM, trans Lacum Genesareth. Capharnao profectus est Gerasam; importunis forsasse turbis sese subducturus, aut exhibiturus modestiæ & humilitatis exemplum, tantorum prodigiorum jubar fugiens (1).

℣. 19. SEQUAR TE, QUOCUMQUE IERIS. Disputant Interpretes, quid causæ fuerint, cur hic Scriba Christum sequi voluerit. Putant nonnulli (2), bona illum fide inter illius Discipulos numerari voluisse. Alii (3) censent, illum cupiditate impulsum fuisse, ut Christum sequeretur, cum enim tam multis illum prodigiis clarere cerneret, nihil sibi deinceps defuturum esse arbitrabatur. Sunt (4) qui superbiam & ambitionem causas fuisse censeant, cur ille id postularet; ratus futurum, ut ipse tanti apud populum nominis Magistro hærens, cæterorum æstimationem sibi compararet. Sunt denique (5), qui unicum Scribæ propositum fuisse illud velint, ut Christum caperet, sive laqueos illi strueret, illius dogmata moresque insidiose expendens. Revera Christi respondentis verba innuere videntur, illum alicujus cupiditatis causa ad Jesum accessisse, vel saltem levissime ac temere in eam sententiam descendisse.

℣. 20. VULPES FOVEAS HABENT, &c. Nihil angustius hac paupertate. Atque hinc dumtaxat plane intelligis, quam multis ærumnis ac laboribus universa Jesu Christi vita obnoxia fuerit. Paucissimis verbis evertit Christus omnia, quæ vel ambitio & superbia, vel cupiditas homini suaserant. *Hominis filium* hic sese nuncupat Christus, & alibi sæpe in Evangelio, innuens fortasse, verum se hominem esse (6), carne & communi hominum natura verissime constantem; quasi orituras ea de re in Ecclesia lites præviderit. Videtur aliis (7), expletum in se exhibere voluisse Danielis vaticinium, quo Messias *Filius hominis* nuncupa-

[37] Galat. II. 15. [38] Joan. XVIII. 28. infra Matth. IX. 11. 12. [39] Vide Bartholocci, Bibl. Rabb. tom. I. pag. 407. [40] Vide & Luc. XIV. 14. 16. Matth. XXI. 2. Apoc. XIX. 7. [41] Ἀνακλιθήσονται ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραάμ. Vide Chrysost. hic. [42] Aug. Serm. 62. nov. Edit. Chrysostom. hic; & Greg. Magn. Homil. 6. in Ezech. & Origen. in Matth. p. 206. & alii passim. [43] Tob. IV. 11. 2. Petr. II. 17. Jud. ℣. 6. [44] Estius, Maldon. Jans. Menoch. alii. [45] Vide Nov. Test. Oxon. & Not. Mill. [46] Marc. I. 21. 29. [47] Confer Marc. I. 29. Luc IV. 38. & seqq. [48] Clem. Alex. Strom. lib. 2. Euseb. Hist. Eccl. lib 3. cap. 30. [49] Vide Tillemont, Hist. Eccl. tome I. en S Pierre, art. 40. [50] Vide I. Petr. II. 24. [51] Vide Chrysost. Euthym Cornel. a Lapide, Jans. Grot. [1] Vide Chrysost. Homil. 28. [2] Batrad. Titelman. [3] Hieron. hic, Chrysostom. Euthym Grot. [4] August. lib. 22. contra Faust cap 48. [5] August. Serm. olim 7. de Verbis Domini, nunc 100. num. 2. [6] Tertull. lib. de Carne Christi. [7] Daniel. VII. 13. Confer Apoc. XIV. 14. Epiphan. hæres. 57. Theodoret. in cap. VII. Dan.

cupatur. Denique alii arbitrantur, eo nomine summam animi demissionem significari, cum ea esset apud Hebræos vulgarium hominum appellatio (8), qua illi ab illustribus hominibus, *Filiis virorum*, secernebantur. Animadvertit Grotius, Danielem (9) & Ezechielem (10) Prophetas cum Angelis versantes ea uti appellatione, quasi duplicis hujus naturæ, Angelicæ & humanæ, discrimen indicarent.

℣. 21. Permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. Sunt (11) qui putent, Discipulum hunc, qui sepeliendi patris facultatem postulavit, fuisse Philippum, a Christo inter primos vocatum. Ajunt alii (12), Discipuli hujus, quisquis ille fuerit, patrem tunc adhuc superstitem fuisse, ac longa adeo senectute confectum, ut vix ulla diuturnioris vitæ spes esset. Patere, me decrepito patri suprema officia præstare; quibus ubi functus fuero, eo mortuo, statim rediturus sum, ut te sequar. Alii (13) denique id ex mero literarum sono usurpantes, asserunt, discipuli patrem revera mortuum fuisse; solamque illius sepeliendi, & justa reddendi facultatem Discipulum postulasse. At *etiam sepelire patrem, tardum erat fidei*, inquit Tertullianus l. de Idol. Moras non patitur Christus, ubi aliquem vocaverit. Statim nullaque mora obtemperandum est.

Mortui, quos iis verbis innuit Christus, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, non ii sunt, qui revera e vita excessere, quippe qui nullum seu vivis seu mortuis præstare officium queunt. At hominis corpore mortui occasione, ad mortuos spiritu gradum facit. Mitte, ut peccatores (14), impii, Mundi amatores sepeliant mortuos suos, scilicet in mundo vivant, & cæteris sui similibus ea præstent, quæ ab humanitate & decori ratione imperantur. Tu ad nobiliora & sublimiora vocaris, quibuscum hujusmodi curæ & officia componi nequeunt. Sepultura non carebunt mortui, nullumque mundus detrimentum experietur, tametsi hæc facere detrectes: quamobrem missa cæteris facito.

Patres nonnulli (15) mortuos hosce interpretati sunt Ethnicos; atque hinc collegarunt, hunc quem Jesus alloquitur, Ethnicum pariter fuisse, ut patrem. Hominibus fide mortuis curam relinque iis inserviendi, quos eadem superstitio tenet. At quam probabile est, vocatum fuisse a Christo Ethnicum, quem Evangelii præconem & inter Discipulos adlegeret? Ethnicis aditus nonnisi post Christi Ascensionem patuit. Apud veteres Philosophos (16) ii mortuorum loco habebantur, qui relictis Magistro & Philosophicæ vitæ instituto, libidines sectarentur. His interdum monumenta & imagines veluti mortuis erigebantur.

℣. 24. Ecce motus magnus, procella, &c. Mare Galilææ lacus erat, leucarum circiter octo longitudine, latitudine trium vel quatuor: quamobrem ubi ventus vehementer flaret, aquæ tanta vi agitabantur, ut piscatoriæ seu vectoriæ cymbæ mergerentur. Christi cymbam aliæ sequebantur Marc. 4. 36. quamobrem & has proculdubio, non secus atque illam, procella exagitavit, quicquid Interpretes nonnulli comminiscantur (17). Prodigio adscribenda non est maris turbatio, sed reddita statim tranquillitas; Christo imperante.

Ipse vero dormiebat, naturali quidem somno, sed quem ipse voluerat, ac sponte sibi induxerat, ut locum prodigio faceret. Cymba, qua vehebatur Christus, Ecclesiam significabat, procelloso mundi hujus mari, persecutionum ac tentationum fluctibus expositam, donec Christus, qui circa impios dormire videtur patientia, in sæculorum fine experrectus, Dæmonis vim coerceat, suisque tranquillitatem restituat (18). *Navigamus*, inquit S. Augustinus Enarr. 2. in Ps. 25. *per quoddam stagnum; & ventus & procella non desunt, tentationibus quotidianis hujus sæculi prope completur nostrum navigium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus? Quid est autem dormire Jesum? Fides tua, quæ est de Jesu, obdormivit. Vides malos florere, & dicit anima tua: O Deus, Deus, ipsa est justitia tua? Et Deus tibi: Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promisi. Ad hoc Christianus factus es, ut in sæculo isto floreres? Excita Jesum*, excita fidem.

℣. 26. Imperavit ventis. Græcus (19): *Increpavit*, cum authoritate & minis.

℣. 27. Homines mirati sunt; Apostoli qui eadem cymba Luc. 8. 24. & ii qui sequentibus vehebantur Marc. 4. 36. Nondum probe edocti erant Apostoli, nec satis noverant Jesu Christi Divinitatem; quæ tum demum conspicua illis fuit, cum ille e mortuis in vitam rediit.

℣. 28. In regionem Gerasenorum. Græcus (20): *Gergesenorum*. Lucas & Marcus (21): *Gadarenorum*. Consentiunt hic nonnulla Matthæi Exemplaria. Levis est difficultas. *Gadara* & *Gerasa*, aliter *Gergesa*, urbes erant finitimæ, utraque in Decapoli, quarum meminere Plinius, Ptolemæus, Josephus, Stephanus. Nonnulli, testibus Eusebio & S. Hieronymo (22), putavere, *Gerasam*, seu Garasam, vel Gergesam eamdem esse ac *Gadaram* Marci & Lucæ: at utramque diserte distinguunt Origenes in Joannem, & Plinius l. 5. c. 13. Gadara ad mare Tiberiadis non erat; sed cum nobile esset ejus regionis oppidum, fortasse Gerasam in agro vel in ditione numerabat. Quamobrem idem est *Gerasenorum* & *Gadarenorum* ager. Sunt qui censeant, *Gerasenos*, seu *Gergesenos* reliquias fuisse veterum Chananæorum populorum ejus nominis, quorum meminit interdum Moyses (23). Græci Scriptores (24) Gerasam ducunt ex *Gerousia*, senectute; atque ajunt, relictam ibi ab Alexandro Magno partem veteranorum & senum ex exercitu. Prima tamen sententia multo probabilior videtur. Gerasæ situm definivimus ad Lucam, VIII. 26.

Maxima Gerasenorum pars ethnicæ erant religione, misto ingenti Judæorum numero. Narrat Josephus (25), initio Judaici in Romanos belli, cum cæteræ Ethnicorum urbes Hebræos incolas interficerent, his pepercisse Gerasenos, data abeuntibus præsidiariorum manu, donec in tutum reciperentur. Gadara validissima erat Peræx arx, absens a Tiberiade stadiis sexaginta (26) sive leucis tribus & dimidia. Oppidum occupabant Syri (27), mistis aliquot Judæis, quemadmodum in cæteris ejus regionis urbibus, nulla tamen authoritate conspicuis. Porcos alebant Gadareni, uti mox dicitur: unde Judæos non fuisse colligitur; recitat enim Casaubonus quamdam Ju-

[8] Psalm. VIII. 5. XLVIII. 3. LXXXII. Daniel. VII. 13. [9] Dan. VIII. 17. [10] Ezech. II. 1. III. 1. & passim. [11] Clem. Alex. lib. 3. Strom. Grot. hic, Le Clerc. [12] Lyran. Brugens. Mariana, le Clerc, Martianay, Cyrill. [13] Chrysostom. Homil. 28. in Matth. Basil. lib. de Constitut. Mon. cap. 21. Theophyl. & Euthym. hic; August. Serm. olim 7. nunc 100. Hilar. in Matth. Hieronym. hic, Maldon. alii. [14] August. lib. 4. de Trinit. c. 3. & XX. de Civitate cap. 10. Dionysius. hic; Ambros. lib. de Abraham cap. 8. Maldon. alii. [15] Chrysost. hic; August. Serm. 100. nov. Edit. Hilar. hic; Ambros. in Psalm. XLVIII. Euthym. hic. [16] Vide Clem. Alex. lib. 5. Strom. [17] Vide Maldon. Menoch. [18] Tertull. lib. de Baptismo cap. 12. Auctor Oper. imperf. [19] Ἐπετίμησε. [20] Γεργεσηνῶν. [21] Luc. VIII. 26. Marc. V. 1. Γαδαρηνῶν. At Codices multi ferunt, Γερασηνῶν. Gerasenorum. [22] Euseb. & Hieron. in locis. [23] Genes. X. 16. XV. 21. Deut. VII. 1. Vide & Josue III. 10. XXIV. 11. 2. Esdr. IX. 8. [24] Jamblic. Comment. in Nicomachi Arithmetic. Vide Not. in Stephan. Byzant. [25] Joseph. de Bello, lib. 2. cap. 35. [26] Joseph. lib. de vita sua, p. 1025. [27] Casaubon. adversus Baron. Exercit. 13. art. 31. num. 69.

dæorum Legem, Hircani & Aristobuli, uti dicitur, ætate promulgatam, qua sub maledicti pœna cautum erat, nequis porcos aleret. Putat Ligfootus, homines a Dæmone actos, qui hic narrantur, Ethnicos fuisse (28).

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia. Unicum ferunt Marcus 4. 2. & Lucas (29) qui tamen alterum solummodo magis furentem ac sævum spectasse creduntur (30), vel eum, quem a diuturno tempore dæmon occupabat (31). Explicationi huic locum facit Lucas, cum narret, hunc a longo tempore integræ Dæmonum legioni obnoxium fuisse. Hi ab urbe pulsi, in remotis ac solitariis agri locis degebant; veluti in specubus in rupe excisis, in quibus mortui condebantur. Ingens specuum numerus erat ad Mare Tiberiadis, in rupe excisorum, teste Josepho de Bello l. 3. c. 42. Hi porro immunda erant Hebræis domicilia; aptissima tamen hominibus a Dæmone agitatis; quippe loca hujusmodi amant Dæmones, ut vanam vulgi credulitatem foveant, mortuorum scilicet animas interdum ad corpora reverti, ut sese viventibus exhibeant (32). Hinc fortasse Christiana Ecclesia instituit, ut mortuorum loca Crucis imagine & lustrali aqua capientur, removendorum Dæmonum causa, aut ut illorum fraudes vitentur.

Putabant Platonici (33), hominum animas, nondum solutas ea materiæ parte, quam ex corporis conjunctione retulerunt, errare circa sepulcra, ubi sæpe, inquit Plato, obscura illarum phantasmata conspiciuntur. Platonicorum sententiam explicans Apulejus (34) ait, is mortuorum animabus, quæ a Diis amantur, & expertem flagitii vitam duxere, familiæ curam relinqui; atque has in privatorum domibus sub *Larium* vel *Penatum* appellatione coli. Quæ vero nequitiam & scelera vivendo sectatæ sunt, has in terris errare, bonorum terriculamenta, & impiorum ultrices, quæ appellantur *Larvæ*. Tertium denique animarum genus, quarum sors dubia est & incerta, ob mala bene gestis mixta, dum viverent, honoris causa *Deos Manes* nuncupari.

Animarum immortalitatem probat Origenes contra Celsum (35) ex iis quæ circa sepulcra exhiberi putat. Id vero citra controversiam ubique ponit S. Augustinus (36). Eadem fortasse prisca Judæis fuit, quæ recentioribus sententia. S. Chrysostomi ætate (37), animæ quæ in scelere obierant, in dæmones converti putabantur. Putat hic, homines a dæmone actos data opera in sepulcra ab eo duci, ut huic vulgi errori materiam præbeat. Chrysostomum, qui credulitatem hanc erudite refellit, secuti sunt Euthymius & Theophylactus. Vide nos in Joannem xv. 43.

℣. 29. Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei? Cur nos persequeris & pellis, tibi minime noxios, quibus nulla tecum est communicatio (38)? Dei Filium nuncupant, non quod revera crederent, sed Messiam esse a Prophetis promissum conjectando putent (39). Cæteri Evangelistæ tradunt (40) alterum e Dæmoniacis hisce sævissimum ad Jesu pedes provolutum orasse, ne se torqueret.

Venisti huc ante tempus torquere nos? Patres nonnulli veteres (41) censuere, Dæmones ante supremum Judicii diem non torqueri, sis Petri Apostoli verbis freti (42): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Tum & illis Judæ (43): *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* At communis Ecclesiæ opinio fert, dæmones jam nunc torqueri; imo & nunquam supplicio vacasse, postquam lapsi sunt, ubi ubi fuerint. Queruntur autem, sese in tartara *ante tempus* detrudi, scilicet spe citius, vel ante supremam Judicii diem; non enim tam cito venturum sperabant. Nondum profecto ea dies venerat, neque illam proxime imminere censebant, quamvis certum illius tempus ignorarent (44). *Velut si servi fugitivi*, ait S. Hieronymus hic, *post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur: sic & dæmones, cernentes Dominum in terris repente versari, ad judicandos se venisse credebant.* Author est S. Ambrosius in Luc. s. 6. putasse Dæmones, sese, veniente Messia, in tartara detrusum iri.

Ut solida hujus loci interpretatio exhibeatur, quærendum est, quid Judæi ætate Christi censuerint. Josephus, secta Pharisæus, & quid Pharisæi, & sua ætate Judæi sentirent, optime sciens, ait l. 18. c. 2. Antiqu. piorum animas post mortem hominis in alia corpora migrare posse quodam metempsychoseos genere; at, quin id facere cogantur, omnino liberæ; sed animas impiorum obscuris sub terra carceribus claudi, æternas ibi scelerum pœnas daturæ. At de Bel. l. 7. c. 25. docet, dæmones, quibus corpora obsidentur, ipsas esse impiorum animas, vivorum hominum corpora invadentes, necemque inferentes iis, quibus sacræ adjurationes, aut alia pellendis dæmonibus opportuna opem non tulerint. Vulgari igitur opinione credebantur dæmoniaci a quorumdam impiorum animabus agi, quibus nihil gravius timendum erat, quam ut e corporibus pulsæ in tartara detruderentur, nunquam inde egressuræ, ubi æterna supplicia sese manere intelligebant. Hinc illarum formido & questus; nempe ut supplicium quanto longius arceant, Jesum rogant, ne in tartara mittantur, sed potius in porcorum gregem. Cum hoc postulaverint, satis docent, quam sævo illæ supplicio torquerentur.

At, inquies, hujusmodi Pharisæorum sententiæ cum veritate non constant. Neque ego ruenr: cum vero hanc opinionem non refellat Christus, & sive dæmoniacos veri dæmones, sive animæ impiorum occupent, omnino tum apud Pharisæos tum apud nos verum est, illos a malis spiritibus occupari, qui ubi e corporibus pellantur, in tartara detrudendi sunt, æternis cruciatibus torquendi: quibus satis explicantur ea quæ hic traduntur, multo tamen facilius ex Pharisæorum sententia, quam descripsimus. Vulgares ad sententias tum in sermonibus tum in responsis alludit Christus, quas, utpote Religioni non perniciosas, refellere neglexit.

℣. 30. Erat non longe, &c. Contrarium fert Græcus (45): *Erat longe*. Lucas & Marcus (46) legunt: *Erat ibi in monte*, vel *prope montem grex*

(28) Ligfoot. in Marc. v. 6. (29) Luc. VIII. 27. Ὃς εἶχε δαιμόνια ἐκ χρόνων ἱκανῶν. (30) Chrysostom. Theophyl. Euthym. (31) August. lib. 2. de Consens. Evang. cap. 24. Beda & Strabus hic. (32) Grot. Maldon. Hammond. Vide & Synes. Hymno IV. ℣. 47. ubi δαίμονες τυμβοῦχοι dicuntur. (33) Plato in Phædone. Vide August. lib. 9. de Civit. cap. 11. (34) Apul. de Dogmate Platonis. (35) Origen. lib. 2. pag. 97. Edit. Cantabrig. (36) Aug. Ep. 159. 161. & 190. & lib. de Orig. animæ. (37) Chrysost. Homil. XXIV. in Matth. (38) Confer 2. Reg. XVI. 10. 2. Par. XXXV. 21. (39) Hieronym. hic. August lib. 9. de Civit. cap. 21. Remig. & alii plures. (40) Luc. VIII. 28. Marc. v. 2. (41) Hilar. can. 8. in Matth. Quidam apud Chrysost. August. de Civit. lib 8. c. 23. Vide & Origen. Homil. 8. in xx. Exod. (42) 2. Petr. II. 4. (43) Jud. ℣. 6. (44) August. lib. 8. de Civit. cap. 23. *Quia subitum illis fuit, quod subitum quidem, sed tardius opinabantur.* ... *Et hoc erat ante tempus, idest, ante tempus Judicii, quo æterna damnatione puniendi sunt.* (45) Ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν. (46) Marc. v. 11. Ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τῷ ὄρει. Luc. VIII. 31. Ἦν δὲ ἐκεῖ ... ἐν τῷ ὄρει. Codex MS. G. L. Cantabrigiensis non fert in Latina negantem particulam; hanc tamen legit Matthæi textus ex Vetere Vulgata, a P. Martianæo editus.

grex porcorum. Apparens in narratione dissidium non magni momenti est; hujusmodi enim intervalla magna denique sunt vel modica, si cum aliis comparentur. Gadara vel Gerasa ad oram Lacus Genesareth, vel non longe jacebat: non procul grex porcorum, uti ex consequentibus colligitur: id vero præsentibus Jesu Christi Discipulis gestum est. Quamobrem non magnopere distabant loca; magno tamen satis intervallo, ut prodigii vis ac veritas sentiretur.

℣. 31. MITTE NOS IN GREGEM PORCORUM. Narrat Lucas (46), alterum, qui sævissimus erat, Christum orasse, ne sese *in abyssum*, scilicet in tartara, mitteret (47), neve facultatem auferret torquendi in terris homines ac tentandi. At Jesus permisit, ut in vicinos porcos migrarent, simul demonstraturus, duos hosce homines a dæmone verissime possideri, ac revera dæmones esse, id quod Saducæi negabant (48). Cum dæmones odium in homines exercere non possent, quippe a vexatis corporibus mox pellendi, postulant, ut saltem illorum fortunis nocere liceat (49); idque concedens Christus, eodem tempore & suæ potestatis documentum exhibet, quo negante nihil valeant dæmones (50); & justitiæ in Gerasenos, quorum animi vitia cernens, avaritiam & terrenarum rerum cupiditatem punit. Rupertus Abbas, cum Gerasenos fuisse Judæos putet, ait, Jesum jactura porcorum pœnas ab illis exegisse violatæ Legis, cum immundas pecudes alerent.

℣. 34. ROGABANT EUM, UT TRANSIRET A FINIBUS EORUM. Censuere S. Hieronymus & Beda, Gerasenos rogasse Christum ut discederet, humilitatis causa, quemadmodum Petrus (51): *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*; atque uti Centurio (52), Jesum orans, ne in domum suam ingrederetur, quam tanto hospite indignam censeret. Plerique (53) tamen ajunt, illos timoris & cupiditatis causa id postulasse. Verebantur quippe, ne Christus ægros & a Dæmone actos liberare pergeret; porcorum & pecudum dispendio; duo enim porcorum millia tunc mersa fuere, teste Marco c. 5. 13.

(46) Luc. VIII. 31. Καὶ παρεκάλει αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς, εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. (47) Ita Maldon. hic, & alii passim. Confer Apoc. IX. 1. 2. XI. 7. XVII. 8. XX. 1. 3. (48) Hilarius hic. (49) Hieron. in vita S. Hilarionis. (50) Chrysost. Euthym. Theophyl. Athan. in vita Antonii. (51) Luc. V. 8. (52) Matth. VIII. 7. 8. (53) Theophyl. Euthym. hic; Ambros. in Luc. lib. 6. Vide Luc. VIII. 37. Maldon. Gros. Brug.

C A P U T IX.

Prodigiosa Paralytici sanitas. Vocatur Matthæus. Cur Discipuli Jesu Christi jejunium non servent. Filia Jairi vitæ restituta. Curatur Hæmorrhoissa. Cæci duo usu oculorum donati. Dæmoniacus mutus liberatur. Pharisæorum dicteria. Oves pastore carentes. Messis. Operarii.

℣. 1. ET ascendens in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam. 2. Et
ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem il-
lorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam
de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. 4. Et cum vidisset Jesus cogitationes
eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? 5. Quid est facilius dice-
re: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula? 6. Ut autem scia-
tis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait para-
lytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 7. Et surrexit, & abiit
in domum suam. 8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui
dedit potestatem talem hominibus. 9. Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem
sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, se-
cutus est eum. 10. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani,
& peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipuli ejus. 11. Et videntes
Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat
magister vester? 12. At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed
male habentibus. 13. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non
sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. 14. Tunc accesserunt ad
eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, Disci-
puli autem tui non jejunant? 15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi
lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis
sponsus: & tunc jejunabunt. 16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in
vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit.
17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, & vi-
num effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & am-
bo conservantur. 18. Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit, & ado-
rabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum

tuam super eam, & vivet. 19. Et surgens Jesus, & sequebatur eum, & discipuli ejus. 20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. 21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. 22. At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. 23. Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: 24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cum ejecta esset turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et surrexit puella. 26. Et exiit fama hæc in universam terram illam. 27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, Fili David. 28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. 30. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat. 31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa. 32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. 33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel. 34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones. 35. Et circuibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. 36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem. 37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. 38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

℣. 1. Ascendens in naviculam, transfretavit. E Gerasenorum regione, ad orientem Maris Tiberiadis, & trans mare sita, in Capharnaum venit, quæ ipsius civitas idcirco dicitur, quod prædicationis initio consuetum ibi domicilium elegisset. Sunt (1) qui illum petisse Nazaretham velint, atque inde paulo post Capharnaum. Bethlehemum mavult Sedulius l. 3. Carm. natalem ipsius locum. At uno ferme consensu Patres atque Interpretes Capharnaum venisse statuunt, ubi curatus est Paralyticus, de quo statim, quamquam incertum est, utrum eo statim reverso. Nonnulli (2) id contigisse asserunt, antequam Jesus trans mare Genesareth migraverit; alii (3) statim reverso Jesu, uti fert Matthæi narratio. Nos ubique ferme Evangelicam Toynardi Concordiam sequimur.

℣. 2. Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto; penitus enim membrorum usum amiserat, itaut nisi magno cum cruciatu moveri non posset. Narrant Marcus 2. 3. & Lucas 5. 18. obsidente fores totamque domum turba audientium, cum ii, qui lectum vehebant, per ostium intromittere nequirent, ipsum in aream tecti sublatum, amotis tegulis, funibus demissum intra domum, ubi docebat Jesus. Unicam fuisse domus contignationem necesse est, cum vix amotis tegulis demissus fuerit æger coram Christo, ad populum foribus vel fenestra verba faciente. Vide nos in Marcum II. 4.

Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Fides hominum, qui paralyticum coram Christo attulere, impetrandæ valetudini plurimum contulit; imo & sola impetrare poterat. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat peccata*, inquit S. Ambrosius (4). Procul dubio tamen Paralyticus optime animo comparatus erat, ut peccatorum veniam, & corporis incolumitatem promeruerit. Peccatorum venia incolumitatem peperit, uti peccata morbum attulerant; eoque significabantur (5). Censebant Hebræi (6), quemlibet corporis morbum a scelere aliquo ignoto vel cognito oriri. Inter cæteros autem ii, quibus nulla esse credebantur remedia, Dei ultoris animadversiones, & scelerum pœna censebantur. Hujusmodi erant elephantus seu lepra, paralysis, dæmonis invasio, cæcitas. Favere huic persuasioni videtur Christus, ubi paralyticum alloquens, ait: *Dimittuntur tibi peccata tua*. Morbi causam aufero, morbum ipsum mox ablaturus. Surge, & lectum tolle. Plus quam postulas, do, incolumitatem a paralysi, & veniam peccatorum.

℣. 3. Hic blasphemat. Vel ex Græco (7) *Intra se ipsos dixerunt: Hic blasphemat*. Ex proximo statim versiculo intelligis, meram fuisse cogitationem; ac diserte Marcus 3. 6. ait, illos id animo agitavisse, eorumque cogitationem secretumque judicium cognita fuisse a Christo: *Cognito Jesus spiritu suo, quod sic cogitarent intra se*. Cum Jesus Scribis meri hominis loco esset, jure videbantur illum impietatis arguere, cum potestatem dimittendi peccata usurparet, ea enim Dei unius est. Porro ea re offendi Scribas permisit Christus, ut ex ipsa eorum sententia sese Deum esse demonstraret. Cum peccata dimittere unus Deus queat, ego autem dimittere queam; sum igitur Deus. Id vero potestatis sibi inesse, ex eo evincit, quod absoluta potestate, atque unius verbi virtute morbos pellit; id quod unius Dei est, Scribis assentientibus. Vim dimittendi peccata, minime obnoxiam sensibus, sibi esse demonstrat exercita in morbos potestate, quæ sub sensus cadit. Nunquam patietur Deus, ut fraus & mendacium prodigio confirmentur, quale hic a Christo patratur.

Neque tamen illud velle Christum putes, potesta-

[1] Hieronym. & Druthmar. hic. Vide & August. lib. 2. de Consensu, cap. 25. [2] Toynard, Concord. Evang. pag. 24. Le Clerc, pag. 85. [3] Le Roux, Concord. pag. 46. 47. Arnaud, pag. 73. [4] Vide Cyrill. Jerosolym. Catech. 5. Ambros. lib. 5. in Luc. Chrysostom. Homil. 30. Hieron. hic; Maldon. [5] Vide Hieron. Euthym. Theophyl. [6] Vide nostram Dissertationem de Medicina & Medicis Hebræorum, ad Ecclesiasticum. [7] Ἐν ἑαυτοῖς.

testatem dimittendi peccata æqualem esse vel minorem altera reddendæ paralytico incolumitatis, id quod fesme colligi videtur ex dictis. Nullus est inter utramque comparationi locus. Utraque facilis æque est Deo: at homini æque arduum est peccata dimittero, uti Cœlum terramque condere, ait S. Augustinus (8). Docere voluit, facilius argui posse fraudis eum, qui morbos pellere, quam qui peccata dimittere sese posse glorietur. Ut autem, addit, certissimam vobis faciam fidem meæ io ea se potestatis, in qua malæ fidei argui nullo modo queam; exhibeo mox specimen absolutissimum potestatis meæ in ea re, in qua mendacii arguar, si promissis defuero; ægros nimitum incolumes restituendi authoritate (9). Statimque paralyticum stare & lectum tollere jussit. Ita hunc locum explicant S. Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Teophylactus, Maldonatus, Estius, Grotius, & Interpretum eruditissimi.

Blasphemare apud Profanos est obtrectare, calumniis petere, contumeliis incessere. Apud Scripturam sonat, injurias & indigna de Deo rebusque sacris dicere, proprias hominis imbecillitates Deo tribuere, vel quæ propria Dei sunt, homini arrogare.

℣. 8. Timuerunt (10) et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Innuere his velle videtur Evangelista, populum non intellexisse, Deum esse Christum, quamquam id satis ostendit oratione, quam is ad Scribas habuit. Satis habuere turbæ, Dei potestatem mirari, qui tantam homini virtutem dederit (11); vel tam multa suæ inter homines virtutis specimina exhibuerit.

℣. 9. Vidit hominem sedentem in telonio. Jesus egressus domo, in qua paralyticum sanaverat, in forum Capharnai veniens, Publicanum in teloneo invenit, publicum exigentem, *Matthæum* nomine, aliter *Levim Alphæi filium* (12). Is genere Judæus erat, ac Religione: illum tamen genti odiosum ars sua, Judæis omnibus penitus invisa, reddebat. Vix a Jesu vocatus, relictis omnibus, secutus est nulla mora, neglectaque rerum suarum cura: & bona & spem cæteris reliquit (13).

Veteres Christianæ Religionis hostes (14) Matthæum levitatis accusavere, qui ignotum penitus hominem secutus fuerit. At S. Hieronymus (15) minime dubitat, quin Matthæus Christi prodigia & dogmata prius intellexerit. Potuit ille concionantem sæpe audita; patrataque ubique prodigia, præsertim Capharnai, adeo clara erant, ut ignorari omnino non possent. Præterea secreta quadam vi sese moveri sensit, qua suaviter quidem & jucunde, vehementissime tamen trahebatur (16). Denique *Fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere posset aspectu* (17). Docet S. Chrysostomus hom. 28. populos illi ceu glutine junctos fuisse, amoris erga illum atque admirationis plenos, ut videndo satiari non possent. Quamobrem si corporea Jesu Christi species ejusmodi fundebat illecebras, quid mirere victum ea fuisse Matthæum, statimque secutum esse, ubi is vocavit?

Scio equidem, argumenta hæc, a corporea Jesu Christi specie, citra litem non esse; atque aliam

sedisse Veterum pluribus, quam Chrysostomo & Hieronymo, sententiam: at his relictis, nullo veritatis discrimine, duplex ea ratio, quam priore loco explicuimus, satis superque est, ut obtemperans Matthæus sapientissime sese gessisse dicatur.

℣. 10. Ecce multi Publicani et Peccatores, &c. Putat Tertullianus l. de Pud. c. 9. Publicanos religione Ethnicos fuisse; id quod de Publicanorum Principibus seu Mancipibus dederim; minime vero de inferioribus publicanis, seu vicariis, quorum e numero Matthæus erat, cæterique *peccatores*, de quibus hic. Judæi erant hi, publicorum exactores, vel odiosis apud Hebræos artibus occupati. Si convivas adhibuisset Christus Ethnicos, id minime dissimulassent Pharisæi, quippe quod nefarium Judæis videretur (18).

℣. 12. Non est opus valentibus medicus, &c. Pharisæos mollius excipit Jesus, quam ipsi merentur; ipsos enim sanos existimare videtur, medico non egentes; vel saltem ex ipsa illorum opinione aggreditur. Homines vestri similes doctore non egent, sed publicani & peccatores. Accusatus Antisthenes, quod interdum cum impiis versaretur, Et medici, inquit, cum ægris versantur, neque tamen ægri fiunt (19). Cum Diogenes Cynicus Lacedæmonum Leges commendaret, rogatus cur apud illos non viveret; Quia, inquit, medicus apud sanos non sedet, sed apud ægrotos. Idem quibusdam arguentibus, quod infamia loca frequentaset, respondit, solem etiam fœda loca penetrare, neque inquinari (20).

℣. 13. Misericordiam volo, et non sacrificium. Vulgaris locutio, ex Osee Propheta vi. 6. Charitatis opera legalibus institutis præfero. Malo peccantium salutem quærere, quam servili animo sectari mores atque instituta, quibus nulla vel authoritas vel utilitas est. Sinceram denique pietatem, veramque conversionem a peccantibus postulo, potius quam victimas & sacrificia. Publicani & peccatores, quibuscum vescor, facilius ad meliorem frugem convertentur meis institutionibus, quam legalium cæremoniarum exercitio. Vide nos in Osee, & Hieron. in Osee.

Non enim veni vocare justos, sed peccatores (21). Peccatorum gratia potissimum veni, magisque horum causa quodammodo, quam justorum: justi enim ope mea non æque indigent, ac peccatores. Neque illud reputaveris, justos homines, qui vitam ex Legis sanctionibus laudabiliter agerent, Jesu Christo non egere, sed minus quam peccatores ac facinorosos. Ita in superiori membro, misericordiam se velle significans, non sacrificium, Legis opera & sacrificia minime excludit, sed his præfert justitiam & misericordiam. Maria Virgo, Joannes Baptista, Zacharias, Elisabeth, Anna Phanuelis filia, Simeon senex, Nathanael justi erant, quos ad vocandos non venerat Christus: sani erant, Medici ope non indigentes: his opus illius adventu minus erat, quam cæteris, qui male vivendo peccabant. Eodem sensu alibi asserit Christus, Angelos magis gaudere unius facinorosi conversione, quam vita optime acta a novem & nonaginta Justis, pœnitentia non indigentibus Luc. 15. 7. scilicet minus egentibus pœnitentia quam cæteri.

Fatentur Patres (22), nascente inter homines Christo, neminem prorsus inventum esse, qui se

(8) August. Tract. in Joan. 27. num. 1. (9) Hieronym. hic: *Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale, quamquam ejusdem virtutis sit & corporis & animæ vitia dimittere.* (10) Græc. Ἐθαύμασαν, admiratæ sunt. Alii: Ἐφοβήθησαν, timuerunt. (11) Brug. Est. Natal. Alexand. Grot. Hammond. alii. (12) Marc. ii. 14. Luc. v. 27. (13) Basil. Regul. Fusior 8. Auth. ad Præsid. apud Hieron. & Chrysostom. hic. (14) Julian. Imperator, & Porphyr. apud Hieronym. hic. (15) Hieron. in Matth. Ita & Chrysostom. hic. (16) August. de Gratia Christi contra Pelag. & Cælest. cap. 22. & lib. de Gestis Pelagii, & alibi passim. (17) Hieronym. hic. (18) Galat. ii. 12. Joan. xviii. 28. (19) Antisthen. apud Laert. lib. 6. (20) Laert. lib. 6. (21) Græc. Οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ᾽ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Et ita legunt Hilar. Euseb. Chrysost. quod additum ex Luca v. 32. Non habent, εἰς μετάνοιαν, Cod. Cantabrig. Stephani duo, alii plures, Gorbie. Syr. Æthiop. Pers. Arm. Hebr. edit. Till. & Munst. Clem. Ep. 2. ad Corinth. & Barnab. in Latina vers. vetustissima. (22) Vide Hilar. hic; Chrysost. Homil. 31. in Matth. Hieron. Bedam, Theophyl. &c.

ipso justitia potiretur. Nemo non reus erat, nemo non Christi gratia & misericordia indigens: si qui fuere justi, hos Christi gratia, & in Christum fides justos effecerant. Quamplurimi tamen erant, qui justitia, qua carebant, gloriabantur; atque inter cæteros Pharisæi, qui cum sese justissimos esse crederent, reliquos uti malos impiosque spernebant Luc. 18. 9. Hoc hominum genus, falso justorum, maxime omnium damnat hoc loco Christus, atque amaris verbis irridens, ait: Non eo veni, ut hominibus, qui sese putant sanos, salutem conferam, aut servem eos, qui justos se esse censent, quales vos estis; sed ut eos curem, qui sese vere ægrotos sciunt, suæque iniquitatis & scelerum pondus sentiunt (2). Hi medicum, hi servatorem quærunt: cæteri rejiciunt & aspernantur. Horum e numero vos estis, qui ope mea vos non indigere arbitramini: vobismet vos relinquo: *Si cæci essetis*, inquit Jo. 9. 41. Christus, vel, si cæcos vos esse lateremini, *non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Quia videmus; peccatum vestrum manet.*

℣. 14. Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, &c. Hoc exprobrasse Christo ejusque Discipulis Scribas & Pharisæos, scribit Lucas 5. 33. Putant S. Augustinus (3), & S. Chrysostomus (4), accessisse tunc Pharisæis Joannis Discipulos. Ajunt alii (5), hos Pharisæorum suasionibus corruptos ad Christum venisse, id rogaturos. Quicquid sit, veri omnino simile est, Christo egrediente e Matthæi convivio, dixisse hos, mirari se, cur ille hoc vitæ institutum ageret, adeo a Joanne discrepans, quem tanti faceret.

Duos saltem (6), & interdum quatuor hebdomadæ dies, præter alios a lege imperatos, jejunio dabant Pharisæi. Mira prorsus erat Joannis abstinentia; quem Christus per hyperbolen dixit neque comedere neque bibere, & a Pharisæis damnari, quasi a Dæmone ageretur (7). Hujus discipuli procul dubio illius institutum pro virili sequebantur; cumque eo tempore publicis in vinculis Joannes detineretur, severius jejunium servasse credendi sunt; ut Magistri libertatem a Deo impetrarent. Populari magis & commoda vivendi ratione utebantur Christus & Apostoli, quamquam omnino durissima, pauperrima & angustissima; iis jejuniis contenti, quæ vel Lex vel mores imperabant, quæque ipsi in itineribus per varias rerum vices pati cogebantur.

℣. 15. Numquid possunt filii sponsi lugere? Amici scilicet Sponsi. Ad verbum (8): *Filii thalami*, vel *Filii nuptiarum* (9). Adolescentes nimirum, qui Sponso per solemnes nuptiarum dies honoris & obsequii causa dabantur. Integram plerumque hebdomadam implebant nuptiæ. Vide nostram Dissertationem de Connubiis Hebræorum, ad Canticum Canticorum. Nuptiarum filii tristes esse, jejunium & atros dies servare nequeunt, dum sponsum comitantur. Nuptiæ adolescentibus solemne tempus & jucundum sunt. Absolutis nuptiis, pro suo quisque libito aget. Sese Christus ceu Sponsum, suæque prædicationis spatium veluti tempus nuptiarum exhibet. Paranymphi & sodales sunt Discipuli: sponso per mortem sublato, jejunium servare poterunt, ac flere, diuturnos inter labores atque hostium injurias, quas Evangelii causa subituri sunt.

℣. 16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in in vestimentum vetus; secus, major fieret scissura, quam sarcire via. *Implere* dicitur Hebræis committere, sarcire, addito panni frustulo vestem componere. *Plenitudo* est scissura, assuto frustulo composita. Eamdem parabolam his verbis recitat Lucas v. 36. *Nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura a novo.* Duplex dispendium est, si novum cum vetere committas.

Duplici comparatione docet Christus, bene sapienterque se ac Discipulos agere: altera, rudis panni ad veterem vestem assuti; altera, recentis ac fumantis vini, in veteres utres immissi. Rudis pannus majorem facit vestis scissuram; veteres utres recenti vino franguntur. Qui me sequuntur Discipuli, similes sunt vestibus usu tritis, & vetustis utribus: asperum vitæ genus, & vehemens aut laboriosum nimis exercitium ferre nequeunt: leniter tractandi sunt, mollissime, humanissime (10), siquidem durare illos, atque Apostolicis laboribus pares esse voluero. Cum validiores fuerint, lapsoque Spiritu Sancto renovati; duriora illis & asperiora præscribam. Novi sunt conversione; at mala habitudine vetusti. Ubi ablatum fuerit quod vetus est, confirmatumque quod novum, tunc non imitabuntur modo Pharisæorum & Discipulorum Joannis jejunia, sed superabunt.

Veteres nonnulli (11) vestem usu tritam, & utres vetustos interpretantur Legem veterem; pannum rudem, & vinum recens, Jeso Christi Legem & Evangelium. Colligebant hinc Marcionitæ & Manichæi, duas hasce Leges simul non posse componi, neque unum esse Deum utriusque Authorem (12). At jam pridem cecidere ineptissimæ hujusmodi collectiones, quas nemo nisi aut ridens aut spernens audit. Tropica etiam interpretatione locum hunc usurpavere Patres (13). Fieri non potest, ut Pharisæi, qui vestes sunt usu tritæ, utresque vetusti, Evangelicam Legem, & Christianæ justitiæ præcepta excipiant. Aliter (14): Imbecilliores adhuc sunt Discipuli, quam ut omnia quæ dicenda mihi sunt, nunc illis aperiam. His apti erunt aliquando; & cœlestia dogmata tunc fusius illis tradam.

Nemo ignorat, quid sint utres, hircina scilicet coria arte parata, & instar sacci consuta, relicto e quatuor hirci cruribus uno, cujus corium infundibuli vicem præstat, vino cæterisque liquoribus excipiendis. Communis est utrum usus apud Orientales, & apud Gallos alicubi; hi porro opportuni maxime sunt transferendis vino oleoque, equorum aut hominum humeris, nullo vulneris discrimine, aut liquorum jacturæ, si utres cadant; dum tamen firmi sint & boni.

℣. 18. Ecce Princeps unus accessit. Docent cæteri Evangelistæ (15), hunc fuisse *Jairum*, *Principem Synagogæ* [omittit hoc Matthæus], ejusque filiam duodennem morti proximam (16). Sunt (17) qui credant, munus Principis Synagogæ profanam fuisse dignitatem, hominis nimirum, qui minori Concilio, seu cœtui trium & viginti Judicum, de causis capitalibus cognoscentium, præerat. Plerique tamen (18) ajunt, ejus muneris fuisse, cœtibus Religionis, qui in Synagoga habebantur, præsidere, ordinem sedendi, legendi atque orandi præscribere. Plures in singulis

(2) Vide August. Tract. 7. in Joan. & Enarr. in Psalm. xviii. & Serm. 178. nov. Edit. (3) August. lib. 2. de Consensu, c. 27. (4) Chrysost. Homil. 31. (5) Maldon. Menoch. (6) Luc. xviii. 12. (7) Matth. xi. 18. 19. (8) Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος. (9) Marc. ii. 19. Υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος. Vulg. *Filii nuptiarum*. (10) Vide Chrysostom. Homil. 31. Euthym. Theophyl. Hieronym. Maldon. alios. (11) Vide Hieronym. hic; Tertull. contra Marcion. (12) Vide Tertull. lib. 3. & 4. contra Marcion. Epiphan. Hæres. 42. August. lib. 8. contra Faust. (13) Hieronym. (14) Chrysostom. hic. (15) Marc. v. 22. Ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων ὀνόματι Ἰάειρος. Luc. viii. 41. Ἦλθεν ἀνὴρ ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ αὐτὸς ἄρχων τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχε. (16) Marc. v. 23. Τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει. Luc. viii. 42. Αὕτη ἀπέθνησκεν. Matth. Ἄρτι ἐτελεύτησεν. (17) Hammond. Vide nos in Matth. v. 21. (18) Grot. Ligfoot. Maldon. Camer. alii passim.

gulis Synagogis erant, in locis præsertim clarioribus (19). At inter hosce unus aliquis erat cæterorum primus, sapientia, authoritate, dignitate cuaspicuus. Is porro erat Jairus.

Puellam obiisse ait, quamvis illam domo egrediens vivam reliquerit. Cum vero illam extremos spiritus agentem viderit, defunctam esse credidit, dum ipse veniebat (20). Fortasse etiam nunciaverant servi, puellam mortusm esse, ipsu verba faciente eum Jesu. Sunt denique qui rem exaggerasse patrem censeant, ut statim Jesum ad sese adduceret; ac dixisse: *Modo defuncta est*; cum adhuc extremos spiritus ageret. Melius alii (21) asserunt, Jairum initio ad Christi pedes provolutum, dixisse, filiam agere animam, quamobrem orare, ut statim domum veniret, incolumem redditurus. Secutus Jairum Jesus, profectus est, comitante hominum multitudine. Euntem tetigit fœmina sanguinis fluxu laborans, statimque convaluit, uti mox dicetur. Dum hæc fiunt, nunciatum est Jairo, puellam exspirasse; quamobrem ne molestiam Jesu faceret, ut domum veniret. Interim Jaitus orare pergebat, ut puellam mox defunctam incolumem restitueret. Patrem confirmavit Jesus, simulque profectus, puellam vitæ reddidit. Ita facillime conciliantur Evangelistæ (22).

℣. 20. Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur ... tetigit fimbriam, &c. Sanxerat Moyses Deut. 22. 12. ut Hebræi paniculas in quatuor pallii angulis gererent, & circa pallium fimbrias. Jesus, religiosissimus Legis amator, similes cæteris vestes habebat, tunicam nimirum, vel subjectam vestem, & pallium paniculis & fimbriis ornatum, uti vulgus Judæorum solebat. Mulier, de qua hic, vel hæmorrhagia & sanguinis fluxu ab annis duodecim, vel, ut ajunt alii, hæmorrhoidum morbo laborabat. Sunt (23) qui de assiduo atque inordinato menstruorum fluxu interpretentur. Probatissima est, & maxime simplex hæc explicatio. Scriptor quidam, sub S. Ambrosii nomine latens, (24) fœminam hanc fuisse censet Martham. Tradit Eusebius (25), ortam esse Cæsareæ Philippi; eamque, pulso morbo, æneum Jesu Christi simulacrum erexisse, beneficii monumentum. Simulacrum vidit Eusebius, cujus ad pedes proveniebat herba, quæ ubi sponte crescens simulacri fimbriam tetigisset, præsens erat adversus morbos remedium.

℣. 21. Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. Clam & retro accessit fœmina, quippe quæ morbi causa cæterorum consuetudine excludebatur (26), & coram fateri morbum erubescebat (27). Credidit illa, vim pellendi morbos nedum ipsi Jesu inesse, verum etiam vestibus, & omnibus, quæ ad illum pertinerent. Quamobrem secum ipsa ajebat: *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero*. Denique, cum illius fidem commendaverit Christus, jure dici poterit, illam divino lumine illustratam agnovisse futurum, ut ille, cujus opem implorabat, conscius xnimi sui, morbique, ac fiduciæ qua accedebat, sese benignius intueretur, quamquam arcanum mentis desiderium ore non efferentem.

℣. 22. Confide, filia. Territa mulier, quod ore converso Christus quodammodo iratus quæfierit, quis sese tetigisset, actum esse de se credidit; atque uti furti rea, inquit S. Chrysostomus hom. 32. ad pedes illius procidens, veniam postulavit. At Christus fidei ipsius palam faciendæ causa id egerat, ut Jairi fidem confirmaret, qui indigna viro Scripturarum peritissimo imbecillitate, opus esse censuit, Jesum in domum venire, ut filiam vel incolumitate vel vita donaret. Confirmat mulierem Christus, ejusque fidem coram multitudine commendat. *Turba premit, fides tangit*, ait S. Augustinus (28).

℣. 23. Cum venisset Jesus in domum Principis, et vidisset tibicines, &c. Nullus Veteris Testamenti Liber musica exhibet instrumenta in funere adhibita, sed viros fœminasque pretio conductas ut flerent (29), & funebres nænias (30). Exulabat musica, importuna nempe, & minime apta tempori. *Musica in luctu, importuna narratio* (31). Labente Judæorum Republica, invectus est musicæ usus in funere, ex Græcia sive Romanis. Josephi ætate, ipso teste de Bello l. 3. c. 15. vulgaris erat mos apud Judæos. Narrat ille, vulgato Jerosolymis mortis suæ rumore, triginta amplius dies actum essa a civibus luctum, conductosque tibicines, ut lugubria ipsius nomini carmina recitarent.

Docent Rabbini (32), geminos saltem tibicines in viliorum funere esse oportere, preter lamentratricem. Apud Romanos, tibia tum in lugubribus, tum in festis canebatur (33):

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Majoris ætatis funera ad tubam proferebantur; minoris, ad tibiam, inquit Servius (34). Statius (35):

Tibia, cui teneros suetum producere manes.

℣. 24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Pulsis omnibus, Jesus patrem matremque puellæ testes solummodo adhibuit, ac tres Apostolos, Petrum, Jacobum & Joannem (36). Latere volebat prodigium, cum statim narretur præsentibus imperasse, nequid cuiquam aperirent (37); atque hoc fortasse consilio dormire puellam ait, non esse mortuam; veluti prodigii mox patrandi magnitudinem modeste minuens, non mortuam revocandam esse persuadere voluerit, sed excitandam esse puellam, alto sopore detentam. Qua in re nullus erat mendacio locus, sed ambiguæ vocis lusus, non ut falleretur quisquam, sed ut insigne modestiæ atque humilitatis exemplum præberetur (38). Dormire proprie usurpatur de somno; tropice de morte. Ita non obiit puella, ut nunquam reditura sit ad vitam: dormit: mox excitabo, ac tam facile vitæ restituam, veluti sopitam excutiam. Hæc Christi sententia erat, minime tamen a præsantibus intellecta.

Sunt qui censeant, Christum hæc [illegible] dixisse, ut præsentium, qui puellam exspirantem viderant, curiositas & attentio excitaretur. Vult Christus, ut Judæi & posteri omnes illam mortuam fuisse animadvertant. Quamobrem addit Evangelista: *Et deridebant eum*; utpote qui mortuam certo scirent. Audissent, ac propius inspectassent, si res fuisset xmbigua.

Ita explicant alii (39): Ita non obiit, ut iterum

(19) Act. xiii. 15. Vide Grotium in Matth. 12. 18. (20) August. lib. 2. de Consensu Evang. c. 28. Chrysost. in Matth. Beda, Euthym. Theophylact. (21) Vide Maldonat. hic, & Toynard. Harm. Evang. pag. 44. 45. Jansen. Gand. cap. 34. Arnaud, Concord. cap. 35. Le Roux, sect. 5. (22) Matth. ix. 19. 20. 21. Marc. v. 22. & seqq. Luc. viii. 41. 51. (23) Chrysostom. & Theophyl. hic; Adet. de Morbis Evang. cap. 12. Maldon. Bez. Piscat. (24) Vide Serm. 47. in Appendice nov. Edit. S. Ambros. olim Libell. de Salom. cap. 5. (25) Euseb. Histor. Eccles. lib. vii. cap. 18. Sozomen. lib. 5. cap. 21. &c. (26) Levit. xv. 25. (27) Optatus, lib. 1. contra Parmen. Et Auth. Serm. 47. in Append. nov. Edit. S. August. Petr. Chrysolog. Serm. 33. (28) August. Serm. 243. nov. Edit. (29) Jerem. ix. 17. xxii. 18. xxxiv. 5. Amos v. 16. (30) 2. Par. xxxv. 25. 2. Reg. 1. 17. 18. (31) Eccli. xxii. 6. (32) Vide Selden. uxor Hebr. lib. 3. cap. 8. (33) Ovid. Fast. lib. 6.
(34) Servius in Æneid. v. ad hæc verba: *Laudumque arrecta cupido.*
(35) Statius Thebaid. l. 6. Vide & Propert. *Tibia funesta tristior illa tuba.* Et Ovid.
Tibia funeribus convenit ista meis.
(36) Vide Marc. v. 37. (37) Marc. v. 43. Luc. viii. 56. (38) Maldonat. (39) Maldonat. Tirin.

rum victura non sit, quemadmodum vobis videtur: mox vivet, quasi e somno excitetur: vel, mortua non est coram Deo vivo, cui omnia vivunt, sed dormit: brevis somnus est puellæ mors: statim redditurus sum viventem atque experrectam (40). Mors apud Veteres somnus appellabatur. Agens de Lazaro Christus (41): *Lazarus amicus noster dormit; sed vado, ut a somno excitem eum*. Mortis fratrem nuncupat somnum Homerus Iliad. Ξ. Gorgias Leontinus, senio morboque confectus, ab amico rogatus quid ageret, *Somnus*, inquit apud Ælian. l. 2. *me fratri tradit*. Christiani, constantissima futuræ resurrectionis spe, mortem nuncupavere *Dormitionem*, & sepulcra, *Cœmeteria*, dormientium loca.

℣. 25. Tenuit manum ejus, et surrexit puella. Narrant Marcus & Lucas (42), Christum, apprehensa puellæ manu, veluti ea dormiente clamasse: *Puella, surge*; eaque statim incolumi, allatos esse surgenti cibos, ac demum imperasse Jesum, ne cui prodigium narrarent. Noverat ille procul dubio, illustre adeo factum latere non posse, intelligebatque futurum, ut tam multi qui puellam exspirantem viderant, minime sopitam fuisse crederent: attamen silentium imperat Christus, non hic modo, verum aliis etiam in rebus, unde major fama decusque oriebatur. Modestiam hic simul docet, ac Pharisæorum odia invidiamque declinat; conaturque omnem calumniæ causam removere, ne seditionis arguant, qui prodigiorum fulgore populum trahat; vel ambitionis, qui omnia ostentationis causa faceret, palamque omnibus gereret, aut narrari pateretur.

℣. 27. Secuti sunt eum duo cæci, &c. Tetigit oculos, curavit, & silere jussit. Egressum e domo Jairi Jesum cæci duo secuti sunt: at illos neque alloqui neque oculorum usu donare ipsa in domo voluit; donatos denique, prodigium narrare vetuit: omnia vero hæc eodem consilio, quod in Jairi filia vidimus, nempe ut ambitionem fugeret, ac Pharisæorum invidiam ne excitaret. Dignum erat illius sapientia, malas hasce mentes non provocare, nequid adversus ipsum tentarent. Tempus a Cœlesti Patre decretum, prævertendum non erat. Redditam cæcis incolumitatem, veluti argumentum adventus Messiæ, Prophetæ prædixerant (43). Duo hi nuncupant Jesum *Davidis Filium*, quippe quem Messiam esse crederent: hoc enim nomine Judæi ejus ætatis Messiam designabant.

℣. 30. Videte ne quis sciat. Tenebantur ne hac in re obtemperare? Censent Patres (44), non absolute voluisse Christum, ut parerent: primos tantummodo cæcorum impetus coercere voluit, ut prodigii fama sine tumultu in vulgus, & sine ambitione maneret. Id porro illius modestiam ac sapientiam docebat. Neque vero cæci ulla se tacendi obligatione detineri crediderunt; spectantes potius, quæ illius mens esset, quid illius gloriæ serviret, quid ipsi deberent, quam quid illius verbis significaretur. Quomobrem prodigii fama regionem universam implevere: *Diffamaverunt* (45) *eum in tota terra illa*.

℣. 32. Obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem (46). Narrat Lucas (47), mutum fuisse Dæmonem a Jesu pulsum, nempe (48) qui homines a se occupatos loquendi potestate spoliaret. Ita & mutus homo erat, & mutus Dæmon; nequitia scilicet Dæmonis homo: pulso Dæmone, statim homo locutus est. Censent Origenes (49) & S. Chrysostomus homil. 33. homines a Dæmone occupatos ita ab illo vexari, ut sensu nullo aut cognitione liberi sint. Profecto nunquam illis culpæ vertuntur, quæ ab ipsis Dæmone agitatis aut dicuntur aut fiunt. Græca vox *cophos* surdum potius quam mutum sonat, authore S. Hieronymo; at in novo Testamento indiscriminatim pro utroque usurpatur.

Ajunt alii (50), prodigium hic a Matthæo recitatum, aliud esse ab eo, quod narrat Lucas, xi. 14. atque ita consentiunt plerique Scriptores Concordiarum in Evangelia; docentque, idem prodigium narrari a Luca, xi. 14. Matthæo, xii. 22. Marco, iii. 20. 22. aliud plane ab eo quod hic narratur, diu postea gesto: idque omnino simillimum vero est ob ea quæ deinde consecuta sunt, a quatuor Evangelistis tradita. Postremi hujus prodigii occasione, Pharisæi criminati sunt, Dæmones a Jesu ejici nomine Beelzebubi.

℣. 33. Nunquam apparuit sic in Israel. Nullum unquam Prophetam Judæi, priscorum etiam temporum, viderant, tam multis prodigiis, tanta facilitate atque authoritate patratis, conspicuum. Proclive erat colligere, ipsum verum esse Messiam quem præstolabantur, magnumque Prophetam a Moyse Deut. 18. 15. prænunciatum.

℣. 34. In principe dæmoniorum ejicit dæmones. Hanc Pharisæorum criminationem diluit Jesus, cum alterum curavit Dæmoniacum, de quo agendum est Capite xii. 24. 25. ubi argumenta Jesu Christi expendemus. Videntur autem Pharisæi hæc non coram Jesu, sed multitudini, Christi opera admiranti, dixisse.

℣. 35. Circuibat Jesus omnes civitates. Alterum hoc iter (51) obiit Jesus, ut regionem universam Evangelii lumine impleret. Id vero egisse creditur post Joannis Baptistæ necem; divisosque hoc in itinere Apostolos, sui ipsius exemplo in omnia regionis oppida misisse, ut prædicarent, prodigiorum virtute instructos, edoctosque Apostolici muneris officia (52).

℣. 36. Erant vexati et jacentes. Populi sequentis misertus, hinc causam sumpsit mittendi Apostolos, a quibus in ipsis illorum oppidis vicissque edocerentur, ac levarentur longi itineris molestia, ut & ipsius dogmata audirent, & a morbis incolumitatem referrent (53). Græcus fere (54): *Fracti* labore, & *disjecti*: veteres tamen Codices multi cum Vulgata consentiunt.

℣. 37. Messis quidem multa, operarii autem pauci. Ingens est populi multitudo, felix Evangelii nuncium libentissime exceptura: præconem solummodo expectant: rogate igitur Patremfamilias, cœlestem Patrem, messis hujus creatorem & Dominum, ut messores in illam immittat, ac verbi Præcones, quibus populi instituantur. Eodem simul tempore Apostolos mittit, veluti Patris-familias Dispensator, & cœlestis Agricolæ Filius. Confer Joannem, xv. 1. *Pater meus agricola est*; & Matthæum, xxii. 33. 38. & Marcum, xii. 1. & Lucam, xx. ubi Patrem Jesus nuncupat vineæ dominum, sibique tantummodo filii & hæredis nomen adrogat.

Alio tamen sensu (55) ipse Dei Filius agricola est,

---

(40) Hieronym. Chrysost. Theophylact. Brugens. Piscat. (41) Joan. xi. 11. (42) Marc. v. 41. Luc. viii. 54. (43) Isai. xxxv. 5. xlii. 7. (44) Chrysost. & Theophylact. & Hieron. & Beda in hunc loc. Gregor. Magn. moral. lib. xix. cap. 15. (45) Διεφήμισαν, *Diffamaverunt*, in bonam partem accipitur pro *divulgaverunt*. (46) Matth. 12. 32. Ἄνθρωπον κωφὸν δαιμονιζόμενον. (47) Luc. xi. 14. Ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον, καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν. (48) Aug. lib. 2. de Consensu. Maldonat. Menoch. hic. (49) Periarchon lib. 3. cap. 3. (50) Vide Toynard. Concord. pag. 68. Jansen. Gandav. Concord. c. 49. Arnaud, cap. 49. Le Roux, sect. 5. n. 142. Le Clerc, pag. 141. (51) Vide supra iv. 32. (52) Confer Matth. x. 1. 2. & seq. Marc. vi. 7. 8. 9. Luc. ix. 1. 2. & seq. (53) Vide Matth. x. 1. (54) Ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι, καὶ ἐρριμμένοι. Alii Codd. Ἐσκυλμένοι, & ἐρριμμένοι. Ita quam plurimi apud Mill. Ita & Gothica, Syr. Æth. Persic. vers. Ita & Hilar. Hieronym. Basil. Chrysostom. Theophyl. Vide & Hamm. hic. (55) Chrysost. Euthym. hic. Vide August. in Joan. tract. 30.

est, ac dominus messis, ab eoque mittendi sunt messores, quemadmodum hic Apostolos legat. Aravere Prophetæ, jecere semen: adolevit messis, atque ad maturitatem perducta est: vobis honor laborque messis debentur. Domini agrum sibi commissum, creditum sibi gregem negligunt (56) Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes: in maturam atque uberem messem manum injicite: gregis labore fracti atque palantis curam suscipite. Monuerat Apostolos, rogarent dominum messis, ut operas mitteret: at sua ipsius benignitate urgetur, ut ultro mittat: sese rogari non expectat.

(56) Ezech. xxxiv. 2. Jerem. 1. 6.

C A P U T X.

Mittuntur Discipuli ad nunciandum in Judæa universa Dei Regnum. Docentur quid agendum sit, ut Apostolico munere optime fungantur. Potestas a Jesu illis data. Monet, ut prudentiam, patientiam, atque in Deum fiduciam servent. Mala prædicit ipsis subeunda, & Dei patris opem ac patrocinium pollicetur.

Ỹ. 1. ET convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum im-
mundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem
infirmitatem. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon,
qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus. 3. Jacobus Zebedæi, & Joannes frater
ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Al-
phæi, & Thaddæus, 4. Simon Chananæus, & Judas Iscariotes, qui & tradidit eum.
5. Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis,
& in civitates Samaritanorum ne intraveritis: 6. Sed potius ite ad oves, quæ pe-
rierunt, domus Israel. 7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit
regnum cœlorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmo-
nes ejicite: gratis accepistis, gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argen-
tum, neque pecuniam in zonis vestris: 10. Non peram in via, neque duas tuni-
cas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. 11. In
quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea di-
gnus sit: & ibi manete, donec exeatis. 12. Intrantes autem in domum, salutate
eam, dicentes: Pax huic domui. 13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet
pax vestra super eam; si autem non fuerit digna: pax vestra revertetur ad vos. 14.
Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de
domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. 15. Amen dico vobis:
Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civi-
tati. 16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes
sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. 17. Cavete autem ab hominibus. Tra-
dent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos: 18. Et ad præsi-
des, & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus. 19. Cum
autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vo-
bis in illa hora, quid loquamini. 20. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiri-
tus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem,
& pater filium: & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. 22. Et eritis
odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic
salvus erit. 23. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. A-
men dico vobis, non consumabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.
24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. 25. Suf-
ficit discipulo, ut sit sicut magister ejus: & servo, sicut dominus ejus. Si patremfa-
milias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus? 26. Ne ergo timueritis
eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scie-
tur. 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis,
prædicate super tecta. 28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam au-
tem non possunt occidere: sed potius timete eum; qui potest & animam, & corpus
perdere in gehennam. 29. Nonne duo passeres asse væneunt: & unus ex istis non ca-
det super terram sine patre vestro? 30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati
sunt. 31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. 32. Omnis er-
go,

go, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. 33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. 34. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. 35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: 36. Et inimici hominis, domestici ejus. 37. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. 38. Et qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. 39. Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. 40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. 41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. 42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

℣. 1. Convocatis duodecim Discipulis suis. Duodecim ex omnibus, qui se sequebantur, Discipulos jam pridem elegerat (1), antequam sermonem in monte haberet. Hos maxime omnium sibi hærere voluit, futuros Ecclesiæ suæ columnas & fulcra. Post primam hanc missionem, Apostoli vocitari cœperunt.

Apostolus sonat Legatum, Missum. Veteris Testamenti Prophetæ ceu totidem Altissimi Numinis Apostoli & Legati fuere, illius sanctiones & instituta hominibus nunciantes. Apostoli munus Christus ipse gessit, toto mortalis vitæ curriculo; atque a Paulo (2) *Apostolus & Pontifex fidei nostræ* appellatur. Hoc etiam nomine apud Ecclesiasticos Scriptores (3) donantur duo & septuaginta Discipuli, in Evangelicam prædicationem destinati. At duodecim hisce potissimum mansit hæc appellatio.

Apud Judæos, post Christum, *Apostoli* dicebantur homines a Patriarcha electi, ut collectas in Synagogis facerent pecuniæ, deinde ad Patriarcham mittendæ, ab eoque mox pro arbitrio distribuendæ (4). Apostolos etiam nuncupavit Paulus (5) Christianos homines, qui creditas sibi ab Ecclesiis pecunias Jerosolymam deferebant.

Dedit illis potestatem spirituum immundorum. Immundi spiritus dicuntur Dæmones, non quod ipsi natura immundi sint, nihil enim immundum aut inquinatum condidit Deus; sed quod ipsi superbia & seditione sese immundos effecerint. Hoc illos nomine plerumque designat Scriptura, quod immundi Idolorum cultus authores sint, quem cultum Scriptores sacri prostitutionem ac fornicationem nominant; quodque homines ab iis in quodlibet libidinum & corporis sordium genus impellantur.

℣. 2. Primus, Simon, qui dicitur Petrus. Apostolorum primus ubique dicitur Petrus, scribente Matthæo, nemo in Ecclesia Principatui Petri repugnabat: hic vero non ex anticipato vocationis tempore, neque ex aliqua animi vel originis dignitate petebatur. Ante Petrum Andreas Jesum agnovit, atque ipse Petrus ad Jesum ab Andrea ductus fuit (6). Si amicitiam ac benevolentiam Jesu erga illum spectes, multo amicissimus erat Joannes. Fatendum igitur est, Petri Principatum merum esse beneficium, ex una Jesu Christi electione profectum, quo ille Christianæ Ecclesiæ Caput constitutus est (7), Apostolorum Princeps, supremo tamen Pastori, & invisibili Ecclesiæ totius Capiti Jesu Christo subjectus.

Additum est Simoni cognomen *Petri*, ut ab altero Simone, pariter Apostolo, cui cognomen *Zelote* (8), secerneretur. *Petros* Græce generatim est lapis, vel proprie rupes; respondetque Hebraico vocabulo *Kepha*, quo nomine Christus ipse Simonem distinxit (9). Monebatur hac appellatione Petrus, qua constantia sibi opus esset in sui muneris exercitio, quippe qui futurus esset fundamentum lapis Ecclesiæ, cujus author & dominus est Christus. *Jonæ* (10), sive *Johannæ*, vel *Joannis* (11) filius Petrus: patria illi Bethsaida, Galilææ vicus ad mare Genesareth: domicilium Capharnai, ubi uxorem duxerat (12). Ibi Christus Petri socrum febri laborantem incolumem restituit. Matth. 8. 14.

Tradit S. Epiphanius, veluti rem nullius controversiæ, seniorem fuisse Petro Andream (13). At S. Chrysostomus (14) contrarium apertis verbis docet. S. Proclus (15) etiam ceu rem omnibus perspectam asserit, Andream juniorem Petro fuisse. Cassianus (16), & Author de Divinis nominibus (17) ajunt, Petrum cæteris Apostolis ætate & dignitate antecellere. Nonnulli e Catholicis Scriptores docent, potissimam principatus illius causam esse, anticipatam cæteris Apostolis vocationem: accedunt huic sententiæ ex Heterodoxis eruditissimi. At Christum Andreæ cognitum fuisse ostendimus, priusquam Petro; ac testibus Matthæo & Marco, gemini fratres iterum vocati sunt, cum ambo eadem cymba veherentur (18).

Andreas initio Joannem Baptistam secutus est, frequens saltem illius auditor. Cum autem aliquando ex Joanne audisset, Jesum Dei Agnum esse, Jesu Christo accessit, una cum altero Joannis Discipulo, & ad Jesu domum se contulit Jo. 1. 39. & ab hora quasi decima usque ad vesperam cum illo fuit. Primus ipse est Discipulorum, quos

(1) Matth. v. 1. 2. collatus cum Luc. vi. 13. 14. (2) Hebr. iii. 1. *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum.* (3) Irenæus lib. 2. cap. 37. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Græci sæpius. (4) In Codic. Theodos. lib. 16. tit. 8. de Judæis, lege 4. *Quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum, atque argentum a Patriarcha certo tempore designantur, a singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eumdem reportant.* (5) 2. Cor. viii. 23. Εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, Ἀπόστολοι Ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ. Philipp. ii. 25. Ἐπαφρόδιτον τὸν ... συστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ Ἀπόστολον. (6) Joan. i. 36. 38. 40. 41. (7) Vide Cyprian. de Unit. Eccles. Aug. lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 1. Cyrill. in Joan. lib. 12. Grotium hic. Bellarm. alios. (8) Infra ℣. 4. (9) Matth. xvi. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Marc. iii. 16. *Imposuit Simoni nomen Petrus.* (10) Joan. 1. 42. Matth. xvi. 17. (11) Joan. xxi. 15. (12) Epiphan. Hæres. 51. (13) Epiphan. Hæres. 51. (14) Chrysost. in Matth. Homil. 59. [illegible] (15) Proclus, Orat. an. pag. 553. (16) Cassian. in Nestor. lib. 3. cap. 12. (17) Dionys. de Divinis nominibus, c. 3. § 2. (18) Matth. iv. 18. 19. 22. Marc. i. 16. 17.

quos Jesus adscivit. Simonem fratrem ad Jesum duxit Jo. 1. 41. tuaque die cum Jesu acta, uterque ad consuetam artem rediere. Post aliquot menses, cum piscationi operam navarent, utrumque vocavit Jesus, perpetuosque sibi comites addidit. *Andreas* Græce sonat animosum, strenuum, Hebraicum illius nomen ignoratur.

℣. 3. Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus. Jacobus Zebedæi filius, cognomine *Major*, vel Senior, ut ab altero Jacobo Minore Jerosolymæ Episcopo, secernatur, frater erat Joannis Evangelistæ, vel Discipuli quem diligebat Jesus, ac fortasse major natu, cum ubique primo loco ponatur. Utriusque mater Salome, una ex fœminis quæ Christum sequebantur. Hæc rogavit Jesum, ut duos filios suos unum a dextris, alterum a sinistris in Regno suo constitueret (19). Consueta utriusque ars erat piscatio, reficiendisque retibus occupabantur, cum ad Apostoli munus a Jesu accersiti suare (20). Cum ingenti animi ardore præditi essent, *Boanergæ*, vel *filii tonitrui* dicti sunt. Jacobus capite diminutus est Jerosolymis (21), Herodis Agrippæ jussu, qui bene de Judæis mereri ea re voluit. De Joanne Evangelista fusius agemus ad illius Evangelium.

Philippus et Bartholomæus. Bethsaidam Galilææ patriam habuit Philippus. Uxor illi erant & filiæ (22). Rediens in Galilæam Jesus, relicto loco, ubi baptismum exercebat Joannes (23), obvium habuit, seque ut sequeretur imperavit. S. Clemens Alexandrinus (24) certissime asserit, Philippum fuisse illum, qui sepeliendi patris facultatem a Christo petiit, ipso respondente (25): *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Philippus Nathanaelem ad Christum duxit (26); ipse nunquam non secutus. *Philippus* Græca sonat hominem *qui equis delectatur*. Græca vel Hebraica indiscriminatum nomina Judæi tunc temporis usurpabant.

Bartholomæus genere Galilæus, quemadmodum cæteri. Natalis locus, ars, vitæ genus, vocatio ignorantur. Indos lustrasse creditur, eoque intulisse Matthæi Evangelium, Hebraice exaratum. Illud ibi S. Pantænus post centum annos nactus est (27). Obtrusum falso est ab Hæreticis Evangelium Bartholomæi nomine, a Gelasio Papa damnatum.

Non defuere qui putent, Bartholomæum ipsum esse Nathanaelem, quem Philippus ad Christum duxit Jo. 1. 45. Vetustissimus sententiæ hujus patronus esse videtur Rupertus Abbas in Jo. 1. qui tamen id pro certo non asserit. Accessere Tostatus hic, Jansenius, Cornelius a Lapide, Hammondus in Joannem. His porro argumentis rem tuentur. 1. Bartholomæus ubique Philippo jungitur, ubi Apostoli recensantur (28). 2. Si Nathanaelem a Christo vocatum neges esse Bartholomæum, Bartholomæi vocatio nuspiam legitur. 3. Cæteri Evangelistæ, qui de Bartholomæo verba faciunt, Nathanaelis non meminere; Joannes vero qui de Nathanaele, Bartholomæum silet. 4. Bartholomæi nomen proprium non est, sonatque solummodo *filium Tolmai*. Propria igitur esse illi potuit appellatio, *Nathaniel*, *filius Tolmai*. 5. Ægerrime credendum est, Nathanaelem, qui ad Christum una cum primis quatuor Apostolis ductus est, tam multis benevolentiæ indiciis ab illo exceptus Jo. 1. 47. inter Apostolos recensitum non fuisse; cumque is illustri adeo confessione cepetit, *Tu es Filius Dei, tu es Rex Israel* Jo. 1. 49. ad Christum non accessisse. 6. Illum inter Apostolos recensere videtur Joannes, ubi narrat, piscatum profectis Petro, Thomæ, duobus Zebedæi filiis, Nathanaeli, ac Discipulis duobus, Jesum sese exhibuisse, post Resurrectionem (29). Omnia simul hæc argumenta; quorum singula satis virium non habent, collecta ejus roboris sunt, ut nemo facile repugnaverit.

Si Bartholomæus ipse est Nathanael, Legis consultissimum fuisse necesse est; id enim de Nathanaele Veteres tradidere (30): patriam illi fuisse Canam Galilææ, cum hanc Nathanaelis patriam asserat Joannes 21. 2. Quamobrem a nonnullis sponsus fuisse creditur in nuptiis Canæ Galilææ (31). Alii temere prorsus e Ptolemæo quodam Syriæ Rege, nunquam cognito, illum arcessunt; Bartholomæi nomen duci potest e Syriaca voce *Bar*, filius, & *Ptolemeus*, bellicus, vel ex Hebraico, *Bar-tolmai*, filius Tolmai. Non unus occurrit apud Scripturam Tolmai (32). Vel ducito ea *Bar Thalem*, quod idem est ac *Schalom*, filius pacis; sive ex *Bar-tholeh-mai*, filius suspendentis aquas.

Thomas in Evangelio notissimus triplici ex eventu. 1. Eunte Jesu, ut Lazarum e mortuis revocaret, Thomas ad cæteros Apostolos inquit (33): *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*. 2. Suprema in Cœna Jesum rogavit, quo iret, & quam initurus esset viam. Cui Jesus: *Ego sum via, veritas, & vita* (34). 3. denique, post Resurrectionem, cum inter cæteros non fuisset, ubi se videndum Jesus præbuit, negavit sese crediturum, verum illis corpus oblatum esse palpandum, nisi suis ipse manibus tangeret. Hoc illi dedit Christus, nobis etiam profuturum: elapsis diebus octo, sese Thomæ exhibuit Jesus, jussitque digitos intra manuum, pedum ac lateris vulnera ponere, ac Resurrectionis veritatem omnino intelligere (35). Credidit Thomas, clamavitque: *Dominus meus, & Deus meus*. Indiam obiisse prædicatione creditur. Mortis genus tempusque ignorantur. Quid significet *Thomæ* appellatio, docet Joannes Evangelista (36), ubi ait, Græce appellari *Didymum*, Geminum. Dicere videtur Eusebius (37), *Judæ* pariter nomen Thomæ fuisse. Nemo tamen veterum sub hac illum appellatione cognovit.

Matthæus se Publicanum fuisse, ipse scribit, seque post Thomam recenset; modestiæ causa, inquit S. Hieronymus; aliis enim ab Evangelistis (38) ante Thomam ponitur. Alterum illi nomen erat *Levi*; & apud Marcum cognomen *Alphæi* (39). Hinc Veteres nonnulli, omnesque Recentiores Græci colligunt, fratrem esse Jacobo Alphæi filio: id quod probandum minime videtur. De Matthæo ejusque Libris fusius actum est in Prolegomenis ad hoc Evangelium. *Matthæi* nomen idem est ac *Matthiæ*, scilicet *Dei donum*.

Jacobus Alphæi filius, primus Jerosolymorum Episcopus, cognomine *Justus*, & *Minor*. Judæ Apostoli frater, *Alphæi & Mariæ* filius, eximia erga Jesum benevolentia clarus in Evangelio Joan. 9. 25. *Frater Domini* dicitur, utpote Mariæ Virginis propinquus. Canonicam (40) scripsit Epistolam, quam habemus. Plura de hoc dicentur in hujus Epistolæ Prolegomenis.

Thaddæus, aliter *Judas*, cognomento *Lebbæus* (41). Idem sonant Judas & Thaddæus; illud Hebraice, hoc Syriace; *confessionem* scilicet. *Lebbæus* cor-

(19) Matth. xx. 21. (20) Matth. iv. 20. 21. (21) Act. xii. 1. 2. 12. (22) Euseb. lib. 3. cap. 31. Hist. Eccles. (23) Joan. 1. 43. (24) Clem. Alex. lib. 3. Strom. (25) Matth. viii. 22. (26) Joan. 1. 45. (27) Euseb. lib. 5. cap. 10. Hist. Eccles. (28) Matth. x. 3. Marc. iii. 18. Luc. vi. 14. (29) Joan. xxi. 2. (30) Vide ad Joan. 1. 45. (31) Rupert. in cap. 2. Joan. Oser. Serm. de S. Joanne. (32) Josue xv. 4. & 2. Reg. iii. 3. & xiii. 37. (33) Joan. xi. 16. (34) Joan. xiv. 5. 6. (35) Joan. xx. 19. 29. (36) Joan. xx. 24. Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος. Convenit cum Hebræo תאם Geminus. (37) Euseb. Hist. Eccles. lib. 1. cap. 13. (38) Marc. iii. 18. Luc. vi. 15. (39) Marc. ii. 14. Vide Levi Alphæi. (40) Galat. 1. 19. (41) Matth. x. 3. Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.

cordatum hominem significat. Patres nonnulli (42) *Zelotem* etiam nuncupant. Jacobi Minoris frater est, & sanguine cum Jesu Christo conjunctus, quippe editus a Maria, sorore Mariæ Virginis, & Cleopha fratre, ut ajunt, Josephi. Additum *Lebbæi* cognomen, quod in Græco Matthæi Textu legitur, desideratur in Vulgata, Cophtica Versione (43), & Marco. Codices alii legunt dumtaxat *Lebbæum*, omisso *Thaddæi*. Sunt qui censeant (44), glossema esse, quod ex ora Libri in Textum irrepserit, quo spectare voluerit Scriptor Matthæum, minime vero Judam; Matthæum scilicet ipsum esse, qui *Levi*, seu *Lebbi* apud Marcum appellatur. Sunt qui *Lebbæum* ducant ex Hebraica voce *Labi* (45), leo, seu *Leb*, cor, sive *Lebba*; Galilææ oppido. Canonicam Epistolam Judæ nomine inscriptam legimus. Apocryphum Evangelium, a Gelasio Papa damnatum, huic Judæ tribuitur. Uxorem habuit, & fœcundam, cum Martyrum duorum, Judæ Apostoli nepotum, meminerit Hegesippus (46). De Thaddæo fusius agetur ad Judæ Epistolam.

℣. 4. Simon Chananæus, vel *Zelotes*, ut ait Lucas (47), incertam Hebraicæ vocis *Chanani* (48) significationem definiens; ea enim ex varia scribendi ratione Chananæum, Phœnicium, vel Zelotem sonat. Putavere nonnulli (49), hunc Chananæi appellationem referre ex Cana Galilææ oppido, ubi natus traditur. Illum e Tribu Nephthali vel Zabulonis arcessit Theodoretus. Videtur nonnullis (50) ex eorum numero fuisse, qui *Zelotæ* apud Josephum (51) nuncupantur, qui tam multas cædes in suprema per Romanos obsidione ediderunt. Zelotum hujusmodi Princeps & Auctor & Phinees, in solitudine adversus puellas Moabiticas clarus Num. 25. 13. Elias, Prophetarum Baalis nece illustris 3. Reg. 18. 40. inter hos habendus est. Jungendi sunt Mathathias Macchabæorum pater (52), ejusque liberi. Qui ætate Jesu Christi Zelotæ dicebantur, secta hominum erant, uti ajunt, institutoribus Juda Gaulonite, & Sadoco. Sectæ hujus hominem fuisse Simonem, putat Hammondus; quæ secta, inquit Grotius, minime probrosa erat Apostolo. Utrum vero huic sectæ nomen dederit Simon, non satis ostenditur (53). Incertum est pariter, extiterit ea secta Jesu Christi ætate, nec ne. Simonem Apostolum accessisse Zelotis in Josepho notis, id porro impium est & contumeliosum.

Judas Iscariothes. Vulgo ætate Eusebii & S. Hieronymi (54) credebatur hic Judas ex Ephraimi Tribu, & oppido Iscarioth genus referre. Nuspiam certe oppidi hujus nomen in veteri Testamento legitur: at fortasse recens oppidum fuit, post captivitatem conditum.

Alii (55) Judam repetunt ex Issachari Tribu, & pro Ischariothe legendum esse docent *Issachariothem*. Legunt nonnulli: *Isch Cariothes*, vir e *Carioth*, oppido apud Scripturam noto (56). Sunt qui hujus cognomen ducant e Syriaco vocabulo, *Isch-scharioth*a, vir marsupium ferens. Scitum est, communem Apostolici cœtus pecuniam penes Judam fuisse (57). Denique aliis (58) placet, ducendum esse ex *Ascbara*, quod est *strangulatio*, quod revera Judas sponte suspensus sibi fauces elisecit. Nihil ex his certum, & dubio carens. Veteres multi legunt (59) *Scariothem*, pro *Ischariothe*.

℣. 5. In viam gentium ne abieritis. Vocandi prius erant ad fidem Judæi, ac nunciandum illis Evangelium. Ecclesiæ aditus nonnisi post Christi Resurrectionem Ethnicis patuit; quo tempore, Judæis renuentibus, missi sunt ad Ethnicos Apostoli: *Euntes, docete omnes gentes*. Matth. 28. 19. Vide *Act.* xiii. 46.

In civitates Samaritanorum (60) ne intraveritis, neque invidiæ causa Judæis detur, neve illi irritentur, ubi salutis verba ad illos ferri, & cum iis communicari viderint. Cæterum eadem erat Samaritanis & Judæis Religio: utrique Mosaicis Legibus obtemperabant, & Messiam præstolabantur. At ingens adeo inter utrosque simultas ab initio erat, ut nihilo magis Ethnicos & Profanos odissent, quam ipsi se mutuo. Ingressus est Jesus Sichimam, oppidum Samaritanorum, sub ipsum prædicationis exordium, fœminæ cujusdam Samaritanæ causa, quam ipse ad puteum sedens nactus est (61): at illos docere cessavit. At teste Luca 9. 52. Jesum Jerosolymam proficiscentem excipere noluerunt Samaritani: adeo ingens erat utriusque gentis odium.

℣. 6. Ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. Dixerat supra Matthæus 9. 36. Jesum cum Israelitas vidisset labore fractos, & passim jacentes, ovium instar pastore carentium, misericordia motum, decrevisse Apostolos ad illos mittere, felix Evangelii nuncium allaturos. Hic monitis instituit Apostolos, jubetque ad errantes oves proficisci, easque in rectum iter reducere.

℣. 7. Appropinquavit Regnum Cælorum, pervenit. Statim pœnitentiam agite: vindictam mox exercebit Deus in illos, qui sese provocaverint. Vide dicta ad Matthæi iii. 2. Marcus diserte 6. 12. *Exeuntes* Apostoli *prædicabant* populo, *ut pœnitentiam agerent*.

℣. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate. Non imperat, sed facultatem dat. Hæc verba (62), *Mortuos suscitate*, in Græcis Codicibus quampluribus desiderantur (63). Ea tamen ferunt Vulgata, Syriaca, Codex Cantabrigiensis, aliique innumeri. Sunt qui addita in Matthæi Textu putent. Profecto nuspiam legimus, mortuos ab Apostolis ad vitam revocatos, saltem ante Jesu Christi Resurrectionem. Hæc interpretati non sunt Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus: at in Textu defuisse, hinc colligi neutiquam potest; neque enim omnia Scriptoris verba ab Interprete explicantur. Habent ea Codices plerique. Necesse omnino erat, Apostolos authoritate pellendi morbos, & patrandi prodigia instrui, ut sacris institutionibus, quas tradebant, fidem facerent; præsertim apud rudiores, ex quibus Apostoli obsequium exigere non poterant, cum neque facundia conspicui essent, neque scientia, neque authoritate, neque ulla nominis gloria, neque aliis laudibus, quibus populorum existimatio comparatur.

Gra-

(42) Hieronym. in Galat. iv. & in Helvid. cap. 7. Chrysostom. tom. 5. Orat. 32. Origen. in Matth. tom. 55. Ms. Velez. habet Κανανῖον, pro Καθδαῖον. (43) Deest in Ms. Cantabrig. Cophr. Codd. aliis, teste Aug. lib. 2. de Consensu, cap. 30. (44) Mille Proleg. 186. (45) לביא Leo, לב Cor. (46) Hegesipp. apud Euseb. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 20. (47) Luc. vi. 15. & Act. i. 13. (48) Matth. hic: Σίμων ὁ Κανανίτης. Alii: Κανανᾶιος, vel Χανανᾶιος, vel Κανανᾶιος. Hebr. קנא, vel קנאי, vel כנעני Zelotes. כנעני *Chananæus*. (49) Hieronym. in Matth. x. 4. Theodoret. in Psalm. lxvii. 28 Menoch. Tirin. (50) Hammond. hic, Scalig. Grot. Vide & Ligfoot. & Drusium. (51) Joseph. de Bello Jud. lib. iv. cap. 3. lib. vi. cap. 1. (52) 1. Macc. ii. 54. (53) Bertram. de Republ. Judæor. ad finem. (54) Euseb. in Isai. xxviii. 1. Hieronym. in eumdem Isaiæ locum. (55) Hieron. in Matth. Theophyl. (56) קריות Vide Josue 15. 25. Amos ii. 2. Jerem. xlviii. 24. 41. (57) Joan. xii. 6. (58) Vide Junium, Ligfoot. Ludov. de Dieu אסכרא *Strangulatio* אסכרא *suffocatio*. (59) Origen. Ms. Cantabrig. G. L. Syr. Codd. Latini 2. vetustissimi Biblioth. Bodlej. (60) Græc. Εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε, *in civitatem*, veluti Samariam significet. (61) Joan. iv. 9. 10. (62) Νεκροὺς ἐγείρετε. (63) Non legunt Steph. Ms. 9. Colbert. 3. Barberin. 9. Bodlejan. 6. Selden. 4. Usser. 2. Alii quam plurimi: Vide Var. Lect. Mill.

Gratis accepistis, gratis date. Verba facite, docete, curate ægrotos, nullo lucri aut alterius commodi cupiditate, præterquam gloriæ Dei, cujus gratuito prorsus beneficio hæc accepistis. Quoslibet agendi fines, gloria Evangelii indignos ac turpes, excludit. Vetat, ne, dum salutis viam doces, tui ipsius utilitatem, gloriam, superbiam, lucrum quæras. Beneficia, quibus a Deo cumulati estis nullo impendio, gratis date (64). Neminem a Messiæ notitia excludite, omnesque illum venisse beneficiis, institutionibus, curationibus per vos delectis sentiant. *Ut sit ministratio gratuita muneris gratuiti*, inquit S. Hilarius.

At si & Apostolorum conditio, & Evangelii decus postulant, ut nihil ab iis exigatur, qui docentur, sive curantur, æquitas & grati animi virtus jubent, Apostolorum & doctorum rebus consuli. Non illud prohibet Christus, ne commoda vitæ necessaria vel merces ab audientibus oblata excipiantur; sed ne lucri gratia prædicationem exerceas. Optime ostendit Paulus (65), posse Pastores & Verbi Præcones necessariam vitæ alimoniam ex iis, quos docent, accipere; hos vero debere doctoribus consulere (66).

Ỳ. 9. Nolite possidere aurum. Vel, ex Græco (67): *Ne comparetis*, quæratis, cogatis *aurum; neque argentum*. Missi a me cavete, ne ita ad iter vos comparetis, ut in consuetis itineribus fit, quorum in usum parantur pecuniæ, vestes duplices, annona, arma: nihil tale a vobis præstandum est. Consulet omnibus is qui mittit.

Neque pecuniam in zonis vestris (68). Olim marsupium e zona suspendebatur (69):

Læva suspensi loculos tabulamque lacerto.

Ipsa etiam zona, quæ ampla erat & capax, uti nunc Orientalium pleræque, pecunia gerebatur. Aggæus (70): *Qui mercedes congregavit, misit eas in zonam pertusam*. Ajebat C. Gracchus (71): *Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli*. Horatius lib. ep. 2. *Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit*. Vitellius, teste Suetonio in Vitellio, *zona se aureorum plena circumdedit, confugitque in cellam janitoris*. Pescennius Niger (72) edicto cavit, ne Romanus miles pecuniam in zonis ferret. Ajebat Alexander Severus: (73): *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, satur, & habens aliquid in zonula*. Plura jam congessimus, quam opus est, ut hujus consuetudinis vetustas demonstretur.

Non peram (sacculum) in via (74). Nemo sine annona iter olim aggrediebatur; idque apud Orientales nostra etiam ætate servandum est; publica enim hospitia nonnisi tectum præbent, neque passim occurrunt. Moris hujus exempla exhibent Genesis 28. 18. Judith x. 5. Tobiæ vi. 6. aliique sexcenti apud Veteres. Marcus habet (75): *Neque peram, neque panem*; ut sacculi usum significet.

Neque duas tunicas. Tunica, subjecta vestis erat, uti apud nos *camisia*. In longis itineribus, lineæ vestes deferebantur, pro opportunitate mutandæ (76). Pallii non meminit, quod & illud mutari non soleret, atque incommodum esset pedester iter agentibus, alterum deferre.

Neque calceamenta (77). Marco teste (78), permittit Discipulis Christus, ut sandalia gerant in itinere. Cum vero Matthæi verba, quæ nos *soleas* interpretamur, idem significent atque illa Marci, quæ vulgo explicantur *sandalia*, ut uterque Evangelista concilietur, deserenda omnino est plerorumque Interpretum sententia (79), qui censent, interdici a Christo apud Matthæum Discipulis calceos; & apud Marcum permitti sandalia. Auget difficultatem Lucas (80), ubi Christum Discipulos ita alloquentem inducit: *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Quæ verba innuere videntur, Apostolos nudis pedibus incessisse. Eadem ille voce utitur, qua Matthæus, ut calceos gerere vetet. Si Apostolos nudis omnino pedibus iter habuisse dicas, repugnas Marco, sandalia permittenti; imo & Jesu Christo, qui consuetis in ea regione calceis utebatur. Joannes Baptista palam profitebatur, se indignum esse, qui calceorum Christi lora solveret (81). Diu servata sunt Romæ sandalia, quibus usus esse Christus ferebatur (82).

Unica conciliandi hos locos ratio est, ut dicas, Jesum vetuisse, ne Apostoli, Evangelicæ prædicationis causa iter ingredientes (huc enim solummodo spectat hæc Jesu Christi sanctio) duplices aut plures calceos, duplicia sandalia vel duplices soleas ferant, quales in usu sunt apud eos, inter quos iter habent. Ita explicant plerique optimorum Interpretum (83), & Juvencus Presbyter, libro II.

Nec geminæ vestes, nec plantis tegmina bina.

Notissimus tota antiquitate est usus, geminos calceos deferendi. Herorum calceos gestabant servi. Joannem Baptistam inducit Matthæus 3. 11. dicentem, se indignum esse, qui sandalia Jesu Christi gerat. Quamobrem repetenda hic est ea vox, *duas*, e superiori membro: *Neque duas tunicas, neque duo calceamenta*.

Neque virgam. Sunt (84) qui hoc de armis, quibus infertur ultro vis, aut illata repellitur, interpretentur. Nulla vobis tela, vel clavæ ferro instructæ, aut omnino arma sunto. Fiducia omnis in Deo sit. Minime negat Christus, gestandum esse baculum, cui incumbens iter habeas, quemadmodum diserte docet Marcus (85): *Ne quid tollerent, nisi virgam tantum*. Hoc ipsum innuit Lucas 22. 36. 37. ubi interrogatis a Jesu Discipulis, *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* iisque *nihil* respondentibus, subdidisse Christum narrat: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*; ubi vides *gladium* pro *baculo* usurpari. Hæc sunt quæ pro hac sententia afferuntur.

Huic tamen repugnant viri eruditissimi (86), qui illud solummodo vetari a Christo ajunt, ne plures baculos habeant Apostoli, minime vero ne baculum gerant, cui gradientes incumbant. Animadvertunt enim, I. vetustis Codicibus Græcis quamplurimis ferri (87) *Virgas*, non *virgam*; & consentit Lucas. (88). II. Cum Marcus (89) aperte dicat, baculum unum Apostolis a Jesu conce-

di;

(64) Maldon. Grot. Menoch. Brug. (65) 1. Cor. 12. 7. Galat. vi. 6. (66) Vide August. de Consensu Evang. lib. 2. cap. 30. (67) Μὴ κτήσησθε χρυσόν. Vide Chrysost. hic. (68) Εἰς τὰς ζώνας. (69) Horat. Epist. lib. 2. Ep. 2. (70) Agg. 1. 6. המשתכר משתכר אל צרור נקוב (71) Apud Aul. Gell. lib. 15. cap. 12. (72) Apud Ælian. (73) Lampridius. (74) Græc. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν. (75) Marc. vi. 8. Μὴ πήραν, μὴ ἄρτον. (76) Hieron. hic; August. lib 2. de Consensu. (77) Μηδὲ ὑποδήματα. (78) Marc. vi. 9. Ἀλλὰ ὑποδεδεμένους σανδάλια. (79) Ita fere Hieronym. hoc loco; Et August. lib. II. de Consensu cap. 30. Salmas. ad Tertull. Pall. cap. 5. Balduin. de Calceo antiquo, cap. 12. Ligfoot. Hor. Hebr. in Matth. alii. (80) Luc. xxii. 35. Ἄτερ βαλαντίου, καὶ πήρας, καὶ ὑποδημάτων. Vide, si lubet, August. Serm. 101. nov. Edit. (81) Marc. 1. 7. Luc. iii. 16. (82) Paschas. Radbert. lib. 6. in Matth. (83) Maldonat. Paul. Brug. Cajetan. Gagn. Guilland. Suarez, Ribera, Contzen, Piscat. Grot. Erasm. Beza, Vatabl. Regius. Vide Bynæum de calceis Hebr. lib. 1. cap. 6. (84) Brugens. Piscat. Menoc. Hamm. (85) Marc. vi. 8. Εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. (86) Grot. Beza, hic; Bynæus de Calceis, lib. 1. c. 6. Natal. Alex. in hunc locum. (87) Ῥάβδους legunt. Steph. Codd. xx. Bodl. 4. Vesul. 8. Huntt. 8. Usser. 2. Laud. 2. alii plurimi. Vide Mill. (88) Luc. ix. 3. Μήτε ῥάβδους, μήτε πήραν. (89) Marc. vi. 8. Εἰ μὴ ῥάβδον μόνον.

di; plures igitur interdicebantur. III. denique plures deferri solebant in usum itineris baculi, fulcri, vel gestandarum sarcinularum causa, siquando primus frangeretur (90). Aptissima omnium videtur hæc conciliandorum Evangelistarum ratio.

Dignus enim est operarius cibo suo. Vulgaris locutio est. Nihil vilius annona expectare potest operarius. Deus, quibus operam exhibetis, vobis consulet, vel sua ipsius virtute, vel aliorum animos movens, ut quibus opus est, vobis suppeditent. Neque tamen hinc colliges, Apostolos communi laborandi lege, comparandi victus causa, fuisse subductos, dum ipsa Evangelii prædicatione non occuparentur. Optimum ac luculentissimum ejus rei exemplum est Paulus Apostolus (91).

℣. 11. Interrogate, quis in ea dignus sit. Non leve beneficium est, Apostolum, vel Apostolicum virum hospitio excipere (92). Hos qui domi habent, id tantidem facere debent, quanti si Christum ipsum acciperent: *Ut magis se noverint accipere gratiam, quam dare*, inquit S. Hieronymus. *Ergo*, subdit, ab Apostolicis viris *hospes fama eligendus est populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur*. Non locupletissimi, aut honestissimi, vel maxime liberales præponendi sunt; sed ii, qui Deum maxime verentur atque amant, ejusque dogmata majore obsequio sunt excepturi.

Ibi manete, donec exeatis; scilicet, interprete Luca 10. 7. *Nolite transire de domo in domum*; domicilium ne facile mutetis. Id offensæ loco futurum est hospiti, injuriæ familiaribus, quasi vel mensa vel hospitio male excipiaris. Contemptum etiam Apostolico muneri pariet, atque imbecillibus offensionem, qui te vel inconstantiæ damnaturi sunt, vel immodicæ deliciarum cupiditatis (93). *Alienum est a prædicatore Regni cœlestis cursitare per domos, inviolabilis hospitii jura mutare*, inquit S. Ambrosius (94).

℣. 12. Salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Ut apud aliquem excipiamini, literis opus non est, aliisve indiciis: dicite solummodo: Pax huic domui. Animos parabit Deus, ac facilem ingressum dabit. Cum olim quis in urbem perveniret, ubi amicos haberet, propinquos, aut familiæ hospites, statim ad illorum domum se conferebat, mutuo redditurus, siquando hi in alterius urbem venirent. Hoc porro jus hospitii erat, quod inter familias servabatur. Si vero ignotus esses familiæ, ad quam pergebas, literæ tibi dabantur, vel alia indicia, quibus hospes vel amicus agnosceretis. Monet hic Apostolos Christus, ut in urbem aliquam euntes pecuniam ne secum ferant, aut annonam seu vestes; ita denique ut divertere non possint ad publica hospitia, ubi nonnisi tectum dabatur; neque ejus rei solliciti sint. Illud solummodo curent, ut honestissimos ac piissimos civitatis quærant, & apud quos visum fuerit, maneant; certo scientes, id honori esse iis, apud quos hospitium eligunt, cæteris invidiæ. Ubi aliquam domum ingressi fueritis, nulla præfatione, salutem familiaribus, pacemque & bona omnia precamini, ex Judæorum more, quibus consueta erat salutandi forma: Pax vobis. Certo noveritis, vos exceptum iri.

Codices Græci, typis editi, non ferunt hæc verba: *Pax huic domui*. Eadem non legit S. Hieronymus in Textu & in Commentariis in Matthæum; quamquam in Bibliotheca Sacra nuper edita leguntur. Habent hæc Latini ferme omnes, tum vulgati, tum manu descripti; Græci etiam multi (95); Hilarius Chrysostomus, Theophylactus. Sunt nihilominus, qui addita hoc loco putent, & ex Lucæ Evangelio 10. 5. accepta.

℣. 13. Si fuerit illa domus digna, si pacis Evangelium excipere parata fuerit, *si ibi fuerit filius pacis*, uti ait Lucas 10. 5. ac familiares electi a Deo fuerint, ut verba salutis accipiant, id statim hilari animo agent, & cum fructu audient; *veniet pax vestra super eam*, felicem salutationis vestræ atque adventus vim experientur: *Si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos*. Si allatam a vobis fortunam, & dogmata per vos tradita rejecerint atque spreverint; id saltem vobis merito & laudi dabitur, quod illorum salutem quæsiveritis, vestrique muneris officia expleveritis (96). Cœlestis Pater, qui hominum facta non ex eventu, sed ex animo & voluntate metitur, præmium referet. Alii (97) postrema hæc verba ita interpretantur: *Pax vestra revertetur ad vos*: inutilis iis, quibus imprecati estis, ad vos revertetur; eamque vos aliis utilius deferetis. Ita apud Isaiam 60. 11. Deus: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*.

℣. 14. Exeuntes foras de domo, excutite pulverem de pedibus vestris. Symbolica hac pedum excussione innui voluit Deus, nullum ab Apostolis amicitiæ aut conjunctionis genus cum iis servandum esse, qui Dei verbum rejecerint. Hoc veluti anathemate, inquit S. Hilarius (1), ea loca immunda pronunciabant, ita ut vel pulverem ipsum e calceis excuterent. Id revera his verbis indicari, docet Lucas 9. 5. *Etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos*; illorum perfidiam vos execrari testantes, docentesque hoc veluti ænigmate; pulverem pedum suprema judicii die testem adversus ipsos futurum (2).

Hoc Jesu Christi præceptum servatum legitur in Actis XIII. 14. Judæi ex Antiochia Pisidiæ, excitata in Paulum & Barnabam seditione, illos urbe expulerunt. Ii vero egredientes, excusso pedum pulvere, alio secesserunt. At Act. 18. 6. Paulus vestes excutit in eos, qui veris dogmatibus a se traditis repugnabant. Vetus erat Judæorum consuetudo, quæ apud Esdram cernitur (3). Cum Nehemias infimum Jerosolymæ vulgus adversus locupletes, ob illorum sæviriam, in seditionem abire intelligeret, coacto populi & Sacerdotum cœtu, hortatus est creditores, ut debitoribus dimitterent; simulque sinum excutiens, ait, *Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo sua & de laboribus suis: sic excutiatur, & vacuus fiat*.

Sunt (4) qui excusso calceorum pulvere significari putaverint, hoc Apostolos iis urbibus exprobrare: Frustra circa vos laboravimus, atque ingens ac laboriosum iter suscepimus: testis est pulvis calceis hærens: hunc super vos excutimus, testem suprema judicii die exitio vestro futurum.

℣. 15. Tolerabilius erit terræ Sodomorum, &c. Sodoma & Gomorrha flagitiis ac sceleribus meruere, ut gravissimis a Deo suppliciis punirentur. At illorum crimina, magna licet, magnopere minuit Legis Divinæque voluntatis ignorantia, qua illæ tenebantur. Dei verbum hæ neque rejecere, neque aspernatæ sunt; quamobrem levius est illarum crimen, quam eorum, qui per obstr-

[90] Vide Grot. hic. [91] Act. XVIII. 3. & 1. Cor. IX. 1. [92] Hieron. Mald. Est. alii. [93] Vide Chrysost. Bedam, Euthymium, Theophylactum, Beng. Mald. Grot. [94] Ambros. in Luc. lib. 6. n. 86. Ita & Chrysostom. [95] Λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Ita Codd. Steph. 5. Bodl. 3. Cantabrig. Parisini 3. Et alii plures apud Mill. [96] August. de Correp. & Grat. cap. 15. *Ad nos revertetur, idest, nobis proderit ista prædicatio, non & illis; si autem super eum pax prædicata requieverit; & nobis & illi*. Vide & Hieronym. hic. [97] Maldonat. Grot. Menoch. [1] Chrysostom. Hieronym. & Theophylact. hic; August. qu. 7. in Matth. Ambros. in Luc. Euthym. hic; Hilar. in Matth. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Grot. alii; [2] Origen. hom. 18. in Genes. Hilar. hic; Maldonat. Menoch. [3] 2. Esdr. v. 13. [4] Vide Chrysost. Hieron. Bedam hic; Aug. qu. 7. in Matth.

obfirmatam in malo nequitiam, Divinarumque Legum contemptum peccavere. Hoc sensu Prophetæ frequenter Hebræos arguunt (5): *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*. Et (6): *Non fecit Sodoma soror tua ipsa & filiæ ejus, sicut fecisti tu & filiæ tuæ*, o Jerosolyma; scilicet illorum crimina nunquam aucta sunt odiosissimis iis flagitiis, quibus tua nunc apud Dominum cumulantur.

Ỳ. 16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Non ad primam modo hanc Judææ missionem, se vivente, Apostolos instruit Christus, verum etiam ad cæteras, atque ad itinera, quæ deinde suscepturi sunt, toto Apostolici muneris tempore. Venturas illis ærumnas prædicit, atque adversus discrimina & malorum injurias illos munit. Sævissimis cruentisque lupis tellus tota scatebat. Ethnici, universam pene orbis faciem occupantes, salutis dogmata execrabantur. Dæmones etiam sævituri erant in Evangelicos Præcones: ipsi denique Judæi, quorum vitia corrigebantur, innumera in Apostolos odia erant excitaturi. En lupos, adversus quos pugnandum erat ovibus.

Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c. Dixit mox, Apostolos ovibus similes in medio luporum futuros: patientiam solummodo & mansuetudinem pro armis esse imperat; prudentia & simplicitate instrui jubet; sapientia, quæ dolum, fraudes, malas artes nesciat; simplicitate, quam prudentia & consilium comitentur. Si quis vos odiis & injuriis exagitet, constanter ferte, nulla indignatione, simultate, aut vindictæ desiderio, instar columbæ: at, si fieri queat, utimini anguis prudentia, ut persecutionem vitetis fuga aliave ratione. Anguis artibus usus est Paulus, ubi per sportam e Damasci mœnibus demissus est (7), hostium expectationem fallens; ubi, captus Jerosolymis, Pharisæum se esse dixit, ut dissidium inter Judæos, vim inferre sibi paratos, fereret (8); ubi denique civem Romanum se esse testatus est, ut inimicorum injurias vitaret (9). Columbæ vero simplicitatem tota Pauli vita præsefert, cum ubique simplex, sincerus, humilis, patiens, simultatis ac simulationis ignarus fuerit.

Gemina hæc laus sejungenda non est (10). Anguis prudentia absque columbæ simplicitate inutilis est semper, interdum perniciosa: itidem simplicitas absque prudentia. Sunt (11) qui censeant, utendum esse prudentia erga extraneos & infideles; cum fidelibus simplicitate. At omnino videtur jubere Christus, geminam hanc virtutem exercendam esse erga omnes, ad quos mittendi sunt Apostoli, uti res postulaverit.

Anguis prudentia, cujus comparatione utitur Christus, Apostolos docens, in eo potissimum sita est, ex plerisque Interpretibus (12), ut reliquum corpus exponat, servandi capitis causa, quos sub spiris abscodit, ubi vis inferatur. Putant alii (13), anguem, cum ad potum accedit, vomere virus, ne sibi ipse necem afferat, illudque iterum sumere, cum biberit (14). Nonnulli eo eo ponunt, quod sub initium hyemis anguis sub terra latet, ut frigus vitet; primo autem vere iterum emergit renovatus, & restaurata quodammodo juventute, cum inter rupis angustias transiens, veteres exuvias reliquerit. Neque desunt qui putent (15); spectari a Christo illud Psalmi 57. 6. ubi anguis obturare aures dicitur, ne incantantis vocem audiat. Grotio videtur optima esse ea interpretatio, quæ de acri oculorum acie in anguibus posita explicat. Horat. l. 1. Sat. 3.

. . . . *Tum cernis acutum,*

Quam aut aquila, aut serpens epidaurius.

Veteres certe ingentem angui astutiam & calliditatem tribuerunt. Anguem callidissimum omnium animalium esse testatur Moyses Gen. 3. 1. Scribit Paulus 2. Cor. 11. 3. Evam anguis calliditate esse deceptam. Describitur Gen. 49. 17. anguis in insidiis latens, ut fœminæ talum mordeat; mordere etiam equi ungulam, ut eques cadat. Anguis calliditatem agnovit Aristoteles Hist. l. 1. c. 1. Tradit Æsopus, cancrum, inita cum angue societate, illi authorem fuisse, ut calliditatem relinqueret. Vide Bochartum, latius de hac re disputantem de Animal. Sacr. par. 1. l. 1. c. 4.

Columbæ simplicitas calliditati anguis opponitur. Hanc exhibet Scriptura ceu avem calliditatis ignaram, quæ facile capitur. *Ephraim quasi columba seducta, non habens cor* (16), prudentiam, consilium. Si pullos columbæ auferas, hæc eamdem ad turrim & vacuum nidum redit (17). Nullo etiam negotio reti capitur; quamobrem apud Ethnicos columbæ simplicitas in proverbium abiit (18). Græca vox (19), qua hic utitur Christus, ut columbæ simplicitatem significet, ad verbum sonat, *non habens cornu*, vel arma, avis lenis, cicur. Alii de animi simplicitate & ingenuitate interpretantur; & Græcum vocabulum reddi potest, *non mistum*. At hoc loco, cum simplicitas calliditati opponatur, asserendam esse censemus de facilitate, qua capitur columba, quippe quæ avis sit secura, & ignara fraudis ac simulationis. Ita vero intelligendum est, uti habet Paulus (20): *Nolite pueri effici sensibus*, consilio, prudentia, *sed malitia parvuli estote*. Simplices igitur estote uti columba, scelle carentes, dolo, nequitia: cavete autem, ne columbam in eo imitemini, quod prudentia & consilio caret.

Ỳ. 17. Cavete autem ab hominibus. Lupi sunt, quos dixi, cum vos ceu oves inter lupos mitti docui. Ii, quibus salutis verba, & pacis Evangelium nunciaturi estis, odiis & injuriis vos exagitabunt, & insidias ponent. Adversus hos utendum est calliditate anguis, lenitate ovis, & columbæ simplicitate.

Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos. Concilia (21) sunt cœtus Judicum in singulis urbibus, ubi de Republica sententia dicebatur. Seditionis tumque novarum postulabimini, veluti sub Religionis obtentu populum ad novas res excitetis. Unaquæque Judæorum urbs hujusmodi cœtus habebat (22). Synagogæ aliud sunt cœtuum genus, ubi Religionis Legisque peccata puniebantur. Eo rapti sæpe fuerunt Apostoli; Paulus vero ad Corinthios tradit (23), quinquies virgis animadversum esse in sese a Judæis. Narrat S. Epiphanius (24) Judæum quemdam, cum nomen Christo dedisset, virgis cæsum fuisse a Judæis in Synagoga. Scriptor quidam vetus, adversus Montanistas scribens, Commodo imperante (25), vitio illis vertit, quod nunquam Judæi adversus illos virgas aut lapides adhibuerint. Ligfootus denique ex

[5] Thren. iv. 6. [6] Ezech. xvi. 48. 52. [7] Act. ix. 25. [8] Act. xxiii. 6. [9] Act. xvi. 37. xxii. 25. [10] Author Oper. imperf. Tertull. lib. contra Valentin. Nazianz. Orat. 39. Isidor. Pelus. lib. 3. Ep. 175. Greg. in Job, lib. 1. cap. 2. [11] Author Oper. imperf. Theophyl. hic. [12] Epiphan. Physiolog. cap. 15. & hæres. 37. Chrysost. in Psalm. cxiv. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 126. Isidor. Hispal. lib. 12. cap. 4. alii passim. [13] Epiphan. Hæres. 37. Cæsar. Dialog. 4. qu. 190. Eustath. in Hexaemer. Petr. Damian. Hieron. seu alios, Ep. ad Præsidium. [14] Epiphan. Physiolog. alii passim. [15] Vide Grot. hic, & Boch. de Animal. sacr. par. 1. l. 1. c. 4. [16] Osee vii. 11. יונה פותה אין לב [17] Theodoret. in Osee vii. 11. & Hieron. ibid. Theophyl. hic. [18] Vide Scholiast. in Juvenal. Satyr. Et Suidam in ἀφελὴς πολιά. Eustath. in Iliad. Ψ Aristophan. & Scholiast. in avibus. [19] Ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. [20] 1. Cor. xiv. 20. [21] Εἰς συνέδρια. [22] Vide supra v. 22. [23] 2. Cor. xi. 24. [24] Epiphan. apud Grot. hic. [25] Apud Euséb. Hist. l. 4. c. 22.

Rabbinis docet, tres in singulis Synagogis Judices fuisse, qui de peccatis in ipsa Synagoga commissis cognoscerent, reosque virgis damnarent.

Has Jesu Christi minas seu prædictiones executioni mandatas in Actis legimus. Cum Apostoli, Spiritu Sancto pleni, Evangelium Jerosolymis nunciare cœpissent, confluente ad Christi sacra magna hominum multitudine, hi ad magnum Synedrium, vel Cœtum Sacerdotum, ac Magistratuum Templi, & Seniorum ducti sunt (26), Principes Sacerdotum & Saducæi Apostolos, Christum nunciare non cessantes, iterum publica in vincula conjecere (27). Stephanus, Martyrum primus, captus est a populo & Scribis, atque ad Judicum synedrium ductus, a falsis testibus accusatus fuit. Quinquies undequadragenis virgarum ictibus in Synagogis, non apud laicos Judices, mulctatus est Paulus (28), uti diximus.

℣. 18. Et ad Præsides, et ad Reges ducemini; ad Pilatum, Felicem, Festum, Præsides Provinciarum; *ad Reges*, Agrippam (29), Neronem, aliosque quamplurimos, apud quos causam dixere Apostoli, hominesque Apostolici instituti.

In testimonium illis. Veritatis meæ, meorumque dogmatum testes coram illis, Martyres defensores futuri estis. Aliter: Coram Judæis Ethnicisque producendi estis, ut suprema Judicii die testimonium adversus illos dicturi sitis, eorumque perfidiam & animi duritiem damnaturi (30).

℣. 19. Nolite cogitare, &c. Minime negat laborandum esse, ut apte respondeas. Nimiam solummodo solicitudinem (31), modicamque de Providentia fiduciam damnat. Meum est, ut vos tuear: mea ipsius causa, res mea agitur, potius quam vestra. Quod vestrum est, ne negligatis; cætera mihi relinquite. Spiritu meo vos instruam, qui vobis loquentibus quod æquum est respondebit.

℣. 21. Tradet autem frater fratrem, &c. Miserum adeo tempus futurum est, ut nemocuiquam credat, & ingens adeo periculum, ut fratrem frater, pater filium prodat. Ita omnino explicandum esse hunc locum censeo. Simili locutione Micheas 7. 2. & Jeremias 9. 4. proximum atque imminens discrimen significant; quo tempore humanitas omnis opprimenda est, & homines sanguine conjunctissimi afflictis rebus defuturi sunt, ut suæ unusquisque saluti consulant.

℣. 22. Propter nomen meum. Omnibus odiosi eritis, unius dumtaxat rei causa, quod mei estis.. Unicum vobis flagitium erit, Religionis meæ professio, meumque nomen. *Illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est; confessio nominis, non examinatio criminis.* Torquebimini, ut Christianos vos esse fateamini; constantes in confessione puniemini; dimittemini, si a me recesseritis. *Torquemur confitentes; & punimur perseverantes, & absolvimur negantes; quia nominis prælium est*, inquit Tertullianus (32).

Qui autem perseveraverit usque in finem, vel (33), *qui sustinuerit usque in finem*, qui constans in patientia, fide ac perseverantia fuerit, *qui sustinuerit in finem, hic salvus erit*, ait Marcus 13. 13. *Quid sustinendo, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occasionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quam pati in finem* (34).

℣. 23. Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Nonnulli Græcorum Codices manu exarati post hæc verba, legunt (35): *Quod si persecuti vos fuerint in altera, fugite in aliam.* Constantes jubet Christus Apostolos esse, fiduciæ plenos, intrepidos. Prædicit futurum, ut nemo non inimicum se ipsis præbeat, nemo non infestetur: unicam vero illorum culpam fore, Christianam appellationem: temerariam tamen constantiam non impetat; imo damnat immodicam; ac permittit, ut ex una in alteram, ac deinde alteram fugiant, odia evitent, hosti se ne objiciant, discrimini ne obviam eant; jubet saluti suæ consulere, ut Ecclesiæ serviant; definitum a Providentia tempus præstolari; & dum suo ipsorum Sanguini & vitæ parcunt, curare, ne gravius peccent, fuso innocentium sanguine; ac male agendi opportunitatem illis subducere.

Minime probat his verbis Christus aut imbecillitatem animi, aut mortis formidinem. Fugere licet, ubi charitas & prudentia postulaverint; alio tempore si fugias, peccas (36). Ubi Dei causa, veritas & Religio jusserint, Pastoris, Apostoli, & Christiani hominis est, sese atque omnia exponere; vel certe opus est resistas, constantissime confitearis, atque extrema feras supplicia, potiusquam desis iis, quæ Deo debes. Fugit in Ægyptum Christus, ubi illum ad necem postulavit Herodes (37). Nazarenis, præcipitium sibi minantibus, sein subduxit (38). Ex Judæa in Galilæam secessit, ubi Joannem Baptistam publicis in vinculis detineri intellexit (39). At ubi decretum sibi tempus accessit, se ipse carnifici sponte dedit (40): obviam ultro inimicis venit, nihilque vel Pilato vel Herodi respondit, ut suam ipse causam tueretur. Damasco fugit Paulus (41), seque in sporta e mœnibus demitti passus est: at idem Christum constantissime professus est, gloriatusque inimicorum odiis, cruciatibus, carceribus, quibus toto prædicationis tempore obnoxius fuit. Institutum hoc servavere Apostolici viri, Cyprianus, Polycarpus, &c.

Veteres quidam Patres (42) censuere, fugiendi facultatem, quam hic Discipulis Christus facit, ad primam solummodo missionem pertinere; at post Christi Passionem ac Resurrectionem ea facultate uti posterum illis non licuisse. Videtur aliis (43) probabilius, facultas hæc nullo tempore definiri; quamquam vero hæc docuit Apostolos Christus, cum primum illos mitteret, quo tempore futurum optime noverat, ut ii fugæ & suppliciis obnoxii non essent; ea tamen tradidisse, quæ ad tempus multo remotius pertinebant. Damnat Ecclesia Tertullianum, docentem nunquam licere Christiano, in persecutione fugere: imo & ipse Tertullianus in primo libro ad uxorem scripto, priusquam ad Montanum deficeret, licere docuit interdum sese fuga subducere.

Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. Non una est hujus loci explicatio: Antequam omnes Judææ urbes prædicando peragraveritis, veniam ipse, meamque indignationem in incredulos exeram. Si repugnaverint Judæi, id vos ne terreat. Hac urbe pulsi, in alteram pergite: vindictam in adversarios & repugnantes feram, priusquam omnes regionis urbes

[26] Act. iv. v. 6. 7. [27] Act. v. 17. 18. [28] Act. vi. 12. 13. [29] Act. xxv. xxvi.
[30] Ita fere Hilar. Author Oper. imperf. Euthym. Maldon. Menach. Alii. [31] Græc. Μὴ μεριμνήσητε. Vide supra vi. 25. 28. & confer Marc. xiii. 11. Luc. xxi. 14. [32] Tertull. Apolog. cap. 2.
[33] Græc. Ὁ δὲ ὑπομείνας. [34] Tertull. Scorpiac. cap. 9. [35] Κἂν ἐκ ταύτης διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Vel; φεύγετε εἰς ἑτέραν. Sive: ἐὰν δὲ ἐν τῇ ἄλλῃ διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Vide Var. Lect. Millii. [36] Vide August. Epist. olim 180. nunc 228. [37] Matth. ii. 14.
[38] Luc. iv. 30. [39] Joan. iv. 1. 2. 3. [40] Matth. xxvi. 47. 48. Joan. xviii. 3. 4. 5.
[41] Act. ix. 25. & 2. Cor. xi. 33. [42] Tertull. lib. de Fuga in persecut. Chrysost. Hom. 35. Hieronym. hic; Euthym. & Theophyl. [43] Vide Origen. Homil. ix. in Judic. Athanas. Ep. ad Orthodox. ad Marcum Pontif. Rom. & Nazianz. Orat. 1. contra Julian. Cyprian. Epist. 56. & tract. de lapsis; Chrysolog. Ser. 151. *Martyr comprehensus debet tenere constantiam; non comprehensus debet fugere persequentem . . . Persecutorem qui provocat, facit; qui declinat, corrigit.*

urbes lustraverit (44). Aptissima omnium videtur hæc explicatio. Ita vero usurpari solent ea verba, *Donec veniat Filius hominis*, aut his similia (45). Res promissionem secuta est. Israelis urbes, quæ delatum ab Apostolis nuncium rejecere, visitavit Jesus, ac vindictam in illas exercuit, excitato Romanorum bello, anno circiter quadragesimo ab ipsius morte, quo tempore quamplures illius Discipuli adhuc superstites erant.

Alii (46) ita explicant: Nondum absolutum a vobis erit per omnes Judææ urbes iter, cum ad vos venero: opportunus vobis adero, sequar, & quæ incepistis, absolvam. Nititur hæc interpretatio iis Lucæ x. 1. verbis: *Misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*. Tum & illis Matthæi xi. 1. *Cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim Discipulis suis, transiit inde ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum*, scilicet Israelis, quo mittebat Apostolos.

Patres nonnulli (47) hunc Filii Dei adventum de supremo Judicio interpretantur. Antequam Judæi omnes ad mea sacra convertantur, adfuturus est Filius hominis, ut supremum Judicium exerceat. Implenda est gentibus Ecclesia, priusquam Israel universus ad Deum convertatur. Judæorum conversionem clam prædicit Christus; at maxime seram ac difficilem fore innuit. Aptior explicatio est prior & altera.

℣. 25. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Meliori conditione non estis, quam dominus: mitiora ex iis expectanda vobis non sunt. Cum me illi odiis, injuriis, calumniis exagitaverint, æquum est, ut ad similia vos comparetis: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Jo. xv. 20. Si me Beelzebub, diabolum, atque a dæmone actum appellavere, vobis non parcent.

Beelzebub Numen est Philisthæorum, in veteri (48) novoque Testamento cognitum; sonat vero *Deum muscam*. Muscam adorabant Chananæi (49) & Philisthini (50). De ridiculo hoc numine fuse egimus in Dissertatione de origine ac Religione Philisthinorum. Græci Codices legunt Βεελζεβούλ, *Beelzebul*, quod Chaldaice est *Deus sordium*: at genuina lectio est *Beelzebub*, Deus musca. Gallice effertur *Belzebut*: male.

℣. 26. Nihil est opertum, quod non revelabitur. Inimicos homines ne vereamini: patebunt denique illorum calumniæ, fraudes, mala consilia, & inutilia efficientur, vel in hac vita (51), vel suprema Judicii die (52). Vestra tunc innocentia perspicua fiet; ac veritas, quam ipsi nunciatis, & illi opprimere conantur, publicum in lumen producetur, eamque omnes agnoscent (53). Aliter: Inimicorum minas pessimamque voluntatem ne timeatis; iis enim invitis, nuncianda est veritas, Evangelium toto corde prædicandum, & Cœlestis Regni mysterium ab hominibus agnoscendum. Postrema hæc explicatio videtur omnium aptissima.

Quod in aure auditis, prædicate super tecta. Vulgaris locutio. Quæ vos docui, palam prædicate constantissime, nulloque metu. Voces e domorum tectis tollite, ut noverint omnes & discant. Hoc sententiæ membrum cum superiori conjungitur, futurum scilicet, ut quod latet, palam proferatur. Apud Palæstinos tecta domorum in areæ formam æquata erant, eoque ascendebant homines publica mala lugentes (54). Rabbinis testibus, antequam Synagogæ in Judæa conderentur, familiæ Sabbatho super tecta colligebantur, ut Legis lectio & preces ibi haberentur. Quamplures e nostris (55) credunt, revera interdum super tecta prædicari consuevisse; idque præter fidem non est, cum humiles sint Palæstinorum domus, ac tecti areæ pariete cingerentur veluti lorica, ne quis labendi periculo exponeretur.

His verbis, *Quod in aure auditis*, putant nonnulli (56) a Christo spectari morem in Hebræorum scholis usitatum, ubi Magistro adest Interpres, qui ea quæ a Magistro dicuntur, sure excipiens, omnibus deinde palam elata voce edicit. Porro dignitatis & honoris erga Magistros indicium est, Interprete uti. Ea consuetudo adhuc a Judæis servari dicitur: saltem aliqua illius vestigia in veterum Rabbinorum libris inveniuntur (57). Hac certe non utebatur Christus, cum Discipulos doceret; nihil enim tale in Evangelio traditur; seque nihil clam docuisse Christus ipse testatur Jo. 18. 20. sed ad communem regionis consuetudinem alludit. Cæterum nonnulla Discipulis in itinere tradidit, vel domi, absentibus turbis, ad quas pro consueto more verba faciebat.

℣. 29. Nonne duo passeres (58) asse veneunt? His verbis confirmantur Apostolorum animi inter ærumnas, quas illi in Evangelii prædicatione laturi sunt. Cœlestis Pater peculiari sollicitudine vos tuetur: cum autem vos illius causa laboretis, nihil vobis metuendum est ex hominum injuriis. Fieri ne potest, ut hostium furori vos deserat is, qui vel minimarum avium saluti consulit, qui res etiam vilissimas curat? Obolus dimidio denariolo respondet. *Assarion*, quod habet Græcus, nonnullis est Romani assis dimidium, vel quatuor denarioli & $\frac{5}{5}$; vel quadrans denarii, scilicet denarioli duo & $\frac{5}{12}$. Passeres, vel aliæ aves minimæ in Templo veniebant, in quorumdam sacrificiorum usum, quæ Lege imperabantur (59).

℣. 30. Vestri capilli capitis numerati sunt. Quæ raræ & ingentis pretii sunt, in numerato haberi solent. Capillos, minimas corporis vestri partes, numeravit Deus, ac nullius obliviscitur. Quanto igitur magis vosmetipsos vestramque incolumitatem est curaturus?

℣. 32. Qui confitebitur me (60) coram hominibus, &c. Qui se mihi Discipulum præbuerit, meumque Evangelium professus fuerit, huic ego futurus sum Deus, & coram Patre patronus suprema Judicii die: quem vero nominis mei puduerit, qui me coram hominibus rejecerit, illum ego rejiciam, & coram Patre non agnoscam: is patrono & præsidio carens, sortis suæ injuriis relinquetur, nullaque venia damnabitur. Non satis est, si animo credas: opus est ore confitearis: *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (61). *Dicant labia quod habet cor*, inquit S. Ambrosius (62): *hoc contra timorem; habeat cor quod dicunt labia: hoc contra simulationem ... consentiant labia tua cordi tua.*

[44] Le Clerc, Hammond. alii quidam. [45] Confer Matth. xv. 28. ra. 1. & Matth. xxi. 2.
[46] Ita fere Chrysost. Theophyl. Euthym. Brugensis. [47] Hilarius hic; August. lib. 1. contra Gaudentium Donatist. cap. 18. Rupert. hic. Vide & Maldon. & Tirin. &c. [48] 4. Reg. 1. 3. [49] Sap. xii. 8. 23. 24. 27. [50] 4. Reg. 1. 2. 3. 6. [51] Chrysost. Homil. 35. Author Oper. imperf. Homil. 25. Euthym. Theophyl. Maldon. Men. Grot. [52] Hilar. Hieronym. Beda, in hunc locum.
[53] Vide Brugens. [54] Isai. xv. 3. xxii. 1. Jerem. xlviii. 38. vii. 26. [55] Anselm. Remig. Raban. Druthmar. Mariana, Hammond. Vide & Maldon. [56] Ligfoot. Hor. Hebr. & Hammond. hic.
[57] Gemar. tractat. Sanhedrin, cap. 1. §. 7. & Beracoth, cap. 9. & Elias in Thisbi, voce [illegible]
[58] Δύο στρουθία, duo passeres, vel generice duo avicula. Græca vox στρουθίον, aut Hebraica צפור, duplici hoc sensu usurpatur. [59] Levit. xiv. 4. & sequ. [60] Ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοί. Vide Chrysost.
[61] Rom. x. 10. [62] Ambrof. enarrat. in Psalm. 35.

℣. 34. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram. Dei Filius apud Scripturas (63) describitur ceu Princeps pacis, Rex pacis amans, hominem cum Deo concilians; lenitatem solummodo, patientiam, charitatem, pacem, concordiam Discipulos docens. Cum vero hic dicitur gladium ac bellum inter homines ferre, cave putes, hæc sibi Christum proposuisse, aut unquam probare. Contrarium menti & consilii illius est bellum, quod carnales homines, mundus, ac Diabolus Evangelio indixere. Futura prædicit (64), non probat. Futurum novit, ut Apostoli ac Fideles injuriis hominum exagitentur; idque ex pessima animi illorum habitudine est oriturum. Hoc autem bello atque hoc hominum furore Deus exequitur ea, quæ de Electis decrevit, & pacem mentis, Dei pacem, solidam ac mundo ignotam in Ecclesia constituit. Ubi hominum injuriæ cessaverint, defuturi sunt Martyres, defuturaque nobilissima heroicæ virtutis exempla. Gladius est Dei verbum, inquiunt Patres (65) ex Apostolo (66): *Gladium spiritus, quod est verbum Dei*; vel Divini verbi odium & persecutio.

℣. 35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, &c. Bellum non est cum externis: neque solum Ethnici, Barbari, feræ ignotæque gentes vos persequentur; sed privatæ etiam familiæ intestinis dissidiis scindentur: pater adversus filium, filius in patrem; mater in filiam, filia in matrem. Qui vero vos injuriis affecerint, ii gratissimam Deo operam se præstare censebunt. Ab amicorum optimis, propinquis, fratribus, ac parentibus eo loco habendi estis, quo Religionis majorum desertores, & gentis hostes. Sævissimo & implacabili bello vos petent. Confer verba Michææ, vii. 5. 6. Jeremiæ, ix. 4. & xlviii. 3. cum his Christi, quibus intestinum bellum, & sævissimus furor modi nescius significatur. Ubi primum in orbe Evangelium sonuit, omnes undique homines Apostolis bellum indixere: Judæi, Ethnici, Barbari, Græci, Romani, Reges, Principes, nobiles ignobilesque, propinqui & extranei, omnes denique in nascentis Religionis, cæteras aversuræ, exitium conspirarunt.

℣. 36. Inimici hominis, domestici ejus. Perfidiam a domesticis, bellum & inimicitias ab amicis experiemini (67). Tunc verum esse proverbium sentietis (68): *Servus natura sua inimicus est domino*. Græcus tum de domesticis, tum de amicis usurpari potest.

℣. 38. Qui non accipit crucem suam, &c. Miram habes hic sententiam, qua perspicue doceris, qua patientia, humilitate, omnium inopia vivendum sit Christiano. Quis unquam hæc Discipulos docuit? Qui fieri potuit, ut vel unum asseclam invenerit Christus, qui nihil nisi injurias, ærumnas, mala, cruciatus suis pollicetur? Si supplicium tuum ipse geras, præsentemque semper habeas imaginem mortis proximæ, sævissimæ ac probrosæ, voluptatem ne aut injuriam senties? hæc porro sententia nonne multo gravius aliquid verbis præfert, quam ipsa re sit exhibendum? Addit Jesus, *indignum se* esse eum, qui crucem non tulerit. Hanc porro mentem sibi esse, atque hoc velle se luculentissime ostendit, cum ipse primus crucem tulerit, universaque illius vita perpetuum ærumnarum malorumque exercitium fuerit. Ita etiam & intellexere & servavere Apostoli, Discipuli, & plerique ex iis qui Christum sequuntur. *Mihi mundus crucifixus est*, inquit Paulus Galat. 6. 14. *& ego mundo*. Mundi gaudia, voluptates, illecebras, promissa, minas, bona & mala sperno. Omnia Dei causa laturus sum, omnia aggressurus; secuturusque Dominum ad crucem usque & ad mortem: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire* (69). In illud quotidie laboro, ut carnem meam meam cum cupiditatibus crucifigam (70). Ita explicanda est hæc sententia, ex Patribus (71).

℣. 39. Qui invenit animam suam, perdet illam. Hoc ex dictis oritur. Ne majora vera me loqui arbitremini, dum hæc discrimina enumero, neve futurum speretis, ut prædicta mala leviora sint, quam ut effugio careant. Qui discrimen vitare voluerit, iterum moneo, in exitium ruet: vitam amittes, si servare studueris. Si vitam & quietem quæris, fidei, veritatis, ac debitæ Deo fidelitatis dispendio, æternam in mortem laberis, æternamque calamitatem. Sin Dei gloriæ & veritatis causa vitam amittas, *mors infertur, sed immortalitas sequitur*, inquit S. Cyprianus (72): *excisa mundus eripitur, sed restituta Paradisus exhibetur: vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur.*

℣. 40. Qui recipit vos, me recipit. [41.] Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, &c. Enumeratis ærumnis & malis, quæ Apostoli ex hominibus passuri sunt, pollicetur minime defuturos qui ipsos excipiant, uti docuit supra ℣℣. 11. 12, atque hos mercede sua non cariturros. Si vos exceperint uti meos, ac mei causa, eadem illos merces manet, ac si me ipsum exceperint, meque excipientes, Cœlestem Patrem excepisse credentur. Præmium referent par dignitati illius, quem in vobis coluerint. Tametsi vero ita excipiant uti Prophetas, scilicet Doctores, qui Scripturas interpretantur, & salutis viam docent (73), nulla mei ratione habita, neque uti Discipulos meos; non deerit merces par dignitati hominum quos excepere, atque optimæ voluntati.

Sunt (74) qui ita explicent: *Qui recipit Prophetam, mercedem Prophetæ accipiet*; scilicet particeps erit meriti ac mercedis Prophetæ, cum rei optime a Propheta gestæ operam conferat: divinæ erga illum gratiæ, ejusque gloriæ & felicitatis parte fruetur. Quamquam ille, quem excipis, neque Propheta vere sit neque Justus, cum illum hoc nomine exceperis, ita voluntatis tuæ rationem habet Deus, quasi eos exceperis, quos esse credidisti (75). *Non personas suscipiendas esse, sed nomina*, inquit S. Hieronymus; *& mercedem non perdere suscipientes, quamvis indignus sit, qui exceptus est.* Quod si veros Prophetas verosque Justos lucri causa, ac vilissimarum humanarumque cupiditatum gratia exceperis, inutilis futura tibi est illorum dignitas: mercedem accepisti (76).

℣. 42. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, mercede non carebit. Frigidæ calix pro minimis quibuslibet usurpatur. Minimum licet Dei & charitatis gratia facias, id meriti loco est. Inopiam ne causere: stipem largire, si dare hospitium nequis. Si ea laboras inopia, ut calidam exhibere nequeas, frigidam exhibeto (77). Voluntatis dumtaxat animique rationem habet Deus. Satis multum dedisti, si parum dederis, cum dare multum cupias. *Magna voluntas multum dedit, multum seminavit* (78).

Mi-

(63) Isai. ix. 6. xxxii. 17. lii. 17. Rom. xv. 33. 2. Cor. xiv. 33. Ephes. ii. 14, &c. (64) Vide Hieronym. hic, & Chrysost. ad ℣. seq. (65) Hilar. hic; August. qu. 4. in Matth. Auth. Oper. imperfect. & Theophylact. hic. (66) Ephes. vi. 17. (67) Καὶ οἱ ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ. (68) [illegible] (69) Luc. xxii. 33. (70) Galat. v. 24. *Qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* (71) Vide Chrysost. Homil. 56. Author Oper. imperfect. Homil. 26. Theophyl. alii passim. (72) Cyprian. tract. de Laude Martyrii. (73) Maldonat. Brug. Jans. alii. (74) Chrysost. hic, Remig. Maldon. Menoch. Tirin. Brug. (75) Hieronym. hic. (76) Vide Augustin. in Psalm. cxi. num. 13. (77) Hieronym. hic. (78) Augustin. Enarr. in Psalm. cxxv. 11. 12.

Minimi, de quibus Christus Lucæ XII. 32. sunt unusquisque Christianus, præsertim pauperrimi & obscurissimi. Hos Matth. XXV. 40. nuncupat *pusillum gregem*, *fratres minimos* (79). Vel Apostoli sunt, Discipuli, brevi tunc numero, & apud homines obscurissimi; ipse demum Jesus, qui eo tempore nonnisi Prophetæ & viri prodigiis conspicui loco habebatur: nondum enim populi ejus divinitatem norant.

---

[79] Vide Matth. XVIII. 6. 10. 14. Ita Interpretes passim.

C A P U T XI.

Geminos Discipulos Joannes Baptista ad Jesum mittit, sciscitantes, utrum ipse Christus sit: Baptistæ elogium. Argumenta, quibus Messias esse Jesus ostenditur. Joannes Baptista & Jesus a Judæis rejiciuntur. Væ urbibus, quibus inutilis fit Jesu Christi prædicatio! Sapientes, cæci: rudes fiunt sapientes. Jugum Christi suave & leve.

V. 1. ET factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim Discipulis suis,
transiit inde ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum. 2. Joannes
autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de Discipulis suis, 3.
Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens Jesus,
ait illis: Euntes renunciate Joanni, quæ audistis & vidistis. 5. Cæci vident, claudi
ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur;
6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 7. Illis autem abeuntibus,
cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem
vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce,
qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. 9. Sed quid existis videre?
Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam. 10. Hic est enim de quo
scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit
viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major
Joanne Baptista: qui autem minor est in Regno Cœlorum, major est illo. 12.
A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, Regnum Cœlorum vim patitur, &
violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim Prophetæ, & Lex, usque ad Joannem prophetaverunt.
14. Et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. 15. Qui
habet aures audiendi, audiat. 16. Cui autem similem æstimabo generationem istam?
Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, 17. Dicunt: Cecinimus
vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis. 18. Venit enim Joannes,
neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. 19. Venit
Filius Hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini;
publicanorum, & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.
20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus,
quia non egissent pœnitentiam. 21. Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethsaida: quia,
si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio,
& cinere pœnitentiam egissent. 22. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni
remissius erit in die judicii, quam vobis. 23. Et tu, Capharnaum, numquid usque
in Cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent
virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. 24. Verumtamen
dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam
tibi. 25. In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine
cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea
parvulis. 26. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi tradita
sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit
nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis,
& onerati estis; & ego reficiam vos. 29. Tollite jugum meum super vos, &
discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.
30. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

V. 3. Pa-

℣. 1. FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS, &c. IN CIVITATIBUS EORUM, Judæorum scilicet (1), de quibus Capite superiori; vel *in civitatibus Apostolorum* (2), in Galilea; omnes enim Apostolos dedit Galilea. Hos toto superiori Capite alloquitur. Vel denique, *in civitatibus earum*, quas Apostoli peragraverant (3). Illos sequutus Jesus, res ab illis inceptas absolvit. Jussit illos regionem universam prædicando peragrare, pollicitus Matth. x. 23, *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis*. Et Lucas x. 1. *Misit illos in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*. Spernenda non est hæc explicatio.

TRANSIIT INDE. Cum incertum sit, quo loco is fuerit, cum Apostolos mitteret, unde abierit ignoratur: fortasse Capharnao, aut vicinis regionibus.

℣. 2. JOANNES AUTEM CUM AUDISSET IN VINCULIS OPERA CHRISTI ...., TU ES QUI VENTURUS ES? Hoc nomine indicabatur Messias (4). Oriens universus, ac Judæa præsertim in venturi Liberatoris spem arrecta erat. Opportune scribit Matthæus, Joannem audisse *opera Christi*, non *Jesu*; veluti innuat, patratis ubique prodigiis manasse rumorem, ipsum esse Messiam, quem tamdiu omnes præstolabantur. Id porro luculenter exprimit Lucas 7. 18. ubi ait, Joannis Discipulos narrasse Magistro, publicis tunc in vinculis detento, ingentem prodigiorum famam, qua Jesus in universa regione celebrabatur. Creditur Baptista nonnihil invidiæ adversus Jesum in sermonibus atque ore discipulorum animadvertisse (5); quasi illius gloria famam Joannis opprimeret; quamobrem ut aptum morbo remedium admoveret, illos ad Jesum misisse, ut suis ipsi oculis Jesum verum esse Messiam intelligerent. Nobile charitatis artificium fuit, ut & errorem & dubium ponerent. Ipsum porro quicquam de Christo dubitasse, credendum non est, quippe quem perspicuis adeo verbis nunciavit (6).

Non defuere tamen inter Veteres (7), qui Baptistam dubitasse censuerint. Putat Tertullianus, Prophetiæ Spiritum a Joanne recessisse, ut in Jesu quiesceret. Patres multi (8) animadvertunt, sententiam mox recitatam injuriosam esse Joanni, & dici non posse, salvo Evangelii obsequio, Jesum a Joanne agnitum non fuisse uti Messiam: at dubitasse ajunt de illius morte, cum sibi persuadere non posset, subeundam illi esse mortem, atque ad inferos descendendum, ex communi hominum lege & conditione. Mittit igitur Joannes quæsitum, utrum ad inferos descensurus sit, atque a se, uti Præcursore, nunciandus sit ipsius adventus mortuis, ut idem penes hosce, quod apud vivos, præconis munus præstet. Proximam Jesu mortem prævidebat Joannes, suamque illi operam exhibuit, quæsivitque quid præciperet in futurum. Hanc explicationem rejecere Chrysostomus, Theophylactus, atque Interpretes recentiores. At Origenes in 1. Reg. S. Hippolytus (9), S. Gregorius Nazianzenus (10) minime dubitant, quin ad inferos descenderit Joannes, ibique Messiæ adventum nunciaverit.

Author quæstionum ad Orthodoxos, sub Justini Martyris nomine, quæstione xxxviii. ait, Joannem minime dubitasse, Jesus vere Messias fuerit, nec ne, sed utrum is, de quo tanta tamque præclara prædicari audiebat, idem esset, quem ipse indicaverat, ac Messiam esse certissime fatebatur.

Recentiores quidam (11) aliter explicant, mutato orthographiæ ordine (12): *Tu es qui venturus es: cur alterum expectamus?* Quis rem adeo perspicuam in dubium revocet? Hoc porro testimonium Joannis est de Jesu Christo. Jesus vero, Præcursoris verba confirmaturus, multa coram legatis prodigia patravit, quasi diceret, se hominum testimonio non agere, satis a Patre per prodigia demonstratum (13): *Ego testimonium habeo majus Joanne*. At opus non est coacta hujusmodi explicatione.

Ferunt Vulgata & Græci Codices (14), missos a Joanne ad Christum *duos ex discipulis suis*. at vetus Cantabrigiensis Codex Græco-latinus habet (15). *Mittens per discipulos suos*. Consentiunt Versiones Gothicæ, Armenæ, Persicæ, Syriacæ. Missorum a Joanne Discipulorum numerum non tradunt Juvencus, Ambrosius, Hilarius (16). Cur publicis in vinculis detentus fuerit Joannes, neminem latet. Omittimus hic, fusius in Marcum ea de re disputaturi. Gesta sunt hæc, antequam mitterentur Apostoli, qua de re actum est superiori Capite. Vide Tabulam Chronologicam.

Joannes in imo carcere suo jacens non ambigebat quidem Jesum esse Messiam quem oppetiebatur; hærebat tamen dubius, num ille, de quo tam multa ex fama audierat, idem esset Jesus, cui ipse testimonium perhibuerat, & quem Messiam esse norat. Author quæstionum ad orthodoxos sub nomine S. Justini pag. 38.

℣. 4. RENUNCIATE JOANNI, &c. Rogantibus Joannis Discipulis Jesus ex obliquo respondet; demonstrasse contentus exhibitis circa ægros prodigiis, prodigia ad Messiam spectantia in se uno compleri. Hæc docendi ratio brevissima est atque efficacissima. Invidiam Discipulorum Joannis frangit, quin proprium ipsorum amorem offendat. Magis etiam modestiæ atque humilitati Jesu Christi conveniebat. Animadvertit Lucas vii. 21. id quod omisit Matthæus, Jesum magnam ægrorum multitudinem morbis liberasse, antequam responderet. Cæcos ac surdos incolumitati restitutos numerat Isaias (17) inter prodigia, ex quibus agnoscendus erat Messias.

℣. 5. LEPROSI MUNDANTUR (18). Lepra cutis vitium potius habebatur, quam morbus. *Coloris quippe vitium est, non valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum* (19).

MORTUI RESURGUNT. Duos revocaverat Christus, filiam Jairi, & filium viduæ Naim. Apud Isaiam (20) ceterosque Prophetas servitus & peccatum nomine mortis, resurrectionis vero incolumitas restituta significatur. Absolutissime prodigiorum vir-

(1) Beda, Euthym. Brug. Maldon. Grot. Menoch. Jans. (2) Euthym. Hugo, alii. (3) Ita Quid. in Mald. (4) Genes. xlix. 10. *Donec veniat qui mittendus est*. Matth. xxi. 9. *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Joan. xii. 13. Hebr. x. 37. *Qui venturus est, veniet, & non tardabit*. (5) Hilar. Chrysost. Origen. in Libb. Reg. Author Oper. imperf. Euthym. Theophyl. Rupert. Maldon. Grot. alii plerique tam antiqui, quam recentiores. (6) Matth iii. 13. 14. 15. Joan. i. 15. 30. 31. Luc. iii. 22.
(7) Origen. Hom. 27. in Luc. Justin. seu alius Auth. quæst. ad Orthodox. qu. 37. Tertull. lib. 4. advers. Marcion. & lib. de Baptismo, & lib. de Præscriptionib. Le Clerc, hic. Et Quid. apud Origen. in Libb. Reg.
(8) Origen. Homil 4. in Luc. Ambros. num. 58. lib. 1. in Luc. Julianus Pomer. lib. 3. contra Judæos. Venant. exposit. in symbol Apostol. Gregor. Homil. 1. in Ezech. Euseb. Emiss. Origen. in Libb. Reg. Hieron. Beda, Quid. apud Chrysost. & Theophyl. (9) Hippolyt. de Antichristo. (10) Greg Nazianz. Orat. 42.
(11) Episcop. Institut. Theolog. lib. 3. sect. 4. cap. 25. (12) Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ὃν ἕτερον προσδοκῶμεν.
(13) Joan v. 34 36. (14) Πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. (15) Πέμψας διὰ τῶν μαθητῶν.
(16) Vide Mill. Proleg. 387. (17) Isai. xxix. 18. *Audient in die illa surdi verba libri: & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt*. Et Isai. xxxv. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*.
(18) Λεπροὶ καθαρίζονται. (19) Augustin. lib. 2. quæst. Evangel. cap. 40. (20) Isai. xxvi. 19. xli. 14. Ezech. xxxvii. 1. 2. 3. & seqq.

virtute instruendus erat Messias, testibus Scripturis, ipsaque Judæorum expectatione. Hujus virtutis cumulus habebatur mortuorum excitatio.

Pauperes evangelizantur, Evangelium pauperibus nunciatur; vel, Pauperes Evangelium excipiunt. Explicari etiam ita potest Græcus (21): *Pauperes Evangelium nunciant*; id vero in Apostolis impletur, pauperrimis hominibus ac vilissimis; atque ita usurpavere Theophylactus & Euthymius. Plerumque tamen ita accipitur: Pauperes Evangelium accipiunt audiuntque. Felix nuncium ac Messiæ adventus ad illos fertur, atque hæc illi avidissime excipiunt. Id prædixerant Prophetæ (22): *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum pauperibus*, humilibus vel afflictis *misit me, ut mederer contritis corde*. Hebraica vox (23), quæ reddi solet *pauperibus*, sonat etiam mansuetum, humilem, afflictum. Sophonias, III. 12. *Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini*. Zacharias, XI. 11. *Pauperes gregis, qui custodiunt mihi* gregem, *cognoverunt quia verbum Domini est*.

℣. 6. Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. *Scandalum* proprie est id, quod in via offenditur, lapis, lignum, scrobs, laqueus, aliudve quidlibet aut casu aut data opera positum, in quod transeuntes impingunt. Tropice est id, quo homines in peccatum impelluntur. Ita opes & sæculi dignitates sunt *scandalum* bonis, occasio scilicet oblivionis Dei & superbiæ. Pravi etiam sermones & pessima exempla *scandalum* sunt, videntibus nimirum & audientibus insidiæ & laquei.

Ait Christus: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; scilicet is, cui despecti hominis habitus, paupertas, vita ærumnis plena, doctrinæ severitas, quæ præ me fero, lapsus occasio non fuerint, quique offensus non fuerit, ubi hominem specie tenus simplicem, fortunis & gloria carentem viderit, pro Rege, Victore, magnoque Imperatore, quem Hebræi præstolabantur. Hæc profecto Judæis fuit offensionis omniumque malorum causa. Jesu Christi vita, mors, passio, crux Judæis quidem offensio, Gentibus insania fuere, ait Paulus (24): *Nos autem prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Hanc fortasse opinionem, ceteris Judæis communem, Joannis Discipuli nondum posuerant. Tametsi nobilissimum fuerit Joannis testimonium de Christo, despectus tamen illius habitus animos offendebat. Prædixerant Prophetæ, Messiam multis lapidem offensionis fore (25).

℣. 7. Quid existis in desertum videre? Parem reddit Christus Joanni gratiam, at postquam Joannis Discipuli abiere, nequis credat, secretam sibi esse mutuamque conventionem, easque laudes ab adulatione proficisci; vel nequis Joannem inconstantiæ ac levitatis arguat (26), quasi Discipulos miserit sciscitatum, utrum ipse Messias esset, quem ipse coram frequenti multitudine Messiam esse testatus fuerat. Joannis igitur constantiam, vitæ severitatem, extraordinariam missionem, Prophetæ, & plusquam Prophetæ dignitatem, sanctitatem denique ceteros longe homines superantem, Christus commendat.

Arundinem vento agitatam. Judæi omnes ad Jordanem confluxerant, baptismo a Joanne tingendi (27); ejusque mores & vitæ genus videbant. Hunc plurimi faciebat populus, ac mirabatur. Quærit Jesus: Quid in Jordane vidistis? Arundinem vento agitatam? Ullam ne levitatem aut inconstantiam in Joannis sermonibus & sententiis animadvertistis? Incertum ne putatis hominem ejus rei, quam antea tam constanter tenuit? nunc præsertim, cum tam multis prodigiis clarui, vobis præsentibus, cum eo tempore nihil tale præstitissem, quo meæ conditionis specimen exhiberetur?

℣. 8. Hominem mollibus vestitum? Joannis vestes & cultum descripsit Matthæus III. 4. Quasi dicat Christus: An ex iis est Joannes, qui vitæ commoda & luxum amant, quorum vita omnis mollitiem spirat? Vir est vere sapiens & gravis, qui vel assentari vel mutare sententiam nescit.

Prophetam? Etiam, dico vobis, et plusquam Prophetam. Veteres Prophetas multis in rebus superavit Joannes. Illi enim adventum Jesu Christi dumtaxat prædixerant: obscuris sub ambagibus & sermonibus nunciaverant: longe prospexerant, per somnia, per visa, ex transcursu. Joannes perspicue illum nunciat, digito indicat, præsentem videt, aquis tingit, vocem Patris audit, dicentis (28): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Denique Joannes Propheta esse cœpit, ferme antequam homo, uti animadvertit Author Operis Imperfecti (29); quippe in ipso matris ventre Spiritu Sancto cumulatus, antequam in lucem ederetur, Christum agnovit exultans.

℣. 10. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Hebraicus Malachiæ locus (30) ad verbum fert: *Ecce ego mittam Angelum meum*, legatum, ministrum, *& præparabit viam ante faciem meam*. At Apostoli, ubi Veteris Testamenti locos recitant (31), sententiam potius quam verba usurpant. Quod ad Malachiæ verba spectat, Veteres nonnulli censuere (32), Angelum revera venturum a Malachia prædici, eumque esse Baptistam. Et S. Cyrillus Alexandrinus putat (33) opinionem hanc, quam ipse rejicit, ipsa Jesu Christi ætate fuisse probatissimam, cui repugnaverit Joannes Evangelista iis verbis: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. Arbitrantur Eusebius (34) & S. Hieronymus (35), severum ac solitarium vitæ genus, quod a Joanne agebatur, locum fecisse Judæis, ut vulgo Angelus esse crederetur. Communis tamen Interpretum sententia docet, Angelum fuisse Joannem, non natura, sed munere & vitæ integritate.

℣. 11. Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Sententiam hanc angustioribus terminis claudit Lucas VII. 28. inquiens *Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est*. Quasi dicat, In Ecclesia Christiana Novoque Fœdere posse esse Joanne majorem (36). Vel, integritate vitæ & cognitione ceteros Veteris Testamenti Prophetas ab illo superari (37); *plusquam Prophetam* illum esse, uti ait ℣. 9. Præterea inquit Christus, *inter natos mulierum* neminem illo esse majorem; quasi Joannem cum ceteris hominibus conferat, vulgari modo natis atque conceptis, non secum Dei Filio, qui Spiritus Sancti virtute conceptus, matrem Virginem habuit (38). Denique, ex S. Augustino (39), & Au-

(21) Πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. (22) Isai. LXI. 1. (23) לבשר ענוים שלחני Vulg. *Ad Annuntiandum mansuetis misit me*. (24) 1. Cor. 1. 23. (25) Isai. VIII. 14. 15. *Et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis duabus domibus Israel, &c.* Luc. II. 34. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*. 1. Petr. II. 8. Rom. IX. 33. (26) Chrysost. Hieron. Author Oper. imperf. Theophyl. Euthym. hic. Cyrill. Alexand. lib. 2. Thesauri, cap. 4. (27) Matth. III. 5. Luc. III. 7. (28) Matth. III. 17. Luc. IX. 35. (29) Author. Oper. imperf. Homil. 17. Vide & Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 13. (30) Malach. III. 1. הנני שלח מלאכי ופנה דרך לפני (31) Hieronym. in Isai. lib. 3. cap. 7. *In multis testimoniis quæ Apostoli, vel Evangelistæ, de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum*. (32) Origen. tom. 2. in Joan. (33) Cyrill. Alex. in Joan. cap. 1. ℣. 6. (34) Euseb. lib. 9. Demonst. (35) Hieronym. in Agg. 1. & Prooem. in Malach. (36) Maldonat. Jans. (37) Hilar. in Matth. Brugens. Author Oper. imperfecti. (38) Ambros. in Luc. lib. 5. & in Psalm. LXIII. Hieronym. in Matth. Theophyl. (39) August. contra advers. Leg. & Prophet. lib. 2. cap. 5.

Anthore Operis imperfecti, *non dicit Joannem majorem esse cæteris Sanctis, sed cæteros Sanctos non esse majores Joanne. Coæquavit eum cæteris, non præposuit.*

Qui autem minor est in Regno Cœlorum, major est illo. Angelorum minimus major est hominibus quibusque sanctissimis (40). Minimus Beatorum plura videt, quam maximus Prophetarum (41). Profecto tametsi amplissima sit virtus, vis ingenii, cognoscendi facultas, dignitas hominis adhuc mortalis, multo minor est Angelis ac Beatis, qui gloria fruuntur, Deum cutam vident, quorum conditio firma est, constans, & æternum beata. *Aliud est coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare*, inquit S. Hieronymus. Cum autem hoc loco Joannes cum hominibus, non cum Angelis comparetur, alias alii explicationes sectantur.

Sunt (42) qui de Jesu Christo interpretentur, Sanctorum ac Prophetarum, qui adhuc inter homines fuerint, maximus est Joannes: at ego, qui multo minor Joanne vobis videor, illum nihilo minus longe anteeo. Ecclesiæ ac Regni Cœlestis Minister ille est; ego dominus, & fundamenti lapis. Sponsus ego, ille pronubus. Hanc explicationem cæteris prætulit S. Augustinus (43), illique quamplurimi consentiunt (44). Ita Jesus modeste confirmat ea, quæ de se dixerat Joannes (45): *Qui post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare.*

Alii (46) ita usurpant: Quamquam maximus est Joannes, munusque, quo is fungitur, nobilissimum, minimus tamen Præconum & Apostolorum Evangelii major eo est. Putat Maldonatus, Christum hic veterem Legem cum nova conferre, Evangelii gratiam cum Legis servitute. Fidelium meorum minimus in Regno meo major est, quam Joannes ipse in Synagoga. Lex nihil absolvit (47); Evangelium figuras Legis implet ac perficit.

℣. 12. A diebus Joannis Baptistæ usque nunc, Regnum Cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Ab exordio prædicationis Baptistæ, quo pariter tempore cœpit Evangelii prædicatio, pœnitentia, afflictationibus, cruce, illataque vi naturæ acquiritur Cœlum, & Cœlestis beatitudo comparatur (48). Iter hoc Joannes Baptista & docuit & tenuit. At alia ne ratione ante Joannem beatitudo comparabatur? Angustiores ne vias effecit Christus, & vepribus impeditas? Minime vero: quamobrem hæc explicatio moralis potius habenda est, quam ad verbum.

Explicant alii (49): Ab Joannis ætate Regnum Cœlorum quodammodo invadunt ac rapiunt ii, qui aditum in Ecclesiam quærunt. Conatur unusquisque hanc hæreditatem occupare, quam veteres domini neglexere. Pelluntur Judæi, ut eorum locus teneatur. Id omnino Ethnici præstitere, in Jesu Christi Ecclesiam ingressi: id Publicani & Peccatores, excepta avidissime salutis institutione; exclusis interim (50) Scribis, Sacerdotibus ac Pharisæis, qui in Regno contineri, illiusque custodes, Principes ac defensores esse videbantur, qui scientiæ & notitiæ Legis clavim possidebant, quam, rejectis institutis quæ sibi tradebantur, amisere.

Aliam admittit hic locus interpretationem, cum Luca collatus. Scribit hic (51): *Lex & Prophetæ usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit. Facilius est autem cœlum & terram perire, quam de Lege unum apicem cadere.* Hoc dixit Jesus occasione Pharisæorum, verba sua aspernantium. Ordinem dictorum a Christo mutat Matthæus, positis loco ℣. 12. iis quæ loco versiculi 13. conveniebant, & contra. Quamobrem recta syntaxis est: ℣. 13. *Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt.* ℣. 12. *A diebus autem Joannis Baptistæ, usque nunc, Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; obnoxium est hominum injuriis & direptioni: *Diripiunt illud*, uti habent S. Hilarius, & Codices nonnulli. Toto hoc Capite Christus Legem veterem cum nova comparat, damnatque sævitiam, qua vexatus est Præcursor, & contemptum, quo Judææ urbes sua ipsius verba rejecere. Lex & Prophetæ a Moyse usque ad Joannem locum habuere. Vestram erga veteres Prophetas ac Legem perfidiam contemptumque nemo ignorat. Ego & Joannes Dei Regnum nunciantes venimus: quo autem animo excipimur? Regnum, quod prædicamus, unusquisque diripit, atque injuriis invadit. Publice in vincula datur Joannes; meæ institutiones rejiciuntur, mihique ipsi parantur insidiæ. Austerum vitæ genus cum servet Joannes, a dæmone agi dicitur; ego leninis sector, dæmonque quasi delicias amem. Qua arte gens adeo difficilis ac dura vincenda est? Quis Cœlorum Regnum vestris ab injuriis tueatur (52)?

℣. 13. Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt; (℣. 14.) Et si vultis recipere, ipse est Elias. Joannes Baptista nexus est, quo Lex & Evangelium conjunguntur. Desinit in eo Lex, incipit Evangelium: ultimus est Prophetarum Veteris Testamenti, & Novi primus. Legis & Prophetarum vaticinia de Messia Joannis ætate complenda sunt. Joanni succedit Jesus, novum fœdus veteri, Ecclesia Synagogæ. Hæc porro successio, Legisque conversio in Evangelium haud brevi contigit, neque statim absoluta est: in Joanne cœpit, post Christi Resurrectionem completa (53).

Ut autem intelligatis, pergit Christus, in Joanne Legem ac Prophetas desinere, ejusque ætate Regni Messiæ initium esse: Joannes ipse est Elias, qui, Malachia teste (54), magnæ diei Domini præiturus est, & filios cum parentibus, parentes cum filiis conciliaturus, ablaturus nimirum domestica dissidia, quæ hactenus fuere; ostendens verum ac solum Legis Interpretem, Dominum dominorum, Messiam, Regem, Israelis Liberatorem.

Patres nonnulli (55) ita explicant: Lex & Prophetæ ad Joannem usque locuti sunt; Messiam obscuris tropicisque vaticiniis prædixere: hunc vidit Præcursor, cognovit, digito indicavit: quamobrem veteres Patriarchas ac Prophetas superavit. Altera tamen explicatio proclivior videtur.

Joannes Baptista Elias est, non *persona*, sed *virtute* (56). Fervet uti Elias, ejusque sanctitate & spiritu instruitur. Docebant Rabbini, Eliam ipsum Messiæ præiturum, ut vias illi sterneret (57). Docet Christus, hanc non fuisse mentem Malachiæ, sed venturum hominem eodem spiritu & fervore instructum, quo ardebat Elias. Communis

(40) August. lib. 2. contra adversar. Legis & Prophetarum, cap. 5. (41) Hieronym. Beda, hic. (42) Chrysost. Euthym. Theophylact. Hilar. hic. (43) August. Tract. xiii. in Joan. (44) Brug. Jans. Maldonat. alii. (45) Matth. iii. 11. (46) Cæsar. Dialog. 3. Grot. Hammond. Le Clerc, alii. (47) Hebr. vii. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* (48) August. lib. 2. qu. 37. Gregor. Homil. xx. in Evang. Ambros. in Luc. lib. 5. Basil. Orat. de abdicat. Chrysost. Hieron. Beda, Euthym. Theophyl. hic, alii passim. (49) Hilar. can. 11. in Matth. Nazianz. Orat. 40. Mald. Brug. Grot. Ligfoot. Erasm. Ham. (50) Matth. viii. 11. (51) Luc. xvi. 16. (52) Vide Joseph. Meda [illegible], Dissert. Eccles. p. [illegible] & Ligfoot. Hor. Hebr. ad Luc. xvi. 12. (53) Maldon. Brug. Menoch. Grot. (54) Malach. iv. 5. 6. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis; & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* (55) Chrysost. Hieron. Beda, Euthym. Ita Brug. Pisc. (56) Luc. i. 17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* (57) Matth. xvii. 10. 11. Marc. ix. 10. 11. 12.

munis est Ecclesiæ Christianæ sententia, Eliam ipsum supremo Judicio, & secundo Filii Dei adventui præcessurum (58). Duplicem hunc adventum Judæi miscuerant. Duo spectat Malachias, Joannem Baptistam, qui Elias est eo sensu, quem diximus, & ipsam Eliæ personam, qui bellum illaturus est Antichristo. Ita Joannis & Jesu Christi sententiæ conciliantur. Negat Joannes se Prophetam esse aut Eliam (59); vere hoc dici confirmat Christus, cum neque Propheta neque Elias esset Joannes, quo sensu a Judæis usurpabatur, Prophetæ dignitatem superabat, qui præsens cerneret id, quod a cæteris animo spectatum est. Elias persona non erat, sed illius munera exercebat, illius spiritu cumulatus (60).

Ỳ. 15. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT. Vulgaris loquendi modus. Joannes Baptista Elias est: id [illegible] videtur: at nihilo minus verum. Qui aures habet, intelligat: sapientes alloquor, & eos qui cognoscendi facultate pollent.

Ỳ. 16. CUI SIMILEM ÆSTIMABO GENERATIONEM ISTAM? Cum pueris comparat, invicem dicentibus: Cecinimus, & non saltastis: lugubres nænias diximus, nec flevistis. Alludit Christus ad quemdam puerorum ludum, quo illi & nuptiarum hilaritatem, & funeris luctum imitabantur (61). Queruntur hi, quod socii ad ludum non accedant, neque aut hilaritatis aut luctus participes esse velint. Nobiscum ridere & lugere æque renuitis. Qui funebrem pompam obviam habebant, propinquis lugentibus jungebantur, teste Josepho in lib. contra Appion. Ego & Joannes hortari vos non desimus, ut ad Dei Regnum confluatis, atque ad Deum pœnitentia convertamini. Hortatus est Joannes austerissimo vitæ instituto & lacrymis; ego populari vivendi ratione, vesci etiam cum nequissimis non dedignatus: at neque me ridentem, neque lugentem Joannem sequuti estis, neutrius institutum amplexi (62). Hoc ipsum repetit ỲỲ. 18. & 19.

Ubi Christus Regnum Cœlorum pueris simile esse ait, non illud vult, ut Cœlestem beatitudinem, vel Evangelicam prædicationem pueris ludentibus similem esse intelligas; sed Judæorum pervicaciam cum morosis pueris comparat, quibus nec saltare placet, nec flere. Græcus ad verbum (63): *Tibia cecinimus vobis, & non saltastis; funebres nænias diximus vobis, & non flevistis.*

Ỳ. 18. VENIT JOANNES NEQUE MANDUCANS NEQUE BIBENS; eumque a Dæmone agi criminamini, venit Filius hominis, Christus Jesus, *manducans & bibens*, communi cæterorum hominum vita utens; atque hunc comessatorem appellatis. Quis placeat? qua arte revocandi estis? Austeritas & lenitas, severum vitæ genus & moderatum inutilia æque fuerunt. Vos igitur deseram, ut indociles, & disciplinæ impatientes. *Non manducans neque bibens* est homo austerissimam vitæ rationem agens. Ii qui a Dæmone vel atra bili aguntur, interdum cibo diu abstinent. Hinc collige, æmulos fuisse Joanni, ejusque vivendi genus & austeritatem invidos damnasse; ipsius denique prædicationem & baptismum non magni fecisse Judæos.

Ỳ. 19. ET JUSTIFICATA EST SAPIENTIA A FILIIS SUIS (64). Meam & Joannis sapientiam sapientissimi probavere. Quilibet æquus, sapiens, pius fatebitur, utrumque nostrum nihil nisi optimum præstitisse; ipsaque res utriusque institutum erga populum probavit. Discipulos nactus est Præcursor, qui & baptismo ipsius initiati, & austeritatem vitæ imitati sunt: ego flagitiosos homines lenissima vivendi ratione a vitiis reduxi. Uterque sapientiam probamus successu, quem laboribus nostris dedit Deus. Nos audivere filii sapientiæ, piissimi & sapientissimi, nostraque consilia amplexi sunt: *Et omnis populus audiens, & Publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.* Luc. 7. 9. Deseruere cæteri & derisere: at ipsorum durities & exitium causam nobis adjudicant (65). Repugnavere solummodo & damnavere filii insaniæ & erroris. Optima videtur hæc explicatio, & cum consequentibus maxime consentanea.

Alii (66) Græcum ita reddunt: *Et damnata est sapientia a filiis suis.* Scribæ & Pharisæi, quorum erat maxime sapientiæ instituta quæ ego tradebam, & baptismum quod nunciabat Joannes, amplecti, pervicacissime omnium utrumque rejecerunt (67). *Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.* Græcum verbum, quod vulgo redditur *justificare* (68), sæpe etiam pro *damnare* usurpatur.

Alteram interpretationem hic locus admittit: *Et sapientia justior est filiis suis.* Iniquissime damnatis & Joannem & Jesum, illius austeritatem, atque hujus humanitatem: at utriusque sapientia suffragio vestro non eget: satis ipsa se tuetur rerum eventu & filiis, nimirum asseclis & discipulis, servis Joannis & Jesu.

Aliter (69): *Et sapientia justificata est a filiis suis*; scilicet, Dei providentiam omnes illius filii & Discipuli probavere; tum ii qui vere sapientes sunt, & Jesu Christi atque Joannis instituta exceperunt, tum ii qui speciem solummodo sapientiæ præseferunt, veluti Scribæ & Pharisæi, qui cum scientiam & pietatem profiteantur, neque eruditi sunt neque pii. Quod ad hos pertinet, damnari nequit sapientia; par enim meritis reddita est merces utrisque. Admissi sunt intra Cœlorum Regnum qui vere sapientes fuerunt, cæteri exclusi. Horum obstinationem, aliorum vero fidem æque prædixerat Scriptura. Jesus multorum felicitas & exitium futurus erat.

Ỳ. 20. TUNC CŒPIT EXPROBRARE, &c. Hoc gestum est vel quo tempore Christus Apostolos misit, vel paulo post, mortuo Joanne. Vide Lucam, x. v. ... 13. (70). Cum harum urbium, ubi frequenter adeo ipse nunciaverat Evangelium, & ingentem prodigiorum numerum patraverat, pervicaciam cerneret, & Apostolos mittit, & ipse in remotas urbes Evangelium nunciaturus proficiscitur, futurum sperans, ut dociliores mentes, & latiorem Evangelio aditum nancisceretur.

Ỳ. 21. COROZAIN sita erat in ora occidentali Lacus Genesareth, prope Capharnaum, ubi sedem fixerat Christus. Bethsaida vel Julias trans Jordanem & Lacum Genesareth jacebat, satis tamen vicina Corozain.

SI IN TYRO ET SIDONE, &c. Dociliores videbat Jesus Ethnicorum urbes, magis in fidem proclives, minusque a fide & gratia alienas, quam Judaicas. Tenebris obvolvebantur Tyrus & Sidon: Legem, Prophetas, bona piorum exempla, prædicationem prodigiis fultam non habebant: hæc tamen omnia Judæi. Quamobrem cum hi validissima hæc adminicula spernerent atque rejicerent,

dece-

(58) Hippolyt. lib. de Consum. Mundi; Orig. Tract. 5. in Matth. Chrysost. Homil. 4. in 2. Thessal. August. lib. LXXXIII. quæstionum, qu. 58. & Tract. 4. in Joan. Hieron. in Matth. XVII. Greg. in Job; Theodoret. in Malach. IV. & alii. (59) Joan. I. 21. (60) Vide August. Tract. 4. in Joan. Greg. Homil. 7. in Evang. Maldon. bis. (61) Theophylact. Lyran. Ham. Brug. Menoch. (62) Vide Hieron. hic, Hugonem, Maldon. Ludov. de Dieu, Grot. Jans. alios; (63) [illegible] (64) Hilar. hic, & Ambros. in Luc. cap. VII. Et justificata est sapientia operibus suis. Ita Syr. & Copt. & Pers. Æthiop. & alii libri apud Hieron. hic. (65) Hieronym. Maldon. Alex. Hamm. Grot. Vat. Le Clerc. (66) Vide Ham. Camer. Schmit. Castal. Cocc. (67) Luc. VII. 30. (68) Δικαιοῦν, pro damnare. Vide Phavorinum, Suidam, Hesychium, Harpocrationem, Julium Pollucem, Scholiasten Thucydidis. (69) Ita fere Maldon. Menoch. (70) Ita Mald. Brugens. Toynard. p. 48. Harm.

deteriores coram Deo reddebantur, quam Tyrii, gravissimis licet superstitionis tenebris obvoluti (71). Cui minus datum est, ab eo minus exigitur. Cur vero eas urbes non adibat Christus, cum & Evangelium excepturas, & pœnitentiam acturas intelligeret? Missus nimirum is fuerat ad palantes atque amissas Israelis oves (72); volebatque prius ea explere, quæ a fœdere cum Abrahamo inito postulabantur, missurus deinde Tyrum ac Sidonem Apostolos, quemadmodum ad reliquas urbes miserat: nulla tamen lege adigebatur ut mitteret. De his S. Augustinus (73): *Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum*, nimirum prædicationis adminiculum. *Nec illis profuit quod poterant credere; quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ.*

℣. 23. ET TU, CAPHARNAUM, NUNQUID USQUE IN CŒLUM EXALTABERIS? USQUE IN INFERNUM DESCENDES. Vel: *Et tu, Capharnaum, nonne evecta es usque ad Cœlum? Usque in infernum deprimeris*, ad telluris centrum, humillimum, obscurissimum, deterrimum terræ locum. Diutius quam alibi, Christus Capharnai docuerat; sedes ibi fixerat, innumeris ibi prodigiis fulserat. Hæc tamen beneficia, quibus Capharnai dignitas vel supra Jerosolymam evehenda erat, nonnisi exitio illi fuere. Ingrata & negligens patam sceleri pœnam experta est.

Græcus fert (74): *Et tu, Capharnaum, quæ usque ad Cœlum evecta es, usque ad infernum deprimeris*, usque ad Plutonem tenebrarum Regem. At veteres multi Græci Codices cum Vulgata consentiunt (75): *Nonne usque ad Cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes.* Vulgaris loquendi modus: ad cœlum evehi, deprimi usque ad inferos. Infernum Hebræi sub aquis, in ima abysso constituebant (76).

FORTE MANSISSENT, &c. Græcus reddi potest (77) *Mansissent certe usque in hanc diem.*

℣. 25. IN ILLO TEMPORE RESPONDENS JESUS, &c. Tradit Lucas. 10. 17. Christum hanc gratiarum actionem, vel hasce preces Patri porrexisse, cum duo & septuaginta Discipuli e missione reversi prosperum itineris exitum ipsi narrarent; quorum verbis respondit Christus, gratias agens Patri, omnemque rerum gestarum gloriam in illum referens. Minime gaudet Christus calamitate sapientum ac prudentum hujus sæculi, Scribarum ac Pharisæorum (78), vel ex Ethnicis Philosophorum, quibus Cœlestis Pater, æquissimo sed formidabili judicio Evangelica dogmata non aperuerat; sed grates agit, quod ea tradiderit Apostolis (79), rudibus hominibus, studiorum ignaris, qui deinde simplicibus, parvulis, vulgo, cum obsequio ea excipientibus, aperiunt. Neutris debebatur cognitio mysteriorum Regni (80); at minus repugnabant Apostoli ac vulgus rude, quam Judæorum sapientissimi. Patres nonnulli (81) censuere, parvulorum appellatione intelligendos esse Ethnicos, quibus Pater mysteria sua tradere dignatus est. At eo tempore nondum Evangelii aditus iis patebat.

℣. 26. QUONIAM SIC FUIT PLACITUM ANTE TE. Mysteriorum cognitionem superbis sapientibus ac prudentibus largiri noluit Deus, quod ab illis rejicerentur ac spernerentur, inquiunt Chrysostomus & Theophylactus: contemptui siquidem exponenda non censuit; sed simplicibus, humilibus docilibusque exhibuit. *Ostendit omnem sapientiam humanæ mentis ad intelligentiam divinæ prædicationis invalidam, nisi Deus per se ipsum interius docens illuminet atque adjuvet audientem*, inquit S. Fulgentius (82). *Nemo discutiat*, ait S. Gregorius Magnus (83), *cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito.... Itaque consilium summæ & occultæ virtutis, satisfactio sit apertæ rationis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.*

℣. 27. OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO, &c. Nequis putet, Cœlestem Patrem de omnibus decernere, inscio Filio, aut mysteria hominibus aperire, nulla Filii opera (84), Christus addit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Ego una cum illo dogmatum & mysteriorum scientiam largior. Dogmatum vero maximum, ac mysteriorum obscurissimum est Patris & Filii cognitio. Hanc porro nemo nisi per me habere potest. Neque tamen idcirco Spiritum Sanctum excludit. Docet Paulus (85), neminem nosse divina, nisi per Spiritum Sanctum; cumque unica absolutissime sit in tota Trinitate substantia, ita unica omnino est cognitio.

Hæc jungunt alii (86) cum consequentibus: Omnia, homines, & creatæ res universæ traditæ mihi sunt a Patre: per me ad illum est via: ego illius cognitionem homines doceo, quemadmodum ipse me hominibus manifestum facit. Quamobrem venite ad me, qui fatigati estis; & pondere oppressi: vos ego levabo. Accedite, qui Patrem & cœlestia nosse cupitis: vos ego docebo.

℣. 28. VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS (87). Omnes universe homines alloquitur Christus, præsertim vero Judæos. Laboribus & ærumnis opprimebatur hominum genus, peccatis onustum, sub concupiscentiæ jugo gemens, difficilesque & ignotas vias terens, inter tenebras ac errores (88): *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.* Sub legum sarcina laborabant Judæi, & Legis jugo opprimebantur, quod neque ipsi unquam, neque majores ferre potuerant (89). Utrisque solatium exhibet Jesus, Judæis quidem a legalium sarcina, Ethnicis vero ab erroribus, pollicitus sese illos ex incertis ad recta itinera reducturum.

℣. 29. TOLLITE JUGUM MEUM SUPER VOS. Pro Legis jugo Evangelicum accipite (90). Hoc enim levius altero est ac suavius: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Severus durusque dominus non sum, neque multis vos præceptis & legibus premo. Lenitatem amo, clementiam, suavitatem, humilitatem (91). Fidem hujus rei facient mores mei, meæque institutiones, atque hoc maxime omnium præcipio, ut lenitatem meam, meamque humilitatem imitemini (92): *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.*

(71) Vide Hieronym. (72) Matth. x. 6. xv. 24. (73) August. de dono perseverantiæ, cap. 14. (74) Ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ. (75) Vide Var. Lect. N. T. Mill. Μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ. (76) Job xxv. 5. Isai. xiv. 19. Ezech. xxviii. 10. Prov. ii. 18. ix. 18. xxi. 16. xxvii. 20. Isai. xxv. 14. (77) Ἔμειναν ἂν μέχρι τῆς σήμερον. (78) Hilar. hic, Hieronym. Euthym. Beda, Chrysost. (79) Hieronym. Chrysostom. Beda, Euthym. hic. (80) Bern. Ep. 146. *Tuo placito sunt id quod sunt, non suo merito; nec enim invenis merita, sed pravitatis.* (81) Ambros. in Psalm. cxviii. serm. 17. Theophylact. Author Oper. imperf. hic. (82) Fulgen. lib. 1. de Verit. Prædest. & Gr. lib. 1. cap. 22. 23. (83) Greg. lib. xxv. Moral. c. 19. (84) Hilar. Chrysostom. Euthym. Theophyl. (85) 1. Cor. ii. *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* (86) Hieronym. Beda, Mald. (87) Græc. Ἀναπαύσω ὑμᾶς, dabo requiem vobis. (88) Sap. v. 7. (89) Act. xv. 10. Vide Hilar. & Theophyl. alios. (90) Hilar. Beda, Nazianz. orat. 42. Maldon. Brug. Grot. Natal. Alexand. (91) Author Oper. imperf. Grot. Maldon. alii. (92) Chrysost. Homil. 39. August. Serm. olim 10. nunc 69. Item Serm. olim 38. nunc 117. alii passim.

CAPUT XII.

Pharisæorum obmurmuratio in Discipulos, spicas Sabbatho terentes. Manus arida cujusdam restituitur. Pharisæorum blasphemia. Fortis armatus. Peccatum in Spiritum Sanctum. Jonæ signum. Ninivitæ. Regina Austri. Mater & fratres Jesu alloquium postulant.

V. 1. IN illo tempore abiit Jesus per sata sabbatho: Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. 2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis. 3. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant? 4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? 5. Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in Templo sabbathum violant, & sine crimine sunt? 6. Dico autem vobis, quia Templo major est hic. 7. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes. 8. Dominus enim est Filius Hominis etiam sabbathi. 9. Et cum inde transisset, venit in Synagogam eorum. 10. Et ecce homo manum habens aridam; & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbathis curare? ut accusarent eum. 11. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbathis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? 12. Quanto magis melior est homo ove? itaque licet sabbathis benefacere. 13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera. 14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. 15. Jesus autem sciens, recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes. 16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent. 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: 18. Ecce puer meus, quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. 20. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium: 21. Et in nomine ejus Gentes sperabunt. 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus: & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret. 23. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David? 24. Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones, nisi in Belzebub principe dæmoniorum. 25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se desolabitur: & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. 26. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus? 27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri erunt. 28. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos Regnum Dei. 29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet. 30. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. 31. Ideo dico vobis: Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur. 32. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. 34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. 37. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. 38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre. 39. Qui respondens, ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. 42. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic. 43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. 44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. 45. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. 46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. 47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te. 48. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 49. Et extendens manum in Discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. 50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

℣. 1. IN ILLO TEMPORE ABIIT JESUS PER SATA SABBATHO. Sabbathum hoc dicebatur (1) *secundo primum*, scilicet alter dies sabbathi, qui post alterum azymorum diem, vel post secundum Paschatis diem festum contigit, uti fusius alibi ostendemus. Res igitur hic narrata incidit in diem Sabbathi, quod secundum Pascha in Evangelio descriptum consequebatur, redeunte Capharnaum Jesu. Vetita erant longa itinera Sabbatho (2); neque cibos parare poterant ea die Discipuli, neque emere, vetante Lege (3). Comparanda igitur erat alicunde annona, vel expectandus solis occasus, & Sabbathi finis, ut cibos caperent. His in angustiis maxime omnium proclive erat, cibos in agro quærere, quibus usque ad vesperam fami consulerent. Quamobrem eum per sata iter haberent, spicas carpentes manu terebant (4). Ea re offensi sunt Pharisæi, veluti manifesta Legis violatione, qua cautum erat, nequis cibos pararet Sabbatho, ac Discipulos apud Jesum accusavere.

Censent nonnulli (5), offensos fuisse Pharisæos non violatione Legis Sabbathi, sed moris cujusdam apud Hebræos communis, quo vetabantur Sabbatho cæterisque Festis diebus cibos sumere ante sextam diei horam, & antequam sacra in Templo fierent. Id mane contigisse putant; quod tamen incertum est, quemadmodum & incertissimus est mos non sumendi cibos Festis diebus, nisi post meridiem. Sabbathi violationem a Discipulis amovet Christus ob solam cibi inopiam & necessitatem; neque id futurum fuisse negat Legi contrarium, si ea necessitate caruissent. Inter ea, quæ Sabbatho interdicuntur, Rabbini (6) hoc numerant, siquis spicas vellat, & manu terat. Docet S. Irenæus (7), vetitum solummodo fuisse spicas Sabbatho metere, non aliquas vellere, ut triticum comederetur. Contra Judæi ajunt, non modo vetitum esse *patrem*, scilicet *desectionem*, verum etiam *filium*, nempe spicarum evulsionem. Hi novem & triginta vetantes Leges *primitivas* numerant, ad Sabbathum spectantes, aliasque quamplurimas ex iis ortas, inter quas hanc, de qua in præsenti. Discipulos non damnant ob ipsam rem ab iis gestam, quippe quæ permittebatur Lege (8): *Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manum conteres; falce autem non metes.* Sabbatho id non licere asserunt.

℣. 2. DIXERUNT EI. Ipsi Discipulos adiere Pharisæi, teste Luca VI. 2. At post Discipulos, apud Jesum postulationem instituisse videntur (9).

℣. 3. NON LEGISTIS QUID FECERIT DAVID? In Pontificis domum solus venit David; socios foris reliquerat 1. Reg 21. 1. Hoc Davidis facinus nemo ignorat; quamobrem præterimus.

℣. 4. INTRAVIT IN DOMUM DEI, ET PANES PROPOSITIONIS COMEDIT. Profectus est Noben, ubi tunc Arca Fœderis ac Tabernaculum morabantur. Nobe proxima est Caristh jarim, in eadem Tribu Ephraim. *Panes propositionis* (10), vel, ut habet Hebræus (11), *Panes facierum*, ii sunt, quos singulis Sabbathis super auream mensam coram Domino exponebantur. His autem vesci, unis Sacerdotibus licebat Levit. 24. 6. At neque Pontificem, rerum hujusmodi consultissimum, neque Davidem, Legis studiosissimum, ulla religio tenuit, quin alter hosce panes in cibum exhiberet, alter acciperet. Pares hic sunt angustiæ; neque de sacris rebus agitur, quorum esus unis Sacerdotibus conceditur, sed de tritico mero & vulgari. Cur igitur eo uti Discipulis meis non liceat?

℣. 5. AUT NON LEGISTIS IN LEGE, QUIA SABBATHIS SACERDOTES IN TEMPLO SABBATHUM VIOLANT? Ipsa die Sabbathi Sacerdotes mactant in Templo victimas, deglubunt, in frusta concidunt, imponunt altari, ligna componunt, ignem alunt: hæc omnia nonne Sabbathi quietem violant? Ea tamen Lex permittit Num. 28. 5. Colligit hinc Jesus, Apostolis, una secum Evangelii prædicatione occupatis, eo nimirum labore, quo Legis & Prophetarum perfectio continebatur, insuper cibi necessitate coactis, licere, salva Sabbathi religione, spicas aliquas vellere, & manu terere, cum res adeo levis sit, & gravis adeo frangendæ Legis causa. Ubi duæ concurrant Leges, quæ simul servari nequeant, æquitas & ratio postulant, ut gravior leviori præferatur. Porro victus quærendi, comparandæque tenuis sed necessariæ annonæ ratio Apostolis esurientibus gravior erat quam ea, quæ Sabbathis quietem in iisdem rerum angustiis imperabat (12).

℣. 6. DICO AUTEM VOBIS, QUIA TEMPLO MAJOR ali-

[1] Luc. VI. 1. [2] Matth. XXIV. 20. Act. I. 12. [3] Exod. XVI. 22. 23. 2. Esdr. XIII. 15. 16.
[4] Græc. Ἤρξαντο τίλλειν στάχυας, καὶ ἐσθίειν. Luc. VI. 1. Ἔτιλλον ... ἤσθιον, ψώχοντες ταῖς χερσί. Verbum [illegible] usurpatur interdum pro *fricare*. Grot. [5] Vide Hamm. hic. [6] Maimonid. Sabb. cap. 8. Vide Grot. & Ludov. de Dieu, hic. Ligfoot. [7] Iren. lib. [illegible] cap. 20. [8] Deut. XXIII. 25.
[9] Ita Interpp. plerique. [10] Τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως [illegible] [11] לחמי פנים [12] Vide Chrysost. Hieronym. Euthym. Maldonat. hic, Grot. ad ℣. 5.

aliquis est hic. Græci Codices quidam ferunt (13): *Templo majus* aliquid *est hic*. Si Templi obsequium, & Domini cultus satis causæ sunt, ut sabbathi quietem religiose Sacerdotes non servent; nihilo levior causa est opera, quam mihi exhibent Discipuli, cum denique Templo major ego sim. Deum se & Patri æqualem esse significat. Si ea est Patris mei potestas, ut præcepti hujus obligationem solvat, ubi de ipsius obsequio agitur, nihilo minor facultas ea in re mihi est (14). S. Hieronymus (15) ita explicat: Ajo, majorem Templo esse locum, ubi ego sum.

℣. 7. Misericordiam volo, et non sacrificium. Vulgaris locutio, qua sæpe utitur Christus, ut significet, malle se pietatem, charitatem, clementiam, quam severissimam Legis observationem. Vide & supra, xi. 29. *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*. Coactum obsequium odi, vim & austeritatem fugio: lenitatem ac misericordiam amo.

℣. 8. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbathi. Ultima hæc est ac validissima ratio, qua Discipuli excusantur. Ipse ego Sabbathi dominus sum: placet Apostolos hac in re Lege absolvere. Potest Deus, ut visum fuerit, Leges a se latas abolere, antiquare, moderari. Quartam addit rationem Marcus 2. 27. a Matthæo prætermissam; *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum*. Quamobrem, ubi de vita vel anima hominis agitur, Lex Sabbathi cedat necesse est.

Nonnulli (16) ex hoc loco Marci, cum Luca & Matthæo collati, colligunt, hæc verba, *Dominus est Filius hominis etiam Sabbathi*, idem sonare ac illa, *Sabbathum propter hominem factum est*; atque *hominis Filium* pro *homine* indiscriminatim usurpari. Unusquisque Sabbathi dominus est, ut vel illius religionem servare, vel illa solvi pro arbitrio queat, uti res tulerit. Ubi discrimen aut gravissima res urgeat, licet unicuique, sese illius obligatione absolvere. At geminas hasce sententias, quibus una eademque res significari dicitur, diversas penitus esse, omnino perspicuum est; quamquam enim verum est, Sabbathum hominis causa esse, ac licere homini Sabbathi Legem interpretari, nunquam tamen dicere fas erit, Sabbathi dominum hominem esse. Qui Legis obligationem solvere, aut præceptum interpretari potest, minime tamen dominus utriusque est. Ubi de humana Lege agitur, Principis unius ac Legislatoris est legem auferre aut antiquare; Dei vero unius, ubi sermo fit de Divina. Sabbathi dominus est Jesus solummodo qua Deus est (17).

℣. 9. Cum inde transisset, venit in Synagogam. Capharnai, ubi sedem fixerat Jesus. Scribit Marcus (18), contigisse hoc altera die Sabbathi, post illam, de qua supra, ℣. 1.

℣. 10. Ecce homo habens manum aridam, paralysi constrictam, ut inepta esset labori. Si Evangelio Nazaræorum fidem habes, dixerat hic Jesu (19): *Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te, Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos*. Manum dexteram aridam seu stupidam fuisse, scribit Lucas.

℣. 11. Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, &c. Pharisæorum quæstionem effugit Christus. Cum enim ii quæsivissent, *Si licet Sabbathis curare*, is vicissim rogavit, *liceret ne pecudem, quæ in scrobem cecidisset, educere?* Norat & quid consuetudinis foret, & quid illi essent responsuri. Voluit igitur e sua ipsorum confessione illos arguere.

Recentiores Judæi religioni sibi ducunt ea, quæ olim licita esse credebantur. Si pecus Sabbatho in foveam ceciderit, inquiunt, cibum porrigito; cave ne educas. Putat Grotius, Judæos, odio Christianorum, severiores interpretationes Legis Sabbathi excogitasse, Patribus vetustisque Doctoribus ignotas. Veteres certe Rabbini ajebant, Sabbathi religionem cessare, ubi de hominis aut pecudis vita ageretur (20). Prodigiosæ hominum curationes hujus naturæ non sunt, cum differri queant, atque hominibus a Christo incolumitati restitutis mortis discrimen non immineret. At prodigia ordinariis legibus non continentur.

℣. 12. Itaque licet Sabbathis benefacere. Non ait: *Itaque licet Sabbathis curare*, sed *benefacere*; Jesus enim, ex Marco (21) & Luca, Pharisæos rogaverat, *Si licet sabbathis benefacere, an male; animam salvam facere, an perdere*; scilicet, hominis vitam tueri, an pati ut pereat. Cum vero Pharisæi nihil responderent, docet Matthæus collegisse Christum, liceta igitur Sabbatho benefacere, simulque curasse hominem, cui manus erat paralysi contracta.

℣. 14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant ... quomodo perderent eum, veluti Sabbathi violati reum. Præcepti hujus violatores Lex morte damnabat (22). Herodianos addit Marcus 3. 7. Pharisæis de nece Christi deliberantibus. Authore Josepho (23), Discipuli Judæ Galilæi, quos esse eosdem credimus atque Herodianos, ferme omnino cum Pharisæis conveniebant. Cum pessima illorum consilia intellexisset Christus, e Synagoga secessit, atque urbe Capharnao, ut ad oram maris Genesareth proficisceretur (24). Re hic explevit id, quod alibi Discipulis imperaverat, ut fugerent, ubi cæterorum odia in ipsos fervérent (25). Suam ipsius vitam tueri maluit, utilem inimicis futuram, ne ipsos iniquissimæ cædis faciendæ discrimini exponeret.

℣. 16. Præcepit eis, ne manifestum eum facerent; I. ut insigne humilitatis ac modestiæ exemplum exhiberet; II. ne Pharisæos cæterosque inimicos in se excitaret. Secus & Evangelii progressum & Apostolos odiis novisque periculis objecisset. Non vult Jesus tempus prævertere a Patre decretum, neque insaniendi in se causam adversariis exhibere (26). Coactus Aristoteles Athenis discedere, sese abire ait, ne Atheniensibus occasionem daret alterum scelus admittendi, post cædem Socratis.

℣. 17. Ut adimpleretur. &c. Sæpe animadversum est, his verbis, *Ut adimpleretur*, &c. significari vaticinii eventum, non causam; rem gestam, non rei gerendæ propositum. Ingens datur hic specimen lenitatis & clementiæ Jesu Christi erga inimicos, cum enim ipse, tot prodigiis clarus, Pharisæos penitus delere, innumerorumque scelerum arguere, ac populo invisos facere posset; cedere maluit, ac morem gerere illorum ambitioni & odio. Quamobrem tunc luculentissime impletum est Isaiæ oraculum, quo omnia Messiæ indicia his verbis exhibentur (27): *Ecce puer meus, quem elegi*, &c.

Jesus Christus natura coæternus Patri erat, uniusque cum illo substantiæ; at humanis artubus & ærumnis sese induens, servum Patri se reddidit (28): *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Dilectus meus, *in quo be-*

[13] Ὅτι τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε. Ita Cod. plures apud Mill. [14] Vide Euthym. Theophyl. Mald. Bing. Grot. Menoch. [15] Hieron. hic: *Quod Templo major sit locus, qui Dominum Templi teneat*. [16] Grotius & Clericus hic. Vide & Clericum in Hammond. & Chrysostom. hic, homil. xl. [17] Vide Hammond. hic, Maldon. Ligfoot. [18] Luc. v. 6. & Marc. iii. 1. [19] Hieron. in Matth. hic. [20] Misnæ, tom. 2. Maimonid. Moses de Cotzi mandato negativo 25. Vide, si placet, Tertull. lib. 2. advers. Jud. cap. 4. & lib. 4. contra Marcion. & Hieronym. ad Isai. xxviii. [21] Marc. iii. 4. Luc. vi. 9. [22] Vide Num. xv. 35. [23] Joseph. Antiq. lib. xviii. cap. 2. [24] Marc. iii. 7. [25] Matth. x. 23. [26] Gregor. Nazianz. orat. 3. [27] Isai. xlii. 1. 2. 3. [28] Philipp. ii. 6.

in complacuit anima mea: uti illum nuncupavit in Baptismo Pater, Spiritu Sancto super illum labente sub columbæ imagine (29); itidem in Transfiguratione (30). *Ponam super eum spiritum meum*; quemadmodum manifeste contigit, qua die is baptismo mersus est Matth. 3. 16. Spiritu Sancto cumulatissime impletus fuit ipso conceptionis tempore, atque jam tum Divinis muneribus donisque abundavit. Denique, *judicium gentibus nuntiabit*. Evangelium ad gentes misit (31), quo justitia quælibet absolutissima continetur. Legavit Apostolos, a quibus illæ docendæ essent, atque ad fidem convocandæ: ipse siquidem ad Ethnicos nunquam verba fecit, imo & Apostoli nonnisi post Christi mortem Ethnicos adiere. Patres nonnulli (32) de supremo Judicio interpretantur, quod universis iste gentibus Christus prædixit ac nunciavit; atque hoc ipsum sub appellatione *Regni Cælorum*, in ipsius concionibus frequentissime, significavit.

℣. 19. Non contendet, neque clamabit. Imperiosus non erit, neque violentus, aut clamosus, vel minax, neque jurgia amabit. Dogmata sua simplici modo tradet, ac lenissime docebit; cæterorumque animos suavitate & clementia ad se trahet. Veteres Prophetas imitatus est Christus, quorum plerique in sui temporis flagitia acerrime invehebantur, Regibus atque Optimatibus minime parcentes, quique fervoris sui modum arguendo, jurgando, exprobrando ac minitando sectabantur. Fulmina & tonitrua accivit Samuel, Agagum Regem sua ipse manu mactavit, Saulem coram arguit. Ignem Elias e cælo vocavit, falsos Baalis Prophetas necavit, cum Achabo jurgatus est. Quo fervoris impetu Dei causam tutati sunt Jeremias & Isaias adversus Judæ Reges atque Optimates? *Constitui te hodie*, ait ad Jeremiam Deus (33), *super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes*. Alio plane Spiritu agebatur Christus: siquando Pharisæos aggreditur, sæpissime dissimulat: raro cum illis jurgatur: nunquam resistit, sed argumentis vincit: illorum odio & livori cedit, fugiens, vetansque ne sua ipsius prodigia palam producantur.

℣. 20. Linum fumigans non extinguet. In peccantes severitate non utetur, sed misericordia & lenitate, dum aliqua spes conversionis erit: exhortabitur, exorabit, suavissime revocabit.

Donec ejiciat ad victoriam judicium (34), Donec causæ suæ æquitatem manifestam faciat, omnesque terrarum populi, Judæi atque Ethnici, Evangelii veritatem agnoverint (35). Tunc vero, scilicet suprema Judicii die, severitatis tempus adveniet. Ad finem usque clementia utetur: at ubi elapsum fuerit misericordiæ tempus, tunc denique nihil impio expectandum est, nisi Omnipotentis furor. Alii ita interpretantur: *Donec damnationem rejiciat, & victoriam ferat*, nempe donec moriens damnationis nostræ sententiam scindat (36), nobisque victoriam de peccato & diabolo gloriosa Resurrectione largiatur. Legi etiam potest, ex Romana Editione (37): *Donec ejiciat in lite judicium*. Pugnæ & litium argumentum fuit Christus, *Luc.* 11. 34. Hostes suos iniquitatis arguit, *Joan.* xvi. 8.

℣. 21. In nomine ejus gentes sperabunt: ad Evangelii prædicationem convertentur: fidem ac spem in illo habebunt: illum Dei ac Domini loco usurpabunt.

Isaiæ locus (38), unde hæc desumpta sunt, multo aliter habet. Accipe ex Hebræo: *Ecce servus meus, quo nitar; electus meus, quem amabit anima mea: posui super eum spiritum meum; judicium gentibus proferet*, judicabit gentes. *Non clamabit, neque efferetur*, seu vocem non tollet: *non faciet audiri in platea vocem suam. Arundinem fractam non conteret, & linum obscurum non extinguet: ad veritatem judicium proferet: non hallucinabitur, nec turbidus erit, donec ponat judicium in terra*. Vel: *Non extinguet, neque conteret, donec judicium humi dejiciat*. Indicatur his verbis suave & leve Jesu Christi Regnum, qui Legi igneæ & severissimæ Legem charitatis & suavitatis substituet. Deus Moysem alloquens, ajebat (39): *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*. Jesus Christus in Evangelio (40) *Mitis sum & humilis corde*, vel patiens & benignus: *jugum meum suave est, & onus meum leve*.

Dissident etiam ab Hebræo & Matthæi narratione Septuaginta, in loci hujus versione: *Jacob filius meus est*, vel servus: *excipiam eum*, vel protegam; *Israel electus meus: recipiet eum anima mea: dedi spiritum meum super eum: judicium gentibus proferet; non clamabit, neque parcet, neque audietur foris vox ejus. Calamum confractum non conteret, neque linum fumans extinguet; sed in veritate proferet judicium: fulgebit, neque frangetur, donec ponat super terram judicium*. Putat S. Hieronymus (41), dissidium, quod Matthæum inter & Hebræum est, ex incuria librariorum proficisci. At alibi (42) scribit: *Sunt qui asserant, in omnibus pene testimoniis, quæ de Veteri Testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, interdum sensus quoque ipse diversus sit: vel Apostolis, vel Evangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur*. Hæc tamen regula plena periculi est, in re præsertim tam gravi. Placet magis id quod idem alibi tradit (43): *Evangelistarum & Apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso, sensus tantum de veteri Testamento proferunt in exemplum*. Servabant id passim ea ætate Scribæ & Eruditi, testibus Evangeliis, Josepho & Philone.

℣. 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus. Dæmon, quo miser hic agebatur, duobus hisce incommodis illum afficiebat (44). Quamobrem dæmone liberatus, usum etiam oculorum & loquelæ recuperavit: *Curavit eum, ita ut loqueretur & videret*. Prodigium hoc diu post cætera initio hujus Capitis recitata contigit. Vide Historiam Chronologicam, sive Harmoniam. Prodigium a Luca narratum, xi. 14. plane est aliud.

℣. 23. Numquid hic est filius David? Messias, quem præstolamur? Is enim sub filii Davidis appellatione agnoscebatur. Vide *Matth.* ix. 27. xi. 5. &c.

℣. 24. Non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub. Non unus Evangeliorum locus docet (45), ejus ætatis Judæos quoddam imperii & reipublicæ genus inter dæmones agnovisse; ejusque imperii Principem appellatum esse *Beelzebub*, vel Deum Muscam, vel ludibrii causa, vel quod Dæmonem, quæ olim Philisthini sub nomine Beel-sebubi venerabantur (46), revera inferorum Principem esse censerent; vel denique, quod, mista urbe *Accarone*, ubi olim colebatur Beel-sebub, eum *Acheron-*

[29] Matth. iii. 16. Vide Hieron. in Isai. xlii. [30] Matth. xvii. 5. 2. Petr. 1, 17. [31] Maldonat. Hammond. [32] August. lib. xx. cap. 30. de Civit. Hieron. Ep. 10. [33] Jerem. 1. 10. [34] Hilar. hic: *Donec cum ejiciat victoriam ad judicium*. [35] Hunc nuncupat *Judicium* ℣. 18. Vide August. lib. xx. de Civit. cap. 30. [36] Coloss. 11. 14. Vide Hilar. hic. [37] Ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. Quasi legerint in Hebræo בריבה, pro בארץ [38] Isai. xlii. 1. 2. 3. [39] Exod. xx. 5. [40] Matth. xi. 29. [41] Hieronym. in Isai. xlii. [42] Hieron. in Mich. lib. 1. cap. 5. [43] Hieronym. in Matth. xxvii. Vide & Epist. ejusd. ad Algasiam. [44] Chrysostom. Theophyl. Euthym. Maldonat. alii. [45] Matth. 12. 24. & 25. Luc. 11. 15. [46] 4. Reg. 1. 2. 3. &c.

vonte, quem Græci sedem Numinis inferorum esse putabant, Beelsebubum esse crediderint eumdem atque Plutonem, & Manium Deum. Passim innuunt Apostoli, principem quemdam esse Dæmonum, cæteros moderantem. Hunc vero nuncupant *Principem tenebrarum* (47), *Principem hujus mundi* (48), *Principem hujus sæculi* (49), *Principem potestatem aeris* (50). Satan ipse, cum Jesum Christum in montem editissimum detulisset, omnia mundi Regna illi exhibuit, sese ipsi ea daturum pollicitus, si coram cadens sese adorasset (51). Ex Judæorum ejus ætatis sententia, & fortasse quod verum erat, loquebatur, eum quo tempore Messias inter homines apparuit, universus late orbis sævissimi hostis tyrannide opprimeretur.

Tobiæ ætate, *Asmodæus* dæmonum Princeps habebatur (52): nunc *Sammaelem* vulgo nuncupant; illique & responsa, & falsa prodigia tribuunt, quæ apud Ethnicos gerebantur. *Luciferum* vocant Patres (53); S. Gregorius Magnus (54), *Behemoth*, alii (55) *Dæmonum Archangelum*. Apud Ethnicos *Serapis*, *Pluto*, *Ades*, *Dis*, quæ nomina unum & idem sonant, & *Hecate* minorum dæmonum Rex & Regina habebantur. Siquando hi non statim parerent, hæc nomina Magi adhibebant, ut illos ad obsequium adigerent (56). Ipsi etiam *Adæ* interdum minitabantur, sese ipsius nomen propalaturos, nisi veneficis moram gereret (57). Porro hic Dæmonum Princeps id potissimum studebat, ut maximus omnium Deus haberetur (58); seseque Principem mundi, ac tartarei exercitus Imperatorem appellabat. Ait Christus, *ignem æternum paratum esse diabolo & Angelis ejus* (59); ministris nempe, minoribusque dæmonibus.

Hic igitur Pharisæi Christum arguunt veneficii, ac nefariæ cum Dæmone consuetudinis. Veterem hanc expostulationem reliquere Rabbini recentiores; at commenti sunt novam. Ajunt quippe, Jesum, cum in Templum furtim venisset, surripuisse ineffabile propriumque unius Dei nomen *Jehova*; cujus vi tam multa patravit, quanta in Evangelio legimus, & ipsi ad arbitrium affinxere. Ineptias hujusmodi refellere pudet.

Beelzebub Principe Dæmoniorum. Lucæ xi. 15. Ambigi vix potest Philistæos cultum præbuisse religiosum Beelzebub. Vide 4. Reg. 1. 3. 6. Nunquidne eo nomine illum colebant quod Principem Dæmonum ageret? Arduum est credere: nihilo tamen secius ex relatione itinerantium certiores facti sumus Orientales gentes plures Diabolum coluisse, litasse sacrificiis, ut malum ab eo inferendum averruncarent; persuasi alioqui nihil se mali a bono Deo perpessuros, cum bonus nonnisi bona præstet. Vide Mandoslum Itinerar. ad Indos tom. 2. pag. 198. 199. Fatentur illi quidem rem esse creatam; sed creatam ut noceat hominibus, & multum apud Deum valere ut lædat. Origen. in Matth. cap. xxvi. tract. 36. Guill. Spencer. Not. in lib. Origen. contra Celsum, authore Vandale de Idololat. & Superstit. Basnag. Annal. ad an. Chr. 31. n. 51. Judæi teste S. Epiphanio hæresi xxx. cap. 8. & 10. affirmant extitisse Magos qui malignorum spirituum ope curiosa exercebant; ætatisque suæ testis Josephus Antiq. lib. 8. cap. 2. affirmat Eleazarum Judæum pepulisse Dæmonem herba quadam admota, quam lib. 7. de Bel. appellat *Baaras*; sicut & quasdam conjurationes seu excantationes a Salomone, ut ipse quidem ait, compositas memorat. Has vero conjurationes extitisse Dæmonum inventa & magicas operationes facile crediderim. Ita ergo tota hæc ratiocinatio Jesu Christi acciperetur. Accusatis me quod Dæmones in nomine Beelzebub expellam; at exorcistæ vestri quid aliud agunt? Nonne maleficiis, & Dæmonum operationibus utuntur? Vide Cassian. Col. 8. cap. 19.

℣. 25. Jesus sciens cogitationes eorum, dixit, &c. Pharisæorum animos optime intelligens Jesus, refellit eo argumentorum genere, quæ *ad hominem* appellantur. Dat ultro, quin tamen probet, aliquod esse inter Dæmones genus Reipublicæ, ad mundi exitum usque perseveraturum. In ea vero Republica ordinem quemdam esse, quo illa regitur. His positis, colligit: Fieri non potest, ut respublica intestinis seditionibus dissidens diu perseveret, & ut Princeps, rerum suarum sollicitus, vires suas minuat, Ministrorum suorum manibus victorias ac prædas eripiens. Id enim tantumdem esset, ac si exercitum instrueret in Legatos suos, eosque cogeret hostibus reddere, quæ abstulerunt. Minime igitur fieri poterit, ut Dęmonum Princeps jubeat minores Dęmones ex occupatis corporibus facessere, atque adeo ut ego dęmones ejiciam Belsebubi nomine & authoritate.

At inquies fortasse, secretam inter me & Dęmonum Principem intercedere conventionem, qua is suarum etiam rerum detrimento mihi obtemperare cogatur; vel tacito quodam fœdere me cum illo esse conjunctum, ut dum illius imperium evertere videor, revera confirmem; veluti si Princeps aliquis parvo aliquo oppido cedat, ut Provinciam acquirat, vel aliquam exercitus partem cędi patiatur, ut ingentem victoriam ferat. Tale quippiam in re nostra non est. Ego quippe idcirco veni, ut everso dęmonis imperio, Dei Regnum instituam. Aperto illum bello ubique aggredior: ubique exuvias ex eo refero, nihil restituo. Meam religioni ipsius omnino contrariam instituere conor. Quicquid doceo aut dico, pœnitentiam sonat, animi conversionem, Dei charitatem & proximi. Id vero agens cur fœderis cum Dęmonum Principe accusor?

℣. 27. Si in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Alterum in Pharisæos argumentum. Si nemo ex vestris dæmones ejicit nomine Beelsebubi, cur me hujus impietatis arguitis? Cum vero dicturi non sitis, dæmones a filiis vestris, vestrisque adjuratoribus pelli nomine Beelsebubi, iniquum igitur est, ut illud mihi uni tribuatis. At non eadem ratione, inquies, dæmones pello, nullis adjurationibus, nullaque Dei Patriarcharum invocatione, aut nullius herbæ vel suffitus ope: igitur ne nomine Beelsebubi? Ubi nam aut quando tenebrarum Principem invocavi? Quo argumento meam cum Dæmone consuetudinem demonstratis? Si igitur, vobis assentientibus, ejici Dæmones possunt, minime interposita vi Beelsebubi; cur a me hac virtute pelli dicitis? Temere profecto, nulloque argumento.

Inter ejus ætatis Judæos, testibus Scriptura, Josepho, vetustisque Patribus, adjuratores erant, homines nimirum, qui artem ejiciendi dæmones adjurationum ope, invocato Deo Abrami, Isaaci & Israelis, & quarumdam herbarum odore, naribus hominum admoto, profitebantur. Docent Marcus & Lucas, non defuisse ex Judæis, qui invocato Jesu Christi nomine dæmones ejicerent. *Præceptor*, ajebant Apostoli (60), *vidimus quemdam*

(47) Luc. xxii. 53. (48) Joan. xii. 31. xiv. 30. xvi. 11. (49) 1. Cor. ii. 6. 8.
(50) Ephes. ii. 2. (51) Matth. iv. 8. 9. (52) Tobiæ iii. 8. (53) Patres, & Interp. & Theologi passim. (54) Gregor. Magn. lib. 1. moral. in Job, lib. 41 v. 13. 15. & 32. (55) Vide Lactant. lib. 2. cap. 15. de orig. erroris. (56) Vide Porphyr. apud Euseb. Præpar. lib. 4. cap. ult.
(57) Lucan. Pharsal. lib. 6. *Jam vos ego nomine vero Eliciam, &c.*
(58) Jamblic. de Myster. cap. 30. Μέγας ἐγγμένα τῇ ἀαμίσιος. (59) Matth. xxv. 41. (60) Marc. ix. 37. Luc. ix. 49.

dam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Septem filii Scevæ, Principis Sacerdotum, Judæi, cum dæmones ejicere Jesu Christi nomine ausi essent, malus Spiritus ait Act. 19. 14. *Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis?* Judæus quidam, Eleazar nomine, apud Josephum (18), dæmones ejiciebat annuli cujusdam ope, radicem quamdam continentis, quam invenisse Salomon dicebatur. Vix radicis odorem senserat energumenus, statim ruebat, illique adjurator imperabat, ne iterum malus hospes homini insideret. Meminere pariter S. Justinus (19), S. Irenæus (20), Origenes (21), Tertullianus (22) Judæorum, qui, invocato Abrahami Deo, ejici a se Dæmones gloriabantur, & revera interdum ejiciebant. Hos innuit Christus (23), ubi ait: *Filii vestri in quo ejiciunt?*

Plurimi tamen Patres (24) hic Apostolos interpretantur, ex Judæis ortos, fratresque ac filios eorum, quos ipse alloquebatur. Si Apostoli mei dæmones ejiciunt, & meo quidem nomine, non Beelsebubi: cur me damnatis, quasi Principis tenebrarum authoritate iis ejiciendis utar? Minor ne mihi virtus, quam Apostolis meis est? aut illi quidquam mei nomine agere possunt, quod ego meo ipsius nequeam? Denique, nonne longe major dæmone suum, cum ille audito dumtaxat Jesu nomine in fugam verti, & occupata corpora deserere cogatur? Ex universa Judæorum argumentatione colligimus, putasse Judæos, quoddam ordinis genus inter Dæmones esse, itaut minores majoribus pareant, quemadmodum inter Angelos usu venit.

Ipsi judices vestri erunt. Malæ fidei vos damnabunt Apostoli mei, sive ipsimet vestri adjuratores, suprema Judicii die: cum enim ipsi vim meam agnoscant, eaque ipsi utantur, ut Dæmones ejiciant, vos me veneficii arguitis, quodque Beelsebubi nomine utar curandis energumenis, criminamini.

℣. 28. Igitur pervenit in vos Regnum Dei. Si veris ego prodigiis clareo, si Dæmones ejicio Dei Spiritu, quo ego impleor, quemadmodum docui, sum igitur Messias. Omnino autem si dæmones Beelsebubi nomine non ejicio, certe Spiritus Sancti virtute, & *digito Dei*, uti ait Lucas xi. 20.

℣. 29. Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, &c. Parabolam recitat Christus, qua docet, nullum sibi esse fœdus cum Dæmone in iis quæ prodigiose agit. Sicut domui vim inferre velis, capiendus primum est custos, vinciendus, exutusque armis ita coercendus, ut repugnare nequeat. Mundi hujus Principem sese nuncupat Dæmon, illius aditum custodit, prohibens, nequis ingrediatur, bona opesque direpturus; ablaturus nimirum homines, quos ille inter errores, flagitia & superstitiones alit, suaque sub tyrannide oppressos detinet. Hostem hunc ego in ipsamet illius arce aggredior, & aufero quidquid habet pretiosissimum, nunc publicanum, nunc meretricem, inveteratum in vitiis hominem, aut alium exitio proximum. Sævissimo ubique bello illum urgeo: errores, mendacium, vindictam, avaritiam, impietatem, superstitionem insector. Ista ne fuerint consuetudinis & secreti fœderis cum dæmone argumenta?

Fortis armatus, apud Veteres is erat, quem *Atriensem* nuncupabant, fidus validusque servus, cui magnarum ædium liminis custodia credebatur. Hujusmodi erat Butes apud Virgil. Æneid. 9.

Antiquum in Buten: hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos,

Ubi Servius: *Æditaus fuit, quod in ingenti honore apud majores fuit. Illic enim & epulabantur, & Deos colebant; census etiam omnes illic servabant.* Porro *æditaus quasi a tuendis ædibus appellatur*, inquit Aulus Gellius (25). *Atriensis* etiam; unde Lucas xi. 21. *Cum fortis Armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.*

Servi erant *Atrienses*. *In magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur servi, sed tamen servi, ut Atrienses*, inquit Cicero Paradox. 5. His pecuniam credebant, iique magnarum familiarum dispensatores habebantur. *Atria, ubi & pecunias habebant; unde & qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur*, ait Servius in Æneid. 1. v. 730. In villis etiam custodes habebantur foriùm, vel atrii, quibus credita erat supellex (26). In Templo Jerosolymitano custodes foriùm erant Levitæ, thesaurorum etiam (27) auri, argenti, & annonæ custodes.

℣. 30. Qui non est mecum, contra me est: et qui non congregat mecum, spargit. Totus vel Christi sis opus est, vel illius adversariorum: incerto hærere non licet. Nisi Messias est Jesus, est igitur deceptor: nisi Dei Filius, omnino falsus Propheta est ac mendax. Si neutram in partem sententiam te non ferre dicas, novaque argumenta præstolari, effugium est inanissimum; nisi enim patrata ab ipso prodigia illius Divinitatem satis probant, nulla jam futura erunt, quæ ulli Religioni confirmandæ sufficiant. Nemo unquam majora, certiorave, aut plura vel gessit, vel gesturus est. Dicere audeo: Si Jesum pro Messia excipientes fallimur, Deus ipse nos fallit, qui hominem doli & impietatis plenissimum tot prodigiis clarere passus sit.

Patres nonnulli (28) verba hæc de diabolo interpretantur: *Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum, spargit*. Qui fieri potest, ut secreto fœdere jungar cum dæmone, cujus imperium evertere laboro? Qui vero is mihi faveat, cum nihil intentatum relinquat, ut Evangelii meorumque dogmatum progressus impediat? Simul ne & mecum erit, & mihi inimicus? Quemadmodum illius imperium ruere necesse est, si divisum sit; ita opus est, ut imperium meum expers sit seditionis. Nullum esse fœdus inter me & dæmonem posse, mox docui, neque meos inter & illius asseclas. *Qui non est mecum, contra me est*. Si partes meas sequuntur Apostoli ac Discipuli, opus omnino est, ut æque opponantur diaboli partibus, ut ego: quod si non opponuntur, mei non sunt.

Aliam protulit Jesus alio loco sententiam, huic, uti videtur, contrariam. Cum enim narrassent Apostoli, hominem esse, a suo cœtu alienum, qui Dæmones numine Jesu ejiceret, ab ipsis idcirco id facere prohibitum, respondit Jesus (29): *Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est*. Quibus verbis probare videtur neutrius partis homines, quos hic damnat. At Christi mentem luculentius explicat Marcus ix. 36. *Nolite prohibere eum; nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est*. Quamquam iste, prodigiis clarus, e nostris non est, minime tamen inde consequitur, illum mihi non credere: tametsi autem non credat, mihi contrarius non est, ac proinde dignus, quem non prohibeatis. Neque hic illud quæritur, credendum sit nec ne; utrum reddat quis Deo glo-

(18) Joseph. Antiqu. lib. 8. cap. 2. (19) Justin. Dialog. cum Tryphone. (20) Iren. l. 2. c. 5. (21) Orig. lib. 1. & 4. contra Cels. (22) Tertull. lib. 4. contra Marcion. (23) Bing. Grot. Ligfoot. Drus. alii plerique ex recentioribus. (24) Hilar. hic; Chrysost. Homil. 41. Hieron. Athanas. de communi essentia; August. Serm. 71. Author Oper. imperf. Hom. 29. Theophyl. Euthym. Maldon. (25) Aul. Gell. lib. xii. cap. 10. Vide Pignor. de servis, pag. 221. (26) Columel. lib. 12. cap. 3. (27) 1. Par. ix. 19. 22. 26. (28) Hilar. Chrysost. Hieron. Author. Oper. imperf. (29) Luc. ix. 50.

gloriam, perspectis virium illius argumentis, an diabolica penitus nequitia pessimoque livore illi repugnet: illud agitur, ne quis rei vel minime vel parum exploratæ resistat. Tametsi iste Jesu Christo minime crediderit, nihil erat quo impediretur ne crederet: atque hoc ipsum initium erat hujus cognitionis obtinendæ. At Pharisæi, quos opus erat persuasos esse Jesu Christi prodigiis & argumentis, nedum non credebant, verum etiam repugnabant, atque impia dicteria in Spiritum Sanctum evomebant: quamobrem rei efficiebantur, dignique ut de ipsis Christus dixerit: *Qui non est mecum, contra me est*; quippe quibus fas non esset aut quæ Christi erant ignorare, aut negligere.

℣. 31. Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, &c. Cum veneficii me arguere, atque a dæmone infessum dicere (30), & criminari, patrata a me prodigia authoritate Principis dæmonum fieri, non veteamini; moneo, hæc quæ impudentissime asseritis, flagitiosissima omnium esse, veniaque indignissima. Si ea quæ objicitis, me solummodo ferirent, aliquis fortasse locus excusationi & veniæ locus foret. Objici posset, incertum esse, utrum ego Dei filius sim aut Christus: at nonnisi pessima fide asseri potest, patrata a me prodigia nonnisi ex diaboli artibus oriri. Hoc porro in ipsum Spiritum Sanctum dicitur, adversus Dei digitum, hic adeo perspicuum, ut ignorari nequeat. Ea est hujus criminis natura, ut veniam non admittat; cum & in homine quæsitam sponte nequitiam & obdurationem indicet, & gratiæ sese opponat, atque insuperabiles ferme obices conversioni & veniæ peccatorum afferat, quippe quod Spiritum Sanctum irritat, ac virtuti gratiæ resistit. Nullæ penitus hostiæ, nulla sacrificia, nullæque lustrationes expiare id sceleris possunt: quicquid vero conere, ut veniam impetres homini, qui pessima hac mente obierit, in alterius vitæ solatium omnino inutile est. Scelus est nullo pacto, scilicet ægerrime, expiandum, tum ob ipsius gravitatem, tum ob difficillimam hujusmodi hominum pertinacissimorum conversionem. Vide nostram Dissertationem De peccato in Spiritum Sanctum.

℣. 33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, &c. Aut arborem bonam esse dicite, bonumque arboris fructum, &c. Aut me bonum esse concedite, si Dei virtute ago; aut esse deterrimum, si mala sont quæ a me aguntur: ex fructu enim arbor intelligitur (31). Veneficum me esse dicitis, a dæmone infessum, ac deceptorem. Talia ne, qualia ego facio, facturus est hujus naturæ homo? paria meis dogmata traditurus? similem meæ vivendi rationem, aut argumenta meis paria exhibituros? His verbis docet Christus, pessime argumentari Pharisæos.

Aliter (32): Si bonæ arbores haberi vultis, bonos fructus facite: ne incautos falsa pietatis specie decipiatis. Quod si malos fructus fertis, malas vos esse arbores fatemini. Favent huic explicationi ea quæ sequuntur, ℣. 34. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.*

Alii (33) ita interpretantur: Pelli a me dæmones Beelsebubi virtute dicitis: qui fieri potest, ut Beelsebub rem tam bonam præstet? Malos adeo & nequam Spiritus tam bonas res præstiturus est? Quamobrem si ea quæ facio bona esse dicendum est, igitur dæmonis virtute non fieri concedite.

℣. 34. Ex abundantia cordis (34) os loquitur. Hominis mens ex sermone cognoscitur. Mentiri ac dissimulare aliquandiu potest: at denique, si animum adverteris, quis ille sit, intelliges. Cautus adeo esse non potes, ut animus aliquando sermonibus non prodatur. Livore & simultate in Christum Pharisæi torquebantur: turpissimam hanc ægritudinem pro viribus dissimulabant; at ipse se prodebat animus. Idem hoc repetit proximo versiculo: *Bonus homo de bono thesauro profert bona* (35). Si bono animo essetis, invidia minime corrupto, sententias meas malam in partem non torqueretis, nec mea prodigia veneficii damnaretis.

℣. 36. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, &c. Verbum otiosum est, quod nulla utilitate audientis, aut loquentis necessitate profertur (36). Si verba etiam, quæ otiose homines loquuntur, damnat Deus; quantu severius in vos, qui mendacia & impia loquimini, animadvertet (37)? Scribit S. Chrysostomus, *otiosum verbum* hic a nonnullis usurpatum esse pro malo, scurrili, turpi, calumnioso. Ita explicavere Theophylactus, Euthymius, atque e recentioribus plurimi.

Hebraica vox (38), quæ vulgo redditur inanis, inutilis, sonat etiam falsum, mendacem, calumniatorem. Græci Codices nonnulli legunt hoc loco (39) *verbum malum* pro *otioso*; & Latini Scriptores optimi *inutilem* usurpant pro pernicioso (40). Malum civem Tullius & Titus Livius *civem inutilem* nuncupant. Horatius, *aurum inutile*, perniciosum. Scribit Vellejus Paterculus, Claudii cædem gestam esse *exemplo inutili*, pernicioso, *facto salutari*. Quamobrem, horum Interpretum sententia, hoc dicit Jesus. Si malos mendacesque sermones damnaturus est in Judicio Deus, vestris ne calumniis aut impiis sermonibus parcet? Luculentior est argumentatio a minori ad majus, si priori sensu pro *verbo inutili* usurpetur (41).

℣. 37. Ex verbis tuis justificaberis. Facta non excludit. Parem gestorum meritis referet gratiam Deus: at ne putetis, leviora esse verba, quam ut illorum ratio habenda sit. Unicum satis est verbum, ut damneris Dei judicio, vel absolvaris; tametsi nihil bene vel male gesseris, præter bonum malumve usum linguæ.

℣. 38. Magister, volumus a te signum videre. Qui prodigium a Christo hic postulant, alii fortasse sunt ab iis, quos acriter adeo arguit, quod sese veneficii accusaverint. Docet Lucas (42), aliquos e Pharisæis Jesum accusasse, quod Dæmones Beelsebubi virtute depelleret, alios vero illum tentasse, prodigium e Cœlo postulantes. Cum autem prioribus responderit, hisce alteris mox respondet. Asserit Origenes (43), Pharisæos, cum Dei Filium arguerent, quod dæmonis nomine ad patranda prodigia uteretur, censuisse, unicam hanc iniri posse rationem, ut illum probro afficerent, ejusque imbecillitatem palam exhiberent, si nimirum prodigium e Cœlo vel ex astris poscerent, in quæ nullum est Dæmonis imperium;

(30) Marc. III. 30. *Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.* (31) Ita Hilar. Chrysost. Euthym. Theoph. Hieron. alii Brug. Grot. &c. (32) Vide August. lib. 2. de Serm. Domini in monte, & lib. 2. contra litt. Petiliani, cap. 6. & alibi frequenter. Ita Maldonat. Menoch. alii. (33) Hieronym. Beda. (34) Ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ, *Ex redundantia cordis*; ex animo ita nequitiæ pleno, ut redundet. Chrysost. Τὸ γὰρ ἔξωθεν λεγόμενον τὸ περιττὸν ἐστι τοῦ ἔνδον. (35) Græcus legit: *De bono thesauro cordis*: at Codices bene multi non habent *cordis*. (36) Chrysost. Homil. 43. Hilar. hic; Origen. in Matth. tom. 14. Hieron. hic; Basil. Reg. brevior. interrog. 23. Ambros. in Psalm. XXXVIII. num. 5. & lib. 1. Offic. cap. 2. Gregor. Hom. 6. in Evang. & Moral. in Job, lib. 4. cap. 2. & lib. 7. cap. 17. Bed. in Matth. Bern. lib. 2. de Consider. alii passim. (37) Ita Patres & Interpretes pleríque omnes. (38) שוא *Schave*. Vide Exod. xx. Deut. xxx. 5. (39) Ῥῆμα πονηρὸν, pro Ῥῆμα ἀργὸν. Ita Stephani cod. 1. Selden. 4. Bodl. 12. Vechel. 3. Usser. 1. Deest ἀργὸν in Colbert. 5947. (40) Vide Hamm. hic, & Grog. (41) Brug. Maldon. alii. (42) Luc. XI. 16. (43) Origen. in Matth. XXI. tom. 12. p. 265. Edit. Huetii.

rium; quippe cujus authoritas omnis terræ vel aeris finibus continetur. Quid Rabbini veteres de dæmonum potestate senserint, ignoramus: quamobrem ferre sententiam non possumus, verum sit nec ne illud, quod illis vitio vertit Origenes.

Cæterum procul dubio est, certam fuisse Rabbinorum sententiam, dæmones imperium humi & in aere exercere: dæmon quippe *Princeps hujus mundi* (43), & *Rector potestatum aeris* (44) nuncupatur. Cœli nomine Hebræi aerem intelligebant: quamobrem si Jesus ignem e Cœlo eduxisset, uti olim Elias (45), vel tonitru, uti Samuel (46), vel manna, uti Moyses (47), suis quidem verbis victi fuissent Pharisæi, nec negare ausi fuissent, Jesum non exhibuisse prodigium, quod ipsi pro libito postulaverant. Cæterum, teste Scriptura, talia interdum prodigia dæmon ostendit, veluti cum ignem e Cœlo in Jobi greges (48) demisit, ejusque domos ventorum ac turbinis vi evertit (49), aut Moysis prodigia imitatus est in Ægypto. Igitur si hoc solum Pharisæi Jesum rogavere, nihil certe postulabant, quo penitus vincendi essent, aut Jesu vires superarentur, tametsi verum esset id quod falso ajebant, illum Beelsebubi nomine patrare prodigia.

Si vero ea erat illorum mens, ut prodigium ex astris postularent, illi simile, quo Josue solem ac lunam stare jussit (50), vel quo Isaias solis umbram in Achazi horologio retro convertit (51); dicendum fortasse est, minime illos credidisse, hæc veneficorum ac Dæmonum potestati esse obnoxia. Quid ea de re veteres Judæi senserint, ignoro. at omnino illud scio, gloriari Ethnicos consuevisse, sese carminibus sistere lunam & stellas posse, easque tenebris obducere, atque ad nutum morigeras habere (52). Quamobrem tametsi Christus morem gessisset, id validum adeo non fuisset, ut pertinaces atque incredulos Pharisæorum animos frangeret (1). Certissima prodigia, & superabilia Divinitatis suæ argumenta servabat Christus in Resurrectione, & reliquo post illam tempore exhibenda. Jonæ signum illis pollicetur, cui repugnare prorsus nequeant. Dæmon mortuos in vitam non revocat; & mortuus homo dæmoni non imperat. Ultimo hoc prodigio & argumento cætera & prodigia & argumenta confirmabantur.

℣. 39. Generatio mala et adultera; impurum genus & spurium, a fide Abrahami alienissimum. Filii infideles, a majorum fide & pietate degeneres.

℣. 40. Sicut fuit Jonas in ventre ceti. Clam pollicetur Judæis Christus, exhibiturum se reipsa, ubi resurrexerit, id, cujus figura fuerat Jonas, in ventre ceti triduo perseverans. Tres dies in sepulcro agam; quibus elapsis, in vitam restituar; quemadmodum Jonas in ventre ceti commoratus, deinde incolumis evasit. Totos tres dies ac noctes tres Jesus in sepulcro non egit, sed medicam feriæ sextæ partem, a tempore, quo illatus est in sepulcrum sub crepusculum, usque ad exordium Sabbathi, scilicet sub vesperam feriæ sextæ sabbathum versus; festos enim dies Hebræi a vespera ad vesperam metiebantur (2). Tota deinde nocte & die Sabbathi jacuit; & denique parte diei Dominicæ, ducto initio a vesperis Sabbathi Dominicam versus, usque ad noctis dimidium circiter. Similis huic locutio in Esther IV. 16. legitur ubi *tres dies tresque noctes* usurpantur pro noctibus duabus & die uno. De pisce qui Jonam vorarit, vide nostram Dissertationem.

℣. 41. Viri Ninivitæ surgent in judicio, Judæos accusabunt; vel suprema Judicii die adversus illos stabunt. Cum enim Judæi neque Joannem Baptistam neque Jesum audire voluerint, ipsi aures Jonæ præbuerunt, eoque monente pœnitentiam in sacco & cinere exercuerunt (3).

℣. 42. Regina Austri surget in judicio; Regina Saba, quæ provincia erat Arabiæ, sita ad meridiem Judææ, in ipsis terræ finibus: *Venit a finibus terræ*; scilicet in finibus terræ, quæ ex ea parte frequentabatur: quippe ultra illam erat Oceanus, Regina Saba, e suis sedibus profecta dumtaxat ut Salomonis sapientiam audiret, suprema Judicii die surget, ut Pharisæos & Scribas damnet, qui Jesum Salomone longe sapientiorem audire negligunt: *Ecce plusquam Salomon hic*. Jesus æterna est Sapientia, ex qua hausit Salomon suam, quæ tam celebre nomen ipsi peperit.

℣. 43. Cum autem immundus Spiritus exierit ab homine, &c. Vulgo putabant Judæi, dæmones ex hominibus pulsos in deserta loca & solitudines secedere. Ita Asmodæus dæmon, qui priores Saræ uxoris Tobiæ junioris viros occiderat, in superioris Ægypti solitudinem, veluti in exilium, actus est (4). Docent alii (5), solitudines a malis Spiritibus amari, illosque eo libentissime confugere. In remotissimis locis vel frigidissimis vel aridissimis habitant, inquit Psellus. Communis etiam vulgi persuasio est, inculta loca a dæmonibus occupari, ibique veneficorum cœtus agi. Probabilius mihi est, dæmones hominum societatem quærere, ut illos in scelera impellant, iisque noceant; ac tum denique in deserta fugere, cum victi repulsæ probrum solitudine celare coguntur. Judæos alloquebatur Christus, ex illorum sententia & persuasione.

Parabolæ hujus propositum illud est, ut Pharisæis ostendat, quemadmodum ii, qui dæmonis tyrannide liberantur ad tempus, in deteriorem priore conditionem labuntur, si malus Spiritus iterum illos possideat; ita Pharisæos, qui crassiora quædam flagitia vitabant, ac laudabile vitæ institutum specie tenus sectabantur, multo deterrima esse animi valetudine, ac multo maxime reos apud Deum effici infidelitate, contemptu, superbia, invidia, quam si, minori pietatis specie, bonam animo fidem atque humilitatem haberent, qua opus sibi esse pœnitentia, oblataque per Jesum gratia confiterentur (6).

Hoc quod Christus de Pharisæis docet, experientia ipsa verissimum esse demonstrat. Qui gravioribus vulgo criminibus abstinent, interdum in multo gravissima labuntur, quam cæteri, si ab itinere deflecti inceperint. Si superbiam, invidiam, aut alia crimina, quæ sola mente patrantur, admittant, multo majora detrimenta, majoremque resipiscendi difficultatem experiuntur, quam cæteri vulgaris conditionis homines, crassioribus vitiis occupati. Qui in sanctissimo vivendi instituto ad vitia deflectuntur, plerumque deteriores fiunt iis, qui mundi negotiis implicantur (7); quemadmodum res pretiosissimæ & eximiæ, ubi putruerint, maxime omnium fœtent. Si Pharisæi se peccatores esse agnovissent, nullo negotio illos curasset Jesus (8): *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Quia videmus: peccatum vestrum manet.*

Pa-

(43) Joan. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11. (44) Ephes. II. 2. (45) 3. Reg. XVIII. 38. & 4. Reg. I. 10. (46) 1. Reg. VII. 10. (47) Exod. VII. VIII. IX. &c. (48) Job I. 16. (49) Job I. 19. (50) Josue X. 12. (51) 4. Reg. XX. 9. 10. 11. (52) Horat. in Canidiam Epodon ode V.

Quæ sidera excantata voce Thessala,
Lunamque Cœlo deripit.

(1) Hieron. in hunc loc. (2) Levit. XXIII. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* (3) Jonæ III. 5. & sequ. (4) Tob. VIII. 3. (5) Grot. Beza, Camerar. Cnatchbul. (6) Vide Maldonat. (7) August. Ep. olim 137. nunc 78. num. 9. *Quomodo difficile expertus sum meliores, quam qui in Monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quam qui in Monasteriis ceciderunt.* (8) Joan. IX. 41.

Patres multi (9) hoc generice de Judæis interpretantur, quæ gens e communi quodammodo cæterorum hominum maledicto erepta fuerat. Dæmonis servitutem peculiari Numinis beneficio Judæi excusserant, cum reliquæ terrarum gentes illius tyrannidi obtemperarent. Post reditum e captivitate Babylonica, immundo superstitionis Spiritu, quo illorum majores sub Regibus Juda & Israelis vexati fuerant, liberati fuere. Priscas sedes acerrime, at frustra, recuperare nequissimus Spiritus conatus est, sub Antiocho Epiphane. Cum denique inutilem esse vim in eam rem intelligeret, animosque Judæorum virtutibus vacuos, quamquam Ethnicis superstitionibus liberos, Divinæque Legis cognitione, & veræ Religionis rituum apparatu ornatos, invenisset; septem alios spiritus se nequiores elegit, & Judæos, sub pietatis specie, in hypocrisim, superbiam, superstitionem, ac falsas Legis explicationes impulit: quamobtem superbia & præjudicatis opinionibus plenissimi, Jesum ejusque Evangelium rejecere. Hic porro illorum status erat, cum Christus ad illos verba faceret.

Post ea tempora, iterum Synagoga dæmoni, Principi hujus sæculi, in potestatem tradita est, multo sævissimum in illam imperium exercenti, quam vel ante Moysem consueverat. Non unus illam possidet dæmon, sed dæmonum legio. Jam non vulgarem idolorum cultum sequuntur Judæi, sed inanissima dogmata, innumeram superstitiosorum rituum multitudinem, stolidam cæcitatem, improbum animi sensum, cœlestium dogmatum fastidium, odium Jesu Christi ejusque doctrinæ, cujus unius ope e miserrimo hujusmodi statu emergere possent. Aptissima videtur hæc interpretatio.

Patres (10) tropice de Christianis explicant, qui accepta justitiæ gratia per Baptismum, iterum in crimen labuntur, seseque dæmoni tradunt, qui relictas animi illorum sedes iterum occupans, novum ibi domicilium ponit cum *septem dæmonibus*, majore scilicet quam antea dæmonum multitudine (11): *Tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur*, inquit Tertullianus.

℣. 46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus, &c. Foris expectabant, cum ingredi multitudinis causa non possent. Fratres Jesu Christi, de quibus hic, Mariæ filii non sunt, uti criminabatur Helvidius, qui illam, edito Jesu Christo, ex Josepho fœcundam fuisse docebat; sed filii Josephi, quem veteres ferme omnes Patres (12) altera ex uxore, ante Mariæ nuptias, filios procreasse arbitrantur; vel sobrini Jesu, ex Maria filia vel uxore Cleophæ, sorore Deiparæ; vel denique propinqui Jesu Christi, secundum carnem; fratris enim appellatio latissime accipitur in Scripturis. Plura de hac re dicemus infra XIII. 55. ubi iterum propinqui Jesu Christi leguntur.

Quæ vero itineris causa fuit Mariæ cæterisque Jesu Christi propinquis? *Sui exierunt tenere eum*, inquit Marcus (13); *dicebant enim, quia in furorem versus est*. Id tamen universe intelligendum non est, dicendumque, aliquos dumtaxat ex ipsius propinquis, minime illi credentes (14), hoc de Jesu existimasse. Neque enim hoc tribuendum est Mariæ Virgini, præter impietatis notam, cæterisque Jesu Christi propinquis, quorum sanctitas explorata est. Sunt qui censeant (15), hoc illos commentos esse, & furere Jesum dixisse, ut illum quovis modo convenirent, monerentque conspirationis Pharisæorum, in ejus perniciem conjuratorum. Putat Author Operis Imperfecti in Matthæum (16), dæmonem ipsum, veritum ne Jesus eos, quos alloquebatur, converteret, impulisse propinquos, ut illum a multitudine sevocarent. Tertullianus (17), Chrysostomus, & Theophylactus censuere, secretæ ambitionis causa hos venisse, ut sese maximi Prophetæ propinquos esse gloriarentur. Quis tamen hoc de Maria Virgine suspicetur? Talem ne ambitionem nedum hæc animo versaverit, sed iis accedere potuerit, qui talia meditarentur? Interpretes nonnulli (18) Græcum Marci reddunt: *Animi deliquium passus est*, vel pati periclitatur. Id verebantur Maria, cæterique Jesu Christi propinqui. Græcum verbum *existemi* in Novo Testamento passim usurpatur pro excessu gaudii, vel admirationis. Eo utitur Paulus (19), ut innuat sese excessisse, cum suas ipsius laudes Corinthiis narravit, vel nimio fervore se raptum esse, ea recitantem, quæ Dei causa gessisset. *Sive excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis*. Plerique tamen cum Vulgata consentiunt: In furorem versus est, mente excidit.

℣. 48. Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Hæretici quidam, veluti Marcionitæ & Manichæi, male hinc colligebant, veram non fuisse Jesu Christo carnem, nullosque ex hominibus propinquos (20). Ea porro est hujus responsionis sententia, negligendos esse propinquos & amicos, ubi de gloria & causa Dei agitur; auresque præbendas non esse carni & sanguini, ubi hæc nostris erga Deum officiis opponantur (21). Docet his verbis Christus, carnalibus propinquis & amicis præferre eos, qui sese audiunt, amant, sectantur (22). *Non injuriose refutantur parentes*, ait S. Ambrosius (23), *sed religiosiores copula mentium docentur esse, quam corporum*. Ita clamanti cuidam fœminæ (24), *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti*, respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Hinc multo beatissima est mater mea, quæ spiritu est, quam quæ solo est corpore (25).

(9) Hilar. & Hieron. & Beda, Auth. Oper. imperfect. hic. Vide & Grot. & alios. (10) Tertull. lib. de pœnitentia; Ambros. lib. 7. in Luc. Gregor. Nazianz. orat. 37. Greg. Magn. Pastoral. Curæ, pag. 3. admon. 31. &c. August. lib. 1. Quæst. in Matth. qu. 8. Author Oper. imperf. Homil. 31. (11) 1. Reg. II. 5. & Psalm. CXVIII. 124. Levit. XXVI. 24. Prov. XXIV. 16. Isai. XXX. 26. *Septem* pro *sæpe* usurpant. (12) Ita Græci PP. nonnulli ex Libb. apocryphis. Ita Hilar. in Matth. & Ambros. in Luc. lib. 7. de Instit. Virg. Epiphan. Hæres. 28. & 78. Origen. in Luc. Homil. 7. & in Matth. pag. 223. Edit. Huet. (13) Marc. III. 21. Ὅτι ἐξέστη. (14) Joan. VII. 5. (15) Maldon. Grot. in Marc. III. 21. & Casaubon. in Baron. (16) Author Oper. imperf. Hom. 31. (17) Tertull. lib. de Carne Christi; Chrysost. & Theophylact. hic. (18) Vide Grotium & nos in Marcum III. 21. (19) 2. Cor. V. 13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν. (20) Vide Hieron. & Chrysost. hic, & Epiph. Hæres. 42. (21) Hieron. hic; Erasm. Brug. Grot. Vide Luc. II. 49. Joan. II. 4. Matth. XVI. 23. (22) Maldon. hic. (23) Ambros. lib. VI. in Luc. n. 38. (24) Luc. XI. 27. 28. (25) Chrysost. Hom. 45. Beda in Luc. l. 4. c. 49.

C A-

CAPUT XIII.

Parabola de serente; optimo frumento & lolio; grano sinapis; fermento; thesauro abscondito in agro; mercatore quærente margaritas; retiuus quodlibet piscium genus colligentibus. Jesus in Synagogis. Scandalum Judæorum.

℣. 1. IN illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet; & omnis turba stabat in littore. 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit, qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. 5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6. Sole autem orto æstuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. 7. Alia autem ceciderunt in spinas: & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. 13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. 15. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. 16. Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & justi cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt. 18. Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit, quod seminatum est in corde ejus: hic est, qui secus viam seminatus est. 20. Qui autem super petrosa seminatus est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: 21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis, facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. 22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. 23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. 25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. 26. Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. 27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? 29. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. 30. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. 31. Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: 32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. 33. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis. 35. Ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. 36. Tunc, dimissis turbis, venit in

in domum: accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondens ait illi: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autem est mundus, Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. 39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus; Messis vero, consummatio sæculi est: Messores autem, angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. 41. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: 42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium. 43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum. 45. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. 46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. 47. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: 48. Quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. 49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum. 50. Et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus, & stridor dentium. 51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. 52. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera. 53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde. 54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes? 55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? 56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? 57. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Nonne est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. 58. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

℣. 1. EXIENS JESUS DE DOMO, SEDEBAT SECUS MARE. Cum antemeridianis horis ab audiente circum multitudine ita domi obsessus fuisset Jesus, ut ne cibi quidem sumendi tempus daretur Marc. 3. 20. pomeridiano demum tempore egressus, ad lacus oram profectus est. Eo pariter ingens multitudo convenit, visura simul & auditura. Cum autem commodus non esset in litore concionanti locus, multitudinis causa, qua undique premebatur, piscatoriam cymbam ascendit, pauloque longius a litore recedens, verba facere exorsus est.

℣. 3. LOCUTUS EST EIS MULTA IN PARABOLIS. Syrorum Judæorumque ingenio morem gerebat Christus, eo loquendi genere utens, inquit S. Hieronymus in Matth. c. 18. quamobrem sententias & proverbia in oratione miscebat. Horum quamplurima legimus capitibus quæ præcesserunt: at hic aliam viam instituit, & comparationes solummodo, exempla, interdum ænigmata multitudini proponens, quæ deinde non explicat; ut Isaiæ 6. 9. vaticinium impleatur: *Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis.* Hoc ipsemet Jesus docet infra, ℣. 14.

Hic docendi modus per comparationes & exempla, sublime quiddam & augustum habet in iis quæ ad religionem pertinent, uti & in iis quæ ad Philosophiam, jucunde animum movet atque occupat. Religionis suæ mysteria celabant Ethnici, tum quod illa aperire puderet, tum quod illud utilissimum esse censerent. Si veritatem palam exhibeas, ajebant (1) indoctis contemptus, sapientibus inertiæ occasionem præbes: at emblemata & fabulæ, quibus velatur Religio, contemptum evitant, & sapientes ad studium vocant. At revera ea non erat ipsorum mens, ut sapientiores mysteriorum fabularumque arcana scrutarentur, quippe illorum infamiam, falsitatem ac levitatem nullo negotio exploraturi. Aliud est veræ Religionis propositum, ubi ænigmata & ambages loquitur. Neque enim illud vult, ut vel imperiti illa non assequantur, vel sapientiores ad ea exploranda excitentur (2): sed arcana erat divinæ in Judæos justitiæ animadversio. Ingrata gens & pervicacissima meruerat, ut populum alibi quæreret Deus, quem amore & beneficiis prosequeretur. Æternis jam diu decretis constituta fuerat Judæorum damnatio. Horum fidem & obsequium periclitaturus, luculentas quasdam veritates illis aperuerat Deus, aliasque obscuriores exhibuerat. Hi utrasque spreverunt; rejectisque veritatibus, quæ luculentiores erant, obscuriorum cognitionem amisere, unde ipsorum salus & felicitas erat oritura. Promissus disertissime iis fuerat Messias; at subobscura erant indicia, quibus Messias agnoscendus esset: Messiam in Christo agnoscere recusantes, Messiæ indicia susdeque miscuerunt. Hoc illorum exitium fuit; idque longa flagitiorum & scelerum serie in sese provocaverant.

℣. 8. ALIUD CENTESIMUM. Insolita est hæc seminis multiplicatio: at præter fidem non est, teste Isaaco (3), qui jacto semine in agro Geraræ, centesimum retulit. Scribit Plinius lib. 18. c. 10. de tritico: *E modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii redduntur. Misit ex eo loco Divo Augusto procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadringenta paucis minus germina, extantque de ea re epistolæ. Misit & Neroni similiter CCCXL. stipulas ex uno grano. Cum centesimo quidem & Leontini* Si-

[1] Proclus. [2] August. lib. XII. contra Faust. cap. 7. *Ad exercitationem quærentis, & delectationem invenientis.* [3] Genes. XXVI. 12.

Siciliæ campi fundunt, aliique, & tota Bætica, & in primis Ægyptus.

℣. 9. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT. Sæpe utitur hac formula Christus, ut auditorum attentionem excitet, doceatque, animadversione dignissima esse quæ tradit (4). Eadem legitur in Deuteronomio XXIX. 14. & vulgaris fuisse inter Judæos videtur (5).

℣. 10. ACCEDENTES DISCIPULI, DIXERUNT, &c. Reverso domum Jesu, cum soli cum illo essent, hæc dixere Discipuli, teste Marco (6).

℣. 11. VOBIS DATUM EST NOSSE MYSTERIA REGNI CÆLORUM, &c. Spretas tam sæpe veritates nosse Judæos non vult Christus: Id vero largitur Apostolis, quod ii constantissima fide meruerant (7). Ita veteres quamplurimi, ac præsertim Græci explicavere. At S. Augustinus (8), & qui illum sequuntur, negatum hoc Judæis beneficium idcirco ajunt, quod improbati & exclusi fuerint. Cum vero certum satis non sit, utrum hoc loco de reprobatione vel prædestinatione ad beatitudinem agatur, nihil prohibet, quin putes, ingratas Judæorum mentes promeruisse, ut a Deo minime illustrarentur, quippe quæ indignissimas eo beneficio se reddiderant. Judas, cui sua mysteria Christus aperuerat, e reproborum numero erat, & in vas ignominiæ destinatus. Quis autem neget, aliquem fuisse ad gloriam electum ex iis, quos tunc Jesus mysteria sua nosse noluit? aut aliquem ex iis nomen dedisse Jesu Christo vel ante vel post Resurrectionem?

℣. 12. QUI ENIM HABET, DABITUR EI, &c. Nihil habenti revera nihil aufertur. At qui modicum possidet, nihil habere censetur; cui si modicum hoc auferas, aufers omnia (9). Fidei donum acceperant Apostoli: familiariter assidueque illos docuerat Christus, innumeris benevolentiæ argumentis cumulaverat, donis spiritualibus locupletes effecerat. Nova beneficia his opibus addit, largiturque ut parabolas intelligant, & cœlestis Regni mysteria illis expandit. Contra Judæi spiritualium donorum prorsus inopes erant, cognitionibus, fide, sapientia carebant. Leve aliquod jubar ex majorum lege illis supererat; & hoc ipsum illis aufert Jesus, eosque in improbo ipsorum sensu, suaque in cæcitate destituit (10).

℣. 13. VIDENTES NON VIDENT... (℣. 14.) ET ADIMPLETUR IN EIS PROPHETIA ISAIÆ, &c. Illos parabolis alloquor, ut incredulos, meorumque verborum contemptores puniam. Qui meas institutiones aspernati sunt, meaque prodigia veneficæ impietatis arguerunt, illos ego ita alloquar, ut non intelligant, meaque prodigia cernentes, illa non assequantur (11). Impletum in illis spectabitur id, quod Isaias ætatis suæ Judæis minitatus est, futurum scilicet, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, quippe quorum animos pertinacia, oculos cæcitas, & surditas aures occupavit.

Isaiæ verba paulo aliter recitat Matthæus, quam in Hebræo leguntur. Animadvertimus sæpe, illum sententias potius quam verba sectari. Ita vero fert Hebræus (12): *Vade, & dicito populo isti: Audiendo audite, & ne intelligatis: & videndo videte, neque cognoscatis. Crassum reddito cor populi hujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus claude, ne forte vel oculis suis videat, vel auribus suis audiat, vel corde intelligat, ne convertatur, & ne saluti restituatur*. Sequutus est hic Septuaginta Interpretes Matthæus, uti & Paulus in Actis 28. 26. Præcipere videtur Isaiæ Deus, ex Hebræo, ut populi animum obfirmet, prohibeatque ne intelligat aut videat. Hæc autem verba ita explicanda sunt, ut significent, Deum illi imperare, ut Judæis futura prædicat. Audietis nihil intelligentes, videbitis nihil cognoscentes: duro eritis animo, hebeti aure, oculis clausis. Neque convertemini, neque saluti restituemini. Dicuntur sæpe Prophetæ ea facere, quæ ipsi futura vaticinantur. Præsens Isaiæ vaticinium primo impletum est in Judæis ætate Isaiæ; iterum vivente Christo. Judæorum animos mentesque ita paratas reperit Christus, quemadmodum Isaias.

℣. 16. VESTRI AUTEM BEATI OCULI. Hæc porro est Apostolorum verorumque Fidelium felicitas, ut cœlestia videant, audiant, intelligant, assequantur, ament. Hi ceteris Veteris Testamenti Justis ac Prophetis in eo præstant, quod ipsis sese Dei Filius exhibuerit, verba non ambigue ad ipsos fecerit, vitamque & consuetudinem cum ipsis egerit. *Abraham exultavit ut videret diem meum*, adventum meum, inquit Christus Jo: 8. 56. *vidit & gavisus est*. At longe prospexit, solaque illius videndi spe gavisus est; nos vero *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, annunciamus*, ait Joannes Apostolus in 1. Ep. 1. 2.

℣. 19. VERBUM REGNI; Evangelii prædicationem, verbum, quo regnum Dei ejusque veritatis & Justitiæ venisse nunciatur. Vide *Matth.* III. 2.

℣. 20. CUM GAUDIO, auditæ veritatis amore & pulcritudine raptus. At statim perit alacritas, quippe nimium prompta & levis. (℣. 21.) *Non habet radicem*. Satis temporis non reliquit, ut Dei verbum radices ageret, ac fructum ferret: vix illud agnovit, statim obliviscitur, illudque relinquit: *Est temporalis*. Similis est iis stirpibus, quarum vita brevissima est, primo solis æstu exustis. *Temporalis*, πρόσκαιρος, hic opponitur *perenni*; stirps brevi cadens arbori diuturnæ, quæ neque æstatem, neque ventos, neque turbines neque hyemes timet.

℣. 21. CONTINUO SCANDALIZATUR. Si obviam veniat levissima quælibet pugna, siquod nullius momenti solatium relinquendum sit, siqua vis malis animi cupiditatibus sit adhibenda, statim is fugit, ac veritatem, quam alacri statim animo amplexus fuerat, derelinquit.

℣. 22. FALLACIA DIVITIARUM SUFFOCAT VERBUM. Non satis est, ut humus quæ semen excipit, optima sit ac fertilis, arata sit oportet. Si inculta relinquatur, quo fœcundior est ager, eo plures vepres, malasque herbas feret, quibus bonum semen opprimetur. Amplissima & acris mens, animus optime constitutus, eximium ingenium prorsus futura sunt inutilia, ut verbum vitæ fœcundum efficiant, si terrena secteris; negotiis & auri comparandi cupiditate animus occupetur; si ea aggrediaris, quæ omnem mentis sollicitudinem rapiunt. His quippe verbum vitæ opprimetur. Opes nuncupat *fallaciam divitiarum*; revera enim opes animum decipiunt, transversum agunt, sollicitosque sui amatores prorsus excæcant.

℣. 23. QUI VERO IN TERRAM BONAM SEMINATUS EST, HIC EST, &c. Plures in hoc Capite locutiones sunt subasperiores, & parabolæ subito intermissæ; quippe quas fusius explicari ipsa rei perspicuitas non patitur. Miscet hic Christus *terram bonam, quæ semen accipit*, cum eo qui Dei verbum

[4] Vide Hieronym. hic. [5] Matth. XI. 15. Apoc. II. 7. 11. 17. 29. III. 6. 13. 22. XIII. 9.
[6] Marc. IV. 10. *Cum esset singularis, interrogaverunt eum.* [7] Ita Hilar. Chrysost. Author Operis imperfecti, Beda, Theophyl. Euthym. [8] August. lib. de Prædest. SS. cap. 5. & 16. Lib. de Bono Perseverantiæ, cap. 8. 9. 11. Lib. de Gratia & libero arbitr. cap. 23. & lib. de Corrept. & Gratia, cap. 4. 6. 7. 8.
[9] Juvenal. Satyr. 3.

Nil habuit Codrus; quis enim negat? Et tamen illud
Perdidit infelix, totum nihil.

[10] Vide Hilar. & Hieron. in hunc loc. [11] Chrysost. hic. [12] Isai. VI. 9.

hum animo excipit; revera enim eadem utrobique res est. Eodem in solo, tametsi optimo, non eodem modo semina multiplicantur; varii enim sunt præstantiæ grados, multumque juvat agricolæ industria. Ita Dei verbum, animis exceptum, non eodem semper fructu germinat. Est qui centesimum ferat, qui sexagesimum, & qui trigesimum. Idem est semen, at non eadem ubique soli præstantia: aliud alio melius, aut ineptius.

S. Augustinus (13) centesimum Martyribus tribuit, virginibus sexagesimum, trigesimum nuptis. S. Hieronymus (14) centesimum iis qui continentiam profitentur, viduis sexagesimum, trigesimum denique iis, qui pudici conjugii legibus sancte obtemperant. Auctor Operis Imperfecti in Matthæum docet, centesimum deberi Martyribus; sexagesimum iis, qui omnibus sese abdicant, ut Christum sequantur; trigesimum iis, qui vulgari mandatorum observatione contenti sunt. Theophylactus in primo ordine Anachoretas collocat, in altero Cœnobitas, vel Religiosos homines in communi domo vitam agentes; in tertio conjuges.

℣. 24. Simile factum est Regnum Cœlorum homini, qui seminavit bonum semen, &c. *Regnum Cœlorum* hoc loco est Christi Ecclesia, vel Evangelica prædicatio, sive universe sacrum Divini verbi ministerium. Non omnes qui Evangelio serviunt, vel Apostolico munere funguntur, revera Apostoli sunt; neque omnes, qui Dei nomine verba faciunt, hos misit Deus; neque etiam quilibet Dei nomine vaticinantes, illius Spiritu implentur (15). *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident*, ait Ezechiel 13. 2. 17. Dei verbum serere audent Scribæ & Pharisæi; at pro bono semino lolium spargunt. Puram sinceramque veritatem ego & Apostoli spargimus. At Judæi, Hæretici, falsi fratres, omnesque diaboli ministri noctu veniunt, & inopinato malum semen bono miscent. Hoc Ecclesia & Synagoga quovis tempore passa est. Quam multas veri Prophetæ pugnas subiere? Quam innumeros expertus est adversarios Christus Legis Doctores, Scribas, & Pharisæos? Quanta in Ecclesiam mala intulere Hæretici & Novatores?

Zizania, seu lolium, herba est longis foliis, crassis, & pilosis, stipula exiliori quam triticum. Stipula spicam fert longam, modicis siliquis inæqualiter distinctam, quarum singulæ tria vel quatuor grana continent simul coacervata, induta pertinaci quadam lanugine, quæ difficile excutitur. Panis multo lolio mistus ebrietatem quamdam, stuporem, & capitis tremorem parit. Lolii folium plane aliud est a tritici folio: at potissimum a tritico secernitur lolium, ubi adoleverit, & florere inceperit. Narrat hic Jesus, servos patrisfamilias, cum nullam fraudem vererentur, invento in agro domini lolio miratos esse, ubi spicas edidit lolium. Poterant hi lolium antea secernere, si animum advertissent. Ita solent sæpe in Ecclesia error & novorum dogmatum pernicies tum denique agnosci, cum fructum tulere, & altiores egere radices, quam ut facile evelli queant. Fervent servi patrisfamilias, optantque lolium a tritico secernere. At expectanda est messis, supremaque Judicii dies; quo tempore ipse paterfamilias optime utrumque sejunget. Vindictæ dies passim in Scriptura sub messis figura significatur (16).

Nunquam non mistum erit cum bono semine lolium in Ecclesia, pii cum impiis, reprobi cum Electis, donec illos segreget Deus (17). Sollicita Pastorum cura interdum eos ab Ecclesia ejicit, quos flagitia dignos anathemate reddiderunt. At cavent, ne hæc malorum exclusio seditiones in Ecclesia pariat: *Fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est*, inquit S. Augustinus (18). Reos enim corrigere debet severitas, non extirpare. Ubi vero crimen adeo perspicuum est, publicum & odiosum, ut nullum sit seditionis discrimen, nullumque tritico periculum immineat, opus est expergiscatur Ministrorum ardor, & salvo charitatis officio, promenda est disciplinæ severitas, ut malum corrigatur. *Non dormiat severitas disciplinæ, in quo tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conversatio charitatis.*

℣. 31. Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis. Christiana Religio, & Evangelii prædicatio, quæ *Regni Cœlorum* appellatione significantur, similes sunt grano sinapis; cum enim initio imbecilles, obscuræ ac minimæ essent, illustres deinde, amplissimæ & notissimæ fuerunt; idque tam rapido cursu consecutæ sunt, ut paucarum ætatum spatio cæteras ferme omnes Religiones aboleverint. *Volucres cœli venerunt, & habitaverunt in ramis ejus*; terrarum Principes, Reges, Philosophi, Sapientes in Ecclesiam confluxere, ejusque sub umbra quievere, & fructus carpserunt.

℣. 32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus. Sinapis semen revera minimum omnium non est: paria his sunt, & multo etiam minora, ex quibus maximæ arbores proveniunt, veluti abies, papaverum semina, rutæ, & alia. In vulgaribus hujusmodi comparationibus philosophica religio non quæritur: satis est, minimum esse sinapis semen, ut ita cum populo agere Jesus merito debeat.

Et fit arbor. In calidissimis uberrimisque regionibus stirpes ipsæ altius proveniunt, quam apud nos. Mira profecto narrant hac de re Itineraria. Tradunt Talmudim Jerosolymitanum & Babylonicum (19), fuisse Simoni cuidam sinapis arborem, proceram adeo & validam, ut inscendi ab homine posset absque discrimine. Alia fuisse fertur sinapis arbor, tres in ramos divisa, quorum unus singulos aliquot labori operam navantes sub umbra per æstatem protegebat; idemque tres cados jusculi e sinapi exhibuit. Porro id præter fidem nemini esse debet, cum Josephus l. 7. de Bel. c. 25. quamdam rutæ arborem descripserit, in arce Machæruntis natam, prodigiosæ adeo magnitudinis, ut ficum ejus regionis æquaret. Diuturno plurium annorum spatio hæc arbor stetit, supremo denique Judæorum bello cæsa. Asserit Montfauconius in Diar. Ital. c. 7. visam a se Ravennæ in Italia rosæ plantam, patulis adeo ramis, ut homines quadragenos umbra protegeret. Aliud quidem illud est plantæ genus: at valido satis est argumento, variam cœli naturam magnopere conferre, ut plantarum arborumque magnitudinem augeat minuatve.

℣. 33. Simile est Regnum Cœlorum fermento, &c. Eadem est hujus atque superioris significatio. Evangelium & Christiana Religio, humillimis initiis, miras sensim conversiones peperere. Mutati perspicue mores, eversa ferme superstitio, Lex Moysis numeris omnibus absoluta, correctæ Ethnicorum consuetudines, fractum vel abolitum dæmonis Regnum.

In farinæ satis tribus. *Satum*, vel *seah*, ex Hebræo, est tertia pars *bathi*, seu *ephæ*, continetque pintas ferme decem: quamobrem *tria sata* idem sunt atque *epha*, scilicet pintæ fere triginta. Epha unius costuræ mensura fuisse videtur. Tria sata coxit Abraham, ut Angelos tres peregrinos convivio exciperet (20). Totidem Gedeon, cum cibos exhibito sibi per visum Angelo pararet (21). Anna Samuelis mater epha unum,

[13] Aug. l. 1. Quæst. in Evang. cap. 9. [14] Hieron. hic, & lib. contra Jovinian. & ad Pammach. & Athanas. Ep. ad Ammon. Monach. [15] Jerem. xiv. 14. 15. 18. xxiii. 25. xxvii. 10. 14. xxix. 9. Isai. xix. 13. [16] Vide Joel. iii. 13. Apoc. xiv. 15. [17] Vide Chrysost. & Hieron. hic, Aug. lib. 3. contra Parmenian. cap. 3. [18] August. loco citato. [19] Talmud Jerosolym. cap. 7. Peach; & Talmud Babyl. cap. Chetub. [20] Genes. xviii. 6. [21] Josue vi. 19.

vel tria farinæ seah ad Tabernaculum detulit, cum puerum Samuelem Domino sisteret (22).

℣. 34. SINE PARABOLIS. Nihil nisi per parabolas tunc populum docuit, inquit S. Chrysostomus.

℣. 35. UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER PROPHETAM, DICENTEM: APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM. Animadvertit S. Hieronymus hic quampluribus in libris legi: *Quod dictum erat per Isaiam Prophetam*. Idem notat Commentariorum Scriptor in Psalmos (23), sub Hieronymi nomine falso latens. Hanc animadversionem ferunt etiam Catena Græcorum Patrum in Psalmum 77. & Eusebius (24). Res adeo vulgata erat, ut Porphyrius Christianis objecerit Matthæi inscitiam, qui Isaiam in Evangelio falso recitaverit. Profecto verba hic recitata Isaiæ non sunt, sed Psalmi LXXVII. Cæterum vix unus occurrit Matthæi liber, *apud quem Isaiæ nomen legatur; quique varias in Evangelia lectiones studiosissime colligunt, unius tantummodo meminere (25). Hieronymus, Hieronymiaster, & Eusebius putant, scriptum primo ab Evangelista fuisse: *Quod dictum est per Asaph Prophetam*, revera authorem Psalmi, ex quo hic locus ducitur; librarios vero, cum Asaphum hunc ignorarent, Isaiam substituisse: labente deinde tempore, eruditos, qui hæc non dixisse Isaiam norant, ejus nomine e libris sapientissime eraso, reliquisse, *Quod dictum est per Prophetam*, Prophetæ nomine non indicato.

ERUCTABO ABSCONDITA, &c. Evangelii mysteria, salutis dogmata res sunt a mundi exordio, vel tota æternitate absconditæ, post Jesu Christi ortum denique vulgatæ. Ita de Evangelicis institutionibus agunt Apostoli. Vide *Rom.* XVI. 26. *Coloss.* I. 27. 28. I. *Cor.* XI. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, &c.*

℣. 38. BONUM SEMEN, HI SUNT FILII REGNI. Supplendum aliquid huic explicationi est, quæ brevior æquo & contractior videtur. Paterfamilias bonum semen serens est Dei Filius, ejusque Ministri, Inimicus malum semen spargens, diabolus est ejusque subditi, hæretici, schismatici, Novatores. Bonum semen bona dogmata sunt, quibus *Filii Regni* nutriuntur, veri scilicet Fideles, qui Ecclesiam & Dei Filium constantissime sectantur. Malum semen mala sunt instituta Hæreticorum, falsorumque Doctorum, ab iis qui errores, nequitiam & licentiam amant, tradita, atque a filiis iniquitatis, ab impiis, & ab amatoribus sæculi accepta.

℣. 41. COLLIGENT DE REGNO EJUS OMNIA SCANDALA. Suprema Judicii die universos undique impios, hæreticos, malosque homines, qui cæteros vel pessimis vitæ exemplis, vel perniciosis sermonibus in flagitia impulere, colligent Angeli, eosque in infernum præcipites dabunt, ut scelerum pœnas luant.

℣. 42. IN CAMINUM IGNIS. Pergit comparatio malæ arboris, quæ evulsa ignis dumtaxat ac fornacis usui est. Palæstini agrestibus herbis ac stirpibus vulgo utuntur, ut ignem excitent (26). Maldonatus (27) se vidisse in Hispania testatur, qui ingentes furnos loco lignorum sinapi calefacerent. Eadem est Ægyptiis aliisque gentibus consuetudo.

℣. 44. SIMILE EST REGNUM COELORUM THESAURO ABSCONDITO IN AGRO. Thesaurus, de quo hic locus, doctrina est Evangelica, scientia Regni Dei (28), Jesu Christi cognitio (29). Porro hæc thesaurus est pretium omne superans, fortunarum omnium dispendio emendus, sive hæ illius quærendi, sive servandi gratia prodigendæ sint. Docet Christus, repertum thesaurum ab inveniente abscondi, non invidiæ causa, nequis alter eo fruatur, sed prudentiæ, ne illum inimicus eripiat. Qui conversionem meditatur, huic omnia timenda sunt, mundus, diabolus, amici, inimici. Error, terrores, minæ, & mundi blanditiæ laquei sunt undique parati, ab homine sapiente vitandi. Apud Syros, agri dominus conditos etiam ibi thesauros acquirebat, quemadmodum & idem hic locus, & res a Philostrato lib. c. 16. narratæ testantur. Apud alias gentes, thesauri proprietas plerumque Principi erat (30); vel ex dimidio ad eum qui thesaurum invenisset, ex altero ad agri dominum pertinebat (31).

Parabola, ℣. 44. recitata, ea iis non est, quas Jesus in navigio sedens proposuit; vel saltem hanc cum cæteris supra narratis Evangelista non tradidit: quis enim asserat, Matthæum omnia prorsus scripsisse, quæ Christus eo tempore docuit?

℣. 46. INVENTA UNA PRETIOSA, &c. Censendus est Mercator, margaritam minimo pretio invenisse, & ingentis lucri spe omnia distraxisse, ut illam emeret. Porro margarita est Evangelii scientia, & cœleste Regnum, quod promittitur. Et minimo certe pretio ingens adeo thesaurus comparatur, si quicquid in mundo habes, vel speras, illius comparandi causa relinquas (32). Vide *Philipp.* III. 7. 8.

℣. 47. SIMILE EST REGNUM COELORUM SAGENÆ, &c. Mare sæculi figura est, boni malique pisces sagena clausi, bonos malosque Christianos in Ecclesia collectos significant. *Boni tolerant malos, donec in fine separentur*, inquit S. Augustinus (33).

℣. 52. IDEO OMNIS SCRIBA DOCTUS IN REGNO COELORUM, &c. Hæc particula, *ideo*, negotium Interpretibus facit, quorum alii (34) cum superioribus ita conjungunt. Intelligitis jam, quid his verbis voluerim: *ideo* necesse est similes sitis peritissimis Doctoribus, quibus absoluta est veteris novæque Legis scientia; paratis semper de Regno Cœlorum agere, aptisque fidem suam tueri, & veritatis hostes profligare (35). S. Augustinus (36) aliique ita interpretantur: Didicistis mox, Cœlorum Regnum simile esse thesauro abscondito in agro: quamobrem opus esse moneo, ut Doctor quilibet satis peritus similis sit locupleti patri familias, paratos semper vetera & nova producere: cui dives est penus vino, frumento, vestibus.

Probabilius alii (37) censent, *ideo* hic abundare, & tantumdem esse, ac si dicat: *Insuper, simile est Regnum Cœlorum diviti patrifamilias, proferenti e thesauro suo nova & vetera. Thesaurus* Hebraice usurpatur non modo pro auri & argenti ac similium collectione, verum etiam rerum edulium, veluti pomorum, tritici, vini, olei, rerumque alterius generis, uti vellium, supellectilis, &c. (38) Locuples paterfamilias educere omnia potest ex horreis suis, vel thesauris, aurum, argentum, annonam, &c. *Vetera & nova* significant rerum omnium copiam, res diu & magno numero conditas, ita ut eligi ex multis queant. Vide *Cantic.* VII. 13.

Apostoli & Ecclesiæ Doctores id præstent in Ecclesia opus est, quod herus in familia; quod-
que

[22] I. Reg. I. 24. [23] Hieronymiaster in Psalm. LXXVII. [24] Euseb. ibidem. [25] Vide Var. Lect. Mill. in hunc ℣. [26] Vide supra, Matth. VI. 30. [27] Maldon. in ℣. 32. hujus capitis. [28] Vide August. lib. 5. Quæst. Evangel. cap. 13. Ambros. in Psalm. CXVIII. Serm. 2. Euthym. Theophyl. Beda, Greg. Magn. Homil. XI. in Evangel. [29] Irenæus lib. 4. cap. 43. Hilar. hic, Hieronym. alii. [30] Vide Grot. de Jure Belli & Pacis, lib. 2. cap. 8. art. 7. & in hunc loc. [31] Vide Schmid. hic. [32] Gregor. Magn. Homil. XI. in Evangel. Basil. Regul. Fus. disput. qu. 8. [33] August. Serm. 362. alias 121. de Diversis. Vide Gregor. Hom. XI. in Evangel. [34] Natal. Alex. Brug. [35] Tit. I. 9. [36] Augustin. Quæst. in Matth. cap. 16. Maldonat. hic, Menoch. [37] Euthym. Pricæus, alii. [38] Vide Levit. XXVI. 10.

que hic privatis familiæ bonis, id illi spiritualibus thesauris agant. Divinæ Legis consultissimi esse debent, ingentemque cognitionum copiam colligere tum veterum tum novarum, tum quæ ad sacra, tum quæ ad profana pertinent. Legem præsertim ac Prophetas calleant necesse est, omnes illorum sensus noverint, explorata habeant mysteria: nimirum qua in re Evangelium a Christo nunciatum a Lege per Moysem lata differat: utriusque Legis officia simul conferant, ac veterem in nova expletam absolutamque demonstrent. Hoc voluere Patres (39), cum dicunt, Jesum monuisse Apostolos, ut veteris & novi Testamenti arcana scrutarentur, & palam traderent. Noverant illi quidem, Novi Testamenti libros ea ætate nondum scriptos fuisse: at illius regulas & instituta in ipsis Jesu Christi sermonibus gestisque explorare unquam cessabant.

ŷ. 54. Veniens in patriam suam, &c. Natalis Jesu Christi locus erat Bethlehem; Nazarethæ adolevit; Capharnai domicilium posuit: quamobrem triplex quodammodo patria illi fuit. Hic tamen sermo esse creditur de Nazareth, cum præsertim scribat Lucas iv. 16. *Venit Nazareth, ubi erat nutritus.*

Docebat eos in Synagogis. Græcus singulari numero legit (40): *In Synagoga eorum*. Plures Nazarethæ, oppido obscurissimo, Synagogæ fuisse non videntur.

Unde huic sapientia hæc? Nihil hac civium Jesu Christi admiratione luculentius, quo sapientia illius, patrandorumque prodigiorum potestas divinitus tradita demonstretur. Hi illius adolescentiæ institutionem & occupationes noverant: nota erat familia, noti consanguinei. Colligendum igitur erat, sapientiam ex dono Dei esse, Jesum esse Prophetam sive Messiam. At contra, inquit Evangelista, infra ŷ. 57. *scandalizabantur in ea;* quasi id præstigiorum aut veneficii vi gereretur.

ŷ. 55. Nonne hic est filius fabri? Græca vox vox (41) quodlibet fabri genus significat, vulgo tamen lignarius fuisse creditur. Consentiunt Author Operis Imperfecti (42), Syrus, Arabs, S. Thomas, & recentiores innumeri. Rogatus a Libanio Sophista Christianus quidam, quid faceret fabri filius, Jesus, Arcam, inquit, ligneam in mortem parat Juliano (43). In apocrypho Evangelio de Infantia Jesu Christi prodigium legitur ab ipso editum in patris officina, qui lignarius faber erat. Dicitur etiam hanc artem exercuisse Christus cum Josepho. Scribit Marcus (44), Nazarethæ cives invicem rogasse stupentes: *Nonne hic est faber?* lignarius scilicet. Tradit S. Justinus Martyr (45), Jesum cum Josepho juga & aratra confecisse. Jesus, authore S. Ambrosio (46), cædendis secandisque arboribus, struendis domibus, aliisque similibus operam navabat. Idem tamen eodem loco meminit instrumentorum fecturis, quibus ille utebatur; idque ex Theophylacto Antiocheno didicit.

Inter eos, qui senserunt Josephum lignariam exercuisse, addere licet Sanctum Fructuosum in sua secunda Regula cap. 9. Vicissim S. Isidorus, cap. 10. Regulæ, fabrum ferrarium censuit, uti & Beda ac S. Hilarius.

Alii ajunt, secarium fuisse vel ferrarium fabrum, veluti S. Hilarius (47), S. Petrus Chrysologus (48), Beda Venerabilis (49). Hoc ipsum traditur Hebraico Evangelio per Tillium vulgato. Certat Origenes (50), nullibi omnino legi, Christum fuisse fabrum lignarium. Id quidem verissime: at negare non poterit, quin is artem aliquam exercuerit, quemadmodum Josephus (51), cum disertissimis verbis id Marcus tradiderit: *Nonne hic est faber?* Quamvis autem putet S. Augustinus (52), hanc Jesu Christo appellationem accessisse ex patris arte, ipse tamen eamdem exercuisse vulgo creditur. Hugo Cardinalis (53) aurificem fuisse arbitratur; neque damnat eos, qui cæmentarium fabrum faciunt. Cornelius a Lapide quemdam S. Augustini sermonem laudat, ubi Jesus faber cæmentarius fuisse, & domos struxisse dicitur. At neque hic sermo S. Augustini est, neque in nova Editione recensetur.

Nonne mater ejus dicitur Maria? Superstes tunc non fuisse creditur Josephus, cum nulla hic illius ceu viventis mentio fiat; idemque post inventum a Maria Jesum in Templo, nuspiam nominetur. Cum Jesus e cruce penderet, omnino inter vivos non erat; viduam enim matrem Christus dilecto Discipulo commendavit. Celsus (54) probro vertebat Christianis, quod Jesu Christi mater vilis esset fœmina, victum labore quærens.

Et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas? Quem hic Vulgata *Josephum*, Græci codices plerique Matthæi (55) & Marci (56) nuncupant *Josen*. Alibi *Joannes* appellatur. *Jacobus* is est, quem Ecclesia *Jacobum minorem*, Episcopum Jerosolymitanum, dicit; filius Mariæ, uxoris Cleophæ sive Alphæi, Jesu Christi sobrinus ex matre, quæ Deiparæ soror fuisse traditur (57). Sunt (58) qui Josephi filium faciunt ex prima uxore, ante Mariam Jesu Matrem, nomine *Escha*, liberis fœcunda, qui deinde *fratres Jesu Christi in* Evangelio nuncupantur. E prima uxore sex retulisse liberos Josephum, ajebant Ebionitæ, nimirum mares quatuor, *Jacobum, Josephum, Simonem* & *Judam*; & filias duas, *Estherem*, ac *Thamarem*, aliter *Mariam*, & *Salomen*. Sententiam hanc, ex apocryphis libris, qui vulgo Petro aut Jacobo Apostolis tribuebantur, erutam, Græci Latinique Patres permulti (59) sequuti sunt. Putat Theophylactus, fratres Jesu Christi esse liberos, a Josepho procreatos ex vidua Cleophæ fratris sui uxore, absque liberis mortuo, cujus viduam ipse ducere ex Legis sanctione tenebatur.

At qui Jacobum cæterosque fratres Domini ajunt fuisse Josephi liberos ex Maria Deiparæ sorore, ea loquuntur, quæ omnino defendi nequeunt (60); nisi asseras, utramque sororem duxisse Josephum, simulque apud se habuisse: id quod prorsus absurdum est. Colligitur hoc ex ipsomet Evangelio, quo docente discimus, Mariam Jacobi & Josephi matrem adhuc fuisse superstitem, quo tempore Christi Passio peragebatur (61). Necesse igitur est, ut diu ante Mariam matrem Jesu al-

(39) Hilar. Chrysost. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. in hunc loc. August. lib. Quæstion. in Matth. c. 16. (40) Ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν. (41) Οὐκ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός. (42) Author Operis imperfecti, ŷ. 15. Homil. 1. in Matth. (43) Theodoret. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 12. Sozomen lib. 6. c. 2. Hist. Eccles. Οὗτος δὲ ὁ τέκτονος υἱὸς θήκην αὐτῷ ξυλίνην πρὸς θάνατον κατασκευάζει. (44) Marc. vi. 3. (45) Justin. Dialog. cum Tryphone. (46) Ambros. in Luc. lib. 3. num. 2. pag. 1314. nov. Edit. ea Theophyl. Antioch. in hunc Matth. locum. (47) Hilar. in Matth. (48) Chrysolog. Serm. 48. (49) Beda in Marc cap. 6. (50) Origen. contra Cels. lib. 6. (51) Lyran. Maldon. Grot. alii. (52) August. lib. de Consensu Evangel. cap 42. (53) Hugo Cardinal. in Marc. vi. (54) Vide apud Origen. lib 6. contra Cels. (55) Vide Mill. Var. Lect. hic. (56) Marc. vi. 3. in Græco, Ἰωσῆ, Vulg. Joseph. Alii Ἰωσῆτος, Josetus hic, & Marc. xv. 40. (57) Vide Hieron. Ep. 150. Theodoret. ad Galat. 1. Chrysost. alios. (58) Epiphan. hæres. 28. & 78. (59) Hieronym. in Matth. xii. & in Helvid. cap. 9. Nicephor. lib. 2. cap. 3. Hilar. in Matth. 1. Nyssen. Homil. de Resurrect. Ambros. instit. Virg. cap. 6. Ambrosiaster ad Galat. 1. Origen. in Matth. xiii. (60) Vide Tillemont, note 3. sur saint Jacques le Mineur. (61) Matth. xxvii. 56. Marc. xv. 40. 47. Luc. xxiv. 10.

teram Mariam duxerit, quemadmodum ex sententia, quam impugnamus, sponte oritur; atque eodem tempore uxores habuerit Mariam Jacobi matrem, & Mariam Deiparam, easque ad obitum usque detinuerit, repugnante Levitico, XVIII. 18. Probabilius multo est, hos, qui fratres Jesu nominantur, sobrinos fuisse, ex Matre sorore Deiparæ, uxore Cleophæ vel Alphæi. Nihil enim omnino prohibet, quin plures fuerint liberi Annæ & Joachimo, ante vel post Deiparam orti. Servatam esse a Josepho virginitatem toto vitæ curriculo, ajunt S. Hieronym. (62) & sententiam, quam nunc rejecimus, damnat ac rejicit S. Hieron. (63).

Judas, de quo hic, pater fortasse est, vel avus *posterorum Judæ*, quos Domitianus ad se postulavit teste Eusebio (64).

℣. 57. Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Ita comparati sumus, ut minoris æstimemus ea, quæ quotidie ob oculos & in potestate sunt, quam aliena & remotiora. Jonam audivere Ninivitæ; Domini Prophetis Israelitæ aures non præbuere. Ea pretiosa sunt, quæ rara; multoque melius est quod quæritur, quam quod habetur. Philosophis omnibus vita difficilis est in patria, ajebat Aristides (65).

℣. 58. Non fecit ibi virtutes multas; indignos quippe sese reddiderant ejus beneficii cives. Aliquot dumtaxat ægros curavit Marc. 6. 5. quorum etiam non multos exhibuere, cum in ea urbe minime illi crederent.

(62) Hieronym. in Helvid. cap. 9. Petr. Damian. Opuscul. 17. cap. 1. (63) Hieron. in Matth. XII. in Helvid. cap. 9. (64) Euseb. Hist. Eccles. Vide not. Valesii, & Scaligeri in Euseb. pag. 188. (65) Aristid. apud Grot. hic.

C A P U T XIV.

Herodes Joannem Baptistam capite minuit. Quinque hominum millia panibus quinque & duobus piscibus pascit Jesus. Procella in lacu Genesareth. Jesus sicco pede aquas calcat: idque imitari aggrediens Petrus, mergitur, & a Jesu sustinetur. Christi iter in regionem Genesar.

℣. 1. IN illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu: 2. Et ait pueris
suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes
operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & posuit in
carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi Joannes:
Non licet tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum, quia
sicut prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis
in medio, & placuit Herodi. 7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare,
quodcumque postulasset ab eo. 8. At illa præmonita a matre sua, Da mihi inquit,
hic in disco caput Joannis Baptistæ. 9. Et contristatus est rex: propter juramentum
autem, & eos, qui pariter recumbebant, jussit dari. 10. Misitque & decollavit
Joannem in carcere. 11. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ,
& attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt
illud; & venientes nuntiaverunt Jesu. 13. Quod cum audisset Jesus, secessit
inde in navicula, in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ
sunt eum pedestres de civitatibus. 14. Et exiens vidit turbam multam, & misertus
est eis, & curavit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum
discipuli ejus, dicentes; Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas,
ut euntes in castella, emant sibi escas. 16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse
ire: date illis vos manducare. 17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi
quinque panes & duos pisces. 18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. 19. Et
cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus
piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli
autem turbis. 20. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias,
duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus,
quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis. 22. Et statim compulit
Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret
turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem
facto solus erat ibi. 24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus:
erat enim contrarius ventus. 25. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans
super mare. 26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes;
Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt. 27. Statimque Jesus locutus
est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum: nolite timere: 28. Respondens autem
Petrus dixit: Domine: si tu es, jube me ad te venire super aquas. 29. At
ipse

ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. 30. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine salvum me fac. 31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? 32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. 33. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. 34. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. 35. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes. 36. Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

℣. 1. IN ILLO TEMPORE AUDIVIT HERODES TETRARCHA FAMAM JESU. Mirum, nihil hactenus e prodigiis Jesu Christi Herodem intellexisse, tametsi Judæa universa, & præsertim Galilæa, ubi is regnabat, fama prodigiorum ipsius undique resonaret. At hujus ingenii homines nihil curant præter ea, quæ voluptati & ambitioni serviunt: quæ vero ad religionem pertinent, ineptias existimant se indignas, & imperitæ plebi relinquunt. Herodes hic is est, quem Josephus *Antipam* nuncupat, magni Herodis ex Cleopatra filius. Aliquot antea mensibus, quam hæc gererentur, Joannem Baptistam necaverat, scilicet antequam Apostoli e legatione sua reverterentur; qua de re actum est supra, Capite X. *Tetrarcha* dicitur, non *Rex*, quippe qui quartam tantummodo paterni Imperii partem obtineret. *Tetrarcha* ad verbum est is, qui quarta potitur ex quatuor partibus, in quas divisum est Regnum. Galilæam is obtinebat ac Peræam, quicquid scilicet trans Jordanem erat (1). Interdum etiam Rex appellatur.

℣. 2. AIT PUERIS SUIS: HIC EST JOANNES BAPTISTA, &c. Aliquod metempsychoseos, seu animarum in alia corpora transitionis genus credidisse videtur Herodes (2). Secus enim ægre intelligitur, cur resurrectionem appellet id, quod nemo de Jesu Christo non cerneret, ante Joannis necem notissimo; cui Præcursor illustre testimonium exhibuerat; qui nulla ex parte similis erat Præcursoris. Neque patrata a Jesu prodigia argumento esse poterant, ipsum esse Baptistam, cum hic nulla patrasse narretur. Herodem nihilominus, auditis Jesu prodigiis, hæsisse testatur Lucas ix. 8. ac dixisse: *Joannem ego decollavi: quis est autem iste, de quo talia audio?* Quasi prodigiorum potestas in uno Præcursore clauderetur. Conscientiæ tumultus pravam hanc in Herode persuasionem peperit. Fortasse sua interesse credidit, vulgari huic opinioni favere, ut patratæ necis invidiam minueret. Quid ea ætate senserint Judæi de Metempsychosi & Resurrectione, disputabimus in Lucam ix. 7.

VIRTUTES OPERANTUR IN EO, prodigia per eum fiunt. Ex recta synopsi Textus explicari potest (3): *Virtus prodigia patrandi manifesta fit in eo;* vel, *Virtutes* cœlestes *agunt in eo* (4); quasi prodigiorum potestas penes Cœlestes sit, hominibus obtemperantes, dante id hominibus Deo. Similis huic locutio apud Paulum (5) legitur, ut Dei virtus significetur, prodigia patrantis per Christianos: *Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis*, vel *per vos*. Meminit alibi (6) Apostolus virtutis, mira facientis *in se*, vel per ipsum, seu per Fideles: *Secundum virtutem quæ operatur in vobis*. Ita de hac virtute agunt Evangelistæ, quasi alia sit ab homine agente, res prorsus spiritualis, & homini indita, ex quo interdum effluit, ut agat. Ita cum fœmina fluxu sanguinis laborans, tacta pallii Jesu Christi fimbria, incolumitati restituta est, dicitur ipse Christus sensisse *virtutem ex se egressam* (7). Hoc locutionum genus non illud significat, Angelum illi adfuisse patrandis hisce prodigiis paratum, aut aliquam substantiæ partem effluxisse ex Jesu Christi vel Apostolorum corpore, qua hæc gererentur; sed peculiares sunt Hebræis loquendi formæ, passim in Scriptura occurrentes, quibus Dei verbum, fames, gladius, bellum ita exhibentur, veluti anima instructa sint, Divinisque jussionibus obtemperent. Hic etiam prodigiorum potestas describitur ceu res vivens ac sentiens, quæ in Jesu Christo agat, sive uti habitus ab ipso distinctus, qui in alium migrare queat. Hæc erat Judæorum persuasio.

℣. 3. PROPTER HERODIADEM UXOREM FRATRIS SUI. Græcus addit (8) *Philippi*; idque habet Marcus 6. 17. Philippo huic, aliter Herodi apud Josephum (9), pater fuerat magnus Herodes, mater Mariamne, Simonis Pontificis filia. Antipas Herodes Herodiadem duxerat, Philippi fratris uxorem, eo superstite. Rem ita scribit Josephus (10). Proficiscens Romam Antipas, ad Philippum sive Herodem fratrem divertit; ibique visam Herodiadem ita deperiit, ut denique amorem mulieri aperuerit, nuptias se optare testatus. Assensa est Herodias, ea conditione, ut is Aretæ filiam, quam antea duxerat, a se dimitteret. Antipas Roma reversus, promissis stetit, pessimo totius regionis exemplo. Exarsit in Antipam Joannes Baptista, acerrime arguens, flagitiosas incestasque nuptias insectatus: quamobrem publica in vincula datus, capite mulctatus est, ut in consequentibus legitur. Aliam necis causam tradit Josephus: at veram ignoravit; idque quod Herodes minuendæ invidiæ causa prætexuit, veram necis causam fuisse arbitratus est. Hoc fusius infra expendemus.

Veteres quidam censuere (11), inter vivos non fuisse Philippum, cum Herodias ad Antipæ nuptias transiit. Nihil hac de re certum esse, ajunt Origenes tom. xi. in Matt. & S. Augustinus de Fide & Oper. c. 19. At hi Josephum non legisse videntur: apud quem id aperte asseritur (12); quamquam alibi scribit (13), Philippum absque liberis obiisse, forte quod Salome secuta est matrem, & apud Antipam ceu patrem fuit.

Herodias nedum fratris Antipæ uxor erat,

(1) Joseph. Antiqu. lib. xvii. cap. 13. (2) Vide Grotium hic, & nos in Luc. ix. (3) Αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. (4) Vide Clericum hic, & alios apud Maldonatum. (5) Galat. iii. 5. Ὁ ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα, καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν. (6) Ephes. iii. 7. Κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. 20. Τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν. Coloss. i. 19. Κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ, τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει. (7) Marc. v. 30. Τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. Luc. vi. 19. Ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο. (8) Διὰ Ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. (9) Joseph. Antiqu. l. xviii. cap. 7. Ipsimet Judæi nuncupant Philippum. Vide Josipp. Gorionid. & verba Regum Israel, & Tzemach David. (10) Joseph. Antiq. lib. xviii. c. 7. 2. (11) Tertull. l. 4. advers. Marcion. Chrys. Euthym. Theophyl. (12) Joseph. Antiqu. lib. xviii. cap. 7. & 9. (13) Idem ibid. cap. 6.

Philippi nimirum, seu Herodis, fratris Antipæ, tametsi altera matre procreati, sed fratris etiam filia, scilicet Aristobuli, qui communis erat & Antipæ & Philippo frater. Vetita erant Lege connubia nedum cum sorore & uxore fratris (14) verum etiam cum fratris filia (15), ex multorum Interpretum sententia, tametsi res difficultate non caret. Incestæ igitur hæ nuptiæ adjunctum raptus flagitium habebant; quippe cum Antipas Herodiadem sollicitaverit, ut priorem virum Herodem relinqueret. II. incestu laborabant, cum adhuc superstes esset Philippus, nec illam repudiasset. III. tametsi vel obierit Philippus, vel repudiaverit, nefas erat Antipæ illam ducere, quippe quæ filiam ex priore viro retulerat.

℣. 5. VOLENS ILLUM OCCIDERE, TIMUIT POPULUM. Antipas, inquit Josephus (16), Joannem Baptistam publici vinculis coercuit, quod ingentes populi conventus apud illum agerentur, metueretque Antipas, ne Joannes acquisita in populum authoritate ad res novas moliendas abuteretur: quamobrem prævertere maluit seditionem, quam glisceniem coercere. Captum igitur, & in arce Machærunsis carcere detentum, aliquandiu post capite mulctavit. At cædis causam Josephus aut ignoravit, aut dolo malo corrupit. Tradunt uno assensu Evangelistæ, in causa fuisse constantiam, qua is Antipam arguebat ob nefarias cum Herodiade nuptias. Captum igitur publicis in vinculis detinuit; illum tamen & magni faciebat, & verebatur; audiebat libenter, multaque faciebat ex monentis consilio (17): at Herodiadem relinquere nunquam potuit; quæ verita, ne tandem aliquando Antipas Joannis consiliis monitisque vinceretur, omnem illius perdendi rationem inire non desiit (18). Quamobrem Antipas impius uxoris suasionibus fractus, illum e medio tollere decrevit, quemadmodum narrat Matthæus; & ne id faceret, solo populi metu coercebatur, qui Joannem summi Prophetæ loco suspiciebat (19).

℣. 6. DIE AUTEM NATALIS, &c. Dies natales suos, diesque initii imperii memoria solemnes majore pompa olim Reges celebrabant; ejusque moris vetustatem testatur Pharao, natalem diem suum celebrans (20); & Osee (21), natales Regum Israelis dies describens. In solemnibus eorum dierum conviviis adhibebantur tibicines fidicinesque, saltatrices, ac mimi, quibus convivæ recrearentur. At insolitum erat, ut Regiæ dignitatis viri aut fœminæ, qualis erat Herodiadis filia, ibi personam agerent. Putat S. Chrysostomus (22), ipsammet Herodiadem filiæ authorem fuisse, ut idem ageret, quod nonnisi mimam, aut talis matris filiam deceret, quippe quæ optime nosset, quid facile eventurum foret. *Natalis* nomen (23) interdum pro die initi imperii usurpatur.

℣. 9. ILLA PRÆMONITA A MATRE SUA. Convivio non aderat Herodias, cum saltavit Salome, eamque rogavit Antipas, quid postularet. Illa statim egressa convivio, matrem consuluit, quid sibi a Rege postulandum esset: cui mater respondit, nihil præter Joannis caput. Hoc ex Marco discimus VI. 24. Græca vox, qua hic utitur Matthæus (24), significat, illam a matre *impulsam* fuisse, *sollicitatam*, *inductam*, ut caput Joannis postularet. Monente igitur ac suadente matre, hoc puella petit, cum nihil tale cuperet.

DA MIHI IN DISCO (25). Hæc dicens, discum manu tenebat, quem fortasse statim dederat mater, nequam importunæ postulationi moram Herodes prætexeret. *Quid enim*, inquit S. Ambrosius lib. de Virg. *crudelitati cum deliciis? Quid cum funeribus voluptati?* Solent in conviviis Reges libertatem reis impertiri, ipsumque conviviis tempus expectari solet, ut reis libertas postuletur. Contrarium morem tenuere Herodes & Herodias. Cum Flaminius (26), ut scorto simul discumbenti in convivio, seque neminem capite plecti vidisse dicenti, morem gereret, reum adduci, & coram obtruncari jussisset, Censorum sententia Senatu pulsus est, quod cædem convivio miscuisset, & hominis, tametsi rei, supplicium muliierculæ gratia exhibuisset.

℣. 9. CONTRISTATUS EST REX: PROPTER JURAMENTUM AUTEM, quo sese daturum promiserat, quicquid illa postulatura esset, etiamsi Regni sui dimidium, & convivarum causa jussit morem geri puellæ. En hominum sæculi amatorum ingenium. Fidem in promissis, & in decretis constantiam affectat Herodes; quarum causa iniquissimum facinus non veretur, quo universi orbis invidia in ipsum excitanda est. An ignorabat, nullam esse ejusmodi jurisjurandi religionem, & fieri non posse, quin convivæ, quamvis coram probarent, animo tamen sævissimam cædem execrarentur?

Censent nonnulli (27), tumultum, quem ore testatus est tunc Herodes, simulatum fuisse, atque hanc astutissimam *vulpem*, quo nomine is Luc. 13. 32. appellatur, mœrorem de sanctissimi Prophetæ necem præ se tulisse, ne populi odium acrius excitaret. Monuit c. 14. 4. Matthæus, illum hujus cædis opportunitatem studiosissime quæsivisse; quamobrem sponte oblata statim usus est. Aliis (28) videtur ægre concessisse Joannis Baptistæ caput, tum quod illum plurimi faceret, tum quod indignum censeret, qui fœminæ desiderio mactaretur, metueretque populi & piorum odium, omnino oriturum, ubi necis causa & occasio vulgarentur.

℣. 10. MISIT, ET DECOLLAVIT JOANNEM. Hæc gesta sunt in arce Machæruntis (29), trans Jordanem sita, prope locum, ubi Jordanes in mare mortuum influit. Scribit Josephus (30), Machæruntem ad ditionem Aretæ Regis Arabum pertinuisse, quo tempore ejus Regis filia, prius ab Herode in matrimonium ducta, ad patrem discessit. At quo tempore cæsus est Joannes, eadem arx Herodi parebat: qua tamen ratione in Herodis potestatem devenerit, non tradit Josephus.

℣. 11. ALLATUM EST CAPUT EJUS IN DISCO. Scribit de Herodiade S. Hieronymus (31): *Sancto capiti illusit; & sicut olim Fulvia linguam Ciceronis, ita hæc linguam Joannis discriminali acu confodit.* Cladem exercitus Antipæ per Aretam Arabum Regem tribuerunt Judæi cædi Joannis Baptistæ, teste Josepho (32). Aliquot annis post, cum Herodias virum suum merum esse Tetrarcham ægre ferret, cum Agrippa suus ipsius frater Rex appellaretur, author illi fuit, ut Romam proficisceretur, ipsa comite, ut Regium nomen a Cajo Imperatore impetraret. At nedum postulata rejecit Cajus, verum etiam Tetrarchia spoliatum exulare jussit Lugduni (33). Herodiadem, Agrippæ fratris causa, ornare volebat Cajus: at illa virum exulem sequi inter ærumnas maluit, quam fratris fortunæ quicquam deberet. Miserrimo mortis genere Salomen etiam periisse tradunt Nicephorus (34) & Metaphrastes. Cum hæc, inquiunt, super concretas gelu aquas aliquando am-

(14) Levit. XVIII. 15. 16. (15) Ibidem ℣. 14. (16) Joseph. Antiqu. lib. XVIII. cap. 7.
(17) Marc. VI. 20. (18) Idem ℣. 19. (19) Vide Euthym. hic. (20) Genes. 21. 20.
(21) Osee VII. 5. (22) Chrysost. in Matth. Homil. 49. Hieronym. hic; Ambros. lib. 3. de Virgin.
(23) Γενέσια. Vide Heins. Exercit. Sacr. pag. 48. (24) Προβιβασθεῖσα. (25) Δός μοι ὧδε ἐπὶ πίνακι.
(26) Hieronym. hic. (27) Hilar. Hieronym. Strab. Glass. alii. (28) Chrysost. Euthym. Theophylact. Maldon. Grot. alii. (29) Vide Joseph. lib. XVIII. Antiqu. cap. 7. (30) Joseph. ibid.
(31) Hieron. contra Rufin. l. 3. c. 11. (32) Joseph. Antiqu. l. XVIII. 7. Vide Chrysost. in Acta, Hom. 36.
(33) Idem lib. XVIII. Antiqu. cap. 9. (34) Niceph. lib. 1. cap. 20. Hist. Eccles.

ambularet, fracto sub pedibus gelu mersa est; eoque iterum coeunte, evulsum est a reliquo corpore caput, illaque aliud plane choreæ genus egit, quam quo Herodi placuerat. Hæc tamen, cum nemo ea antiquis tradat, inter cæteras Metaphrastæ fabulas rejicimus. Illud solummodo constat (35), Salomen Philippo patruo suo nuptum traditam, cum ex eo liberos non tulisset, nupsisse deinde Aristobulo, suo ipsius sobrino, filio Herodis Regis Chalcidis, cui Herodi frater erat Agrippa, soror Herodias, ex quo liberos plures procreavit. Mortis tempus & genus ignoratur.

Ꝟ. 12. Accedentes Discipuli ejus, tulerunt corpus ejus. Ablata non fuerat Discipulis Joannis facultas conveniendi Magistrum in carcere detentum, uti res ipsa docet, missis nimirum ad Christum a Joanne Discipulis, utrum ipse Messias asset, postulaturis (36). Audita ejus morte, obtruncatum cadaver sepulcro condidere, remque, uti gesta erat, Jesu Christo nunciarunt. Quo loco conditum fuerit Joannis Baptistæ corpus, ignoratur. Sunt qui Sebaste, alio nomine Samariæ sepultum arbitrentur. At simultas, quæ tum temporis Judæos inter & Samaritanos erat, id absque optimæ fidei testibus credibile esse non patitur. Neque satis argumenti est, quod sacra ipsius lypsana quarto Ecclesiæ sæculo ibi culta fuerint (37); fortasse enim eo delata fuere vel ipso Romani in Judæos belli tempore, vel eo absoluto.

Ꝟ. 13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde. Cum audisset Jesus ea, quæ de se ab Herode dicebantur, rediisse nimirum ad vitam in Jesu Joannem, ac prodigiorum potestatem in ipso manifestam exhiberi (38), in deserta loca discessit. Alii (39) ita interpretantur: Cum Jesus ex Joannis Discipulis illius casum intellexisset, secessit. Postrema hæc explicatio cum tota narrationis serie aptius constare videtur. In occidentali ora lacus Genesareth morabatur Jesus, cum ad illum detulere, quid de se, audita prodigiorum fama, Herodes ac populus dictitarent. Reduces igitur e legatione Discipulos secum ducens, una cum iis ad alteram lacus oram venit, in solitudinem Bethsaidæ (40), urbis eo loco sitæ, quo Jordanes in lacum vel mare Genesareth devolvitur. Hæc ad superiorem Galilæam pertinebat, & ad ditionem Philippi, cui Herodes uxorem Herodiadem abstulerat. Turba Jesum secuta, ubi illum discessisse intellexit, pedestri itinere ad eum venit, imo & prævenit (41), cum Bethsaidam pervenerit, antequam ille eo appelleretur.

Ut difficultas hujus loci, quæ negotium fit Interpretibus, explanetur, illud ponendum est, I. Bethsidam sive Juliadem trans mare Tiberiadis fuisse, ad illius occasum, ferme ubi Jordanes huic mari conjungitur: porro id dubio caret, cum luculentissime a Plinio & Josepho doceatur (42). II. Jesu, Capharnao, vel e vicinis Capharnao locis profecto, tantumdem itineris navi agendum fuisse, ac populo pedibus, ut Bethsaidam perveniret: cum autem, ubi ventus vel levissimus contrarius spiret, tardius fit navi iter, quam pedestre, probabile omnino esse, populum pedestri itinere vel eodem tempore vel etiam citius quam Jesum trans lacum venisse; neque enim maturandi itineris, sed vitandæ multitudinis causa Jesus navigium conscenderat. III. populum, ubi ad Jordanem pervenit, e regione Bethsaidæ, amnem transisse vel ponte, vel lintribus, ut Jesum in altera fluminis ripa, & in agro Bethsaidæ conveniret. Ita difficultas omnis de itinere Jesu vel populi removetur. Bethsaidam venisse Jesum, scribit Lucas; Joannes, mare trajecisse (43); populum pedestri itinere secutum esse, Marcus 6. 33.

Ꝟ. 14. Exiens navi vidit turbam multam, quæ præcesserat, noratque locum, quo is sese conferebat, teste Marco (44).

Ꝟ. 15. Vespere autem facto. Jesum monnent Discipuli, diem in vesperam declinare, quamobrem dimittendam esse multitudinem, ut ante noctem unusquisque domum rediret. *Vesper* hic non sonat solis occasum, sed solem labi incipientem. Duplex vespera Hebræis erat; altera quæ declinante in occasum sole incipiebat, secunda scilicet vel tertia post meridiem hora, Gallico more; altera sole occidente. Duas hasce vesperas diserte innuit Scriptura, veluti ubi ait, Paschalem agnum *inter duas vesperas* esse mactandum (45). Hic vero luculentius significantur. Monent hic Jesum Discipuli, inclinare in vesperas diem, *Vespere autem facto* (46); quamobrem turbas dimitti oportere. En *prior vespera*. Infra Ꝟ. 23. exhibita multitudini annona, quinque scilicet hominum millibus, elapsoque diuturno satis tempore, *dimissa turba*, Jesus *ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi*. En *alteram vesperam*. Priorem vesperam his verbis innuit Marcus (47): *Cum jam hora multa esset*, majore diei parte, vel hora cibi sumendi elapsa. Lucas (48): *Dies autem cœperat declinare*. At ubi secundam vesperam, vel noctis initium indicant, aliis verbis utuntur (49).

Desertus est locus, et hora jam præteriit. Elapsus est meridies, cibi sumendi hora præterit: deest populo annona: dimittenda domum est multitudo, antequam nox obscurior fiat, ut sibi unusquisque cibos in oppidis quærat. Joanne teste VI. 5. Jesus navi descendens, cum innumeram multitudinem vidisset, misertus illorum, Philippo dixit: Unde ememus panes, ut saturentur hi? Hoc autem, ait Joannes, dicebat, fidei illius periculum faciens: ipse enim norat, quid mox esset facturus. Respondit Philippus, tametsi panes ducentis denariis emerentur, vix singulas singulis bucceas posse distribui. Misertus illorum Jesus, primo ægris incolumitatem restituere, tum populum docere incepit, de Regno Dei disputans. Post diuturnam concionem, cum nox accederet, Discipuli ea illum monuere, quæ hic apud Matthæum legimus. Tunc dixit Jesus, minime oportere, populum discedere ad annonam sibi comparandam, sed ipsi cibos populo præberent: & roganti, quot panes in promptu essent, respondit Andreas Petri frater, adesse adolescentem, panes quinque ex hordeo, & pisces duos habentem: quibus afferri jussis bene precatus, multitudini distribuerent imperavit. Quinque hi panes & pisces duo tota erant Jesu annona, & eorum qui ipsum sequebantur (50).

Ꝟ. 19. Cum jussisset turbam discumbere supra fœnum. Multum enim fœni in loco erat, teste Joanne 6. 10. Ver erat, cum eodem authore, vicinum esset Paschatis festum, & maturum jam esset in Palæstina hordeum; & proximum messi fœ-

(35) Joseph. lib. XVIII. Antiqu. cap. 7. (36) Matth. XI. 2. (37) Sub Juliano Apostata, circa annum 362. Ethnici, aperto illius sepulcro, partem ossium cremavere. Theodoret. lib. 3. c. 3. (38) Chrysostom. Homil. 5. Euthym. Grot. Bing. Toynard. Haimon. pag. 51. (39) August. lib. 2. de Consensu, cap. 45. Euthym. Theophylact. Maldon. (40) Luc. VI. 1. (41) Marc. VI. 33. (42) Joseph. lib. 2. de Bello cap. 13. & Antiqu. lib. 18. cap. 3. Plin. lib. V. cap. 15. Vide Cellar. Geograph. Antiqu. lib. 3. cap. 13. pag. 357. (43) Joan. VI. 1. (44) Marc. loco citato: Καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν πολλοί, καὶ πεζῇ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων συνέδραμον ἐκεῖ, καὶ προῆλθον αὐτούς. (45) Exod. XXII. 6 Levit. XXIII. 5. בין ערבים *Inter duas vesperas*. (46) Matth. XIV. 14. Ὀψίας δὲ γενομένης. (47) Marc. VI 35. Καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς γενομένης. (48) Luc. IX. 12. Ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν. (49) Matth. XIV. 23. Marc. VI. 47. Ὀψίας δὲ γενομένης. Joan. VI. 16. Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο. (50) Chrysost. Theophyl. Leont. Theodor. Mopsi. Ammon.

fœnum. Scribit Marcus (51), populum distributum fuisse per centenos & quinquagenos, ut panis & piscis singulis præberetur. Ita multitudinis numerus nullo negotio compertus fuit. Græcus ad verbum fert (52): *Jussit populum discumbere*: ejus ætatis more cœnantes discumbebant.

Benedixit, et fregit, et dedit; &c. Addit Joannes, illum gratias egisse Patri. Orationem exorsus est a laude & gratiarum actione; idque fortasse significat Matthæus, ubi ait (53), illum *benedixisse*. Deo scilicet benedixit, vel pani, precatus, ut illum Deus multiplicaret. Tum paratæ annonæ virtutem dedit, qua in immensum augeretur; eaque revera, distribuentibus Apostolis, augebatur. Patres & Interpretes quærunt, utrum panes inter ipsas Jesu Christi, an inter Apostolorum manus crescerent: qua de re varium est sententiarum dissidium (54). At nullo negotio conciliantur, si nempe dixeris, collatam fuisse a Jesu Christo virtutem, cujus ministri & dispensatores fuerint Apostoli, panibus inter multitudinem distributis. *Frangente Domino, seminarium fit ciborum*, inquit S. Hieronymus hic. Potestas in Jesu manibus erat, ait S. Augustinus in Joannem. Is quinque panes suas inter manus ita multiplicat, uti pauca semina terræ credita. Videtur igitur Christus ipse suas inter manus panes populo distributos multiplicasse, frangente ipso quæ Apostoli multitudini largiebantur, ℣. 19.

℣. 20 Duodecim cophinos. Singuli Apostoli suum retulere, ob certissimum prodigii monumentum. Quinque virorum millia, prætar fœminas & pueros, quos sævissima fames urgebat, penitus satiati sunt, atque ea reliquiis canistri duodecim relati fuere. Nullos hic cavillandi locus: perspicuum est prodigium. At cur nullæ e piscibus reliquiæ? Poterat procul dubio, si vellet, Christus idem præstare de piscibus: at maluit quod satis esset, populo abunde exhibere, quin aliquid superesset, aut prodigia nulla necessitate multiplicarentur. Major ne prodigio fides futura erat, si vel centum canistri ex utroque superfuissent? Qui panibus quinque & duobus piscibus quinque vel sex hominum millia saturare potuit, pari certe facilitate vel decem millia potuisset.

℣. 22. Jesus compulit discipulos ascendere, &c. Collectis reliquiis, Jesus jussit Discipulos navigium statim se relicto, conscendere, & lacum trajicere, ut Bethsaidam proficiscerentur (55). Cogendi fuere, cum neque solum relinquere, neque ab eo discedere vellent. Narratum hic prodigium in solitudine Bethsaidæ contigit. Bethsaida & solitudo ad Jordanis orientem jacebant, circa meridionale lacus Tiberiadis extremum. Quorsum igitur Jesus jubet Apostolos trans mare navigare, seseque Bethsaidæ præstolari? Hæc porro simul pugnant. Ita vero solvitur difficultas. I. reddi potest Græcus Marci locus: *E regione Bethsaidæ*, scilicet in ripa occidentali, Bethsaidæ opposita. II. e solitudine ad Bethsaidam duplex erat via: longior altera, scilicet pedestris, per ipsum maris litus; altera brevior, conscenso navigio, quamobrem & magis recta, nullo circuitu. Terrestre iter sequuta est multitudo, & Discipulos coegit Jesus mari præcedere. At flante in contrarium vento, res turbata est, & coacti sunt nautæ a septemtriune in meridiem, a solitudine Bethsaidæ Tiberiadem navigare coacti sunt, cum a meridie in septemtrionem, a solitudine ad urbem Bethsaidæ proficisci decrevissent.

Alia suboritur difficultas, conciliandi nimirum verba Marci, scribentis, Jesum imperasse Discipulis, ut Bethsaidam pergerent, cum Joannis narratione (56), qua dicuntur Apostoli, conscenso navigio, venisse Capharnaum; denique cum Matthæo, ipsoque etiam Marco, qui Discipulos mane alterius diei in regione Genesareth fuisse tradunt (57). Ager Genesareth & Capharnaum procul dubio jacebant ad maris Tiberiadis occidentem, atque e regione solitudinis Bethsaidæ, unde Jesus atque Apostoli discesserant. Ita porro difficultas solvitur. Navim Apostoli conscenderant, jubente Jesu, ut Bethsaidam navigarent: at repugnante vento delati fuere ad regionem Genesareth, mari Tiberiadis meridionalem: Jesu vero quarta noctis vigilia ad illos veniens, ventis quietem imperavit, eosque circa Tiberiadem appulit, unde illi altera die Capharnaum devenere. Hoc ipsum innuit Joannes (58), ubi ait, turbas trans lacum relictas, cum Jesum eodem, quo Discipulos, navigio non vehi intellexissent, illum studiosissime quæsivisse: at nautis quibusdam, qui Tiberiade venerant, audivisse, Jesum cum Discipulis Tiberiade esse. Quamobrem terrestre iter aggressas illum invenisse, qui paulo antea Tiberiade Capharnaum pervenerat.

℣. 23. Dimissa turba, ascendit in montem solus orare, ibique maximam noctis partem egit. Noverat Jesus, populum id moliri, ut sese invadentes Regem crearent: quamobrem furtim secedens, populum ac Discipulos mittit, solusque in montem fugit. Bis ea die in montem secessisse Jesum, animadvertit Joannes (59); mane scilicet cum Discipulis, unde post moram aliquam descendit, ut multitudinem doceret, ægrosque curaret; iterum vespere, dimissa penitus multitudine (60).

℣. 24. Quarta vigilia noctis venit ad eos. Tres dumtaxat noctis vigiliæ priscis Hebræis erant (61): at Jesu Christi ætate noctem in quatuor vigilias distribuebant, Græcorum more & Romanorum. Cum hæc circa vernum æquinoctium contigerint, necesse est, ut tertia hora matutina tunc ageretur. Quatuor hæ singularum noctium vigiliæ pari inter se temporis spatio dividebantur: at ex varia temporum vicissitudine varium erat singulis noctibus illarum spatium. Cum Jesus Discipulos diu fluctuantes in mari, pugnantesque cum ventis ac fluctibus reliquisset, denique ad eos venit, super mare gradiens. Nondum illi, teste Joanne 6. 19. quinque & viginti vel triginta stadia emensi fuerant in mari, scilicet tria circiter passuum millia. Lacus hic sex passuum millibus latitudinis patet (62). Super undas gradiebatur Jesus, nullo discrimine; sive is naturale corporis pondus coercuerit, sive solidaverit undas sub pedibus, pari prorsus miraculo.

℣. 26. Turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Communis erat Hebræorum persuasio, spectra interdum & phantasmata, bonos malosque Angelos hominibus exhiberi. Bonos Angelos non semel apparuisse e Scripturis noverant (63). Neque omnino dubitabant, quin mali Angeli sese interdum videndos præbere possent, atque, ut Apostoli 1. Cor. 11. 14. verbis utar in An-

(51) Marc. vi. 40. (52) Κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι. Marc. Ἀνακλῖναι. Luc. Κατακλίνατε. Joan. Ποιήσατε ἀνακλιθῆναι . . . ἀνέπεσον οὖν οἱ ἄνδρες, &c. (53) Matth. Marc. Luc. εὐλόγησε. Joan. vi. 11. εὐχαριστήσας διέδωκε. (54) S. Augustinus, Tract. 24. in Joan. & S. Hieronymus putant, inter ipsas Jesu Christi manus esse multiplicatos. Inter Apostolorum manus, asserunt S. Chrysostomus, Leontius, & Euthymius. Incertus est S. Hilarius. (55) Marc. vi. 45. Εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν. (56) Joan. vi. 17. Καὶ ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καπερναούμ. (57) Matth. xiv. 34. & Marc. vi. 53. Καὶ διαπεράσαντες ἦλθον ἐπὶ τὴν γῆν Γεννησαρέτ. (58) Vide Joan. vi. 22. 23. 24. (59) Joan. vi. 15. Ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος. (60) Joan. vi. 3. Ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. (61) Vide nostram Dissertationem de Chronologia ad Genesim. (62) Plin. lib. 5. cap. 15. (63) Genes. xviii. xix. xxxii. 24. 25. Exod. iii. 4. &c.

Angelos lucis converti. Validissimum dogmatum suorum argumentum ex visis hisce ducebant Pharisæi, quemadmodum ex Actis 13. 8. discimus. Samuel Sauli exhibitus (3) magno satis est documento, credidisse illos, mortuorum animas posse viventibus apparere. Has Judæorum Apostolorumque persuasiones minime evertit Christus; imo & confirmare videtur, cum illos apud Lucam 24. 38. ita hortetur: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*. His accessere Patres: iisque repugnare, piaculum est. Qui vero est hujusmodi spectrorum modus? Fortasse aeris ope, vel fumi, aut nubium, quæ a bonis malisve Spiritibus, Deo permittente, densari possunt, aut ita componi, ut vera corpora optime constructa videantur, quamvis revera nihil habeant, quod tactui resistat, aut carne ossibusque non componantur, teste Jesu Christo. Hinc fit, ut visa hujusmodi noctu obscurisque in locis exhibeantur: tunc enim corpora ex nube vel aere conflata, perspicua magis sunt, sensus acrius movent, multoque facilius compinguntur.

℣. 28. Si tu es, jube me venire. Alacre Petri ingenium ubique cernitur. Ut certo sciat, sese spectro non decipi, ipsumque Magistrum esse, quem audit, ultro rogat: *Si tu es, jube me venire ad te super aquas*. Minime dubitat, utrum id facere queat Jesus, sed ipse sit nec ne. Si Jesus ipse est, me inter aquas incolumem feret: secus vero, id fieri ab illo non poterit. Quamobrem si eo jubente ego super aquas gradiar, inane spectrum omnino non video. *Tu præcipe*, ait S. Hieronymus (4), *& illico solidabantur aquæ; leve fiet corpus, quod grave est*. Scribit Marcus VI. 48. Jesum, ubi ad navigium accessit, simulasse, velle se procedere: *Volebat præterire eos*. Progressus est, quasi præcessurus.

℣. 30. Videns ventum validum, timuit. Discriminis præsentia illum adeo terruit, ut Magistri oblitus, ratione uti desierit, ea fiducia, qua hactenus fultus fuerat, statim destitutus. At ubi se mergi sensit, novi majorisque periculi metu excitatus est, & naufragium veritus, clamavit: *Domine, salvum me fac*. Hic & prodigii veritas, & infirmitas hominis, supremaque Dei potestas perspicue exhibentur (5).

℣. 32. Cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Dicere videtur Joannes (6), illum in navim non ascendisse; cum vero *illum Discipuli in navigium accipere vellent, statim navigium appulsum fuisse ad litus, quo navigabant*: quæ verba cum Matthæo conciliantur, si dicas, orasse Apostolos, ut navigium conscenderet, ac revera conscendisse; ac duo simul prodigia illius præsentiam peperisse: I. quod procella statim resedit: II. quod navigium illico appulsum est ad litus. Putant S. Chrysostomus, ac Theophylactus, Jesum in navigium statim ascendere noluisse, sed diu cum Petro super undas ambulasse, & denique eo ingresso, navigium confestim appulsum fuisse quo navigabat.

℣. 33. Qui in navicula erant, venerunt et adoraverunt. Apostoli nimirum, nautæ, & vectores aliqui forte præsentes, Jesum convenere, ipsum ceu Messiam verumque Deum venerati: *Vere Filius Dei es*, Messias quem præstolamur.

℣. 34. Cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. Græcus legit *Genesareth*. Codices Græci quidam ferunt *Genesar*, vel *Genesara*. Sunt (7) qui censeant eamdem esse *Gerasæ*, vel *Gergesenorum*, sive *Gerasenorum* regionem, qua pulsus fuit Jesus Matth. 8. 28. Alii (8) probabilius ajunt, Genesareth eamdem esse ac *Cinnereth*, sive *Cinneroth*, quæ eadem creditur Tiberias, ex qua nomen *Mari Cinnereth* (9), quod deinde Tiberiadis Mare appellatum est. Sita erat ea urbs circa meridionalem Maris Genesareth extremitatem, in litore occidentali. In regionem Genesareth, non intra ipsum oppidum venit. Vide ℣. 22. Meminit Josephus de Bello l. 3. c. 35. regionis Genesareth his verbis: *Gennesar lacum prætendit ejusdem nominis regio, natura simul & pulcritudine admirabilis, tam & ubertate. Accedit, quod & fonte irrigatur uberrimo, qui Capharnaum ab indigenis appellatur. Longitudine regio* XXX. *stadiis extenditur, & latitudine* XX. Nomen *Genesareth*, quod supremis deinde temporibus illi traditum est, ortum puto ex *Ge*, vallis, & *Nazareth*, vel *Nezareth*, florida, *Vallis florida* (10).

℣. 36. Ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Vide supra XX. 20. Fimbrias gerebant Hebræi ad oras pallii, & ad quatuor illius angulos paniculas (11). Qui vel fimbrias vel paniculas pallii illius tangerent, curabantur.

(3) I. Reg. XXVIII. 11. 12. (4) Hieron. In hunc locum. (5) Hieron. *Paululum relinquitur tentationi, ut augeatur fides, & intelligat se non facilitate postulationis, sed potentia Domini conservatum.*
(6) Joan. VI. 21. Ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ εὐθέως τὸ πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς εἰς ἣν ὑπῆγον.
(7) Vide Maldon. ad ℣. 22. (8) Grot. hic. Hieron. in locis. Cellar. Geogr. lib. 3. cap. 13. pag. 298. Ligfoot. Chorograph. in Matth. cap. 71. Thalmudistæ apud eumdem. (9) Josue XI. 2. XIX. 35. &c. Num. XXXIV. 11. Josue XIII. 27. (10) גיא נצרים *Vallis florida*, seu *Germinans*. (11) Deut. XXII. 12.

C A P U T XV.

Pharisæorum offensio, quod Discipuli Jesu manus ante comestionem non lavarent. Divinas Leges violant Pharisæi, ut majorum traditionibus obtemperent. Chananææ mulieris filia curatur. Jesus quatuor hominum millia septem panibus, & aliquot piscibus pascit.

℣. 1. TUnc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes:
2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim
lavant manus suas, cum panem manducant. 3. Ipse autem respondens ait illis:
Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus
dixit: 4. Honora patrem, & matrem; & qui maledixerit patri, vel matri, morte
moriatur. 5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quod-
cumque est ex me, tibi proderit: 6. Et non honorificabit patrem suum, aut ma-

trem

trem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7. Hypocritæ: bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: 8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. 9. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. 10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? 13. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. 14. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. 15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. 16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? 17. Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. 19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. 20. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. 21. Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis. 22. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili David: Filia mea male a dæmonio vexatur. 23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. 25. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, Adjuva me. 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. 27. At illa dixit: Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. 29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ; & ascendens in montem, sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: 31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel. 32. Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. 33. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? 34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. 35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. 36. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis: & discipuli dederunt populo. 37. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. 38. Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres. 39. Et dimissa turba, ascendit in naviculam; & venit in fines Magedan.

℣. 1. TUNC ACCESSERUNT AD EUM AB JEROSOLYMIS SCRIBÆ ET PHARISÆI, qui revertentem a Festo Paschatis Christum (1) sequuti fuerant, ut & ipsius & Discipulorum gesta observarent, dixeruntque: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant.* Præter traditas in Moyse sanctiones, plures erant Judæis traditiones, seu leges ac ritus, scripto non traditi, quos a majoribus acceperant, & pari vel etiam majori, quam scriptas leges, obsequio venerabantur. Has vero a Moyse profectas, ipsique traditas in monte Sinai, quemadmodum & cæteras, asserebant, Scripturam cum aqua, traditiones cum vino eximio comparabant. Lex est sal, inquiunt Rabbini; *Misna*, seu Traditionum collectio, est piper; *Thalmudim* vero aromata pretiosa. Qui in Moysem peccat, veniæ locum habet: qui Doctoribus repugnat, reus est mortis. Si asserant Doctores, manum quam dexteram habes, lævam esse, credendum est, ait Rabbi Bechai. Fides habenda non est Prophetæ, nisi is missionis suæ argumenta exhibeat: at omnino nullo examine fides est habenda senioribus. Hæc docent Rabbini de traditionibus (2). Nullas traditionum Collectiones ætate Christi Hebræis fuisse arbitramur. Primus illas collegit Judas cognomine Sanctus, qui secundo Ecclesiæ sæculo floruit sub Antonino Pio, seu Commodo.

Suas etiam habet Christiana Ecclesia traditiones, pondere & authoritate gravissimas. *Traditionis* nomine interdum utitur Paulus (3), ut præcepta significet, quæ ipse ore tenus absque scripto Ecclesiis tradidit. Traditiones hasce arguens

(1) Vide Toynard. Harm. pag. 56 57. Le Clerc, Harm. pag. 398. (2) Vide Ligfootium Hor. Hebr. & supplementum ad Ritus Judæorum per Simonium, cap. 1. Hieron. Ep. 151. Epiphan. Hæres. 33.
(3) 2. Thessal. 11. 15. Καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις. Et III. 6. Καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν.

guens Christus, ea tantum parte damnat, qua Judæi abutebantur. Nulla Religio existere posse existimatur, si traditionibus careat, quæ usu, memoria, ritibus moribusque serventur. Porro traditiones nostræ a Pharisaicis, quas Christus damnat, his potissimum indiciis secernuntur. I. Nostras tradidere Spiritus Sanctus, vel Apostoli, vel Ecclesia Spiritu Sancto edocta. II. Nihil illæ continent, Legi Divinæ Scripturisque contrarium. III. Divinarum sanctionum obsequio nedum non repugnant, verum etiam serviunt (4).

Quod ad peculiarem hujus loci traditionem attinet, ea non in hoc solum sita erat, ut manus ante cibum lavarentur; id enim indifferens ex se est, quod pro libito vel relinquitur vel servatur, neque omnino credendum est, Apostolos illotis semper manibus cibos capere consuevisse (5). Illud hic vitio vertunt Apostolis Pharisæi, teste Marco VII. 34. non quod nunquam manus laverint, sed quod frequentibus adeo lotionibus non uterentur, ea religione peractis, qua ipsi consueverant, nimirum quoties e foro redirent, aut quoties ad mensam accumberent; denique quod lances & cyathos aqua non mergerent; studiosa superstitione opsonia & triclinia non lustrarent: id enim & Judæorum moribus, & majorum traditionibus ferebatur. Hæc non omnino negligebant Apostoli, sed neque adeo superstitiose servabant, uti Pharisæis placebat; utpote quæ laudabilia existimarent, sed nulla conscientiæ obligatione, ut servanda scilicet vel omittenda, uti prudentiæ leges, & rerum temporumque varietas postularent (6).

Ea porro non erat Pharisæorum mens, quippe qui hæc superstitiose colenda esse docerent, ita ut nemo a levioribus hisce non secus atque a cæteris multo gravissimis liber unquam foret. Tradit Rabbi Akiba (7), reum mortis esse, qui manibus illotis cibum capiat. Idem, cum in carcere aqua ei ad bibendum simul & lavandum præberetur, & pars major effusa esset nescio quo casu, maluit lavare manus, quam bibere, dictitans, melius esse mori, quam majorum traditiones violare. Rabbi Jose ait: *Qui manibus illotis panem edit, perinde peccat, ac si apud meretricem cubaret*. Ea est Judæorum in minimis hisce rebus cæcitas.

℣. 3. QUARE ET VOS TRANSGREDIMINI MANDATA DEI? Scribarum ac Pharisæorum criminationem directa non refellit Christus, sed alio crimine illis objecto, quasi illos ab accusatione excludat. Audiendi non estis, cum violatæ hominum traditionis Discipulos arguitis, quippe qui Dei præcepta impudentissime conculcatis. I. Ostendit, hanc majorum traditionem ex iis legibus non esse, quæ in violatores crimen inducant: mentem non inquinari iis sordibus corporis, quas illi frequentibus lotionibus abstergere studebant. ℣. 11. *Non quod intrat in os hominis, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore*.

℣. 5. QUICUMQUE DIXERIT PATRI VEL MATRI. &c. Primum hoc argumentum torquet Christus in Pharisæos. Dei Legem impudentissime violatis: quamobrem audiendi non estis, cum Discipulos meos violatæ hominum traditionis arguitis. Vos ipsi curate, & trabem qua oculus vester læditur, ejicite, antequam festucam, quam in alterius oculo cernitis, eruatis. Jubet Dei Lex parentes *honorari*, opemque illis præstari; *honorare* enim sonat opem ferre (8), non secus atque obsequio ac veneratione prosequi. Hæc autem omnia vos certe negligitis; cum enim parentes inopia coacti opem postulant, Legi satis vos obtemperasse arbitramini, ubi dixeritis: Mea omnia Deo dicavi: at vos participes voti mei meæque oblationis esse volo. Quicquid obtuli & vovi, ita vobis profuturum est, ut mihi (9). Sunt qui censeant, simulasse illos, sese omnia sua, vel postulatam bonorum partem Deo devovisse. At aliis placet (10), illos revera devovere consuevisse, vel sese devoturos promittere; at secreta semper aliqua conditione, quin illorum usu prorsus spoliarentur.

Fatetur Origenes (11), se assecuturum non fuisse hujus loci sententiam, nisi ex homine Judæo explicationem audivisset. Interdum accidit, inquit ille, ut alicui res sit cum aliquo malæ fidei debitore; quamobrem hunc ille cogit vel debitum reddere, vel Templo dare, vel pauperibus, monens, ea, quæ sibi debebantur, sese Deo vovisse (12). Tunc ille Dei ipsius debitor fit, cogiturque statim debitum erogare. Erant porro qui hanc legem cum parentibus servarent; dicerentque: Quicquid vobis licet ex me expetere, meum non est, quippe Deo vovi: cumque pauperum sit, æqua vobis atque his illius pars futura est (13). Hæc usurpare quilibet religiosus pater verebatur, resque Deo devotas avari Pharisæi suum in commodum convertebant. Eadem ferme est Chrysostomi hom. 52. Hieronymi hic atque Ambrosii in Luc. l. 8. interpretatio.

Alii denique (14) ita explicant: *Juro per corban*, vel per munus Deo devotum, *me nullam tibi opem præbiturum* (15). Perjurus in Corban sim, siqua bonorum meorum parte te juvero. Nititur hæc explicatio I. verbis Marci VII. 11. qui sententiam a Matthæo recitatam ita scribit: *Corban (quod est donum) quodcumque ex me tibi profuerit. Corban* jurisjurandi genus Judæis fuisse, neminem latet. Tyrii, alienas jurisjurandi formulas proscribentes, inter cæteras damnabant jusjurandum per *Corban*, Theophrasto teste (16), apud Josephum, qui hanc jurandi formam apud unos duntaxat Judæos audiri, eamque significare, *donum Dei* testatur. Hujus meminit alibi Matthæus XXIII. 18. ubi ait, jurisjurandi, per munera Templo Domini oblata concepti, religionem æque gravem esse, uti quorumlibet vel sanctissimorum. II. Judæi, ætate Philonis, ipso teste de Spec. leg. c. 5. interdum ea erant sævitia, ut a quorumdam hominum consuetudine sese jurejurando removerent, seseque obstringerent nequa re illos juvarent, aut quidpiam ex illis acciperent. Addit, rem quamlibet, ubi Deo devota & sacra fuerit, ita e communi usu segregari, ut vel ab eo qui voverit, tangi nequeat: quamobrem, siquis vir debitam uxori annonam voverit Deo, huic nefas sit, illam a viro postulare. Hæc Judæi Doctores confirmant.

Ludovicus Capellius (17), Seldenus (18), & Ligfootus (19), morum Librorumque Hebræorum consultissimi, docent, nonnulla esse Judæis votorum

(4) Vide Maldon. & Jans. & Natal. Alex. hic, ad ℣. 9. (5) Jansen. hic. (6) Vide Origen. in hunc loc. tom. XI. in Matth. Chrysost. Homil. 52. &c. (7) Vide Drus. Ligfoot. Buxtorf. Synag. c. 6. (8) Vide Hieronym. hic, & Num. XXII. 17. XXIV. 11. Tob. I. 16. Prov. III. 9. & I. Timot. V. 3. 17. & Rabbin apud Selden. de Jure N. & G. l. 7. c. 8. (9) Ita Chrysostom. Euthym. Theophyl. Ambros. l. 8. in Luc. n. 78. 79. (10) Hugo, Strabus, Lyran. Vat. Mald. Ita & fere Ludov. de Dieu. Vide Hieron. in Matth. & Ep. ad Algasiam. (11) Origen. tom. XI. in Matth. pag. 245. Edit. Huet. (12) Κορβᾶν ἐστι ὃ ὀφείλεις μοι, τοῦτ᾽ ἔστι, δῶρον. (13) Ὅτι ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς τοῦτ᾽ ἔστι κοινὸν τῷ κορβὰν λεγομένῳ ἐκ τοῦ λόγου τῶν Θεῷ ἀνατεθειμένων ταμείων. (14) Grot. l. 2. de Jure Belli & pacis, c. 13. & in hunc loc. Vide Brugens. Montan. Masium, Capell. Ligfoot. Selden. alios. (15) Quasi diceret: *Per munus vel per Corban, si quodcumque est mihi, tibi proderit.* (16) Theophrast. l. de Legib. apud Joseph. l. I. contra Appion. p. 1047. a. (17) Ludov. Capell. Dissert. in hunc loc. (18) Joan. Selden. l. 7. c. 2. de Jure Nat. & Gentium. (19) Ligfoot. Hor. Talm. in Matth.

rum genera, quibus illi aliqua sibi vel aliis, aut ad certum tempus aut ad perpetuum, absoluto vel aliquibus conditionibus, interdicunt; veluti: Voveo, me nunquam gustaturum carnes aut lac, vel nunquam ducturum uxorem; sive: Juro, me nunquam præbiturum hoc Petro, vel hoc ab illo non accepturum. Aliæ erant ejusmodi votorum formulæ: interdum enim dicebant: *Hoc ad certum tempus*, vel *semper interdictum mihi esto*, sive, *Corban hoc esto mihi*, seu, *Quicquid tibi præbiturus sum, esto Corban* (20), vel denique latiori etiam modo: *Quicquid est, quo te juvare queam, mihi esto Corban*. Siqua in re te juvero, reus sim perjurii per *Corban*, vel per munus Deo oblatum. Hoc jurisjurandi genus commune est in Misna, cæterisque Hebræorum libris. Hac arte licebat parentibus natos excludere hæreditate, aliosque pro arbitrio substituere, vir cibaria uxori præbere non tenebatur, neque huic licebat ea exigere, ubi voti conscia hæc foret.

Hic illud non quærimus, jure ne an injuria hæc fierent. Nullo autem negotio intelligitur, nihil magis Divinæ voluntati, quam pessimum rei sanctissimæ, votorum scilicet, usum repugnare. Illud solummodo disputamus, quid hoc loco velit Matthæus. Hæc autem, ex mox recitatis Scriptoribus & Syro, est Matthæi sententia: Siquis solvi vellet obligatione juvandi parentes, uti Lex & humanitas jubebant, satis erat, si his vel similibus verbis votum conciperet: *Quicquid tibi præbiturus sum, esto corban*. Statim vero intelligebatur ablata filio potestas, quamlibet e rebus suis parentibus largiendi, ac nefas erat parentibus quidlibet a filiis exigere: id vero majorum traditionibus, & Pharisæorum institutis nitebatur. Hæc sunt, quæ in hunc locum maxime probabilia videntur.

℣. 7. Bene prophetavit de vobis Isaias, de hominibus suæ ætatis agens. Similes illis estis, veri hypocritæ, Deum labiis colentes, animo interim longe vagante. Græcus legit (21): *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat; cor autem eorum longe abest a me.*

℣. 9. Sine causa autem colunt me. Obsequia & Religionem, quibus illi me venerantur, minimi facio; meis enim spretis, humanas leges ac traditiones sectantur. Nulla igitur religionis suæ merces illis expectanda est. His ego obsequiis contentus non sum. Hebraicus Isaiæ locus aliter habet (22): *Timor eorum erga me*, sive obsequium, quo ab eis color (frequenter enim universæ Religionis exercitia timoris appellatione significantur) *doctrina est ab hominibus præscita*, vel, *præceptum ab hominibus traditum*. Universa penitus Religio authoritate ac traditione hominum nititur. Locum Isaiæ Christus recitat ex septuaginta Interpretibus (23).

℣. 10. 11. Audite et intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat (24) hominem, &c. Ex authoritate loquitur Jesus, suo more. Relictis hic Pharisæis, gravissimum dogma turbas docet, quo probe firmato perceptoque, omnes veterum cæremoniarum leges ruunt. Ostendit nimirum, quæ veræ sint hominum labes. Non suillæ usus, aut immundæ rei seu cadaveris contrectatio inquinant hominem, sed mala desideria, pessimæ cogitationes, prava opera impurum faciunt. Hisce labibus abstinendum est, quas nullæ religionis vestræ ablutiones tergent.

℣. 13. Omnis plantatio, quam non plantavit, &c. Quodlibet dogma (25), quod Pater meus in æternum non severit, evelletur, peribit. Morum leges æternæ sunt, & vicissitudini minime obnoxiæ: at rituales mutationem patiuntur, imo & mutari possunt & aboleri. Aliter: Pharisæorum traditiones, pessimæ legis explicationes, usus superstitiosi a Pharisæis traditi, plantæ sunt, quas Cœlestis Pater non sevit: peribunt igitur, & evellentur (26). Vel: Quisquis degener fit a pietate majorum, qui e bona arbore spuria efficitur, fructusque fert vel silvestres vel nullos, auferetur (27). Pharisæi eorumque asseclæ temere atque indigne originis suæ fulgore gloriantur: frustra sese Abrahamo satos jactitant. Nullas arbores suarum loco habet Deus, nisi & ipse severit, & illæ bonos fructus ferant.

℣. 14. Sinite illos; Cæci sunt, &c. Summo ubique studio cavet Deus, ne cui sit offensioni. Siquem rebus a se gestis offendi intellexit, statim offensionis causam auferre, rerumque a se & Apostolis gestarum probitatem demonstrare conatus est. Usum hunc oblivisci hoc loco videtur: Pharisæorum offensionem negligit, quod certe hæc nedum fundamento careret, verum etiam ex mero nequissimi animi livore proficisceretur. Ingens malum est pusillorum offensio, occupanda pro viribus, vel removenda. At ubi vel simulata religione, vel nequioribus etiam e causis oriatur offensio, eaque nonnisi cum veritatis detrimento impediri nequeat, deserendus omnino est hic timor. *Melius est ut scandalum oriatur, quam ut veritas derelinquatur* (28).

Cæci erant Pharisæi, minime intelligentes, quid ritualium legum institutione sibi proposuerit Deus: Divinarum sanctionum mentem, veramque vaticiniorum sententiam nunquam fuerant assecuti; quamobrem vere cæci erant in iis, quæ sibi exploratissima esse rebantur, quæque cæteros ipsi docere audebant. Gravior multo erat in iisdem cæcitas Judæorum, quam Scribarum & Pharisæorum, duplici ex parte, tum quod duces suos cæcos esse non vererentur, tum quod immodicam illis authoritatem concederent.

℣. 15. Edissere nobis parabolam istam. *Parabolam* nuncupat Petrus id quod dixerat Christus, cum proverbio & ænigmati simile videretur: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, &c. Parabolas appellabant Hebræi quodlibet proverbiorum, sententiarum, ænigmatum, aut his similium genus.

℣. 17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, &c. Fusius explicat hanc sententiam Marcus vii. 18. *Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare: quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnem escam?* Primum omnium hoc ponit Christus, hominem iis solummodo vere inquinari, quibus vitiatur mens: id nemini non exploratum erat. Porro, ait, cibi per os ingredientes, in animum non penetrant, ita ut labem illi inferant; hominem igitur non inquinant. Quod si cibi, quibus alimur, nobis maculam non afferunt, multo minus cætera, quæ foris tanguntur, quæque intra nos minime admittuntur.

℣. 18. Quæ autem procedunt de ore, &c. Labes omnis vere ex animo oritur. Morales maculas, vitia, peccata non admittit corpus, sed animus,

(20) קרבן שאני נהנה לך (21) Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ᾽ ἐμοῦ. (22) Isai. xxix. 13. ותהי יראתם אתי מצות אנשים מלמדה (23) 70. Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας. (24) Græc. Κοινοῖ, commune, profanum, inquinatum facit. Judæi se ipsos ceu sanctam gentem habebant, quos impuratum rerum contrectatio impuros faceret, suaque sanctitate spoliaret. S. Augustinus, contra Faustum, lib. 18. cap. 31. legit hic *communicat*, pro *coinquinat*. Item S. Hieronymus. (25) Hilar. Theophylact. Euthym. hic & Theophyl. Alexand. Homil. 1. Paschali; Ignat. Ep. ad Trallian. (26) Origen. tom. xi. in Matth. Chrysostom. hic. (27) Origen. Homil. 1. in Jerem. Hieron. hic; Maldon. (28) Bernard. Ep. 34. nov. Edit. & Epist. 78. & Greg. Magn. Homil. 7. in Ezech. & Aug. l. de Libero Arbitr. & Prædestin. SS. Vide & Chrysost. Homil. 52.

mus, dum ope corporis mala agit. Judæus Legis ritus legalesque sordes negligens sive contemnens, procul dubio in Deum peccabat, animoque labem inferebat, non ipsa rerum hujusmodi omissione, sed Divinæ sanctionis hæc imperantis contemptu. Sin vero omnia Dei præcepta summo obsequio prosequutus, ritus aliquos aut Legales expiationes omisisset, firma persuasione credens, hæc animi sanctitati non servire, & mera esse indicia, quibus Judæi homines ab Ethnicis secernerentur, & sepes quædam moralibus institutis admoveretur, hunc peccati reum fuisse non puto; atque hoc ipsum a Christo Discipulos doceri censeo. Cave autem arbitreris, Christum docuisse Discipulos legis præcepta aspernari, qui ea sanctissime ubique servavit. At necesse omnino erat eos discere, quid rei ista essent, & ea evertere, quæ a Scribis & Pharisæis populo tradebantur.

℣. 21. Venit in partes Tyri et Sidonis. Causa hujus profectionis ignoratur. Phœnicum regionem minime ingressus est Jesus: nunciandi Ethnicis Evangelii tempus nondum advenerat: quamobrem in ejus regionis fines venit, ut Judæos doceret: quamdam in domum secessit, ibi moraturus nemine conscio: at quantocius inventus fuit (1).

℣. 22. Mulier Chananæa, a finibus illis egressa, venit, filiæ a Dæmone vexatæ incolumitatem postulans. *Chananæa* dicitur mulier, quod Phœnices Chananæo genere essent; cum Sidon Chanaani filius urbem Sidonem, ejus regionis principem, condiderit. Marcus (2) nuncupat *Græcam Syrophœnissam*; Græcam quidem Religionis causa, cum Ethnici a Judæis eorum temporum *Græci* appellarentur (3); *Syrophœnissam* vero, quod Phœnicia tunc temporis Syriæ Provincia censeretur (4). Phœnices etiam e Syria *Syrophœnices* dicebantur, ut a cæteris Africæ Phœnicibus, seu Pœnis, olim e Phœnicia Syriæ profectis, secernerentur. Phœnicum nomen ducitur ex Hebræo בני ענקיה *Bene-anack*, seu *Beneanakim*, filii Enacim, vel ex פה ענקים *Peanakim*, lingua sive os Anakim; Phœnices enim posteri gigantum Enacim haberi volebant, eorumque sermone, Chananæo scilicet vel Hebræo, utebantur.

Dicere videtur Marcus VII. 24. fœminam hanc Syrophœnissam ad Christum accessisse, cum is lateret, secretaque in domo quiesceret; positoque ante ipsum genu orasse, ut filiam incolumem sibi restitueret. At Matthæus innuit, illam secutam esse Jesum, cum is iter faceret, quippe qui scribat, Christum nihil ei clamanti respondisse, & monitum fuisse ab Apostolis: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Varium hoc discrimen conciliabis, si dixeris, illam clamare statim cœpisse, ubi Jesum in itinere conspicata est; illumque domum subeuntem pone sequutam, humi procubuisse, postulantem, ut filiæ suæ misertus incolumem restitueret: cujus constantia victum denique Jesum dixisse, missum se esse dumtaxat ad Israelis filios qui perierant, &c. Vel: Domo egressum consecuta est, quæsitumque beneficium importunitate impetravit.

Fili David. Ethnici etiam & alieno genere nati certo noverant, Messiam e genere Davidis fore. Porro Jesus sub hoc nomine per universam late eam regionem agnoscebatur. Mulieris hujus adorationem ex vero latriæ cultu fuisse, Patres censuere (5).

℣. 24. Non sum missus nisi ad oves, &c. Ethnicos etiam ad fidem vocare meditabatur Jesus; id tamen nonnisi per Apostolos gerendum erat. Æterno Dei consilio, Evangelium tunc denique nunciandum erat alienis, ubi illud respuerent Hebræi. Hos quærens Jesus, ostensurus illis erat, sese verum esse Messiam, salutis & libertatis comparandæ illis gratia missum.

℣. 27. Etiam, Domine; nam et catelli, &c. Inter heriles filios me non recenseri, minime inficior: canis sum, alieno genere nata; at catelli saltem vescuntur micis, &c. Quæ abundant ex beneficiis, quibus Israelis filios cumulas, ea dumtaxat mihi largire. Congeris super illos beneficia; tua illos cognitione comples; prodigia quolibet tempore illorum gratia exhibes: nos miserrimus ita: ne rejicias, ut omni penitus ope destitutas. Reddi Græcus potest (6): *Utique, Domine*, iniquum foret, panem filiorum canibus mittere: *sed & catelli*, &c. Vel: *Obsecro, Domine; saltem enim catelli edunt*, &c. Marcus (7): *Utique, Domine; etenim catelli sub mensa comedunt e micis puerorum.* Canes erant Ethnici & profano Numinum cultu, & flagitiis, quibus insana illorum religio abundabat. Chananæa mulier figura est Ecclesiæ Christianæ, ex profanis conversæ, uti animadverterunt Patres.

℣. 29. Cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ. Iter Jesu Christi accuratius describit Marcus VII. 31. *Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* Scilicet, e finibus Tyri profectus est septemtrionem versus usque Sidonem; tum ad orientem conversus ad radices Libani, Jordanem transivit circa vel supra illius fontem, & ad meridiem rediit per mediam Decapolim ad Lacum Genesareth. Prodigium mox narrandum gestum est trans mare Tiberiadis ad orientem, eo enim loco sita est Decapolis, uti supra docuimus (8); & oppidum Magedan, quo post prodigium trajectu mari se recepit, cis Jordanem est ad orientem, quemadmodum mox probandum est in ℣. 39. Operæ pretium est hoc animadvertere, cum plerique Interpretes hac in re parum accurati sint.

℣. 30. Mutos, cæcos, claudos, debiles. Græca vocabula significare videntur (9) *cæcos, claudos*, homines gradiendi facultate penitus destitutos, *surdos*, vel *mutos*, *membro captos*, vel *mutilos*, membris nimirum vel impeditis, vel fractis, vel paralyticis.

℣. 31. Mutos loquentes, &c. Græcus addit (10): *Membris captos sanatos.* Hæc verba fortasse non legit in suo Codice vetus Author Vulgatæ; quemadmodum & S. Augustinus, S. Hieronymus, Versio Cophtica, Arabica, Æthiopica, & Græci Codices nonnulli.

℣. 32. Triduo jam perseverant mecum. Ut Apostolorum fidem confirmet, simulque prodigii magnitudinem & necessitatem demonstret, Jesus tertium ad diem & ad extremam populi inopiam differt, antequam imperet Discipulis, annonam turbis exhibeant. Cave tamen putes, turbam totos tres dies cibo caruisse, cum id ex Evangelio non constet; sed cum triduo perseverasset turba, deficiente annona, Jesus Discipulos monuit: *Nec habent quod manducent.*

℣. 39. Venit in fines Magedan. *In partes Dalmanutha*, inquit Marcus (11); & Matthæus in Græco (12): *In fines Magdala*; sive ex veterum librorum fide, inter quos Cantabrigiensis, Syriaci & Arabici, *Magadan*. Varia etiam est apud manuscriptos Marci libros lectio, plures enim pro *Dalmanutha* ferunt *Magdala*, vel *Magdeada*, seu *Magedan* (13). Codices multi S. Marci, ætate Au-

[1] Marc. VII. 24. Εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν, οὐδένα ἤθελε γνῶναι, καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν. [2] Marc. VII. 26. Ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἑλληνίς, Συροφοίνισσα τῷ γένει. [3] Joan. VII. 35. Act. XIV. 1. XVIII. 14. Rom. I. 14. & passim. [4] Plin. lib. V. cap. 12. [5] Origen. Hieron. hic; Ambros. in Psalm. XLIII. S. Chrysost. Homil. 52. Hilar. hic, &c. [6] Ναί, Κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν. [7] Marc. VII. 28. Ναὶ Κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ὑποκάτω τῆς τραπέζης ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν παιδίων. [8] Vide Matth. IV. 25. [9] Τυφλούς, κωφούς, χωλούς, κυλλούς. [10] Κυλλοὺς ὑγιεῖς. [11] Marc. VIII. 9. 10. Εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά. [12] Εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά. [13] Vide Var. Lect. Mill. in Marc. VIII. 10.

Augustini & Hieronymi, hababant *Magedan*. Cum vero Vulgata, & plerique probatissimi Codices, Syriaca, & Arabica Erpenii versio, & Græci Interpretes hoc loco apud Marcum legant *Dalmanutha*, & apud Matthæum *Magedan*, hæc verissima omnium lectio censenda est. Laborandum hic est, ut duplicis hujus oppidi situs definiatur. Nulla penitus in Veteri Testamento, vel in Josepho, seu vetusto Geographo legitur *Dalmanutha*. Qui hanc in Tabulis describunt, temere nulloque argumento ducuntur. Quærenda est igitur *Magedan*, ut *Dalmanuthæ* locus inveniatur.

Putat Brocardus Descript. Terræ Sanctæ c. 3. *Magedan*, sive uti a Saracenis dicitur, *Me-dan*, *aquæ dan*, esse Jordanis fontem, nomine *Dan*, ad Libani radices. At fallitur; *Medan* enim *nundinas* significat (14). Conveniunt quotannis circa lacum Phialam magno numero Saraceni, Arabes, Parthi, aliique totam ibi æstatem agentes, quod & amœnissimus sit locus, & negotiationi opportunissimus (15). Hinc fit, ut *Medan*, seu nundinæ, appelletur. Hegesippo (16) dicitur *Melda*, seu *Meldan*, nempe *platea*, *forum*, ob convenarum multitudinem, cujus ipse disarte meminit. Fortasse igitur a *Meldan* confictum est *Dalman*, additis syllabis *uta*, quemadmodum usu venit interdum in propriis locorum appellationibus, ubi motus significatur, *Dalmanutha*.

Eusebio & S. Hieronymo Magedan circa Geralam jacet trans Jordanem, eaque regio ipsorum ætate *Magædana* appellabatur (17). Hinc etiam colligitur, Eusebium legisse *Magadan* apud Marcum & Matthæum, cum hodie Marcus habeat *Dalmanutha*. Porro *Gerasa* trans mare Tiberiadis jacebat, ad orientem: Magedan igitur in ea etiam regione sita erat.

Unica hic est difficultas, quod Christus e Sidonis finibus profectus, Tiberiadis mare trajecit, pastisque quatuor hominum millibus brevi septem panum, & quorumdam pisciculorum annona, conscenso navigio Magedan venit (*Matth.* xv. 39. *Marc.* viii. 10.). Iterum e Magedan trajecto mari Bethsaidam appulit (*Marc.* viii. 13.... 22.), hinc Cæsaream Philippi, circa fontes Jordanis (*Matth.* xvi. 13. *Marc.* viii. 27.). Porro si Christus trans Jordanem & Mare Tiberiadis erat, cur navigio usus est, ut Magedan, oppidum in eadem parte, eademque maris ora situm, proficisceretur? Nimirum quo citius & commodius iter faceret, uti fit quotidie ad stagnorum litora, ubi levandi laboris causa maritimum iter eligitur. Quamobrem non scribit Evangelista, illum mare trajecisse, sed conscenso navigio venisse Magedan seu Dalmanutham. Hinc *trajecto mari* Bethsaidam profectus est, atque inde Cæsaream Philippi. Ita difficultas omnis aufertur.

Magdalam præferunt Cellarius & Ligfootus (18), eamque urbem jacuisse putant circa Gadaram & Tiberiadem, ad orientem lacus Genesareth; ac Mariam Magdalenam, in Evangelio notissimam, nomen referre ex *Magdala*, cujus meminere Josephus l. de Vita sua, & Thalmud (19): Dalmanutham vero, oppidum apud Historicos incognitum, prope Magdalam collocant. Non magnopere dissident hi ab Eusebio, cum Gadara & Gerasa vicinæ urbes sint, eademque in regione jaceant trans mare Tiberiadis.

Hammondus aliique nonnulli putant, urbem esse *Mageddo*, quam Syrus hic nuncupat *Magedu*, & Zacharias *Magedon* (20). Hæc trans Jordanem erat, in dimidia Tribu Manassis (21), quam Ochozias (22) & Josias (23) Reges obitu illustravere; quorum postremus e vulneribus in prælio adversus Nechaum Ægypti Regem relatis ibi expiravit. Jacebat illa prope montium fauces, e Palæstina in Phœniciam patentes. Ingens ibi planities ferme Tiberiadem usque porrigebatur. Quinque & quadraginta circiter passuum millibus Mageddo aberat a mari Genesareth. Neque eo se contulisse Christum, sed ad illius fines, Evangelista testatur, ex librorum quorumdam fide (24): *In montes Magedan*: vel ex Marco, in regionem *Dalmanutha*. Mageddo tamen longius aberat a mari Tiberiadis, quam ut dici queat Christus per mare Tiberiadis venisse Magedan, iterumque inde Bethsaidam. Magedan procul dubio locus erat ad mare Tiberiadis situm, & fortasse in orientali ejus maris ripa, testibus Eusebio & S. Hieronymo; quibus nos accedimus.

Magedan seu potius Medan sonat nundinas celebres, quæ ad fontes Jordanis & circa lacum Phiala celebrantur. Eo frequentes conveniunt Saraceni, Arabes, Parthi, aliæque undique gentes allectæ amœnitate loci & facilitate commercii. Natum hinc nomen Medan nempe *robur*. Id claris verbis asserit Hegesippus, nomenque loco tribuit *Melda*, seu *Melden*, quod ille interpretatur platea, forum Delman. Eo facile perduci potest Dalman, Dalmanat, Dalmuta. Persæ appellant Medan, seu Maidan forum, ubi agunt suum Marta. Chrisippus pag. 108. Vide Relandum Palæst. tom. 1. cap. 41. pag. 265.

[14] Vide Reland. Palæstin. tom. 1. cap. 41. pag. 265. [15] Sanutus de Secretis fidel. crucis, p. 246. [16] Hegesyp. pag. 105. [17] Euseb. in locis: Καὶ νῦν ἐστὶν ἡ Μαγαιδάνη περὶ τὴν Γεράσαν. [18] Cellar. Geograph. Antiqu. lib. 3. cap. 13. pag. 647. [19] Thalmud, in Thaanit, fol. 20. [20] Zachar. xii. 11. [21] Josue xvii. 11. [22] 4. Reg. ix. 27. [23] 4. Reg. xxiii. 29. [24] Εἰς τὰ ὄρη Μαγεδάν.

C A P U T XVI.

Pharisæi & Saducæi Jesum tentant. Signum Jonæ Prophetæ. Fermentum Pharisæorum & Saducæorum. Quid senserint de Jesu Christo turbæ. Petri fides. Cœli claves. Christi Passio. Mors & Resurrectio prædicitur.

℣. 1. ET accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis. 2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum: 3. Et mane; Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. 4. Faciem ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit. 5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. 6. Qui dixit

illis:

illis: Intuemini, & cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. 7. At illi cogitabant intra se dicentes; Quia panes non accepimus. 8. Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis. 9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? 10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? 11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum. 13. Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. 15. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. 17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. 20. Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. 21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. 22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc. 23. Qui conversus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. 24. Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. 26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. 28. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

℣. 1. ACCESSERUNT AD EUM PHARISÆI ET SADDUCÆI. Pharisæorum ac Saducæorum sectæ opposita invicem habebant dogmata & principia: cum vero repugnandum erat Christo, simultas omnis cessabat, communemque adversarium junctis viribus aggrediebantur.

ROGAVERUNT EUM UT SIGNUM DE CÆLO OSTENDERET EIS. Hoc iterum rogant Christum Pharisæi (1), quasi nulla illi fuerit potestas prodigia patrandi in aere aut astris, quemadmodum in elementis, quibus homines circumdamur, morbisque gerebat.

℣. 2. FACTO VESPERE DICITIS: SERENUM ERIT. Rationa optime utimini, dum tempora, & naturalia serenæ vel procellosæ tempestatis indicia animadvertitis. Cæci statim & amentes efficimini, ubi noscenda sunt indicia adventus Messiæ, ejusque regni exorientis, quamquam multo certissima, neque minus luculenta, quam pluviæ aut serenæ tempestatis. Consulite Prophetas, utrum expleta in me sint penitus atque adamussim illorum vaticinia. Prodigia mea inspicite, atque utrum his majora vel plura editurus sit Messias. Prodigium e cœlo postulatis: an illud accius persuasurum vobis est, quam ea quæ quotidie ob oculos vobis versantur? Peritissimi rerum astronomicarum estis, ubi vel sudum prædicendum est, vel imber: at ea quæ vestri instituti sunt, penitus ignoratis. Nihil vos movent impleta vaticinia, regnum quod ex Judæ familia excidit, finis hebdomadum Danielis. (℣. 4.) *Faciem Cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire.* Sunt (2) qui interrogationis notam his verbis addant, & sunt (3) qui auferant; utrique nullo sententiæ detrimento.

Hæc verba, ℣. 2. *Vespere dicitis*, &c. usque ad illa, ℣. 4. *Generatio mala & adultera signum quærit*, in plerisque libris non legebantur, teste S. Hieronymo (4), sed dumtaxat: *Accesserunt ad eum Pharisæi & Saducæi tentantes; & rogaverunt eum, ut signum de Cœlo ostenderet eis. At ille respondens, ait illis: Generatio mala & adultera*, &c. nulla præsagiorum serenæ aut procellosæ tempestatis mentione. Omittunt etiam versio Cophtica, & Parisiensis Codex unus. Alter Basileensis liber hæc obelo notat, veluti dubia (5).

℣. 4. SIGNUM JONÆ PROPHETÆ. Jesu Christi Resurrectio prodigio Jonæ ceu figura significabatur. Vide supra XII. 39.

℣. 5. OBLITI SUNT PANES ACCIPERE. Provinciæ & ætatis illius mos ferebat, ut quilibet iter aggrediens, annonam sibi compararet. Quoties Christus turbas pavit, id ex annona Apostolorum præstitit.

℣. 6. CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM ET SADDUCÆORUM. Fermenti nomine dogmata significat. Fermentum Pharisæorum erat hypocrysis (6), aut superstitiosus paternarum traditionum amor, quo

[1] Vide supra XII. 38. 39. [2] Chrysost. Theophylact. [3] Hieron. Hilar. Euthym. Beda. [4] Hieronym. in hunc loc. [5] Vide Var. Lect. Mill. hic. [6] Luc. XII. 1. *Cavete a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.*

ii tenebantur. Saducæorum vero fermentum erat (7) pessima illa persuasio, nullos esse Angelos, nullos dæmones, nullam mortuorum resurrectionem, aut animæ immortalitatem. Marcus (8) pro fermento Sadocæorum habet *fermentum Herodis*, vel ex plurium librorum fide, *fermentum Herodianorum*; quibus ex verbis nonnulli colligunt (9), Herodem fuisse Saducæum, vel Saducæos partibus Herodis ac Romanorum accessisse (10). Nobis Herodiani sunt asseclæ Judæ Galilæi, qui tributum Romanis pendendum esse negavit. De his fusius agemus in Dissertatione de sectis Judæorum. Monet Apostolos Christus, ut ab utroque fermento caveant, illorum dogmata fugiant; quemadmodum enim fermentum conspersionem omnem acribus particulis pervadit, ita Pharisæorum & Saducæorum dogmata omnem illorum vitam & gesta omnia corrumpit.

℣. 7. Cogitabant intra se, dicentes. Reddi potest Græcus (11): *Colloquebantur inter se ipsos, dicentes*. Secum ipsi reputaverant, verba Christi monentis, ut a Pharisæorum Saducæorumque fermento caverent, vetare, ne panem ab hoc hominum genere emerent: quamobrem illis succurrit, oblitos se esse annonam itineris causa sibi comparare: at statim Christus errorem depulit, docens, fermento intelligendam esse doctrinam.

℣. 13. Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi. Tradit Marcus (12), Christum, antequam Cæsaream Philippi proficisceretur, sese contulisse Bethsaidam, ubi cæcum sanavit. De hoc disputabimus in Commentariis ad Marcum. Cæsarea Philippi ita dicitur, ut ab altera Cæsarea secernatur, ad Mediterraneum sita, in loco qui olim *Turris Stratonis* dicebatur & ab Herode magno in Augusti memoriam condita. Hanc, de qua agimus, ornavit auxitque Philippus Tetrarcha, magni Herodis filius, & Augusto dicavit, unde illi nomen *Cæsareæ Philippi*. Olim ibi fuit locus, *Paneas* nomine, prope fontes Jordanis (13). *Nerodiadem* deinde a Nerone nuncupavit Agrippa (14). Jesus igitur circa Cæsaream Philippi iter habens, omnia illius regionis oppida peragravit (15).

Quem dicunt homines esse filium hominis? Teste Luca IX. 18. Christus orabat solus, & iter agebat, authore Marco VIII. 27. cum accedentibus Discipulis petiit, quid de se homines sentirent. Putat S. Augustinus (16), absoluta demum oratione, atque iter rursus ingresso, accessisse Discipulos; secesserat enim ut oraret. Triplex est hujus loci lectio. I. *Quem dicunt homines esse filium hominis* (17)? II. *Quem dicunt homines me esse? Filium hominis?* Vel III. (18), *Quem me dicunt homines esse*, me *filium hominis*? Sui sunt singulis patroni, omnesque in eamdem sententiam conveniunt. Filium hominis sese nuncupat, modestiæ causa, inquit S. Hieronymus: *Ne jactanter de se loqui videretur*.

℣. 14. Alii Joannem Baptistam, &c. Communis erat, uti animadvertimus (19), multitudinis persuasio, Joannem Baptistam in Christo ad vitam esse revocatum; idemque putasse videtur Herodes, vel scilicet ille quoddam metempsychoseos genus admiserit, aliud ab eo, quod a Priscis tradebatur, vel illud solommodo voluerit, eumdem esse Jesu animi fervorem æstumque, & easdem sententias, quibus Joannes Baptista instruebatur. Suspicabantur alii, ipsum forte esse Eliam, quem veluti Messiæ præcursorem præstolabantur; lenitas enim & prodigia a Jesu exhibita illis persuadere non potuerant, ipsum esse Messiam, dum exercitu instructum non cernerent, eoque gloriæ & majestatis apparatu, qui hominum Regem & Liberatorem Israëlis deceret. Erant denique, qui illius constantiam adversus & Pharisæos & flagitia Judæorum mirati, Jeremiam esse crederent e mortuis revocatum. Unusquisque suo ex ingenio judicabat. Varias Judæorum sententias de Metempsychosi expendimus in Lucam, IX. 7.

℣. 16. Respondens Simon Petrus, &c. Hanc præbuit occasionem Christus, ut illos doceret, quid de se recte sentiendum esset. Consueta Petrus alacritate nomine omnium respondit (Petrum appellant Patres (20) *os Apostolorum*, & (21) *Præconem Ecclesiæ*): Tu es Christus, Messias, Filius Dei vivi, Servator tam diu expectatus: tu unicus verusque Dei filius, natura, non adoptione, quemadmodum Sanctis viris & Prophetis datur (22).

℣. 17. Beatus es, Simon Bar Jona. Simeon, vel Simon, verum est Petri nomen, deinde in *Cepham*, *Petram* scilicet, conversum. Pater illi fuit *Jochanna*, sive *Jona*, vel Joannes. *Jona* contractum est ex *Jochanna*. *Bar* Chaldaice sonat *filium*. Græci Codices nonnulli ferunt *Johanna* pro Jona (23). Petri responsionem confirmat ac probat Jesus, dum illum beatum prædicat, quod gravissimum dogma felicissime agnoverit.

Caro et sanguis non revelavit tibi, &c. Hæc non inter homines carni & sensibus deditos didicisti, neque veritatem hanc tuis ipsius viribus, aut naturali acie ingenii assecutus es; sed Pater meus te docuit. Docilem ille animum, mentemque acerrimam tibi largitus est, ut ex institutionibus ac gestis meis me verum esse Messiam intelligeret, quin te aut natalium obscuritas, aut conditionis paupertas offenderint. *Carnem & sanguinem* passim usurpat Paulus, ut spiritui opponuntur. Ita (24): *Non acquievi carni & sanguini*. Et (25): *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores*. Et (26): *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*.

℣. 18. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra es nomine & re: petræ firmitatem habes, ac super te Ecclesiam meam, locumque colligendis Fidelibus meis destinatum condam. Perspicuum omnino est, hæc ad unum Petrum pertinere, atque his verbis Christum Petro polliceri nedum Apostoli dignitatem, qua diu antea illum ornaverat, sed supremam inter ceteros gloriam, ut Ecclesiæ fundamentum sit, columna, basis. Primum Ecclesiæ fundamentum, invisibile Caput, Sponsus est Christus. Apostoli omnes fundamenta sunt (27), columnæ (28), portæ (29), teste Scriptura: at inter ceteros Apostolos Petrus ejusque successores Principatus & jurisdictionis prærogativam a Christo traditam obtinuere. Semper ille Apostolorum Princeps & Caput habitus est, & Ecclesia Romana, quam is sedem suam esse voluit, totius Christianæ Ecclesiæ & Religionis centrum nunquam

nun

(7) Vide Matth. XXII. 23. Act. XXIII. 8. Joseph. Antiqu. lib. XVIII. cap. 2. (8) Marc. VIII. 15. Ἀπὸ τῆς ζύμης Ἡρώδου. Alii Codd. Τῶν Ἡρωδιανῶν. (9) Ita Cleric. hic, ad Hammond. Harduin. de Nummis Herodiad. (10) Grot. Hammond. (11) Διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς, λέγοντες. (12) Marc. VIII. 22. . . . 27. (13) Joseph. de Bello, lib. 2. cap. 13. (14) Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 8. (15) Marc. VIII. 27. Ἐξῆλθεν εἰς τὰς κώμας Καισαρείας τῆς Φιλίππου. (16) Augustin. lib. 2. de Consensu Evang. cap. 53. (17) Ita Latini Codd. plerique August. Hieronym. Copht. Arab. Æthiop. (18) Ita Græc. Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, Epiphan. Theophyl. Hilar. August. lib. 2. de Cons. Greg. Mag. in mss. (19) Matth. XIV. 2. (20) Chrysost. Homil. 55. (21) Cyrill. Jerosol. Catech. XI. (22) Vide Hilar. hic, & lib. 6. de Trinit. num. 36. 37. Athanas. pluribus in locis. (23) Βὰρ Ἰωνᾶ. Alii Βὰρ Ἰωάννα. Ita Vechel. & alii apud Joan. XXI. 15. & ita legendum censet Hieron. hic. (24) Galat. I. 16. (25) Ephes. VI. 12. (26) I. Corint. XV. 50. (27) Apoc. XXI. 14. Ephes. II. 20. (28) Galat. II. 12. (29) Apocal. XXI. 14.

non existimata est. Hoc porro justum est præmium confessionis Petri.

Patres nonnulli (30) *hanc petram* interpretantur fidem seu confessionem a Petro exhibitam. Alii (31) Christum ipsum, qui revera Ecclesiæ fundamentum est, Lapis angularis, primum caput, sine quo esse nequit. At plerique ipsum Petrum (32); & S. Augustinus l. 1. Retract. c. 21. qui locum hunc, quemadmodum & nos, explicaverat de Petro (33), super quem condita est Ecclesia, fatetur, se non semel explicavisse de Christo, Ecclesiæ fundamento, ac dixisse, Petro Ecclesiam significari, ubi ait Christus, ipsum esse petram, super quam condita erat Ecclesia. Denique optionem relinquit Lectori, ex his explicationibus eligat quam maluerit. Procul dubio autem maxime simplex & ex fide verborum ea est, quæ de Petro Ecclesiæ fundamento interpretatur. Id porro nostra ætate in confesso est vel apud eos, qui a Romanæ Ecclesiæ communione abhorrent (34), quamquam in reliquis interpretationis partibus dissentiunt; ac tametsi Patres in hujus loci explicatione dissident, nemo tamen est, qui neget, Petrum esse Ecclesiæ fundamentum, atque Apostolorum Principem & caput; at Jesu Christo subjectum, primo omnium Capiti & fundamento, cui & Ecclesia & ipsimet Apostoli inædificantur. Syriaco sermone, quo utebatur Christus, nullum est generis discrimen inter *Petrum* & *Petram*: neque secerni in eo possunt *Petrus* Apostolorum Princeps a *Petra*, super quam condita est Ecclesia.

Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ecclesiam comparat Christus cum domo vel arce super rupem constructa. Hanc minime quassum vel captum iri prædicit ab inferorum portis seu viribus. Hostium portæ, apud Scripturam, sunt illorum vires, arma, conatus. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum* (35), superabit. Et contra (36): *Vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas*, urbes, arces. Describitur Dæmon ceu mundi Princeps, ceu Rex, cui Dæmonum legiones obtemperant. *Portæ inferi* universum illius imperium & exercitum significant. Nunquam igitur Dæmon tyrannidem in Ecclesiam exercebit, nunquam illam superabit. Illam quidem hæresum armis aggredietur, tyrannorum odiis vexabit, aliquas illius partes & membra opprimet: nunquam omnino illi dominabitur (37). Neque mortis metus, neque hostium sævitia, neque dæmonis artes illud efficient, ut Ecclesia esse desinat, & Apostolici viri dogmata illius & causam non tueantur.

Aliter: Mors illi nunquam dominabitur: nunquam peritura est Ecclesia. Intelligi possunt *portis inferi* mors & sepulcrum (38). Inferos Hebræi in imo terræ loco sub aquis collocant, ubi & torquentur impiorum animæ (39), & Diabolus imperium exercet. Impios in terris viventes sub tyrannide habiturus erat Dæmon, donec veniente Messia in tartara detruderetur. Simili ferme sententia ait Sponsa Cant. 8. 4. *Fortis est ut mors dilectio, dura*, imperiosa, *sicut infernus*, nempe sepulcrum. Amorem mors & sepulcrum suis legibus coercere non possunt. Vel: Ita difficile amori resistitur, ut moriendi necessitati. Tradit hoc loco Christus, Ecclesiam suam liberam esse a sævissimis inferni & mortis legibus, atque æternum perseveraturam. Singuli, a quibus componitur, obnoxii sunt morti: ipsa est immortalis. Qui in Ecclesiæ sinu mortem obeunt, certa resurrectionis & immortalitatis spe moriuntur, atque ita mortis portæ adversus illos non valent (40). Putat Maldonatus, hæc verba, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, tantumdem sonare atque hæc: *Portæ inferi non resistent illi*. Christiana Ecclesia bellum indicet dæmoni & inferis, & victoriam referet: at huic explicationi non favet Græcus, non secus ac Vulgata vetus, ferens: *Portæ inferi non vincent illam*.

℣. 19. Et tibi dabo claves Regni coelorum. Clavis supremam potestatem significat. Describitur in Apocalypsi 3. 7. Dei Filius claves Davidis gerens: *Aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*. Interdum clavis est authoritas, vel œconomi munus apud Principem. Pollicetur Isaias, xxii. 22. Eliacimo supremam apud Reges Juda administrationem: *Dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Similem in Ecclesia authoritatem Petro promittit Christus, quam apud Reges Juda Eliacimo Isaias. Ecclesiæ meæ & Regni Cœlorum clavim geres. Sanctum erit quodcumque feceris; quæque vel jusseris vel vetueris, rata erunt. Domus meæ procuratorem & Oeconomum te instituo. Hæc, ut mihi videtur, est literalis loci hujus interpretatio (41).

Hæc porro omnia tropica sunt; neque enim terrenum inter homines regnum condidit Christus Jo. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Cœlorum Regnum ipsa est Ecclesia Christiana (42): supremam hic authoritatem exercet Petrus; hic ligat, hic solvit: hic aperit, atque hic claudit, idem enim sonant *ligare* & *solvere* atque *aperire* & *claudere*; olim quippe soluto vecte aperiebatur, claudebatur vero eo religato, ut alibi docuimus (43). Ad verbum usurpandæ non sunt hujusmodi locutiones, cum Ecclesia domus terrena non sit, cui præsit homo, illius clavim gerens, qua aperiat claudatque. Apud ipsos Reges Juda clavis insigne erat dignitatis symbolicum, significans damnandi atque absolvendi potestatem, concedendi seu vetandi, pœna vel præmio afficiendi, ad Principis tamen nutum, atque ea legibus ab illo sancitis. Eadem Petro & successoribus authoritas in Ecclesia est: vetant nimirum & probant, absolvunt & damnant, pœnas vel præmia distribuunt, ex mente & legibus, quas Dei Filius & Spiritus Sanctus instituare, quorum ipsi Ministri sunt & Vicarii.

Illud addit Christus, quo Petri dignitas, ejusque potestatis præstantia magis magisque commendatur: *Quodcumque ligaveris*, vetueris scilicet atque damnaveris, *super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris*, concesseris, absolveris, *super terram, erit solutum & in cœlis*: ratum scilicet probatumque in Cœlo habebit Dei Filius, quicquid ejus nomine Apostolus in terris egerit. Quorum crimina hic in terris dimiserit, in Cœlo absoluta habebuntur; & quorum peccata retinuerit, ii & in Cœlo damnabuntur (44). Nihil certe hac potestate augustius excogitari potest: neque res est, quæ in sola contemplatione consistat. Potestatem hanc exercuit semper Petrus, & adhuc per Successores exercet.

(30) Vide Hilar. lib. 6. de Trinit. num. 36. 37. Greg. Nyss. contra Judæos; Chrysost. Homil. 53. in Matth & orat. 2 contra Jud. Cyrill. Alex. lib. 4. de Trinit. Ambros. in Luc. 9. 2. Greg. Magn. (31) August. pluribus in locis, ut Tract. 27. & 124. in Joan. Vide & Orig. tom. 12. in Matth. Edit. Huetii. (32) Hilar. hic, & in Psal. cxxxi. num. 4. (33) August. lib. contra Epist. Donati, & alibi passim. Vide Maldonat. hic. (34) Camero, Prælection. in hunc locum; Clerc. hic, not. ad Hamm. Hammond. hic; Grotius in Matth. xvi. (35) Genes. xxii. 17. & xxiv. 60. (36) Deut. xxviii. 52. (37) August. lib. 1. de Symbolo ad Cathecum. Epiphan. Anchorat. Euthym. Theophylact. (38) Psalm. ix. 15. cvi. 18. Sap. xvi. 13. Isai. xxi. 26. xxxviii. 10. (39) Vide Job 5. Prov. i. 12. xxvii. 20. Isai. xxviii. 15. (40) Vide Grot. Cameron. Le Clerc. (41) Vide Maldan. Menoch. Brugens. Grot. Le Clerc, hic. (42) Vide dicta ad Matth. iii. 2. Brug. Est. Jans. Natal. Alex. Maldon. (43) Vide nostram Dissertationem de domiciliis Hebræorum. (44) Joan. xx. 23.

Innumeris Hebræorum testimoniis docuit Ligfootus, verbis hisce, *ligare & solvere*, apud illos significari, permittere seu vetare, judiciali sententia decernere, aliquid fas esse vel nefas. Cum Hebræi suos Doctores pronunciarent, claves illis tradebant, simul addentes: *Accipe potestatem ligandi atque solvendi;* ut eo ritu innuerent, illos a se eligi, ut cæteros edocerent, explicarent mysteria, & difficillima Legis ac traditionum loca explanarent (45).

At collata Judæis Doctoribus potestas longe minor est, quam Apostolorum, multiplici ex capite. I. Apostoli ab ipsomet Christo authoritatem accepere: Judæi Doctores a sui similibus accipiebant, vel, si mavis, a Republica, quorum authoritas neque animos neque mentes afficiebat, neque in Cœlum usque porrigebatur. II. Hebræorum Doctorum potestas in eo sita erat, ut Leges docerent, aut aliquid fas vel nefas esse ea Moysis Lege seu traditionibus pronunciarent. At Apostoli novas condere sanctiones possunt; sancire, seu vetare; integra deinde authoritate absolvere damnare. III. Hebræorum potestas Sacerdotibus, Regibus, & Reipublicæ obnoxia erat: Apostolorum potestas, quod ad spirituale jus pertinet, uni Deo subdita est. IV. Illorum judicia, pronunciata, sanctiones revocari in examen a majoribus judicibus poterant, expendi & probari, sive damnari: quæ sanciunt Apostoli, Dei ipsius & Spiritus Sancti responsa censentur. V. Judaicæ potestatis fundamenta sunt haustæ ex Legis meditatione & studio cognitiones; Apostolorum authoritas oritur e Sancti Spiritus præsentia, ipsis promissa, & nunquam usque ad sæculorum exitum defutura.

Antithesin hanc idcirco institui, ut alteram alteri quam longissimo intervallo præstare docerem, adversus quosdam, qui Apostolicam ad Rabbinicæ potestatis exemplum institutam esse tradunt; quamobrem, tametsi cum Judæorum disciplina conferatur, nihil inde colligi, quod Ecclesiasticæ potestati noceat. Non iverim inficias, plura esse, quæ Christus ea Judæorum consuetudine usurpavit, eumque passim ad ea alludere, quæ usu in Synagoga excepta fuerunt: at illud minime hinc fit, ut eodem sensu in Evangelio usurpentur, neque latiores habeant significationis fines, quam apud Synagogam habent. De hoc loco iterum sermo recurret, ubi de Excommunicatione disputandum erit, & in Matthæum, XVIII. 17. 18.

Cæterum cave dixeris, claves ita Petro datas esse, ut cæteri Apostoli excludantur (46); quemadmodum idem fundamenti lapis non ita appellatur, ut ea dignitas cæteris Apostolis communis non habeatur; sed clavium potestas Petro traditur ratione longe præstantiori: primatum unus accipit, non dignitate solum, sed & jurisdictione. Cæteri etiam Apostoli Principes & Capita Ecclesiæ sunt: at Petrus omnium primus. Cum vero legis, Petro dici, *Quodcumque ligaveris & solveris super terram, erit ligatum & solutum in cælis*, ne existimaveris, fas esse Petro quemlibet temere nullaque ratione absolvere vel damnare (47). Quod facturus esset ipse, id largitur Petro Christus ut faciat. *Judicatura Christi nemo præjudicet*, inquit S. Cyprianus (48). Præterea, cum ligant aut solvunt Apostoli, non illud solummodo præstant, ut hominem vel damnatum vel absolutum esse pronuncient, quemadmodum Hæretici sentiunt (49), sed revera damnant & absolvunt (50). Denique ubi legis, quicquid Apostoli ligaverint & solverint *super terram*, in Cœlo ligatum & solutum fore; ne illud intelligas, illorum potestatem in homines vita egressos non porrigi. Excludere vivos communione potest Ecclesia; mortuos suffragiis destituere: potest in communionem revocare, atque in precum & suffragiorum partem, vel ab his arcere (51).

℣. 20. Tunc præcepit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. *Jesus* hoc loco non legitur in Codicibus bene multis, tum Græcis, tum Latinis (52); ipsumque hic abundare, eruditi quamplures arbitrantur. Cur autem Jesus suam Messiæ dignitatem palam prædicari vetat? Idcirco, ait Lucas IX. 2. quod Filius hominis ærumnis & Judæorum contemptui objiciendus esset, a Scribis & Pharisæis rejiciendus, postremo nece tollendus. Igitur ne cognita Messiæ dignitas passioni & morti illius repugnet, siletur. Fortasse etiam Scribas & Pharisæos acrius irritare noluit; vel denique, magna satis fortasse authoritas Apostolis nondum erat, ut Filium Dei esse Jesum, populo persuaderent (53). Jesus e mortuis reversus, Apostolis imperat, ut hoc ipsum ubique prædicent: qua prædicatione confirmanda erant cætera, quæ hactenus egisset, & reliqua argumenta majori pondere cumulanda. Si Messiam se esse ante Passionem mortemque palam prædicasset, fortasse illius supplicium offensioni adeo fuisset imbecillis, ut ægerrime essent ad ipsum redituri (54).

℣. 21. Oporteret eum ire Jerosolymam. Confirmatis in fide suæ Divinitatis ac dignitatis Messiæ Apostolis, proximum Passionis suæ mysterium illos docet, ne viso ipsius supplicio terreantur aut offendantur.

℣. 22. Et assumens eum, &c. Jesum manu seu veste apprehendit Petrus, vel seorsum duxit, ex vi Græci vocabuli (55), contenditque, hujusmodi opprobria unicum Dei Filium minime decere. Acri vividoque ingenio agitur Petrus: vividiorem fidem mox ostenderat, nunc maximam benevolentiam testatur. *Absit a te, Domine: non erit tibi hoc;* vel (56): *Avertat hoc a te Deus*; seu denique: *Hæc mala tute ipse a te averte*.

℣. 23. Vade post me, satana, &c. Hæc dicens & Petrum repulit, & Apostolos intuitus est Marc. 8. 33. *Sathan* proprie est adversarius, accusator. Abscede, adversarie, qui me in infidelitatem pertrahere conaris. Verba tua ita excipio, quemadmodum in causa excepturus sim verba adversarii (sathanæ), monentis ut aliquid facerem aut dicerem, quod causæ meæ detrimento foret. Laqueum mihi paras: abscede. Modo beatum prædicaverat Jesus Petrum, quod ea nosset, quæ caro & sanguis minime docuissent: statim vero sathanam nuncupat ac deceptorem. Unde hoc? ait S. Augustinus (57). Nimirum tunc Petrus Dei Spiritu docente loquens, ea dicebat quæ ex Patre didicerat; hic proprio ipsius spiritu loquitur, atque uti homo, ea sectatus quæ caro & sanguis do-

(45) Vide Ligfoot. horæ Thalmud. ad Matth. XVI. Alting. Hist. Pinmoi. Academ. Maimon. Tract. Sanhedrin, cap. 4. (46) August. Serm. 295. alias de Divers. 108. *Has claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est: Tibi trado, quid omnibus traditum est.* Vide & in Psalm. CVIII. num. 1. & Tract. 50. in Joan. num. 12. & Tract. 118. num. 4. & Theophylact. hic: Cyprian. de unit. Eccles. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur.* Vide & Orig. tom. XII. in Matth. (47) Vide D. Thom. in Matth. & Maldon. hic. (48) Cyprian. Ep. 52. ad Antonian. Vide & Ambros. in Psal. CXVIII. Serm. 8. (49) Hieron. hic, Raban. alii quidam. (50) Concil. Trident. *Actu judiciali, non nudo ministerio pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata.* (51) Vide Cyprian. Ep. 66. August. Epist. olim 10. nunc 185. Greg. Mag. lib. 4. Dialog. num 4. Maldon. hic. (52) Vide Var. Lect. Mill. (53) Euthym. Theophylact. (54) Chrysostom. Hieronym. Beda, in hunc locum. (55) Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν. (56) Ἵλεώς σοι, Κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. *Propitius sit tibi Deus, non erit hoc tibi.* (57) August. Serm. 76. alias 13. de Verbis Domini. Vide & Theoph.

docent : *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*. Hominis salutem ita amat Christus, ut Apostolum contraria suadere conantem ferre nequeat (58).

Putavere Origenes (59), S. Ambrosius (60), S. Hilarius (61), his verbis, *Vade retro post me*, non significari, *recede*, sed dumtaxat, *sequere me*, neque in transversum agere pravis Sathanæ suasionibus, docentis fugere ærumnas & perpessiones. Tum Christus conversa ad Sathanam oratione, inquit: *Sathana, scandalum mihi es*. Non Petrum alloquitur, sed Sathanam, cujus suasione Petrus ipsum a passione deterrere conatus est iis verbis: *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc*. Ita explicant postremum hoc membrum Eusebius l. t. contra Marcell. & S. Hilarius (62). At hanc sententiam refellit S. Hieronymus (63), quam nemo nunc sequitur. Origenes in hunc locum & in Matthæum XVIII, 1. putat, Petrum a Christo *sathanam* appellari.

℣. 24. SI QUIS VULT POST ME VENIRE, ABNEGET SEMETIPSUM. Ut opprobiis & suppliciorum metum a Petro cæterisque Apostolis arceat Christus, sequentes se turbas convocans (64), coram docet: Quisquis meos inter Discipulos recenseri cupit, opus est propriis cupiditatibus sese abdicet (65); paratus sit omnia mei causa pati, meque inter ærumnas & probra sectari. Hæ sunt discipulorum meorum conditiones; si enim vitam tueri volueris, animem perdes; sin vero vitam constanter amittis, veritatis & justitiæ causa, animam servas, æternamque beatitudinem promereris.

℣. 26. QUAM DABIT HOMO COMMUTATIONEM PRO ANIMA SUA? Corporis vita multo pretiosior est cæteris terrarum bonis; ubi enim ista cessaverit, cætera bona nihil penitus nobis sunt. At animi vita longe pretiosissima est: quamobrem si nihil est, quo vita corporis redimi jure queat, multo minus futurum nihil est, quo amissa animi vita reparetur. Nemo non animam suam amat, inquit S. Augustinus (66): at lethifer quidam & malus est amor, animæ exitialis: *Si amo, perdo: ergo non amem, ne perdam*. Et odium quoddam est laudabile atque utile, quo anima servatur. Animam revera amavere Martyres, quippe qui perituram hanc vitam prodegere, ut æternam acquirerent. Mors animæ sunt, voluptatum cupiditas, & peccati amor: hæc oderit, qui animam suam vere amat; si amat, animam odit. *Ita fit ut si diligas eam perverse, perdas illam: si oderis illam recte, conserves illam*.

℣. 27. FILIUS ENIM HOMINIS, &c. Paratos vos esse oportet omnia pati gloriæ meæ causa, siquidem Regni mei participes esse, animasque servare optatis: multum enim non abest persecutionis tempus, proximum est discrimen, ultionis & præmiorum dies propediem adfuturus est. Qui mihi constanter hæserit, meaque cruce offensus non fuerit, quique hanc ferre ad finem usque non renuerit, laborum finem denique videbit: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. Tunc ego imperium meum exercere incipiam (67). Hæc vulgo de supremo Judicio explicantur. At hic significatur potius tempus, quod Filii Dei Resurrectionem consecuturum erat, Ecclesiæ institutio, eversa Synagoga, excidium Jerosolymæ, quo mundi finis & universale Judicium ceu figura indicabantur. Hanc explicationem postulare videtur proxime sequens versiculus.

℣. 28. SUNT QUIDAM DE HIC STANTIBUS, &c. Veterum plures (68) verba hæc interpretantur de Christi Transfiguratione, cujus testes futuri erant nonnulli ex Apostolis tunc præsentes, cum hæc dicerentur: eodem enim hoc in itinere, sexto post hoc vaticinium die (69), transfiguratus est Christus, præsentibus Petro, Jacobo, & Joanne. Alii (70) de Jesu Christi Resurrectione interpretantur, & de tempore post illam consecuto, quo tam multa Jesus gloriæ suæ præbuit argumenta. At quam proprie hic dicuntur nonnulli dumtaxat discipuli electi fuisse, ut rerum post Resurrectionem gestarum testes efficerentur? Nonne satis perspicuum est, nedum Apostolis, verum etiam Fidelibus pene omnibus Christum e mortuis revocatum variis temporibus sese exhibuisse? Sunt (71) qui de prædicatione Evangelii & Ecclesiæ institutione usurpent: sunt, qui de generali hominum resurrectione, supremoque Judicio. At omnem prorsus Apostoli Evangelicam prædicationem intuitis sunt, imo ipsi in omnes terrarum plagas detulere: homines late universi illius progressum viderunt, omnesque supremo Judicio in fine sæculorum adfuturi sunt.

Nonnulli (72), ut sententiam de supremo Judicio explicantem tueantur, contendunt, Joannem Evangelistam mortem non obiisse, ipsumque a Christo designari, ubi ait: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo*. Joannes Trapezuntius librum edidit, quo Joannem Evangelistam adhuc in vivis esse contendit. Hanc tamen sententiam Joannes ipse refellit, ubi narrat XXI. 23. auditis hisce Christi verbis, *Sic eum volo manere, quid ad te?* nonnullos e Discipulis arbitratos fuisse, ipsum communi mortis fato minime obnoxium fore: sed, addit Joannes, non dixit minime moriturum, sed, *Sic eum volo manere, quid ad te?* Contraria tamen sententia apud Veteres invaluit (73), quemadmodum edita in hanc rem dissertatione ostendemus.

Recentioribus nonnullis (74) alius non est Filii Dei adventus, præter Jerosolymæ excidium per Romanos. Tunc certe venit Christus cum Patre, majestate fulgens, ut vindictam in Judæos perduelles & incredulos exerceret. Eo venit Dominus *cum Angelis*; his enim plerumque stipatus exhibetur, ubi Judicis & Domini more veniens describitur (75). Nonnulli ex Apostolis, saltem Joannes Evangelista, terribili huic casui superstites fuere, minasque Jesu Christi in miserrimam urbem expletas intuitis sunt. Jerosolymæ excidium prædicens Christus Matt. 24. 39. plura simul miscuit, quæ uni supremo Judicio conveniunt; cumque Divinæ Justitiæ severitas in Jerosolymæ excidio maxime omnium micuerit, dici merito potest, eo maxime excidio supremi Judicii severitatem luculentissime significari.

(58) Hilar. hic, Bern. Serm. 20. in Cant. n. 6. (59) Origen. in Matth. tom. XII. (60) Ambros. l. 2. de Abraham, c. 6. (61) Hilar. in Matth. XVI. (62) Hilar. hic. At in Psalmum CXXXI. n. 4. ait, Dei Filium Sathanæ nomine Petrum reprehendisse. (63) Hieron. in hunc loc. (64) Marc. VIII. 34. Προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. (65) Vide Chrysost. hic; & Basil. Regul. fusius disp. qu. 8. & Aug. Serm. 96. (66) August. Serm. 368. olim 17. Et Homil. 50. (67) Matth. III. 2. (68) Origen. Chrysost. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. hic. Ambros. in Luc. c. IX. August. in c. 2. Ep. ad Galat. Remig. alii Maldon. Menoch. Vat. Jans. (69) Matth. XVII. 1. Marc. IX. 1. (70) Greg. Sculter. alii. (71) Greg. Beda, alii apud D. Thom. (72) Vide Strabon. hic: (73) Vide Tillamont sur S. Jean l'Evangeliste, art. XI. & not. 17. 18. (74) Hammond. J. Cappell. & Le Clerc, in hunc locum. (75) Deut. XXXIII. 2. Dan. VII. 10. 3. Reg. XXII. 19. 2. Thess. 1. 7.

CA-

CAPUT XVII.

Jesu Christi transfiguratio. Eliæ adventus. Puer lunaticus, quem sanare non potuerunt Apostoli, curatur. Dimidium sicli Templo pendit Christus.

℣. 1. ET post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum. 2. Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. 3. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. 4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. 5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos: Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. 6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. 7. Et accessit Jesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere. 8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. 9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. 10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? 11. At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia: 12. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis. 13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis. 14. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. 15. Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. 16. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. 17. Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. 18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? 19. Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. 20. Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem, & jejunium. 21. Conversantibus autem eis in Galilæa dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: 22. Et occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. 23. Et cum venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? 24. Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis? 25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. 26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

℣. 1. POST DIES SEX, &c. Id contigisse narrat Lucas 9. 27. *post dies octo*. At Marcus 9. 1. cum Matthæo consentit. Fortasse Marcus & Matthæus dies integros numerant. Lucas inchoatos; vel Lucas diem promissæ & diem expletæ transfigurationis recenset (1); cæteri duo numerant dies, qui inter utrumque fluxerunt. Sex dierum exordium ab eo tempore ducitur, quo Christus Apostolos monuit, nonnullos esse ex Apostolis, qui ipsum in gloria sua visuri essent, antequam mortem oppeterent (2).

ASSUMIT PETRUM, &c. Testes voluit Transfigurationis, at non multos. Id scilicet latere volebat, ægre impetraturus, si plures fuissent. Porro Petrum elegit, Jacobum & Joannem, utpote cæterorum Apostolorum sanctissimos ac fidissimos.

IN MONTEM EXCELSUM: quem hunc, silent Evangelistæ. Pluribus tamen ab hinc sæculis Thabor fuisse creditur. Id aperte tradunt Eusebius (3) & S. Hieronymus (4). Situs est Thabor in Galilæa inferiori, pari ferme intervallo a Mari Mediterraneo ac Tiberiadis, fontes Cisonis versus, ad septemtrionem agri Jezraelis, seu Magni Campi. Media in planitie surgit, quatuor circiter millium passuum altitudine. *Hatbabyrium*, vel *Itbabyrium* Græcis interdum dicitur (5). In ipso montis

(1) Aug. l. 2. de Consensu, c. 56. Chrysost. hic, Theophyl. Euthym. (2) Matth. xvi. 27. 28.
(3) Euseb. in Psalm. LXXXVIII. 13. (4) Hieron. Ep. 27. seu Epitaph. Paulæ, & Ep. 17. ad Marcell.
(5) 70. Ad Osee, v. 1. Joseph. l. 4. de Bello, c. 6. Polyb. l. v. c. 70.

montis vertice planities erat, sex & viginti stadiis patens (6); locus & incolis frequens, & muris clausus, testibus Josepho & Polybio (7). Urbis cujusdam, Thaboris nomine, superstitis adhuc reducta captivitate, ac fortasse hujus montis vertici insidentis, meminere Paralipomena (8).

His argumentis ducti dubitamus, Thabor fuerit, nec ne, mons, quo ad transfigurationem usus est Jesus; procul dubio enim remotum desertumque montem elegisse credendus est. Adde, quod Thabor venientibus Cæsarea Philippi Capharnaum minime occurrit. Potuit quidem Christus eo se conferre per sex eos dies, qui ab eo tempore, quo is prope Cæsaream Philippi fuit, ad Transfigurationem usque fluxerunt. At Evangelistis testibus, altera post transfigurationem die (9), Jesus ac tres Discipuli, e monte descendentes, eo venere, ubi cæteros Apostolos ingens multitudo circumstabat. Puerum lunaticum ibi curavit Christus, ac deinde Galilæam peragrare perrexit (10), neque a quoquam agnosci volebat. His peractis, venere Capharnaum (11). Certum porro est, Thaborem Capharnao abesse leucis non amplius quinque vel sex; si vero Cæsarea Philippi ad Thaborem venit, Galilæam veniens peragravit. Curato autem puero lunatico, qui fieri poterat, ut circa Mare Tiberiadis lateret, ubi fama illius illustris adeo ferebatur? Incertissima igitur res est, utrum Christus in Thaboris vertice transfiguratus fuerit; multoque probabilius est, id in monte aliquo, a Lacu Genesareth & Capharnao remotiori, contigisse (12). Patres, qui hunc locum interpretati sunt, Thaboris non meminere. Et Eusebius in Psalmum LXXXVIII. Thaborem jungit cum Hermone, trans Jordanem posito, & Christum in duobus hisce montibus transfiguratum esse contendit.

℣. 2. ET TRANSFIGURATUS EST ANTE EOS. Illico majestatis suæ gloria indutus apparuit, non ut merus homo, sed ut homo Deus. Quæ autem transfigurationis causa? Duplex, inquiunt Patres: I. Ut promissionis suæ fidem expleret, qua futurum prædixerat, ut Discipuli majestatis suæ gloriam intuerentur (13), utque ipsos certissimus efficeret, se verum esse Messiam (14). II. Ut illos muniret, ne Passionis & mortis suæ spectaculo offenderentur (15).

RESPLENDUIT FACIES EJUS SICUT SOL. Divinitatis illius gloria in ore emicuit, & beatitudo, qua illius animus abunde cumulabatur, toto corpore effulsit; neque revera mutata sunt os, vultus, vestes; sed novo lumine fulgida apparuerunt: *Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit* (16). Communis Jesu Christi inter homines vita, atque exterior humilitas, vera semper fuisse transfiguratio dici potest, cum eo habitu cerneretur, qui illius naturam minime decebat: gloria vero transfigurationis naturalis erat illius conditio: quamobrem perpetuo opus erat prodigio, ut illius gloria & majestas coerceretur, ne in ipsius ore fulgeret: soluta vero naturalium causarum vi, statim qualis tum fuit, exhiberi oportebat. Corpus nubi simile erat circa solem expansæ. Ipsa illius natura ferebat, ut undique fulgeret ea luce, quam veluti finibus constrictam opprimebat.

Legit hic Græcus (17): *Alba ut lux.* Lucas (18): *Albus & refulgens*, ceu scintillans ignis, vel jubar perstringens. At Marcus (19): *Vestimenta ejus splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Græci Codices quidam Matthæi hoc loco ferunt, *alba sicut nix*, non secus ac Vulgata: vestes illius radiis & lumine ex illius corpore micantibus undique occupatæ, similes fuere nubi levissimæ & pellucidæ, quam solis radii pervadunt.

℣. 3. APPARUERUNT ILLIS MOYSES ET ELIAS. Eo signum e Cœlo, quale a Pharisæis postulabatur, inquit S. Hieronymus. Moyses Legem significat, Elias Prophetas. Duos hosce magnos viros transfigurationis suæ comites esse voluit Christus, ut de se testari Legem ac Prophetas, eorumque verba in ipso finem habere, Apostoli discerent (20). In vivis adhuc erat Elias, ac naturali corpore sese exhibuit: Moyses in ejus temporis usum restitutus in vitam, deinde iterum ubiit. Geminos hosce agnoverunt Apostoli, vel quod illos Christus tunc de nomine compellarit, vel quod ipsos esse, Christus e monte descendens docuerit; seu denique quod ex ipsorum descriptione, sæpe a majoribus tradita, illos agnoverint: nullus enim dubio locus esse potest, quin Moysis & Prophetarum descriptio per manus tradita apud Hebræos servata fuerit (21), quemadmodum apud Christianos quorumdam Apostolorum imagines descriptæ servantur. Censet Strabus (22), sanctissimos hosce viros non revera, sed simulacro exhibitos fuisse. Moysem saltem alieno ac mutuato corpore prodiisse, contendit S. Thomas (23). Ludovicus Capellius Moysem in vitam rediisse ait, deinde minime moriturum. Docuere nonnulli ex Judæis (24), sanctissimum hunc Legislatorem nunquam obiisse. Animadvertit Grotius: *Josephus de Mose agens, cum ait* ἀφανισθῆναι, evanuisse, *quomodo & de Enocho & de Elia loquitur.* Exhibitos putat Hugo a S. Caro (25) Angelos, sub Moysis & Eliæ imaginibus.

Scribit Druthmarus, tradere Origenem, agnitum fuisse ab Apostolis Eliam ex igneo curru, quo vehebatur; Moysem vero ex Tabulis Legis, quas manu gerebat. Nihil tale apud Origenem lego, qui illud solum habet (26), Moysem & Eliam, absoluto colloquio, ad cæteros Veteris Testamenti Sanctos & Patriarchas ivisse, nunciantes, imminere proximam libertatem, & quamprimum fore, ut ad vitam revocati in Cœlum ferrentur. Id vero tunc contigit, cum, teste Matthæo 27. 52. Christo resurgente, multa Sanctorum corpora e mortuis revocata sunt, iique Jerosolymam venientes, sese quampluribus exhibuerunt.

Colloquii argumentum erant Christi supplicia & mors, Jerosolymis exantlanda (27). Addit Lucas, Petrum ac socios, simulac experrecti sunt, Dei Filium majestate fulgentem conspexisse. Permisit fortasse, ut hic somnus obreperet, quo jucundius ac mirabilius esset experrectis spectaculum, qui neque ipsam corporis & vestium mutationem, neque Moysem & Eliam venientes vidissent. Somnum fuisse non credit S. Chrysostomus hic, sed stuporem quemdam formidine mistum, itaut extra mentem divinitus facti viderentur.

℣. 4. RESPONDENS AUTEM PETRUS, &c. Hebræi *respondere* frequenter usurpant pro *dicere*. Monent cæteri Evangelistæ (28), tres hosce Apostolos formidasse; atque inter cæteros Petrum ne-

(6) Scilicet 3250. passuum ambitu. (7) Vide Joseph. loco citato; & de Vita sua, p. 1013. & Polyb. l. v. c. 70. (8) 1. Par. vi. 77. (9) Luc. ix. 37. Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ, κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους. (10) Marc. ix. 30. Καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τις γνῷ. (11) Matth. xvii. 24. Marc. ix. 33. (12) Vide Ligfoot. in Marc. ix. & Maldon. hic. (13) Matth. xvi. 27. 28. (14) Vide Theophyl. & Hieron. hic. (15) Hilar. Chrysost. Euthym. hic. (16) Hieron. hic. (17) Λευκὰ ὡς τὸ φῶς. (18) Luc. ix. 29 Λευκὸς ἐξαστράπτων. (19) Marc. ix. 3. Στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιών, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. (20) Hilar. Chrysost. Beda, Hieron. Euthym. hic; & Tertull. l. iv. contra Marcion. Ambros. in Luc. c. ix. alii. (21) Euthym. hic. (22) Strabus in c. ix. Lucæ. (23) D. Thom. in hunc loc. (24) Maimonid. apud L. Capell. hic, in Synopsi. (25) Hugo in Luc. (26) Origen. in Matth. Edit. Græc. Huetii, tom. xii. (27) Luc. ix. 31. (28) Luc. ix. 33. Marc. ix. 6.

nescisse quid diceret, cum hæc Jesu Christo proponeret. Innuit etiam Origenes (29). Petrum malo Spiritu movente loquutum. Censet S. Chrysostomus, divinum lumen, cujus fulgore Filii Divinitatem agnoverat, e Petro tunc discessisse. Contra, Tertullianus (30) ait, Petrum eo tempore extra mentem divina vi raptum fuisse; idque significari in Scriptura, ubi de Petro legitur: *Nesciens quid diceret*. At uno consensu Interpretes omnes Scripturæ textum ad verbum usurpant. Quorsum enim tria tabernacula? Nonne opportunius erat unum tribus simul, Jesu, Moysi & Eliæ? Aut futurum putabat, ut erectis ibi tentoriis tribus ad moram semper vel saltem diu eo in monte prorogandam facilius illi impellerentur? Nihil hic Petrus, nisi clementia animi sinceritatem consulit, consuetoque fervore se trahi sinit, cum alia sui erga Deum amoris & grati animi argumenta exhibere non posset (31): *Non inconsulta petulantia, sed præmatura devotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit: quod promittebat, devotionis*. Hæc dixit Petrus, teste Luca 9. 33. abeuntibus Moyse & Elia. Tabernacula hæc umbracula sunt ex frondibus & arborum ramis.

℣. 5. Ecce nubes lucida, &c. Ubi abiere Moyses & Elias, nube lucida illos Apostolorum obtutibus subducente, vox e Deo sonuit, Jesum Dei Filium prædicans, jubensque illi obtemperari. Animadvertunt Patres (32), vocem hanc tunc denique sonuisse, cum Moyses & Elias abierant, nequis dubio locus esset, quin de ipso loqueretur, qui solus ibi relictus fuisset: *Ipsum audite*. Ad illum Deuteronomii 18. 15. locum spectat, ubi Moyses ait: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*. Rem hic in Evangelio narratam testatur Petrus (33), eamque iisdem verbis narrat, & vocem se audisse in monte sancto asserit.

℣. 6. Ceciderunt in faciem suam. Jesu Christi majestate fulgentis præsentia formidinem & obsequium in illis pepererat: sed Patris vox illos stravit. Tonitru fragorem ferre non potuerunt; tonitru enim cum voce conjunctum fuisse videtur, quemadmodum & aliis temporibus, cum Pater testimonia de Filio exhibuit, veluti in baptismo (34), & in Templo (35).

℣. 9. Nemini dixeritis visionem, &c. Patres nonnulli (36) non illud hic vetari putant, nequid Apostoli cæteris Discipulis dicerent, sed ne multitudini aperirent. At si Christus id cæteris Apostolis notum esse volebat, cur in montem illos simul non duceret cum Petro, Jacobo & Joanne? Hac ante Resurrectionem Christi palam fieri non decebat; sive enim res fide apud cæteros caruisset, sive ii, qui fidem narrationi habuerent, offensi fuissent, seque deceptos credidissent, ubi Servatoris supplicia & crucem intuerentur. At peracta Resurrectione nihil non credibile reddebatur, ac testes tres fidei faciendæ sufficiebant. Vide supra XVI. 20.

℣. 10. Quid ergo Scribæ dicunt, &c. Optime norant Apostoli, Jesum esse Messiam (37). Ipse aliquot antea diebus prædixerat futurum (38), ut quamprimum Jerosolymis morte afficeretur. De morte proxime futura ipse coram illis sermonem in monte habuerat (39): tertia die sese rediturum in vitam docuerat. Quid rei esset hæc Resurrectio, minime intelligebant (40). Supplicia illius ac mortem componere non poterant cum iis, quæ ipse docuerat de Messiæ Regno & adventu Eliæ, Regnum Israelis pristinam in dignitatem revocaturi, atque ablaturi dissidia, quibus universa gens olim scindebatur (41). Si moriturus vere es, & in vitam rediturus, quandonam igitur venturus est Elias, ac Regnum Israelis est restituendum? Alter ne adventus nobis expectandus est? an eo usque mori & resurgere differes, dum veniet Elias, & ea expleat, quæ in Scripturis prædicuntur, aut post mortem hanc & Resurrectionem Regnum Messiæ præstolari debemus?

Sunt (42) qui ita explicent: Si vere, uti tradunt Doctores, venturus est Elias, itinera Messiæ paraturus, cur nunc evanuit, & nobiscum esse desiit? Si Regio chrismate ab eo ungendus es, & Judæis palam proferendus, cur tam subito abiit? Alii (43): Si præcessurus est Messiæ Elias, ut illi vias paret, cur prohibes ne cæteris aperiamus ea quæ in monte vidimus? Nonne certissime futurum est, ut revocentur populi, atque ad te convertantur, si Elias venisse, nobisque coram stetisse prædicetur?

℣. 11. Elias quidem veniet, &c. Locæ speciem pugnantia, quibus impediebantur Apostoli, explicat Christus. Revera venturus est Elias, imo & venit. In Joanne quidem venit, eumque nec agnovere nec audivere Judæi. Veniet aliquando Elias ipse sub sæculorum exitum, atque omnia restituet, ex vaticiniorum fide. Ita hunc locum Patres & Catholici Interpretes explicant.

At Recentiores quidem (44) ajunt, de uno Joanne Baptista hic sermonem haberi (45), qui Eliæ spiritu & virtute instructus venerit. Certant vero, communem Judæorum & Christianorum persuasionem, qui nullo non tempore credidere, Eliam ipsum ante supremum Judicii diem esse venturum, inani solummodo credulæ multitudinis opinione niti, eamque Apostolicæ traditionis loco nunquam habitam fuisse, cum non desint inter Veteres, qui ea de re dubitaverint. At jure ne dixeris, Baptistam omnia restituisse, *Ipse restituet omnia*, quemadmodum hic de Elia Christus vaticinatur? Baptistam ne præcessisse horribili diei Domini, *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, uti habet Malachias, IV. 6. ubi de adventu Eliæ disserit? Denique nihili ne facienda sunt Ecclesiastici verba (46), Eliæ adventum sub supremam eam diem apertissime significantis? aut Joannis Apostoli Apoc. XI. 3. luculentissime de eo scribentis? *Et dabo duobus testibus meis* [Henocho & Eliæ], *& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta ... Et siquis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*.

Restituet omnia. His verbis locus Malachiæ 4. 6. explicatur: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam & percutiam terram anathemate*, seu deleam. Animi parentum cum filiis, & filiorum cum parentibus conciliati significant fore, ut Elias Ecclesiam cum Synagoga, Synagogam cum Ecclesia conjungat (47); Christianos cum Judæis, & Judæos cum Christianis. Tunc Jesu Christi Regnum absolutissime restituetur, cum prostrati omnes illius adversarii jacuerint, cum linguæ omnis illum confessæ fuerit, ejusque imperio omnes late populi obtemperaverint. Tunc denique dejicietur paries me-

(29) Origen. tom. XIII. in Matth. (30) Tertull. lib. IV. contra Marcion. (31) Ambros. in Luc. cap. IX. (32) Chrysost. Theophyl. alii. (33) 2. Petr. 1. 16. 17. 18. (34) Matth. III. 17. (35) Joan. XII. 29. (36) Hieron. Beda, hic. (37) Matth. XVI. 16. 17. (38) Matth. XVI. 21. (39) Luc. 18. 31. (40) Marc. IX. 10. (41) Vide Malach. IV. 5. 6. (42) Hieronym. Grot. Le Clerc. (43) Lud. Capel. Camero. (44) Camero, Grot. Med. lib. I. Dissert. 25. & Ligfoot. Jac. Capel. Hamm. Le Clerc. (45) Grotius recitat Procopium & Primasium, quos id negasse dicit, & S. Gregorium Nazianzenum, ut in re fluctuantem. (46) Eccli. XLVIII. *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium*, &c. (47) Vide Rom. XI. 25. 26.

medius segregans (46), atque unum ovile & pastor unus erunt (47). Beatissimam hanc conjunctionem conversionemque prodigiis & prædicationis vi paritorus est Elias (48).

℣. 12. Elias jam venit, et non cognoverunt eum. Venit Joannes Baptista, Eliæ spiritu ac virtute instructus, eodem fervore, eodem animi robore, eademque constantia: proximum illis exitium minitatus est; pœnitentiam indixit: at illi aures minime præbuerunt, rejectumque, spretum, & diabolicæ obsessionis accusatum (49), denique e vivis abstulerunt (50). Simili exemplo in me sævient. Quamobrem Regnum meum propediem prodibit; nihil enim jam obstat. Supremus jam finis vaticiniorum adest, quamquam Judæi non sentiunt: at illos ne imitemini.

℣. 14. Cum venisset ad turbas. Noctem fortasse totam exegit Jesus in monte, cujus in vertice transfiguratus fuerat: mane descendens, ad Discipulos venit in agro stantes cum turbis, ipsius reditum præstolantibus. Scribit diserte Lucas (51), Jesum nonnisi mane alterius diei descendisse; & Discipulorum somnus, Magistro orante dormientium, illis favet, qui totam hanc rem noctu contigisse arbitrantur (52). Opportunior certa nocturna lux erat fulgori Transfigurationis, quam dies.

Quia lunaticus est. Jesus a Transfigurationis monte descendens, aliquo inde intervallo Discipulos invenit cum multitudine. Mane post Transfigurationem venisse ad Discipulos Christum, tradit Lucas. Jurgabantur autem cum Apostolis Scribæ (53), quod ii oblatum sibi puerum curare non potuissent. Ubi Jesum vidit multitudo, illi occurrens, magno cum obsequio excepit (54): atque e multitudine unus quispiam coram illo procumbens, orabat, ut incolumem sibi redderet filium epilepticum (55), lunaticum (56), atque a muto dæmone obsessum (57), cujus vi miser interdum in ignem impellebatur, ac sævissime discruciabatur; ita ut miserabiles clamores ederet puer, frenderet dentibus, spumas ore vomeret, totusque tabe consumeretur. Fluidas corporis partes totamque constitutionem occupabat morbus: at pravo illius habitu abutebatur Dæmon, ut illum excruciaret. Comitialis morbi genus erat illud, quo laborabant lunatici, in pleniluniis multo acrius vi morbi exagitati. Vide Matthæum IV. 24. Naturalem morbi causam in puero non agnoscunt Origenes, S. Chrysostomus, & S. Hieronymus; putantque, dæmonem, ut homines falleret, atque ad vomenda in lunæ Conditorem, ipsamque in lunam, ceu morborum causam, convicia impelleret, ægros majore sævitia quibusdam temporibus excruciasse, ex varia lunæ vicissitudine.

℣. 16. Obtuli eum Discipulis tuis. Oblatus creditur (58) puer absente Jesu, eoque in monte cum Petro, Jacobo & Joanne commorante; cumque Discipuli miserum curare nequissent, id jurgii causa inter ipsos & Legis Doctores fuit.

℣. 16. O generatio incredula! Hæc non in Apostolos cadunt, sed in pueri patrem, cæterosque Judæos credendo difficiles, ex plerisque Patribus (59). Censuit Origenes (60), his potissimum argui Apostolos; alii vero ajunt (61), Apostolos æque & multitudinem. Fide opus erat tum in iis qui prodigium postulabant, tum in iis ex quibus quærebatur: & certe Christus deinde privatim Apostolos docuit, modicam ipsorum fidem in causa fuisse, cur puer non curaretur (62).

℣. 17. Et increpavit eum. Ex trium Evangelistarum narratione (63) discimus, increpatum fuisse a Jesu dæmonem, non puerum; vel saltem minas in puerum intortas pertinere ad dæmonem, quo puer obsidebatur. Ita explicant Patres & Interpretes. At S. Hieronymo, Bedæ, Theophylacto, & recentioribus nonnullis (64) minæ & objurgatio in puerum factæ videntur. Hæc optime conciliaveris, si Christum ita increpuisse Dæmonem putes, ut obsessum puerum alloqueretur.

℣. 18. Quare non potuimus ejicere illum? Omnino neque Apostolis, neque patri pueri deerat fides, cum & hic puerum curandum duxerit, & illi curare aggressi fuerint. Nihilominus Apostolos arguit Jesus, quod fide defecerint; atque ipse pueri pater Jesum flens obtestatur, ut fidei suæ adminiculum præbeat (65). Censent Patres (66), puerum restitui incolumem non potuisse, quod nedum Apostoli, verum etiam pater fide satis magna non instruerentur.

℣. 19. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Exaggerandi forma, veluti si cuipiam dixeris: Siqua tibi rationis scintilla sit, si vel hilum sapias, &c. optime intelliges, hoc a re tua non esse, &c. Hæc porro iis conveniunt, quibus non deest quidem mens aut ratio, sed iis male utuntur in ea re, de qua agitur. Parvam grani sinapis molem opponit Christus magnitudini montium, quo luculentior sit vis exaggerationis. Numquam enim illud voluit, ut Apostoli ostentationis & superbiæ causa prodigia patrarent in rebus tam arduis, veluti transferendis montibus, nisi certissima necessitas postularet, uti usuvenit interdum, quemadmodum docent Historiæ (67), exemplo S. Gregorii Neocæsareensis, cognomine *Thaumaturgi*, seu prodigiorum patratoris.

Visum est nonnullis Veterum (68) spectari hic a Christo non ipsam grani sinapis molem, sed grani naturam. Si fides ita vivida atque acris vobis fuerit, uti grano sinapis est virtus, nihil arduum vobis futurum est. Absolutissima profecto fide opus est, ut montes transferas; idque ceu supremum eximiæ fidei conatum Paulus in exemplum affert 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*. Mons ab Apostolis eversus sunt Dæmon & hominum superbia, ex Patrum sententia (69).

℣. 20. Hoc genus non ejicitur nisi per orationem. Putavere Veteres quidam (70), agere hic generice Christum de ejiciendorum Dæmonum difficultate. Hoc morborum genus, dæmonum obsessio, simile cæteris corporum morbis non est; nulla enim arte curatur, præterquam oratione & jejunio, tum illius qui morbo occupatur, tum illius qui curationem aggreditur. Exer-

(46) Ephes. II. 13. 14. 15. (47) Joan. X. 16. (48) Vide Brug. Maldon. Jans. Et ita Patres passim; Iren. Tertull. Hil. Hieronym. Chrysostom. hic; Augustin. quæst. Evang. lib. 1. qu. 11. alii passim.
(49) Matth. XI. 18. (50) Matth. XIV. 10. 11. (51) Luc. IX. 37. *Factum est sequenti die, descendentibus illis de monte.* (52) Brug. ad Luc. IX. 32. (53) Marc. IX. 14. 18. (54) Marc. IX. 25. Luc. IX. 37. (55) Luc. IX. 39. Πνεῦμα λαμβάνει αὐτόν, καὶ ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετ' ἀφροῦ. Marc. IX. 18. Ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτόν, καὶ ἀφρίζει. (56) Matth. XVII. Σεληνιάζεται, καὶ κακῶς πάσχει. (57) Marc. IX. 17. Ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον. (58) Hilar. Chrysost. Maldon. alii.
(59) Hilar. Chrysost. Hieronym. Beda, Theophyl. Strab. & alii. (60) Orig. tract. 4. in Matth.
(61) Ligfoot. Cameron, Glass. Le Clerc. (62) Matth. XVII. 20. Διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν. (63) Matth. XVII. 18. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον. Luc. IX. 42. Ἐπετίμησε δὲ ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ. Marc. IX. 25. Ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ. (64) Vide Martianay not. hic, Schmid. Zeger. alios. (65) Marc. IX. 24. Βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ. (66) Chrysost. Hieron. Beda, Theophyl. Strab. D. Thom. (67) Euseb. Hist. Eccles. lib. 7. cap. 23. (68) Origen. in Matth. Hieronym. Beda, Strabus hic; August. tract. 40. in Joan. (69) Hilar. Origen. Hieron. & Beda hic; August. lib. qu. Evang. qu. 29. (70) Chrysost. Euthym. hic. Athan. lib. de Virginitate.

Exercenda est utrisque pœnitentia. Plerique tamen censent, significari hic aliud dæmonum genus, alterius a cæteris naturæ, qui ex iis quos obsident, difficilius pellatur. Ægros vulgo atque a dæmone obsessos curabant Apostoli, Jesu Christi nomine illis imperantes (71): at hic frustra laboravere; ignorabant quippe jungenda esse jejunium & orationem, sibique rem esse cum dæmone pervicaci, quem nonnisi pietatis exercitationes vincerent.

Cameron ita explicat: *Hoc dæmonum genus* ex iis non est, quos Judæi orationibus & carminibus pellunt: opus est jejunio & oratione. Knatchbullius hanc ex his verbis sententiam elicit: Qui fidem habent uti granum sinapis, proficere nequeunt in fide, nisi per jejunium & orationem. Eadem ferme est Vanilii explicatio: *Hoc genus, Apostoli scilicet, non proficit nisi oratione & jejunio*. Unica vobis ratio est proficiendi in fide jejunium & oratio. Matthæi Græcus (72) hoc sensu fortasse usurpari potest; at ita etiam explicari posse verba Marci non puto, ferentis disertissime: *Hoc genus* dæmonum *in nullo potest egredi, nisi in oratione & jejunio* (73); atque ita a cæteris vulgo Interpretibus accipitur. Versiculum hunc non habent Versiones Copticæ & Æthiopicæ, & Canon Eusebii, præterquam apud Marcum.

℣. 21. CONVERSANTIBUS EIS IN GALILÆA, DIXIT ILLIS JESUS: FILIUS HOMINIS TRADENDUS EST IN MANUS HOMINUM. Hoc ipsum prædixerat ante Transfigurationem; cum autem necesse omnino esset, conceptam ab illis spem de temporali Messiæ Regno corrigere, atque adversus Passionis mox imminentis offensionem munire, idem hic repetit, quo altius ipsorum animis inscribatur. Gesta hæc sunt peragrantibus illis Galilæam, post Transfigurationem.

℣. 23. ACCESSERUNT AD PETRUM, QUI DIDRACHMA ACCIPIEBANT, & rogavere, didrachma solveret Jesus, nec ne, quemadmodum cæteri. *Didrachma* (74) tantumdem valuisse censentur ac dimidius argenteus siclus, nummismatis nostratis solidis sexdecim, denariolis duobus, & ex denariolo $\frac{11}{16}$. Census erant a Moyse in singula capita imperatus, cum Israelitæ in solitudine recenserentur. Collecta eo censu pecunia in Tabernaculi usus impendebatur (75). Post Moysis ætatem, nunquam deinceps collectus fuisse videtur dimidii hujus sicli census per capita, præterquam sub Joas Rege Juda (76), quo tempore exactus est ob Templi restaurationem. Post captivitatem (77), Nehemias ac Seniores populi uno consensu tertiam sicli partem in singulos imperaverunt, cum populus inopiæ causa dimidium siclum conferre non posset in Templi usum, & sacrificiorum atque oblationum impensas. Deinceps, usque ad Templi excidium per Romanos (78), eadem in Templum collatio servata est; quamquam diu antea ex tertia sicli parte ad dimidium siclum redierat. Docebant Hebræi (79), ejusmodi capitationem ea religione exigi consuevisse, ut vel ex iis, qui quæsita stipe victitarent, exposceretur. Venum potius dandæ erant vestes, quam quis tributo deesset.

Post Templi excidium, jussit Vespasianus Judæos in Capitolium conferre pecuniam, quam olim Templo pendebant (80). Id acerbissime exegit Domitianus (81). Origenis adhuc ætate Imperatori pendebatur, ipso teste in Epistola ad Africanum. Nostrorum temporum Judæi eam pecuniam colligunt circa Festum sortium, eamque in eleemosynæ usum convertunt, præsertim erga eos, qui Palæstinam religionis causa peragrant (82).

Ut ad Evangelium redeamus, fisci hujus exactores modeste Petrum interrogant, soluturus ne sit Jesus didrachma; nondum enim fortasse conferendæ hujus pecuniæ tempus advenerat, vel fas erat unicuique, stipem hanc Jerosolymam deferre; vel denique honoris causa & obsequii, quo Jesum prosequebantur, minimos hujusmodi nummos ab ipso non postulant, neque ad solvendum adigunt, si nolit. Cæterum ea lege ipsum minime teneri non censebant; secus enim nequaquam postularent. Docent Rabbini, exigendi hujus census initium fuisse diem xv. vel xxv. mensis Adar, atque unius mensis spatium hujusmodi solutioni destinatum, nempe usque ad Paschatis festum. Ex nostris calculis in anno Christi, necesse est id contigisse non ante Paschatis festum, sed paulo ante Pentecostem (83).

Sunt (84) qui censeant, exactam esse hanc ex Jesu Christo pecuniam, veluti ex primogenito. Primogeniti quidem procul dubio redimebantur, at semel tantummodo: & parentum erat quinque siclos pro primoribus natu solvere, ubi illos in Templum deferrent (85). Ajunt alii (86), didrachma hoc vectigal fuisse a Romanis imperatum; vel a Pompejo scilicet (87), vel ab Augusto (88), vel a Tiberio (89). Ex Josepho non satis liquet: at omnino, præter tributum Templo exhibitum, aliud pendebatur Imperatori (90), teste ipsomet Evangelio (91). At in eo versatur difficultas, utrum hoc dimidii tantum sicli tributum fuerit; id quod hujus sententiæ patroni nunquam evincent. Quamobrem probabilior videtur vulgaris opinio (92), didrachma Templo pendi consuevisse.

Judæi Hollandi nunc pariter solvunt singulis annis monetulas quasdam argenteas in capita, quam dein symbolam mittunt Venetias transferendam Thessalonicam ad emendas vestes pro Judæis Doctoribus Terræ sanctæ. Quod reliquum superest retinent Doctores Academiæ Tiberiadis distribuendum eorum judicio in singulos novo anno ineunte, Basnage hist. Judæor. lib. 3. cap. 2. art. 10.

MAGISTER VESTER NON SOLVIT DIDRACHMA, &c. Asseruit Petrus; id enim fortasse superioribus annis fieri a Magistro viderat. Existimant Patres (93), prodigiorum causa ab Jesu gestorum exactores tributi non ad ipsum, sed ad Petrum, inter Apostolos primum, accedere. Forte etiam (94) per dolum accessere, periclitaturi, utrum ipse ex iis esset, qui tributum Cæsari solvendum esse negabant; aut Judæ Galilæo faveret (95), docenti, nefas esse tributum profanis Principibus pen-

(71) Marc. vi. 13. Luc. x. 17. (72) Græc. Τοῦτο δὲ τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ, καὶ νηστείᾳ. Libri quidam legunt: Ἐξέρχεται. Alii: Ἐκβάλλεται. (73) Marc. ix. 28. Τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ, καὶ νηστείᾳ. (74) Τὰ δίδραχμα. (75) Exod. xxx. 13. (76) 2. Par. xxiv. 5. & sequ. (77) 2. Esdr. x. 32. (78) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 12. & lib. 7. de Bello, cap. 26. 27. & Dio-Cassius, lib. 66. (79) Schikard. Jur. Reg. cap. 3. (80) Joseph. loco supra citato. (81) Sueton. in Domitiano, cap. 12. *Præter cæteros Judaicus fiscus acerbissime actus est.* (82) Schikard. Orat. in fest. Purim. (83) Toynard. Harmon. pag. 65. 66. art. 120. (84) Chrysostom. Euthym. Theophyl. (85) Num. iii. 46. 47. & xviii. 16. (86) Hieron. in hunc loc. Selden. lib. 6. cap. 18. de Jure nat. & gent. Samuel Petit Var. Lect. lib. 2. cap. 1. alii. (87) Vide Joseph. lib. 1. de Bello cap. 5. & Antiqu. lib. 14. cap. 8. Hieron. ad Matth. 22. (88) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 1. & de Bello lib. 2. cap. 7. Hieronym. & Maldon. hic. (89) Samuel Petit, loco citato. (90) Appian. Syriac. (91) Matth. xxii. 16. Marc. xii. 14. Luc. xx. 20. 21. (92) Ita Hilar. hic: Grot. Camero, Brugens. Baron. Annal. tom. 1. Beza, Hamm. Villalp. Casaubon. alii passim. (93) Ita Chrysost. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. alii. (94) Ita Hieron. Ligfoot. &c. (95) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 1. & de Bello lib. 2. cap. 7. vers. 35. & sequ.

pendere. Posterior tamen hæc sententia cum dictis componi nequit, hoc scilicet tributum in Templi usus, non Romanis Imperatoribus exigi.

Ỹ. 24. REGES TERRÆ A QUIBUS ACCIPIUNT TRIBUTUM? a filiis, an ab alienis? Ab alienis, inquit Petrus. Igitur, subdidit Christus, liberi sunt filii. Cum autem tributum hoc Patris mei nomine, & in ipsius domus ac Templi usum exigatur, fit, ut ego obnoxius tributo non sim, qui unicum sum illi filius. Neque tu hac lege teneris, familiaris meus atque Discipulus; quemadmodum ii, qui filio Regis familiares sunt & Ministri, eadem filii prærogativa gaudere censentur.

Qui tributum hoc Imperatoribus exhibitum fuisse docent, illius sententiam ita explicant: Terreni Principes tributa & operas a suis ipsorum subditis non exigunt, sed ab alienis (96), populisque bello superatis. Cum igitur nos filii Regni simus, atque indigenæ, tributorum lege non tenemur. Apud Hebræos, *filii Regni* (97) sunt subditi indigenæ, quemadmodum Reges populorum patres & pastores nuncupantur. At Romanis ne Imperatoribus filii Regni erant Judæi, ita uti explicavimus? Nonne potius gens bello capta, vectigalibus ac tributis obnoxia? Si vero argumentum hoc Jesu Christo favebat, æque & cæteris Judæis favere necesse erat, terrestris Romanorum Regni filiis. Quamobrem prior explicatio servanda est, cum alteram tam multa incommoda impediant.

Ỹ. 26. UT NON SCANDALIZEMUS EOS. Obnoxium se tributo non esse, luculentissime ostenderat Jesus; at uni Petro, cæterisque, qui similiter Dei Filium esse Jesum norant. Quod ad cæteros, eamdem in se dignitatem minime agnoscentes, spectat, tributum Templo exhibet, ne illis offensioni sit.

INVENIES STATERAM. Stater siclo valet, seu drachmis quatuor; duorum hominum vectigal dimidio siclo in singulos. Staterem paulo antea invenerat piscis; nondum enim illum ad stomachum demiserat, quo tempore jactum a Petro hamum momordit. Disce hinc Jesu Christi paupertatem, cui neque solidorum sexdecim copia esset, quibus capitis censum solveret. Margaritam, non nummum, ore tulisse piscem, Theophylactus arbitratur. Cæteri Apostoli fortasse tunc aberant, cum Jesus pro se uno & Petro tributum exhibuerit (98). Faveant huic sententiæ ea quæ proximo Capite consequuntur.

(96) Vide 3. Reg. IX. 22. 2. Par. VIII. 9. Diodor. Sicul. lib. 1. de Sesostri. (97) Matth. XIII. 38.
(98) Maldonat.

C A P U T XVIII.

Quis major in Regno Cœlorum. Scandalum pusillorum, qui Christo credunt. Fraterna correctio. Excommunicatio. Clavium potestas. Dimittendæ injuriæ. Servus domino debitor X. millium talentorum, & alter denariorum centum conservo debitor.

Ỹ. 1. IN illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est
in regno cœlorum? 2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio
eorum, 3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut
parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. 4. Quicumque ergo humiliaverit se
sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. 5. Et qui susceperit unum
parvulum talem in nomine meo, me suscipit. 6. Qui autem scandalizaverit unum
de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo
ejus, & demergatur in profundum maris. 7. Væ mundo a scandalis. Necesse est
enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.
8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum, & projice abs
te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel
duos pedes habentem mitti in ignem æternum. 9. Et si oculus tuus scandalizat te,
erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam
duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. 10. Videte, ne contemnatis unum
ex his pusillis, dico, enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem
Patris mei, qui in cœlis est. 11. Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.
12. Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex
eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit?
13. Et si contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super
eam magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. 14. Sic non est voluntas
ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. 15.
Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.
Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. Si autem te non audierit: adhibe
tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet
omne verbum. 17. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non
audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. 18. Amen dico vobis, quæcumque
alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super ter-

terram, erunt soluta & in cœlo. 19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. 20. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? 22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. 23. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. 24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. 26. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. 28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes. 29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. 31. Videntes autem conservi ejus, quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narraverunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. 32. Tunc vocavit illum dominus suus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: 33. Nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? 34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. 35. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

ỳ. 1. IN ILLA HORA ACCESSERUNT DISCIPULI, &c. Auditis iis, quæ paulo antea Christus sibi dixerat, futurum scilicet, ut ipse brevi moreretur, ac deinde in vitam rediret, secum ipsi reputaverant Apostoli, Jesu Christi Regnum propediem adfuturum, eumque in Israelis solio sessurum sperabant. Quamobrem his iter habentibus orta est quæstio, quis ipsorum primas in Regno Cœlorum esset habiturus. Aberant Jesus & Petrus, præcesserant enim, & ante cæteros Capharnaum venerant. Hinc autem colligo, Jesum & Petrum a cæteris abfuisse, cum ad urbem venere, quod Christus sui unius & Petri nomine tributum exhibet, nulla cæterorum mentione; statimque narrat Matthæus, eodem tempore, *in illa hora*, venisse cæteros, cum in itinere disputassent, quis inter ipsos in Regno Cœlorum reliquis esset præferendus; idque ipsum ab Jesu Christo quæsivisse. Addit Marcus 9. 33. Discipulos a Christo interrogatos, quid illi in itinere disputassent; cumque illi nihil responderent, accitum a Jesu puerum, medium inter ipsos fuisse constitutum, &c. Acriter fortasse ac diu disputaverant, neque adhuc jurgandi finem fecerant, ubi domum pervenere; quamobrem Jesu Christo reliquere, ut rem definiret.

Apostolos, quemadmodum & Judæorum reliquos, falsa persuasio occupaverat, Messiæ Regnum temporale futurum, eadem ferme munerum, dignitatum ac Magistratuum varietate, quæ vulgo in Rebuspublicis animadvertitur. Quamvis autem hac occasione satis dixerit Jesus, ut ab ea persuasione reducerentur, nondum tamen rem assecuti fuerant. Illud quidem sibi ipsi persuaserant, humilitate ac simplicitate opus esse, ut eo pervenirent; at minime dubitabant, quin iis artibus primas Regni dignitates essent assecuturi. Quoties Christus de sua ipsius morte, Resurrectione, ac Regno verba cum ipsis fecit, toties ferme ambitiosa lis excitata est (1); veteremque hac de re errorem post Christi mortem & Sancti Spiritus lapsum tantummodo exuerunt.

Censent Patres (2), ortam esse inter Apostolos disputationem dimidii sicli occasione, quem Jesu Christi & Petri dumtaxat nomine solvi animadverterant: cum enim eodem numismate utriusque tributum solutum fuerit, hic Petrum cæteris præferri colligebant.

ỳ. 2. ADVOCANS JESUS PARVULUM. Grandiusculus erat puer, cum accitus ad Jesum venerit; at non ita adoleverat, ut illius animus nequitia, ambitione aut superbia corrumperetur, quippe quem Jesus Discipulis proposuit veluti exemplum simplicitatis, innocentiæ, & humilitatis, quas ex ipsis exigebat (3). Sunt (4) qui puerum hunc fuisse credant Ignatium, primum Antiochiæ Episcopum, in Ecclesia nobilissimum martyrio, quod Jesu Christi causa pertulit.

ỳ. 3. NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI, NON INTRABITIS IN REGNUM CŒLORUM. Nisi inania hæc ambitionis & principatus desideria reliqueritis, nulla vobis Regni mei pars vel in præsenti sæculo vel in altero futura est. Neque Discipuli mei, meæque Ecclesiæ fundamenta, neque promissionum mearum hæredes, æternorumque præmiorum participes futuri estis. Duplex hæc est *Regni Cœlorum* significatio, ut Scripturæ conciliontur. Neutrum autem satis assequebantur Apostoli, uti diximus, cum ex Scribarum sententia Messiæ Regnum & Imperium temporale futurum existimarent.

ỳ. 4. QUICUMQUE ERGO HUMILIAVERIT SE, &c. *Humiliare se* hoc loco proprie non significat eam humilitatis partem, qua quis apud Deum & homines, propriæ humilitatis & infirmitatis causa, demittitur; sed omnino pro quibuslibet humilitatis partibus, superbiæ, ambitioni, imperandi cupiditati, proprioque ipsius amori oppositis quibus vitiis ad privatam excellentiam & commoda ubique omnique contra quærenda impellimur. His penitus te abdicari opus est, si Christianus & Jesu Christi Discipulus esse cupis. Quo major apud Deum, & in Cœlo gloriosior esse vis, eo constantius humilitatem, hic a Jesu Christo commen-

[1] Vide Matth. xx. 21. 22. Luc. xxii. 16. 22.

[2] Chrysostom. Origen. Hieronym. Euthym. Beda.

[3] Ambrof. lib. viii. in Luc. *Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur.*

[4] Græc. quid. apud Anastas. Bibliothec.

mendatam, te persequi necesse est. Omnium ipse hominum humillimus & mitissimus fuit. Igitur quo propius illi similis fueris, eo magis gratiæ & gloriæ ipsius particeps eris. *Amat Christus infantiam, quam primum & animo suscepit, & corpore. Amat infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam* (5).

℣. 5. Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Cum similes pueris fueritis, vosque ego ad Evangelium nunciandum misero, humilitate solummodo & innocentia divites, nihil vobis defuturum est: quicquid erga vos gestum fuerit, id mihi arrogabo. Hæc nimirum unica dignitas quærenda vobis est, ut humiles Apostoli sitis pauperis humilisque Præceptoris. His verbis docet, hoc solummodo in Regno suo sperandum ipsis esse, dum vivunt. Vide supra, x. 5... 42. ubi quid ipsis servandum in missione sit luculentius tradit. Quæ tunc dixerat, iterum perstringit: Non ita vos missurus sum, uti optimates, neque superbo Legatorum apparatu, ut mea instituta in universum terrarum orbem feratis: inanes hasce superbiæ & magnificentiæ imagines abjicite: protecturi nimirum estis puerili humilitate, innocentia & simplicitate instructi. Siquis vobis vim inferre ausus fuerit, mihi intulisse censebitur: qui vero vos exceperit, is me excepisse credetur. Mea esse volo quæ in vos fient.

℣. 6. Qui autem scandalizaverit, &c. *Scandalizare* opponitur hic dictis supra: *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo*, meis e discipulis aliquem, eam mercedem referet, quam si me excepisset. *Qui autem scandalizaverit*, male exceperit, contempserit, persecutus fuerit, aut conatus injuriis ac vi illum in perniciem impellere, atque a mea fide & servitute abducere, nullum satis dignum supplicium est, quo indignissimum hoc flagitium puniatur. Durissimis in altera vita cruciatibus torquebitur, atque optabilius illi esset, ut mola, qua teruntur frumenta, ex illius collo suspendatur, quam hujusmodi scelere implicitus meam in se iram provocet. Quæ hic de Apostolis dicuntur, de cæteris etiam Fidelibus intellige. Qui offensionis causa hujusmodi hominibus fuerit, aut illorum fidem, Religionem, pietatem labefactare tentaverit, sive qui in scelus traxerit pessimis sermonibus & exemplis, severissima huic supplicia parantur.

Olim, antequam equariæ seu velares moletrinæ invenirentur, molę servorum manibus torquebantur, qui in pristino veluti in carcere vinculis constricti, certam farinæ mensuram in singulos dies vel menses reddere cogebantur. Adhibebantur interdum in eos usus asini vel equi, aucta pro viribus molarum magnitudine. Non qualibet mola opus esse ait Christus, sed *asinaria*, ut ingentem & gravissimam significet. Recentiores nonnulli (6) censent, *mola asinaria* innuit molam inferiorem, quę & major est & gravior, *Onos*, scilicet asinus, Grece nuncupata. At Christus Grece non loquebatur; & mola asinaria Syriace est mola quam asinus torquet (7). S. Hieronymus, & Interpretes quidam (8) putavere, genus fuisse supplicii, apud veteres Hebræos usitati, ut flagitiosissimos homines, sepultura indignos, mola e collo suspensa, mari mergerent. Id autem ab eruditissimis in dubium revocatur (9), & exemplo apud veteres Hebræos caret. Fieri nihilominus potuit, ut a Syris (10) vel Romanis hujus supplicii usus induceretur in Pa-

læstinam, ubi vivens Christus ad præsentes regionis suæ mores alludebat.

℣. 7. Væ mundo a scandalis. Agens Christus de iis qui offensioni infirmioribus, in sese credentibus, futuri sunt, pro opportunitate generatim de scandalis disputat. Væ illi, qui offensioni fuerit imbecillis, eumque vel ad deserendam fidem, vel in vitia impulerit. Væ iis, qui malis hujusmodi exemplis obnoxii fuerint (11), vel illis succubuerint: multo tamen gravius væ iis, qui ruinæ & offensionis causa infirmis fuerint. *Necesse est ut veniant scandala*. Corruptum adeo est hominum genus, ut mala exempla omnino futura sint: hæc tamen satis idonea excusatio non est vel prębenti vel accipienti; uterque enim sponte & libera voluntate eo deveniunt. Ita scribit Paulus 1. Cor. 11. 19. *Oportet & hæreses esse*: at nihilo levius idcirco est hæreticorum crimen.

Væ homini, per quem scandalum venit. Hæc verba Veteres quidam (12) de Juda proditore interpretati sunt: tu latius accipito de quolibet hominum genere, qui scandala in Ecclesia pepererint.

℣. 8. Si manus tua, &c. Tametsi amicus tibi sit, aut sanguine propinquus, vel manus tua, pes, oculus, abscinde, removeto, si te in crimen & infidelitatem traxerint. Præstat miserum in hoc mundo esse, quam in altero; aut amico, propinquo, vel aliqua parte corporis carere, quam animæ jacturam facere, aut æterna salute periclitari. Vide dicta capite v. 29. 30.

In ignem æternum. Lactantius lib. 7. de vita beata cap. 21. pag. 513. *Qui impii peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne inducentur, ut in corporibus piaculum solvant; & tamen non erit caro illa, quam Deus homini superjecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis ac permanens in æternum; ut sufficere possit cruciatibus, & igni sempiterno, cujus natura diversa est ab hac nostra, qua ad vitæ necessaria utimur, qui, nisi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit: ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquę modum fluidus.*

℣. 10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. *Pusillorum* nomine non pueros intelligit, sed Discipulos, Fideles, Apostolos, sub hac appellatione designatos, simplicitatis causa, innocentiæ, humilitatis. Ut hoc plane intelligas, junge ea, quæ narrant Marcus 9. 38. & Lucas 9. 49. disputante scilicet cum Apostolis Christo, quanti habenda esset puerorum humilitas & simplicitas, Joannem, inter cæteros Christo carissimum, dixisse: *Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere eum: qui enim non est adversum vos, pro vobis est... Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo.... non perdet mercedem suam: & quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur.* Vides hic pueros, humiles, simplices, animo mites conjunctos cum Discipulis, quibus ipse humilitatem & modestiam maximopere commendat. Discipulos meos, cæterosque qui labente temporum cursu fidei meæ nomen daturi sunt, in vilissimorum hominum censu habendos esse ne arbitremini, quod superbia & ambitione careant. His enim custodes ac defensores sunt Angeli, quibus Dei solium in Cœlis stipatur. Colligite hinc, quæ sit illorum dignitas &

R 2 subli-

(5) Leo Magn. Serm. 36. de Epiphan. 7. cap. 6. 7. (6) Vide Cameronem. Grotius contra certat, ὄνον significare potius molam superiorem, idque ex Polluce probat. (7) Ita Hilar. hic, Ambros. Maldon. Grot. Boch. de Animal. part. 1. lib. 2. cap. 13. (8) Hieron. hic, Erasm. Maldon. (9) Ligfoot. Lyran. Grot. Ham. Le Clerc. (10) Vide Grot. hic; & Casaubon. in Sueton. August. cap. 67. (11) Vide Chrysost. Euthym. Theophyl. (12) Philastr. hæresi eorum qui Judæ proditionem laudabant; Hieronym. Beda, hic: Author Comment. in 1. Cor. 11. sub nomine Ambros.

sublimitas, quantum illi a Deo amentur, quam ingens discrimen sit male illos excipere, quippe quibus Deus ipse defensores tribuit Angelos suos & Ministros, in quos peccaturus est, qui illos violaveris (2).

Novimus e Scripturis Angelos, nedum singulis Regnis, Provinciis, ac populis, verum etiam urbibus & Ecclesiis præfectos. De Angelo Regni Persarum Præside, & Michaele Judæorum defensore, memorat Daniel (3). Angelorum singulis gentibus præpositorum meminere Septuaginta in Deuteronomio (4): *Divisit Altissimus gentes, dispersit filios Adam, constituit terminos eorum juxta numerum Angelorum Dei*. Singulis Ecclesiis, ad quas verba convertit, singulos Angelos tribuit Joannes (5). Tradit Moyses (6), Angelum adfuisse ducem Israelitis, in solitudine errantibus. Angelos singulorum hominum custodes ac duces passim in Novo Testamento legimus, tum apud Judæos, Christianos atque Ethnicos. Jacob meminit Angeli, quem in itineribus ducem, & in periculis liberatorem expertus est (7). Angelos piorum defensores non semel nominant Psalmi (8). Cum Petrus divina virtute e carcere egressus, fores domus, intra quam collecti erant Discipuli, feriisset, non ipse quidem, sed Petri Angelus esse creditus est (9). Sunt qui vel ipsi Christo suum adfuisse Angelum putent, eumque esse, qui oranti in horto solatium allaturus sese exhibuit (10): *Apparuit illi Angelus de Cælo, confortans eum*.

Inter veteres fuere, qui nedum bonum Angelum custodem ac defensorem singulis hominibus adesse censuerint, verum etiam malum Angelum, malis suasionibus fraudibusque nectendis occupatum. De custodibus Angelis non eadem semper sensit Origenes (11): nunc enim geminos singulis tribuit (12), bonum & malum: nunc bonum dumtaxat Justis atque Fidelibus (13): nunc denique omnibus hominibus, etiam Ethnicis (14). Dubitat interdum, utrum singulis hominibus ab ipso nativitatis tempore, an post baptismum custodes Angeli tribuantur: an denique perfectis hominibus & virtute præstantibus ipse Dei Filius sese custodem exhibeat (15).

Pleraque hujusmodi Origenis sententiis non æqua semper fuit sors apud Ecclesiam: at quæ singulis hominibus geminos Angelos, bonum & malum, adesse docet, ea vulgo probata est, cum in vetustissimis duobus libris, eximiæ authoritatis, inveniatur; altero scilicet Hermæ, sive Pastoris; altero, Epistola Barnabæ, ubi hoc ipsum luculentissime traditur. Accessere S. Gregorius Nyssenus (16), Author Operis Imperfecti (17), Beda (18), Cassianus (19), aliique. Author quæstionum ad Orthodoxos quæst. 30. tradit Angelos nostros tutelares nunquam clientes suos vel mortuos derelinquere, at post mortem manere juxta animas usque ad novissimam corporum reparationem.

Sententiam hanc Origenes hauserat ex Platone (20), docente, singulis hominibus dæmones duos adesse, alterum quo ad bonum, alterum quo ad malum impelluntur. Unicum dumtaxat dæmonem seu Angelum, singulis hominibus traditum, ex Platone recitat Apulejus (21): *Ex hac sublimiore dæmonum copia Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes & custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint, omnium non modo actorum testes, verum etiam cogitatorum. Ac ubi vita edita remeandum est, eumdem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico & trahere, veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in causa dicenda assistere: siqua commentiatur, redarguere; siqua vera dicat, asseverare: prorsus illius testimonio ferri sententiam*. Hæc Apulejus.

Aliqua fortasse in his, quæ Platonis dicuntur, mista sunt ex Christianis. At illud saltem ex his colliges, Christianorum sententiam Ethnicis etiam fuisse communem. Censorinus (22): *Genius ita nobis observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat; sed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur*. Hinc summa Ethnicorum erga Genios religio. Sententiæ hujus antiquitas in Hesiodo conspicitur, Græcorum Poetarum vetustissimo (23). Bonos in terris esse Angelos ait, ab Jove missos, custodes mortalium, qui & justa & iniqua hominum opera observant.

℣. 11. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS SALVARE QUOD PERIERAT. Cavete, nequem ex Fidelium meorum minimis contemnatis, neque minimi habeatis eos, quorum conditio vilissima olim neglectaque fueras, ac vita flagitio flagrabat: nullius gratia vel studio movetur Deus. Venit Dei Filius, ut peccantes & perditos quærat (24). Minimus quisque ex meis dignus est summo obsequio, quippe quem tuentur Angeli, & Cœlestis Pater tanti fecit. Innuere hic videtur, aliquando futurum, ut Ecclesia ex Ethnicis coalescat; quamobrem hos ab Apostolis minime esse spernendos, ob pristinam ipsorum conditionem & infidelitatem.

Sunt (25) qui, cum hæc verba cum superioribus satis connexa non videant, addita hic putent, atque extra locum posita. Græcos afferunt libros, ubi hæc non leguntur; tum Origenem & Hieronymum adducunt, hæc eadem minime interpretatos. At eadem feruntur in vetustis Versionibus, SS. Hilario, Chrysostomo, Theophylacto, & aliis. Quin & Millius in Variis Novi Testamenti lectionibus librum unicum affert, ubi hæc desiderantur.

℣. 12. SI FUERINT ALICUI CENTUM OVES, ET ERRAVERIT UNA EX EIS, NONNE RELINQUIT NONAGINTA NOVEM IN MONTIBUS, ET VADIT QUÆRERE EAM QUÆ ERRAVIT? Ita Deus malorum exitium gravius fert, quam bonorum salutem curat. Luculentiora exhibet malis benevolentiæ suæ argumenta, quam cæteris. Gravius igitur in illum peccas, si infirmorum exitio studes, quam si bonorum salutem negligas. Pergit docere Christus, quam plena discriminis res sit, offendiculo esse imbecillis, eosque in flagitia inducere. Confirmat ea quæ dixerat supra, nimirum Filium Hominis venisse, ut amissa quæreret atque servaret.

Vi-

[2] Ambros. lib. 8. in Luc. Hilar. hic. [3] Dan. x. 13. 21. [4] Deut. xxxii. 8. Ita Patres antiqui pene omnes. [5] Apoc. 1. 20. II. 1. 2. & sequ. [6] Exod. xxiii. 20 21 xxx. 1. 34. xxxiii. 2. [7] Genes. xlviii. 16. [8] Psalm. xxxiii. 8. xc. 11 [9] Act. xii 15. [10] Luc. xxii. 43. [11] Vide Huet. Origenian. lib. 2. cap. 5. art. 28. & sequ. [12] Origen. lib. 1. in Epist. ad Rom. Homil. 23. in Josue; lib. 3. de Princip. cap. 3. Homil. 35. in Luc. [13] Vide Origen. Homil. 20. in Numeros; Homil. xx. 11. in Josue; Homil. 1. in Ezech. & lib. 2. de Princip. cap. 11. &c. [14] Origen. tom. xiii. in Matth. pag. 310. Homil. 35. in Luc. [15] Vide Origen. Homil. 11. & 14. in Numer. & 23. in Josue. [16] Greg. Nyssen. in Vita Mosis. [17] Author Operis imperfect. Homil. 5. in Matth. [18] Beda, in cap. 22. Act. Apost. [19] Cassian Coll. viii. cap. 17. & lib. 13. cap. 12. [20] Plato lib. x. de Legib. apud Theodoret. Serm. de Curandis Græcos. affect. [21] Apulej. libel. de Deo Socratis. [22] Censorin. de Die Natali. [23] Hesiod. Oper. & dier. lib. 1. vers. 121.

Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
Ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
Οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας, καὶ σχέτλια ἔργα.

[24] Vide supra xv. 12. [25] Vide Bezam hic. Vide & Erasm.

Visum est priscis quibusdam Patribus (26), novem & nonaginta oves, in parabola significatas, Angelos esse, qui fidei non defuerunt; ovemque perditam, homines Angelosque fidei desertores. Hujus tamen sententiæ periculum statim cernitur, quippe quæ eo desinit, ut Christus tum hominum tum malorum Angelorum salutis causa venisse dicatur: id quod ex erroribus est in Origene damnatis.

℣. 14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum? Homines universos salutem & veritatis cognitionem assequi vult Deus (27); omnibusque parat salutis adminicula, si velint: nullius exitium amat, iisque errantibus dolet (28). Væ qui paternis hisce consiliis reluctans, offendiculo est imbecillis. Græci codices multi legunt (29): *Ante Patrem meum qui in Cœlis est*.

℣. 15. Si autem peccaverit in te frater tuus. Regulas tradit Christus, ut fraternam correctionem rectissime exerceas. Id vero in nostra Religione gravissimum est, & maxime arduum. Nonnulli ex Patribus (30) putavere, quæstionem hic esse de iis quæ quis graviter in nos peccat, dimittendis, vel corrigendis, uti ferunt ea quæ hic sanciuntur. Leviora enim peccata, quæ quotidie admittuntur, & ab ipsismet sapientissimis ac prudentissimis ægerrime vitantur, satius est oblivisci & dimittere, quam persequi; neque hujusmodi in rebus decet ea omnia præstare, quæ hic a Christo permittuntur. De gravibus igitur peccatis hic res est, sive illa ad nos, sive ad Deum, sive ad proximos spectent, publice vel privatim commissis, ubi ex prudentiæ & charitatis legibus spei sit locus futurum, ut reus vel redargutus vel admonitus ad officium redeat; vel ubi ex munere tuo suum illi peccatum ostendere tenearis. Hæc autem in ea re servanda sunt.

I. Clam monendus est, nullo teste, ut nemo conscius criminis illius fiat. Si te audiens mores correxerit, tu & illum servasti, & a suprema calamitate liberum reddidisti. II. Si ille clam monentem spreverit, coram sapientibus aliquot viris illum argue. III. Si & tua & sapientum virorum monita aspernatus fuerit, crimen defer ad Ecclesiam, quo populus oratum convenit, ut vel metu, ne sua ipsius peccata a communitate discantur, vel universæ Ecclesiæ exhortationibus ad saniora convertatur. IV. Si & tibi & Ecclesiæ contumax fuerit, illum Ethnici & publicani loco habeto. Nullum cum illo fœdus tibi esto; suæ illum libidini relinquito, veluti expertem disciplinæ, eumque Dei misericordiæ commendato, qui unus est animorum dominus, mentesque lapideas in carneas convertere unus potest.

Judæi, teste Buxtorfio (31), ut ad solemnis expiationis festum sese comparent, inimicos adeunt, amicitias instauraturi. Si læsus renuat, alter, testibus tribus adhibitis, illum rursus adit, ac flectere conatur: qui si rursum renuere pergat, hic decem testibus stipatus veniam postulat. Quod si læsus non dimittat, alter post hujusmodi conatus, absolutus, & apud Deum culpa vacare censetur. Plus aliquid habet Basnagius (32). Apud Hebræos, inquit, anathemati præcedit censura sive correctio, clam primum; at renuente reo, domus Judicii, sive Judicum cœtus illum minitando monet, ut resipiscat. Si in scelere perseveret, censura consequentibus quatuor sabbathis vulgatur, prædicatu etiam rei nomine & peccato, ut inde probrum illi oriatur. Denique nisi vel tunc melior fiat, a reliquo cœtu exclusus, & anathemate perculsus pronunciatur.

Excommunicatio major erat & minor (33). Illa reum ab Judæorum societate penitus excludebat; altera ab aliqua dumtaxat hujus cœtus parte removebat, veluti a Synagoga ejus loci, ubi is anathemate inustus fuerat. Ejusmodi autem erat status illius, in quem sic pronunciabatur, ut intra cubitorum quatuor spatium alteri ex Ecclesia sua vel Synagoga, præter uxorem ac liberos, adsidere ei non licuerit. Idem testis judiciis adhiberi non poterat, & civili hominum consuetudini mortuus existimabatur. Hoc hominum genus a Templo, ut ajunt, atque a religiosis conviviis non arcebatur, in eo dumtaxat a cæteris distincti, quod in lævum latus Templum ingrederentur, in dextrum exirent, cum contrarius veniendi & exeundi habitus a cæteris Judæis servaretur.

Hos Hebræorum mores a Christo spectari, nullus dubito. At præstantiorem longe sanctitatem a Discipulis Christus postulabat, quam Rabbini ab asseclis exigerent. Fidelium suorum justitiam longe nobiliorem tum in hac re, tum in cæteris, quam Scribarum & Pharisæorum, esse jubet. I. Apud Judæos, is qui injuriam intulerat, veniam ab offenso quærens ambibat. At Christus jubet, eum qui passus est injuriam, pro viribus niti, ut injuriæ author resipiscat & corrigatur. Neque id eo dicit, ut reus offensum quietus expectet, dum veniam quærat; vult enim, hunc veniam ultro petere ab eo, quem sermone & verbis læsit. Quod si cesset reus, monet, ut offensus omnia moveat, quo citius amicitia instauretur. II. Penes Judæos anathema institutum fuisse videtur, ceu pœna in eum qui injuriam intulerat. Apud Ecclesiam Christianam rei dumtaxat ad meliorem frugem reducendi causa adhibetur: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*. Hoc tibi agendi propositum esse oportet. III. Hebræorum anathema civilis solummodo erat animadversio, animum minime afficiens, neque ab usu sacrorum hominem excludens; Ecclesiasticum vero est spiritualis pœna, sacrorum usu hominem spolians, & in Cœlis eum ligans, qui eo ligatus in terris fuerit, uti ait Christus, ℣. 18

℣. 16. Adhibe tecum adhuc unum vel duos, testes eorum quæ fratri dicturus es, & contumaciæ illius, qui renuat resipiscere, & charitatis alterius, qui fraternam correctionem exercet (34); sive ut junctis illorum precibus monitisque, fratris animus ac voluntas facilius moveatur (35). Vel denique, ut sese a multis damnari intelligens, criminis sui gravitatem agnoscat (36).

℣. 17. Si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Ita gradatim procedere juberis, modo futurum speres, ut reus resipiscat, optimaque erga se corrigentis voluntate proficiat. Quod si neque primo neque iterum monenti aures præbiturum speres, si contumax ille sit animoque obfirmatus; si paratum censeas nedum non audire, verum etiam injuria afficere, siquis ipsum corrigere audeat, is demum Divinæ Misericordiæ relinquendus est, ne, dum bene te facturum speras, gravius inde malum oriatur. Obtemperandum tunc Jesu Christo est, monenti, ne margaritas porcis mittas. Matth. 7. 6.

Ecclesia hoc loco Fidelium collectio est, qui deinde in Christum credituri erant. Cum Christus alloqueretur Apostolos, Judæos homines, quibus *Ecclesiæ* nomine usurpabantur vel populi cœ-

R 3 tus

(26) Vide, si lubet, Irenæ. lib. 3. cap. 21. & 39. Origen. Homil. IX. in Genes. & Homil. VII. in Josue. Cyrill. Catech. 15. Hilar. hic; Ambros. Apolog. David. cap. 5. Gregor. Magn. Homil. 34. in Evangel.
(27) 1. Timot. II. 4. (28) Sap. 1. 13. (29) Ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. (30) Hilar. Chrysost. Hieronym. hic, Ambros. in cap. XVII. Luc. Theophyl. Euthym. in hunc loc. August. serm. olim 16. de Verbis Domini, nunc 82. cap. 7. (31) Buxtorf. Synagog. Jud. cap. 20. (32) Basnage, Histoire des Juifs, Liv. v. Ch. 18. (33) Vide Selden. de Synedriis Hebr. lib. 1. cap. 7. 8. 9. 10. (34) Chrysostom. & Euthym. hic, Jac. Capell. (35) Brug. alii. (36) Chrysostom. hic; August. serm. 82. olim 16. Hieronym. hic; Theophyl. Maldon. Grot.

tus in Synagogam collecti, vel dumtaxat Principes Synagogæ; docere illos voluit, futuros in novo Regno cœtus, loca orationi destinata, Ecclesias, Religionis corpus, fide, & sacramentorum, sententiarum ac precum communione conjunctum, sub Episcoporum regimine, ad quos deferendi essent ii, quorum pervicacitas & nequitia frangi non posset, ut Ecclesia vel Cœtus, eorumque Principes argumentis, precibus, vel authoritate illos ad saniora reducere conarentur. Vide 2. *Timoth.* v. 20. 2. *Cor.* 11. 6.

SI AUTEM ECCLESIAM NON AUDIERIT, SIT TIBI SICUT ETHNICUS. Si Pastorum vocibus, exprobrationibus seniorum, Ecclesiæ precibus præbere aures renuerit; si neque Ecclesiam veretur, neque illius Principes, is tibi veluti ethnicus esto & publicanus. Hujus consuetudinem & affatum vita: nullæ tibi amicitiæ, nullaque fœdera cum eo sint: neque cibum, neque domum cum illo communem habeto, neque salutem illi dicito. Ita enim Judæi cum Ethnicis, Publicanis, Schismaticis & Apostatis solebant (37). Hinc didicit Ecclesia Christiana eam disciplinæ severitatem, qua nullo non tempore usa est erga Hæreticos & anathemate inustos, testibus Scriptura (38) & Ecclesiasticis monumentis (39). Neque tamen illum odisse licet, aut de ejus salute desperare: sed salubri probro afficiendus est, dum illum execratis; vitandaque est illius consuetudo, ne tibi ipse exitii occasionem struas. Acrius orandum tibi est, ut convertatur, dum illius flagitia maxime exhorres.

℣. 18. AMEN DICO VOBIS, QUÆCUMQUE ALLIGAVERITIS SUPER TERRAM, &c. Ecclesiam alloquitur, ex Fidelibus & Fidelium Capite coalescentem; neque enim solum sine membris Caput Ecclesia est, neque membra sine capite. Si reus Ecclesiam non audierit, hoc sensu usurpatam, Fideles scilicet sub Pastoribus suis, vel Pastores ipsos, qua parte universum Ecclesiæ corpus repræsentant; illum habeto ceu anathemate exclusum: omnino enim ajo futurum, ut is qui canonica sententia exclusus fuerit ab Ecclesia, revera in Cœlis anathemate inustus censeatur; qui vero peccatum confessus, demisso animo sese Ecclesiæ subjecerit, atque absolutionem retulerit, verissime solutus in Cœlis existimetur. Vide hujus loci explicationem apud Patres Doctoresque Catholicos.

Novatores quidam aliter explicant. Certat Seldenus (40), his verbis, *Dic Ecclesiæ*, non significari Ecclesiasticos Præsules, cum Jesu Christi ætate nulla esset Ecclesiasticis Præsulibus authoritas in Crede tes, ut juridica sententia in illos anathema pronunciarent. Judæos alloquebatur Jesus, ex ipsorum moribus & sententiis. Apud hos vero nedum Ecclesiæ Præsules, sed privatus quisque alios anathemate feriebant. Addit, nullum fuisse inter Judæos Præsulum Ecclesiasticorum cœtum, illi similem, quem nos *Presbiterion*, vel Senatum Ecclesiæ nuncupamus. Quamobrem colligit, hæc verba, *Dic Ecclesiæ*, hoc solummodo velle, Die certo credentium simul collectorum numero, nulla tamen juridica authoritate; quasi dixeris; Publice argue.

Fatemur quidem, Jesum ex Judæorum moribus ac sententiis loqui consuevisse, atque hoc loco ad Synagogæ disciplinam alludere: nihil ne igitur illorum consuetudini addidisse vel dempsisse dicendus est? Nonne illud potius constat, ubi is de Regni sui institutione differit, ubique perfectiora illum exigere, quam quod Lex ab Judæis pollulabat? venisse autem, ut Legem corrigeret absolveretque, non servorum ac pecudum more sequeretur? Esto; privatis authoritas fuerit, alium anathemate feriendi: hoc porro vitium erat, quod Christus corrigit. Nondum certe institutus fuerat Senatus Ecclesiasticus; at mox instituendus. Pleræque Jesu Christi sanctiones ad ea tempora pertinent, quæ ipsius Resurrectionem, atque institutionem Ecclesiæ consecuta sunt. Perspicuum autem est, his verbis, *Dic Ecclesiæ*, spectari Hebræorum consuetudinem, de qua supra memoravimus, nomen scilicet hominis & peccatum publice in Synagoga consequentibus tribus Sabbathis vulgandi (41); minime vero confictum hunc privatorum quorumdam cœtum, authoritate & dignitate carentium.

Seldenus idem docere conatur, alia hæc, *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, intelligi non posse de eo anathematis genere, quod olim apud Judæos, & quod deinde apud Ecclesiam in usu fuit: minime enim, inquit, Judæi anathema in Ethnicos & publicanos pronunciabant, neque Judæi anathemate perculsi ingressu Templi, sacrorumque usu interdicebantur. Denique ait, ea verba, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*, hoc solummodo significare: Quicquid in terris permiseritis seu vetueritis, eadem in Cœlo permissa seu vetita habebuntur; non vero: Quæ vel anathemate vinxeritis, vel solveritis absolutione, quæ dimiseritis sive damnaveritis, absoluta in Cœlis vel damnata censebuntur: quemadmodum enim supra diximus, ea non erat Judaici anathematis vis, ut vel sacrorum usu vel ingressu Templi interdiceret. Putat autem, repugnantibus Patribus universis, Conciliis, Scholasticis, Interpretibus, ipsisque novarum sectarum Authoribus (42), Juris Divini non esse, aliquem anathemate inurere, verosque illius ministros non esse solos Ecclesiæ Præsules. Denique, hoc potissimum principio nititur, Christianorum Excommunicationem penitus eamdem esse, ac Judæorum (43); eumque hæc jure Divino instituta non fuerit, quippe nonnisi post captivitatem usurpata, & a sacris exclusionem non inferens, nihilo validiorem esse eam, quæ apud Christianos in usu est.

At respondeo, negato prorsus Seldeni principio. Tametsi Ecclesiastica excommunicatio Judaicæ successit, atque illius exemplo quodammodo efficta est, omnino tamen est alia, neque arctis adeo limitibus angustaque virtute. Christianorum baptisma ad Judaici exemplum est: igitur ne idem? Aliquos Synagogæ usus Ecclesiastica disciplina imitatur: ergo ne eadem res sunt? Quorsum venit Christus, si hæc ita se habeant? An non ab ipso Apostolorum tempore (44), totaque deinde sæculorum serie anathemata pronunciavit Ecclesia, quibus excommunicatos communione excluderet, privaret Sacramentis, cœtu ejiceret? Ea ne unquam potestate Sacerdotes suos instruxit Moyses, qua Christus Apostolos, ut quicquid in terris vel solverent vel ligarent, vetarent vel permitterent, absolverent aut damnarent, ratum in Cœlis haberetur? Ait Seldenus, Ethnicos & Publicanos a Judæis anathemate inuri non consuevisse: quis dubitat? Igitur, inquit ille, is qui veluti Ethnicus & publicanus habetur, minime est excommunicatus. Imo, inquam ego, excommunicatus eo loco apud Ecclesiam est, quo ethnicus & publicanus, nimirum ab Ecclesiæ corpore sejunctus, ac veluti contumax, & expers disciplinæ habetur. De anathemate ex Rabbinorum sententia, egimus alibi (45): agendum hic duximus de simi-

(37) Ligfoot. Hor. Talm. hic. (38) Vide 1. Cor. v. 11. Tit. III. 10. & 2. Joan. x. 11. & Comment. nostr. ad Matth. v. 46. 47. (39) Irenæ. lib. 3. cap. 3. Vide Grot. & Jac. Capell. & Maldon. hic. (40) Selden. lib. 1. de Synedriis Hebræorum, cap 9. (41) Vide Baba Sanhedr. fol. 26. Maimon. in [illegible] cap. 12 & 14. Ligfoot. hic. (42) Ita ipse fatetur lib. 1. de Synedriis, cap. x. pag. 325. (43) Vide Seldenum De Synedriis, lib. 1. cap. 10. (44) 1. Cor. v. 3. 4. 13. Tit. III. 10. 11. & 2. Joan. 10. 11. 2. Timot. II. 17. 18. (45) Vide nostram Dissertat. de suppliciis veterum Hebræor. ad Deuteronom.

similitudine, quam dicunt, Christiani anathematis cum Judaico; cum ea abutantur novi Scriptores (46), ut Ecclesiæ authoritatem in hac re frangant, deleantque, si possint. Objici iis queunt ea quæ Grotius habet in Lucam vi. 22.

Scio equidem, Veteres quosdam (47) credidisse, verba hæc, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo*, non de Pastoribus Ecclesiæ intelligenda esse, sed de privatis Fidelibus, quibus liceat injuriam sibi irrogatam dimittere, vel secus. Si satis conatus es fratrem tuum corrigere; si privatim primo, deinde coram testibus, denique apud Ecclesiam a te monitus, minime resipiscat, tuaque monita aspernari pergat; te minime dimittente injuriam, quam is eluere negligit, illam ne in Cœlo quidem dimissum iri novaris. Quod si resipiscens te audierit, tuque illi peperceris, illi pariter in Cœlis parcet Deus. *Cœpisti habere fratrem tuum tamquam publicanum: ligas illum in terra. Sed ut juste alliges, vide: nam injusta vincula disrumpit justitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra*, inquit S. Augustinus (48).

At I. nunquam negavere Patres, penes Ecclesiam ejusque Præsules esse ligandi atque solvendi potestatem, qua Apostolos Christus instruxit. II. Verba hujus loci explicanda sunt ex communi Ecclesiæ sententia & usu, quem illi probavere, in eo situm, ut jus pronunciandi anathema nunquam penes privatos esset: id enim tantumdem foret, ac si judices in sua causa efficerentur. III. Illud solummodo voluere, hominem, qui irrogatam fratri injuriam pœnitentia eluere, & Ecclesiam audire nolit, se ipsum ligare, sibique Cœli aditum claudere; cum illud præstare renuat, sine quo veniam criminis minime largitur Deus, neque prabito sibi a Deo sese solvendi adminiculo utatur. Id tamen minime prohibet, quin ab Ecclesia ligari queat sive pronunciato anathemate, sive negata vel dilata absolutione.

℣. 19. Iterum (1) dico vobis, quia si duo ex vobis, &c. Quæ superioribus versiculis dixit, servandæ vel reparandæ concordiæ serviunt. Quæ sequuntur, eodem tendunt. Si mutuam colueritis concordiam, quicquid petituri estis, impetrabitis. Vel: Siquod inter vos dissidium fuerit, statim amicitiam instaurate. Si coram altari fueris, munus tuum oblaturus (2), relinque ibi munus, ac pergens cum fratre animum concilato. Optima ea est ratio, ut postulata ex Cœlesti Patre impetres. Vim Deo quodammodo infert mutua animorum consensio & Charitas. Cum legis, te impetraturum quicquid postulaveris, intellige, dum æqua & saluti utilia postules. Hoc ipsum, quod postulas, vel aliquid sanctitati tuæ utilius referes (3).

Patres plerique (4) verba hæc tropice interpretati sunt. Una sit partium tuarum consensio; nullum dissidium, divisio nulla inter animum & corpus: imperet animus, corpus obtemperet: quæ animo parere debet pars, ne in animum conjuret: atque ita compositus quidvis roga. Hæc ad solos Apostolus referri putant S. Chrysostomus & Euthymius. Ubi duo vel tres e vobis coiverint, aliquid ex Patre meo postulaturi, is annuet. Origenes ad virum & uxorem refert (5), mutuo consentientes, ut aliquandiu sejungantur, orationi operam navaturi, ex Apostoli consilio (6). Hoc vero potius tropicum est, quam ad fidem literæ,

℣. 20. Ubi enim sunt duo vel tres, &c. Confirmat his verbis ea quæ mox dixit. Si mutuam charitatem & concordiam colueritis, morigerum semper Patrem meum postulatis habituri estis; ipse enim medius vestium futurus sum, pro vobis rogans, vestrasque petitiones authoritate mea fulciens. Hac tamen promissione non modo orationes, verum etiam cœtus, incepta, decreta, Jesu Christi nomine, sub illius auspiciis, ejusque jussu, in charitatis & fidei consensione, unius gloriæ & causæ ipsius gratia inchoata spectantur. Cœtibus hisce se adfuturum pollicetur, felicemque illis exitum sese a Patre impetraturum. Promissionibus hisce nititur Ecclesiæ fides, quæ Dei Filium ac Spiritum Sanctum Ecclesiastici cœtibus, Conciliis Generalibus & Provincialibus, postremo locis omnibus, quo Fideles coeunt vel oraturi, vel de rebus ad Dei gloriam pertinentibus acturi, præesse credit. Alludit ad vulgarem Hebræorum persuasionem, qui Deum inter Judices medium sedere censebant (7), ac populi cœtum ipsius Dei cœtum appellabant.

℣. 21. Domine, quoties peccabit in me frater meus, &c. Hujus quæstionis occasionem recitat Lucas (8). Cum fraternæ correctionis leges tradidisset Christus, addidit: *Si pœnitentiam egerit frater tuus, dimitte illi. Et si septies peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit.... dimitte illi*. Si aures præbuerit frater tibi tese arguenti; illumque pœnituerit, parce, nedum semel aut bis, sed septies. Cum autem dubitaret Petrus, utrum Christi sententia hyperbolicum quid referret, an ad verbum esset usurpanda, quæsivit: Quoties, Domine, peccanti in me fratri parcendum mihi est? An septies? *Non dico tibi usque septies*, respondit Christus, *sed usque septuagies septies*, nempe quater centies & nonagies; denique, quoties peccaverit: *Omnia enim peccata dixit, quando septuagies septies dixit* (9).

Hebraicus Nazaræorum liber olim ferebat (10): *Si peccaverit frater tuus in verbo, & satis tibi fecerit, septies in die suscipe eum. Dixit ei Simon discipulus ejus: Septies in die? Respondit Dominus, & dixit ei: Etiam ego dico tibi, usque ad septuagies septies. Etenim in Prophetis quoque, postquam uncti sunt Spiritu Sancto, inventus est sermo peccati.*

℣. 23. Assimilatum est Regnum Cœlorum homini Regi. Ut magis magisque commendet ea quæ docuit de injuriarum venia, parabolam proponit, qua ob oculos exhibet, nullam nobis esse a Deo veniæ spem, nisi fratribus pepercerimus. *Assimilatum est Regnum Cœlorum*, &c. Idem fit in Ecclesia mea, meosque inter Discipulos, quod in Regno, ubi Rex e servis rationes exigat. Vel: In altero meo adventu, cum venero omni majestatis meæ fulgore nitens, judicium in vivos ac mortuos exerciturus, meumque in creatas res omnes Imperium capturus, idem omnino continget, quod ubi Rex rationes exigit a Ministris. Eamdem ferme parabolam legimus infra xxv. 25. & Luc. xix. 13.

℣. 24. Decem millia talenta. Hebraicum talentum valebat libris Gallicis 4867. solidis tribus, denariolis novem. Decem igitur millia talentorum summam efficiunt librarum nostri numismatis 48871875. Fortasse talenta, de quibus hic agit Christus, æqualia non erant talentis veterum Hebræorum: tametsi vero de talentis Ægyptiis disseruerit, quorum singula summam æquabant libra-

(46) Vide Bilson. apud Jac. Capel. in Synopsi Critic. Grot. hic. (47) Origen. in Matth. c. 13. Theophylact. hic; Anastas. Nicæn. qu. 61. in Scripturam. Ita fere Chrysost. hic: Aug. Serm. olim 12. nunc 82. Vide Grot. hic, & Jans. & & Mald. (48) Aug. Serm. 82. num. 7. p. 442. G. (1) Græci Codices multi legunt: Πάλιν ἀμὴν λέγω ὑμῖν vel: Πάλιν δὲ ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Iterum amen dico vobis*. Ita mss. ferme triginta quatuor, & plures Editiones apud Mill. (2) Matth. v. 23. (3) Vide dicta supra, Matth. vii. 7. 8. (4) Orig. tom. 14. Matth. Ambros. de Instit. Virg. c. 2. & in cap. xiv. Luc. Hieronym. Beda, & Theophyl. hic. (5) Origen. in Matth. (6) I. Cor. vii. 5. (7) Psalm. lxxxi. 1. (8) Luc. xvii. 4. (9) Aug. 83. de Verbis Evang. n. 7. Hieronym. hic: *Ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare posset*. (10) Apud Hieronym. l. 3. contra Pelag. c. 1.

brarum Gallici numismatis 2688. vel de Atticis, quorum valor erat librarum 2400. summa tamen decem millium talentorum quaslibet privati hominis vires & conditionem superabat. Dena millia talentorum referunt monetæ nostratis libras 48671875. singulis talentis in libras 4867. 3. 9. computatis, Hanc certe summam posuit Christus, ut doceat, quam multum Deo debeamus, & quam ingens sit debitorum pondus, quibus erga Deum afficimur.

℣. 25. Jussit eum Dominus ejus venumdari, &c. Ex vetere Judæorum, aliarumque gentium Jure, creditori facultas erat vendendi, aut pro servo habendi debitorem, qui solvendo non esset. Mulier in 4. Regum iv. 1. Prophetæ cujusdam vidua, Eliam rogat, ut sibi præbeat, quo liberos duos a servitute redimat, quam mortui viri creditor illis minitatur. Ex Jure communi, Hebræorum servi in libertatem vindicabantur anno Sabbathico, eosque ab hero hominibus alieni generis venumdari nefas erat: hujus tamen Legis beneficio non gaudebant debitorea solvendo impares. Uxores tantummodo & puellæ Judæorum, ex Rabbinis, nullo unquam tempore alienis vendi poterant (11).

℣. 27. Debitum dimisit ei. Græcus proprie sonat pecuniam mutuo datam, cum usuris (12).

℣. 28. Centum denarios. Denarius Romanus solidos Gallici numismatis decem æquat: ex aliis, solidos octo, & denariolum unum. Sunt qui censeant, *denarium* hoc loco eumdem esse ac *Siclum*, qui solidis triginta duobus, & denariolis sex valebat. Minima certe est summa, nulla ex parte comparanda cum decem millibus talentorum, quæ domino debebat prior: quo luculentius intelligas, quam ingens discrimen sit inter ea, quæ Deo nos, & quæ nobis fratres debent. Multum debemus Deo, qui multum peccavimus: debitor nobis est frater, qui in nos peccavit, At quanto distant intervallo nostra in Deum peccata ab iis, quæ a fratribus patimur (13)?

Tenens suffocabat eum; vel, inter tunicam & collum illum tenuit, ipsumque trahens pene fauces elidebat. Ita trahebatur ad Judicem reus: *Obtorto collo trahebat*.

℣. 34. Tradidit eum tortoribus. Ex legibus Romanorum, tunc in Judæa vigentibus, debitor carnifici dari poterat, in vincula conjiciendus, puniendusque certis suppliciis, veluti virgis seu plumbatis. *Plumbatæ* aut erant ferreæ catenulæ, ex quibus plumbeæ pilæ pendebant. Sunt (14) qui censeant, tortorem hoc loco eumdem esse ac ergastuli custodem (15), atque hunc servum eodem supplicio affectum fuisse ab hero, quo is conservum affecerat. Favent huic explicationi ea quæ sequuntur: *Quoadusque redderet universum debitum*. Utitur hic dominus nedum creditoris jure, verum etiam Judicis & Principis (16). Cæterum, ubi legis usum hunc debitorem in vincula datum, dum universum debitum solverit, cave illud colligas, futurum aliquando, ut impii suppliciis inferorum liberi dimittantur: cum enim infinitum sit debitum, atque omnino solvi nequeat, ita illi nunquam ex inferis abituri sunt.

℣. 35. Sic et Pater meus (17) coelestis faciet vobis, &c. Idcirco fortasse, quod Deus peccata jam dimissa iterum revocet? Id porro falsum omnino est. Idem peccatum bis non judicat aut punit Deus (18); neque beneficia semel concessa unquam aufert (19): sed cum S. Augustino dicendum est (20): *Dicit Deus: Dimitte, & dimittetur tibi ... Nam si remiseris, revocabo te; & quicquid dimiseram, replicabo tibi: non enim mentitur Veritas, quæ dicit: sic & vobis faciet Pater vester, &c. Invenis Patrem: imitare Patrem: si enim imitari Patrem non vis, exhæredari disponis*. Et alibi (21): *Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo servo, a quo dimissum debitum Dominus repetit*. Addit, siquis post baptismum in fratris odio perseverat, *deinceps reus esse omnino incipit, non solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt: & hæc sæpe contingunt in Ecclesia*.

Nihilo minora in hanc sententiam fert S. Gregorius Magnus (22): *Si hoc quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus; & illud rursus a nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus*. Quæ sententia in Corpus Juris Canonici adlecta est (23). Docet S. Chrysostomus hom. 62. quamquam Dei dona & beneficia ejus naturæ sunt, ut revocari nequeant, ipsumque collati beneficii nunquam pœnitet, eam interdum esse hominis pervicaciam, ut Deum cogat ea revocare, quæ largitus fuit. Patrum omnium antesignanus in hac sententia est Origenes (24), eamque optime probat in Commentariis ad Matthæum.

S. Thomas (25) loca quædam alia in hanc sententiam congerit. At denique ut Scripturas invicem conciliet, quibus nunc docemur, peccata semel dimissa nunquam revocari, nunc peccati jam dimissi rationes iterum a Deo exigi, ita denique claudit: I. peccata jam dimissa vivere iterum posse, non culpa, sed æternis suppliciis, quæ illis debentur; tum etiam ex eo, quod homo peccans nova in se supplicia provocat novis criminibus (26); II. dimissa peccata iterum revocari ob ingrati animi vitium, quod ipsis conjungitur, augens adeo secundorum criminum gravitatem, ut Deus hæc multo severius puniat, quam si nulla superiorum venia præcessisset: atque hac ratione hic locus a Theologis vulgo explicatur (27).

(11) Vide nos in Exod. xxi. 2. 3. 4. &c. 7. 8. Levit. xxv. 39. (12) Τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ. (13) Aug. Serm. 83. olim 15. de Verbis Domini, c. 2. *Omnis homo & debitor est Dei, & debitorem habet fratrem suum. Quis est enim qui non sit debitor Dei, nisi in quo nullum inveniri potest peccatum? Quis est autem qui non habeat debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccavit?* (14) Grot. Hamm. Le Clerc. (15) Βασανισταῖς. (16) Chrysost. Euthym. Theophylact. (17) Quidam Codd. legunt: Οὕτω καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν; quod non probat Chrysost. Plures addunt in fine versus: Τὰ παραπτώματα αὐτῶν. (18) Nahum, 1. 9. in LXX. Οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει. (19) Rom. xi. 29. Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. (20) Aug. Serm. olim 15. nunc 83. n. 7. (21) Idem, lib. 1. de Baptism. contra Donat. cap. 12. (22) Greg. Mag. l. 4. Dialog. c. ult. (23) De Pœnit. Distinct. 4. c. Constat. (24) Origen. t. 14. p. 348. in Matth. (25) D. Th. 3. part. qu. 88. art. 1. 2. 3. (26) Ita Prosper, Respons. ad secundam objectionem Gallorum. (27) Vide Maldon. & Grot. hic; & Ambros. in Psal. xxxviii. num. 4.

C A.

CAPUT XIX.

Divortium. Pueri Jesu Christo oblati. Locuples adolescens, Christum sequi cupiens. Misera locupletum conditio. Felices, qui omnia Cœlestis beatitudinis causa relinquunt.

℣. 1. ET factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Gali-
læa, & venit in fines Judææ trans Jordanem. 2. Et secutæ sunt eum
turbæ multæ, & curavit eos ibi. 3. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum,
& dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? 4. Qui
respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, &
fœminam fecit eos? & dixit: 5. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem,
& adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. 6. Itaque jam non sunt duo,
sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 7. Dicunt illi: Quid
ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? 8. Ait illis: Quoniam
Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio
autem non fuit sic. 9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam,
nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœ-
chatur. 10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non ex-
pedit nubere. 11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus
datum est. 12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero nati sunt: & sunt eunu-
chi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter
regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut
manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. 14. Jesus vero
ait eis; Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim re-
gnum cœlorum. 15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. 16. Et ecce unus
accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?
17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem
vis ad vitam ingredi, serva mandata. 18. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non
homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium di-
ces: 19. Honora patrem tuum, & matrem tuam: &, Diliges proximum tuum sicut
teipsum. 20. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid ad-
huc mihi deest? 21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes,
& da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me. 22. Cum
audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.
23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit
in regnum cœlorum. 24. Iterum dico vobis: Facilius est, camelum per foramen
acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. 25. Auditis autem his,
discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? 26. Aspiciens
autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem om-
nia possibilia sunt. 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus om-
nia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? 28. Jesus autem dixit illis: Amen
dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius ho-
minis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duo-
decim tribus Israel. 29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores,
aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum,
centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. 30. Multi autem erunt primi no-
vissimi, & novissimi primi.

℣. 1. MIGRAVIT A GALILÆA, &c. Multa intercessere inter ea quæ in fine capitis superioris narrantur, & præsens Christi iter in Judæam. Vide Harmoniam quatuor Evangeliorum. Capharnao discedens Jesus, in Judæam venit, itinere per regionem trans Jordanem instituto (1). Plura colligit hic Matthæus, quæ variis remotisque temporibus contigerunt.

℣. 3. SI LICET HOMINI DIMITTERE UXOREM SUAM. Certe regionis suæ leges & consuetudines minime ignorabant Pharisæi, ibique usitatum esse divortium norant, Lege vel permittente vel dissimulante (2). At fortasse verebantur, ne illud damnaret Christus, præter adulterii causam (3). Quamobrem ut invidiam Christo apud populum parerent, postulavere, licitum esset, nec ne, di-
vor-

[1] Ita Marc. x. 1. Ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.
[2] Matth. v. 31. 32.
[3] Deuter. xxiv. 1.

vortium. Eo tempore, inquiunt (4), Hillelis & Sammeæ discipuli acriter disputabant, quid Moyses de divortio sanciret (5). Hillel, ejusque discipuli ajebant, divortium a Moyse quamlibet ob causam permitti; negabant Sammea ejusque asseclæ, præter probri aut impudicitiæ causam. Optantes igitur Pharisæi, ut suam hac de re Christus sententiam dicat, technam illi struunt, conanturque ex altera e duabus sectis inimicos illi facere, quamlibet is ad partem accedat.

℣. 4. Qui fecit hominem ab initio, &c. Ut divortium & polygamiam, quæ in usu erant Judæis, primæ conjugii institutioni repugnare doceat, ad viri & mulieris creationem, primamque conjugii originem convertitur Christus. Cum Deus initio marem unum unamque fœminam creaverit, junxeritque conjugii vinculo, ut ambo in carnem unam coalescant, perspicuum omnino est illud voluisse, ut vir ab uxore non discedat, neque plures quam unam eodem tempore habeat (6).

℣. 5. Et dixit: Propter hoc dimittat homo .... et erunt duo in carne una (7). Cum virum & fœminam conderet Deus, jussit carnem unam esse, eosque liberorum procreatione carnis unius esse principium; vel denique, arcto adeo & indissolubili fœdere utrumque conjungi, quemadmodum unius corporis membra. Moyses Gen. 2. 24. hæc verba tamquam ex Adamo recitare videtur: *Relinquet homo patrem suum & matrem*, &c. Apud Scripturam τὸ *dixit* usurpatur interdum passive pro *dictum est* (8). Adde, quod, cum Adam afflante Numine tunc locutus fuerit, dici potest Deus ipse pronunciasse, quæ tunc primus homo protulit (9).

℣. 6. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Indissolubile igitur esto conjugii fœdus, quemadmodum institutum a Deo est. Neque privata authoritate homo, neque Judex aut Princeps indissolubile vinculum solvat. Divortium adulterii causa ipsum conjugii vinculum non solvit, sed utrumque conjugem ita sejungit, ut ad alteras nuptias transire sit nefas.

℣. 7. Quid ergo Moyses mandavit, &c. Teste Marco 10. cum Pharisæi Christum rogassent, liceret ne viro uxorem repudiare, respondit Christus: *Quid vobis præcepit Moyses?* iisque respondentibus, divortii libellum dari, subjecit ille: Id quidem ob mentis vestræ pervicaciam: at initio res aliter habuit sese: marem enim & fœminam condidit Deus, ut una in carne conjungerentur. Tum ea quæ hic legimus, ℣℣. 4. 5. 6. Iterum Pharisæi: Cur igitur permisit Moyses, ut vir divortii libellum uxori daret? Respondit Jesus: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

Miscebant Pharisæi ea quæ Deus imperaverat, & quæ dissimulaverat Moyses. Divortium hic dissimulaverat, ob pervicaciam indocilium Judæorum (10): at sanciverat Deus, ut vir cum uxore perseveraret. Duo hæc luculentissime distinguit Christus: revocat id quod dissimulaverat Moyses, & conjugium in pristina integritate a Deo instituta restituit. Plura hic non addimus de Divortio, cum hoc argumentum peculiari Dissertatione ad Deuteronomium expenderimus.

℣. 10. Si ita est causa (11) hominis cum uxore, &c. Si indissolubile est conjugii vinculum, ipsumque divortium nonnisi adulterii causa permittitur, atque ita, ut priore superstite vir alteram uxorem ducere nequeat, commodum certe non est, conjugio jungi, cum sæpe numero contingat, ut uxor odiosa efficiatur, & pauci sint, qui continentiam colere sancte sciant.

℣. 11. Non omnes capiunt verbum istud. Non omnes hoc percipiunt, conjugio abstinere (12), & continentiam colere. Neque omnibus datur, ut re ipsa servent hoc quod dicitis: sin donum hoc constanter a Deo postulaveris, is tibi largietur (13). *Petite*, ait Christus, *& dabitur vobis. Datur*, inquit S. Chrysostomus (14), *iis qui volunt*. S. Hieronymus: *His datum est qui petierunt; qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt.* Aliter (15): *Non omnes hæc argumenta assequuntur*, neque inde colligunt, præstare cælibem esse, quam jungi connubio. Prior interpretatio cæteris præstat.

℣. 12. Sunt eunuchi, qui de utero matris sic nati sunt. Ut continentiam humanis viribus superiorem non esse, & exemplo non carere, edoceat Christus, tria hominum cælibum genera enumerat, continentiam colentium; quorum alii merito carent, alii virtutis amore impelluntur. Illos natura corporis frigida & sicca (16), vel ipsa nascendi conditio, sive ars & hominum vis ad illud adegit; hi ob causas multo nobilissimas sponte usu conjugii abstinent, vel absolutissimam continentiam colunt, *Regni Cælorum* causa, scilicet Evangelicæ prædicationis, veluti Joannes Baptista, & Joannes Apostolus, qui virginitatem ad obitum usque coluerunt; sive ut Cœlorum Regnum æternamque beatitudinem acquirant (17), veluti ii qui conjugio abstinent, quo quietius & facilius saluti suæ studeant, puta Clerici & Monachi, qui continentiam solemni voto profitentur.

Fuere qui hæc verba ad literam usurparint (18): *Sunt eunuchi, qui castraverunt se ipsos propter Regnum Cœlorum.* At Ecclesia furentes, sui ipsorum inimicos, homicidas nunquam non censuit eos, qui hanc sibi vim ipsi intulere, vel ab aliis inferri passi sunt, conficta Religionis ratione. Coactum obsequium minime postulat Deus; neque in eo castitatis virtus sita est. Adde, quod in eunucho neque minor sit libidinis æstus, neque impetus carnis coercentur.

℣. 13. Tunc oblati sunt ei parvuli. Moris fuisse creditur, puellos sanctis & illustribus viris sistere, ut divina in illos beneficia e cœlo evocarentur; Jacobi exemplo, qui decumbens morti proximus (19), manus imposuit cervicibus Ephraimi

(4) Selden. uxor Hebr. lib. 3. cap. 23. (5) Deut. xxiv. 1. (6) Ita Chrysost. Hieron. Auth. Oper. imperfect. Beda, Theophyl. Euthym. Strab. Maldon. (7) Hebr. לבשר אחד Græc. Εἰς σάρκα μίαν, *In carnem unam.* (8) Vide 1. Cor. xv. 27. Ephes. v. 13. Hebr. 1. 17. &c. (9) Vide August. de Genesi ad litt. lib. 9. cap. 19. Theophyl. Euthym. hic. (10) Origenes, tom. 14. in Matthæum, & S. Hieronymus hic, dicere videntur, divortium a Moyse permissum, privato ipsius consilio, non Dei jussu; quemadmodum Paulus viduas hortatur, ut ad alteras nuptias non transeant, non imperat: *Ut consilium sit hominis, non imperium Dei.* Vide & S. Ambrosium, lib. 8. in Luc. num. 7. *Moyses permisit*, inquit, *non Deus jussit.* Adde quæ sequuntur num. 8. *Quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta.* (11) Αἰτία, *Causa, negotium, conditio*. Passim usurpatur hæc vox in Jure Romano, pro conditione. Grot. Camera. (12) Ita Chrysost. homil. 63. Origen. in Matth. cap. 14. Ambros. Exh. ad Virg. Nazianz. Orat. in hæc verba. (13) Origen. cap. 14. in Matth. Chrysost. Homil. 63. Hieronym. hic. (14) Chrysost. hic: Δέδοται τοῖς αἰτοῦσι τοῖς βουλομένοις. (15) Vide Epiphan. Maldon. Grot. Brug. (16) Vide Hieronym. & Origen. in hunc locum. (17) Origen. Hilar. Chrysost. hic; Author Oper. imperf. Euthym. Maldon. Hammond. Grot. hic. Clem. Alex. Strom. 3. (18) Hæretici Valesii apud August. hæres. 37. & Epiphan. hæres. 58. Vide Orig. t. 15. pag. 369 & 370. Fatetur Origenes, se olim male usurpasse hæc verba; atque hinc colligit allegoriarum necessitatem, adversus Marcionem, aliosque nonnullos, fortasse Valesios. (19) Genes. xlviii. 14.

Ephraimi & Manassis, liberorum Josephi, supremum bene illis precatus. Certa persuasione credebatur contrectatio manuum Jesu Christi nonnullis utilissima esse his pueris posse, sive ut divinis illi Beneficiis cumularentur, sive ut immunes essent a morbis, quos ille ab adultis ejiciebat.

℣. 14. Sinite parvulos venire ad me. Videntur ex Luca (20) nonnulli infantes fuisse: at alii certe firmiores erant, quippe qui pedibus ipsi accessere. Hos amplexus est Jesus, inquit Marcus (21), impositisque manibus bene illis precatus est. Cum vero opportunitatem docendi Apostolos ubique caperet, iterum hic ea repetit, quæ alio tempore dixerat (22), imitandam esse puerorum lenitatem, simplicitatem, & habendi neglectum iis, qui Regnum Cœlorum consequi, in partem Ecclesiæ illius admitti, Evangelium excipere & servare cuperent (23). Is porro esse Christianus debet. Marcus & Lucas (24) Jesum ita loquentem inducunt: *Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim Regnum Dei: Amen dico vobis; Quicumque non acceperit Regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Omnino autem hic *Regnum Cœlorum* est Evangelium, fides, professio, & observatio dogmatum Christianæ Religionis.

℣. 16. Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? sive alterius vitæ beatitudinem? Libri quidam (25) non habent *Bone*, sed tantum *Magister*. Et ℣. 17. ubi respondet Christus, pro iis quæ in Græcis editis leguntur, *Quid me dicis bonum?* optimi Codices (26) cum Vulgata consentiunt: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus*; vel ex aliis, *Unus est bonus Deus*, quæ ex doctissimis Interpretibus (27) vera est Matthæi lectio. Græci fortasse librarii, neglecto orationis nexu, in Matthæo scripserunt lectionem, quam in Marco & Luca (28) animadvertebant; conciliaturi hac ratione Evangelistas, qui revera minima opponuntur; cum Matthæus unicam addat vocem a ceteris omissam, & omiserit alteram ab iis recitatam, uti passim usuvenit.

Narrat Lucas (29), hominem hunc, a quo Christus interrogatur, illustri genere fuisse; & Marcus x. 17. addit, illum magno cum obsequio accessisse, atque in genua provolutum, ea quæ hic scribuntur postulasse. His porro indiciis optime hic secernitur ab altero, qui tentaturus accessit, de quo Lucas x. 25. Postremus hic Legisperitus fuisse dicitur; alter homo bonæ fidei & locuples exhibetur, munere aliquo vel dignitate inter cives conspicuus. Fuere nihilominus inter veteres (30), qui utrumque miscuerint, eumdemque fuisse hunc Principem censuerint cum altero, quem Lucas Legisperitum nuncupat.

℣. 17. Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Addenda hic sunt nonnulla, ut Matthæus cum Marco & Luca concilietur: *Cur me rogas quid boni faciendum sit? [& cur me dicis bonum?] Unus enim bonus est Deus, & mandata nosti, quibus continetur quicquid boni agendum tibi est.* Duo dixerat adolescens: alterum per accessionem, Jesum scilicet bonum esse; alterum, quid boni agendum esset. Utrique respondet Jesus. Se quidem bonum esse non negat: illum dumtaxat clam arguit, quod ad sese accesserit, ceu Magistrum bonum, qui unus docere noverit, quid tibi præstandum sit, ut æternam vitam assequatur, tametsi merum hominem credit. Si merus homo sum, dedecet me boni magistri appellatio: si vero & Deus, quemadmodum revera sum, cur me hominem merum existimas? Adolescentem eo docere studet, ut sese Deum esse agnoscat; quamobrem de *Boni* appellatione disputat, quam is nullo meditato consilio usurpaverat, illum Deum esse non ratus, sed hominem pium, & justitiæ veritatisque doctorem. Quamobrem temere abutebantur hoc loco Ariani adversus Verbi Divinitatem, quippe qui ipsis minime faveat, ac solummodo illud probet, voluisse Christum, adolescentem hunc ad suæ Divinitatis cognitionem perducere (31), oblataque hac occasione usum, ut veritatem hanc illum doceret.

Quod ad alteram quæstionis partem attinet: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondet Christus: *Quid me interrogas de bono,* quid faciendum sit boni? *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Transpositio est in Evangelio, vel omissio, eo modo supplenda, quo diximus. Recentiores quidam (32) ea verba, *Quid me interrogas de bono?* reddunt, *quid me dicis bonum?* At neque Latina Versio, neque Græcus ex libris veteribus multis manu exaratis, cum Latina consentientibus, hanc explicationem admittunt.

℣. 18. Quæ? Putabat adolescens, Jesum nova aliqua præcepta daturum, præter ea quæ sanciverat Moyses. Animadverte, nihil hic Christum agere de prioris Tabulæ præceptis, ad Deum pertinentibus, sed de iis quæ ad proximos spectant; quod fortasse hæc communius, quam altera, eo tempore violarentur.

℣. 19. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. His verbis, quasi compendio, colligit omnia, quæ de hoc præcepto mox enumeraverat. Denique, *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Putat Origenes (33), postrema hæc verba addita hic esse a librariis, Textum corrigere temere ausis, neglecto Scriptoris proposito, & nexu orationis. Profecto hæc apud Marcum & Lucam desiderantur, neque huic adolescenti conveniunt, qui hic ℣. 20. se a prima adolescentia servasse testatur omnia, quæ Christus descripserat. Quamobrem si absolutam erga proximos charitatem coluit, quid illi adhuc deerat? Hæc tamen in omnibus libris tum manu descriptis, tum impressis, & apud omnes Patres leguntur.

A juventute mea; via per ætatem lenis. In veteribus Latinis Codicibus hæc non habebantur (34), & adhuc in vetustis Græcis quibusdam desunt (35). Ex Marco & Luca in Matthæum irrepsisse creduntur.

℣. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus . . . et veni, sequere me. Hoc tibi nimirum deest. Quicquid habes, relinque, & me sequere: hæc est perfectionis via. Mosaycas leges ab adolescentia coluisti: Judæi hominis officia satis implesti. Hoc

fo-

[20] Matth. & Marc. hic: Παιδία. Luc. xviii. 15. Προσέφερον δὲ αὐτῷ τὰ βρέφη . . . 16. Ἄφετε τὰ παιδία . . .
[21] Marc. x. 16. Ἐναγκαλισάμενος αὐτά, τιθεὶς τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτά, εὐλόγει αὐτά. [22] Matt. xviii. 3. 4.
[23] Origen. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. hic. [24] Marc. x. 15. Luc. xviii. 17. [25] Ita Cantab. & Bold. 3. Æthiop. Hilar. & antiqua Vulg. apud Martianæum. [26] Vide Var. Lect. Mill. in ℣. 17. impressi habent: Τί με λέγεις ἀγαθόν. [27] Vide Erasm. Luc. Brug. Grot. Mill. Vide Orig. hic, ubi utramque lectionem agnoscit & Huet. not. in hunc locum. [28] Marc. x. 17. 18. Διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ποιήσω ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, τί με λέγεις ἀγαθόν, &c. Ita & Luc. xviii. 18.
[29] Luc. xviii. 18. Ἐπηρώτησέ τις αὐτὸν ἄρχων, λέγων, &c. [30] Hieron. hic; Ambros. in Luc. Cyrill. lib. 2. Thesauri cap. 1. Quidam apud Chrysost. quos ille refellit. [31] Vide Epiphan. hæres. 69. Ambros. in Luc. August. contra Maximin. Arian. lib. 3. cap. 13. Cyrill. Alex. lib. 2. Thesauri cap. 1. Basil. ad Amphiloc. Vide Maldon. [32] Maldonatus, Jansenius, Versio Sacriensis & Montensis, & Simonii, & Martianæi. [33] Origen. in Matth. pag. 380. [34] Ita Luc. Brug. & Grot. Bukentop. Edit. Sixt. V. Ita Cyprian. Juvenc. August. & antiqu. mss. antiquusque Vulg. apud Martianæum, pag. 74.
[35] Vide Var. Lect. Millii.

solummodo ex te postulat Deus Matth. 19. 17. ut æternam sibi vitam largiatur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Si vero perfectius aliquid cupis, hæc moneo (36): Inopem & Evangelicam vitæ rationem, quam ego cum Apostolis sequor, amplectere; inter Discipulos meos nomen da, Evangelico jugo collum subjice, & Christianam Legem sectare (37). Non eo hæc dicit Christus, ut eadem, quæ adolescenti huic proponuntur; ex omnibus Christianis exigi putes, teque statim perfectum fore, ubi divitias reliqueris, aut Christi clientelam amplexus fueris. At procul dubio ingens salutis impedimentum removebis, & perfectionis iter ingredieris. Ad hoc iter Christus hortatur adolescentem, quem ex ea parte infirmum esse norat, opesque propensius amare, quam opus esset. Quamobrem *cum audisset adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones*.

℣. 24. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Cœlorum. Docebat Celsus uti tradit Origenes lib. 1. contr. Cels. Christum hanc sententiam hausisse ex Platone lib. 5. de Legib. scribente, fieri non posse, ut quis eximie bonus, & eximie locuples sit: quasi æterna Dei Sapientia Platone eguerit, ut moralia instituta disceret. Opum amorem & cupiditatem hic damnat Christus. Hic certe amor, ubi modum excesserit, cum Christiani hominis vita componi nequit, ipsumque ab æterna beatitudine excludit; atque ita nulla est in Christi verbis hyperbole, docentis, ita arduum non esse camelum per foramen acus trajici, uti divitem hominem in Regnum Cœlorum ingredi; sive Regnum Cœlorum de Cœlesti beatitudine, sive de sincera Christianę Religionis professione interpreteris (38).

Sin vero ita locuples sis, ut divitias non ames, illarumque aut servandarum aut augendarum sollicitus anxie non sis; idcirco possideas, ut ex Dei voluntate iis utaris, amittere, largiri, relinquere paratus, ubi Dei consilia & providentia postulaverint: id porro minime damnat Christus. Alia tui est atque hujus adolescentis conditio. Vitæ hujus commoda impiis laqueus sunt, & mortis causa; piis, bene agendi & virtutis adminicula.

Quod ad vulgarem hanc locutionem pertinet, *Facilius est, camelum per foramen acus transire*, Veteres plerique (39), & novi Interpretes (40) naturali sensu usurpavere. Vulgaris erat apud Hebræos loquendi forma, cum impossibile aliquid esse significarent. Legitur apud Rabbinos (41) hæc locutio: *An tu ex iis es, qui elephantem per foramen acus trajiciunt?* scilicet qui impossibilia minantur. Et: *Numquam illi exhibuerunt aut auream palmam, aut elephantem per foramen acus trajectum*. Denique proverbium apud Judæos adhuc est (42): *Amicos duos capit foramen acus; inimicis duobus angustus est mundus*. Christus pro elephante camelum usurpavit, animal inter Palæstinos familiarius.

At Recentiores multi (43), eo offensi, quod nulla sit inter camelum & foramen acus convenientia, varias proverbii hujus explicationes excogitavere, servata hyperbole. Quamobrem censuere, *camelo* hic significari rudentem, funem aliquem crassiorem ex iis, quibus usus est in navibus. Id vero e Scriptoribus non modo Græcis (44), verum etiam ex Arabibus & Syris probant (45); ex quibus colligitur, *camelum* posse hoc sensu usurpari. Similia huic proverbia apud eas gentes inveniuntur. Ajunt Thalmudistæ (46), animæ egressum & discessionem e corpore ita difficilem esse, uti rudentis per foramen acus transmissionem. Mahometus (47) negat, eos, qui suis ipsius institutionibus repugnant, in Cœlum ingressuros, quemadmodum rudens per foramen acus trajici nequit. Ipsa denique orationis series, membrorumque comparationis convenientia huic explicationi magis favent, quam primæ. Ita saltem aliqua rei probabilitas, quamquam remotissima, intelligitur, de trajiciendo per acus foramen rudente, at nulla penitus inter acum & camelum.

Contendunt alii (48), quamdam Jerosolymis portam fuisse humilem adeo & angustam, ut camelum cum sarcina nullo pacto admitteret: hæc tamen fabula est, fide indignissima. Quamobrem tenenda est naturalis verborum explicatio. Hyperbolen præfert parabola, & rem maxime arduam; at quo difficiliorem, eo magis convenientem proposito Jesu Christi, illud volentis, ferme fieri non posse, ut dives opum amator salutem assequatur. Unius Divinæ virtutis est, prodigium hoc exhibere: *Apud homines impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt*. *Impossibile* hoc loco absolute intelligendum non est. Fuere inter Philosophos, qui ex causis multo levioribus, quam quæ in Evangelio proponuntur, ab sese divitias abdicavere. At *impossibile* pro maxime arduo accipitur (49), & pro eo, quod solius naturæ viribus cum merito exerceri nequit. Validissima opus est gratia, ut animi divitiarum amore occupati durities frangatur.

℣. 27. Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis præmii? Audiens Petrus, divitis hominis salutem difficillimam a Jesu Christo dici, nactum se esse censuit opportunitatem postulandi, quid igitur futurum sibi esset mercedis, qui omnia reliquissent, ut ipsum sequerentur. Hactenus nonnisi ærumnas, odia & cruces promiserat Christus; cumque de Regni ipsius dignitatibus primisque muneribus ageretur, docuerat, primas Regni sui sedes nonnisi humilitate, & ambitionis opumque contemptu comparari. In his quiescere homines nondum perfecti non poterant; quippe qui in iis temporalis Regni beatæque vitæ dignitatem non animadverterent. Petrus, vividi ingenii homo, opportunitatem minime neglexit quærendi, quæ denique merces sibi constanter ipsum sequentibus pararetur. Pauca reliquerat Petrus, utpote minime dives; at certe omnia quæ vel habebat, vel sperabat; ipsumque divitiarum desiderium reliquerat. *Omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit*, inquit S. Augustinus (50).

℣. 28. In regeneratione, cum sederit, &c. Perspicuum est, *Regenerationis* nomine hoc loco supremam hominum Resurrectionem, & secundum Filii Dei adventum significari (51). Tunc revera incepturum est nobilissimum Jesu Christi Re-

(36) Vide Maldon. hic, Brug. (37) Hamm. Grot. (38) Vide Chrysost. homil. 64. & Greg. Magn. Moral. in Job lib. 4. cap. 5. *Quid valde rarum, & ex solo divino miraculo evenire posse monstravit.* (39) Origen. Hilar. Hieron. Chrysost. Author Oper. imperfect. Juvenc. lib. 5. Sedul. l. 4. Carmin. Alii passim. Gregor. Magn. in Job lib. 4. (40) Erasm. Beza, Maldon. Menoch. Tir. Drus. Grot. Scultet. Ligfoot. Le Clerc, Hamm. Jans. alii passim. (41) Thalmud Babyl. in Perech Haroe Baracoth. (42) Vide Buxtorf Lexic. Thalmud. voce [illegible] & Boch. de anim. Sacr. p. 1. l. 2. c. 5. (43) Quid. apud Theophyl. Boch. loco citato, Castal. Canin. Camero. Vide Huetii not. in Matth. xix. p. 85. (44) Scholiast. Aristophan. Suidas, Phavorio. Theophyl. Euthym. (45) Vide Boch. p. 1. l. 2. c. 5. de animal. (46) Thalmud. in Mo d. Katon. (47) Alcoran. Surat de Limbis. (48) Vide Maldon. hic. (49) Vide Nazianz. Orat. 36. (50) August. Epist. 54. num. 5. nov. edit. Vide & Greg. Homil. 5. in Evang. & Bernard. Declamat. (51) Ita Theophyl. & Euthym hic; August lib. 20. cap. 5. de Civit. lib. 3. contra duas Epist. Pelag. cap. 3. & lib. 4. cap. 11. Greg. lib. 4. Moral. cap. 25. & Mald. Brug. alii passim.

Regnum, cum habito in universos homines & Angelos judicio, redditisque pro singulorum merito præmiis vel suppliciis, omnia subjecturus est illi Pater (52), suosque illi hostes veluti scabellum solii suppositurus. Id porro Apostoli nuncupavere Regenerationem (53), sive Resurrectionem, seu vitæ novitatem; tunc enim revera futura sunt Cœlum novum, novaque terra (54). Judæi veteres nonnulla animadversione digna in hanc rem sentiebant, a nobis recitata in Dissertatione de indiciis notisque Messiæ, ex Doctoribus Hebræis.

Pleraque primorum sæculorum Patres ex Judæorum traditionibus hauserant sententiam de Regno Jesu Christi in terris, annis mille duraturo; & fortasse longe remotior erat ejus sententiæ fons, cum & Platonici & Stoici renovationem quamdam admitterent in mundo futuram, post certum annorum curriculum (55), eamque eodem vocabulo, quo hic Evangelista, significarent; quamquam aliud plane eo nomine intelligebant.

Sunt (56) qui *Regenerationem* interpretentur Baptismum; atque hoc certe nomine Paulus (57) baptismum designat: in eo enim homo iterum nascitur, docente Nicodemum Jesu (58). Alii (59) de ea rerum renovatione explicant, quæ Evangelica prædicatione perfecta est, post Jesu Christi Resurrectionem & Ascensionem. Novi tunc Cœli, novaque tellus exhibita sunt; & Christus ipse monet se venisse, ut omnia renovaret (60). Usurpari etiam potest de tempore ultionis, quam Dei Filius in duodecim Israelis Tribus erat exhibiturus (61): deque plerorumque Judæorum exclusione per ipsum facienda, ob illorum perfidiam. Confirmatur hæc sententia I. ex eo quod judicium ultionemque exercendam Christus intra Judæos solummodo adstringit. In supremo autem Judicio exigenda est ex universis hominibus ratio, atque impii omnes damnabuntur. II. Cum promisisset Christus futurum, ut ii, qui se sequerentur, sessuri essent in soliis duodecim, duodecim Tribus Israelis judicaturi, centuplum etiam in hac vita (62), ac vitam denique æternam illis pollicetur. Nullus autem post supremum omnium Judicium locus est sperandi in hac vita centupli. At post perduellium Judæorum exitium, Fideles in hac vita centuplum referent, quamquam inter odia & ærumnas, uti perspicue habet Marcus. III. denique orationem his verbis claudit Christus: *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi*. Quibus luculentissime innuitur Judæorum reprobatio, & vocatio Gentium, quæ post Jerosolymæ excidium, ac vindictam in Judæos incredulos & infideles exercitam, impleta demum apertissime apparuit. Universa orationis series in hanc explicationem prona ferri videtur. Si supremum tantummodo Judicium spectabat hac oratione Christus, cur duodecim dumtaxat Tribuum meminit, cum in eo universi penitus homines sint adfuturi? Cur Filium hominis gloriæ suæ apparatu circumdatum cum Apostolis se exhibiturum asserit, nulla Patris mentione, viventium & mortuorum Judicis, Sanctorumque cæterorum, a quibus judicium una cum ipso exercendum est? Proprium Jesu Christi & Apostolorum judicium illud esse videtur, quod ipse post Ascensionem in Judæorum gentem exercuit. Illum Judæi rejecerant, persecuti fuerant, necaverant, sævitiaque pari Apostolos exagitaverant: par ergo erat, ipsos a Jesu Christo & Apostolis vocari in judicium, rejici, damnari.

Supremi Judicii apparatum exhibet Christus sub imagine alterius, quod tunc habitum est in Judæos (63). Profecto non omnes fortasse Apostoli obierant, quo tempore suprema Jerosolymæ obsidio peracta est. Procul dubio superstes erat Joannes Evangelista; neque huic cæterorum Apostolorum judicio invisibilis adesse potuit. At statim ferme post Jesu Christi Ascensionem, Apostoli Evangelium gentibus nunciare cœperunt; Judæosque pervicaces ceu populum pessimis animi sui sensibus & cupiditatibus relictum habuere. Jerosolymæ obsidio atque expugnatio initium fuit visibilis Judæorum exitii; at absoluta illorum cædes ac dispersio nonnisi sub Adriano contigit, sublatis jam Joanne cæterisque Apostolis ac Discipulis, qui una cum Christo vitam egerant. Adde, quod in tropicis hisce atque ænigmaticis locutionibus exigenda minime est omnium parabolæ partium absoluta expletio; secus enim e tredecim Apostolis unus a consessu arcendus esset, cum sedes dumtaxat duodecim designentur; atque e tredecim Tribubus Israelis una expers esset Judicii, cum Deus duodecim solummodo judicio subjiciendas esse doceat (64). Certus numerus pro incerto ponitur. Cæterum hæc explicatio minime repugnat Patribus atque Interpretibus, de supremo judicio explicantibus. Omnes una Interpretes consentiunt, Jerosolymæ excidio finem mundi ceu figura significari, & duo hæc a sacris Scriptoribus una eademque oratione, sub una cognitione, unoque vaticinio colligi.

℣. 29. CENTUPLUM ACCIPIET, &c. Qui Apostolorum pietatem ac fidem imitati fuerint, omnia relinquentes, ut Christum sequantur, ejusque præcepta & consilia perfectius exerceant, eodem præmio & honore, quo Apostoli (65), afficientur; ac denique centuplum in terris (66), æternamque in cœlo vitam assequentur. Uxorem reliquit Petrus, Joannes & Jacobus patrem, Matthæus teloneum & fortunas; unusquisque & res omnes & spes quaslibet reliquere, ut Christum sequerentur. Centuplo merces illis stetit, pro temporalibus nimirum & caducis, spiritualia, immenso penitus intervallo illis præstantiora. Pro patris unius, uniusque uxoris & liberorum ope, innumeros invenere, a quibus & in obsequio & in honore habiti sunt, solatioque & adjumento levati propensius, quam a familiaribus, cæterisque proximis & sanguine conjunctissimis (67).

Origenes (68) aliique putavere, agi hoc loco de quodam hominum genere, ordinis Apostolico inferioris, quibus etiam minor servatur merces, quam Apostolis. Cum omnia penitus reliquerint Apostoli, fuerintque Christum secuti, hoc illis præmii est, ut cum Christo sedeant, judicium in duodecim Tribus Israelis exercentes. At cæteri, de quibus hic, non omnia deserunt, sed patrem dumtaxat aut matrem, &c. vel, siquidem omnia, Christum non sequuntur, quemadmodum Apostoli: quamobrem præmii loco in hac vita centuplum referunt, qualia sunt ea quæ reliquere, in altera vero æternam felicitatem.

℣. 30. MULTI AUTEM ERUNT PRIMI NOVISSIMI, ET NOVISSIMI PRIMI. In supremo Judicio, & alte-

(52) 1. Cor. xv. 27. 28. Ephes. 1. 22. Hebr. 11. 5. (53) Παλιγγενεσία. (54) Isai. lx. 22. lxv. 17. 2. Petr. 111. 13. (55) Vide Philon. de incorruptibilitate mundi; Marc. Antonin. lib. xi. Senec. qu. nat. lib. 3. cap. ult. Eusebo. de Præpar. lib. xv. cap. 19. (56) Hilar. Author Operis imperfecti. (57) Tit. 111. 5. (58) Joan. 111. 3. 4. 5. (59) Grot. Hamm. Cameio, Jacob. Capell. (60) Vide Matth. ix. 17. 2. Cor. v. 17. Galat. 1. 15. (61) Vide Lightfoot Hor. Talm. hic. Ultimus Capitis hujus versiculus, totumque Caput xx. hanc interpretationem postulant. (62) Ita Marc. x. 30. 31. Luc. xviii. 30. (63) Matth. xxiv. 30. xxvi. 64. Luc. xxi. 27. Matth. xiii. 39. 2. 21. & xvi. 27. (64) Vide Hieronym. hic, & Bedam, & August. lib. xx. de Civit. cap. 5. & Mald. (65) Chrysostom. Author Oper. imperfect. Theophylact. (66) Marc. x. 30. *Nunc in tempore hoc*. Luc. xviii. 30. (67) Rom. viii. 15. (68) Origen in Matth. August. Epist. olim 59. nunc 157. Hieron. Beda.

ra vita, ubi præmia & pœnæ pro meritis distribuentur, mira conspicietur conditionis hominum & status mutatio. Qui primus in hac vita fuit, in altera postremus relinquetur; quique hic ex ultimis fuerit, primas illic est occupaturus. Mihi tamen proprie videtur spectare hic locus exclusionem Judæorum, & Gentium vocationem (69); quamobrem & ad ea referri, quæ ℣. 28. dicta sunt de Judæorum animadversione, dispersione, & ab Ecclesia exclusione; tum & ad proximum caput, ubi eadem de re disputatur (70), & Judæorum exclusio luculentius a Christo traditur. Judæi, qui primi omnium ad Evangelium vocati fuere, filii Regni, promissorum hæredes, quibus prima in Messiæ Regno loca destinata fuerant, excludentur, ac nullatenus participes illius futuri sunt.

---

[69] Vide Grat. hic, & Med. Diss. pag. 112. Confer Luc. 13. 29. 30. & Greg. Magn. homil. 19. Chrysost. Homil. 65. Hilar. hic. [70] Apud Græcum & Syrum perspicuus est nexus, cum legant: *Simile est Regnum Cœlorum*, &c. Eademque est parabolæ conclusio cum ea, quam hic legimus, Cap. XX. 16. *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi.*

C A P U T XX.

Parabola de operariis in vineam missis vario horarum intervallo, & pari mercede donatis, Passionem suam prædicit Christus. Mater filiorum Zebedæi postulat, ut prima in Jesu Christi Regno sedes utrique filio suo tribuantur. Cæci duo curantur prope Jerichuntem.

℣. 1. Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exiit primo mane
conducere operarios in vineam suam. 2. Conventione autem facta cum
operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa ho-
ram tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos. 4. Et dixit illis: Ite & vos in vi-
neam meam, &, quod justum fuerit, dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterum
autem exiit circa sextam, & nonam horam: & fecit similiter. 6. Circa undecimam
vero exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis: quid hic statis tota die otiosi? 7.
Dicunt ei. Quia nemo nos conduxit, Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. 8.
Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios,
& redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. 9. Cum venissent
ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Ve-
nientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem
& ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias.
12. Dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui por-
tavimus pondus diei, & æstus. 13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice,
non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? 14. Tolle quod tuum
est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. 15. Aut non licet
mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic
erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero ele-
cti. 17. Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, &
ait illis: 18. Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur principibus
sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. 19. Et tradent eum Genti-
bus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. 20.
Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens ali-
quid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei,
unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem
Jesus, dixit: Nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus
sum? Dicunt ei: Possumus. 23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere
autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus pa-
ratum est a Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.
25. Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis, quia principes gentium dominan-
tur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter
vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: 27. Et qui
voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. 28. Sicut filius hominis non ve-
nit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis. 29.
Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa: 30. Et ecce duo cæci
seden-

ſedentes ſecus viam, audierunt, quia Jeſus transiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David. 31. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David. 32. Et ſtetit Jeſus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis, ut faciam vobis? 33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri. 34. Miſertus autem eorum Jeſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

℣. 1. SIMILE EST REGNUM CŒLORUM, &c. Animadvertimus ſub prioris Capitis finem, eamdem in hoc diſputationem continuari. Quamobrem legit Græcus: *Simile enim eſt Regnum Cœlorum*, &c. Omnia hæc eo deſinunt, ut probent id quod dixerat Chriſtus, multos ex iis qui primi ſunt, poſtremos fore; Judæos ſcilicet ex Eccleſia Regnoque Dei excluſum iri, primas occupantibus Ethnicis. Atque hoc proprie ſonant ea verba: *Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*; teſte Luca XIII. 28. 29. 30. Paterfamilias eſt Deus; Regnum Cœlorum, Eccleſia Chriſtiana; vinea, Synagoga; operarii variis temporibus in vineam miſſi, Prophetæ, & ſanctiſſimi e Veteri Teſtamento viri. Poſtremo omnium loco mittuntur ad colendam vineam Apoſtoli, qui Ethnicos vocavere, nunciato illis Evangelio. Eadem datur Ethnicis merces, iique in Regnum admittuntur, non ſecus atque Judæi, quamquam hi pondus diei tulerunt. Fuſius hæc in reliquis Commentarii partibus explanabuntur.

Simile eſt Regnum Cœlorum. Providentia a Deo ſervata in hominum vocatione ad fidem & veritatis agnitionem, ſimilis eſt ſolertiæ patrisfamilias, ſingulis diei horis operarios in vineam mittentis, ut ab iis ipſa colatur. Synagoga paſſim a Prophetis ſub imagine vineæ deſignatur (1); Deus Pater ſub appellatione hominis vineam colentis & vineæ domini deſcribitur (2). Tempus omne, quod a rerum initio fluxit (3), vel ab eo tempore, quo Deus vineam ſuam ab Ægypto tranſtulit, uti ait Pſalmiſta Pſ. 79. & in Chananitide poſuit, variis diei horis ſignificatur. Poſtrema omnium hora, ex hac ſententia, tempus eſt, quo Meſſias advenit, exhibitumque eſt gloriæ illius ſpectaculum. Poſtremum hoc tempus in Scripturis (4) *noviſſimi dies* dicitur. Tunc certe damnati fuere Judæi, atque Ethnici in Eccleſiam vocati: tunc qui primi fuerant, noviſſimi facti ſunt; & noviſſimi, verſis vicibus, primi.

Hæc explicatio cæteras Patrum & Interpretum minime excludit. Ex his nonnulli (5) interpretati ſunt, vinea ſignificari Fidelium animos, quorum ſanctitati nullis non vitæ diebus laborandum eſt. Alii (6), juſtitiam, aſſiduis laboribus curiſque colendam. Dies univerſum vitæ noſtræ tempus eſt; veſper, mors, & judicii dies. Nihil his verius aptiuſque eſt in morali interpretatione. Sua unicuique futura eſt merces in ipſo vitæ exitu, par meritis, vel ſupplicium. *Quamvis pro meritorum diverſitate fulgebunt alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam attinet, æqualis erit omnibus*, inquit S. Auguſtinus (7).

EXIIT PRIMO MANE. Romanam horarum diſtributionem ea ætate ſequebantur Judæi. Singulis diebus & ſingulis noctibus horæ duodecim, inæquales, pro temporum viciſſitudine, & dierum longitudine ſeu brevitate, *Primum mane* prima erat diei hora, ſextæ horæ matutinæ apud Gallos in æquinoctio reſpondens. Hora tertia cum nona

matutina congruit; ſexta cum meridie; nona cum tertia pomeridiana; undecima cum quinta veſpertina; duodecima & ultima cum ſexta veſpertina in æquinoctio, cæteriſque temporibus cum ſolis occaſu.

℣. 2. CONVENTIONE AUTEM FACTA. De denarii valore per eam ætatem, diſputatur. Denarius forſaſſe pro nummo quolibet uſurpatur, qualis in diurnam operæ mercedem exhiberi ſolebat. Denarius Romanus, ex aliis, decem noſtri numiſmatis ſolidos, ex aliis octo ſolidos & denariolum unum, ex aliis denique ſolidos ſeptem, denariolos octo, & aliquanto amplius, æquabat.

℣. 3. VIDIT ALIOS STANTES IN FORO OTIOSOS. In forum convenire ſolebant operarii, præſtolantes, ut a quopiam conducerentur. Hoc in magnis adhuc urbibus conſpicitur.

℣. 6. CIRCA HORAM UNDECIMAM, ultimam ante diei finem. Nemo apud nos operas conducit ad unam vel duas horas. Aliter ſolebant Judæi. Teſte Joſepho lib. 20. c. 8. cum opera navaretur ædificio Templi, ſub Herode primo incepti, & octavo dumtaxat anno ante illius excidium per Romanos abſoluti, ſua ſtatim merces duodeviginti operarum millibus, in eo laborantibus, ſolvebatur, ſingulis pro laboris modo, tametſi unica tantum diei hora laboraſſent. Neque differebatur merces, ſed in dies unuſquiſque accipiebat. Ethnicos hi ſignificant, ſerius ad Evangelium vocatos, quam Judæos. Ingreſſi pariter illi ſunt, & parem habuere mercedem cum Judæis, qui Chriſto crediderunt. *Hora undecima* pro ea uſurpatur, quæ ultimam totius vitæ proxime antecedit. Dejotaro Rege, multæ ætatis homine, urbem condente, inquit Craſſus (8): Quorſum hoc? Duodecima jam tibi hora imminet, novamque urbem condere aggrederis? Græci Codices nonnulli (9) ferunt hic, & ℣. 19. *Horam duodecimam* pro *undecima*.

℣. 7. QUIA NEMO NOS CONDUXIT. Deus gentes in viarum ſuarum errore deſtituit (10), ad ſui obſequium & fidem minime vocatas, ſaltem publice & perſpicue, uſque ad tempus Evangelicæ prædicationis.

℣. 8. DICIT DOMINUS VINEÆ PROCURATORI SUO, ſervo familiæ univerſæ præpoſito, cujus erat conſervis annonam & laboris menſuram diſtribuere. Huic paterfamilias rei familiaris curam relinquebat (11). Omnes ille ſumptus faciebat, reddebat operis mercedem, ac rationes hero exhibebat. Procuratorum hujuſmodi paſſim meminit Scriptura (12). Eadem ferme res erant ac *Villicus* apud Latinos, & apud nos Principis Adminiſtrator (13). Hoc erat Eliezeri munus apud Abrahamum, & Joſephi apud Pharaonem. Moyſes in Scriptura exhibetur, ceu domus Domini Procurator (14).

A NOVISSIMIS USQUE AD PRIMOS. Ethnicis ad Chriſtiana ſacra converſis merces priore loco datur, quod minus dilata his fuerit, quam Judæis, & priſcis Juſtis, qui abſoluta beatitudine nonniſi

(1) Iſai. III. v. XII. Jerem. II. XII. 10. Ezech. XVII. Joel. I. Pſal. LXXIX. 9. & ſequ. Joan. XV. Matth. XXI. &c. (2) Joan. XV. Ita Patres paſſim. (3) Origen. in Matth. Hilar. Beda hic; Greg. Magn. Homil. 19. in Evangel. Iren. lib. 4. cap. 70. Optat. Milev. lib. 5. contra Parmenion. Author Operis imperfecti. (4) Iſai. II. 2. XXX. 8. &c. (5) Theophylact. (6) Irenæ. l. 4. c. 70. Chryſoſt. hic; alii. (7) Auguſt. ſerm. 87. olim 59. de Verbis Domini. (8) Plutarch. in Craſſo, & Appian. Parthic. (9) Vide Var. Lect. Millii hic. Ita Perſica verſ. & Hilar. hic. (10) Act. XIV. 15. (11) Gregor. Magn. Homil. 19. in Evangel. (12) Geneſ. XV. 2. Matth. XVIII. 26. XXIV. 45. &c. (13) Vide Pignor. tract. Servit. p. 263. (14) Num. XII. 7. Joſue I. 1. 2. 7. &c.

post Christi Resurrectionem potiti sunt. Inter multos eidem labori addictos, hi omnium primi censentur mercedem retulisse, qui eodem tempore accepere, quo cæteri, qui maturius ad opus accesserunt (15). *Illi primi justi post multum temporis; nos post modicum tempus; quamvis simul accipiamus, priores videmur accepisse, quia merces nostra non tardabit.*

℣. 11. Accipientes murmurabant. Promiserat operis Paterfamilias, sese singulis æqua daturum. Postremis hisce plus dat, quam æquitatis modus jubeat. Igitur ne par erat, ut hi de patrefamilias obloquerentur? Suas ipse res pro arbitrio largiri non poterat? Siquid amplius his largitur quam primis, id non mercedis loco est, sed beneficii & largitionis (16). Vel: Horum studium & solertiam præmio afficit, qui modico tempore cæteros antea vocatos æquaverant (17). Profecto Christiana Ecclesia, primis præsertim sæculis, ea alacritate Dei obsequiis studuit, eo animi fervore excellentissimas virtutes amplexa est, ut Synagogam longo intervallo superasse dici queat, tametsi felicissima & sanctissima Synagogæ tempora inspicias.

℣. 15. Aut mihi non licet quod volo facere? Veteres libri quidem ferunt (18): *Aut non licet mihi quod volo facere de re mea?* Quibus verbis hæc sententia temperatur, quam, si ex Vulgatæ sensu accipias, dicere videtur, Deum pro libito, nulla bene vel male meritorum ratione habita, præmia vel pœnas singulis distribuere: id quod præter errorem asseri nequit. Absolutissimam erga operarios hosce æquitatem servat, singulis tribuens quod debet: at præter ea, quæ debentur, aliquos majori liberalitate prosequitur. Quæ cum ita sint, nonne obloquentes rejici iis verbis possunt: *Tolle quod tuum est, & vade. Aut non licet mihi quod volo facere? Fraudem tibi non feci, quia quod pactus sum reddidi. Huic non volo reddere, sed donare*, inquit S. Augustinus (19).

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Apud Hebræos (20) *oculus nequam* est oculus invidus, avarus. Eadem est Græcis & Latinis (21) locutio. Sermo hic institui potest de fascinatione, cujus persuasio toto late Oriente pervagatur. Maillet descript. Ægypti par. 2. pag. 113. Obtinet etiam apud Russos. *Etat pres. de la Russie* pag. 23. sicut & apud Melitenses. Contra vero *oculus bonus* (22), vel *opera bona* sunt liberalitas, largitiones, beneficia (23). Parabola quædam in libris Judæorum (24) legitur, huic simillima. Cum Princeps quidam operas conduxisset, uni ex iis, quæ duarum dumtaxat horarum spatio laboraverat, par merces data est atque cæteris, quæ diem integrum laborando consumpserant. Cæteris autem obloquentibus, Hic, inquit Princeps, plus præstitit duabus horis, quam vos simul totius diei curriculo. At probabile omnino est, parabolam hanc ex Evangelica fuisse desumptam, liber enim illam ferens, annis saltem centum & quinquaginta recentior est Christo.

℣. 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Ita clauditur parabola. Idem hoc dixerat Capite superiori ℣. 30. idque ut confirmaret, simile hoc proposuit. Judæi, primi omnium appellati, quibus factæ fuerant promissiones, electa gens, beneficiis a Deo cumulata, cui ipse Legem & Scripturas dederat, dignitatibus omnibus exuuntur; cumque Christo credere noluerint, e primis postremi omnium efficiuntur. Ethnici, gens flagitiis, probro, & superstitioni relicta, in umbra mortis sedens, exclusis plerisque Judæis, eliguntur, ut Christianam Ecclesiam componant. Ita sua stat fides Christi verbis, futurum scilicet, ut qui ultimi sunt, in primos evadant.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Hæc etiam verba parabolam seu proverbium referunt. Cum populus in bellum proficisci jubetur, habeturque delectus eorum, qui per ætatem ferendis armis apti sunt, omnes quidem homines colliguntur, at non omnes eliguntur: sed fortissimi dumtaxat, validissimi, & corpore aptissimi (25). En parabolam, & interpretationem. Judæos omnes vocavit Deus, eosque e gentium colluvie secrevit, ut gens sua essent. At pauci vocantem sequuti sunt, pauci audivere, pauci inter illius Discipulos nomina dederunt. Fecit illorum perfidia & nequitia, ut ex aula convivii excluderentur: *Qui invitati erant, non fuerunt digni* Matth. 22. 8. Salutis verbum ii tantummodo excepere, *qui præordinati erant ad vitam*, inquit Paulus (26).

Vocati sunt Judæi omnes, *Electi*, ii qui Christo credidere, tum ex Ethnicis tum ex Judæis. Cum ex Ægypto sexcenties mille armis apti egressi fuerint, duo dumtaxat in promissam regionem ingressi sunt. Duo hi, nimirum Josue & Caleb, figura Electorum sunt, vocatorum cæteri. Hoc idem ætate Messiæ eventurum, ipsimet Rabbini fatentur (27). Ita etiam explicatur: Multi ex Christianis vocantur, eliguntur pauci. Omnes ad æternam vitam salutemque appellantur (28): *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. At non omnes Divinis consiliis serviunt: non omnes vocationem suam bene gestis certam faciunt (29): denique non omnes Dei donis ac beneficiis utuntur. Vocationis gratiam accipiunt multi, at non omnes perseverant. Non satis est te appellari: opus est ita vivas, ut vocatione sis dignus (30): *Obsecro vos, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis. Elegit eos*, Deus, inquit S. Augustinus (31), *& secundum suam gratiam & secundum illorum justitiam*. At justitia gratiæ donum est, quam humillime agnoscas oportet, fidelissime serves, & constantissime ad fructum perducas.

℣. 17. Assumpsit duodecim, mensibus aliquot post parabolam, quam mox explicavimus. Jerosolymam proficiscebatur Jesus, mortem subiturus. Supremum hoc Pascha est, quod is inter homines egit. Octavo seu decimo ante Festum die illuc venit (32), ut ea quæ a Prophetis de se prædicta fuerant, impleret. Cum vero iter ageret, in-

geni

(15) Aug. Serm. olim 59 nunc 87. n. 5. Vide & Gregor. in Ezechiel. Homil. 4. n. 6 Theodoret. l. 5. Hæretic. fab. c. 12. (16) August. Serm. 87. n. 3. *Non murmures ergo, qui post multum tempus accipis, contra eum qui post modicum accepit. Illi redditur, illi donatur. Utrisque tamen una res datur.* (17) Vide Maldon. Men. Hom.. (18) Gr. Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς. Ita syr. & Antiqu. Vulg. August. serm. 87. *Non licet mihi quod volo facere de meo.* (19) August. Serm. 87. n. 4 (20) Prov. xxiii. 6. *Non comedas cum homine invido.* Hebr. *Mali oculi.* Eccli. xxxi. 14 *Memento quoniam malus est oculus nequam.* Marc. vii. 22. *Oculus malus*, pro invidus. Vide & Tob. iv. 7. 16. Eccle. xiv. 10.
(21) Horat. l. 1. epist. Ode 08. . . . . *Ne parce malignus arenæ,*
Ossibus & capiti inhumato.
Ovid. lib. 2. Metamorph. de invidia; *Nusquam recta acies.* Liban. ὀφθαλμοὺς βασκάνους &c. (22) Prov. xxii. 9. *Qui pronus est ad misericordiam.* Heb. *Oculus bonus.* Eccli. xxxv. 10 Ἐν ἀγαθῷ ὀφθαλμῷ δόξασον τὸν κύριον. (23) Act. ix. 36. Jacob. iii 17. Matth. xii 12. & 2. Cor. ix. 8. Galat. vi. 9. &c. (24) Gemar. Jerusol. Cod. Beracot. (25) Vide Clericum hic. (26) Act. xiii. 48 *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* (27) Rab. Sinai in Thalmud, apud Grot. hic. (28) 1. Timot. 11. 4 (29) 2. Petr. 1. 10. (30) Ephes. iv. 1 (31) August. Serm. v. de Verbis Domini. nunc Serm. 100. n. 3 (32) Parabolam de operariis, authore Toynardo, proposuit ante mensem Januarium: hoc vero contigit circa diem xxv. Martii, quintam Nisan, decimam ante Paschatis Festum.

genti multitudine stipatus, seorsum vocavit Apostolos, de Passione sua cum illis iterum disputaturus. Hanc quidem non semel prædixerat (33); omnino tamen occupanda erat illorum mens adversus offensionem, quæ ea illius prælantia imminebat. Illos igitur a multitudine sevocat, ut mysterium hoc illis aperiat, cum ipsum esse Christum Dei Filium noscent; id quod ignotum adhuc erat vulgo Judæis, post illius mortem ac Resurrectionem illis denique referandum. Judæis quidem Jesu Christi mors via haberi poterat veluti iniqua Justi hominis & Prophetæ cædes; oriturague ex ea nece offensio æque ingens his esse non poterat, uti Apostolis, qui majora quidem noverant, sed nondum satis constantes erant.

℣. 19. TRADENT EUM GENTIBUS. Cum Principes Sacerdotum necem Jesu Christo inferre in Synedrio decrevissent, jamque supremi supplicii reum pronunciassent, sententiam eo persequi ausi non sunt, cum nullo in vitam necemque jure gauderent (34). Illum igitur dedere Romanis; a quibus indignissime excruciatus est, virgis cæsus, & in crucem actus. *Gentibus tradi*, supplicium apud Judæos erat gravissimum, & probri plenum, cum ipsi sese liberam gentem, & a cæteris secretam existimarent. Animadvertit Lucas 18. 34. Apostolos minime percepisse ea, quæ a Christo dicebantur. Cum enim omnino futurum crederent, ut Christus paulo post regnum capesseret, in hostes vindictam exerceret, seque inter Angelos gloriæ suæ fulgore illustrem, ac sedentem in solio inter Apostolos proderet; quæ omnia Christus ipse sermonibus sæpenumero confirmaverat: eumque a teneris unguiculis didicissent, amplissimum Regem fore Messiam, libertatem Israeli ex hostibus allaturum, his occupati sincerare non poterant ea, quæ ad Messiam ærumnis & probris obrutum, ab iis quæ ad ipsum uti Deum, Regem, dæmonis, mortis ac peccati debellatorem pertinebant. Satis illi quidem allaquebantur, quid illud esset, gentibus tradi, opprobriis, insultationibus, morti objici; cum autem hæc cum iis, quæ antea noverant, componi non posse viderentur, mysterium huic rei inesse arbitrabantur, cujus rei modos, rationes aut consequentia intelligebant.

℣. 20. ACCESSIT AD EUM MATER FILIORUM ZEBEDÆI, ac petiit, ut geminis filiis suis in Regno sedes daret, alteri dexteram, lævam alteri. Mulieri nomen erat *Salome* (35); eaque ad Christi clientelam accesserat, fortasse post viri obitum, scilicet Zebedæi. Cum hæc proxime ad Deiparam, atque adeo ad Jesum, sanguinis conjunctione pertineret, fas sibi esse censuit, primas inter Apostolos dignitates filiis postulare. Disputaverat paulo antea cum Apostolis Christus de sua ipsius Resurrectione ac Regno, tamquam rebus mox futuris. Quamobrem cessandum sibi esse non duxit Salome, quin peteret.

Plures e priscis Patribus (1) suspectos habent Joannem & Jacobum, quasi ipsi matrem ad postulandum impulerint: nullo tamen certo argumento. Accessit quidem illa cum filiis, iisque, non mulieri, respondit Christus. Illud etiam fatemur, rem a Marco 10. 35. ita narrari: *Accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua.* His tamen responderi solet, Marcum quidem de filiis dicere id quod mater illorum causa fecerat; Christum vero filiis, non matri, respondere, quod hæc non sibi sed filiis postularet. Denique alii sunt ex Patribus (2), qui censeant, Salomen sponte, solaque filiorum charitate impulsam, hæc a Jesu Christo postulasse. *Postulat errore muliebri, pietatis affectu, nesciens quid peteret*, inquit S. Hieronymus. Ac, subdit S. Ambrosius, *si error est, pietatis tamen error est: nesciunt enim materna viscera patientiam.... Matrem considerate, matrem cogitate.*

℣. 21. DIC UT SEDEANT HI DUO FILII MEI, Paulo antea dixerat Christus Matt. 19. 28. futurum, ut Apostoli secum soliis duodecim insiderent, duodecim Israelis Tribus judicaturi. Minime ille definiarat, qui ex Apostolis proximo sibi loco sessuri essent: quamobrem laborandum sibi censuit mater filiorum Zebedæi, ut primas omnium sedes filiis impetraret. Hæretici quidam, teste Origene hom. 25. in Luc. asserebant, dexteram ac lævam, a filiis Zebedæi postulatas, traditas esse Paulo Apostolo & Marcioni.

℣. 22. NESCITIS QUID PETATIS. Nostis quid sit, ad Dei dexteram sedere? Levem ne dignitatem, atque homini servatam esse censetis (3)? Vos certe futurum arbitramini, ut temporale in terris Regnum instituam, meique Regni dignitates similes humanis esse. Nondum scitis quid facturus ipse sim, quodve Regni genus sim conditurus. Bona & dignitates pollicitus sum, sed spiritualia: vos temporalia quæritis. Nescitis igitur quid petatis. Primas Regni mei sedes gratia & amicitia carnis & sanguinis obtineri creditis: nescitis, inquam, quid petatis: hæ nonnisi perpessione malorum & humilitate, cruce & laboribus impetrantur. Triumphum quæritis ante prælium ac victoriam: finem ante media occupatis.

Si filii Zebedæi illud solummodo postulassent, ut sibi sedes suo ordine cæteros inter Apostolos tribuerentur, id quidem ferri potuisset; sive potius inutilis fuisset postulatio, cum hoc ipsis Christus jam antea promisisset. At duas illi sedes inter cæteros Apostolos primas postulant: idque & invidiam sociorum & indignationem peperit. ℣. 24. *Audientes decem indignati sunt*. In iis, quæ ab Apostolis geruntur, ubique satis perspicitur illorum virtutis imbecillitas, minimusque progressus, quem ex institutionibus exemplisque humilitatis, sæpe numero a Jesu Christo exhibitis, retulerant.

POTESTIS BIBERE CALICEM, &c. Cum primas in Regno meo sedes quæratis, estne promptus est animus? Hausturi estis calicem meum, meoque exemplo cruciatibus & ærumnis obrui audetis? Dolorem & mala significabant Hebræi nomine calicis & baptismi. Bibere calicem, mergi aquis, obrui procella, est angustiis undique claudi. *Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum*, ait Psalmista Ps. 10. 7. Et Ps. 74. 9. *Calix in manu Domini, plenus misto*, vino turbido: usque ad fæces *bibent omnes peccatores terræ*. Jeremias 25. 15. acceptum e Dei manu calicem, divini furoris plenum, populis omnibus, ad quos mittitur, propinat. De aquis ærumnas significantibus plura in Psalmis exempla traduntur: Psal. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*, quibus prope mergor. Et Ps. 68. 3. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, scilicet stabilis locus, ubi pedem figam. Denique Ps. 123. 4. *Cum exurgerent homines in nos, cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos*, nisi Dominus adfuisset: *Torrentem pertransivit anima nostra*, trans Euphratem trajecti sumus; at absque Dei ope *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem*, aqua nobis insuperabili obvoluti fuissemus, &c. Græcus in editis plerisque addit (4): *Et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Scilicet, est ani-

[33] Vide Matth. xvi. 21. xvii. 22. [34] Joan. xviii. 31. [35] Marc. xv. 40. Matth. xxvii. 56. [1] August. lib. 2. de Consensu cap. 64. Chrysost. Homil. 66. Auth. Oper. imperf. Theophyl. Euthym. Greg. Hom. 27. in Evangel. Hieronym. [2] Hilar. in Matth. Ambros. lib. 5. de Fide, cap. 3. Vide Maldon. [3] Vide Chrysost. Theophyl. Euthym. [4] Καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι . . . 23. Καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε,

eius mergi ærumnarum aquis, quibus ego mergendus sum? Et proxime consequenti versiculo; *Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*. At innumeri sunt optimæ notæ libri, manu exarati, in quibus hæc non habentur (5); putanturque hæc ex Marco x. 38. desumpta. Ea hic recitat Origenes, sed tamquam ex Marco. Omittunt S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, Versio vulgata, Cophtica, Æthiopica.

DICUNT EI: POSSUMUS. Serio certe atque ex animi sententia hæc dixere: consulentes animi alacritatem, non vires. Luculenta certe constantiæ suæ argumenta post Christi passionem exhibuerunt. Temere promittunt, inquit S. Chrysostomus (6), id quod non intelligunt, quemadmodum & dignitatem quam postulant, dum ad dexteram lævamque Domini sedere volunt.

℣. 23. CALICEM QUIDEM MEUM BIBETIS. Si me meumque Evangelium sequimini, procul dubio bibituri estis e calice, quem ego hausturus sum, vestraque vobis ærumnarum pars mecum erit. Hoc ego vobis polliceor: id enim in mea situm est potestate; ut autem ad dexteram lævamque mihi assideatis; id Patris mei est, ad quem spectat dignitates & loca distribuere.

Quæri solet (7), qua ratione verum sit, Jacobum & Joannem Domini calicem hausisse. Jacobum quidem ab Herode cæsum fuisse, nemo ignorat (8), adeoque & e calice Jesu Christi bibisse; at Joannes Evangelista martyrii expers fuit. Incertum etiam nonnullis est, utrum is mortem obierit (9). His tamen respondent, exilium, Apostolici muneris labores, balneum fervens, quo is mersus est, & incolumis evasit, sævissimum illi fuisse verumque martyrium. Ea erat calicis pars illi parata. Non defuit illi voluntas, sed martyrii occasio (10).

Majoribus adhuc difficultatibus obnoxia sunt ea, quæ subjecit Christus: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*. Hoc loco abusi sunt sæpenumero Ariani (11), ut minorem Christo inesse probarent authoritatem potestatemque quam Patri. Triplex est Patrum huic objectioni responsio. I. Christus ex hominis natura loquitur, non qua Deus (12). II. Non illud hic effert, quod potestatis est, sed quod officii (13). Hoc unius Patris est, Regni mei munera & dignitates distribuere; ferme uti alibi ait, Patrem rerum omnium judicium Filio dedisse (14): *Omne judicium dedit Filio*: quibus verbis certe Pater ab judicandi munere non excluditur. III. Minime negat Christus, sibi inesse potestatem, dignitates hasce distribuendi; sed iis dumtaxat a se tribuendas esse, quibus decrevit Pater (15): Quasi diceret: Loca quæ postulatis, ex iis rebus non sunt, de quibus ego absoluta potestate decernam: ea destinavit Pater, ex suæ voluntatis arbitrio, atque ex meritis, quæ ipse unicuique largitur (16). Omnia ex ipsius justitia, nihil ex carne & sanguine præstolamini. Doctissimi Interpretes multi (17) Græcum ita vertunt: *Non est meum dare, nisi iis, quibus paratum est a Patre meo*.

℣. 25. PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM. Hoc discriminis est inter Regnum meum, cæterorumque hujus mundi Principum. Hi dominantur imperiose, superbe imperant, authoritatem vi tuentur, & armis hostes subjiciunt. Aliter sese res habet apud me. Qui cæteris imperare voluerit, huic utendum est lenitate, modestia, humilitate, patientia. Qui partam authoritatem tueri cupit, ille vindicet sibi opus est animos suavitate, hostes patientia molliat, homines rationis vi, & veritatis virtute sibi submittat. Apud Deum, inquit S. Augustinus Lib. 19. de Civ. c. 14. *etiam qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare: nec enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia*.

℣. 28. DARE ANIMAM SUAM REDEMPTIONEM PRO MULTIS. Cum ita venisse dicitur, ut *pro multis vitam* prodigeret, cave illud colligas, illum igitur pro omnibus non obiisse. *Multorum* appellatio sæpenumero pro universitate usurpatur (18); veluti in iis verbis: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*; scilicet Judæi omnes a Deo vocati fuerant ac destinati, ut electam gentem componerent: at pauci hoc beneficio usi sunt. Ita & Christus vitam in universorum hominum utilitatem daturus venit (19): *Christus pro omnibus mortuus est*: at non omnes fructum ex illius morte, quem poterant, retulerunt. *Pro multis, idest, pro his qui credere voluerint*, inquit S. Hieronymus (20).

Hæc loquendi forma, *Dare animam suam pro aliquo*, proprie sonat, sua ipsius morte alterum a mortis discrimine redimere; uti cum offerebatur victima, qua offerentis vita redimeretur (21).

Cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras:
Hanc animam vobis pro meliore damus.

Vel, cum placandorum Numinum causa, Ethnici alterum hominem pro altero mactabant. Ea erat veterum Gallorum persuasio (22), ex qua deinde ortum habuerunt hecatombæ humanarum victimarum, quæ in rogo in hominis formam ferma composito cremabantur. Eadem erat Romanis superstitio, & Græcis. Illustris est Decius, pro Romanæ Reipublicæ incolumitate sponte devotus. Caligula ægrotante, quamplures fuere, qui pro illius salute sese devoverunt (23). Hic mos Judæos non latuit: hinc enim originem traxere humanarum victimarum sacrificia, apud ipsos, eum & Phœnices, Moabitas, aliosque communia. Spectat huc Isaias 43. 3. ubi Deum cum populo suo ita loquentem inducit: *Ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te*. Alibi de Messia agens (24): *Propter scelus populi mei percussi eum: & dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua... si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*. Huc alludit Jesus, inquiens, *daturum se animam suam redemptionem pro multis*, omnibus scilicet hominibus.

Post ℣. 28. longa legitur additio in vetustis Libris quampluribus, quam hic integram recito: *Vos autem quæritis de minimo crescere, & de ma-*

gnacon

[5] Vide Var. Lect. Millii. [6] Chrysost. hic, Euthym. Theophyl. [7] Vide Origen. Hieronym. Chrysost. Bedam. [8] Act. xii. 2. [9] Vide Euthym. hic, & Commentat. posts. ad Matth. xvi. 28. [10] Tertull. lib. de Præscriptionib. Euseb. lib. 3. c. 3. Hist. Eccles. [11] Vide Epiphan. hæresi 69. Ambros. lib. 5. de Fide cap. 5. August. lib. 1. de Trinit. c. 12. &c. aliis. [12] Vide August. lib. 1. de Trinit. cap. 12. [13] Ambros. lib. 5. de Fide cap. 5. [14] Joan. v. 22. [15] Vide Chrysost. Homil. 66. Hieronym. hic. Epiphan. hæresi 69. Ambros. loco citato; Cyrill. lib. 10. Thesauri cap. 3. [16] Hieronym. hic: *Regnum Cælorum non est dantis, sed accipientis... Quicumque talem se præbuerit, ut Regno Cælorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est.* [17] Vide Brug. Grot. Lud. de Dieu, Syr. Arab. Pers. Æthiop. A'λλ', pro nisi. Vide Num. xxxv. 33. Deut. xi. 1. Marc. ix. 22. 2. Cor. iii. 5. [18] Hebr. ix. 28. Matth. xxvi. 28. Isai. liii. 11. 12. [19] 2. Cor. v. 14. & 1. Timot. ii. 6. *Unus mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* [20] Hieronym. hic. Vide Origen. tom. 25. hic, & Mald. [21] Ovid. lib. 6. Fastor. [22] Cæsar lib. 6. de bello Gall. *Quod pro vita hominis, nisi vita reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari.* [23] Sueton. in Calig. cap. 14. [24] Isai. liii. 9. Vide & Jerem. ... 13. Prov. xxi. 18. Psalm. xxxviii. ℣. 6.

gno minui. (Legunt alii (25): *Et de magnis majores fieri*). *Introeuntes autem & rogati cœnare, ne discubueritis in eminentibus locis, ne forte dignior te superveniat, & accedens cœnæ invitator dicat tibi: Adhuc deorsum accede; & confundaris. Si autem discubueris in minimum locum, & superveniat minor te, dicit tibi invitator cœnæ: Collige adhuc superius; & erit tibi hoc utile*. Additio hæc legitur in vetere Cantabrigiensi Codice, tribusque Latinis manu exaratis, de quibus Martianæus in nova Editione Evangelii Matthæi, ex vetere Italica (26); tum & in duobus Latinis Codicibus Bibliothecæ Bodlejanæ, in quibusdam veteribus libris Versionis Saxonicæ (27), apud S. Hilarium (28), S. Leonem (29), Juveneum Presbyterum (30), qui sub initium sæculi quarti floruit. At neque in Origene, neque aliis Veteribus habetur. Ab iis verbis, *Introeuntes autem*, &c. additio est ex Luca XIV. 8. quamquam aliis verbis.

℣. 30. ECCE DUO CÆCI SEDENTES SECUS VIAM, &c. Hæc eadem narratio est apud Marcum, X. 46... 52 (31); alia ab ea, quam recitat Lucas XVIII. 35... 43. Hoc gestum est, ingrediente Jerichuntem Jesu; illud altera die, ipso egrediente. Unius dumtaxat cæci meminit Marcus, nomine *Bar-Timæi*, seu *filii Timæi*; quod fortasse hic notior esset altero, vel quod Jesus aliqua alia ex causa illum agnoverit. Geminos perspicue habet Matthæus. De reliquis minimum est in hujus rei narratione discrimen.

[25] Cantabrig. Ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι, καὶ ἐκ μείζονος ἔλαττον εἶναι. Εἰσερχόμενοι δὲ καὶ παρακληθέντες δειπνῆσαι, μὴ ἀνακλίνεσθε εἰς τοὺς ἐξέχοντας τόπους, μήποτε ἐνδοξότερός σου ἐπέλθῃ, καὶ προσελθὼν ὁ δειπνοκλήτωρ εἴπῃ σοι, ἔτι κάτω χώρει, καὶ καταισχυνθήσῃ. Ἐὰν δὲ ἀναπέσῃς εἰς τὸν ἥττονα τόπον, καὶ ἐπέλθῃ σου ἥττων, ἐρεῖ σοι ὁ δειπνοκλήτωρ, σύναγε ἔτι ἄνω, καὶ ἔσται σοι τοῦτο χρήσιμον. Ex mss. Monast. S. Andreæ secus Avenionem, apud Martianæum: *Vos autem quæritis de pusillo crescere, & de magnis majores esse. Intrantes autem ad cœnam, nolite recumbere in locis eminentibus, ne forte clarior te superveniat, & accedens qui ad cœnam vocavit te, dicat tibi: Adhuc deorsum accede, & confundaris. Si autem in loco inferiori recubueris, & supervenerit humilior te, dicet tibi qui te ad cœnam vocavit: Accede adhuc sursum, & hoc erit tibi utilius*. [26] Ita mss. Sangerm. & S. Andreæ Avenion. Alteram lectionem fert Græcus Codex Cantabrigiensis, & Vetus Italica apud Martianæum. [27] Vide Var. Lect. Millii. [28] Hilarius hic, num. 12. [29] Leo Mag. Ep. ad Pulcheriam Augustam. [30] Juvenc. Paraphr. Evang. [31] Ita Augustin. lib. 2. cap. 65. de Consensu; & lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 48. Beda, Strab. Lyr. hic; Toynard. Harm.

CAPUT XXI.

Ingreditur Jerosolymam Jesus triumphantis habitu. Vendentes e Templo ejicit. Maledicit ficulneæ. Baptismus Joannis unde. Parabola de filiis duobus in vineam missis. Altera de vinea operariis locata. Sacerdotes & Pharisæi capere Jesum conantur.

℣. 1. ET cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos. 2. Dicens eis: Ite in castellum,
quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi: 3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus
his opus habet: & confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: 5. Dicite, filiæ Sion: Ecce
rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.
6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. 7. Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua: & eum desuper sedere
fecerunt. 8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: 9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui
venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. 10. Et cum intrasset Jerosolymam,
commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? 11. Populi autem dicebant:
Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. 12. Et intravit Jesus in templum Dei,
& ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo; & mensas nummulariorum, &
cathedras vendentium columbas evertit. 13. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea
domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. 14. Et
accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo; & sanavit eos. 15. Videntes autem
principes sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt, 16. Et dixerunt ei: Audis,
quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique, numquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? 17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique mansit. 18. Mane autem revertens in civitatem,
esuriit. 19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiter-

ternum. Et arefacta est continuo ficulnea. 20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit? 21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare; fiet. 22. Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, & seniores populi dicentes: in qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua potestate hæc facio. 25. Baptismus Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes: 26. Si dixerimus, e cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. 27. Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis, & ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate ego facio. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo, domine: & non ivit. 31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est. 34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. 35. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. 36. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. 37. Novissimo autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur filium meum. 38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus. 39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt. 40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? 41. Ajunt illi: Malos male perdet; & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42. Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. 43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. 44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum. 45. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipsis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

℣. 1. CUM APPROPINQUASSENT JEROSOLYMIS, ET VENISSENT BETHPAGA, pagum ad radices montis Olivarum, Jerosolymæ proximum, Teste Marco (1) & Luca (2) cum accessisset Jerosolymis, Beth-phage, & Bethaniæ, geminos Apostolos misit, quæsitum asinam cum pullo. Acta Bethaniæ nocte, Jesus mane alterius diei Bethania egressus, propinsque Jerosolymam accedens, ubi e regione Beth-phage stetit, duos ex Apostolis misit, ut asinam ejusque pullum ad sese ducerent; jussos, siquis prohiberet, dicere, his opus esse Jesu Nazareno. Notissimus is erat universa in regione, & plurimi æstimabatur; quamobrem nemo fuit, qui ea quibus opus esset, illi commodare, sibi honori non duceret. Cæterum optime noverat, quid sibi eventurum esset. Justinus Martyr Apolog. 2. ait, asinam hanc cum pullo alligatam fuisse ad vitem, ut ait Genesis 49. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam.*

Censent Druthmarus, Petrus Comestor, & Lyranus, asinam hanc publicis usibus & pauperum vecturis fuisse destinatam. At ipsamet Matthæi verba sententiam hanc evertunt. Si hæc publico usui addicta fuisset, a quolibet primum obvio indiscriminatim occupanda, docendi ne fuissent Apostoli quid respondendum foret, siquis prohibuisset. Asina Judæos, pullus Ethnicos significabant, ex Patribus. Sunt qui censeant (3), Apostolos geminos a Jesu Christo missos, Petrum fuisse & Philippum. Origenes ac Teophylactus Petrum & Paulum nominant; at procul dubio tropice, cum Petrus in Ecclesia ceu Judæorum Apostolus habeatur, asina significatus; Paulus, Apostolus Gentium, cujus figura fuit asinæ pullus.

Nullam ferunt Marcus & Lucas (4) asinam, quod

(1) Marc. x. 1. Ὅτε ἐγγίζουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ, εἰς Βηθφαγὴ, καὶ Βηθανίαν. (2) Luc. xix. Ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ, καὶ Βηθανίαν. (3) Hilar. Author Operis imperfecti, Beda, Strabus, Author Hist. Scholasticæ. (4) Marc. xi. 2. Luc. xix. 30.

quod illa usus non fuerit Jesus (5), sed pullo Asinæ meminit Matthæus, quo luculentius innuat, expletum esse Zachariæ vaticinium, ubi utriusque mentio occurrit; atque etiam fortasse, ut neminem adhuc pullo usum fuisse demonstret, cum is adhuc matrem sequeretur. Nisi hæc magni momenti & prophetica fuissent, Matthæus certe, vel Spiritus Sanctus, quo is afflabatur, tam accurate non recitassent. Putant nonnulli (6), Jesum nunc asinæ, nunc pullo insedisse; id tamen minime necessarium est, etiamsi impletum Zachariæ vaticinium quæras. Satis erat, asinam adesse, eaque uti potuisse Christum, si voluisset.

℣. 4. Ut impleretur quod dictum est per Prophetam. Libri quidam manu descripti ferunt (7): *Per Isaiam Prophetam*. Alii: *Per Zachariam Prophetam*. Vaticinium certe ex utroque est. Isaias quippe habet 42. 11. *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit*. Et Zacharias (8): *Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus, & sedens super asinam & pullum filium subjugalis*. Postrema hæc vox synonyma est asinæ. Jumentum non erat hominum vecturæ servatum, sed labori addictum, & gestandis sarcinis, seu currui vel aratro trahendis. Solebant Palæstini asinis uti, ad illustrium hominum vecturam (9), & ad trahenda seu vehenda onera, quemadmodum nos equis (10).

Locum Prophetæ Matthæus neque ex Septuaginta Interpretibus ad verbum, neque ex Hebræo penitus tradidit, sed sensum. Septuaginta ferunt (11): *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & servans, ipse mansuetus, & sedens super subjugalem, & pullum novum*. Hebræus (12): *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & servator: ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinarum*. Levissimum, uti vides, est discrimen.

℣. 8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua. Simili forme obsequio salutatus est Rex Israelis Jehu (13). Eodem prosecuti sunt Catonem Uticensem, cum secederet (14). Simile quid habes in Agamemnone Æschyli (15). Apud Bonfinium in Hist. Hungar. non semel animadvertisse mihi licuit in solemni Regum ingressu vias, per quas ipsis gradiendum erat, instratas pannis ditissimis ad longam ab urbe distantiam. Idem legi in historia Æthiop. Joannis Bermudes. Vide Christianismum Æthiop. Joannis Maturini Veyssiere la Croze pag. 176.

℣. 9. Hosanna Filio David, &c. *Hosanna* vel *Hoshah na* Hebraice sonat: *Serva quæso*. At præter merum verborum significationem, peculiaris quædam huic voci vis inest in acclamationibus, veluti, Vivat, Rex, Salus filio Davidis, diuturna Christo vita, venienti ut populum liberet: *Hosanna in altissimis*. Nostras, o Deus, ex altissimo Cœlorum vertice voces excipe (16). Ætherea mentes, nostris votis vestra conjungite, ut bona omnia filio Davidis, Regi Israelis, Messiæ, summo Liberatori imprecemini.

Desumpta est hæc acclamatio ex Psalmo cxvii. 25. qui in Tabernaculorum Festo recitabatur. Undique deferebantur ea die Jerosolymam rami & frondes (17), componendis tentoriis in usum populi, ex universa Provincia confluentis, cui, in memoriam tabernaculorum, sub quibus majores ipsorum in solitudine per annos quadraginta vitam egerant, sub frondeis hisce tabernaculis per dies octo manendum erat. Populus ramos hosce ferens, hilari voce clamabat: *Hosanna*. Quamobrem ramis ipsis inditum est nomen *hosanna* (18). Ingrediente urbem Christo, populus sacro œstro agitatus, cum in ipsius triumpho simile quid hilaritati Festi Tabernaculorum cerneret, quamvis paucis ante Paschatis festum diebus id contigerit, clamavit: *Hosanna filio David*. Rami, quos gerimus, *hosanna* hæc, in obsequium filii Davidis sunt. Narrat Lucas, Jesum, cum prope Jerosolymam venisset, flevisse, quippe qui imminentia miserrimæ urbi mala prævideret; monentibusque Pharisæis, ut Discipulis silentium imperaret, Christum respondisse: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*.

℣. 12. Intravit Jesus in Templum Dei, comite semper multitudine, virides ramos gerente, ac pueris edita voce clamantibus: *Hosanna filio David* (19).

Ejiciebat omnes vendentes, &c. cum venisset in atrium exterius, seu *Gentium*, ita dictum, quod unicuique indiscriminatim pateret. Ibi omnia vendebantur, quibus opus erat ad sacrificia, arietes, columbæ, vituli, boves, panis, simila, vinum, sal; neque deerant trapezitæ, advenarum gratia, qui e remotis regionibus confluentes, aureos potius, quam æreos aut argenteos nummos oneris causa deferebant; sive putes, hosce trapezitas propria ejus regionis pecunia mutasse externam, cum lucro.

Putat S. Hieronymus (20), hanc in Templo negotiationem natam esse ex Sacerdotum avaritia, quæstum in Templo facientium ex victimis Deo offerendis, sibique deinde relinquendis. Addit, constitutos ab illis fuisse in Templo trapezitas, fœnus ex pecunia exercentes: id quod nequissimo quidem faciebant, ut vel ex pauperrimis lucrum referrent: cumque Legis sanctione cautum esset, nequis fœnus exerceret, usuras non pecunia, sed fructibus, leguminibus, cæterisque hujusmodi, quæ usu teruntur, exegisse. Indignissimas hasce artes, imo & latrocinia animadvertens Jesus, justissima ira fervens, iniquissimos mercatores ejecit.

Mirum profecto videtur, qui fieri potuerit, ut privatus homo, nullius in populum authoritatis, mercatores e Templo solus ejiceret. Inter omnia Jesu Christi prodigia, nullum hoc majus putat S. Hieronymus (21): & certe nihil admiratione dignius esse potuit, quam ut homo unus, specie quidem humillimus ac despectissimus, & paulo post in crucem actus, pelleret, afficeretque conviciis Scribas ac Pharisæos, ingentemque Mercatorum manum, a quibus Templi sanctitas violabatur. Censet autem S. Hieronymus, Jesum tunc oris majestate, & divino quodam fulgore, ex ipso micante, formidinem & obsequium in hominum mentibus peperisse, quibus illi contra resistere prohibebantur. *Igneum enim quiddam atque sidereum ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie*. Patrem Dei Filius authoritatem exercuerat aliquot annis antea, sub prædicationis initium, in Mercatores, Patris sui Templum mercimoniis profanantes (22). Quæ hic narrantur, contigere feria secunda, decima Nisan: & Chri-

(5) Joan. xii. 14. 15. Vide Hieronym. hic. (6) Vide Sanct. ad Zach. ix. 9. (7) Apud Mill. hic Nonnus in Paraph. & Æthiop. legunt *Isaiam*. (8) Zach. ix. 9. Ἰδοὺ ὁ Βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραΰς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. (9) Judic. v. 10. x. 4 xii. 14. Num. xxii. 21. (10) Deut. xxii. 10. Exod. xx. 10. 12. (11) Septuag. Zach. ix. 9. Ἰδοὺ ὁ Βασιλεύς ἔρχεταί σοι, δίκαιος καὶ σώζων, αὐτὸς πραΰς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον, καὶ πῶλον νέον. (12) הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות (13) Vide 4. Reg. ix. 13. (14) Plutarc. in Catone minore. (15) Vide Grot. hic. (16) Confer Luc. ii. 14. xix. 38. & Psalm. cxlviii. 1. & Luc. hic: [illegible] (17) 2. Esdr. viii. 15. 1. Macch. xiii. 51. 2. Macch. x. 7. (18) Elias Levita in Thisbe. (19) Vide supra ℣. 15. (20) Hieronym. in hunc locum. (21) Hieronym. hic: *Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius, quod unus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, posuerit*, &c. (22) Joan. ii. 15.

Christus iterum mercatores Templo expulit (23) sequenti die, feria tertia, ejusdem mensis undecima. Sunt qui censeant (24), hoc Jesu Christo licuisse, ex Hebræorum consuetudine, qua potestas dabatur iis hominibus, qui Zelatores appellabantur, ut persequerentur ac privata authoritate necarent eos, quos debitum Templo obsequium violantes, vel publice quidquam Judaicæ genti contrarium agentes invenirent. Id fortasse in causa fuit, cur Pharisæi & Sacerdotes Christo tunc resistere non auderent. Hanc Zelatorum Legem innuere videtur Joannes, ubi ait, revocasse tunc in mentem Discipulos id quod scriptum legitur: *Zelus domus tuæ comedit me*.

Mensas nummulariorum. Quid hac de re tradat S. Hieronymus, jam animadversum est. Legit Græcus (25): *Mensas Colybistarum*, trapezitarum scilicet, vel nummulariorum; eorum qui artem exercent mutandæ pecuniæ, vel publicæ pecuniarum permutationis syngraphos scribendi, vel solvendi. Ajunt, id muneris hisce trapezitis fuisse, ut hemisiclorum numismata non habentibus præberent, quibus indictus in singula capita census ex Lege Exod. 30. 15. solveretur. Qui e. g. siclum permutabat, ut hemisiclos geminos referret, *colybum*, scilicet *dimidium meah*, seu denariolos duodecim, vel ex octo & quadraginta sicli partibus unam nummulario relinquebat. Ex *colybo* fit *colybistes*. Ita Seldenus (26) & Lingfootus (27) post Rabbinos (28). Singulis, inquiunt, solvendus erat hemisiclus integro numismate: secus rejiciebatur. Neque hic census Jerosolymis dumtaxat exigi solebat, sed in cæteris urbibus universæ regionis: atque hunc certe Christus & Petrus Capharnai solvisse leguntur Matth. 17. 23. At majore numero exigebatur Jerusolymis, cum & ingens ibi esset convenarum multitudo, & ex omnibus undique provinciis eo migrarentur. Cum *Colybistarum* seu nummulariorum hujusmodi ars iniquum fœnus exerceret, illos diu ferre noluit Christus, & latrocinii arguit: *Vos*, inquit, *fecistis illam* (domum Patris mei) *speluncam latronum*. Trapezitæ plerumque vafri sunt & nequam. Ait Antiphanes, apud Athenæum lib. c. 2. præter veneficos nullum magis esse noxium hominum genus, quam trapezitas.

De *mensis nummulariorum* nonnulla tradunt Rabbini, satis ridicula (29). Tredecim erant singulis trapezitis mensæ. Singulis vero mensis cippus aderat, ore in buccinæ formam patente, superius latior, inferius angustior. Mensarum hujusmodi seu cipporum primus excipiendis præsentis anni hemisiclis addictus erat, alter, elapsi anni hemisiclis; tertius, oblationibus eorum, a quibus gemini turtures erant offerendi (30): quartus, iis, a quibus offerenda erat in holocaustum avis, quique illam redimebant, projecto in cippum avis pretio. Cæteræ cum re præsenti minime conveniunt. Satis esto explicavisse, quid intelligendum sit pro nummulariorum mensis, quas Christus evertit.

℣. 13. Scriptum est: Domus mea, &c. Locus hic ex duobus Prophetis est. Prius membrum ex Isaia lvi. 7. *Adducam eos . . . in domum orationis meæ*. Alterum ex Jeremia vii. 11. *Numquid spelunca latronum facta est domus ista?* Ad Palæstinæ morem alludit Christus, ubi latrones in specubus inaccessis plerumque vitam agunt (31).

℣. 16. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Sunt (32) qui postrema hæc ad verbum interpretentur, quasi Deus omnipotentiæ viribus puerorum adhuc lactentium ora & linguas solverit. Alii (33) per hyperbolem hoc dici ajunt, tum hic, tum Psalmo viii. 3. ubi canit Psalmista, Deum ex ore lactentium suam ipsius gloriam elicere, ut hostes suos probro afficiat; impiorum scilicet nequitiam a rebus omnibus creatis damnari, clamantibus adversus illam rebus quæ sensu carent, & pueris, qui ex matrum uberibus pendent. Hebræus fert (34): *Ex ore infantium & lactentium fundasti robur propter inimicos tuos*. Probro obruisti hostes tuos argumentorum vi, quæ pueri lactentes efferunt. Ita Deus hic ex puerorum ore confirmavit veritatem, ab iis rejectam, quorum erat illam ante cæteros palam prædicare.

℣. 17. Abiit foras extra civitatem in Bethaniam, sub vesperam, ait Marcus xi. 11. omnibus prope circumspectis; cumque intelligeret decretam sibi esse a Sacerdotibus populique optimatibus necem (35) urbe egressus, Bethaniam venit, oppidum Jerosolymis dissitum stadiis quindecim, sive duobus circiter passuum millibus. Noctem ibi egisse videtur apud Lazarum, Martham, & Mariam.

℣. 19. Videns fici arborem. Mane sequentis diei feria tertia, Bethania reversus Jerosolymam, esuriit, accedensque ad ficulneam in itinere, cum folia dumtaxat in ea invenisset, quippe ficuum tempus non erat, teste Marco (36), illi maledixit. Plura hic quæruntur: I. Qui fieri potuerit, ut Jesus Bethania egrediens esuriret, cum adhuc summum mane esset? II. Cur ad ficulneam accesserit, quæsitum ficus, cum omnino sciret posset, nullas in ea futuras? III. Cur arbori maledixerit? Ait Euthymius (37), probabile non esse, ea diei hora esurisse Christum, sed tantum accessisse ad arborem, quasi escam quæreret, tametsi revera nonnisi prodigii hujus patrandi causa accessit. Putat S. Chrysostomus, famem non natura sua ortam fuisse, sed a Jesu sponte quæsitam effectamque. Commentus est Calvinus, id quod præter veritatem omnino est, Christum, qua homo erat, ficulneæ naturam ignorasse. Vulgares adeo erant in Palæstina ficulneæ, ut ne ab ipsis quidem pueris ficuum tempus ignoraretur.

De hac ficu vide quæ contulimus ad Mat. xxi. 19. ubi varia ficuum genera distinxi; sed ante nonnullos annos Frater Ordinis Charitatis Meldensis, qui eas regiones excurrebat, admonuit nos per literas, non satis accurate me descripsisse, vel nosse ficus Palæstinas. Alit enim, ait, regio illa duplicis generis ficulneas, quarum aliæ bis quotannis fructus maturant, vere scilicet, & æstate; aliæ vero semel tantum, septembri mense. Sunt quæ etiam novembri, sive decembri fructus offerunt. Veritati tamen non cohæret, quod mihi olim persuasum fuit, ficus vernas ipsos esse fructus qui tota hyeme in arbore perseverarunt; nec autumnales emissas esse tempore verno; nam vernæ ficulneæ eodem ipso anni tempore grossos suos proferunt, & maturos exhibent sive eodem ipso tempore, sive succedente æstate. Porro ficulneæ illæ foliis suis exuuntur mense augusto, nec ultra resumunt.

Igitur Palæstina regio duplicis generis ficus gignit, quarum aliæ bis quotannis maturescunt, ut jam admonui; aliæ vero semel. Postremæ istæ ficulneæ fructus suos dant septembri, sive novembri, sive decembri mense; cum tamen apto calore careant, ut fructus omnes ad maturitatem addu-

(23) Marc. xi. 15. 18. (24) Seld. de Jure N. & G. lib. 4. cap. 5. (25) Τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν. (26) Selden. lib. 4. cap. 5. de Jure N. & Gent. (27) Ligfoot. Hor. Hebr. (28) Titul. Siklin, cap. 1. & Maimonid. tit. eod. cap. 3. (29) Misn. Gemar. & Comment. ad tit. Siklin, cap. 2. Maimon. Halac eadem, cap. 2. (30) Levit. v. 7. xii. 8. xv. 14. (31) Joseph. Antiqu. xiv. 27. xix. 2. De Bello lib. 1. cap. 12. Strabo lib. 16. (32) Chrysost. Euthym. Theophyl. Mald. (33) Hilar. Author Oper. imperfect. Strab. Brug. Menoch. Grot. (34) מפי עוללים וינקים יסדת עז למען צורריך (35) Luc. xix. 47. 48. (36) Marc. xi. 13. Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. (37) Vide & August. l. 2. Quæst. Evangel. qu. 51. & Maldon. hic.

adducant, superfunt adhue in arbore groffi quidam, qui nonnifi lebruario, five martio menfe perficiuntur. Ab his facile arboribus Jesus Christus fructus repetiit martio circiter ineunte; quanquam juxta S. Marci animadverfionem xi. cap. 13. *non erat tempus ficorum.*

Non funt igitur hæc referenda ad ficus vernas, quæ groffos fuos intra illam anni rempeftatem exponunt, & perficiuat, iterumque oneraatur fructibus in æftate. Quæ aarrant Theophraftus, & Plinius de ficulneis femper virentibus, & nunquam fructibus deftitutis, non funt accipienda de ficulneis cujufcumque generis, fed generatim dicta funt de ficulneis, quarum aliæ funt femper virentes, & fructibus onultæ, cum interim aliæ nonnifi folia, & aliæ etiam nec folia exhibeant. Id vero non prohibet quominus in æftuofis regionibus deguftari ficus poffint recentes toto ferme anno, fed ex variis diverfi generis arboribus decerptæ. Nec ita de Palæftinis hifce ficulneis agendum eft quemadmodum de noftratibus. Ficus quidem recentes, quæ e planta caduns immaturæ, hyeme in locis aptis confervamus. In Palæftina vero nulla aon anni tempeftate ficus in planta maturefcunt, exceptis pauculis nonnullis quemadmodum fupra animadvertimus. Ficulnea illa, quæ fructus dedit, æftate foliis omnibus & fructibus expoliatur cum ardor maaime incalefcit augufto menfe. Quæ vero ficulneæ groffos fuos emiffuræ funt feptembri, aovembri, & decembri menfe, tota æftate foliis veftiuntur.

Myfterium in bac re fcrutati funt Patres (38). Neceffe omnino erat, ut Apoftoli, & fequentium deinde temporum hominea damnationem & exclufionem Judæorum, ejufque eaufas tam alte intelligerent, ut illarum memoria penitus deleri non poffet. Ficus Hebraicam gentem fignificabat, velnti arborem in agro Domini fatam. At Hebræi, hac arbore fignificati, fructus quolibet tempore ferre debebant. Ficui maledixit Chriftus, non ficus ipfius eaufa, fed Judæorum, quos arbor fignificabat. Agemus iterum de hac re in Commentariis ad Marcum xi. 13.

℣. 20. Videntes Discipuli, mirati sunt. Hoc geftum eft altera die, refte Marco xi. 20. quamquam enim, ex Matthæo (39), arbor ftatim aruit, luculentior tamen fuit altera die vis execrationis in arbore, lapfis undique foliis, troncoque arefacto. Res acta eft per gradus. Arere quidem illico cœpit arbor, diris a Jefu Chrifto pronunciatis, idque ftatim in frondibus apparuit: deinde per gradus ufque ad abfoluram ariditatem proceffit.

℣. 21. Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis. De fide prodigiorum loquitur, non de ea, qua jufti efficimur. Duplex hæc fides in eodem homine non femper inveaitur. Utramque optime diftinguit Paulus (40). Precibus impetrari hæc fides poteft (41), bonoque illius ufu augeri atque fervari. Apoftolos fæpe hortatur Chriftus, ut haac fidem accuratiffime fervent. Opus omnino ea erat in facro munere, ad quod ipfi eligebantur. *Et non hæfitaveritis.* Græcus (42): *Et non difputaveritis* ipfi vobifcum, uti folent ii qui deliberant, & neutram adhuc in partem animum inclinavere. Prodigiorum fides conftans effa debet & certa. Vide Matthæum xvii. 19.

℣. 22. Omnia quæcunque petieritis, &c. Hoc ipfum jam fecundo promittit. Vide Matthæum vii. 7. Intelligi autem in univarfum poteft vel de orationis vi, vel de fide patraadis prodigiis neceffaria. Quicquid certiffima hac fide poftulaveritis, cerriffime impetraturi eftis: nullum plane prodigium erit, quod a vobis patrari nequeat.

℣. 23. In qua potestate hæc facis? Hæc ad feriam quartam, duodecimam menfis Nifan, pertinent. Homines in Templo mercimonia vendentes duobus elapfis diebus ejecerat; ibique conftantiffime atque ex authoritate inftitutiones dabat. Ingreffus præterea illuc fuerat triumphantis more, populo circum acclamante; quamobrem vetus Sacerdorum ac Pharifæorum in illum fimultas magis magifque excitata eft. Ipfum capere & neci tradere illi decreverant: at opus erat prætextu aliquo; plebem enim verebantur. Rogant igitur, qua authoritate hæc faciat. Ut quis in Templo verba faceret, mittendus erat, inquiunt (43), a Synedrio, ac probandus; fecus vero in Synagogis; nemo enim criminatus eft, quod Chriftus ubique locorum in Synagogis docuerit.

Cenfet Origenes (44), Judæis illius ætatis perfuafum fuiffe, omnia hæc quæ in mundo cernimus, a duplici poteftate fieri, altera bona, bonum faciente, mala altera & huic inimica, ex qua mala extraordinaria, in Scripturis narrata, oriuntur. Singulis hifce poteftatibus aliæ minores parent ejufdem naturæ, ex facta fibi facultate agentes. Rogant igitur hic Jefum Judæi, utrius poteftatis vi hæc faciat; Dei ac ejufque Angelorum, quæ poteftas bona eft; an tenebrarum Principis & miniftrorum illi obtemperantium. Refpondere noluit Chriftus, ac dicere, poteftatem, cujus vi ipfe hæc ageret, cæteris præftare, atque ex Deo Patre effe. Hæc autem explicatio nullatenus ad literam pertinet.

℣. 24. Interrogabo et ego vos unum sermonem (45). Propofitæ a Sacerdotibus quæftioni ex directo non refpondet Chriftus, fed illam altera quæftione trudit, clavum clavo, captiofam interrogationem altera fimili. Cum perverfis pervertitur Deus, inquit Pfalmifta Pfal. 17. 27. fcilicet cum iis qui recte non incedunt, oblique fe gerit Deus. Si baptifmum Joannis e cœlo effe, refpondiffent Judæi, ftatim & Jefus refpondere poterat, hæc a fe Dei juffu geri; quamobrem opus non effe, ut rerum a fe geftarum rationem ipfis redderet. Illis vero non refpondentibus, par Chrifto jus erat minime refpondendi.

℣. 28. Homo quidam habebat duos filios, &c. Fatentur Interpretes (46), homine hoc fignificari Deum; duobus vero filiis Ethnicos & Judæos. Alter major natu funt Judæi; iique fefe abfolute morigeros Deo fore polliciti (47), fidei defunt. Alter minor funt Ethnici, initio quidem reluctantes, fectantefque fuperftitionem & malas animi cupiditates. At denique pœnitentia moti, Apoftolis prædicantibus, refipifcunt, & quæ a Deo imperata funt, conftantiffime implent. Innui etiam videtur duobus hifce filiis duplex Judæorum genus (48). Scribæ & Pharifæi, omnia Legis inftituta fefe fancte fervaturos polliciti, prorfus minime obtemperabant. Illos hortatus eft Joannes Baptifta, ut hypocrifim abdicarent, rectumque ac tutum iter aggrederentur; at fruftra, ipfis minime audientibus. At flagitiofi homines, publicani, meretrices, quorum ars quodammodo eft publica peccandi profeffio, Joanne Baptifta prædicante refipuerunt, aures præbuerunt Jefu Chrifto & Apoftolis, ac filii vere morigeri effecti funt. Vide infra ℣. 31.

Veteres nonnulli Codices Græci & Latini (49) hoc loco ferebant: *Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Noviffimus.* At noftra æta-
te

(38) Origen. in Matth. Hilar. Hieronym. hic; Auguftin. Serm. 95. aliar 44. cap. 13. Vide Grot. Brug.
(39) Καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ. (40) 1. Cor. xii. 9. 31. & xiii. 2. & Matth. vii. 22.
(41) 1. Cor. xii. 31. Matth xvii. 19. Marc. xi. 22. (42) Καὶ μὴ διακριθῆτε. (43) Vide Grot.
& Le Clerc. Chryfoft. hic. (44) Origen. in Matth. tom. 17. pag. 412. & fequ. (45) Ἕνα λόγον,
דבר אחד *Unam rem.* (48) Origen. in Matth. Chryfoft. Author Op. imperf. Hieronym. Beda, Euthym.
alii paffim. (47) Exod. xix. 8. (46) Mald. Tir. Menoc. Vide & Hieronym. & Hilar. hic.
(49) Ita Cantabrig. G. L. Cophr. Arm. Leicheft. Parif. 6. apud Mill.

ge libri Græci & Latini typis vulgati legunt: *Primus*. Oritur id ex transpositione versiculorum 29 & 30 in hunc modum: *Pater accedens ad primum dixit: [29] Fili, vade hodie, operare in vinea mea. At ille respondens, ait: Eo, Domine, & non ivit. [30] Accedens autem ad alterum, dixit similiter. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea pœnitentia motus abiit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Novissimus.* Hæc certe orationis distributio hanc responsionem postulat. Cæteri vero Textus (50) Vulgatæ ordinem servant, & tamen legunt, *Novissimus*, non, *Primus*; idque ex eo oritur, quod animadvertentes aliqui, in explicatione parabolæ publicanos & meretrices, quæ hominum genera nomine alterius filii innuuntur, præferri cæteris, quos major natu filius indicat, veluti Pharisæis; censuerint, mendum esse in Textu, legendumque *Novissimus*, scilicet, alter filius, non *primus*, nempe major natu. At minime dicitur esse natu major is, quem primo loco adit pater; neque natu minor ille, quem secundo convenit. Contra potius parabolæ ordo postulat, ut pater prius vocaverit natu minorem, flagitiosorum hominum figuram, deinde vero majorem, quo Pharisæi significabantur.

℣. 32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, &c. Propositæ a se quæstioni Christus ipse respondet; simulque ex obliquo alteram solvit, a Pharisæis propositam, quam, uti vidimus, subterfugere videbatur. Joannes ad vos venit justitiæ via, pius certe vir, & a Deo missus; cui tamen aures minime præbuistis. Si igitur vobis dixero, me Dei nomine, jussu, & authoritate agere, aurea ne fidemque præbituri estis? At vobis cessantibus, alios sibi fideles servos, filios alios, aliumque populum quæsivit Deus; nimirum eos quos ipsi spernitis ac minimi habetis. Hi porro in Regno Dei (51), in Ecclesia, in Cœlo vobis præcedent. Illis patebit aditus, vobis exclusis.

℣. 33. Aliam parabolam audite. Hæc ad Sacerdotes potissimam pertinet ac Senatores, qui quæstionem fecerant primi. At circum multitudina ad quæstionem confluente, parabolam hanc turbæ proposuit Christus, teste Luca c. 20. 9. Vineæ sator, est Deus; vinea, Ecclesia; ii quibus locata est, Hebræi (52); qui & sæpenumero in Scripturis sub vineæ appellatione significantur (53). Vineam plantat Deus, dum Legem Judæis tradit (54), sepe circumdat, præceptis nimirum sacrorum rituum (55), & suo ipsius patrocinio (56): torcular ac turrim in ea condit, Templum scilicet atque altare (57). Denique omnibus, quibus opus est, vineam instruit (58): *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Vineæ cultura ad Sacerdotes potissimum & Legisperitos pertinet (59); atque ad hos præcipue defertur parabola, & ex iis maxime fructum exigit Deus. Missi a Patre vindemiatores sunt veteres Prophetæ & Justi, quos qualibet ætate misit Deus, ut inviserent vineam, fructumque colligerent: ex his plerique male excepti sunt, ejecti, lapidibus obruti, excruciati, in necem dati. Denique filius Patrisfamilias est Christus Jesus, qui postremo omnium loco veniens, nedum magis morigeros aut obsequentes agricolas expertus est, verum etiam multo sævissimos, ita ut ab iis denique in crucem ageretur. Quo propius ad mortis suæ tempus accedebat Jesus, eo luculentius, liberius & constantius Pharisæorum & Sacerdotum vitia arguebat.

Fodit in ea torcular, et ædificavit turrim. Turrim condidit, in vinitoris & custodum vineæ domicilium, torcular vero, quo uvæ premerentur. Ad verbum (60) *Fodit in ea torcular*. Græca vox proprie significat subterraneum lacum, cæmentitia structura optime compactum, & calce probe oblitum, cujusmodi utebantur veteres, ut vinum suis in fœcibus ibi servarent, donec in testacea dolia transfundendum esset. De Torcularibus veterum vide quæ diximus in Jeremiam xlviii. 33. Subterraneum hunc lacum sub turri fuisse credimus, quemadmodum nos ipsi aliquibus in locis vidimus.

℣. 41. Malos male perdet. Sunt qui hæc respondisse putent Sacerdotes; & sunt qui aliquos e populo. Ex Marco & Luca (61) Christus ipse hæc addidit. Hæc porro ita conciliantur (62): Sacerdotes ac populus, oratione sponte fluente, vinitores hosce dignos esse dixerunt, qui miserrime necarentur. Responsum probavit Jesus, ipsosque adversus se dixisse sententiam ostendit. Statim vero illi subdiderunt, teste Luca: *Absit*: id ne unquam eveniat.

℣. 42. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes. Alteram habes hic parabolam, sed obscuriorem, magisque obvolutam. Quemadmodum usuvenit interdum, ut architectus lapidem rejiciat, quem deinde iterum eligere cogitur, atque in ædificii parte maxime conspicua & nobili collocare; ita in Domus Dei ædificio eveniet. Me veluti inutilem rejecistis, meque & dogmata mea aspernati estis: at supremus omnium Dominus pessimam electionem frustrabitur, meque fundamentum & angulum ædificii constituet (63). Fiam ego lapis, quo duplex ædificii paries nectitur (64); Synagoga scilicet cum Ecclesia, Judæus cum Ethnico in unam fidem junguntur.

℣. 43. Auferetur a vobis Regnum Dei. Dignitatibus suis exuetur Synagoga. Evangelii cognitio ad alienas gentes transferetur. Jesu Christi Ecclesia ex Ethnicis potissimum ad fidem conversis coalescet. *Act.* xiii. 46. 48. *Rom.* xi. 19. 20.

℣. 44. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. Qui super lapidem cadunt, contunduntur; at ii, super quos ingens lapis ruit, confringuntur & conteruntur. Increduli Judæi atque Ethnici, quibus offensioni sunt Christi crux & humilitas, & contemptus argumentum, super lapidem cadunt (65): perniciosus est illorum lapsus, & grave malum. Ubi vero Dei Filius majestate sua circumdatus venerit, ut Justitiam severissime in impios, infideles, pertinaces & incredulos exerceat; multo gravissima illis erit calamitas (66). Illos conteret, confringet, penitus perdet lapis. Voluisse videtur Christus dicere Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, eorumque asseclis, & odii in Jesum imitatoribus, gravissimum illis hoc esse infortunium, quod sibi non crederent: at multo gravissimum illis malum imminere ex formidabili judicio, in ipsos exercendo. Confer *Rom.* ix. 33. 1. *Petri* ii. 7. 8.

Conteret. Ad verbum (67): *Comminuet eum*, in ventum dissipabit, ceu paleam, ubi triticum ventilatur: comminuet, disperget. Judicium, quod illis minitatur hic Christus, inceptum atque adumbratum est in Jerosolymæ excidio & Judæorum dispersione: at illud nonnisi præludium fuit supremæ calamitatis, quæ impios & incredulos manet in supremo Judicio, æternisque suppliciis.

(50) Quid. apud Hieron. Arab. Sax. Hilar. Aug. Cod. Const. quo usus est Erasm. (51) Vers. 31. *Publicani & meretrices præcedent vos in Regno Dei.* (52) Ambros. in Luc. Mald. Brug. alii. (53) Ps. lxxix. 9. Isai. iii. 13. Matt. xx. 1. &c. (54) Aug. Serm. olim 59. nunc 58. (55) Iren. l. 4. c. 70. Auth. Oper. imperf. Homil. 40. (56) Origen. Hier. Auth. Oper. imperf. hic; Ambr. in Luc. xx. (57) Ita Origen. Hieron. Euthym. Theophyl. Beda. (58) Isai. v. 4. (59) Origen. Hilar. Auth. Oper. imperf. Euthym. Theophyl. (60) Ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνόν. Marc. xii. 1. Ὤρυξεν ὑπολήνιον. (61) Marc. xii. 9. Luc. xx. 16. (62) Vide Chrysost. Euthym. Mald. (63) Vide Act. iv. 11. Ephes. ii. 20. & 1. Petr. ii. 7. 8. (64) Ephes. ii. 14. Origen. Hilar. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. hic, Aug. in Psal. lxxxviii. & xcix. & tract. 10. in Joan. &c. (65) Chrysost. Euthym. Theophyl. Aug. Serm. olim 20. nunc 122. Maldon. Grot. Brug. Menoch. alii plerique. (66) Ita PP. & Interpp. ut supra. (67) Λικμήσει αὐτόν.

CAPUT XXII.

Rex nuptias filii faciens, quo vocantur multi, pauci veniunt. Tributum Cæsari solvendum. Saducæi, Resurrectionem negantes, probro obruuntur. Quod gravissimum Legis præceptum? David, Messiæ pater; Messias, Davidis Dominus.

℣. 1. ET respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: 2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. 4. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. 6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. 7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. 8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. 9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. 10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos, & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. 11. Intravit autem rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. 12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. 14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 15. Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. 16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. 17. Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? 18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ? 19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio? 21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. 22. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt. 23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogaverunt eum, 24. Dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. 25. Erant autem apud nos septem fratres: & primus, uxore ducta, defunctus est: & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. 26. Similiter secundus, & tertius, usque ad septimum. 27. Novissime autem omnium & mulier defuncta est. 28. In resurrectione ergo, cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam. 29. Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. 30. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. 31. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: 32. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. 33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus. 34. Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum: 35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: 36. Magister, quod est mandatum magnum in Lege? 37. Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. 38. Hoc est maximum, & primum mandatum. 39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 40. In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ. 41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus. 42. Dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. 43. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: 44. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? 46. Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

℣. 2. SIMILE FACTUM EST REGNUM CÆLORUM, &c. In institutione Ecclesiæ, quæ *Regnum Cælorum* est, idem conspicietur, quod in nuptiis Regis, de quibus mox narrare incipimus. Ingens convivium instruit Rex, eoque multos vocat: hi venire renuunt; iisque renuentibus, alienos indiscriminatim vocat, &c. En hujus ænigmaris explicationem. Rex filii nuptias instruens, Deus Pater est, Filium in terras mittens, ut Ecclesiam suam instruat. Primi omnium vocati fuere Judæi (1). Servi ad convivas vocandos missi sunt Prophetæ, Joannes Baptista, & Apostoli (2). Neutros audivere Judæi, atque ad convivium & nuptias venire renuerunt. His renuentibus, Deus Ethnicos vocat, Evangelium illis nunciari jubet; atque hi certatim in Ecclesiam confluunt: at non omnes qui eo ingressi sunt, convivii participes esse merentur. Qui nuptiali veste caret, convivio ejicitur; id quod hæreticos, schismaticos, anathemate inultos, malosque Christianos significat.

Confer hanc parabolam cum iis quæ narrantur apud Lucam XIV. 16. &c. & apud Matthæum XX. 1. &c. In unum omnes desinunt, reprobationem scilicet Judæorum, & Gentium vocationem. Quam recitat Lucas, alia est a præsenti (3), tum ob alia multa, tum ob tempus, quo narrata dicitur. Hæc apud Matthæum dicta fuit Jerosolymis feria quarta ante supremum Jesu Christi Pascha; illa, multis antea mensibus Capharnai, apud quemdam inter Pharisæos Principem, quo vocatus fuerat ad convivium Jesus. Christi conjunctio cum Ecclesia, amor quo hic erga ipsam afficitur, Fidelium in Ecclesiam collectorum, vel cœlesti beatitudine fruentium felicitas (4), sæpenumero in Scripturis conjugii, nuptiarum & convivii nomine significatur (5). Certum ejusmodi nuptiarum tempus est expletio mysteriorum vitæ Jesu Christi. Sacri hujus connubii sponsalia jurejurando firmavit in fœdere cum priscis Patriarchis inito, pollicitus sese exhibitum iri inter homines, ut ipsos servitute liberaret. Huic ipse manum admovit Incarnatione; totius vitæ curriculo, ac supremis præsertim annis prædicationis convivium paravit; absolvit denique Passione ac Resurrectione. Tunc Synagoga, vetere Sponsa, ejecta, Gentium Ecclesiam sponsæ loco admisit (6).

℣. 4. PRANDIUM MEUM PARAVI; vel potius *convivium*; cœna enim appellari potest, ex ℣. 13. ubi is qui nuptiali veste caret, ejectus dicitur *in tenebras exteriores*, scilicet extra ostium, inter noctis horrores.

ALTILIA OCCISA SUNT (7). Græca vox tum de majoribus victimis, veluti vitulis, bobus & arietibus, tum de volucribus intelligi potest. Hebræi veteres (8) & Græci frequenter utuntur verbo *immolandi*, seu *mactandi*, ubi de victimis ad vulgaria convivia destinatis agitur; olim quippe solemnia convivia nonnisi in sacris Deo alicui diebus haberi solebant. Præceperat Deus, ut animalia omnia in deserto occidenda, ad ostium Tabernaculi ducerentur, Domino ibi mactanda (9); & in Israele universo, ex omnibus victimis, quæ in urbibus mactabantur, Deus partes suas seponi jusserat Sacerdotibus ac Levitis, in illorum annonam (10): quamobrem victimæ omnes ad sacrificia Deo oblata, in ipsius obsequium, redigebantur.

℣. 7. MISSIS EXERCITIBUS SUIS, PERDIDIT HOMICIDAS ILLOS, qui servos necaverant. Prophetas indignissime excruciaverant Judæi, & ex iis plerosque sævissime interfecerant. Joannem Baptistam & Apostolos ad necem usque insectati fuerant. Quamobrem ob tam multarum cædium pœnam, Romanos immisit Deus in Judæos (11), a quibus extremum illis exitium illatum est. Apud Scripturam Deus suos ipsius exercitus nuncupat eos, quos ipse mittit; ut vindictam in populum suum exerceant: ita nempe Assyrios (12), Chaldæos (13), ipsasque locustas (14), & cæteras belluas, in populum immissas, ut illius superbiam ingratumque animum puniant.

℣. 9. AD EXITUS VIARUM. Quoscumque inveneritis advenas & peregrinos, in aulam convivii colligite. Sensus hic cum parabola ipsoque Textu melius convenit, quam versio, quæ de compitis ac triviis usurpat. Sequenti ℣. exeunt servi non in trivia, sed ad regias vias (15). *Exitus viarum* (16), igitur hoc loco sunt portæ urbis, seu viæ in agrum ducentes.

℣. 11. VIDIT IBI HOMINEM NON VESTITUM VESTE NUPTIALI. Animadversum est superiore ℣. Regem servis imperasse, ut in aulam convivii colligerent obvios quoslibet advenas *malos & bonos*; ea tamen conditione, ut unusquisque ita accederet, uti decebat, & singulorum opes, conditio, & vires patiebantur. Neglexerat hic ea quæ decebant, ac sordide vestitus accesserat, neque convivii socios, neque Principem, a quo vocabatur, veritus. Communis olim fuit, & adhuc est apud gentes liberaliter institutas consuetudo, ut nemo ad nuptias aut solemnia convivia, nisi splendidis vestibus, pro singulorum opibus, indutus accedat. Cicero ita Vatinium arguit: *Cedo, quis unquam cœnavit atratus? Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? ... Cum tot hominum millia accumberent, cum & ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset?* Teste Josepho de Bell. c. 12. Esseni antequam in commune cœnaculum ingrederentur, corpus aquis lavabant, albisque vestibus nitidissimis lineis induebant, quas deinde post cœnam, ad agrum redituri, relinquebant. Meminere Athenæus (17), Plutarchus (18), & Juvenalis (19) paratarum vestium, quas apud se habebant Parasiti, ut ad convivia, quo non vocati ultro ibant, accederent. Vestes hasce nuncupat Petronius *vestimenta triclinaria* (20). Harum etiam meminit Xiphilinus in Adriano (21).

Itaque non satis est, si ingressus fueris in Ecclesiam, & intra convivii aulam admissus: opus est venias uti decet. In agro Domini lolium est & triticum (22): bonos malosque pisces illius retia colligunt (23). Non omnes qui vocantur, electi sunt (24): non omnes, qui donum Fidei accepere, charitate bonisque operibus instructi sunt; non omnes denique, qui vel ex aquis baptismatis, vel Sacramentis a Christo hominum cum

Deo

[1] Origen. Hieronym. Beda, Euthym. Theophylact in hunc loc. Gregor. Homil. 38. in Evang. Alii passim.
[2] Origen. Chrysost. Auth. Oper. imperfect. Hieron. Beda, alii hic; Greg. Magn. loc. cit.
[3] August. lib. 2. de Consensu, cap. 7. Gregor. Hom. 38. in Evang. Strabus, D. Thom. Toynard Harm. Jans. Gand. Concord. 115. Arnaud, Le Roux, Le Clerc, in Concordiis.
[4] Ephes. v. 23. Apoc. XIX. 7. 9. Matth. IX. 15. XXV. 1.
[5] Luc. XIV. 15. & XXII. 29. 30.
[6] Vide Origen. hic, & Hilarium, & Hieron. in Matth. Greg. Magn. Homil. 38.
[7] Τὰ σιτιστὰ τεθυμένα.
[8] Genes. XLIII. 15. Deuter. XXVIII. 31. 1. Reg. XXV. 11. Genes. XXXI. 54.
[9] Levit. XVII. 7. 8. 9.
[10] Deut. XII. 21. & XVIII. 3.
[11] Chrysost. Author Operis imperfect. Euthym. Brug. alii.
[12] Isai. VII. 18.
[13] Isai. XIII. 4. 5.
[14] Joel II. 25.
[15] Εἰς τὰς ὁδούς.
[16] Ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν. Vide Ezech. XLVIII. 30. תוצאות העיר *Egressus civitatis*.
[17] Athen. lib. 6. Dipnosoph.
[18] Plutarc. in Symposiac.
[19] Juvenal. Satyr. 3. vers. 67.
Rusticus ille tuus sumit Trechedipna, Quirine.
[20] Petron. Arbit. Trimalcion.
[21] Xiphilin. Στολὴ δειπνῖτις.
[22] Matth. XIII. 24. 38.
[23] Matth. XIII. 47. 48.
[24] Matth. XXII. 14.

Deo conciliandorum causa institutis, sanctitatem retulere, satis constantiæ habuerunt, ut acceptam gratiam custodirent, atque in bene inceptis perseverarent. Veterum Patrum nonnulli (25) sub nuptialis vestis nomine intelligunt hic Spiritum Sanctum, ex eorum verborum fide (26): *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Plerique tamen usurpavere (27) de fide, quam animat Charitas, quæque per bene gesta operatur. Christus ipse vestis est, qua induendus est Christianus, authore Paulo (28): *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Galat. 3. 27. Vetus homo deponendus est cum actibus suis, ut novo induamur Ephes. 4. 23. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Quomodo autem induimur, nisi charitate & imitatione (29)?

℣. 13. Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, extra convivii aulam in viam, ubi tenebræ sunt. Noctu agebatur convivium. Vide similem loquendi modum apud Matthæum VIII. 2. Græcus legit: *Ligantes pedes illius & manus, capite illum, & projicite in tenebras exteriores.* At neque Vulgata, neque Versiones Cophticæ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, neque S. Augustinus legunt hæc verba: *Capite illum.* Codex Cantabrigensis & S. Irenæus: *Pedibus & manibus capite eum, & projicite illum,* &c.

℣. 14. Multi vocati, pauci vero electi. Eadem locutio iterum occurrit Capite XX. 16. eoque loco significat, multos fuisse ex Judæis ad Regnum Dei vocatos; at perpaucos ea vocatione usos. Hic vero Christus ad Christianos refert, & ad eos qui in Ecclesiam ingressi sunt; qui tamen, nuptiali veste carentes, cum probro ejecti fuere (30). Quam vere autem dicit Christus, *multos esse vocatos, paucos vero electos,* cum ex parabolæ ipsius sententia, unus tantummodo ex frequenti convivarum numero exclusus fuerit? Nonne aptius dixisset, paucos vocatos esse, electos vero pauciores, neminem ferme exclusum? Ex omnibus profecto Judæis ingressi sunt perpauci: quamplurimi ex Ethnicis non accessere, atque ex omnibus ingressis unus dumtaxat ejectus est. Hoc tamen sibi non vult parabola, sed, I. ex ingenti Judæorum numero, quibus nunciatum est Evangelium, adeo paucos esse qui eo proficiant, ut pro nullis habeantur. II. Ex iis ipsis, qui credituri sunt, tum Judæis tum Ethnicis, aliquos fore, ex convivii aula, quo admissi fuerant, excludendos: quamobrem vocati multi, pauci electi; & ex iis ipsis, qui electi videntur, quique in Ecclesiam ingressi jam fuere, nonnulli ejicientur, cum indigni futuri sint (31). Hominem hunc ex aula convivii cum probro ejectum, putat S. Augustinus (32) figuram esse reproborum.

℣. 15. Ut caperent eum in sermone. Ad verbum (33): *Quomodo illaquearent eum in sermone:* captiosas implicitasque quæstiones illi proponerent, ut in responsione aliquid invenirent, ex quo accusatio strui, & apud populum invidia adversus illum creari posset; quo facilius deinde illi necem molirentur; metus enim populi adhuc illos coercebat (34).

℣. 16. Mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis. Qui fuerint Pharisæorum Discipuli, nullius difficultatis res est; Pharisæi nimirum secta & sententiis; inter quos solertissimi fortasse delecti sunt, qui hoc munere fungerentur. Pharisæos absolute nominat Marcus; neque *Discipulorum* appellatione intelligendi sunt adolescentes, in scholis auditores, sed integra ætate viri, ac Pharisaici instituti studiosissimi. Quilibet ex ea hominum secta, Pharisæorum discipulus nuncupari potest. Hi consilia junxere cum Herodianis, quos fuisse credimus Judæ Gaulonitæ seu Galilæi discipulos, qui, authore Josepho Antiq. l. 18. c. 2. immodico publicæ libertatis studio a Pharisæis differebant. Quid ipsi sentirent, ex quæstione Jesu Christo proposita intelligitur.

Plerique Interpretes docent, contrariam fuisse Pharisæis & Herodianis sententiam de tributo Romanis solvendo. Pharisæi ob immodicum libertatis suæ studium, ægre solvebant: at Herodiani, partibus Imperii, scilicet Herodis ac Romanorum, faventes, Imperatoris legibus penitus obtemperandum esse contendebant: quamobrem, utramvis in partem ferretur Christus, alterutros offendebat, & Pharisæorum laqueo capiebatur. Si tributum solvendum esse negaverit, inquiebant, illud velut inimicum Cæsaris accusabimus; si asseruerit, publicæ libertatis hostem dicemus, arguemusque illum non esse Messiam, cui potissima desit Messiæ nota, restituendi scilicet pristinam in libertatem Israelis, atque ab hostium tyrannide solvendi. At illorum quæstiones frustrari, paratosque laqueos vitare optime novit Christus. Alteram nos secuti sumus sententiam in Dissertatione de sectis Judæorum, & pro virili probavimus, contrarios fuisse Romanis Herodianos. Hanc etiam in Commentariis sequimur.

℣. 17. Licet censum dare Cæsari, an non? Subacta Pompeji armis Judæa, illam Romani, quemadmodum & cæteras Imperii Provincias, obnoxiam tributo fecere (35). Illud exegit & auxit Julius Cæsar (36). Augusto Principe, Judæa Regem habuit Herodem Ascalonitam, cognomento Magnum, qui multo durissimis conditionibus in illos imperium exercuit (37). At prætermissis iis, quæ Judæi Regibus pendebant, in iis dumtaxat immoramur, quæ ad Romanos pertinebant. Augustus, habito Syriæ universæ & Judææ censu, vetera tributa instauravit. Judæi, vel præpostera Religione ducti, vel quod sese Romanis fœderatos, non armis subactos censerent (38), hujusmodi tributa ægerrime ferebant; novasque identidem seditiones moliebantur, quæ in apertum ac pertinacissimum bellum denique eruperunt. Primus omnium Theudas quidam diu ante Jesu Christi obitum signa extulit (39); illumque secutus est Judas Galilæus, seu Gaulonites (40), docens, nullum ab Hebræis ferri posse Regem præter Deum; siquis illos ad tributum adigeret, ab illo ipsorum libertatem violari; siquod autem tributum solvendum esset a Judæis, illud suis ipsorum Regibus & gentis suæ Principibus esse exhibendum. Herodiani, Theudæ & Judæ Discipuli, ajebant, capitis tributum minime esse solvendum: contra sentiebant Pharisæi. Conantur itaque Christum in alterutram partem pertrahere, & cogere, mentem aperiat, quid ea de se ipse sentiat: at probro obrutos rejicit.

℣. 19. Ostendite mihi numisma census. Marcus (41) & Lucas (42): *Ostendite mihi denarium,* numisma scilicet, quo tributum solvi consueverat,

(25) Iren. lib. 4. cap. 7. Hilar. hic. (26) Luc. XXIV. 49. (27) Tertull. lib. 2. de Resurrect. carn. Origen. Chrysost. Author Oper. imperf. Hieronym. Gregor. Magn. Theophyl. Euthym. August. Serm. 90. num. 6. Alii passim. (28) Rom. XIII. 14. *Induimini Dominum Jesum Christum.* (29) Vide August. Serm 90. de Verb. olim 14. ex editis a Sirmundo, num. 5. 6. Item Serm. 91. nov. antea in edit. num. 5. (30) Hammond. hic. (31) Vide Maldonat. hic. (32) August. lib. contra Donatist. post collation. 20. num. 27. Ita Orig. & Hieronym. in Matth. (33) Ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν. (34) Luc. XXII. 2. Matth. XXI. 46. (35) Joseph. Antiqu. lib. 14. cap. 14. de bello lib. 1. cap. 5. (36) Idem. Antiqu. lib. 14. cap. 17. (37) Vide Petit, Var. Lect. lib. 2. cap. 1. (38) Vide Selden. de Jure, Nat. & Gent. lib. 2 cap. 17. (39) Act. v. 37. (40) Act. v. 37. & Joseph. Antiqu. lib. 18. c. 1. & de Bello, lib. 2. cap. 7. (41) Marc. XII. 15. Φέρετέ μοι δηνάριον. (42) Luc. XX. 24. Ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον.

Nemo prorsus ignorat, Principi in provincia imperanti deberi tributum: imperans autem Princeps ille est (43), qui pecuniæ commercium facit, ejusque pretium decernit. Igitur ubi compertum fuerit, quo numismatis genere communiter utatur Provincia, soluta erit quæstio. Ita Dei Filius ambiguum aperit, ac detegit laqueos, qui sub Herodianorum quæstione latebant. Dei jus cum jure Principis miscebant; at utrumque optime secrevit Christus.

Dissidium est, utrum hoc tributum aliqua fuerit impensa, ex rerum uniuscujusque æstimatione pendenda, an tributum in singula subditorum capita imperatum. Quæritur etiam, quanti esset? Non facile respondeas; at Syriaca & Persica Versio, aliique Interpretes nonnulli (44) ajunt, tributum fuisse capitis. Id ex Appiano probatur (45), scribente, nihil gravius Judæis esse, quam capitis tributum; Syrosque & Cilices centesimam bonorum annuam solvere. Confirmat Ulpianus (46), inquiens: *In Syriis a quatuordecim annis masculi, a duodecim fœminæ, usque ad sexagesimum quintum annum, tributo capitis obligantur*. Cum igitur Judæa sub Syriæ appellatione contineretur, simillimum vero est, Judæus ad centesimam bonorum Imperatori solvendam in singula capita fuisse coactos. *Census*, quo vocabulo utitur hic Matthæus, proprie illud est, quod viritim a singulis nomine tributi exhibetur. Omnino videtur Augustus (47), accuratissimo censu subditos omnes, ac præsertim e Syria, idcirco descripsisse, ut capitis tributum illis imperaret. Hujus occasione seditionem molitus est Judas Galilæus (48); deque juris quæstione sententiam a Christo dici volebant Herodiani ac Pharisæi.

℣. 20. Cujus est imago hæc? Romanam pecuniam in omnes Imperii sui provincias intulerant Romani. Nemo autem ignorat, in altera ejusmodi numismatum, quorum plurima adhuc supersunt, parte cusam fuisse Imperatoris effigiem, in altera imaginem aliam, quæ ad Imperium pertineret, veluti copiam, victoriam, pacem, &c. Numisma postulat Christus, quod *denarium* nominat, ex ejusque imagine duo ab Judæis extorquet; alterum, male illos libertate gloriari, qui pecuniam ab alieno Principe acciperent, atque a longo tempore tributum penderent: id enim innui videtur ipsa Jesu Christi postulatione, & perspicuum ex Historia est: alterum, eam servitutem optime cum debitis Deo obsequiis componi; id quod Judas Galilæus, & Herodiani illius asseclæ negabant. Hinc demum colligit, *reddenda esse Cæsari quæ illius sunt, & quæ Dei Deo*. Tributa & operas exigit Cæsar; Deus obsequia, cultum, amorem, voluntati suæ obedientiam, verbis fidem, imperata faciendi sedulitatem, docilem suis vocibus animum, & iis qui ab ipso mittuntur.

Pretium exhibiti Jesu Christo numismatis ignoratur, cum voces, quibus utuntur Evangelistæ, genericæ sint, & de aureo, argenteo, æreo, parvo magnove nummo usurpari queant. *Denarius*, apud Rabbinos (49) valet quarta sicli parte, scilicet octo circiter solidis ad Gallicum numisma. Sed tum in Sacris, tum in aliis libris, denarius frequenter pro quolibet nummi genere, vel absolute pro pecunia usurpatur (50). Neque me latet, visum esse quibusdam Eruditis (1), numisma quod in tributum exhibebatur, certum aliquod fuisse & peculiare, in eam rem cusum ac destinatum: at nostra ætate vix ullus assentitur (2). Tributum apud Romanos Romana pecunia vulgari solvebatur: cum vero varii essent vario pretio, pondere, & metallo nummi, unusquisque pro opibus & Principis taxatione solvebat; hic plus, alter minus. Denarius Jesu Christo exhibitus numisma erat argenteum seu æreum Romanum, quod forte primum occurrit, Julii Cæsaris, vel Augusti, seu Tiberii effigiem & nomen præferens: quamvis enim tunc rerum potiretur Tiberius, probabile tamen est, superiorum Principum nummos adhuc in usu fuisse.

℣. 23. Accesserunt ad eum Saducæi. De Saducæis fuse egimus in Dissertatione de tribus Judæorum sectis. Primum hoc habebant inter dogmata, spirituales res nullas esse (3), præter Divinitatem. Quamobrem neque Angelos esse credebant, neque dæmones, spiritus, animæ immortalitatem, adeoque mortuorum Resurrectionem, quam cæteri vulgo Judæi præstolabantur.

℣. 24. Moyses dixit, &c. Vide Deuteronomium xxv. & Interpretes ibi. Viri absque liberis mortui uxor nedum a fratre proprie dicto ducenda erat, verum etiam a propinquorum proximo, ubi frater non esset, teste exemplo Ruth.

℣. 28. In resurrectione cujus erit de septem uxor? Cum omnes sigillatim duxerit, cujus denique futura est post Resurrectionem? Validum erat hoc argumentum adversus communem Judæorum persuasionem, qui restitutis in vitam corporibus Messiam in terris regnaturum, & Israelitas quibuslibet sensuum voluptatibus fruituros esse censebant (4). Essenorum de Paradiso sententiam Josephus (5) cum iis comparat, quæ de Elysiis a Poetis traduntur. Denique Judæi Paradisum ferme similem fingebant illi, quem commentus est Mahometus. At Christus hic tum Saducæos de Resurrectione, tum Pharisæos & reliquum Judæorum vulgus de Paradiso refellit.

℣. 29. Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Sententiam suam Scripturæ locis male explicatis confirmabant Saducæi. Consentiebant illi cum Pharisæis, Scripturas regulam esse morum ac sententiarum: at nonnisi Moysis libros excipiebant, ac Prophetas aspernabantur. Quamobrem hoc ex ipsis illorum principiis fluebat. Valida procul dubio Pharisæis erant argumenta in Saducæos ex Moyse, qui Angelorum perspicue meminit; at argumenta refellebant Saducæi; nullus enim adeo perspicuus est error, qui prætextu careat, detortis in contrarium Scripturis. Arguit igitur hic Jesus Saducæos, ipsos Scripturis abuti, ipsarumque nec sensum nec vim agnoscere. Id vero ex eo, quem ipsi recitant, loco probat; ex quo plane contrarium illis colligit, docetque, in altera vita, quamquam futurum est sexuum discrimen (6), nulla tamen fore conjugia, nullamque sobolem.

Homines in vitam restituti ex eo futuri sunt An-

(43) Vide Maimonid. in Gelezath c. 5. (44) Natal. Alex. hic. Lip. de Magnitud. Rom. l. 2. c. 8. Freher. de Numism. census. (45) Appian. in Syriac. (46) Ulpian. leg. 3. digest. de Censib. (47) Luc. II. 1. 2. (48) Joseph. Antiqu. l. 18. c. 2. (49) Maimonid. Hal. Siclim. c. 1. §. 3. (50) Seld. de Jure N. & G. l. 6. c. 17. (1) Baron. Annal. t. 1. an. Christi 34. Brug. hic; Hesych. in Κῆνσ●. (2) Vide Selden loco citato, Freher. Dissert. de Numism. census; Casaub. Exercit. 16. Salmas. ad Lamprid. Vales. de nummis Hebr. l. 2. c. 20. Grot. hic, alios. (3) Vide Act. xxiii. 8. Joseph. lib. 2. de bello cap. 12. (4) Vide nostram Dissertationem de notis indiciisque Messiæ, ex Judæis. (5) Joseph. de bello Jud. l. 2. c. 7. p. 787. 788. (6) Hieronym. hic, & Ep. 27. ad Eustoch. & Aug. lib. 12. de Civit. c. 17. *Corporibus vitia detrahentur, natura servabitur*. Veteres nonnulli contra senserc, fœminas in Resurrectione sexum suum minime servaturas, Origen. in Matth. edit. Huet pag. 427 & 493. Tertull. de cult. fœm. lib. 1. cap. 2. Hilar. in Matth. cap. 23. Arguit S. Hieronymum Rufinus, quod hoc ipsum ille docuerit in Caput V. Epistolæ ad Ephesios: at crimen optime diluit S. Pater Capite VI Apologiæ adversus Rufinum. Citato loco docet Origenes, nullum in futuro sæculo discrimen fore sexuum mares inter & fœminas, sed omnes veluti Angelos Dei futuros.

Angelis similes, quod immortalitate sint gavisuri, nullis malis obnoxii, carentes voluptatibus sensuum, nullumque earum rerum, quæ ad corpus pertinent, opus sint habituri. Corpus animo absolutissime obtemperabit, nulla perturbatione aut motu. Connubiorum necessitas in hac vita ex moriendi necessitate oritur: nimirum ut hominibus homines succedant, ne mundo desint incolæ, sobolis propagatione consulendum est; idque connubiis efficitur. At in Cœlo, ubi nemo non futurus est immortalis, necessitas ista cessabit.

℣. 31. De resurrectione autem mortuorum, &c. Ita arguit Christus: Deus sese Abrahami, Isaaci & Jacobi Deum, diu post illorum obitum, nuncupat: Deus autem mortuorum esse nequit: vivos igitur in altero Mundo homines esse necesse est: animus igitur non moritur: est ergo immortalis. Responderi huic argumento unum potest, nimirum, ubi Deum Scriptura nuncupat Abrahami, Isaaci, Jacobi Deum, hoc dumtaxat velle, Deum esse, quem Abraham, Isaac & Jacob coluere.

At hoc posito I. dicendum esset: *Ego fui*, non *Ego sum* Deus Abraham (7). II. Si prorsus non sunt ii Patriarchæ, nihil illis debet Deus, neque ullum cum iis fœdus in posterum ferire potuit. Sin autem aliquod cum iis fœdus iniit, ac promissa intra constitutum tempus minime explevit, alteram igitur esse vitam necesse est, ubi promissorum fidem est expleturus. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti*, inquit Paulus Hebr. xi. 3. *non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram*. III. Deum alicujus esse, non illud modo est, ab illo in præsentia coli, vel olim cultum fuisse: sed illum potius tueri, protegere, defendere, imperiu agere: atque hoc sensu ait frequenter Scriptura: Vos populus meus; & ego ero Deus vester. Ita ubi ait, Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Jacob, significare potest, ego protector illorum sum, defensor, dominus, &c. At Deus esse nequit defensor eorum qui non sunt, neque ab iis defendi & coli. IV. denique responderi potest cum Maldonato, tametsi aliqua esse queat responsio adversus Jesu Christi argumentum, satis est, si Saducæos ad silentium adegerit. Noverat Christus, quibuscum sibi res esset. Majori gloriæ illi fuit, facili illos ratione refellere, quam invicto argumento retundere. Præterea cum Saducæi nonnisi Mosaicos libros exciperent, ex his argumenta ducere debuit Christus, quibus animorum immortalitatem ostenderet. Multo autem rariora & minora apud Moysem sunt, quam apud cæteros Scripturæ libros (8).

Mortuorum Resurrectio, quam rejiciebant Saducæi, directe colligi nequit ex Jesu Christi argumentatione in Saducæos, sed veluti ex consequenti. Si enim revera animæ mortuorum existunt, fieri optime potest, ut corpora in vitam redeant, iisque jungantur animæ, quemadmodum semen humi putrescens, iterum nascitur, novamque in vitam quodammodo restituitur, dum arborem ex sese parit (9). Absoluta refertur de Saducæo victoria, ubi animæ immortalitas, & resurrectionis probabilitas demonstretur. His actis, nullo negotio evinces, hominem revera in vitam esse rediturum. Si enim totus homo, vel post obitum, Deo vivit; *Omnes enim vivunt ei*, ait Christus apud Lucam 20. 38. si Dei fœdus & promissiones erga Justos, & minæ in impios, tum in hac vita, tum hac exacta perseverant; necesse omnino est, ut homo totus, anima scilicet & corpore, particeps promissionum sit, aut minas promissaque supplicia experiatur. Id autem fieri nequit, nisi corpora in vitam redeant. Resurrectio igitur mortuorum agnoscenda est, vel dicendum, inanes esse Dei minas & promissiones, sive animam solummodo affecturas; cum procul dubio sit, neque Justos debita virtuti suæ præmia referre in hac vita, neque digna impiis esse supplicia (10). Æquum non est, ut corpus, quo veluti instrumento usa est anima, dum bene gessit, nullam præmiorum ipsius partem sentiat; atque altera tantum pars mercede fruatur, cum utraque particeps laborum fuerit.

℣. 35. Legis Doctor. Græcus ad verbum (11): *Jureconsultus*. Marcus: *Scriba*, Doctor, cujus munus erat, Legem docere & explicare. Præcipuum, inquit Josephus l. 1. contra Appion. hoc & unicum ferme studium Judæorum fuit. Sunt qui distinguant Legis Interpretes, *Jureconsultos*, a Scribis, qui Græce *Grammateis* dicuntur. *Scribæ*, inquiunt (12) in Synagogis, *Jureconsulti* in scholis & privatim Legem interpretabantur. Vel: Scribæ Legem explicabant in iis quæ in meditatione versantur; Jureconsulti, Græce *Nomicoi*, in iis quæ ad usum & actionem pertinent (13). Plerique tamen ajunt, duplici hoc nomine rem unam significari. Quem Marcus Scribam, Matthæus Legis Doctorem nuncupat.

Quæstio a Legis Doctore proposita, ex iis erat fortasse, quæ tunc inter Hebræorum Eruditos disceptabantur (14); cum alii religionem sabbathi, alii circumcisionem, alii denique sacrificia cæteris præferrent. Disceptationum hujusmodi vestigia cernuntur in Prophetis, ea responsionibus quibus illæ solvuntur. At Christus unica responsione, absolutaque authoritate varias hasce sententias solvit, docens, præceptorum omnium maximum ac præcipuum illud esse, quo sancitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*; effuse scilicet, inflammato studio, acerrime, nulla animi divisione, imbecillitate & languore. *Cum ait, toto corde, tota anima, tota mente*, inquit S. Augustinus (15), *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, vel quasi locum dare, ut alia re frui velit*.

℣. 36. Secundum autem simile est huic, &c. Quemadmodum præceptum de effusissimo erga Deum amore omnia hominis erga Deum officia complectitur; ita præceptum amandi proximos, uti nos, continet omnia, quæ præstanda sunt erga fratres. Opus est proximum ames, opem illi feras, solatium adhibeas, laboribus illius doleas, præsertim vero pro viribus coneris, illum ad Dei amorem pertrahere, atque ad rectum iter reducere, si erraverit. Cum hæc præcipua felicitas sit, quam ipsi nobis comparamus; ita & hanc maxime omnium proximo vindicemus necesse est (16). *Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum*.

℣. 40. In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ, veluti ea quæ ex uno clavo ad parietem suspenduntur. Quicquid docent sacra volumina, quicquid jubent aut vetant, ad duplex hoc præceptum refertur, & ex eo pendet.

T 3 Hoc

(7) Ita Chrysost. Euthym. & Theophyl. (8) Vide Origen. in Matth. Hieronym. & Bedam hic; alios recentiores. (9) 1. Cor. xv. 35. 36. 37. 38. (10) Vide Grot. & Maldon. hic. Vide & Hebr. 11. 16. *Non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem*. Et 1. Cor. xv. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. (11) Νομικός. Marc. Γραμματεύς. (12) Camero. (13) Spanhem. (14) Beda in Marc. xii. Grot. hic. (15) August. lib. 1. cap. 22. de Doctrina Christ. (16) Aug. lib. 1. cap. 6. & 42. de Doctrina Christ. Vide & lib. 2. de Civit. cap. 3. & lib. de Morib. Eccles. Cathol. cap. 26. *Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis sicut te ipsum, si non ad id bonum, ad quod tendis, adducere satagis*.

Hoc uno colligitur Scriptura universa; omnia nimirum, quæ ad mores & vitæ agendæ rationem pertinent. *Quicquid ergo Dei Lege prohibemur, & quicquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo ista compleamus*, inquit S. Augustinus (17). *In eo quod in Scripturis intelligis, charitas patet; & in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet & quod latet & quod patet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus* (18).

℣. 42. QUID VOBIS VIDETUR DE CHRISTO? Post varias Scribarum, Herodianorum ac Pharisæorum quæstiones, vicissim illud interrogat, quod illorum interesse magnopere debuit, cum quæreretur, cujusnam filius futurus esset Messias. Pharisæi, populusque universus satis intelligebant, illum e Davidis genere oriturum: at plerumque nihil sublimius spectabant. Principem, Victorem ac Liberatorem e Davide prognatum præstolabantur; at illum fore Deum simul atque hominem non putabant. Illos igitur ut ad agnoscendam Messiæ Divinitatem ducat Christus, evertere incipit sententiam eorum, non qui Davidis filium fore credebant, sed qui nihil eo sublimius expectabant. Filius Davidis futurus est Messias, nemine repugnante: hunc David dominum suum nuncupat: aliquid igitur Davide majus futurus est. Quid vero amplissimo, sanctissimo, opulentissimo, divinique Spiritus plenissimo Rege majus esse poterat, præter Deum? Hoc porro colligendum illis supererat.

Casu docet hic Christus, Psalmum CIX. *Dixit Dominus Domino meo*, a Davide esse exaratum, Prophetam esse Davidem, eoque Psalmo, Pharisæis etiam consentientibus, spectari Messiam. Recentiores Judæi sententias hujus Psalmi detorquere conantur ad Melchisedechum, Abrahamum, vel Ezechiam. At nobis satis esto, illum a Priscis de Messia esse usurpatum, ac proprie de alio nemine intelligi posse: ita enim satis illi refelluntur, nostraque de Messia explicatio comprobatur. Vide nos in hunc Psalmum.

℣. 46. NEQUE AUSUS FUIT QUISQUAM. Contigit hoc feria quarta, duodecima die mensis Nisan, tertia ante illius obitum. Is in Templo erat, docebatque, teste Marco XII. 35. Ea die in Templo diu perseveravit, docens ac liberrime disputans, quin Scribæ, Pharisæi, aut Sacerdotes loquentem interciperent. Altera die ad Templum non ascendit, atque in urbem venit dumtaxat sub vesperam, ut divinum Eucharistiæ Sacramentum institueret.

(17) August. de Perfectione Justitiæ hominis, cap. 5.

(18) August. Serm. 350. olim 39. de temp.

CAPUT XXIII.

Scribæ ac Pharisæi in Moysis cathedra sedent: audiendi sunt, non imitandi. Horum hypocrisis & vanitas. Legem falsis interpretationibus torquent. Prophetarum cruor. Jerosolyma destruetur.

℣. 1. TUnc Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, 2. Dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. 3. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. 4. Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere. 5. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. 6. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, 7. Et salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi. 8. Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. 9. Et patrem nolite vocare vobis super terra; unus est enim pater vester, qui in cœlis est. 10. Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus. 11. Qui major est vestrum, erit minister vester. 12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur. 13. Væ autem vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. 14. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium. 15. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. 16. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet. 17. Stulti, & cæci; Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? 18. Et quicumque juravit in altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. 19. Cæci: Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum? 20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt. 21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso: 22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. 23. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hy-

hypocritæ: qui decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. 24. Duces cœci, excolantes culicem, camelum aut glutientes. 25. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis est calicis, & parophidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia. 26. Pharisæe cœce, munda prius, quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. 27. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. 28. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. 29. Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum, 30. Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. 31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? 34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem: 35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare. 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. 37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare pullos tuos sub alas, & noluisti? 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

℣. 1. TUNC JESUS LOCUTUS EST AD TURBAS, &c. Redactis ad silentium Pharisæis, Herodianis, ac Sadducæis, qui ordine venerant, ut Christum tentarent, eumque in sermone capere conarentur, pergit Christus verba ad populum ac Discipulos facere in Templo. Id gestum est, quemadmodum cætera capite superiori narrata, feria quarta ante Passionem. Toto hoc capite ea constantia disputat, ut satis demonstret, necem sibi proxime imminere, neque jam illos vereri. Monet igitur Judæos, Scribas & Pharisæos in Moysis cathedra sedere, ac fungi munere docendi populos, Legemque Moysis interpretandi: neque se illorum authoritati repugnare, sed pessima ipsorum dogmata, malosque mores arguere. Doceant pro libito, ac populo duces & magistros sese præbeant: at ne perversis explicationibus fallant, exemplisque perniciosissimis ne corrumpant.

Moysis cathedra significat hic illius instituta (1), quorum clavim penes se esse gloriabantur Scribæ, vel authoritatem (2). Doctores Legis, Eruditi, Legem in Synagogis explicantes, primum stantes legebant, deinde sedentes interpretabantur (3). Pharisæos recenset Christus inter eos, quorum muneris erat Legem interpretari; non quod proprium sectæ illorum esset, sed quod plerumque Legis Doctores forent, atque inter Judæos peritissimi legum morumque Interpretes haberentur (4).

℣. 3. OMNIA ERGO QUÆCUMQUE DIXERINT VOBIS, SERVATE. Penitus obtemperate, nulla exceptione; nisi tamen illorum instituta aut dogmata Legi, justitiæ, veritati, ipsi denique Moysi repugnent; tunc enim obediendum Deo est, non hominibus (5). Obtemperari vult, atque animos subjici, at sapienter & consultissime, non cæco penitus obsequio & inconsulto. Neque illud vult, ut privatus quisque de magistris dominisque judicium ferat: at interdum peccas, si obedis, ubi res ab homine imperata perspicue opponitur iis, quæ Divina Lege sanciuntur (6). Quæ igitur docet hic Christus, minime pugnant cum consequentibus (7), & cum iis quæ præcesserunt (8), ubi Jesus Pharisæorum Scribarumque hypocrisim, & perversas Legis interpretationes acerrime arguit. Præmissis hisce cautionibus, monitisque Discipulis, ut ab hujusmodi hominum fermento caverent, tuto dicere poterat, illis penitus obtemperandum esse, ipsos tamen minime imitandos. Omnia undique providerat, ut perversas verborum suorum interpretationes occuparet.

℣. 4. ALLIGANT ENIM ONERA GRAVIA, &c. Simile proverbio, quo ostenditur Rabbinorum severitas in Mosaicæ Legis explicatione, dum ipsi usu ab illius observatione abstinerent. Cum ex cæteris accuratissimam in legalibus ritibus religionem exigerent, ipsi moralia instituta, quæ multo majoris momenti sunt, negligebant. Ducta est allegoria e sarcinis, quibus cameli mulique onerantur. Ipsimet Rabbini (9) inter mundi mala recensent *plagas Pharisæorum*, nimirum superstitiosas ac superfluas observationes, ab iis Legi additas, & in Religionem inductas.

℣. 5. DILATANT ENIM PHYLACTERIA. *Phylacterion* (10), qua voce utuntur Græci & Vulgata, proprie sonat *conservatorium*; quo nomine Judæi Græce appellabant membranas quasdam, quas circa frontem gestabant, ad utramque aurem pertingentes, & circum brachia, armillarum instar, quibusdam e Lege sententiis inscriptas. De his egimus in Commentariis ad Exodum XIII. 16. & Deuteronomium VI. 8. XI. 18. ubi Moyses Hebræis imperat, ut Dei præcepta assidue gerant, e fronte inter oculos pendentia, ac veluti armillas inter manus. Verba hæc Judæi veteres tropice usurparunt (11), ut scilicet Divinæ Legis nunquam obliviscerentur, sed eam locupletissimi ornamenti loco haberent.

At

[1] Hieronym. Beda, Maldon. alii. [2] Hammond. Ligfoot. Jansf. [3] Vide Luc. IV. 17. [4] Ioseph. de Bello Jud. lib. 1. cap. 4. [5] Act. V. 29. [6] Vide Hilar. & August. Serm. olim 49. nunc 137. cap. 5. 6. 7. Hieronym. & Mald. hic. [7] ℣. 4. 5. 6. 7. 13. 14. 15. . . . 17. 18. & seq. [8] Cap. XVI. 6. & ℣. 20. 21. & sequ. & VI. 1. 2. &c. [9] Thalmud. tract. Sota, cap. 3. § 4. [10] Φυλακτήρια. [11] Ita Grot. Camer.

At octa Pharisæorum secta, hæc ad verbum usurpari cœpere, ac membranis hisce tribui conficta quædam vis arcendi morbos, immunesque a Dæmonum vexationibus reddendi eos, qui illas gestarent (12). Hinc Phylacteriorum appellatio apud Ethnicos quibusdam antidotis indita est; quæ antidota superstitiosi homines gestabant adversus fascinationes & sortilegia. Hebraica vox *totaphot* (13), qua Moyses hujus generis res designat, proprie sonat illud ornamentorum genus, quod in fronte gerebatur, pendens in superciliis; gemmas scilicet, sive aurea & argentea ornamenta.

Veteres permulti (14) putavere, ab ipsa Moysis ætate usu receptum fuisse, ut Hebræi vittas hasce membranaceas in fronte & brachiis religiose gestarent; docentque Interpretum plurimi (15), morem hunc ætate Christi fuisse vulgatem, ab ipsomet Christo usurpatum, quem proinde non damnat Christus, sed Pharisæorum superstitionem, qui ineptissima religione membranas hujusmodi latiores quam ceteri, gestarent. At in nullo veteris Testamenti libro vestigium aliquod cernitur, quo id adamussim a quoquam servatum fuisse doceamur: in Novo autem nullibi videntur Christus & Apostoli hæc phylacteria usurpasse (16). Res erat ex Pharisæorum consilio, religionis causa: servabant ipsi & membranas ceteris latiores preseferebant. At communem fuisse morem non puto. Eadem ferme res fuisse videtur de phylacteriis apud Judæos, atque apud nos de Rosariis, vel Evangeliorum sententiis, quas, testibus SS. Chrysostomo & Hieronymo, homines ejus ætatis religiosi, vel superstitiosi, ut ait S. Hieronymus, gerebant.

Rosarii usus omnibus commendatur: plerique clam gerunt: alii e cingulo suspendunt. Sunt qui modice magnum habent: sunt qui longius crassiusque: at usus est varius. Quod si damnante aliquo crassiorum Rosariorum usum, colligeres, rosarium modice magnitudinis ab omnibus geri, inepta esset collectio. Idem dicendum de phylacteriis puto. Pharisæorum ostentationem damnat Christus: at reliquo Judæorum vulgo in usu fuisse phylacteria, non asserit. Judæi apud Indos, Persas, Babylonios, ætate S. Hieronymi, membranas hasce in fronte gestabant; & qui haberent, religiosissimi habebantur. Usus igitur phylacteriorum apud Judæos cis Euphratem jam tunc inoleverat, neque etiam trans Euphratem vulgo obtinebat. Nostra ætate Judæi nonnisi per matutinas preces in Synagoga iis utuntur (17).

MAGNIFICANT FIMBRIAS. Præceperat Hebræis Moyses, ut pallia gererent quadrata, eorumque oras tæniola ornarent, adderentque angulis paniculas ex lino lanave cærulea (18). Erat id legitimum, atque a Judæis in patria servabatur. Christus ipse fimbrias vel paniculas in pallio gessit, teste hæmorrhoissa, dicente (19): *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.*

Pharisæi, ut inter cæteros conspicui essent, fimbrias hujusmodi & paniculas cæteris Israelitis prolixiores gerebant. *Faciebant grandes fimbrias*, inquit S. Hieronymus, *& acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur*, nudis ex regionis more cruribus, *& quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini, & ministeria servitutis ejus.* Nostra ætate Judæi, ne gentium, inter quas vitam agunt, ludibriis obnoxii sint, relicta hac vestium forma, communem uniuscujusque gentis usurpant, latentque sub veste gerunt quadratum panni frustum, funiculis ad angulos pendentibus, in paniculæ modum detextis (20); cumque in Synagogam convenere, viri capitibus sive humeris imponunt antiquum quoddam pallii genus, seu pannum ex quadrato oblongum, quo ceu pallio obvolvuntur.

℣. 6. AMANT AUTEM PRIMOS RECUBITUS IN CŒNIS. Pharisæorum superbia & ambitio in quibuslibet illorum gestis conspicitur. Adeo autem in ea re sibi non cavebant, ut ubilibet, quasi proprio jure, primas usurparent, atque inter cæteros præcipui, conspicuique esse vellent. Id illis non semel vitio dedit Christus (21). Cum Jesus audis vituperantem eos, qui primas in Synagogis quærunt, non eas sedes intellige, quæ debentur principibus cœtuum civilium aut religiosorum: hoc enim sedium genus, a more invectum, damnandum non est, nisi ob superbiam atque ambitionem, quibus aut studiose nimis quæruntur, aut nimis sollicite servantur.

℣. 7. SALUTATIONES IN FORO. Insana indignaque ambitio: hæc enim exteriora obsequii indicia, quibus hominem salutantes distinguimus, ambigua sunt secretæ animi existimationis argumenta, neque ullam inesse virtutem probant iis, quibus exhibentur.

VOCARI AB HOMINIBUS RABBI. Ne in Israele Doctores fieri, atque hac inter homines appellatione distingui optetis. Nullo fastu docete, nullaque ambitione, cupiditate, superbia. Mercedem gloriamque ex Deo dumtaxat expectate. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Unus *Rabbi* vel Magistri nomen meretur Deus. Quicquid gloriæ est, illi debetur, ex quo sapientia omnis, atque ingenii vis & perspicuitas oritur. Unus ipse omnes homines in terris nascentes illustrat: unus vere docet, atque intellectum sapientia, charitate voluntatem instruit: *Unus est enim Magister vester.* Græcus legit (22): *Unus est enim Dux vester, Christus.*

At Codices multi manu exarati omittunt τὸ *Christus*, & legunt, *Doctor vester*, pro *Dux vester*. Hebraica vox *Rabbi* doctorem potius significat; dedicataque est, ut Hebræorum Doctores designet. Recens esse apud illos appellatio creditur, tum usurpari cœpta, cum Judæi varias in hæreses ac scholas dividi inceperunt. Sunt etiam qui ætate celeberrimi Hillelis incepisse putent, centum circiter ante Christi ortum annis. Nemo ex veteri Testamento eo nomine appellatus fuit. Jesus apud Marcum x. 51. & Joannem xx. 16. nuncupatur *Rabboni*. Distinguuntur hæc tria, Rab, Rabbi, & Rabban; quorum postremum est honoratissimum; secundum est *Rab*; tertium & minimum, *Rabbi*. *Qui salutem dicens magistro, non dicit: Ave Rabbi; Dei majestatem provocat, & ab Israele averti*, inquiunt Judæi Doctores (23).

℣. 9. PATREM NOLITE VOCARE VOBIS SUPER TERRAM, &c. *Patris* nomen hoc loco appellatio dignitatis est; eaque donantur ii, qui præsunt cœtui trium & viginti Judicum, itemque secundus Judex Synedrii, scholarum Principes, præstantissimique Doctores. Magni hi Magistri, seu *Abbates*, Patres, discipulis filiorum nomen tribuebant. Superbas hujusmodi appellationes damnat Christus. Ne quæratis vocari Magistri, Patres, Præsides. Neque id eo dixit, ut ea damnaret dignitatis nomina, quibus apud Ecclesiam distincti fuere Præsules, Episcopi, Sacerdotes, aut Ecclesiasticorum Principes; sed ea quærentium ambitionem, superbiam, vanitatem. Primum visibile Caput Ecclesiæ Christianæ atque Catholicæ Servum

[12] Ligfoot. Fagius, Grot. alii. [13] טוטפות Chald. תפילין *Tephilin*. [14] Origen. Hieronym. Chrysost. Euthym. [15] Ligfoot. Scalig. Maldon. alii. [16] Vide Hieron. Grot. Sculter. [17] Leon Modena, De' riti Giudaici, cap. 11. [18] Num. xv. 38. ציצית, κράσπεδα. Deut. xxii. 12. גדלים Chald. כרוספדין, Κράσπεδα, *fimbriæ*. [19] Luc. viii. 44. [20] Leon Modena, De' riti Giudaici, cap. 6. & 11. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 4. [21] Vide supra in Matth. xxi. 28. additionem quæ legitur post ℣. 28. & Luc. xiv. 8. [22] Εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητής, ὁ Χριστός. Alii plerique MSS Εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ διδάσκαλος. Plures omittunt, Ὁ Χριστός. Var. Lect. Millii. [23] Baba Bezac, apud Ligfoot.

vum servorum Dei se nuncupat. Codices nonnulli manu exarati in fine hujus commatis legunt ea verba, quæ in fine superioris habentur apud Vulgatam (24): *Omnes autem vos fratres estis.*

℣. 10. Nec vocemini Magistri. Græca vox (25) sonat potius præsidem, imperantem, rectorem, quam doctorem. Hoc sensu usurpatum vidimus ℣. 8. Hic prohibet Christus, ne nomina imperii, dignitatis, & authoritatis usurpentur. Præsidem Synedrii appellabant Principem Judæi; eaque apud illos prima erat judicandi dignitas. Unicum Jesu Christi in hac oratione propositum est, ut Discipulos adversus ambitionem & superbiam, vitia tunc inter Pharisæos communia, muniat. Addit: *Magister vester unus est, Christus. Qui major est vestrum, erit minister vester.* Hæc esto vobis ambitio, ut omnium minimi, servi omnium efficiamini.

℣. 12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur. Ita colligit ea quæ supra dixit. Optas fieri vere ac certissime nobilis & gloriosus? dejice te, humilem facito, humillimas sedes quære; honoris & ambitionis nomina neglige: quo enim humilios ob Dei gloriam in Mundo fueris, eo sublimior in illius Regno futurus es. *Gloriam præcedit humilitas*, inquit Salomon Prov. 15. 33.

℣. 13. Væ autem vobis .... quia clauditis Regnum Cælorum. Quandum in vobis est, Ecclesiæ aditum clauditis ingredi cupientibus, indigna in me simultate, pessimisque de me meaque doctrina obtrectationibus. Præ foribus stantes nec ipsi ingredimini, nec liberum cæteris ingressum relinquitis (26). Aliter: Legis sanctitatem perniciosis interpretationibus corrumpitis; eamque nec ipsi servatis, nec ab aliis servari sinitis (27). Scientiæ clavim tenetis (28), at nedum non recluditis, verum etiam & vobis ipsi & ceteris clauditis.

Eædem diræ, seu minę in Scribas & Phariseos apud Lucam xi. 39. leguntur: at illę alio tempore, ac diu antea pronunciatę sunt (29). Confer Oseeo vi. 9. arguentem Prophetas, *abscondentes viam Domini.*

Antiqui Codices hoc loco dissident. S. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Author Operis imperfecti in Matthęum, Gręci Codices typis vulgati, & manu exarati plerique loco movent ℣. 13. & post 14. transferunt. Alii preponunt: omittunt penitus alii (30). Non legunt Origenes & S. Hieronymus; & apud Canonem Eusebii tribuitur Lucę xi. 52. quamobrem fit conjecturę locus, illum e Luca in Matthęum fuisse translatum.

℣. 14. Comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Vel (31): *In speciem multum diu orantes*, domos viduarum voratis. Simplices credulasque mulierculas falsa pietatis specie fallitis, ut illarum liberalitate ditemini. *Nonnullis in usum negotiationis vertitur labor orationis*, ait S. Gregorius (32). Voluit fortasse Christus vitium corrigere, in Religionem a Pharisęis inductum, quęsita orationum diuturnitate, quippe qui Apostolos monuit, ne multum loquerentur, neve stantes in capitibus viarum & in Synagogis orarent (33). Diuturnas frequantesque preces nemo unquam damnavit; at precum ostentatio nunquam non vituperanda est. Olim religiosissimi ex Judęis, inquiunt, novem quotidie horas precibus exigebant, tria in tempora distributas: Horam unam meditando, alteram precando, tertiam denique silentio post orationem: idque ter singulis diebus (34).

℣. 15. Circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, &c. Alieni generis homines Ethnicosque ad Judaica sacra convertere studiosissime laborabant Pharisæi; id enim summo illis honori apud suos erat. Horum studia non damnat Christus, sed illorum intemperantiam. Queritur, male ab iis doceri proselytos, illorumque animos non instrui purissimis Legi institutis, sed innumeris impleri falsis traditionibus, odioque & simultate in eos, qui ipsorum gesta nec admirarentur nec probarent (35): denique, quod illos sese deteriores, magisque veritatis inimicos redderent: *Facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* De proselytis egimus fuse in Exodum xii. 48.

Repugnant huic Evangelii loco Judæi (36), atque ajunt, nunquam ipsorum majores studuisse fidelium numerum ex Ethnicis augere. Cum Deus, inquiunt, Legem suam uni tantum populo tulerit, eam cæteris nunciari non sustit. Neque similis est hominum Regibus Deus, Imperium victoriis prorogare cupientibus; quippe qui ea re non eget, neque id unquam optavit. Rex, cui una sit filia, venustate & virtutibus eximia, tum hæres Imperii, illam obvio cuique non offert; sed expectat, ut a cæteris Regibus postuletur. Adduxit Thalmudistæ (37), proselytos seu Israelis carcinomata & lepram esse; quamobrem non nisi sedula multaque cautione esse admittendos. Si Maimonidæ credas, nullus omnino proselytus regnantibus Davide & Salomone admittebatur, cum locus dubio esset, eorumne Regum felicitate potius, quam Religionis amore traherentur.

Sunt (38) qui credant, hoc quod illis vitio vertit Christus, maria scilicet ac terras peragrasse, ut proselytum aliquem facerent, præstitum ab illis fuisse, non ut Ethnicos ad fidem ac veri Dei cognitionem ducerent, sed suam ipsorum hæresim hominum numero augerent ex Judæis aliarum Provinciarum, quas illi incolebant. Pharisæus, qui asseclas plures ad hæresim duceret, plurimi apud suos æstimabatur, illique jus erat primos honores postulandi. At perspicuis monumentis discimus, multos mortales a Judæis ad sua sacra iis temporibus duci consuevisse. Testatur id Horatius disertissime Sat. 4.

. . . . *Ac veluti te*
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

Juvenalis Sat. 14. v. 100.

Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicam ediscunt, & servant, ac metuunt jus.

Scribit Tacitus, Romæ innumeros fuisse, qui Judaicos ritus profitebantur. Hoc ipsum non semel innuit Suetonius. Fateor quidem, nonnullos ex hisce Scriptoribus, veluti Juvenalem ac Suetonium, Judæos cum Christianis miscuisse: id vero neque de Horatio dici fas est, neque de Tacito, aut de iis, quæ Suetonius tradit de Tiberio, illum scilicet Judaicas & Ægyptiacas superstitiones Romæ coercuisse.

℣. 16. Quicumque juraverit per Templum, nihil est. Judæi, ætate Christi, putabant deesse obsequio, quod Omnipotenti debetur, illum, qui indiscriminatim illius nomine juraret: quamobrem per res alias jurabant, veluti per Cœlum terramque aut parentes (39); leviotaque hæc sacramenta

(24) Vide Var. Lect. Millii. (25) Μηδὲ κλήθητε καθηγηταί, εἷς γὰρ ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητὴς ὁ Χριστός.
(26) Origen. Hilar. Hieronym. Author Operis imperfect. Beda in hunc loc. Brug. Grot. Tir. (27) Chrysostom. hic, Maldon. (28) Luc. xi. 52. (29) August. lib. 2. de Consensu cap. 75. Ita Toynard. & Le Clerc, Harmon. Evang. (30) Ita Cantabrig. Cod. G. L. Colb. 2. Sax. Codd. Mill. Arab. Quid. antiqu. Codd. Lat. Vide Martian. & Brug. hic. (31) Καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι.
(32) Gregor. Moral. lib. 33. in cap. xli. Job cap. 23. (33) Matth. vi. 5. 7. (34) Gemar. Babyl. in Beracoth, fol. 32. apud Lightfoot. (35) Justin. Mart. Dial. cum Triph. Οἱ δὲ προσήλυτοι, οὐ μόνον οὐ πιστεύουσιν, ἀλλὰ διπλότερον ὑμῶν βλασφημοῦσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἡμᾶς τοὺς εἰς ἐκεῖνον πιστεύοντας καὶ φονεύειν, καὶ αἰκίζειν βούλονται κατὰ πάντα γὰρ ὑμῖν ἐξομοιοῦσθαι σπεύδουσι. (36) Vide Cardosa, las excellencias, &c. Et Basnage, Histoire des Juifs tome 5. l. 7. c. 11. art. 3. (37) Vide Seldan. de Synedr. lib. 2. cap. 2. art. 5.
(38) Basnage liv. vii. chap. 8. art. 8. Edit. de Paris. (39) Philo de Special. Legib.

menta minoris faciebant quam ea, in quibus Dei, vel rerum Deo sacrarum nomen usurpabatur, nisi tamen jurans multam aliquam, vel execrationem in seipsum, re infecta, addidisset (1). Non satis intelligitur discrimen hoc jurisjurandi per Templum, cujus nulla esset obligatio, & per aurum Templi, quo conscientia obligaretur. Res tamen est præter controversiam; docetque hic Christus, quam inepte a Pharisæis utrumque distinguatur. Fortasse Sacerdotum ac Doctorum avaritiæ intererat (2), ut munerum in Templo delatorum religio inviolabilis haberetur. Vide quæ diximus supra in Matthæum v. 32. xv. 5. Jusjurandum per munera, *corban* a Judæis appellabatur (3).

℣. 21. In eo qui habitat. Templum a Judæis ceu Numinis Regia habebatur. Cum autem nulla sit Templi religio, neque altaris, neque muneris, eaque ex sanctitate ac dignitate illius, cui consecrata sunt, oriatur, colligit necessario Christus, violata earum rerum sanctitate illum offendi, ad quem eæ res pertinent, ac jusjurandum per eas nuncupatum inter gravissima esse recensendum.

℣. 22. Qui jurat in cœlo, per cœlum, &c. Jurisjurandi per cœlum nuncupati a Judæis, meminere Philo (4) & Origenes (5). Profani vitio dabant Judæis, quod cœlum & nubes adorarent (6), quia scilicet per ea jurare solebant. Ethnici, qui astris animam inesse putabant, eaque veluti numina venerabantur, per illorum nomina pariter jurabant (8). Docet hoc loco Christus, jurejurando per cœlum nuncupato nihilo minus obligari conscientiam, quam per ipsum Dei nomen, cum Dei sedes Cœlum sit; ac tantumdem preces in Regem, si illius solium & sceptrum, quam si ipsum spernas.

℣. 23. Qui decimatis mentham, &c. Lege dumtaxat imperabantur decimæ (9) ex tritico, vino, oleo, & cicuri pecore, quod sub virga pastoris est, scilicet bobus, capellis, ovibus. Multa huic legi addiderant Judæorum Doctores, quicquid scilicet comeditur, servatur, humi gignitur (10). Sunt tamen ex iis, qui decimarum legi obnoxia fuisse credant dumtaxat ea, quæ proprie *census* nomine significantur. Hac autem appellatione non continentur mentha, anethum, & herbæ hortenses. Vide quæ diximus de decimis ad Leviticum xxvii. 30. Pro *anetho* Syrus & Hebræus legunt *rutam* (11).

Pharisæorum religionem non damnat absolute Christus, sed ambitionem ac superstitionem arguit in voluntariis hisce observationibus, dum graviora justitiæ officia negligebant. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Dum Pharisæos arguit, innuere videtur Christus, hortensium herbarum decimas a reliquo Judæorum vulgo solvi non consuevisse. Cur enim secus id in Pharisæis solummodo arguendum erat? Putare videtur S. Hieronymus, hasce, quas diximus, decimas ad Pharisæos deferri consuevisse, solamque religionis caussam fuisse avaritiam (12).

Judicium, misericordiam, et fidem. *Justitiam* & æquitatem judiciorum, qua suum unicuique tribuitur, nulla cujusquam ratione habita: *misericordiam*, pietatem erga proximos, omnia charitatis officia: *fidem*, fidelitatem præstandi ea quæ promiseris; in communi vitæ consuetudine æquitatem, sinceritatem, bonam fidem; habitum quo Deo credis, deque illius promissionibus fiduciam. Majora hæc officia negligebant Pharisæi, cum in ceteris religiosissimos sese exhiberent.

℣. 24. Excolantes culicem, camelum autem glutientes. Vulgaris locutio, qua ostenditur inepta religio, cum summa negligentia conjuncta. Quæ Pharisæi erga Jesum præstitere, hujus vituperationis veritatem probant. Jesum Christum odiis insectantur, accusant, ad supplicium poscunt, sub obtentu violatæ religionia sabbathi languentium curatione; & seditiosum atque homicidam absolvi volunt: Barabbam Jesu Christo præferunt (13).

℣. 25. Pleni estis rapina et immunditia; indigna sordidaque avaritia, omnique vitiorum genere impuri. Livor, superbia, ambitio, odium vos agunt. Græci Codices multi (14) cum Vulgata consentiunt: at typis vulgati legunt (15): *Pleni estis rapina & intemperantia.*

℣. 27. Similes estis sepulcris dealbatis. Summa omnia & pulcherrima ore præfertis, cum animus tabo & sanie plenus sit. Communem inter Judæos consuetudinem spectat Jesus. Nequis contactis mortuorum sepulcris, vel super ea imprudenter gradiens pollueretur, in exteriori parte albo ea inficiebant (16), ut e longinquo perspicua fierent: imponebantur etiam sepulcris lapides, columnæ, aliave indicia, ut a transeuntibus animadversa vitarentur. Neque idcirco puriora erant sepulcra, cum revera nihil nisi tabum & sanies in iis esset. His similes erant Pharisæi; optime compositi in iis, quæ ab hominibus conspiciuntur; intra animum, vitio pleni & corruptissimi. Ex Christi verbis colligitur, cadavera nedum in rupium specubus montibusque, verum etiam humi & secus vias condi consuevisse. Lucam (17) cum Matthæo conciliare non laboramus, cum certo certius existimemus, aliam Jesu Christi orationem a Luca narrari, quam a Matthæo.

℣. 29. Ædificatis sepulcra Prophetarum, &c. Ingens semper fuit apud Hebræos sepulcrorum sollicitudo. Vetera monumenta post captivitatem restaurare atque ornare sollicite studuerunt. Hæc porro fuit origo tam multorum, quæ Christi ætate, & S. Hieronymi tempore in Palæstina conspiciebantur; sepulcra scilicet instaurata, & pro antiquis posita. Optimum erat ac dignum laude, monumenta Prophetis ac Justis condera, ac sævitiam illorum, qui eos necaverant, execrari. Quamobrem hoc non damnat Christus in Pharisæis; sed hoc illis vitio vertit, quod patrum exempla secuti, Justos piosque nihilo secius insectentur. Frustra gloriamini, vos minime imitaturos fuisse majorum sævitiam: frustra pietatem atque obsequium erga Prophetas jactatis. Dignos hisce parentibus filios, & cruentorum hominum imitatores vos produnt animi vestri pertinacia, invidia, sævitia. ℣. 31. *Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.*

℣. 32. Implete mensuram patrum vestrorum. Hominum scelera, statim commissa, non punit Deus: expectat ut reus pœnitentiam agat: iramque, præsertim ubi de gentium integrarum supplicio agitur, tum denique exerit, cum scelera numerum explevere. Judæi, a Moyse usque ad Christum, nunquam non contumaces in Deum fue-

[1] Vide Grot. hic, & lib. 2. cap. 13. art. 11. de Jure Belli & Pacis. [2] Vide Hieronym. Theophyl. D. Thom. Grot. [3] Joseph. lib. 1. contra Appionem. [4] Philo de Special. Legib. [5] Origen. lib. 6 contra Celsum.
[6] Juvenal. Satyr. 14. vers. 97. *Nil præter nubes, & cœli numen adorat.*
[8] Aristophan. Pluto, Act. 1. scen. 2. & Act. 2. scen. 1. Νὴ τὸν οὐρανόν. [9] Levit. xxvii. 30. Deut. xii. 17. & xiv. 23. [10] Thalmud, tr. Maasarot, cap. 1. hal 1. & Thalmud, Sedezeraim, Massec Macser.
[11] Lud. de Dieu, hic. [12] Hieronym. hic: *Quæ magna sunt devoramus, atque negligimus; & opinione religionis in parvis, quæ lucrum habent, diligentiam demonstramus.* [13] Vide August. Serm. 106. num. 1. nov. edit. [14] Vide Mill. Var. Lect. hic: Γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς, καὶ ἀδικίας. [15] Γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς, & ἀκρασίας. [16] Ajunt, quotannis iterum pingi consuevisse, die xv. Februarii. Vide Ligfoot. hic. [17] Luc. xi. 44.

fuerant : illius voces flocci fecerant, Prophetas odiis, injuriis & nece insectati fuerant. Illos identidem puniit, ut ad officium revocaret. At perpetuo ex patriis sedibus exilio tunc denique ejecit, cum supremum sceleribus cumulum nece Messiæ addiderunt. Messiæ quippe cædes extremum iniquitatis illorum culmen fuit, atque ultimus pertinaciæ conatus.

℣. 34. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. Pessimos Judæorum animos videbat Christus; noratque, illos in Apostolorum Discipulorumque perniciem sævituros, quemadmodum illorum majores in Prophetas Justosque, Dei nomine locutos, insanierant. Apostolos, qui certe Prophetæ erant, ubique exagitaverunt; necavere Jacobum, Stephanum lapidibus obruerunt; Petrum in carcerem dedere: nullum denique lapidem non moverunt, ut exoriens Evangelium opprimerent, ac suis ipsi vel aliorum viribus omnes, qui Christi nomen profitebantur, extirparent.

℣. 35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, &c. Cum meum, meorumque Apostolorum ac Fidelium cruorem fuderitis, tunc denique scelerum vestrorum cumulus absolvetur, simulque pœnas exigam cædis tot Justorum, ab Abele, usque ad Zachariam filium Barachiæ. Cur vero ab Abele? Hebræorum genti, quæ revera nonnisi ex Ægypto egrediens, in populum coaluit, tribuenda est cædes Abelis cæterorumque Justorum, quorum cruorem illa non fudit? Respondeo, neque Abelis, neque cæterorum piorum hominum, ante Hebræorum tempora interfectorum, tribui Hebræis posse: major enim est Dei æquitas, quam ut ea quæ non mereris, tibi adscribat. At nullum usquam flagitium, nullum scelus fuit, ab ipsa Abelis nece usque ad supremum Jerosolymæ excidium, cujus exempla inter Judæos non conspiciantur. Horum patriarcha, ut ita dicam, est Cain (1): *Væ illis, qui in viam Cain abierunt*. Pater illis diabolus est, ab initio homicida (2). Universas illi cædes, ab initio mundi perpetratas, in suam perniciem collegerunt, homicidam tacite probantes, illum imitati, non sua ipsorum vitia corrigentes (3).

Vel: Vindicta, quam Deus in sævissimam gentem exercebit, adeo gravis futura est, ut visurus sit Deus, velle cædium omnium in terris commissarum, ab Abele per Cainum interfecto, usque ad Jerosolymæ excidium, pœnas expetere, quin tamen severitas justam pœnam, illis debitam, exceedat (4).

Quæritur, quis iste sit Zacharias, Barachiæ filius, quem Christus veluti postremum Justorum a Judæis interfectorum, inter Templum & altare mactatum, recenset; scilicet inter altare holocaustorum, & Sancti vestibulum. Sunt (5) qui putent, ipsum esse Zachariam Jojadæ filium, ab Joas Rege necatum in Templi atrio, teste 2. Par. 24. 21. Postremum hoc, a Jesu Christo memoratum, huic sententiæ favet: at negotium facit Jojadæ nomen, quo nomine appellabatur Zachariæ pater. Ut huic objectioni respondeant, ajunt Jojadam fuisse binominem, Barachiam pariter nuncupatum: at nullo prorsus teste. Fateor, Evangelium Nazaræorum (6) tulisse *Zachariam filium Jojadæ*, pro *Zacharia filio Barachiæ*: quis tamen hanc Textus vel emendationem, vel corruptionem esse non videat?

Asserunt alii (7), ipsum esse Zachariam filium Barachiæ, postremum inter minores Prophetas. Convenit Barachiæ nomen; atque is ultimus est eorum, qui ab Judæis in Prophetarum numero habentur; idemque claudit catalogum justorum hominum ab Judæis excruciatorum, ducto initio ex Abele. At nuspiam narrat Scriptura, ipsum violenta morte esse sublatum, necatumve in Templo, & inter Altare holocaustorum, & Sancti vestibulum.

Veterum plures docuere (8), Zachariam Barachiæ filium esse Joannis Baptistæ patrem, Herodis jussu necatum, ut ajunt, in Templo, quod puerum Joannem Herodis furori subduxerit, ipso in Bethlehemiticos pueros sæviente; vel a Sacerdotibus, quod Mariam Deiparam, utpote intacta virginitate dum Jesum utero excepit ac peperit, ne consuetum in Templo inter virgines locum haberet, prohiberi non posse defenderet: vel denique quod Jesu Christi, seu Messiæ, ortum Judæis nunciaverit. Hæc tamen omnia uno quorumdam apocryphorum, nullius authoritatis in Ecclesia, librorum testimonio nituntur. Zachariæ patris Joannis Baptistæ pater, tempus, genus, causa mortis ignorantur.

Alius legitur (9) Zacharias Barachiæ filius, idem fortasse, de quo Jesus. Propheta is fuit; seu Videns (10), Ozia & Achazo in Juda regnantibus, cui Isaias, Dei jussu (11), seu testi fidissimo, vaticinium recitavit, a se descriptum, quo pollicebatur Deus oriturum esse Isaiæ filium, libertatis Judæ pignus & symbolum. At Zacharias hic Isaiæ coætaneus, idem ne est qui sub Ozia floruit, ipsique a consiliis fuit? Id porro est incertissimum. Ozias annos duos & quinquaginta regnum gessit, Joatham decem & sex; incipiebatque Achaz, quo tempore vaticinium protulit Isaias, teste Zacharia filio Barachiæ. Præterea an hic inter Templum & Altare interfectus est? Hoc multo incertissimum est quam cætera.

Recentiores multi (12) ajunt, ultimum hunc Justum, cujus necem Christus Judæis exprobrat, esse *Zachariam Baruchi filium*, de quo Josephus, diu post Jesu Christi Resurrectionem, pauloque ante Ierosolymæ excidium per Romanos, necatum. Ita hic loquitur Christus, ut ventura prædicat, & præteritum pro futuro usurpet, piumque hunc virum interfectum iri vaticinetur. Is, teste Iosepho (13), inter nobilissimos urbis, vitia publice execrabatur, & patriæ libertatem amabat: zelatoribus invisus, virtutis causa & divitiarum. Conficto adversus hunc crimine Zelatores, ut & opibus exuerent, & necarent, apud septuaginta Iudices, e vulgi fœce collectos, accusavere, quod urbem Romanis prodere molitus fuerit. Calumniam nullo negotio diluit Zacharias; at cum illos in suam ipsius necem conspirasse cerneret, illos constantissime allocutus, digna egregio viro libertate illorum impietatem & sævitiam redarguit. At Zelatores, cum aliquam judicii formam adversus illum servare cuperent, sententiam a Iudicibus ferri jusserunt. Iis autem innoxium pronunciantibus, illi in Zachariam irruentes, in Templo trucidavere.

Ingens huic sententiæ pondus ex eo est, quod Christus extremum exitium Iudæis minitans, ait, se ad eos missurum Sapientes, Prophetas & Scribas: hos vero ab ipsis affectum iri injuriis, necemque laturos; ita ut innoxius cruor omnis, ab Abele ad Zachariam usque Barachiæ filium, in ipsos lapsurus sit. Igitur, ex Christi sententia, omnes hic colligendi sunt Iusti, ab ipso rerum exor-

[1] Judæ ℣. 11. [2] Joan. VIII. 44. [3] Vide Chrysost. Theophyl. Auth. Oper. imperf. & Hieronym. Bedam, & Maldon. hic. [4] Cajet. Grot. Gerhard. Le Clerc. Simon. [5] Hieron. Beda, Maldon. Le Clerc, alii plures. [6] Apud Hieron. hic. [7] Sanct. ad Zach. 1. ℣. 1. n. 9. Natal. Alex. hic, & in Dissert. 6. Ætat. 6. V. T. Strahus, hic. [8] Origen. Chrysost. in Matth. Basil. homil. de human. Christ. gener. Theophyl & Euthym. in hunc loc. Baron. Tertull. Scorpiac. Petr. Alex. Epiphan. &c. Ex Protevangel. Jacobi. [9] Martianæus Not. in Matthæum hic. [10] 2. Par. XXVI. 5. [11] Isai. VIII. 2. [12] Grot. Hammond. L'Emper. Ludovicus de Dieu, in Matth. Tillemont, tit. 1. des Emper. art. 54. Vide Jans. hic. [13] Joseph. lib. 5. c. 1. de Bello, seu lib. 4. c. 19. in Græco.

exordio nedum usque ad suam ipsius, verum etiam ad Apostolorum Discipulorumque mortem interfecti. Quamlibet autem aliam in sententiam feraris, sive Iojadę filium intelligas, sive duodecimum ex minoribus Prophetis, sive Ioannis Baptistę patrem, seu denique Zachariam illum, quem Isaias sub Achazo testem adhibuit; ingens temporis spatium relinquetur, ut Iesu Christi minę penitus compleantur. Sin vero postremum hunc Zachariam accipias, omnia in eo conspicies, quibus expletum Iesu Christi vaticinium ostendatur. I. nomen, *Zachariam filium Baruchi*, seu *Barachiæ*; idem enim sunt duo hęc nomina, cum soleant Hebrei nominibus propriis Dei nomen *Jah* subtexere. II. Locum, In *Templo*. III. Tempus, paulo ante excidium Templi, & Iudęorum exilium, id quod minitatur Christus. Neque inficias iverim, Zachariam hunc Baruchi filium neque a Iosepho, neque ab Ecclesiasticis Scriptoribus Christianum, aut Christianis mysteriis initiatum dici; nullamque eo tempore veram sanctitatem in perfidis Synagogę alumnis fuisse. Cum vero hic quodlibet flagitiorum scelerumque genus exectaretur, ac patrię libertatem studiosissime amaret, sese Iosepho lib. 5. cap. 1. de Bello magna datur credendi occasio, ipsum fuisse Christianum, cum Spiritus Sanctus post Christi necem a Synagoga discesserit. Iudaizantes Christianos Iosephus nunquam a Iudęis secernit. Iacobi minoris, ceu Iudei hominis pii, meminit Antiqu. lib. 2. cap. 8. Idem fortasse de Zacharia servavit. Cęterum putat Origenes (14), Zachariam hunc Barachiæ filium quærendum non esse in Canonicis libris, sed in aliis, minoris quidem authoritatis, quibus tamen Christus novum pondus addit, dum aliquid ex iis recitat.

℣. 36. VENIANT HÆC OMNIA SUPER GENERATIONEM ISTAM. Mala quæ prædico, non longe absunt; ventura mox super eos, qui hoc tempore vivunt. Hic malorum imber in Jerosolymam ejusque cives ruere annos quadraginta non differet; multique ex audientibus id suis ipsi oculis cernent. Hoc revera contigit in supremo Romanorum bello adversus Judæos, anno Æræ vulgaris LXX. quadragesimo circiter post obitum Christi.

℣. 37. QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS, &c. Synagogam alloquitur. Nihil prætermisi, ut te ad pœnitentiam revocarem. Prophetas nimirum, Apostolos, Præcones misi: his tu aures minime præbuisti. Ipse denique veni: & me injuriis obrutum rejecisti, institutiones meas aspernata es; prodigia te præsente patrata videre noluisti, aut intelligere secretas voces, quibus te vocavi; denique manus dare gratiæ te excitanti, motibusque te excutientibus, quibus corrigenda fuetas, nisi pertinaciam tuam amavisses (15): *Et noluisti*. Confer Proverb. I. 24. Isai. LXV. 12. LXVI. 4. Jerem. VII. 13. 14. Ezech. XXIV. 13. Animadvertit hic S. Augustinus (16), absolutam atque omnipotentem Dei voluntatem nunquam non impleri, quin resistere homo queat: *Sicut certum est, Jerusalem filios suos ab illo colligi noluisse; ita certum est, eum, etiam illa nolente, quoscumque eorum voluit, collegisse.*

℣. 38. ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA. Templum vestrum (17), quo gloriamini, vastabitur atque evertetur. Urbs vestra (18), qua superbitis, diripietur atque excidetur. Ierosolyma ceu omnium, qui ubique erant, Iudæorum metropolis habebatur. Universa denique Synagoga (19) reprobabitur & ejicietur; idque post non multum temporis fiet.

℣. 39. NON ME VIDEBITIS AMODO, &c. Iam discedo, vosque in voluntaria cæcitate destituo. Neque me, nisi in secundo adventu, inventuri aut conspecturi estis. Me tunc agnoscetis, & clamabitis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Invicto tunc lumine illustrati, me adorare, meque verum Messiam fateri cogemini. Ita Veteres communiter de secundo Iesu Christi adventu interpretantur (20). Contigit hoc in Templo feria quarta ante Passionem, cum duo dumtaxat vitæ dies illi superessent.

Explicat Grotius de excidio Iudæis imminente. Aliquot post annos tam multa vos oppriment mala, ut optaturi sitis ea uti acclamatione: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; si ea profutura sit: at serum erit desiderium. Ipsa orationis series vicinum tempus a Christo spectari demonstrat. Id quidem verum est: at inter vaticinia de Ierosolymæ excidio frequenter nonnulla miscentur, quæ ad extremum Iudicium pertinent.

[14] Origen. tom. in Matth. XI. Edit. Huet. [15] Vide Maldon. hic, Brug. Grot. [16] Aug. lib. 1. Oper. novissimi contra Julianum; Natal. Alex. & Jans. hic. [17] Hieronym. Theophyl. Euthym. alii plerique. Vide Jerem. VII. 4. [18] Beda, Grot. Clerc. Brug. Mald. [19] Ambros. in Psal. XCV. [20] Chrysostom. Euthym. Theophyl. Hieron. Author Operis imperfect. Maldon. alii.

C A P U T XXIV.

Vaticinium de Jerosolymæ ac Templi excidio. Præsagia secundo Jesu Christi adventui, supremoque Judicio præitura.

℣. 1. ET egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut osten-
derent ei ædificationes templi. 2. Ipse autem respondens dixit illis: Vi-
detis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui
non destruatur. 3. Sedente autem eo super montem oliveti, accesserunt ad eum di-
scipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus
tui, & consummationis sæculi? 4. Et respondens Jesus, dixit eis: Videte, ne quis
vos seducat. 5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus:
& multos seducent. 6. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte,
ne turbemini; oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. 7. Consurget enim
gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus
per loca. 8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. 9. Tunc tradent vos in tri-
bulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

10. Et

10. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. 11. Et multi pseudo-prophetæ surgent, & seducent multos. 12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. 15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat: 16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: 17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: 18. Et qui agro, non revertatur tollere tunicam suam. 19. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 20. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato. 21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. 22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi. 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. 25. Ecce prædixi vobis. 26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis. 28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: 30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majestate. 31. Et mittet angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. 32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis, quia prope est æstas: 33. Ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 36. De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater. 37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. 38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, 39. Et non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis. 40. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur. 41. Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur. 42. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. 43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. 44. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. 45. Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? 46. Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. 48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: 49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis: 50. Veniet dominus servi illius, in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat: 51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & stridor dentium.

℣. 1. EGRESSUS JESUS DE TEMPLO. Feria quarta ante Passionem, sub vesperam, Jesus e Templo egressus est, ut ad montem Olivarum pergeret, noctem ibi exacturus (1). Egredienti e Templo, Discipuli augustæ illius domus magnitudinem ac magnificentiam indicavere.

℣. 2. NON RELINQUETUR HIC LAPIS SUPER LAPIDEM. Impleta est hujus vaticinii fides anno quadragesimo post Jesu Christi necem, quæ biduo post contigit. Templum ita evertere Romani, ut aratrum super ruinas induxerint; id quod Judæi sæpe in suis libris narrant (2), Turnum quemdam Rufum, qui fortasse idem est Terentius Rufus, in Judæa relictus a Tito (3), adamussim ea explevisse, quæ Michæas 3. 2 & Jeremias 26. 18. olim prædixerant: *Sion quasi ager arabitur*.

(1) Matth. xxvi. 6. Marc. xiv. 3.
(2) Vide Ligfoot. Hor. Hebr. Drus. Maimon. Taanith, c. 5.
(3) Joseph. de Bello l. 7. c. 7.

At non omnia nobilissimæ hujus ædis fundamenta evertere Romani : quamobrem aliqua deerant vaticinio Jesu Christi penitus explendo. Huic malo occurrit Julianus Apostata, vel invitus, Cum enim potestatem Judæis fecisset, Templum Jerosolymitanum restituendi, hi reliqua ex vetere Templo fundamenta effoderunt, ut iis in novi usum uterentur, At rem pro voto cedere vetuit Deus; igneis enim turbinibus e fundamento erumpentibus, illi fugerunt, inceptumque opus reliquere, eversis solummodo iis, quæ ex veteri Templo supererant (4).

℣. 3. Sedente eo super montem Oliveti, &c. Egressus e Templo Jesus, in vallem Cedronis venit, tum in montem Olivarum ascendit, e regione Templi, quo ascendere consueverat, oraturus. Eo ibi sedente, ex adverso, & ad orientem Templi (5), ex Discipulis unus accessit, quæ hic leguntur postulans. Cum autem una omnes essent Apostoli, atque hic omnium nomine loqueretur, hinc fit, ut omnes hæc postulasse dicantur.

Ea omnibus Apostolorum quæstionibus ac gestis colligitur, illis alte insedisse ea, quæ de futuro Messiæ Regno a Judæis Doctoribus tradebantur, Quicquid dicebat Jesus, ita illi interpretabantur, ut Messiæ regnum non longe abesse crederent. Putabant quidem illi futurum, ut antequam ille palam sese hominibus exhiberet, regnumque pacificum capesseret, futura essent bella & rerum motus; at ea omnia in temporale aliquod regnum desitura sperabant; ipsoque mortuo, id quod ille sæpe prædixerat, brevi rediturum ad vitam, ejusque Regnum tunc Jerosolymis & in Juda incepturum (6). Ænigmatis loco illis erant ea quæ ipse de Templi excidio prædixerat; æternum enim fore Templum arbitrabantur (7), Fieri tamen potest, ut crediderint, Templum, post Resurrectionem, nobiliori forma restauratum iri a Christo, omnibus deinde sæculis victurum.

Quod signum adventus tui? Triplex Jesu Christi adventus a Scripturis significatur: primus, Incarnatione; alter, vindicta in Jerosolymam & Judæos exercita (8); tertius, supremo omnium Judicio, cum is venturus est, ut vivos ac mortuos ad judicium vocet (9), singulosque pro bene vel male gestis præmio seu pœna afficiat. Duplici etiam sensu accipi potest *consummatio sæculi*: I. cum Hebræi dissipati fuerint, direpti, extorres acti, Mosaicæ Legis ritus perempti atque sublati; id quod in supremo per Romanos bello in Judæos, cæterisque calamitatibus, quibus deinde illi obnoxii fuere, usuvenit: II. cum præsens hic Mundus transierit, novamque terram & cœlos novos condiderit Deus (10). Universa hæc oratione miscet Christus ea, quæ ad secundum adventum pertinent, vindictam scilicet a se in Judæos exercendam, cum iis quæ in tertio ipsius adventu, mundi fine, supremoque Judicio sunt eventura. Iis utitur verbis, ut embages aliquas in vaticinio relinquat, cum optime compertum habeat, ubi altera vaticinii pars luculenter expleta fuerit in Templi ac Jerosolymæ excidio, eam tropicas locutiones, ad mundi exitum pertinentes, luce perfusuram (11); cum prima calamitas alterius figura & præludium futura sit. Tria igitur hic distinguenda sunt: Jesu Christi Regnum, ejusque Ecclesiæ institutio: severissima in pertinaces Judæos animadversio, & fidelium sive Electorum libertas: supremus denique adventus, & & universale Judicium.

Grotius, Ligfootus, Hammondus, aliique hæc de Messiæ Regno in Ecclesiæ institutione, & Jerosolymæ excidio interpretantur. Hæc quidem explicatio ad historiæ fidem maxime accedit: at in ipsis Matthæi, Lucæ 21. 5. & Marci 13. 1. narrationibus nonnulla sunt, quæ, si probe animadvertas, majus aliquid significant, quam Judæorum dispersionem. Integra his fides nonnisi in supremo Judicio futura est, tropica, in bello e Romanis in Judæos gesto.

Veteres Patres plerique (12) censuere, universa hac oratione finem mundi, supremumque Judicium significari. S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius (13) Caput hoc, usque ad ℣. 23. de Jerosolymæ excidio, reliqua de generali Judicio interpretantur. S. Augustinus (14), S. Hieronymus, Beda (15), multis recentioribus asseclis, putant duplicem hunc eventum hoc loco misceri, expensoque Textu considerandum, uter sensus e singulis verbis eruendus sit.

℣. 5. Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus. Nonnulli hujus generis nebulones prodiere & ante & post Jerosolymæ excidium, multique ante mundi exitum iterum conspicientur. Gamaliel Theudæ cujusdam meminit, qui sese aliquid esse gloriatus, quadringentos decepit: at quantocius cum suis oppressus periit (16). Alter hujus nominis prodiit, præside Cuspio Fado, pollicitus Judæis, exhibiturum se illis divisas Jordanis aquas; cumque credulum vulgus illum sequeretur, Cuspius Fadus omnes trucidavit, captumque Theudam misere interfecit (17). Hos inter recensetur Simon Magus, qui magnam Dei virtutem se esse gloriatus, populum præstigiis diu fefellit (18). Felice Judæam moderante, Ægyptius quidam (19), collectis in monte Olivarum triginta hominum millibus, mœnia Jerosolymæ verbo se eversurum pollicitus est. Similis huic alius (20), præside Porcio Festo, ingentem vulgi multitudinem in desertum duxit, absolutam cujuslibet laboris immunitatem pollicitus. Urbe ac Templo eversis, *Bar-kokeba*, seu filius Sideris (21), se esse gloriabatur Sidus Jacobi, de quo in Numeris c. 24. 17. Alii aliis temporibus prodiere, quos enumerare longum esset. Nobis satis esto eos recitasse, qui ante excidium Templi fuerunt. Paulo post, anno scilicet Christi sexto circiter & nonagesimo, Joanne primam Epistolam scribente, plures in terris erant Antichristi, nempe Pseudo-Christi, sive Jesu Christi hostes: *Nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est*. 1. Joan. 2. 18.

℣. 6. Audituri enim estis prælia, &c. Judaicum bellum, Vespasiano ac Tito Imperatoribus gestum, multæ in provincia seditiones præcessere. Judæorum Præsidum sævitia miserrimam gentem adeo irritavit, ut denique seditio ac bellicus ignis undique eruperint (22). Quamobrem minores

(4) Vide Ammian. Marcell. lib. 23. Socrat. lib. 3. cap. 2. Sozomen. Ambros. Epist. ad Theodos. Chrysostam. Orat. 2. & 3. contra Jud. Nazianz. Orat 2. contra Julian. (5) Marc. xiii. 3. (6) Vide Act. 1. 6. *Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel*. (7) 2. Par. 21. 2. (8) Jac. v. 7. 8. Vide Matth. xxiv. 15. 16. 23. 24. 32. 33. 34. (9) 1. Cor. xv. 23. 27. *Unusquisque in suo ordine, Primitiæ, Christus; deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis*, &c. Et 2. Thessal. 5. 8. 11. 5. 4. (10) 2. Petr. iii. 13. Id Judæi ad verbum usurpantes putabant, Hebræos ætate Messiæ in vitam redituros; tunc vero desiturum esse mundum hunc, & alterum proditurum, ibique Justos æterna felicitate fruituros. Vide Ligfootum, & nostram Dissertationem de notis indiciisque Messiæ, ex Hebræis. (11) Vide August. Ep. olim 80. nunc 199. Hieron. Bedam, Maldon. alios hic. (12) Iren. lib. 5. cap. 25. Hilar. in Matth. hic; Gregor. Homil. 1. in Evang. Ambros. in Luc. lib. x. (13) Chrysost. Theophyl. Euthym. in hunc loc. (14) August. Ep. olim 80. nunc 199. cap. 9. (15) Hieron. & Beda hic; Jansen. hic. (16) Act. v. 36. (17) Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 1. (18) Act. viii. 9. (19) Act. xxi. 38. Joseph. de Bello l. 2. (20) Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 5. (21) Euseb. Hist. Eccles. lib. 4. cap. 6. (22) Vide Joseph. Antiqu. lib. 20. & de Bello lib. 2. & S. Chrysost. Homil. 76.

nores quorumdam locorum turbæ, secessiones, furta & latrocinia, quibus regio universa agitabatur, *omnia initia* erant *dolorum*, ut Christi verbis utar, malorum scilicet illis imminentium.

℣. 7. CONSURGET GENS IN GENTEM, ET REGNUM ADVERSUS REGNUM. Samaritani, Syri, Romani variis temporibus bellum intulere Judæis. Vicissim Judæi variis in locis arma cepere in Romanos. Hebræi ab hostibus lacessiti sunt, ac cæsi variis in urbibus, Cæsareæ, Scythopoli, Ptolemaide, Tyri, &c. (23). Fado Præside, Judæi trans Jordanem Philadelphios finium causa aggressi sunt. Sub Cumano, Judæi & Galilæi arma moverunt in Samaritanos. Singulæ istæ Judææ partes veluti minora Regna habebantur. Usurpari etiam ad verbum hæc possunt de Romani Imperii turbis, post Neronis obitum, Othonem inter & Vitellium, ac deinde Vitellium & Vespasianum.

PESTILENTIÆ ET FAMES. Bellum plerumque sequitur fames, famem pestilentia. Famis cujusdam sævissimæ Acta XI. 28. meminere. Collectam in Græcia celebravit Paulus, ut laborantibus Palæstinæ Christianis succurreret (24). Hæc fortasse fames eadem est, de qua Josephus (25), Fado Præside. Quam ingens sævierit Jerosolymis fames, Tito urbem obsidente, nemo ignorat.

TERRÆ MOTUS PER LOCA. Nullos eo tempore in Judæa terræ motus apud Judaicarum rerum Scriptores legimus. At multos novimus in Asia Minori, & in Ægei Insulis, Claudio & Nerone Principibus (26). Terræ motus apud Veteres tristium ostentorum loco habebantur (27). *Non simplex malum, aut in ipso motu tantum periculum est; sed par aut majus ostentum.* Ferales semper fuere provinciis atque urbibus, in quibus contigere. Integras interdum urbes evertit terræ motus, malisque innumeris affecit.

℣. 9. TUNC TRADENT VOS IN TRIBULATIONEM: ad tribunalia ducemini, torquendi. Christiana Religio inter odia inimicorum orta est. Judæi literas in omnes terrarum partes dedere, ut Christiani ubique locorum exagitarentur (28). Paulus ipse, antequam Christo nomen daret, inter acerrimos Christiani nominis hostes fuit (29). Actorum liber, & Pauli Epistolæ perpetua series malorum sunt, quibus affecti fuere Christiani. Hos describunt Suetonius (30) ac Tacitus (31), ceu publici horroris atque odii argumenta. Cum Nero flammas in urbem Romam, uti creditur, injecisset, facti invidiam convertit in Christianos, quos vulgus velut humani generis hostes oderat. *Subdidit reos, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellat ... Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt*, inquit Tacitus. Suetonius: *Christiani, genus superstitionis novæ ac maleficæ*. Sancte pieque gestum arbitrabantur, siquis injuriam illis inferret (32).

℣. 10. SCANDALIZABUNTUR MULTI. *Scandalum* est lignum, seu lapis in via constitutus, ut impingens homo labatur. *Scandalizari* ad verbum est, in hujusmodi lignum seu lapidem impingere, & labi. Quod ad mores pertinet, is *scandalizare* dicitur, qui sermone, exemplo, blanditiis seu minis aliquem in crimen, insidias, errorem trahere conatur. Miserrimis hisce temporibus, de quibus Christus, Christiani quamplures, parum in fide constantes, suppliciis ac metu victi, a Religione desciverunt: *Scandalizabuntur multi.*

℣. 11. MULTI PSEUDO-PROPHETÆ SURGENT. Vide quæ diximus in ℣. 5. Hujus generis fuere Simon Magus, Dositheus (33), Barkokeba, Moyses Cretensis, Manes, David El roi, &c. qui variis temporibus inter Judæos orti, Messiæ dignitatem sibi arrogavere (34). Paulo antequam Templum excideretur (35), multi prodiere falso vaticinantes, a seditiosis submissi, ut proximam ex Deo opem populo pollicerentur. Hos inter S. Hilarius hic recenset Nicolaum Diaconum, unum e septem, quos Apostoli consecravere; Menandrum Tertullianus de Præscript. c. 4. Simonis Magi discipulum.

℣. 12. QUONIAM ABUNDAVIT INIQUITAS, REFRIGESCET CHARITAS MULTORUM. Inter odia & injurias, quibus undique opprimemini, perpaucos invenietis, qui satis constantes sint, ut vobis faveant, vosque defendant: qui amicorum optimi videbantur, ii statim vos destituent. Id sæpe expertus est Paulus. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur*, inquit ipse 2. Timoth. IV. 16.

℣. 13. QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT. Qui neque inimicorum metu, neque falsorum prophetarum artibus, neque pessimis impiorum sermonibus & exemplis victus fuerit, ille servabitur: modo in mei nominis confessione, ac professione fidei perseveret: major omnibus periculis erit, omniumque harum calamitatum immunis.

℣. 14. PRÆDICABITUR HOC EVANGELIUM REGNI IN UNIVERSO ORBE ... ET TUNC VENIET CONSUMMATIO. Veteres quidam (36), sententiam hanc ad verbum usurpantes, arbitrati sunt, omnia hæc a Jesu Christo prædicta, sub ipsum mundi finem dumtaxat eventura, cum Evangelium universis late gentibus nunciatum fuerit. Alii (37) latius interpretati, ajunt, ante Jerosolymæ excidium, scilicet quadraginta annorum curriculo, qui ab Jesu Christi nece ad supremum usque Romanorum bellum in Judæos fluxere. Fidem & Evangelium nunciata fuisse non Judæis modo, verum etiam universis late gentibus, quæ Romanis parebant, cæterisque terrarum partibus, quæ eo tempore noscebantur. Ex Pauli unius laboribus & progressu, quos novimus, colligi potest, quam multa præstiterint reliqui Apostoli, quæ ignoramus. Quas ille regiones & provincias non peragravit? Judæam, Syriam, Arabiam, Græciam, Macedoniam, Achajam, Asiam Minorem, Italiam, &c. Idem ad Romanos I. 8. scribens, constantissime asserit, illorum fidem in omnibus terrarum finibus esse conspicuam. Rom. vero X. 18. de Evangelii prædicatione interpretatur ea Psalmi verba 18. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

℣. 15. CUM ERGO VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS. Duplicem Jerosolymæ desolationem prædicit Daniel; alteram per Antiochum Epiphanem c. 9. 10. 11. alteram per Romanos c. 17. 19. utraque vero figura fuit supremæ illius, quam latura est Christi Ecclesia sub mundi exitum. Ipsa illa per Antiochum Epiphanem significabat hanc per Romanos; cum de hac usurpet Christus eadem verba, quæ Daniel, & Scriptor primi Macchabæorum (38) interpretantur de profanatione Templi per Antiochum Epiphanem, dedicato super altare holocaustorum Jovis Olympici simulacro.

At in suprema Jerosolymæ obsidione per Romanos, quid esse censendum est abominatio de-

(23) Joseph. de Bello lib. 2. cap. 19. & 20. in Lat. pag 823. & seq. (24) 1. Cor. XVI. 2. 2. Cor. VIII. 13. 14. (25) Joseph. Antiqu. lib. XX. cap. 5. (26) Vide Grotium hic. (27) Plin. lib. 2. cap. 84. (28) Euseb. in Isai. XVIII. 1. Hieronym. in Isai. XVIII. 1. 2. (29) Act. IX. 1. 2. (30) Sueton. in Nerone. (31) Tacit. Annal. lib. XV. (32) Joan. XVI. 2. Vide 1. Petr. IV. 15. 16. 27. (33) Vide Origen. lib. 2. contra Celsum. Et in Matth. tract. 27. (34) Vide Grot. Scultet. Basnage. (35) Vide Joseph. lib. VII. de Bello cap. 12. in Lat. p 960. (36) Hieron. & Beda hic. (37) Chrysostom. Hilar. in Matth. Homil. 76. Theophylact. Maldon. Grot. Le Clerc, alii. (38) 1. Macc. I. 57. *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis, super altare Dei.*

ſolationis? Diffident Interpretes. Sunt (39) qui cenſeant, ſigna Romanorum a Chriſto innui, quæ Romani ceu numina venerabantur, & exercitus religioſo ritu colebat (40). Poſita hæc fuere in Sancto loco, ſanctaque regione, circa Jeroſolymam, cum ibi caſtra metatus eſt Titus. Tunc adhuc erat fugiendi locus: *Qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*. Fovet Lucas, ubi pro iis, *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto*; habet 21. 20. *Cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*.

Multa ſunt, quæ in hanc ſententiam regerantur, I. Titi exercitus & militaria ſigna jure nihilo potiori dicenda ſunt abominatio deſolationis, quam Pompeji (41), Soſii, Herodis, & Ceſtii, qui Jeroſolymam jam antea obſidione cinxerant. II. Romani validiſſimum in Arce Antonia præſidium prope Templum ſemper detinuere (42). Igitur ſi Romana ſigna abominatio deſolationis erant, ea certe abominatio diu ante in urbe fuit, quam hæc obſideretur. Quamobrem ineptum erat, ut Chriſtus Diſcipulos moneret, iis viſis ad montes fugerent. III. Abominatio deſolationis futura erat in Templo, *in loco Sancto*, ut verborum Danielis fides ſervetur. Nullus autem exercitus, nullaque Romana ſigna in loco Sancto fuere, niſi expugnata urbe (43): quamobrem neque illius everſionem aut expugnationem portendere potuerunt. IV. denique, quo tempore abominatio deſolationis viſa eſt, adhuc locus erat fugæ, quemadmodum apertiſſime docet Chriſtus: *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*. Inſtructo autem obſidione urbis, eaque a Romano exercitu circumdata clauſaque aggere, vallo, muroque, omnis penitus evaſio ſublata eſt, præterquam maximo diſcrimine, nihilo minori, quam intra urbem erat. Caſſianus collatione 8. cap. 4. in utramque partem diſputat circa tempus quo abominatio deſolationis contigit; num id evenerit ſub Antiocho Epiphane, num ſub Romanis, ſive implementum ſuum expectet in Antichriſto.

Quod ad locum Lucæ 21. 20. attinet: *Cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit deſolatio ejus: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*; non eadem penitus ſententia cum altera Matthæi & Marci: *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*. Innuit fortaſſe Lucas obſidionem urbis per Ceſtium, aliquanto antea, quam majores copiæ Tito Imperatore ducerentur (44). Tunc adhuc locus erat fugæ. Vel, initium dumtaxat obſidionis intelligit Lucas: Cum accedentem videritis exercitum, ut urbem obſideat, fugite ad montes. Dixit quidem ea Chriſtus quæ recitat Lucas: at ea pariter dixit, quæ a Matthæo ſcribuntur: duo eodem tempore dicta, quæ ad unum eumdemque eventum pertinent.

Nobis perſuaſum eſt (45), abominationem deſolationis hoc loco prædictam, Templi violationem eſſe per Zelatores. Hi, peſſimum latronum genus, Templum occupaverant, antequam urbs obſideretur, ipſumque quibuslibet flagitiis profanavere. Cædes, rapinæ, latrocinia, ſacrilegia, perjuria, poſtremo quicquid flagitiorum eſt, ibi nedum exercebantur impune, verum etiam honore & præmio afficiebantur. Sacra ædes in latronum latibulum converſa eſt; vel, ut verbis Joſephi utar (46), in publicum Judæorum ſepulcrum, qui eo loco ſæviſſime mactabantur. Vetus erat apud Judæos narratio, inquit Joſephus (47), tum denique expugnatum iri Jeroſolymam, Templumque flammis arſurum, ex belli legibus, ubi ſeditio inter ipſos gliſceret, ac Templum ab iis ipſis violaretur, a quibus maxime illius ſanctitas ſervanda erat. Hujus vaticinii fidem flagitiis omnino explebant Zelatores; ac rumor a Joſepho narratus fortaſſe hæc ipſa Jeſu Chriſti verba ſunt, quibus urbis ac Templi excidium cum adjunctis omnibus & indiciis adeo diſerte prædicitur. Hæc Zelatorum flagitia extremæ Judæorum ruinæ præibant, eamque portendebant; iiſque optime convenit, ut abominatio deſolationis nuncupentur. Quo tempore illi in urbe Temploque debacchari cœperunt, adhuc locus erat fugæ, ex Chriſti monito: at ſtatim deinde clauſa eſt Jeroſolyma, omniſque evaſionis ſpes ablata eſt.

SS. Irenæus, Ambroſius, Hilarius (48), aliique putavere, abominationem deſolationis Antichriſtum ſignificari; quæque prædicit hic Chriſtus, omnia in ipſo mundi fine eſſe complenda. Neque nobis dubium eſt, quin ante ſupremum Judicium videndus ſit, ex Pauli vaticinio 2. Theſſal. 2. 4. *homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus*. At ſervato hujus explicationis obſequio, altera quæri poteſt, ante Jeroſolymæ expugnationem expleta; quæ quidem expugnatio ſupremum Judicium ſignificabat.

Alias ſententias duas in hanc rem recitat S. Hieronymus (49): I. abominationem deſolationis ſimulacrum eſſe Tiberii, quod in templo dedicare conatus eſt Pilatus (50); II. ſtatuam Adriani equeſtrem, Jeroſolymis erectam, quæ S. Hieronymi ætate adhuc ſtabat. Explicant alii de aurea aquila, ab Herode ſuper alteram e Templi portis conſtituta (51). Sunt (52) qui Caligulæ imaginem accipiant, quam hic in Templo ſtatui volebat: & ſunt (53) qui Titi effigiem, in loco ſancto, ut ajunt, collocatam. Rem non perfecere Pilatus & Petronius, quorum alter juſſus fuerat Tiberii, alter Caligulæ ſimulacrum dedicare. Titi effigies ibi fortaſſe poſita eſt cum bellicis ſignis; at nonniſi poſt Templi expugnationem, quod certe fugiendi tempus non erat, moloque hic Jeroſolymæ a Chriſto prædicta evadendi. Aquilam auream collocavit quidem Herodes, & deinde abſtulit, ac antequam Chriſtus naſceretur. Equeſtris Adriani ſtatua ad expugnationis Jeroſolymæ tempora certe non pertinet, cum hic nonniſi centeſimo circiter anno poſt Chriſti obitum imperaverit, & Jeroſolymæ excidium vix anno poſt Chriſti mortem quadrageſimo contigerit.

* ℣. 16. TUNC QUI IN JUDÆA SUNT, FUGIANT AD MONTES. Montes hi cum reliqua Judæa comparati, vel montes Galaaditici ſunt trans Jordanem; vel montes Juda in meridionali regionis plaga, Idumæam verſus. Bellum ex Galilæa incepiſſe, tradit Joſephus; occupatoque a Zelatoribus Templo, cum urbem tres in factiones ſcindi intellexiſſet Veſpaſianus, neglexiſſe illum urbis obſidionem maturare, quippe qui futurum noſſet, ut triplex hæc factio invicem mutuis odiis conſumeren-

(39) Origen. Chryſoſt. Maldon. Grot. Scultet. Hammond. Le Clerc, Ludov. de Dieu, Gerhard. Brug. alii plures. (40) Tertull. *Religio Romanorum tota caſtrenſis. Signa veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit*, &c. Tacit. *Fulgentibus aquilis, ſigniſque & ſimulacris Deorum, in modum Templi*. Vide Grotium hic. (41) Joſeph. Antiqu. lib. XIV. cap. 8. (42) Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 13. in Latin. pag. 740. (43) Joſeph. de Bello lib. VI. cap. 6. in Latin. in Græc. κεφ. ιέ, pag. 919. (44) Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 23. in Lat. in Gr. Κεφ. κγ' pag. 818. (45) Ita Joſt. Janſ. Capell. Brug. Baronius. (46) Joſeph. de Bello lib. VI. initio, cap. 1. in Lat. in Gr. Κεφ. β' (47) Joſeph. lib. V. de Bello cap 2. in Lat. in Gr. lib. IV. cap. 18' (48) Iren. lib. V. cap 25. & Hilar. in hunc loc. & Auth. Oper. imperf. & Beda; Ambroſ in Luc. lib. 10. (49) Hieronym. in hunc loc. (50) Joſeph. de Bello lib. 2. cap. 2. in Lat. pag 789 & Antiqu. lib. XVIII. cap. 7. & Euſeb. Demonſtr. lib. 8. (51) Antiqu. lib. XVII. cap. 18. (52) Antiqu. lib. 2. cap. 9. in Lat. ψ in Gr. ιζ' pag. 791. (53) Chryſoſtom. Euthym. Theophylact.

rentur, dum urbem obsidione liberam cernerent: statim in unum conspiraturę, ubi exercitus ad mœnia accederet. Narrat Eusebius (54), Christianos a nonnullis suorum, cœlitus admonitis, de imminenti Jerosolymę excidio certiores factos, Pellam secessisse, trans Jordanem, in Agrippę Regno (55), ubi tunc bellicus ignis minime exarsit. Christus ipse, si S. Epiphanio credimus (56), suos monuit ut secederent. Idem in Libro de Ponderibus & mensuris, id ab Angelo præstitum esse ait.

℣. 17. Qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua. Palæstinorum tecta in areæ formam constructa erant, ac magnopere frequentabantur. Scalę eo ducentes plerumque in exteriori domorum parte patebant, ita ut libera esset ascendendi ac descendendi potestas, quin opus esset ad eam rem domum ingredi. Satis hoc discitur ex historia paralytici, quem Christus Capharnai incolumem restituit (57). Cum enim portitores multitudine prohiberentur ab ędium ingressu, super tectum ascendentes, ęgrum funibus demisere per tectum, & Christo intra domum docenti obtulerunt. Monet igitur suos Christus, ea celeritate fugere, cum abominationem in loco Sancto viderint, ut ne in domum quidem descendant, aliquid ablaturi.

℣. 18. Qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam. His pariter verbis innuitur, qua celeritate fugiendum sit. Olim agrum exercebant homines ferme nudi. Si in agro fueris operi intentus, sine veste & annona, statim fugito, neque domum revertaris, ut vestem sumas. Latina versio fert *tunicam*, interiorem vestem: at Græcus (58) generice *vestes*, seu *vestem*.

℣. 19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus, in illis diebus; hæ quippe meis monitis uti, ac fugere non poterunt tam cito quam opus erit, ob discriminis propinquitatem & magnitudinem.

℣. 20. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato. Breves per hyemem dies sunt, impeditæ viæ, itinera incommoda: importunum præcipitis fugæ tempus. Sacra sabbathi die nefas erat Judæis, longius duobus passuum, vel etiam cubitorum millibus, paulo scilicet majus dimidia leuca, iter habere. Hoc porro alterum erat incommodum iis, quibus longo itinere opus erat (59). Ubi res & periculum urgerent, veluti cum instaret hostis a tergo, longum iter haberi poterat vel sabbatho (60). Hic tamen agitur de fuga, qua quis sibi consulit, vitaturus discrimen, quod præsens non est, sed prævidetur.

℣. 21. Erit enim tunc tribulatio magna; bellum scilicet, quo sese invicem confecere Judæi, domesticis seditionibus; ærumnæ, quas undique a finitimis pertulere, quorum vi atque injuria ipsi magno numero in suis urbibus mactati sunt; mala denique, quibus illos oppressere Romani, Vespasiano Principe, adeo modum omnem superavere, ut rarissima horum exempla legantur. Undecies centena millia mortuorum per id bellum recenset Josephus; captivorum vero septem & nonaginta millia (61). Scribit alibi (62), seditiosorum, qui Templum occupaverant, flagitia eo usque crevisse, ut nisi pessimum genus delere maturarent Romani, futurum fuisset, ut hisceret terra, suis illos voraginibus haustura, vel novo illos diluvio mergeret Deus, sive imbrem fulminum in illos demitteret, quemadmodum olim in Sodomam; quippe quorum nequitia nequissimarum urbium flagitia superaret. Ipsimet Romani, tametsi hostes, hisce calamitatibus movebantur, ac tam multorum innocentium vices deflebant, miserrime pereuntium ob aliquot seditiosorum pertinaciam, qui urbe Temploque occupatis, crudelius intra urbem, quam foris Romani, sæviebant.

℣. 22. Nisi breviati fuissent dies illi, &c. Si cædes & rapinæ, quibus intra urbem sæviebant seditiosi, & externorum odia ex finitimis undique regionibus in Judæos furentia, bellum denique, quo miserrimam gentem Romani vexabant, diutius perseverassent, actum fuisset penitus de Judæis: nemo effugisset. At mala tam gravia diu esse passus non est Deus, electorum & fidelium causa; Christianorum scilicet (63), qui tunc, veluti ex eadem religione, miscebantur cum Judæis, & communibus odiis obnoxii erant. Christiana enim Religio sub initium eadem habita est ac Judaica, melioribus correcta institutis. Cum Judæos servaret, nobilius aliud sibi proposuerat Deus, vivum scilicet in illis Christianæ Religionis testimonium exhibere. Penes ipsos depositum Scripturarum Veteris Testamenti est; ac præsenti conditionis suæ calamitate expleta præ se ferunt priscorum oracula Prophetarum, & Jesu Christi, quibus futura ipsorum damnatio prędicta fuerat. Illos esse opus est, at miseros, omnibus neglectos, dissipatos, cęcos ac pertinaces, ut sua fides stet vaticiniis; & aliquando tandem locus fiat misericordię, quam Deus erga ejus gentis reliquias, in sęculorum exitu denique ad Christum venturas, fovet (64).

℣. 24. Surgent enim pseudochristi, &c. Necesse omnino erat, Fideles munire adversus falsos Christos, falsosque Prophetas, cum Diabolus multos ejus generis homines eo tempore esset exhibiturus. Quamobrem Christus id semel dixisse non contentus, ter in hac oratione repetit. Vide ℣℣. 4. 5. 11. 23. 24. 26. Josephus in Libris de Bello Judaico meminit quorumdam, qui falsa venditantes vaticinia, populum tum ante tum per Jerosolymitanam obsidionem decepere. Seditiosorum Principes, qui creduli ignarique vulgi imbecillitatem noverant, alios Prophetas producebant, ut illum fallerent. Prodigia quidem non semper certo sunt argumento, illum qui ea patrarit, sincerum esse ac virtute præditum: at fieri non potest, ut Deus diuturna verorum prodigiorum serie iis faveat, qui cæteros mendaciis fraudibusque in errorem trahunt; ipsis enim fidelibus erroris periculum immineret. Discipulos hic munit adversus homines prodigiis claros; atque ita deceptores fide penitus exuit (65). Qui alio quam Christi nomine venit, aut alia tradit, præter ipsius instituta (66), hoc ipso falsus esse propheta, falsusque prodigiorum author ostenditur. His falli aliquandiu quidem possunt Electi; at si traditis sibi a Christo monitis ac regulis uti voluerint, non diu errore occupabuntur (67).

℣. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, &c. Triplex est hujus loci explicatio; I. de Jerosoly-

(54) Euseb. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 5. (55) Vide Joseph. Antiqu. lib. xx. cap. 5. pag. 693. (56) Epiphan. Hæres. Nazaræor. cap. 7. (57) Matth. ix. 9. & Luc. v. 18. 19. &c. (58) Τὰ ἱμάτια, vel ex Codicibus quibusdam: Τὸ ἱμάτιον. (59) August. lib. 1. Evangel. qq. cap. 37. Chrysost. Hieron. Author Oper. imperf. Theophyl. Beda, &c. (60) 1. Macc. ii. 32. 41. Joseph. Antiqu. lib. xii. cap. 8. & lib. xiii. cap. 1. (61) Joseph. lib. vii. de Bello cap. 17. in Lat. pag. 968. (62) Joseph. l. vi. de Bello, cap. 16. in Lat. pag. 940. in Gr. lib. v. Κεφ. λζ΄ (63) Chrysost. Theophyl. hic; Aug. Ep. 80. nunc 199. Jans. Brug. Grot. (64) Matth. xxiii. 39. Rom. xi. 26. (65) Tertull. lib. 3. contra Marcion. *Temerariam signorum & virtutum fidem ostendit, ut etiam apud pseudochristos facillimarum.* Vide & 2. Thessal. ii. 8. ubi de Antichristo. *Cujus adventus est secundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & prodigiis mendacii.* (66) Vide nostram Dissertationem de variis falsisque prodigiis, ad Exodum. (67) August. de Corrept. & Grat. cap. 7. Vide & Maldonatum & Grotium hic.

solymæ excidio (4): Cum Dei Filius accesserit, in urbem deterrimam animadversurus, instar fulguris emicabit. Romani, quibus ille instrumentis usus est, inopinato urbi obsidionem intulere; ita ut infinitæ advenarum multitudini, qui ad Paschatis Festum convenerant, fugæ locus non fuerit; quamobrem miserabili urbis exitio obvoluti sunt (5). Alii de Evangelii prædicatione interpretantur (6): Ne facile præbueritis fidem iis qui sese Prophetas, ac missos a Deo esse gloriabuntur; multoque minus iis, qui Messiæ nomen sibi arrogabunt; meum enim Evangelium, Dei Regnum, Divinæ veritatis prædicatio unico ferme temporis articulo in universis terrarum plagis exaudientur. Hoc ego vobis exhibeo certissimum mei adventus indicium. Patres denique (7) vulgo de altero Jesu Christi adventu, supremoque Judicio usurpant. Homines id minime cogitantes Dei Filius occupabit. Tametsi undique micatura sint illius adventus indicia, atque imminentis rerum finis præsagia, homines tamen a consueta vivendi ratione non recedent, illosque occupabit incautos supremus Judex, ceu fulgur statim micans & evanescens.

℣. 28. UBICUMQUE FUERIT CORPUS (8), ILLIC CONGREGABUNTUR ET AQUILÆ. Proverbio simile, ex Jobo 39. 30. ductum, ubi aquila dicitur in editissimis rupibus considere, atque ex iis veluti speculis prædam intueri, & longe prospicere; hujus pulli cruorem avidissime bibere, ipsaque, *ubicumque fuerit cadaver, statim adesse*. Aquilæ plerumque cadaveribus minime vesci dicuntur: at rerum naturalium Scriptores (9) ajunt, quoddam illarum genus esse, quod iis pascitur, ceu corvum. Illud hoc loco vult Christus (10), Judæis hostes undique adfuturos, nulla evasionis spe. Ubi fuerint Judæi, ibi statim adfuturi sunt hostes in illorum exitium. In Syria, Ægypto, Phœnicia, Antiochiæ, Alexandriæ, Cæsareæ, Ptolemaide, Tyri, Ascalone, Scythopoli, in universis Galilææ, & Judææ urbibus, Jerosolymis, demum ubique gravissimam Dei manum in se experientur. Diem ultionis Domini Prophetæ plerumque describunt (11) sub imagine convivii, carnivoris avibus, & feris parati, quas vocat, ut hostium suorum carnibus expleantur. Aquilas hic tantummodo appellat, quo luculentius hostium Judæorum celeritatem aviditatemque significet. Habacuc de Chaldæis agens (12), ait: *Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum*, in Judæos.

Veteres (13) vulgo de Jesu Christi corpore interpretantur. Ubi Divinus hic homo prodierit, ut judicium in vivos ac mortuos, Sanctosque, Electos atque Angelos exerceat; confluent statim ad illum homines & qui in vivis erunt, & qui mortem obierint, ut Judicio adsint, ex eoque sententiam audiant. Eximiæ hinc tropicæ explicationes de Sacramento Corporis & Sanguinis Jesu Christi hauriuntur. Ubicumque Divinum Christi Corpus fuerit, ibi aquilæ, nobilissimæ nimirum ac sanctissimæ animæ, adfuturæ sunt. Qui ad Jesu Christi humanitatem, gloria donatam, referunt, ii æquo exquisitiora sequi videntur, cum Græcus ferat *cadaver*, pro, *corpus*. Optimi Græcorum Latinorumque Scriptores (14) *corpus* solummodo sæpe usurpant pro cadavere.

℣. 29. STATIM AUTEM POST TRIBULATIONEM DIERUM ILLORUM, SOL OBSCURABITUR, &c. Post hæc mala omnia, quę prædixit; capta eversaque Jerosolyma; nondum Dei furor deferbuit: adhuc extenta manu minitatur, & ictum parat. Ubi graves adeo tenebrę Judęus occupaverint, Judaica gens nunquam deinceps surgentem sibi solem, micantemve lunam intuebitur: nox teterrima densissimas hasce tenebras excipiet. Infinita malorum serie undique obvolventur (15). Quicquid durissimum est in exilio, servitute, captivitate, inopia, injuriis, id omne super illos ruet. Qui patrię excidio superstites fuerint, aut in varias terrarum plagas dissipati sunt, aut in servitutem venditi, aut ad conditionem multo deteriorem redacti; sedibus, fortunis, spe, religione, templo, patria carentes. Qui Romam ducti sunt, victoris triumphum ornavere (16). Qui Antiochię versabantur, sęvissime in ea urbe mactati fuere (17). Quicquid arcium aut oppidorum in Judęa superfuit, penitus exustum eversumque est (18). Qui Thebas & Alexandriam confugerant, ibi miserrime periere (19). Templum Onion, quod ipsis in Ægypto erat, clausum est (20). Cum Judęi plures Cyrenenses falsum Prophetam, nomine Jonatham, insanissime sequuti fuissent, a quodam Romanarum copiarum Imperatore cęsi sunt (21). Hęc porro statim ferme post Jerosolymę excidium contigere.

Trajano imperante, anno illius octavo & decimo, cum Judęi Ægyptii novas res molirentur, a Romanis victi cęsique fuere. Anno proxime consequente, par supplicium in Cyprios Judęos ruit. Apud Mesopotamiam acie decertantes superati sunt, totaque regione pulsi. Hæc imperante Trajano (22). Adriano Principe, iterum Palæstina seditionem movit, quæ Barchochebæ artibus & præstigiis freta diu sæviit: id tamen Romanos multo acrius irritavit, malisque post Titi bellum gravissimis Judæos obruit. Quicquid arcium aut oppidorum in Judæa supererat, omnino deletum est. Arces quinquaginta, & oppida nongenta & octoginta quinque sublata sunt, interfectaque variis temporibus millia hominum octo supra quingenta; præter eos, quos fames, morbi, ignis sustulere. Plura jam vides, quam opus est, ut absoluta verbis Christi fides stet, futurum scilicet, ut post atros eos dies, quos prædixit, sol tenebris obducatur, & luna erga miserrimam gentem luce careat.

Frequentissimas esse in Scripturis hyperbolicas locutiones, quibus insueta mala significentur, constat. Futura Babylonis infortunia prædicens Isaias 13. 7. hæc scribit: *Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendum terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.* Iisdem ferme verbis c. 24. 23. & 60. 20. utitur, ubi mala populis minitatur. Regem Ægyptiorum alloquens Ezechiel, ait c.

32.

(4) Ligfoot. Hammond. (5) Joseph. de Bello, lib. VII. cap. 17. in Lat. pag. 968. (6) Origen. August. Grot. & Gerhard. & Beza in hunc loc. (7) Hilar. Hieronym. Author Oper. imperfect. Chrysost. Euthym. Ita Mald. Brug. alii. (8) Πτῶμα, idest, Cadaver. (9) Aristot. Hist. Anim. lib. 9. cap. 32. & Plin. lib. x. cap. 3. (10) Ligfoot. Hamm. Le Clerc. (11) Isai. XXXIV. 6. *Victima Domini in Bosra*, &c. Jerem. XLVI. 10. *Victima Dei exercituum in terra aquilonis*, &c. Ezechiel. XXXIX. 17. *Dic omni volucri, & universis avibus, cunctisque bestiis agri: convenite, properate, convenite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis*, &c. (12) Habac. I. 8. Vide & Isai. XVIII. 6. (13) Vide Irenæ. lib. 4. 38. Hilar. Author. Oper. imperf. Chrysost. Euthym. Theophyl. Bedam, alios. (14) Homer. Iliad. Σ.

Ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔ τι λέοντα αἴθωνα δύνανται
Ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι.

(15) Vide Ligfoot. Hammond. Le Clerc. (16) Joseph. lib. VII. de Bello, cap. 20. & 24. (17) Ibidem, c. 21. p. 973. (18) Ibidem, c. 25. p. 980. & c. 28 p. 985. (19) Ibidem, c. 29. p. 995. (20) Ibidem, c. 30. p. 996. (21) Ibidem, c. XXXI. in Latino, p. 996. (22) Vide Eusebium, Dionem, Spartianum, Basnage, Histoire des Juifs, liv. 4. chap. 2. tom. 2.

32. 7. Te reti capiam, ceu piscem immanem; te humi allidam, ibique in frusta concisum, omnibus agri feris ac cœli avibus in prædam dabo; teque sublato, *operiam cælum, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te*. Insolitam famem ac siccitatem describens Joel 2. 30. paria his habet. Job 3. 3. & Jeremias 20. 14. ea narrantes mala, quibus ipsi opprimuntur, similia scribunt. Hæc loquendi ratio apud Orientales frequens est; & Grotio teste, ipsimet profani ad similes hisce locutiones descenderunt, ut mala extrema significarent. Primum autem hujus orationis propositum esse Jerosolymæ excidium, illud suadet; quod Lucas 21. 28. ait, cum hæc visa fuerint, tollendum esse ab Apostolis caput, quod proxima sit illorum salus: & Matthæus, *statim post* narrata, solem tenebris obductum iri; Marcus denique 13. 24. hæc eventura esse *in illis diebus, post tribulationem illam*.

Locum hunc totum Patres & Interpretes plerique de signis universali Judicio præituris explicant: unusquisque tamen accommodate ad suam singulorum sententiam solem tenebris opertum, lunam deficientem, stellas e cœlo ruentes interpretantur. Sunt qui hæc ad verbum, & sunt qui tropice usurpent. Censent alii (22), tam ingens fore jubar Christi ad judicium prodeuntis, ut solis, lunæ stellarumque lumen opprimat, quemadmodum sol exoriens astra cætera obscurare videtur.

Multo ægrius explicatur siderum lapsus, dissidentibus hinc inde sententiis. Sunt qui stellas revera casuras arbitrentur: at quo casuræ sunt vastissimæ illæ moles, quæ universam terræ amplitudinem toties absorbent? Ajunt alii, crinita sidera a Christo innui; alii malos Spiritus, quibus aerem universum occupari putant. Origenes aliique nonnulli absolute asserunt, stellas tunc amissuras quicquid terrestre in illis est, ipso in terras cadente: id quod ægre explicaveris. At post longas hac de re disputationes, eo denique deveniendum est, ut fateare, nonnisi per conjecturas exquiri posse, qua ratione explendæ sint minæ Jesu Christi in supremo Judicio. Sin autem in his Christi locutionibus nihil nisi tropicum est, cur quærimus, quo pacto ad verbum explendæ sint?

VIRTUTES COELORUM COMMOVEBUNTUR. Sunt (23) qui hoc nomine Angelos explicent. Hi, inquiunt, in secundo Jesu Christi adventu, terribilem illius majestatem intuentes, formidine quatientur. Alii (24) de astris accipiunt, apud Scripturam sæpe sub exercitus seu virtutis cœlorum appellatione (25) significatis. Nonnullis (26) hoc placet: Cœlorum fundamenta, vel ipsimet Cœli, quamquam solidissimi, movebuntur. *Virtus Cœlorum* vel illud est, quo ipsi stabiles atque inconcussi efficiuntur; vel ipsa illorum firmitas ac vis. Nobis maxime simplex videtur interpretatio de stellis; hæ quippe sub nomine virtutis vel exercitus cœlorum vulgo usurpantur.

℣. 30. TUNC PAREBIT SIGNUM FILII HOMINIS IN COELO. Veteres Patres (27), & Interpretum plerique consentiunt, signum Filii hominis, Christi Crucem esse, in Cœlo tunc denique producendam, cum iterum venerit Christus; favetque huic interpretationi Ecclesia, cum in Officio canet: *Hoc signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit*. Videtur nonnullis (28) ipse Dei Filius esse, *signo Filii Hominis* hoc loco significatus. Universo majestatis suæ apparatu circumdatus prodibit, atque hominum animos terrore complebit.

Simplicius alii: Perspicua tunc præsentiæ illius signa conspicientur, gravissima nimirum animadversio in impios. Fortasse etiam innuit prodigia & ostenta, quæ excidio Jerosolymæ præivere, a Josepho (29) descripta, quæque vix lecta horrorem in animis pariunt. Cum ea quæ hactenus narrata sunt, Christus prædixisset, iis qui hæc norant, proclive omnino erat intelligere, insolitis hisce portentis supremi Judicis adventum prædici, ultionis causa in Jerosolymam exercendæ accedentis (30). Hoc Filii hominis signum apud cæteros Evangelistas non legitur; in quibus illud solummodo est, quod in proximo Matthæi commate: *Tunc omnes Tribus terræ videbunt Filium Hominis venientem in nubibus Cæli*; quibus verbis explicari videtur signum Filii Hominis, quod membro superiore prædixit. Postremæ huic explicationi illud favet, quod ℣. 34. ait Christus, eos qui tunc in vivis erant, minime præterituros, quin prædictarum rerum veritatem intuerentur. Fatendum tamen est, ℣℣. 29. 30. 31. aptius de supremi Judicii, quam de Jerosolymitani excidii signis explicari. Confer *Dan.* VIII. 9. *&c.* ubi vindicta in Antiochum Epiphanem cæterosque Judæorum hostes a Deo exercenda, exhibetur sub imagine Judicii, quod Antiquus dierum ejusque assessores celebrant.

TUNC PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ, cum Dei Filium viderint, ad judicium de vivis ac mortuis accedentem. Incredulos Judæos, qui, ipsum execrantes, demum cruci affixere; Ethnicos, qui suis ipsum in membris vexarunt: eos denique qui nulla Divinæ Legis verique Dei cognitione mortem obierunt, quodlibet flagitiorum genus sectati, tametsi reluctante conscientia; hos, inquam, omnes formido atque animi dolor occupabunt.

Locus hic ex Zacharia est (31): *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti . . . Et planget terra, familia & familiæ seorsum*. Judæorum post conversionem dolentium luctum proculdubio exprimit Zacharias. His igitur ex vestigiis, cur dici nequeat Christus hoc loco planctibus gemitibusque, quos dicit, non Judæorum atque infidelium rabiem ac desperationem, sed conversionem ac pœnitentiam significare? Quis neget, Judæorum atque Ethnicorum quamplures, perspecta vaticiniorum Christi in Jerosolymam fide, Christo dedisse nomina, præteritam cæcitatem execratos? Cur etiam non liceat huc referre exhibitum Constantino Magno portentum, Crucis nimirum in aere micantis (32), quo veluti signo profanæ superstitionis ruina, & Christianæ Religionis confirmatio postremum denique portendebatur? Certe postquam Romanorum signa Cruce distingui incepere, ac publicum Christianæ Religionis defensorem sese Constantinus exhibuit, ad eam populi confluxere catervim, quæque hactenus gentes veritati & Evangelio repugnaverant, suæ illas insaniæ atque erroris pœnituit.

℣. 31. MITTET ANGELOS SUOS CUM TUBA (33), &c. Iisdem ferme verbis Paulus Christum describit, ad supremum Judicium descendentem, meminitque tubæ, mortuos e tumulis excitantis (34). Formidabile hoc Judicium ita in Evangeliis describi

(22) Hieronym. Chrysost. Theophyl. Euthym. (23) Ambros. l. 2. in Luc. Orig. Chrys. Beda, Euthym. Theophyl. Vide 3. Reg. XXII. 19. (24) Hamm. alii. (25) Is. 1. Deut. XVII. 3. 4. Reg. XVII. 16. XXI. 3. 5. & passim. (26) Mald. Piscat. alii. Job, XXVI. 11. & 2. Petr. III. 10. (27) Hilar. Hieron. Beda, Chrysost. Euthym. Theophyl. Brug. Mald. Menoch. alii. (28) Ita fere Origen. Beza, Gerhard. Piscat. (29) Joseph. de Bello Jud. lib. 7. c. 12. in Lat. p. 960. in Gr. Κεφ. ιβ. (30) Lightfoot. Hamm. Le Clerc. (31) Zach. XII. 10. 11. 12. Confer Apoc. 1. 7. (32) Euseb. de Vita Constantini, l. 1. c. 28. Edit. Vales. (33) Gr. Μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης, *Cum tuba vocis magnæ*. Alii plures: Μετὰ σάλπιγγος μεγάλης. Vide Mill. (34) 1. Cor. XV. 52. *In novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti*. Et 1. Thessal. IV. 15. 16. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cælo; & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*.

scribi videtur, uti solemnes cœtus, ad quos multitudo buccinæ clangore convocabatur, ex Moysis sanctione (35). Joannes in Apocalypsi (36) Angelos describis, tuba clangentes suprema Divinæ ultionis die. Verus an tubæ clangor, an tonitru clarusque fragor, ceu tubæ, tunc exaudiendus sit, dici nequit,

Illud simile est veri, Christum Sacrosque Scriptores, cum supremum illum diem describerent, aptissimis acerrimisque usos esse locutionibus, quibus audientium animi excuterentur: at nunquam hæc ad verbum a Fidelibus usurpari jussis Ecclesia (37). Tuba supremæ est Majestatis symbolum. Inter buccinarum fragores Deus in Sinai verticem descendit (38); conscenditque Cœlum clangentibus tubis (39). Venientem, ut opem populo ferat, tubarum clangor comitatur (40). Balaam clangore buccinarum, quibus Dei castra strepunt, perculsus, formidat (41). Vulgares loquendi formæ, quæ tamen sublime quiddam præseferunt, & debitum Divinæ Majestati obsequium pariunt.

Qui hæc vaticinia ad tempus statim post Jerosolymæ ruinam consequutum referunt (42), ii tubæ clangorem tropice interpretantur, atque ajunt, illata in Judæos vindicta Chrillum ita se illis reddidisse conspicuum, ut vel ab invitis agnosceretur; eoque tempore Evangelii fores omnibus terrarum populis patuisse, cum Angeli Domini, Apostoli, virique Apostolici prædicationibus Electos universos e quatuor terrarum plagis collegerint; eos nimirum, quibus largitus est Deus, ut Evangelicum jubar aspicerent. Lucas xxi. 28. & vetus Matthæi Codex Cantabrigiensis G.L. (43) addunt: *His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*; quæ quidem verba recitatæ mox interpretationi multum favent.

℣. 32. Ab arbore fici discite parabolam. Quemadmodum ubi ficus folia & gemmas parit, æstatem in foribus esse intelligitis; ita præsagiis hisce, quæ prædixi, signa mei adventus ac regni certissima exhibentur, Ecclesiæ nimirum instituendæ, vel ultionis exercendæ in Judæos, seu denique imminentis rerum finis, supremique Judicii: tria enim hæc significat *Regnum Cœlorum*.

℣. 43. Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Quæ ad Jerosolymæ excidium, pœnamque de Judæis sumendam pertinent, eventura erant illorum ætate, quos alloquebatur Christus, vel saltem qui tunc in vivis erant (44). Veteres, qui alteram hujus orationis partem ad mundi finem referunt, opus est, ut hanc Christi sententiam de Judæorum dispersione & Romanorum bello interpretentur, vel fateantur, his verbis, *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*, significari, hæc omnia ante mundi exitum, humani generis finem (45), universalem hominum resurrectionem esse eventura. Sive. *Non præteribit generatio hæc*, Ecclesia mea, Fidelium meorum cœtus (46), *donec omnia fiant*. Christiana Ecclesia ad finem usque florebit, tametsi hæc mala undique sæviant, nulloque impetu evertetur. Aptior tamen est interpretatio de Jerosolymæ excidio per Romanos.

℣. 36. De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli Coelorum, nisi solus Pater. Addit Marcus (47): *Neque Filius*; quæ pariter verba apud Matthæum leguntur in Codice Cantabrigiensi, aliisque nonnullis (48). Locus hic magnarum litium seges fuit Catholicos inter & Arianos, cum hi ex eo colligerent, Deum igitur non esse Jesum, cum aliquid esset, quod illius notitiam fugeret. Vim objectionis sentiens S. Ambrosius lib. 5. de Fide c. 8. ait: *Veteres Græci Codices* (Marci) *non habent: Quod nec Filius scit; sed non mirum est, si & hoc falsarunt, qui Scripturas interpolavere Divinas*. Cæterum Codices omnes Græci & Latini, qui nostra ætate supersunt, manu exarati & typis editi, uno consensu hæc apud Marcum legunt, & multi etiam apud Matthæum. Agnoscunt præterea cæteri Patres, veluti SS. Hilarius, Augustinus, Athanasius, Chrysostomus, omnesque veteres.

Alii (49) ut objectionem e radicibus evertant, asserunt, Jesum Christum, qua parte homo erat, Judicii diem ignorasse, minime vero qua Deus. Neque eo dicunt, ut Jesum, qua homo erat, quicquam nescisse putent, quippe qui hypostatica conjunctione cum Divinitate, *omnes sapientiæ & scientiæ thesauros in se absconditos* complecteretur (50); sed fieri non posse, ut ipsius humanitas, a Divinitate sejuncta, suis unius viribus ista cognosceret; vel, diem Judicii ex iis rebus non esse, quæ merus homo rationis lumine assequi posset. Ita curiositatem coercens Apostolorum, quandonam ipsius Regnum & mundi exitus essent futura, postulantium, respondet: Hæc porro arcana sunt, quæ uni Deo cognoscenda servantur: quamobrem nullo ex Angelo aut homine, vel ex me ipso, ea quærite: non respondeo. Vide Hammondum in Marcum xiii. 32.

Patribus nonnullis (51) illud dicere visus est Christus, nullam sibi inesse ejus rei experientiam, seu scientiam, quæ ex experientia est. Id quidem norat Christus ea scientia, quæ in sola cognitione versatur, non quæ ad actionem pertinet. Ita etiam illud explicatur quod dicitur, Christum nempe sapientia, virtute & scientia crevisse. Novos certe ille scientiæ, virtutis, aut sapientiæ habitus non acquirebat, sed nova quotidie illorum specimina exhibebat; eosque quotidie denuo ad actionem redigebat. Hoc ipsum de hac scientia dicito, ad supremi Judicii diem pertinente.

Ajunt nonnulli (52), Christum dicere, ea se ignorare, quæ minime vulganda censebat. Nobis quippe ignorabat, non sibi: ea nos ignorare volebat, unumquemque hominum ea de re curiositatem coerceri. Deus interdum in Scripturis dicitur ea gerere, quæ dumtaxat fieri permittit, sive prædicit, vel prædici jubet. Ita obdurat Deus, oculos & aures obstruit, mentes impiorum graves atque hebetes reddit. Nescit igitur hoc modo

(35) Num. x. 1. 2. & seq. Isai. xxvii. 3. (36) Apoc. viii. 6. ix. 1. xi. 15. (37) Vide Mald. (38) Exod. xx. 18. (39) Psalm. xlvi. 5. 2. (40) Zach. ix. 14. Isai. xviii. 3. (41) Num. xxiii. 21. *Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoriæ Regis in illo*. (42) Ligfoot. Hamm. Le Clerc. (43) Apud Mill. hic. (44) Ita Brug. Grot. Ligfoot. Gerhard. Camer. Hamm. Munst. Pisc. & olim quidam apud Origen. Confer Matth. xvi. 28. (45) Hieronym. Maldon. (46) Chrysost. Author Oper. imperfecti, Euthym. Theophyl. Vide & Origen. & Hilar. hic. (47) Marc. xiii. 32. *Nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*. (48) Ita ms. Cantabrig. Chrysost. Paris. Cod. 6. Codd. alii apud Hieronym. hic. SS. Hilarius Ambrosius, Augustinus, Theophylactus ea verba hoc loco interpretantur: hinc tamen non jure collegeris, illos eadem in suis libris habuisse. Illa quippe ex Marco mutuabantur, ut Arianis responderent. Animadvertit S. Hieronymus, hæc non fuisse in libris Origenis & Pierii. Habantur in veteri Vulgata Martianæi. (49) Athanas. serm. 4. contra Arian. Ambr. l. 8. in Lucam; Nazianz. Orat. 4. de Theologia; Theodoret. Anathem. 4. contra Cyrill. l. 9. Thesauri, c. 4. Author. Oper. imperf. Iren. l. 4. c. 48. 49. Vide Grot. in Marc. xiii. 32. &c. (50) Coloss. ii. 3. Vide Maldonat. hic. (51) Origen. in Matth. & Epiphan. hæresi 60. Chrysost. homil. de Trinitate; Bern. c. 3. tractat. de Humilit. (52) Vide, si placet, Origen. & Chrysost. hic; & August. l. 83. Quæst. qu. 61. & lib. 1. de Trinit. c. 12. & lib. de Genesi contra Manich. c. 23. Greg. l. 8. Registri, Ep. 42. Hieronym. Bedam, Theophylact. hic; Ambros. in Luc. l. 8. Novit sibi, nescit mihi.

do ea, quæ a nobis ignorari vult, aut intelligi non patitur; queque nonnisi ipsius ope assequi possumus. Eadem ferme sententia Paulus ajebat 1. Cor. 2. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*; scilicet, nihil preter hunc docui. Ex variis hisce interpretationibus, quas Patres & Interpretes probant, quam malueris, elige.

℣. 37. Sicut in diebus Noe. Incautos homines occupavit diluvium: ita Ierosolymam ex insperato cingent hostes, Iudeosque oppriment Romani, cum illi sese tutissimos esse arbitrabuntur.

℣. 40. Duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relinquetur. Iudeis de more operam agriculturæ navantibus, statim ingruet hostis: fugiet alter, & alter capietur (53). Vides hic illud quod initio dixit, ingentem in Judeis securitatem, subitamque hostium invasionem, que nullum opis ferende locum relinquent. Unusquisque sibi consulet, quemadmodum in panicis subitisque terroribus usu venit. Veteres multi locum hunc de Predestinatione ac Reprobatione interpretantur (54).

℣. 41. Duæ molantes, &c. Tum fœmine tum viri nullo metu operi vacabunt, cum hostis irruet. Ex ancillis duabus, molam juncta opera torquentibus, ut triticum herili familie terant, altera elabente, altera capietur. Sepe animadvertimus, ejus etatis pistrina forme alterius fuisse a nostris. Ancille, quodam ceu carcere clause, occupabantur tritico terendo molis, quas ipse brachiis manibusque torquebant. Ea porro erat vilissimorum utriusque conditionis mancipiorum provincia (55).

Complures Libri manu exarati, Greci & Latini (56), & ex Patribus nonnulli addunt hec verba, desumpta ex Luca 17. 34. *Erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur*. Hoc tamen alio tempore pronunciavit Christus, tametsi de Ierosolyme excidio, sive de mundi exitu pariter disputans.

℣. 43. Si sciret Paterfamilias, qua hora fur veniret. Grecus ad verbum (57): *Qua noctis vigilia*. Noctem a Iudeis ea etate in vigilias quatuor distribui consuevisse, compertum est Matth. xiv. 25. Monet hic Discipulos Christus, sedulo vigilent, neque re occupentur, & communi Judæorum calamitate obvolvantur.

℣. 45. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, &c. In optimatum domibus, quibus ingens erat familia, herus servum aliquem conservis præficiebat, cujus curæ erat illos custodire, iisque laboris & annonæ mensuram in menses, dies, aut hebdomadas tribuere. Is plerumque erat, quem herus sapientissimum, fidissimum, rerumque suarum studiosissimum animadvertebat. Ipsum illius munus præmii locu erat. Id muneris gerebat apud Abrahamum Eliezer, Josephus apud Pharaonem. *Dispensator* apud Romanos appellabatur; cætera mancipia, *vicarii* atque *conservi*. Diurnum mancipiorum erat libra farris vel panis. Horatius Sat. 5. l. 1. . . . . . *Rogabat*

Denique cur umquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret; tenui sic, tamque pusillo.

℣. 51. Dividet eum, portionemque ejus ponet cum hypocritis. Servum authoritate abutentem herus a se abjiciet, & munere spoliabit. Quem primo inter conservos loco esse jusserat, illum ita habebit, uti haberi solent fugitivi, infideles, fallaces, perfidi: id enim hoc loco est *hypocrita*. Lucas 12. 46. *Cum infidelibus*. Tetrum in carcerem dabit, ubi *erit fletus & stridor dentium*, Et ibi feret, quibus digna fuerit ipsius perfidia & intemperantia (58).

Sunt (59) qui vertant (60): *Dissecabit eum*; supplicio, ut ajunt, apud Orientales vulgari. Daniel ad alterum e Senioribus, qui Susannam damnaverant, ait c. 13. 54. *Angelus Domini scindet te medium*. Author Epistolæ ad Hebræos xi. 37. ad hoc supplicii genus alludit, ubi, ut creditur, de Isaiæ nece agit.

Alii (61): *Interficiet*: animam a corpore sejunget. Apud Hebræos *separare*, dividere, interdum est interficere. *Vade*, ait ad Moysem Deus Exod. 19. 24. & dic populo, *ne ascendant ad Dominum, ne forte dividat illos*. Agensque de Ozæ nece Sacer Scriptor (62), inquit: *Separavit Dominus Ozam*. At unum est, quod hisce interpretationibus repugnat; nimirum, cum dixerit Christus, servum nequam ab hero divisum iri, addit, ipsum mox inter infideles servos habendum in carcere, ubi gemitus & stridor dentium futuri sunt. Illum igitur adhuc viventem ponit; nisi alteram partem tropice usurpes, ut illum in tartara dejectum iri asseras, ibi inter desperantium fremitus futurum.

(53) Chrysost. Homil. 78. (54) Hieronym. hic; Ambros. lib. 8. in Luc. Hilar. hic. (55) Vide Exod. 11. 5. Isai. xlvii. 2. Judic. xvi. 21. Homer. Odyss. 20. (56) Ita Cantab. Stephan. B. cod. Leicestr. Sax. Heb. Munst. & Tilii, Codd. Latini multi; Chrys. Hilar. Juvenc. (57) Ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται. (58) Vide Hieronym. Auth. Oper. imperf. Euthym. Mald. (59) Montan. Tremel. Hammond. ex Tertull. Apolog. c. 9. Camero, alii. (60) Καὶ διχοτομήσει αὐτόν. (61) Mald. Beza, Schmid. alii. (62) 2. Reg. vi. 8.

C A P U T XXV.

Parabola de Virginibus decem, dominoque pecuniam servis tribuente, ut quæstum ex ea faciant. Dei judicium, cui adfuturi sunt & boni & mali. Misericordiæ opera erga Christum, in suorum personis exercita, vel neglecta.

℣. 1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: 3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: 4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ

stræ extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. 10. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. 11. Novissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. 13. Vigilate itaque, quia nescitis, diem, neque horam. 14. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. 17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 22. Accessit autem, & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. 23. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es; metis, ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti: 25. Et timens abii, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est. 26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi: 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique, quod meum est cum usura. 28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. 29. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. 31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: 33. Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. 34. Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. 35. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: 36. Nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. 37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? 38. Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? 39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? 40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41. Tunc dicet his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. 42. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: 43. Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. 44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? 45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

℣. 1. SIMILE ERIT REGNUM CÆLORUM ... EXIERUNT OBVIAM SPONSO ET SPONSÆ (1). Parabola hæc ex Capite superiore sequitur. Hortatur hic Discipulos Christus ut vigilent, dum terribilem adventus sui diem, excidio Jerosolymæ significatum, expectant. *Simile erit*, inquit, *Regnum Cælorum decem virginibus, quæ exierunt obviam sponso*: scilicet, opus est, ut Fideles ita soliciti

[1] Græcus legit solummodo: *Obviam sponso*, Ἐξέλθετε εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου. Codices plerique manu descripti consentiunt; neque ex Origenis, SS. Hilarii, Hieronymi, & Chrysostomi commentariis videntur hi *sponsæ* nomen legisse.

liciti sint (a), uti virginum manus, domo egressarum, ut obviam eant sponso, qui sponsam ducit domum. Cum Ecclesia ex bonis malisque coalescat, electis ac reprobis, prudentes in ea virgines sunt, & fatuæ. Sponsus est Christus, Sponsa Ecclesia, dies, qua Sponsus domum venit, suprema est judicii dies.

Ut parabolæ sensum apte assequaris, animadverte, quæ olim fuerit nuptiarum consuetudo, ad quam hoc loco Christus alludit. Sponsam adibat Sponsus, eamque ducebat domum, plerumque noctu, ritque solemni. Hic erat nuptiarum finis. Cum Sponsa ex altera urbe in alteram transiret, puellæ ejus urbis, ex qua migrabat, abeunti honoris causa præibant, micantem præferentes facem: idque in decem hisce virginibus conspicitur. Præter has, suæ erant comites sponsæ ac pedissequæ, uti uniuscujusque opes & conditio ferebant. Hic porro usus in toto ferme Oriente nostra ætate conspicitur (3). Legimus in 1. Macchab. 9. 37. quid evenerit Jambri, nobili viro, sponsam ducente ex Medaba. Nuptiarum pompam describens Hesiodus (4), ait: *Alii fabrefacta in curru ducebant viro uxorem, multusque hymenæus excitabatur. Et procul ab ardentibus facibus fulgor resplendebat in manibus famulorum. Mulieres autem venustate florentes præibant.* Nuptias describit Statius, quibus Musæ cum facibus aderant. *Sylv. lib. 1.*

Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque novena
Lampade solemnem thalamis coeuntibus ignem.

Apud Persas longus servorum ac puellarum ordo cum facibus novas nuptas comitatur.

Accipientes lampades suas. Apud alios in usu erant tædæ ex pingui arbore, crassa materia, igni opportuna, indutæ. Hebræi lampadibus utebantur, inquiunt Rabbini, itemque Ismaelitæ, vel Arabes (5). Istud tamen lampadum genus aliud erat a nostris; & lux aliqua huic loco afferenda est: si enim vulgares fuisse lucernas putaveris, non satis intelliges, quid illud sit, quod fatuæ virgines, acceptis lampadibus, oleum simul non comparaverint; lampadibusque deficientibus, oleum a sociis postulaverint.

Lampadum igitur seu tædarum veterum genus erant, quæ oleo alebantur, quod unusquisque in vase penes sese deferebat, atque ubi opus esset, infundebat. Has ita describit Gallonius (6): Lutea erant vasa, seu ferrea (7), quorum os superius patebat palmo, sive unciis quatuor, vel paulo amplius; inferiori parte in cuspidem desinentia, in lignum quoddam inserta, quod manubrii loco erat. Pinguis materia cum oleo, aliave re, igni flammæque alendis opportuna, infundebatur. Harum lampadum reliquiæ inter vetusta urbis Romæ rudera adhuc inveniuntur. Teste Bernerio (8), Optimates apud Mogolis Regem, noctu inter faces ad Regis tentorium conveniunt: at eæ faces ex cera non sunt, uti apud nos solent. Eæ quibus utuntur Iodi, diutissime ardent; nihilque sunt aliud, præterquam ferrum fusti insertum, cujus cuspidi obvolvitur linteum vetus, oleo identidem perfusum. Is autem, qui facem fert, oleo rigat ope vasis ærei, vel ex ferrea bractea, oblongo collo, quod oleo plenum semper manu gerit.

Virginum igitur lampades hujusmodi erant; quas oleo impleverant prudentes, quippe quæ sponsum sero venturum præviderant; fatuis modico contentis, quod quantocius absumptum est; eoque deficiente, fatuarum lampades extinctæ sunt. Lampades militum Gedeonis (9) hisce fatuarum virginum lampadibus similes fuisse arbitror, tædas scilicet, veteri linteo obvolutas, oleo identidem perfusas, ut ignis & flamma alerentur: vulgares etenim lampades ineptæ fuissent usui, ad quem adhibebantur. Qui enim fieri potuisset, ut inter belli tumultum, effuso in hostes cursu noctu arderent? ventis insuper & imbribus expositæ, certissimo oleo effundendi discrimine? Adde, quod imbecillius est nostratium lucernarum jubar, quam ut in solemni pompa, de qua Christus, aut in bellico strategemate, veluti sub Gedeone, sufficeret.

℣. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes; inconsideratæ nimirum, & prudentes; quæ futurum praviderent, aut negligerent. Oleum inconsideratis virginibus deficiens, est fides, charitas, bona opera, vigilantia (10). Fatuis virginibus fides est imbecilla, languida charitas, sedulitas neque assidua, neque constans. Lampades fidem significant (11), quam fatuæ prudentesque virgines accepere: at fatuæ charitatem bonaque opera cum fide non conjunxerunt.

℣. 5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Sponsi mora indicat, vicinum non esse alterum illius adventum. Somnus decem virginum mors est (12); fortasse etiam præsens vita, in qua boni simul & mali tempus alterius Jesu Christi adventus, suæque ipsorum mortis ignorant. Illud tamen inter utrosque discrimen est, quod Justi, tametsi non semper harum rerum cogitatione occupati, nunquam vacui metu sunt, semperque fidem & charitatem servant; assidua bonorum operum exercitatione detinentur: quamvis autem dormire videantur, nunquam non parati sunt discedere, & lampadum ignem excitare. At impii securi omnium vivunt, nulla præsentium cura, nullo futurorum metu, nulla denique officiorum solicitudine.

℣. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. Nox est incerta expectatio adventus Filii, qua unusquisque tenemur (13). Incautos, idque minime expectantes occupabit vocabitque. Veteres nonnulli (14), hæc ad verbum usurpantes, Christum nocte intempesta venturum arbitrabantur. Judæi, teste S. Hieronymo, Messiam noctu venturum putabant: *unde reor*, ait, *& traditionem Apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. Clamor* ingens, veniente Sponso exauditus, idem est, qui Capite superiori (15) significatur tubæ clangore, Domino veniente olim inflandæ (16).

℣. 9. Ite potius ad vendentes. In altera vita, inquit S. Hilarius (17), nemini confidendum est rebus, quas alii bene gesserint, sed propriis uniuscujusque virtutibus: *Alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum.* Unusquisque sententiam subiturus est, qualem bona vel mala illius opera postulaverint: *Neque possunt in die judicii alio-*

[a] August. Serm. olim 23. nunc 93. Origen. Hieron. Maldon. alii hic. [3] Chardin, Voyage de Perse, pag. 283. & Cotovic, Voyage de Jerusalem, chap. 9. & alii. [4] Hesiod. Scut. Hercul. v. 271. [5] Selden. Uxor Hebr. lib. 2. cap. 1. [6] Gallonius de Cruciatib. Martyr. cap. 6. [7] Columell. lib. xiii. cap. 18. *Vasa vinaria quæ demissa sunt humi, ferreis lampadibus ardentibus calefiunt.* [8] Bernier, Lettre 2. a M. de Merville, pag. 34. [9] Judic. vii. 16. [10] Chrysost. Theophyl. Euthym. Origen. Hilar. Hieronym. Auth. Oper. imperfect. [11] Orig. Hilar. Hieron. Auth. Oper. imperfect. August. Serm. 93. nov. edit. olim 23. [12] Hilar. & Chrysost. hic; August. Epist. olim 120. cap. 32. nunc 140. [13] Hieronym. Theophyl. Beda; Hilar. hic; August. Epist. 120. nunc 140. Gregor. Homil. 12. in Evang. [14] Vide Chrysostom. Euthym. Hieronym. hic. [15] Matth. xxiv. 31. Confer 1. Thess. iv. 15. & 2. Cor. xv. [16] Ita PP. Origen. Chrysostom. Author Operis imperfecti. Hieron. Euthym. Theophyl. August. Epist. 140. nov. Edit. [17] Hilar. hic; & ita & Chrysost. Hom. 59.

aliorum virtutes aliorum vitia sublevare, inquit S. Hieronymus. Quam prudentes virgines dedere, ait S. Augustinus (18), *non consulentium, sed irridentium est ista responsio*.

℣. 10. Dum autem irent emere, venit Sponsus. Vides hic inutilia malorum desideria, inanemque pœnitentiam, suprema divini Judicii die. Non semper inutile est, supremis vitæ articulis pœnitentiam amplecti: nullis enim temporum finibus Dei misericordia clauditur; & quolibet tempore hominem servare potest Deus. Alter latro, jam e cruce pendens, Christum & agnovit & confessus est. At suspecta nunquam non fuit Ecclesiæ piisque viris eorum conversio, qui supremis dumtaxat vitæ articulis resipiscunt, ac tum denique a peccatis discedunt, cum a libidinum suarum deliciis destituuntur. Quam multi autem sunt, quos occupat mors, antequam de conversione cogitent? *Dum autem irent emere, venit sponsus*.

℣. 12. Nescio vos: ex nuptiarum mearum convivis non estis, sed alienæ, quæ nihil aut mei aut novæ nuptæ gratia præstitistis. Vos non novi amicitia, benevolentia, approbatione. *Sufficit virginibus pro pœna, quod ignorantur a Sponso*, inquit hic S. Hieronymus.

℣. 14. Sicut homo peregre proficiscens. Altera parabola, superiori simillima, cum idem sit in utrisque Jesu Christi propositum. Ducet Christus, unumquemque suprema Judicii die redditurum rationem omnium, quæ ex ipso acceperit, tum ex interioribus animi opibus, tum e donis exterioribus: exhibitis comparandæ sanctitatis adminiculis; traditis sibi muneribus; hominibus unicuique creditis; denique omnibus totius vitæ gestis. Simillimam huic parabolam narrat Lucas XIX. 11. sed illam Christus alio tempore proposuit; imo & adjunctis quibusdam, quæ ab hac penitus abludunt.

Homo iter aggrediens, ipse est Christus, qui ad Cœlum ascendens, corporalem sui ipsius præsentiam Ecclesiæ subduxit (19). Servis significantur Fideles, ac præsertim Apostoli & Pastores, qui Apostolico in munere illis successere (20). Tradita servis talenta, ex quibus quæstum fieri jubet, rationem severissime exacturus, sunt naturalia corporis & animi ornamenta, supernaturales gratiæ, scientia & eloquentia, munera, magistratus, dignitates, quicquid denique largitur Deus, ut iis in illius obsequium & gloriam nostramque ipsorum sanctitatem utamur.

Altera est magis ad verbum interpretatio, ad Jesu Christi propositum accommodatior: ostendere nimirum Judæis voluit, ipsus, neglectis institutionibus, a se traditis, exclusionis suæ sibi causam fore. Seduli ac fideles servi, qui ea herili pecunia quæstum faciunt, Apostoli sunt, & ex Judæis ii, quibus datum est, ut Jesu Christo crederent. Servus nequam, herilem pecuniam abscondens, neque ex ea quæstum faciens, Judæos pertinaces atque infideles indicat, qui visitationis fortunarumque suarum tempus non agnoscentes, Evangelio aures præbere, fructumque ex eo referre neglexerunt. Miserrima gens rejicitur, ceu inutiles servi, ineptissimi, nullius pretii, nequam, indigni: ex heri domo atque ex aula convivii ejiciuntur. Idem atque hujus institutum est parabolæ de minis decem, quas herus decem servis distribuit, apud Lucam XIX. 13.

℣. 15. Unicuique secundum propriam virtutem (21). Consuevere olim locupletes quæstum facere per servos; unumquemque enim occupabant, uti singulorum ingenium, probitas ac fides postularent; agris nimirum exercendis, vel artibus, mercatura, negotiatione, aliisque faciendis, in quibus pecunia labore vel arte augeretur (22). Herus, de quo in parabola, iter aggressurus, cum suis ipse rebus vacare nequeat, pecuniam servis tradit, ut ex ea lucrum ferant. Eadem ferme agendi ratio in Deo animadvertitur erga Ministros: suum enim ille unicuique talentum tribuit, præteritique usus rationem exigit (23).

Hæc tamen est mortalium dominorum, supremique Patrisfamilias differentia, quod is author est gratiarum atque habituum naturalium, vel supra naturam, quibus ipse illos instruit, quibus utitur, tum etiam recti illorum usus: at mortales domini in iis, quibus credidere pecuniam, industriam, fidem, prudentiam vel inveniunt, vel inesse putant. Quo autem luculentius omnipotentiæ suæ specimen exhibeat Deus, iis delectatus instrumentis, quæ proposito ineptissima videantur, nequis sei gestæ gloriam usurpet. Quæ tenuissima inter homines fuere, elegit, ut validissima probro afficiat. Eos prætulit, quos mundus ignarissimos existimabat, ut falsam eruditorum sapientiam irrideret (24). Electis a se Ministris ipse adminicula largitus, viresque rebus agendis pares: idque iis verbis innuit: *secundum propriam virtutem*. Nostrumque unusquisque talentum a Deo accepimus; nostram singuli rationem reddituri. Nemo est, qui jure hoc dicat: Nihil accepi; nihil debeo. Omnia debemus Deo, cum omnia a Deo acceperimus (25).

℣. 16. Qui quinque talenta acceperat, lucratus est alia quinque. Si Dei donis & gratia bene utare, dignus efficeris, ut ea tibi augeantur (26). Inter cæteros autem ii, qui proximorum conversioni & saluti laborant, eos Deus abunde illis cumulat, si bene in ipsius obsequium utantur.

℣. 18. Abscondit pecuniam domini sui. Eam neque in domini gloriam, neque in fratrum salutem, neque in rectam sui ipsius institutionem confert. Dei sui gratiam frustra accipit (27); ignem a Christo in terras delatum opprimit; facem sub modio condit; gloriam, quæ Deo, & opem quæ proximis debetur, aufert. *Nulli prodesse*, cum potes, *impium & crudele est*, inquit S. Augustinus (28). *Nonne hoc docuit dominus meus? Non enim damnavit servum, qui interverrit quod accepit, sed qui non erogavit. Intelligatur pœna interversoris ex pœna pigri ... Non ait, Dedi tibi, & non mihi, quod dedi, integrum reddidisti: quia non erogavit, quia non erogasti, inde, inquit, te puniam. Avarus est Deus salutis nostræ*.

℣. 21. Intra in gaudium domini tui; vel ad convivium, ad nuptias; id enim hoc loco significat *gaudium*. Apud Hebræos (29) festi dies, convivia interdum *gaudium* absolute & lætitia nuncupantur. Hoc porro contrarium iis est, quæ de nequissimo servo dicuntur, illum scilicet ex convivio ejectum iri, domo exclusum, dudumque aeris injuriis, nocturnoque gelu expositum: *In tenebras exteriores*, ℣. 30.

Intra in gaudium Domini tui. In læto illo convivio, quo gaudium pro heri adventu celebrabatur, famulus ille nequam ejicitur in tenebras exte-

[18] August. Serm. 93. olim 23. [19] Orig. Hieron. Beda, Auth. Oper. imperf. [20] Chrysostom. Hieronym. Beda, Euthym. Theophylact. Maldon. hic; Ambros. in Luc. XIX. Et alii plerique.
[21] Κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν. [22] Petron. Trimalcion. *Postquam cœpi plus habere, quam tota patria mea habet, manum de tabula: sustuli me de generatione, & cœpi libertos fænerare*; scilicet, pecuniam dedi, ut ex ea quæstum facerent. [23] 1. Cor. XII. 4. 5. & sequ. *Divisiones gratiarum sunt ... & divisiones ministeriorum sunt ... & divisiones operationum sunt; idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus*.
[24] 1. Cor. I. 27. [25] Vide Chrysost. Homil. 79. in Matt. Greg. Homil. 9. in Matt. [26] Auth. Oper. imperf. Maldon. alii [27] 2. Cor. VI. 1. [28] Augustin. Enarrat. in Psalm. XCIX.
[29] משתה Vide Genes. XXXI. 27. 1. Par. XXIX. 22. Esther IX. 19. Le Clerc, Pisc. Scult.

exteriores, nempe extra domum noctis tenebris ingruentibus.

℣. 24. Scio quia homo durus es, &c. Mala nequissimi servi excusatio, inertiæ suæ culpam, qua creditam sibi pecuniam fœnori non exposuit, in domini sævitiam regerentis. Ineptam criminationem non refellit Christus, quæ tametsi vera esset, nihil nisi servi culpam augeret. Vide ℣. 27. & Lucam xix. 22. *De ore tuo te judico, serve nequam*. Id solummodo postulat Deus, quod dedit, inquit S. Bernardus (30): *De sola tibi credita talenta respondere para, securus de reliquo ... Totum da, quia totum repetendus es, atque ad novissimum quadrantem: sed sane quod habes, non quod non habes.*

℣. 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis; et veniens ego recepissem cum usura. Si usuræ nomen hic proprie usurpes, dicito, patrem familias a Christo ita loquentem induci, uti fert nequitia, quam domino inesse nequissimus servus criminatur. Me esse hominem ais durum, impium, sævum, avarum, fœneratorem? cur ergo quæstum ex pecunia non fecisti, fœnori saltem tradens? Herum aut sævum aut avarum esse non fatetur, neque fœnus probat; sed nequissimum servum ex ipsius responsione refellit. Dici etiam illud potest, *nummularios* hosce, quibus opus erat domini pecuniam a servo dari in quæstum, mensos fuisse *collybistas* (31), qui lucrum ea pecunia relatum cum eo qui mutuam dedit pecuniam, dividebant. Denique cum Hebræi nefarium non esse censerent fœnua cum hominibus alieni generis exercitum (32), locus existimandi est, nummularios hosce pecuniam fœnori nonnisi alienis dare consuevisse. At neglectis parabolæ ambagibus, illud omnino perspicuum est, docere voluisse Christum, nihil nobis negligendum esse, ut dona, quæ Dei beneficio accepimus, qualibet in conditione positi, sive in nostram ipsorum institutionem, sive ad proximorum salutem atque utilitatem, augeamus. Patres (33), qui talenti appellatione Dei verbum innui putant, parabolam de fructu in audientibus parto interpretantur.

℣. 28. Tollite itaque ab eo talentum, &c. Dona negligentibus, vel uti opus est non utentibus, aufert Deus (34), eaque aliis tradit. Respuentibus Evangelii donum Judæis, Deus Ethnicis dedit. Quam multi sunt, qui ad sanctissimum vitæ institutum accersiti, donis & adminiculis cumulati, fide deficientes, gravissima in flagitia præcipites ruerunt? Deo interim alios e flagitiis revocante, quos ex ignominiæ vasis in gloriæ vasa convertit. Judas inter ipsos Jesu Christi Discipulos impius est, Paulus dum Christum persequitur, vocatur ad fidem. Suprema judicii die, cujus figura est tempus illud, quo Dominus rationem e servis exigit, Deus quidem dona, quibus abusi fuerint, impiis non auferet, sed gloriam, qua illi indignos sese præbuerunt inertia, sedulitate & fide comparandam, Justis largietur.

℣. 30. Servum inutilem, nullius pretii, nullique muneri aut rei aptum, nequissimum mancipium. Illud scilicet emerat dominus, ut sibi & servitutem & lucrum præstaret. *Inutilis* apud Scripturam (35) pro *mala* sæpe usurpatur. Servum hic significat, heri ejusque rerum minime studiosum. Vide Lucam xviii. 10. Malum civem Tullius (36) *civem inutilem* nuncupat: *Seditiosum & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit?*

℣. 31. In majestate sua. Græcus (37): *In gloria sua*. Et paulo post: *Sedebit super sedem gloriæ suæ*, pro, *super sedem majestatis suæ*.

℣. 32. Congregabuntur ante eum omnes gentes; inter quas ille, pastoris instar, hircos ab ovibus, bonos a malis, prædestinatos a reprobis sejunget. Hic generale hominum omnium Judicium apertissime significatur: sunt tamen ex Antiquis (38), qui alio loco freti (39), quo fertur, *Qui non credit, jam judicatus est*, dubitent, utrum omnes penitus homines, tum Ethnici, tum Christiani, judicio sint adfuturi. Asserit Ecclesia; locumque ex Joanne ita explicant vulgo Theologi, cum scilicet qui non credit, jam judicatum esse, nimirum ita certe damnatum, ut novo Judicio, novoque causæ examine opus non sit. Ethnicus est: ergo damnatus. Quatuor hominum ordines in supremo Judicio enumerat Beda. Erunt qui judicium in cæteros exerceant, ipsi non subeant; Apostoli nimirum, quos secum una sessuros Christus pollicetur (40), ut duodecim Israelis Tribus judicent. Nonnulli neque exercebunt judicium, neque subibunt, quippe in quos pronunciata jam est damnationis sententia; impii scilicet atque Infideles. Alii & judicium subibunt & ferent; Fidelium nempe multitudo, qui Evangelicas institutiones servaverint. Postremi denique non judicabunt, sed judicium subibunt, & damnabuntur; mali nimirum Judæi, qui ante Christum fuere, malique Christiani; qui post Evangelii prædicationem, fidei suæ sanctitatem pessimo vivendi instituto profanavere.

Colligi videtur ex his Christi verbis, Judicium certo aliquo in loco habitum iri; atque hunc fore vallem Josaphati, & veterea nonnulli censuere (41), & nostra ætate vulgus putat, iis verbis Joelis fretum (42): *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat; & disceptabo cum eis ibi super populo meo*. Supremus Judex in olivarum monte sedebit, ex Zacharia (43). *Egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum*, &c. hominibus ad montis radicem collectis in vallem Josaphat, uti diximus.

Ajunt alii (44), Judicium in Calvariæ monte futurum. Scribit Paulus (45), Justos raptum iri in aera, obviam Christo, ubi is ad hominum judicium descenderit. Censuit Origenes (46), gentes in universam terræ faciem colligendas esse & revera si omnes cum corporibus homines adfuturi sunt Judicio, quemadmodum nullus esse videtur dubio locus; amplissimo opus erit spatio, ut omnes contineantur. S. Hieronymus in ℣. 27. *Stultum est*, inquit, *eum* [*Judicem*] *in parvo loco, vel abscondito quærere, qui totius mundi lumen sit*. Mihi certe vallis Josaphat apud Joelem certus Palæstinæ locus esse non creditur; cum nullum ejus nominis locum veteres Geographi agnoverint. *Josaphat* Dei judicium sonat. Vallis igitur Josaphat absolute est locus, in quo Deus judicium est habiturus.

℣. 34. Possidete paratum vobis Regnum. Græcus (47): *Hereditaria percipite*, ut hæredes Patris, sociique Filii in hæreditate, Regnum vobis Christi morte comparatum, vobisque destinatum gratuito prorsus beneficio ante mundi exordia, quod vos ipsi bene agendo promeruistis, *Esurivi*

(30) Bernard. Epist. xxi. (31) Vide sup. Matth. xxi. 12. (32) Deuteron. xxiii. 20.
(33) Origen. Hilar. Chrysostom. Hieronym. (34) Vide Chrysostom. hic, Homil. 79. (35) Vide Matth. xxii. 36. Job xv. 16. Psalm. xiii. 3. lii. 4. Proverb. vi. 12. Eccli. xv. 20. Mich. ii. 1. &c.
(36) De Offic. lib. 2. (37) Ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ ... ἐπὶ θρόνου τῆς δόξης αὐτοῦ. (38) Vide Origen. hic in Matth. & Euthym. (39) Joan. iii. 18. (40) Matth. xix. 28. (41) Hieron. in Joel. iii. 2. Albert. Remig. Haim. Lyran. Vat. Sa, Jans. Tir. xlii passim. (42) Joel. iii. 2.
(43) Zachar. xiv. 4. (44) Vide Hilar. can. 23. in Matth. xxiv. seu xxv. in nov. Edit. Ita & in exp. xxviii. num. 2. (45) 1. Thessal. iv. 16. (46) Origen. Homil. 12. in diversf. loc. (47) Κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν, &c.

enim, & dedistis mihi manducare, &c. Hac enumeratione docet Christus, quam ingens sit operum misericordiæ meritum.

℣. 38. Deest hic versiculus in vetustis Codicibus Græcis (48).

℣. 41. In ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus. Non, uti ℣. 34. ait; *Qui paratus est vobis a constitutione mundi*; ignis enim æternus & damnatio ex prima Dei institutione non sunt. Invitus quodammodo infernum condidit Deus; ut seditiosos Angelos, malosque homines supplicio afficeret (49). Dæmonis unius nequitia mors in orbem terrarum ingressa est (50). Malorum exitio non delectatur Deus (51); ipsi sibi necem & pœnas comparant impii (52) flagitiis & improbitate. Nemo nisi volens perit. Impios punit Christus igne, & quidem æterno; non ficto, aut perituro, sed verissimo, corporeo, nunquam extinguendo. Impiorum pœna nunquam aut desinet, aut minuetur: nunquam non illorum animas & corpora cruciabit; nunquam enim illorum nequitia mutabitur, invictaque semper futura est pertinacia.

℣. 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. *Quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt?* inquit S. Augustinus (53).

[48] Vide Var. Lect. Millii. [49] Origen. Chrysost. Theophyl. Euthym. Mald. [50] Sap. 2. 24. [51] Sap. 1. 13. [52] Sap. 1. 16. [53] Aug. Serm. olim 38. nunc append. 77.

CAPUT XXVI.

Supremum Christi Pascha. Sacerdotes capiendi Jesu Christi opportunitatem quærunt. Is apud Simonem leprosum cœnat; quo accumbente, mulier quædam illius pedes unguento perfundit. Obloquitur Judas, & proditionem parat. Suprema Christi cœna. Eucharistiæ institutio. Jesus in horto orans, animo angitur. Capitur, duciturque ad Caipham; accusatur; damnatur. Illum abnegat Petrus.

℣. 1. ET factum est cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: 2. Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: 4. Et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. 5. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & fudit super caput ipsius recumbentis. 8. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc? 9. Potuit enim istud vænumdari multo, & dari pauperibus. 10. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me: 11. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus. 14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum: 15. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. 17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? 18. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis, 21. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. 22. Et contristati valde cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? 23. At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29. Dico autem vobis: non bibam amodo

do de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum
in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliveti. 31. Tunc
dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est
enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. 32. Postquam autem re-
surrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus, ait illi: Et
si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. 34. Ait illi Jesus:
Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis. 35.
Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter &
omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur
Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. 37.
Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse. 38.
Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, & vigilate me-
cum. 39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater
mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed
sicut tu. 40. Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Pe-
tro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? 41. Vigilate, & orate, ut non in-
tretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 42. Ite-
rum secundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi
bibam illum, fiat voluntas tua. 43. Et venit iterum, & invenit eos dormientes;
erant enim oculi eorum gravati. 44. Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio
eumdem sermonem dicens. 45. Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dor-
mite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in
manus peccatorum. 46. Surgite, eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet. 47.
Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa,
cum gladiis, & fustibus, missi a principibus sacerdotum, & senioribus populi. 48.
Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero,
ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, Rabbi. Et
osculatus est eum. 50. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesse-
runt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum. 51. Et ecce unus ex his,
qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens ser um
principis sacerdotum amputavit auriculam ejus. 52. Tunc ait illi Jesus: Converte
gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peri-
bunt. 53. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi
modo plusquam duodecim legiones angelorum? 54. Quomodo ergo implebuntur Scri-
pturæ, quia sic oportet fieri? 55. In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad la-
tronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sede-
bam docens in templo, & non me tenuistis. 56. Hoc autem totum factum est, ut
adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.
57. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scri-
bæ, & seniores convenerant. 58. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in
atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret
finem. 59. Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum te-
stimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: 60. Et non invenerunt, cum
multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, 61. Et
dixerunt: Hæc dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare
illud. 62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondens ad ea, quæ
isti adversum te testificantur? 63. Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait
illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. 64.
Dixit illi Jesus: Tu dixisti, verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium homi-
nis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. 65. Tunc prin-
ceps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit; quid adhuc egemus te-
stibus? ecce nunc audistis blasphemiam: 66. Quid vobis videtur? At illi respon-
dentes dixerunt: Reus est mortis. 67. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis
eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, 68. Dicentes: Prophe-
tiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit? 69. Petrus vero sedebat foris in
atrio: & accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras. 70 At
ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis. 71. Exeunte autem illo
januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu

 Na-

Nazareno. 72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. 73. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. 74. Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. 75. Et recordatus est Petrus verbi Jesu; quod dixerat; Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amare.

Cum hic multa dicenda sint, quibus confirmatur sententia negans, Christum in suprema cœna Pascha celebrasse; monitum te volumus, Lector, ut hac de re consulas ea, quæ Dissertationi de hoc argumento subtexuimus, tum quæ adnotavimus in nostra hujus libri Præfatione.

℣. 2. SCITIS QUIA POST BIDUUM PASCHA FIET. Cum Jesus quartam feriam in Templo exegisset, sub vesperam in olivarum montem secessit, ubi noctem agere consueverat (1). Eo in monte docuit Discipulos ea, quæ Capitibus xxiv, & xxv. traduntur. Cum ibi pariter esset, statim postea, ingruente jam nocte, ait, biduo post futurum Pascha, feria scilicet sexta (2): ita enim explicat Toynardus, quem in Evangeliorum Concordia ducem nobis proposuimus. Ardua omnia in illius interpretatione superantur, nulloque negotio conciliantur Joannes cum Matthæo, ut ipsa Commentarii series docebit, ostenditque continuata Evangeliorum Concordia, in fronte hujus libri.

℣. 3. TUNC CONGREGATI SUNT PRINCIPES SACERDOTUM, feria quarta in vesperis, Jesu ex urbe egresso. Constans Ecclesiæ traditio jejunium ea die indixit, diuturnoque plurium sæculorum spatio servavit (3), odio initæ a Judæis conspirationis in Christum. *Principes Sacerdotum* vel sunt Sacerdotalium familiarum Capita, vel Primores e Sacerdotibus, seu denique ii qui Pontificatum gesserant; ab Herodis enim ætate sacra hæc dignitas perpetua non erat. *Seniores populi*, urbis Magistratus, vel præcipua Synedrii, sive Jerosolymitani Senatus membra. Græcus & Syrus addunt (4): *Et Scribæ*; idque cum Luca 22. 2. & Marco 14. 1. consentit: pauci tamen Matthæi Codices manu exarati hæc habent (5).

IN ATRIUM PRINCIPIS SACERDOTUM, in vestibulum. Frequens est apud Evangelistas *aulæ* (6) pro Pontificis atrio seu vestibulo. Amplus erat locus sub dio, ubi ingens hic cœtus habitus est. *Caiphas*, seu *Caiaphas*, vel *Josephus*, ita ab Judæo Scriptore appellatus (7), Pontificatum emerat ex Valerio Grato, cui successit Pilatus. Hunc exauthoravit Vitellius, gesta per decennium dignitate.

℣. 5. NON IN DIE FESTO. Continuerunt se ne Jesum caperent ipso Paschatis festo, & in medio conferti populi, ne quid seditionis cieretur. Idcirco Judas capere illum studuit, dum vel solitarius, vel a paucis comitatus agebat, *ut traderet illum sine turbis*, ait S. Lucas xxii. 6. Manus in illum injecit subeunte nocte, & sine strepitu. Principes vero, & Sacerdotes instare pro ejus nece coram Pilato palam, & in aperto non timuerunt, neque enim metuendus illis fuerat nisi primus populi motus, qui tunc facile excitatus fuisset, si in medio turbæ Jesus caperetur. Illo jam in potestatem suam redacto, facilem inierunt rationem ut populum in suas partes pellicerent traherentque ad postulandam ejus necem, fictis criminibus illum onerantes, & præcipitata sententia damnantes. Authos libri apocryphi inscripti *Sepher Tholedos Jesu* Arabice scripti, & Leidensibus typis impressi an. 1705. fol. 87. scribit Jesum Christum necem retulisse in pervigilio Paschæ, quo & in Thalmude adstruitur. Rem geri oportere ajebat ante festum Paschatis diem, & capi Iesum ea ipsa nocte, vel altera die, seu denique feria sexta, antequam universa multitudo intra urbem colligeretur. *Non in die festo*, neque in populi multitudine, sed ubi solus fuerit. Noverant illi, siquidem Iesus Ierosolymis, vel prope urbem esset, ipsum altera die de more (8) in Templo adfuturum; ac posse tunc capi, statimque damnari, antequam conveniret multitudo, quæ Iesum Messiæ, vel saltem Prophetæ loco suspiciebat. At Iesus, cum illorum consilia probe nosset, atque omnis vitæ suæ momenta in potestate haberet, altera die in Templum non venit; urbemque ingressus est dumtaxat sub vesperam, ut supremam cum Apostolis cœnam ageret. Iudæorum consilia, Christum capere meditantium, nonnisi dies, qui Paschati præibant, vel ipsum diem Paschatis vereri poterant; statim enim absoluto Paschatis die major advenarum pars domum discedebat, ineptaque fuisset deliberatio, capiendus tunc esset Iesus nec ne, quippe qui esset ne in urbe moraturus, ignorareïur; is enim cum cæteris in Galilæam reverti consueverat, cum sedem non haberet Ierosolymis. Huic sententiæ favent magno numero Interpretes (9); quam tueri non poteris, si Christum ipso Paschatis die obiisse putes: secum enim ipsi pugnavissent Iudæi. Censent etiam S. Chrysostomus (10), Theophylactus, aliique, Judæos, oblata Christi capiendi per Iudæ perfidiam opportunitate, illam minime negligere decrevisse. Mutato igitur consilio, illum ipso Festi die neci tradidere.

Sunt (11) quibus videantur Iudæi decrevisse absoluto Iesum demum festo capere. Permulti sunt hujus sententiæ patroni: at quo pacto defendi queat, non video: si enim id volebant Iudæi, cur Iesum publicis in vinculis post absolutam usque Paschatis octavam non detinuere? Præterea, quis illum Ierosolymis futurum post Paschatis festum diceret, cum permulti altera statim Paschatis die discedere solerent?

Moris erat Iudæis, inquiunt (12), ut reos festis diebus necarent: id tamen die diebus festum præcedentibus vel consequentibus intelligendum est; ipsos enim festos dies supplicio vacasse, præter controversiam est (13). Iacobum Apostolum aliquot ante Pascha diebus nece affectum, ex Actis 12 3. 4. discimus; dilatamque ab Herode Petri necem ad dies festum consequentes: traduntque Thalmudistæ (14), Iesum filium Pandit (is est Christus) Diuspoli in Paschatis pervigilio fuisse interfectum. Nobis omnino certum est, Iesum a Sacerdotibus ac

(1) Luc. 21. 37. Ἦν δὲ τὰς ἡμέρας ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων, τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν. (2) V. de Victorem Antiochen. & Apollinar. apud Toynard in Notis ad Harmon. p. 151. & Præfat. Chron. Alex. Vide & P. Lamy, & Vecchietum, Grot. Euthym. Theophylactum, &c.
(3) Jejunii & abstinentiæ usus ea die servatus est ad nonum usque sæculum circiter. Vide Thomassinum, tract. de Jejuniis. (4) Καὶ οἱ γραμματεῖς. (5) Var. Lect. Mill. (6) Αὐλή, Matth. xxvi. 3. 58. xxvi. 69. Ὁ δὲ Πέτρος ἔξω ἐκάθητο ἐν τῇ αὐλῇ. Marc. xiv. 54. Ἕως ἔσω εἰς τὴν αὐλήν. Vide & 66 & xv 16. Luc. xi 21. xxii. 55. Ἁψάντων δὲ πῦρ ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς. (7) Joseph. Antiqu. l. 18. c. 3. (8) Luc. xxi. 37. (9) Mald. Beig. alii plures. (10) Chrysost. Homil. 79. Theophyl. hic. (11) Chrysost. Iacobus ... Bynæ. de morte Christi, l. 1. c. 2. n. 20. alii. (12) Pesichta, fol. 75 Col. 4. Rab. Salom. ad Deut. xvii. 13. alii. (13) Misch. tit. Sanhedrin. c. 4. 5. (14) Thalmud. tract. Sanhedrin.

ac Pharisæis traditum fuisse neci ante Paschatis festum; idque satis hic innuit Matthæus.

℣. 6. Cum autem esset Iesus in Bethania, &c. Hoc gestum est sexta die ante Paschatis diem (15), teste luculentissimo Ioanne 12. 1. atque hic a cæteris narratur ex occasione (16), ut nimirum Iudæ avaritiam, de profuso unguenti vase supra Christi caput obloquentis ostendant; quodque ea die Iudas Christum inimicis prodere decreverit, conveniens idcirco Sacerdotes, cum iisque siclos triginta, sibi numerandos, paciscens (17).

Simon leprosus Bethaniæ civis erat, fortasse Lazari, Mariæ & Matthæ amicus; cum Lazarus, a Christo ad vitam revocatus, in convivio adfuerit, ibique ministraverit Martha, & Maria soror caput Christi unguento perfuderit, Simon *Leprosus* dicitur, vel ex morbo, quo laboraverit, vel cognomine ex majoribus ducto.

℣. 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti; Maria nimirum, Marthæ & Lazari soror, teste Joanne 12. 3. Alia plane hic res agitur ab ea, quæ in urbe Naim contigit (18), in Pharisæi Simonis domo, ubi famosa mulier pedes Christo unxit (19). *Alabastrum* attulit Maria, scilicet vas e candido marmore, cujusmodi in vasis suavia unguenta servabantur. Nonnulla hujusmodi vasorum fragmenta inter Romanarum ædium rudera inveniuntur. *Onyx*, vel *alabastrum* nuncupabatur. *Hunc* onychem, inquit Plinius lib. 36. c. 8. *aliqui lapidem alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur . . . Nascitur circa Thebas Ægyptias, & Damascum Syriæ*. Teres erat vasorum forma, sensim latius patens in superiori parte. Alabastri etymon ex eo ducitur, quod *ansis* careat (20): melius tamen ex Arabica voce *Albatzarea*, alabastrum (21). Si clarissimo Chevreau sit fides, communi appellatione *alabastra* dicebantur cujuslibet materiæ & generis vasa, in quibus unguenta condebantur. Hoc vitreum fuisse, tradit S. Epiphanius. Os vasis fregit mulier, quod angustius esset, quam ut apte unguentum redderet.

Unguentorum usus in conviviis, tota est Antiquitate notissimus; illumque Hebræi inter exquisitissimas delicias recensebant. Vulgaris erat apud Græcos & Romanos. Martialis (22):

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here; sed nihil scidisti . . .
Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur.

Ungenti genus, quo Maria Christum perfudit, silet Matthæus; tradunt Joannes & Marcus; atque hic 12. 3. *nardum spicatum pretiosum*; ille 12. 3. *nardum pisticum pretiosum* nuncupat. Sunt qui crediderint, mendo laborare Joannem, legendumque *nardi spicati*, non *nardi pistici*. Ita legit Beda, nullumque legendi discrimen hic animadvertit. Nostri tamen Codices tum Græci tum Latini, manu exarati, vulgatique typis, uno consensu ferunt: *Nardi pistici*. Visum est nonnullis (23), *pisticum* oriri ex Græco vocabulo *Pistis*, fides nempe & sinceritas, meramque nardum, ac minime vitiatam significare. *Pura distillant tempora nardo*, ait Tibullus. At ex Græci sermonis analogia legendum potius in Græco est, *Nardou pistes*, quam *nardou pistices*, ut sinceram nardum intelligas. Placet aliis de potabili nardo interpretari. Nardum certe olim potionibus misceri consuevisse, comparatum est (24). At, ut huic sententiæ faveas, legi opus est *pistes*, non *pistices*. Joannes Hartungus prælegit: *Nardi Opistici*, ex Opi, urbe prope Babylonem, unguentis laudata: vel *Nardi pistici*, ex urbe *Bista* seu Pista, principe Carmaniæ, seu Provinciæ Cabul apud Indos.

At si aliam lectionem quærimus, nullus dubio locus esse videtur, quin præferenda sit Marci lectio (25). *Nardo spicata* nihil est notius. Hunc novere Galli, *Spic nard.* Frutex est, apud Indos proveniens, longo tenuique culmo, spicas plurimas ferens summa humo. Optimus omnium est is, qui e spicis conficitur, de quo hic sermo est. Alter est *nardus ex foliis*, liquor ex nardi foliis expressus, pretii multo minoris (26).

Effudit super caput ipsius recumbentis. Fractum a muliere vas, & super Christi verticem effusum narrat Marcus (27); & Joannes (28) oblitos eo Christi pedes, & capillis fœminæ detersos. Optime omnia: vas, sive os vasis, vel operculum (29) fregit mulier, seu dumtaxat agitavit (30) unguentum, quod vase continebatur; eoque caput Jesu perfudit, tum quod residuum in vase superfuit, eo pedes Christi oblivit. Alabastrum hoc, teste Suida (31), Constantinopoli servatum est inter sacra Religionis monumenta, quæ collegerat Constantinus. Ad mensam accumbebat Christus, capite pedibusque nudis, de more.

℣. 8. Videntes autem Discipuli, indignati sunt. Maxime omnium Judas questus est inutilem profusionem, eamque jacturæ loco habuit (32). Alii etiam ex Apostolis (33) clam damnavere, erumpentibus fortasse etiam verbis: at Judas palam arguit. *Idem & alii Apostoli senserunt*, inquit S. Ambrosius (34), *sed alio affectu: ille per avaritiam, isti per misericordiam*.

℣. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, id sepulturæ meæ causa fecit. Meam illa sepulturam, debitumque mortuo officium repræsentavit. Innuit his verbis Christus, mortis suæ diem imminere, præstito officio a muliere prævisum. Christum ita loquutum narrat Joannes (35): *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud*. Vel: Sinite id agat, quippe quæ unguentum hoc sepulturæ meæ diem paravit, ac data opera servavit, ut officium quod mortuis debetur, repræsentaret. Ita & Mariæ liberalitatem defendit, & deliciarum invidiam a se avertit.

℣. 14. Tunc abiit unus de duodecim, Judas Iscariothes, ad Principes Sacerdotum, pactusque cum illis est Jesu Christi proditionem. Id gestum est statim post cœnam Jesu in domo Simonis Leprosi (36); sexta nimirum die, feria secunda, ante diem Paschatis festum, qui dies hoc anno in feriæ sextæ vesperam competebat. Levissimæ igitur hujus objurgationis causa Judas Magistrum prodere decrevit.

℣. 15. Constituerunt ei triginta argen-

(15) Feria secunda, 29. Martii, 9. Nisan. (16) Toynard. Haim. Grot. Hammond. alii. (17) Vide Joan. xii. 9. 10. 11. Luc. xxii. 3. Matth. xxvi. 14. Marc. xiv. 10. (18) Luc. vii. 37. . . . 50. Vide Aug. Bedam, alios. (19 Vide Hieronym. hic. (20) Ἀλάβαστρος, ab alpha privativo, & λαβὴ, ansa. (21) אל-בצרה. Vide Cleric. ad Hamm. hic. (22) Martial. lib. 3. Epigr. 12. Vide Bynæ. de morte Christi l. 1. c. 3. art. 12. (23) Le Clerc, hic. Vadian. Ep. de Insul. Mar. Medit. apud Hamm. Vat. Erasm. Capell. de Dieu. (24) Hist. de Bello Hispanico: *Ipse de tempore cœnavit; vinum & nardum identidem sibi infudit.* Æschylo sunt οἰνηρὰ μύρα, ea quæ in potum præbentur; & Χριστὰ, ea quibus ungitur corpus. (25) Erasm. Grot. Hamm. Brug. Bez. Camero. (26) Plin. l. xii. c. 12. *Cacumina nardi in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas, & folia celebrant.* (27) Marc. xiv. 3. Συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς. (28) Joan. xii. 3. *Unxit pedes Jesu.* (29) Vide Hamm. hic; Syr. Copticam vers. Toynard. not. p. 149. Lud. de Dieu, Drus. Grot. (30) Hamm. hic. Συντρίβω apud Hesychium sonat interdum agitata veluti cum agitatur liquor, ut melius fluat. (31) Suid. in μύρον. (32) Joan. xii. 4. (33) Marc. xiv. 4. Ἦσαν δέ τινες ἀγανακτοῦντες πρὸς ἑαυτούς. Ita Patres plerique. (34) Ambros. in Psal. xl. n. 3. (35) Joan. xii. 7. Ἄφες αὐτὴν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. (36) Chrysost. Theophyl. Euthym. alii.

τεοα, vel ſiclos, ex noſtro numiſmate libras octo & quadraginta, ſolidos duodecim, ſex denariolos. Vulgare mancipii pretium erant ſicli triginta, ex Moyſe Exod. 27. 32. Nummi duo argentei Romæ & Lutetiæ Pariſiorum videntur (37), quos ex iis fuiſſe ajunt, quibus venditus eſt Chriſtus: at rei nummariæ eruditis cenſentur Rhodia eſſe numiſmata, quorum in parte altera caput Coloſſi, Solem ſignificantis, eſt; in altera roſæ imago, urbis Rhodi ſymbolum.

℣. 17. PRIMA DIE AZYMORUM ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM, rogantes, quem Paſchati celebrando locum eligeret. Immolabatur Paſcha in Templo die decima quarta Niſan ſub veſperam, ſcilicet a ſecunda poſt meridiem hora, uſque ad ſolis occaſum: iiſdemque in veſperis comedebatur, per eam ipſam noctem, ex qua initium ducebatur diei decimæ quintæ Niſan, quæ dies revera Paſchatis Feſtum appellabatur (38); feſti enim Hebræorum dies initium ducebant in veſperis, & in alteris veſperis claudebantur: a veſperis denique ad veſperas celebrabantur Levit. 23. 32. Advenæ Jeroſolymam convenientes, ut omnia ad Paſchatis celebrationem compararent, aulam aliquam ſeu cœnaculum ſtatim occupare ſtudebant, ubi Paſcha comedendum eſſet, curiſque ſecundis quolibet fermenti genere purgabant (39). Porro hæc cœnacula nulla mercede tradebantur (40). Aquam, qua ſubigendus erat azymus panis, opus erat ſuperiori die hauſtam eſſe, & duodecim horarum ſpatio in quiete relictam (41). Panes azymi mane diei decimæquartæ Niſan conficiebantur, eademque die in veſperis in cibum adhiberi incipiebant, qua die initium diei decimæquintæ Niſan erat, & convivii ferculum erat Agnus Paſchalis. Animadverſiones haſce ex libris Hebræorum hauſimus, & in ſingulis hujus narrationis partibus explicabimus.

Feria igitur quinta in veſperis, quo tempore di es decimaquarta Niſan incipiebat, Diſcipuli a Chriſto quæſivere, quo is in loco Paſcha comedere decreviſſet, ut cœnaculum ſibi compararent, purgarentque azymo, ut altera die in veſperis agni Paſchalis convivium ibi haberi poſſet. Mactandus erat agnus Paſchalis & comedendus altera die, feria ſexta, die decimaquarta Niſan, in veſperia, quo tempore dies decimaquinta exordiebatur. *Prima* igitur *dies azymorum*, ex Apollinario (42), hoc loco eſt dies ante azyma.

PRIMA DIE AZYMORUM. Sunt quibus temere facere videamur, dum hæc verba ita explicamus, *Die azymis præcedente*; putantque, luculentiſſimum eſſe hunc Matthæi locum, ut quintam feriam Paſchatis pervigilium, ſextam vero ipſum Paſchatis diem fuiſſe evincant. At nullo negotio e Scripturis doceo, *primum* ſæpe uſurpari pro *antequam*, neque primum revera ordine aut tempore locum proxime, ſed remote multiſque interjectis deſignare. Ita Moyſes ſancit Deut. 17. 7. *Manus teſtium prima interficiet reum*; teſtes ſcilicet reum ferient, antequam is a multitudine obruatur. Si enim manu teſtium interfectus eſt, quo pacto iterum interficietur? *Prima interficiet*, eſt igitur, *percutiet antequam interficiatur*. In 2. Libro xix. 20. Regum dicitur Semei primus occurriſſe Davidi, ante Joſephi familiam: *Primus veni de domo Joſephi*; ſcilicet, antequam Joſephi familia, Ephraimi & Manaſſis Tribus obviam illi venirent. Harum dux certe non erat Semei, quemadmodum illius verba innuere videntur; ſeſe ille cum Tribu Juda miſcuerat.

Primus Macchabæorum Liber 1. 1. & 6. 2. bis de Alexandro tradit: *Qui primus regnavit in Græcia*. Multos certe ante Alexandrum Reges in Macedonia regnaſſe, compertum eſt: *primus* igitur pro *antequam* uſurpatur. In Macedonia regnavit, antequam Aſiæ Imperium occuparet. Apud Eccleſiaſticum 24. 5. Sapientia dicitur *primogenita ante omnem creaturam*: procul dubio minime creata inſtar cæterorum, neque major ætate illis: æterna eſt, minime creata, intra Deum ipſum genita, antequam res quælibet producerentur. Scribit Lucas 2. 2. cenſum, cujus cauſa Joſephus & Maria Bethlehemum profecti ſunt, primum eſſe a Cyrino habitum: *Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino*. Cyrinum vero eo tempore Syriam provinciam non habuiſſe, quis neſcit? Reddendum eſt igitur: *Hæc deſcriptio facta eſt, antequam præſes eſſet Syriæ Cyrinus*. Paulus ad Coloſſenſes 1. 15. Chriſtum nominat *primogenitum omnis creaturæ*; genitum ſcilicet a Patre, antequam creatæ res quælibet producerentur. Et 1. ad Theſſalonicenſes 4. 15. *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*; ſcilicet, antequam in aera obviam Chriſto rapiantur. Et 1. ad Timotheum 1. 16. *Ideo miſericordiam conſequutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam*. An primus omnium eſt Paulus, in quo Deus miſericordiæ & patientiæ ſuæ ſpecimen exhibuerit? Nequaquam certe; ſed in Pauli converſione miſericordiæ ſuæ exemplum præbuit, ut is cæterorum, qui deinde nomina daturi erant Chriſto, exemplar efficeretur: *Ad informationem illorum, qui credituri ſunt illi*. Et ad eumdem ſcribens (43): *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*; ſcilicet, agricolam laborare oportet, antequam laboris fructum referat. Nonnulla ex Profanis exempla recitavi in Commentariis ad Lucam, ut *primum* pro *antequam* uſurpatum oſtenderem. Quamobrem mirum eſſe non debet, ſi *primam diem azymorum* explico diem azymis præcedentem.

℣. 18. ITE AD CIVITATEM AD QUEMDAM (44), cujus nomen ſilet Evangeliſta, fortaſſe etiam de nomine a Chriſto non deſignatum, ita ut Apoſtolis imperaverit, quemdam ſequerentur, qui aquam ferens urbem ingrederetur (45); eam porro domum, quo hic aquam inferret, eam eſſe, ubi cœnaculum inſtruendum eſſet, ut ſequenti die Paſcha ſimul comederent. Sunt (46) qui cenſeant, hominem, ad quem miſit Apoſtolos Chriſtus, Joannem eſſe Evangeliſtam, vel ſaltem ipſius domum fuiſſe. Qui vero id fieri potuit, cum ipſemet Joannes cum Petro miſſus fuerit, ut una herum domus nomine Jeſu Chriſti rogarent? Videtur aliis (47) domus fuiſſe matris Joannis Marci, Apoſtolorum Diſcipuli, de quo in Actis 12. 25. nullo tamen apud Veteres monumento. Notiſſimus certe fuiſſe videtur patriſfamilias Chriſtus, iſque honoris loco habuiſſe, quod ſuam inter cæteras domum Chriſtus eligeret. Aquam ferebat hic, inquit Toynardus (48), feria quinta in veſperis, ſubigendis ſequenti die azymis panibus deſtinatam. Diſcipuli duo, ad res parandas miſſi, Petrus erant & Joannes, teſte Luca 22. 8. Cœnacula in Paſchatis uſum nulla mercede concedebantur, uti diximus.

℣. 19. PARAVERUNT PASCHA; cœnaculum, menſas, lectos, farinam & aquam, azymis panibus ſubigendis. Fermentum omne e cœnaculo conſueta in his rebus ſolertia abſtulerunt. Qua ſedulitate

(37) Vide Baron. t. 1. Annal. an. 34. & Selden. de Jure N. & G. l. 3. c. 8. (38) Vide Exod. xii. 6. 7. & ſequ. (39) Vide Not. Toynard. in Harmon. p. 87. & 149. col. 1. 151. & Mor. hic; & lib. Peſachim, t. 9. & Sebachim, v. 8. (40) Codd. Joma, fol. 12. a. Gemar. Megill. fol. 26. a. & Gloſſa ibid. (41) Peſachim, fol. 42. a. Gemmar. cum Orach Chaimin, 455. (42) Apollinarius in Catena Gr. in Joann. xviii. 28. in cod. Reg. 147. apud Toynard. not. in Harm. p. 140. col. 1. (43) 2. Timoth. ii. 6. Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. (44) Πρὸς τὸν δεῖνα. (45) Luc. xxi. 10. Marc. xiv. 13. (46) Nicephor. l. 1. c. 28. Cedren. alii Græci apud Baron. an. 34. (47) Alexander. apud Surium, 21. Junii. (48) Toynard. not. in Harmon. p. 131.

te purgarentur fermento cœnacula, ex Rabbinorum, cęterorumque de Judęorum ritibus moribusque scribentium Libris discimus. Agnum etiam fortasse emerunt, si nondum comparaverant; hunc enim quarto vel quinto ante festum Paschatis die parari, jubere videtur Moyses Exod. 12. 5.

℣. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum Discipulis suis. Cum Jesus totum feriæ quintæ diem in monte olivarum egisset, Jerosolymam denique sub vesperam venit, omnibus jam rite a Petro & Joanne paratis. Discubuisse (49) dicitur cum Discipulis Christus. Circa mensam, ex quadrato oblongam, lecti erant ex triplici latere; pars inferior lectis carebat, ut inferri lances & auferri possent. Honestissimus omnium locus in enpite erat medius: accumbebant convivæ, vel cubito innitebantur, porrectis in exteriorem partem pedibus, ad tergum proxime consequentis, capite ferme circa præcedentis pectus. Ita intelligendum est illud quod dicitur Joan. 13. 23. Joannem Evangelistam caput in Jesu sinum demisisse. Cum enim ad Jesu Christi dexteram seu lævam recumberet, caput circa illius pectus habebat, ut illum clam interrogare, & proditorem ab eo quętere, nemine audiente, commode posset.

Sanxerat Moyses Exod. 12. 5. ut Hebræi Paschalem agnum comedentes starent, cincti renes, calceati, baculum manu gerentes, peregrinorum apparatu; quæ omnia hic aliter cernimus. Cœnam hanc Paschalem non fuisse credimus; at hac rituum varietate non movemur (50). Nostra ætate Judæi Paschalem agnum nonnisi sedentes comedunt (51): cujus moris origo ignoratur. Sunt qui censeant (52), latam hac de re a Moyse legem ad primum dumtaxat Pascha, ante egressum ex Ægypto, pertinere.

℣. 21. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Ter prædicit Jesus, sese ab uno ex Apostolis proditum iri; I. initio cœnæ, testibus Matthæo hic & Marco 14. 18. II. lotis Discipulorum pedibus, ex Joanne 13. 18. III. post Eucharistiæ institutionem, quemadmodum Lucas 22. 21. & Joannes 13. 21. docent. Omnino magnopere intererat, scire Apostolos, ipsum sponte mortem obire, ac Judæ proditionem novisse, quam vitare posset, siquidem voluisset (53). Sunt qui credant (54), Jesum facere voluisse Judæ pœnitentiæ & conversionis locum; quamobrem & ipsum usque ad finem expectasse, meroque misericordiæ beneficio ab ipsius nomine abstinuisse.

℣. 23. Qui intingit mecum manum in paropsina, &c. Hæc fortasse dixit Jesus, cum Judas manum simul ad lancem porrexisset; vel intuitus est proditorem, innuens, ipsum a se significari. Vel denique, Judas conscientiæ stimulis agitatus, hæc verba ad se spectare intellexit: quamobrem impudentissime rogavit, ℣. 25. *Numquid ego sum, Rabbi?* Cui Jesus: *Tu dixisti*; at voce adeo submissa, ut cæteri non intellexerint.

Non desunt inter Veteres (55), qui Judam Institutioni Eucharistiæ non adfuisse putaverint; ipsumque, ubi scelus suum a Christo proditum sensit, exiisse censuerint. Ait S. Hilarius, Judam cœnæ finem non expectasse: cui sententiæ plurimi Veterum favent. At Patres (56) & Theologi (57) vulgo asserunt, ex Luca 22. 21. Christum instituto Eucharistiæ Sacramento, hæc dixisse: *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*; turbatosque his verbis Apostolos, ut ait Joannes 13. 22. invicem rogasse, quis illum esset proditurus. Petrus igitur Joanni innuit, quæreret a Jesu, ut proditorem indicaret. Morem gessit Jesus, porrecta Judæ panis buccea, jure merfa. Nequetamen id satis fuit, quominus Apostoli Judam statim egredientem videntes, illum abire crederent, ut aliquid in usum Paschatis compararet.

Veterum nonnulli (58) arbitrantur, bucceam panis jure mersi, partem esse Eucharistiæ, quam Christus Judæ tradiderit. Videtur aliis (59), panis jure mersus ablata consecratione redditus esse communis. At collatis Evangelistarum narrationibus colligitur, id traditu Discipulis Eucharistia contigisse. Tres de Judæ communione sententias recitat Origenes, quarum nullam sequitur. Nonnulli scilicet manducatum a Juda Christi Corpus arbitrantur; alii Judam prohibitum esse docent a Dæmone, ne manducaret; alii denique vulgarem panem Judæ traditum a Christo censent; cæteris vero suum ipsius corpus.

℣. 24. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. In damnatorum censu omnino habendus est Judas; illius enim pœnitentiam Patres desperationem fuisse arbitrantur; nullumque seu vivens seu moriens veræ pœnitentiæ indicium, aut quidquam prædestinato dignum exhibuisse videtur. Fuere tamen inter veteres hæretici, veluti Cainitæ, qui illum inter Sanctos coluerint, & Evangelium, illius nomine inscriptum magni fecerint, testibus S. Irenæo (60), S. Epiphanio (61), & Theodoreto (62).

℣. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, &c. Codices quamplures pro *benedixit*, ferunt, *gratias egit*. Cum Apostoli ad mensam non omnes accubuissent, de more cœnavere: itque cœnantibus, Jesus unum quempiam ex ipsis esse dixit, a quo prodendus esset inimicis, ut diximus ℣. 23. Cœna ad finem vergente, omnibus adhuc cœnantibus, Christus Corporis & Sanguinis sui Sacramentum instituit. Apostolos initio monuerat Luc. 22. 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; Divinum scilicet Corporis & Sanguinis sui Pascha (63), cujus figura & umbra erat Judaicum. Docuit, supremam eam esse cum illis cœnam, quam ipse ante obitum cum illis ageret; post Resurrectionem, iterum cœnaturum (64). Tum acceptum panem, actis Deo gratiis, tot in partes fregit, quot erant convivæ: & singulis præbuit, & ipse comedit (65), eumque panem suum esse ipsius corpus asseruit. Idem de calice præstitit; bibit ipse, & cæteris propinavit, suumque sanguinem esse, novi Fœderis sanguinem, dixit. Ita Evangelistarum narratio conciliatur.

Præstitit tunc Christus id quod olim Discipulis pro-

(49) [illegible]. Marc. XIV. 18. [illegible]. (50) S. Chrysostomus, Theophylactus, aliique nonnulli censent, Christum stantem ex Lege primo comedisse Agnum Paschalem; deinde pro more cœnasse, in lectis recumbentem. (51) Vide Pesachim cap. 10. Halach 1. Buxtorf. Dissert. de Cœna Domini. (52) Scalig. l. 6. de Emend. temp. Tremel. & Paræus ad Matt. XXVI. 20. &c. (53) Vide Maldon. Jans. alios. (54) Vide Chrysost. Euthym. Theophyl. Hieron. Bedam. (55) Constitut. Apost. lib. 5. c. 13. Innocent. III. lib. 4. cap. 11. de Myst. altaris; Hilar. in Matth. c. 30. Rupert. in Joan lib. XII. & in Matth. lib. X. Vide & Theophyl. hic; & Victor. Antioch. ad Marc. XIV. (56) Origen. homil. 35. in Matth. Victor Antioch. in Marc. XIV. Cyrill. Jerosol. Catech. 13. Cyrill. in Joan. l. 9. c. 13. Chrysost. homil. 82. & 83. in Matth. Theodoret. ad 1. Cor. 11. 23. Ep. 44. n. 10. Hieron. lib. 2. contra Jovin. &c. (57) Arnold. serm. de Pass. Domini; Petr. Lombard. lib. 4. sent. dist. 11. Alens. parte 4. qu. 11. D. Thom. sent. 4. dist. 11. art. 2. Soto ad sent. 4. dist. 12. q. 2. art. 2. &c. (58) Vide Concil. Bracar. 3. c. 1. 2. Jul. Papæ Ep. ad Episcopos per Ægyp. dist. 2. de Consecr. cap. 7. Burcard decret. 5. 1. Ivo parte 2. c. 11. Alline. dist. 1. de lib. Græc. &c. (59) Vide Denis Barsalibi, Traite du Jeudy saint, dans la Perpetuité de la Foi tom. 4. liv. 2. ch. 5. p. 148. (60) Iren. lib. 1. c. 35. contra hæres. (61) Epiphan. Hæres. 38. n. 1. (62) Theodoret. Hæretic. fab. l. 1. c. 5. (63) Ita Chrysost. & Origen. (64) Matth. XXVI. 29. Marc. XIV. 25. (65) Vide Matth. XXVI. 26. 27. 28. Marc. XIV. 22. 23. 24. Luc. 22. 17. 18. 19. 20.

promiserat, futurum nempe, ut suam ipsius carnem in cibum, & sanguinem in potum traderet Joan. 6. 35. non ut intellexerant Caphasnaitæ, rudi modo, quem horret natura, cruentum scilicet corpus, in partes divisum, sed verum ipsius Corpus, se & substantia, sub panis specie. His nimirum sub speciebus exhibuit rem, cujus figura erat Agni Paschalis sacrificium. Novum fœdus, pignusque redemptionis eo confirmabatur, Pro agno, qui in monumentum libertatis ex Ægypto mactabatur, suum ipsius Corpus præbuit, victima qua hominum peccata expiantur, & libertas certissima efficitur. Pro cruore, quo obliti sunt domorum postes, ut ab Angelo in cædem sæviente tuti essent, suo ipsius Sanguine nos linit, ut a Dæmonis potestate securos reddat.

Eadem illa virtute, qua Pater creatas res omnes initio ex nihilo eduxit, Filius panis & vini substantiam in suum ipsius Corpus Sanguinemque convertit. Cum ait: Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus; hoc ipsum quod dicit, efficit, miraque prorsus & invisibili ratione mutatio substantiæ perficitur. *Aquam aliquando mutavit in vinum*, inquit S. Cyrillus Jerosolymitanus (66), *in Cana Galilææ: & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporis invitatus stupendum miraculum operatus est, & non multo magis Corpus & Sanguinem suum filiis Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi Corpus, & sub specie vini datur Sanguis, ut sumpto Corpore & Sanguine Christi efficiaris ei comparticeps Corporis & Sanguinis, Χριστοφόρος γενόμενος. Hoc sciens*, sequitur idem (67), *& pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi: & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem esse Christi.*

S. Ambrosius (68), ut admirabilem hujus Sacramenti mutationem probet, pleraque Veteris Testamenti prodigia percurrit; virgam conversam in anguem; Nili aquas in sanguinem; Erythræum & Jordanis alveos arefactos; aquam e rupe eductam; aquas Mara correctas, &c. Denique addit: *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non posset ea quæ sunt mutare in id quod non erant?* S. Hilarius lib. 8. de Trinit. Cum diserte adeo Christus hæc dixerit, *de veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Est ergo in nobis ipse per Carnem, & sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.* Innumera in hanc rem suppetunt Patrum testimonia: at post Berengarium novosque hæreticos tam multa utrinque scripta sunt, ut lectorem ad eos, qui ex instituto hac de re disputavere, mittendum censeamus. Nulla unquam fidei veritas aut majori arte impugnata est, aut melius defensa.

Fuere olim, qui haustu mutui sanguinis fœdera sancirent, veluti Scythæ & Medi, apud Solinum cap. 25. & Herodotum l. 4. Catilina humanum cruorem conjuratis propinavit, quo constantiores in conjuratione redderet (69). Cyaxares Medorum Rex, & Halyattes Lydorum fœdus iniere, mutuum sanguinem delingendo (70). Carmani (71) in convivio tusa frontis vena manantem sanguinem admiscent ei, quam bibendam afferunt, potioni; summam id esse amicitiam putantes, si suum invicem sanguinem gustaverint. Sunt adhuc inter Americanos, qui fœdera sanguine confirment (72). At quis unquam pater filios sua ipsius carne, suoque sanguine aluit? *Quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit?* inquit S. Chrysostomus hom. 83. in Matth. Aut quis dominus vitam ac sanguinem profudit, ut servos redimeret? Hoc nimirum solius Christi est, homines tam effuse amantis, ut ad hos usque fines pervenerit. Porro Christum Jesum suummet corpus degustasse probat Renaudotus Liturg. Orient. tom. 5. pag. 230. 237. ubi Patrum & Theologorum in hanc rem testimonia congerit. Optans Christus Jesus relinquere Ecclesiæ suæ argumentum aliquod perpetuum de inito cum ea fœdere commisit illi corpus & sanguinem suum sub vini & panis specie, mandatum adjungens ut bibat & degustet de corpore & sanguine illo sub imagine panis & vini, quoties sibi libuerit. Nullum novimus sive legis conditorem, sive amicum, sive fœderatum hominem, qui id præstiterit cum eo, quem sibi arcto vinculo jungebat. Familiare est antiquis fœdera sanguine obsignare, ut discimus exemplo fœderis Dei cum Abrahamo, & Dei insuper cum Populo suo, quo tempore illi legem præscripsit, Dei tandem cum familia Aaronica, quo tempore illi Sacerdotium suum commisit. Si fœdera illa instauranda erant, idem ritus innovabatur. Sephora Moysis uxor postquam circumcisione filium suum initiavit, antequam se a viro disjungeret, admonuit: *Sponsum sanguinum tu mihi es.* Initum inter nos fœdus filii mei sanguine obsignavi.

Legimus apud Athenæum lib. 1. Dypnosophist. moris fuisse veteribus Germanis frontem pungere, & ex vulnere sanguinem excipere in craterem, & cum vino potare, ratis ea potus admixtione colligaturos sese invicem perpetuo & inalterabili amore. Scythæ, Herodoto authore l. 4. & Mela lib. 2. cap. 1. non dissimili ritu eductum è vulnere sanguinem colligebant in vase fictili, immergebantque in eo liquore pugiones suos, sagittas, acynaces, tum mixtione illa se totos proluebant. Idem olim Dani præstabant.

Nicetas l. 2. in Isaac Angelo Imperatore narrat Principem illum pacem cum Principe Arabum compositurum potandum illi præbuisse sanguinem suum, ac vicissim ejus sanguinem sibi sumpsisse. Narrat Sallustius de Bello Catilinario Catilinam, quo arctiori sacramento vinciret socios conjurationis suæ, coegisse illos ut humanum sanguinem biberent, De Arabibus vide Nicolai pag 232.

℣. 29. NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS, USQUE IN DIEM ILLUM, CUM ILLUD BIBAM VOBISCUM NOVUM IN REGNO PATRIS MEI. Spectare hic videtur Christus Judæorum persuasionem, qui sese in Messiæ Regno lætos dies & assidua convivia agitaturos sperabant. Hoc ipsum luculentius innuit apud Lucam 22. 29. *Dispono* (paro) *vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Id tamen totum spirituali modo intelligebat Jesus. Convivium electis in hac vita paratum, illud est, quo ipsius Corpus & Sanguis in Eucharistia præbentur; quod vero in Cœlis paratur, voluptatum torrens est, quo ii sunt proluendi (73): deliciæ nimirum, quas nec vidit oculus, nec auris audivit, nec hominis mens unquam intellexit (74). Locum hunc nonnulli ex Patribus ita interpretantur (75): Ex hoc poculo, quod vobis propino, non bibam deinceps, antequam moriar: post Resurrectionem vero iterum bibam. Suam ipsius Resurrectionem *Regnum suum* nuncupat, cum eo tempore Ecclesiam condere, in eaque multo nobilius regnare inceperit. Hæc omnium verissima & probatissima est interpretatio.

℣. 30.

(66) Cyrill. Jerosol. Catech. 4. (67) Idem, eadem Catechesi, sub finem. (68) Ambros. de his qui Mysteria initiantur cap. 9. (69) Salust. Conjurat. Catilin. (70) Herodot lib. 1. (71) Athen. lib. 2. c. 7. (72) Horn. lib. 1. c. 18. de Origin. Gent. Americ. (73) Psalm. 35. 9. (74) 1. Cor. 11. 9. (75) Chrysost. Theophyl. Euthym. Vide & Origen. Hieron. Bedam.

℣. 30. Et hymno dicto, exierunt, &c. Qui Paschalem Cœnam, Lege imperatam, a Christo cum Discipulis habitam esse censent; ajunt his verbis significari Carmina Eucharistica, quæ in ritualibus Judæorum libris leguntur (76), Psalmos nempe CXII. *Laudate, pueri, Dominum*, & CXIII. CXIV. CXV. CXVI. CXVII. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Sunt qui velint (77), novum a Christo tunc editum fuisse hymnum; ferebaturque olim quidam (78), quem a Christo post Cœnam recitatum esse ferebant. Hic tamen ex Apocryphorum libris erat, nunquam ab Ecclesia probatus. Accipe nonnulla illius fragmenta, ex Epistola S. Augustini ad Ceretium collecta:

Hymnus Domini, quem dixit secrete sanctis Apostolis discipulis suis, quia scriptum est in Evangelio, Hymno dicto ascendit in montem; & qui in canone non est positus, propter eos qui secundum se sentiunt, & non secundum Spiritum & veritatem Dei, eo quod scriptum est: Sacramentum Regis bonum est abscondere; opera autem Dei revelare, honorificum est.

Solvere volo, & solvi volo.
Salvare volo, & salvari volo.
Generare volo, & generari volo.
Saltare volo, saltate cuncti.
Plangere volo, tundite vos omnes.
Ornare volo, & ornari volo.
Lucerna sum tibi, ille qui me vides.
Janua sum tibi, quicumque me pulsas.
Qui vides quod ago, tace opera mea.
Verbo illusi cuncta, & non sum illusus in totum.

Carmen est, ut vides, ænigmaticum, id quod apud Priscillanistas plurimi æstimabatur; illudque interpretatur S. Augustinus in Epistola mox laudata; docetque, quicquid boni eo continetur, in sacris canonicisque Libris pari sententia inveniri: quamobrem nullo Ecclesiæ dispendio rejici. Neque totum Carmen tradere voluit S. Augustinus, neque ego hæc simul hoc ordine in iis libris fuisse assero.

Putat Grotius, hymnum, de quo Matthæus, illam esse gratiarum actionem, quam in Joanne legimus, post illa XVII. 1. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum*; & quæ sequuntur per totum Caput XVII. Quamobrem statim subditur, illum cum Apostolis egressum, trans torrentem Cedronis venisse (79). Cur autem non recitasse credatur orationis formulam, quam Judæi post mensam solebant? Esseni, teste Josepho, nunquam, nisi actis Deo, bonorum omnium authori, gratiis, ad mensam accedebant, recedebantque (80). Id etiam servari jubet Ecclesiasticus 32. 17.

Apud Euchologicos Judæorum libros leguntur gratiarum actiones, quibus illi post mensam orant. Convivarum honoratissimus, calicem vini manu tenens, elata voce incipit: *Gratias Deo de bonis, quæ largitus est*. Respondent convivæ: *Benedictus Deus noster, qui aluit nos bonis suis, cujus donis satiati sumus*. Subdit herus: *Benedictus Deus, & benedictum nomen ejus*. Post aliquot ejusmodi benedicendi formulas, convivæ submissa voce recitant illa Psalmi 33. 10. 11. *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites esurient & egebunt: timentes autem Dominum non destituentur omni bono*. Tum convivii dominus elata voce: *Benedictus esto, Domine Deus noster, Rex mundi, qui creasti fructum vineæ*. Denique ipse vinum e calice gustat, cæterisque ordine tradit, singulis leviter gustantibus.

℣. 31. Omnes vos scandalum patiemini in me. Passionis meæ conspectus vos de constantia dejiciet, ac dubios reddet. Hic me prodet, ille abnegabit; relinquent omnes. Neque tamen putaveris, Apostolos omnes, conspecta Christi Passione, fidei defecisse, aut revera dubitasse: nutavit nonnihil fides, fiducia paululum hæsit. Vestigio lapsi sunt; statim surrexere: aberraverint; quam celerrime collecti sunt.

℣. 32. Præcedam vos in Galilæam. Ibi adfuturus sum, vobis nondum eo reversis: illuc vos præcedam. Sese brevi e mortuis rediturum, his verbis ostendit; & antequam absoluta fuerit Paschatis octava, ipsique omnia, quæ a Lege imperantur, in Templo expleverint, sese in vivis fore, & in Galilæa adfuturum. Fas erat, secundo statim Paschatis die ad suos reverti (81), testibus Discipulis duobus, quibuscum in Emmaus iter habentibus profectus est Jesus. Luc. 23. 13.

℣. 33. Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Fervoris sui impetum sequitur Petrus, nec vires consulit. Se cuilibet rei parem esse censet; omnia enim facere & pati Magistri causa non veretur. Tria in Petri responsione peccata animadvertit S. Chrysostomus in Matth. hom. 83. I. quod Jesu Christi vaticinium parum veretur; II. sese cæteris Apostolis præfert, dum cæteris deficientibus sese minime lapsurum spondet; III. viribus suis fidit, cum postulandum esset suæ infirmitati auxilium. Quamobrem Christus labi Apostolum passus est, ut illius arrogantiæ mederetur. Suis ipsum viribus reliquit, superbiæ pœna. At deinde illum eo humiliorem fuisse, notat Chrysostomus, quo arrogantior fuerat. Petrus justam peccando pœnam tulit, inquit S. Ambrosius in Luc. lib. 10. n. 74. *mulctatus, quia dixit se animam ponere: quod non humanæ est infirmitatis, sed divinæ est potestatis*. S. Hieronymus hic nedum temeritatis & arrogantiæ Petrum non arguit, sed illius fervorem, & fidem commendat: *Non est temeritas, nec mendacium, sed fides est Apostoli Petri, & ardens affectus erga Deum salvatorem*.

℣. 34. Antequam gallus cantet, ter me negabis. Marcus 14. 30. fert: *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*; vel, ante alterum galli cantum, ter me es abnegaturus. Singulis noctibus bis canere gallus dicitur; I. circa noctis dimidium; II. circa auroram; quo tempore gallicinium proprie appellatur (82). Collatis autem Marco & Joanne, omnino explicandum videtur de gallicinio circa auroram; tunc enim gallus sæpe cantat. Abnegavit primo Petrus, statimque cecinit gallus Marc. XIV. 68. Post breve temporis spatium, cum illum cæteri & Galilæum & Christi Discipulum agnovissent, bis iterum ille se esse negavit; & gallus secundo cantavit Jo. 17. 27. Unius ferme horæ spatium primam inter & secundam tertiamque abnegationem fluxisse, scribit Lucas 22. 59.

℣. 36. Venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Geth-semani, ad radicem montis olivarum, trans torrentem Cedron, ad orientem Jerosolymæ. *Geth-semani* sonat vallem olivarum, vel torcular olivarum.

℣. 37. Assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, quos olim in Thabore comites habuerat (83); ut quemadmodum testes gloriæ illius fuerant, ita & illius angorem, cruciatum & orationem intuerentur.

Cœpit contristari et mœstus esse. Græca vox (84) sonat hominem dolore penitus oppressum, atque in periculo constitutum, nulla evasionis spe; mœrorem anxietate, angore animi & hæsitatione mistam, lethalem, insuperabilem. Hanc animi oppressionem voluit Christus, & excitavit;

mer-

[76] Vide Brug. in Psalm. CXII. Drus. Observ. lib. 7. cap. 15. Buxtorf. Lex Thalmud. [77] Vide Bedam & Grot. hic. [78] Vide August. Epist. 237. ad Ceretium Episcop. num. 2. & 4. in nov. Edit. [79] Joan. XVIII. 1. [80] Joseph. de Bello lib. 2. cap. 12. pag. 784. & sequ. [81] Deut. XVI. 7. *Maneque consurgens, vades in tabernacula tua*. [82] Bochar. de animal. sacr. part. 2. lib. 1. cap. 17. [83] Matth. XVIII. 2. Vide Hilar. Chrysost. Theophyl. alios. [84] Ἤρξατο λυπεῖσθαι, & ἀδημονεῖν.

mersa interim beatitudinis gaudiis mente. Membrorum suorum infirmitatem in se suscepit, inquit S. Augustinus (8), & simili membrorum sermone uti voluit: *Loquebatur membra in capite, & loquebatur caput pro membris. Sequestrata delectatione divinitatis æternæ*, qua mens fruebatur, utpote cum Divinitate conjuncta, subdit S. Ambrosius in Luc. lib. 10. *tædio meæ infirmitatis afficitur*, Christi mœror argumentum est humanitatis illius, & solatium cæteris, qui membra illius sunt, atque, ut Apostoli verbis utar (9), in se ipsis perficiant ea, quæ Capitis sui perpessionibus desunt. Putant Origenes, S. Hieronymus, S. Hilarius, non mœrere Christum mortis aspectu, sed Discipulorum fuga & dispersione, ipso moriente futura.

℣. 39. Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. *Calicis* appellatione (10) cruciatus & mala in Scripturis significantur. Spectat Christus morem in religiosis solemnibusque conviviis servatum, ubi oblatum convivis per manus calicem, singulis gustandum, qui renuerent, dicebant: *Transeat a me calix*: Liceat non bibere. Duplex est voluntas in Christo, altera est humanam naturam consequens, quæ dolori tormentorum & mortis repugnat; alia vero divina, quæ ardua hæc omnia læta suscipit; quamquam ambæ in eo plene conveniunt ut jussionibus Patris Cœlestis sese submittant: Filio enim nulla est alia voluntas quam Patris: *& quæ placita sunt ei facit semper.*

℣. 40. Invenit eos dormientes. Somnum a mœrore partum fuisse, tradit Lucas 22. 45. Christi verba, quæ toto cœnæ tempore, & post Eucharistiæ institutionem, tum ea quæ ex eo orationem incipiente audierant, spiritum illis intercluserant; & mœror, quo opprimebantur, illos consopiverat. Interdum mœror somni causa vel occasio est.

℣. 41. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Jam nunc experientia discitis, parem non esse voluntatis ardori corporis imbecillitatem; atque aliud esse, vitam Magistri causa morti objiciendam polliceri, aliud revera objicere, cum neque horam unam mecum vigilem agere potueritis: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Denique tantum imbecillitati vestræ diffidendum, quantum vestris viribus confisi estis. *Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus*, inquit S. Hieronymus (11). Sunt (12) qui hæc verba ita interpretentur: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Tentator animosus est & potens, homo autem admodum imbecillis, Hosti validissimo male resistitis.

℣. 45. Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora. Ironicum est (13): Dormite jam, si lubet: vigilare opus non est: venit hora. Reddi Græcus potest (14): *Dormitis adhuc & requiescitis* (15); & opportune, in tempore. Alii (16) serio dicta usurpant: Dormite jam & requiescite: satis diu vigilatum est: *Sufficit*, inquit Marcus (17). Animum parandi ad pugnam tempus non est, sed pugnandi: in proximo est hostis, venit hora. Omnium optima videtur hæc explicatio.

℣. 47. Cum gladiis et fustibus, ferro armatis, vel duratis igne, seu clavis, ut habet Juvencus:

Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clavæ.

℣. 48. Quemcumque osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Consueto amicitiæ signo utitur Judas ad proditionis indicium; fortasse ut hac arte scelus celaret Jesum & Apostolos, si posset. Visum est nonnullis Veterum (18), idcirco cavisse Judam, neque alium milites pro Jesu caperent, quod is aliquandiu antea ita se alium a consueto militibus exhibuerit, ut ipsum non esse crediderint. Tradit Origenes in Matth. hic, vulgatum fuisse, Jesum nunc consueta specie, nunc augustiori, qualis in Thabore fuit, apparere; atque hoc quidem tempore sub nobiliori hac forma fuisse, qua territi milites illum non agnovere; quo intellecto, dixisse Judam: Quem osculatus fuero, hunc tenete: ipse est.

Mihi tamen probabilius est, plerosque satellites fuisse Romanos, quibus ignotus erat Jesus, vel Sacerdotum servos, qui non satis illum noverant, ut inter noctis tenebras, quamquam facium & laternarum ope dissipatas (19), secernerent. Nihil denique in re tanti momenti, tantique flagitii, neglexit proditor, ut res e voto cederet. Minime illum movebant prodigia, quæ ab eo geri tam sæpe viderat, quippe quæ magicis artibus tribueret (20); neque illi penitus credebat. Joan. VI. 65.

℣. 50. Amice, ad quid venisti? Diserte satis Judæ ostendit Jesus, se non latere, quorsum venerit. Osculo ne opus erat, ut me proderes? *Osculo filium hominis tradis?* inquit Jesus apud Lucam 22. 48. Accepto Judæ osculo, ad satellites progressus, rogavit: *Quem quæritis?* Responderunt: *Jesum Nazarenum*: statimque ore supino prostrati retro ceciderunt. Hæc fusius apud Joannem XVIII. 4. 9.

℣. 51. Ecce unus . . . extendens manum, exemit gladium, & uni e servis Pontificis aurem amputavit; Petrus nempe, qui Magistrum in vincula rapi videns Joan. 18. illum armis defendere conatus est. Alterum fortasse e gladiis duobus, qui in cœnaculo fuerant, secum tulerat, id sibi a Jesu Christo permissum arbitratus, ex iis ipsius verbis Luc. 22. 36. 38. *Qui non habet* gladium, *vendat tunicam suam, & emat gladium*. Cumque duos adesse gladios respondissent, Jesus satis esse dixit. Vides hic, ut in reliquis, vividum & acre Petri ingenium.

℣. 52. Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Spectare hic videtur Christus ea Geneseos 9. 6. verba: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Qui privata authoritate privatas injurias ferro ulciscitur, dignus est qui ferro pereat. Neque id eo dicit, quod homicidæ omnes violenta semper morte auferantur; sed quod digni sint morte per gladium illata, ubi gladium lege repugnante exeruerint.

℣. 53. Plusquam duodecim legiones Angelorum. Legio in Romanorum exercitibus sex hominum millia complectebatur. Duodecim igitur Angelorum legiones sunt millia duo & septuaginta. Si alterius ope indigerem, non hominibus duodecim inermibus, & bello inexpertis uterer; sed duo & septuaginta Angelorum millia a Patre in mei præsidium postularem. Absit tamen: qui enim secus impleatur Scripturarum fides de morte, perpessionibus, Resurrectione a me obeundis? *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?*

℣. 55. Quotidie apud vos sedebam, docens in Templo, et non me tenuistis. Singulis anni magnis solemnitatibus Jerosolymam veni, publice docui, diu ibi versatus sum, neque tenere ausi non

[8] August. in Psalm. XL. Vide & in Psalm. LXXXVII. & tract. 60. in Joan. [9] Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi, in carne mea, &c.* [10] Vide sup. XX. 22. Psalm. X. 7. LXXIV. 9. Isai. LI. 17. alibi passim. [11] Hieronym. hic. Vide & Chrysostom. hic. [12] Vatabl. [13] Chrysost. Euthym. Theophylact. Maldon. Erasm. Monst. Pisc. alii. [14] Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, vel ἀναπαύεσθε. [15] Ita Horic. Stephan. & Colomes. Observ. S. pag. 44. Gerhard. Harmon. Evangel. in Passion. cap. 2. [16] August. Beda, Grot. [17] Marc. XIV. 41. Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, & ἀναπαύεσθε· ἀπέχει. [18] Leontius in Joan. XVIII. 5. Theodor. Heracl. in Catena, Chrysost. Theophylact. Cyrill. in Joan. XVIII. 5. [19] Joan. XVIII. 3. [20] Hieronym. Beda.

non estis, Cur vero? Nimirum nolui, decretumque mihi tempus nondum venerat. *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum* Luc. 22. 53. Facite jam quod lubet.

℣. 56. Discipuli omnes fugerunt. Manifesta tunc fuit Christi verborum fides, prædicentis (20) futurum, ut omnes in ipso scandalum paterentur, cum scriptum sit: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*. Reversos deinde Petrum & Joannem, & Christum longe sequutos, in consequentibus (21) videbimus. Primo quidem illi fugerunt, quod simul se vinctum iri metuerent: cum vero sese minime quæri animadverterent, duo hi rediere, ut rei finem aspicerent.

℣. 57. Ad Caipham. Ex Joanne 18. 12. 24. primo ductus ad Annam est, Caiphæ socerum, qui olim Pontifex fuerat; rogatusque ab eo de doctrina & Discipulis, Jesus constantissime respondit, nihil sese clam docuisse, sed publice & in Templo; quamobrem auditores interrogaret. Loquentem Pontificis servus alapa intercepit, inquiens: Ita ne cum Pontifice loqueris? At Jesus: Siquid mali locutus sum, palam facito: si bene, cur me cædis? Illum igitur Annas vinctum, ut erat, ad Caipham generum misit, cui, inquiunt nonnulli (22), commune erat in iisdem ædibus domicilium.

℣. 59. Quærebant adversus eum falsum testimonium. Omnino ad necem rapere meditabantur: at aliquam Juris formam servare cupiebant: falsos igitur testes adversus Jesum ipsi subornabant. Ubi damnandus esset falsus Propheta, vel seditionum author sub Religionis obtentu, quilibet indiscriminatim testes admittebantur, ex Rabbinis, nemine reum defendente. Nullo causæ dicendæ spatio, statim pronunciata in illum sententia reus puniebatur (23).

Hæc gesta sunt noctu, tametsi, ex Rabbinorum sententia (24), ubi de capite ageretur, cœtus noctu haberi nefas esset. Sacerdotes igitur, qui Christum apud se postulatum, reum mortis pronunciavere, omnes juris formas neglexerunt. Fortasse ut hunc solemnis formulæ neglectum repararent, iterum majori numero convenere, ubi illuxit. Vide infra xxvii. 1.

Nefas etiam erat, iisdem authoribus (25), aliquam juris actionem, aut cœtum celebrare de criminum causis per festos dies, aut in festorum pervigiliis. Huic etiam Legi in Christi causa defuere, cum illum, ex plerisque, ipso Paschatis die, & in Paschatis pervigilio, uti nobis videtur, vinxerint, accusaverint, damnaverint. Tradunt etiam Hebræi, Synedrium tunc præter morem in aulam Templi lapidibus stratam coactum fuisse, ut Jesum damnarent, quamvis cogendi eo loco Senatus consuetudo inolevisset. Id porro diserte non narrant Evangelia; ex quibus discimus, illos apud Caipham primo, tum apud Annam convenisse: tertium vero cœtum apud Caipham ne an in Templo habuerint, non constat. Probabile omnino est, id minime neglecturos fuisse Evangelistas, siquidem in Templum ductus fuisset Jesus, ut coram Synedrio accusaretur.

℣. 61. Possum destruere templum Dei, et post triduum, &c. Falsum erat crimen, quemadmodum & præcedentia: sed nonnulla dixerat Christus, quæ locum accusationi fecerant; suo enim ipsius de corpore agens, pronunciaverat Joan. 2. 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Corpus meum destruite, morti tradite: illud ego trium dierum spatio vivum restituam. Hoc volebat Christus; at illi aliter intellexerant. Hæc tamen satis non fuisse ut damnaretur, testatur Marcus (26); fortasse quod nonnisi crimina reipsa perpetrata ab Jure postulentur. Porro ea quæ dixisse ferebatur, certe non fecerat Christus: pollicitus tantummodo, vel, ut illi quidem ajebant, gloriatus destructum iri a se Templum, ac præterea nihil. Quamobrem nulla erat necis inferendæ causa. Pontifex igitur ea ipso illius ore elicere conatur, Messias sit, nec ne, Dei Filius, & Rex Judæorum; ut ex ea confessione damnationis causam aucupetur. Si Messiam se & Dei Filium diceret, impietatis in Deum damnandus erat; si Regem Judæorum, omnino damnandus a Præside, qui Romanorum nomine Provinciam moderabatur. Vide ℣℣. 63. & 64.

℣. 63. Adjuro te per Deum vivum. Solebant Judæi per Dei nomen obtestari, & jusjurandum exigere ab iis, quorum scelus testibus aliave ratione cognosci non poterat. Hac autem solemni formula utebantur Judices, reum interrogantes: *Da gloriam Deo:* quod verum est, eloquere, fatere crimen. Is autem, quem his verbis obtestati fuissent, respondere, & verum fateri debebat (27): unaque illius confessio in dubiis rebus satis esse censebatur, ut vel absolverent vel damnarent. Quamobrem tunc Christus, qui hactenus tacuerat, Pontifici respondit.

℣. 64. Tu dixisti: verumtamen . . . amodo videbitis filium Hominis sedentem a dextris virtutis Dei. Plura respondet Jesus, quam postulatur, nedum enim se Dei Filium esse fatetur, sed venturum se aliquando prædicit, in Dei dextera sedentem, nubibusque circumdatum, ut judicium in homines exerceat. Præcessura tamen erat formidabilis in Jerosolymam, & incredulos Judæos ultio; cum his Christi verbis duo spectentur, supremum Judicium, & Jerosolymæ excidium. Hæc verba (28), *Tu dixisti*, hominis sunt, rem confitentis. Ita res habet sese, uti dicis (29). Vide supra ℣. 25. & Matth. xxvii. 11. Hac locutione utuntur interdum Profani (30).

℣. 65. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit. Reus est mortis, ex Lege Levit. 24. 16. lapidibus obruendus. Vestes simul scidit, auditæ impietatis horrore, consueto apud Judæos in his rebus more (31). Sunt (32) quibus Caiphas ipse peccasse videtur in Legem, vetantem, ne unquam Pontifex vestes scinderet (33). At Interpretum eruditissimi ajunt, Moysis sanctionem ad id tempus dumtaxat spectare, quo Sacerdos sacro ministerio fungebatur, Deoque in Templo inserviebat. Nefas tunc erat luctum agere ob propinqui cujuspiam funus, ipsamque Sacerdotis personam & vestes lugubribus indiciis distinguere. Absoluto autem Templi ministerio, extra sacram ædem, Sacerdoti, non secus ac reliquis Israelitis, fas erat justa propinquis reddere, certis tamen quibusdam conditionibus, in Moyse recitatis (34). Docent Rabbini (35), nefas esse Pontifici sacras solemnesque vestes scindere; cæteras vero vestes licere, modo ex inferiori parte ad summum, cum cæteri Sacerdotes a superiori ad imum scindant, palmi unius vel digitorum sex longitudine.

Quod ad impiam, quam dicebant, Christi responsionem

[20] Matth. xxvi. 31. [21] Joan. xviii. 15. [22] Toynard. Harm. pag. 117. [23] Vide Fag. in Chald. Paraph. Deut. xiii. 8. Maimon. in Hilcoth Sanhedr. cap. 21. Ham. hic. [24] Vide Selden. de Synedr. lib. 2. cap. 9. art. 2. pag. 425. [25] Misna, tit. Sanhedrin cap. 4. & 5. & Maimon. Halach. Sanhedr. cap. 11. [26] Matth. xxv. 59. Οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν. [27] Vide Levit. v. 1. Num. v. 21. Prov. xxix. 24. Judic. vii. 2. & 3. Reg. viii. 31. Hammond. hic. [28] Matth. xix. 28. xxiv. 36. [29] Maldon. Grot. Brug. Capell. alii passim. [30] Euripid. Σὺ δὲ λέγεις ταῦτα, οὐκ ἐγώ. Aristoph. Pluto vers. 96. & 143. Φὴς ἐγώ. Ita est. Plaut. *Scio. Jam miserum dices: Tu dixisti*. [31] 4. Reg. xix. 1. Act. xiv. 13. [32] Baron. tom. 1. Annal. an. 34. Brug. alii. Vide & Hieronym. & Origen. & Theophylact. & maxime Leon. Mag. homil. 55. [33] Levit. x. 6. *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere*. [34] Levit. xxi. 1. 2. & seq. 10. 11. & seq. [35] Misna tit. Horaioth, cap. 3. Vide Hamm. hic, & Selden. de Jure N. & G. lib. 2. cap. 12. pag. 266.

ponsionem attinet, ajunt Judæorum Doctores (1), ut quis mortis supplicio ex Lege obnoxius sit, opus esse, sacrum & ἀνεκφώνητον nomen Jehova, vel unum aliquod e sacris septem nominibus pronunciaverit: Jehova, Elohe, Elohim, Adonai, Eheihe, Sadai, Zabaoth. Alii tamen quodlibet blasphemiarum genus Lege damnari docent. Alii denique, inter utrusque medii, asserunt, quamlibet certe cujuscumque generis blasphemiam morte dignam esse, non ex Moysis Lege, sed civili jure, blasphemiam omnino damnante. Cum igitur dixerit Christus, sese *Dei Filium* esse, non adoptionis jure, quemadmodum pii homines cæteri, sed re & natura, quippe qui Deus esset; II. proditurum se olim sedentem *a dextris virtutis Dei*, scilicet Hebræorum sermone, Dei ipsius; hæc satis superque videbantur, ut mortis sententia in illum ceu blasphemiæ reum pronunciaretur. Lapidibus obruendus erat ex Lege: at Pilatus, Judaicæ Legis ignarus, quippe Romanus, cruce damnavit.

℣. 67. Tunc exspuerunt in faciem ejus, &c. Pronunciata in Christum mortis sententia, cœtum dimisit Pontifex (2), ductusque est Jesus ex aula in atrium, ubi satellites ad ignem sedebant, unaque Petrus. Eo loco milites, & Pontificis servi, ut aliquo ludi genere tempus fallerent, dum illucesceret, Christi oculis vitta velatis, os conspuentes, & colaphis alapisque cædentes, insultando rogabant, percussorem indicaret. Atrox certe convicium, quo falsum esse Prophetam clam arguebant. Cum vatem agas, vaticinare, quis te feriit? Hujus veterum ludi meminit Pollux lib. 9. cap. 7. velato scilicet cujuspiam ore, rogabatur, divinaret a quo percuteretur. Eadem ferme res est, atque apud Gallos puerilis ludus *Colin maillard*, vel *Cligne-musette*, & apud Italos *Mosca cieca*. Quod hic redditur, *palmas in faciem dare* (3), sonat etiam (4), sandalii vel calcei solea cædere. Os alterius conspuere, gravissimam omnium contumeliam esse, neminem latet (5): *Exspuerunt in faciem ejus*.

℣. 69. Petrus sedebat foris in atrio. Petrus, qui rei initio Magistrum reliquerat, deinde animo confirmatus, inter noctis tenebras secutus fuerat, in atrium usque Pontificis, quo illum introduxit quidam Christi Discipulus, Pontifici notus (6). Cum igitur ibi inter Caiphæ servos militesque Christum custodientes, atque, uti diximus, contumeliis & ludibrio habentes, versaretur, unaque ad ignem in atrio & sub dio sederet, ostiaria mulier, quæ Petrum introduxerat (7), illum propius intuita, e Discipulis Jesu esse dixit. Negavit Petrus præsentibus cæteris. Hæc jam prima fuit Petri abnegatio, antequam caneret gallus.

℣. 71. Exeunte autem illo januam, &c. Authore Marco (8), Petrus, postquam primo negavit, ex interiori atrio in vestibulum exiit, simulque cecinit semel gallus. In vestibulum prodierat, fortasse vel ut ex iis ædibus discederet, vel ut sermonem attentionemque illorum turbaret, qui ipsum e Christi discipulis esse suspicabantur. At statim deinde reversum cum altera ancilla illum inter cæteros ad ignem sedentes animadvertisset, ad præsentes conversa, Omnino, inquit, hic ex Jesu asseclis est (9). Alii etiam illum agnovere, dixeruntque Jesu discipulum esse (10); idque Petrus vehementer negavit.

℣. 73. Et post pusillum ... loquela tua manifestum te facit. Judæi omnes Syriaco sermone utebantur, itemque Galilæi: at hi mala quadam ingrataque pronunciatione inter cæteros distinguebantur (11). Unius ferme horæ spatium fluxit primam inter & alteram Petri abnegationem, teste Luca 22. 59. quibus addit Joannes 18. 26. Petrum a quodam Caiphæ servo, cognato Malchi, cui Petrus aurem absciderat, agnitum fuisse, rogatumque, num sese in horto vidisset. Petrus undique in angustias redactus, pejeravit, ne notum quidem sibi esse Jesum. Statim gallus iterum cecinit, stetitque Christi vaticinio fides, supra ℣. 34.

℣. 75. Et recordatus est Petrus verbi Jesu ... et egressus foras flevit amare. Eodem tempore, inquit Lucas (12), Jesus converso ad Petrum ore, illum intuitus est, quippe qui in eodem atrio cum Petro & militibus & Caiphæ servis erat, iisque ludendo fessis, aliquantulum quiescebat. Jesus igitur intuitus Petrum, Discipuli animum alte sauciavit. Ille in lacrymas effusus, statim abiit, neque tota deinceps die apparuit.

Veteres nonnulli (13) crimen Petri verbis extenuare conantur; celatamque ajunt ab Apostolo veritatem, non prolatum revera mendacium. Jesum, inquiunt, ut hominem abnegavit, non uti Dei Filium: dixit, *Non novi hominem*, non dixit, Jesum Deum non novi. Leves hasce excusationes spernit S. Hieronymus (14), quamquam illarum authores silet; si enim, inquit, Petrum excusas, Jesum ipsum mendacii arguis. Prædixerat Christus: Antequam gallus bis cantet, ter me nosse negabis. Non dixit, Negabis te nosse hominem, sed, nosse me. Vide & S. Augustinum in Joannem Tract. 66.

Quamvis autem gravissimum fuerit Petri peccatum, minime tamen fidem amisit Petrus. *Peccavit autem non odiendo, aut spernendo Christum, sed se nimie amando* (15). Sese magis amabat quam Magistrum, imprudens tamen, & sibi minime conscius. Petrum labi passus est Jesus, ut & illius & nostræ arrogantiæ mederetur (16). *In illa negatione intus veritatem tenebat*, sed formidine actus *foris mendacium proferebat*, ait S. Augustinus lib. contra Mendac. cap. 6.

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas;
Cum mens maneret innocens,
Animasque servaret fidem (17).

S. Ambrosius, quamquam acerrimus Petri defensor, fatetur tamen, illum frustra excusari, cum sese non excuset Petrus: *Nos excusamus, ipse non excusavit*. Reum se agnovit Petrus, inquit, dum flevit admissum flagitium, quo non decepit dubia responsione interrogantes, sed absolute Christum negavit: *Et ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur, quia postea recordatus est, & tamen flevit*.

---

[1] Misna, tit. Sanhedr. c. 7. Gemar. Babyl. ibid. fol. 56. Jarchi, ad Levit. xxiv. 15. Maimon. Halac Aboda. [2] Matth. xxvi. 1. Marc. xv. 1. Luc. xxii. 66. [3] Ἐῤῥάπισαν. [4] Heins. Aristarch. Mald. hic. Pers. Satyr. 5. *Solea, puer, objurgabere rubra*. [5] Num. xii. 14. Deut. xxv. 9. Job xxx. 10. Vide Bynæ. de morte Christi, lib. 2. cap. 15. art. 81. [6] Joan. xviii. 15. 16. [7] Joan. xviii. 17. [8] Marc. xiv. 68. Καὶ ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαύλιον, καὶ ἀλέκτωρ ἐφώνησε. [9] Vide Joan. xviii. 25. Marc. xiv. 69. [10] Luc. xxii. 58. Joan. xviii. 25. [11] Vide Buxtorf. Lexic. voce גליל Bochart. Phaleg lib. 2. cap. 15. & Chanaan, lib. 2. cap. 1. & Act. ii. 7. [12] Luc. xxii. 61. Καὶ στραφεὶς ὁ Κύριος ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ. [13] Ambros. in Luc. lib. x. Leo Mag. Serm. 58. Hilar. in Matth. [14] Vide Hieron. hic, & Ep. 149. ad Marcellam. [15] Vide Bernard. lib. de Gratia, & lib. Arbitr. cap. 12. [16] S. Leo, Serm. 68. [17] Prudent. lib. Cathemerin.

CAPUT XXVII.

Jesus ad Pilatum ducitur. Judas desperatione furens se suspendit. Barabbas Jesu Cristo præfertur. Damnatur Christus, ad Calvarium ducitur, crucifigitur. Moritur. Terra tremit. Mortui quamplures in vitam redeunt. Deponitur è cruce cadaver Christi, & sepulcro conditur.

℣. 1. MAne autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & se-
niores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. 2. Et vinctum
adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. 3. Tunc videns Judas, qui
eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos princi-
pibus sacerdotum, & senioribus. 4. Dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At
illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. 5. Et projectis argenteis in templo, recessit:
& abiens laqueo se suspendit. 6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis,
dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. 7.
Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. 8.
Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in ho-
diernum diem. 9. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam,
dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt
a filiis Israel: 10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.
11. Jesus autem stetit ante præsidem, & interrogavit eum præses, dicens: Tu es
Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis. 12. Et cum accusaretur a principibus
sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. 13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis,
quanta adversum te dicunt testimonia? 14. Et non respondit ei ad ullum verbum,
ita ut miraretur præses vehementer. 15. Per diem autem solemnem consueverat
præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. 16. Habebat autem tunc
vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. 17. Congregatis ergo illis, dixit Pila-
tus: Quem vultis, dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? 18.
Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. 19. Sedente autem illo pro tri-
bunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & justo illi. Multa enim passa
sum hodie per visum propter eum. 20. Principes autem sacerdotum, & seniores
persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. 21. Respon-
dens autem præses ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt:
Barabbam. 22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?
23. Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi ma-
gis clamabant dicentes: Crucifigatur. 24. Videns autem Pilatus, quia nihil profice-
ret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens:
Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis. 25. Et respondens univer-
sus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. 26. Tunc dimisit
illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. 27. Tunc
milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam
cohortem: 28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: 29.
Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dex-
tera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum.
30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. 31.
Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis
ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent. 32. Exeuntes autem invenerunt hominem
Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. 33.
Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. 34. Et de-
derunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. 35. Post-
quam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut
impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta
mea, & super vestem meam miserunt sortem. 36. Et sedentes servabant eum. 37.
Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX
JUDÆORUM. 38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones; unus a dextris, &
unus a sinistris. 39. Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua,
& dicentes; 40. Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva

temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. 41. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant: 42. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: 43. Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. 44. Idipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. 46. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli Eli, lammasabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 47. Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. 48. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto; & imposuit arundini, & dabat ei bibere. 49. Cæteri vero dicebant: Sine videamus, an veniat Elias liberans eum. 50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt. 52. Et monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. 54. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. 55. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei. 56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi. 57. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu. 58. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. 59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. 60. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. 62. Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum. 63. Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. 64. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis, & erit novissimus error pejor priore. 65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis. 66. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

℣. 1. Mane autem facto, consilium inierunt, &c. Cœtus ea nocte habitus, quo Christus mortis reus pronunciatus est (1), neque communis omnium fuit, neque juridicus, ex Legum sanctione; clam enim & noctu jus non dicitur. Iterum igitur Jesus ad Sacerdotum Principes, præcipuosque Synedrii Patres ducitur, iterumque rogatur, utrum ipse sit Christus (2); quibus, uti prius, se esse respondit, & futurum olim, ut sese ad dexteram virtutis Dei sedentem conspicerent. Quamobrem illi Jesum ceu blasphemiæ ex suo ipsius ore convictum, mortis reum esse pronunciarunt. Quo loco habitus fuerit cœtus, disputavimus supra xxvi. 59. Habitum fuisse putat Ligfootus (3) in aula Synedrii, docetque, ibi cœtus haberi non consuevisse ante horam diei tertiam, quæ cum nona matutina congruit. Id tamen cum reliqua Evangelistarum narratione non convenit. Illos apud Caipham iterum convenisse, probabilius arbitror.

℣. 2. Et vinctum .... tradiderunt eum Pontio Pilato, Provinciæ Præsidi, nomine Romanorum. Cur vero Sacerdotum Principes ipsi, & præcipui Synedrii Patres Jesum morti non tradunt, ex Lege, cum illum mortis reum esse pronunciaverint? Nimirum, inquiunt, nullo tunc in hominum vitam ac mortem jure fruebantur, ipsis etiam fatentibus; cum enim Pilatus dixisset, ipsi acciperent, atque ex patriis Legibus interficerent, renuentes dixere (4), *sibi non licere interficere quemquam*. Alii tamen sunt, quibus creditur, penes Judæos nunquam non fuisse authoritas eos necandi, quos mortis reos Lex pronunciaret; minime vero eos, qui alio scelere necem mererentur. In hujus sententiæ patrocinium afferuntur exempla Stephani Martyris (5), adulteræ mulieris (6), & aliorum, quos Judæi necavere: quin & ipsos manum sæpe lapidibus admovisse compertum est, ut Christum ipso in Templo interficerent (7). Fatendum igitur est cum SS. Chrysostomo & Augustino, ipsos pronunciare in Christum noluisse religionis causa, quod scilicet festus esset dies (8), quorum dierum sanctitas nulla mortis pronunciatione violabatur. Verebantur illi, ne hominis cæde festum diem polluerent; tum ne seditionem excitarent in populo, apud quem Jesus Prophetæ loco habebatur.

His tamen nequidquam repugnantibus, asserendum nobis videtur, nullam eo tempore fuisse Judæis authoritatem, ut aut interficerent, aut judiciali forma morte damnarent homines, Mosaicæ Legis, aliorumve criminum reos. Licebat qui-

(1) Matth. xxvi. 57. ... 65. 66. (2) Luc. xxii. 66. 67. & sequ. (3) Ligfoot. Hor. Heb. ad Marc. xv. 25. (4) Joan. xviii. 31. (5) Act. vii. 57. (6) Joan. viii. 3. & sequ. (7) Joan. viii. 59. x. 31. (8) Chrysost. homil. 86. Aug. tract. 114. in Joan.

quidem illis subito impetu aliquem occidere, quod illi *Judicium zeli* nuncupabant, nunquam illis vetitum, cum scilicet multitudo, studio Legis rapta, in contumaces impudentesque illius violatores irruebat. Cum autem Jesus publice vinctus fuerit, atque ad Caipham ductus, habitaque juridica quæstione convictus fuerit, confessusque se Messiam esse & Dei Filium, jam nullus erat locus *Judicio zeli*. Judiciali sententia damnandus erat, & supplicio afficiendus.

Dixit quidem Pilatus, ipsi acciperent Jesum & necarent; sed eo dixit, ut iniquissimæ damnationis invidiam e se averteret; Judæi vero oblata potestate uti noluerunt, quod populum metuerent, seseque multitudini invisos ejus necis causa reddere formidarent. Denique ingredi in Prætorium noluere, ne labem referrent, quia nimirum eadem die in vesperis comedendus illis erat Paschalis Agnus, ex nostra sententia; at ex communi, nullus erat hujusmodi circumspectioni locus; jam enim comederant. Animadverte hic, inter ea, quæ Judæi vitio vertunt Jesu apud Pilatum, ipsos in eo potissimum versari, quod sese Regem Judæorum esse diceret, Cæsari repugnabat, seditionem in populo serebat, vetabatque, ne tributum Cæsari penderetur (9); falso quidem omnia, quo sensu ab iis dicebantur; at optime illi noverant, Pilatum non magni facturum blasphemiam quam objiciebant, neque illud, quod sese Filium Dei esse asseruisset. Hæc non quærebat Pilatus, neque his contenta fuisset multitudo. Quærendum erat, utrum ea fecisset Jesus, quæ fidem dictis facerent. Si enim se verum esse Messiam, rebus gestisque satis ostenderat, qui supererat blasphemiæ locus? Res seu tangenda erat, non ciendæ turbæ ex iis quæ dixerat.

℣. 3. TUNC VIDENS JUDAS, QUOD DAMNATUS ESSET, &c. Minime futurum censebat Judas, ut res tam præcipiti cursu ferretur, aut Sacerdotes usque ad illius necem sævirent (10): Sperabat, illum aut prodigio aliquo ex illorum manibus elapsurum, aut gentis proceres, multitudinis metu cohibitos, nihil adversus illum ausuros, donec Paschatis festum absolveretur; eoque temporis spatio novi aliquid eventurum, quo Jesus liberaretur. Quicquid illud sit, cum illum morte dignum pronunciatum esse, missumque a Sacerdotibus ad Pilatum cerneret, ut illius mors postularetur, tunc denique illum inimicorum odiis oppressum iri certo intellexit (11). Quamobrem Sacerdotum & Senatorum Principes adiens, vel apud Caipham, vel in Templum collectos, acceptam ex iis pecuniam reddidit, sese peccasse professus, dum sanguinem innoxium prodidit.

Quo tempore Judæ pœnitentia & desperatio contigerint, disputant Interpretes. Alii (12) enim triginta siclos illum tunc retulisse ajunt, cum pronunciatam a Pilato mortis sententiam in Jesum intellexit: alii illum ad Sacerdotes venisse contendunt, cum adhuc hi apud Caipham coacti essent, vel cum in Prætorio collecti, illius mortem a Pilato magnis vocibus flagitarent. Mihi quidem a Matthæi narratione discedendum non videtur, aut alio rejicienda esse Judæ pœnitentia.

Judæ pœnitentiam Patres uno consensu damnant; non quod mala res fuerit (13), sed quod Judas scelere dolens, de Christi misericordia desperaverit: *Consummato scelere tam perversa impii conversio fuit, ut etiam pœnitudo peccaret* (14). Usque adeo timuit, ut omnem veniæ spem excluserit. At si inutilis illis fuit pœnitentia, certe damnendæ Judæorum nequitiæ & pertinaciæ sufficit, dum ipsam proditoris confessionem audire negligunt (15). Origenes ac Theophylactus in Matth. aliquid tradunt, quod fabulam sapit; Judam nimirum, cum Jesum damnatum, decretamque illius necem cerneret, neque veniam ab illo in hac vita impetrare posset, iter in alteram occupasse, ut ab illo veniam exoraret.

℣. 4. QUID AD NOS? TU VIDERIS: quasi proditoris crimen ad proditionis authores minime pertineat; & iniqua innoxii hominis damnatio, quam ipse proditor agnovit, joci loco habenda sit (16). Adeo cæcus furor Judæos agebat.

℣. 5. ABIENS LAQUEO SE SUSPENDIT. Petrus in Actis (17) ait, Judam, cum se præcipitem dedisset, crepuisse medium, effusis visceribus. Dissidium hoc conciliare Interpretes varia ratione conantur. Putat Theophylactus, cum Judas se suspendisset, ut ait Matthæus, arborem, ex qua pendebat, corporis pondere curvatam, locum fecisse nonnullis, ut opem misero ferrent, qui aliquo deinde tempore vivens, fusa inter cutem aqua crepuit perüitque. Narrat Euthymius, Judam mox suspensum, a rustico aliquo fuisse demissum, conditumque in quodam loco, ubi aliquandiu vixit; at denique lapsum e sublimi loco, e lapsu crepuisse, fusis visceribus. Videtur Papiæ (18) Judas, fracto laqueo, quo is sese ex arbore suspenderat, aliquo tempore superstes fuisse; at mirum in modum inflatus, crepuisse.

Relictis tamen ambagibus, potius dixerim, Judam, cum se suspendisset, ex arbore pendentem esse disruptum; vel ab aliquo demissum, forte super lapides sudesve cecidisse, quo lapsu crepuit (19); vel denique, id quod multo probabilius est, ablatum ab arbore, ex qua se suspenderat, projectum crepuisse, quemadmodum projectis cadaveribus usuvenit. Josepho teste de Bello l. 3. c. 25. qui sibi mortem sponte conscivissent, ii ad vesperam usque insepulti relinquebantur.

Nonnulli recentiores (20) asseruere, satis luculenta non esse Matthæi verba in Græco (21), ut Judas se suspendisse, aut Actorum, ut sese præcipitem dedisse dicatur; significare autem posse, illum mœrore, atra bili, desperatione oppressum obiisse; ac morbi furore actum, pronum in os ruentem crepuisse & expirasse. Quos præfocat angina, ii interdum dirumpi dicuntur. Sunt etiam qui velint, Judam conscientiæ stimulis agitatum & desperatione actum, sese dedisse præcipitem, & ex lapsu expirasse. Hujusmodi tamen interpretationes exquisitiores sunt, ac remotiores ab ea rei explicatione, quam verba Matthæi & Actorum prima fronte statim offerunt. Origenes, & S. Chrysostomus, Theophylactus in Matthæum, & S. Leo Sermone III. putant Judam suspendio sibi vitam abstulisse, antequam Christus moreretur. Vetus Author Quæstionum in vetus & Novum Testamentum ait, id post aliquot dies contigisse (22).

℣. 6. NON LICET EOS MITTERE IN CORBONAM, &c. Hebraice vox *Corbona* significat munera & oblationes, quæ Templo inferebantur; vel arcam, qua hæ condebantur, seu Templi ærarium (23). Lege cautum erat, ne munera e flagitiosis

Y 2 re-

(9) Luc. XXIII. 2. (10) Theophylact. Maldon. Brug. Camero. (11) Mald. Men. Brug. Est. Grot. (12) Juvencus lib. 4. Evangel. hist. & alii plures e recentioribus. (13) Vide Origenem in Matthæum, tract. 35. & lib. 2. cont. Celsum, & Hieronymum hic, qui Judæ pœnitentiam commendare videntur, quemadmodum & Ambrosius in Luc. lib. x. & Chrysost. homil. 82. (14) Leo Magn. serm. de Passione Domini. (15) Ambros. lib. x. in Luc. (16) Vide Ambros. in Luc. x. (17) Act. I. 18. Πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. (18) Papias apud Oecumen. in Acta, cap. I. & Auth. Hist. Scholasticæ. (19) Vide Puricæum hic, & Cleric. ad Hammond. Maldonat. alios passim. (20) Vide Erasm. Heins. Grot. Hamm. Gronov. Dissert. de Casu Judæ. (21) Matth. XXVII. 5. Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. Vide Tob. III. 11. de Sara filia Raguelis: Ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι. Job VII. 15. Suspendium elegit anima mea. (22) Ita Syr. Arab. Vat. (23) Joseph. de Bello lib. 2. cap. 8. Suid. Phavorin. Lud. de Dieu. Hieronym. hic.

rebus, veluti e meretricio, acciperentur (24). Deinde inductum est consuetudine, ut quicquid vel flagitium vel sævitiam continebat, excluderetur: quamobrem rejiciebantur munera publicanorum, exactorum, carnificum; pecunia etiam quam quis perjurio, proditione, cæde hominis comparaverat; quæ omnia *pretium sanguinis* nuncupantur. Visum fuisset probari crimina & cædes, si ejusmodi munera exciperentur. Idem hic mos apud Veteres Christianos obtinuit (25). Vides hic Sacerdotum Judæorum ingenium: pecuniam ex Judæ scelere in ærarium inferre nolunt, & Jesu Christi necem persequi non verentur, inanissimis prætextibus, ineptisque accusationibus freti.

℣. 7. EMERUNT EX ILLIS AGRUM FIGULI, IN SEPULTURAM PEREGRINORUM; Judæorum scilicet advenarum (26), vel etiam ethnicorum (27), sive Proselytorum (28), quos Jerosolymis obire contingeret. Triginta sicli, uti diximus, libras nostrates octo & quadraginta, solidos duodecim, denariolos sex conficiebant. Cum hujusmodi pecuniam immundam esse existimarent, opportunum censuere immundam etiam apud ipsos rem ex ea emere, scilicet vulgare sepulcrum. Id quidem non statim gestum est; at Evangelista continuo ordine ea descripsit, quæ ad proditoris Judæ historiam pertinent.

℣. 8. HACELDAMA, HOC EST, AGER SANGUINIS. *Hacel-dama* (29) Syriacæ voces sunt, & in Græcis Codicibus non leguntur: fortasse ex Actis in Matthæum irrepsere. Ea ferunt vetusti Latinorum Libri, veluti celeberrimus Codex G. L. Cantabrigiensis, & vetus Vulgata Matthæi, a Martianæo edita. Hoc ipsum nomen agro erat, cum Evangelium scriberet Matthæus, septem scilicet vel octo annis post obitum Servatoris. Sepulcrum hoc ad meridiem Jerosolymæ jacuisse scribit S. Hieronymus in locis, ibique pauperum cadavera, & eorum, quibus sepultura denegabatur, condi consuevisse testatur. Druthmari ætate, eo loco hospitalis erat domus in usum Francorum, qui sacrum Palæstinæ iter suscipiebant. Ex Recentioribus Itinerariis discimus, agrum esse angustissimum, fornice clausum, quem super fornicem vulgo gradiuntur, veluti super podium, patentibus in inferiorem partem foraminibus quibusdam, instar spiraculorum. Hujus loci humus adeo acris esse dicitur, ut minori quam trium dierum spatio cadavera absumat. Vide D'Arvieux t. 2. pag. 170. & des Breves pag. 167.

℣. 9. TUNC IMPLETUM EST QUOD DICTUM EST PER JEREMIAM, &c. Recitatum hoc loco vaticinium apud Jeremiam non legitur, sed apud Zachariam XI. 11. 12. his verbis: *Dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in Domum Domini ad statuarium*, figulum. Agit hic Zacharias de Messia, sub pastoris imagine, accipientis curam gregis a cæteris derelicti, & laniena devoti; quem cum diu curaverit, mercedem postulat, quemadmodum hic dicitur. Judæi vero, quasi pastoris sui officium respuant, argenteos triginta illi exhibent; vel potius pecuniam proditori tradunt, cujus perfidia e medio tollitur pastor, cujus objurgationes justamque severitatem ferre non poterant. Vide nos in Zachariam.

Unde autem Jeremias hic pro Zacharia? Censuere nonnulli (30) ex mendo librarii. At si mendum est, certe est vetustissimum, cum ab ipsa Origenis ætate hujus difficultatis solutio quæreretur. Ajunt alii (31), nullius Prophetæ nomen ab Evangelista hic positum fuisse, suffectumque librarii arbitrio Jeremiam, relictum deinde antiquitatis obsequio. Sunt tamen Græci Codices, Latini, Syriaci, Arabici, Persici (32), apud quos minime legitur, sive ii descripti fuerint ex vetustioribus, a quibus illud aberat, sive erasum ab iis fuerit hoc nomen, quippe a loco alienum. Videtur aliis (33) fieri potuisse, ut Matthæus memoriter laudans Prophetam, memoriæ lapsu Jeremiam pro Zacharia scripserit; ii vero qui deinde fuere, quamquam mendum satis agnovere, corrigendum minime censuerint, cum id magnopere non interesset. Evenisse id ait S. Augustinus (34) occulto Dei consilio. *Quid intelligendum est*, inquit, *nisi hoc factum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri, ut animo Matthæi Evangelium scribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri solet: quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne viventem hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quæ Sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen Prophetæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit*. En S. Augustini sententiam, quam fuse hoc loco recitandam censuimus; ubi vides, putare Augustinum, Evangelistam in hac re confisum non esse sua ipsius memoria, Sacrosque Scriptores Spiritui Sancto nonnisi instrumenta esse scribendi.

Alii sunt (35), qui hunc locum & Jeremiæ fuisse velint, & Zachariæ; in Jeremia vero desiderari, sive Judæorum fraude deletum, sive alio casu amissum. Dominicus certe Magrius in Libello, cui titulus est, *Apparentes S. Scripturæ Contradictiones*, ait, exhibitum sibi ab Abrahamo Echellensi Arabicum Librum manu exaratum, cui titulus, *Liber margaritarum pretiosarum*, cujus Author tradit, erasam fuisse ab Judæis ex Jeremia sententiam a Matthæo recitatam, odio Jesu Christi, quæ sententia, invitis illorum artibus, in latentibus quibusdam libris sic servata est: *Tunc dixit Jeremias ad Phescior: Jam diu cum patribus vestris estis contrarii veritati: filii autem vestri, qui venient post vos, perpetrabunt peccatum magis enorme, quam vos, quia appretiabunt illum, qui non habet pretium, & pati facient eum qui sanat morbos, & dimittit peccata. Et accipient triginta argenteos, pretium illius, quem emerunt filii Israel*.

Jam olim suspicatus est Origenes (36), hunc Jeremiæ locum a Matthæo haustum fuisse ex apocrypho aliquo Jeremiæ libro; atque asserit S. Hieronymus, ostensum sibi a quodam Nazaræo apocryphum Jeremiæ volumen, ubi tota hæc sententia fuse describebatur. Nonnulli Jeremiæ loci in 2. Macchab. 2. 1. leguntur, quos in Jeremia non habemus. Multa servabantur apud hominum memoriam gesta dictaque Prophetarum, extra illorum libros, testibus Josepho (37), & Vitis Pro-

(24) Deut. XXIII. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini*. (25) Vide Constitut. Clem. apud Hammond. hic. (26) Grot. hic. (27) Hilar. in Matth. can. 32. (28) Gerhard. Hammond. Bynæ. lib. 2. cap. 5. de Morte Christi. (29) חקל דמא Ἀγρὸς αἵματος. (30) Ita Author Comment. in Psalm. sub nomine Hieronymi, in Psalm. LXXVII. 1. Euseb. lib. X. Demonstr. cap. 4. Beza, Gomar. Piscat. Bynæus lib. 2. de morte Christi, cap. 8. art. 23. 24. 25. 26. &c. ubi fuse de hoc loco disputat. (31) Brug. Jansen. Maldon. Baron. (32) Vide Var. Lect. Mill. August. lib. 3. de Consensu, cap. 7. Lyr. Brug. Jans. Maldon. alios. (33) August. lib. 3. de Consensu, cap. 7. 8. Beda hic; Erasm. Drus. Caarcbui. Gloss. ordinar. Glass. Philol. lib. 1. tract. 2. (34) Augustin. lib. 3. cap. 7. num. 30. (35) Zeger. hic; Ger. Joan. Vossius, Harm. Evang. lib. 2. cap. 3. Colomes. observ. sacr. p. 52. Vide Grotium hic. (36) Vide Origen. in Matth. hic. (37) Vide Joseph. de Bello lib. 5. cap. 2. in Latino; seu lib. 4. cap. 18 in Græco, &c.

Prophetarum, a Pseudo-Epiphanio & Dorotheo conscriptis.

Plura animadvertit Grotius apud Zachariam (38), quæ hic imitatus est ex Jeremia. Ipsimet Judæi vulgo ferunt, Jeremiæ spiritum in Zacharia consedisse. Quamobrem fieri omnino potuit, ut Zacharias in libro suo traderet ea, quæ dixerat quidem, non scripserat Jeremias. Docent Græci (39), ea Pauli verba Ephes. v. 14. *Surge qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus*, desumpta esse ex Jeremiæ scriptis, quæ in Canone non recensentur.

Josephus Medus lib. 4. ep. 31. & Hammondus ad Hebr. 8. dubitare videntur, utrum Capita Zachariæ IX. X. XI. ipsi tribuenda sint: multaque in iis animadvertunt, quæ Jeremiæ, non Zachariæ temporibus conveniunt. Profecto Psalmorum liber multa complectitur, a Davide aliena, tametsi totus Liber Davidis nomine inscribitur; multasque fert Proverbiorum Liber sententias, quæ Aguri filio *Jake* tribuuntur. Asserunt insuper, nullam esse canonicam authoritatem, quæ omnia Zachariæ adscripta fœtum illius esse doceat. Imo Matthæus luculentissime tradit, hanc sententiam, quæ in undecimo Zachariæ Capite legitur, ad Jeremiam pertinere. Hæc illi; quos æquo majora velle puto, dum tria auferunt Zachariæ Capita, ut unicam Jeremiæ sententiam restituant.

Censent quidam (40), duas simul sententias a Matthæo esse recitatas, ex Jeremia alteram, & alteram ex Zacharia. Porro ita solere Scriptores Novi Fœderis, præter controversiam est; cujus moris varia suppetunt & apud Evangelium, & apud Paulum exempla (41). Plura illi simul miscent loca, & ex pluribus unum faciunt proposito servientem, quem deinde Prophetis generatim tribuunt, vel uni alicui ex Prophetis seu Scriptoribus, cujus verba recitavere, omissis cæteris. Hic Matthæus Jeremiam citat, quod Jeremias agrum emerit in Anathoth, ut ostenderet, post captivitatem in eadem regione emendos fore agros & vendendos (42). Hic porro ager figura erat alterius, empti pecunia, quam retulit Judas: Zachariam vero silet, de triginta siclis agentem, Pastori mercedis nomine oblatis. Vel hanc amplectere interpretationem, vel alteram, quæ mendum librarii hic esse putat; seu denique tertiam, quæ locum ex vetere aliquo Jeremiæ libro, nostra ætate amisso, deductum, & Zacharia adoptatum esse arbitratur. Ipsa Prophetæ verba adamussim sequutus non est Matthæus, sed vaticinii sensum, eumque proposito accomodavit (43).

℣. 11. Jesus autem stetit ante Præsidem. Hoc fusius narrat Joannes 18. 28. Ducto ad Prætorium, vel ad Præsidis domum Jesu, summo mane, Sacerdotes ac Synedrii Patres, qui illius necem postulaturi venerant, cum ingredi noilent, ne pollucrentur, pollutisque nefas esset ea die in vesperis Pascha comedere, Pilatus domo egressus, Sacerdotes interrogavit, quid causæ adversus Jesum ferrent. His respondentibus, sese illum nonnisi flagitiosum fuisse adducturos, acciperent igitur, ait ille, & ex patriis legibus interficerent, siquidem reus haberetur. At Judæi vetitum sibi esse dixerunt quemquam interfice. Addit Lucas 23. 2. criminatos esse Judæos, quod Jesus turbas in populo cieret, vetaret reddi tributum Cæsari, seque Regem Judæorum diceret. Pilatus in Prætorium reversus, & in tribunali sedens, Jesum de tribus hisce interrogavit Joan. 18. 33. quæsivitque, Rex esset, nec ne. Asseruit Jesus, at Regnum sibi ex hoc mundo non esse. Pilatus denuo egressus Prætorio, palam Judæis aperuit, nullam in homine causam mortis inveniri.

℣. 12. Et cum accusaretur a Principibus Sacerdotum, &c. Cum Sacerdotes necem Christi magnis vocibus postularent, Jesus neque his accusantibus, neque iterum interroganti Pilato quidquam respondit. Clamantibus autem accusatoribus, turbas in populo ab illo cieri, eumque id agere numquam destitisse, ducto a Galilæa initio; quæsivit Pilatus, esset ne hic Galilæus; cumque illum ex Herodis ditione esse intellexisset, illum ad Herodem misit Luc. 23. 5. 6. Profectis ad Herodem Jesu & accusatoribus (44), monitus est Pilatus invidiæ causa illum a Judæis ad necem postulari.

℣. 15. Per diem autem solemnem, &c. Putabat Pilatus, inituram se rationem Jesu e Sacerdotum manibus liberandi, populo nimirum intercedente. Moris hujus, solvendi scilicet vincti unius festo Paschatis die, origo neque in Lege neque in Judæorum historia legitur. Servatus tamen animadvertitur in quorumdam Romanorum Imperatorum Rescriptis, sancientibus, ut solemni Paschatis die vincti omnes, qui in carceribus detinentur, liberi dimittantur, præter quædam criminum genera, in Rescriptis enumerata (45). Syrus, aliique nonnulli (46) putant, vinctos singulos in singulis festis diebus Paschatis, Pentecostes, ac Tabernaculorum a Romanis Præsidibus dimitti consuevisse.

℣. 16. Habebat autem tunc vinctum insignem, Barabbam, publicis in vinculis detentum, seditionis & homicidii reum (47). Censebat omnino Pilatus futurum, ut nequissimi sicarii comparatione præferretur Jesus & liberaretur. Veteres quidam hunc ipsum appellant *Jesum Barrabam*. Vide Origenem in Matth. tract. 23. & Interpretem Armenum. Tradit Origenes ætate sua extitisse codices Græcos, qui nomini Barabbas alterum *Jesus* non addunt, ne scilicet venerabile Christi nomen scelesto homini adjectum profanaretur.

℣. 19. Misit ad eum uxor ejus, dicens, &c. Tiberio imperante, Proconsules ac Præsides uxorem ducere in provinciam cœpere; id quod antea vetitum illis erat. Monitum uxoris narrat hic Matthæus ex occasione: cæterum id nunciari viro jusserat uxor ab ipso rei exordio, cum is pro tribunali sederet, quæstionem de Jesu habiturus, ℣. 11. 12. Graviter animo excruciatam sese in somnis ait, Justi illius causa. Somnium hoc nonnulli (48) ex Dæmone ortum fuisse censent; cum enim is in rei alicujus suspicionem venisset, vereri cœpit, ne suum ipsius Imperium Christi morte everteretur. Alii somnium a Deo missum fuisse arbitrantur (49). Deum timebat Pilati uxor, ex Origenis, S. Chrysostomi, ac Theophylacti sententia, & salutem consecuta est. Asserit Cornelius a Lapide, illam a Græcis in Sanctarum numero fuisse recensitam. Vincentius Bello-

(38) Confer Zach. 5. 4. & Jerem. xvII. 11. & xxxv. 15. Zach. I. 16. & Thren. IV. 17. & Zach. III. 8. cum Jerem. xxIII. 5. &c. (39) Grot. hic. (40) August. lib. 3. de Consensu, cap. 7. Heinsius Exercit. sacr. in Matth. xxvII. & Sanctius ad Zach. XI. 12. & ad Jerem. xxxII. 14. & Glass. Philol. sacr. lib. 1. tract. 2. (41) Vide Matth. xxI. 5. ubi laudat Isai. LXII. 11. & Zach. IX. 9. Vide & Matth. xxI. 13. ubi recitat Isai. LVI. 7. & Jerem. VII. 11. Vide Act. I. 20. ex Psalmo LXVIII. 26. & CVIII. 8. Vide & Rom. III. 10. & 11. 12. (42) Jerem. xxxII. 9. 14. 15. 43. (43) Hieronym. lib. 2. in Amos cap. v. *In omnibus Scripturis sanctis observandum est, Apostolos & Apostolicos viros in ponendis testimoniis de vetere Testamento, non verba considerare, sed sensum.* (44) Matth. xxvII. 15. Marc. xv. 10. (45) Valentinianus, Theodosius, & Arcadius. Vide Grotium hic. (46) Beza, Schmid. Cocceji alii. (47) Luc. xxIII. 19. Marc. xv. 7. (48) Author Epist. sub nomine Ignat. ad Philippens. Author serm. de Passione sub nomine Cypriani; Beda, Anselm. Hist. Scholast. Anastas. tract. ad Maximum lib. 1. pag. 163. (49) Ambros. lib. x. in Luc. Origen. Hieron. Chrysost. Euthym. Theophyl. Leo Mag. serm. XI. de Passione, Grot. Maldon. Brug.

Jovacensis apocryphum Nicodemi Evangelium recitat, in quo *Claudia Proscula* nominatur; itemque apud pseudo Lucium Dextrum, & Nicephorum lib. 1. c. 30. qui Christianis sacris initiatam fuisse scribunt. Dubia, incerta, apocrypha.

Alii denique certant, cum hæc Jesum, quem ex fama sanctissimum esse virum noverat, publicis vinculis detentum esse intellexisset, illius animum utraque hac imagine occupatum, natura sua in hoc somnium erupisse. At notam mulieri fuisse Christi capturam, antequam ea cubitum iret, probabile non est, cum Christus circa noctis dimidium detentus fuerit, extra urbem, Pilato penitus inscio; ductusque ad Sacerdotes, & apud hos ad solem usque custoditus, summo mane traditus fuerit Pilato, qui eodem tempore & captum & damnatum esse Jesum intellexit. Somnium uxori, non Pilato contingere voluit Deus, nequis illud confictum esse a Pilato, aliquam solvendi Jesu causam comminiscente, criminaretur.

De Procula, quod nomen fuisse uxori Pilati fertur, animadvertere licet in pseudoevangelio Nicodemi supprimi nomen illud, sed legi tantummodo *matronam ipsius Pilati procul posita*. Ex quo forte procusum nomen Procula, seu Proscula. Vide Cornelium a Lapide & Menologium.

℣. 24. Accepta aqua, lavit manus. Rem fusius narrat Joannes 19. 1. . . . . 15. Cum omnia movisset Pilatus, ut Jesum dimitteret, eumque crimine vacuum pronunciasset, aliqua tamen ex parte morem illis gerendum esse censuit, & Jesum probro aliquo affectum, esse dimittendum. Illum igitur virgis cædi jussit, permisitque, ut milites purpureo quodam pallio velatum, spineo diademate redimirent, arundine inter manus posita, sceptri loco; atque ita ornatum populo exhibuit, futurum sperans, ut multitudinis furor eo spectaculo sedaretur: at frustra. Jesum itaque tertio in Prætorium ducens, denuo quæstionem habuit: tum Prætorio egressus, nullam damnationis causam in eo se invenire, palam edixit. Cum autem populus vehementius clamaret, ac minitaretur, Pilatus lavit manus, eo ritu significans, sese mortis illius invidiam a se smovere.

Ritus lavandi manus in his rebus, neque apud Græcos notus erat, neque apud Romanos; sed in fœderibus sanciendis, in quibus totum corpus lotione lustrabatur, vel manus dumtaxat lavabantur, cum sacra Diis superis fierent (1). Cum vero Diis inferis litaretur, lustrali aqua solummodo corpora aspergebantur. Virgil. Æneid. 6.

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Manus, vel corpus totum lavabant (2), cum vel hominis cædem, vel corpus cruore in acie fuso expiarent. Æneid. 2.

Me bello e tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Athenæus lib. ix. Mos erat veteribus, quando sive cædem homini, sive animantibus intulissent lavare manus in purgationem piaculi. Apud veteres enim optimum & grave habebatur manus lavara.

Pilatus igitur, ad hos Ethnicorum ritus alludens, ut sese ab Justi hujus cæde expiaret, manus coram lavit, ut luculentius significaret, quam vehementer iniquissimum istud odium execraretur. Ita explicant Casaubonus, Beza, Heinsius, Meryllus, Schmidius, aliique (3).

At plerisque videtur Pilatus allusisse ad Judæorum consuetudinem, moremque in ea se illis gessisse, qui animi sententias non verbis modo, sed typicis etiam actionibus & rebus indicabant. Plura ejus rei exempla in Scripturis occurrunt. Sed ut in præsenti re versemur, Psalmista bis cauit (4), se *lavisse manus inter innocentes*; justitiam scilicet atque æquitatem coluisse, neque sanguine, neque hominis cæde inquinatum. Deuteronomii 21. 5. lege sancitur, ut Seniores urbis, cujus in agro cæsi hominis cadaver inventum fuerit, manus lavent super juvencæ caput, deinde mactandæ, ut regio ea cæde expietur. Pilatum excusare videtur S. Hieronymus hic, omnemque sceleris invidiam in Judæos rejicere. *Ego minister sum legum: vestra vox sanguinem fundit.* Hominem hunc morte dignum esse ex Lege dicitis: nulla mihi hujus cædis noxa est.

℣. 25. Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Si hic noxa vacat, mortis illius crimen pœnamque sponte subimus. Communis apud Hebræos imprecatio. De hominibus morte dignis agens Moyses (5), ait: *Morte moriatur: sanguis ejus sit super eum.* Formidabilis hujus imprecationis, in se ipsos pronunciatæ, vim adhuc sentiunt Hebræi, & ad finem usque sæculorum experientur (6). Horum scelus profecto multo gravius est, quam Pilati. At innocens ne Pilatus, qui suæ ipsius conscientiæ repugnans, hominem, quem innoxium ipse fatetur, manui seditiosorum tradit? Nonne particeps & quodammodo author sceleris efficitur, quod prohibere & potuit & debuit? *Nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum.* S. Leo Serm. 8. de Passione.

℣. 26. Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Antea jusserat (7), illum virgis cædi, ut populum illi mitiorem redderet. Solebant Judæi, novem & triginta dumtaxat virgarum ictibus in reos animadvertere (8): at nullus erat Romanis modus. Hi vel virgis vel loris reos verberabant: sævius multo supplicium erant lora. Utro in Christum usi sint, ignoratur: at visitur adhuc Romæ, ad D. Praxedis, columna, ad quam milites Christum vinxere, sacro illius cruore adhuc imbuta (9). Probrosissimum erat verberari, proprium scilicet servorum, furum, aut ejusmodi hominum supplicium. Vetitum erat Romanis Legibus eo uti in ingenuos (10), cives præsertim Romanos: *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno res tam nefaria exprimi nullatenus potest*, ait Cicero in Verrem. Alteram hic flagrorum animadversionem significari, censent Hieronymus aliique (11); atque ajunt, moris fuisse Romanis, ut morte damnatos prius flagris cæderent. At duplicem flagrorum animadversionem hic agnoscendam esse, non videmus.

Nonnullis Veterum (12) videtur Pilatus non disertis verbis Christum damnasse, sed Judæorum furori consentiens permisisse, ut latam ab ipsis sententiam persequerentur. Favet huic sententiæ hic Matthæi locus. At reliqua Scriptoris narratio, & Lucæ xxiii. 24. verba, scribentis, *Adjudicavit fieri petitionem eorum*, illum Judicis more pronunciasse demonstrant. In tribunali sedet, quæstionem habet cum Jesu, causam mortis cruci imponit, militibus crucifigendum tradit, cadaver tolli ab Josepho Arimathæo permittit; omnia denique judiciali more & potestate. Vide Grotium hic.

Crucis supplicium servorum erat (13), latronum, seditiosorum præsertim, ex Romanorum Legibus

(1) Homer. Iliad. Γ. Ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.
(2) Triclin. in Sophoclem: Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἐποίουν, ἢ ἄλλως σφάγας ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. (3) Vide Bynæum lib. 3. c. 4. art. 5. (4) Psalm. xxv. 6. & lxxii. 13. (5) Levit. xx. 9. 12. 16. (6) Hieron. hic. (7) Luc. xxiii. 22. Joan. xix. 1. (8) 2. Cor. xi. 24. 25. Deut. xxv. 3. (9) Hieronym. Ep. 27. Prudentius, alii. (10) D. Titul. de Pœnis. (11) Hieronym. hic. Vide & Drus. & Vatab. apud Bynæ. l. 3. c. 4. art. 4. de morte Christi & Lips. de Cruce lib. 2. c. 3. (12) Chrysostom. hom. de Eleemosyna; Lactant. lib. 4. Instit. c. 8.
(13) Vide Bynæ. lib. 1. c. 1. art. 37. de morte Christi.

gibus (14). Hoc ſupplicii genus abſtulit Conſtantinus, Jeſu Chriſti obſequio. Vivos homines Judæi plerumque non afficiebant cruce (15), ſed mortuos in cruce ſuſpendebant, & cadavera ante ſolis occaſum deponebant (16).

℣. 27. Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, &c. Jam iterum milites ita ludibrio habent Jeſum, ſpoliant, purpura induunt, ac veluti ſcenicum Regem ſalutant (17); primo quidem antequam damnaretur, ſecundo pronunciata mortis ſententia. *Cohors* apud Romanos decima Legionis pars erat. Singulæ cohortes manipulos quinque & viginti, ſinguli vero manipuli milites quinque & viginti complectebatur; quamobrem & cohors milites ſexcentos & vigintiquinque; at non ſemper integer erat cohortium numerus, nec par ſingularum robur.

℣. 28. Chlamydem coccineam circumdederunt ei. Coccineus (18) proprie eſt color *cremeſius*. *Purpureum* ferunt Marcus & Joannes (19). Utrumque hunc colorem confundunt Scriptores, Purpura rubrum ſaturum, & violaceo proximum referebat; coccus dilutiorem. *Chlamys* pallii genus erat, quod ſuper thoracem & reliquas veſtes induebantur. Id vero actum eſt Jeſu Chriſti ludibrio, quaſi argueretur ambitionis, qua ſeſe Regem jactaſſe accuſabatur. *Purpureæ chlamydi* milites *ſpineam coronam* addunt. Florebant eo anni tempore vepres apud Palæſtinos, Porro veprium flores in ſerti formam proveniunt (20). Veras igitur coronas imitati ſunt milites; at eos flores elegere, qui ſpinas acutiſſimas continerent. *Arundo* inter Chriſti manus poſita ſceptrum vel Regiam haſtam ſignificabat. Alexandrini cives, ut Agrippam, qui ſe Regem Judæorum diceret, tamquam ejus nominis majeſtate indignum, irriderent, Carabam quemdam, hominem mentis parum compotem ornarunt quibuſdam quaſi Regni inſignibus (21), & junci folium explicantes pro diademate circa illius caput poſuere; ſtrato lecti corpus circumdedere pro chlamyde; pro ſceptro, breve arundinis fruſtum dedere.

℣. 29. Plectentes coronam de spinis. Sunt qui ſpineam Jeſu Chriſti coronam ex acaciæ ramis fuiſſe putent, quod ea arbor *achanthe*, ſpina, ſine addito nominetur. Aliis, veluti Bollonio, fuiſſe videtur e *rhamno*, quod ſolum hoc ſpinarum genus circa Jeroſolymam reperiatur.

℣. 32. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, &c. Crux initio humeris Jeſu Chriſti impoſita eſt; de more enim homines morte damnati ſuum ipſi patibulum ferebant (22). Solebant etiam reorum brachia patibulo alligari, ne illud dimitterent. Cum extra urbem veniſſet Jeſus (23), labore oppreſſus, jamque deficeret, milites hominem quemdam, civem Cyrenes in Africa coegerunt, ut illius crucem ferret. Evangeliſtæ luculentiſſime docent (24), Crucem totam impoſitam fuiſſe Cyrenæo, Jeſum ſequente, quamquam pictorum licentia exhibetur extremam dumtaxat Crucis partem ſuſtinens, reliqua Jeſu Chriſti humeris incumbente. Cenſent Patres (25), totam primo crucem impoſitam fuiſſe Jeſu Chriſto, deinde totam Cyrenæo, ab urbis porta uſque ad Calvarii verticem. Vetus hic animadvertitur (26) Hebræorum mos & Romanorum, reos nimirum extra urbis ſepta ſupplicio afficiendi. Milites ipſi carnificum operam præſtabant, apud Romanos (27). Hi Jeſum ad Calvarium ducunt, & Cruci affigunt. Satis certum non eſt, utrum Chriſtus totam compactamque Crucem geſtaverit, an breviorem ſolummodo partem, quæ ex transverſo ponitur. Unus certe homo grandem & craſſam Crucem, ex utraque parte compoſitam, aliquo itineris ſpatio gerere ægre poteſt. Chriſti Crux quindecim pedes alta, ſeptem lata fuit, ex traditionis fide. Trabs directa in ipſo ſupplicii loco plerumque erigebatur, antequam reus eo perveniret; ac frequenter eiuſmodi trabes ibi relinquebantur, ut aliorum ſupplicio ſervirent. Fugitiva interdum & ſceleſta mancipia tranſverſæ affigebantur trabi, qua illorum brachia extenſa detinebantur. Trabs appellabatur Crux, ſeu furca, & vinculum ferreum, quo illa vinciebantur, *canis* dicebatur.

Ubi ad ſupplicium hoc corporis ſtatu perveniſſent, trochleæ ope ad directæ trabis ſummum ſuſpendebantur, & ad trabem vinciebantur miſerorum pedes & corpora, vel clavis figebantur. Id multis veterum teſtimoniis conſtat. Ita Ulyſſes (28) Melanthium e trabis vel columnæ vertice ſuſpendit, illum ſcilicet primo ad aſſerem poſt terga vinciri juſſit, deinde catena per aſſerem ducta in altum ſuſpendi. Eodem modo ac Melanthium, ſuſpenſum fuiſſe puto Prometheum ad columnam (29). Alia certe ratione crucifixus eſt Chriſtus: at ex his quæ diximus, aliqua colliguntur, quæ ſenſum Evangeliſtarum explicant, corriguntque noſtros Pictores, qui crucem humi ſtratam exhibent, cui deinde clavis affigendus eſt Chriſtus, in altum denique una cum cruce tollendus; quaſi ſcilicet ſterni ſoleret humi crux, ut reus affigeretur, deinde reo pendente erigenda. Crucis motus ipſe & concuſſiones pendentis rei manus pedeſque laceraſſent, itaut reus e cruce laberetur, incredibili cruciatu. Ita viſum eſt Nonno, vel Authori Tragœdiæ, cui titulus eſt, *Jeſus patiens*, S. Auguſtino, doctiſſimis Interpretum, & iis qui hac de re ex inſtituto ſcripſere (30).

Operæ pretium eſt, nonnulla de cruce ejuſque partibus dicere: plura enim ſunt in hanc rem animadvertenda, & multa eſt ſententiarum varietas. Græca vox *Stauros*, quæ vulgo redditur *crux*, apud veteres Græcos (31) eſt etiam ſtipes, vallus, ſudes acuta & recta, humi fixa. Hinc fortaſſe Patres nonnulli (32) crucem Chriſti cum rhinocerotis cornu comparant; rectus enim ſtipes, præcipua crucis pars, illud proprie eſt, quod Græci

(14) Paulus 5. Sent. tit. 22. (15) Maim. Halac Sanhedr. cap. 14. (16) Deut. xxi. 23. Vide noſtram Diſſertationem de Suppliciis. (17) Confer Joan. xix. 1. 2. 3. cum Matth. xxvii. 27. & cum Marc. xv. 16. (18) Matth. hic; Χλαμύδα κοκκίνην. (19) Marc. xv. 17. Ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν. Joan. xix. 2. Ἱμάτιον πορφυροῦν. (20) Vide Athen. l. xv. c. 7. p. 680. (21) Philo in Flaccum. (22) Nonius ex Plauto: *Patibulum ferat per urbem; deinde affigatur cruci*. Vide & Artemidorum, & Grot. hic, & Hamm. (23) Joan. xix. 17. (24) Matth. xxvii. 32. Marc. xv. 21. Ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Luc. xxiii. 26. Ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν, φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. (25) Chryſoſt. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. hic; Athan. ſerm. de Paſſione Domini; Auguſt. lib. 3. cap. 10. de Conſenſu; Ambroſ. l. 2. in Luc. xlii. (26) Num. xv. 35. 3. Reg. xxi. 13. Vide Grot. hic. (27) Vide Grotium hic, & noſtram Diſſertationem de Suppliciis.

(28) Homer. Odyſſ. X.
. . . σανίδας δ᾽ ἐκδῆσαι ὄπισθεν,
Σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτοῦ πειρήναντε,
Κίον᾽ ἀν᾽ ὑψηλὴν ἐρύσαι, πελάσαι τε δοκοῖσιν.

(29) Heſiod. Theogon. v. 520.
Δῆσε δ᾽ ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον,
Δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον᾽ ἐλάσσας.

(30) Vide Bynæum de morte Chriſti lib. 3. cap. 6. art. 7. Lipſ. de cruce lib. 2. cap. 5.

(31) Homer. Iliad. ω. & Odyſſ. ξ, v. 11. Σταυροὺς δ᾽ ἐκτὸς ἔλασσε διαμπερὲς ἔνθα καὶ ἔνθα
Πυκνοὺς καὶ θαμέας. Vide Didym. & Euſtat. ibidem.

(32) Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Tertull. contra Judæos, & alibi non ſemel.

lovacensis apocryphum Nicodemi Evangelium recitat, in quo *Claudia Proscula* nominatur; itemque apud pseudo Lucium Dextrum, & Nicephorum lib. I. c. 30. qui Christianis sectæ initiatam fuisse scribunt. Dubia, incerta, apocrypha.

Alii denique certant, cum hæc Jesum, quem ex fama sanctissimum esse virum noverat, publicis vinculis detentum esse intellexisset, illius animum utraque hac imagine occupatum, natura sua in hoc somnium erupisse. At notam mulieri fuisse Christi capturam, antequam ea cubitum iret, probabile non est, cum Christus circa noctis dimidium detentus fuerit, extra urbem, Pilato penitus inscio; ductusque ad Sacerdotes, & apud hos ad solem usque custoditus, summo mane traditus fuerit Pilato, qui eodem tempore & captum & damnatum esse Jesum intellexit. Somnium uxori, non Pilato contingere voluit Deus, nequis illud confictum esse a Pilato, aliquam solvendi Jesu causam comminiscente, criminaretur.

De Procula, quod nomen fuisse uxori Pilati fertur, animadvertere licet in pseudoevangelio Nicodemi supprimi nomen illud, sed legi tantummodo *matronæ ipsius Pilati procul posita*. Ex quo forte procusum nomen Procula, seu Proscula. Vide Cornelium a Lapide & Menologium.

℣. 24. ACCEPTA AQUA, LAVIT MANUS. Rem fusius narrat Joannes 19. 5. . . . . 15. Cum omnia movisset Pilatus, ut Jesum dimitteret, eumque crimine vacuum pronunciasset, aliqua tamen ex parte morem illis gerendum esse censuit, & Jesum probro aliquo affectum, esse dimittendum. Illum igitur virgis cædi jussit, permisitque, ut milites purpureo quodam pallio velatum, spineo diademate redimirent, arundine inter manus posita, sceptri loco; atque ita ornatum populo exhibuit, futurum sperans, ut multitudinis furor eo spectaculo sedaretur: at frustra. Jesum itaque tertio in Prætorium ducens, denuo quæstionem habuit: tum Prætorio egressus, nullam damnationis causam in eo se invenire, palam edixit. Cum autem populus vehementius clamaret, ac minitaretur, Pilatus lavit manus, eo ritu significans, sese mortis illius invidiam a se amovere.

Ritus lavandi manus in his rebus, neque apud Græcos notus erat, neque apud Romanos; sed in fœderibus sanciendis, in quibus totum corpus lotione lustrabatur, vel manus dumtaxat lavabantur, cum sacra Diis superis fierent (1). Cum vero Diis inferis litaretur, lustrali aqua solummodo corpora aspergebantur. Virgil. Æneid. 6.

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Manus, vel corpus totum lavabant (2), cum vel hominis cædem, vel corpus cruore in acie fuso expiarent. Æneid. 2.

Me bello e tanta digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Athenæus lib. IX. Mos erat veteribus, quando sive cædem hominis, sive animantibus intulissent lavare manus in purgationem piaculi. Apud veteres enim optimum & grave habebatur manus lavare.

Pilatus igitur, ad hos Ethnicorum ritus alludens, ut sese ab Justi hujus cæde expiaret, manus coram lavit, ut luculentius significaret, quam vehementer iniquissimum istud odium execraretur. Ita explicant Casaubonus, Beze, Heinsius, Meryllus, Schmidius, aliique (3).

At plerisque videtur Pilatus allusisse ad Judæorum consuetudinem, moremque in ea re illis gessisse, qui animi sententias non verbis modo, sed typicis etiam actionibus & rebus indicabant. Plura ejus rei exempla in Scripturis occurrunt. Sed ut in præsenti re versemur, Psalmista bis canit (4), se *lavisse manus inter innocentes*; justitiam scilicet atque æquitatem coluisse, neque sanguine, neque hominis cæde inquinatum. Deuteronomii 21. 5. lege sancitur, ut Seniores urbis, cujus in agro cæsi hominis cadaver inventum fuerit, manus lavent super juvencæ caput, deinde mactandæ, ut regio ea cæde expietur. Pilatum excusare videtur S. Hieronymus hic, omnemque sceleris invidiam in Judæos rejicere. *Ego minister sum legum: vestra vox sanguinem fundit*. Hominem hunc morte dignum esse ex Lege dicitis: nulla mihi hujus cædis noxa est.

℣. 25. SANGUIS EJUS SUPER NOS ET SUPER FILIOS NOSTROS. Si hic noxa vacat, mortis illius crimen pœnamque sponte subimus. Communis apud Hebræos imprecatio. De hominibus morte dignis agens Moyses (5), ait: *Morte moriatur: sanguis ejus sit super eum*. Formidabilis hujus imprecationis, in se ipsos pronunciatæ, vim adhuc sentiunt Hebræi, & ad finem usque sæculorum experientur (6). Horum scelus profecto multo gravius est, quam Pilati. At innocens ne Pilatus, qui suæ ipsius conscientiæ repugnans, hominem, quem innocuum ipse fatetur, manui seditiosorum tradit? Nonne particeps & quodammodo author sceleris efficitur, quod prohibere & potuit & debuit? *Nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum*. S. Leo Serm. 8. de Passione.

℣. 26. JESUM AUTEM FLAGELLATUM TRADIDIT EIS, UT CRUCIFIGERETUR. Antea jusserat (7), illum virgis cædi, ut populum illi mitiorem redderet. Solebant Judæi, novem & triginta dumtaxat virgarum ictibus in reos animadvertere (8): at nullus erat Romanis modus. Hi vel virgis vel loris reos verberabant: sævius multo supplicium erant lora. Utro in Christum usi sint, ignoratur: at visitur adhuc Romæ, ad D. Praxedis, columna, ad quam milites Christum vinxere, sacro illius cruore adhuc imbuta (9). Probrosissimum erat verberari, proprium scilicet servorum, furum, aut ejusmodi hominum supplicium. Vetitum erat Romanis Legibus eo uti in ingenuos (10), cives præsertim Romanos: *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno res tam nefaria exprimi nullatenus potest*, ait Cicero in Verrem. Alteram hic flagrorum animadversionem significari, censent Hieronymus aliique (11); atque ajunt, moris fuisse Romanis, ut morte damnatos prius flagris cæderent. At duplicem flagrorum animadversionem hic agnoscendam esse, non videmus.

Nonnullis Veterum (12) videtur Pilatus non disertis verbis Christum damnasse, sed Judæorum furori consentiens permisisse, ut latam ab ipsis sententiam persequerentur. Favet huic sententiæ hic Matthæi locus. At reliqua Scriptoris narratio, & Lucæ XXIII. 24. verba, scribentis, *Adjudicavit fieri petitionem eorum*, illum Judicis more pronunciasse demonstrant. In tribunali sedet, quæstionem habet cum Jesu, causam mortis cruci imponit, militibus crucifigendum tradit, cadaver tolli ab Josepho Arimathæo permittit; omnia denique judiciali more & potestate. Vide Grotium hic.

Crucis supplicium servorum erat (13), latronum, seditiosorum præsertim, ea Romanorum Legibus

(1) Homer. Iliad. Γ. Ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.
(2) Triclin. in Sophoclem: Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅτε ἢ ἄνθρωπον ἀνῄρουν, ἢ ἄλλως σφάγια ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. (3) Vide Bynæum lib. 3. c. 4. art. 51. (4) Psalm. XXV. 6. & LXXII. 13. (5) Levit. XX. 9. 12. 16. (6) Hieron. hic. (7) Luc. XXIII. 22. Joan. XIX. 1. (8) 2. Cor. XI. 24. 25. Deut. XXV. 3. (9) Hieronym. Ep. 27. Prudentius, alii. (10) D. Titul. de Pœnis. (11) Hieronym. hic. Vide & Drus. & Vatab. apud Bynæ. l. 3. c. 4. art. 4. de morte Christi & Lips. de Cruce lib. 2. c. 2. (12) Chrysostom. orat. de Eleemosyne, Lactant. lib. 4. Instit. c. 8.
(13) Vide Bynæ. lib. 1. c. 1. art. 37. de morte Christi.

gibus (14). Hoc supplicii ganus abstulit Constantinus, Jesu Christi obsequio. Vivos homines Judæi plerumque non afficiebant eruce (15), sed mortuos in eruce suspendebant, & cadavera ante solis occasum deponebant (16).

℣. 27. Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, &c. Jam iterum milites ita ludibrio habent Jesum, spoliant, purpura induunt, ac veluti scenicum Regem salutant (17); primo quidem antequam damnaretur, secundo pronunciata mortis sententia. *Cohors* apud Romanos decima Legionis pars erat. Singulæ cohortes manipulos quinque & viginti, singuli vero manipuli milites quinque & viginti complectebatur; quamobrem & cohors milites sexcentos & vigintiquinque: at non semper integer erat cohortium numerus, nec par singularum robur.

℣. 28. Chlamydem coccineam circumdederunt ei. Coccineus (18) proprie est color *cramesius*, *Purpuream* ferunt Marcus & Joannes (19). Utrumque hunc colorem confundunt Scriptores, Purpura rubrum saturum, & violaceo proximum referebat; coccus dilutiorem, *Chlamys* pallii genus erat, quo super thoracem & reliquas vestes induebantur, Id vero actum est Jeso Christi ludibrio, quasi argueratur ambitionis, qua sese Regam jactasse accusabatur. *Purpureæ chlamydi* milites *spineam coronam* addunt. Florebant eo anni tempore vepres apud Palæstinos, Porro veprium flores in serti formam proveniunt (20). Veras igitur coronas imitati sunt milites; at eos flores elegere, qui spinas acutissimas continerent, *Arundo* inter Christi manus posita sceptrum vel Regiam hastam significabat. Alexandrini cives, ut Agrippam, qui se Regem Judæorum diceret, tamquam ejus nominis majestate indignum, irriderent, Carabam quemdam, hominem mentis parum compotem ornarunt quibusdam quasi Regni insignibus (21), & junci folium explicantes pro diademarn circa illius caput posuere; strato lecti corpus circumdedare pro chlamyde; pro sceptro, breve arundinis frustum dedere.

℣. 29. Plectentes coronam de spinis. Sunt qui spineam Jesu Christi coronam ex acaciæ ramis fuisse putent, quod ea arbor *acbanthe*, spina, sine addito nominetur, Aliis, veluti Bollonio, fuisse videtur e *rhamno*, quod solum hoc spinarum genus circa Jerosolymam reperiatur.

℣. 32. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, &c. Crox initio humeris Jesu Christi imposita est; de more enim homines morte damnati suum ipsi patibulum ferebant (22). Solebant etiam reorum brachia patibulo alligari, ne illud dimitterent. Cum extra urbem venisset Jesus (23), labore oppressus, jamque deficaret, milites hominem quemdam, civem Cyrenes in Africa coegerunt, ut illius erucem ferret, Evangelistæ luculentissima docent (24), Crucem totam impositam fuisse Cyrenæo, Jesum sequente, quam quam pictorum licentia exhibetur extremam dumtaxat Crucis partem sustinens, reliqua Jesu Christi humaris incumbente. Censent Patres (25), totam primo crucem impositam fuisse Jesu Christo, deinde totam Cyrenæo, ab urbis porta usque ad Calvarii verticem. Vetus hic animadvertitur (26) Hebræorum mos & Romanorum, reos nimirum extra urbis septa supplicio afficiendi. Milites ipsi carnificum operam præstabant, apud Romanos (27). Hi Jesum ad Calvarium ducunt, & Cruci affigunt. Satis certum non est, utrum Christus totam compactamque Crucem gestaverit, an breviorem solummodo partem, quæ ex transverso ponitur. Unus certe homo grandem & crassam Crucem, ex utraque parte compositam, aliquo itineris spatio gerere ægre potest. Christi Crux quindecim pedes alta, septem lata fuit, ex traditionis fide. Trabs directa in ipso supplicii loco plerumque erigebatur, antequam reus eo perveniret; ac frequenter eiusmodi trabes ibi relinquebantur, ut aliorum supplicio servirent. Fugitiva interdum & scelesta mancipia transversæ affigebantur trabi, qua illorum brachia extenta detinebantur. Trabs appellabatur Crux, seu furca, & vinculum ferreum, quo illa vinciebantur, *copis* dicebatur.

Ubi ad supplicium hoc corporis statu pervenissent, trochleæ ope ad directæ trabis summum suspendebantur, & ad trabem vinciebantur miserorum pedes & corpora, vel clavis figabantur. Id multis vetarum testimoniis constat. Ita Ulysses (28) Melanthium e trabis vel columnæ vertice suspendit, illum scilicet primo ad asserem post targa vinciri jussit, deinda catana per asserem ducta in altum suspendi. Eodem modo ac Melanthium, suspensum fuisse puto Prometheum ad columnam (29). Alia certa ratione crucifixus est Christus: at ex his quæ diximus, aliqua colliguntor, quæ sensum Evangelistarum explicant, corriguntque nostros Pictores, qui crucem humi stratam exhibent, cui deinde clavis affigendus est Christus, in altum denique una cum cruce tollendus; quasi scilicer sterni soleret humi crux, ut reus affigeretur, deinde reo pendente erigenda. Crucis motus ipsa & concussiones pendentis rei manus pedesque lacerassent, itaut reus e cruce laberetur, incredibili cruciatu. Ita visum est Nonno, vel Authori Tragœdiæ, cui titulus est, *Jesus patiens*, S. Augustino, doctissimis Interpretum, & iis qui hac de re ex instituto scripsera (30):

Operæ pretium est, nonnulla de cruce ejusque partibus dicere: plura anim sunt in hanc rem animadvartenda, & multa est sententiarum variatas. Græca vox *Stauros*, quæ vulgo redditur *crux*, apud vereres Græcos (31) est etiam stipes, vallus, sudes acuta & recta, humi fixa. Hinc fortasse Patres nonnulli (32) crucem Christi cum rhinocerotis cornu comparant; rectus enim stipes, præcipua crucis pars, illud proprie est, quod Græci

(14) Paulus 5. Sent. tit. 22. (15) Maim. Halac Sanhedr. cap. 14. (16) Deut. xxi. 23. Vide nostram Dissertationem de Suppliciis. (17) Confer Joan. xix. 1. 2. 3. cum Matth. xxvii. 27. & cum Marc. xv. 16. (18) Matth. hic; Χλαμύδα κοκκίνην. (19) Marc xv. 17. Ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν. Joan. xix. 2. Ἱμάτιον πορφυροῦν. (20) Vide Athen. l. xv. c. 7. p. 680. (21) Philo in Flaccum. (22) Nonius ex Plauto: *Patibulum ferat per urbem; deinde affigatur cruci*. Vide & Artemidorum, & Grot. hic, & Hamm. (23) Joan. xix. 17. (24) Matth. xxvii. 32. Marc. xv. 21. Ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Luc. xxiii. 26. Ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν, φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. (25) Chrysost. Hieron. Beda, Theophyl. Euthym. hic; Athan. serm. de Passione Domini; August. lib. 3. cap. 10. de Consensu; Ambros. l. x. in Luc. alii. (26) Num. xv. 35. 3. Reg. xxi. 13. Vide Grot. hic. (27) Vide Grotium hic, & nostram Dissertationem de Suppliciis.

(28) Homer. Odyss. X. . . . αὐτὰρ Σειρὴν δ' ἐπίβαλε ὄπισθεν.
Σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτοῦ πειρήναντες,
Κίον' ἀν' ὑψηλὴν ἐρύσαι, πελάσαι τε δοκοῖσιν.

(29) Hesiod. Theogon. v. 520. Δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον,
Δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.

(30) Vide Bynæum de morte Christi lib. 3. cap. 6. art. 7. Lips. de cruce lib. 2. cap. 7.

(31) Homer. Iliad. ω; & Odyss. ξ, v. 11. Σταυροὺς δ' ἐκτὸς ἔλασσε διαμπερὲς ἔνθα, καὶ ἔνθα
Πυκνοὺς & θαμέας. Vide Didym. & Eustat. ibidem.

(32) Justin. Dialog. cum Tryphon. Tertull. contra Judæos, & alibi non semel.

ci veteres *Stauron* appellant. Ajunt S. Hieronymus in Jerem. 31. & S. Isidorus (33), crucis formam ad X literam, vel ad S. Andreæ crucem accessisse: hinc illud est, quod asserunt, Thau veterum Hebræorum crucis figuram retulisse; atque hoc stigmate inurendos fuisse, Deo jubente, illos, qui servandi erant: *Signa Thau super frontes virorum gementium*, &c. Ezech. 9. 4.

His tamen relictis, certum est, crucem, qua Romani utebantur (34), e lignis duobus coaluisse, altero scilicet recto, & in sublime edito, altero transverso ad angulos rectos, addito altero breviori stipite, supra crucifixi caput, titulo damnationis affigendo. Præter hæc, de quibus nulla est controversia, sunt (35) qui doceant, sub crucifixi pedibus quoddam scabelli genus porrectum fuisse, cui pedes hominis & affigerentur & incumberent. Id luculentissime habet S. Gregorius Turonensis (36): *In stipite erecta foramen factum manifestum est: pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est: super hanc vero tabulam, tamquam stantis hominis, sacræ affixæ sunt plantæ.* Ita plurimæ ubique exhibitæ sunt cruces, in quibus Christi pedes huic scabello affixi sunt. Addunt, fieri non potuisse, ut alia ratione crucifixus diu penderet ex manibus totum corporis pondus sustinentibus.

Nullum alii (37) vident scabelli hujus vestigium apud veteres Græcos Latinosve, qui crucem descripsere. At alterius partis meminere, a Gregorio Turonensi relictæ; equulei scilicet cujusdam, vel pali, cui crucifixus insidens, totum corporis pondus levabat. Hunc luculentissime innuit S. Justinus Dialog. cum Tryphone, ea Moysis Deut. 33. 17. verba interpretatus: *Cornua rhinocerotis, cornua illius.* His porro cornubus significari ait crucem, ex qua suspensus est Christus: *Directum est unum lignum, unde summa pars in cornu sustollitur*; ea scilicet, quæ supra crucifixi caput eminet. *Lignum ei aliud adaptatur, & utrimque, ut cornua unicornu, adjunctæ summitates apparent*, nempe crucis brachia: *& quod in medio fixum est, ut cornu & ipsum eminet, in quo vehuntur & assident, qui crucis supplicium subeunt.*

Idem dicere videtur S. Irenæus lib. 2. cap. 46. contra Hæres. iis verbis: *Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit qui clavis affigitur.* Hoc etiam Tertullianus lib. 2. adv. Nationes: *Nobis tota crux imputatur, cum antenna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu.* *Antenna* transversum est lignum, seu crucis brachia; *sedilis excessus* est lignum eminens, cui insidet crucifixus. Et adversus Jud. c. 10. de eodem agens, ait: *E media stipitis palus.* De hoc equuleo Salmasius (38) explicat ea Mœcenatis verba apud Senecam ep. 101.

Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Eo autem major est Justini ac Tertulliani auctoritas, quod hi eo tempore vixerint, quo crucis supplicium nondum abolitum fuerat, quemadmodum deinceps a Constantino Imperatore (39). Quæ hic diximus, authores habent Josephum Scaligerum (40), Thomam Bartholinum (41), Bynæum (42), Salmasium (43), Gerardum Johannem Vossium (44), aliosque.

Quamquam fieri potest, ut vivi corporis, & mortui etiam pondus duabus tantum manibus clavo perforatis aliquandiu sustineatur (45), diu tamen omnino sustineri nequit; cumque crucifixorum cadavera in patibulo sæpe relinquerentur, donec tabo corrupta membratim caderent, aut ab avibus ferisque discerperentur; necesse erat ea ita sustineri, uti diximus, manibus nedum clavo fixis, verum etiam fune constrictis. Hinc fit, ut apud Veteres crucifixorum hominum funes occurrant. *Spartum e cruce*, inquit Plinius l. 28. c. 14. S. Hilarius lib. 10. de Trin. n. 13. diserte meminit funium, quibus in Cruce sustinebatur Christus; & Nonnus Panopolitanus catenarum, quibus pedes manusque vinctæ fuere.

Quod ad clavorum Christi numerum attinet, quatuor fuisse constantissime feruntur, in singulis manibus ac pedibus singuli. Ita luculenter Gregorius Turonensis lib. 1. de Glor. Mart. c. 6. qui & addit, duos e clavis Christi ab Helena Constantini matre insertos fuisse frænis equi, quo filius utebatur; alterum in Adriaticum mare projectum, ut ejus maris procella sedaretur. Docent alii ex Patribus (46), unum ex iis galeæ filii ab eadem insertum. Hoc argumentum fusius vide apud Bynæum, *De morte Christi lib. 3. cap. 6. art.* 10. Et infra ℣. 35.

Simonem Cyrenæum, quem coegere milites crucem Jesu gestare, patrem fuisse Alexandri & Rufi, tradit Marcus xv. 21. quod fortasse Alexander & Rufus insignes in Ecclesia fuerint, ac celeberrimi, quo tempore Marcus scribebat. Sunt (47), qui Simonem Judæum fuisse, & Jesu Christi Discipulum arbitrentur; nec desunt, qui illum, odio Jesu Christi, cujus dogmata is sequebatur, Christi cruce oneratum fuisse censeant. Ethnicus creditur SS. Ambrosio in Luc. lib. 10. Hilario in Matth. hic, Leoni Serm. 8. de Pas. aliisque (48). At ipsum Simonis nomen Judæum prodit. Ingens Judæorum numerus Cyrenen frequentabat (49), provinciam Ægypto proximam; cumque Pascha eo tempore celebraretur, Judæi ex omnibus terrarum plagis Jerosolymam venerant. Simon Niger, de quo Acta xiii. 1. nonnullis idem est Simon Cyrenæus; & Rufus apud Paulum, *Rom.* xvi. 3. & apud Polycarpum ad Philippenses, & apud vetera Martyrologia, xv. Kal. Januarii, Simonis Cyrenæi filius creditur. Hispani Rufum Tortosæ Episcopum, & Alexandrum nova Carthagine martyrem, duos esse ajunt Simonis filios, incerto tamen fundamento.

℣. 33. In locum qui dicitur Golgotha. Mons est ad boream & septemtrionem Jerosolymæ; a *calvaria*, seu *cranio* appellatus, ex S. Hieronymo, quod eo loco rei capite plecterentur. Consuetus certe locus erat, reorum supplicio destinatus. Veteres quidam (50) censuere, inditum fuisse loco nomen ex Adami calvaria, primi hominum parentis, in eo monte conditi. At nihil eo incertius. *Golgotha* Hebraica vox non est, & ex Hebraico *Golgoleth*, cranio, efficta. Syrus legit *Gugaltha*. E Syriacis nominibus, quæ in Evangelio supersunt, intelligimus, Syriacum sermonem in Judæa Jesu Christi ætate vulgarem, non fuisse ger-

(33) Isidor. lib. 1. Orig. cap. 3. Vide Lips. de cruce lib. 1. c. 7. (34) Justin. Dialog. cum Tryphon. Tertull. advers. Gentes lib. 1. cap. 12. Scalig. ad Eus. n. 1617. in lib. 2. (35) Nonsius ad Nonni Paraph. in Joan. xix. 18. Feuardent. not. ad Irenæ lib. 2. c. 42. Lips. not. in lib. 2. de Cruce c. 10. (36) Gregor. Turon. lib. 1. de Gloria Martyrum c. 6. (37) Scaliger animadv. in Euseb. Digressione de litt. Jonic. Orig. littera T. Bynæ. lib. 3. c. 5. art. 11. 12. 13. (38) Salmas. de Cruce pag. 232. & 242. (39) Vide Lips. de Cruce lib. 3. c. 14. (40) Scalig. loco citato in Euseb. (41) Th. Bartholin. de Latere Christi aperto c. 9. & Hypomn. 1. de Cruce §. 13. (42) Bynæ. l. 3. c. 5. art. [illegible] (43) Salmas. de Cruce. (44) Harmon. Evang. lib. 2. cap. 7. §. 28. (45) Vide Nisium Ep. de Cruce, & Nicol. Fontan. de hac re singulari opusculo. (46) Theodoret. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 18. Ambros. alii. (47) Mald. Brug. Grot. Jansen. (48) Beda, Drutmar. Vide & Hieron. hic. (49) Act. ii. 10. vi. 9. (50) Origen. in Matth. Ambros. lib. x. in Luc. Epiphan. Hæresi 46. Hieron. hic; Athanas. serm. de Passione Domini; Basil. in Isai. 5. Chrysost. in Joan. homil. 84. August. lib. 16. de Civit. c. 32. alii.

germanum. Sterilis mons frequenter appellatur *mons calvus*, calvariæ instar nudæ & arentis.

℣. 34. Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Legit Græcus (51): *Dederunt ei bibere acetum cum felle mistum*. At optimi Codices cum Vulgata consentiunt (52): *Dederunt ei bibere vinum*. Marcus (53): *Dederunt ei bibere vinum myrrhatum*, cum myrrha mistum. Ut duo Evangelistæ concilientur, vulgo ajunt (54) myrrham, rem amarissimam, pro felle hic usurpari; Matthæum, qui Hebraice vel Syriace scripsit, usum esse voce *Rosch*, quæ amaritiem, virus, herbam amarissimam sonat; Marcum vero expressisse, quid illud esset, quod voluit Matthæus, myrrham scilicet, cum vetus Matthæi Interpres pro felle usurpaverit. Alii ita rem comminiscuntur (55): Cum paratum fuisset vinum cum myrrha mistum, Jesu Christo propinandum, milites, vel Judæi, ut illi illuderent, ejusque cruciatum augerent, fel miscuerunt. Sunt (56) qui censeant, primum hoc poculum a Marco significatum, oblatum fuisse, statim ut ille ad Calvarium venit; alterum vero Matthæi propinatum esse, cum is in cruce penderet. Matthæus ipse 27. 48. duplicem potionem distinguit; alteram, antequam is crucifigeretur; alteram, cum is in cruce animam ageret. Aliam de hac re conjecturam proposuimus in Commentariis ad Marcum xv. 23.

Quorsum vero hæc vini & myrrhæ admistio? Docent Rabbini (57), moris fuisse, reis supplicio afficiendis acrem potionem propinare, qua cruciatuum sensus auferretur; atque huc allusisse creditur Sapiens, ubi ait: *Date vinum his qui amaro sunt animo*. Potionem hanc miscebant nobiles fœminæ, & morte damnatis porrigebant (58). Hanc communis humanitatis officio oblatam fuisse, Baronius, Maldonatus, & alii existimavere. Miscebatur myrrha, ut acrior redderetur, & consopiendi vim acquireret. Vinum myrrhatum plurimi & inter delicias a Priscis habebatur. Asserit Plinius lib. 14. c. 13. nullum priscis vinum lautius fuisse, quam myrrhæ odore conditum: *Lautissima apud Priscos vina erant, myrrhæ odore condita*. Hujus generis vinum in Templis Deorum offerebatur; & duodecim Tabularum Lege cautum erat, nequis mortuorum ossa eo vino conspergeret: *Ne murrata potio mortuo inderetur*. Tertullianus (59) vitio vertit Catholicis, quod conditum vinum Martyri exhibuerint, qua die sistendus erat Judici, eoque ita illius mentem exsternaverint, ut quem Deum coleret, fateri non potuerit. *Condito mero tamquam antidoto præmedicatum ita enervarunt, ut . . . quem Dominum confiteretur interroganti Præsidi, respondere non potuerit amplius*. Quicquid sit, certe Jesus (60), *cum gustasset, noluit bibere*: at non omnino respuit, ut vaticinium Psal. 68. 22. impleretur: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. At bibere noluit, nequis illum cruciatibus lenimen, & sensibus soporem quæsivisse criminaretur. Passionis calicem amarissimum hausit (61).

℣. 35. Postquam autem crucifixerunt eum. Nonnulla jam de Christi crucifixione disputavimus in ℣. 32. Illum clavis fixere Romani. De clavorum numero lis est. Quatuor vulgo clavos exhibent Græci (62), in singulis manibus pedibusque singulos, addito quodam scabelli genere sub pedibus, ne corporis pondere evelleretur. Tres dumtaxat fuisse, alii (63) contendunt; favetque huic sententiæ Occidentalium consuetudo. Vetustæ imagines pleræque clavo uno utrumque pedem figunt. Docet Tertullianus (64), crucifixum fuisse Jesum cum spineo diademate, nulla tamen veritatis specie. Milites, teste Evangelista 27. 31. postquam Christo insultavere pro arbitrio, illum ludicris regni insignibus exutum, indutumque vestibus suis, ad Calvarium duxere.

Sunt (65) qui dubitent, utrum Christus omnino nudus crucifixus fuerit. Antiqua Christi e cruce pendentis simulacra vel latum habent perizonium, a renibus usque ad genua, vel simplex velum pudenda operiens. Nonnulla etiam sunt apud Italos & Hispanos, in quibus totum corpus, ne brachiis quidem exceptis & cruribus, tunica velatur. Talis est Lucensis imago celeberrima, cujus exemplar visitur in Ecclesia Abbatiæ S. Dionysii in Gallia; & altera in Cathedrali Silvanectensi, supra Chori fores; & altera denique in altari Lingonensis Metropolitanæ. At vulgo creditur (66), nudus omnino in cruce suspensus fuisse Christus; cum insolitatum esset Romanis, pudori eorum parcere, quos extremo supplicio afficiebant. Narrant Evangelistæ, missas esse a militibus sortes super Christi tunicam, quæ vestis erat interior, carni hærens. Quicquid vero additum est, ut nuda crucifixi membra velentur, fidelium pudicitiam & obsequium significat, non rei veritatem. Sedulius, & Author Commentariorum in Marcum, sub Hieronymi nomine, docent, Christum e cruce pependisse, humeris ad Jerosolymam versis, ore ad occidentem, quasi innueret, sese, derelictis Judæis, ad gentes converti, ex duorum Prophetarum fide: *Dorsum, & non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum*. Jerem. 18. 17. *Oculi ejus super gentem respiciunt*. Psal. 65. 7. Dubia tamen est hujus narrationis fides.

Diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes. Hoc latius narrat Joannes 19. 23. Cum milites quatuor, qui Christum duxerant, & cruci affixerant, illius vestes accepissent, inter sese divisere: at tunicam, quæ continuo textu erat arte facta, scindendam non esse censuerunt, sed jactis sortibus uni ex ipsis tradendam. Vulgo dicitur (67) hæc tunica fuisse vestis interior, qua Christi caro tangebatur, Virginis matris manu contexta. Sunt qui afferant, nullo tamen argumento, hanc una cum Christi corpore crevisse, eamdemque ipsam esse, quam illi adhuc puerulo mater intexuit. Hominum supplicio affectorum vestes carnifici relinquebantur, ex Legibus. Has tamen ab iis usurpari absque Judicum & Præsidum facultate, vetuit Adrianus Imperator (68). Minime dubium est, quin milites duorum latronum, quos supplicio crucis affecere, vestes inter sese diviserint.

Ut impleretur quod dictum est, &c. Hæc non leguntur apud Origenem, Euthymium, Theophylactum, S. Hilarium, S. Augustinum, Titum Bo-

(51) Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. Et ita legunt Origen. Chrysost. Hieron. Syr.
(52) Ita Cantabrig. Armen. Copht. Æthiop. Hilar. August. Sedul. Juvencus. Vulg. alii apud Mill. hic, & Toynard. Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν οἶνον, &c. (53) Marc. xv. 23. Ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον.
(54) Vide August. lib. 3. de Consensu c. 11. Dion. Pasc. Lud. de Dieu, Grot. (55) August. lib. 3. de Consensu c. 11. Beda, Strabus. (56) Chrysost. Euthym. (57) Talmud. Lyran. Brug. Hammon. Ligfoot. (58) Galatin. lib. 8. c. 19. Casaubon. in Baron. (59) Tertull. adversus Psychic. pag. 728.
(60) Matth. hic: Γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν. Marc. xv. 23. Ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε. (61) Hieron. hic, Brug. Mald. Grot. alii. (62) Ita & Greg. Turon. (63) Nonnus in Joan. & Nazianz. Poemate de Christo.
(64) Tertull. lib. contra Judæos c. 11. Ita & Origen. in Matth. homil. 33. (65) Ita S. Brigitta, Revelat. lib. 4. c. 70. Menoc. de Repub. Hebr. lib. 6. c. 2. Tostat. parador. 5. c. 48. Salmeron tom. x. tract. 35. alii.
(66) Vide Ambros. lib. x. in Luc. August. de Civit. lib. 16. c. 2. & contra Faust. lib. 12. c. 23. Medit. de vita Christi c. 78. Salmas. de Cruce; & Jac. Gretser. de Cruce l. 1. c. 22. Brug. in Matth. hic; Cornel. a Lapid. in Isai. 22. 2. Ligfoot. hic; Gerhard. Joan. Voss. Harm. Evang. lib. 2. cap. 7. alii. (67) Euthym. hic, & alii. Vide ad Joan. xix. 23. 24. (68) Vide Grot. hic.

Bostrensem, Versiones Syriacam, Cophticam, Arabicam, Æthiopicam, Codices Græcos manu exaratos quamplurimos, latinosque (69), veterem denique Vulgatam; ex quibus colligimus, hæc ab Joanne in Matthæum irrepsisse, librariorum licentia (70).

℣. 36. Sedentes servabant eum. Milites, Judicis ministri, a supplicii loco, nisi detractis Judice jubente cadaveribus, non discedebant, ne a reorum necessariis vel amicis surriperentur. Morem hunc luculentissime tradit Petronius (71).

℣. 37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius. Condemnationis causam triplici sermone descriptam fuisse narrat Joannes 19. 19. *Hebraico*, seu Syriaco, *Græco & Latino*, his verbis: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum*. Servatur adhuc Romæ pars tituli Crucis Christi, in assere inscripti; docentque Veteres (72), hunc ab Helena Constantini matre repertum esse, a Cruce sejunctum. Rei nomen descripsit Pilatus, *Jesus*; patriam, *Nazarenus*, condemnationis causam, *Rex Judæorum*. Qui illius necem postulaverant, titulum mutari volebant, & scribi: *Jesus Nazarenus, qui se dicebat Regem Judæorum*, vel, *qui voluit Rex esse Judæorum*. At renuit Præses, addiditque Joan. 19. 21. *Quod scripsi, scripsi*; Deo ita permittente, ut Christus vel moriens, & in Cruce pendens ab ipsis hostibus & accusatoribus Rex diceretur. Triplici autem sermone titulum exaravit; Hebraico, seu Syriaco, Hebræis vernaculo; Græco, quo tunc familiari consuetudine totus fere Oriens utebatur, Latino, ob Romani Imperii majestatem, universum pene terrarum orbem moderantis.

Notissimus apud Veteres est titulorum usus, vel reorum patibulo, vel reis ipsis impositorum. Ita Parmulario cuidam inscriptum est (1): *Impie locutus Parmularius* (2). Attalo Martyri (3): *Hic est Attalus Christianus*. Interdum præconis voce causa condemnationis prædicabatur (4): veluti: *Temere ut juraverit*. Et (5): *Quia civitati persuasit ciere bellum*. Et (6): *Legatum Populi Romani bona plebeiss amplecti noli*. Et (7): *Fumo punitur, qui vendidit fumum*. In Polycarpi martyrio (8): *Polycarpus confessus est, se Christianum esse*. Et apud S. Ambrosium: *Agnem sacrilegam virginem, Diis blasphemiam inferentem, scortam lupanaribus datam*. Ad hunc morem allusit Paulus Coloss. 2. 14. scribens, Christum affixisse Cruci debiti nostri chirographum; in cruce scilicet obiisse, ut crimina nostra deleret.

℣. 38. Crucifixi sunt cum eo duo latrones. Consuetum latronum supplicium erat Crux (9). Latronum medius crucifixus est Jesus, veluti illorum princeps. Bonum latronem ad Christi dextram collocat S. Hilarius in Matth. malum ad lævam. SS. Hieronymus (10) & Augustinus (11) duos hosce latrones in duobus illis animalibus agnoscunt, de quibus Habacuc in Græco, III. 2. *In medio duorum animalium cognosceris*.

Reorum supplicia, inquiunt (12), festis diebus exhibebantur, ut quamplures essent supplicii testes, & utile populo esset exemplum (13). At ipsomet festo die exhiberi consuevisse, simile veri non est: sed vel præcedente festum die, vel per octavam, profesto die, prima enim dumtaxat & septima dies servilibus operis vacare ex Lege debebant. Sacerdotum & populi motus, iter susceptum, labor ferendæ crucis, Simoni Cyrenæo impositus, tum detrahendi de cruce cadaveris, aromatibus condiendi, tradendi sepulcro; tum illud, quod Apostoli a Christo imperatum Judæ arbitrati sunt, emendi scilicet ea, quibus opus erat in festi usum; hæc certe omnia nullatenus cum ipso Paschatis die conveniunt; quæ tamen eo die gesta esse putant ii, qui Christum ipso Paschatis die obiisse contendunt. Repugnant omnino sanctissimæ diei quieti & hilaritati.

Docent Hebræorum Libri (14), nefas esse, festo die in arborem conscendere, equo iter habere, natare, choreas agere, manu plaudere, sententiam juridicam ferre, nuptias stipulare, denique quicquam agere, quod juridicum videatur. Nihil ea die Deo devovetur, paratur nihil, aut venditur, emiturve: tandem quicquid nefas est Sabbato præstare, diei solemnis religione respuitur. Quæ cum ita sint, quis putet, Judæos ipso Paschatis die hæc omnia præstitisse, quæ in Christi Passione narrantur?

℣. 43. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult. Ex Latinæ Versionis syntaxi, subaudiendum videtur: *Liberet eum Deus, si vult*. At ex Græco (15) dicendum est: *Liberet eum, si illum amat*. His similia fert Liber Sapientiæ 2. 18. *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum*.

℣. 44. Idipsum autem et latrones, &c. Sunt qui censeant (16), primo quidem utrumque latronem illi illusisse; at deinde ex iis alterum, gratiæ vi motum, cum infinitam Jesu Christi patientiam ac modestiam intueretur, resipuisse, versoque in socii arrogantiam sermone, dixisse, teste Luca 23. 39. se quidem morte dignos esse, Jesum vero iis cruciatibus indignissimum. Ita Lucas cum Matthæo conciliatur. Alii tamen (17) ajunt, Matthæum indiscriminatim de latronibus scripsisse, plurali numero pro singulari usurpato; latronibus, pro altero latronum. Ita Scriptor Epistolæ ad Hebræos XI. 33. ait, Prophetas *obturavisse ora leonum, sectos esse*; nimirum, ex Prophetis aliquos hæc fecisse ac pertulisse.

℣. 45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt ... usque ad horam nonam. Solebant eo tempore Judæi diem ab ortu usque ad solis occasum distribuere in horas duodecim, inter se quidem æquales, at ex varia dierum vicissitudine variis temporibus inæquales. In verno æquinoctio, quo tempore Pascha celebrabatur, & mortuus est Christus, prima Hebræorum hora cum sexta matutina, ex Gallorum institutione, conveniebat; tertia cum nona; sexta cum meridie; nona cum tertia pomeridiana, duodecima cum sexta vespertina.

Vinctus circa noctis dimidium Jesus, primo ad Annam ductus est, deinde ad Caipham, ibique a Sacerdotum cœtu reus mortis pronunciatus. Dimisso cœtu, inter servos relictus est ad sequentem usque diem (18), qua die, coeuntes ma-

ne

[69] Vide Var. Lect. Millii, & Martianæum Not. in veter. Vulg. S. Matth. [70] Vide Erasm. Grot. Var. Beza, Mill. &c. [71] Petron. Satyric. ubi de Matrona Ephes. *Miles, qui cruces servabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret*. [72] Ambros. de obitu Theodos. Rufin. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 7.
[1] Lege Grot. hic. [2] Apud Suetonium. [3] Apud Euseb. Hist. Eccles. lib. 5. cap. 1.
[4] L. Si duo. D. de jurejurando. [5] Apud Diodor. Sicul. [6] Apud Spartianum.
[7] Apud Lamprid. [8] Euseb. lib. 4. cap. 15. Histor. Eccles. [9] Petron. *Interim Imperator Provinciæ latrones jussit crucibus affigi*. Horat. *Furtum non feci: non pasces in cruce corvos*. [10] Hieron. in Abac. III. [11] August. lib. 18. de Civit. cap. 32. [12] Vide Grot. hic; & Hamm. ad cap. XXVI. 2. [13] Deut. XVII. 13. [14] Misna, fol. 36. de Obligationib. diei boni. [15] Ρυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν. [16] Origen. Athanas. serm. contra Hæreses. Hilar. Chrysost. Euthym. Theophylact. Juvencus. Favent. Ambros. Hieronym. Beda. [17] Ita Cyprian. seu alius serm. de Passione Domini; Augustin. lib. 3. de Consensu, cap. 16. Ambros. in Lucam; Hieronym. hic; Leo Mag. serm. 2. de Pass. Greg. Mag. lib. 27. in Job cap. 16. Maldon. Grot. Erasm. Hammond. [18] Matth. XXVII. 1. Πρωΐας δὲ γενομένης. Marc. XV. 1. Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωΐ.

ne Sacerdotes ac Senatores, iterum accersitum, blasphemiæ reum, ac morte dignum dicere. Inde ad Pilatum missus (19), atque a Præside judiciali more interrogatus, ad Herodem mittitur, iterum habita quæstione interrogatur, ac denique a Præside, quamquam illum dimittere conante, eumque innoxium palam pronunciante, Judæorum clamoribus fracto, damnatur. Erat, inquit Joannes (20), *hora diei quasi tertia*, vel, ut apud nos, nona hora matutina. Plerique tamen Codices legunt, *Hora quasi sexta*, scilicet meridies. At omnino legendum videtur, *hora quasi tertia*, cum, teste Marco (21), crucifixus fuerit Christus hora tertia, scilicet nona circiter matutina: serius fortasse aliquanto, cum in itinere a Prætorio ad Calvariam nonnihil temporis consumptum fuerit. Pependit in Cruce Jesus, Judæorum ludibriis & irrisionibus expositus, ad meridiem usque, vel usque ad horam sextam, uti Matthæus, Marcus & Lucas (22) animadvertunt. Sexta hora successere tenebræ, ad nonam usque horam, tertiam scilicet pomeridianam, universę regionis faciem obvolventes. His nona hora dissipatis (23), potum poposcit Jesus, & valida voce clamans, *Consummatum est*, expiravit.

Ita Passionis horas distribuunt Evangelistæ. Unica vero difficultas ad Joannem & Marcum pertinet. Joannes enim, ex plerisque Codicibus, ait Jesum *hora sexta* fuisse a Pilato damnatum; Marcus vero crucifixum scribit *hora tertia*. In his horarum adscriptionibus mendum certe cubat, & in alterutra vitium. Vetus Author Commentariorum in Psalmos, sub nomine S. Hieronymi (24), ait, Marcum vitio laborare, ejusque & Joannis libros olim habuisse, *hora sexta*. Aliis contra videtur corruptus Joannis locus, ibique legendum *hora tertia*, non *hora sexta*: idque multo probabilius arbitramur. Favent huic sententiæ Græcus codex vetustissimus Cantabrigiensis, aliique nonnulli (25). Legitur etiam apud Nonnum, in Chronico Alexandrino, in fragmento de Paschate, qui liber adscribitur Petro Archiepiscopo Alexandrino (26), qui sub secundi sæculi finem floruit. Hæc autem ille: *Hora erat quasi tertia, quemadmodum emendatissima exemplaria, & autographum Evangelistæ Joannis ferunt; quod Evangelium adhuc servatur, Dei beneficio, in sancta Ephesiorum Ecclesia, & a Fidelibus ibi colitur.*

Ii, quibus religio est, manum in Evangelistarum narrationes inferre, aut librarii mendum eo loco agnoscere (27), ajunt, præter diei divisionem in horas duodecim, quam supra innuimus, alteram fuisse ex Templi consuetudine, & ex publicarum precum distributione, quæ hora tertia, sexta & *nona* habebantur (28), nona scilicet hora matutina, meridie, & tertia pomeridiana. Hæ autem horæ per solemnes dies buccinæ concentu indicabantur, statimque populus vel ad Templum conveniebat oraturus, vel domi orabat. Consuetudine autem inductum fuerat, ut tempus inter hasce tres horas fluens, a præcedenti vel consequenti hora appellaretur, ut cuique videbatur. Christo igitur inter horam sextam ac tertiam damnato & crucifixo, scilicet inter horam nonam matutinam & meridiem, scripsit Marcus, crucifixum esse hora tertia; Joannes vero, sexta hora a Pilato damnatum. Marcus horam tertiam elapsam, vel prope elapsam usurpat; Joannes horam sextam mox inchoatam. Dicerent Galli, ex sua numerandi horas ratione, Christum circa horam undecimam matutinam ductum esse ad crucem, crucifixum vero circa meridiem. Res tota inter horam tertiam & sextam acta est. Crucifixo Jesu, paulo post universa regio tenebris obducta est, quo tempore hora erat sexta, vel meridies, scilicet paulo post meridiem.

S. Augustinus (29), ut utrumque Evangelistam conciliet, ait, cruci affixum esse Christum hora tertia linguis Judæorum, his nimirum illum ad crucem deposcentibus; at revera supplicio affectum hora sexta. Vel, ut idem alibi scribit, damnatus est, ex Joanne, *hora sexta* noctis, non diei, cruce affectus, ex Marco, *hora tertia* diei, non *noctis*. Ingeniosa interpretatio, sed paulo exquisitior. Vulgo probatur ea, de qua statim antea. Aliam exhibebimus in Joannem, XIX. 14.

TENEBRÆ FACTÆ SUNT SUPER UNIVERSAM TERRAM. Origenes, assentientibus multis (30), hisce tenebris occupatam fuisse putat dumtaxat Judæam, *universæ terræ* appellatione in Scripturis sępe designatam. Videtur aliis (31) hemisphærium *nostrum*, vel magna illius pars tenebras sensisse. Africanus (32), Eusebius, & S. Hieronymus (33) Phlegonem citant, Adriani Imperatoris libertum, qui anno quarto Olympiadis CCII. quo anno mortuus est Christus, eclypsin solis contigisse scribit, omnium maximam, cum in ipso meridie stellæ in cœlo apparuerint. Addit, eodem tempore concussam fuisse vehementissimo terræ motu Bythiniam. Ethnicus Tertullianus (34) ad publicas tabulas revocat, ut noctem teterrimam pleno meridie exhibitam, Christo patiente, videant. Rufinus (35) ita loquentem inducit Lucianum presbyterum Antiochenum, martyrio affectum anno CCCXII. *Requirite in Annalibus vestris: invenietis, temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris diem.* Thallum, vetustum Scriptorem, laudat Julius Africanus, veluti harum tenebrarum testem. Denique Pseudo Dionysius Areopagita ep. 7. ad Polycarp. testatur, sibi, cum Heliopoli in Ægypto versaretur, animadversam eclypsim, quæ Christo patiente contigit; cumque ex Astronomiæ legibus eclypsin eo tempore contingere non posse sciret, Apollophanem, quocum una studiis operam dabat, clamasse: *Hæc sunt, bone Dionysi, divinarum mutationes rerum.* Suidas ipsum Dionysium hæc dixisse scribit: *Aut Divinitas patitur, aut patienti compatitur.*

Quanti faciendum sit hujusmodi Scriptoris testimonium, nemo ignorat. Neque placet Origeni *in* Matth. hom. 35. Phlegonis verba plurimi haberi, ut narratas ab illo tenebras ipsasmet esse colligamus, quæ Christo moriente visæ sunt; quippe Phlegon veram fuisse eclypsin putet; idque dici nequit omnino, cum eo tempore plenilunium esset, certumque sit, *solis defectum nonnisi novissima primave luna fieri* (36). Acta a Tertulliano & Luciano Martyre citata fortasse literæ Pilati sunt, eo tempore ad Tiberium datæ. Cum vero hæ nostra ætate perierint, quid de prodigiosis

[19] Matth. XXVII. 2. Luc. XXIII. 1. [20] Joan. XIX. 14. Ὥρα δὲ ὡσεὶ τρίτη. Alii Codd. Ὡσεὶ ἕκτη. [21] Marc. XV. 25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. [22] Matth. XXVII. 45. Marc. XV. 33. Luc. Luc. XXIII. Vide & Ignat. & Clem. Constit. lib V, c. 14. & lib. VIII. c. 35. apud Grot. hic. [23] Vide Matth. XXVII. 48. Marc. XV. 34. [24] In Psalm. LXXVII. 1. *Videtur esse diversum, sed non est diversum. Error scriptorum fuit: & in Marco hora VI. scriptum fuit, sed multi episemon ϛ, putaverunt esse γ.* Ita aliqui apud Theophylact. & Petav. Doctr. Temp. pag. 454. Ita & Cajet. & Canus. [25] Codex vet. Camerar. Vechel, Beza, Bynæus, Toynard. Codd. Regii duo, nempe 1007. & 1518. sive 2860. & 2861. [26] Petr. Alex. MS. de Paschate apud Usser. & Petav. [27] Grot. Maldon. Lyr. Ligfoot. Menoch. Tillemont. alii. [28] Vide Act. III. 1. X. 3. Matth. XX. 3. 5. Hieronym. & Cyprian. apud Grot. hic. [29] August. lib. 3. de Consensu, c. 13. & Tractat. 118. in Joan. [30] Origen. in Matth. Maldon. Erasm. Vatab. alii. [31] Chrysost. Euthym. Theophyl. alii plerique. [32] African. apud Syncell. p. 322. [33] Euseb. & Hieronym. in Chronic. [34] Apologet. cap. 21. *Et tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* [35] Rufin. lib. 9. cap. 6. [36] Plin. lib. 2. cap. 13.

sis hisce tenebris Pilatus dixerit, ignoramus. Censet Origenes (37), illas a densa nube inductas esse, solis aspectum prohibente. At si res ita sese habuit, quo pacto visa sunt per meridiem sidera, uti narrat Phlegon, & credunt ii qui Phlegonem sequuntur? Altera oritur ex Phlegone difficultas, dum veram eclypsin fuisse scribit. Porro nulla tunc fieri poterat ex naturæ legibus, uti diximus; atque ut eclypsis fuerit præter naturæ ordinem, necesse est, locum, quem tunc tenebat, subito reliquerit luna, seseque soli supposuerit; id quod longam prodigiorum seriem exposcit. S. Hieronymus, rei modum causamque negligens (38), ait: *Videtur mihi clarissimum lumen mundi retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur*. Eadem ferme habet S. Leo Serm. 10. de Passione. Nos & modum & extensionem hujus eclypseos minime definimus; ac dumtaxat prodigiosam esse fatemur.

Fortasse in solis vortice tunc excrevere crustæ quædam & opaca corpora, qualia interdum in eo conspiciuntur, quæ totius solaris rotæ conspectum Judææ finitimisque regionibus abstulerint. Id porro multo minus operosum est, quam eo lunam ducere, nubesve, aut planetas. E Tabulis Astronomicis discimus (39), ipsumet Christi morientis die, tertia post meridiem hora, statim scilicet post magnam illam solis eclypsin divinitus factam, quæ meridie incepit, ac post horas tres desiit, lunam defecisse, at naturali ordine, tribus circiter horis, dimidio lunæ disco obscurato. Quamobrem eo die duplicis vaticinii fides penitus expleta est; alterius nimirum ex Joele 2. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum*; alterius ex Amos VIII. 9. *In die illa, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Et convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum*.

℣. 46. Circa horam nonam clamavit Jesus: Eli, Eli, lamma sabacthani (40). Verba ex Psalmo XXI. 1. ubi in Hebræo legimus (41): *Eli, Eli, lama azabtani*. Sonant autem illa: *Cur sacrificasti me?* at Psalmi textus significat: *Cur dereliquisti me?* Vernaculo regionis sermone pronunciavit Jesus, neque mero scilicet Hebraico, neque mero Syriaco, sed perperam misto ex utroque. Non sui, sed membrorum suorum causa clamat Jesus, inquiunt Patres (42); quippe qui peccantium hominum personam ferret, quorum criminibus debebatur justissima Dei derelictio (43). Vel, ex Humanitatis persona loquitur; nostræque naturæ imbecillitatem in se ipso exhibet, quemadmodum in horto rogavit Patrem, ut amarus Passionis calix a se transiret. *Non ista doctrina est, non querela*, inquit S. Leo; *pro nobis trepidis & infirmis interrogat, cur caventi metuens exauditus non fuerit*.

Lamma Sabachtani, idest: cur me sacrificasti? Visus est Jesus data opera immutasse verba Psalmorum, ut protestaretur Patri suo ferre se mortem in obsequium voluntatis ejus & scelerum ab hominibus commissorum expiationem.

In Græcis quibusdam S. Matthæi codicibus legebatur olim militem fodisse latus Christi adhuc spirantis, & ex vulnere sanguinem & aquam fluxisse, quod ex Evangelio S. Joannis petitum est. Idem olim in suis Codicibus S. Matthæi legisse oportet S. Chrysostomus & S. Cyrillus Alexandrinus, cum in concionibus suis eandem historiam sic exponant. At Severus scribens Thomæ Episcopo Germaniæ narrat quæstionem hanc olim coram se agitatam fuisse in urbe Constantinopoli, atque consultum ea de re codicem manu S. Barnabæ scriptum repertumque in ejus tumulo in insula Cypri tempore Zenonis Imperatoris, id nequaquam exhibuisse. Vide Assemani tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 81. 82.

℣. 47. Eliam vocat iste. Romanus fortasse aliquis (44), vernaculi sermonis ignarus, cum clamantem audisset, *Eli, Eli, &c.* Eliam vocare credidit, ut sibi opem ferret. Romanum autem fuisse, non Judæum, illud probat, quod statim idem ille acetum Jesu porrexit. Potum autem dedere Christo milites illum custodientes, testibus Luca & Joanne (45).

℣. 48. Continuo currens unus ex eis. Narrat Joannes 19. 29. spongiam hyssopo impositam: id quod difficultatem parit; humilior enim est hyssopus, quam ut ferat calamum, quo crucifixi hominis labia contingantur. At responderi solet, I. militem fortasse scalæ ope tam alte ascendisse, ut spongiam Christi labiis commode admoveret: II. plura esse hyssopi genera; hyssopum parietariam, certe humillimam, & hyssopum vallatoriam, seu campestrem, quæ ad pedis unius ac dimidii, vel pedum duorum altitudinem surgit (46). Potest autem justæ staturæ homo, porrecto brachio, ac bipedali calamo ad pedum amplius novem altitudinem pertingere: illud vero satis superque est homini e cruce pendenti, cum non multum tolli in altum solerent ii, qui supplicio afficiebantur; quorum etiam quamplures e cruce pendentes feris objectos fuisse legimus. Putat Ludovicus de Dieu (47), calamum hunc forte fuisse integrum calamum odoratum, eo delatum, ut illius odore crucifixi recrearentur. Suam hanc conjecturam modeste ac trepidans exhibet; optime; conniveas enim opus est, ut assentiaris. *Calamos* Græce pro cujuslibet plantæ caule, vel etiam pro fuste & arundine usurpatur. Hyssopi thyrsus erat.

Quæritur etiam, unde hic acetum, & cur exhibitum fuerit Christo, clamanti, *Eli, Eli, lamma sabacthani*. Quod ad secundam quæstionem attinet, narrat Joannes 19. 28. clamasse Jesum, *Sitio*; statimque cucurrisse quemdam, ut potum illi præberet. Acetum vero ajunt (48) deferri in his rebus consuevisse, ut miseri e patibulo pendentes potarentur, ne spiritu deficerent, aut iis deficientibus spiritus aceto revocaretur. Sunt (49) qui censeant, Romanos milites acetum in sui ipsorum usum detulisse, illudque obtulisse Christo insultantes. Favere huic explicationi videtur Lucas 23. 36. dum ait, milites Christo illusisse, acetum offerentes, dicentesque: *Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac*.

Plerasque ex his opinionibus concilieveris, si dixeris, Romanos milites, quibus traditus fuerat Jesus ad supplicium ducendus, in crucem agendus, ac denique in patibulo custodiendus; cum sese diu in monte futuros intelligerent, detulisse acetum, simulque comparasse spongiam, qua miseris potum poscentibus porrigerent; cum autem poposcisset Jesus, obtulisse insultantes, atque illuden-

[37] Origen. loco citato, & ita fere Chrysost. Euthym. Theophyl. hic. [38] Hieronym. hic, & in Amos 8. 9. [39] Vide Toynard. Harmon. pag. 131. & Not. pag. 148. col. 2. ima. [40] Marcus legit: Ἐλωί, Ἐλωί, λαμμᾶ σαβαχθανί. [41] אלי אלי למה עזבתני [42] Vide Athanas. orat. 2. 2. 3. & 4. contra Arianos; Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia; Cyrill. Alexand. de Fide ad Reginas; August. in Psalm. XXI. Leo Mag. serm. 12. & 17. de Passione Domini. [43] Vide Tertull. advers. Praxeam; Hilar. hic; Epiphan. hæres. 69. Cyrill. lib. 2. thesauri, cap. 2. Ambros. lib. X. in Luc. Hieronym. hic. [44] Hieron. Beda, Strab. Euthym. Maldon. alii. [45] Joan. XIX. 29. Luc. XXIII. 36. [46] Vide Dodonæum lib. 4. cap. 10. de Stirpibus. [47] Ludov. de Dieu in Joan. XIX. 29. [48] Vide Casaub. in Baron. Exerc. 16. cap. 88. Grot. ad Joan. XIX. 29. alios. [49] Mycill. not. Philol. in Passion. Christi; Vissembach. not. in Pass. Chr. ad Joan. XIX. 29. Lightfoot. Hor. Hebr. in Luc. XXIII. 36. alii.

dentes, quod is sese Judæorum Regem dixisset. Consueta militum Romanorum potio erat posca, vel acetum aqua mistum. Pescennius Niger vetuit, militem vino uti, acetum permisit. Constantinus Magnus vinum & acetum alternis diebus. Ruth 2. 14. panem comedit, aceto messorum Booz intinctum. Nostra adhuc ætate in Batavorum navigiis panem aceto intinctum nautis in usu esse tradunt.

℣. 49. CÆTERI VERO DICEBANT: SINE, VIDEAMUS, &c. Verba hæc Marcus (50) eidem illi militi potum porrigenti tribuit, Cum hic dicere incepisset, assentire cæteri, ex Matthæo. Codices nonnulli (51) hoc loco addunt: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua*. At hæc ex Joanne 19. 34. desumpta sunt, ab hoc loco aliena; mortuo enim Jesu, illius latus lancea perfossum est

℣. 50. JESUS AUTEM ITERUM CLAMANS VOCE MAGNA, EMISIT SPIRITUM. Magna voce clamat Jesus, antequam spiritum emittat, ut significet, se neque necessitate, neque virium defectu expirare (52). Libere moritur, sponte, & qua hora ipsi placuit. Clamasse illum narrat Joannes 19. 30. *Consummatum est*; Lucas vero, Spiritum Patri commendasse (53). De his fusius disputabimus in illorum Commentariis.

℣. 51. ET ECCE VELUM TEMPLI SCISSUM EST &c. Mosaicum in deserto Tabernaculum velis tribus protegebatur; primo, in ipso atrii ingressu; altero, ad Sancti fores; tertio denique in aditu Sanctuarii. In Salomonis Templo, & in altero post captivitatem condito duplex erat velum (54); primum ad Sancti fores; alterum ad Sanctum Sanctorum. Sancti velum scissum esse putant Origenes & S. Hieronymus; at plerique Interpretes Sanctuarii velum malunt. Posterioribus hisce favere videtur Paulus ad Heb. x. 20. ubi ait, Jesum, utpote Pontificem, Sanctuarii aditum *per hoc velamen* nobis reserasse; scilicet per carnis suæ perpessiones. Scisso Sanctuarii velo docemur, æternæ beatitudinis iter Christi morte nobis patere, dissipatas esse Legis umbras; verum Pontificem in interiora Templi ingressum esse, ut omnium hominum peccata expiaret (55). Scribit S. Ephrem Serm. 5. de Pass. columbam ex adyto Sanctuarii eodem tempore avolasse. *Addit Evangelium Nazaræorum, etiam superliminare Templi infinitæ magnitudinis fractum esse atque divisum* (56).

TERRA MOTA EST, ET PETRÆ SCISSÆ SUNT. Vidimus ex Phlegone (1), præter eclypsin ipso meridie visam, stellis etiam conspicuis, ingentem contigisse terræ motum, quo potissimum Bythinia agitata est. Gravissimi etiam sub Tiberio terræ motus meminere Tacitus (2) ac Suetonius (3). Sunt qui (4) communem universo terrarum orbi motum terræ fuisse putent; sunt (5), qui peculiarem uni Judææ, vel Templo (6), cujus & fores excussit, & velum disrupit. Si fides sit S. Cyrillo Jerosolymitano (7), rupes terræ motus vi scissæ in Calvario monte spectabantur. Formidabilem certe & gravissimum fuisse necesse est, quippe qui Centurionem ejusque comites movit, justamque Numinis iram, & iniquissimam Jesu Christi damnationem agnoscere coegit, Luc. 23. 47.

℣. 52. MONUMENTA APERTA SUNT, &c. Nonnulli ex Veteribus (8) credidere, moriente Christo, vel paulo ante Sanctorum corpora ad vitam rediisse, & patuisse monumenta, ut illum ad inferos descendentem Sancti comitarentur. At plerique Veterum (9) recentiorumque (10) Interpretum ajunt, monumenta quidem Christo moriente patuisse, corpora vero Sanctorum ad vitam rediisse eo resurgente. Ad inferos descendit, ibique piorum animas invisit; de comparata illis libertate certiores fecit, redux denique ad corpus, secum illas duxit, & nonnullas corporibus restituit. Revocati ad vitam homines cum illo in terris fuere, multis etiam sese exhibentes, per quadraginta illos dies, qui Christi Resurrectionem consecuti sunt. Iidem una ad cœlum ascendisse, triumphi comites, creduntur. Ita Veteres multi (11), multique Recentiores sentiunt (12).

Hæc tamen opinio difficultate non caret; siqui enim revocandi erant ad vitam, æquum certe erat revocari Davidem, Abrahamum, Josephum, Samuelem, Elisæum, Joannem Baptistam. At Petrus, Judæos alloquens sacro Pentecostes die, quinquagesimo post Jesu Christi Resurrectionem, testatus est, Davidis corpus adhuc in suo monumento jacere (13). Igitur Davidis corpus in Cœlum non ascenderat. Paulus in Epistola ad Hebræos xi. 39. scribit, Veteres Patres nondum suam retulisse mercedem; Deo id molliente, ut nobiscum una beatitudinis suæ perfectionem consequerentur. Denique Joannis Baptistæ & Prophetarum aliquot lypsana post Ascensionem inventa sunt. Horum igitur corpora cum Jesu Christo in Cœlum illata non fuerunt. Patrum plerique (14) docent, sanctos veteris Legis homines absolutum laboris sui præmium nonnisi nobiscum sub mundi exitum relaturos; & Sanctos, una cum Christo ad vitam revocatos, aliquandiu postea obiisse, functos eo munere, cujus gratia in vitam restituti fuerant, nimirum ut Christi Resurrectionem omnibus testarentur (15). Quamobrem ita redierunt in vivos, uti Moyses, cum in Thaboria vertice apparuit, atque uti Lazarus aliique, quos Christus vivos restituit. Vide hac de re nostram Dissertationem.

℣. 54. CENTURIO AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT. ... VERE FILIUS DEI ERAT ISTE. Nonnihil mutat Lucas xxiii. 47. *Vere hic homo Justus erat*. Scribit Marcus xv. 39. milites, cum Jesum vehementer clamantem exspirasse animadvertesent, hunc esse Dei Filium collegisse Optime omnia. Centurio, prodigiis hisce, Christi mortem comitantibus sequentibusque permotus, nedum illum justum hominem esse confessus est, iniquissime damnatum, verum etiam Dei Filium. Patres nonnulli (16) Centurionis verba ita usurpavere, ut Christi divinitatem illum confessum esse putaverint. At videtur potius S. Augustino (17) illum agnovisse uti pium hominem, ac Dei Filium

(50) Marc. xv. 36. *Sinite, videamus*. Ἄφετε, ἴδωμεν, εἰ ἔρχεται Ἠλίας. Matth. xxvii. 49. Οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, ἄφες, ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας. (51) Stephan S N. Bold. 7. Hunt. 2. Chrysost. Æthiop Paris. 9. (52) Cyrill. Jerosol. Catech. 13. Chrysost. Hieronym. Theophylact. hic; Cyprian. ad Demetrian. August. tract. 119. in Joan. (53) Luc. xxiii. 46. ex Psalm. xxx. 6. (54) Joseph. de Bello, lib. 6. c. 14. Hieronym. Ep. 115 ad Hedibiam; Grot. hic. (55) Vide, si lubet, Origen. in Matth. hic; Ambros. lib. x. in Luc. Leon. Magn. serm. 50. de Passione; Hieronym. hic; August. in Psalm. lxxv. & lxx. & alibi. (56) Hieron. Ep. 150. (1) Apud Euseb & Hieronym. in Chronic. (2) Tacit. Annal. l. 2. c. 47. (3) Sueton. in Tiber. c. 48. (4) Euseb. Hieronym. Author Mirabil. sacr. Script. l. 2. c. 5. alii. (5) Origen. in Matth (6) Hammond. hic. (7) Cyrill. Jerosolym. Catech. communi 13. (8) Vide Chrysost & Theophylact. (9) Hieronym. Beda, Tertull. lib de Anima cap. 55. (10) Maldon. & alii hic; & in Cor. xv. 20. & in Coloss. 1. 18. (11) Hilar. in Matth. Euseb. Demonstrat. lib. 4. c 8 Origen. in Cantic.; Ignatius ad Magnesian. Epiphan. hæresi 75. (12) Maldon. Cornel. Jansf. Tirin. Beza. (13) Act. ii. 29. 34. (14) Vide supra, xx. 11. 12. & seq. August. tract. 124. in Joan. n. 2. Ep. 164, alias 99. Theodoret. in c. xi. Ep. ad Hebr. Chrysost. homil. 28. in Ep. ad Hebr. (15) Vide Chrysost. in prim ad Corinth. homil. 40. Ambros. l. 6. in Luc. n. 60. Avit. in fragmentis, S. Thom. 3 parte qu. 53. art. 3. ad 2. Aug. in Joan. tract. 124. (16) Cyrill. l. xii. Thesauri c. 14. Basil. in Gordian. Mart. (17) August. l. 3. de Consensu c. 20.

eo modo, quo cætera piorum hominum multitudo nuncupatur. Centurionem Longinum nominat Metaphrastes. Nonnullis apud Chrysostomum (18) Christi Martyr dicitur. Plura sunt Longini Centurionis Acta, & festum illius diem Græci Ecclesiastico officio celebrant. Mihi tamen fabulam subolent omnia, quæ de eo leguntur, Is, inquiunt, relicta Romanorum militia, in Cappadociam rediit; ubi, cum Christum Jesum palam prædicaret, capite mulctatus est, capite ad Pilatum misso (19). Hæc Græci. Alter Longinus apud Latinos colitur; eumque esse ajunt, qui Christi latus post mortem hasta perfodit. Hujus tamen Longini historia nil sanum aut fide dignum præsefert.

℣. 55. ERANT IBI MULIERES MULTÆ A LONGE, Jesum a Galilæa secutæ, ut tenuem e rebus suis annonam illi suppeditarent, teste Luca 8. 3. Apostolos plerosque piæ quædam fœminæ sequebantur (20), ipsis inservientes; consueto inter Hebræos more, nemini suspecto, inquit S. Hieronymus. Nonnullas e piis hisce fœminis, Christum sequutis, nominat Evangelista.

Maria Magdalene. Hanc plerique (21) Mariam esse putant Lazari sororem, levibus tamen argumentis. Malo fuisse famosam illam fœminam, quam Christus malo septem Dæmonum contubernio liberavit (22). Hæc Galilæa erat, & *Magdalenæ* appellationem ex oppido vel urbe *Magdala* referebat. Huic ante cæteros sese obtulit Christus post Resurrectionem. Ea Mariam Deiparam, & Joannem Evangelistam Ephesum sequuta, supremum ibi diem obiit (23), Joanni ad finem usque inserviens.

Maria Jacobi & Joseph mater, vel *Jose*, ut codices multi habent. Jacobus hic est Jerosolymitanus Episcopus, *Jacobus Minor*. *Jose* vel *Joseph* apud Historicos non legitur: fortasse Josephus est Barsabas, cognomine Justus, una cum Matthia cœtui Apostolorum propositus, uter ad Apostoli munus eligeretur Act. 1. 23. nihil tamen certi est in hac sententia. Utriusque hujus mater Mariæ Virginis soror erat, Cleophæ uxor (24) vel Alphæi, fratris Josepho, Deiparæ Sponso (25). Putat Toynardus, Mariam Cleophæ filiam uxorem esse Alphæi, & matrem Jose.

Mater filiorum Zebedæi, cui nomen Salomæ, ex Origene aliisque. Hæc Jacobum Majorem, & Joannem Evangelistam peperit. Præter fœminas hasce, viri etiam erant aliquot, teste Luca 23. 49. narrante, omnes Christo notos ac familiares longe a cruce stetisse, rem intuentes. Excipe Apostolos, qui minime adfuerunt, præter Joannem Evangelistam. Idem non erat Discipulorum discrimen, atque Apostolorum, si adfuissent; ii enim minus quam hi noscebantur. Mulieres duæ Maria Magdalene, & Maria mater Jacobi & Josephi prope crucem erant, cum Maria Iesu matre, & Ioanne Evangelista (26): cæteræ longius aberant, testibus Matthæo 27. 55. & Marco 15. 40. Vel, cum aliquandiu prope Crucem stetissent, ad cæteras se recepere, ibique post obitum usque Servatoris moratæ sunt.

℣. 57. CUM AUTEM SERO FACTUM ESSET, &c. Sub vesperam, quarta circiter post meridiem hora, & post Christi obitum prima; sole enim occiduo nefas erat labori operam dare, ob ineuntis Sabbathi religionem. Iosephus ab Arimathæa Senator erat Ierosolymitanus, neque in Iesu Christi necem cum cæteris conspiraverat. Recensebatur etiam inter Christi Discipulos (27), & Dei Regnum expectabat; clam tamen, Iudæorum metu. Arimathæa urbs vulgo ponitur XVIII. seu XX. millibus passuum ab Ierosolymis, occidentem borealem versus. Sunt qui eamdem esse putent Ramathaim Sophim, Samuelis patriam (28). Venit hic *audacter* (29) postulatum corpus Iesu, sive Dei Spiritus illum ea constantia instruxerit, sive nobilitate & dignitate fretus sese a Præside impetraturum speraverit id quod erat postulaturus (30). Locupletem fuisse narrant Evangelistæ, ut fides constaret Isaiæ 53. 9. vaticinio: *Dabit illi impios pro sepultura, & divitem in morte sua*. Iosephus, tametsi Arimathæus, domicilium posuerat Ierosolymis, ibique tumulum sibi paraverat.

Romanis Legibus cautum erat (31): *Eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum & permissum*. Nunquam tamen rejici solebat postulatio, nisi reus majestatis fuisset. Cum igitur nunquam sibi persuaserit Pilatus, Iesum seditionis aut majestatis reum esse, quemadmodum accusaverant Iudæi, idcirco facile postulatis annuit. Moris Romanorum erat, ut rei nedum in patibulo expirarent, verum etiam illorum cadavera diebus aliquot pendentia relinquerentur, cæterorum exemplo. At cum Iudæorum Leges Deut. 21. 23. vetarent, ne reorum cadavera plus una die insepulta essent, Romani Præsides de consuetudinis severitate remittebant (32): quamobrem eadem die in vesperis illa detrahebantur, ex Moysis sanctione: quod si nondum exspirassent rei, crura illis frangebantur, quo citius morerentur; detractaque de cruce cadavera vel illorum necessariis reddebantur, vel in publica sepulcra inferebantur. Id servatum est erga latrones duos, una cum Iesu crucifixos: Ioan. 19. 31. 32.

Tradit Misnu *cap. 6. num.* 14. 15. vetitum fuisse necessariis hominum ultimo supplicio affectorum, illorum cadavera in familiæ sepulcrum inferre, nisi carne in publicis sepulcris consumpta; quo peracto, licebat illorum ossa in familiæ monumentis condere. Idcirco fortasse Iosephus Arimathæus cadaver Jesu a Pilato petiit, ne in tumulos reis destinatos inferretur.

℣. 59. ACCEPTO CORPORE, INVOLVIT ILLUD IN SINDONE MUNDA. Nonnulla hic addenda sunt ex cæteris Evangelistis. Narrat Ioannes 19. 39. emisse Nicodemum centum libras aromatum, ut Christi Corpus condiret. Meminit etiam, præter sindonem, institarum, quibus obvolutum est cadaver (33), & sudarii, quo velatum est caput (34). Recens erat sindon, teste Marco XV. 46 novum item monumentum, quo conditum est.

His porro adjunctis confirmatur veritas Resurrectionis Iesu Christi, propria ipsius virtute peractæ. Si enim ea, quibus conditum est Christi Corpus, aliorum usibus inservissent, locus fortasse cavillationi fuisset, illum alterius virtute revocatum fuisse ad vitam, quemadmodum cadaveri illi usu venit temere in sepulcrum Elisæi projecto (35).

℣. 60. IN MONUMENTO, QUOD EXCIDERAT IN PETRA, de regionis more, nobilium sepulcra in rupe excavandi. Amplissima adhuc apud Palæstinos sepulcra conspiciuntur, conclavium instar, loculis pluribus in gyrum distincta, quorum in singulis singula familiæ unius corpora condebantur. Iosephus uni sibi monumentum fecerat; angustum scilicet conclave, & loculum unum. Situm erat

(18) Quid. apud Chrysost. homil. 88. Jaaf. (19) Vide Notas Tillamontii in J. C. nota 38.
(20) 1. Cor IX. 5. *Numquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli?*
(21) Ita plerique omnes apud Maldon. hic. (22) Luc. VIII. 2. 4 & Marc. XVI. 9. (23) Photius cod. 275. (24) Joan. XIX. 25. (25) Hegesipp. apud Euseb. lib. 3. Hist. Eccles. cap. 11. & lib. 4. cap. 22. (26) Joan. XIX. 25. (27) Joan. XIX. 38. (28) 1. Reg. 1. (29) Marc. XV. 43. (30) Chrysost. & Hieron. hic; August. l. 3. de Consensu. (31) Ulpian. Vide Grot. hic. (32) Joseph. l. VI. c. 11. in Græc. p. 930. (33) Joan. XX. 40. (34) Idem, XX. 6. 7. (35) 4. Reg. XIII. 21. Vide Hieronym. hic, ad ℣. 60. & Ambros. in Luc. Bedam, Euthym. Theophyl. hic.

erat in Calvrio monte, in hotto prope locum, in quo crucifixus est Christus,

℣. 61. MARIA MAGDALENE, AT ALTERA MARIA (36), Iacobi Minoris, & Iose mater, uxor Alphæi, & Deiparæ Virginis soror. Hæ in Calvario cum Maria matre Iesu perseveraverant, ut cernerent, quid de Christi corpore futurum esset, suamque illi condiendo operam conferrent.

℣. 62. ALTERA AUTEM DIE, QUÆ EST POST PARASCEVEN, Sabbatho, Sacerdotum Principes ad Pilatum accedentes monuere: Deceptor ille vivens gloriatus est, sese post dies tres in vitam esse rediturum: jube igitur, illius sepulcrum in tertium usque diem custodiri. Cum brevius dicere posset Evangelista *Sabbatho*, periphrasi utitur: *Altera die, quæ est post Parasceven*, scilicet post præparationis diem. Ita apud Judæos Feria sexta nuncupabatur (37), quod ea die pararentur cibi in Sabbathum, quia die nefas erat cibos parare, aut ignem omnino excitare Exod. 16. 5. Id gestum est feria sexta post Solis occasum, quo tempore inibat Sabbathum, ex Judæis (38). Cum Paschatis festum eo anno in Sabbathum incideret, hinc est, quod ab Joanne dicitur (39) *Magnus dies Sabbathi*; & a Matthæo *dies post Parasceven*, sive post præparationem.

℣. 63. POST TRES DIES RESURGAM. Nunquam Jesus apertis adeo verbis palam prædixerat, sese in vitam rediturum. Dixerat quidem, sese exhibiturum Judæis prodigium Jonæ Prophetæ Matth. 12. 39. atque ut ille tribus diebus & noctibus totidem in ventre piscis fuerat, ita Filium hominis tantumdem futurum in sinu terræ. Et Joan. 2. 19. de corpore suo agens, asseruerat, siquidem illi Templum hoc destruerent, ipsum a se triunt dierum spatio restitutum iri. At id luculentius apud Apostolos prædixerat; ex quibus verisimile est, famam futuræ post tertium diem Resurrectionis in vulgus manasse. Id vero Sacerdotes ac Pharisæos pungebat, aptissime colligentes, malum multo deterius fore, si is resurgeret: *Et erit novissimus error pejor priore*.

℣. 65. HABETIS CUSTODIAM, Levitas (40), Templi custodiæ destinatos: illos igitur in sepulchri custodiam adhibete. Quid opus est milite? Horum Levitarum Principes appellat Lucas (41) *Duces Templi*. Reddunt alii (42): *Accipite custodiam* Templi, atque ut libet custodite. Ea Templi custodia fuisse creditur Romanorum militum cohors, festis diebus armata in porticibus Templi, nequid turbæ fieret (43). Aliquos ex iis militibus accepere Sacerdotes, ut Iesu Christi sepulchrum custodirent. Ex consequentibus (44) discimus, eos milites obnoxios fuisse Pilato, ejusque animadversioni, adeoque Romanos.

℣. 66. MUNIERUNT SEPULCHRUM, SIGNANTES LAPIDEM, quo sepulchrum claudebatur, coram custodibus (45). Putat Grotius, signatum fuisse lapidem Pilati annulo, cum de re ad fidem publicam pertinente ageretur. Ita Daniel 6. 17. in cavea leonum clausus est sub annulo Babyloniorum Regis, ejusque Procerum. Serviunt hic Sacerdotes Providentiæ consiliis, & veritati Resurrectionis, id minime volentes. Ita adhibitis custodibus aufertur furti & fraudis suspicio ab Apostolis. Trepidi atque inopes Apostoli nullum accusationi locum præbent, quod aut vim militibus intulerint, aut illos pecunia corruperint. Certissimam undique Filii Resurrectionem efficere voluit Deus, & inimicorum ora obstruere iis ipsis artibus, quibus illi errorem & fraudem ex Apostolis cavere conabantur. Scribit Nicephorus l. 2. c. 32. lapidem, quo sepulchrum claudebatur, immani catena vinctum fuisse; cujus catenæ vestigia in eo lapide ipsa Bedæ ætate conspiciebantur (46). Vetus Codex Cantabrigiensis Græco Latinus, qui olim Bezæ fuit, apud Lucam c. 24. fert, ingentem adeo fuisse lapidem, ut ægre ab hominibus viginti moveretur. Fabulæ.

Josephus ab Arimathea corpus Jesu in suo tumulo collocavit, qua in re animadvertisse juvat ex Rabbinorum doctrina nefas esse necessariis illius, qui plexus est supplicio, sepulchro familiæ illum inferre, nisi prius defuncta caro absumpta fuisset tota in publicis sepulcris. Tunc datum erat cuique nuda ossa patriis sepulchris inferre. Ea, aiunt, de causa Josephus ab Arimathæa veniam a Pilato petiit, ut corpus Jesu in suo tumulo reconderet, non enim patiebatur, ut ad publica sepulchra Magister suus deferretur, sed causam hanc nimis a longe petitam arbitror. Si Jesu Christo alienum sepulchrum datum est, ea de causa id arbitror accidisse, quod proprio careret, cum filius hominis non habuerit, ubi caput reclinaret. De sepulchro J. C. vide D' Arvieux tom. 2. pag. 165. & apud D. de Frenoi pag. 165.

(36) Vide Luc. xxiii. 55. & xxiv. 10. (37) Marc. xv. 42. Ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον. (38) Vide Toynard. Harmon. p. 131. (39) Joan. xix. 31. Ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου. (40) 1. Par. xxvi. 1. & sequ. (41) Luc. xxii. 4. . . . 52. Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ. (42) Matth. xxvii. 65. Ἔχετε κουστωδίαν. (43) Joseph. de Bello lib. v. cap. 15. in Græco, p. 919. Et in Latino, lib. 22. cap. 6. & Ant qu. l. xx. c. 4. Ita Grot. Le Clerc, Natal. Alex. (44) Matth. xxviii. 14. (45) Chrysost. Euthym. Brug. (46) Beda in locis.

C A P U T XXVIII.

Resurgit Jesus. Angelus sese piis fœminis videndum præbet. Milites sepulchri custodes a Principibus Sacerdotum pecunia corrupti. Jesus multis simul Discipulis in quodam Galilææ monte sese offert. Apostolorum missio.

℣. 1. VEspere autem sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi, venit Maria
Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. 2. Et ecce terræmotus
factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens revolvit la-
pidem, & sedebat super eum. 3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vesti-
mentum ejus sicut nix. 4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti
sunt velut mortui. 5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere
vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: 6. Non est hic: surrexit
enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus. 7. Et cito
euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi

eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8. Et exierunt cito de monumento cum timo-
re, & gaudio magno currentes nuntiare discipulis ejus. 9. Et ecce Jesus occurrit il-
lis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt
eum: 10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis, ut eant
in Galilæam, ibi me videbunt. 11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus
venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fue-
rant. 12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dede-
runt militibus, 13. Dicentes: Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati
sunt eum, nobis dormientibus. 14. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suade-
bimus ei, & securos vos faciemus. 15. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant
edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. 16.
Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus.
17. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. 18. Et accedens Je-
sus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.
19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti. 20. Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et
Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

℣. 1. VESPERE AUTEM SABBATHI, &c. Vel (1): *Elapsa hebdomada, cum prima hebdomadæ alterius dies inciperet*. Ut Evangelistarum narrationes concilientur, dicendum est, pias fœminas in ipsis Sabbathi vesperis, scilicet post solis occasum, elapsa solemnitate, ineunte jam prima hebdomadæ die, aromata emisse, ut primo statim alterius diei diluculo venientes, Christi cadaver condirent. Ita Marcus (2). Minime noverant illæ, milites superiori die sepulchri custodiæ admotos. Tota igitur nocte, quæ Sabbathum inter & Dominicam diem est, aromata paravere, & die altera, *ante solis ortum* (3), ex urbe ad sepulchrum venientes, *orto jam sole* (4) pervenerunt.

Magdalenam dumtaxat & Mariam Jacobi & Josephi matrem Matthæus hic numerat. Marcus 16. 1. addit Salomen, matrem filiorum Zebedæi; Lucas (5) Joannam, & cæteras, Jesum e Galilæa reducem prosequutas. Animadversione digna sunt verba, quibus hic utitur Matthæus: *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi*; cum prima hebdomadæ dies lucescit, geminæ Mariæ ad sepulchrum venere. Impropria Latinis & Gallis Italisque locutio est, diem in vesperis lucescere, vel oriri: propria tamen Hebræis, qui diem a vesperis exordiebantur: eaque alibi animadvertitur, veluti apud Lucam (6), qui de vesperis ejus diei agens, qua die Jesus illatus in sepulchrum est, ait: *Dies erat parasceves, & Sabbathum illucescebat*. Vesperæ erant feriæ sextæ, & Sabbathum inibat, stellis exorientibus; *illucescere* enim æque de luna nocturnisque sideribus, ut de sole, usurpatur. Matthæum interpretatur Marcus, & fusius recitat, quæ ille brevius. Scribit Matthæus, pias fœminas vespere venisse ad sepulchrum, sese nimirum ad veniendum comparasse, emptis paratisque aromatibus. Clam id fieri volebant; quamobrem aliquam itineris partem noctu confecere (7).

℣. 2. ET ECCE TERRÆ MOTUS FACTUS EST MAGNUS, antequam piæ mulieres venirent, quæ post Christi Resurrectionem, & orto jam sole eo pervenerunt (8): motus autem terræ in ipsa Resurrectione contigit. Fragorem illæ quidem audivere, & sensere concussionem; at Christum sepulchro egredientem non aspexere. Cætera, quæ hic narrantur, vel ex militibus sepulchri custodibus, vel ex ipso Jesu post resurrectionem percepta fuere. Sunt (9) qui censeant, Græco hujus loci vocabulo (10) non terræ motum, sed aeris turbinem, procellam significari, quo descensus Angeli removentis lapidem sepulchri indicabatur. Græcus non habet *terræ*, sed dumtaxat *motum magnum*, ingentem agitationem. At in Novi Fœderis Libris (11) ea vox nonnisi pro terræ motu usurpatur; atque hoc loco nedum Angeli descensum, verum etiam ac præsertim Jesu Christi Resurrectionem, egressum e sepulchro, multorumque sanctissimorum hominum reditum in vivos significat.

Quæritur hic, qua hora surrexerit Christus; cum enim certi nihil tradat ea de re Scriptura, dissident variorum sententiæ (12). Veteres nonnulli (13) surrexisse putant vesperi, vel sub initium noctis Sabbathum consequentis. Hæc tamen opinio, freta dumtaxat iis Matthæi verbis, *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum*, brevi periit.

Alii (14) probabilius censent, illum nocte dimidia surrexisse; veteri enim Ecclesiæ consuetudine Sabbatho hebdomadæ majoris jejunium nonnisi post dimidiam Paschalis diei noctem solvebatur. Assentiuntur magno numero Scriptores, & tota, ut ita dicam, vulgo Ecclesia. Non defuere tamen inter Veteres & Recentiores (15), qui Resurrectionem sub auroram contigisse doceant: quo tempore in equinoctio apud nos quarta hora matutina dicitur. Romani Fideles Sabbathi majoris jejunium nonnisi sub auroram diei Dominicæ solvebant. Favet huic opinioni Scriptura. Christus certe vel eo ipso tempore, quo descendit Angelus, sepulchrum aperiens, & terræ motus sonuit, vel quam minimo antea, resurrexit. Utrumque vero contigit, cum piæ mulieres ad sepulchrum venirent, quo pervenere paulo ante solis exortum.


(1) Matth. xxviii. 1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. (2) Marc. xvi. 1. Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου, καὶ Σαλώμη ἠγόρασαν ἀρώματα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν. (3) Luc. xxiv. 1. Ὄρθρου βαθέος. Joan. xx. 1. Πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης. (4) Marc. xvi. 2. Ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. (5) Luc. xxiv. 5. 10. Græc. (6) Luc. xxiii. 54. Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. (7) Vide Grot. hic, & Lud. de Dieu. Vide & Bedam, Rupert. Strab. Lyran. (8) Marc. xvi. 2. (9) Hammond Le Clerc. (10) Καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας. (11) Vide Act. xvi. 26. Apoc. vi. 12. xi. 13. Matth. xxiv. 7. xxvii. 54. Marc. xiii. 8. Luc. xxi. 11. Apoc. viii. 5. xi. 19 xvi. 18. Animadvertendum est, nullibi inveniri Σεισμὸς τῆς γῆς, motus terræ, sed dumtaxat, Σεισμὸς, motus. (12) Vide Hieron. ad Hedibiam; & Euthym. hic. (13) Dionys. Alexandr. Ep. ad Basilidem. (14) Vide Dionys. Epist. supra citata; Synod. in Trullo, c. 89. (15) Vide Gregor. Nyssen orat. 2. de Resurrect. Euthym. hic; Dionys. Ep. supra citat. Maldon. hic.

tum. Igitur paulo ante ortum solis, adeoque circa auroram Christus e sepulchro vivens prodiit.

ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM, sive ut sepulchrum aperiret, sive ut aditum faceret glorioso Servatoris corpori, quemadmodum Patribus nonnullis (16) visum est, aliisque recentioribus Interpretibus; non quod ea re Christi Corpus egeret, sed honoris gratia; vel ut custodes fugaret, panderetque sepulchrum, quo locus fieret piis fœminis videndi, Christum revera resurrexiste: plerique enim Patres (17) & Interpretes docent, Christum ita e sepulchro egressum esse, uti e matris utero prodiit, intacto scilicet integroque sigillo. Narrat Lucas (18), visos a piis fœminis Angelos duos micantibus rutilisque vestibus ceu fulgure: Marcus vero xv. 5. unicum fuisse Angelum, candida veste indutum, in dextera sepulchri sedentem. Matthæus etiam unius Angeli hoc loco visi meminit. Matthæus nimirum & Marcus spectavere potissimum alterum ex Angelis, qui primam eo tempore personam egit, piasque mulieres allocutus est: Lucas vero utrumque Angelum significavit, atque ex consueto Scriptorarum more de duobus Angelis tradidit ea, quæ aliter nomine utriusque gessit.

Duorum etiam Angelorum meminit Joannes 20. 12. ubi eos Mariæ Magdalenæ paulo postea sese exhibuisse narrat. Candidas etiam illis vestes tribuit, uti Matthæus & Marcus; sed rutilas, quemadmodum Lucas. Stantes Angelos dicere videtur Joannes, cum cæteri sedentes exhibeant. Nonnulli tamen sunt (19), qui censeant, Græcum vocabulum, quod vulgo *sedere* vertitur, usurpari etiam pro *se sistere* alicui. Lapsus e cœlo Angelus primo lapidem, quo sepulchrum claudebatur, evertit, & supra lapidem sedit. Ibi illum videre milites sepulchri custodes (20). Venientes paulo postea piæ mulieres, in sepulchri vestibulum ingressæ sunt; cumque lapidem, quo aditus claudebatur, eversum conspicerent, ad secretiora sepulchri penetrare ausæ (21), duos ibi sedentes Angelos conspexere, unum ad caput, alterum ad pedes loci, ubi Christi Corpus jacuerat. Qui in dextera, scilicet ad sepulchri caput sedebat, stetit; easque allocutus est, quemadmodum hic Matthæus & cæteri Evangelistæ narrant.

Ut rem plane teneas, inspiciendum est schema sepulchri, in quo jacuit Christus. Illud vero in Itinerariis ita describitur. Locus est ex oblongo quadratus, in rupe excisus, ad fores Orientem spectans, A. Duas habet partes seu rupes, simul junctas, quarum altera E vestibuli loco est alteri F. Prima pedes novem porrigitur longitudine ab Oriente in Occidentem, A, B, totidemque latitudine, a meridie in septemtrionem, D, C. Porta ad Orientem conversa vulgaris amplitudinis est, sex vel septem pedes altitudine. Primo hoc in specu Angelus sese custodibus exhibuit, super lapidem sedens, K, quo lapide clausæ fuerant sepulchri fores I.



Altera sepulchri pars, ad quam per vestibulum mox descriptum itur, spelunca est F, in rupe excavata, pedum sex longitudine ab Oriente in Occidentem, & in ima parte pedibus sex patens occidentem versus; ad Orientem vero, ubi fores sunt, pedibus quinque & dimidio. Altitudo pedum circiter octo est. Fores I. angustæ sunt, pedibus tribus, duobus pollicibus & dimidio altæ, pede uno & pollicibus decem latæ; parietum crassitie pedem unum & septem pollices. Claudebantur lapide, totum illarum spatium occupante; huic vero additum erat annuli signum a Sacerdotibus, eumque ne removere possent, piæ mulieres verebantur, invicem colloquentes: *Quis revolvet nobis lapidem de ostio monumenti?* Gravior enim erat lapis, quam ut ab infirmis insuetisque mulieribus tractaretur. Adde, quod ad amussim adeo lapis ostio congruebat, ut nullo modo accipi posset, si removendus fuisset. Id vero multum negotii illis faciebat.

Ad dextrum ingredientis latus est sepulchrum G, quo conditum est Christi cadaver; pedibus sex longum, uti reliquum specus, pedes tres latum, occidentem versus, quo conversi erant pedes, ac tribus pedibus cum dimidio ad Orientem, ubi jacebat caput: a solo assurgit duos pedes, & pollices quinque. Ibi Maria Magdalene sedentes vidit Angelos duos, alterum ad sepulchri caput, alterum ad pedes. Hæc sese inclinasse dicitur (22), ut sepulchrum introspiceret; cum enim in priore vestibulo sepulchri esset, curvandum erat corpus, ut in sepulchri fores, humillimas & angustissimas, uti diximus, ingrederetur.

℣. 6. VENITE, ET VIDETE LOCUM. In speluncæ sepulchri foribus steterant mulieres, ingredi non audentes, Angelorum metu & obsequio. At ex iis alter, illas alloquens, ingredi jussit, & locum intueri, ubi Servatoris cadaver positum fuerat. Prospexere illæ ex ostio, quo caput & corporis partem immiserant, quippe aditu humillimo.

℣. 7. PRÆCEDET VOS IN GALILÆAM. Omnes Jesu Christi comites, tum viri tum fœminæ, Galilæi erant, e Galilæa profecti Jerosolymam ad Paschatis festum. Pias igitur fœminas monuit Angelus, ipsis in Galilæam revertentibus, præcessurum eo Jesum, ibi ab iis videndum. Nonnulli revera e Discipulis eadem die discesserunt, iisque se exhibuit Jesus ad Emmaum, in via quæ Jerosolymis in Galilæam ducit. Petrus cæterique Apostoli diebus aliquot distulere discessum, & Jesum Jerosolymis spectavere. Plura promissis præstitit Jesus, iisque sæpe apparuit in urbe Jerosolymis, antequam in Galilæa videretur.

℣. 8. EXIERUNT CITO DE MONUMENTO, territæ Angelorum aspectu, lætæ nuncio Resurrectionis. Docet Joannes xx. 2. 3. Mariam Magdalenen præcucurrisse Jerosolymam, ut Petro & Joanni nunciaret, Christi Corpus in sepulchro non esse, inde ablatum, neque scire se quid actum de illo esset. Eo venere Petrus & Joannes, ac rem ita esse, ut nunciata fuerat, invenere. Addit Marcus,

(16) Hilar. hic; Leo Ep. 85. ad Monachos Palæst. Vide Grot. & Maldon. hic. (17) Author quæst. ad Orthodox. sub nomine Justini, qu. 117. Chrysost. Homil. 2. de Joan. Bap. Nazianz. Tragœd. de Christo patiente; Hieronym. qu. 2. ad Hedibiam; Aug. seu alius, Serm. olim. 159. nunc 160. Append. Alii.
(18) Luc. xxiv. 4. Καὶ ἰδοὺ δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς, ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις. (19) Mald. Grot. Ἐπικάθηται. (20) Matth. xxviii. 2. Ἀπεκύλισε τὸν λίθον, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ. (21) Marc. xvi. 5. Εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον, εἶδον νεανίσκον καθήμενον. Luc. xxiv. 3. Καὶ εἰσελθοῦσαι οὐχ εὗρον τὸ σῶμα .... καὶ ἰδοὺ δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς. (22) Joan. xx. 11. Ὡς οὖν ἔκλαιε, παρέκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς καθεζομένους, ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσὶν, ὅπου ἔκειτο τὸ σῶμα Ἰησοῦ.

cus xvi. 8. mulieres cæteras, cum Jerosolymam redirent metu correptæ, visam rem nemini in itinere aperuisse. Maria Magdalene, quæ cæteris præcucurrerat, monitis Petro & Joanne, ad sepulchrum rediit, ubi & duos Angelos iterum vidit, & Christum ipsum, sub olitoris specie (11) sibi exhibitum. Tunc primum sese videndum præbuit Christus; qui deinde coram piis fœminis Jerosolymam revertentibus stetit, uti statim videbimus, ℣. 9.

℣. 9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Iterum nunc apparuit post Resurrectionem Christus, ac fœminis imperavit, irent, atque Apostolos monerent, sese in vitam rediisse; in Galilæam illi reverterentur, sese enim ibi illis adfuturum. Scribit Lucas 24. 9. illas, cum Jerosolymam pervenissent, nunciasse Apostolis ea quæ ipsæ spectaverant. Eo jam venerat Maria Magdalene Marc. 16. 10. atque a cæteris nunciata confirmabat. Id tamen adeo præter fidem illis visum est, ut ægre crederent. Iterum venit ad sepulchrum Petrus Luc. 24. 12. visisque linteis, quibus obvolutum fuerat cadaver, stupens discessit.

℣. 10. Nuntiate fratribus meis, Jacobo, Simoni, necessariis meis; Petro cæterisque Discipulis, ut in Galilæam revertantur; frustra illos ulterius Jerosolymis futuros; expleta esse omnia, quæ ad Dei Filium pertinebant, & gerenda Jerosolymis erant. Fratres suos nominat Apostolos, ut illorum animos confirmet, doceatque, neque sua ipsius Resurrectione, neque illorum imbecillitate sese aut benevolentia aut charitate erga illos decessisse: fratrem se illis futurum, matremque pientissimam.

℣. 11. Quæ cum abiissent (12), ecce quidam de custodibus, &c. Cum milites omnia, quæ in Resurrectione contigerant, conspexissent, & serio considerassent, cumque corpus evanuisse cernerent, abeuntes, Principibus Sacerdotum narravere, quæ ipsi viderant. Iam discesserant milites, cum mulieres accessere; quamobrem in urbem jam pervenerant, antequam illæ rediissent.

℣. 13. Furati sunt eum, nobis (13) dormientibus. Quasi testari potuerint ea, quæ ipsis dormientibus contigere. *Stulta insania! si vigilabas, quare permisisti? Si dormiebas, unde scisti?* inquit S. Augustinus in Psal. 36. ser. 2. Quam verisimile est, Discipulos, homines imbecilles, trepidos, advenas, rudes, inermes, ausos esse cadaver auferre in sepulcro conditum, foribus lapideis probe clausis, annulo obsignatis, & armatorum militum præsidio munitis? Quis fieri posse credat, ut homines multi in sepulcrum ingrediantur; per medios milites, vel dormientes, transeant; immanem lapidem ostio insertum in tenebris vellant; cadaver auferant, sudario & institis exuant, nullo dormientium metu, ne illi expergiscantur, & rem sentiant (14)? Veri ne simile est, neminem e custodum numero vigilasse, cum res tanti momenti ageretur? Denique, an ii, qui tanto cum discrimine cadaver Christi auferre moliti sunt, tanto studio tantaque constantia secretum servaverint, ut a nemine violaretur, ipsique mortem alacri animo subierint, ut Christum surrexisse, conscientia reluctante, defenderent? Patent undique & militum vanitas, & Sacerdotum nequitia.

℣. 14. Si hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, rem ita contigisse, ut narraturi estis. Sunt (15) qui Græcum reddant: *Nos placabimus eum*, vosque metu liberabimus. Dicemus, nihil noxæ penes vos esse. Vel, ex Vulgata: *Nos suadebimus ei*, illius nostramque dignitatem & utilitatem exposcere, ut cadaver ablatum esse vulgetur. Certum nihilominus est, datas esse a Pilato ad Tiberium literas, quibus res gesta narrabatur; crediturque illud non præteriisse Pilatus, Christum in vitam rediisse publico vulgi rumore asseri. *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit*, inquit Tertullianus in Apolog.

℣. 15. Divulgatum est verbum istud apud Judæos, &c. Putant nonnulli (16), hoc velle Evangelistam, vulgatum esse apud Judæos, corruptos fuisse a Sacerdotum Principibus custodes, ut Jesu Christi cadaver a Discipulis furto sublatum dicerent. At Patribus (17) & Interpretibus plerisque (18) videtur rumor vulgatus esse inter Judæos, Christi Discipulos, noctu venientes, Magistri cadaver surripuisse. Mentio est apud S. Justinum Martyrem (19) literarum, quas Judæorum Proceres hac de re ad omnes ubique terrarum gentes dedere. Docet etiam Tertullianus Apolog. quo studio Judæi falsum hunc rumorem, quem ipsi commenti sunt, vulgaverint. Eadem ferme tradunt Eusebius & S. Hieronymus (20). Ejusdem rei argumento sunt Acta Jesu Christi, a Judæis conscripta (21); quæ tametsi inter se non consentiunt, illud tamen demonstrant, post Jesu Christi mortem illius asseclas arma in Judæos movisse, illum a mortuis surrexisse, ac post Resurrectionem e cœlo ignem elicuisse certantes. At, inquiunt Judæi, Jesu cadaver Jerosolymis cuivis volenti ostendebat Judas, illudque in immundo loco condiderat, ut summam execrationem testaretur. Hæc nimirum Christianæ Religionis odio Judæi comminiscuntur.

Usque in hodiernum diem; usque ad tempus, quo Matthæus Evangelium scribebat, nempe, ut creditur, ad octavum circiter usque annum post obitum Servatoris. Falsus hic rumor nunquam apud Judæos desiit, atque adhuc nostra ætate perseverat.

℣. 16. Abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. Neque quo tempore, neque cui significaverit Christus certum hunc montem, Discipulis constitutum, legitur. Incertum etiam est montis nomen. Thabor nonnullis creditur (22), aliis mons Olivarum. Postremum hunc fuisse, verisimile non est, cum hic circa Jerosolymam jaceat. Thabor in Galilæa quidem est, at multo frequentior incolis; quam ut opportunus esse Christo. Puto ego, Thaboris verticem ea ætate incolis non caruisse. Censet Maldonatus, montem, in quo sese Christus exhibuit, prope Lacum Tiberiadis esse; nullo tamen argumento. Hujus fortasse visionis meminit Paulus 1. Cor. 15. 6. ubi ait, Christum sese quingentis simul amplius fratribus videndum præbuisse.

℣. 17. Videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt, Apostoli undecim, & ex Discipulis præcipui, Christum revera in vitam rediisse certo scientes, illum ceu verum Dei Filium adoravere. *Quidam autem dubitaverunt*, non ex Apostolis; Thomas enim, qui unus ex omnibus nonnihil dubitare visus fuerat, jam eo tempore veritatem Resurrectionis satis superque confitebatur. Quidam igitur e Discipulis dubitavere, utrum verum Jesu Christi corpus esset, an spectrum, quod cernebatur. Nulla erat de Resurrectione dubitatio: dumtaxat dubitabant, Christi corpus revera esset, nec ne, quod exhibebatur.

Sunt (23) qui reddant: *Videntes adoraverunt eum: quidam autem dubitaverant*; veluti Thomas,

Vel

---

[11] Joan. xx. 14. 15. [12] Πορευομένων δὲ αὐτῶν, ἰδού, τινὲς τῆς κουστωδίας. Illis in urbem venientibus. [13] Ἡμῶν κοιμωμένων. Quid. ἡμῶν, *Vobis dormientibus*. [14] Vide Chrysost. & Sedul. & Grot. hic. [15] Πείσομεν αὐτόν, Grot. Heins. Hammon. Vat. Erasm. Vide Gal. 1. 10. [16] Maldon. [17] Chrysostom. Euthym. Sever. Raban. alii. [18] Vide Grot. [19] Justin. Dialogo cum Tryphone. [20] Euseb. in Isai. xviii. 1. Hieron. in eumdem Isai. xviii. 1. [21] Toldos Jesu, ab Huldric. p. 96. [22] Grotius hic, *ex antiqua fama*. [23] Προσεκύνησαν αὐτῷ, οἱ δὲ ἐδίστασαν. Vide Theophyl. hic, Grot. Brug. Maldonat. Estium.

Vel (24): *Adoraverunt eum, qui dubitaverant.* Mavult Beza in Græco legi: *Et non dubitabant.* Levis est mutatio (25); at fide librorum caret.

℣. 18. ACCEDENS JESUS, LOCUTUS EST EIS. Cum intelligeret, sese a nonnullis spectri loco haberi, ad illos accessit, ut sese propius considerarent, locutusque est, ut se ipsum esse, luculentius nossent.

DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CŒLO ET IN TERRA. Jesu Christo, qua Deo, suprema erat in Cœlo terraque potestas; at qua homini, aucta est post Resurrectionem. Hactenus quidem Christus & ipse per se & per Apostolos Judæam Judæosque tantummodo docuerat. Post mortem & Resurrectionem, omnes ubique gentes hæreditatis nomine accepit: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Psal. 2. 8. Victoriæ præmio, de morte, inferis & Diabolo relatæ, nomen cæterorum nominum longe nobilissimum largitus est Pater: quamobrem audito Jesu nomine (26), omnes genu in Cœlo, terra & inferis flectitur. Præstitit tunc Pater id quod pollicitus fuerat, subacturum se illius hostes ita, ut solio illius scabellum præberent: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. 109. Redemptoris personam, mundi Servatoris, Principis & Institutoris Ecclesiæ hic gerit Christus: quamobrem Apostolos mittit, ut omnes ubique terrarum gentes instituant.

℣. 19. EUNTES ERGO DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EOS, &c. Tametsi Christus Apostolos ad Evangelium omnibus ubique gentibus nunciandum miserit, tum Ethnicis, tum Judæis; hi tamen initio Ethnicis Evangelium nonnisi ægerrime detulerunt. Opus fuit nonnullis Divinæ voluntatis indiciis. Renuentibus denique Judæis, auresque obstruentibus, veritatis januam Ethnicis Apostoli reseravere. Vide Acta VIII. X. XI.

Imperat Christus, ut eos qui crediderint, doceant, ac baptismo eluant. Duo in iis, qui baptismo initiandi sunt, postulat: doceantur, & credant. Opus est noverint, quid Religionis amplectantur; quid rei sit ea veritas, quam se credere profitentur; quid oneris suscipiant. Neque tamen id prohibet, quin Ecclesia, Divino Spiritu edocta, rectissime semper crediderit, infantes a parentibus Christianis oblatos tingi posse, ubi res postulet. Tunc enim parentum fides supplet id quod fidei infantium deest; ipsorumque infantium discrimine movetur Ecclesia, ut eam disciplinam sequatur.

Nonnulla erant apud vanam Ethnicorum Religionem baptismatis genera, quibus majora flagitia expiantur. Alia erant Hebræis, quibus homines a sua Religione alienos suis mysteriis sacrisque initiabant. Miram esse hujus baptismatis vim prædicabant: cum vero hæc ex Dei Prophetarumque promissionibus aut institutis non peteretur, incerta est & dubitationi obnoxia. At Jesu Christi Baptisma totius Sanctissimæ Trinitatis nomine confertur, illudque ipse Dei Filius instituit, ac promisit, homines eo tinctos salutem assequuturos: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. XVI. 16.

Denique jubet Christus conferri Baptismum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, pronunciato nomine trium Divinarum Personarum, ut Deus unus sunt. Quamobrem singulari numenumero dicitur *in nomine*, non plurali, *in nominibus*; ut scilicet intelligas, non tres esse Deos, sed tres in Deo uno Personas (27). Homo Baptismatis Minister non suo ipsius nomine & authoritate agit, sed nomine & authoritate Patris, Filii, & Spiritus Sancti; initiatus vero publice simul profitetur Religionem a Jesu Christo traditam, cujus præcipuum dogma est Dei unius fides in tres personas distincti.

℣. 20. ECCE EGO VOBISCUM SUM OMNIBUS DIEBUS, USQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCULI. Judæi futurum sub Messiæ Regno novum sæculum, novumque mundum præstolabantur. Pollicetur hic Apostolis sibique credentibus Christus (28), sese illis adfuturum, protectorem & præsentem, adusque sæculorum exitum. Quibus verbis innuit, Regnum suum æternum fore, & Ecclesiam usque ad mundi finem perseveraturam: nunquam defutura Apostolis eorumque successoribus adminicula, ut Ecclesiam regant, suoque munere optime fungantur (29).

Amen in fine additur apud Græcos: quæ tamen vox addita fuisse creditur post Evangelistam; addente eam vocem Ecclesia, vel ut absolute finem, vel ut se scriptis rebus assentiri significet. Græci Codices multi ferunt, Evangelium Hebraice traditum esse a Matthæo, anno post Christi Ascensionem octavo. Vide Præfationem.

---

[24] Le Clerc, Notes sur le nouveau Testament. Grot. Brug. [25] Οὐδὲ ἐδίστασαν, pro οἱ δὲ ἐδίστασαν. [26] Philipp. II. 10. [27] Basil. lib. 3. contra Eunom. Ambrof. lib. 1. de Spiritu Sancto. Alii passim. Vide Maldon. hic. [28] Chrysost. homil. 91. & Hieron. hic. [29] Vide Chrysost. hic; Hieron. Epist. ad Damas. Bedam, Euthym. Prosp. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 2. alios.

Finis Commentarii in Evangelium S. Matthæi.

IN EVANGELIUM SANCTI MARCI PROLEGOMENON.

QUid de S. Marco statuendum sit, disputant Authores. Eumdem esse virum, quem S. Petrus in prima epistola (1) spiritualem filium appellat (facile quod ad fidem conversum Baptismate (2) initiavit) Veterum plures autumarunt (3). Papias (4), & S. Irenæus lib. 3. cap. 1. discipulum, & interpretem ejusdem Apostoli appellant; quod suffragio deinde suo probarunt Veteres plures (5) & recentiores. Porro interpretem in eo agebat vir sanctus, Græce, sive Latine explicans, quæ alterutro sermone idem Apostolus loquebatur; vel saltem dictantis Petri epistolas cultiore stilo excipiebat.

SS. Epiphanius, & Hippolytus (6) in Ms. Bodlejano, Pseudo-Dorotheus, Nicephorus, aliique in censum septuaginta Discipulorum eumdem Evangelistam referunt; qua in re consensisse Veteres constat (7): addunt tamen illi, Marcum scandalo una cum Capharnaitis omnibus affectum, ægre ferentem illa Jesu Christi verba, Joan. VI. 55. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: abeuntem propterea a consuetudine Jesu una cum aliis, exemplum illorum secutum, S. Petrus deinde ad fidem reduxit; eoque comite fidissimo in itinere Romano usus est, ubi & scriptum est ab illo Evangelium. Hæc de S. Marco verissimillima feruntur.

Author Anonymus in Actis e genere Aaronis virum deducit, narrans pariter, insigne Sacerdotum in capite illum gestasse: *Pontificalis apicis petasum*. Confundunt alii (8) cum *Joanne Marco*, qui in Actis scribitur filius Mariæ fœminæ Jerosolymitanæ, in cujus domum, ubi & Fideles sese continebant, Apostolus Petrus, e carcere Angelico beneficio liberatus, sese receperat (9). Porro Joannes Marcus sobrinus erat S. Barnabæ, & S. Paulum una cum S. Barnaba Antiochiam primum, deinde in Cyprum secutus est. Cum venissent Pergen Pamphyliæ, is utroque comite relicto, Jerosolymam rediit (10); quare Apostolus Asiam secundo peragraturus comitem illum recusavit. Verum hæc quorumdam opinio minus cæteris omnibus probatur (11). Vix enim persuademur, S. Marcum, fidissimum Apostoli Petri, juxta totius Antiquitatis testimonium, comitem sociumque, & qui ab anno XLIII. juxta Eusebium, Evangelium suum scripserat, & paulo post ab eodem Apostolo missus in Ægyptum venerat, tamdiu Apostolo Paulo hæsisse. Adde, nullibi apud Veteres Joannis Marci nomine appellatum occurrere; quin & duos illos viros apertissime ab Eusebio distingui.

Joannes ille Marcus, in Actis, & in Epistolis Pauli notus, non diu ante obitum Apostoli in vivis agebat, cum in epistola ad Timotheum secunda, anno XII. Neronis, & LXV. vel LXVI. Jesu Christi, roget Timotheum Apostolus, ut Epheso Romam deducat Joannem Marcum. Scitum est autem, juxta fidem S. Hieronymi in vita S. Marci, Eusebii in Chronico, S. Isidori in Martyrologio, Sanctum Marcum Evangelistam, Discipulum S. Petri, diem clausisse in Ægypto, anno VIII. Neronis, & LXII. J. C. Citius etiam obiisse affirmant alii; inter quos Eutychius Patriarcha Alexandrinus emortualem ejus annum componit cum primo Neronis; & Author Arabs gestorum S. Marci, publici juris factus Vratislaviæ 1608. cum XIX. Claudii Imperatoris; ac tandem Anonymus a Seldeno laudatus in notis ad Eutychium, ejus mortem revocat ad Imperium Caji Caligulæ. Si qua fides hisce temporum adscriptionibus, liquido constat, Marcum sobrinum S. Barnabæ ab altero ejusdem nominis viro & Evangelista esse distinguendum.

Si Authores illi obitum S. Marci citius consignant, sunt etiam alii, qui serius quam par est, amandaverint. Scriptor Chronici Alexandrini ejus obitum componit cum A. J. C. CIV. sub Imperio Trajani, prima die mensis Pharmur; narrat autem, igne vitam absolvisse ob fidem Jesu Ch. neci traditum a prædonibus, Bucoliam Ægypti regionem incolentibus. Eadem tradit Dorotheus in Synopsi. Fateamur tamen oportet, hasce Chronologiæ notas omnes ambiguas esse adeo, ut nihil certi de anno emortuali S. Marci definiri posse demonstrent. Quare nihil etiam satis certi statui potest pro illa sententia, quæ Joannem Marcum cum Evangelista confundit.

Nec magis certa est altera illa sententia, in numero Septuaginta Discipulorum S. Marcum accen-

---

(1) 1. Petr. v. 13. Et Marcus filius meus. (2) Vide Hieron. in Isai. LXV. (3) Hieron. in Catalog. Theophyl. in Marc. Orig. apud Euseb. lib. 6. cap. 26. Histor. Eccles. (4) Apud Euseb. Histor. Eccl. lib. 2. cap. 14. (5) Tertull. lib. 4. contr. Marc. Vide Epiph. hær. 51. Chrysost. hom. 59. in Matth. Hieron. in Catal. Theophyl. Athanas. in Synopsi, & alios. (6) Epiph. hæres. 57. Hippol. in Ms. Bodlej. apud Mill. ante init. Marci, pag. 69. (7) Orig. de recta in Deum fide; Dorotheus in Synopsi; Procop. Diacon. apud Boll. 25. April (8) Constitut. lib. 2. cap. 57. Hieron. in Epist. Philemon. V. 23. Scholiast. Græc. in Act. XII. Doroth. Spanhem. de Marco Evangelista, Combef. Auctuar. PP. (9) Act. XII. 1. (10) Act. XV. 37. 38. (11) Baron. Grot. alii.

censens. Papias apud Euseb. l. 3. c. 39. Histor. Ecclesiast. diserte asserit, nec inter Discipulos Jesu Christi, nec inter ejus sectatores S. Marcum unquam fuisse cooptatum. Gemina tradit S. Augustinus de consensu lib. 1. cap. 10. & in Faust. lib. 17. cap. 3. & post illum Theodoretus Præfat. in Hist. Solitar. Inter homines Apostolicos, idest inter Discipulos Apostolorum, refert Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 2. nec ab his omnibus Beda dissentit (12), ratus, facile virum Sanctum inter eos habendum esse, qui post resurrectionem nomen Christo dantes, juxta phrasim Actuum Apostolorum vi. 7. *fidei obediebant*. Acta S. Marci excusa apud Bolland. 25. April. quæ antiquitatem præseferunt, Cyrenen in Libya Cyrenaica patriam illi constituunt.

S. Petro Romam eunti circa annum XLIV. comes Marcus adhæsit; ibique scriptum esse ab illo Evangelium, rogantibus fratribus, ut ea quæ ab Apostolo prædicante audierat, scriptis ab ipso tradita sibi & posteritati servarentur, plerique ex Patribus asseruerunt (13). Id factum a Discipulo S. Petrus divina revelatione intelligens, juxta aliquos Authores (14), & Opus probavit, & legendum Ecclesiis omnibus tradidit.

Idem Opus in Ægypto adornatum aliqui apud S. Chrysostomum hom. 1. in Matth. asseruerunt. Elucubratum autem ferunt gratia Judæorum Alexandrinorum. Laudatur in eam sententiam testimonium Eusebii, qui tamen nihil aliud in suo Opere habet, quam missum S. Marcum in Ægyptum, scriptum a se Evangelium ibidem nunciasse. Sunt qui idem Evangelium S. Petro tribuerint: *Licet Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus*, ait Tertullianus (15). Dictante Petro, a Marco exceptum affirmat Pseudo-Athanasius in Synopsi; scriptum etiam a Petro maluit Batricides. Quibus plane repugnans S. Irenæus lib. 3. cap. 1. elucubratum ab Evangelista Opus post obitum S. Petri testatur. Tanta hæc opinionum discrepantia vix ac ne vix quidem conciliatur.

Sed in assignando scripti Operis tempore, minus etiam ex rei difficultate convenitur. Cum anno tertio Claudii componit Eusebius; alii ad quartum revocant; quibus adstipulantur Scriptum Arabicum Erpenii, & Author vitæ S. Marci, a Kirstenio vulgatus. Mss. Græca (16) Evangelii S. Marci, quibus ad calcem adscriptæ leguntur temporis adornati Evangelii illius notæ, inter se non cohærent. Alia enim scriptum ferunt XII. *annis post Ascensionem*; sed majori numero alia, eamdem lectionem sequentibus Euthymio & Theophylacto, habent *decem*. Plerique ex Patribus tradunt, scriptis mandatum præsente Apostolo S. Petro. Quare ejus epocha componi potest cum anno XLIII. J. C. quo Evangelista una cum Apostolo Romæ versabatur. Contraria S. Irenæi opinio lib. 3. cap. 1. censentis scriptum Opus post obitum SS. Petri & Pauli, cæterorum omnium testimonio contraria, miro torquet Chronologos. Itaque difficultatem hanc repulsuri nonnulli, textum ejusdem Patris ita reddunt, ut innuat, non post obitum Apostolorum, sed post eorum ex Urbe Roma discessum, ad scribendum S. Marcum sese contulisse. Confugiunt alii ad lectionem quorumdam Mss. (17), qua vulgatum Evangelium fertur post Evangelium S. Matthæi: ita plane negocium omne tollitur, sed nihil certi ea de re docemur.

Quo vero sermone lucubrationem suam digessit Evangelista? Græco fert communis sententia, testimonio, vel saltem tacito assensu Veterum fulta. S. Augustinus de Consensu lib. 1. cap. 2. tradit, Evangelistas omnes, uno excepto S. Matthæo, Græce scripsisse. Geminus est S. Hieronymus in Matth. 1. idemque ipse re probaturus, rogatus a Damaso Pontifice, ut se totum recensendis, vel ex integro vertendis Evangeliis traderet, Græcum Archetypi loco adhibuit. Nonnulla tamen extant Græca Mss. Evangelii S. Marci, quæ Latine adornatum illud testantur (18); eamdemque sententiam, tamquam sibi validis apertisque rationibus perspectam, Baronius & Seldenus secuti sunt. Favent Syrus & Arabs (19). Quin & maxime congruere arbitrantur ejus sententiæ assertores, ut scriptum Romæ Opus Latine cuderetur. Verum & eadem plane ratione, siquidem aliquid evinceretur, putandum esset, S. Paulum ad Romanos epistolam dantem Latine scripsisse, & Hebraice SS. Petrum & Jacobum, quod ad Hebræos scriberent: scitum est autem, omnes illos Græcum sermonem adhibuisse. Est etiam omnibus exploratum, Romanos, S. Marci ætate, Græco perinde ac Latino familiariter, ne fœminis quidem exceptis, uti consuevisse (20).

Nullus esset ambigendi ea de re locus, siquidem nostra ætate autographum Evangelistæ superesse compertum esset; sed hoc perinde ambiguum inter Eruditus. Baronius ad ann. XLV. J. C. tradit, descriptum Latine a S. Marco Evangelium in Urbe Roma, deinde cum Aquilejam ab Apostolo missus venisset Evangelista, Græcis literis ab ipso traditum fuisse; quod Græcum autographum, longa ætate Aquilejæ servatum, Venetias tandem delatum, religiosissime nostra adhuc ætate custoditur. Hæc omnia autem tenere se ait idem Scriptor potius traditione & sparso longe lateque rumore, quam certis aliquibus vetustatis monumentis. Narrant insuper, Carolum IV. Imperatorem deprehendisse Aquilejæ, ann. 1355. Autographum septem scapis compactum, quorum duos ipse, nec sine precibus, a Nicolao Episcopo Aquilejensi fratre suo impetravit (21). Servantur hæc Scri-

(12) Beda in Marc. cap. 1. Ita Pseudo-Hieron. in Marc. 1. (13) Clemens Alex. apud Euseb. lib. 2. cap. 15. Histor. Eccles. Epiphan. hæres. 51. Nazianz. Car. 34. & Orat. 25. Hieron. de viris illustr. Theophylact. in Marc. Eutych. Alexand. alii recentiores. (14) Clemens Alexand. & Theophylact. locis citatis; Hieronym. Euseb. (15) Tertullian. lib. 4. contra Marcionem. Ita Hieronym. de Vir. illustr. cap. 1.
(16) Vide nov. Edit. N. T. Mill. ad calcem Marci. (17) Μετὰ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίου ἔκδοσιν Μάρκου, &c. Ita Chrystophorson. Petrus Possin. Grot. Vide nov. edit. S. Irenæi D. Renati Massuet. (18) In Nov. Edit. Millii. Bodl. 7. M. 1. Syr. Arab. Paris. 6. (19) Vide notas Seldeni in Origines Alexandrinas Eutychii. (20) Juvenal. Satyr. 6. . . . *Omnia Græce; Cum sit turpe magis nostris nescire Latine*.
(21) Vide Boll. 25. April. & Epist. Jul. Fontanini ad R. P. D. de Montfaucon, Diarii Ital. c. 4. pag. 56. &c.

Scriptorum frustula Pragæ, & ex Epistola Decani ejusdem Ecclesiæ, descripta esse Latino sermone traduntur (22).

Sumunt etiam sibi Venetiarum cives ipsum S. Marci autographum, quod Venetias Aquileja delatum decimo quinto sæculo affirmant. Canonicus ille, qui pretiosi depositi cura demandata fuerat, suis ad Cornelium a Lapide Epistolis, ab eo consultus, respondit, Græcum esse Codicem; quamquam, ait idem Cornelius, alii, quos antea ea de re interrogavi, datis ad me literis certiorem fecerunt, Codicis vetustate characteres omnes adeo obliteratos esse, ut ne litera quidem exprimi queat (23). Ciaconius in vita S. Petri Latinum esse perhibet.

Eumdem Codicem Mabillonius (24) cum Venetiis esset, inspicere maxime optans, minime impetravit, causantibus Venetis, in arcula quadam pretiosa, veluti in lypsanotecha sigillis munita, ita claudi, ut nemini permitteretur. Felicior tamen Bernardus Montfaucon & Librum inspexit, & plura ad nostram rem pertinentia observavit. Hæc majoris momenti ex illo referimus (25). Codex est Ms. ex papyro Ægyptia, ut ipse quidem testatur; membranaceum alii censuerunt (26). Vetustate autem adeo corruptus est, eaque loci, in quo asservatur, est humiditas, ut nisi statim occurratur, brevi tandem marcescens dissipandus sit. Raræ quædam literulæ hic illic integræ, sed Latinæ omnes, exhibentur.

Refellit etiam Scriptorem quemdam, qui & literas Græcas, & vocem KATA ibi deprehendisse sibi visus erat; demonstrans, literas illas omnes Latinas esse, & quod is KATA legit, re tamen scribi BATA; itemque quod ille Δ suspicatus est, esse A, cujus media linea evanuerit. Observavit etiam idem Author alicubi D & R Latinorum, quarum sane alia est literarum forma Δ & P apud Græcos. Addit, nullum se alium vetustiorem Codicem unquam vidisse, nullas habentem vocum distinctiones; agglutinari autem adeo ejus folia humiditate & situ, ut ne separari quidem possint. Quadratum est Manuscriptum, cujus papyrus marcescentium foliorum colorem exhibet. Cum autem neque verti folia neque legi scriptura possit, nullo indicio deprehendi potest, an duo illi scapi, qui Pragæ servantur, pars ejusdem Codicis habendi sint.

Sed Acta & Epistolæ, de hac translatione testimonium ferentia, a Bernardo Montfaucon in suo Diario Italico relata, rem extra controversiam omnem ponunt. Recitantur ea de re plures literæ Ferdinandi Archiducis Austriæ ad Baronem Franciscum a Turre, qui legatione a Cæsare apud Venetos fungebatur ao. 1564. Rogat autem Archidux per Legatum suum, Principem Venetorum, & Senatum, ut reliqui Codicis Veneti Exemplar transcriptum, cum alia ejusdem parte, quæ Pragæ autographa servabatur, jungi sibi permittant. Hæc omnia expressa leguntur in Epistola Caroli V. Imperatoris, cujus exemplar Ferdinandus ad Legatum suum transmisit. Jam tunc adeo corruptus erat Codex, ut quinque ne an pluribus scapis constaret, satis distingui non posset; nec e scriptura quidquam nisi pauca tantum verba distinguebantur. Quare Legatus unius tantum folii exemplar transmisit, una cum papyri forma & colore ad vivum expressa. Fontaninius, ex quo Montfaucon hæc omnia accepit, invicte demonstrat, non ante an. 1420. Venetos Autographum illud possedisse, donum Urbis Forojuliensis, quo, Aquileja eversa, translatum fuisse constat.

Huic sententiarum discrepantiæ conciliandæ, affirmandum sibi aliqui censuerunt (27), S. Marcum Græce pariter & Latine scripsisse, vel saltem Opus ipsum suum ex Græco in Latinum vertisse. Alii (28) Apostolatum S. Marci Aquilejensem negant; nihil enim ea de re apud Veteres. Ambiguum est etiam, utrum Hermagoras, qui ejusdem Evangelistæ in Cathedra Aquilejensi successor creditur, Apostolorum ætate vixerit. Contendunt pariter, Acta missionis S. Marci Aquilejam recentius esse commentum; ac tandem codicem Evangelii Venetiis & Pragæ servatum, vetustissimum quidem esse posse, ejusdem Evangelistæ vero non esse; satis enim convenit, Opus illud mature satis Latinis literis traditum fuisse; incertum tamen quo Authore vel tempore.

Quantum ex collatione utriusque Evangelii SS. Matthæi & Marci intelligimus, postremum hoc epitomen esse illius suspicamur. Sæpe enim easdem voces retinet, easdem refert historias, iisdem fere coloribus expressas; addit etiam nonnulla, quibus lucis aliquid Textui S. Matthæi affertur. Refert tandem S. Marcus duo vel tria prodigia, in S. Matthæo omissa (29). Illud autem animadvertendum in ejus opere maxime est, nimirum in reliquis omnibus S. Matthæum secutum, in ordine tamen narrationis a capite iv. 12. usque ad xiv. 13. illum deserere, ut S. Lucæ, & S. Joanni adhæreat. Nec de temporali generatione Jesu Christi, neque de ejus infantia quidquam attingit, opus suum exorsus a prædicatione S. Joannis Baptistæ. Parabolas etiam plures omittit, relatas apud S. Matthæum xx. xxi. xxv. sicut & sermones nonnullos ad Discipulos & Pharisæos, legendos capitibus v. vi. vii. xvi. xxiii. S. Matthæi.

Acta S. Marci a Bollandistis vulgata ferunt, scriptum a S. Viro Evangelium Aquilejæ, ejusque Autographum ipsum esse contendunt, quod in eadem Urbe servabatur. Vide quæ de Evangelio Latino S. Marci scripsimus.

De authoritate postremi capitis S. Marci, vel saltem de duodecim postremis versiculis ejus Evangelii, dubitatum est apud Veteres (30). Unum hoc Evangelium recipere Hæreticos nonnullos, testatur S. Irenæus lib. 3. cap. 2. Ferunt, viro huic Sancto demandatum fuisse munus Evangelii

(22) Boll. Fontan. locis citatis. (23) Cornel. a Lapide in Marc. pag. 574. (24) Mabillon. Iter Italic. pag. 32. (25) Mont-faucon, Diar. Italic. cap. 4. pag. 55. &c. (26) Sed bombycinum esse, nemo jam ambigit, post sedulam illius inspectionem factam a D. Scipione Maffejo, teste earum rerum maxime idoneo. (27) Cornel. a Lapide, & Jansen. in Marcum. (28) Tillemont, not. 6. sur Saint Marc. (29) Vide Mat. 3, 23. & capp. 4. 11. v. ix. xvi. (30) Hieronym. epist. 150. Nyssen. de Resurrect. homil. 2.

gelii prædicandi in Ægypto, Thebaide, & Libya Cyrenaica, quo scriptum a se in Italia Evangelium detulerit. Therapeutas illos, de quibus Philo De vita contempl. primos fuisse S. Marci Discipulos, plurium sententia tenuit (31). Martyrium igne consummavit (32) Alexandriæ, vel saltem defunctum ejus corpus igni traditum, in cineres favillasque abiit.

Suspicatur Grotius, S. Marcum Hebræo S. Matthæi Codice in Versione sua adornanda usum esse, sicut vicissim interpretem Græcum S. Matthæi præ oculis habuisse Textum Græcum S. Marci (33); recurrunt enim in S. Matthæo & Marco similes loquendi phrases; quasi scilicet postremus hic Scriptor, qui omnium sententia S. Matthæi epitomen dedit, non æque potuerit phrases Græci Interpretis S. Matthæi in suum Opus transferre. Facile persuasum habuit Grotius, Evangelium Hebræum S. Matthæi nondum Græcis literis traditum fuisse, cum S. Marcus ad scribendum se conferret. Addit in suis Prolegomenis ad S. Marcum, Versionem Latinam ejusdem Evangelii remotissimæ esse antiquitatis, nec semel Textum Græcum ad Versionem illam Latinam reformatam fuisse.

DISSERTATIO

De Pharisæis, Saducæis, Herodianis, Essenis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Pharisæis.

Ante captivitatem Babylonicam nulla in Religione Judaica Sectarum scissio, junctum uno charitatis vinculo populum dividebat. Legis studio unice occupati omnes (1), atque avitæ Religionis cæremoniis intenti, quæ apud alias gentes in honore erant, studia negligebant. Scholas non alias maxime frequentabant, quam Templum Domini, & Prophetarum Palæstras, ubi Sacerdotes Domini, Scribæ, Doctores, & homines divinitus inspirati rationem docebant colendi Dei, ejusque præceptis obsequendi. Quamdiu autem Prophetæ in Israele obtinuerunt, in varias sententias abire, cum de Religione ageretur, nemo unquam cogitavit; tantorum enim Virorum authoritas populos veluti sub iisdem signis continebat omnes, & Spiritus, qui Prophetarum ore loquebatur, id maxime præstabat, ut neque Sectæ in Religione ullæ admitterentur, neque in sententias ab iisdem Prophetis prolatas errati alicujus suspicio induceretur. Cum Macchabæorum ætate (2) Altare Holocaustorum a Gentilibus violatum dejiceretur destrueretурque, ejus lapides in certo aliquo loco servari Judas jussit, donec *veniret Propheta & responderet de eis*. Simoni Macchabæo summa Reipublicæ potestas delata est, *donec surgeret Propheta fidelis*. 1. Macchab. XIV. 41.

Post captivitatem nulla etiam apparent apud Judæos sectarum vestigia, usque ad tempora Macchabæorum, & Græcorum Imperium; quare nonnisi imitatione Philosophorum Græcorum id sibi tandem susceperunt Viri docti apud Hebræos, ut tres illas Sectas distinguerent, Pharisæorum, Saducæorum, & Essenorum. Cum itaque de Sectis illis non semel in Novo Testamento agatur, e re nostra esse duximus, si originem, & Dogmata illarum panderemus; addentes pariter aliquid de Herodianis, quorum interdum in Evangelio mentio est, quamquam Secta illa hominum, saltem sub Sectæ appellatione, apud Judæos non innotuit.

Vetustissimum de tribus illis Sectis monumentum superest in IV. Macchabæorum apocrypho, ubi legimus 4. Macc. VI. ætate Hircani Summi Sacerdotis, & Principis Judæorum fuisse, inter Judæos tres Doctorum Sectas, nempe Pharisæorum, Saducæorum, & Essenorum. Paulo ante eam ætatem has Josephus Antiqu. l. 13. cap. 9. constituit, nempe statim post recitatam epistolam Jonathæ Summi Sacerdotis ad Lacedæmones. Hæc epistola data est anno 3860. Jonatha anno sequenti defuncto, successit Simon; cui post imperium octo annorum suffectus Hircanus, ad novem & viginti annos nationi præfuit.

Epocham harum Sectarum neque Author quarti Macchabæorum, nec Josephus definiunt; sed postremus iste, qui imperantibus Vespasiano, & Domitiano scribebat, tradit lib. 18. cap. 12. jam inde a multis annis notas esse in gente sua Sectas, nihil accuratius de earum origine referens. Tametsi autem ab A. M. 3850. decennio nempe ante Epistolam Jonathæ ad Lacedæmones, revocentur, non longius, quam CCXX. sive ad summum CCC. a Josepho annis excurrunt. Sed esto, reducamus illas ad ea usque tempora, quibus Judæi leves & instabiles honori sibi duxerunt, si contemptis patriis Legibus & studiis, ad illam usque ætatem in populo unice obtinentibus, ad studia & exercitia Græcorum se conferrent (3); id equidem Sectarum non longius originem rejiciet, quam ad XX. circiter annos (4). Crediderim profecto, non altius, quam ab anno 3820. repeti Sectas illas posse.

Porro Pharisæi imitationi Stoicorum, ut Saducæi Epicuræorum, studuisse videntur. Utrique enim aliquid e singulis hisce Sectis in mores, & Leges Judæorum traduxere. Porro Pharisæi, austerum hominum genus, gloriosum, & superstitiosum, Stoicorum mores exprimebant; Saducæi molliores, & faciliores, sed juri suo singulis asserendo inexorabiles. Priores illi propugnabant vitam animæ immortalem, Angelorum, & Spirituum existentiam, & alteram agnoscebant vitam, in qua pro hominum merito sive præmia, sive supplicia distribuerentur. Molestias rerum futurarum cu-

(31) Euseb. l. 2. c. 17. Histor. Hieron. de viris Illustr. Epiphan. hæresi 29. (32) Eutychius Patriarcha Alexandrin. Chronic. Alexandr. Hippolyt. in MS. Boldej. Doroth & Anonym. apud Mill. in capite Evangelii S. Marci. (33) Grot. Præfat. in Matth. (1) Joseph. contra Appion l. 1. p. 1038. (2) 1. Macch. IV. 46. (3) 1. Macchab. IV. 15. 16. *Contempto Templo, & sacrificiis neglectis, festinabant participes fieri palestræ & præbitionis ejus injustæ; & patrios quidem honores nihili habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur .... & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant*. Vide 1. Macchab. 1. 15. 16. (4) Circa A. M. 3830. quocum nos componimus initium gymnasii Jerosolymæ constituti.

tem admitto. Si quid iterum parentes a filiis postularent, illi se nunquam daturos per *Corban* (19), sive per donum Dei jurabant; exinde si quid patri vel matri etiam in extrema senecta vel angustia præberetur, piaculu erat. Superstitionem multum provexerant in Sabbathi observatione; qua de re sæpe cum illis Jesus disceptavit; unde pariter accusationes in illum suas struxerunt Hebræi, contendentes, hominem Religionis Sabbathi, qualem illi tamen, non Deus, invexerant, contemptorem a Deo mitti non potuisse (20). Contendebant insuper, nefas fuisse ea die ægrotos a Jesu Christo curari (21), quamquam id ab ipso voce dumtaxat præstabatur; vetitum etiam ipsis ægris arbitrabantur, valetudinem postulatum venire (22); nec minus grave habuerunt, quod paralyticus die Sabbathi curatus (23), grabatum suum ea die referret. Apostoli Jesu Christi esurientes, spicas aliquas, manu frumentum excutientes, evulserant; sublati hinc Pharisæorum clamores, & ingeminatæ in Jesum ac Discipulos, tamquam violatores Sabbathi, accusationes (24).

Plura sibi ex arbitrio indixerant jejunia, & Pharisæus in Templo bis singulis hebdomadis id a se præstitum jactitabat (25), nempe feria secunda & quinta, juxta Epiphanium hæres. 16. Nec in jejuniis eadem illis, atque cæteris Judæis, sed major severitas. In eos ita Jesus Chr. Matth. xv. 5. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Queruntur Marc. vii. 11. Pharisæi, se & Joannis Baptistæ Discipulos crebra servare jejunia, cum Discipuli Jesu Christi nihil in cibo & potu a reliquis hominibus distinguerentur; & Josephus in Libro de Vita sua narrat, instituendum seipsum tradidisse Banno viro frugi, qui nihil coctum paratumque gustaret, solis communibus alimentis e terra productis victitanti.

Mira & supra fidem austeritatis Pharisaicæ exempla, quibus purum ab omni macula servare corpus nitebantur, refert S. Epiphanius hæres. 16. Duris interdum exercitationibus, quatuor integris annis, corpus affligebant, interdum octo, aliquando decem, antequam matrimonio jungerentur. Noctu vero, ne quid impuri dormientibus irreperet, somnum sibi assidue fere interdicentes, jugi vacabant orationi. Erant qui super axem spithama, nempe xii. digitis, latum cubarent, ut si forte altius aliquando dormirent, in terram decidentes, ad orandum excitarentur. Inæqualibus acutisque stratum lapillis lectum alii sibi parabant, ut somnus vel dormire volentibus fugeret. Ad eum usum alii adhibebant spinas, quarum aculeis ad vigilias excitabantur. Vitio illis vertit Jesus Christus, quod stantes in Synagogis vel in angulis viarum prolixas ducerent orationes, cum ab expilandis viduarum domibus non se continerent. Matth. xxiii. 14.

Cum vero nullo Legis præcepto asperum illud vitæ genus præciperetur, neque Pharisæi peculiari aliqua lege ad eam rem adigerentur, singuli vitam, qualem quisque sibi conducere arbitrabatur, eligebant; hinc nihil in eorum moribus & disciplina uniforme. Septem Pharisæorum classes in Thalmud distinguuntur. Primam tenebant ii, qui obedientiam suam gloria & utilitate metiebantur; quibus forte verbis innuitur, non adeo illos opinionum suarum fuisse tenaces, quin commodiora sibi aliqua nacti, veritatis etiam dispendio illis hærerent: secundam, qui gradiendo pedes non levarent, nempe vitæ frugi, austeræ, & ad modestiam compositæ maxime studerent; tertiam, qui eundo in parietem caput eliderent, quousque cruor efflueret; facile patientiæ & virtutis vana quadam ostentatione, vel saltem nimio durioris vitæ exercitio viribus pene fractis, huc illuc caput lassitudine quatientes. Quartam, qui intra cucullum quemdam caput abdentes, ex imo ejus velut e mortarii fundo respicerent, in symbolum pœnitentiæ & doloris. Quintæ classis homines audaci quadam animositate quærebant, quid sibi faciendum esset, se facturos actutum, addentes, nihil superesse quod adhuc non præstitissent. Sextæ classis homines amore virtutis & spe præmii, Legem religiose servantibus promissi, morigeros se præbebant. Septimam tenent, qui metu pœnarum, sive spe præmii munus suum implerent. In eo censu varii perfectionis Pharisaicæ gradus spectantur, & variæ celeberrimæ hujus inter Judæos sectæ classes atque ordines.

Inter Pharisæorum curas non infima illa habebatur, qua se totos augendo Proselytorum numero, sive ducendis ad Judaicam religionem Ethnicis impendebant. Circumibant terras & maria, ut Gentilem aliquem ad fidem convertarent, exprobrat illis Jesus Matth. xxiii. 15. eum eum virum, quem ab impietate revocabant, perniciosa imbutum doctrina, atque vanis & superstitiosis traditionibus instructum non ex impio justum, sed ex impietate ad iniquitatem traducerent; pro sana enim Legis doctrina, nonnisi corruptis traditionum suarum dogmatibus lactabant. Vitio etiam illis vertit Matth. xxiii. 29. Luc. xi. 47. 48. quod nobilissima veteribus Prophetis monumenta erigerent, palam dictitantes, damnare se Patrum suorum consilium, qui manus Sanctissimorum Virorum sanguine cruentassent; cum interim ipsi, ejusdem spiritus hæredes, paria in eo præstarent, qui secus sibi persuaderet.

Jurisjurandi religio sancta semper & inviolabilis apud Hebræos mansit; cautumque Divino præceptu Deut. vi. 13. est, ne quis alterius quam Dei nomine juraret: vetitum etiam Exod. xxiii. 16. ne quis Deorum externorum nomine sacramento aliquo sese obstringeret. Eas Leges Pharisæi mire detorserant. Quicumque, ita illi comminiscebantur, per Templum juraverit, sacramento non obligatur; jusjurandum vero per aurum Templi religiose servandum est Matth. xxiii. 16. 18. Ita pariter nullum est sacramentum per Altare; rite vero sacramento per munus sive oblationem, quæ est in Altari, adigimur. Invexerant pariter sacramenta per Cœlum, per Jerusalem, per caput singuli suum Matth. xxiii. 21. 22. & v. 35. 36. quorum pleraque, cum Dei nomen expressum non præseferrent, nulla Religione violabant, veluti non æque semper eadem sacramenti religio constet, sive per inanimum vel per animatum quidpiam in testimonium veritatis Deus statuatur. Templum, Altare, Cœlum, oblationes Deo factæ, omnia de Numinis majestate, ad quod pertinent, censentur; cui irrogatur injuria, si præstitum illarum rerum nomine jusjurandum violatur.

Persuasum habebant Pharisæi, animam immortalitate donari, spiritus & Angelos existere Act. xxiii. 3. tum & genus quoddam metempsychoseos, non animarum e vulgo quarumlibet, sed probarum tantummodo, admittebant. Porro illis animabus integrum esse volebant, ex alio in aliud corpus migrare, impiis in subterranea loca ad judicium pertractis, æterno & tenebroso carcere damnatis. Vide Joseph. l. 2. de bello cap. 12. & lib. 18. Antiqu. cap. 2. Ex persuasione ducti nonnulli autumabant, Joannis Baptistæ, sive Eliæ, sive alterius cujuscumque e Prophetis spiritum in Jesum Christum migrasse; ut idem esset Christus ac virorum illorum amplissimorum aliquis Matth. xvi. 14.

Josephus lib. 7. cap. 25. de Bello, docet Dæmo-

[19] Marc. vii. 10. 11. 12. [20] Joan. ix. 16. [21] Luc. vi. 7. Joan. ix. 16.
[22] Luc. xiii. 14. [23] Marc. ix. 11. Joan. v. 8. 9. [24] Matth. xii. 1. 2. 3. &c.
[25] Luc. xviii. 12.

nes homines infestantes, non alios esse putandos, quam impiorum hominum spiritus, qui aliorum hominum obsidentes corpora, exorcismorum, & adjurationum, necnon herbarum virtute interdum migrare coguntur. Quare receptum fuisse apud illos constat, impiorum animas quasdam non statim in Inferis claudi. Vide Matth. VIII. 30. 31. Agnoscebant pariter Pharisæi, & Judæorum cæteri, futuram mortuorum resurrectionem Matth. XXII. 23. & quæcumque ex ea sententia deducebantur; omnia a Saducæis impugnata. De his satis nos in Dissertatione peculiari.

Quam doctrinæ laudem apud omnes sibi comparaverant, ejus sibi retinendæ cura tenebantur maxima; ipsamque sibi vindicaverant, juxta phrasim Jesu Christi Luc. XI. 52. scientiæ clavim, neminem nisi ipsorum opera in Regnum Cœlorum ingredi jactitantes; cum neque ipsi ingrederentur, neque ingredi alios sinerent. Sedere illos dicit Jesus Christus Matth. XXIII. v. 2. super cathedram Moysis, munere docendi functos; qua in re omnem obtinebant legitimam authoritatem: quare docentes illos auscultari monet Jesus Christus, & quæcumque ab ipsis dicerentur, opere præstari, nisi tamen cum divina Lege pugnantia traderent. Verum, addit Matth. XXIII. 16. 17. 13. XV. 14. a pessimis eorum exemplis abstinete, importabilia enim aliis onera imponunt, quæ ipsi ne supposito quidem digitulo tollunt. Subdit, cæcos esse cæcorum ductores; quorum justitia nisi major esset Fidelium justitia, excludendos ipsos pariter una cum Scribis & Pharisæis e Regno Cœlorum denunciat Matth. V. 21.

Noluit ergo Jesus cæco more Præceptoribus illis adeo deferri, ut duci se ab illis, quocumque tandem facultas ferret, quispiam permitteret. Obsequi illis, sed explorata prius causa, præcepit; & ita obsequi, ut a Lege Domini, ne lato quidem ungue, diverterent. *Utrumque*, ait S. Augustinus cont. Faust. lib. 16. cap. 26. *debetis advertere, & quatenus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cujus cathedra etiam mali sedentes, bona dicere cogebantur*. Hæc quidem Jesus edicit, sed monet simul Matth. XVI. 6. *Cavete a fermento Pharisæorum*; quidquid boni est in eorum doctrina, Moysi; quidquid mali, Præceptoribus hisce accepto referendum est.

Quo majorem traditionibus suis venerationem conciliarent, ex ipso Moyse acceptas illas comminiscebantur, una cum Legibus in monte Sinai latis; præter Leges enim scripto traditas, quædam ore tenus docuisse Moysem, Seniores populi ferebant; ex quibus ea perpetua traditione ad ipsos tandem devenerint, perenni doctrinæ flumine, quod per longum sæculorum alveum fluens illinc decucurrerit. Nec sane diffitemur, veras aliquas atque probatas traditiones apud Judæos esse servatas. Nunquam enim fieri potest, ut integra aliqua Religio existat, quin plura usui & memoriæ hominum committantur, præsertim ad ritus & disciplinam spectantia. Ejus generis sanctiones nunquam satis accurate scriptis commendantur; nec aliquid Religioni ea de re timendum est, siquidem res authoritate legitima curentur; id maxime contendentes, ne quid perniciosum fictumque traditionibus misceatur.

Nunquam tamen satis timetur periculum, ubi gens aliqua, Pharisaico spiritu, ambitione scilicet, fastu & vanitate tumens, rerum potita, omnia pro suo arbitrio in Religione miscet. Id enim si contigerit, tunc & subvertentur leges, ipsis earum defensoribus plus nimio suæ opinioni, quam tamquam veteres doctrinas obtrudunt, deferentibus. Traditiones quidem recipit Ecclesia Romana, sed nonnisi antiquitatis testimonio probatas, cæterisque Legibus atque canonibus, ab ipsis Ecclesiæ Præsulibus sancitis, maxime consentaneas, solidas ipsas quoque, universales, atque morum institutioni aptissimas. Damnat vicissim rejicitque novas alias traditiones, dubias, incertas, leves, cum veteribus probatisque dogmatibus, legibus, atque disciplinis pugnantes.

Pharisæorum secta cessante Templo permansit, neque in captivitatem abeuntibus Judæis cum eorum libertate extincta est. Plerique nostræ ætatis Hebræi illam professi, vetustis hærent traditionibus (26), quas Oralem legem appellant, implacabili odio infestantes Caraitas, Textum legis ita probantes, ut traditiones & interpretationes, quæ de sanctissimo Veterum nomine censentur, non passim & indiscriminatim omnes admittant: *Quicumque legem Oralem rejicit, apostata est & morte dignus*; quod sanctum est axioma recentiorum Pharisæorum, sive, qua illi appellatione donantur, Rabbanistarum.

Beniamin Tudelensis, exeunte duodecimo sæculo in vivis agens, in itinere suo pag. 75. plures offendisse Pharisæos narrat, deplorantes Sionis & Jerosolymæ casum, cujus rei mœrore a carne vinoque abstinebant, in specubus atque casis sub dio agebant, dies transigebant jejunos, præter Sabbathum, diesque tandem totos in oratione ob impetrandam Israelis liberationem continuabant. Sed Scriptoris hujus, uti & cæterorum fere omnium, qui itinerum suorum historias tradunt, fides plerumque sublesta est; nihilque certi de Pharisæis istis constat.

Congruunt recentiorum Pharisæorum cum veteribus dogmata; omnia enim, quæ a libertate non pendent, fato submittentes, illud edicunt; *Omnia sub manu Cæli sunt, excepto timore Dei*; idest, exceptis pietatis operibus, a libero hominum arbitrio pendentibus; bene enim vel male agendi libera est hominibus permissa facultas. A Remonstrantibus Belgicis non abludere Sectam hanc hominum, Basnagius arbitratur (27); Deum enim ad probos quoscumque actus concurrere docent; quodcumque maluerit sive bonum sive malum eligere, hominis arbitrio datum volunt.

Pharisaicæ Sectæ proprietas luculenter satis expressa in oratione Pharisæi apud Lucam XVIII. 10. 11. legitur: *Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. Agnoscit ille decretum Dei, quo sibi puram, sanctamque supra cæteros homines vitam sanciverit; jactitat, se libertate sua optime usum, cum virtutis exercitio se totum addixerit, cæteris hominibus deteriora sectantibus. Porro solemne erat Pharisæis, ut ipsum dumtaxat absolutum peccati opus damnarent; turpes cogitationes, & vota, tum & consilia, si non probabant, certe non reprehendebant. Rider Polybium Josephus Antiqu. lib. 12. cap. 17. quod putaverit, Deos ultionem de Antiocho exegisse moliente direptionem Templi Dianæ, quod impium consilium executioni mandare non potuit.

Indulgentiores, quam veteres illi, nostræ ætatis Pharisæi, nonnihil in cibo cæterisque corporis afflictationibus mores relaxarunt; sed nihil remissum est ab illis de superbia, hypocrisi, atque traditionibus avitis retinendis. Dogma de metempsychosi, & de animarum circumvolutione, liberoque hominis arbitrio, sancte retinent.

Quod autem ad metempsychosin spectat, non desunt qui censuerint, apud veteres Pharisæos dogma illud nunquam assertum esse, quod ipsis duplici ratione persuadetur: ex silentio nempe Jesu Christi, S. Clementis Alexandrini, & S. Epiphanii, nihil tale Pharisæis exprobrantium. Alterum argumentum ducitur ex dogmate ipso, quo alterum a Pharisæis admissum de resurrectione dogma funditus evertitur; ad quod enim potissimum

(26) Serar. trihæres. cap. 12. Basnage, Histoire des Juifs, liv. 3. chap. 3. art. 15

(27) Basnage Histoire des Juifs, liv. 3. chap. 2. art. 8

mum in resurrectione corpus pertinere anima judicabitur, quæ plura incoluit?

Sed prior illa ratio non unica responsione diluitur. I. Omnes Pharisæorum errores exprobrare Christum quia cogebat? II. Extra controversiam positum est, opinionem de metempsychosi longe lateque apud Judæos ætate Jesu Christi obtinuisse, ut ex Petri responsione, Jesu Christo interrogante, intelligimus. Quærenti enim Magistro, ecquid homines de se censerent, respondit Matth. xvi. 14. *Joannem Baptistam*, [esse te dicunt] *alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Et Herodes Galilææ Tetrarcha, delata ad se miraculorum Jesu Christi fama, rediisse ad vivos Joannem sub aliis mortalis corporis exuviis suspicatus est Marc. vi. 16. 17. & Luc. 9. 10. Cæcum a nativitate Apostoli respicientes Joan. ix. 1. 2. &c. Magistrum interrogarunt, cujus crimine ille cæcitate percussus esset, proprio ne an parentum; quod sane opinionem de metempsychosi non obscure designat.

III. Silentio Librorum N. T. opponimus testimonium Josephi, viri Pharisaicam sectam profitentis; ille enim dogma de metempsychosi proborum a Pharisæis defendi asserit. IV. tandem recentiores Pharisæis, quibus circumvolutio animarum probatur, æque pariter de futura resurrectione dogma tenent recipiuntque (28). Defendunt autem, ex pluribus corporibus ejusdem animæ contubernio addictis, unum tantummodo in resurrectione reparandum, manentibus cæteris, inertibus & in pulverem resolutis. Sed ipsius ne animæ electioni corpus, quod maxime optaverit, permittetur; an illa pariter etiam invita ad unum cogetur? Ea de re non satis inter Doctores convenit; quorum alii primum corpus præferendum arbitrantur (29), alii (30) postremo litem adjudicant: quæ tamen opinionum dissensio dogmati de metempsychosi & resurrectione nihil officere judicatur.

Sunt qui (31) credant, Pharisæos tamquam hæreticos Judæorum habitos fuisse, cum eos propugnaverint in rebus majoris momenti errores, easque invexerint pravas Legis interpretationes, quæ inducendæ hæresi satis superque fuissent. Accedit ad hæc, in opinionibus suis defendendis pertinacia, tum & implacabilis in adversarios omnes furor & persecutio, quibus veluti coloribus hæresis exprimitur. His facile persuademur, nomine potius sectariorum vel hæreticorum Judaicæ religionis, quam assertorum, viros illos esse suggillandos; nec Josephus Antiqu. lib. 13. cap. 9. & alibi dissentit, eas omnes sectas sub hæresum nomine designans.

Sed minor est hujus argumenti vis; solemne est enim apud Græcos, ut sectas omnes eodem hæresum nomine exprimant; quæ proinde appellatio, quamquam apud nos invidiosa est, quemadmodum & *Secta*, neutrum tamen probrosum erat apud Græcos, unde in Latinos voces illæ derivatæ sunt. Est enim *Secta* hominum cœtus in unam aliquam sententiam coeuntium; quemadmodum nunc etiam contingit in Ecclesia, ut alii aliam Philosophiæ & Theologiæ Scholam sequantur, citra dispendium & dissensum in dogmatibus nostræ fidei; coeuntibus omnibus in unum Ecclesiæ corpus, quamquam aliam alii defendunt interpretandorum illorum dogmatum rationem, parati ab ea, quam tuentur, opinione recedere, si Sacris Ecclesiæ Præsulibus alia probetur sententia.

Si quis tamen hæreseos nomine designaverit errores, quos pervicaciter Secta aliqua hominum a cæteris segregata defendit; Pharisæos hæreticos habere per me licet, quorum errores luculenter in Evangelio exprimuntur, & pervicacia omnibus satis superque est explorata. Si vero hæreticos reputemus illos, qui non modo sententiarum singularitate a cæteris segregantur, sed a communione pariter & societate Fidelium vel se actu subducunt, vel eam servant animi habitudinem, ut si forte Ecclesiæ alia sederit sententia, ab ejus potius communione quam a suis opinionibus recedere parati sint, eo sensu Hæreticos Pharisæos appellandos esse negamus; quippe qui in unam cum cæteris Judæis Ecclesiam coibant, atque ipsam Moysis cathedram tenebant, ipso Jesu Christo restante (32). Dignissima Reipublicæ munera gerebant; doctissimi habebantur, legisque studiosissimi quin & vitæ modestiæ frugique exemplo a cæteris Judæis suspiciebantur. Erant ex Pharisæis Sacerdotes, erant Sanhedrii Patres; erant ex omnibus hominum conditionibus. Templum pariter frequentabant, offerebant sacrificia; nec rari inter illos virtutem non specie tantum colebant; ac tandem non defuerunt ex Pharisæis, qui Christo nomen dederint (33), veluti Nicodemus & Gamaliel. De Pharisæorum secta hæc Paulus (34): *Secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus*. Hæreseos crimen nunquam illis idem Jesus exprobravit. Eorum errores vel latebant, vel dissimulabantur; & de metempsychosi sententia longe tunc lateque per Orientem obtinebat; nec tandem ita reputandum est, quasi de rebus Theologicis eadem esset ante Christum, quæ nostra ætate, explorata & certa cognitio. Ad hæc, viri plures in hoc argumentum scribentes doctissimi (35), nunquam Pharisæos Hæreticorum nomine traducendos censuerunt: si quid aliud in SS. Patribus observatur, animadvertendum est, hæreseos nomine nonnisi Sectam, atque genus hominum erroneis quibusdam ac singularibus opinionibus a reliquis discretum designari.

ARTICULUS II.

De Saducæis.

SEctæ suæ Authorem & Principem Sadokum agnoscunt Saducæi (1), quem virum discipulum & successorem Antigoni Sochæi statuunt, cujus decessor fertur Simon Justus, summus Judæorum Sacerdos. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi Antigonus in summa dignitate Simonem exceperit; sed tantum in doctrinæ traditione, ut Discipulus Magistrum. Simon Justus, qui post Oniam primum Sacerdotii cathedram ascendit, Pontificatu functus est ab A. 3702. usque ad 3711. Post illum Sacris præfuit Eleazar, quo Summo Sacerdote Versio Septuaginta adornata fertur. His omnibus certa elicitur Saducæorum epocha.

Porro Antigonus, Sadoki præceptor, peculiaris fuit Sectæ Author, cui illud singulare, ut eximiæ pietatis studio doceret, cultum Deo purum atque prorsus gratuitum præstandum esse (a). Monebat igitur Antigonus auditores suos, ne mancipii more spe præmii venale servitium exhiberent; parerent sine lucro aut mercedis spe, seque ad virtutem solo Dei timore impelli sinerent. Mira

Aa 2 hæc

[28] Vide Manass. Ben-Israel, de resurrect. Mortuor. lib. 2. cap. 18. pag. 216. [29] Abarbanel, Comment. in Pentateuch. [30] Zoar, Paras, Haye, Sara, Manasse Ben-Israel, loc. cit. [31] Epiphan. hæresi 16. August. Philastr. de hæresib. alii quidam. [32] Matth. xxiii. 2. [33] Joan. iii. 1. Vide 12. 16. Act. iii. 4. [34] Act. xxvi. 5. κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, &c. [35] Serar. trihæres. cap. 9. Genebrard. Drusius, Basnage, &c. [1] Ita lib. 4. Macchab. cap. 6. Philastr. Elias in Tisbi; R. Jacob. Præfat. in Lib. En. Aurh. Cozri, R. Abrah. Levi in Cabala historic. Rab. Nath. in Pirke-Aboth; alii plures. [a] Vide R. Nathan, Comment. in Pirke-Aboth, cap. 1. Manasse Ben-Israel in lib. 1, cap. 6. de resurrect. mortuor.

hæc sunt in viro Judæo, Legi assueto, in quo nihil frequentius, quam præmia temporalia Justis conferenda, atque ultio, quæ impios manet. Itaque Antigoni dogmata paucis quidem arriserunt.

Quare Sadok ejus Discipulus, cum nec tantam Magistri virtutem, nec dogmatis puritatem ferre posset, simulque deserere Virum, quem adeo suspiciebat, non sustineret, axiomate ejus servato, repugnantem de suo interpretationem adjecit. Eam proinde invexit opinionem, nihil sive præmii sive pœnarum in altera vita manere; unde & bonum præstari & vitari malum alia plane, quam præmii sive pœnarum causa oportere. Hæc de Saducæorum origine Hebræi.

De ejusdem Sectæ crepundiis nihil peculiare habet Josephus; & Author quarti Macchabæorum id tantummodo designat, Sadokum illius Authorem fuisse. Profecto si de origine Saducæorum vera narrant Rabbini, vetustiores fuisse Pharisæis credendi sunt, cum Pharisæos nos sub initia Macchabæorum cœpisse reputemus. Epocha Pharisæorum constituitur circa A. 560. ante Christum, quos proinde centum ad minus annis præcessisse Saducæos oporteret.

Hunc Sadokum, schismate a cæteris Judæis ac Templo Domini avulsum, testantur Rabbini; addentes, illum recepisse se Samariam, & in monte Garizim cultum Domino impendisse. Sed hanc calumniam intestinum Pharisæorum in Saducæos odium invexit; nec recens illa quidem inducta est, cum ejus vestigia in S. Epiphanio hæres. 14. & Philastrio appareant. Narrant hi, Saducæos surculum esse hæreseos Dosithei, qui facto a cæteris Judæis schismate, Samariam se recepit; quippe qui norat, quæ vellet, se in patria sua minime assecuturum. Durum vitæ genus in antro quodam egit, ubi & fame enectus est, vana jejunii ostentatione pariter & obstinatione: hæc S. Epiphanius. Sed multo recentior Sadoko habendus est Dositheus, quippe paulo post obitum Jesu Christi in viviis agens (3), venisse se Messiam & Christum jactitabat (4).

Aliam de Schismate Sadoki historiam referunt Judæi (5). Cum Alexander Magnus, inquiunt, in Judæam venisset, illum rogarunt Samaritani, ut ædificandi Templi Domini in Monte Garizim facultatem sibi permitteret, impetraruntque, id quod populum Israelis in duas partes distraxit. Simon Justus, ejusque Discipulus Antigonus Sochæus, cum majori populi parte, in fide & cultu Domini manserunt, in Templo Jerosolymitano adorantes; Sadok & Boetus sive Baitus, Discipuli Antigoni, cum magna scelestissimorum Judæorum manu, partes secuti sunt Sanaballat Horonitæ, ejusque generi Manassis, filii Summi Sacerdotis Josue filii Josedeci, & Samaritanis cultum Deo in monte Garizim præstantibus faverunt. Hæc de Saducæorum origine Judæi.

Contendunt alii (6), Saducæorum nomen ex Sedech, justitia, derivari, quod illi justitiam cæterorum vulgo Judæorum maxime affectarent. Sed quæ hæc justitia, nisi forte in exercitiis religionis cæterisque Reipublicæ officiis, nulla utilitatis spe præstitis? quippe qui nulla sive præmia sive supplicia in altera vita respicerent. Vel forte in accurata & inflexa Legis observatione, & inexorabili de sontibus pœna ab illis exacta.

Inter has sententias, ea quæ Sectam accersit ex Sadoko discipulo Antigoni successoris Simonis Summi Sacerdotis, cum veritate magis congruit. Nunquam enim neglexisset Josephus prodere, Saducæos e Samaritis originem suam repetere, atque schismate a cæteris avelli; nunquam etiam inter veteres Sectas Judæorum illos recensuisset; nunquam in Templo tale hominum genus pati Judæi potuissent; nunquam summa illis Reipublicæ munia demandata fuissent; a quibus tamen omnibus non exclusos Saducæos ex Josepho intelligimus.

Potissimi Saducæorum errores in eo versantur, ut Angelos (7) & animæ immortalitatem (8) negarent. Nec tamen illi impugnabant animam, qua nos intelligentiæ & rationis facultate instruimur; sed interire illam una cum corpore defendentes, quæcumque de suppliciis atque præmiis alterius vitæ ferebantur (9), quæcumque pariter de resurrectione mortuorum apud cæteros Judæos obtinebant (10), ad fabellas & puerorum terriculamenta amandabant. Ignorasse illos S. Spiritum, fortasse Spiritum Prophetiæ, S. Epiphanius hæresi 14. accusat. Profecto rejecti a Saducæis Prophetæ, vulgo feruntur. Corpore Deum constare, ex eorum dogmatibus colligere Arnobius (11) sibi visus est. Testimonium S. Epiphanii ad literam interpretatus S. Augustinus (12) asseruit, S. Spiritum a Saducæis negari, a Pharisæis admitti; quamquam & hi quidem in Jesu Christo residere eumdem Spiritum negabant.

Nihil tamen de Saducæis, quod ad S. Spiritum attinet, sive in S. Scriptura, sive in Josepho legitur; nec sane mirum est, Judæos homines nihil de S. Spiritu, tamquam tertia in Trinitate Persona, scivisse; quis enim Judæorum satis distincte tantum mysterium agnovit? Nec aliud facile voluit S. Epiphanius, quam ut illos opponeret Pharisæis, S. Spiritum, ut ille quidem asserit, admittentibus; eo nomine Prophetiæ spiritum designantibus, cujus afflatu Prophetæ vaticinabantur. Ut vera tamen fateamur, quid eo nomine Pharisæi admitterent, rejicerentque Saducæi, non satis assequimur; naturam ne aliquam a Deo distinctam, an Divinitatis emanationem, personamque divinam, non constat.

Corpus Deo affinxisse Saducæos, nullo argumento demonstratur, nihilque tale deduci potest ex eorum dogmatibus sive de Angelis sive de mortali animæ natura. Tametsi enim nec Angeli nec spiritales naturæ sint, aut anima immortalitate non donetur, num proinde Deus corpore constabit.

Colebant Saducæi Libros Moysis, in quibus frequens Angelorum, visorumque ab hominibus Angelorum mentio. Cur ergo esse Angelos negabant? quo pacto ab ea se difficultate expedierint, nec videmus satis, nec eorum ad ea loca interpretationes usquam legimus. Sunt tamen qui suspicentur, perinde ab illis Angelos reputatos esse, quasi virtute a Deo non distinctas (13), instar radiorum & lucis, quæ a sole non sejunguntur: paruisse autem in terra variis præditos nominibus, pro variis, quibus fungebantur, muneribus.

Ingeniosa sane interpretatio, quæ tamen difficultatem prorsus omnem non tollit; non enim Angeli per visum hominibus spectati, de quibus in Libris Moysis, emanationes quædam & effluxus divinitatis habendi sunt; cum potius naturæ videantur prorsus a Deo discretæ, & ab eo missæ, ut suo nomine & virtute commissas sibi functio-

[3] Origen. in Matth. tract. 27. [4] Idem lib. 2. contra Celsum. [5] R. Abrah. Levi in Cabala Historica. [6] Epiphan. hæres. 14. Junius, & Hieronym. in Matth. xxii. & Tostat. ibidem. [7] Act. xxiii. 8. *Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur.* [8] Joseph. lib. 2. cap. 12. de bello: Et lib. 18. Antiqu. cap. 2. [9] Josephus lib. 2. de Bello cap. 12. [10] Matth. xxii. 23. *Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* Vide & Marc. xii. 18. Luc. xx. 27. Act. xxiii. 8. [11] Arnobius lib. 3. pag. 100. Vide & Sculter. [12] August. Serm. olim 11. de Verbo Domini num 70. cap. 3. num. 5. pag. 352. [13] In eam sententiam venerant Judæi, S. Justini Martyris ætate, Vide Grot. in Matth. xxii. 23. Clericum in Act. xxiii. 8. & Justin. in Dialog. pag. 358.

ctiones præstent. Commodior esset & planior responsio, si Angelos illos nihil aliud esse dixissent, quam spectra quędam, & parvo subsistentia tempore phantasmata, quibus nihil pręter speciem subesset; corpora quædam aerea a Deo mota, vel forte ab aliquo mortali spiritu, ab hominis anima, quæ mortalis est juxta eorum opinionem, non dissimili, animata, quo ciente agerent, cæterasque naturæ intelligentis functiones præstarent. Apologiam tamen struere Saducæorum non vacat; eorum tantum recitamus opiniones.

Quamvis præmia omnia pœnasque alterius vitæ subducerent, Legi tamen religiosissime parebant, ejusque observationem severis animadversionibus exigebant (14); quod eorum dogmatibus maxime erat consentaneum. Si enim nullæ manent impios nisi in hac vita pœnæ, nullaque justos nisi in pręsenti sæculo præmia, necesse igitur est, præmia pariter & supplicia ex legibus justitiæ distribui. Hanc opinionem prava Scripturarum interpretatione fulcire poterant. Moyses in Legibus nunquam nisi de præmiis vitæ præsentis agit. Deus in hoc sæculo severis animadversionibus impios punit; cujus documentum exhibet ignis in Sodomitas demissus, flagella in Chananæos, in *Her* & *Onan*, in Pharaonem & Ægyptios excussa. Hæc omnia, quorum legebant in Pentateucho historias, illorum sententias fovebant.

Sed principia, æque ac deductæ ex illis consecutiones; omnia erant absurda. Deus punit, Deus præmia largitur, sæpe quidem in hoc mundo, sæpe pariter negligit; nec inde tamen recte colligendum est, spes nostras metusque intra angustos bonorum malorumque vitæ præsentis fines contineri. Possunt pro immortalitate animæ duci argumenta e Genesi. Homo ad imaginem & similitudinem Dei formatus est; quare, cum Deus spiritus sit, homo pariter & spiritu constabit, quod ad eam naturæ suæ partem spectat, quæ ratiocinatur & cogitat. Abraham, Jacob, cæterique viri sanctissimi nulla pro meritis satis æqua præmia in hac vita receperunt; promissionum, quibus illis se Deus obstrinxerat, fidem suam non liberavit. Par erat ergo in altero mundo illos æqua meritis accipere; vel Deus injustitiæ accusandus est & infidelitatis in promissis præstandis. Deus tandem ita se Moysi exhibuit (15): *Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Jacob*; est autem Deus non mortuorum, sed viventium; vivunt ergo Patriarchæ. Ita Jesus Christus colligit (16).

Dicuntur Saducæi rejicere omnes Scripturæ Libros, præterquam Moysis unius (17); quam accusationem confirmant ex eo, quod ex Libro tantum Exodi, quem plane recipiebant, deducta sunt in Evangelio adversus illos testimonia, omissis aliis cæterorum Scripturæ Librorum, quamquam probandæ resurrectioni magis congruere videbantur. Rejiciebant pariter Veterum traditiones, una cum Pharisæorum interpretationibus. Quare eorum secta multu & numero hominum & potentia Pharisæis concedebat; minorem sibi apud populum conciliaverat famam, venerationem, & amorem. Locupletissimi tamen Judæorum, & viri dignitatis amplissimæ, plerumque nomen suum inter illos dederant; qui tamen in exteriore Reipublicæ administratione moribus se & dogmatibus Pharisæorum accommodare cogebantur; vix enim alioqui incommodam eorum disciplinam populus tulisset (18).

Quam hucusque firmavimus, de rejecta universa Scriptura, præter Pentateuchum, difficultatibus nonnullis arguitur opinio. Observat Scaliger (19), post absolutum Sacrorum Librorum Canonem Saducæos paruisse, cum scilicet nullius arbitrio permitteretur, e Sacris Libris rejicere alios, alios pro libito recipere; omnibus enim æque asserta erat & divina authoritas. I. Si Saducæis seligendi erant Libri, dogmatibus suis vel congruentes, vel saltem non contrarii, Moysis Scripta omnino seligenda non erant, in quibus tam frequens est Angelorum mentio hominibus exhibitorum. II. Saducæi nec a Templo nec a cœtibus religiosis aberant, ubi lectio frequens Scripturarum & maxime Prophetarum habebatur. Quis autem credat, eorum, quorum tanta religione lectionem audiebant, Librorum authoritatem penitus rejecisse? III. Messiam non secus ac Judæorum cæteri expectabant. Itaque Prophetas Messiam promittentes, & germanas illius notas describentes, admittere illos par erat.

IV. Josephus, cui inter cæteros ejus sectæ dogmata erant exploratissima, in eo discrepare illos a Pharisæis memorat (20), quod isti quidem docerent & sequerentur plures traditiones a Patribus acceptas, nec tamen in Lege Moysis descriptas; cum Saducæi traditiones omnes rejicerent, nihil recipiendum quam quod scriptum esset, defendentes. Porro locus iste Josephi ab utraque opinione, affirmante & negante, laudatur. Ipse quidem Josephus ambiguum sensum ad Libros tantum Mosaicos redigere videtur. Quid inde tamen? an ex eo ducitur, rejectos esse a Saducæis cæteros Scripturæ Libros? V. Rabbini contra Saducæos disputantes, non testimonia tantum produxerunt ex libris Mosaicis, sed ceteris etiam universæ Scripturæ & Prophetarum; nec Saducęi rejectis hisce Libris argumenta illa diluerunt, sed vanis subdolisque interpretationibus eorum potius vim eluserunt. VI. Quis credat, potuisse illos eadem cum cæteris Judæis communione coire, primas Reipublicę dignitates obire, summum etiam ascendere Sacerdotium, si Sacros Judæorum Libros temere rejecissent? Ad hęc: S. Petrus cęterique Apostoli, coram Saducęis verba facientes, testimonia laudant ex Psalmis indiscriminatim atque ex cæteris Scripturis (21). Ex his ergo, quantum assequor, intelligimus, Saducęos, non secus ac Judęorum cęteros, universos ęque Sacrę Scripturę Libros probasse (22). Et ubi rejectos ab illis asserunt Veteres omnes Scripturę Libros, solis exceptis Mosaicis, eorum testimonia eodem facile sensu interpretemur oportet, quo Josephum, nempe Mosaicos Libros tamquam Legem ab illis recipi, omnibus Pharisęorum traditionibus rejectis. Cęteros Scripturę Libros recipiebant quidem ut canonicos; sed accommodatia ad suas sententias interpretationibus loca, ubi de Angelis sermo, ita detorquebant, quemadmodum cętera ejusdem sententiæ, quæ in Pentateucho leguntur.

Reputandum est autem, in religione Judęorum post captivitatem dogmata de immortalitate animę, & existentia Spirituum minoris momenti, nec, ut vocant, fundamentalia habita fuisse, cum Saducęi inter medios Judęos, nec ab eorum communione avulsi, sententias illas profiterentur (23), & Viros haberent summi Sacerdotii dignitati pares, quamquam errores illos tuebantur. Hęc igitur in gente illa problematice disputabantur.

[14] Joseph. de Bello lib. 2. cap. 12. Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. 2. c. 23. [15] Exod. III. 6. 15. 16. [16] Matth. XXII. 32. Marc. XII. 26. [17] Vide Serar. Triheres. cap. 21. num. 1. & apud eum R. Eliam in Thisbi; Tertull. Præscript. cap. 49. Origen. lib. 1. & tract. 21. in Matth. Hieronym. in Matth. XXII. Bedam, alios. [18] Joseph. Antiquit. lib. 18. cap. 2. [19] Elench. Triheres. c. 16. [20] Joseph. Antiquit. lib. 13. cap. 18. [21] Act. IV. 1. 2. v. 17. [22] Vide Manasse Ben-Israel lib. 1. c. 6. *Neque tamen derogabant fidem Prophetis, sed loca Prophetarum in alium longe sensum interpretabantur.*
[23] Manasse Ben-Israel, in Epistola nuncupatoria Libri sui de resurrectione, & lib. 1. cap. 1. testatur, veteres Judæos e cœtu Israelitarum exclusisse eos, qui animæ immortalitatem abolerent; docuisse pariter, illud hominum genus nullam habiturum partem in sæculo futuro, vel in mundo animarum.

tur. Pharisei, & Saducei alterutrorum invicem principia rejiciebant; nec tamen excommunicatione alii alios damnabant: omnes eque Libros Sacros excipiebant, sed non eodem sensu & interpretatione. Fidei Pharisaice normam constituebat Scriptura; morum regulam dabant traditiones. Hanc laudem Saducei solis vindicabant Mosaicis Libris, ceterisque Sacris Authoribus, quorum tamen sententiam suo marte interpretabantur.

Saducei fatum negabant, ait Josephus Antiqu. lib. 13. c. 9. cujus nomini nihil subesse nisi phantasma aliquod spectrumque dicebant; nihil enim ex fati vi imminere hominibus arbitrabantur. Quare, ex eorum sententia, nobis plena manet agendi libertas, qua ad arbitrium utamur. Nostram proinde ipsi struimus bonam malamve fortunam, si in bivio constituti optimam vel deteriorem viam eligimus. Testatur de Bello l. 2. c. 12. negari ab illis fatum & providentiam, seu aliis verbis: *Malum agere sive nescere, aeque a Deo alienum est*. Homini bonum malumque esse in arbitrio, nihilque illi, nisi quod maxime voluerit, contingere, bono vel malo usu sue libertatis.

Nihil certe ambitiosius tribui poterat homini, neque major Deo injuria irrogari. Si enim in ea que bene agimus, vel in mala que patimur, nulla est Dei actio; si nempe in nostro unice positum arbitrio reputandum est, ut absque Dei ope male vel bene geramus, si nulla manent alterius vite premia vel supplicia, quid a Deo postulaturus sit Saduceus, nec in quo potissimum cultum suum, & Religionem positurus, satis video. Si in hac vita ope Dei nulla indigebat; si nihil timendum manebat in altera vita, cur Deum metueret, coleret, adoraret? Nullo luculentiori argumento intelligimus, quousque tandem Religionis Judaice corruptio devenisset, quam quod illa intra se reciperet tam absurdæ opinionis assertores authoresque. Nec Saducæorum professio multum ab Epicureis abludebat; nihilque inter illos constituerem discriminis, quam quod Saducæi supplicia saltem aliqua in hac vita vel præmia a Deo meruerent, expectarentque; quos etiam ad bene agendum stimulos Epicuræi subducebant.

Saducæorum Secta diu quidem, & nunc etiam, ad paucos tamen redacta, existit (24). Hodie quidem a cœtibus Judæis tamquam hæretici rejiciuntur; olim tamen alia erga illos erat disciplina. Hircanus Summus Sacerdos & totius gentis Princeps, postquam diutius Pharisæis favit, secessione ab ipsis facta, ad Saducæorum partes transivit (25). Fertur etiam capitali pœna indixisse Judæis, ut dogmata Sadoki reciperent (26); Aristobulus & Alexander Jannæus, filii Hircani, Saducæos defendere, & insectari Pharisæos diu perseverarunt. Testatur Maimonides (27), sub Alexandro Rege Saducæos in omnes invasisse Sanhedrii dignitates, uno relicto Simone filio Scete, qui Pharisæorum partes sequebatur. Verum pristinam authoritatem receperunt Pharisæi sub Alexandra, uxore Alexandri Janæi, Caipham, qui Jesum Christum morti adjudicavit, Saducæorum sectam professum fuisse, intelligimus ex Actis (28). Eadem profitebatur pariter Ananus Junior (29), qui S. Jacobum fratrem J. C. neci tradidit.

Qui Saducæos veluti Samaritas & discipulos Dosithei habendos censuerunt, illis imputarunt cultum Dei, hirci simulacro expressi; & corruptum textum primi Capitis Geneseos, ut legerent: *In principio azyma*, [sive hircus] *creavit Cœlum & Terram*. Sed accusationes istæ se ipsæ destruunt, nec est cur Lectores quidquam remorentur. Saducæi Deum in Templo Jerosolymitano colebant, Messiam expectabant, nihilque ea in re a cæteris vulgo Judæis dissidebant; quin & in unam cum cæteris Pharisæis conveniebant sententiam, quippe qui unum Liberatorem & Regem temporalem tantum præstolarentur. Ita utriusque sectæ homines persuasi, si neque Jesum noscere, neque spirituale ejus Regnum admittere voluerunt, non est cur vehementer miremur. Nec sane quisquam e Saducæis nomen Christo dedisse in Evangelio legitur; plura enim habebant in opinionibus suis cum fide & salute a Jesu Christo nunciata pugnantia.

ARTICULUS III.

De Essenis.

Essenorum origo atque etymon æque latent, cum nihil de illis satis expressum, neque de tempore, neque de Authore Sectæ apud Philonem & Josephum legatur. Author quarti Macchabæorum capite VI. cujus Operis Gallicam dedimus Versionem, sectam illam hominum, quam *Hasdanim* appellant, Hircani Macchabæi ætate, circa A. M. 3894. jam floruisse tradit. Sermo est apud Josephum Antiquit. l. 13. c. 19. de Juda, viro inter Essenos clarissimo, qui in vivis agebat sub Antigono filio Hircani, & fratre Aristobuli Regis Judæorum. Porro Judas iste vaticinatus est, Antigonum sub turri Stratonis proditione interemptum iri; cujus oraculo sua mansit ab eventu fides, Jerosolymitanis omnibus, & ipso pariter Juda stupentibus.

Plinius l. 5. c. 17. qui stupens Essenorum mores a Josepho descriptos legerat, ipse pariter illorum historiam florenti & magnifico stylo tradens, gentem illam jam inde a multis sæculorum millibus sine mulierum commercio propagari asserit: *Ita per sæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur*. Sed falli virum constat: gentis namque origo non ante Macchabæos constituenda est; nec cælibem Essenos omnes vitam egisse, nisi per errorem, asseri potest. Fuisse inter illos virorum manum quamdam, qui in reliqua vitæ professione a cæteris non discrepantes, connubio, cæteris insueto, jungerentur, tradit Josephus de Bello l. 2. c. 12.

Sunt qui autumaverint (30), ad posteros Jonadabi Patris Rechabitarum viros illos pertinere; cujus opinionis unica ratio ducitur ex genere vitæ Essenis familiari; quod scilicet & vino abstinerent, & vitam agerent in reliquis frugi modestamque (31). Cum tamen & in Urbibus morarentur, domosque & sibi & hospitibus haberent, quæ sane omnia a moribus Rechabitarum erant aliena, vix est quod eorum conjecturæ momenti aliquid habere judicentur. Vetitum enim erat Rechabitis, ne in Urbibus & domibus morarentur, sed in tentoriis tantum & sub dio. Neque perpetuo a vino abstinuisse Essenos, nec eam rem lege sibi præscriptam habuisse, quomodo de Rechabitis memoriæ proditum est, ullibi legimus.

Essenos, sive ut appellat, Jessæos, Samaritanorum sectam censuit S. Epiphanius hæres. 29. de Nazaræis, eorum nomen derivans ex *Jesse* patre Davidis, sive Jesu, quam vocem Medicum interpretatur; maxime enim decet Essenos medici appellatio, quod medici animorum haberi vellent. Narrat insuper, Elxai, virum sub Trajano, nova quædam dogmata apud Essenos invexisse, tradito vaticiniorum suorum Libro; cui pariter fratrem fuisse *Jexæum*, qui sectæ suæ homines

[24] Vide Basnage, Histoire des Juifs, lib. 3. cap. 5. art. 13. 14. 15. 21. Serar. trihæres. cap. 25. Manasse Ben-Israel, de Resurrect. lib. 1. cap. 1. [25] Joseph. Antiquit. lib. 13. cap. 18. [26] Vide Abraham Ben-Dior, Cabala. Ita apud Trigland. de secta Carait. [27] Maimonid. Halac Sanhedr. cap. 11. [28] Act. v. 17. Vide & iv. 1. [29] Antiquit. lib. 20. cap. 8. pag. 698 [30] Vide Suid. in ἰεγύοι, vel ἀμίγονοι; Nilus ascet. cap. 3. alii quidam. [31] Philo, de Vita Contemplativa, p. 900.

nes ad cultum astrorum perduxerit. Historiolas hasce, cæterasque, quas de Essenis narrat, unde hauserit S. Epiphanius, incertum; certo tamen constat, suspectam esse illius narrationem, in iis maxime, quæ de Samaritana gentis origine tradit. Scitum est enim, Judæos fuisse, & a Samaritanis maxime abhorruisse. Facile S. Epiphanius ex Essenis sui temporis, genere hominum corruptissimo, & famæ adeo deploratæ, ut de impenso divino honore duabus mulierculis viventibus accusarentur.

Nominis Essenorum duodecim varias sententias recenset Serarius Trihæres. l. 3. c. 1. Salmasius deducit ex Essa Palæstinæ Urbe, de qua Josephus Antiqu. lib. 13. c. 23. alii ex Hebræo חשן *Choschen*, quo nomine Rationale Summi Sacerdotis designatur; alii ex Chaldæo *Chosin*, robustissimus, vel ex Syriaco *Asan*, calceari, sive ex Hebræo אסא *Asa*, valetudini restituere, vel ea *Hasach*, tacere, operari; sive ex *Jesu* vel *Jesse*, vel ex verbo חזה *Chasa*, contemplari, aut ex שנה *Scahnah*, secundas tenere, secedere, repetere. Derivant alii ex Græco *Hosioi* (32), Sancti, vel tandem ex Hebræo *Chasid*, misericordia; quod postremum etymon nos præ cæteris probamus. Porro viros misericordes, tamquam pium aliquem cœtum constituentes, in Psalmis (33) legimus; nec alios credimus Essenos, quam quos Libri Macchabæorum Assidæos appellant (34).

Putat Drusius, Essenos surculum esse Pharisæorum, eosque viros persecutione ab Hircano mota plurima passos (35), cujus vitandæ gratia cum in deserta confugissent, asperum vitæ genus prius necessitate susceptum, volentes deinde retinuisse. Sed nos supra demonstravimus, cœtum hunc virorum parum referre cum Pharisæis Saducæisque vetustatem, cum Author quarti Macchabæorum, quem librum primo in Arabicis Polyglottorum D. Le Jeay vulgatum, neque Salmasius, neque Scaliger, Serarius, & Drusius unquam viderunt, eas sectas sub Hircano florentes, atque inter se discretas constituat. Ipse pariter Josephus, cui scribenti præsto erant facile similes Commentarii, innuere videtur, floruisse illos sub Hircano, cum post narratam historiam desertæ ab Hircano sectæ Pharisæorum, ut in Saducæorum partes transiret, subnectat: *Sed de his duabus sectis, & Essenorum tertia accurate tractavimus in secundo, quem scripsimus, de rebus Judaicis libro.*

Post Scholas sive cœtus Prophetarum, nihil inter Hebræos morum sanctitate magis spectatur, quam Schola Essenorum, quorum hanc nobis picturam exhibet Josephus de Bell. l. 2. c. 12. Vivunt, ait ille, inter se mutuo charitatis vinculo conjunctissimi, idemque omnibus in voluptatem, veluti in præsentissimum virus, horror. Potissimum virtutis suæ momentum constituunt, ut continentiam servent, & contra voluptatis illecebras armentur. Connubia fugiunt, sed aliorum liberos tamquam proprios nutrientes, cœtus sui Instituta & dogmata tenellis animis imprimunt. Quamquam autem connubium renuunt, non tamen damnant, vel generis humani propagationem censent negligendam; sed intemperantiæ & infidelitatis muliebris metus cautiores illos efficit. Divitias perinde habent ac nihil, & bona sua omnia ita simul possident, ut nemo inter illos alius sit alio locupletior. Sanctum ratumque habent, ut jus in bona sua omnia a se removentes, in societatem transfundant; ex quo id consequitur, ut unius tenuitati de locupleti aliorum gaza invidia nulla creetur, nec divitiarum fastu alii inflentur. Vivunt uti fratres una bonorum & conditionis æqualitate.

Oleum & unguenta rejiciunt, quorum siquid casu aliquo contigerint, veluti tacta se immunda lustratione maculas abstergunt. Exteriorem austeritatis speciem ita habent in pretio, ut sordes æque habeant in horrore, candidas semper vestes præseferentes. Bonorum suorum Oeconomos constituunt, a quibus singula pro cujusque necessitate distribuuntur (36). Non omnes in eadem Urbe, nec semper eodem in loco morantur, sed per varias sedes distribuuntur; viros sectæ suæ in suas ædes excipiunt, quibus bona sua omnia tamquam singulis communia impertiuntur. Cum in viam se dederint, nullam sumentes annonam, arma tantum ferunt, quibus se a prædonibus defendant. Constitutus in singulis Urbibus ex eorum cœtu aliquis, hospitio venientes excipit, vestes cæteraque omnia necessaria sufficiens.

Eodem genere victus eademque disciplina nutriuntur pueri, quos præceptori alicui educandos tradunt. Vestes, nisi detritas vel adeo vetustas, ut nullis usibus serviant, nunquam mutant. Vendendi emendique negociationes inter illos nullæ; sola rerum permutatione usi, superflua tribuunt, ut necessaria accipiant; quin & permissum est singulis gratis, quæ sibi opus fuerint, sibi vindicare, quæque fratris sunt, in proprios usus transferre. Insignem erga Deum religionem professi, altum est apud illos ante exortum solis silentium, nisi forte precum aliquod murmur ante hoc tempus audiatur; precum, inquam, a Patribus suis acceptarum, quibus solem, ut tandem in Oriente pareat, invitant. Post hæc, singuli a suis Præfectis dimittuntur ad opera.

Post datas labori quinque horas, idest, usque ad undecimam horam matutinam in æquinoctio, & aliis anni temporibus par spatium, iterum simul coeuntes, albisque lineis accincti, frigida se totos lavant: tum singuli in singulas cellulas abeunt, quo interdictus est externis omnibus aditus. Tum in commune cœnaculum, ubi tamquam religioso aliquo in Templo mensæ assidentes, altum servant silentium. Distribuitur singulis pro sua conditione panis ab Oeconomo, tum pulmentum ab illo, cui parandi cura commissa est. Secundum hæc, preces Sacerdotis sequuntur; ante laudatum enim prece Deum, cibum capere nefas. Post cibum, iterum ad agendas gratias Deo bonorum largitori, statimque positis vestibus albis, quas tamquam sacras respiciunt, ad laborem, uti prius, regrediuntur. Subeunte vespera, in cœnaculum iterum coacti, cibum capiunt, ubi si quem ex hospitibus nacti fuerint, hunc cibo pariter reficiunt.

In reliquis omnes quidem pendent a nutu Præsidis, sed virtutis exercitia præstandi, & opem ferendi proximo, quantum cuique vires sufficiunt, libera cuique datur facultas. Necessariis tamen quidquam largiri sine Præsidis assensu nefas. Fidem promissionibus obligatam adeo religiose præstant, ut promittentibus non secus ac juratis credatur. Jusjurandum tamquam perjurium evitant. Veterum scripta sedulo evolvunt, in quibus ea maxime scrutantur, quæ animæ profectum & valetudinem juvant. Callent proinde remedia, & herbarum, lapidum, ac radicum virtutes. Ægrotos summa curant sedulitate (37), quibus ex communibus bonis necessaria omnia sufficiuntur.

Profiteri sectam volentes non omnes suscipiunt indiscriminatim, sed postulantes extra domum absistere annum integrum coactos, prius exercent. Porro candidatis istis ligonem tradunt, latiorem quam-

[32] Philo, lib. quod omnis probus liber, pag. 876. Εσσαῖοι διαλέκτῳ Ἑλληνικῇ παρώνυμοι ὁσιότητος. Innuit, Essenos voce Hebræa *Sanctos* significare; verumque etymon duci ex Chasid. [33] Psalm. LXXXVIII. 2. LXXXIV. 9. [34] 1. Macch. II. 42. Synagoga Assidæorum 2. Maccab. XIV. 7. Vide Eccli. XLIV. 10. [35] Joseph. Antiqu. lib. 13. cap. 18. Vide Serar. trihæres. c. 6. pag. 81. [36] Josephus de Bello Lib. II. cap. 8. tradit eos œconomos e genere Sacerdotum esse. [37] Philo, lib. quod omnis probus liber.

quamdam vittam in usum balneorum, & candidam vestem. Si perseverantiæ argumenta præbeat Tyro, recipiunt tandem in commune cœnaculum, & balneum; in domum tamen nonnisi post alterius biennii experimentum introducitur. Post biennium enim, si dignum se exhibuerit, in cœtum adlegitur; antea tamen quam ad capiendum una cum aliis cibum admittatur, gravissimis sacramentis adjuratur, ut purum perfectumque Dei cultum, ac legis justitiæ erga homines observationem profiteatur; neminem unquam se violaturum, ne coactum quidem; impios vitaturum; probos defensurum; præstitam fidem erga omnes, & maxime Principes, sanctam habiturum. Sacramento etiam adigitur, nunquam, si quando aliorum præfecturam susceperit, potestate sua opprimendis fratribus abusurum; nec se a cæteris vestium pompa & alia quacumque re distincturum. Sectæ arcana nulla fratres celaturum pollicetur; quæ aliis semper, etiam cum vitæ periculo, habebit occulta; quæ a Præceptoribus didicerit, nunquam alios docebit, & Libros Sectæ, uti & Angelorum nomina, veluti pretiosum depositum, caute servabit.

Si quis grande aliquod admiserit crimen, e cœtu pulsus, plerumque misero mortis genere cogitur interire; formidandis enim sacramentis illis adactus, cibum ab externo capere prohibetur; quare herbis veluti bellua victitare coactus, paulatim inopia & fame opprimitur. Interdum Esseni, miseriti illius, data criminis venia, apud se miserum hominem recipiunt, cum jam inter ipsas mortis fauces constitutum respexerint, rati, satis diuturnam egisse dignamque crimine pœnitentiam.

De re aliqua deliberaturi, centum numero convenientes, sedulo rem ponderant; & quidquid tandem decreverint, sanctum est & immutabile. Post Deum, Moysem unice observant, ut, si quem obloquutum de Moyse intellexerint, illum capitali periimant supplicio. Parendi senioribus & majori præcipientium numero, legem sibi constituunt, ut, cum decem simul coiverint, nemo sine novem aliorum consensu loqui inter ipsos audeat. Spuere curam cœtu vel ad dexteram, apud illos nefas.

In Sabbathi observatione ad superstitionem religiosi, ne ignem quidem accendere, nec parare ea die cibos audent; quin nec permissum sibi ducunt supellectilem domus removere, alvum superfluis purgare. Porro alvi necessitati aliis diebus subventuri, loca occultissima scrutantur, & post egestam scrobem pede altam ligone, quem supra innuimus, incurvi & undique vestibus protecti, metu ne Dei radii ea sorde violentur, rem præstant. Hæc Josephi verba suspicionem apud aliquos crearunt, num Esseni Solem adorarint; quod sane crimen firmiori aliqua conjectura, ut Essenis imputetur, fulciri oporteret. Potuerunt enim solis radios perinde ac Dei ipsius, cujus sunt opus, suspicere (1).

His omnibus cautionibus alias adjungentes, scrobem aggesta humo implent; tum veluti macula quadam contracta, lustrationibus eluuntur. In quatuor classes totum cœtum distribuunt; quarum qui superiores tenent, adeo se præstare inferioribus putant, ut si quem ex illis contigerint, veluti legali contracta macula, non secus ac externi alicujus contactu, expientur. Vitam plerumque ad multos annos (sæculum implent aliqui) producunt; quod simplici cibo, & vitæ frugi modestæque facile tribuendum est. In malis perferendis ad miraculum usque fortes, insignia ejus constantiæ specimina, Josepho teste, in postremo Judæorum cum Romanis bello exhibuerant. Animæ immortalitatem tuentur, quas scilicet animas descendere dicunt in corpora, ex aere sublimiori attractas, nescio qua superiori virtute, cui resistere nulla vi possunt; eaque cogente in corpore, veluti in carcere, toto vitæ tempore detinentur (2). Hujus autem carceris foribus morte reclusis, astutum veluti longa tristique captivitate liberatæ in Cœlum ascendunt. Proborum Spiritibus sedes tribuunt trans Oceanum, in loco imbribus, ventis, cæterisque Cœli intemperiis libero, ubi naturali felicitate donantur; quod ab illis eadem ferme ratione traditur, ac a Poetis Græcis Elysia arva descripta sunt. Impiorum animas relegari dicunt in loca horrida, & Cœli inclementiæ exposita, ubi æternis suppliciis cruciantur. Ita plane de Infernis scripsere Poetæ, quo in loco cruciantur Tantali, Ixiones, Sysiphi, & scelesti quicumque, dignas criminibus suis pœnas luentes.

Vaticinio plures inter illos clarent, eorumque vaticiniis fidea asseritur ab eventu; quemadmodum pluribus documentis demonstrat Josephus (3). Id genti privilegium confert, ait idem Historicus, tum lectio frequens sacrorum Librorum & Prophetarum, cum sanctioris frugique vitæ temperantia. Cœtus est inter eos a cæteris nulla re, præterquam in connubio, quod admittunt, omnibus ceteris instituti consuetudinibus, distinctus. Uxores non ante ducunt, quam triennio earum valetudinem & aptam edendis filiis habitudinem probaverint; conjugio non nisi moderate utuntur, adeo ut ad gravidas uxores accedere, nefas reputent. Mancipiis carent, quippe qui servitutem velut humanæ naturæ injuriam respiciant (4).

Deum res omnes unice moderantem agnoscebant Esseni, nihil absque ejus nutu & decreto fieri unquam contendentes (5). Omnia fato ab illis tribui, nihilque sine fato agnosci, alibi Josephus testatur (6). Huic repugnanti testimonio conciliando nullam aliam invenit rationem Serarius (7), quam ut fati nomine nihil aliud designatum a Josepho credat, nisi absolutum Dei decretum, quo juxta cujusque naturæ ingenium singula moderatur; ut proinde nihil contra liberi arbitrii jura faciat. Congruit eorum Secta cum Pythagoricis apud Græcos (8), sive cum *Plistis* apud Dacos (9). Quid *Plistarum* nomine intellexerit Josephus, ignoratur: nec vera fortasse est ejusdem Textus lectio. Quare legendum *Ctistæ* suspicatur Serarius, quo nomine Sacerdotes quidam apud Thraces (10), cælibem vitam agentes, innotescunt.

Quamquam Hebræorum omnium religiosissimi erant Esseni, nec Templum frequentare cum ceteris volebant, nec sacrificia offerre cruenta, saltem in loco sancto; ita enim Josephus & Philo inter se conciliantur. Philo enim (11) diserte asserit, nullas unquam ab illis victimas immolari, sed puras & diligenter paratas animas Deo offerri; Josephus vero (12) narrat, nullas ab illis in Templo offerri victimas, ne aliorum hominum, forte ibi versantium, commercio inquinarentur. Satis habebant, eo munera sua mittere, atque consecrare, veluti grati animi erga Deum sui pignus & monumentum.

Quatuor millia circiter Essenorum per universam Judæam dispersa, Philo (13) commemorat. Ultra Engaddi certas eorum sedes assignare Plinius videtur (14); tradens insuper, eos palmarum,

(1) Non dissimile aliquid Moysem præscripsisse Israelitis in deserto, legimus in Deuteronomio.
(2) Joseph. loco cit. (3) Joseph. Antiquit. l. 13. c. 19. de Juda Esseno, & l. 15. c. 13. de Manahem Esseno. (4) Joseph. Antiquit. l. 18. c. 2. Ita Philo, l. Quod omnis probus liber. (5) Joseph. Antiq. l. 18. c. 2. (6) Idem l. 13. c. 9. (7) Serar. trihæres. c. 4. art. 2. (8) Joseph. Antiq. l. 15. c. 13. (9) Joseph. Antiq. l. 18. c. 2. (10) Strabo l. 7. (11) Philo l. Quod omnis probus liber, pag. 876. (12) Joseph. Antiq. l. 18. c. 2. (13) Philo l. Quod omnis probus liber, pag. 876. (14) Plin. l. 5. c. 17. Infra hos Engadda oppidum fuit.

rum, quarum est ingens eo loci ubertas, fructibus victitare. Docet tamen Philo, pluribus in Urbibus, vicisque certas genris sedes mansisse: moram autem libentius in agro traxisse quam in Urbibus, persuasos, consuetudinem hominum plus esse animabus periculi, quam corporibus corruptum aerem. Agriculturam colebant, & alia pacis quietisque opera, quibus nec ab amore solitudinis, nec ab ea vitæ puritate, cui studebant, removebantur. A mari longius sedes constituebant, ait Plinius, quod sibi periculi plurimum imminere intelligerent ex commercio, maritimis in locis frequenti.

Nec Logicæ nec Physicæ operam dabant, teste Philone (15), quamquam, authore Josepho (16), non incuriosi versabant Veterum Libros, unde plurima de virtutibus herbarum, radicum, & alia hujus generis remedia discebant. Eorum tamen studia omnia ad moralem facultatem comparandam, Legesque Mosaicas collimabant, cujus Legis lectioni potissimum dies Sabbathi ab ipsis devota erat. Porro die Sabbathi in Synagogam (17) convenientes, suoque singuli sedentes loco, seniores supra juvenes, & illi vicissim suo ordine, unum e cœtu legentem volumen Legis, & alterum lectionem interpretantem, symbolica plerumque, allegorica, & parabolica pro veteri more (18) ratione, audiebant. Instruebantur potissimum in pietate, justitia, œconomia, politica, amore Dei, proximi, & virtutis.

Tres erant Essenorum classes: prima eorum, qui sibi connubium interdicebant; secunda, quibus permittebatur connubii usus, non sine cautionibus supra descriptis; tertia Essenorum contemplationi unice vacantium, quorum mores & disciplinam sub *Therapeutarum* nomine describit Philo in libro *de vita contemplativa*; quique Ægyptum pro majori suorum parte incolebant, &. quos Christianos habendos esse, Patres Ecclesiæ arbitrati sunt. Hæc Veterum sententia nostra ætate iterum revixit, & plures virorum doctorum calamos exercuit, ad quos Lectores remittimus.

Tandem cœtus erat fœminarum, idem instituti genus profitentium, quemadmodum Josephi & Philonis testimonio constat. Eadem illis erat instituendi tyrones, seque ipsas exercendi ratio. Nec deerant inter Therapeutas virgines, & fœminæ, etiam provectioris ætatis, continentiam sectantes; institutionibus die Sabbathi aderant, in loco tamen a viris, medio pariete trium vel quatuor cubitorum, discreto, ut audire quidem vocem loquentis, virorum autem prospectum habere non possent. Communi etiam mensæ assidebant; viri quidem ad dexteram, fœminæ ad sinistram, strato cuidam rudi crassoque insidentes. Uxoribus Essenorum idem vitæ genus ac viris præscribebatur.

Mirari subit, cur neque in Evangelio, neque in aliis Libris N. T. ne vestigium quidem ejus sectæ occurrat, qua honorificentius nihil in tota Judæorum religione, nihilque magis in tota regione celebratum. Qui fieri potuit, ut ejus probitatis viri certatim ad Jesum Christum non accurrerent? Cur nemo unquam illorum sacra Christianorum amplexus narratur? Profecto si Jesu Christo necessarii fuissent homines longo virtutum studio exercitatissimi, in Legis & Prophetarum scientia versatissimi, nemo aptior, quam Esseni, ad Apostolatum vocari poterat. Verum alia illi erant consilia, voluitque is ita Religionem Christianam constituere, ut humanum opus videretur. Quare aptissimos proposito viros elegit.

Ad hæc, Evangelium in locis ab Essenis frequentatis a Jesu nunciatum fuisse, non apparet; neque enim in Ægypto, ubi pro majori parte degebant, fides Christi nunciata est ab ipso fidei authore Jesu, ut proinde nihil de illis haberi in Evangelio facile intelligamus. Nec S. Paulus, cujus unius tantum prædicationis historiam literis mandatam habemus, eam regionem unquam peragravit. Post Christi Ascensionem, plures Esseni victas fidei manus dedisse, non inviti censemus; nihilque mihi nisi probabilissimum apparet in ea Patrum sententia, quæ Therapeutas primam Ægypti Christianitatem fuisse arbitratur. Profecto ad eorum normam prima Ecclesiæ Cœnobia constituta sunt, & inter Ægypti Fideles plura etiam spectantur vestigia veteris Essenorum disciplinæ.

ARTICULUS IV.

De Herodianis.

OBscurissima est Herodianorum origo, quamquam recentiorem esse Sectam, nec nisi post initum ab Herode Magno Judææ Regnum ortam, satis constat. Neque apud Josephum, Philonem, aliumve coævum Authorem sub illo Herodianorum nomine, quo in Evangelio non semel appellantur, innotuerunt. Apud S. Matthæum & Marcum una cum Pharisæis capiendi Jesu Christi consilium agitant (19); quod iterum in Capharnaum (20) ab ipsis præstitum est. Cavendum a fermento Pharisæorum & Herodianorum Jesus Christus edicit; quibus verbis innuuntur dogmata *Herodis* (21), sive *Herodianorum*, juxta plura Mss. (22). Post obitum Jesu Christi nihil de illis sive in Actis, sive in Apostolicis Scriptis; unde facilis est conjectura, Sectam illam & numero hominum & nominis celebritate atque potentia multum reliquis concessisse.

Sunt autem de Herodianis septem vel octo variæ Authorum sententiæ. Veteres inter se, inter se pariter Recentiores ea in re committuntur. Plurium sententia tenuit, ideo Herodianos dictos esse, quod in Herode Messiam agnoscerent. Sed quis Herodes iste? multi enim ejus nominis Principes in Judæa regnarunt: quem vero heretici illi Messiam crederent, non satis convenit. Porro Judææ Regnum tres Herodes, a quibus Herodianorum nomen repeti posset, tenuerunt. I. *Herodes Magnus*, qui paulo post Christum natum diem clausit. II. *Herodes Antipas*, prioris illius filius, qui in Galilæa regnavit, necei Joannem Baptistam tradidit, atque Jesum Christum capere molitus est (23). III. *Herodes Agrippa*, nepos Herodis Magni, nece S. Jacobi Episcopi Jerosolymitani, atque carcere S. Petri, ac tandem morte illi cœlitus immissa, dum Cæsareæ verba pro concione faceret, in Actis xii. a. notus.

S. Epiphanius in hæresi Herodianorum, S. Hieronymus contra Luciferianos, & Author Additionum ad Librum de Præscriptionibus Tertulliani, sicut & Recentiorum plures (24) putavere, Herodianorum nomen ex priori Herode, quem veluti Messiam habuerint, derivandum. Cum enim ejus ætate in expectationem novi Regis universa erigeretur Judæa; cum una esset totius Orientis expectatio, de Liberatore nempe & Rege per universum orbem regnaturo; cum ex Jacobi oraculo, sceptrum e manibus Judæ excidisset (25); in eam venerunt opinionem, Herodes ne, Rex strenuus, felix, magnificus, Imperatoribus, & maxime fortunæ charus, ipse esset quem venturum opperirentur. Porro Rex ille legibus Mosaicis deferebat plurimum, & licet in multis adversus illas peccaret, necessitate tamen colendi Romanorum amicitiam (26), penes quos tunc temporis summa erat rerum potestas, factum excusabat.

Ad

(15) Philo, loc. cit. (16) De Bello l. 2. cap. 12. (17) Philo, ubi supra. (18) Idem. (19) Matth. xxii. 16. Marc. xii. 14. (20) Marc. iii. 6. (21) Marc. viii. 15. (22) Vide Var. lection in N. T. Millii. (23) Luc. xiii. 31. 32. (24) Vide Nicet. Choniat. Thesaur. Orthod. l. 1. c. 34. Baron. Apparat. n. 5. Isaac. Voss. de Sybillin. Oracul. Grot. in Matth. xxii. alios. (25) Genes. xlix. 10. (26) Joseph. Antiq. l. 15. c. 12.

Ad hæc Herodes, Princeps si quis alius ambitiosissimus, potuit adulatorum assentationibus in eam facile opinionem venire, ut se ipsum tamquam Messiam ingereret; & quamquam alioqui minus in ea re assentatoribus crederet, in re sua esse facile arbitrabatur, ut eam de se opinionem in Republica gubernanda sibi maxime utilem foveret. Asserunt pariter, eo jubente cremata fuisse Tabularia, ubi genealogiarum documenta servabantur; ne de Davidis domo, unde Messiam proditurum norant omnes, aliquid noscesetur. Nec modica huic opinioni confert summa Regis circumspectio in omnia, a quibus periculi aliquid sibi imminere intelligeret, quemadmodum ex Innocentium cæde demonstratur. His simul omnibus facile persuasus est, Messiam se esse, vel saltem credi ab aliis non invito passus est.

De festo quodam Herodis Romæ, non sine luminibus, ingentibusque compotationibus in honorem Herodis, hæc legas apud Persium, Satyra V. v. 180.

Herodis venere dies, unctaque fenestra,
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.
. . . . . Tumet alba fidelia vino.

Porro festum illud a Judæis in honorem Principis, quem Messiam crediderint, celebratum fuisse, aliqui autumarunt (27). Malunt alii referre ad nepotem ipsius, Herodem nempe Agrippam, virum Caligulæ, Claudii, & Neronis favore potentem. Placet aliis, nomine Herodis a Poeta Judæorum gentes omnes designari (28). Aliud Herodis festum consignatur in Veteri Calendario Hebræorum, in quo hæc legas: *Festum septimi Chasleu* (mensis est Novembris) *pro obitu Herodis, quod ille Sapientes odisset; lætemur autem coram Domino, cum impii moriuntur; scriptum est enim, Manus Domini contra eos, ut eos auferat e medio.*

Ne autem moremur in demonstrando, Herodem Magnum diem claudere non potuisse mense Novembris, constat sane, publicam hanc lætitiæ significationem in odium Principis, & sævæ illius indolis detestationem potius, quam in ejus honorem fuisse indictam. Quare ab iis plane institui non potuit, qui Herodem tamquam verum Messiam habendum censuerunt; sed a Pharisæis potius, quorum viros Principes Herodes persecutus est (29). Porro nulla e Messiæ notis Herodi inerat; nec vita, nec obitus viri vulgatæ huic opinioni favebant. Tyrannum egerat, libertatis Judaicæ oppressorem, qui tantum religioni deferret, quantum rebus suis conferre intelligeret. Terribili mortis genere oppressus est, quod ultionis Divinæ præsentissimam animadversionem esse Judæi putavere (30). Adversus illum legati quinquaginta e Judæa Romam missi sunt, quibus accessere octo Judæorum millia Romæ versantium, rogantibus omnibus, ut Præsidis alicujus Ethnici potius jugum subirent, quam ullius e filiis Herodis (31).

Non erat hoc plane Messiam, & Liberatorem Israelis agnoscere; ac tametsi assentatorum artes adeo valuissent, ut novam hanc opinionem aliquibus persuaderent, parva hæc virorum manus facile post ejus obitum dissipata fuisset, cessante Principis metu, & spe favoris ipsius præcisa. Quare neque illa perseverasset ad annum usque XXXIII. vel XXXV. Jesu Christi. Tandem nunquam in animum inducimus, Herodem, si Messiam esse se persuasum haberet, viros doctos in adventu Magorum coram se accitum fuisse, ut de patria Messiæ disquirentes audiret Matth. II. 4.

Secundus Herodes, quem Herodianorum Principem, tamquam Messiam ab illis habitum, aliqui reputarunt (32), Antipas est Galilææ Tetrarcha. Vir fuit ambitiosissimus, qui fœdus cum Sejano adversus Tiberium iniit, convictus pariter constructi, instructique armamentarii LXX. hominum millibus sufficientis (33). Calliditatem illius suggillans Christus, *vulpem* appellat Luc. XIII. 32. Fortunæ Romanorum Imperatorum studere se adeo affectabat, ut in nummis hunc sibi titulum vindicaret: *Amator Imperatoris Claudii* (34). In vivis adhuc egisse credimus, quo tempore Jesus Apostolos monebat Marc. 8. 15. ut ab *Herodis fermento* caverent. Immodica tandem, qua ferebatur, ambitione, Romam ad Regium nomen poscendum delatus, infelicem itineris exitum nactus est (35). Lugdunum enim extorris actus, diem ibi clausit una cum Herodiade fœmina scelestissima, quam a priore viro Philippo fratre suo adhuc superstite, & parta ex eadem uxore puellæ nomine Salomes, rapuerat.

Hæc rerum Herodis catastrophe non satis congruit cum Judæorum opinione de venturo Messia. Genus Herodis insectabantur; raptum Herodiadis, Joannis Baptistæ necem adeo execrabantur, ut his criminibus nihil a Messia alienius crederent. Angustis continebatur limitibus tota Herodis ditio; cum Hebræorum expectatione Messias venturus esset tamquam Rex opibus, virtute & gloria florentissimus, jugo servitutis oppressam gentem levaturus. Nihil tale de Herode sive narratur, sive ab illo suscipiendum expectabatur.

Philastrius (36) aliique nonnulli putarunt, Herodem Agrippam, a Caligula Judææ Regem constitutum, nomen dedisse suum Herodianis; sed nihilo illi feliciores in hac conjectura. Herodiani ante Agrippæ Regnum in Evangelio agnoscuntur; rerum enim potitus est Agrippa tribus, vel quatuor annis post Jesu Christi decessum. Sectatores habuit plane nullos, nec ulli unquam venit in mentem, ut Messiam illum reputaret, quo tempore intra privatæ fortunæ terminos invisus Tiberio continebatur (37). Deserenda igitur est hæc sententia, quippe quæ nullo fulcitur argumento.

Recentiores nonnulli (38) Herodianos e Saducæis repetendos esse censuerunt. Alloquens sane Christus Discipulos, ait Marc. 8. 15. *Cavete a fermento Pharisæorum, & a fermento Herodis*; quæ verba ita reddit S. Matthæus XVI. 6. *Cavete a fermento Pharisæorum, & Saducæorum.* Nomina igitur Herodis, sive Herodianorum, ac Saducæorum, tamquam unam eamdemque gentem designantia, indiscriminatim usurpantur.

Veritatis ista quidem speciem præseferunt, non tamen usque adeo convincunt. I. Potuit Herodes Saducæam sectam profiteri, quin ex ea secta essent Herodiani. II. Potuit Jesus Christus de Pharisæis, Herodianis, & Saducæis agere; & S. Marcus omissum nomen a S. Matthæo fortasse restituit; ac vicissim S. Matthæus vocem expressit, a S. Marco neglectam. III. Saducæi pariter favere poterant Herodi, quin Saducæismum ille profiteretur. IV. In Evangelio tandem Saducæi ab Herodianis aperte distinguuntur; quo enim capite XXII. 17. narratur, Saducæos, & Herodianos ad capiendum in sermone Jesum venisse, versiculo 23. additum est: *In illo die accesserunt ad eum Saducæi, qui dicunt non esse Resurrectionem, & interrogaverunt eum.* Quis porro credat, unum eumdemque Scriptorem intra septem, vel octo linearum spatium eosdem homines variis appellare nominibus,

eos-

(27) Cornut. in Persium: *Herodis diem natalem Herodiani observant, ut etiam Sabbathi.* (28) Petit, Var. lect. c. 18. Vitringa de Synag. l. 1. c. 9. (29) Joseph. de Bello Judaico l. 1. c. 21. (30) Joseph. de Bello l. 1. c. 27. p. 772. 773. (31) Idem, Antiq. l. 17. c. 12. (32) Basnage, Histoire des Juifs liv. 5. chap. 8. n. 8. 16. 17. Ita Theophyl. Euthym. (33) Joseph. Antiq. l. 18. c. 9. (34) Apud Harduin. (35) Joseph. Antiq. l. 17. c. 9. (36) Philastr. de hæresib. Prateol. Elenc. hæret. n. 14. (37) Joseph. Antiq. l. 18. c. 8. (38) Vide Harduin. de Nummis Herodiad. pag. 97. Not. Cleric. in N. T. & Hammon. Ligfoot. hor. Hebr. Fabrum Grot.

eosdemque, quos paulo ante Herodianos nuncupavit, deinde ℣. 22. Saducæorum nomine designare, tum & dogmata distinguere?

Author Operis Imperfecti in Matthæum ea Ethnicis Herodi Antipæ subjectis Herodianos deriuat. Sed Pharisæos cum Ethnicis consilium capiendi in verbis Jesum agitasse, quis credat? Numquam sane legimus Ethnicos molitionibus Judæorum adversus Jesum Christum implicitos.

Demonstrandum sibi Drusius suscepit (39), Herodianos posse é Græcis illis aceipi, quos Herodes in deserto nactus, Jerosolymam duxit, ibi per familias propagatos. Sed Drusius vocem Hebræam *Jonim* de hominibus usurparit, cum columbas designet, quas circurstas Herodes Jerosolymæ habuit, genus avium peculiare propagantes.

Plerique Patrum autumarunt (40), Herodianos appellari satellites, milites, cæterosque Herodem comitantes. Porro Rex ille Festum Paschatis eo anno Jerosolymis celebrabat, quemadmodum ex Luca xxiii. 7. 8. constat; eodemque pariter Jesus advenerat. Flagrabat autem Herodes desiderio videndi Jesum, in quem mala agitabat consilia (41). Quare ejus satellites, volentes Principis, & suo pariter livori obsequi, sive ut gratiam Pharisæis præstarent, Jesum tentaturi in re maxime ardua, de statu nimirum rerum præsentium, convenerant, quærentes, num tributum solvere Romanis fas esset. Solemne fuit apud Veteres, ut famulis, & aulæ Principum Præfectis deducta e dominis nomina tribuerentur. Nota sunt nomina Pompejanorum, Cæsarianorum, & Germanicianorum: eodem igitur modo domestici Herodis Herodiani facile appellati sunt.

Hæc probabilia sunt adeo, ut nisi Herodiani aliàs etiam paruissent, nulla probabilior occurreret sententia. Sed alibi etiam Herodiani, aliis temporibus locisque se produnt, ubi nulla Regis neque Regiæ aulæ vestigia. Ubique autem, cum de Herodianis sermo est, constitutæ jam sectæ, & in regione florentis, & dogmatum singularitate a Pharisæis, Saducæis, atque Essenis distinctæ species apparet, quare Jesus, caverent ab eorum opinionibus, Discipulos admonuit, Vide Marcum 3. 6. & 8. 15.

Maluerunt nonnulli (42), Herodianos gentem fuisse politicam, quæ Romanorum & Herodis dominationi faveret, contendantem adversus alios Judæos, quos nimius libertatis suæ amor tenebat, indicta a Romanis & Herode vectigalia esse omnino solvenda. Invidiæ in illos ertandæ gratia Herodiani appellati sunt, quemadmodum siqua in Republica duæ civium factiones dissentiant, alia *Regiorum* appellatur, alia *Republicanorum*, sive *libertatis fautorum*. Desiderantur fulciendo huic systemati argumenta. Quod asseritur, illud maxime demonstrandum esset, nimirum Herodianos pro vectigalium solutione stetisse, cum potius adversæ opinionis fautores a nobis reputentur.

S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryph. autumavit, Herodianos favisse Herodi, non tamquam Regi, sed tamquam Summo Sacerdoti. De sacra Herodis dignitate ne verbum quidem apud Josephum; nec ille quidem ad sacram Aaronis familiam pertinebat. Sed Strabo lib. 16. certissime rem affirmat; nec latet, Herodem Magnum, post obitum Aristobuli fratris uxoris suæ, de Sacerdotio pro suo arbitratu decrevisse, modo assumentem, modo pro arbitrio Sacerdotes exauthorantem.

Tametsi vero Herodes satis validam Judæorum manum præsto habuerit, quorum favore legitimus Summus Sacerdos assereretur, quod sane ambiguum est, & dubium; ipsa tamen Herodis morte omnis illa factio evanuisset, nec sane xxxiii. integris post ejus obitum annis usquam permansisses, quo tempore Herodes, nepos Herodis Magni, nullum sibi in Summum Sacerdotium jus arrogabat; omnia enim arbitrio Præsidum Romanorum, jura in provincia dantium, decernebantur.

Post expositas & rejectas variorum opiniones de Herodianis, nostra tandem est promenda, in qua hæc potissimum congruere necesse est. I. Illud laborandum, ut sententia eligatur, quæ Herodianorum sectam a Pharisæis, Saducæis, & Essenis distinguat. Nemo sane istos cum Pharisæis & Essenis confundendos censuit: a Saducæis quidam deducentes, a nobis supra victi sunt. II. Herodianorum nomen satis indicat, nonnisi post Herodis Regnum genus illud hominum paruisse. III. Mutuo cum Pharisæis fœdere, quibuscum semper in Evangelio junguntur (43), conveniebant. IV. In partes venerant illius controversiæ, utrum vectigalia Romanis pendenda essent. V. Moralia sectæ dogmata, tamquam perniciosissima, vitanda Jesus Christus edixit.

Profecto omnia ista nemini melius, quam Discipulis Judæ Gaulonitæ sive Galilæi conveniunt. Secta erat hominum in regione notissima, cujus est apud Josephum Antiq. lib. 18. c. 1. 2. mensio. Hic, postquam Pharisæorum, Saducæorum, & Essenorum meminit, quartam aliam Philosophorum apud Judæos innotuisse sectam, Juda Galilæo authore, narrat; ejus miram fuisse addit cum Pharisæis in omnibus quidem consensionem, excepto libertatis amore, quo tenebantur adeo, ut Deum unice Dominum & Principem agnoscendum esse, eique tantummodo parendum, contenderent.

Florebant maxime, quo tempore Jesus Christus in Judæa Evangelium nunciabat; cujus Authorem Judam Galilæum tunc in Provincia versatum esse, cum Augustus censum indixisset (44), Gamaliel Act. v. 37. testatur. Josephus sectas Judæorum in gente ante excidium Jerosolymæ obtinentes describens, Judæ sectatores non silet. Verum eversa Urbe & Templo, vastataque provincia, ad eas angustias redactus est populus, ut deliberandum sibi ultra, utrum solvendum esset Romanis tributum, non maneret. Quare secta illa penitus dissoluta est, ut ne nomine quidem posthac exaudiretur.

Herodianorum ingenium pingit S. Matthæus xxii. 16. hæc illorum ad Jesum Christum verba referens: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliqua: non enim respicis personam hominum*. Immodicis laudibus animum Jesu Christi capere sentant, altum & magnanimum potestatum contemptum illi tribuentes, eam illi appingentes, qua ipsi erant, animi habitudinem, qui parati essent omnia potius subire, quam Domini numen aliis quibusque, uno excepto Deo, tribuere.

Sciscitantur deinde, quod præcipuum ipsorum dogma, & sectæ indolem demonstrat: *Licet ne tributum dare Cæsari, an non?* Quibus ea reposuit Jesus Christus, ut satis innuat, in hac quæstione negantem illos sententiam tueri. *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Aliud illi profecto expectabant, quam ut ad solvendum tributum, & manendum in fide Romanorum suaderet. Hoc plane responsum Pharisæos non respicit; scitum est enim Josephi testimonio, dogma illud de Regis titulo atque authoritate nemini, præterquam Deo, asserendis, peculiare fuisse Discipulorum Judæ Gaulonitæ, quo uno a Pharisæis, in aliis omnibus summo consensu convenientes, distinguebantur.

Nomen autem Herodianorum ex Herode fuisse, e cujus ditione tamquam Galilæi censebantur,

sectæ

(39) Drusius in præteritis. Ex Libro Aruch. (40) Chrysost. Hieron. Drusmas. hic; Syr. Jans. Vatab. Erasm. Gerard. Hammond. Sculiet. Natal. Alexand. hic. (42) Luc. xxiii. 31. 32. (42) Origen. in Matth. tom. 17. Grot. Maldon. Ligfoot. Menoch. Vide & Cyrill. Alexand. l. 2. in Isai. c. 11. & Theophyl. in Matth. (43) Matth. xxii. 16. xii. 14. Marc. iii. 6. viii. 15. (44) Consu Joph. Antiq. l. 18. cap. 1.

sectæ inditum est. Postulaverant alii e provincia Judæi a Tiberio, ut detracto dominationis Herodis jugo, Romano Præsidi submitterentur (45); Galilæi in fide Herodis manserant; qui omnes de Herodianorum dogmate suspecti habebantur, & tamquam gens omnium perniciosissima Jerosolymæ vitabantur. Cum Jesus Christus ad Pilati tribunal raptus est Luc. XXIII. 2. 5. struæta est in illum accusatio, quod populos ad defectionem solicitaret, negans tributum a Cæsare indictum solvi oportere, Herodianorum denique in illum invidia creata est. Galilæos illos, quorum cruore Pilatus sacra funestavit, sectatores fuisse Judæ Gaulonitæ suspicamur; illos autem severa animadversione punit Præfectus Luc. XIII. 1. quod seditiosum sparsissent in dominationem Romanorum murmur.

Sed cur Josephus, apud quem frequens de sectatoribus Judæ sermo est, nunquam tamen *Herodianos* illos appellavit? Respondeo, I. nunquam ipsorum nomen, quale fuerit, Historicum illum docuisse; nunquam enim viros designat nisi generico Discipulorum Judæ Gaulonitæ titulo; nullum itaque ex ejus silentio de nomine Herodianorum satis certum argumentum ducitur. II. Nomen illud facile nonnisi per contemptum Sectæ inditum est, quod proinde ipsi refugerent, neque Josepho scriptis prodere visum est. III. In ejus Libro de Bello designantur nomine *Zelotum*; iis enim auctoribus ignis ille seditionis & belli in Judæa exarsit, quo tota demum provincia absumpta est (46). Sed nomen illud Zelotum nunquam adeo obtinuit, ut sectæ universæ tribueretur. Notissimum aliud, quo vulgo appellabantur, Evangelistæ usurparunt.

Opinatur S. Hieronymus in Tit. III. floruisse adhuc in Judæa sectam, cum S. Paulus Epistolas scriberet; id autem in causa fuisse censet, cur Apostolus tanta sedulitate atque studio fideles tam ex Judæis quam ex Gentibus doceret, ne debito in Principes sæculares obsequio deessent (47). Eodem spiritu animatus S. Petrus Apostolus (48), adversus hanc Herodianorum persuasionem Christi sectatores munit. Porro sanctissimis illis viris numquam exciderat e mente monitum Jesu Christi, cavendi nempe a fermento Herodianorum (49). Tandem S. Hieronymus minime ambigens asseruit (50), Discipulos Judæ Gaulonitæ rogatum venisse Jesum Christum: *Licet ne censum dare Cæsari, an non?* Quibus Jesus: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

DISSERTATIO

De Baptismo.

TRIA Baptismatum genera in Sacra Scriptura distinguuntur, Judæorum, Joannis Baptistæ, & Jesu Christi. Primum illud sacra erat ceremonia, qua se ad sanctam aliquam actionem præstandam comparabant, sive maculam aliquam eluebant, sive ad recipiendum Proselytum parabant. Secundum Baptismi genus homines ad obtinendam remissionem peccatorum per criminum confessionem & pœnitentiam, a religiosa illa ceremonia non disiunctas, præparabat. Tandem Jesu Christi Baptisma & remissionem criminum & justitiam atque gratiam S. Spiritus conferebat; priora illa duo Baptismata summa quadam eminentia continebat, augebat, perficiebatque. Quare ut totum ejus meritum & excellentiam assequamur, abs re futurum non arbitror, si de duobus illis Baptismi generibus aliquid impræsentiarum agatur, quod in hac Dissertatione nostra suscipimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Baptismus Judæorum.

PUrgationes, lustrationes, & baptismata nullos uspiam in universo Orbe populus ignoravit; quæ enim omnium mentes tenebat de Summi Numinis majestate atque debita ad ejus cultum se conferentibus morum sanctitate, & puritate, opinio illud continuo dictavit, ut purgationem per balnea & lustrationes puri laticis, ignis, vel thuris exigerent. Judæorum tamen in ea re gens cæteris religiosiorem se præbuit. Ut sese recipiendæ a Deo Legi in monte Sinai, non sine ingenti Majestatis significatione descendente, compararent, accedere jussi sunt a Moyse ad radicem montis, lotis prius aqua corpore pariter & vestibus (51). Aaron, ejusque Filii non prius Sacerdotis munere fungi sunt permissi, neque sacris vestibus indui (52), quam puro latice corpus mundassent. Paria in consecratione Levitarum leguntur (53).

Maculæ omnes legales baptismate, & plerumque etiam sacrificio eluebantur. Sordes quoque naturales virorum & mulierum, tum & communia utriusque sexus incommoda (54), veluti lepra, voluntaria sive etiam invita seminis emissio, balneo mundabantur. Si quis impurum aliquod animal vivum, vel mortuum, sive impurum aliquem hominem tetigisset, eidem subdebatur legi (55): quod etiam cautum est de illo, qui tactu victimæ pro peccatis immolatæ (56), seu vaccæ die solemnis expiationis mactatæ (57), sive defuncti hominis (58), vel tandem rei alicujus impuræ contactu maculam contraxisset. Sed baptismata illa corporis quidem, non animi sordes eluebant. Alia non fuerat ejus disciplinæ instituendæ ratio; neque enim nisi abluendis legalibus maculis sancita erat.

Hujus cæremoniæ præstandæ hic erat ritus. Nudatum corpus aqua totum mergebatur; seorsum deinde lavabantur vestes; una simul cum vestibus se totos aliquando homines balneo infundebant. Nam & vestes sine corpore, & vicissim, nunquam ablui consuevisse, doctrina est Judæorum. Quare cum in Scriptura lavari vestes jubentur, lotionem pariter corporis præscribi censendum est; sicuti cum de corpore edicit, de vestibus etiam decernere putanda est.

Baptisma, quod vocant aspersionis, vel infusionis,

(45) Joseph. Antiq. l. 18. c. 12. p. 610. 611. (46) Joseph. Antiq. l. 18. c. 1. (47) Rom. XIII. 1. 2. & seq. Tit. III. 1. 2. & 1. Timot. II. 1. 2. (48) 1. Petr. II. 13. 14. 15. 16. 17. (49) Marc. VIII. 15. (50) Hieron. loc. cit. in Epist. ad Tit. III. (51) Exod. XIX. 10. (52) Exod. XXIX. 4. XL. 12. Levit. VIII. 6. (53) Num. VIII. 6. 7. 8. (54) Levit. XIII. 2. 34. XVI. 6. 7. & seq. (55) Levit. XI. 25. 28. XXII. 6. (56) Levit. VI. 27. 27. (57) Num. XIX. 7. 8. 21. (58) Num. XXXI. 24. XIX. 14. &c.

nis, penitus ignorabant; sicut & nullus fuit ejus usus in primordiis Ecclesiæ Christianæ, unice inhærentibus fidelibus consuetudini apud Judæos, cæterosque populos receptæ. Porro quæcumque hæc fuerint baptismata, derivata suspicamur e lustrationibus sive aspersionibus quibusdam sub Lege usitatis, neque apud Profanos ignotis; in quibus scilicet non raro totus cœtus lustrali aqua, vel sanguine victimarum expiationis aspergebatur.

Ejus ritus exempla spectantur apud Moysem in consecratione Sacerdotum (1); in Festo Expiationis solemnis (2); cum leprosus ob receptam valetudinem oblationem Templo infert (3): in sacrificiis solemnibus pro peccato Principis, sive populi (4): tandem in consuetis sordibus contractis, sive cum præsens spectaretur cadaver, sive cum funera lugerentur; quæ sane omnia aspersione aquæ lustralis, immisso cinere vaccæ rufæ, mundabantur Num. xx 12. & sequ.

Peculiaris est Baptismus Proselytorum. Eo nomine censebantur apud Judæos quicumque ad eorum sacra transiissent, vel saltem in regionem illorum domicilium transtulissent. Porro posteriores hi Proselyti neque ad circumcisionem, neque ad baptismum adigebantur: modo idololatriam ejurarent, & præcepta quædam, Noemo ejusque filiis post diluvium, uti quidem opinantur Hebræi, proposita, servanda susciperent. Appellabantur hi *Proselyti domicilii*, & alii ad sacra Judæorum transeuntes, *Proselyti justitiæ*. Recipiendo itaque *Proselyto Justitiæ*, hæc potissimum servabantur. I. Circumcisione, nisi antea illam accepisset, uti accipere consuevisse constat Samaritanos, Ismaelitas, ac Æthiopes, initiabantur: si circumcisione opus non erat, satis habebatur guttam aliquam sanguinis e loco circumcisionis educere. Aliquando tamen iteratam circumcisionem erga Samaritanos legimus (5).

Post obductum vulnus circumcisionis, Baptismate Proselytus abluebatur, quæ unica cæremonia locum circumcisionis in fœminis obtinebat. Porro aqua partes omnes corporis tangi ita necesse erat, ut siqua non ablueretur, nullum esset baptisma. Iterari cæremoniam illam, nefas; unicaque mersione illa peragebatur. Aderant huic cæremoniæ tres Judices constituti, quorum si unus abfuisset, nulla ejus baptismatis ratio habebatur. Liberi, si quos ante baptismum Proselytus generasset, ab hæreditario jure statim excidebant, nisi ipsi pariter & circumcisionem, & baptismum admitterent; cæteri vero postea nati Israelitæ censebantur, nec nisi circumcisione initiandi erant. Fœminæ prægnantes, quæ Baptismate abluerentur, in privilegii sui partem filium deinde nasciturum admittebant; ambo enim in cœtum Israelitarum adlecti censebantur.

De origine baptismatis non satis inter Rabbinos convenit, alii, uti Maimonides, a Moyse repetunt (6): remotioris antiquitatis auctumans Grotius in Matth. 3. 6. obtinuisse jam inde post diluvium, in memoriam expiati per aquas mundi, arbitratur. Sed nihil ea de re satis expressum in Lege Moysi universa; neque Baptismo initiatus Iethro ejusque familia (7), vel Ruth, vel Rahab, vel Achior, vel alius quicumque ex alienis, Judaicam professionem suscipientibus, uspiam occurrit. Narrans etiam Josephus Antiq. l. 13 c. 17. de Idumæis, quos invitos ad sacra Judæorum Hircanus traduxit, de circumcisione quidem illis imperata, nihil vero de baptismate refert.

Sunt qui crediderint, Judæos ritum hunc suum vel ex Ethnicis expressisse, qui mysteriis initiandos puro latice abstergebant; vel e Christianis, qui Religionem Jesu Christi profitentibus baptismi sacramentum unice necessarium esse docent. Verum Ethnicorum & Christianorum nomen Judæis invisum erat adeo, ut eorum disciplinam in suos mores transtulisse, nunquam credam. Quare facilius autumaverim, ejus cæremoniæ authores fuisse Pharisæos, qui post captivitatem Babylonicam plures, præter præscriptos a Lege, ritus moresque invexerunt: & baptismus ille, quem a S. Joanne Baptista in ripa Jordanis collatum, affluentibus undique Judæis, legimus, satis indicat, morem fuisse tum temporis in ea gente frequentissimum.

Porro Baptisma Proselytis collatum nobilissimis privilegiis donant Hebræorum Doctores. Docent enim, Proselytum eo ablutum, novam, cælitus immissam, recipere animam, novamque substantiæ suæ formam induere, ut in alterum hominem mutetur. Ita quos necessarios ante conversionem habuit, conversus deinde tamquam alienos respicit. Mancipia manumittuntur. Si liberis nullis post baptismum generatis decessissent, eorum bona primis occupantibus cedebant; qui enim ante Baptismum nati erant filii, illi ab avitæ hæreditatis jure excidebant. Denique e baptismatis lavacro emergentes, nasci iterum & ad novam surgere vitam dicebantur (8). Quo spectare visus est Jesus Christus, cum ad Nicodemum verba faciens, diceret Joan. 3. 10. oportere eos, qui Discipuli sui fierent, iterum nasci. Interroganti Nicodemo, nasci iterum senex qui posset? respondit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* idest, an nescis, Proselytos circumcisione & baptismate iterum nasci?

De necessitate tamen hujus baptismatis, ejusque privilegiis non prorsus inter Rabbinos convenit. Maimonides necessarium judicat, sed necessitate præcepti, cujus ex mandato *Domus judicii* præscripta est executio. Alii vero Doctores Maimonide mitiorem doctrinam sectantur. Legitur in Gemarra (9), eos qui circumcisione quidem, non baptismo initiantur, sicut vicissim baptismo & non circumcisione, Proselytos haberi posse; quod Patres nostri, inquit, circumcisionem quidem, non baptisma obtinuerint, & vicissim matres nostræ baptismate tinctæ, nulla circumcisione, quam recipere non poterant, initiatæ sint.

Privilegia Proselytorum pro viribus extenuare nituntur Rabbini recentiores. I. Proselyto viri alienigenæ macula alte imbibitur, ut ne longo quidem sæculorum spatio tollatur. II. Omnibus, qua civilibus, qua militaribus muneribus in Israele obtinendis impares fuisse illos defendunt. III. Mulieris Proselytæ interdictę erant cum Sacerdote nuptię. IV. Filii Proselyti, ex Ethnica uxore geniti, de matris vitio Ethnici censebantur. V. Si Proselytis ęterni Regni fores reserantur, in Paradisum tamen non prius recipiuntur, quam in Infernis XII. mensium spatio supplicia toleraverint; illis enim vitio vertitur, quod adventum Messię retardaverint, & perinde habentur quasi *Scabies Israelis* (10). Credunt etiam, pessima illorum habitudo, atque sanctionum Legis ignoratio corruptionem in Israelem invexisse.

ARTICULUS II.

Baptismus S. Joannis Baptistæ.

POst exactam xxx. annorum ætatem in eremo, in summa vitæ afflictatione atque virtutum

om-

(1) Exod. xxix. 21. Levit. viii. 11. (2) Levit. xvi. 14. 15. 19. xix. 4. &c. (3) Levit. xiv. 7. 16. 51. (4) Levit. xvi. 2. 3. 4. 5. 6. 17. (5) Epiphan. de ponderib. & mensur. p. 172. (6) Vide Ligfoot. Hor. Hebr. 41. (7) Asserit Talmud lib. de repud. sed nullum ejus dicti argumentum affert. (8) Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l. 2. c. 2. 5. & l. 1. de Synedr. c. 3. Hammond. & Ligfoot. (9) Gemar. tit. Jabimoth c. 4. (10) Vide Basnage, Histoire des Juifs, liv. 7. chap. 9. art. dernier. Axioma est Hebræorum; *Proselyti sunt noxii Israeli, sicut scabies.*

omnium exercitio, succurrit tandem S. Joanni Baptistæ, ut propius ad Jordanem accedens, e regione Jerichuntis se constitueret, tamquam novum Eliam sese exhibens, zelo nempe & austerioris vitę imitatione (t), ac tandem ipso externo corporis indumento sanctum illum Prophetam referens. Eo igitur habitu & apparatu nunciandam suscepit pœnitentiam, dicens, appropinquasse jam Regnum Cœlorum, nempe Messiam, tanta sæculorum expectatione desideratum, esse jam in limine; Messiam scilicet, cui Deus *dedit potestatem & Regeum, & omnes pepeli, & Tribus & linguæ servient; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnem ejes quod noe corrumpitur* (a). Adjecit, Principem sæculi mox venturum, & faciem suam gentibus ostensurum. Deum populi sui criminibus provocatum in ultionem tuere, ipsamque ad radicem arboris securim positam esse. Verba sancti Præcursoris, quibus sanctissimi viri exempla & virtutes vim addebant, adeo ubique Judæos commoverunt, ut a Jerosolymis & ab omni undique regione confluentes, ad recipiendum baptisma, exomologesim criminum faciendam, tum & ad accipiendas ejus institutiones venirent. Excipiebat ille omnes, monens, ut dignos pœnitentiæ fructus præstarent; ad Deum non simulato mentis affectu converterentur; omniumque tandem conditioni accommoda præcepta tradebat.

Nihil frequentius tum temporis, quam baptisma, quo in aqua fluente mersum corpus abluebatur: obtinebat id maxime apud Judæos, quemadmodum etiam supra demonstratum est. Quare missi sunt ad illum Legati a Sacerdotibus & Optimatibus gentis suæ, quæsituri, cujus auctoritate baptisma conferret (3). Nihil illi interrogandum censuerunt sive de ipso baptismate, sive de ejus virtute, rati nihil a consueto apud Judæos Baptismate differre. Fatebantur, ejusdem conferandi baptismatis facultatem, Christi, Eliæ, vel Prophetæ alicujus potestati reservari, quin ab alio authoritatem illam reciperent; jus etiam illius reservatum esse Sacerdotibus rebantur, quippe quos dignitatis character in tantæ culmine potestatis constituisset. Quibus cum Joannes neque Christum se, neque Eliam, neque Prophetam esse fateretur ingenue, nec tandem a cœtu Sacerdotum, e Sacerdotali alioqui familia natus, missus esset, collegerunt illi: *Quid ergo baptizas?* Hisce interrogationibus nil aliud reposuit Joannes, quam vocem se esse Isajæ Prophetæ, clamantem in deserto: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (4). Adjecit, se quidem aqua baptizare, medium vero ipsorum, ignotum licet, versari illum, a quo mox baptisma S. Spiritus & ignis conferendum erat.

Porro baptismati S. Joannis duo erant peculiaria. I. Quod cæremoniam illam præcederet pœnitentia, dolor nempe, & commissorum criminum execratio, opera satisfactoria, & vitæ ad meliora traductio. II. Baptismate abluti simul crimina sua fatebantur; cum enim corporis totius ablutio frequentissima esset apud Judæos, integrum erat cuique contractam aliquam maculam simplici eo ritu abluere. Sed quæ a Joanne præstabatur lotio, perfectior erat ceremonia, quæ media inter Baptisma Judæorum & Jesu Christi constituta (5), ex altero ad alterum duceret, & ritum hunc Judæorum perfectione vinceret, quamquam ab altero Christi vincebatur.

Tria hic de eodem Baptismate quæruntur. I. An remittendorum criminum virtus ipsa esset ejusdem baptismi Joannis prærogativa, vel tantum simplex haberetur præparatio ad Baptisma Jesu Christi recipiendum. II. An pœnitentia, quam S. Joannes nunciabat, merus esset de peccatis dolor, & ægritudo, intimus dolentis animi sensus, qui in externas actiones afflictationis & operum pœnalium non prodiret. III. Tandem an criminum confessio de singulis fieret, ut numerus, & culparum natura panderetur, vel generatim se peccatorem fateri sufficeret.

Inter baptisma Joannis & Jesu Christi, magnum a SS. Patribus (6) discrimen constituitur; quod enim illud tantum promittebat, alterum exequebatur; & ad Baptisma Jesu Christi collatus a Joanne Baptismus animos hominum parabat; sicut etiam præcepta a Joanne criminum exomologesis baptismo præmittebatur, ut ad Jesu Christi alterum via strueretur. Viam enim parasse Joannem ad Christum, ait S. Chrysostomus: id postulasse lotione sua Præcursorem, quod nonnisi a Servatore concedendum erat, ait Tertullianus. Post baptisma Joannis, necessarium adhuc supererat Jesu Christi baptisma ad criminum remissionem impetrandam, ait S. Augustinus (7): *Quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spem remitterentur peccata; reipsa vere in Domini baptismo id fieret.* Et alibi (8): *Non enim renascebantur, ait, qui baptismate Joannis baptizabantur, sed quodam præcursorie illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domino; huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur.*

Quam vero prædicebat Joannes pœnitentiam, non in solo criminum dolore constituendam esse, ipse satis innuit illis ad Pharisæos verbis Matth. 3. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Frustra enim hæc omnia obtenderetis; frustra aquarum hoc latice abluemini, nisi dignos pœnitentiæ fructus promatis. Qui autem sunt pœnitentiæ fructus, nisi corporis afflictationes, jejunia, labendi in peccata discriminum fuga, opera pœnalia, cilicia, accubatio in cinere, lacrymæ, execratio vitiorum omnium, & voluptatum? id enim de pœnitentia Scripturæ & Patres docent. Hisce sibi veniam criminum suorum David obtinuit 2. Reg. 12. 16. Psal. 50. hisce Ninivitæ imminentem in caput suum ultionem averterunt (9); Esther & Mardochæus latum adversus Judæos in tota Assueri ditione sparsos edictum suppresserunt (10). Ita luget Daniel cx. 3. crimina populi sui; nec aliam regrediendi ad Deum viam Joel 2. 11. Israelitis constituit. Tandem nihil aliud ingessit S. Joannes in tota vitæ serie, nihil in exteriore corporis sui habitu præsetulit, ait S. Joannes Chrysostomus hom. x. & xi. in Matth.

Porro homini lethaliter vulnerato non satis est ferrum e vulnere educere, nisi pariter opportuna vulneribus obducendis remedia afferantur. Ita pariter, ait idem hom. 10. non satis est commissi antea criminis consuetudinem præcidere, sed bona malis opponenda sunt, & bonorum operum fructus promendi. Aliena rapuisti? eleemosynis de-

(t) 4. Reg. 1. Matth. III. (a) Dan. VII. 14. (t) Joan. 1. 19. an. 25. (4) Isai. XL. 3.
(5) Chrysost. tom. 1. hom. 34. pag. 312. Tὸ δὲ τ̃ Ιωάννȣ τ̃ Ιȣδαϊκȣ̃ σοφȣ̃ὰ ὑψηλότερον ἦν, τ̃ δὲ ἡμετέρȣ ταπεινότερον, καθάπερ γέφυρά τις ἦν ἑκατέρȣ τȣ́τȣ τȣ̃ βαπτίσματος, ἀπ' ἐκείνȣ πρὸς τȣ̃το δι' αὐτȣ̃ χειραγωγȣ̃.
(6) Chrysostom. homil. 10. & 11. in Matth. & hom. 24. primi tomi, pag. 310. 323. Tertull. lib. de Baptism. pag. 230. Agebatur itaque baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsequuturæ. Vide & Ambros. in Psal. CXVIII. num. 9 *Ante igitur unaquæque anima quasi ad Baptismum S. Joannis venit, ut præmittat pœnitentiam delictorum.* Vide & Authorem Quæstion. ad Orthod. apud Justin. qu. 32. Hilar. ad Matth. III. 2. Origen. in Joan. tom. 5. *Regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos fiebat.* (7) August. lib. 5. contra Donat. cap. 10. *Joannes tali Baptismo perstinguebat, quo percepto esset Baptisma etiam Dominicum necessarium.* (8) Enchirid. de Fide, Spe, & Charitate, p. 49. (9) Jonas III. 6. 7. 8. (10) Esther IV. 1. 2. 3. 16. 17.

de tuo censu factis malum bono compensa. Illicita admisisti? abstine pariter & a licitis. Geminum apud alios Patres (11) legas; uno enim Sancti omnes assensu pœnitentiæ exercitium non verbis tantum, sed etiam operibus & exemplis demonstrarunt. Frustra vero quis obtenderet, verbum Græcum, quo usus est Evangelista (12), ægritudinem animi & intimum doloris sensum designare; latiori enim significatione vox illa a tota Christiana Antiquitate usurpatur; quæ sane Græcas literas non minus saltem, quam novi Evangelii Reformatores, callebat. Cum intimo cordis dolore pro commissis a se criminibus anima tenetur, non illi plane succurrit, ut de significatione vocum cogitet; sed impetum cordis lecuta, commissa a se in Deum crimina execratur; nec tantum vitat scelera, sed rapitur tota in oppositæ virtutis exercitium. Sincera cordis conversio priorem criminis amorem excutit omnem, scelus fugit, virtutem amat & justitiam, quibus colendis assidua exercitatione non lassatur.

Quam vero exigebat S. Joannes, criminum confessio non ita reputanda est, quasi confusa quædam esset declaratio, qua se peccatores viri illi prodebant; nec id tantum præstabatur ab illis, ut confusa quadam accusatione peccasse se dicerent cogitationibus, verbis, operibus, omissione, quemadmodum pluribus Scriptoribus persuasum est; sed luculenta & distincta de singulis criminibus contra Legem admissis confessio censenda est. Hanc pariter confessionem præstabant Israelitæ, manum capiti victimarum, quas pro crimine offerebant, imponentes (13). Crimina pariter sua & aliorum Sacerdotum fatebatur Summus Sacerdos die Expiationis solemnis (14). Quam pariter de cæteris Israelitis decies confessionem iterandam fuisse (15), docent nonnulli. Prima in pervigilio ad vesperam & ante cœnam; altera succedebat primo mane; totaque deinde die octies repetebatur, ut omnes simul decem confessiones efficerent, cum decies Summi Sacerdotis ore, solemni illa die, Dei nomen pronunciaretur. Generatim autem asserit Maimonides, crimen non remitti, quod ipse reus suo ore prius non fateretur.

Legimus in Actis Apostolorum XIX. 18. Gentiles ad Fidem venientes, ante pedes Apostolorum crimina a se commissa fateri consuevisse: *Multi credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos*. Suadet etiam Fidelibus S. Jacobus v. 16. ut *confiteantur alterutrum peccata sua*. Similem, ac apud nos obtinet, confessionem servant Judæi, cum ad mortem ægrotant (16). Rudioribus quidem præscripta est generica quædam formula confessionis, quam recitent; cæteris vero peccata sua singillatim exprimenda sunt. Novo etiam ineunte anno crimina sua confitentur, in vase aqua pleno mersi. Formulam habent confessionis, XXII. sententiis elementari literarum ordine digestam, & ad singula confessionis capita vir aliquis coram adstans, pœnitentis caput aqua mergit, simulque pœnitens ipse pectus dextera manu plangit (17).

Alterutrum etiam crimina sua confitentur die Expiationis solemnis, hoc ritu (18). Cum duo ex Judæis in angulo Synagogæ sese receperint, alter coram altero pronus & curvus, faciem habens ad septemtrionem versam, eo corporis habitu perseverat; interim alter supplicis dorsum cædit XXXIX. ictibus flagello coriaceo, hæc interim verba obmurmurans e Psalmo LXXVII. 38. *Deus misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos: & abundavit ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam*. Quæ Psalmi sententia cum XIII. tantum vocibus constet in Hebræo, ter repetenda est, ut singulis vocibus respondentes ictus numerum XXXIX. expleant. Interim supplex pandit crimina sua, pectus ad singula tundens. Ita expiatus surgit, & coram se pronum alterum habens, quod ab ipso recepit officii, illi pariter rependit.

Ex his, quantum arbitror, satis aperte intelligitur, disciplinam fatendi singillatim peccata sua coram homine, ab ipsa Apostolorum ætate derivatam esse, quæ deinde non interrupta successione ad nostram ætatem transmissa est. Quare nonnisi verisimilia comminiscuntur, qui tradunt, confessionem criminum a S. Joanne indictam, ejusdem esse cum nostra disciplinæ; quod pariter & Patribus, & optimis quibusque Interpretibus persuasum est. Diserte admodum ea de re Author Operis Imperfecti in Matthæum, homilia III. *Confessio peccatorum est testimonium conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri; qui autem non erubescit, non timet*. S. Joannes Chrysostomus (19): *Tempus Confessionis æque & lotis baptismate & illotis profanisque incumbit: illis quidem, ut post patentia criminum vulnera pœnitentia interveniente curentur, & ad sacra mysteria redire teneantur [nempe ad baptismum]. His vero, ut ablutis in baptismate maculis, ad Dominicam mensam munda jam conscientia accedant*.

Grotius in eumdem locum contra suorum opinionem, de confessione dictum exponit; ait enim: *Quod autem disputant viri Eruditi, an dictis legibus Levitici & Numerorum exigatur tantum confessio ad Deum, & eum cujus interest, an vero etiam apud Sacerdotem; ea de re probabilis maxime videtur eorum sententia, qui existimant, etiam apud Sacerdotem factam aliquam particularem culpæ confessionem, in iis, quæ cognita capitis pœnam non adferebant; in cæteris suffecisse generalem; eumdemque morem etiam multo liberius ac religiosius observatum credibile est a Judæis, qui ad Baptistam optimæ fidei hominem, nec Sacerdotem tantum, sed Prophetam, accedebant*. Remittit denique Lectores ad Maldonatum, Jansenium, Estium aliosque Catholicos Interpretes in caput III. Matthæi.

Quibus verbis concepta esset formula baptismi S. Joannis, quærunt Scholastici (20); est enim in Sacramentis singulis sua requirenda materia & forma, quibus veluti Sacramenti corpus compingitur. Sunt qui nullam peculiarem formam in eo baptismo adhibitam defendant; quo vel unico defectu e Sacramentorum censu cæremonia illa expungenda esset. Malunt alii (21), collatum fuisse baptisma in nomine Christi futuri, quod congruentibus multis rationibus fulciunt. Nec sane certa ejus rei argumenta petenda sunt, de qua nihil sive in Sacra Historia sive in Scriptura legimus.

Joanne vita functo nec ejus Baptisma, nec ejus Discipuli cessarunt evanueruntque. Ex illis quidam ad Jesum venientes, ejus se disciplinæ instituendos tradiderunt; nec aliud sane optasset Joannes, nisi ut Discipuli sui omnes ad Jesum transirent, quemadmodum satis demonstrat missa ab eo, dum in carcere detinebatur, aliquandiu ante obitum, ad eumdem Jesum legatio (22). Aliis visum est in annuncianda pœnitentia, & facile etiam conferendo baptismate perseverare; a quo munere abstinuisse illi, Joanne superstite, creduntur (23). Constat autem, nullum habuisse a Joanne

(11) Vide Justin. Dial. & alios. Lege Grot. ad Matth. III. 2. (12) Matth. III. 2. Μετανοεῖτε. (13) Levit. V. 5. Num. V. 7. (14) Levit. XVI. 2. 11. (15) Buxtorf. Synag. cap. 20. Morin. de Pœnit. lib. 2. cap. 22. lib. 5. cap. 35. 36. (16) Buxtorf. Synag. cap. 35. (17) Idem cap. 18. (18) Buxtorf. Synag. cap. 20. (19) Chrysost. in Matth. hom. 10. Vide hom. 28. S. Basilii de Pœnitent. (20) Scot. Dist. 2. qu. 2. art. 1. Durand. Gabr. Franc. Suarez. (21) D. Thom. 3. par. qu. 38. art. 6. ad 5. Et alibi multi. (22) Matth. XI. 1. 2. 3. (23) Cyrill. tract. 2. in Joan. cap. 57. August. tract. 5. in Joan. & lib. 5. de Baptismo cap. 13.

præceptum, ut in conferendo baptismate perseverarent, norat enim ille, mox proditurum Messiam, a quo baptisma illud abrogandum esset. Verum, injussi licet, accedentes ad se abluebant, non in Judæa modo, sed per universas regiones. Ita Apollo Alexandrinus, vir doctus, & Christianæ doctrinæ studiosissimus, xx. annis post obitum Jesu Christi Ephesum venit, nihilque aliud tum temporis norat, quam baptisma Joannis Act. xviii. 25. Plures etiam ex Ephesiis, cum eo loci Paulus Apostolus post Apollo venisset Act. xix. 1. nonnisi eo baptismate initiati erant; nec de S. Spiritu, qui baptismate Jesu Christi conferretur, aliquid norant.

Narrant insuper, hodie etiam in Oriente (24) audiri Discipulos S. Joannis Baptistæ, quos *Sabi* appellant; sed numero esse infrequenti, atque in Arabia, Perside, & secundum litus Sinus Persici dispersos. Originem suam e Chaldæa retulerunt, & ex discipulis, uti quidem creditur, Zoroastri, cujus plures adhuc retinent opiniones. Porro illi baptismate S. Joannis initiati, atque dogma e Christianis doctrinis ritibusque Judaicis constantes, male compactum Religionis corpus constituerunt, cui deinde ex commentis Mahometi pejor accessio facta est. Nomen S. Joannis usurparunt, quod authorem ritus, dogmatis, librorum suorum jactitent S. Joannem Baptistam, unde & ipsi pariter glorientur titulo Discipulorum S. Joannis. Iterant quotannis Baptisma ejusdem S. Joannis, quem unicum habent, una cum utroque ejus parente, Sanctum votis & thure colendum. Ejus Præcursoris tumulum constituunt juxta *Chuster*, urbem Metropolim Regni Chusistan, quem locum frequenter *Sabi* turba incolit; ibidemque Jordanis fontem statuunt.

Jesum Christum non quidem Dei Filium, sed tamquam Prophetam, ipsumque Spiritum Dei agnoscunt; quod in ipsos ex Mahometanis derivatum non inviti credimus. Crucem venerantur ad superstitionem usque. Liber est apud illos sacer, quem *Divan* inscribunt. Legitur in eo Deus corpore constare, cujus Filius Gabriel patri suo veluti instrumentum in creatione Mundi exhibuerit. Stare pariter e nihilo jussi sunt Angeli, & Dæmones, corpore & sexu discreti, quibus per generationem est propagatio. Fertur, moris esse apud illos consecrare panem vino oleoque subactum, quem supplicationis quadam specie circumlatum postea comedunt.

Ex patre in filium derivata apud illos est Episcoporum, & Sacerdotum successio; offerre autem pullum gallinaceum in ripa fluminis, Sacerdotale munus est; sicut & semel quotannis mactari apud illos aries narratur. Baptisma illud, quod singulis annis iteratum diximus, sive aspersione sive immersione ad arbitrium, Dei unius nomine confertur; neque enim sive Filium, sive Sanctum Spiritum agnoscunt. Connubia Sacerdotum cum virgine puella permittuntur; atque in lustrationibus legalibusque maculis eadem apud illos ferme, quæ apud Judæos, obtinet superstitio. Polygamiam admittunt; novasque celebraturi nuptias, ambo conjuges in flumento baptizantur. Ex his omnibus, quantum arbitror, colligimus, Christianos illos neque Judæos, neque Idololatras, neque Mahometanos reapse habendos, qui recepta forte ab exordio Christianæ veritatis semina, ignorantia & superstitione corruperint. De Sabiis sive Christianis S. Joannis vide du Bulai de Gouz pag. 280. 285.

Calvinus, & Beza, cæterique illorum clientes (25) defendunt, Baptisma S. Joannis nihil a Baptismo Jesu Christi discrepasse, ut quicumque priori ablutione mundati essent, novam deinde nullam admitterent. Utrumque enim æque ad Jesum Christum spectasse animadvertunt, utrumque symbolum fuisse pœnitentiæ, & remissionis peccatorum. Ab illis, quos baptismo S. Joannis initiatos nactus est, Apostolus nihil exegit aliud, quam ut in Jesum Christum fide magis expressa crederent, quo sibi veniam peccatorum promererentur. Addunt insuper, Jesum Christum nullo alio initiatum fuisse baptismate, quam Joannis; quare si postrema hæc cæremonia altera a Baptismate Christi statuenda esset, Christi nos lavacro non ablueremur.

Sed major est constituta ab Evangelio inter duo hæc Baptismata discrepantia, quam ut in unum confundantur. Primum illud aqua conferebatur, comparandis ad pœnitentiam animis; secundum in Sancto Spiritu, & igne datum constat Matth. III. 11. Ad hæc, S. Lucas non obscure prodit, ablutos lavacro S. Joannis, novo iterum baptismate expiatos fuisse: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu* (26). Nec sane nisi per summam impudentiam Textus ille verti potest, quemadmodum ab illis præstitum est: *Et audientes* [Joannem Baptistam] *receperunt* [ab illo] *Baptisma Domini Jesu*. Adventum Messiæ prædicasse Joannem, tam certo constat, quam collatum ab illo in nomine ejusdem Messiæ baptismum, ambiguum est & incertum. Sophisticum est autem, quod ab illis conflatur, argumentum, nimirum non recipere nos Baptisma Jesu Christi, si altero lavacri genere, ac ille, abluimur. Fatemur enim, nos altero initiatos esse baptismate; sed illo tamen abluti sumus, quod Jesus Christus instituit, injunxitque. Neque enim, ut baptisma Joannis reciperemus, sive facta alicujus promissionis spe, sive præcepto aliquo imperavit; injunxit tamen, ut secundo illo tingeremur, fidem suam obligans, omnia se nostra crimina condonaturum (27).

ARTICULUS III.

De Baptismate Jesu Christi.

NOn unica dissertatione, sed pluribus opus esset voluminibus, siquidem omnia discutienda essent, quæ ad baptisma a Jesu Christo institutum pertinent. Ne latius etiam hoc in campo spatiemur, prohibent, quos nobis præscripsimus, angustiores hujus lucubrationis limites. Sat igitur habebimus, si adjuncta discusserimus baptismi, quo a Præcursore Jesus Christus ablutus est; in examen pariter revocantes verba illa ejusdem viri sanctissimi de Christo: *Ipse vos baptizabit in spiritu Sancto, & igni* Matth. 3. 11. Hinc dissertationi nostræ modum constituimus, ne a Textu S. Matthæi, quem suscepimus exponendum, longius abducamur.

Confluentibus undique turbis ad baptisma S. Joannis, ambigentibus etiam nonnullis, num venisse promissum Messiam in Viro illo crederent, venit pariter ad ejus baptismum Jesus, Quem vix prospiciens Joannes, tingere illum recusavit, dicens, se potius ab illo baptizandum. Cui Jesus, absisteret dixit; ad se enim pertinere, omnem implere justitiam: tum aquæ fluenta ingressus, ad sacram se cæremoniam comparabat. Sed ecce, quo loco peccatorum suorum exomologesim cæteri faciebant, ille, vix aquis manu Joannis mersus, cum ex aqua egrederetur, hiscens supra se Cœlum spectavit. Tum & descendere visus est supra ejus caput in columbæ specie Spiritus Sanctus, atque audita subita de Cœlo vox: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* Matth. 3. 17. Ita factum est, ut specimen illud

(24) Chardin, Voyage de Perse, t. 1. p. 307. & suiv. Gouvernement politique des Perses. (25) Vide Calvin. & Bezam in Act. xix. 4. 5. Ligfoot. alios. (26) Act. xix. 4. 5. Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. (27) Matth. xxviii. 19. Marc. xvi. 16.

illud humilitatis in argumentum laudum ex testimonio Joannis Baptistæ, in admirationem turbarum, in gloriam tandem Jesu Christi ex Dei Patris majestate, & S. Spiritus ubertate verteretur.

Dubitarunt alii (28), num S. Spiritus in columbæ specie supee Jesum descenderit, cum Textus habeat tantummodo (29): *Vidit Spiritum descendentem, sicut columbam*, idest, rapide, & impetu quodam descendentem, instar columbæ, rapide, si qua alia avis, volantis. Maluerunt alii (30), verticem quemdam flammarum instar columbæ capiti Jesu egredientis ex aquis insedisse, quemadmodum simili flammarum specie Spiritus S. in Apostolos die Pentecostes illapsus est. Universa tamen Antiquitas (31) de columba ave locum illum interpretata est, de columba, inquam, advolante, quam præsens quisque inspexerit. Descendit illa veluti e cava nube fulgur, tanto omnia illustrans splendore, ut Cœli ipsi, juxta Evangelistæ phrasim, hiscere viderentur. Vulgo enim, cum subitus aliquis fulgor, vel emissum e Cœlo fulmen oculos perstrinxerit, Cœlum patere dicitur (32).

Non defuisse ætate sua aliquos, qui crederent, S. Spiritum columbæ corpus assumpsisse, quemadmodum Jesus Christus humanos artus induerat, innuere videtur S. Augustinus Tract. 99. in Joan. *Qui ergo dicit, columbam ad unitatem personæ Spiritui S. fuisse conjunctam, ut ex illa & Deo una Spiritus S. persona constaret*, &c. Candenti nitore fulsisse columbam illam, legunt Lactantius, & veteræ quædam Græca Exemplaria. Verum ex duabus hisce opinionibus prior, quæ S. Spiritum columbam sibi in societatem personæ assumpsisse autumat, audacior est, quam ut falsitatis evinci mereatur.

S. Justinus Martyr, veteri facile traditione instructus, docet in Dialogo cum Tryphone, super ipsas amnis aquas quamdam ignis speciem emicuisse; & de eodem Christi baptismate hæc in Nazaræorum Evangelio leguntur (33): *Factum est autem, cum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Sancti Spiritus, & requievit super eum, & dixit illi: Fili mi, in omnibus Prophetis expectabam te; tu es enim requies mea, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum.* Evangelium Ebionitarum, ipsum plane Opus ac Evangelium Nazaræorum vel Hebræorum, habet (34): *Vidit Spiritum Sanctum columbæ specie descendentis, & eo in loco lux ingens affulsit.* Paria legas in Liturgia Syrorum, ubi de eodem baptismate est sermo. De igne eadem occasione emicante, simile legas testimonium in opere apocrypho de prædicatione S. Petri (35). Vetus Ms. S. Germani Pratensis hæc habet: *Et cum baptizaretur Jesus, lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes qui congregati erant*, &c. (36). Juvencus Presbyter, qui sub Constantino florebat, eadem in carmina suo refert:

Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas.
Surgenti manifesta Dei præsentia claret.

Addunt alii plures, (37) ingenti tunc Cœli tonantis fragore adstantes omnes fuisse concussos; de tonitru enim exponunt, quod de voce audita legitur. Et sane familiare est Scripturæ, ut *vocis Cœli* nomen pro tonitru usurpetur. In medio autem tonitru vocem prompsit Dominus, uti olim in Sinai Exod. xx. 18. Ita pariter, cum Jesus Christus Patrem postularet illis verbis, *Pater clarifica nomen tuum*, subitam e Cœlo factam Jo. xii. 29. *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Strepitum vocis audientes turbæ, tonitru esse putavere; sed qui attentius audierunt, loquentis Angeli vocem audire sibi visi sunt. Et in historia S. Pauli Act. ix. 7. legitur, eos, qui Paulum comitabantur, perculsos fuisse voce sive tonitru quodam, loquentem neminem vidisse. Fulgur quoque ea occasione circumstantium oculos perstrinxisse, quamquam loquentis vocem non audirent, Act. 22. 9. narratur; quæ sane in speciem pugnantia testimonia facile conciliantur, si confusum quiddam veluti strepitum & tonitru audisse quidem illi, sed distinctas loquentis voces non percepisse credantur. *Bath kol*, nempe filiam vocis, sive filiam tonitru, appellant Hebræi revelationem traditionis, quam Moysi *in* monte Sinai inter media tonitrua & fulgura factam esse putant.

Porro hæc, quæ de fulgure, tonitru, voce Patris, & illapsu S. Spiritus in columbæ specie narrantur, egregie cum illo S. Joannis oraculo constant: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; idest, sicut ego vos aquis mergo, ut ad recipiendam criminum expiationem comparem; ita ille Sancti Spiritus fluenta in vos derivabit; sacrisque vos ignibus incendet, ut Joelis illud 2. 28. impleatur: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; & senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.*

Quid baptisma S. Spiritus designet, inter Veteres Recentioresque satis convenit. Docent nimirum illi una sententia, per baptisma rite susceptum S. Spiritum in corda Fidelium illabi; cujus deinde Spiritus plenitudinem Sacramentum Confirmationis in nostra pectora derivat. Lavacro baptismatis mundamur, & ad puriorem sanctamque vitam renovamur; Confirmatione perficimur, & in accepta gratia confirmamur, novo pariter robore aucti, ut & adversariis salutis omnibus resistamus, & audacter Dei nomen confiteamur. Sed de Baptismate ignis varii varia sentiunt.

Manere nos Baptismum ignis die Judicii, docet S. Hilarius in Psal. cxviii. num. 5. & 12. Cum enim aquæ lavacrum eximiæ morum puritati conferendæ, qualis ad ingressum Regni Cœlorum exigitur, impar habeatur, quidquid reliquum fuerit sordium, absterget ignis Judicii, quo veluti scoria purgati, Cœlo digni inveniamur. In ipso Paradisi limine ministrandum Baptisma illud arbitratur S. Ambrosius in Psalm. cxviii. 11. &c. in limine enim hujus Paradisi constituit ille gladium igneum, quem Genes. 3. 24. positum legimus in ipso Paradisi terrestris aditu, post commissum ab Adamo crimen. Machæram illam stringet S. Joannes Baptista, ejusdem ignei baptismatis minister. Porro lex illa mortalibus omnibus indicta, neminem eximet, adeo ut ipse S. Petrus, S. Joannes, aliique viri SS. illius severitatem pro merito gestorum suorum sint experti. Clamabit clara voce Præcursor iis, quibus nonnisi levia quædam errata manent expianda: *Intrate, qui præsumitis, qui ignem non timetis.* Transibunt illi per medium ignem, nullum doloris sensum experti, quidquid enim in illis scoriæ fuit, ignis charitatis jam absumpsit.

Origenes Hom. 3. in Psal. xxxvi. & hom. 24. in Luc. & Lactantius Instit. lib. 7. cap. 21. in ipso

(28) Hammond. Le Clerc, Bochart. Ligfoot. Brug. (29) Εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν. (30) Grot. Vide & Bochart. (31) Tertull. de carne Christi; August. de Agone Christiano, cap. 22. Justin. Dialog. cum Tryphone; Origen. D. Thomas. (32) Vide Auth. Oper. Imperfect. Hieronym. hic, & in Ezechiel. 1. Maldon. Spanh. (33) Apud Hieron. lib. 4. Comment. in Isai. c. 11. (34) Apud Epiph. hæresi 30. num. 13. Ἐν αὐτῷ ἡ ἰδὼν περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα. (35) Citatur in tractatu de baptismo hæreticorum, inter Opera Cypriani. (36) Apud Martianæum, nov. edit. Evangel. secundum Matth. (37) Hieron. seu alius Author Comment. in Psalm. xxxvi. 17. *Eo tempore, quo Deus locutus est, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, facta est vox tonitrui rota similis.* Vide Euthym. & alios in Psalm. xxviii. 3. & Hammon. hic.

Cœli aditu ignem statuentes, per medias flammas transitum omnibus arbitrantur manere; facto tamen viris sanctis privilegio, ut illæsi, quin & viam dantibus flammis, traducantur. Observat idem Origenes Homil. 24. in Luc. Jesum Christum, in ripa fluminis ignei stantem, obvios baptizaturum; non tamen indiscriminatim omnes: qui enim aquæ & Sancti Spiritus baptisma nunquam receperint, qui recepto renunciaverint, illos a secundo hoc baptismate excludet, adeoque a beatitudine, quo nonnisi per ignem aditus est, nisi forte quis ea morum sanctitate micuerit, ut nullo indigere piamine deprehendatur. Nam, ait hom. 2. in c. 11. Jerem. si quid remanet sive ligni, sive paleæ, sive fœni, per ignem traducendum est.

S. Hieronymus (1) duas refert interpretationes in illud S. Joannis: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni:* sive enim, ait ille, ignis nomine S. Spiritus designatur, qui flammearum linguarum specie assumpta super Apostolos delapsus est die Pentecostes; sive nos in hoc mundo Baptismo Spiritus abluti, in altera vita igneo expiandi sumus. Quibus verbis non obscure innuit Veterum illam opinionem, supra a nobis relatam. Porro hæc de igne alterius vitæ, Origenis, S. Ambrosii, S. Hilarii & S. Hieronymi opinio ex illis Apostoli 1. Cor. III. 13. 14. 15. repetitur: *Si quis superædificat super fundamentum hoc* [Jesu Christi] *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit quasi per ignem.* Hunc ignem Patres posteriorum sæculorum & Scholastici *Purgatorium* appellarunt.

Author Operis Imperfecti in Matth. homil. 3. ignis nomine reddidit ærumnas, mala, tentationes, quibus viros pios Deus in hoc mundo exercet. Observat ille hom. 5. Jesum Christum aqua Baptismatis lotum esse S. Joannis ministerio; Baptismate S. Spiritus opera Patris Æterni, ac tandem ignis in iis, quæ Spiritus mali invidia toleravit in deserto. Contraria omnia placent S. Joanni Chrysostomo in Matth. homil. XI. cui ignis est redundans gratiarum, bonorum, & supernaturalium voluptatum ubertas. De igne Inferni reddunt S. Basilius contr. Eunom. lib. 5. & Theophylus Antiochenus libro I. Malunt alii, designari a Joanne illapsum S. Spiritus, ignearum linguarum specie, super Apostolos (2); quam posteriorem sententiam probant Interpretes.

Irrepsisse in Textum hanc vocem *igni*, aliqui suspicantur; neque enim legitur sive in Marco I. 8. sive in Joanne I. 33. extat tamen apud Lucam III. 16. unde in Textum Matthæi derivatam autumant. Constat sane deesse in plurimis Mss. Matthæi (3). Omittitur pariter in editione Complutensi. at legitur in Syriaca, Cophtica, Arabica, Persica, Æthiopica, S. Cypriano, Hilario, Origene, aliisque Patribus; ac tametsi a Matthæo abesset, constanter tamen retinenda est, nemine ambigente, apud Lucam. Quare integra manet difficultas; neque enim minus ad fidem valet Lucæ, quam Matthæi authoritas.

Ignis nomine exorcismos, Baptismum præcedentes, designatos autumat S. Augustinus in Psal. LXV. 11. 12. *Unde plerumque*, ait, *immundi Spiritus clamant: Ardeo; si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad Baptismum.* Proclivio-rem aliam interpretationem sectatur alibi, docens, ignis nomine mala in hoc mundo a Fidelibus tolerata designari; vel ipsum Spiritum, qui ignis symbolo super Apostolos illapsus, corda illorum charitate incendit (4).

Veterum nonnulli verba Textus ad literam usurpantes, jungendum ignem aquæ in Baptismo censuerunt; quod præstitum esse a nonnullis Hæreticis priorum sæculorum, memoriæ proditum est. Narrat S. Clemens Alexandrinus ex Heracleone (5), obtinuisse apud quosdam, ut candens ferrum auribus baptizati admoverent. Idem de Æthiopibus nostræ ætatis testantur quidam (6), baptizatos nempe apud illos tribus candenti ferro impressis stigmatibus in naso, inter oculos, & ad utrumque tempus inuri. Ancipiti ferro ad eam rem eos uti, refert Eugenius Rogerius, quod, ait, ad tria illa loca admovent. Idem præstitum fertur a Christianis Jacobitis in Oriente, qui pueros Baptismate & Circumcisione initiant, ac tandem candenti ferro adurunt in fronte.

Verum Abbas Renaudot (7), rituum Orientalium, si quis alius, peritissimus, ad fabellas deputandum contendit, quidquid de Baptismo per ignem collato apud illas gentes vulgatum est; & Ludolfus (8) fatetur, nihil se ea de re audisse a Gregorio Æthiope, quem consuluit, neque legisse quidquam in relationibus Patrum Jesuitarum. Vicissim tamen observat, receptum esse apud Africanas gentes, tam Ethnicas quam Mahometanas, ut adversus pituitam & gravedinem recens natos pueros mundent, tempora vel carotides venas cauterio adurentes. Idem apud Abyssinos obtinet; unde facta est asserendi occasio, hanc ab illis cæremoniam tamquam religiosam servari.

Memoriæ proditum est (9), Seleucianos Hermæque sectatores Baptismum igne contulisse; incertum tamen quo modo. Tertullianus, sive alius sub ejus nomine (10), de Valentino refert, eos, qui in suas partes transiissent, iterum baptismati subjecisse hoc ritu:

Bis docuit tingui traducto corpore flammn.

Quibus obscuris verbis non satis innuitur, per ignem ne transsilirent, an inter duos hinc inde incensos ignes medii transire juberentur; utrumque enim in lustrationibus Ethnicorum obtinuisse scimus (11). Vetus Author libri de Baptismo Hæreticorum adversus S. Cyprianum, eorum commentum refutat, qui docent, in baptismate conferendo aquam pariter cum igne jungi oportere (12).

Post hæc omnia testimonia, certum omnino est, non defuisse inter veteres Hæreticos nonnullos, qui verba S. Joannis ad literam usurparent. Sed nunquam Ecclesia Catholica superstitiosas illas cæremonias admisit. Quamvis autem certum ejus loci sensum, *Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, nullum definiverit, permissa singulis facultate intelligendi sententiam, sive de igne Purgatorii, sive de ærumnis & malis hujus vitæ, semper tamen eorum sensum damnavit, qui de materiali igne, in administratione Baptismatis necessario, dictum interpretati sunt.

De Baptismo Jesu Christi nomine collato, peculiarem Dissertationem in Commentariis in Acta, & de Baptismo pro mortuis alteram in Commentariis nostris in primam ad Corinthios dedimus.

(1) In Matth. III. 11. Vide & Gregor. (2) Cyrill. Cathec. 17. Hieron. hic, alii. (3) Vide N. T. edit. Millii in Matth. III. 15. & Proleg. 890. 1095. & 1177. (4) Idem, Ser. 71. de Verb. Apost. Matth. num. 19. (5) Clem. Alexand. lib. Ἐκ τῶν προφητικῶν ἐκλογῶν (?) [illegible]. (6) Leo Rauchvvolf, Itin. Orient. lib. 3. cap. 17. Paul. Jov. hist. lib. 18. & alii. (7) Perpetuité tom. 14. c. 10. pag. 84. (8) Ludolf. Hist. Æthiop. lib. 3. cap. 6. num. 41. 42. (9) August. hæres. 59. Philastr. de hæres. capp. 55. 56. 57. (10) Carm. in Marcion. lib. 1. (11) *Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede. Omnia purgat edax ignis.* (12) Cnacilinr. tom. 1.

DISSERTATIO

De Peccato in Spiritum Sanctum.

QUÆ huic Dissertationi argumentum præbet difficultas, tamquam omnium maxima & majoris momenti, quæ in Scriptura uspiam occurrant, a S. Augustino reputatur (1); cui nostrum etiam accedet suffragium, sola spectata sententiarum, quæ Patres & Interpretes inter se committit, varietate. In pronis enim quibusque facile convenitur, eoque satis certo indicio quæstionis alicujus ambiguitas proditur, si in varias sententias abitum est. Duo igitur nunc disquirenda sunt. I. Quæ natura peccati in Spiritum Sanctum. II. Quo sensu nunquam in hoc mundo, neque in altero remitti crimen illud dicatur.

S. Athanasius, qui de hoc argumento peculiariter disseruit, recitat Epist. 4. ad Serapion. num. 8. 9. 10. sententias Origenis, & Theognosti, quibus peccatum in Spiritum S. nihil est aliud, quam crimen post Baptisma commissum. Spectasse autem illos facile credimus illud Apostoli ad Hebr. vi. 4. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti; gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus revocari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Quare eamdem rem spectare Apostolus visus est ac Jesus Christus iis verbis Matth. xii. 31. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Singulare est ea in re Origenis commentum (2). Pater Æternus, ait ille, suum in omnes creaturas tam animatas quam inanimes, tam ratione utentes, quam ea destitutas, imperium exercet. Filius iis tantum dominatur, qui ratione utuntur, & Spiritus S. Baptismate initiatos solummodo habet dominationi suæ obnoxios. Cum igitur Ethnici, vel Cathecumeni, vel infideles quicumque in crimen aliquod labuntur, Filium lædunt, & facile impetrant veniam. Cum vero Fidelis aliquis culpam admiserit, in Spiritum S. peccat, nec veniam meretur. Quare irremissibile ejus crimen censendum est. Idem Origenes lib. 1. Periarchon cap. 3. in eo ponit peccatum in Spiritum S. quod homo, *qui jam dignus habitus est Spiritus S. participatione, retro fuerit conversus. Hic reipsa & opere blasphemasse dicitur in Spiritum S.* sive, ut ipse superius, crimen nulla excusatione dignum commisit. Verum hæc peccata quæcumque omnia respiciunt, non vero singulare aliquod contra Spiritum S. quod Jesus Christus in Evangelio ferit.

Verbis quidem nonnihil discrepat Theognostus, re tamen consentit. Quicumque, ait, primum & secundum aggerem transegit, nempe jussionis Patris vel Filii, veniam tamen petens impetrabit. Quem autem tertium vallum non coercuerit, nempe præceptum quod sibi Baptismate jam initiato datum est, nulla illi veniæ spes superest. Pater & Filius imbecilles & imperfectos docent; Spiritus Sanctus perfectos. Cum prioribus illis remissius agendum, in alios justitiæ severitas exerenda est. Hæc porro moribus Ecclesiæ primorum sæculorum satis conveniunt; cum scilicet crimina post Baptismum commissa nonnisi ægre, & post diuturnam pœnitentiam remitterebantur.

Neutram ex his interpretationibus probat S. Athanasius; scite enim observat, Pharisæos, quos Jesus Christus alloquebatur, ab ejus Baptismate alienos, nihil assequi potuisse eorum, quæ ab illo dicebantur, neque ex eorum esse potuisse numero, qui crimen in Spiritum S. committere jure meritoque reputari possent, & ad quos hæc Jesu Christi verba spectant. Addit pariter, minime in eo Textu agi de criminibus tantum post baptismum admissis posse: cur enim alioqui, ait, Apostolus nec veniam Corinthii incesti 2. Cor. II. 10. neque prævaricatorum Galatiæ Galat. IV. 19. desperat? cur Novati dogma, fores pœnitentiæ & veniæ peccantibus post Baptismum claudentis, rejicit Ecclesia? Ad Textum Apostoli quod spectat, quo scilicet peccatum post Baptismum admittentes nunquam renovari posse per pœnitentiam asseritur, S. Athanasius, & plerique ex Patribus contendunt, nunquam fieri posse, ut qui semel post Baptismum prolapsi sunt, iterum novo Baptismate, a priori non dissimili, surgant: nunquam enim Ecclesia, juxta hanc S. Pauli definitionem, alterum a priore Baptismate vel probavit, vel toleravit.

Contendit igitur S. Athanasius (3), peccatum in Spiritum Sanctum, ipsum esse Pharisæorum, & similis farinæ hominum crimen, qui in lectione Scripturæ versatissimi, nullumque habentes locum, ut de Jesu quidquam nisi probum rectumque suspicarentur, ejus tamen opera malo spiritui deputabant, malo consilio suo id præstantes, ut Deum concedere Dæmoni locum cogerent, nihilque amplius potestatis Filio Dei, quam Dæmoni permitterent. Quamdiu cum assumpta a se hominis natura res erat, injurias omnes æquo animo Jesus tulit, excusavit ignorantiam; cum vero opera, quæ a Deo ipso præstabantur, quæque unicum authorem S. Spiritum præseferebant, ad malum spiritum detorqueri intelligeret, reos æterni supplicii illos pronunciavit.

Cæterum cum peccata in Filium hominis remitti, irremissa vero damnari crimina in Spiritum S. asseruntur, non ita reputandum est, quasi S. Spiritus Filio major habeatur; ambo enim in unam coalescentes naturam, unum eumdemque Deum constituunt. Id ergo tantum innuitur, prolatam in Spiritum Sanctum blasphemiam gravius esse, quam si in Filium pronunciaretur, scelus & crimen. Quæcumque enim in Filium effutiuntur, humanam ab ipso susceptam naturam injuria afficiunt, quemadmodum constanter observat S. Athanasius; sed in Spiritum Sanctum blasphemiæ ipsam Dei naturam probro ducunt, & contemptui (4). Porro animadvertere juvat, nomine Sancti Spiritus a S. Athanasio hic Divinam Verbi naturam reddi; quæ locutio apud veteres PP. obtinet. Addit, Magos Pharaonis, quos religio ipsa, & professio excæcabat, minoribus tandem quam Pharisæos tenebris obvolutos fuisse; inspectis enim prodigiis a Moyse patratis, Dei opus in illis agnoverunt (5); cum Pharisæi prodigia Jesu Christi, suis ipsorum oculis observantia, ad Magicas artes & veneficia detorquerent. Non abs re itaque Christus

(1) Augustin. Serm. olim 11. nunc 71. num. 8. *Forte in omnibus Scripturis nulla major quæstio, nulla difficilior invenitur.* (2) Origen. in Joan. tom. 2. edit. Huet. pag. 159. (3) Epist. 4. ad Serap. n. 12. Vide & Serm. in Matth. tom. 2. oper. nov. Collect. Vet. PP. (4) Athanas. hic: *Τὴν γὰρ ὃ λέγω θεότητα ὁ αὐτὸς Χριστὸς πνεῦμα ἅγιον ὀνομάζει.* (5) Exod. VIII. 19.

ftus omnem illis veniæ fpem tum in hoc mundo, tum in altero futuro præcidit. Ad quem enim illis confugiendum erat, fi Divinam a Filio naturam abjudicabant? Quam fibi vitam, quam felicitatem reliquam fecerant, qui vitam, veritatem, & viam Cœlorum recufaverant?

Eadem, ac S. Athanafio, fententia fedit S. Hilario (6), & Theophylo Antiocheno (7), qui omne criminis in Spiritum Sanctum fcelus conftituunt in negata Filii divinitate: *Cum cætera dicta geftaque liberali venia relaxentur*, ait S. Hilarius, *caret mifericordia, fi Deus negetur in Chrifto*. Nomine Sancti Spiritus, eadem cum S. Athanafio fentiens, defignatam credit ipfam Dei naturam. *Quid enim*, ait, *eam extra veniam eft, quam in Chrifto negare quod Deus fit; cum ea Spiritu Dei opus omne confummet?* Non tamen negat S. Doctor, crimen illud pœnitudine expiari poffe, cum ipfe (8) pronunciet: *Omnium omnino peccaminum veniam nobis Dominus largitur*; obfcure, innuit pluribus in locis S. Athanafius (9), docens, neminem veniam rogantem, vacuum a Jefu Chrifto remitti, ne blafphemum quidem; fed qui in crimine perfeveraverit, illum damnari; nam, ait, digna pœnitentia omnia peccata delentur.

De peccato in Spiritum Sanctum non femel mentem fuam prodidit S. Auguftinus. Cum illi excidiffet lib. 1. de Serm. Dom. in Monte c. 22. fcelus illud in eo potiffimum conftitui, quod fraterna charitas invidia & iniquitate impeteretur; adjiciendum his cenfuit in lib. Retract. 1. cap. 19. peccatum illud tunc potiffimum effici irremiffibile, cum peffima hæc cordis habitudo ad extremum ufque fpiritum perfeverat. Et in Expofit. Epift. ad Rom. n. 14. *Ille peccat in Spiritum Sanctum*, ait, *qui defperans, vel irridens, atque contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, & pacis, per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam de peccatis fuis, & in eorum impia atque mortifera quadam fuavitate perdurandum fibi effe decernit, & in finem ufque perdurat*. Eadem alibi repetit, atque conftans eft Auguftini fententia. *Peccatum in Spiritum Sanctum nullum intelligitur, nifi perfeverantia in malignitate, cum defperatione indulgentiæ Dei* (10). Addit, nemini hominum licere, de alicujus hominis fuperftitis pœnitentia defperare, cum divinæ mifericordiæ thefauri tam immenfa beneficiorum copia abundent, ut qui hodie obfirmato in nequitia eft animo, cras moveri poffit, & ad Deum inclinari. Statuit proinde, vitandam effe mentem in malo obfirmatam, inhærendum Ecclefiæ, cui uni remittendorum criminum poteftas demandata eft, ut criminis in Spiritum Sanctum venia tandem impetretur.

Porro crimina in Spiritum Sanctum plura & varia diftinguit in Serm. 71. num. 8. & fequ. veluti negantium Ecclefiam, divinitatem S. Spiritus, & eorum, qui prodigia Jefu Chrifti vel negant, vel ad veneficia detorquent. Ex his tamen criminibus nullum reipfa veniam excludit, præter finalem impœnitentiam. Refutat pariter idem S. Doctor Origenem, cæterofque autumantes, crimina poft Baptifmum admiffa blafphemias effe in Spiritum Sanctum: certat autem, nec immerito, Jefum Chriftum nullum peculiare crimen, five Chriftianorum tantum five Judæorum, hoc loco fignificare, fed ejus potiffimum generis crimen reprehendere, quod omnes pariter homines committere poffunt; crimen non difficilis tantum veniæ, & indulgentiæ, fed prorfus irremiffibile. Porro nullius eft criminis defperanda venia, nifi finalis tantum impœnitentiæ; cum Ecclefia pro impiorum omnium converfione preces exhibeat, horteturque omnes, ut tandem ad bonam frugem redire fatagant. Hæc de peccato in Spiritum Sanctum eft S. Auguftini fententia, quæ poft S. Doctorem cæteris in Ecclefia Latina pluribus arrifit.

S. Joannes Chryfoftomus in Matth. hom. 42. & Auctor Operis Imperfecti in Matth. hom. 31. fub S. Chryfoftomi nomine vulgatus, S. Ifidorus Pelufiota lib. 1. Epift. 59. aliique plures in eo crimen in Spiritum Sanctum conftituunt, quod prodigia Jefu Chrifti Dæmonis virtuti tribuantur; quod autem veniam difficile impetret, ideo irremiffibile appellatum arbitrati funt. Ita ergo locum S. Matthæi paraphrafi exponit S. Chryfoftomus: *Multa jam adverfum me calumniati eftis: quoniam feductor, quoniam Deo adverfarius, aliaque plura; quæ omnia vobis, fi pœnitentiam egeritis, penitus dimitto, nulla fupplicia fumam... Quamnam ob rem? Quia videlicet quifnam effet Chriftus, ignorabant. Quæ autem, adjecit, de Spiritu dixiftis, nullam pro eis veniam impetrabitis. Nam fi me ignoratis, ignorare tamen non poteftis expulfionem Dæmonum, curationefque hominum mirificas Spiritus Sancti effe operationes. Non ergo mihi, fed Spiritui Sancto contumelias exaggerare conamini. Dicitur autem crimen iftud irremiffibile, quo fignificaretur, multo minus hoc effe ignofcibile ac veniale: quapropter nifi pœnitentiam egerint, nec in præfenti vita nec in futura punitionem effugient* (11).

Variat tum in eo crimine exponendo, tum in judicio de ejus venia ferendo S. Ambrofius. Nunc enim (12) totum ejus fcelus in negata Divinitate Filii, quemadmodum & de S. Hilario fupra obfervavimus, conftituit: nunc (13) ait: *Si quis Spiritus Sancti dignitatem & poteftatem abneget fempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici Dæmonia, fed in Beelzebub, non poteft ibi exoratio effe veniæ, ubi facrilegii plenitudo eft. Quia qui Spiritum negavit, & Deum Patrem negavit, & Filium*. Tandem alibi (14) Hæreticos & Schifmaticos reos damnat peccati in Spiritum Sanctum. Ita vero irremiffibile effe aliquando afferit, quafi omnem præcidat crimini illi fpem veniæ; alibi tamen non obfcure docet, Ecclefiam veniam omnibus indulgere, quos ferio pœniteat, quocumque tandem crimine irretiantur.

Hæc S. Ambrofii fententia, crimen in Spiritum Sanctum de crimine hærefeos exponentis, fediffe etiam Auguftino Serm. 71. n. 34. videtur; docet enim, hærefim, fracto unitatis vinculo, nos a Chrifto Jefu fejungere, ab Ecclefia interdicere, extra quam nulla fpes veniæ eft: *Quia hoc fibi claufit, ubi remittitur*. Author Conftitutionum Apoftolicarum lib. 6. cap. 18. & Philaftrius in hærefi Rethorii, in eamdem fententiam feruntur. Nullum quidem crimen magis irremiffibile videtur, quam hærefis; fiquidem ad mortem ufque in illa perfeveres. Sed hæreticos ad bonam frugem redeuntes, in finum femper recepit Ecclefia.

Author QQ. in utrumque Teftamentum (15) putat, quicumque Deum negat, illum criminis in Spiritum Sanctum, quod nullam mereatur veniam, reum effe. Hermas Paftor lib. 3. fimilit. 6. 8. 9. blafphemiam in Deum cum peccato in Spiritum Sanctum confundit; qua in re cum præcedenti Scriptore fatis convenit. Accuratius aliquid exhibens S. Pacianus Epifcopus Barcinonenfis in Ep. 3. ad Sym-

(6) In Matth. cap. 11. & xxxi. n. 5. (7) Theophyl. Antioch. Comment. in Evangel. lib. 1.
(8) In Matth. xviii. num. 10. (9) Serm. in Matth. tom. 2. nov. Collect. Vet. PP. Iis & de communi effentia, & refponf. ad quæft. 12. ad Antiochum; & fingm. in Comment. in Matth. tom. 1. par. 2.
(10) Auguft. ibid. num. 22. Vide & Serm. 71. nov. Edit. n. 20. &c. Et Ep. 55. nov. Edit. n. 5. *Hoc peccatum eft duritia cordis ufque ad finem vitæ*. (11) Chryfoft. loc. cit. Ο῞τι ὥστε ταῦτα ἡ ἁμαρτία ἀσύγγνωστος.
(12) Comment. in Luc. lib. 10. n. 94. (13) Lib. 1. de Spiritu S. c. 3. (14) De Pœnit. l. 2. c. 4.
(15) Inter Opera Auguft. Quæft. 102. *Si idem eft negare Dominum, quod peccare in Spiritum Sanctum, nulla venia fperanda eft negantibus*.

Sympron. docet, opera Sancti Spiritus Dæmoni tribuere, ipsum esse in Spiritum Sanctum crimen; tum addit: *Hoc est ergo*, [blasphemia in Spiritum Sanctum] *quod non dimittetur. Reliqua bonis pœnitentibus, præter Sympronianæ, donantur.*

S. Hieronymus in Matt. XII. plures recitat interpretationes in Textum S. Matthæi, ubi peccatum hoc minime dimitti in hoc præsenti & in altero mundo dicitur. Reum dicit hujus criminis eum, qui Filium Dei malo spiritu agi criminatur ex Marc. 3. qui ejus prodigia operationi Beelsebub deputat: hi omnes nullam merentur veniam. Ita qui aliqua in Filium Dei effutierit, uti merum esse purumque hominem, filium Fabri, hominem potatorem, & cætera, hic sane *quamquam culpa non caret, erroris tamen habet veniam, propter corporis vilitatem*. Qui vero inspecta Sancti Spiritus opera nequissime damnat, calumniatur, & reprobat, illi nulla veniæ spes est (15).

S. Clemens Papa (16) censet, peccato in Spiritum Sanctum irremissibili damnari illum, qui obfirmato in nequitia animo, in Deum veluti collato pede decertat; quod Scripturæ phrasi Levit. XXVI. 24. 28. dicitur *contra Deum adversum incedere*, vel peccare *elata manu*. Num. XV. 30. Ita pariter locum Grotius interpretatur, & in exemplum adducit peccatum Core & symmystarum, qui erecta contra Deum cervice, injuriam illi in Moyse famulo ipsius & Aarone illius Christo irrogare ausi sunt; adducit & Pharaonis, qui obfirmavit in malo animum, quamvis a suis pariter Magis moneretur, digitum Dei esse, quo prodigia adversus illum patrabantur Exod. VIII. 19. sicut & Ananiæ & Saphiræ Act. 8. 18. qui in Spiritum Sanctum mentientes, subita percussi ultione, ante Apostoli pedes exanimes ceciderunt. Simonis tandem Magi Act. v. 3. 9. cui Apostolus Petrus denunciavit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Nulla hic Grotius in Matth. XII. 31. sive Filii sive Spiritus Sancti Divinitatem injuria affectam agnoscit; sed tantum de honore Deo impendendo derogatum aliquid, detractumque; quod quidem scelus, ejus sententia, irremissibile non esset, neque in hoc mundo neque in altero, sed tantum ex eorum numero censeretur, quæ utrobique supplicio luenda essent. Verba ad Judæos faciebat, eorum sese opinionibus accommodans; quare cum illi crimina sua in hoc mundo expiari arbitrarentur pœnitentia, mœrore, cæterisque corporis afflictationibus, uti jejunio, & humilitatis significationibus die solemnis Expiationis, vel saltem nece corporis, unde sibi morientes imprecantur: *Sit mors mea in expiationem meorum peccatorum:* vicissim autem cum magnum aliquod crimen admisissent, manere sibi censerent in altera vita genus quoddam Inferni, non diuturnius quam unius anni curriculo; cum, inquam, hæc omnia crederent Judæi, id tantum innuit Christus, contempti Dei crimen neque in hoc mundo sacrificiis & pœnitentia expiari, neque in altero suppliciis Purgatorii, quippe quod lethale esset crimen, cui nulla pro meritis venia danda esset. Non agebat ille quidem de judicio Ecclesiæ Christianæ; sed tantum ad persuasiones Judæorum, quibuscum verba faciebat, attendit. Hæc Grotius.

Hammundus & Clericus in Matt. XII. 31. arbitrantur, peccatum in Filium hominis appellari crimen omnium vulgo Judæorum, Jesum Christum tamquam Messiam agnoscere recusantium, quippe cui non omnes convenire Messiæ notas arbitrarentur; peccatum vero in Spiritum Sanctum censent crimen Pharisæorum, qui inspecta prodigiorum Jesu Christi gloria, unde luculentissimum pro ipso argumentum ducebatur, verum tamen esse Messiam & pervicacius negabant, & in apertissima ejus prodigia, uti a Dæmone patrata, spargebant invidiam. Porro vulgarium Judæorum peccatum, quod eorum potius ignorantiæ tribuendum erat, sacrificiis & confessione criminum, numquam non sacrificiis jungenda (17), expiabatur; eorum vero qui scientes prudentesque peccassent, excommunicationi, abscissioni, anathemati, sive exterminationi subdebantur; nihil enim illis veniæ manebat in Lege, sive hostia aliqua sive expiatione injuncta; quemadmodum nec ulla erat expiatio criminibus per contemptum & impudentiam.

Catholici Interpretes in duas potissimum abeunt sententias; alii enim, S. Augustinum secuti, peccatum in Spiritum Sanctum appellant impœnitentiam finalem; alii affectatam eorum nequitiam, qui apertæ veritati resistunt, & prodigia J. Christi, quæ maxime habent explorata, & Deo vindicanda esse intelligunt, ea sunt tamen nequitia, ut Dæmoni tribuant. Porro illi ejusdem sunt criminis rei, ac qui cognitæ veritati resistunt, qui se viris probis opponentes, calumniis illos exagitant, atque proba illorum opera, quamquam rectissima esse norunt, de vanitate tamen & hypocrisi accusant. Posterior hæc sententia assertores habet SS. Chrysostomum, Hieronymum, & optimos fere omnes Interpretes.

Porro Christus verba ad Judæos, nec incognita illis loquendi ratione, faciebat; norant proinde illi, quid esset peccatum in Spiritum Sanctum; quamquam enim nihil adhuc satis apertum de S. Spiritu noverant, veluti de persona a Patre & Filio distincta; sciebant tamen S. Spiritum ore Prophetarum loqui, patrare ipsorum ministerio prodigia, ac super illos tandem quiescere. Notæ erant apud illos eæ loquendi formulæ: *Exacerbare Spiritum* (18): *Extinguere Spiritum* (19): *Spiritui Sancto resistere* (20): *Blasphemare in Spiritum Sanctum* (21): *Spiritui Sancto contumeliam facere* (22). Hæc porro omnia Hebræis erant familiaria.

In his rerum circumstantiis Jesus Dei Spiritum malo spiritui opponit, & Pharisæi maligni Spiritus operationi tribuebant ea, quæ Jesus Sancti Spiritus virtute patrabat; hoc igitur totum blasphemiæ illorum scelus reputandum est. Ego, dicebat ille Pharisæis, quæcumque in me committitis, omnia ultro dimitterem, minime enim, unde ego sim, noscere vobis datum est; sed blasphemiæ, quas vomitis in Spiritum Sanctum, hæc in me patrantem prodigia, quibus nemo prudens refragetur, non merentur veniam sive in hoc mundo, sive in altero.

Distinguebant Judæi duo criminum genera; alia sacrificiis, vel temporalibus in Lege præscriptis afflictationibus, vel saltem pœnitentia, jejunio, humilitatis significationibus, eleemosynis, &c. expianda. Aliis sua erant in altera vita supplicia; supplicia, inquam, sive temporanea, sive æterna. Crimen in Spiritum Sanctum, blasphemiæ in opera Dei, neque in præsenti, neque in altera vita dimittebantur; in præsenti quidem, quod capitalia essent; in altera vero, quod æternis suppliciis in illa animadverteretur. Capitale est supplicium in Lege indictum adversus blasphemos (23) seductoresque, qui se Deo afflatos mentirentur (24). Erant illi quidem nescio cujus in Spiritum Sanctum criminis rei, sed multo sane tolerabiliores Pharisæis, qui nihil non Divinum in Jesu Christo agnoscerent. His porro criminibus,

(15) Vide eumdem, Epist. 149. ad Marcellam. (16) Clemens Rom. seu alius, Recognit. lib. 2. c. 25. Ἐκ [illegible]. Vide Not. Cotelet. in eum locum. (17) Levit. v. 1. 2. 5. &c. Num. xv. 25. Hebr. IX. 7. (18) Psalm. cv. 33. Ephes. IV. 30. Isai. LXIII. 10. (19) 1. Thessal. v. 10. (20) Act. VII. 51. (21) Matth. XII. 31. 32. (22) Hebr. x. 29. (23) Levit. XXIV. 11. 12. 13. 14. Num. xv. 30. 31. (24) Deut. XIII. 1. 2. 5.

bus, præter supplicia hujus vitæ, supplicia in altera vita æterna destinata erant, si quidem seria in hac vita pœnitentia non expiarentur,

In ea fuisse vulgo Judæos persuasione, non obscuris argumentis demonstratur ex Libro Sapient. v. 2. & 11. 1. Macchaborum secundo xii. 42. Josephi de Bello lib. 2. cap. 7. Philonis (24), & ex Evangelio; nihil enim novi docuit Jesus Christus, cum peccata lethalia inferni pœnas manere asseruit. Est etiam recentioribus Rabbinis, torquendis æterno supplicio sontibus, sua gehenna, vel infernus; est & Purgatorium, ab inferno nonnisi diuturnitate pœnarum distinctum, torquendis proborum animabus, quibus expiandum aliquid remanet (25).

Erant igitur apud Judæos crimina, quibus in altera vita dabatur venia; erant, quibus omnis ea de re spes præcidebatur. Judas Macchabæus xii. millia drachmarum argenti, quam ex collatitio ære comparaverat, Jerosolymam misit, sacrificiis pro salute cæsorum in prælio impendenda 2. Macchab. xii. 43. quibus sacrificiis expiaretur eorum crimen, rapti nempe ex Idolorum fano auri, contra Legis sanctionem Deut. vii. 25. Blasphemia in Spiritum Sanctum inter ea crimina censebatur, quibus nulla est spes veniæ in altera vita; quæ scilicet neque suppliciis Purgatorii, neque sacrificiis, neque orationibus expiantur, nihilque ab illis experiuntur solatii, sive levaminis. Is germanus hujus loci sensus est, quem nostra hac Dissertatione excutiendum suscepimus.

Blasphemia igitur in Spiritum Sanctum, neque in præsenti, neque in altera vita dimittenda, non est cum crimine quocumque lethali a Christiano post Baptismum admisso, uti Origeni, Theognosto aliisque nonnullis videtur, confundenda. Neque enim ejus se criminis reos nosse poterant Pharisæi, quibuscum Jesus Christus verba faciebat: certum est tamen, peculiare aliquod crimen designare voluisse Jesum; neque omnia æque crimina significasse post Baptismum commissa. Ita pariter hæreticorum crimen designari eo nomine negamus; cum alieni essent ab eo crimine Pharisæi, & cum illis ageret Christus, qui uno communionis vinculo cum cæteris Judæis jungebantur, primasque in Synagoga cathedras tenebant: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*. Matt. xxiii. 2.

Qui blasphemiam in Spiritum Sanctum constituunt in neganda Filii vel Spiritus Sancti Divinitate, totam Divinæ sententiæ significationem assecuti non esse videntur. Non enim agebat Christus de Sancti Spiritus Divinitate, quam luculenter satis ipse Jesus non adhuc expresserat. Verba ea de re primum fecerat seorsum cum Discipulis, paulo ante obitum suum, & post Resurrectionem iterum. Ad Divinitatem suam quod attinet, innuere eo loco videtur Pharisæis, siquidem nullo alio, præterquam negatæ sibi Divinitatis, crimine irretirentur, omnia se facile dimissurum. Neque enim hanc fidem exegit, nec annunciandum illud Fidei dogma antea jussit, quam post Resurrectionem suam.

Augustino, cæterisque sententiam ejus secutis, negare quidem non possumus, livorem, & nequitiam, qua charitas proximi destruitur, cum ad finem usque vitæ duraverint, ac tandem finalem impœnitentiam crimina reputanda esse omni veniæ spe destituta; sed eadem pariter blasphemiam in Spiritum Sanctum habenda esse, vix credimus. Fatemur quidem, sceleribus hisce Dei sanctitatem violari, charitati S. Spiritus injuriam irrogari, gratiæ divinæ ad se illecebris suis trahenti homines resistere, eamque tandem, quantum in ipsis est, evertere atque destruere. Sed nihil illis non commune ea in re cum cæteris criminibus, quibus tamen blasphemiæ in Spiritum Sanctum nomen non vindicatur.

Eadem pariter de apostasia, de blasphemia in nomen Dei dicenda sunt; quæ omnia a nonnullis Veterum nomine criminis in Spiritum S. designari creduntur. Immania sunt quidem crimina adeo, ut veniam non mereantur, nisi forte non fucata cordis pœnitudine eamdem veniam quis impetret. Cur tamen hæc potius crimina blasphemię in Spiritum S. nomine designentur quam Idololatria, perjuria, aliaque crimina, quibus majestati, potentiæ, & bonitati divinæ injuria irrogatur? Audax ille & impius, qui *elata manu* in Deum fertur, tum in præsenti mundo cum in altera vita diris animadversionibus punitur: quod autem tantum crimen peccati in Spiritum S. nomine a Grotio designetur, nihil est; æque enim tribus, Patri scilicet, Filio, & Spiritui S. repugnat.

Quæ Spiritum Sanctum potissimum offendunt crimina, sex assignant Theologi, videlicet, I. Impœnitentiam finalem, II. Desperationem; III. Obfirmatum in malo animum; IV. Exploratæ veritati contradictionem; V. Nimiam de bonitate Dei præsumptionem, qua in peccatum audaciores efficimur; VI. Livorem in eos, qui sinceræ charitatis vinculo inter se conjunguntur. Nihil tamen ex his Jesus Christus Pharisæis potissimum exprobrat; vitio enim illis vertit, Dæmonis operationi tribuisse præstita a se opera, quamquam a Deo patrata probe intelligerent.

Simonis Magi crimen, qui vendi sibi, collato pretio, postulavit prodigiorum patrandorum virtutem, tum & manuum impositione prodigia pro arbitrio exhibendi, quemadmodum & ab Apostolis fieri norat Act. viii. 20. 21. 22. alterum genus est criminis in Spiritum Sanctum. Impius enim ille magicæ arti præstigiisque tribuebat, quæ Apostoli nonnisi divina virtute agebant. Habebat viros illos divinos tamquam magicis artibus peritissimos, & se pariter Dæmoniacis illis scientiis instructiores; volebat proinde arcanum illud sibi pretio reserari, ut pretio vicissim ipse cæteris venderet. Itaque S. Petrus, veluti dubitans, num veniam tanti criminis esset impetraturus, dixit: *Pœnitentiam age, si forte remittatur tibi*; quibus satis innuit, non segniter illi laborandum fuisse, ut veniam impetraret.

Porro crimen illud neque in hoc mundo neque in altero remissum iri Christus ideo denunciavit, quod natura sua omnem excluderet veniam; directe enim, neque ex obliquo impetit bonitatem, & misericordiam S. Spiritus; fontem proinde arcet a venia, fores claudit indulgentiæ, & divinæ misericordiæ velut aggerem opponit. Ea est enim illorum criminum, ceu lethalium quorumdam morborum, natura, qui alto sopientes torpore ægrotum negligere, quin & contemnere pariter monita & pharmaca Medici cogunt. Accidit etiam interdum, ut nedum contemnat sanitatem, æger, sed & contraria etiam omnia præferet. Hæc flagitiorum immanitas nonnisi prodigiis expugnatur. Vide Maldon. & Menoch. in Matth. xii. 31. Parum est igitur, si cum S. Joanne Chrysostomo aliisqua nonnullis flagitium illud ideo irremissibile credatur, quod ægre expietur: inesse etiam vitio scelus aliquod reputandum est, quod veniæ natura ipsa repugnet. Nec tamen fines divinæ bonitati vel potentiæ præscribere audemus; sicut neque Ecclesiæ collatam a Christo omnium criminum remittendorum potestatem cum Novatianis negamus. Nullum re ipsa crimen inexpiabile esse agnoscimus; præsto est enim semper Deus criminis deflentibus dimittendo; præsto est semper Ecclesia, aversos a Deo homines in ejus amicitiam revocare, modo pœnitudinis suæ minime fucata exhibeant documenta. In hanc sententiam revocandum est illud S. Paciani Epist. 3. ad Sympronian. qui excessisse nonnihil videtur, dum crimen in Spiritum Sanctum extra fines acceptæ ab Ecclesia absolvendi a criminibus potestatis constituit.

(24) De Præmiis & pœn. pag. 713. & de Profugis, pag. 358. (25) Leon Modena, De' riti Giudaici, pag. 4. cap. 40. Bartolocci, Bibl. Rabb. tom. 2. Basnage, Hist. des Juifs, liv. 2. chap. 32.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN EVANGELIUM SANCTI MARCI.

CAPUT PRIMUM.

Baptismus a Joanne collatus. Eo tingitur Jesus, & in solitudinem secedit. Tentatur: in Galilaeam proficiscitur: Petrum, Andream, Jacobum & Joannem vocat. Socrum Petri & leprosum sanat.

℣. 1. INitium Evangelii Jesu Christi Filii Dei. Sicut scriptum est in Isaia prophe-
ta: 2. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit
viam tuam ante te. 3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas faci-
te semitas ejus. 4. Fuit Joannes in deserto baptizans, & praedicans baptismum poe-
nitentiae in remissionem peccatorum. 5. Et egrediebatur ad eum omnis Judaeae re-
gio, & Jerosolymitae universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confiten-
tes peccata sua. 6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa
lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat. Et praedicabat, dicens: 7. Venit
fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamen-
torum ejus. 8. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.
9. Et factum est: in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilaeae, & baptizatus est
a Joanne in Jordane. 10. Et statim ascendens de aqua, vidit coelos apertos, & Spi-
ritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso. 11. Et vox facta
est de coelis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui. 12. Et statim Spiritus
expulit eum in desertum. 13. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta
noctibus, & tentabatur a satana: eratque cum bestiis, & angeli ministrabant illi.
14. Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilaeam, praedicans Evan-
gelium regni Dei. 15. Et dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinqua-
vit regnum Dei: poenitemini, & credite Evangelio. 16. Et praeteriens secus mare
Galilaeae vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare (erant
enim piscatores), 17. Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri pis-
catores hominum. 18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. 19. Et pro-
gressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedaei, & Joannem fratrem ejus, & ipsos
componentes retia in navi. 20. Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebe-
daeo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. 21. Et ingrediuntur Capharnaum:
& statim sabbathis ingressus in synagogam, docebat eos. 22. Et stupebant super do-
ctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribae.
23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit. 24. Di-
cens: Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio, qui sis, San-
ctus Dei. 25. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.
26. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.
27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc?
quaenam doctrina haec nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat,
& obediunt ei. 28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilaeae.
29. Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis, & Andreae
cum Jacobo, & Joanne. 30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans, & sta-
tim dicunt ei de illa. 31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: &
con-

continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. 32. Vespere autem facto cum occi-
disset sol, afferebant ad eos omnes male habentes, & dæmonia habentes. 33. Et
erat omnis civitas congregata ad januam. 34. Et curavit multos, qui vexabantur
variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam
sciebant eum. 35. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibi-
que orabat. 36. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. 37. Et
cum invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. 38. Et ait illis: Ea-
mus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni. 39.
Et erat prædicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa & dæmonia ejiciens:
40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dixit ei: Si vis, potes
me mundare. 41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam, & tangens
eum, ait illi: Volo: Mundare. 42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, &
mundatus est. 43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum, 44. Et dicit ei:
Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emunda-
tione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis. 45. At ille egressus cœpit
prædicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civi-
tatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.

℣. 1. INITIUM EVANGELII, &c. Verba hæc vel mera sunt Evangelii hujus inscriptio, vel narrationis exordium, cum sequentibus jungendum sic: *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta*. Evangelium exorditur Marcus ab anno Christi trigesimo, ex æra vulgari; cum Joannes ab æterna Verbi generatione ante omnia tempora incipiat, Matthæus a temporali ejusdem ortu, Lucas a Joannis Baptistæ conceptione. Quibus hæc verba esse videntur Libri inscriptio, ii sequentem sententiam, *sicut scriptum est in Isaia Propheta*, &c. jungunt cum ℣. 4. *Fuit Joannes in deserto*, &c. Præcursor nimirum prædicans, Isaiæ vaticinium implebat, quo ferebatur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*.

℣. 2. SICUT SCRIPTUM EST IN ISAIA PROPHETA. Duplicis hic Prophetæ verba usurpat Marcus; Malachiæ quidem 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Isaiæ vero 40. 3. *Vox clamantis in deserto*. Unius tamen Isaiæ nomen recitat, utpote vetustioris, & altero celebrioris. Ita solent sæpe Novi Testamenti Scriptores; & sub generico Prophetarum, vel certi alicujus Prophetæ nomine multa recitantes ex multis collecta, in unam seriem jungunt. Græci Codices multi veteres manu exarati, & impressi plerique legunt: *Sicut scriptum est in Prophetis*. Melior tamen & probatior est Vulgata, quam sequuntur Versiones Syriaca, Gothica, Cophtica, Armena, Persica, Arabica. Utramque habet S. Irenæus: at Origenes, S. Athanasius, S. Hieronymus & Porphyrius apud Orig. l. 2. contra Celsum Latinorum Codicum nostrorum lectionem sequuntur, quam Græci Codices mss. plures apud Mill. hic etiam servant.

℣. 4. PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ, IN REMISSIONEM PECCATORUM. In Dissertatione de Baptismo docuimus, Joannis baptismum institutum non fuisse, ut peccata deleret, sed ut populum ad pœnitentiam agendam, & assequendam eo pacto criminum remissionem per Jesu Christi Baptismum pararet *Baptismum pœnitentiæ, quasi candidatum remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ*, inquit Tertullianus.

℣. 6. PILIS CAMELI, rudi crassoque panno, e cameli villis texto. Lege enim Levit. XIX. 19. cautum erat, ne Judæi vestibus e lino lanaque simul textis uterentur.

℣. 7. PROCUMBENS SOLVERE CORRIGIAM CALCEAMENTORUM. Matthæus 3. 11. fert: *Cujus non sum dignus calceamenta portare*. Calceos solvere & gestare, servorum erat. Marcus ferme ubique Matthæi sententias exscribit, & contrahit: neque tamen illius verba superstitiosa religione servat, sed illorum sententiam reddit. Vide & ℣. 11.

℣. 8. SPIRITU SANCTO. Is baptismum vobis conferet una cum criminum venia, & Spiritu Sancto. Spiritus, in Apostolos sacra Pentecostes die lapsus, ab ipsomet Christo Jesu Spiritus Sanctus appellatus Act. 1. 5. *Joannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies*.

℣. 10. ASCENDENS DE AQUA, VIDIT, &c. Egresso ex aquis Jesu, statim Joannes cœlos apertos vidit; ipsius enim præsertim causa prodigium illud exhibebatur. *Testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto* Joan. 1. 32. 33. Vidit quidem & Jesus; & fortasse major populi pars prodigium animadvertit. Scribit Lucas (1), egressum ex aquis Jesum orasse, eoque orante, cœlos super illum patuisse.

℣. 11. IN TE COMPLACUI (2): delicias meas in te collocavi. Græci Codices impressi, & manu exarati quamplures cum Matthæo consentiunt: *In quo complacui*. Vulgatæ favent Lucas, & major librorum numerus.

℣. 12. STATIM SPIRITUS EXPULIT EUM. Ita Græcus (3). Hoc tamen verbum, *expulit*, mitius intelligendum est, pro, duxit, impulit, ut in solitudinem iret. Discessit ab Joanne Jesus, & in locum plane desertum se recepit, nullo comite, præter feras: *Eratque cum bestiis*. Tinctus quidem baptismo est in solitudine (4); at in remotiorem solitudinis locum, sese abdidit.

℣. 13. ANGELI MINISTRABANT ILLI. Post dæmonis tentationem, ad Jesum de diabolo victorem accesserunt Angeli, ministrantes, teste Matthæo (5). Censet Beda, nullo unquam tempore illi defuisse Angelorum ministerium, dum is in solitudine fuit. Videtur Ligfooto dæmon, Christum tentans, invisibilis adfuisse; Angeli vero conspicui diebus quadraginta illi ministrasse: cum

autem

(1) Luc. III. 21. 22. Καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος, καὶ προσευχομένου, ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανόν. (2) Ἐν σοὶ εὐδόκησα. Ita Luc. III. 22. sed Matth. III. 17. Ἐν ᾧ εὐδόκησα. (3) Τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον. (4) Matth. III. 1. (5) Matth. IV. 11.

autem intelligeret diabolus, sese invisibilibus artibus nihil proficere, forma demum conspicua sese inter Angelos miscuisse, veluti lucis Angeli, ut illi inserviret.

℣. 14. POSTQUAM AUTEM TRADITUS EST JOANNES. Cum Herodes Antipas Herodiadem, fratris sui Philippi adhuc viventis uxorem, sibi vindicasset, illum ea de re acriter arguit Baptista (6). Quamobrem ut severum censorem a se amoveret Herodes, illum publica in vincula dari jussit, causatus, nimium fieri ad eum, baptismi & prædicationis occasione, concursum (7). Circa idem tempus vulgatum est, Jesum quoque baptismo operam dare, innumeris ad illum confluentibus: quamobrem Joannis Discipulos nonnihil invidiæ pupugit (8), quamquam non Jesus ipse, sed illius Discipuli baptizabant (9). Metuens Christus, ne Pharisæi, gloriæ suæ invidentes, Pilato persuaderent, ut se quoque in carcerem daret, eodem prætextu, quo Herodes Joannem vinxerat, secedendum censuit in Galilæam, ubi nullus erat Pilati metus, cum eo usque Pilati authoritas non prorogaretur; nihilque pariter ab Herode sibi timendum erat, quippe quem verbis non læserat, illique ignotus erat. Ita explicandam ducimus hujus loci difficultatem. Captum narrat hoc loco Marcus Joannem, quasi id statim reverso Jesu a solitudine contigerit, cum omnino multo serius consignandum sit.

℣. 15. QUONIAM IMPLETUM EST TEMPUS, a Prophetis & Jacobo prædictum Gen. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Et Dan. IX. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ* (decretæ) *sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut* (donec) *consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* En luculentissimam adventus Messiæ descriptionem. Hæc igitur tempora, prædicationem exercentibus Joanne & Jesu Christo, prorsus expleta inveniuntur.

℣. 16. VIDIT SIMONEM ET ANDREAM. Multa omittit Marcus, a cæteris Evangelistis recitata. Vide nostram Harmoniam, vel historicam quatuor Evangeliorum collectionem. Norant jam antea Christum Simon & Andreas; illum enim diu antea domi convenerat Andreas, fratremque Simonem deinde ad illum duxerat. Vide Joannem, I. 36. 37. 43. at nondum ita illum sequebantur, ut nunquam deinceps ad retia redierint (10).

℣. 21. INGREDIUNTUR CAPHARNAUM. Secundo nunc Capharnaum venit: tunc vero certas ibi sedes constituit, siquidem certæ ullæ fuerunt Christo sedes, dum prædicationem exercuit.

℣. 22. STUPEBANT SUPER DOCTRINA EJUS. Triplex erat admirationis causa; I. quod illum literis nunquam operam dedisse scirent: II. quod is nobilissima & sublimissima traderet; III. quod ita doceret, ut Magistrum verbis & ore præseferret, animosque authoritate cogeret: alia plane ratione quam Scribæ, & Legisperiti, quorum scientia nonnisi hominum opinione nitebatur, meraque rerum e Veterum scriptis vel traditionibus haustarum ostentatio erat. Quæ docebat Christus, ipso e fonte proficiscebantur, assiduis fulta prodigiis, quæ ipse patrabat.

℣. 23. ERAT IN SYNAGOGA EORUM HOMO, &c. Homines igitur a Dæmone acti a religiosis cœtibus minime arcebantur; atque hunc fortasse Diabolus nonnisi per intermissas accessiones vexabat. Prodigium hoc omittit Matthæus; at habet Lucas IV. 31. 32. &c.

℣. 24. VENISTI PERDERE NOS (11)? Idcirco ne venisti, ut imperium nostrum evertas, nosque in inferna conjicias (12)? Quæritur hic, revera ne diabolus Dei Filium nosset, quemadmodum hoc loco gloriatur: *Scio qui sis. Sanctus Dei.* Eodem hoc Capite scribit Marcus infra v. 34. *Non sinebat ea* (Dæmonia) *loqui, quoniam sciebant eum.* Consentit Lucas IV. 41. Victus toties a Jesu diabolus, cum illum in deserto tentaret, illum ne adhuc ignoraverit? Hactenus, inquiunt Interpretes doctissimi quamplures (13), dubitaverat, deinceps non dubitavit. Aliis tamen (14) creditur, nonnisi post resurrectionem plane intellexisse diabolus, Jesum esse Dei Filium & Messiam: antea incertus adhuc fluctuasse. Fallebatur diabolus humillimo Jesu Christi habitu, vita ærumnis plena, malis injuria hostium cumulatis, quin is illorum nequitiam vi coercere conaretur; quamobrem dubitatione expediri non poterat. Profecto si diabolus Jesum penitus agnovisset, fieri ne poterat, ut Judam in illius proditionem impelleret (15)? aut in illius necem Judæos (16)? Veteres (17), qui somnium, quo Pilati uxor vexata est Jesu Christi causa, partum fuisse putant a diabolo, vereri incipiente, Messias esset Justus ille, nec ne; hi procul dubio id a diabolo hactenus ignoratum censent; quibus & nos accedimus.

℣. 25. OBMUTESCE. Testimonium a mendacii patre respuit Christus, inquit S. Chrysostomus (18): testimonium, inquam, de adulatione & mendacio suspectum, uti videtur Tertulliano (19). Suam ipsius Divinitatem statim vulgari non vult; nondum enim secreta tempora & momenta venerant, neque satis parati erant hominum animi, ut eam veritatem amplecterentur. Vide ℣. 34.

℣. 26. DISCERPENS EUM, convulsionibus agitans; quibus satis ostendebat, iratum se & invitum ab occupato corpore discedere (20). Illum in terram projecit coram omnibus, teste Luca (21); minime tamen læsit, agitavit, atque humi dejecit: at nullam corporis læsionem a lapsu & convulsionibus illum referre, passus est Deus.

℣. 27. QUÆNAM DOCTRINA HÆC NOVA? Novas certe res non docebat Christus, neque aliam reipsa Legem, quam veterem Judæis datam: at illius authoritatem, & prodigia fidem dictis facientia admirabantur. Imperiosam in dæmones loquendi rationem suspiciebant.

℣. 32. VESPERE AUTEM FACTO, CUM SOL OCCIDISSET, elapso jam Sabbatho, cujus religio incipiebat feria sexta vesperi, & ipsa die Sabbathi post solis occasum desinebat. Cessante igitur requietis præcepto, ad Petri domum concurrerunt, ubi agebat Jesus, omnesque urbis ægrotos ad illum duxere.

℣. 34. CURAVIT MULTOS, omnes nimirum sibi exhibitos. Scribit Lucas (22), imposita singulis manu, incolumes dimisisse.

℣. 35. ET DILUCULO VALDE, &c. Omittit hoc Matthæus; & Lucas, qui rem narrat, nulla diluculi mentione, ait, illum facta altera die (23) in desertum locum secessisse, omnibus ignotum.

Cc Eo

(6) Luc. III. 19. Marc. VI. 17. Matth. XIV. 3. 4. (7) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 7. (8) Joan. III. 22. 25. 26. (9) Joan. IV. 1. 2. (10) Matth. IV. 18. (11) Libri plures manu exarati ferunt: *Venisti ante tempus*; quæ desumpta sunt ex Matthæo VIII. 29. (12) Euthym. Theophyl. Mald. Grot. Brug. (13) Vide Mald. Grot. Brug. Bedam hic. (14) Vide Hieronym. in Matth. VIII. 29. Aug. lib. IX. de Civit. cap. 21. Remig. apud D. Thom. in Matth. VIII. (15) Joan. XIII. 2. (16) 1. Cor. II. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (17) Ignatius Ep. ad Philipp. Beda in Matth. XXVII. 19. alii. (18) Chrysostom. & Euthym. hic; & Tertull. ubi infra lib. IV. contra Marcion. Et Ambros. lib. IV. in Luc. n. 102. (19) Tertull. lib. IV. contra Marcion. (20) Maldon. Grot. Brug. (21) Luc. IV. 35. Μηδὲν βλάψαν αὐτόν. (22) Luc. IV. 41. (23) Luc. IV. 42. Γενομένης δὲ ἡμέρας.

Eo tamen venientes Petrus cæterique Discipuli nunciavere, ipsum a turba quæri.

℣. 36. Prosecutus est eum simon: vel, *pone secuti sunt eum*, uti sonat Græcus (24): is enim nullo comite discesserat. Petrus, Andreas, Iacobus & Ioannes ante ceteros illum abiisse senserunt, ac persecuti sunt. Pone secuta est multitudo, illumque pariter invenit.

℣. 38. Eamus in proximos vicos, &c. Teste Luca 4. 42. multitudo Iesum assecuta, illum tenuit, ac dimittere nolebat: is tamen respondit, opus esse, ut ceteras etiam urbes doceret; idcirco enim se missum esse a Patre. Scribit Marcus (25), illum ideo egressum esse Capharnao.

℣. 40. Venit ad eum leprosus; idem ille, de quo Lucas v. 12. &c. alter ab illo apud Matthæum viii. 2. 3. 4. incolumitati restitutn post Sermonem in monte.

℣. 44. Ostende te Principi Sacerdotum, Græcus habet solum (26): *Ostende te Sacerdoti*, vel *Sacerdotibus*, plurali numero, uti ferunt Syriaca & Persica. Græci Codices nonnulli cum Vulgata consentiunt: *Principi Sacerdotum*. Ceterum omnino certum est, opus non fuisse Principis Sacerdotum judicio, ut quis lepra purgatus, & ceterorum consuetudini restituendus pronunciaretur.

℣. 45. Diffamare sermonem, rem. Solet apud Scripturam *sermo* pro *re* usurpari. Peccavit ne homo, ubi rem celare jussus a Christo, minime obtemperavit? illum, ceterosque similibus Christi jussionibus non obsecutos, Veteres (27) vulgo defendunt. Non illud volebat Christus, ut absolute cogerentur id silere, quod latere non poterat (28): sed sue ipsius modestiæ specimen exhibere. Neque affecti beneficio homines aut contemptu aut pertinacia ducebantur, ut minime obtemperarent; quin contraria prorsus persuasione grati animi & amoris sui impetum sequebantur. Necesse quidem erat, Christi prodigia Divinæ gloriæ causa vulgari: at modestiæ & humilitatis exempla a Christo tradenda erant. *Quantum ad gloriæ humanæ aversionem pertinebat, vetait eum divulgare*, inquit Tertullianus (29): *quantum autem ad tutelam legis, jussit ordinem impleri.*

Addit Evangelista: *Ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem*; illum enim tenuisset multitudo, neque ipse e turbis undique obsidentibus expediri potuisset. Subducere se volebat, ut ad eos, qui in agro & in pagis erant, verba faceret. *Non posset*, scilicet *nollet*, ob ea quæ diximus. Luca (30) & Marco testibus, Jesus desertis in locis morabatur, oratione occupatus; atque ad illum undique populi confluebant.

---

(24) Κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ Σίμων, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ. (25) Marc. hic: Ἐις τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. (26) Σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ. Quidam: Ἀρχιερεῖ. Leicest. Cod. Velez. Paris. 6. apud Mill. hic. (27) Chrysost. Hieronym. Beda, Theophylact. ad Matth. ix. 31. (28) Vide Hieronym. Gregor. Mag. Bedam, in Matt. ix. 31. (29) Tertull. lib. 4. contra Marcion. (30) Luc. v. 16.

CAPUT II.

Sanatur paralyticus. Matthæus vocatur. Obloquuntur Pharisæi, quod Christus cibos cum Publicanis capiat, ejusque Discipuli paria Pharisaicis jejunia non servent. Discipulos, spicas sabbatho vellentes, & manu excutientes, excusat Jesus.

℣. 1. ET iterum intravit Capharnaum post dies. 2. Et auditum est quod in do-
mo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad januam,
& loquebatur eis verbum. 3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a qua-
tuor portabatur. 4. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt te-
ctum, ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.
5. Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi
peccata tua. 6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cor-
dibus suis: 7. Quid hic sic loquitur? Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi
solus Deus? 8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se,
dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? 9. Quid est facilius, dicere para-
lytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambu-
la? 10. Ut autem sciatis, quia Filius Hominis habet potestatem in terra dimittendi
peccata, (ait paralytico): 11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade
in domum tuam. 12. Et statim surrexit ille, & sublato grabato, abiit coram om-
nibus: ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam
sic vidimus. 13. Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum,
& docebat eos. 14. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium,
& ait illi: sequere me. Et surgens, secutus est eum. 15. Et factum est, cum ac-
cumberet in domo illius, multi Publicani, & peccatores simul discumbebant cum Je-
su, & Discipulis ejus: erant enim multi, qui & sequebantur eum. 16. Et Scribæ,
& Pharisæi videntes quia manducaret cum Publicanis, & peccatoribus, dicebant Di-
scipulis ejus: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magister ve-
ster? 17. Hoc audito, Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui ma-
le habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores. 18. Et erant discipuli Jo-
annis,

annis, & Pharisæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Joannis, & Pharisæorum jejunant: tui autem Discipuli non jejunant? 19. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. 20. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt in illis diebus. 21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum a veteri, & major scissura fit. 22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet. 23. Et factum est iterum cum Dominus Sabbathis ambularet per sata, & Discipuli ejus cœperunt progredi, & vellere spicas. 24. Pharisæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt Sabbathis quod non licet? 25. Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit: & esuriit ipse, & qui cum eo erant? 26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi Sacerdotibus: & dedit eis, qui cum eo erant? 27. Et dicebat eis: Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum. 28. Itaque dominus est Filius Hominis, etiam Sabbathi.

℣. 1. ET ITERUM INTRAVIT CAPHARNAUM POST DIES. Aliquandiu post, cum populos in agro commorantes docuisset, Capharnaum rediit. Navem conscendit, teste Matthæo, ut Capharnaum veniret. Igitur trans Lacum Tiberiadis erat, quo frequenter secessit, ut orationi operam navaret, seseque multitudini subduceret. Codices nonnulli ferunt (1): *Post dies octo*: at optimi & vetustissimi Codices Græci & Latini habent solummodo, *Post dies*; neque aut Matthæus aut Lucas dierum numerum definiunt.

℣. 2. ITA UT NON CAPERET, NEQUE AD JANUAM (2), Vestibulum fortasse significat (3), vel atrium ante fores. Verba igitur faciebat Jesus in aulæ medio, vel etiam in foribus, ut tum ii qui domi, tum qui extra domum erant, loquentis verba perciperent.

℣. 4. NUDAVERUNT TECTUM domus, in qua verba faciebat Jesus, & lectum cum paralytico demiserunt. Tecta apud Palæstinos in areæ formam complanata erant, domusque in exteriori pariete instruebantur scala, qua ascensus dabatur in tectum, quin opus esset intra domum subire (4). Addunt, in medio ejus areæ spatio patuisse fenestram, valvis desuper patentibus clausam, additis circum cancellis. Extollebantur valvæ; cum diei lux in subjectum conclave admittenda erat; claudebantur vero, cum nimius esset solis æstus, sive plueret, vel ningeret. Has igitur valvas sustulere, inquiunt, ut paralyticum coram Jesu in subjecto conclavi docente demitterent. Duo hic negotium faciunt; I. Demissus est paralyticus, teste Luca (5), *per tegulas*: II. Opus est, ut unica fuerit domus contignatio, atque a pavimento ad tectum usque nullum laqueatum tabulatum intercesserit. Ait Ligfootus, Jesum in superiore conclavi fuisse cum Pharisæis Legisque Doctoribus; eoque ascendere consuevisse Judæos, cum de rebus ad Religionem spectantibus agerent. Hæc tamen responsio me non movet, cum perspicuum omnino sit, ubique de Religione disputasse, nullo delectu loci. Probabilius igitur dicendum est, domum, uti plerasque nunc in Oriente consuetas, nulla fuisse contignatione divisam. Quamobrem viros paralyticum portantes, ablatis tegulis aliquibus, quibus area tecti insternebatur, ampliorem effecisse fenestram; demissumque paralyticum coram Jesu in foribus vel in fenestra loquentem jacuisse.

℣. 8. SPIRITU SUO. Ut illorum cogitationes intelligeret, opus non fuit illum ab aliis moneri, aut divinitus edoceri, quemadmodum usuveniebat Prophetis, arcana cognoscentibus secreto divinoque lumine, a sua ipsorum natura alieno. Omnia noverat Jesus *Spiritu suo*, infinita intelligendi vi, suæ ipsius Divinitatis virtute, cum humanitate per hypostalim conjunctæ Dei Filius, Verbum, increata Sapientia, Filii Persona interdum a priscis Patribus *Spiritus* appellatur (6).

℣. 9. QUID EST FACILIUS, DICERE? &c. Vide nos in Matthæum IX. 5.

℣. 13. EGRESSUS EST RURSUS AD MARE, seu Lacum Tiberiadis. Jesus Capharnaum venerat navi, uti vidimus in ℣. 1. adeoque ex altera Lacus parte. Iterum ad mare progressum esse Jesum, dicit Marcus, secundo scilicet, postquam venerat. Vel hæc vox, *Rursus*, refertur ad ea, quæ superiori Capite scripsit, ℣. 16. *Præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream*, eosque ad sui clientelam vocavit. *Rursus* ad lacum profectus, inventum ibi Levin vocavit, ut Apostolus fieret. In vetustis nonnulli Codicibus (7) *rursus* desideratur.

℣. 14. VIDIT LEVI ALPHÆI. Græci Libri plerique habent *Levin*, non *Levi*. Legunt alii (8): *Jacobum Alphæi*. Vide nostram Præfationem in Matthæum, & Commentarium in Caput IX. 9.

℣. 15. ERANT MULTI, QUI ET SEQUEBANTUR EUM. Vocato Matthæo, post convivium, cui adesse dignatus est Christus in Matthæi domo, cum multis ejus artis hominibus, alii ad ipsum accessere Publicani, ejusque institutionibus constantissime obsecuti sunt. Hoc apertis verbis non tradunt Matthæus XI. 19. & Lucas VII. 34. innuere tamen videntur, ubi ajunt, Judæos vitio vertisse Jesu, quod Publicanos & flagitiosos amaret. Matthæi XXI. 31. futurum asserit Jesus, ut Publicani & meretrices Pharisæis & Scribis in altera vita antecedant. Humilem denique Publicanum in Templo supplicem Luc. 18. 10. superbo præfert Pharisæo proprias laudes enarranti. Zachæi Publicani Luc. 19. 2. domum eligit, domibus Sacer-

[1] Ita Codd. Latini quidam, & Græci nonnulli, apud Mald. & Mill. hic. Forte scriptum fuerat ab Evangelista: Δι᾽ ὀ ἡμέρων, pro quo nunc legitur: Δι᾽ ἡμέρων. Mill. Prolog. 413. [2] [illegible]: *Neque quæ ad januam*: Μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. [3] Maldon. Grot. alii plerique. [4] Vide Matth. XXIV. 17. Marc. XIII. 15. [5] Luc. V. 19. Ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ. [6] Vide Grotium hic. [7] Cantabrig. Coph. Cod. Lat. Bodl. [illegible]. [8] Ita Cantabrig. G. L. & Leicest. & Parif. 6. & codd. aliqui, teste Victore Antioch. Vide & Orig. lib. 1. contra Cels. negat, hunc Levin esse Apostolum. Εἰ μὴ ἄρα που [illegible] τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον.

dotum ac Pharisæorum posthabitis. Passim denique testatur, sese non justorum causa venisse, sed ut flagitiosos ad pœnitentiæ iter revocet.

℣. 17. Non necesse habent sani medico, &c. Proverbii genus, in moralibus ad literam non usurpandum. Nemo enim est, vel sanus, vel æger, justus aut peccator, qui Divino Medico non egeat Rom. 3. 23. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Qui optime valens est, statim æger fieri potest; qui vero æger est, Medici Omnipotentia ope ad incolumitatem restitui (9). Universum hominum genus ægrotum est, inquit S. Augustinus (10): huic incolumitatem redditurus venit Jesus: *Jacet toto orbe terrarum, ab Oriente usque ad Occidentem, grandis ægrotus: ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens Medicus.*

Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Græci Codices multi (11) addunt: *Ad pœnitentiam.* Peccatores non vocat Christus, ut in crimine perseverent, sed convertantur, seriaque pœnitentia justi ac fideles fiant. Id satis intelligitur. Hæc additio, *Ad pœnitentiam*, ex Matthæo ix. 13. desumpta est.

℣. 19. Filii nuptiarum, amici sponsi; adolescentes, qui honoris causa per nuptiarum dies sponsum comitantur. Jejunia in Lege imperata omnia procul dubio servabant Apostoli; minime vero cætera, quæ Pharisæi suo ipsorum arbitrio invexerant. Apostolorum conditio, & munus, ad quod a Jesu Christo destinabantur, imo cui eo ipso tempore operam dabant, severa illa jejunia, quibus gloriabantur Pharisæi, illis non permittebant. Hæc explicavimus in Matth. ix.

℣. 26. Sub Abiathar Principe Sacerdotum. Quo tempore David postulatum venit panes a Summo Sacerdote (12), Pontificatum exercebat Achimelech, Abjathari filius. Ut hanc difficultatem diluant, ajunt nonnulli, mendum hic esse librarii, & Abjatharum poni pro Achimelecho. Asserunt alii (13), duo fuisse Achimelecho nomina, Achimelechum, & Abjatharum; quemadmodum Abjathar interdum Achimelech appellatur (14). Certe Davidis ætate Pontifices modo *Sadoc & Abjathar*, nunc *Sadoc & Achimelech* nuncupati inveniuntur (15). Arbitrantur quidam (16), adhuc in vivis tunc fuisse Abjatharum; cumque ad illius domum in Nobe venisset David, ab Achimelecho illius filio annonam postulasse: quamobrem & Achimelechum panes propositionis dedisse Davidi, cum is nondum Pontificatum, sed patris vices gereret. Vetus Codex Cantabrigiensis, qui olim Bezæ fuit, hunc versiculum omittit, Libri quidam manu exarati pro *Abjathar Principe Sacerdotum*, legunt solummodo, *sub Abjathar Sacerdote*. Tu, si sapis, vel duplex Achimelechi nomen admittito, vel duplices eodem tempore Pontifices, Abjatharum Pontificatu indutum, & Achimelechum patris vices gerentem.

Panes propositionis, qui sacræ mensæ in Sancto impositi fuerant, & superiore Sabbatho ablati. Vide 1. Reg. xxi. 1. &c. Iis in cibum uti nefas erat homini profano ex Levit. 24. 6. ... 9. atque teste hoc loco Scriptura; uniusque inopiæ causa id licuit Davidi & sociis.

℣. 28. Dominus est Filius Hominis etiam sabbathi. Mihi omnino licet. Discipulos meos Sabbathi religione liberare. Dominus ego Sabbathi sum, quippe Deus. Quemadmodum legem sanxi, ita vel ad aliquod tempus vel prorsus delere illam queo: mea tamen hic authoritate non utor. Sabbathi sanctitatem non violant Discipuli, fame coacti, dum me imitantur. Ita Discipulos defendo.

---

[9] August. in Psalm. cii. num. 5. *Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies; sed major est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit.* [10] August. Serm. 87. nov. edit. num. 13. 14. [11] Vide Græca impressa. Plura mss. non habent. Mill. hic. [12] 1. Reg. xxi. 1. *Venit David ad Nobe, ad Achimelech Sacerdotem, & obstupuit Achimelech, &c.* [13] Vide Drus. Est. Tir. Bez. Glass. alios passim. [14] Confer 2. Reg. viii. 17. & 1. Par. xxiv. 2. 3. ubi nomen Achimelechi, vel Ahimelechi legitur, cum 2. Regum xv. 29. 35. & 3. Reg. ii. 26. 27. ubi Abjathar, pro eodem homine. [15] 1. Par. xv. 11. *Vocavit David Sadoc, & Abjathar Sacerdotes:* & 1. Par. xviii. 16. *Sadoc autem ... & Abimelech, Sacerdotes.* [16] Grot. Le Clerc.

CAPUT III.

Arida hominis manus restituitur. Scandalum Pharisæorum. Jesus multitudine oppressus. Ingens ægrorum numerus sanatur. Jesus trans mare Tiberiadis fertur. Apostolos duodecim eligit, eosque ad Evangelium nunciandum mittit. Peccatum in Spiritum Sanctum.

℣. 1. ET introivit iterum in synagogam, & erat ibi homo habens manum ari-
dam. 2. Et observabant eum, si sabbathis curaret, ut accusarent il-
lum. 3. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. 4. Et dicit
eis: Licet sabbathis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? At
illi tacebant. 5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis
eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.
6. Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus
eum, quomodo eum perderent. 7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad ma-
re: & multa turba a Galilæa, & Judæa secuta est eum, 8. Et ab Jerosolymis, &
ab Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa Tyrum, & Sidonem, multitudo ma-
gna, audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum. 9. Et dixit discipulis suis, ut na-
vicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum: 10. Multos enim sana-
bat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas. 11. Et
spiri-

ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: 12.
Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum. 13.
Et aſcendens in montem vocavit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum. 14.
Et fecit, ut eſſent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. 15. Et dedit
illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia. 16. Et impoſuit Simo-
ni nomen Petrus: 17. Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impo-
ſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, Filii tonitrui: 18. Et Andream, & Philip-
pum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem
Chananæum, 19. Et Judam Iſcariotem, qui & tradidit illum. 20. Et veniunt ad
domum, & convenit iterum turba, ita ut non poſſent neque panem manducare. 21.
Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem
verſus eſt. 22. Et Scribæ, qui ab Jeroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam
Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. 23. Et convo-
catis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo poteſt ſathanas ſathanam ejicere? 24.
Et ſi regnum in ſe dividatur, non poteſt regnum illud ſtare. 25. Et ſi domus ſu-
per ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare. 26. Et ſi ſathanas conſur-
rexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet. 27.
Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi prius fortem alliget, &
tunc domum ejus diripiet. 28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis
hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint: 29. Qui autem bla-
ſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus
erit æterni delicti. 30. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. 31. Et
veniunt mater ejus, & fratres: & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum,
32. Et ſedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris
quærunt te. 33. Et reſpondens eis, ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei?
34. Et circumſpiciens eos, qui in circuitu ejus ſedebant, ait: Ecce mater mea,
& fratres mei. 35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus; &
ſoror mea, & mater eſt.

℣. 1. ERAT IBI HOMO HABENS MANUM ARIDAM. Vide quæ diximus in Matthæum XII. 8. 9. 10. Geſtum eſt in Capharnai Synagoga, ubi & liberatus eſt homo a Dæmone actus, capite I. 23. 24. Arentem hujus hominis manum dexteram fuiſſe, tradit Lucas VI. 7.

℣. 4. LICET SABBATHO BENEFACERE, AN MALE? Nefas eſſe putabant Judæi, hoſtem Sabbatho aggredi; fas tamen ſe ſe tueri, & vim vi coercere (1). Rogat hic Phariſæos Jeſus, utrum, niſi liceat nocere, fas ſaltem ſit bene facere? Et, niſi mortem alteri inferre Sabbatho queat, liceat ne alterius vitam tueri? Lege interdici creditis, ne quis hoſtem Sabbatho interficiat: eſto: at vetitum ne eſt, vitam alterius ſervare, & ægro incolumitatem reſtituere?

℣. 6. CUM HERODIANIS; quos fuiſſe credimus Judæ Galilæi Diſcipulos, nefas eſſe docentes, tributum Romanis pendere, unique Deo ſubditos eſſe Judæos.

℣. 7. SECESSIT AD MARE Galilææ, vel Tiberiadis, ubi navem conſcendit, trans Jordanem profecturus. Infra ℣℣. 9. ... 13.

℣. 8. AB IDUMÆA. Idumæa, ad meridiem Tribus Juda jacens, ad Judæorum ſacra ferme omnis tranſierat, poſtquam Hircanus coegit, circumciſionem & Judaicos ritus amplecti (2). Una eademque cum Judæis gens Idumæi habebantur; eoſque Zelotæ ſupremæ obſidionis tempore in Templum accerſivere, ut illud junctis viribus adverſus Romanos tuerentur (3). Idumæi, poſt Babylonicam captivitatem, magnam Judææ partem meridiem verſus occupabant.

TRANS JORDANEM, a Peræa, Batanæa, Ituræa, Trachonitide, Galilæa ſuperiori.

QUI CIRCA TYRUM ET SIDONEM. Judæi, qui circa duas haſce urbes Ethnicas incolebant. Finitima Phœniciæ erat Tribus Aſer.

℣. 9. UT NAVICULA SIBI DESERVIRET. Multitudini ſe ſubducere voluit, trajecto mari, cum Diſcipulis ſolus. Illum tamen ſecuta ſtatim eſt multitudo, terreſtri itinere circa lacum profecta in alteram lacus oram.

℣. 10. QUOTQUOT HABEBANT PLAGAS, ſeu *flagella* (4), morbis cruciabantur. Quodlibet morborum genus veluti Divinæ manus percutientis ictus ab Judæis habebatur.

℣. 11. SPIRITUS IMMUNDI PROCIDEBANT EI. Homines a Dæmone acti coram illo procumbebant, veniam poſtulantes. Dæmonibus tribuit ea, quæ homines iis agentibus faciebant dicebantque. Iine Dei Filium eſſe norant? Vide Marc. I. 24.

℣. 13. ASCENDENS IN MONTEM, oraturus, inquit Lucas VI. 12. VOCAVIT AD SE QUOS VOLUIT IPSE, exacta precibus nocte, ſubdit idem Lucas. Duodecim tunc ex iis eligens, Apoſtolos nuncupavit, eoſque peculiari legatione ad nunciandum Evangelium miſit.

℣. 17. IMPOSUIT EIS NOMINA, BOANERGES; tunc fortaſſe, cum illi a Jeſu ad oppidum Samaritanorum miſſi, ut domicilium Magiſtro & ſibi poſtularent, & ab illis rejecti, Jeſum rogavere Luc. IX. 53. vellet ne, ignem e Cœlo in oppidum elicerent, eo penitus abſumendum, uti olim Elias præſtitit: quibus reſpondit Jeſus, neſcire eos, quo ſpiritu ipſi agerentur. Anticipato igitur opere ſcribit hic Marcus, inditum a Jeſu illis nomen, Filii tonitru, fulminibus belli, bellatoribus fulmineis.

Boanerges vox eſt neque Hebraica, neque Syriaca, fortaſſe Græci librarii vitio corruptam, pro *Bene-regem*, vel *reges* (5), filiis tonitru, ſeu pro-

[1] Joſeph. Antiqu. lib. 14. cap 8. [2] Joſeph. Antiqu. lib. 13. cap. 17. [3] Joſeph. de Bello lib. 4 cap. 6. pag. 877. 878. in Gr. Κεφ. ια. [4] Ὅσοι εἶχον μάστιγας. [5] בני רגש *Filii tumultus, vel tempeſtatis.*

procellæ, legentis *Boanerges*. Forte etiam corruptum est vocabulum, Galilæis, cæterisque Judææ populis usitatum, qui Syriaco quidem, sed vitiosissimo, sermone utebantur (6).

℣. 18. THADDÆUM. Codices nonnulli habent *Labbæus* (7); quæ vox ex Matthæo (8) desumpta videtur. *Judas* etiam, vel *Juda* nuncupatur: quamobrem triplex illi erat appellatio.

SIMONEM CANANÆUM, apud Lucam (9), *Simonem zeloten*. Ita sonat Hebraica vox *Kanaxi* (10).

℣. 20. ET VENIUNT AD DOMUM. Universum in monte sermonem Christi, aliaque multa, apud Matthæum, v. vi. vii. viii. xi. & apud Lucam vi. a ℣. 17. vii. viii. 3. recitata, præterit Marcus.

℣. 21. ET CUM AUDISSENT SUI, &c. Non omnes Jesu Christi necessarii nomen fidei illius dederant; erantque qui minime illi crederent, teste Evangelio (11). Hi fortasse de Jesu obloquebantur, illum in furorem versum esse criminantes: impium enim foret, id de Virgine Deipara, vel de cæteris illi credentibus suspicari: Nazaretha, ubi nutritus fuerat Jesus, venere; seu potius, ex privatis domibus Capharnai, ubi nonnulli erant Jesu necessarii, & quo credibile est Mariam venisse, ubi domicilium in ea urbe posuisse Filium intellexit. Domo igitur egressi accessere, ut Jesum raperent, ne turbæ impetu obrueretur.

Conatur Grotius docere, Græcum vocabulum (12) significare: *Passus est deliquium*. Casaubonum (13) citat, Arabicam, Syriacamque Versionem, sibi faventes. Syriacam & Arabicam Versionem temere ac falso (14). Omnia illi contraria sunt, circumstantiæ, vis Græci vocabuli, & Vulgatæ, omniumque ferme Interpretum veterum ac recentiorum consensus. De Jesu certe apud Joannem xi. 20. nonnulli dictitavere: *Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?* Mirum ne igitur, siqui Jesu in carne necessarii paria senserint? An inusitata res est, ut ii, qui aliter quam cæteri loquuntur, cogitant, agunt, insaniæ accusentur? Quam sæpe insimulati sunt hujus vitii Prophetæ? Una adfuit Maria Deipara, sed alio certe quam illi consilio, ac fortasse quid illi pararent ac molirentur, ignorans.

Mitissima, quæ admitti queat, hujus vocabuli interpretatio est, extra mentem esse, uti usu venit Prophetis, cum Divino numine afflantur; vel iis qui extra se rapti, divina patiuntur (15). Græcam vocem hoc sensu sæpe usurpat Scriptura (16). Reddunt alii (17): *Egressus est domo*; quasi necessarius Jesu Christi, ut illum turbæ subducerent, dictitantibus, eum se se invitis elapsum esse, veluti hominem insanum, quem vinculis domi coerceri oporteret. Hæc explicatio nihilo mitior est, quam altera, quæ Jesum a necessariis insani hominis loco habitum esse dicit. Cæterum error iste seu rumor totus penes illos fuit, qui illum vulgavere, seu fidem illi addixere. Nemo unquam suspicatus est, Jesum hominem esse sui minime compotem: nihil enim illo unquam sapientius aut constantius auditum est. Illius certe sapientia divina potius erat, quam humana: Cnatchbullus sententiam ad populum torquet: necessarii scilicet Jesu egressi sunt, ut populum coercerent; multitudo enim insanire dicebatur.

℣. 22. BEELZEBUB HABET. Non semel Judæi vitio verterunt Christo, quod a Dæmone ageretur (18). Criminantur hic, illum a Beelzebub Dæmonum Principe occupari, ejusque vi patrare prodigia. Malo Dæmone agitur, sed supremo inter Dæmones, cæteris imperante.

℣. 23. QUOMODO POTEST SATHANAS SATHANAM EJICERE? De sequentibus, usque ad ℣. 30. vide nos in Matthæum xii. 26... 31. & Dissertationem de peccato in Spiritum Sanctum.

℣. 29. REUS ERIT ÆTERNI DELICTI, nunquam dimittendi. Græcus (19): *Æterni judicii*. Codices nonnulli manu exarati cum Vulgata consentiunt. At vulgo Interpretes ajunt, quicquid vertas, damnationem, judicium, vel delictum æternum, intelligendum omnino esse de supplicio, cui nullus futurus est finis.

℣. 32. ECCE MATER TUA, ET FRATRES TUI, &c. De consequentibus, usque ad Capitis finem, vide Matth. xii. 46. &c. Libri quidam manu exarati legunt: *Mater tua, & fratres tui & sorores tuæ*: tua scilicet mater, tuique necessarii, tum viri, tum fœminæ.

---

[6] Vide Ludovicum de Dieu. [7] Vide Var. Lect. Mill. hic, & Grot. [8] Matth. x. 3. Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος. [9] Luc. vi. 15. Σίμωνα τὸν καλούμενον Ζηλωτήν. [10] קני vel קנאי [11] Joan. vii. 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Vide Bed. Euthym. Theophylact. Maldon. Brug. Grot. Syr. [12] Ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. [13] Casaubon. Exercit. ad Annal. Baron. pag. 247. [14] Vide Ludov. de Dieu, Hamm. Erasm. Bez. Brug. Mald. alios passim, antiquos omnes. [15] Vide Heins. Hamm. Ligfoot. hic. [16] Marc. v. 42. Ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ. vi. 51. & 2. Cor. v. 13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ. Εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν. [17] Coppembur. in Collat. Critic. Quidam in Maldon. [18] Joan. vii. 20. viii. 48. x. 20. [19] Ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως. Quid. codd. Ἁμαρτίας, seu ἁμαρτήματος.

CAPUT IV.

Parabola de agricola semen in agro suo spargente. Explicatur parabola. Altera de grano sinapis. Jesus in procella dormit: mari imperat, ut placetur.

℣. 1. ET iterum cœpit docere ad mare, & congregata est ad eum turba multa,
ita ut navim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super
terram erat: 2. Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua:
3. Audite: Ecce exiit seminans ad seminandum. 4. Et dum seminat, aliud cecidit
circa viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt illud. 5. Aliud vero cecidit
super petrosa, ubi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non
habebat altitudinem terræ: 6. Et quando exortus est sol, exæstuavit: & eo quod
non habebat radicem, exaruit. 7. Et aliud cecidit in spinas; & ascenderunt spinæ,
& suffocaverunt illud, & fructum non dedit. 8. Et aliud cecidit in terram bonam:

& da-

& dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat unum triginta, unum se-
xaginta, & unum centum. 9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. 10.
Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, para-
bolam. 11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis au-
tem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: 12. Ut videntes videant, & non vi-
deant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & dimit-
tantur eis peccata. 13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes
parabolas cognoscetis? 14. Qui seminat, verbum seminat. 15. Hi autem sunt, qui
circa viam, ubi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas, &
aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum. 16. Et hi sunt similiter,
qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio acci-
piunt illud: 17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta
tribulatione, & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. 18. Et alii
sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt. 19. Et ærumnæ sæ-
culi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant
verbum, & sine fructu efficitur. 20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati
sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, unum triginta, unum sexa-
ginta, & unum centum. 21. Et dicebat illis: Numquid venit lucerna, ut sub mo-
dio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? 22. Non est
enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut
in palam veniat. 23. Si quis habet aures audiendi, audiat. 24. Et dicebat illis:
Videte, quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur
vobis. 25. Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet,
auferetur ab eo. 26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo ja-
ciat sementem in terram, 27. Et dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen ger-
minet, & increscat, dum nescit ille. 28. Ultro enim terra fructificat, primum her-
bam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. 29. Et cum produxerit
fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. 30. Et dicebat: Cui assimilabi-
mus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? 31. Sicut granum sinapis,
quod seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra:
32. Et cum seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ra-
mos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare. 33. Et talibus mul-
tis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: 34. Sine parabola au-
tem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. 35. Et ait
illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra. 36 Et dimittentes tur-
bam, assumunt eum ita ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo. 37. Et fa-
cta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.
38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi:
Magister, non ad te pertinet, quia perimus? 39. Et exurgens comminatus est ven-
to, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas
magna. 40. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt
timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus, &
mare obediunt ei?

℣. 1. ITA UT NAVIM ASCENDENS SEDERET IN MARI, reducta aliquantulum navi a litore, ut e populo exaudiretur absque vitæ discrimine, quod fuisset omnino subiturus, si in litore stetisset. Confer Matth. XIII. 1. 2. &c.

℣. 2. DICEBAT ILLIS IN DOCTRINA SUA. Priorem versiculi partem repetit, ubi is per parabolas locutus dicitur: ita enim ad turbas verba faciens solebat (1). Vel: Dicebat ea authoritate, quam præ se ferebat (2).

℣. 3. EXIIT SEMINANS AD SEMINANDUM. Parabolam ipse Christus interpretatur, infra ℣℣. 26. 27. &c. Vide & Matthæum XIII. 18. &c.

℣. 8. UNUM TRIGINTA, UNUM SEXAGINTA, &c. Unumquodque seminis genus fructum fert, pro bona malave natura soli, cui commissum est, labore quo est excultum, cæterisque rerum ac temporum adjunctis, ab ipso semine alienis. At Dei verbum, hominum animis exceptum, quamquam natura sua ferax, ac validissimum, ut animos convertat ac flectat, nihil tamen feret, nisi Divinus Agricola manum & opem admoveat. Neque enim qui serit, aut rigat, sed unus incrementum largitur Deus. 1. Cor. 3. 7.

℣. 10. ET CUM ESSET SINGULARIS, solus, sine comite. Hæc verba, quæ subaudiri necesse est, ut loci sensum assequare, Marcus unus recitat. Reverso domum Jesu, nullo teste, Discipuli hæc illum rogavere.

℣. 11. ILLIS AUTEM QUI FORIS SUNT (3); externis, qui e vestro censu non sunt. Ita Philosophi nuncupabant eos, qui in auditorum suorum numero

[1] Vatab. Brug. [2] Matth. VII. 28. 29. Vide infra cap. XII. 28. [3] Τοῖς ἔξω, his qui foris sunt; oppositum iis, οἱ περὶ αὐτὸν, Discipuli, asseclis.

mero non recensebantur. Ita etiam Apostoli (4), veteresque Christiani Ethnicos, Judæos, omnesque universe, qui Ecclesiæ gremio non continebantur.

℣. 12. Ut videntes videant, et non videant. Illorum cæcitatem, quam ipsi sponte electuri sunt, prædicit Deus. Non vident, quia sponte oculos adversus lucem claudunt. Ea fuit Judæorum quolibet tempore pervicacia. Sub Moyse, sub Prophetis, sub Christo Jesu nunquam non pertinaces, infideles, increduli, Divinis jussionibus refractarii, beneficiis ingrati, rejecere gratiam, auxilia neglexere. Illos vocante Dei Filio, ipsi avertere oculos, oculos aureque obstruxere.

℣. 15. Venit satanas, et aufert verbum. Neglectum erga institutiones & magistros suadet: res auditas ex animo delet, novasque his contrarias sententias, cogitationes inducit. Animum aliter movet, quam a Spiritu Sancto movetur. Id quidem sua ipsius actione non præstat diabolus; sed animi affectiones excitat, pessimos socios præbet, subtiles ratiocinationes suggerit, perniciosos homines pravisque dogmatibus imbutos promit, familiari consuetudine id omne evertentes, quod sacra lectio, vel rerum sacrarum auditio feliciter in animis inchoaverat.

℣. 17. Confestim scandalizantur. In verba hæc quodammodo illisi, ruunt, ut is, qui in lapidem lignumve impingitur. Jesu Christi institutiones ænigmata Judæis sunt, mundi amatoribus insania: iis abutuntur hæretici, cum illas pessime detorqueant. His igitur lapis offensionis sunt; utrique enim in illa impinguntur, & cadunt.

℣. 21. Numquid venit [affertur] lucerna, ut sub modio ponatur? Ut hæc cum superioribus jungas, animadverte; Christum domi seorsum cum Apostolis selectisque Discipulis de his disputare; cum turbis vero nonnisi per parabolas egit. Cum apud turbas tropica obscuraque oratione utor, ne illud existimetis, mei esse consilii, ut veritas illos lateat; non illud molior, ut veritatem ignorent, idcirco quippe veni, ut hanc illis tradam: sed sua omnia temporibus expectanda sunt. Nihil nunc tam obvolutum ambagibus est in parabolis, quod aliquando palam promendum non sit. *Numquid venit lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur. Si quis habet aures audiendi, audiat.* Postrema hæc verba hoc loco non habet Matthæus (5); at habent Lucas viii. 16. & Marcus. Eadem sententia ad multa referri potest, nunquam non opportune; modo ea scite utaris.

℣. 24. Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, &c. Hoc ex dictis oritur. Arcana vobis refero, quæ aliis nego: hæc igitur serio meditamini, cæterosque docete, qualia accepistis. Eadem erga alios mensura utimini, quæ erga vosmetipsos adhibita est. Quæ gratis accepistis, gratis, absque invidia & cupiditate largimini (6). Ideirco hæc vobis trado, ut per vos ad cæteros ferantur: neque ullus vos subeat timor, ne vos ad inopiam redigamini. Qui abundant, bonis cumulabuntur; exteritque auferetur modicum illud, quo instructi esse videntur. Duo hic vulgaria proverbia profert Christus, ad hoc unum ducentia, ut Apostoli eodem, quo ipse flagrabat, ardore tenerentur, veritatem universis late hominibus annunciandi, & ea quæ ipsi intellexere, suo tempore quam latissime vulgandi. Easdem locutiones alio loco legas apud Matthæum 7. 2. neque mirum est, cum eædem sententiæ variis locis ac temporibus usurpari potuerint.

Græci Codices hoc loco dissident. Legunt nonnulli (7): *Audite: qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis*, bonis cumulabimini. Alii ferunt *Audite, & adjicietur vobis audientibus: qui enim habet, dabitur illi; & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.*

℣. 26. Sic est Regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem, &c. Hanc etiam parabolam protulit Christus, cum in navi esset: quam tamen non interpretatur: sed facilis est explicatio. *Regnum Dei* Ecclesia est; *semen*, Evangelii prædicatio (8), *ager*, audientium animi; *homo seminans*, is qui Dei verbum nunciat; *messis tempus*, mors; *messor*, Deus, qui falce segetem metit, & vel in horreum vel in ignem conjicit, uti bona vel mala est. Similis est alteri parabolæ de zizaniis in agro patrisfamilias satis, dormientibus servis. Mihi quidem videtur Marcus id brevi collegisse, quod Matthæus xiii. 24. & sequ. fuse describit. Certe utramque eodem tempore, ordine, loco Christus proposuit. Somni tempus, quo tempore crescit messis, adolescit, ac perficitur, adjunctum est non spernendum, a Matthæo & Marco recitatum.

℣. 28. Plenum frumentum in spica (9), maturum, perfectum. Non statim fructum fert Dei sermo, sed suo tempore, *in patientia*, ut Christi verbis utar Luc. 8. 15. Quamobrem animis ne cadant ii, qui serunt, rigant, plantant: tempore opus est, ut verbum vitæ radices agat, atque ad maturitatem perducatur.

℣. 33. Prout poterant audire. Duplex est horum verborum explicatio: Ut intelligere poterant (10), quantum illorum mentes ferebant. Auditorum capacitati sermonem accommodat Christus, ad earum mentium humilitatem descendens, ut iis utilis esse queat, ac parabolas e rebus maxime vulgaribus ducens. Alii contrariam plane explicationem eliciunt (11). Ita cum iis loquebatur, qualis erat animorum præparatio: ita veritatem illis reserabat, uti merebantur. Ita cum indocilibus superbisque mentibus agendum erat; & nihilo clariora illis erant exhibenda. At Discipulos alloquens, nullo utitur ænigmate, nullis ambagibus aut parabolis. Expleta est in Judæis vaticinii Isaiæ (12) fides: Videntes non videbunt, & audientes non intelligent: at nihil penitus Apostolos celat, uti cum amicis solet. Hæc germana est hujus loci interpretatio.

℣. 34. Sine parabola autem non loquebatur eis. Raro sine parabolis ad eos verba faciebat: idque nunc etiam servavit. Cum de Regni sui mysteriis & Ecclesiæ institutione ageret, hæc nunquam perspicue illis tradidit (13): quæ vero ad mores & actionem pertinebant, ea luculentissime docebat, uti compertum est ex sermone in monte ad illos habito.

℣. 35. Ait illis in illa die, &c. Mane ad turbas verba fecerat, primum in Petri domo, tum ad mare Genesareth, in navi sedens. Hinc domum secesserat, pransurus; ibique omnia Discipulis interpretatus est. Vesperi, cum ab obsidente undique multitudine opprimeretur (14), imperavit Discipulis, navim pararent, mare trajecturo: deinde Capharnao in regionem Gerasenorum navi delati sunt, uti consequenti Capite legimus. De reliquis hujus Capitis, vide dicta in Matthæum viii. 18. 27.

(4) 1. Cor. v. 12. 13. Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν. Et, τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρινεῖ. Vide & 2. Corinth. iv. 3. Coloss. iv. 5. Et 1. Thess. iv. 12. Vide Grot. & Le Clerc. (5) Matth. v. 15. alio plane tempore. Aut eamdem forte sententiam non semel protulit & explicavit Christus, uti res ferebat. (6) Matth. x. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* (7) Vide Vechel. Bez. Mill. Var. Lect. hic. (8) Chrysost. Hieron. Beda. Maldon. (9) Πλήρη σῖτον. (10) Chrysostom. in Matth. homil. 45. Theoph. lact. hic; Brug. Piscat. (11) Clem. Alexand. lib. 1. Strom. Ambros. in Psalm. xliii. Hieronymiaster, & Beda, hic; Maldon. Grot. (12) Isai. vi. 9. Vide Matth. xiii. 14. 15. & Marc. iv. 12. (13) Vide Mald. & Grot. (14) Matth. viii. 18. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς πολλοὺς ὄχλους περὶ αὐτόν.

CAPUT V.

Jesus in regionem Gerasenorum profectus, hominem a Dæmone actum liberat. Facultatem dæmonibus facit, ut in porcorum corpora ingrediantur. Hominem dæmone liberatum sibi adhærere volentem prohibet. Curatur mulier fluxu sanguinis laborans. Filia Jairi in vitam revocatur.

℣. 1. ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. 2. Et exeunti
ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo.
3. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat
eum ligare: 4. Quoniam sæpe compedibus, & catenis vinctus, dirupisset catenas,
& compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare. 5. Et semper die, ac
nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. 6.
Videns autem Jesum a longe, cucurrit, & adoravit eum: 7. Et clamans voce ma-
gna dixit: Quid mihi, & tibi, Jesu fili Dei altissimi? adjuro per Deum, ne me tor-
queas. 8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. 9. Et interrogabat
eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.
10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. 11. Erat au-
tem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. 12. Et deprecabantur eum
spiritus, dicentes: mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. 13. Et concessit eis
statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu
grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari. 14. Qui au-
tem pascebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egressi
sunt videre, quid esset factum: 15. Et veniunt ad Jesum: & vident illum, qui a
dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt. 16. Et
narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat,
& de porcis. 17. Et rogare cœperunt eum, ut discederet de finibus eorum. 18.
Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat,
ut esset cum illo: 19. Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad
tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. 20. Et
abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: & omnes miraban-
tur. 21. Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba
multa ad eum, & erat circa mare. 22. Et venit quidam de archisynagogis, nomi-
ne Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus, 23. Et deprecabatur eum mul-
tum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est. Veni, impone manum super eam,
ut salva sit, & vivat. 24. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, &
comprimebant eum. 25. Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duode-
cim, 26. Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis, & erogaverat omnia sua,
nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat: 27. Cum audisset de Jesu,
venit in turba retro, & tetigit vestimentum ejus: 28. Dicebat enim: Quia si vel
vestimentum ejus tetigero, salva ero. 29. Et confestim siccatus est fons sanguinis
ejus: & sensit corpore, quia sanata esset a plaga. 30. Et statim Jesus in semetipso
cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat: Quis tetigit
vestimenta mea? 31. Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te,
& dicis: Quis me tetigit? 32. Et circumspiciebant videre eam, quæ hoc fecerat.
33. Mulier vero timens, & tremens, sciens, quod factum esset in se, venit, & pro-
cidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. 34. Ille autem dixit ei: Filia, fides
tua te salvam fecit: vade in pace, & esto sana a plaga tua. 35. Adhuc eo loquen-
te, veniunt ad archisynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid ultra ve-
xas Magistrum? 36. Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo:
Noli timere, tantummodo crede. 37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Pe-
trum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi. 38. Et veniunt in domum archi-
synagogi, & videt tumultum, & flentes, & ejulantes multum. 39. Et ingressus,
ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. 40. Et
irridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem, & matrem puellæ, &
qui secum erant, & ingreditur, ubi puella erat jacens. 41. Et tenens manum puel-
læ,

læ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge. 42. Et confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim, & obstupuerunt stupore magno. 43. Et præcepit illis vehementer, ut nemo id sciret; & dixit dari illi manducare.

℣. 1. IN REGIONEM GERASENORUM, ad orientem maris Galilææ. Græcus vulgatus habet (1). *In regionem Gadarenorum*. At manu exarati Codices multi, Versio Armena, Coptica, Arabica, Æthiopica legunt, *Gerasenorum*, atque ita in Marco legendum esse vult S. Epiphanius. Victor Antiochenus, Theophylactus, & Author Scholiorum inter notas Euthymii asserunt, ita in optimis & emendatissimis Exemplaribus legi. Vide quæ de Gerasenorum regione diximus ad Matth. VIII. 28.

℣. 2. HOMO IN SPIRITU IMMUNDO. Unius etiam hominis meminit Lucas: duos habet Matthæus c. 7. 28. Unum hunc memorant cæteri Evangelistæ, utpote altero notiorem, quique primas in hac re gessit. Cur vero in N. T. Libris dæmones *immundi Spiritus* appellantur? Eodem nomine utitur Zacharias 13. 2. ut malum Spiritum pseudoprophetas agentem significet, *Pseudo prophetas & spiritum immundum auferam de terra*. Hi certe Spiritus natura sua, atque uti res a Deo creatæ sunt, immundi existimari nequeunt. Quicquid creatum est, bonum natura sua est: quamobrem triplici dumtaxat ex causa immundi esse possunt dæmones; I. quod peccato, superbia, ambitione inquinentur; II. quod homines ad turpia, & pudicitiæ contraria impellant; III. quod ii, qui dæmone aguntur, se ipsos temere inquinent, contactis comestisque rebus immundis, quæ lege vetantur. Quos hic legimus, hi moram in sepulcris agebant, ac postulavere, ut in porcos, pecudes studiosissime a Judæis vitatas, ingredi sibi liceret. Hinc fortasse immundorum appellatio, malis Spiritibus attributa. Forte etiam homines a dæmone acti ferme in Ethnicorum censu habebantur; eorumque consuetudinem, ceu leprosorum, cæteri fugiebant. Id tamen absolute reputandum non est, cum apud Marcum 1. 23. dæmoniacus quidam in Synagogam admissus legatur, quo certe neque Ethnici, neque immundi homines introducebantur: plura enim genera sunt hominum a dæmone occupatorum. Censet Ligfootus, dæmoniacos hujus loci ethnicos fuisse. Gadaram enim & Gerasam urbes Ethnici obtinebant.

℣. 3. IN MONUMENTIS; specubus in rupe excisis, regionis more. Poterant certe vivi homines iis in locis moram trahere nisi locorum horror squalorque prohibuissent.

℣. 7. JESU FILI DEI ALTISSIMI, ADJURO TE PER DEUM, NE ME TORQUEAS. Dæmon, legionis universæ hominem occupantis nomine verba faciens, vel Jesum noverat, vel quis ille esset suspicabatur (2). Flagitat, *ne se torqueat*, scilicet, ne ab hominis corpore ejiciat, & in abyssum trudat (3). Matthæus hæc illius verba recitat: *Venisti ante tempus torquere nos*. Testantur Marcus & Lucas, Christum illi imperasse, ut exiret; quamobrem imperio coactus ita postulavit.

℣. 9. LEGIO MIHI NOMEN EST. Legio sex hominum millia complectebatur. Ægre crediderim, sex dæmonum millia uni homini insedisse: at legionis nomen usurpat, ut plurimos se esse significet. At qui fieri potuit, ut tam multi dæmones juncto simul fœdere unum hominem occuparent? Credibile est, eum, quocum verba faciebat Christus, cæteris imperasse; singulis vero singulas tributas fuisse partes in iis actionibus, quas miser ille præstabat. Nomina dæmonibus atque Angelis tribui nequeunt, nisi ex iis, quæ ab iis fieri cernimus, vel ex proprietatibus, quas in illis animadvertimus. Cuidam ex Angelis nomen est *Raphaelis*, seu *Medicinæ Dei*, quod Tobiam ac Saram curaverit. Quidam ex dæmonibus dicitur *Beelsebub*, dominus musca, forte quod sub muscæ imagine coleretur. Cæterum Angelorum dæmonumque naturas minus novimus, quam ut ex peculiaribus singulorum proprietatibus ac differentiis nomina illis tribuamus. Unus omnium Deus Angelos perfecte novit.

℣. 10. NE SE EXPELLERET EXTRA REGIONEM. Cur tantopere Gerasenorum regionem amat diabolus? Haud dubie, inquit Grotius, quia ibi multi erant Judæi a Lege deficientes, utpote inter Ethnicos positi. Putat Ligfootus, regionem universam frequentatam fuisse ab Ethnicis, ipsumque hunc dæmoniacum ab Judaico genere alienum. Levissimas omnino rationes: nihilo enim frequentiores erant apud Ethnicos dæmoniaci, quam apud Judæos, neque deerant profanæ provinciæ, quo sese reciperent dæmones. Verebatur itaque, ne in abyssum truderetur, vel Asmodæi dæmonis exemplo (4), in loca deserta incultaque ejiceretur, ubi nemini noxius esse posset. Vide nostram Dissertationem de bonis malisque Angelis.

℣. 17. UT DISCEDERET A FINIBUS EORUM, veriti, ne majora detrimenta eo præsente experirentur: multo quippe minoris faciebant corporum animorumque curationem, quam porcorum jacturam.

℣. 20. CŒPIT PRÆDICARE IN DECAPOLI, &c. Christus, qui hominibus incolumitati restitutis imperare consueverat, ne cui rem aperirent, curato huic dæmoniaco præcipit, ut beneficium ubique prædicet; fortasse quod ipse ex ea regione discederet, cum in cæteris locis, ubi prodigia patrabat, certum fixumque domicilium haberet. *Decapolis* regio est ad orientem Maris Tiberiadis, dicta a decem præcipuis urbibus quibus constabatur. Vide nos in Matth. IV. 25.

℣. 21. CUM TRANSCENDISSET TRANS FRETUM, in alteram maris Genesareth ripam, & venisset Capharnaum, unde altera die vesperi discesserat. pone Mare. IV. 35.

℣. 22. UNUS DE ARCHISYNAGOGIS, NOMINE JAIRUS. Rem hanc non habet Matthæus, sed Marcus & Lucas 8. 40. Princeps hic Synagogæ ex iis erat, qui cœtibus Religiosis in Capharnai Synagoga præerant. Qui rerum Judaicarum peritissimi sunt (5), ajunt, consuevisse præfici Synagogæ multos civium maxime conspicuos, numero tamen incerto, uti urbis amplitudo, & numerus Judæorum, in locum orationis convenientium, postulabant. Vide quæ de Synagogis diximus in Matthæum IV. 23. Hammondus *Archisynagogum* hic interpretatur Præsidem concilii trium & viginti Judicum, in singulis urbibus constituti. His autem animadvertit, *Archisynagogi* nomen interdum tribui in Romanorum Imperatorum Constitutionibus (6): at ibi de Principe Synagogæ vel domus orationis agi, compertum est.

℣. 25. MULIER QUÆ ERAT IN PROFLUVIO SANGUINIS. Vide quæ diximus in Matthæum IX. 20.

℣. 29. SICCATUS EST FONS SANGUINIS EJUS: ipsa se

(1) Εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν. (2) Vide supra v. ℣. 24. (3) Ita Hamm. hic, & Interpp. plerique ad Matth. VIII. 29. Luc. hic VIII. 31. *Rogabant illum ne imperaret illis, ut in abyssum irent.*
(4) Tob. VIII. 3. (5) Vide Vitring. de Synagogis, & Basnage liv. 7. de la Continuation de l'Histoire des Juifs. (6) Vide Imperatorum Constitutiones, & vitam Alex. Severi.

se incolumitati restitutam sensit. Hæc Marci verba, cum aliis quibusdam Scripturæ locutionibus (7) comparata, immodicum assiduumque sanguinis menstruorum fluxum significant.

℣. 30. In semetipso cognoscens virtutem. Sacra Jesu Christi Humanitas perennis procul dubio beneficiorum & sanitatum fons erat. Hanc tamen virtutem ita sibi fingebant Judæi, velut aliquid ex illa fluens. Favet huic persuasioni Lucas, inquiens c. vi. 19. *Virtus de illa exibat, & sanabat omnes*. Cave tamen, vulgares hasce locutiones, quamquam optime significantes, ad verbum usurpes. Prodigiosa Jesu Christi virtus ex ipso ad nos egreditur, cum factis promitur (8).

℣. 35. Filia tua mortua est: quid ultra vexas Magistrum? Minime putabant hi, vim esse Christo mortuos ad vitam revocandi, quemadmodum sanandi ægrotos. At hominis animum confirmat Jesus, nihil non fieri a se posse testatus, dum is credat; *Tantummodo crede*. Te ne moveant quæ audisti.

℣. 38. Videt tumultum, et flentes. Conductos ibi tibicines fuisse narrat Matthæus (9), turbamque tumultuantem, uti fit. Græca vox (10), quam Vulgata reddidit *ejulantes*, proprie sonat hilarem clamorem, vel celeusma militum, ubi prælium miscent. At Hellenistæ non satis curabant sermonis proprietatem; ac sæpe in Scriptura legitur (11) *alalazeja* pro questu.

℣. 39. Non est mortua, sed dormit. His innuit Christus futurum, ut illam tam facile a morte revocet, quam dormiens aliquis excitatur. Mors passim somnus dicitur. De Lazari morte agens Christus, ait (12): *Lazarus amicus noster dormit*. Ita fortasse loquitur, ut confessionem Divinæ gloriæ servientem e multitudine eliciat, puellam scilicet revera & certissime esse mortuam. Ridebat turba, cum puellam procul dubio non dormire nosset.

℣. 41. Talitha cumi ..... Puella [tibi dico] surge. Ea verba, *tibi dico*, iis *talitha cumi* (13) non continentur. Hinc collige, Jesum familiari sermone usum esse Syriaco, non Hebraico, cum hæ voces Syriacæ sint.

℣. 43 Præcepit illis vehementer; vel insigni humilitatis ac modestiæ exemplo; vel ne invidorum Pharisæorum livor exacerbaretur; vel denique ne mortui ad vitam revocandi, quemadmodum ægri, ad sese deferrentur. Prodigiorum virtutem non jactabat, ea patrare contentus, ubi Dei gloria, & veritatis confirmatio id postularent. Hostium etiam invidiam & furorem metuebat, præsertim Pharisæorum, qui fortasse ad apertam vim descensuri erant, & constituta Patris æterni decretis tempora præventuri. Cibos simul ad puellam afferri jussit Jesus, ut illam nedum revocatam esse in vitam, verum etiam incolumitati restitutam omnes intelligerent (14).

(7) Levit. xii. 7. *Mundabitur a profluvio sanguinis sui*. Et xx. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui*. (8) Beng. Grot. Le Clerc, alii. (9) Matth. ix. 23. (10) Ἀλαλάζοντας πολλά. Quidam ὀλολύζοντας scriptum putant ab Evangelista; sed omnes Codd. consentiunt in ἀλαλάζοντας. (11) Vide Isai. xv. 4. Mich. iv. 9. Ludov. de Dieu, hic. (12) Joan. xi. 11. (13) טליתא קומי (14) Grot. Ligfoot. alii.

C A P U T VI.

Jesus Nazaretham proficiscitur. Apostolorum missio. Hos monitis instituit Christus, & dono prodigiorum instruit. Herodes Jesum esse putat Joannem Baptistam redivivum. Cur Herodes Baptistam interfecerit. Quinque panes multiplicat Jesus: super aquas graditur: procellam sedat: ægros plures sanat.

℣. 1. ET egressus inde, abiit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli
sui. 2. Et facto sabbatho cœpit in synagoga docere, & multi audientes
admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ est sapien-
tia, quæ data est illi; & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur? 3. Noo-
ne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis?
nonne, & sorores ejus hic nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo. 4. Et di-
cebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo
sua, & in cognatione sua. 5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi pau-
cos infirmos impositis manibus curavit; 6. Et mirabatur propter incredulitatem eo-
rum, & circuibat castella in circuitu docens. 7. Et vocavit duodecim; & cœpit
eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. 8. Et præ-
cepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum; non peram, non panem,
neque in zona æs. 9. Sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. 10.
Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde;
11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite
pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. 12. Et exeuntes prædicabant, ut
pœnitentiam agerent; 13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos æ-
gros & sanabant. 14. Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen
ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis, & propterea virtutes
operantur in illo. 15. Alii autem dicebant: Quia Elias est. Alii vero dicebant: Quia
pro-

propheta est, quasi unus ex prophetis. 16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. 17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. 19. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum, & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. 21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. 22. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis, & dabo tibi: 23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. 24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ. 25. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. 26. Et contristatus est rex propter jusjurandum: & propter simul discumbentes, noluit eam contristare: 27 Sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere. 28. Et attulit caput ejus in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. 29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & posuerunt illud in monumento. 30. Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant. 31. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant. 32 Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum. 33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos. 34. Et exiens vidit turbam multam Jesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. 35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & jam hora præteriit. 36. Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos emant sibi cibos, quos manducent. 37. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. 38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. 39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. 40. Et discubuerunt in partes, per centenos, & quinquagenos. 41. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus: 42. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. 43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. 44. Erant autem, qui manducaverunt, quinque millia virorum. 45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. 46. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. 47. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra. 48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare: & volebat præterire eos. 49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, & exclamaverunt. 50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. 51. Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant: 52. Non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum: 53. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. 54. Cum egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum. 55. Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. 56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

℣. 1. ABIIT IN PATRIAM SUAM, Nazaretham, unde undecim circiter antea mensibus discesserat (1), ut domicilium Capharnai constitueret.

℣. 2. QUÆ EST SAPIENTIA, QUÆ DATA EST ILLI, ET VIRTUTES? Solent Hebræi sapientiæ nomine eruditionem, prudentiam, industriam, solertiam significare. Nazareni, inter quos Jesus triginta am-

(1) Toynard. Harmon. hic; Brug. Maldon.

amplius annos egerat, nemini conspicuus, nullis literis, nullisque magistris, aut studiorum exercitationibus, videre non poterant, unde ea hominis eloquentia, eruditio, docendi authoritas, virtusque prodigiorum, quæ ubique fulgebat. Invidia, hominum superbia, qua nemo patitur, eos, quos æquales putat, supra ceteros efferri, severe in causa fuit, cur illi increduli fuerint, ipsumque contempserint.

℣. 3. Nonne hic est faber? Expendimus in Matthæum, quam artem exercuerit Josephus, adeoque & Jesus, quem procul dubio credi par est, socias patri manus adjunxisse, ut victum sibi compararet, antequam prædicationis munere fungeretur. Græci Codices nonnulli habent (a): *Nonne hic est filius fabri*, vel artificis? Græca enim vox generica est, & quodlibet artificum genus significat. Certat Origenes lib. 6. contra Celsum, nullo Evangeliorum loco doceri, artem ullam exercuisse Jesum, quamquam Josephus faber fuit. Plerique tamen Codices manu exarati, omnesque typis vulgati, Patres & Interpretes uno assensu Jesum fuisse fabrum docent. Matthæus 13. 55. fert: *Nonne hic est fabri filius*.

Frater Jacobi, nempe necessarius, vel Sobrinus Jacobi cognomine Minoris, Episcopi Jerosolymitani; *Josephi*, seu *Joso*, ex Græco, *Juda* qui Epistolam ipsius nomine vulgatam scripsit; *Simonis* cognomento Chananæo, seu Zelotæ. Hos peperisse creditur Maria, Deiparæ soror, uxor Alphæi, & Cleophæ filia.

Scandalizabantur in eo. Humile Jesu Christi genus, necessariorum paupertas, obscura vitæ ratio, quam ad initium usque prædicationis egit, offensionis occasio illis erant, illosque prohibuere, ne Jesu Christo crederent, & beneficia, quibus affecturus erat illos Jesus, arcuerunt. Lapis fuere offensionis, in quem illi offenderunt (3).

℣. 4. Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Proverbium, quod ad sese refert Christus. Absentia pluris æstimantur, & ea quæ rumor defert, quam præsentia: quæ absunt, quam quæ præsto sunt. Præclara quantumvis hominis fama, si familiaris esse incipias, statim minuitur. Christus, infinita licet virtute præditus, nullaque vitii suspicione notatus, hanc hominum inconstantiam expertus est.

℣. 5. Non poterat ibi virtutem ullam facere, prodigium ullum patrare, quia nempe noluit, cum ingrati atque infideles cives obicem illius misericordiæ posuerint. Nulla ingratis beneficia largiri voluit, nullaque prodigiosæ virtutis indicia iis exhibere, a quibus ipse negligebatur (4). Vulgo usurpatur: Ferre illum nequeo, nequeo parcere: neque tamen absolute id fieri posse negatur, sed huic rei nos repugnare dicimus, reluctante nimirum voluntate.

℣. 6. Mirabatur propter incredulitatem eorum. Hominum admiratio ex ignorantia oritur. Nihil unquam ita miratus est Jesus; sed exteriorem aliquando speciem admirantis præ se tulit. Voluit, ut cæteri miram civium suorum cæcitatem atque incredulitatem animadverterent.

℣. 7. Vocavit duodecim, et cœpit eos mittere binos. Apostolos missos fuisse *binos*, non tradit Matthæus (5); sed Jesum, cum populos fatigatos, & institutionibus carentes, ceu oves pastore destitutas cerneret, atque omnia ipse loca peragrare non posset, misisse Apostolos in universam circa regionem, ut sibi deinde venturo itinera animosque audientium pararent.

℣. 8. Nequid tollerent in via, nisi virgam tantum. Ne virgam quidem illis tribuit Matthæus (6). Sunt qui censent, vetuisse Christum, ne virgas plus una ferrent Apostoli; quemadmodum unicam tolummodum vestem, unicum calceorum seu sandaliorum par illis esse jussit: at fortasse hoc dicere voluit: Ite, nihil de itineraria annona solliciti: statim discedite cum hoc commeatu, quem nunc habetis: siquis virgam habet, secum ferat: qui non habet, non quærat: illico proficiscimini; Deus quippe quicquid vobis opus futurum est, suppeditabit. Quamobrem pedibus iter inire, absque armis, & baculo, atque ita imparatum in viam se dare, baculo tantum uno inter manus, re unum idemque significant; neque secum pugnare Evangelistæ dici queunt. Vide nos in Matthæum ix. 10. Nostra adhuc ætate Persæ nunquam domo exeunt, vel salutationis alicujus causa, præsertim si viri nobiles sint, quin alteram vestem pileumque servus deferat; & si deambulatum exeant in agrum, deferri jubent cibos, comessatiunculæ gratia (7). Vides Orientalium mores, a nostris alienos.

℣. 11. In versiculi hujus fine addit Græcus: *Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati*. Quæ ex Matthæo x. 15. desumpta sunt, nec in optimis Codicibus Græcis quampluribus leguntur.

℣. 13. Ungebant oleo multo ægros, et sanabant. Hoc in cæteris Evangelistis non habetur. Solebant, inquiunt (8), Judæi ægros inungere, piosque homines vocabant, ut illis manus imponerent, precesque pro illorum incolumitate funderent. Servatum id in Veteri Testamento non invenitur; at in Novo res præter dubium est tum ex hoc Marci loco, tum ex Jacobo Apostolo, scribente v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*.

Quæritur, utrum hæc Apostolorum unctio Sacramentum sit unctionis a Jesu Christo institutum, & ab Ecclesia in Fidelium morbis adhibitum: an medicinalis unctio, qua corpora curarentur. I. naturale certe pharmacum dici nequit, ab Apostolis admotum, cum omnino inter prodigia ab Evangelio recenseatur. Magistri exemplo, jungebant illi preces, manusque imponebant, Symbolicum aliquid significantes, ut inanem gloriolam vitarent, vel ut animos ad sublimius aliquid excitarent. II. Ægre persuaseris, Sacramentum Unctionis fuisse (9), cum ea unctio præsertim ad corporis morbos spectaret, unctio autem ab Ecclesia ægris admota ad morbos animi præcipue pertinet. Præterea nondum Sacerdotes erant Apostoli, cum ad Evangelium nunciandum, ægrosque curandos missi fuere. At Unctionis Sacramentum a Sacerdotibus tantummodo conferendum est. *Inducat Presbyteros*, inquit Jacobus Apostolus v. 14. Denique omnes indiscriminatim ægroti, qui id postulassent, ungebantur: at Unctio, uti Sacramentum Ecclesiæ est, nonnisi Fidelibus baptismo initiatis conceditur. Dicendum ergo est cum Concilio Tridentino (10), & plerisque Theologis atque Interpretibus (11), unctionem ab Apostolis adhibitam nonnisi figuram fuisse ac typum illius, qua utitur Ecclesia, a Jesu Christo institutæ, atque ab Jacobo fratre Domini commendatæ ac promulgatæ: *Apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum & Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum*.

℣. 15. Propheta est, quasi unus ex Prophetis, priscis Prophetis æqualis. Græci Codices qui-

(a) Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος. Ita Codd. aliqui veteres Teste Erasmo, Colb. 8. Paris. 2. Arab. Æthiop. &c. (3) Matth. xxi. 42. 44. Luc. xx. 18. (4) Vide Maldon. Birg. Grot. Vatab. Menoch. Hammon. alios passim. (5) Matth. ix. 36. 37. 38. x. 1. 2. (6) Matth. 10. 10. Mela ῥάβδον. (7) Chardin, Voyage de Perse, lib. 2. pag. 55. (8) Grot. Ligfoot. Le Clerc. (9) Ajunt Lucas Brugensis, & Maldonatus. (10) Concil. Tridentin. sess. xiv. cap. 1. (11) Bellarm. Natal. Alexand. hic, Menoch. Tirin. alii.

quidam legunt (12): *Propheta est, vel quasi unus Prophetarum*. Vel ipse Propheta est, vel ad Prophetas accedit. Quasi Jesus majoribus prodigiis, quam veterum Prophetarum quisque, non claruerit. At ea est vulgi persuasio, ut vetera novis numquam non anteponat. Legunt alii (13): *Propheta est* ille κατ' ἐξοχὴν, Messias a Moyse promissus (14); seu veterum Prophetarum aliquis, redivivus.

℣. 16. QUEM EGO DECOLLAVI JOANNEM, HIC A MORTUIS SURREXIT. Quid sibi velit Herodes, non satis assequimur. Tametsi mortuorum Resurrectionem, ac metempsychosin ille crediderit, idcirco ne Joannes in vitam rediisse credendus erat, quod Jesus prodigia patraret? Nonne ex Evangelio Joan. x. 41. constat, nullo Baptistam claruisse prodigio? *Joannes quidem signum fecit nullum*. Præterea quam vere dici poterat Jesus esse Joannes redivivus, cum is diu ante Joannis necem clarere cœperit; & antequam in carcerem daretur Joannes, frequentior fieret baptizandorum concursus ad Christi Discipulos, quam ad Joannem (15); plures, quam Joanni, essent Christo Discipuli, ejusque prodigiorum fama in Syriam, Phœniciam, Idumæam, omnesque finitimas Provincias manavisset? Herodis ratiocinationem non defendimus. Id quidem illum sensisse, omnes asserunt Evangelistæ; quamobrem id procul dubio est. Vide nos in Lucam ix. 8. 9.

℣. 19. INSIDIABATUR ILLI, causas illum perdendi quærebant. Græca vox (16) potius sonat: *Imminebat ei*; odio illum implacabili prosequebatur, simultatem animo servans, dum sese perdendi occasio præberetur.

℣. 20. HERODES CUSTODIEBAT EUM. In vinculis habebat, prohibebatque, ne aut is fugeret, aut illum Discipuli raperent. Plerique tamen Interpretes Græcum in bonam partem accipiunt (17): *Tuebatur eum*, & tutum præstabat ab Herodiadis insidiis. Reddunt alii: *Herodes observabat eum, & audito eo, magnopere commovebatur* (18), *& modeste audiebat*.

℣. 21. CUM DIES OPPORTUNUS ACCIDISSET. Docti quidam Critici (19) putant, in Græco significari *solemnem diem*, diem festum. Natalitius Regis dies lætus erat, & hilaritatis plenus: eo autem ipso die sperabat Herodiades futurum, ut inter epulas, convivia & ludos perdendi Baptistæ opportunitatem nancisceretur. Cætera vide in Matthæum xiv.

℣. 30. CONVENIENTES APOSTOLI AD JESUM, a prædicatione reduces. Certum fortasse reditionis tempus illis constituerat Jesus, cum omnes simul redierint.

℣. 33. VIDERUNT EOS ABEUNTES, ET COGNOVERUNT MULTI, eosque secuti sunt. Docet Lucas (20), illos trans mare Tiberiadis profectos esse, in desertum Bethsaidæ; Capharnao fortasse, aut ex finitimis locis egressi. Populi, qui nunquam a Jesu discedebant, cum illum una cum Apostolis navim conscendisse conspicerent, terrestri itinere (21) ad septemtrionale maris Tiberiadis caput profectis, trajecto, pontis ope seu cymbis Jordane, in desertum Bethsaidæ, quo venturus esset Jesus, ante ipsum pervenere. In Græcis Codicibus nonnullis desiderantur hæc verba (22): *Prævenerant eos*. Scholion esse putat Lucas Brugensis, quod ex ora in Textum irrepserit.

℣. 37. DUCENTIS DENARIIS. Ducenti denarii, si pro siclis usurpentur, conficiunt libras Gallicas 324. solidos tres, denariolos quatuor. At si Romanum numisma intelligas, libras Gallicas æquant aliquot supra octoginta, cum Romanus denarius cum solidis nostratibus octo, & denariolo uno comparetur.

℣. 39. SUPER VIRIDE FŒNUM. Reliqua ad hanc rem pertinentia vide in Matthæum 14. 15. & in Harmonia. Hoc paulo ante Paschatis Festum contigisse, animadvertit Joannis vi. 4. unde intelligis, cur populus super viride fœnum sederit; & quid scribat Joannes, multum fœni eo loco fuisse.

℣. 40. DISCUBUERUNT IN PARTES. Græcus ad verbum legit (23): *Per mensas & mensas*. Et ℣. 40. *Per areolas & areolas*, ut in hortis fit. Viceni aut triceni distributi sunt; atque ita in fœno ceu varias in horto areolas componebant.

℣. 44. QUINQUE MILLIA VIRORUM, præter fœminas & pueros, inquit Matthæus xiv. 21. Græci Codices nonnulli hic cum Matthæo consentiunt (24): *Fere quinque millia*.

℣. 45. UT PRÆCEDERENT EUM TRANS FRETUM AD BETHSAIDAM. Bethsaida in ora orientali maris Genesareth jacebat, ubi tunc erat Jesus. Mari profectus est Jesus, ut sese a multitudine expediret. Procella noctu exorta navim, qua vehebantur Apostoli, longe projecit; ita ut mane alterius diei prope oram Tiberiadis fuerint, ad occidentem & meridiem Lacus. Vide nos in Matthæum xiv. 22. & in Joann. vi. 17. & Harmoniam.

℣. 48. CIRCA QUARTAM VIGILIAM NOCTIS. Nox in horas duodecim, & vigilias quatuor, trium horarum singulas, distribuebatur. Quamobrem hora ante solis ortum tertia circiter Jesus ad Discipulos venit.

℣. 52. NON ENIM INTELLEXERUNT DE PANIBUS. Prodigium multiplicati panis aspexere Discipuli, neque tamen magnopere animum adverterunt: illud quippe, quod nullo negotio ex ea animadversione oriebatur, non collegerunt, eum, cui multiplicandi panis potestas sit, gradi etiam super aquas posse. Majori, quam cæteris, fide instruebatur Petrus cum super undas ambulaverit, teste Matthæo xiv. 28. at illius quoque fides nutavit, ubi minitantes fluctus vidit. Græca vox (25), quæ in Vulgata redditur *obcæcatum*, proprie sonat *obduratum*, callosum, stupidum, sensu carens.

℣. 53. IN TERRAM GENEZARETH. Eadem creditur Genezareth ac Tiberias. Si *terram Genezareth* pro illius agro usurpes, dicito, Apostolos, ex agro seu deserto Bethsaidæ, in septemtrionali maris Tiberiadis capite, profectos, ad oppositum caput venisse, ad meridiem; tribusque prioribus noctis vigiliis viginti amplius passuum millia mari emensos. Id porro argumentum est pro iis quæ tradit Marcus, ventum scilicet spirasse contrarium, eosque multum remigando laborasse tota nocte; cum octo circiter passuum millia illis metienda essent, si ex agro Bethsaidæ in eam urbem navigare cuperent, vel etiam ex altera lacus ora, ab oriente in occidentem. Vide in Matthæum xiv. qua ratione concilientur Evangelistæ, dum hoc iter Jesu Christi & Discipulorum narrant.

---

(12) Ὅτι Προφήτης ἐστὶν, ἢ ὡς εἷς τῶν Προφητῶν. Plerique tamen Codices non habent particulam ἢ, vel. (13) Heins. Ὅτι ὁ Προφήτης ἐστὶν, &c. (14) Deut. xviii. 15. 18. Vide Joan. i. 21. 25. vi. 14. vii. 40. Euthym. (15) Joan. iv. 1. (16) Ἐνεῖχεν αὐτῷ. Vide Hammond & Lud. de Dieu, in hunc locum. (17) Καὶ συνετήρει αὐτόν. Ita Grot. Hamm. Brug. alii. (15) Πολλὰ ἐποίει. Alii, ἠπόρει. Steph. Bez. Goth. (19) Ludov. de Dieu, Hammond. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου. (20) Luc. ix. 10. Εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά. Joan. vi. 1. Πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας. (21) Marc. hic: Πεζῇ συνέδραμον, καὶ προῆλθον αὐτούς. (22) Deest in Cantabrig. Colb. 2. Laud. 1. Alii, Προσῆλθον, Colb. 48. Arab. Eph. (23) ℣. 39. Ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια. 40. Καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαί. (24) Ὡσεὶ πεντακισχίλιοι. Vide Mill. hic. (25) Ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη. Vide Ludovic. de Dieu, Bez. Syr. Arab. Tremel. Paga. alios.

C A-

C A P U T VII.

Pharisæi Discipulos Jesu Christi arguunt, quod frequenter manus non lavent. Pharisæorum hac de re traditiones & mores. Hypocrisim vitio illis vertit Jesus. Chananæa mulier filiæ incolumitatem impetrat. Surdus & mutus curatur.

Ꝟ. 1. ET conveniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Jero-
solymis 2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus ma-
nibus, idest non lotis, manducare panes, vituperaverunt. 3. Pharisæi enim, & om-
nes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem senio-
rum. 4. Et a foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradi-
ta sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lecto-
rum. 5. Et interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambu-
lant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? 6. At
ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scri-
ptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. 7. In
vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. 8. Relinquen-
tes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, & ca-
licum, & alia similia his facitis multa. 9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis
præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. 10. Moyses enim dixit. Honora
patrem tuum, & matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte mo-
riatur. 11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod
est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: 12. Et ultra non dimittitis eum
quidquam facere patri suo, aut matri. 13. Rescindentes verbum Dei per traditio-
nem vestram, quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis. 16. Et advocans
iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. 15. Nihil est extra
hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine pro-
cedunt, illa sunt, quæ communicant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi,
audiat. 17. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus
parabolam. 18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia
omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare. 19. Quia
non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes
escas? 20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant ho-
minem. 21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adul-
teria, fornicationes, homicidia. 22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ,
oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. 23. Omnia hæc mala ab intus pro-
cedunt, & communicant hominem. 24. Et inde surgens abiit in fines Tyri, & Si-
donis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. 25. Mulier
enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, &
procidit ad pedes ejus. 26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et
rogabat eum, ut dœmonium ejiceret de filia ejus. 27. Qui dixit illi: Sine prius sa-
turari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. 28.
At illa respondit, & dixit illi: Utique, Domine, nam & catelli comedunt sub men-
sa de micis puerorum. 29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmo-
nium a filia tua. 30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem su-
pra lectum, & dæmonium exiisse. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit
per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. 32. Et adducunt ei
surdum, & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum: 33. Et appre-
hendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & expuens, te-
tigit linguam ejus: 34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha,
quod est adaperire. 35. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum
linguæ ejus, & loquebatur recte: 36. Et præcepit illis, ne cui dicerent: Quanto
autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant: 37. Et eo amplius admira-
bantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Ꝟ. 1. CONVENIUNT AD EUM PHARISÆI ... VENIENTES AB JEROSOLYMIS. Ii ne data opera Jerosolymis venerant, an paulo ante inde redierant? Id porro incertum est. Multo tamen probabilius est, Pharisæos fuisse ex Galilæa, & fortasse Capharnaitas, ex Paschatis festo reversos,

quo & sese contulerat Jesus, minime tamen se prodiderat, Judæorum causa, a quibus ad necem quærebatur (1).

℣. 2. COMMUNIBUS MANIBUS, IDEST, NON LOTIS, MANDUCARE PANES. Id procul dubio servabant Discipuli, quod munditiei legibus imperatur, ubi ad mensam accedas: at pro lege id habendum esse non putabant: manus, siquando immundæ essent, lavabant, neque aliter. Pharisæi & Judæi, quibus superstitiosa erat religio, res hujusmodi levissimas studiosissime servabant, eas legis sepem esse dictitantes, quibus servatis, facilem esse graviorum sanctionum observationem. *Communia* (2) dicebantur ab Hebræis illa, quæ communi usui deserviebant; ea porro immunda censebantur, quippe omnium manibus tractata, non posse videbatur, quin labem aliquam referrent: at sacra & munda, a communi profanoque usu longe aberant.

℣. 3. JUDÆI, NISI CREBRO LAVERINT MANUS, NON MANDUCANT. Communis est apud Hebræos Doctores sanctio (3), lavandas esse manus, antequam ad mensam cœnaturus accedas; minime tamen quoties aliquid gustaveris extra cœnam, veluti fructus, &c. Græcus (4) pro, *Nisi crebro laverint manus*, fert: *Nisi pugillum laverint*: scilicet, ab extremo manus, usque ad brachii juncturam (5). Censent Theophylactus, aliique Interpretes doctissimi (6), lavare illos consuevisse ad cubitum usque. Digitos seu pugnum lavare non contenti, brachia etiam lavabant, aqua e manibus ad cubitum usque fluente. Videtur omnino Author Vulgatæ aliter legere, quam Græca nostræ ætatis Exemplaria (7). Post cœnam iterum manus lavabant, inquiunt Rabbini. Turcæ, cum abluuntur, primo aquam in cavam manus volam infundunt, deinde per brachium demittunt, ut per cubitum fluat. Contra Persæ aquam super brachium fundunt, a cubiti junctura, & per brachium ad extremos usque digitos demittunt (8).

De manibus lavandis traditio niti creditur quadam Moysis sententia (9), qua lavare manus jubetur is, qui hominem seminis fluxu laborantem tetigerit; immundus aliter ad vesperam usque futurus, ac tunc denique loturus corpus & vestes, antequam in cæterorum consuetudinem admittatur. Magnam sanctitatis suæ partem in eo constituebant Pharisæi, ut cibos cum quibuslibet indiscriminatim non sumerent (10), seque e legalibus maculis puros servarent. Hinc oriebantur frequentia in Christum convicia, illum cum flagitiosis hominibus cibos capere, pati, ut a famosa muliere tangeretur, cum publicanis consuescere; tum hæc in Apostolos, illos nimirum non lavare manus, cum ad mensam accederent.

℣. 4. A FORO (11) NISI BAPTIZENTUR, NON COMEDUNT. Arbitrabantur illi, teste Joanne (12), inquinari hominis corpus, qui in locum juri dicundo destinatum ingrederetur, eumque a sacris rebus arceri. Rabbini, aliique Interpretes doctissimi (13) ajunt, inquinatorum loco habitos fuisse vel eos, qui in foro fuissent, ob externorum concursum. Ex hisce igitur locis teduces, nedum manus lavabant, verum etiam corpus totum aqua mergebant, si fides sit plerisque Interpretibus, qui rem ex ipsis Scripturæ verbis se colligere arbitrantur (14). Alii tamen (15) satis fuisse putant, manus aqua mergere, ubi e foro reverterentur; accedentibus vero ad mensam lavandas fuisse manus ad cubitum usque, ex nonnullorum sententia, vel saltem pugnum totum, ut aliis placet: dissident enim ea in re Interpretes.

BAPTISMATA CALICUM, ET URCEORUM, ET ÆRAMENTORUM, ET LECTORUM: solebant enim ea ætate cœnantes in lectis circa mensam dispositis discumbere (16): quod siquando impuri homines in iis lectis recumberent, lavabantur lecti, ut tuta esset cæteris accubatio, absque labis metu. Usurpari etiam hæc verba possunt de lectis dormitioni destinatis (17), ubi vel quis mortuus fuisset, vel peperisset fœmina, sive leprosus cubuisset. Nihil peculiare hac de re sanciebat Lex; sed Doctorum Religio multa Mosaicis sanctionibus addiderat.

Cætera, ceu calices, lances, vasa concava continendis liquoribus, cujusvis materię, argillacea, argentea, ęrea, lignea sępe lavabantur, ne iis utentes labem referrent.

℣. 3. BAPTISMATA URCEORUM ET CALICUM, urceos & calices aqua lavantes, seu aqua mergentes, antequam iis utantur. Modestum munditiei studium in vasis ad mensę usum non arguit Jesus, sed immodicum & superstitiosum.

℣. 11. SI DIXERIT HOMO PATRI ET MATRI, CORBAN, &c. Vide Matth. xv. 5.

℣. 14. ADVOCANS ITERUM TURBAM, &c. Videntur Pharisęi seorsum cum Jesu collocuti, ut de violatis per Discipulos traditionibus majorum quererentur. Acriter illos refellit Jesus; tum iterum turbas, inde remotas colloquii ipsorum causa, revocans, ait: Quæ dicturus sum, probe intelligite: Majorum institutiones, levesque traditiones non vendito: ipse doceo, ajoque, quicquid per os ingreditur, eo animum non inquinari. At quę ex ore prodeunt, mala nimirum verba, ambitiosi, invidi, maledici sermones, &c. hęc revera hominem polluunt.

Sunt qui priore hujus Jesu Christi sententię membro, *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare*, abutantur, dictitantes, temere ab Ecclesia interdici certis quibusdam temporibus carnis esum, aliisque jejunia & abstinentiam imperari. At hæc non prohibet Ecclesia, quod eæ res malæ sint, sed ut filios pœnitentia & corporis afflictatione exerceat; cogatque expiare flagitia, quæ fortasse immodico ciborum usu illi admiserunt. Compertum illi est, quicquid creavit Deus, bonum esse (18), eoque uti licere cum actione gratiarum. Ubi vero illorum usus legitima authoritate interdicitur, statim res vetita efficitur, legisque violatio, & utentis intemperantia animum inquinant, reumque coram Creatore, & Jesu Christo Ecclesiæ Capite, Legumque saluberrimarum in ea conditarum condendarumque ad exitum usque sæculorum authore, constituunt.

℣. 19. IN SECESSUM EXIT, PURGANS OMNES ESCAS. Naturali argumento docet, quicquid in hominis alimoniam est, eo hominem non pollui; nimirum omnia, quæ per os introducimus, concoqui, atque in corporis substantiam mutantur; & inutile ac sordidum per excrementa dejicitur; illud ne hominem polluit? Ciborum, ore maceratorum mutatio, horum quidem in sanguinem & chylum, aliorum vero in excrementa, perspicue

(1) Toynard. Ham. hic. (2) 1. Maccab. i. 47. 62. Act. x. 14. xi. 8. Rom. xiv. Hebr. x. 29. Matth. xv. 11. (3) Maimon. in Misna, tract. Chagigah cap. ii. sect. 5. cap. 6. & lib. Jad. tract. Berachot. (4) Ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι. (5) Rabb. Maim. Joseph Ben-Levi, & Alphes, apud Ham. hic. Vide & Drus. & Pokoch. Miscell. 9. (6) Theophylact. hic Lud. de Dieu, Erasm. Capell. Pokoch. Miscell. (7) Author. Vulgatæ legit, Πυκνά, vel πυκνῶς, crebro. (8) Chardin, Voyage de Perse tom. 3. (9) Levit. xv. 11. Vide Grot. hic, & Cleric. ad Hamm. hic. (10) Vide Pokoch. & Drus. in Synopsi hic. (11) Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι. (12) Joan. xviii. 28. Vide Grot. Ham. (13) Vide Pokoch. Hamm. Vatab. (14) Vide Vat. Grot. Drus. Bez. alios. (15) Pokoch. Miscell. Ligfoot. Hor. Hebr. (16) Erasm. Mald. alii. (17) Pokoch. Ligfoot. (18) 1. Timoth. iv. 4. *Omnis creatura Dei bona est.*

cue docet quid purum sit, quid impurum, bonum malumve, utile & inutile.

Duo bis obiici queunt. I. Deus ciborum quorumdam usum per Moysem interdicens, illos impuros malosque esse voluit. II. Nonnulla, ex se immundissima, nutrire hominem possunt, veluti animalia perniciosa, & quæ vulgo homines horrent. At animadverte, I. illud a Christo poni, immundas res a Mosaica sanctione inveniri, non effici: idque procul dubio est. II. Cum de cibis agitur, impurum illud est, quod nocet, quod inutile est, quod concoqui nequit. Experientiæ igitur & gustus judicio definiendum est, mundus ne an immundus sit cibus. III. Impurum dupliciter hic usurpatur; I. pro eo quod animum inquinat; atque ita fieri certe nequit, ut cibus aliquis natura sua unquam animum polluat, cum nulla sit inter utrumque consensio; II. pro eo quo corpus impurum fit: certum porro est, iis quæ intra corpus accipiuntur, illud pollui non posse; sive enim res futura est, quæ facile concoquatur, & apte nutriat, atque ea certe in sanguinem & substantiam mutabitur; sive noxia erit, atque per excrementa deiicietur. Ita Jesus rem ad simplex principium revocat, inanibus hominum sententiis atque interpretationibus rejectis.

℣. 21. De corde hominum procedunt, &c. Scelera primum animo, cogitatione, voluntate concipiuntur; tum prodeunt, & hominum conspectui exhibentur. Quidquid bene vel male ab homine fit, id ex animo nascitur.

℣. 22. Nequitiæ, oculus malus, blasphemia, stultitia. *Nequitiæ*, πονηρίαι, intelligi universe queunt quælibet vitiorum ac scelerum genera, vel proprie malignitas, malitia. Prima acceptio magis placet. *Oculus malus*, ὀφθαλμὸς πονηρὸς (19), apud Hebræos, est livor, avaritia, invidia, communi Interpretum assensu. *Blasphemiæ* pro secretis detractionibus, convieiisque in proximum prolatis usurpatur; vel pro impiis in Deum verbis. Hic priore modo accipitur. *Stultitia*, ἀφροσύνη, usurpari potest vel pro insania, vel pro peccato, quod vulgo in Scripturis stultitiæ nomine designatur; vel pro temeritate, inconstantia, vel officiorum negligentia; seu pro sacrarum rerum & saluti utilium neglectu; vel denique pro intemperantia.

℣. 24. Neminem voluit scire. Non absolute ac certissime voluit, sed ea voluntate, quæ voluntas *signi* dicitur. Ita se gerebat, ut is qui latere studeat. At Phœnices, quamquam Ethnici, optime norant, quantus ipse vir esset, & quam prodigiis pollens. Universa statim regio intellexit, Jesum in finibus esse, vel illum e Discipulis aliquis prodiderit; vel Judæorum turbæ illum ubique scrutantes, conspicuum fecerint; vel denique Phœnices ipsi de facie agnoverint.

℣. 26. Mulier gentilis, Syrophoenissa genere. Utrumque impediebant, ne ad Jesum accederet, ac postulata impetraret. At ea fuit illius fides, animi ardor, constantia, ut omnia superaverint. *Syrophœnissa* (20) erat, nempe ex ea Phœniciæ parte, quæ Syriam versus porrigitur, apud Geographos nota, sub Phœniciæ Mediterraneæ appellatione. Scribit Matthæus xv. 22. mulierem fuisse *Chananæam egressam ex iis finibus*. Quibus verbis eorum opinio evertitur, qui eam Damasco accersunt (21); Damascenam quippe regionem Syrophœniciam esse arbitrantur. Hebræi *Chananæos* nuncupabant Phœnices, tum Tyri, Sidonis, finitimorumque locorum incolas, tum cæteros Chanaani posteros. Tyri ac Sidonis propinquitas suades, ut ejus regionis mulier fuisse credatur. Vide nos in Matthæum xv. de reliquis.

℣. 31. Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem, scilicet per Sidonis fines; credibile enim non est, Jesum in eam urbem venisse, cujus incolæ universi gentiles erant. Transiens igitur juxta septemtrionales Galilææ fines, ad Libani radices, circa Jordanis fontes, & Galilæam superiorem ad Jordanis orientem peragrans, per mediam Decapolim ad orientale maris Galilææ litus venit. Qui Decapolin cis Jordanem, amni orientalem constituunt (22), ægre intelligunt, qui fieri potuerit, ut Jesus Tyro veniens Sidonem petierit, ut per Decapolin ad mare Tiberiadis perveniret. Sin cum priscis omnibus Decapolin, unaque superiorem Galilæam trans Jordanem ponas, nulla est difficultas. Tyro profectus est Jesus ad Septemtrionem, Sidonem versus; inde ad Orientem circa Jordanis fontes; tum ad meridiem, Decapolin versus.

Græcus typis vulgatus fert (23): *Exiens e finibus Tyri & Sidonis, venit iterum ad mare*. At Cophtica Editio, Arabica, Æthiopica, Codicesque quamplures cum Vulgata consentiunt. Scripsit Græcus *fines Tyri & Sidonis*, ut vitaret illud quod absurdum videbatur, Jesum scilicet *Tyro* venisse *per Sidonem* ad mare Galilææ, cum terga dare Sidoni videretur. *Iterum* venisse dicitur: revera enim paulo antea inde discesserat. Marc. vi. 53.

℣. 32. Adducunt ei surdum et mutum. Græcus (24): *Surdum ægre loquentem*. Censent nonnulli (25), hominem non fuisse neque penitus surdum, nec prorsus mutum, sed qui ægre audiret ac loqueretur. Favent huic opinioni Textus verba, eamque confirmant consequentia; dicitur enim, postquam incolumitati restitutus est, *recte loquutus esse* (26), non cœpisse loqui. Qui enim fieri potuisset, ut totius vitæ curriculo surdus, statim loqueretur? Neque loquentes percipere, neque respondere potuisset, qui neque scisset unquam loqui, neque loquentes audivisset; sed recte locutus dicitur, facile & expedite. Quamobrem absolute surdus non erat, ipsaque surditas casu orta fuerat, ab aliquo tempore perseverans; & loquendi difficultas usum penitus non abstulerat.

Hæc tamen argumenta minime prohibent, ut alii quamplures eo sensu intelligant, quem exhibet Vulgata, de surdo penitus ac muto. Cum cæteri Evangelistæ rem hanc omiserint, nihil ex iis colligi potest, quod lucem huic loco afferat. Græca vox, quam nos reddimus, *hominem lingua impeditum*, interdum apud Septuaginta Interpretes (27) significat hominem prorsus mutum; atque in consequentibus legimus, multitudinem ea re visa dixisse: *Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui* (28). Quæ verba cum iis congruunt quæ diximus, hunc scilicet mutum, incolumitati restitutum statim loqui cœpisse; scilicet, optime imitari verba & sonos, quos docebatur, ac brevi didicisse ita uti sermone, ut commode animi sensa exprimeret. Prior explicatio magis probata est & communis.

℣. 33. Misit digitos suos in auriculas ejus. Hominem a turba segregat, ut illum sanet: digitos in auriculas illius insert, saliva linguam linit, infremit, imperat ut aures aperiantur: quibus certe opus non erat, ut is curaretur. At hæc symbolica sunt & ad docendum apta: modestiam docet, seorsum secedens; gemens oransque ostendit, qua animi contentione orandum sit: digitos inferens in aures, & saliva liniens linguam, de-

(19) Deut. xv. 9. רע עין. (20) Συροφοίνισσα. Alii Codd. Συραφοινίκισσα. (21) Erasm. Drus. Beza. (22) Vide Bez. Lud. de Dieu, alios. (23) Ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου, καὶ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν, &c. Alii, Ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου, ἦλθε διὰ Σιδῶνος. Ita Cantab. Col. 1. Barber. 1. Alii. (24) Κωφὸν, καὶ μογιλάλον. (25) Erasm. Vat. Grot. Bez. Pagn. Tigur. Syr. Maldon. alii. (26) Marc. vii. 35. *Solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.* (27) Exod. iv. 11. Isai. xxxv. 6. אלם Mutus 70. Μογιλάλος. (28) ℣. 37. Καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν.

monstrat, quicquid ad Divinam ipsius personam pertinet, salubre esse & efficax (29): vel quam difficilis sit peccatoris conversio, quem surdus & mutus homo significat: seu denique Sancti Spiritus per digitos significati (30), & Divinæ Sapientiæ suæ, per salivam adumbratæ (31), operationem innuit.

℣. 34. Ephphatha: *Adaperire*. Os auresque surdi, seu muti & surdi hominis alloquitur. Quicquid in vobis clausum est, aperiatur: impeditum solvitor. *Ephphetha*, vel *Ephphata* Syriaca vox est (32), quemadmodum aliæ nonnullæ, ab Evangelistis servatæ. Hanc, aliasque mysticas Christi actiones, veluti manuum impositionem, unctionem, &c. Ecclesia ad Baptismatis ritus transtulit. Cæcos etiam aliquos saliva curavit Jesus, quemadmodum hic mutum. Pro, *ingemuit, & ait illi, Ephphetha*, reddi potest (33): *Clamavit: Ephphetha*.

℣. 36. Quanto autem eis præcipiebat, &c. Peccabant ne illi, non obtemperantes? De hoc Marci 7.45. disputavimus. Si ita imperabat Christus, uti fit, cum quis obtemperari velit, idque illi noverant, peccabant certe; si vero modestiæ causa id præcipiebat, veluti cum prohibes honores & obsequia, quæ alter tibi exhibiturus est, quibus te indignum putas, in ea re nedum non peccabant, sed illud præstabant, quod æquitas, animi grati sensus, & charitas exigebant (34). Christus ita agebat, uti modestia nostrumque omnium institutio postulabant: turba, beneficiis ab eo cumulata, de eo prædicabat, uti æquitas volebat.

℣. 37. Bene omnia fecit, &c. Vulgaris carminis genus, iis simile, quod Davidi ingeminatum est: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, &c. Græcus fert: *Bene omnia fecit: surdos fecit audire, &c.* Cujuslibet generis ægrotos sanavit, & adhuc sanare pergit. Nobilissima Christi defensio adversus Pharisæorum accusationes & dicteria. *Bene omnia fecit*: Laus uni Deo proprie conveniens (35): *opera Domini universa bona valde*.

(29) Vide Mald. Grot. Euthym. Theophyl. (30) Luc. xi. 20. collatus cum Matth. xii. 28.
(31) Ita Gregor. Magn. homil. x. in Ezech. Hieronym. Beda Strab. alii. (32) אתפתח *Heppathach.*
(33) Ἐβόησε, ita significat Græcus in Job. xxiv. 12. xxxi. 38. (34) Vide August. lib. 4. de Consensu cap. 4. & Bedam hic, &c. (35) Eccli. xxxix. 21. Vide Genes. 1. 31.

C A P U T VIII.

Quatuor hominum millia septem panibus alit Jesus. Cavendum a fermento Pharisæorum. Curatur cæcus. Quid de Filio hominis cogitent homines. Petri responsio. Conatur Petrus Jesum a subeundæ Passionis consilio removere. Ferenda crux est, spernendaque vita, Jesu Christi gratia.

℣. 1. In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: 2. Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: 3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. 4. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? 5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. 6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ. 7. Et habebant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & jussit apponi. 8. Et manducaverunt, & saturati sunt, & sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas. 9. Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia: & dimisit eos. 10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. 11. Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo tentantes eum. 12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio illa signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. 13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum. 14. Et obliti sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi. 15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. 16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus. 17. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis: nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? 18. Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini, 19. Quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. 20. Quando & septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. 21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? 22. Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, ut illum tangeret. 23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus impo-

positis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret. 24. Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes: 25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clare videret omnia. 26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam; & si in vicum introieris, nemini dixeris. 27. Et egressus est Jesus, & discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi; & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? 28. Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis. 29. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei; Tu es Christus. 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. 31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari a senioribus, & a summis sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere. 32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. 33. Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me, satana, quoniam non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. 34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. 35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam. 36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? 38. Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. 39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

℣. 1. IN DIEBUS ILLIS, ITERUM CUM TURBA MULTA, &c. Contigit hoc, cum Jesus adhuc trans mare Tiberiadis in Decapoli esset, eodem ferme loco, quo olim quinque panes multiplicaverat, alendis quinque hominum millibus (1). Huc spectat τὸ iterum. Ibi tertium saltem jam diem erat Jesus, uti sequenti commate discimus.

℣. 2. JAM TRIDUO SUSTINENT ME; mecum sunt, vel (2) me expectant. Statim ascenderat in montem Jesus, ibique tres dies fuit. Per id tempus undique ducti ad eum fuere ægroti ed montis radicem (3); isque, ubi descendit, omnes incolumes reddidit, eorumque causa prodigium mox recitandum, & in Matthæo XV. 32. &c. narratum exhibuit. Cum populus se statim redituros putarent, ubi Jesum vidissent, annonam nonnisi ad tempus, quo se futuros in deserto arbitrabantur, comparavere.

℣. 9. QUASI QUATUOR MILLIA, præter fœminas puerosque, pari facile numero Matth. XV. 37.

℣. 10. VENIT IN PARTES DALMANUTHA, vel *Magedan*, ex Matthæo XV. 39. multisque Marci exemplaribus. Urbem hanc plerique Interpretes trans mare Tiberiadis collocant ad orientem, circa Gerasam, seu Gedaram; Dalmanutham vero nomen esse regionis hasce urbes complectentis. Vide nos in Matthæum XV. 39.

℣. 15. CAVETE A FERMENTO PHARISÆORUM, ET FERMENTO HERODIS. Pro fermento Herodis Matthæus XVI. 6. habet *fermentum Saducæorum*: ex quo colligendum videtur, Herodem secta fuisse Saducæorum: res tamen incerta est. Hic, uti vidimus Marc. 6. 16. Joannem in Jesu Christo redivivum esse censuit: id vero homini Saducæo, animæ immortalitatem & Resurrectionem neganti, minime convenit. Græci Codices nonnulli (4) pro fermento Herodis *fermentum Herodianorum* ferunt: neque spernendum. Utrumque fortasse voluit Jesus: Fermentum Pharisæorum, Saducæorum, Herodis, sive *Herodianorum*. In Dissertatione De Sectis Judæorum, Herodianos esse Judæ Gaulonitæ seu Galilæi Discipulos, docuimus.

℣. 18. OCULOS HABENTES NON VIDETIS? Vel: Oculos habetis, quasi non habeatis. Sponte cæci estis medio in lumine. Prodigia omnia, quæ vobis præsentibus exhibeo, nihilo magis vos movent, quam si cæci sitis, & intelligendi vi carentes; iis similes primorum temporum hominibus, apud Æschylum (5), qui diuturnam vitam in rerum omnium neglectu, ac ferme somno agebant, a surdis mutisque quam minimo differentes.

℣. 22. ET VENIUNT BETHSAIDAM e Magedan, vel Dalmanutha. Jesum trajecto mari eo venisse, non tradit Marcus; *Dalmanutha* enim & *Magedan* ad orientem Jordanis & Maris mortui, quemadmodum Bethsaida (6), jacebant.

℣. 23. EDUXIT EUM EXTRA VICUM. Bethsaida e vico ignobili in claram urbem evasit, Philippi studio, qui mutato veteri nomine (7), Juliadem appellavit, in Juliæ filiæ Augusti honorem. Id vero aliquot ante hæc annis contigerat.

℣. 24. VIDEO HOMINES VELUT ARBORES AMBULANTES: confuse video, quasi arbores ambulent. Motu dumtaxat differre ab arboribus videntur. Cur vero Christus cæcum hunc una statim actione non curat, sed per gradus oculorum usum illi restituit? Fortasse ut certior fieret prodigii fides; vel beneficium pro fidei mensura largiri voluit. Imbecillis primo nutansque fuit fides: tum ut augebatur fides, hominis oculis lux restituebatur (8). Græci Codices typis vulgati ferunt (9): *Dixit: Video homines, quoniam sicut arbores video eos am-*

(1) Marc. VI. 35. & sequ. Matth. XIV. 15. & sequ. (2) Ἤδη ἡμέραι τρεῖς προσμένουσί μοι. (3) Vide Matth. XV. 30. (4) Καὶ τῆς ζύμης Ἡρῳδιανῶν. Vide Mill. hic.
(5) Æschyl.
Οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
Κλύοντες οὐκ ἤκουον, ἀλλ' ὀνειράτων
Ἀλίγκιοι μορφαῖσι τὸν μακρὸν χρόνον,
Ἔφυρον εἰκῇ πάντα.
(6) Vide Matth. XV. 39. (7) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 3. (8) Theophyl. Euthym. Chrys. apud D. Thom. Mald. Bibl. (9) Ἔλεγε, βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας. Ita Euthym. Theophyl.

ambulantes. Vel: *Video homines, quoniam ficut arbores video ambulantes*,

℣. 26. Si in vicum introieris, nemini dixeris, Hinc vides, hominem Bethsaidæ civem fuisse.

℣. 27. In castella Cæsareæ Philippi, circa Jordanis fontes. Cum Philippus, Herodis magni filius, Paneadem ornasset, ea urbs Cæsarea Philippi appellata est (10). Rem hoc loco narratam vide apud Matthæum xvi. 13.

℣. 31. Post tres dies resurgere. Græci Codices quidam legunt (11): *Tertia die resurgere*, uti habet Matthæus xvi. 21. Hæc tamen animadversio librarii est, verius dici putantis, Christum tertia die resurrexisse, quam post tres dies ab obitu.

℣. 32. Et palam verbum loquebatur. Reddi potest Græcus (12): *Libere loquebatur*, constanter, apertissime, nullo metu, nullisque ambagibus aut figuris. Optime significat Vulgata versio, eamque Interpretes doctissimi amplectuntur (13).

Apprehendens eum Petrus (14), tenens, amplexatus, inquit: Omen avertat Deus. Nihil consulit Petrus, præter animi sui sinceritatem atque ardorem.

℣. 35. Qui autem perdiderit animam suam, &c. Felicitatis ac salutis loco futurum est, vitam mei causa prodigere. Quamobrem ne putes, me ullo mortis metu terreri: tuque mortem non formidare discito, siquidem æternam vitam amas. *Vita*, seu *anima*, hoc loco ambigui sensu est. *Vitam amittere* significat vel reipsa mori, vel fortunas, famam, vitæ commoda negligere. *Vitam servare*, est, æternam vitam sibi comparare. Quidlibet amiseris, cum animæ jactura comparatum, nihil penitus erit; nihilque pariter, si animæ jacturam feceris, cætera omnia acquisiveris. Jactura seu lucrum æque maximi momenti sunt: hinc jactura irreparabilis; inde inæstimabile lucrum: id porro explicat in consequentibus.

Græci Codices typis vulgati versiculum 39. hujus Capitis ad sequentis initium rejiciunt: at hoc loco illum esse jubet series ipsa sermonis; omnino quippe cum superioribus conjungitur. Hujus explicationem vide in Matth. xvi. 28.

(10) Joseph. Antiqu. lib. 15. cap. 5. (11) Vide Erasm. & Mill. hic. (12) Καὶ παῤῥησίᾳ τὸν λόγον ἐλάλει. (13) Erasm. Illyric. Pagn. Bez. Grot. Pisc. alii. (14) Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος.

CAPUT IX.

Jesu Christi Transfiguratio. Eliam in Joanne Baptista venisse, docet Jesus: cæcum & mutum sanat. Disceptatio inter Discipulos, quis ipsorum major futurus sit. Qui adversum non est, nobis favet. Oculum ejice, si tibi sit offensioni.

℣. 1. ET post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram
ipsis. 2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. 3. Et apparuit illis Elias cum
Moyse: & erant loquentes cum Jesu. 4. Et respondens Petrus ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moysi unum,
& Eliæ unum: 5. Non enim sciebat, quid diceret: erant enim timore exterriti.
6. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius
meus charissimus: audite illum. 7. Et statim circumspicientes, neminem amplius
viderunt, nisi Jesum tantum secum. 8. Et descendentibus illis de monte, præcepit
illis, ne cuiquam, quæ vidissent, narrarent: nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. 9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cum a mortuis resurrexerit. 10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi,
& Scribæ, quia Eliam oportet venire primum? 11. Qui respondens, ait illis: Elias,
cum venerit primo, restituet omnia: & quomodo scriptum est in Filium hominis, ut
multa patiatur, & contemnatur. 12. Sed dico vobis, quia & Elias venit, (& fecerunt illi, quæcumque voluerunt,) sicut scriptum est de eo. 13. Et veniens ad
discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.
14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, & expaverunt, &
accurrentes salutabant eum. 15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?
16. Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: 17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non
potuerunt. 18. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quandiu apud
vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. 19. Et attulerunt eum. Et cum
vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. 20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: 21. Et frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet: sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri. 22. Jesus autem

tem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. 23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam. 24. Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo & amplius ne introeas in eum. 25. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est. 26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit. 27. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? 28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio. 29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam; nec volebat quemquam scire. 30. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget. 31. At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum. 32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? 33. At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset. 34. Et residens vocavit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister. 35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis: 36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. 37. Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. 38. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum, nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. 39. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. 40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. 41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur. 42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: 43. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: 45. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 46. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: 47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 48. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. 49. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

℣. 1. POST DIES SEX ASSUMIT JESUS PETRUM, &c. Sex hi dies ab ea die numerantur, qua Christus Apostolis pollicitus est futurum, ut inter eos aliqui futuri sint, mortem non experturi, nisi Regnum Dei viderint (1). Cum hoc promitteret, circa Cæsaream Philippi erat (2). Lucas (3) *quasi dies octo* scribit; at diem promissæ rei & expletæ recenset: Marcus vero & Matthæus dies tantummodo medios spectant.

De monte, ad Transfigurationem electo, quamquam is pluribus ab hinc sæculis Thabor fuisse creditur, adhuc tamen incerta res pendet. Ex Evangelistarum narratione colligendum videtur, Transfigurationem quam longissime a Capharnao contigisse. Cæsaream Philippi proficiscitur Jesus, in septemtrionalibus Palæstinæ finibus sitam (4): ab Apostolis quærit, quid de ipso homines sentiant: pollicetur fore, ut ipsorum aliquibus gloriam suam exhibeat, antequam moriantur: post dies deinde sex vel octo tres ex Apostolis in editissimum remotumque montem ducit, iisque præsentibus transfiguratur (5): altera die de monte descendens, ad Apostolos venit (6), Galilæam universam prætergreditur, latere cupiens (7): inde Capharnaum venit (8), Capharnao Jerosolymam per Samariam (9), ad Pentecostes festum. Thabor Capharnao quindecim circiter passuum millibus aberat; quamobrem Galilæam universam prætergredi non poterat, ut eo pergeret; imo vix quinquagesimam Galilææ partem peragrare opus erat. Maluerim igitur, id in aliquo Libani vertice, aliove trans Jordanis monte, circa montes Hermonis, contigisse, quemadmodum censuisse videtur Eusebius in Psalmum LXXXVIII.

℣. 9. CONQUIRENTES QUID ESSET: CUM A MORTUIS RESURREXERIT. Quid ea verba significarent, ab eo quærere ausi non sunt, cum meminissent repulsæ a Petro relatæ, ubi is Jesum a subeundæ Passionis consilio removere conatus est. Norant procul dubio, quid esset mortuorum resurrectio; quippe inter fidei Judæorum capita illud recensebatur, mortuos in vitam esse redituros (10).

At

(1) Marc. VIII. 39. (2) Ibid. ℣. 27. (3) Luc. IX. 28. Ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ. (4) Marc. XVI. 13. Marc. VIII. 27. (5) Matth. XVII. 1. & sequ. Marc. IX. 1. & sequ. (6) Luc. IX. 37. Marc. IX. 14. (7) Marc. IX. 10. Matth. XVII. 22. (8) Matth. XVII. 24. Marc. IX. 33. (9) Luc. IX. 51. (10) 2. Macchab. XII. 43. & VII. 9. 14. Joan. XI. 24.

At neque modum neque cætera Resurrectionis Jesu adjuncta noverant, ignorabantque, unus ne ipse rediturus esset ad vitam, an omnes universe homines; an denique mystica futura esset ac tropica resurrectio. Rem denique multo abstrusiorem esse rebantur, quam revera esset.

℣. 10. Quia Eliam oportet venire primum. Judæi, Malachiæ vaticinio freti (11), Eliam Prophetam venturum præstolabantur, antequam dies Domini accederet, nempe antequam Messias ultionem de infidelibus incredulisque exacturus veniret, atque imperium in Jerosolymam universamque terram instituturus: talem enim tunc Messiam fore sibi fingebant, & adhuc fingunt. At cæci tempora duplicemque Christi adventum miscent. Primo quidem venturus erat Elias, sed spiritu; atque hic Elias Joannes Baptista est. Idololatriæ imperium eversurus erat Messias, suumque ipsius in gentes late universas conditurus, Id vero is explevit vocatione gentium, & Christianæ Ecclesiæ institutione. Secundo venturus est, ut justitiæ severitatem & ultionem in impios exerceat. Elias ipse veniet, vivosque & mortuos ad judicium congregaturus est Jesus Christus, novosque Cœlos ac novam terram exhibiturus. Hæc porro non secernebant Judæi.

℣. 11. Elias restituet omnia, ideirco quippe venturus, atque acri studio, felicique eventu laboraturus. At quam vere dici potest Joannes Baptista omnia in ordinem redegisse, aut Elias in mundi exitu omnes homines conversurus? Scilicet, solet Scriptura rem inchoatam pro absoluta sæpissime usurpare; conatum rei efficiendæ, pro ipsa re expleta confectaque.

℣. 12. Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo. Multiplex est hujus loci interpretatio. Sunt qui syntaxim ita ordinent: Elias venit, quemadmodum tradidit Malachias. Elias porro Joannes Baptista est: at Judæi, eum excipere illum deberent, in illum pro arbitratu debacchati sunt, obrutumque injuriis (12), denique necaverunt (13). Aliter: Elias venit in Joanne Baptista: at Judæi pro libito in illum sævière, quemadmodum tradidere Prophetæ. Nonnulli profecto Interpretes (14) ajunt, ea, quæ de ærumnis malisque ab Elia sub mundi exitum ferendis prædicta sunt, saltem ex parte de Joanne Baptista esse intelligenda; veluti quæ habent Isaias 49. 5. & Jeremias 1. quæ ab Ecclesia ad Joannem referuntur. Tum ea quæ in Apocalypsi xi. 3. feruntur de duobus testibus, qui Elias & Henoch esse creduntur, in quibus Scriptor ad illud Zachariæ vaticinium (15) luculentissime spectat, quo vaticinio Zacharias de olivis duabus, & duobus candelabris in domo Domini positis agit.

Græcus a Vulgata magnopere discrepat (16), & plane aliter explicatur. En ℣℣. 11. & 12. *Respondens dixit eis: Elias quidem veniens primum, restituet omnia. Et quomodo scriptum est super Filio hominis, ut multa patiatur, & contemnatur? Sed dico vobis, quoniam Elias venit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt, quemadmodum scriptum est de eo.* Ut vim responsionis assequare, adde hæc ex Matthæo (17): *Ita & Filius hominis passurus est ab eis.* Loci autem interpretatio est: Cum Apostoli ex Jesu Christo intellexissent, ipsum post tres dies redivivum fore, statim sibi animo effinxere, post resurrectionem, de qua veluti proxime futura agebat, ipsius regnum in terris incepturum. Quæsivere itaque: Cur igitur Legis periti docent, Eliæ adventum Messiæ Regno præiturum? Duo respondet Jesus. I. Eliam revera esse venturum, seu potius jam venisse in Joanne Baptista. II. suam ipsius Passionem luculenter adeo in Scripturis tradi, ut ignorari nequeat; quamobrem si Judæi in Præcursorem adeo debacchati sunt, tametsi nonnisi obscure illius perpessiones in Scripturis traduntur; quanto graviora fore mala, a se subeunda, cum ita perspicua de se oracula habeantur?

Elias venit, & in illum pro arbitrio sævierunt, quemadmodum scriptum de eo est: at perpessiones meæ quam perspicue in Scripturis describuntur? Innuit ea exclamatione Christus, quantopere ipse pati cuperet, remque maximi momenti ab Apostolis percipi. Similem habes exclamationem apud Lucam xii. 49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut accendatur? Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur?*

℣. 14. Populus stupefactus est, et expaverunt, ubi Jesum viderunt. Populi admiratio ex eo oriebatur, quod turbæ & Legis periti cum Discipulis disceptarent. Futurum autem putabat populus, ut Jesus Apostolorum causam adversus cæteros tueretur, eosque probro justisque conviciis obrueret.

℣. 16. Habentem spiritum mutum. Omnes ferme morborum causas Judæi a malis Spiritibus repetebant. Hunc revera puerum obsidebat dæmon, uti ex consequentibus constat, illumque surdum (18), mutum, & epilepticum reddebat (19), teste Matthæo.

℣. 17. Allidit illum, et puer spumat. Græcus (20): *Allidit terræ*, vel *confringit*, lacerat. Id porro de convulsionibus illum agitantibus, ac prope lacerantibus explicandum est. Tum & infra (21) scribit, dæmonem, *puero discerpto*, gravissimis convulsionibus agitato, abiisse. Pergit Evangelista: *Spumat* puer, *& stridet dentibus, & arescit*. Addit pueri pater ℣. 22. puerum a dæmone interdum in ignem projici, vel in aquas, eumque a teneris unguiculis eo morbo laborare. Græca vox, quæ hic redditur, *arescit*, apud septuaginta Interpretes sæpe usurpatur pro *discedere, secedere*. Vide Genes. xxxv. 5. Exod. xiv. 19. Zachar. x. 10.

℣. 18. O generatio incredula, &c. Sunt qui censeant, his verbis spectari Judæos, ac præsertim Legis peritos. Ajunt alii, ipsos Jesu Christi Discipulos: prior tamen opinio multo communius probatur.

℣. 22. Omnia possibilia sunt credenti. Si æqualem grano sinapis fidem habueritis, alibi ait Christus (22), nihil vobis arduum futurum est; ipsosque montes nullo negotio transferetis. Malo tamen explicare: *Omnia possibilia sunt credentis gratia*. Qui stabili firmaque fide, minimeque dubitans postulat, illi omnia ex Deo expectanda sunt: spe qualibet non cadet (23).

℣. 23. Adjuva incredulitatem meam, fidem adhuc infirmam. Fidem meam auge, confirma; & siquid illi deest, tu subjice. Confer Rom. viii. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.*

℣. 25. Exclamans, et multum discerpens eum, exiit. Vel, abiit, expressis e pueri ore clamoribus, eoque convulsionibus discerpto, quasi illum laceraret. Sunt (24) quibus placet, Græco vocabulo

(11) Malach. iv. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* (12) Matth. xi, 18. (13) Matth. xiv. 3. Marc. vi. 17. (14) Grotius. Vide & Brug. (15) Zach. iv. 3. 11. 12. (16) ℣. 11. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον ἀποκαθιστᾷ πάντα. Καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ, καὶ ἐξουδενωθῇ. ℣. 12. Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, ὅτι καὶ Ἠλίας ἐλήλυθε, καὶ ἐποίησαν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν, καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν. (17) Matth. xvii. 12. Οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει πάσχειν ὑπ' αὐτῶν. (18) Marc. 12. 15. Τὸ κωφὸν ἄλαλον πνεῦμα, ἐπιτάσσω σοι, ἔξελθε. (19) Matth. xvii. 15. Ὅτι σεληνιάζεται καὶ κακῶς πάσχει. (20) Ῥήσσει αὐτὸν, καὶ ἀφρίζει καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας, καὶ ξηραίνεται. (21) 26. Κράξαν καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτὸν, ἐξῆλθε. (22) Matth. xvii. 19. & xxi. 21. (23) Jacobi 1. 6. Marc. xi. 24. Vide Brug. Vatab. Grot. (24) Martianæus, Not. in N. T. Σπαράξαν αὐτόν.

bulo illud significare, pueri vestes a Dæmone, vel ab ipso puero, convulsionum vi fuisse discerpias. Res probabilitate non caret. Illud tamen optandum esset, ut Græci vocabuli, absolute ut hic usurpati, significationem esse doceremur, vestes lacerare. Ea certe vox in omnibus Novi Testamenti Libris nuspiam legitur, præterquam hic, ℣. 20. & 26. & apud Lucam IX. 39. de hoc ipso puero scribentem.

℣. 28. In nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio. Vide nos in Matthæum XVII. 21. Satis non est, fide instrui: oratione opus est & jejunio, sive ut fidei incrementum postules, sive ut ob inveteratis contumacibusque morbis sanitatem impetres.

℣. 29. Prætergrediebantur Galilæam. Ab hoc loco, ubi puerum sanavit, profectus, Galilæam universam prætergressus est, ut Capharnaum veniret. Colligi hinc potest, locum, ubi transfiguratus est Jesus, longe a Capharnao abfuisse; ejusdem enim ad montis radices puerum incolumem restituit.

℣. 31. At illi ignorabant verbum. Cum Jesus sæpissime verba ad Discipulos de sua ipsius passione ac Resurrectione, supremis præsertim vitæ mensibus, faceret, eorumque animos eam ad rem, gravissimo illis discrimini & offensioni futuram, comparare studeret; ipsi tamen nihil penitus assequebantur. Cum immortalem Messiam, ac temporale Regnum præstolarentur, ipsi a se extorquere non poterant, ut animum iis quæ a Christo dicebantur, accommodarent. Quælibet illius dicta vel per parabolam, vel per hyperbolen, nunquam penitus explendam, interpretabantur. Addit Evangelista: *Timebant interrogare eum*; ne parem Petro repulsam referrent. Marc. 8. 32.

℣. 34. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus. Familiaribus ac efficacissimis, uti solebat, verbis illorum ambitioni medetur, quin illos pudore afficiat, revelatis iis, quæ ipsi in itinere disputaverant. Regnum suum simile non esse dicit terrenis Imperiis, in quibus opulentiores ambitiose subditis dominantur. Contra in Regno suo opus esse, ut qui primi sunt, omnium humillimi, ministrandique cæteris studiosissimi fiant. Animadverte, Jesum & Petrum cæteris præcessisse Capharnaum (25); ortamque fortasse ex Petri absentia disputationis causam; cum Jesus Petrum primum Regni sui Ministrum antea elegisset, promissis illi Regni Cœlestis clavibus (26).

℣. 36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris acceperit, &c. Quisquis e Discipulis meis seu ex Fidelibus, quos ita mites, simplices, atque ab ambitione alienos, uti hunc puerum, esse opus est, aliquem exceperit, me excipiet: mihi ipsi præstitum putabo, quicquid officii erga illos impendetur.

℣. 37. Respondit illi Joannes: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. Nihil hac de re tradit Matthæus: at ipsam recitat Lucas 9. 49. Quæritur, cujus rei occasione id narraverit Joannes. Idcirco fortasse, quod dixerit Christus futurum, ut quisquis e Discipulis aliquem ipsius nomine exceperit, ipsum excepisse credatur; & quicquid officii vel injuriæ illis fiat, ipsi Christo irrogatum censeatur. Quamobrem Joannes veritus, ne hominem dæmones nomine Jesu ejicientem prohibens erraverit, rem ingenue fatetur. Videtur aliis Joannes rem narrare, veluti bene gesta, animi sui studium ac benevolentiam erga Magistrum commendaturus; ferme uti olim Josue Num. XI. 28. Eldad & Medad in castris vaticinantes intelligens, Moysem monuit, ut illos prohiberet. Qua in re longe aberat a Paulo, dicente Philipp. 1. 18. *Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.*

Qui vero fieri poterat, ut homo a Christi grege alienus dæmones nomine ipsius ejiceret? Respondeo I. illum fortasse credidisse Christo, quin illum sequeretur, quemadmodum innumerabiles alii, qui illius quidem instituta, non personam sequebantur (27). II. Potuisse illum Jesu Christi nomine prodigia patrare, quin inter illius Discipulos censeretur, quemadmodum & patrasse creditus Judas, iique omnes, qui suprema Judicii die dicturi sunt Jesu Christo (28): *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo ejecimus dæmonia, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis*, ait Jesus: *Quia numquam novi vos: discedite a me.* Videbatur fortasse Joanni patrandorum prodigiorum potestas unis dumtaxat Apostolis concessa (29), cæteris ab ea exclusis. Et certe Apostolis tantummodo diserte id dederat Jesus; at non ita, ut cæteri excluderentur.

℣. 38. Nolite prohibere. Et hoc spernendum non est, si mei nominis virtutem agnoscat, & cæteris conspicuam efficiat. Cavebit ille omnino, ne ad hostes & criminatores meos accedat. Bene de me loqui, meamque causam tueri cogetur, ne secum ipse pugnet (30). *Qui enim*, subdit Jesus, *non est adversum vos, pro vobis est.* Vel ex aliis Codicibus (31): *Qui enim non est adversum nos, pro nobis est.* Eamdem sententiam alibi contrario sensu recitavit Christus (35), ut significaret, nullum esse animorum divisioni locum in iis qui se sequuntur, atque opus esse, ut vel ipsi totus, vel totus inimico illius hæreas. Teste enim Paulo 2. Cor. 6. 15. *Quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Hoc tamen vulgarium locutionum genus ad varias res variosque sensus, pro variis opportunitatibus, referri posse, nemo non novit. Vide dicta in Matthæum XII. 30.

℣. 40. Quisquis enim dederit vobis, &c. Hæc satis alibi explicavimus Matth. X. 40. Ut totam Jesu Christi orationem probe assequaris, jungenda est hæc sententia cum ℣. 37. atque inter parenthesin clausa legenda sunt commata 37. 38. 39. quibus res a Joanne narrata continetur. Pergit docere Apostolos Christus, quid rependendum sit iis, qui Discipulis officium vel injuriam exhibuerint.

℣. 41. Quisquis scandalizaverit unum, &c. Quisquis minis, injuriis, odiis, malisque sermonibus aut exemplis lapis offensionis & lapsus causa Discipulis meis fuerit, quos mites esse jubeo, ceu pueros, *bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur.*

℣. 43. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Locus ex Isaia 66. 24. qui de supplicio inimicorum Domini agens, ait: Et *egredientur* Jerosolymis, *& videbunt cadavera* [projecta] *virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Ad duplicem cadaverum statum alludit hoc loco Propheta. I. sepeliuntur cadavera, vel insepulta relinquuntur: II. cremantur. Sepulta, vel projecta cibus vermium sunt: cremata vero pabulum ignis efficiuntur. Non eadem funeris est erga impios atque erga cæteros ratio: vermibus illi relinquentur, nunquam vorare cessaturis, flammisque nullo unquam tempore extinguen-

[25] Matth. XVII. 24. [26] Matth. XVI. 18. 19. Marc. VIII. 32. 30. [27] Ambrosius in Luc. lib. VII. Euthym. hic. [28] Matth. VII. 22. Vide Augustin. lib. 4. de Consensu cap. 5. Bed. Theophylact. Maldon. Grot &c. hic. [29] Marc. III. 15. [30] Vide Euthym. Theophyl. Beng. Grot. [31] Ita quam plurimi Codd. apud Mill. [35] Matth. XII. 30. Luc. 11. 23.

guendis (33). Vermes ignesque, quos videmus, cadavera, quæ corripuere, statim absumant: omnesque cadaveris sui injurias post mortem homo non sentit. At vermibus ignibusque, quos dicimus, animus simul & corpus torquebuntur (34); & antequam anima ad corpus redeat, sævissimis cruciatibus discerpetur, longe gravioribus, quam quilibet in terris vivens ferre queat. Sive autem veros materialesque vermes & ignem cum Doctoribus quamplurimis intelligas, sive metaphoricos, conscientiæ nimirum stimulos, cum aliis permultis; incredibiles sunt gravitate cruciatus, diuturnitate infiniti, humanæque mentis capacitatem prorsus superant. Vide nos in Eccl. VII. 19.

℣. 48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima salietur. Mosaica Lege Levit. II. 13. sanctum est, ut sal in quibuslibet omnino oblationibus & sacrificiis adhibeatur: *In omni oblatione tua offeres sal*; Jubet etiam Moyses Levit. 6. 12. æternum ali super altare ignem, & numquam extingui: *Ignis in altari semper ardebit*. Impii in altera vita Divini furoris victimæ futuri sunt (35); quamobrem igne nunquam cessaturo ardebunt: sal urens, nunquam absumendus, illos undique penetrabit (36). Maldonatus ita interpretatur: quemadmodum ex Lege quælibet victima cum sale offerenda erat, ita apud inferos impii omnes igne ipsos devorante salientur & condientur. Ligfootus: Tradentur impii, ℣. 34. vermi nunquam morituro, ignique nunquam extinguendo, ℣. 49. illos non absumet ignis, sed salis instar a corruptione servabit: Infinitis æternisque cruciatibus torquebuntur.

Sunt (37) qui sententiam eum proxime superiore ita conjungant: Quisquis placere Deo cupit, verusque Jesu Christi Discipulus effici, is sale doctrinæ, sapientiæ, prudentiæ condiendus est, & ærumnis malisque saliendus, quibus ita purgantur homines, uti metalla igne cremata multo purissima & pretiosissima efficiuntur.

℣. 49. Bonum est sal, &c. Hæc sententia cum superiore non conjungitur. At Christus, oblata salis opportunitate, de quo supra actum (38), rem maximi momenti Apostolos docet, veluti per parabolam. Sal sapientiæ & eruditionis symbolum est. Quamobrem multus vobis sal esto: veritatibus ad salutem conducentibus animum imbuite. At quemadmodum sal sapore amisso inutile est, atque ab altero sale reparari nequit: ita si perceptam scientiam in vobis corrumpi passi fueritis, ac veritas intra vos vim amiserit, quis deinde vos instituet, rectumque ad iter revocabit, cum vos Deus constituerit, ut sal terræ sitis, cæterosque, ut ita dicam, condiatis (39)? Vide nos in Matthæum v. 13.

Pacem habete inter vos. Jurgia vitate litesque, præsertim vero superbiam & ambitionem. Qui primus vestrum est, cæterorum servus esse studeat. Ita claudit ea, quæ Apostolos docuit, orta opportunitate ex lite, quam de principatu in itinere agitaverant.

(33) Minut. Felix in Octav. *Illic sapiens ignis membra urit; & reficit; carpit & nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt. Ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* (34) Vide Maldon. & Grot. hic. (35) Vide Isai. XXXIV. 6. Jerem. XII. 3. LI. 40. Ezech. XXI. 9. 10. XXXIX. 17. (36) Vide Grot. hic. (37) Vide Bed. Theophyl. Strab. Lud. de Dieu, Spanh. Cappel. (38) Maldon. Grot. Natal. Alex. (39) Augustin. lib. 1. de Serm. Domini in monte; Brug. Grot. Maldon.

CAPUT X.

De divortio. Pueri Jesu Christo offeruntur, ut illis manus imponat. Quam periculosus divitiarum amor. Beati qui omnia relinquunt, Jesu Christi causa. Suam ipsius Passionem prædicit Christus. Jacobus & Joannes primas in Regno ipsius sedes sibi postulant. Cæcus prope Jerichuntem sanatur.

℣. 1. ET inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem, & conveniunt ite-
rum turbæ ad eum; & sicut consueverat, iterum docebat illos. 2. Et
accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere: tentantes
eum. 3. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? 4. Qui di-
xerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere. 5. Quibus respon-
dens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. 6. Ab
initio autem creaturæ, masculum, & fœminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc re-
linquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit ad uxorem suam. 8. Et erunt
duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. 9. Quod ergo Deus
conjunxit, homo non separet. 10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem in-
terrogaverunt eum. 11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam
duxerit, adulterium committit super eam: 12. Et si uxor dimiserit virum suum, &
alii nupserit, mœchatur. 13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Disci-
puli autem comminabantur offerentibus. 14. Quos cum videret Jesus, indigne tulit,
& ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est
regnum Dei. 15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut par-
vulus, non intrabit in illud. 16. Et complexans eos, & imponens manus super il-
los, benedicebat eos. 17. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu

flexo

flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? 18. Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. 19. Præcepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum, & matrem. 20. At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia observavi a juventute mea. 21. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. 22. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens, erat enim habens multas possessiones. 23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! 24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. 25. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri? 27. Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum; omnia enim possibilia sunt apud Deum. 28. Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. 29. Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter evangelium, 30. Qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam. 31. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi. 32. Erant autem in via ascendentes Jerosolymam: & præcedebat illos Jesus, & stupebant: & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei eventura. 33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus. 34. Et illudent ei, & conspuent eum, & interficient eum: & tertia die resurget. 35. Et accedunt ad eum Jacobus, & Joannes filii Zebedæi dicentes: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. 36. At ille dixit eis: Quid vultis, ut faciam vobis? 37. Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. 38. Jesus autem ait eis: Nescitis, quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? 39. At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. 40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. 41. Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo, & Joanne. 42. Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum. 43. Non ita est autem in vobis: sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister: 44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. 45. Nam & Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis. 46. Et veniunt Jericho, & proficiscente eo de Jericho, & discipulis ejus, & plurima multitudine filius Timæi Bartimæus cœcus sedebat juxta viam mendicans. 47. Qui cum audisset, quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Jesu fili David, miserere mei. 48. Et comminabantur ei multi, ut taceret. At ille multo magis clamabat: fili David, miserere mei. 49. Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cœcum dicentes ei: Animæquior esto: surge, vocat te. 50. Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. 51. Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cœcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam. 52. Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

℣. 1. INDE EXURGENS VENIT IN FINES JUDÆÆ ULTRA JORDANEM; scilicet per regionem trans Jordanem. Ita intelligenda est Vulgatæ sententia, ex Græco (1). Profectus Capharnao & a Galilæa Jesus, in fines Judææ venit per Peræam, quæ trans Jordanem est. Amnem fortasse transiit ad Bethsan, sive ad Scythopolim, perrexitque trans amnem usque ad locum e regione Jerichuntis, ubi iterum Jordanem trajecit.

℣. 2. PHARISÆI INTERROGABANT EUM, &c. Vide hæc in Matthæum ix. 13. &c.

℣. 5. AD DURITIAM CORDIS VESTRI SCRIPSIT VOBIS PRÆ-

[1] Ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

PRÆCEPTUM ISTUD. *Præceptum* hoc loco est *permissio*. Hac ratione Lex universa præceptum est. Permittit Moyses, ut vir uxorem repudiet; jubet tamen id certis quibusdam legibus ac ritibus fieri. Permissio in obligationem convertitur, ubi nonnullæ judicii formæ cum re permissa jungi jubentur.

℣. 6. AB INITIO AUTEM CREATURÆ res aliter sese habuit. Minime permisit Deus, ut vir ab uxore sejungatur. Primævæ Legis severitatem ex parte solvit Moyses, leviusque malum permisit, ut gravius vitaret. At Moysis permissio rem neque licitam neque laudabilem fecit. Syrus, Persa, & vetus Cantabrigiensis Codex dumtaxat legunt (2): *Ab initio masculum & fœminam fecit Deus*.

℣. 8. ERUNT DUO IN CARNE UNA: unum, ut ita dicam, hominem, corpus unum efficient: tanta erit illorum conjunctio.

℣. 10. IN DOMO ITERUM DISCIPULI EJUS, &c. Hoc unus tradit Marcus, quo sine locus ægre intelligitur. Ita plerumque solebant Discipuli (3): privatim scilicet Jesum rogabant, ut ea sibi explicaret, quæ turbas docuerat; novumque semper aliquid referebant. Hoc fortasse spectavit Marcus, scribens, illo *iterum* accessisse, ut privatim ipsum interrogarent: jam enim Capharnai interrogaverat, cur ipsi dæmonium mutum ejicere non potuissent.

℣. 12. ET SI UXOR DIMISERIT VIRUM SUUM, &c. Repudiandi facultatem viris tantummodo facit Moyses Deut. 24. 1. neque verbo vel uno eamdem uxoribus potestatem se facere significat. At Christus ita hic agit, ut parem uxori ac viro ea in re facultatem esse censere videatur. Profecto sub veteri Lege nonnulla inveniuntur vestigia repudii, ab uxoribus dati. Samsonis uxor, eo invito & inscio, alteri nuptum data est Jud. 14. 50. Uxor Levitæ, in urbe Gabaa Benjamin stuprata, virum reliquerat, & ad patrem redierat Jud. 19. 2. Saul Micholem filiam, Davidi nuptam, Phaltieli tradidit 1. Reg. 25. 44. Salome, Herodis magni soror, Costobaro repudium exhibuit (4). Herodias Philippum reliquit, ut Antipæ Philippi fratri nuberet (5). Postrema tamen hæc exempla ridenter Interpretibus aut Legis extensio, aut usurpata adversus Legislatoris mentem libertas. Ipsemet Josephus Antiq. 15. c. 11. violatas ait a Salome Judæorum leges, quæ viris quidem, non uxoribus exhibendi repudii facultatem faciunt. In cæteris nonnihil est discriminis, quod vide in Dissertatione de Divortio, ad Deuteronomium.

℣. 13. UT TANGERET ILLOS; vel, ex Matthæo (6), ut illis manus imponeret, superque ipsos preces funderet. Pia multitudinis persuasio censebat, Christi precibus & tactu bona in pueros omnia cœlitus evocari. Omnino autem non minima solatii & felicitatis pars futura illis erat, gloriari olim & meminisse, Jesum Davidis Filium sibi benedicere.

℣. 15. QUISQUIS NON RECEPERIT REGNUM DEI VELUT PARVULUS, &c. Evangelium ac fides excipienda sunt ea humilitate ac docilitate, quæ puerum decent. Nihil præterit Jesus, quin ex illo docendi Apostolos ea, quæ maximi omnium momenti sunt, opportunitatem capiat.

℣. 17. PROCURRENS QUIDAM. Codices multi addunt, *quidam dives* (7). Atque hic revera locuples erat, uti ex consequentibus ℣. 22. constat, iisque divitiarum causa Jesu Christi consilia male amplexus est, atque utrum Christo nomen unquam dederit, dubitatur. Hujus rei explicationem vide apud Matthæum XIX. 16. &c.

℣. 19. NE FRAUDEM FECERIS. Græcus ad verbum (8): Nequem spoliaveris re illi debita. Cum vero supra dixerit, *Ne fureris* (9), ut alterum ab altero præcepto distinguas, dicendum est, hoc loco desiderium rapiendæ rei alienæ interdici (10); vel omnino damnari fraudem, dolum, cavillationes, malas denique omnes auferendi rem alienam artes (11), quæ aliud quid a furto esse intelliguntur.

℣. 21. INTUITUS EUM, DILEXIT EUM. Amicissimo illum animo intuitus est: ipsamet oculorum & oris habitudo ostendit, ipsum libenter audire. Reddunt nonnulli (12): *Osculatus est eum*. Alii (13): *Laudavit & benigne affatus est*.

℣. 23. QUAM DIFFICILE QUI PECUNIAS HABENT, &c. Proximo statim commate explicat, quos hic divites intelligat, quorum salus difficilis adeo videatur: eos nimirum, qui opibus confidunt: *Confidentes in pecuniis*; qui authoritate opibusque nituntur potius quam Dei misericordia & providentia: Divinas sanctiones violare, & gravissima hominis officia negligere parati sunt, ubi de opibus parandis servandisque agitur (14): Illud summi boni ac felicitatis loco habent, ut divitiis abundent. Hoc certe hominum genus cum Christiani hominis conditione componi nequit. Christum sequi non potes, dum ita animo comparatus es: potes vero, quamquam arduum est, opem ferente Deo, vel divitias relinquere, vel terrenarum rerum cupiditatem (15).

℣. 25. FACILIUS EST, CAMELUM, &c. Vide in Matth. XIX. 24.

℣. 30. QUI NON ACCIPIAT CENTIES TANTUM, NUNC IN TEMPORE HOC, DOMOS . . . CUM PERSECUTIONIBUS (16); ET IN SÆCULO FUTURO VITAM ÆTERNAM. Duo pollicetur Jesus, iis qui omnia reliquerint, ut ipsum sequantur; in hac vita centuplum; in altera æternam felicitatem. Centuplum Fideles, dum vivunt, in eo accipiunt, ex Patrum sententia (17), quod cum omnia communia inter Christianos sint, dum ipsi omnia abjiciunt, jus, &, ut ita dicam, proprietatem in omnes omnium Fidelium fortunas acquirunt. Promptiorem majoremque communibus in fratribus opem, benevolentiam, charitatem, quam in ipsismet necessariis & amicorum optimis, si inter infideles essent, nanciscuntur.

Nonnihil addit Marcus, animadversione dignum, a cæteris Evangelistis omissum. Centuplum, inquit, accipient, *cum persecutionibus*. Persecutiones igitur pars promissorum præmiorumque sunt, quæ Christus suis pollicetur? Omnino. Persecutiones, ærumnæ, mala, Christianorum gaudium & hæreditas sunt, certumque futuræ beatitudinis pignus. Eam amicis hæreditatem tribuit Jesus, quam ipse sibi elegit (18): *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*. Qui ex illius grege sunt, sortem suam non queruntur, eamque multo plurimi faciunt, quam omnes mundi delicias ac voluptates. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis*; Jacobi 1. 2. *Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna*, inquit S. Augustinus (19).

Aliter ad literam explicant Marci locum Inter-

(2) Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως, Non legunt κτίσεως Syr. Cantab. Pers. (3) Marc. VII. 17. IX. 27. (4) Joseph. Antiqu. lib. XV. cap. 11. (5) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 7. Vide Matth. XIV. 3. 4. Marc. VI. 17. 18. (6) Matth. XIX. 13. Ἵνα τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς, καὶ προσεύξηται. (7) Τὶς τῶν πλουσίων προσδραμών. Vide var. Lect. Millii. (8) Μὴ ἀποστερήσῃς. (9) Μὴ κλέψῃς. (10) Hammond. hic. (11) Erasm. Le Clerc, Arab. Vulg. Tig. Illyr. alii. (12) Origen. Munst. Casaub. (13) Grot. Lud. de Dieu. (14) Vide Psalm. LXI. 11. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* (15) Infra ℣. 27. (16) Μετὰ διωγμῶν. Heinsius, Castal. Arias Mont. Μετὰ διωγμὸν, *post persecutionem. Centuplum accipient absolutis persecutionibus.* Huic tamen lectioni manuscripta non favent. (17) Origen. Theophylact. Euthym. Author Oper. imperf. in Matth. hom. 29. (18) Hebr. XII. 2. (19) August. Serm. 292. Alias, de Diversis 106. cap. 7.

terpretes (21), Deum scilicet Fidelibus centuplum polliceri, eosque certiores facere, suam ipsius opem illis non defuturam *in persecutionibus*; futurum ut nullius rei egeant, cum inter inopiæ angustias fuerint. Quantumvis licet gravibus obnoxii malis sint, par indigentiæ auxilium exhibebit Deus. Non delicias denique, sed auxilium promittit.

℣. 31. Multi erunt primi, novissimi, &c. Judæorum plures, qui ante cæteros ad Regnum Cœlorum vocati fuere, postremi omnium in eo fient, vel penitus excludentur ob infidelitatem & contumaciam. Adolescens hic, qui servatis religiosissime Divinæ Legis sanctionibus proximus esse Dei Regno videbatur, remotissimus ab eo est, ob divitiarum amorem. Retro abit, & vocationi resistit, dum innumerabiles flagitiosi, Gentiles, Publicani, meretrices in Ecclesiam ingressuri sunt, ibique salutem relaturi. Collatis Matthæi 19. 30. & 20. 16. & Lucæ 13. 30. cum hoc Marci locis, germanam hanc interpretationem intelliges.

℣. 32. Jesus præcedebat illos, et stupebant, et sequentes timebant. Supremum hoc est Jesu Christi iter Jerosolymam. Quæ sibi ferenda in ea urbe essent, sæpe docuerat Apostolos Christus (22): ubique autem, pro opportunitate, dictorum memoriam illis revocabat. Majorem in illo oris & gressus constantiam per hoc iter in eo animadverterunt, cumque is ad paratum sibi supplicium advolare videretur, illius alacritatem ii mirabantur, simulque metuebant tum illi, tum sibi, dubitabantque, ne dehortum mortis illius tempus advenisset, ipsique illius causa dispergendi essent, & persecutionibus exagitandi (23). Solus denique naturalis amor formidinem hanc in illis pariebat. Veteres libri quamplures omittunt hæc verba (24): *Et sequentes timebant*.

℣. 35. Accedunt ad eum Jacobus et Joannes, &c. Hoc quod legimus, postulasse Salomen horum matrem, narrat Matthæus, monentibus fortasse, vel saltem assentientibus filiis. Vide nos in Matthæum xx. 20. Animadvertendum est nunquam Dei Filium de sua ipsius morte coram Discipulis agere, quin illi de principatu cogitent: adeo alte illorum animos spes regni temporalis invaserat, tamque parum ab ambitione cavebant.

℣. 42. Qui videntur principari gentibus, dominantur eis. Recentiores quidam Critici (25) Græcum (26) reddunt: *Ii, quibus honor est imperandi gentibus*. Similes huic locutiones habent Daniel (27), Paulus Galat. 2. 2. 6. Euripides (28), ubi hoc ipsum significari asserunt. Ajunt alii (29), Græcam phrasim, quæ ad verbum fert: *Qui videntur principari gentibus*, pleonasmum esse, pro, *principantur gentibus*; quasi diceres. Qui sapiens esse, vel Propheta, sive columna Ecclesiæ videtur, pro eo qui is est, & vulgo existimatur. Ita Paulus 1. Cor. xi. 16. *Siquis videtur contentiosus esse*, scilicet, qui revera est. Et Matth. 3. 8. *Ne videamini dicere: Patrem habemus Abraham*; ne hoc nomine gloriemini. Et Lucas xxii. 23. *Ipsi cœperunt quærere inter se, quis eorum videretur esse major*; nempe, quis revera primas teneret. Hæc germana hic est verbi significatio.

℣. 46. Proficiscente eo de Jericho, filius Timæi, seu *Bartimæus*. Cæci duo oculorum usum postulantes, impetravere Matth. xx. 29. Alterum dumtaxat nominat Marcus, cujus in curatione plura contigerunt. Alium sanaverat Jesus cæcum, cum Jerichuntem ingrederetur Luc. 18. 35. alterum ab hoc, de quo Marcus. Duplici sermone Marcus cæci hujus nomen exprimit, *Bartimæum*, Syriace, Latine *Filium Timæi*. Ita Paulus: *Abba Pater; Abba* Syriace, Latine seu Græce *Pater*.

℣. 50. Projecto vestimento. Textus quidem verba quodlibet universe vestium genus indicant (30): at res ipsa nonnisi pallium intelligi jubet.

[21] Theophyl. Grot. Vat. Brug. alii. [22] Marc. viii. 31. ix. 31. &c. [23] Theophylact. Beda, Maldon. Grot. Brug. Le Clerc. [24] Non legunt: Καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. Cantab. Mont. Magd. Colb. 2. Cyprian. Paris. 4. [25] Grot. Ludov. de Dieu, Le Clerc. Vide & Maldon. [26] Οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν. [27] Dan. xiii. 5. Οἱ ἐδόκουν κυβερνᾶν τὸν λαόν. [28] Euripid. Hecub. apud Grot. hic. [29] Cargivigt. ad Matth. xx. Gataker. hic, in Synopsi, alii plures. [30] Ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ.

CAPUT XI.

Jesus Jerosolymam ingreditur, pullo asinæ insidens. Ficulneæ ficubus carenti maledicit. Mercatores Templo ejicit. Fidei vis. Venia inimicis exhibenda. Scribæ probro obruti.

℣. 1. ET cum appropinquarent Jerosolymæ, & Bethaniæ ad Montem olivarum,
mittit duos ex discipulis suis. 2. Et ait illis: Ite in castellum, quod con-
tra vos est, & statim introeuntes illuc invenietis pullum ligatum, super quem nemo
adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite. 3. Et si quis vobis dixerit: Quid
facitis? dicite, quia Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc. 4. Et
abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum. 5.
Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? 6. Qui
dixerunt eis, sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis. 7. Et duxerunt pullum
ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. 8. Multi autem
vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & ster-
nebant in via. 9. Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Ho-
sanna: 10. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit re-
gnum patris nostri David: Hosanna in excelsis. 11. Et introivit Jerosolymam in
templum: & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Betha-

niam cum duodecim. 12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit. 13. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea, & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. 14. Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet: Et audiebant discipuli ejus. 15. Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo: & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. 16. Et non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum: 17. Et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. 18. Quo audito, principes sacerdotum, & Scribæ quærebant, quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. 19. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate. 20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. 21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit. 22. Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei. 23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. 24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. 25. Et cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. 26. Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. 27. Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ, & seniores: 28. Et dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias? 29. Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis, in qua potestate hæc faciam. 30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. 31. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, De cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis ei? 32. Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum, omnes enim habebant Joannem, quia vere propheta esset. 33. Et respondentes dicunt Jesu, Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc faciam.

℣. 1. CUM APPROPINQUARENT JEROSOLYMÆ ET BETHANIÆ. Contigit hoc feria secunda ante Jesu Christi Passionem. Noctem egerat Jesus Bethaniæ, duobus circiter passuum millibus ab Jerosolymis (1). Bethania egressus, duos e Discipulis misit *Bethphagen*, oppidulum ad radicem montis olivarum, ita Jerosolymis proximum, ut suburbium censeri posset. Bethphagen ita sacram fuisse ajunt Rabbini, ut Jerosolymam (2); ibique coqui consuevisse panes, qui in Templo afferebantur.

℣. 2. IN CASTELLUM (3), Bethphagen, inter Bethaniam, unde profecti erant, & Jerosolymam, quo ibant.

INVENIETIS PULLUM LIGATUM. Asinæ meminit Matth. XXI. 2. cum pullo. At Lucas & Marcus pullum duntaxat ferunt, quod eo usus sit Christus. Neque casu animadversum est, nullius adhuc hominis usibus illum inservisse. Palleis sanctum erat (4), ut in sacros usus pecudes nondum domitas, & a nemine profanatas adhiberent. Philisthini Aicam Domini suaque munera, recenti plaustro imposita, remisere 1. Reg. VI. 7. Mirum porro est, Jesum a recenti pulln ad Templum usque pacifice vectum esse, turbas inter, ac populi motus & acclamationes (5).

℣. 4. ANTE ATRIUM FORIS IN BIVIO. Adjuncta hæc unus habet Marcus, cæteri silent. Pullus fortasse una cum matre ad oppidi portas alligatus erat, in itinere ad Jerosolymam, quo loco via in bivium dividebatur (6). Rem totam vide apud Matth. XXI. 1. 2 &c.

℣. 10. BENEDICTUM QUOD VENIT REGNUM PATRIS NOSTRI DAVID, &c. Sperabant Judæi futurum, ut Messias familiam Davidis pristinum in decus restitueret, ejusque Regnum ita clarum & florens esset, uti Davidis. Hic autem sibi blandiuntur, venisse tempus, quo per Jesum Christum felix votorum & spei exitus cerneretur. Græcus in vulgatis codicibus fert (7): *Benedictum regnum veniens patris nostri David:* Benedictum regnum veniens *in nomine Domini*. Vetusti tamen Codices multi omittunt ea verba, *In nomine Domini*, nec in Vulgata, nec in Orientalibus Versionibus recitata, & hic prorsus inutilia.

℣. 11. ET INTROIVIT JEROSOLYMAM, IN TEMPLUM. Quid prima hac die Jesus in Templo egerit, silet Marcus. Quære apud Matthæum, Joannem, & Lucam (8). Consule quatuor Evangeliorum Harmoniam.

℣. 13. CUMQUE VIDISSET A LONGE FICUM HABENTEM FOLIA. De hac ficulnea, dirisque in illam a Jesu Christo pronunciatis egimus jam in Matth. 21. 19. At movet difficultatem id quod scribit Marcus: *Non enim erat tempus ficorum.* Si aptum ficubus ferendis tempus fuisset, mirum certe non esset, si Christus esuriens, accedensque ad arborem ut fructus carperet, iis non inventis, arbori ma-

[1] Joan. XI. 18. Stadiis quindecim, vel 11. millibus passuum ab Jerosolymis. Luc. XXIV. 50. & Act. 1. 12. Aberat Jerosolymis itinere Sabbathi. [2] Rabb. apud Ligfoot. & Bochart. de animal. par. 1. l. 2. c. 17. [3] Εἰς τὴν κατέναντι κώμην. Ita Matth. & Luc. [4] Vide Grot. hic, Fest. Macrob. Euripid. Ovid. [5] Brug. [6] Act. 1. 6. 16. [7] Εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι Κυρίου, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ. [1] Matth. XXI. 10. & seqq. Luc. XIX. 40. 45. 46. Joan. XIX. 12.

malediceret: nimirum ex ea re opportunitatem sumens docendi Discipulos aliquid, quod maximi momenti esset. Secus enim quæ arboris culpa est, si fœcunda sit vel sterilis? Si fructus habeat, vel tantum folia? Arbori enim neque volendi potestas est, neque eligendi (9). Absurdum igitur fuisset, arbori maledicere, quicquid illud foret: minus autem mirum in frugifera arbore, quæ fructuum tempore folia tantum ferret. Nefas porro est existimare, Jesum peccare in justitiam, sapientiam vel prudentiam posse. Quærenda est igitur difficultatis solutio.

Veterum recentiorumque Interpretum plerique (10) rem hanc a Jesu præstitam ita habuere, uti reprobationis Judæorum figuram. Folia tantum, non fructus ferebat Synagoga: gloriabatur ritibus suis, legibus, traditionibus, pietate verisque virtutibus vacua: ficulneæ similis, foliis tantum indutæ. At illud discriminis est, quod illud aptum non esset ficubus ferendis tempus; cum opus esset, Synagogam nullo non tempore bonorum operum fructus edere. Quamobrem hac ratione altera tantum difficultatis pars solvitur, ac demonstratur, quid significare voluerit Christus, ficulneæ maledicens; non facti justitiam docemus. Alia multa non deerant futuræ Judæorum reprobationis indicia, quin hoc ipsum, specie quidem ab æquitate alienum, eligeretur. Præterea, si ficuum tempus non erat, cur ad illam accessit Jesus, fructum quærens? Si vero non æquo jure devota est ficulnea, quo pacto Synagogam æquo jure reprobatam esse ex ea intelligimus?

Recentiores nonnulli (11) vertunt: *Non enim erat annus ficorum*. Eo anno ficus defecerant. Hi tamen ipsi ultro fatentur, novam prorsus hanc esse Græci vocabuli significationem, & exemplo carere, nedum in Evangelio, verum etiam apud Profanos. Heinsius (12) & Gatakerus, mutatis punctis & accentibus reddunt (13): *Ubi enim erat, tempus ficorum erat*. Quasi Marcus in ea regione scribens, in qua ficus nonnisi autumno maturescunt, animadverti voluerit, ficus in Palæstina, ubi erat Christus, maturas inveniri mense Martio, aliquot ante Paschatis festum diebus. At vix inspecto Evangeliorum Textu, statim intelligimus, id ab Evangelistis servari non solere; quippe qui religiosi adeo ac superstitiosi scribendo non sunt. Præterea, quorsum ea hic animadversio? Ita ne seduli sunt Sacri Scriptores, ubi res ipsa jubere videatur describi consuetudines, anni tempora, mores regionis aut gentis, de quibus sermonem instituerunt?

Quærendum igitur, si fieri possit, quo pacto ipsa Christi actio, & animadversio Evangelistæ justa esse demonstretur. Id autem assequemur, si docuerimus, I. illud profecto consuetum non fuisse ficuum tempus; II. præcoces ficus esse potuisse in arbore, tunc foliis onusta. Vulgo ficus maturescunt autumno vel messis tempore: id neminem latet (14): quædam serotinæ sunt, sub initia hyemis maturescentes; at consuetum maturitatis tempus est vindemiæ vel messis. Aliæ sunt ficus, folia tota hyeme servantes, & biferæ, vere nimirum & autumno; grossi enim, quas ante hyemem edidere, hyemem non timentes, tepente iterum aere maturescunt, dum aliæ, quæ autumno futuræ sunt mites, erumpunt. Hoc porro probandum est e Scriptura & profanis.

Ficus nunquam non virides, & pomis onustas norunt Theophrastus (15) & Plinius (16), aliis quidem maturis, aliis ad maturitatem accedentibus, aliis denique sub flore & gemma latentibus. Has autem in Syria vulgares esse ajunt. Priora poma vere carpuntur, altera autumno. *Pomo antecedentis anni circa canis ortus detracto, statim alterum parit: postea florem per arcturum, hyeme fœtus enutriente*, inquit Plinius.

Autumnales etiam ficus, gemmam vere parientes, luculentissime tradit Scriptura: *Cum jam ramus fici tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas*, inquit Christus Matt. 24. 32. Marc. 13. 28. Et Sponsa in Canticis 11. 13. vernum tempus describens, ait, turturis vocem audiri cœpisse, & ficum grossos edidisse. Vulgares ficus ad Moysem attulere exploratores in Terram promissionis missi, una cum uvis Num. 13. 24. At præcocum ficuum, vere maturescentium, meminit Isaias, ubi ait 28. 4. Samariæ pulcritudinem similem esse præcoci ficui, ficui vernæ, quam qui invenerit, statim carpit & comedit. Et Osee 9. 10. *Quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum*. Describit Israelitas Jeremias (17), *quasi ficus bonas nimis, ut solent ficus esse primi temporis*.

Habes igitur ficus vernas, præcoces, & ficulneas foliis indutas in Palæstina eo tempore, quo cæteræ ficus folia & grossos emittere incipiunt. Quamobrem Jesus ex hisce ficulneis unam aspiciens, quæ aliquas saltem præcoces ficus habere videbatur, ad eam accedit, cum alioquin nullas in ea ficus esse certo sciat, sed ut ex ea re opportunitatem capiat, maximi momenti rem edocendi. Fructum frustra quærit: maledicit arbori, ac luxurianti frondium pompæ; statimque arbor arescere incipit. Spectare videbatur ad Michææ 7. 1. locum, ubi Propheta his verbis queritur: *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum. Præcoquas ficus desideravit anima mea: periit sanctus de terra*, &c. Ita Jesus cum Judæis: pulcherrimam speciem videt, at bono fructu carentem. Virtutem, pietatem, religionem in iis quærit, qui omnium sanctissimi esse videntur; nihilque nisi vitium & flagitium nanciscitur. Quamobrem diras & damnationis sententiam in illos pronunciat.

Quidam, qui Palæstinam & alia loca quamplurima peragravit, plura ficuum genera in Palæstina esse testatur. Sunt, inquit, ficus biferæ, vere scilicet & autumno; aliæ quæ semel fructum ferunt, hæ quidem Septembri, illæ Novembri & Decembri: at posteriores, cum calor maturandis fructibus desit, ficus interdum ad menses usque Februarium & Martium servant: atque ex hisce ficulneis unam scrutatus est Jesus, quam frondibus luxuriantem vidit. Consuetum certe ficuum tempus non erat; sed interdum eo tempore ficus in arboribus sunt. Sub veris finem vulgares fuissent ficus; at sub initium sunt rariores. Locus igitur hic explicandus est ex hac sententia, non ex altera, quam recitavimus, ficus illius regionis ferme uti nostrates ponente.

℣. 15. Cœpit ejicere vendentes; feria tertia ante Passionem. Eosdem ejecerat elapso die (18); iique fortasse redierant, Sacerdotum authoritate, qui rem a Christo gestam damnaverant.

℣. 16. Non sinebat, ut quisquam transferret vas per Templum. *Vas* (19) pro qualibet re, in profanos usus, mercaturam præsertim & nundinationem destinata, usurpatur: ea enim, quæ ad Dei cultum, sacrificia, oblationes, Ministrorumque usum pertinebant, omnino in Templum transferri

(9) Beda in hunc loc. Grot. ad ℣. 12. (10) August. lib. 2. Quæst. Evang. cap. 5. Origen. Hilar. Chrysostom. Euthym. Hieronym. Brug. & Maldon. in Matth. xxi. 19. (11) Hamm. Le Clerc, Simon, Notes sur le N. T. Οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. (12) Heins. Exercit. sacr. lib. 2. cap. 6. Ita Versio Gothica. (13) Οὗ γὰρ ἦν, καιρὸς σύκων. (14) Plin. lib. 15. cap. 18. Vide Ligfoot. hic. (15) Theophrast. hist. Plant. lib. 4. cap. 2. (16) Plin. lib. 15. cap. 5. Et lib. xv. cap. 18. Vide Le Clerc, not. ad Hammond. (17) Jerem. xxiv. 2. כתאני הבכרות (18) Matth. xxi. 12. (19) כלי *Keli*, σκεῦος, *Vas*, *supellex*, *instrumentum*, *res qualibet*.

ferri opus erat. Eos igitur damnat, qui ut viæ compendium facerent, per Templum transibant; vel eo sarcinas & mercimonia inferebant, sacra facturis exhibentes; eos denique, qui ita in Templo versabantur, quasi in atrio profanove loco essent, nulla Divinæ majestatis ratione habita, minimeque veriti religionem illorum turbare, qui ad Templum oraturi conveniebant.

Multa in Templo servanda describunt Rabbini: at neglectæ fuisse leges ex Evangelio videntur; vel saltem flagitia, quæ hic coercet Christus, nonnisi in atrio gentium admitti consuevisse, quod longe minori religione, quam reliquæ Templi partes, a Judæis observabatur. Ajunt igitur (20), nefas fuisse in Templum ingredi, atque in ipsum etiam gentium atrium, cum baculo, calceis, marsupio, soleis cœno fœdatis, vel pecunia in sudariolo, vel eum mantica, intra illud spuere, vel eo uti ceu via, &c. Nunquam terga dabantur Sanctuario: atque humili habitu accedendum erat. Optime quidem omnia a meditantibus inventa; sed reipsa servata esse, demonstrandum est.

℣. 22. Habeta fidem Dei. Constanti erga Deum fide estote; nihilque vobis insuperabile futurum est. Dei promissis confidite, humilique fiducia postulate; ac pro certo habetote, illum omnino largiturum ea, quæ juste postulaveritis (21). Reddi etiam potest: Habere fidem perfectam (22), fidem Dei, magnam. Ita dici solet cedrus Dei Psalm. 79. 11. mons Dei Psalm. 34. 7. zelus Dei Rom. 10. 2. pulcritudo Dei Actor. 7. 2. buccina Dei 1. Thessal. 4. 15. pro cedro, monte, pulcritudine, zelo, buccina eximiis.

℣. 25. Cum stabitis ad orandum, cum ad orandum accesseritis. Stantes orare solebant Hebræi (23): interdum etiam flexis genibus, vel humi strati (24). *Stare* non semper stantis habitum significat, sed se sistere, adesse. Codices quidam manu exarati (25) hæc addunt: *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* Ex Matth. VII. 7. 8.

℣. 28. In qua potestata hæc facis? Cur in Templo doces? mercatores ac trapezitas ejicis? authoritatem, ubi nullam habes, usurpas? Hæc feria quarta ante Passionem contigere; qua die supremum Jesus in Templo fuit (26).

---

(20) Rab. Jevamoth, fol. 6. Maimon. Vide Ligfoot. hic. (21) Marianæus. (22) Infra ℣. 24.
(23) Vide Matth. VI. 5. Luc. XVIII. 11. (24) Dan. VI. 10. Act. IX. 40. XX. 36. XXI. 5. &c.
(25) MSS. Bodl. 2. Seld. 2. Laud. 5. & in Parif. 2. post vers. sequ. (26) Confer Matth. XXI. 23. & sequ.

CAPUT XII.

Parabola de agricolis herilem filium necantibus. Pharisæi & Herodiani Christum interrogant, solvendum sit tributum, nec ne. Saducæi de mortuorum Resurrectione quærunt. Maximum Præceptorum, quod? Cur Messiam David Dominum suum nuncupet. Oblata ab inope vidua pecunia locupletum collationibus anteponitur.

℣. 1. Et cœpit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est. 2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ. 3. Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum. 4. Et iterum misit ad illos alium servum, & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt. 5. Et rursum alium misit, & illum occiderunt, & plures alios: quosdam cædentes, alios vero occidentes. 6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum; & illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum. 7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est hæres: venite, occidamus eum; & nostra erit hæreditas. 8. Et apprehendentes eum, occiderunt, & ejecerunt extra vineam. 9. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis. 10. Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: 11. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. 12. Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam: cognoverunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. 13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum caperent in verbo. 14. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces: licet dari tributum Cæsari, an non dabimus? 15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam. 16. At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. 17. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo. 18. Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse; & interrogabant eum dicentes: 19. Magister, Moyses nobis scripsit: ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios

non

non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. 20. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est, non relicto semine. 21. Et secundus accepit eam, & mortuus est: & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter. 22. Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est & mulier. 23. In resurrectione ergo, cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem. 24. Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei? 25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cœlis. 26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? 27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis. 28. Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. 29. Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi, Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est: 30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est. 32. Et ait illi Scriba: Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum. 33. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis. 34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a Regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. 35. Et respondens Jesus dicebat, docens in Templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David? 36. Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit. 38. Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro; 39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis: 40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium. 41. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa. 42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. 43. Et convocans Discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. 44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia, quæ habuit, misit totum victum suum.

℣. 1. VINEAM PASTINAVIT HOMO . . . . FODIT LACUM, scrobem, caveam, subterraneam cisternam, probe oblitam calce indutamque, ut vinum excipiat ac servet. Hujus generis cisternis nullæ unquam vineæ carebant, prope prælum, quo uvæ exprimebantur: cellas enim vinarias, & dolia nostro more usitata, ignorabant Veteres (1); quamobrem amphoras argillaceas vino plenas sub terra condebant. De universa hac parabola vide nos in Matthæum XXII. 32.

℣. 4. ILLUM IN CAPITE VULNERAVERUNT. Græcus aliter vertitur (2): *Jactis lapidibus illum in capite vulneraverunt*; vel *lapidibus obruentes, caput illi comminuere*. Cave tamen accipias, illum ita lapidibus petitum fuisse, ut expiraverit, aut ita in capite vulneratum, ut necem retulerit; statim enim dicitur *contumeliis affectus* esse ac dimissus. Vulgaris igitur loquendi modus est, comminutum esse alicui caput, cum grave capiti vulnus illatum est. Sunt (3) qui Græcam vocem alio sensu usurpantes, reddant: *Ignominiis omnibus, quas comminisci poterant, affecere*. Nihil ipsi intentatum reliquere, ut vim & injuriam inferrent. Alii (4): *Injurias & contumelias rependerunt*. Pecuniam, quam debebant, lapidibus reddidere. At relictis exquisitioribus interpretationibus, consultissimum est, Vulgatam sequi, cujus lectio proclivem commodamque sententiam offert. Parabolæ hujus explicationem vide apud Matthæum XXII. 32. & sequ.

℣. 13. MITTUNT AD EUM QUOSDAM EX PHARISÆIS ET HERODIANIS. Aliquos ex hæresi sua homines, vel *Discipulos* Matth. 22. 16. misere Pharisæi una cum Herodianis, ut ex illo sententiam elicerent vel Judæ Gaulonitæ, Herodianorum authori, uti nobis videtur, contrariam, vel illi faventem, undique insidias molituri: si enim Judæ & libertati faveret, deferendus erat ad Romanum Præsidem, ceu seditiosus; si eam hæresim execraretur, invidia illi creanda erat apud multitudinem, cui Judæ opinio placebat.

Animadvertendum est, tres Judæorum sectas sin-

(1) Panciroll. Rerum mirabil. l. 2. c. de Cellis. Vide & Suid. in voce λάκκος. Ulpian. *Vini cisterna*.
(2) Λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν. Quid. Codd. omittunt λιθοβολήσαντες, Ut Cant. Velez. Barb. 1. Colb. 8. Steph. n. Vulg. Coph. (3) Theophylact. Beza, Lud. de Dieu. (4) Ligfoot.

singulas ordine ad Christum accessisse, periculum de illo facturas, Pharisæos, Herodianos, Scribas, Saducæos, at frustra: Jesus enim captiosas illorum quæstiones elusit, docuitque, se nullis illorum hæresibus favere, omnesque prorsus errare.

℣. 14. Licet dare tributum Cæsari? Græcus pro *tributo* fert *Kenson* (5); quam vocem explicavimus in Matthæum xxii. 6. Criticis quibusdam videtur ea vox certum quodpiam numisma significare, certi valoris, certaque nota distinctum; in tributi usum peculiariter destinatum. At hæc opinio nobis non placet: quodlibet enim numismatis genus, quod apud Romanorum Imperium in usu esset, aptum erat tributo Romanis exactoribus solvendo. Id porro procul dubio est. Varia autem erant numismata magnitudine, forma, valore, metallo, quemadmodum adhuc apud Antiquitatis studiosos cernitur.

℣. 17. Quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. Herodiani, seu Discipuli Judæ Galilæi ajebant, Divinæ Legi & voluntati refragari eum, qui alium Dominum, præter Deum, agnosceret, ac tributum externo alicui solveret. Errare ipsos tum principiis, tum iis quæ ex principiis colligebant, docet Christus. Mentis animique dominus unus est Deus, cui uni debetur adoratio, obsequium, cultus: tributum vero, & cætera vectigalia, legibus moribusve instituta, iis, quos Providentia Principes cæterorum constituit. Romani autem tunc temporis in Judæa imperabant: his igitur exhibenda erant omnia, quæ cum Dei legibus non pugnarent. Herodiani temporale imperium cum cultu & adoratione, Deo uni debitis, male miscebant. Qui asserunt, iis Christi verbis, *Reddite quæ sunt Dei, Deo*, capitis censum intelligendum esse, singulis Israelitis imperatum, Templo solvendum, eumque reddi consuevisse certo quodam numismate, cujus exemplum in Templo servaretur; ii temere loqui videntur, atque ægre demonstraverint, opus fuisse hemisiclum integro numismate Judaico exhiberi. Nunquam tam multos cudere nummos Judæi, ut vel centesimæ hemisiclorum parti sufficerent. De hoc hemisiclo fusius actum est in Matthæum, xvii. 23.

℣. 18. Venerunt ad eum Saducæi. De hac hominum secta egimus in Dissertatione de sectis Judæorum; & post ea quæ diximus in Matthæum, xxii. 23. &c. nihil jam de Saducæorum quæstione dicendum superest.

℣. 28. Unus de scribis videns, quoniam illis bene responderit, quæsitum venit, quodnam maximum esset in lege præceptum. Saducæi & Scribæ seu Legis Doctores institutis dissidebant; neque ægre tulerunt Scribæ, quod Christus vanam Saducæi confidentiam retuderit. Celebris fortasse tunc erat apud illos quæstio, quodnam inter omnia Dei præcepta habendum esset præstantissimum.

℣. 29. Audi Israel, &c. Primam responsionis Christi partem omisit Matthæus, atque alteram solummodo recitavit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Utraque ex Deuteronomio vi. 4. 5. alterum vero præceptum ex Levitico xix. 18. Primum & secundum appellantur, non ex ordine apud Moysem servato, sed ex præstantia & dignitate, si cum cæteris comparentur. Hebræus ad verbum (6): *Audi Israel: Jehovah Deus noster est, Jehovah unus. Jehovah* proprie Deum Creatorem significare, præter controversiam est. Hebræi, ut præcepti hujus præstantiam indicent, ultimas primæ & ultimæ vocis literas elementis majoribus describunt. His repetitionibus, *ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*, aptissime docemur, qua animi contentione, alacritate, studio amandus sit Deus: ita scilicet, ut illius amor cæteris animi affectionibus imperet, omnem in illo fiduciam collocemus, ejusque leges & voluntatem constantissimo studio ac fide impleamus.

℣. 33. Majus est omnibus holocautomatibus. Duo hæc præcepta longe præstantiora sunt legibus omnibus ad sacros ritus pertinentibus, vel cæterorum gravissimis, veluti de variis sacrificiorum generibus. Innuit his verbis Christus, leges hujusmodi maximo in pretio habitas fuisse apud Legisperitos: quanti autem habendæ sint, ostendit, dum illas cum gravissimis totius Religionis sanctionibus confert. Leges de sacrificiis minores sunt, illarumque appendices; totaque ipsarum præstantia ex amore erga Deum & proximos petitur; quo amore si careas, quicquid deinde servaveris, inane est & inutile.

℣. 34. Non es longe a Regno Dei. Veræ solidæque Religionis fundamenta probe tenes. Ut in gregem meum meamque Ecclesiam admittaris, unum superest, ut mihi credas. Cum Jesus ad perficiendam Legem venerit, si Judæus quis verum Legis propositum, ejusque caput ac perfectionem intelligat, proximus Dei Regno est, veræque Religioni a Christo institutæ in terris, ubi ea penitus ferme esse desierat.

℣. 35. Quomodo dicunt Scribæ, Christum filium esse David? Solutis Pharisæorum, Herodianorum, Scribarumque & Saducæorum quæstionibus, quæstionem Christus Pharisæis proponit Matt. 22. 41. de patre Messiæ. Christum e Davidis genere orturum, nemo non noverat: at illum Pharisæi expectabant veluti hominem virtute, sanctitate ac robore eximium. Conatur Christus illos ad agnoscendam sui ipsius Divinitatem ducere, cum Messiam non fore doceat Davidis filium eo pacto, quo ipsi comminiscebantur, cum ab ipso Davide Dominus nuncupetur. Vide nos in Matthæum xxii. 41. 42. 43.

℣. 38. Dicebat eis in doctrina sua. Similem huic locutionem vide supra iv. 2. Sententiarum vero interpretationem quære in Matthæum xxiii. 2. 3. &c.

Volunt in stolis ambulare. Hebræi vulgo induebantur tunica, supraque tunicam pallio, nullasque illorum vestes alias novimus. *Stola*, de qua hic Marcus (7), facile interior erat tunica, quam Scribæ & Pharisæi cæteris promissiorem gerebant, alterius coloris, additis fimbriis. Eamdem forte ambitionem notat Marcus, quam Matthæus (8) iis verbis: *Magnificant fimbrias*. Cum vero Moyses (9) fimbrias & paniculas palliis duntaxat addi jusserit, & *stola* apud Hellenistas, Novi Testamenti Scriptores (10), Romanosque promissam vestem, a pallio differentem, significet; multo probabilius est, tunicam ab Evangelista innui, quam Pharisæi promissam ac talarem habebant, cum cæteris vulgo Judæis brevior esset, ac dimidio crure non longior. Promissæ ac talares vestes hominum præstantiam ac dignitatem indicant. Vitium, quo Pharisæi maxime tenebantur, superbia erat atque ambitio.

℣. 41. Quomodo turba jactaret æs in gazophylacium. *Gazophylacium* proprie locus est, ubi aurum argentumque servatur: frequenter autem apud Scripturam est locus servando auro argentoque Templi destinatus (11). Hoc loco est arca seu cippus, in quem unusquisque quicquid videbatur, conjiciebat. Cippi in atrio fœminarum erant, tredecim numero, positi e regione porticus, ubi Jesus hoc tempore assedit. Vidua hæc stipem conjecit in eum e tredecim cippum, quo inferri obl-ario-

(5) Ἔξεστι κῆνσον Καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ, Cantab. Ἐπικεφάλαιον Καίσαρι, *Capitis censum*. (6) שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד (7) Τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν. (8) Matth. xxiii. 5. Μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα. (9) Num. xv. 38. Deut. xxii. 12. (10) Vide Marc. xvi. 6. Luc. xv. 22. Apoc. vi. 11. vii. 9. 13. 14. (11) Vide Grotium & Ligfootum hic.

lationes a fœminis traditione jubebantur; nefas enim illis erat stipem in duodecim cæteros conjicere, aut ulterius in Templum progredi, uti ferunt Rabbini a Ligfooto recitati.

Multi divites jactabant multa. Grandia numismata, vel ingentem pecuniam cum ostentatione in cippum conjiciebant.

℣. 42. Misit duo minuta, quod est quadrans. Duo minuta quartam Romani oboli partem æquabant, novem scilicet e nostro numismate denariolos.

℣. 43. Vidua hæc pauper plus omnibus misit. Majus liberalitatis specimen est parum largiri, si inops fueris, quam multum, si abundes (12). Cum largitur dives, nec inops efficitur, nec inopiæ discrimen subit: satis multa illi manent, quibus abunde & commode vivat. Pauper vero, si sua largiatur, omnibus inopiæ incommodis se obnoxium facit. Plus igitur, quam cæteri, vidua hæc largitur, si illius animum ac voluntatem intueare, ejusque oblationem cum ipsius opibus compares, tum eadem de locupletibus meditere (13).

℣. 44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, &c. Vel ex Græco (14): *Omnes ex eo, quod superfluum illis erat; hæc vero de eo quod ipsi necessarium est*, vel de eo quo ipsa indigebat, *totam vitam suam*: id scilicet, quo si careat, periclitatura est, ne fame pereat. Nullum certe majus liberalitatis argumentum. Id agit vidua, quod præstare non tenetur. Quid censendum est de illius fide in præstandis iis quæ a Religione imperantur, cum tam sedula sit in iis quæ nonnisi sponte fiunt?

---

(12) Ambros. lib. de Viduis, cap. 5. *Uberior est enim nummus e parvo; quia non quantum detur, sed quantum resideat, expenditur.* (13) Vide Grot. hic; Chrysost. homil. 19. in Joan. Et ad 2. Cor. IX. 7. Cyprian. de opere & Eleemosynis. (14) Πάντες γὰρ ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς. Ἡ δὲ ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς.

CAPUT XIII.

Templi excidium prædicitur: illius omina. Abominatio desolationis. Falsi Christi, & falsi Prophetæ. Jesus in nube venturus. Parabola de ficulnea folia ferente. Assidue vigilandum.

℣. 1. Et cum egrederetur de Templo, ait illi unus ex Discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. 2. Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 3. Et cum sederet in Monte olivarum contra Templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas: 4. Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari? 5. Et respondens Jesus cœpit dicere illis: Videte, ne quis vos seducat; 6. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducent: 7. Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri; sed nondum finis. 8. Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc. 9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides, & Reges stabitis propter me, in testimonium illis. 10. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium. 11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. 12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos. 13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. 14. Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes: 15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat, ut tollat quid de domo sua. 16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. 17. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 18. Orate vero, ut hyeme non fiant. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. 20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breviavit dies. 21. Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. 22. Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. 23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. 24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum. 25. Et stellæ cœli erunt decidentes; & virtutes, quæ in cœlis sunt, movebuntur. 26. Et tunc

tunc videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.
27. Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos a quatuor ventis, a
summo terræ usque ad summum cœli. 28. A ficu autem discite parabolam. Cum
jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis, quia in proximo sit
æstas. 29. Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.
30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.
31. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. 32. De die au-
tem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. 33.
Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. 34. Sicut homo, qui
peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque ope-
ris, & janitori præcepit, ut vigilet. 35. Vigilate ergo [nescitis enim quando do-
minus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane] 36. Ne
cum venerit repente, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omni-
bus dico: Vigilate.

℣. 1. AIT ILLI UNUS EX DISCIPULIS. Narrat Matthæus (1), egressum e Templo Jesum, ut pro more extra urbem recederet, ad illum accessisse Discipulos, eximiam Templi structuram ostendentes. At manifestius Marcus unum e Discipulis, indicasse illi tradit *lapides & structuras*. Herodes magnus, Josepho teste Antiqu. l. 15. vetus Templum demoliri aggressus, novumque ædificare, innumerabilem materiam undique congessit, & decem operariorum millia annis octo augusto hoc opere occupavit. Lapidibus candidissimis ac durissimis constabat Templum, cubitos quinque & viginti longis, aliis octo, duodecim latis. Nobilissimum fortasse totius Orientis ædificium erat. Apostoli, qui, utpote Galilæi, ter solummodo quotannis Jerusolymam veniebant, mirari satis non poterant immanes lapidum moles, ædesque magnificentissimas ac sumptuosissimas.

℣. 2. NON RELINQUETUR LAPIS SUPER LAPIDEM. Contigit id anno post Christi obitum quadragesimo, Romanorum armis.

℣. 3. INTERROGABANT EUM SEPARATIM PETRUS ET JACOBUS, &c. Hoc postulasse omnes una Discipulos, tradit Matthæus: at quatuor hi omnium nomine loquebantur.

℣. 4. DIC NOBIS, QUANDO ISTA FIENT? Quandonam eventura est Templi ruina, quam supremum Templo egrediens [deinceps eo non rediit Christus] prædixisti? Manifesta ad Apostolos responsio infra legitur, ℣. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater*. Idcirco autem eo usque differtur, quod a ℣. 4. usque ad 32. fusior tradatur interpretatio brevissimæ illius sententiæ: *Non relinquetur lapis super lapidem*.

℣. 6. MULTI ENIM VENIENT DICENTES: QUIA EGO SUM CHRISTUS. Pseudo-prophetæ quamplures ante Jerosolymæ ac Templi excidium prodiere. Joannes Apostolus in prima Epistola testatur, sua ipsius ætate multos prodiisse Antichristos, vel Jesu Christi adversarios. At si de tempore dumtaxat Templi excidium præcedente sententiam usurpes; Joannis enim Epistolæ eo excidio posteriores sunt (2); recensendi sunt inter pseudo Christos ac pseudo-Prophetas Theudæ gemini, quorum alterum Fadus Provinciæ Præses fregit; Simon Magus, & Ægyptius ille, qui Felice Præside turbas movit, & alter sub Porcio Festo. Vide nos in Matthæum xxiv. 5. & in primam Joannis Epistolam.

℣. 8. EXURGET GENS CONTRA GENTEM. Varias hic significat Judæorum seditiones, multarumque urbium conspirationes in Judæos. Sæpe enim arma in illos versa sunt, Alexandriæ, Tyri, Cæsareæ, Scythopoli, Ascalone (3).

INITIUM DOLORUM HÆC. Vel (4): *Initia parturitionum hæc*. Cum ista videritis, supremam imminere calamitatem pro certo habetote; quemadmodum tormina certa sunt partus indicia. Mala populis imminentia Prophetæ cum parturientis fœminæ torminibus sæpe comparant.

℣. 9. TRADENT ENIM VOS IN CONCILIIS, &c. Hæc adamussim expleta sunt in Apostolis ante Jerosolymæ excidium. Illos enim Judæi Jerosolymis apud Judices pollulavere (5), virgis cecidere in Synagogis (6), apud Judææ Præsides (7), Reges & Imperatores (8) accusavere. Hæc luculentissime discimus ex Actis Apostolorum, in quibus de Petro & Paulo dumtaxat ferme agitur. Si cæterorum Apostolorum Acta extarent, res plane de illis perspicua fieret, quemadmodum de duobus hisce, cæterorum notissimis.

℣. 10. IN OMNES GENTES PRIMUM OPORTET PRÆDICARI EVANGELIUM. Ante excidium Templi, Paulus unus (9) in quamplurimas Romani Imperii provincias Evangelium intulit (10). Petrus primam Epistulam ad Christianos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ scripsit. Paulus ad Romanos 1. 8. ait, ipsorum fidem toto orbe commendari.

℣. 11. NOLITE PRÆCOGITARE. Idem alibi monuerat Christus, Matth. x. 19. 20. Vide & Luc. xii. 11.

℣. 12. TRADET AUTEM FRATER FRATREM IN MORTEM. Nemo inimicior Apostolis fuit, quam ipsimet Judæi, a quibus ubique exagitati sunt & apud Ethnicos, & apud gentis suæ Judices.

℣. 14. CUM AUTEM VIDERITIS ABOMINATIONEM, &c. Vide nos in Matthæum xxiv. 15. & Dan. ix. 26. itemque de reliquis.

℣. 24. SOL CONTENEBRABITUR. Tropicæ locutiones, absolutum excidium significantes. His sæpe utuntur Prophetæ (11), ubi communia gentis mala populis nunciant, quarum fides penitus expleta neque ante neque post Jerosolymæ obsidionem quærenda est. Vita in tenebris, umbraque mortis agi dicitur, ubi quis extremis improvisisque calamitatibus obvolvitur. Formidabilia hæc signa revera in cœlo futura creduntur sub mundi exitum, & ante universale Judicium. Vide Matth. xxiv. 29.

℣. 30. NON TRANSIBIT GENERATIO HÆC, &c. Favent hæc verba iis, qui totum hoc vaticinium de Jerusolymæ excidio interpretantur; nosque minime dubitamus, quin hæc historica sit & germana

hujus

(1) Matth. xxiv. 1. Ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ. Vide & Luc. xxi. 5. (2) Circa annum 96. vel 97. J. C. (3) Joseph. de Bello lib. 2. cap. 19. 20. in Latino, pag. 813. & sequ. (4) Ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα. (5) Act. iv. 3. 5. 8. &c. (6) Act. iv. 9. xxii. 19. &c. (7) Act. xxiv. xxv. (8) Act. xv. 23. & sequ. (9) Act. xxv. 11. & 2. Timoth. iv. 16. (10) Rom. xv. 19. Galat. 1. 17. 18. 19. &c. Act. passim. (11) Isai. xiii. 9. 10. xxiv. 23. Ez. 20. Ezech. xxxii. 7. 8. Joel ii. 30. &c.

hujus loci explicatio; neque tamen negamus, alio sensu usurpandum esse cum priscis Patribus de supremo Judicio, cujus symbolum & omen fuerit excidium Jerosolymæ.

℣. 32. De die autem illo vel hora nemo scit, &c. Rogaverunt Apostoli, ℣. 4. *Dic nobis, quando ista fient; & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?* Alteri quæstionis parti respondit iis quæ toto capite supra leguntur; docuitque, posse quidem se rem prædicere, signaque ac præsagia illi præitura, & adjuncta rem comitantia; at certum tempus diemque nosse, id porro Patri uni servari, neque illum velle aut per se, aut per Angelos, Prophetas, nel Filium aperire: arcanum denique esse inviolabile, quo Deus hominum vigilantiam & attentionem exercere velit; vanamque illorum curiositatem, & quæstiones saluti inutiles coercere. Fusius hoc explicavimus in Matthæum xxiv. 36.

℣. 34. Sicut homo, qui peregre profectus, &c. Commate hoc tribusque consequentibus colligere voluisse videtur Marcus ea quæ fert Matthæus xxiv. 42. . . . 51. Pater familias Christus ipse est; servi, quibus familiæ cura relinquitur, Apostoli eorumque successores: hos jubet vigiles esse, suumque adventum præstolari, suam nempe singulos mortem, vel tempus, quo ipse Judicium in Judæos habiturus est.

℣. 37. Quod autem vobis dico, &c. Necesse est, ut Ecclesiæ Principes majori magisque assidua sedulitate, quam Fideles ceteri vigilent: neque tamen ceteris vulgo Fidelibus vigil sui ipsorum cura negligenda est. Christiani omnes, post Christi Resurrectionem usque ad Jerosolymæ excidium superstites, certo sperare debuerant, visuros se expletam rerum a Christo hic prædictarum fidem. Nunc rebus hisce jam elapsis, una hæc nostrum sollicitudo esse debet, ut supremum diem expectemus, Jerosolymæ malis ceu figura significatum.

CAPUT XIV.

Jesum capere decernunt Sacerdotes, Christus Bethaniæ apud Simonem leprosum cœnat, ubi mulier illius pedes unguento linit. Obloquitur Judas. Suprema Jesu Christi cœna. Judæ proditio prædicitur. Eucharistiam Jesus instituit, in hortum proficiscitur, orat, capitur. Fugiunt Discipuli. Ad Caipham ducitur Jesus, & mortis reus pronunciatur. Illum abnegat Petrus.

℣. 1. Erat autem Pascha, & Azyma post biduum, & quærebant summi sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. 2. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 3. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ejus. 4. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? 5. Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. 6. Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? bonum opus operata est in me. 7. Semper enim pauperes habetis vobiscum: & cum volueritis, potestis illis benefacere, me autem non semper habetis. 8. Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam. 9. Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. 10. Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. 11. Qui audientes gavisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat, quomodo illum opportune traderet. 12. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? 13. Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum: 14. Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? 15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis. 16. Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem, & invenerunt, sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha. 17. Vespere autem facto, venit cum duodecim. 18. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. 19. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Numquid ego? 20. Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. 21. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille. 22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est Corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis: Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui

pro

pro multis effundetur. 25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. 26. Et hymno dicto exierunt in Montem olivarum. 27. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est. Percutiam pastorem, & dispergentur oves. 28. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 29. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. 30. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. 32. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. 33. Et assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem secum: & cœpit pavere, & tædere. 34. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate. 35. Et cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora. 36. Et dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu. 37. Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare? 38. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. 39. Et iterum abiens oravit eundem sermonem dicens. 40. Et reversus denuo, invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant, quid responderent ei. 41. Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requiescite. Sufficit: venit hora, ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 42. Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope est. 43. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis, & lignis, a summis sacerdotibus, Scribis, & senioribus. 44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute. 45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi, & osculatus est eum. 46. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum. 47. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, & amputavit illi auriculam. 48. Et respondens Jesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis comprehendere me? 49. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ. 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. 51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. 52. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. 53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem: & convenerunt omnes sacerdotes, & Scribæ, & seniores. 54. Petrus autem a longe secutus est eum, usque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. 55. Summi vero sacerdotes, & omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: & convenientia testimonia non erant. 57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: 58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. 59. Et non erat conveniens testimonium illorum. 60. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? 61. Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? 62. Jesus autem dixit illi: Ego sum: & videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. 63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? 64. Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. 65. Et cœperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant. 66. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis: 67. Et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. 68. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit. 69. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. 70. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus, qui

qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es. 71. Ille autem cœpit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis. 72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus; Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

℣. 1. ERAT AUTEM PASCHA, ET AZYMA POST BIDUUM. Dicta factaque hæc sunt feria quarta. Paschatis festum iniit feria sexta vesperi, totoque Sabbatho celebratum est (1). Quamobrem feria quinta & sexta totæ intercedebant.

℣. 2. NON IN DIE FESTO, NE FORTE, &c. Jesum in Templo capere die festo, media in multitudine, formidant, tumultus metu. Ante festum igitur & clam illum capere moliuntur. Consilium juvit Judas, Jesum tradens ea nocte, quæ quintam inter & sextam feriam, pridianam Paschatis, intercedebat. Jerosolymam veniebat Jesus diebus dumtaxat maxime solemnibus, in Galilæam deinde revertens, consuetum sibi domicilium, a Sacerdotum authoritate securam, ob diversum Imperium, Herodis scilicet in Galilæa, Jerosolymis Romanorum. Non facile tenuissent illi Jesum, si ipse noluisset; quamobrem non injuria solliciti ea de re erant, atque omnia metiebantur, ut ipsum caperent.

℣. 3. ALABASTRUM UNGUENTI NARDI SPICATI. Hæc Jesu cœna apud Simonem leprosum sexto ante Paschatis festum die, quem diem nos *Dominicam Palmarum* nuncupamus, contigit Joan. XII. 2. Suo illam loco narravit Joannes; cæteri vero Evangelistæ hoc loco recitant, ut proditionis Judæ causam ostendant. *Alabastrum* non modo sonat vas ex alabastrite, sed quodlibet vasis genus ad liquores continendos. Mulier unguento Jesu perfundens, Maria erat Lazari soror, teste Joanne XII. 3. Hæc vas unguenti attulit e nardo spicata, quæ eo tempore plurimi omnium æstimabatur. Vas illa vel penitus fregit, uti habet Marcus (2), sive os vasis, uti nonnullis videtur, quo facilius flueret liquor. Vide Matthæum XXVI. 6. &c.

℣. 8. QUOD HABUIT HÆC, FECIT. Obsequium & benevolentiam testata est, qua potuit ratione: hac me colendi opportunitate usa est, cum hoc tantummodo ejus conditio pateretur. Vertitur etiam ab aliis (3): Sacrificium quod habuit, illa mihi exhibuit. *Facere* interdum pro sacrificare usurpatur (4).

℣. 11. QUÆREBAT QUOMODO ILLUM OPPORTUNE TRADERET. Sacerdotes procul dubio Judæ aperuere, quam difficile facinus sibi videretur, Jesum capere. Populi tumultum, & Paschale tempus timebant. Contigit hoc, uti diximus, die Dominica, sexta ante Paschatis festum. Quamobrem satis temporis Judæ fuit, ut fidei servandæ rationem quæreret.

℣. 12. PRIMO DIE AZYMORUM. Ad temporis ordinem redit Evangelista, unde nonnihil declinaverat, ut causam proditionis Judæ recitaret. Jesus igitur feria quinta vesperi Discipulos misit, paulo antequam feria sexta inciperet, quæ dies in secundis feriæ quintæ vesperis inibat; & feria sexta dies azymorum erat, cum mane ejus diei subigerentur azymi panes, & coquerentur, & post ejus diei meridiem nonnisi azymis vesci liceret.

℣. 14. MAGISTER DICIT: UBI EST REFECTIO MEA, UBI PASCHA, &c. Hic fortasse Jesum & Apostolos noverat. Jerosolymitani cives advenis conclavia gratis commodabant, in victimæ Paschalis usum. Hæc autem quantocius quærebantur, ob ingentem advenarum multitudinem, ut commodum unicuique tempus esset, ea fermento purgandi, sternendique lectos, & parandi cætera, quæ in eum usum requirebantur. Eamque ad rem Christus Petrum & Joannem misit. Vide in Matthæum XXVI. 17. 18. 19. Græcus ad verbum (5): *Ubi est diversorium*, hospitium *meum*, *ubi pascha cum Discipulis meis manducabo?*

℣. 15. CŒNACULUM GRANDE, STRATUM (6), sive lectis instructum. Lecti mensas triplici ex parte circumdabant, patebatque unicum dumtaxat latus inferendis auferendisque dapibus; mensa autem cibis refertis inferebatur, totaque simul cum vasis auferebatur.

℣. 22. MANDUCANTIBUS ILLIS, ACCEPIT JESUS PANEM, ET BENEDICENS, &c. Panem accipiens, benedixit Deo; panis enim vinique benedictiones ita fieri consueverant, laudato scilicet Deo, actisque illi gratiis. Omittit Marcus pedum lotionem a Christo humillime exercitam post Sacramenti Corporis & Sanguinis sui institutionem; Joan. XIII. 1. & sequ.

℣. 24. HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI. Hæc locutus est Jesus, antequam Discipuli ex iis gustarent (7). Vide Matth. XXVI. 28. Luc. XXII. 20. 1. Cor. XI. 25.

℣. 25. NON BIBAM DE HOC GENIMINE VITIS. Supremam hanc cœnam vobiscum ago, antequam moriar: at ubi redivivus fuero, iterum vos videbo, unaque comedam. Id porro tempus Regnum Dei nuncupat: *Usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei*.

℣. 27. OMNES SCANDALIZABIMINI. Mei causa dejiciemini; at non æque omnes. Fugient hi, illi me nosse negabunt: omnes inconstantiam præferetis.

℣. 28. PRÆCEDAM VOS IN GALILÆAM. Antequam domum revertamini, ego futurus sum in Galilæa. Ibi statim post Paschatis festum me invenietis.

℣. 30. PRIUSQUAM GALLUS, &c. Plerumque gallus sæpe canit circa diei ortum. Horæ unius spatium inter primam & secundam Petri negationem fluxit (8).

℣. 35. UT, SI FIERI POSSET, TRANSIRET AB EO HORA. Hora pro patiendi necessitate usurpatur. Inferior pars, imbecilla nimirum humanitas, parata intuens supplicia, trepidat. *Calicem* nuncupat Matthæus id, quod Marcus *horam*.

℣. 36. ABBA, PATER. *Abba* Syriaca vox est; *Pater*, Græca & Latina. Solet Marcus Syriacas voces in narratione subtexere. Imitatus est Paulus (9): *Abba, Pater*.

℣. 37. SIMON, DORMIS? Horam vel unam mecum vigilem agere non potuisti: ubi jam constantia, qua gloriabaris? ubi promissa? Ita ne in mortem & in carcerem mecum venire paratus es (10)? Omnino doces, *spiritum quidem promptum esse, carnem autem infirmam*; atque aliud esse aliquid animo sentire, aliud, revera animo esse comparatum: differre prorsus ardentem, sed imbecillem voluntatis impetum a constanti certoque proposito; hominem denique suis ipsius viribus confidentem, ab homine qui uni Deo fidit.

℣. 40. ERANT ENIM OCULI EORUM GRAVATI. Somno opprimebantur; resistere somno & labori non poterant; quemadmodum solent ii, qui, cum diu cum somno pugnaverint, in eum denique soporem incidunt, quo penitus opprimuntur.

(1) Vide addita in fine Dissertationis de supremo Jesu Christi Paschate. (2) Συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον. Hoc omittunt cæteri. (3) Martianay, Not. in Marc. (4) Exod. XXI. 47. XV. 15. (5) Ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω. (6) Ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. (7) Beng. Bez. alii. (8) Marc. XIV. 68. Luc. XXII. 59. & Marc. XIV. 72. (9) Rom. VIII. 15. Galat. IV. 6. (10) Luc. XXII. 33.

℣. 41. DORMITE JAM, ET REQUIESCITE: SUFFICIT: Satis vigilatum est: dormite, si lubet. Hora mea jam venit: decretum est. En tempus toties prædictum, quo in hostium potestatem tradendus sum. Reddi Græcus potest (10): *Dormite quod reliquum est, & quiescite: actum est*: Vel (11): *Venit finis*: sufficit. Sive ex Vatablo: *Dormietis posthac, & requiescetis: nunc vero sufficit*. Per ironiam dictum usurpari potest, vel cum interrogatione legi: Dormitis ne, & quiescitis? Vide Matthæum XXVI. 45.

℣. 44. TENETE EUM, ET DUCITE CAUTE; ne elabatur. Verebatur perfidus, ne, si conatus irritus caderet, perfidiæ pretium amitteret.

℣. 47. AMPUTAVIT ILLI AURICULAM; vel aurem secuit. Verba, quibus quatuor utuntur Evangelistæ (12), satis aperte innuunt, aurem penitus abscissam fuisse. At statim postea Lucas (13) ita loquitur, ut auricula e Malchi temporibus penitus excidisse non videatur; illam quippe tangens Jesus, incolumem reddidit. Id vero cæteri Evangelistæ silent. Teste Joanne, Petrus feriit, & servo nomen erat Malchus, nempe Rex, Syriace.

℣. 51. ADOLESCENS AUTEM QUIDAM, &c. Quis iste fuerit, aut cur Jesum secutus sit, ignoratur. Fortasse it (14) suadente curiositate, ex villa aliqua horto proxima, in qua dormiebat, venis, strepitu militum excitatus, & accurrens, ut conspiceret quid ageretur; eumque milites Discipulum esse Christi existimantes, capere volebant. Censuere S. Hieronymus (15), vel Scriptor commentariorum in Psalmos, sub Hieronymi nomine, & S. Epiphanius (16), ipsum fuisse Jacobum, Domini fratrem, cognomine Justum. Sententiam hanc amplexi sunt Veteres nonnulli, teste Theophylacto, cui etiam arridet. Ex eo autem probant, quod Jacobus veste uteretur linea, instar Sacerdotum; & linteum, quo operiebatur adolescens, ephod Sacerdotale esset. Argumenti levitatem nemo non videt.

Aliis (17) videtur Joannes Apostolus: Una Joannis ætas, quem adolescentiorem tunc fuisse necesse est, hoc magnis hisce viris suadere potuit. Putat Theophylactus (18), aliquem fuisse e familiaribus ejus domus, in qua cœnavit Jesus, secutum una cum Apostolis ex urbe egredientem, ut in hortum olivarum pergeret. Ajunt S. Chrysostomus (19), & S. Hieronymus (20), Joannem cum cæteris Apostolis non fugisse, introductumque ab eo esse Petrum in Caiphæ domum; at Joannem hunc fuisse adolescentem, non statuunt.

AMICTUS SINDONE SUPER NUDO. *Sindon* necdum jecti linteum, seu telam minime elaboratam, qua homo obvolvi queat, verum etiam lineam vestem significat, qua quis noctu induitur, tunicam, qua interdum induti cubabant (21). *Vestem cubitoriam* appellat Petronius. Testatur S. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. l. 6. c. 40. sese noctu cum veste linea cubuisse. Maldonatus interpretatur vestem adversus frigoris rigorem, ferme uti graviores sartasque eas vestes; quibus utimur in cubiculis. Profecto Phœnicum *sindon* fuisse videtur vestis genus, quo frigora arcerentur. Hac obvolutum fuisse adolescentem, scribit Evangelista (22). Tradit Martialis l. 4. Epigr. hominem Tyria seu Phœnicia sindone, quæ eadem Judæorum fuisse videtur, indutum, ventos imbresque non timere.

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres;
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Mulier fortis apud Salomonem Prov. 31. 24. sindones facit, & Phœnicibus vendit. Baronio & Ciaconio est peculiare vestis genus, quo in conviviis olim utebantur. Putat Ligfootus (23), eam esse vestem, quam Judæi *chaluk* nuncupant, lineum scilicet pallium, per æstatem atque hyemem Jerosolymis usitatum. Vesti huic addebantur fimbriæ vel paniculæ, ex Moysis instituto Num. 15. 38. Illam autem statim imponebant tunicæ, quæ eadem ferme erat, atque apud nos *camisia*. At ea *super nudo* induebatur adolescens, ait Evangelista, fortasse afflictationis causa, quemadmodum plures alii ex Judæis solebant, durum ac laboriosum vitæ genus exercentes. Ita Ligfootus. Malo de sindone Phœnicia intelligere, quæ linea quidem erat, sed forte duplex. Superior est vestis, quam vulgo Scriptura *pallium* nuncupat. Pallium lineum *sindon* dicebatur; lanea vero fela pellicea aliis nominibus appellabantur.

ET TENUERUNT EUM. Græcus (24): *Tenuerunt eum juvenes*, scilicet milites, qui ad capiendum Jesum venerant. *Juvenum* appellatione passim significantur milites, quod homines integræ ac florentis ætatis in militia conscriberentur (25). Levis hæc animadversio argumento est, qua fide & sinceritate scripserit Marcus.

℣. 53. ADDUXERUNT JESUM AD SUMMUM SACERDOTEM; in domum Annæ, olim Summi Sacerdotis, & Soceri Caiphæ, qui in eadem Annæ domo versabatur. Coram Anna primum stetit Jesus (26), at sine cœtu, nulloque more judiciali; ibique alapa cæsus est ab hujus Pontificis servo. Primæ hujus quæstionis non meminere Marcus cæterique Evangelistæ, sed alterius apud Caipham, & legitimum Sacerdotum cœtum, de quo hic, habitæ.

℣. 54. PETRUS AUTEM A LONGE SECUTUS EST EUM, USQUE INTRO IN ATRIUM SUMMI SACERDOTIS, quo introductus est ab alio Discipulo, apud familiares noto (27), quem Joannem Apostolum esse, quamplures existimavere.

SEDEBAT AD IGNEM, medio in atrio excitatum, ut calefierent ii, qui Jesum ceperant. Græcus (28): *Calefaciens se ad lumen*. Utrumque convenit; ignem enim Hebræi & Græci nonnumquam lumen appellabant (29).

℣. 56. CONVENIENTIA TESTIMONIA NON ERANT: non conveniebant, vel, non sufficiebant. In hoc illi conspiraverant, ut Jesum asseruisse dicerent, destructurum se Templum Dei, tribusque diebus restauraturum, ℣. 58. id tamen satis non erat, ut morte damnaretur; nihil enim tale aut egisse illum aut tentasse constabat. Simplex autem propositum, quod res ipsa, vel conatus ullus non sequitur, damnari nequit. Græcus ad verbum (30): *Æqualia non erant testimonia*, pari pondere, veluti cum duo aliqua bilanci imponuntur, & alterum altero gravius invenitur. Satis ponderis non habebant testimonia, ut alteram trutinæ lancem ad mortem impelleret (31). Sunt qui (32) quærant, qua in se falsorum testium asserta discreparent, & discrimen aliquod invenisse sibi vi-

(10) Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε. Ἀπέχει. (11) Grot. Camer. Salmas. Cleric. Græci quidam: Ἀπέχει τὸ τέλος. Vide Mald. (12) Matth. xxvi. 51. Et Marc. hic: Ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον. Luc. xxii. 50. Ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ οὖς τὸ δεξιόν. Joan. xviii. 10. Ἀπέκοψεν αὐτοῦ ὠτίον τὸ δεξιόν. (13) Luc. xxii. 51. Καὶ ἁψάμενος τοῦ ὠτίου αὐτοῦ, ἰάσατο αὐτόν. (14) Maldon. Grot. alii. (15) Hieron. seu alius in Ps. xxxviii. (16) Epiphan. hæres. 78. Elias Cret. ad orat. 21. Nazianz. contra Arianos. (17) Chrysost. in Psalm. xiii. Ambros. in Psalm. xxxvi. Greg. lib. xiv. moral. cap. 24. Beda hic; & Auctor Hist. Scholast. Baron. (18) Theophylact. hic, & Euthym. Ita & Casaubon. in Baron. Exercit. 16. (19) Chrysost. in Matth. homil. 84. (20) Hieronym. Epist. 16. pag. 119. Vide, si lubet, & Augustin. tract. 113. in Joan. (21) Kimchi lib. Radicum. סדין (22) Περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ. (23) Ligfoot. horæ Hebr. (24) Κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι. (25) Casaub. Diatr. Grot. Hamm. alii. Vide 72. in Josue vi. 4. vi. 22. Isai. xxxii. 18. & passim apud Polyb. & alios. (26) Joan. xviii. 15. . . . 24. (27) Joan. xviii. 15. 16. (28) Θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. (29) Ezech. v. 2. Dan. iii. 6. Ubi אור pro אש. Et Euripid. Vide Grot. Vat. Ham. (30) Καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν. (31) Vide Grot. Hamm. (32) Beza hic; Merill.

videntur: at adeo leve, ut vix intelligi queat.

℣. 58. Templum hoc manu factum. Hoc falso addebant testes; quippe quod non dixerat Jesus, sed de suo ipsius corpore agens, *Solvite Templum hoc*, inquit Joan. 2. 19. *& in tribus diebus excitabo illud*.

℣. 61. Tu es Christus, &c. Teste Matthæo 26. 63. Summus Sacerdos Dei viventis nomine illum obtestatus est, ipse ne Christus esset: cui ita obtestanti respondit Jesus.

℣. 63. Scindens vestimenta sua. Græce (32): *Tunicas suas*. Unica plerumque tunica ferebatur, sed nocturni frigoris causa duas forrasse habebat Pontifex: eæque domestica erant vestimenta, non dignitatis insignia.

℣. 64. Condemnaverunt eum esse reum mortis. Iniquum undique erat judicium. Judices una erant illi & accusatores: tum Israelis consuetudine nefas erat noctu judicium exercere, nocturnosve cœtus agere, qui nonnisi clandestina conventicula existimabantur. Quamobrem ut hoc judicii vitium corrigerent, mane in Sanhedrium convenere. Vide proximum Caput ℣. 1.

℣. 65. Ministri alapis, &c. Servi, ministrorum vulgus, apparitores, custodes, ii, quibus capiendi Jesu provincia demandata est, alapis illum cædebant. Id medio in atrio gestum est, prope ignem ibi excitatum, ad quem Petrum una cæteris sedebat.

℣. 66. Venit una ex ancillis. Januæ custos, de qua Joannes 18. 16. omnium prima Petrum agnovit ex Jesu Discipulis.

℣. 68. Exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. Petrus conscientiæ stimulis agitatus, ne animi tumultum ostenderet, dissimulans e cœtu abiit, proditque in vestibulum, quod ante januam, vel ante atrium erat (33). Vestibulum plerumque locus erat porticu & columnis tectus, ante Principum ædes, ut clientes, cæterique, salutatum aut negotiorum causa accedentes, sub tectum exciperentur.

℣. 69. Cum vidisset illum ancilla, altera a priori, ex Matthæo (34).

℣. 71. Cœpit anathematizare, pejerare; vel dira sibi imprecari, uti omnium miserrimus fieret, siquidem nosset Jesum.

℣. 72. Statim gallus iterum cantavit. Hæc vox *statim* spectat ad negationem, quam illico consecutus est galli cantus. Apud Veteres secundo gallicinio noctis finis & diei initium significabatur (35).

Et cœpit flere. Vel ex Græco (36): *Egrediens flevit*. Repente abiit, & flere cœpit (37); vel confestim in fletum resolutus est; lacrymas cohibere non potuit (38). Reddunt alii: *Abunde flevit*, torrente lacrymarum se proluit (39). Theophylactus, Salmasius, Vorstius, Coccius, aliique nonnulli vasti malunt: *Operta capite flevit*. Hammondus: *Conjectis oculis* in Jesum sese intuentem, humi procumbens, *flevit*. Alii (40): *Animo versans crimen suum, cœpit flere*. Hæc versionum varietas oritur ex ambigua significatione verbi *epiballo*. Verissimam omnium interpretationem hanc esse puto: *Obvolvens se veste, cœpit flere*. Matthæus dumtaxat (41): *Egressus foras, flevit amare*. Vetus Codex Cantabrigiensis, Syriaca Versio & Gothica hic cum Vulgata consentiunt (42): *Cœpit flere*.

(32) Διαῤῥήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ. (33) Ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαύλιον. Matth. xxvi. 7. Εἰς τὸν πυλῶνα. (34) Matth. xxv. 7. Εἶδεν αὐτὸν ἄλλη. (35) Aristophan. Τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο. Juven. Satyr. *Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi*. (36) Ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. (37) Beza, Pisc. Mont. (38) Erasm. Ludov. de Dieu. (39) Grot. Lud. de Dieu, Le Clerc, Heinsius; quasi scripserit, *addidit flere*. Hæc tamen locutio tunc dumtaxat adhibetur, cum aliquid jam gestum est, & fieri pergit. Hic Petrus nondum fleverat. (40) Beza hic, Lyd. de florum sparsione in fun. Christi, pag. 103. (41) Ἐξελθὼν ἔξω, ἔκλαυσε πικρῶς. (42) Cantab. ἤρξατο κλαίειν. Vide Bynæ. lib. 3. de morte Christi, c. 6. art. 17. 18.

CAPUT XV.

Ducitur iterum Jesus ad Sacerdotes ac Senatores; tum ad Pilatum, ubi accusatur. Populus Jesu necem postulat. Barabbas Christo anteponitur. Ductus ad Calvarium Jesus crucifigitur. Convicia in illum pronunciata. Solis tenebræ. Acetum pendenti propinatur. Jesus vehementer clamans expirat. Josephus ab Arimathia illius corpus postulat, & sepelit.

℣. 1. ET confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & Scribis, & universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. 2. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. 3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. 4. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide, in quantis te accusant. 5. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. 6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petiissent. 7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. 8. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. 9. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum? 10. Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. 11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. 12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? 13. At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum. 14. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis cla-

mabant: Crucifige eum. 15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. 16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem. 17. Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. 18. Et cœperunt salutare eum: Ave rex Judæorum. 19. Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. 20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum, ut crucifigerent eum. 21. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit. 24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. 25. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. 26. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: REX JUDÆORUM. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones; unum a dextris, & alium a sinistris ejus. 28. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. 29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: 30. Salvum fac temetipsum, descendens de cruce. 31. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. 32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. 33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam. 34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. 36. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum. 37. Jesus autem emissa voce magna expiravit. 38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. 39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat. 40. Erant autem & mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome: 41. Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. 42. Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbathum) 43. Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. 44. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Et accersito Centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. 45. Et cum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph. 46. Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti. 47. Maria autem Magdalene, & Maria Joseph aspiciebant, ubi poneretur.

℣. 1. ET CONFESTIM MANE CONSILIUM FACIENTES, Sacerdotes, qui nocturno in cœtu Jesum mortis reum pronunciaverant, frequentiore concilio, magisque legitimo ad Synedrium produxere. Synedrium, uti ajunt, in aliqua Templi aula colligebatur. Ductus illuc Jesus, accusatusque, judiciali forma damnatur Luc. 22. 66. Cum autem eo tempore Judæi puniendi aut interficiendi quemquam authoritate carerent (2), solumque illis superesset jus instruendi causas, & ferendi ex Lege sententiam, ipsimet Jesum ad Pilatum, Provinciæ Præsidem nomine Romanorum, deduxere, flagitantes, ut, cum ille ultimo dignus supplicio ex Lege pronunciatus esset, ipsum damnaret, ac morte afficeret. Hæc paucis narrat Marcus, multaque addenda sunt illius narrationi, ex cæteris Evangelistis. Consule Harmoniam ante Matthæum positam.

℣. 2. TU ES REX JUDÆORUM? Ex hoc uno, vel ex hoc inter cætera moveri poterat Pilatus; reliqua enim, veluti blasphemia, quorum causa damnatus fuerat a Sacerdotibus, ad Pilatum non pertinebant. Unum hoc quærendum erat Pilato, seditionum turbatumque & affectati Regni reus esset Jesus, nec ne.

℣. 3. ACCUSABANT EUM IN MULTIS. Ingens librorum numerus hoc loco addit (2): *Ipse autem nihil respondit*. Addidisse videntur librarii (3).

℣. 6. PER DIEM AUTEM FESTUM SOLEBAT, &c. Per Paschatis festum (4), non cæteris solemnioribus anni diebus, quantum scimus, quidquid Interpretes multi comminiscantur (5). Hunc fortasse mo-

(2) Joan. xviii. 31.
(1) Grot. Brug. &c.
(3) Αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. Ita complut. Vechel. Arm. Æthiop. alii plures.
(4) Joan. xviii. 39.
(5) Vide Syriac. Arab. Æthiop. Pers. Bez. Tremel.

morem Romani inter Judæos invenerant servabantque. Id fieri consuevisse creditur ob memoriam redditæ ex Ægyptiaca servitute libertatis. Fiebat autem vel pridie vel per octavam Paschatis.

℣. 7. ERAT AUTEM QUI DICEBATUR BARABBAS, &c. Græcus Legit (6): *Qui cum sociis seditionis erat vinctus, qui in seditione homicidium fecerant*. At videtur omnino vel ipse Barabbas fecisse homicidium, vel princeps fuisse seditionis: cur enim aliter distinguendus erat a sociis criminis, si par erat omnium causa? Plerique Codices manu exarati cum Græco vulgari consentiunt; Armena versio, & Manuscripti Codices Veleziani cum Vulgata.

℣. 8. ET CUM ASCENDISSET TURBA. Coacta ad tumultum multitudine. Primum adhuc mane erat, statimque vulgato rumore captum esse Jesum, & in Prætorio seu Pilati domo esse, ejusque causam agi, ingens populi multitudo undique convolavit. Græcus typis vulgatus fert (7): *Et vociferans turba, cœpit rogare*, ut fieret, quemadmodum fieri solebat, nempe, ut unus e vinctis solveretur. At Vulgata, Versiones Cophticę, Gothicę, & Æthiopicę, tum vetus Cantabrigiensis Codex, aliique nonnulli habent (8): *Cum ascendisset*, seu venisset, *turba*, &c.

℣. 9. VULTIS DIMITTAM VOBIS REGEM JUDÆORUM? vel, eum qui se Regem Judęorum nuncupat, vel qui quęsiti Judęorum Regni accusatur? Nisi compertum esset, Pilatum serio optasse Jesum dimittere, omnino crederes, illum de ridiculo ita esse locutum; is enim optime norat, illum invidię causa traditum esse, & quęsiti Regni insimulatum, quemadmodum sequenti commate narrat Marcus.

℣. 15. DIMISIT ILLIS BARABBAM, latronem & seditiosum. Perniciosis hujusmodi hominibus, falso libertatis prętextu pessime grassantibus, abundabat Provincia. Populus prętentium pertęsus, rerumque novarum cupidus, illis favebat, & clam opitulabatur.

ET TRADIDIT JESUM FLAGELLIS CÆSUM, &c. Illum fortasse antea flagris damnaverat, ut ea ratione multitudinis insaniam sedaret, futurum sperans, ut absolutum remitti, quemadmodum ipse proposuerat, paterentur. Altera hic non innuitur flagrorum animadversio. Vide nos in Matthęum XXVII. 26. & in Joannem XIX. 5.

℣. 17. SPINEAM CORONAM. Non satis convenit inter sacros Interpretes quonam spinarum genere plexa fuerit corona, quę tempora Jesu Christi redimendo pupugit. Sunt qui maluerint Spinum album, utpote aculeis acutissimis & rotundissimis armatum. Aliis placet designari Spinum quem florere dicunt in Palęstina sub Paschate. Paratam vero, ajunt, ex his spinis coronam, externa quidem specie florentem, intus vero acutissimis cuspidibus horrentem. Alii pręferendam censent Acaciam, quadam nominis excellentia spinum appellatam. Bellonius vero, qui Palęstinam itinerando excurrit, nullas alias spineas plantas ibi reperisse se dicit, pręter rhamnum sive prunum nigrum & raros quosdam aculeis asperos inter messes crescentes. Evangelium nonnisi spinas generali nomine exprimit.

℣. 19. ADORABANT EUM. Illum se adorare simulabant, uti cum Regibus fit, flexo coram genu.

℣. 21. PATREM ALEXANDRI ET RUFI. Nomina hęc, tametsi Gręca & Romana, in Ægypto & Cyrenaica, Simonis (9) patria, inaudita & nova non erant.

℣. 23. MYRRHATUM VINUM; quod fortasse idem est atque illud, quod a Gręco Matthęi Interprete c. 28. 34. dicitur *vinum cum felle mistum*. *Myrrha* (10) Hebraice amarum proprie significat; itemque *marar*, seu *mererath*, vox ex eadem radice orta, Hebraice est *fel*. Quamobrem Matthęus *marra* pro myrrha fortasse usurpavit (11); & Interpres pro felle. Myrrhatum vinum plurimi apud Veteres ęstimabatur, generositate & odore (12). Solebant Hebręi hominibus morte damnatis generosas ac soporiferas potiones propinare, ut cruciatuum sensus in illis hebetaretur (13). Vide Matth. XXVII. 34.

NON ACCEPIT. Gustans, bibere noluit (14), ne cruciatuum suorum sęvitiam lenire, aut propinati a Patre calicis amaritiem mitigare videretur.

℣. 25. ERAT AUTEM HORA TERTIA, propior jam horę sextę; itaut visum fuerit Joanni 19. 14. *horam sextam* ponere, utpote propinquiorem. Vide quę diximus in Matthęum XXVII. 45.

℣. 28. ET CUM INIQUIS REPUTATUS EST. Vaticinium ex Isaia 53. 12. Judęi Veteres & Chaldęus Paraphrastes de Messia interpretantur. Ita etiam Philippus in Actis 8. 32. Ipsemet Christus monuerat Luc. 22. 37. hęc verba in se impletum iri. Veteres nonnulli habent (15): *Et cum mortuis reputatus est*; quę ex Isaia desumpta esse videntur (16).

℣. 32. ET QUI CUM EO CRUCIFIXI ERANT, &c. Ex his alter illum conviciis petebat; plurali numero pro singulari usurpato. Vide Lucam XXIII. 39. & Matthæum XXVII. 44.

℣. 34. ELOI ELOI LAMMA SABACTHANI? Membrorum suorum, fidelium scilicet malis oppressorum, de ærumnarum gravitate cum Deo querentium, imbecillitatem in se exhibet Jesus. Quamdiu, o Deus, tuos malis opprimi patieris? Græci Codices quidam legunt (17): *Elei Elei*, &c. Matthæus 18. 46. *Eli Eli*. Posterior hæc lectio Hebraica est, illa potius Syriaca.

℣. 35. ECCE ELIAM VOCAT. Hellenistæ quidam, similitudine vocis *Eli* decepti, vocari putavere a Jesu *Eliam*, Hebraice *Eliahu*. Compertum est, hunc Messiæ vias fuisse paraturum: cum autem Jesus se Messiam esse dixisset, Eliam ab eo vocari censuere, ut sibi opitularetur.

℣. 36. CIRCUMPONENSQUE CALAMO, culmo hyssopi (18), stipi seu plantæ, quæ in iis locis satis procera fit.

℣. 38. VELUM TEMPLI SCISSUM EST. Duplex erat in Templo velum: aliud exterius, quo claudebatur Sanctum; aliud interius, quo Sanctuarii aspectus prohibebatur. Postremum hoc populi ac Levitarum obtutibus non patebat, sed ab unis Sacerdotibus, thymiamata in Sanctum inferentibus, videri poterat. Alterum a quolibet in Templum veniente cernebatur, quippe quod magnam frontis Templi partem velaret, cubitis quinquaginta altitudine, latitudine sexdecim. Ingentis pretii velum erat, ubi purpura, cæruleum, coccus, byssus mira varietate miscebantur (19). Sanctuarii velum non describit Josephus, quod certe nihilo inferius pretio credi par est, quamquam erat brevius. Utrum scissum fuerit moriente Christo, ignoratur. Vide Matthæum XXVII. 51.

℣. 39. VIDENS AUTEM CENTURIO, QUIA SIC CLAMANS EXPIRASSET. Præter leges naturæ est,

(6) Μετὰ τῶν συστασιαστῶν δεδεμένος, οἵτινες ἐν τῇ στάσει φόνον πεποιήκεισαν. (7) Ἀναβοήσας ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι. (8) Ἀναβὰς ὁ ὄχλος. (9) Joseph. lib. 7. de Bello cap. 25. & Toynardi not. in Harmon. pag. 155. (10) מור Myrrha. (11) מררות Job. XVI. 14. XX. 14. 25. Item. IX. 15. Thren. III. 15. (12) Plin. lib. 14. cap. 13. Dioscorid. Columel. lib. 12. cap. 18. (13) Talmud, tract. Sanhedrin cap. 6. fol. 43. (14) Matth. XXVII. 34. Γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν. (15) Ita legit Hyppolit. tract. de Antichristo: Εἰς νεκροὺς κατελογίσθη; seu μετὰ νεκρῶν ἐλογίσθη. Ita legebant Eutychiani, teste Vigilio lib. 4. contra Eutych. Vide Mill. (16) Isai. XIV. 10. Καὶ σὺ ἑάλως ὥσπερ καὶ ἡμεῖς, ἐν ἡμῖν δὲ κατελογίσθης. (17) Cantab. Armen. Euseb. Vide Grot. hic. (18) Joan. XIX. 29. (19) Joseph. lib. 6. de Bello cap. 6. in Latino pag. 917.

ut moriens homo, & in cruce moriens, lenio scilicet sævissimoque mortis genere, quo vires penitus exhauriuntur, ita vehementer clamet, ut Jesus. Quamobrem inde collegit Centurio, illum majus aliquid esse quam hominem, ac revera Dei Filium, quemadmodum ipse prædicaverat, & Discipuli asserebant.

℣. 40. Maria Magdalene, Galilæa illa mulier, quam Christus septem Dæmonum contubernio liberavit, peccatricis fœminæ appellatione ante conversionem nota (20).

Maria Jacobi minoris, et Joseph mater. Græcus (21) proprie fert: *Jacobi parvi, & Jose*, vel *Josephi*. Maria fortasse uxor fuit Jacobi minoris, non mater. Si matrem fuisse putes, tres igitur in Evangelio celebres sunt Jacobi. I. Jacobus Joannis frater, & filius Salomes ac Zebedæi, cognomine Major. 2. Jacobus minor de quo hic; Domini frater nuncupatus, Mariæ filius, & frater Jose vel Josephi, qui & Justus & Oblias dicebatur, testibus Hegesippo, Clemente Alexandrino, & Eusebio (22). Is primus Hierosolymorum Episcopus fuit, & ab Josepho Historico commendatur (23). 3. Denique Græci (24), & Eruditi quidam Jacobum Minorem & Hierosolymorum Episcopum ab Jacobo Alphæi filio & Apostolo distinguunt: Gravissimam hanc quæstionem non agitamus, illud monuisse contenti, a priscis Patribus quamplurimis Jacobum Minorem, & filium Alphæi unum eumdemque censeri; quam sententiam Latina Ecclesia vulgo amplexa est. Hac de re fusius fortasse disputabimus in Præfatione ad Jacobi Epistolam.

Salome, Jacobi Minoris, & Joannis dilecti Discipuli atque Evangelistæ mater.

℣. 42. Cum jam sero esset factum, (quia erat parasceve, quod est ante Sabbathum). *Parasceve* dicebatur, seu præparatio, quod ea die cibi pararentur in Sabbathum, qua die id fieri nefas erat (25). Cum Jesus feria sexta expirasset, tertia circiter post meridiem hora, necesse fuit, quam citissime Josephus ab Arimathia Christi cadaver a Pilato postularet, e cruce demitteret, lavaret, unguentis condiret, sepulcro conderet, ipsumque sepulcrum clauderet; imminebat enim statim post solis occasum Sabbathi quies, & vernum æquinoctium tunc agebatur. Hæc vox *sero* totum illud tempus significat, quod a tertia post meridiem hora usque ad sextam horam circiter vespertinam fluxit, qua hora Sabbathum exordiebatur. Si eam in diem Pascha contigisset, qui fieri poterat, ut tam multa moliretur Josephus? Nonne sanctissimæ diei quietem omnino is violasset? Ausus ne fuisset ea die Nicodemus aromata emere, quibus Christi cadaver condiendum erat?

℣. 43. Joseph ab Arimathæa nobilis Decurio. Græcus (26) fert *Senatorem*, sive Consiliarium. *Decurio* Romanis erat militum præfectus, equitibus decem, vel cohorti peditum trium & triginta imperans. Interdum etiam *Decurio* usurpabatur pro Ministro juris dicundi, qui ex genere hominum componebatur Senatus Municipiorum, Romanarumque Coloniarum (27). At Arimathia neque Romana erat colonia, neque municipium. Putat Ligfootus, hunc e Summi Sacerdotis consiliariis fuisse, in iis quæ ad Dei cultum sacrosque ritus pertinebant. Aliis (28) creditur Synedrii Senator, vel e numero trium & viginti Judicum urbis Arimathiæ.

Qui et ipse erat expectans Regnum Dei, bonus Judæus, Messiæ adventum præstolans, qui cum omnes Messiæ tamdiu expectati notas in Jesu animadvertisset, illum ejusque instituta sequebatur. Agens de sene Simeone Lucas 2. 25. ait: *Expectans consolationem Israel*. Discipuli in Emmaus proficiscentes, de Jesu Christo ita loquebantur (29): *Sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel*.

Audacter introivit ad Pilatum. Non levi sese discrimini objiciebat Josephus, non ex Pilato, qui iniquissimam esse Jesu Christi necem, ipsumque se invito damnari satis ostenderet, sed ex Judæis, præsertim vero ex Sacerdotibus atque Doctoribus, qui cum in extremam adversus Jesum insaniam devenissent, hostium loco habebant eos, qui ipsum sectarentur: quamobrem omnem in se illorum furorem provocabat, cum illius sepulturam supremaque erga illum officia curaret.

℣. 44. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Tres tantum horas in cruce pependerat Jesus; quo in supplicio ii qui ætate integra erant, diutius multo vivere solebant (30). Quamobrem latronibus una crucifixis fracta sunt crura, quo citius morerentur (31). At non semel dixerat Jesus, suam ipsius vitam mortemque in sui potestate esse, seque moriturum cum libuisset (32).

Narrat Josephus (33), se, cum Judæos quamplures captivos cruce affectos vidisset, inter quos tres ex amicis, illorum misertum, vitam miserorum a Tito postulasse, ipso statim annuente: quamobrem illico e cruce demissos, & jussu Titi studiosissime curatos, duos tamen inter medicorum manus expirasse, tertio dumtaxat superstite.

℣. 46. Joseph autem mercatus sindonem. Accessit Nicodemus (34), dum is suprema Christo officia exhibebat; accessere & piæ mulieres, ibi perseverantes, quousque cadaver sepulcro conderetur (35).

(20) Luc. vii. 37. 39. viii. 2. Marc. xvi. 9. (21) Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ. (22) Euseb. lib. 2. Histor. Eccl. cap. 1. ex Hegesippo, & Clem. Alex. (23) Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 8. pag. 628. (24) Vide Coteler. not. in Can. Apostol. & Bolland. in 1. Maii. Vide Tillemont, Note 1. & 2. sur saint Jacque le Mineur. (25) Exod. xv 6. 23. (26) Εὐσχήμων βουλευτής, *Honestus consiliarius*; vel *Dives consiliarius*; nam *honestus*, pro locuplete usurpatur. Matthæus locupletem nominat: *Homo dives ab Arimathia*. Matth. xxvii. 57. (27) Digest. L. 50. Vide Hamm. hic. (28) Brug. Bez. Lud. de Dieu. Le Clerc. (29) Luc. xxiv. 21. (30) Grot. ad Matth. xxvii. 50. Brug. hic. (31) Joan. xix. 31. 32. 33. (32) Joan. vii. 30. viii. 20. xiii. 1. & x. 18. (33) Josep. lib. de Vita sua p. 1031. b. c. (34) Joan. xix. 39. (35) Marc. xv. 47.

CAPUT XVI.

Jesus resurgit. Piæ mulieres prima luce ad sepulcrum veniunt, ipsumque resurrexisse, ab Angelo discunt. Jesus sese spectandum exhibet Mariæ Magdalenæ, tum cæteris Discipulis, omnibus denique simul collectis. Apostolorum missio. Prodigia illorum prædicationem secutura.

℣. 1. ET cum transisset sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. 2. Et valde mane

ne una fabbathorum , veniunt ad monumentum , orto jam fole. 3. Et dicebant ad
invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab oftio monumenti ? 4. Et refpicientes vi-
derunt revolutum lapidem . Erat quippe magnus valde. 5. Et introeuntes in mo-
numentum viderunt juvenem fedentem in dextris , coopertum ftola candida , & ob-
ftupuerunt. 6. Qui dicit illis: Nolite expavefcere: Jefum quæritis Nazarenum, cru-
cifixum: furrexit, non eft hic, ecce locus, ubi pofuerunt eum. 7. Sed ite , dicite
difcipulis ejus , & Petro, quia præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis , ficut
dixit vobis. 8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: invaferat enim eas tre-
mor , & pavor , & nemini quidquam dixerunt : timebant enim. 9. Surgens autem
mane, prima fabbathi , apparuit primo Mariæ Magdalenæ , de qua ejecerat feptem
dæmonia. 10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flenti-
bus. 11. Et illi audientes quia viveret, & vifus effet ab ea, non crediderunt. 12.
Poft hæc autem duobus ex his ambulantibus oftenfus eft in alia effigie , euntibus in
villam: 13. Et illi euntes nuntiaverunt cæteris , nec illis crediderunt. 14. Noviffi-
me recumbentibus illis undecim apparuit , & exprobravit incredulitatem eorum , &
duritiam cordis, quia iis , qui viderant eum refurrexiffe , non crediderunt. 15. Et
dixit eis: Euntes in mundum univerfum prædicate Evangelium omni creaturæ. 16.
Qui crediderit, & baptizatus fuerit, falvus erit: qui vero non crediderit, condemna-
bitur. 17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc fequentur: In nomine meo dæ-
monia ejicient , linguis loquentur novis: 18. Serpentes tollent : & fi mortiferum
quid biberint , non eis nocebit : fuper ægros manus imponent , & bene habebunt.
19. Et Dominus quidem Jefus , poftquam locutus eft eis , affumptus eft in cœlum ,
& fedet a dextris Dei. 20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino coo-
perante, & fermonem confirmante fequentibus fignis.


℣. 1. CUM TRANSISSET SABBATHUM , vel Sabbathi quies ; utraque enim vefpere Sabbathi poft folis occafum delinebant; eoque tempore cum prima hebdomadæ dies inciperet, fas erat unicuique operam dare negotiis , emere ac vendere , de more . Scribit hoc loco Marcus (1) : *Emerunt aromata , ut venientes ungerent Jefum* . Attamen ut concilietur cum Luca (2) , qui parata fcribit a fœminis aromata a die quæ Sabbatho præceffit , reddendum eft : *Emerant aromata* (3); vel alia iterum aromata , cæterafque res , quibus opus erat , ut quam optime fieri poffet , corpus inungerent ; vel denique dicendum eft , emptionem a Luca per anteceffum effe recitatam (4). Profecto ægre intellexeris , qui fieri potuerit , ut piæ mulieres , quæ prope fepulcrum fuere , quoufque illud clauderetur , deinde aromata commode compararent . Quicquid fit , certe non pugnat duplicis Evangeliftæ narratio ; five Lucas rem narraverit antequam gefta eft , five Marcus rem uti antea jam geftam fcripferit.

Interpretes nonnulli (5) de toto hoc capite ufurpant id , quod S. Hieronymus de aliqua dumtaxat illius parte fcripfit (6); fcilicet a ℣. 9. ufque ad finem in raris haberi exemplaribus , & in Græcis plerifque defiderari : *Aut enim non recipimus Marci teftimonium , quod in raris fertur Evangeliis , omnibus Græciæ libris pene hoc Capitulum in fine non habentibus* . Caufa erroris hifce Scriptoribus fuit ea vox , *Capitulum* , quam ita illi ufurpavere, quafi Hieronymi ætate in ufu fuerit ea Novi Teftamenti diftributio , quam nunc habemus , & Matthæus in Capita XXVIII. Marcus vero in XVI. divifi fuerint. Compertum quinimo eft, facrorum Librorum fectiones fuiffe olim multo breviores , quam noftras , teftibus vetuftis Codicibus , novaque S. Hieronymi Editione. Priora certe octo hujus Capitis commata in nullis Exemplaribus impreffis & manu exaratis, Græcis ac Latinis, omnibufque Evangelii fecundum Marcum Verfionibus defiderantur . De cæteris , varias illorum lectiones dabimus infra.

℣. 2. VALDE MANE UNA SABBATHORUM. Omnia, quibus futurum erat opus, vefperi paraverant, & ante lucem difceffere (7), ut ad fepulcrum accederent. Plenilunii tempus erat , quamobrem nox fatis illuftrabatur . *Una Sabbathorum* pro *prima Sabbathorum* , quæ apud Hebræos prima eft hebdomadæ dies , nobis Dies Dominica.

ORTO JAM SOLE. Græcus (8): *Orto fole*. Græca quædam Exemplaria ferunt (9): *Orto jam fole* ; vel, mox orto fole ; alia , fole exoriente. Evangeliftas conciliavimus in Matth. XXVIII. 1. 2. &c.

℣. 5. INTROEUNTES IN MONUMENTUM , VIDERUNT



JUVENEM ; Angelum fub adolefcentis forma , fedentem in dextera , feu capite fepulcri G, ad dexteram eorum , qui introfpiciebant fpecum F. Vide Ichonographiam . Duo ibi fedebant Angeli (10) , alter ad fepulcri pedes , alter ad caput ; at ex iis alter folummodo verba fecit; quamobrem unius dumtaxat meminere Matth. 28. 5. & Marcus,

[1] Marc. hic: Ἠγόρασαν ἀρώματα. [2] Luc. XXIII. 56. Ἡτοίμασαν ἀρώματα καὶ μύρα. [3] Grot. Bez. Pifc. Lud. de Dieu. Alii paffim. [4] Ita Toynard. Harmon. [5] Bez. Druf. Maldon. Grot. [6] Hieron. quæft. 3. ad Hedibiam. [7] Joan. XX. 1. πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης. Luc. XXIV. 1. Ὄρθρου βαθέος. [8] Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. [9] Ἔτι ἀνατείλαντος ἡλίου. Grot. de Nyff. Eufeb. Alii apud Mill. hic. Cantab. ἀνατέλλοντος. [10] Luc. XXIV. 4. Joan. XX. 12.

eus, Similes in Sacrie Sctiptotibus omiſſiones paſſim leguntur.

℣. 7. Dicite Discipulis ajus, et Petao, quia præcedit vos in Galilæam, ibi vos expectaturus. Apoſtoli, utpote Galilæi, abſoluto Paſchatis feſto, ſtatim reverſuri erant in Galilæam. Pettum ioter cæteros nominant Angeli, *Diſcipulis ejus*, *& Petro*, tum primæ iutet Apoſtolos dignitatis cauſa, tum ne cæreri ſuſpicatentut, illum negato Magiſtro a Priucipatu excidiſſe; aut oe ipſe ſe poſthac veluti Apoſtatam perfidumque Diſeipulom habitum iri putaret. Quamobrem ut ipſius animum confirmaret, doceretque, inanes nou fuiſſe illius pœoitentiam & lactymas, moneti ipſum præ cæteris jubet Chriſtus, ſeſe in Galilæa ipſi adfuturum (11).

℣. 8. Nemini quinquam dixeaunt in itinere, Ee de re cum nemine collocutæ ſunt, prætetquam cum Apoſtolis, nbi venete ad domum, iu qua illi mœrore & lacrymis obruti morabentur.

℣. 9. Surgens autem (12), &c. Noodum hactenns cuiquam ſe videndum præbuerat. Angelos tantum miſerat, ut pias mulietes alloquereotur: hic ſeſe Mariæ Magdalenæ exhibet, quæ peculiari beneficio prima ante Apoſtolos Jeſum inruita eſt. Viſionis hujus modum fuſiua narrat Joannes 20. 11. Pia hæc mulier ſtatim ur Angelos in ſepulcro loquentes audivit, in urbem venit, rem Petto & Joanni narratura. Eodem tempore Petrus & Joannes ad ſepulcrum venientes, rem, uti deſcripta ſuetat, invenere; nullos tamen videtuot Angelos; & in utbem teverſi ſunt. At Maria in horto prope ſpecum eommoreta, inclioavit ſeſa, ut ſepulctum introſpiceret per humillimas illius fores, conſpectiſque Angelis, altero ad ſepulcri pedes, altero ad caput, receſſit; ſtatimque ſe illi objecit Jeſus ſub olitotis fotma. Primo tunc apparuit Jeſus.

De qua ejecerat septem dæmonia. Eadem ex nota illam deſignat Lucas 8. 2. Hanc eſſe etedimus flagitioſam eam mulierem, tam utili deinde exemplo converſam, atque ab ipſo Jeſu defenſam in Phatiſæi eonvivio (13). Septem dæmones, quorum cootubernio liberata eſt, pro innumerabili vitiorum turba uſurpatur, multorum ſententia (14). Septeoerius pro magno numero ſæpe ponitur. Videtur aliis (15), *ſeptem* uſurpeodum eſſe ad verbnm, eredendumque, mulierem, antequam curaretur, a dæmonibua ſeptem obſeſſam fuiſſe, varios corporis morbos in ea efficientibua, vulgari eorum temporum experientia; enm ſoleret Deua in animi vitia incommodis eorporis animadvettere.

Nonum hoc comma, & quæ ſequuutur undecim, in multis Græcis Latiniſque Exemplaribus non legebentor; idque de ætete ſua teſtantur S. Gregorius Nyſſenua (16), & S. Hieronymus (17); quorum poſtremus ſcribit, raros eſſe Latioos Libros, Græcoſque rariores, in quibus Capitis hujus finis reperietur. Victor Antiochenus, & Aoonymus Toloſas, in Catena Marci, ultra nonum hunc vetſiculum oon interpretantur. Apud alios (18), poſt ℣. 8. hæc habetut Capitis eoncluſio: *Omnia vera hæc mandata* (quæ natrare iuſſæ ſunt) *iis qui cum Petra* erant, *breviter enarraverunt*. *Paſt hæc autem & ipſe Jeſas ab oriente & uſque ad occaſum miſit per ipſos ſanctam & incarraptam prædicatianem æternæ ſalatis*,

Cur librarii duodecim hoſce verſieulos e Marco abſtulerint, illud in eauſa eſt, quod Marcus hac oarrationis patte eum Matthæo pugnare ipſis videreiur (19), & ea continere, quæ cum cæteris Evangeliſtis ægre componantur. At Librariorum non erat ferre ſententiam de hae Scriptorum pugna, quæ Interpretibus eruditiſſimis nulla eſt. Patres, veluti S. Irenæus lib. 3. cap. 11. Euſebius Demonſt. Ammonius iu Monoteſſare, S. Athanaſius in Synopſi, S. Auguſtinus (20), Theophylactua, hunc XVI. Capitis finem legunt, habentque hoc loco vetuſti ferme omnes libri, tum impreſſi, tum manu exarati, Græci & Latini, Syrus, Arabs, cæteræque Verſiones Otientales.

℣. 11. Illi audienies non crediderunt. Fidem non habuere iis, quæ a mulieribus dicebaniur, eaſque ſomnia venditare exiſtimabant, inquit Lucas 24. 11. meraſque inſanias loqui, præſertim Magdalenam, quæ illum & a ſe viſum, & ſecum collocutum eſſe ajebat; quippe cum res adeo mira eſſet, ur fieri non potuiſſe arbitrarentur.

℣. 12. Post hæc autem duobus ex his ambulantiaua, exeuntibus in agrum. Ita fert Græcus (21). In Emmeus illi proficiſcebantur (22), parvam urbem, duabus circiter leucis ab Jernſolymis. Seſe primum exhibuerat Magdalenæ ſub olitoris forma, rum Diſcipulis ſub hominis iter habentis ſpecie: *In alia effigie*. Cootigit hoc die Dominica, ſeu prime hebdomadæ die, qua Jeſus in vitam rediit.

℣. 14. Novissime accumbentiaus illis unoecim appaauit. Supremum hoc eſt, quod Apoſtolis præbuit Jeſus, ſui ſpectaculum: *Naviſſime*: idque Jeroſolymis geſtum eſt, reverſis illuc Apoſtolis, ar Jeſum ad Cœlos aſcendentem intueteniur, ſanctumque Spiritum ſacra Pentecoſtes die acciperent. Ita cenſent S. Anguſtinus (23), S. Gregorius Magous *Ham.* 29. Beda, aliique.

Toyuardus contigiſſe putat feria 5. die 14. Maji, 15. Jiar, quadrageſimo poſt Reſurrectionem. Idem hoc eſt, quod ſctibit Paulns 1. Cor. 15. 7. *Deinde viſus eſt Jacaba*, *deinde Apoſtalis omnibus*; ibique bibit comeditque, teſte Act. 1. 3. & 11. 41.

Videtur nonuullis (24) Maicus hoc vocabulo *Noviſſime* innuere voluiſſe ultimam Chriſti apparitionem prima Refnrrectionis die; de eademque agere Lucas XXIV. 36. at hauc jam ſcripſerat ℣℣. 12. 13. Sunt (25) qui eam cenſeant, qua Thomas digitos in manunm & lareris Chriſti vulnera immiſit. At neque hæc ultima eſt Chriſti apparitio; quemadmodum hæc, de qua Matcus.

Quia iia qui videaant eum, &c. Ait S. Bernaidus (26), Diſcipnlos eo uomine a Chtiſto fuiſſe redargutos, quod fidem nou habuetint Angelis, uuis Reſurrectioois teſtibus. At pleriſque viderur (27) eos arguere Chriſtus, quod Mariæ Magdalenæ, Petro, & duobus Diſcipulis Emmaus, aliiſque tam multis, viſum a ſe redivivum affirmantibus, non crediderint.

Poſt hunc verſiculum, in quibuſdam olim Exemplaribus, præſertim Græcia, hæe legebantur (28): *Et illi ſatisfacıebant*, *dicentes*: *Sæculum iſtad iniqaitatis & incredalitatis ſubſtantia eſt*, *qaæ nan ſinit per immundos Spiritas veram Dei apprehendi virtutem*. *Idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam*. Vides certe, addita hæc eſſe ex apocryphis libris, & vel ex Mootaniſtis, vel ex aliis hæreticis, ma-

(11) Vide Chryſoſtom. Euthym. in Matth. XXVIII. Greg. homil. 21. iu Evang. Maldon. Grot. Caſaub. alii. (12) Sixt. V. Plura Latin. pleraque Græca addunt: Jeſus. (13) Luc. VII. 38. 39. & ſeq. (14) Gregor. hom. 33. in Evangel. Beda, &, ut videtur, Theophyl. (15) Vide Maldon. hic; Grot. in Luc. VIII. 2. (16) Gregor. Nyſſ. orat. 2. de Reſurrect. Ita Cod. Reg. 2868. & Colb. 2467. (17) Hieron. ad Hedibiam, quæſt. 3. (18) In Vechel. Ver. Cod. & in Cod. Reg. 2861. Πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς, καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι᾽ αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. (19) Ita Hieronym. ad Hedibiam, loc. cit. Nyſſen. Greg. hic. Mill. prolegom. 812. 813. 814. in Evangel. (20) Auguſt. ſæpius. Vide 1. par. tom. p. 609. & 2. tom. p. 518. Et 5. tom. 998. c. &c. (21) Ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, πορευομένοις εἰς ἀγρόν. (22) Luc. XXIV. 13. (23) Auguſt. de Conſenſ. lib. 3. cap. 25. (24) Vide Euthym. Brug. Zeger. (25) Maldon. hic. (26) Bern. Serm. 1. de Aſcenſ. (27) Auguſt. lib. 3. de Conſenſ. Euthym. Maldon. Grot. Brug. (28) Apud Hieron. lib. 2. contra Pelag. cap. 6.

malum in mundo principium, necessariam mali causam, comminiscentibus.

℣. 15. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Creaturæ appellatione *hominem* universe intelligunt Hebræi (28); interdum etiam Ethnicos: *Væ creaturæ videnti & non intelligenti; in terra habitanti, nec intelligenti qui sustinet eam*, scilicet, nescienti quibus fundamentis terra innitatur. Ita Hebræi de Ethnicis, quibus nulla est de mundi creatione notitia (29). Et alibi (30): *Semen autem creaturarum*, nempe Ethnicorum, *de terrenis est; aratia de terra: at Israelitæ Sancti restaurationem postulant: Restituatur Templum tuum, Domine*. Ad universum terrarum orbem, omnesque gentes mittit Apostolos Christus. Hactenus vos ad errantes dumtaxat Israelis oves misi; vetui salutis nuntium ad Idolorum cultores ac Samaritanos inferri (31): at jam nunc ad universos late homines, nulla exceptione, vos mitto. Cecidit paries, quo Judæi ab Ethnicis segregabantur (32): terræ totius imperium moriens mihi comparavi: gentes universas hæreditatis nomine sortitus sum: in omnium utilitatem cruorem sudi: nemo, præter nolentem, a fœdere excluditur.

℣. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, &c. Is, qui recta, sincera, vividaque fide, cum charitate bonisque operibus conjuncta, instructus fuerit, in eaque ad finem usque perseveraverit, salutem consequetur. Non ita obsequendum est Christi verbis, ut singula sejuncta sequare: universum dogmatum atque institutionem corpus amplectandum est, imitandaque illius vita & exempla, si promissionum & gloriæ particeps esse cupias. Placere Deo absque fide non potes (33): at minime colligendum hinc est, certam esse salutem unicuique fidem habenti. Credunt Dæmones, & formidant (34): illorum tamen fides mortua est ac sterilis: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata non custodit, hic mendax est*, inquit Joannes (35). Baptismus publica est professio vitæ ad Christianas leges instituendæ. Ubi sacro eo ritu Christum sequi inceperis, opus est omnia professionis hujus officia impleas, futurus aliter prævaricationis reus (36).

℣. 17. Signa eos, qui crediderint, &c. Non omnibus æque Christianis prodigiorum virtutem pollicetur Jesus; id enim absurdis quamplurimis obnoxium esset; inutilia forent prodigia, quippe vulgaria. Opus est, prodigia sapientissime tractentur, ac tunc solummodo proferantur, cum communis Ecclesiæ utilitas, Dei gloria, maximumque proximorum commodum postulaverint: cumque hæc raro inveniantur, rara etiam prodigia esse, necesse est. Prodigiorum virtutem pollicetur Christus Apostolis virisque Apostolicis, ut ea utantur ex Spiritus Sancti institutione, & ad Ecclesiæ utilitatem. Nullo non tempore prodigia exhibuit Deus; frequentiora tamen prioribus Ecclesiæ seculis, quod illius res id exigerent (37).

℣. 18. Serpentes tollent manu, nullo noxæ aut vulneris metu. Ita Paulus viperam e manu sua pendentem interritus aspexit (38). Græcus (39) proprie sonat: *Angues tractabunt*, at explicari potest (40): *Angues necabunt*, nullo veneni timore, eosque ejicient e locis, ubi maxime noxii sunt. Angues & venenatas belluas a sanctissimis hominibus frequenter e locis suis pulsas legimus: dæmones autem ab Apostolis, virisque Apostolicis ejectos esse, curatos morbos, ignotos sermones usurpatos, non doceo, cum res maxime perspicua sit (41).

Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Hoc Joanni Evangelistæ contigisse dicitur: quamobrem a nostris Pictoribus exhibetur Joannes manu tenens calicem, ex quo anguis prodit. Idipsum de Barsabâ narrat Eusebius, & de Sabino Episcopo Gregorius Turonensis.

℣. 19. Assumptus est in cœlum: sua ipsius virtute ascendit, eadem die, qua supremum Apostolis se videndum exhibuit. Discipulos extra Jerosolymam ducens Jesus, iisque benedicens, sublimem sese in aera sustulit, ipsisque spectantibus in Cœlum ascendit (42), Inferni spolia veluti triumpho trahens (43), animas Patriarcharum, quæ hactenus beatitudinem expectaverant. Bethania, ad radices Montis Olivarum sita, rediere Apostoli Jerosolymam (44), ubi ad diem usque Pentecostes fuere, promissum Paracleti Spiritus lapsum præstolantes Act. 1. 8.

Et sedet a dextris Dei. Certum in Cœlis locum non occupat Cœlestis Pater, neque materialem sedem, cui dextra sit & læva; soliumve aut scabellum non habet. Si quando hujusmodi locutionibus utitur Scriptura, populi opinionibus connivet, Deum sibi fingentis ceu Regem solio insidentem, Ministris, amicis & consiliariis stipatum. Ut supremam Jesu Christi auctoritatem, æqualem Patri dignitatem, infinitamque gloriam intelligeres, nihil certe nobilius aut luculentius excogitari poterat, quam ut ad Patris dexteram sedere, pari cum illo potestate, amplitudine, majestate esse diceretur (45). Splendidissimum hunc Jesu Christi statum frequenter describit Scriptura. Jesum in Patris dextera sedentem spectat Stephanus (46). Christus ipse venturum se esse testatur dexteræ virtutis Dei assidentem (47). Scribit author Epist. ad Hebræos xii. 2. Jesum ærumnis & cruciatibus hoc gloriæ fastigium sibi comparasse. Teste Paulo ad Ephesios 1. 20. Jesus in vitam a Deo revocatus, constitutus est in Cœlo *in dextris Dei, supra omnem Principatum, Potestatem, Virtutem, & Dominationem*, denique supra omnia quæ conspicua sunt aut nobilissima nedum in hoc sæculo, verum etiam in futuro: *Cui enim (48) unquam Angelorum dixit: Sede a dextris meis?* In Veteri Testamento exhibetur Messias ad dexteram Dei sedens (49): *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*.

℣. 20. Illi autem profecti, prædicaverunt usque, &c. Non statim post Pentecostem profecti sunt, sed aliquandiu in Palæstina interque Judæos fuere, ut quam plurimos possent, ad fidem ducerent, eosque quos Christi Passio & Mors turbaverat, in fide confirmarent. Cum vero salutis verba a Judæis rejici, & salutis fores Ethnicis a Deo reserari perspicuis signis ac prodigiis intelligerent, Evangelium Regni Dei illis nunciare non dubitarunt. Secuta sunt Apostolorum labores prodigia, & ingens adeo beneficiorum copia, ut mira hominum toto orbe conversorum multitudine virtus Dei luculentissime conspiceretur (50): *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Apostolorum prædicationem, Christianorum fidem fulcivit Deus effusione gratiæ, prodigiorum perspicuitate, Divinæque virtutis authoritate (51): *Miraculis conciliavit authoritatem; authoritate meruit fidem; fide contraxit multitudinem; multitudine obtinuit vetustatem; vetustate roboravit Religionem*.

(28) Vide Castigl. Mellific. Grot. hic; Ligfoot, Hammon. (29) Rab. Chagig. fol. 12. (30) Beresch. Rab. sect. 13. (31) Matth. x. 5. (32) Ephes. ii. 14. (33) Hebr. xi. 6. (34) Jacobi ii. 19. (35) 1. Joan. ii. 4. (36) Vide Grot. Brug. Le Clerc, Mald. (37) Aug. de Vera Relig. c. 25. Greg. homil. 29. in Evang. Bed. Mald. (38) Act. xxviii. 5. (39) Ὄφεις ἀροῦσι. (40) Hamm. Le Clerc. Marian. (41) Vide Grot. hic. (42) Luc. xxiv. 50. (43) Psalm. lxvii. 19. Ephes. iv. 8. (44) Act. 1. 12. (45) Athanas. orat. 2. cont. Arian. Basil. de Spiritu S. c. 6. August. lib. de Agone Christiano c. 26. & de Fide & Symb. c. 7. (46) Act. vii. 55. 58. (47) Marc. xiv. 62. (48) Hebr. 1. 13. (49) Psal. cix. 1. (50) Psal. xviii. 5. (51) August. lib. de Utilitate Credendi, cap. 14.

FINIS COMMENTARII IN S. MARCUM.

IN EVANGELIUM SANCTI LUCÆ

PROLEGOMENON.

SAnctus Lucas, sive Lucanus (1), ut in nonnullis Mss. vel *Lucius*, ut in Epistola Apostoli ad Romanos 16. 21. oriundus erat Antiochia urbe Syriæ metropoli, & medicinam, non sine egregia laudis fama, teste S. Hieronymo, professus est (2). Cælibem vitam agens, neque conjugem ullam duxit, neque liberos genuit, ut in Additione ad viros illustres ejusdem Patris legimus. Sunt qui Gentilem religione crediderint (3), cui tandem Paulus Evangelium Antiochiæ nuncians, fidem persuaserit. Judæum tamen alii, & e numero Septuaginta Discipulorum arbitrantur (4). Narrant S. Hippolytus (5), & S. Epiphanius, Lucam, cum audisset Jesum dicentem, *Qui non manducat meam carnem, nec bibit meum Sanguinem, non est me dignus*, abalienatum recessisse; iterum deinde Pauli concionibus ad pristina consilia revocatum. Una cum Cleopha iter egisse ad Emmaus, cum Jesus adfuit in comitatu, alii ex Patribus testantur (6).

Alii tandem memoriæ prodiderunt, pingendi scientia non imperitum (7), tabulas plures, quas monstrant, posteritati transmisisse. Censent pariter (8) confundendum cum *Lucio*, de quo Paulus Rom. 16. 21. quem virum necessitudine cum Apostolo conjunctum arbitrantur. Meminit porro Lucæ, itinerum suorum comitis, idem Apostolus in suis Epistolis non semel (9); putantque nonnulli, Apostolum illum familiari ea phrasi Rom. 2. 16. *secundum Evangelium meum*, scriptum a Luca Evangelium designare, de quo pariter interpretantur ejusdem Apostoli illud 2. Cor. 8. 18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.*

Dicta tamen hucusque non æque certa sunt omnia; nec meliori fide assertum a nonnullis Veterum credimus, Lucam inter Septuaginta Discipulos Jesu Christi adlectum fuisse. Scribit enim de se Evangelista cap. 1. 2. nonnisi oculatorum testium fide & revelatione Opus suum scripsisse. Tertullianus pariter velut exploratissimum constituit, nunquam illum inter Discipulos Jesu Christi cooptatum, Evangelium nonnisi Pauli revelatione didicisse (10); idemque Scriptor cum S. Irenæo lib. 1. cap. 20. virum Apostolicum tantum appellat. Huic pariter sententiæ multo magis repugnant, quicumque ex Ethnico vel Proselyto ad fidem traductum arbitrantur. Pingendi arte peritum, nemo Veterum ante Nicephorum agnovit. Quod autem eam opinionem inducere potuit, illud facile reputandum est, quod plura de pueritia Jesu Christi, & rebus gestis Beatæ Virginis, frustra alibi quærenda, exhibuerit.

Apostoli Pauli Discipulum & itinerum socium fuisse, nemo quidem negat; quo tamen tempore in ejus se clientelam asseruerit, disquiritur. Quicumque ab Apostolo Antiochiæ versante ad fidem traductum arbitrantur, ab eo tempore Magistro fidum & indivulsum comitem adhæsisse defendunt: quam opinionem secutos credimus SS. Epiphanium & Hippolytum. Idem pariter docet vetus Ms. Cantabrigiense, cui Pearsonius suffragatur. Malunt alii, accessisse S. Paulo comitem Troade, laudantes in eam rem illud Act. 16. 8. *Statim quæsivimus a Troade proficisci in Macedoniam;* quibus verbis una cum Paulo versari se, Lucas ejus Libri author satis innuit. S. Irenæus pariter itinera S. Lucæ una cum Apostolo facta percurrens, ab hoc itinere exorditur lib. 3. cap. 14. Nicephorus, & Græci recentiores (11) ajunt, Lucam avitis erroribus renunciaturum venisse Thebas Bœotiæ; sed hæc recentiorum Græcorum tantum fide asserta, nullius sunt momenti. Lucam in itineribus suis prosequi, alienum esse a nostro instituto arbitramur.

Post Pauli excessum, diutius vitam produxisse ex eo credimus, quod plurium sententia LXXX. vel LXXXIV. annorum grandævus vita excesserit. S. Epiphanius Hæresi 51. testatur, nunciatum ab illo Evangelium in Dalmatia, Galliis, Italia & Macedonia. Ex urbe Roma in Græciam rediisse, non modico animarum bono, testatur Nicephorus Hist. Eccl. lib. 2. cap. 43. Venisse in Ægyptum, Lybiam, & Thebaidem, Metaphrastes est author. Diem clausisse in Achaja creditur

(1) Lucas ex contractione Lucani. Legitur, *Evangelium secundum Lucanum*, in Cod. Ms. Bobiensi uno, & S. Jo. de Carbonaria Neapoli altero; & ad calcem Cod. Cottoniani: *Explicit Evangelium secundum Lucanum*. Vide Mill. ad 1. Thessal. cap. 1. (2) Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 4. Hieronym. de viris Illustr. & in Matth. & alii. (3) Hieronym. quæst. in Genes. pag. 225. (4) Adamant. lib. 1. pag. 8. Epiph. hæres. 51. (5) Hippolyt. Ms. in Bibl. Bodlej. apud Mill. Præfat. in Luc. p. 110. Ita & Epiph. hæres. 51. (6) Gregor. Magn. lib. 1. Moral. cap. 1. Quid. apud Theophyl. (7) Nicephor. lib. 2. cap. 43. & lib. 6. c. 6. Theodor. Lector, hist. l. 1. p. 551. alii. (8) Quid. apud Orig. in Epist. ad Rom. (9) 2. Timoth. IV. 11. Philem. ℣. 23. 24. Coloss. IV. 14. (10) Cont. Marc. lib. 4. cap. 2. (11) Nicephor. lib. 2. cap. 43. Menæa 18. Octobr.

tur (13); unde sacra ejus lypsana Constantinopolim sub Constantio translata, asserit Philostorgius lib. 3. cap. 2. Thebis in Bœotia, Nicephoro authore lib. 2. cap. 43. obiit; ubi hodie pariter ejus sepulcrum monstrari fama est (14).

Non abs re tamen suspicamur, confusos esse duos cognomines viros, nempe S. Lucam Evangelistam, & S. Lucam Stiriotem, heremi ejus regionis incolam. S. Hippolytus tradit, crucis supplicium subiisse Eleæ in Peloponneso (15); Dorotheus in Synopsi obiisse refert, & sepulturæ mandatum Ephesi; Beda, Ado, & Martyrologium Romanum defunctum constituunt in Bithynia: S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. S. Paulinus Epist. 12. martyrium explevisse tradunt, S. Gaudentius Brixiensis (16) inter eos recenset, qui mortem ab impiis tulerunt. Recentiores quidam Græci asserunt, in oliva arbore crucem subiisse (17). Verum S. Hieronymus & Eusebius nihil habent de ejus martyrio; nihil pariter de illo in Martyrologiis; quin & Elias Cretensis (18) certum constituit, violento mortis genere non interiisse; in quam pariter sententiam a Recentioribus concessum est.

Ex Scriptis Lucæ nota sunt Evangelium, & Acta Apostolorum, nemine refragante genuina. Eidem etiam Authori tribuitur versio Græca Epistolæ ad Hebræos (19). Sunt etiam qui eamdem epistolam exarasse Lucam, ex verbis & sententiis ejusdem Apostoli (20), asseruerint. Sed fusius ea de re in Prolegomenis ad eamdem epistolam. Ipsi pariter inscribitur a S. Clemente Alexandrino (21) disputatio Jasonis viri Christiani cum Papisco Judæo Alexandrino, qui tandem rationibus Jasonis persuasus, victas manus fidei dedit. Hanc collationem Origenes appellat *contradictionum* (22), S. Hieronymus *altercationem* (23). Porro opus illud ætate nostra intercidit, de quo ita Origenes, & S. Hieronymus agunt, tamquam a Luca nequaquam scriptum arbitrentur. S. Maximus Abbas tuetur, Librum illum scripsisse Aristonem Pellæum, qui circa annum J. Ch. CXL. florebat.

Quo tempore Lucas ad scribendum Evangelium sese contulerit, non satis convenit. Ejus epocham constituunt Græca pleraque Mss. (24) anno J. Ch. LI. nempe XLVIII. Æræ Christianæ, triennio antea quam comes Paulo accessisse legatur; quod satis argumenti est ad epocham illam prorsus abjiciendam. Si Patrum fides (25) teneatur, putantium, de Evangelio Lucæ sermonem fieri illis Apostoli 2. Cor. 8. 17. verbis, *Cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*; scriptum Opus censendum est ante annum LXVII. J. Ch. quo scilicet altera ad Corinthios Epistola data est; & facile etiam certa ejus Epocha constituenda est circa annum LIII. cum Paulus Corinthi in Achaja versaretur; ibi enim literis mandatum opus S. Gregorius Nazianzenus Cat. 33. & S. Hieronymus Prolog. in Matth. autumarunt.

Estius in 2. Cor. & Grotius Præfat. in Luc. suspicantur, annum scripti Evangelii & Actorum ipsum eumdemque reputandum esse, quo eorumdem Actorum historia clauditur, circa annum nempe LXIII. J. Ch. cum Paulus Roma digressus in Hispaniam iter suscepit. Putat Grotius, Sacrum Scriptorem ex Urbe in Achajam concessisse, ibique literis tradidisse Evangelium. In pluribus inscriptionibus Syriaci, Persici, & Græci adornatum fertur Alexandriæ, quod satis convenit cum recepta apud Authores mediæ ætatis (26) traditione, apud quos Evangelium nunciasse, & vitam clausisse in Ægypto Lucam, fama est constantissima. Fertur etiam (27) ibidem tertium Alexandriæ Episcopum Abilium consecrasse circa annum LXXXVI. J. Ch.

In aliis nonnullis Mss. scriptum Latinis literis Romæ Evangelium narratur (28). Recepta tamen, & melior sententia tenet, Græcis literis, & in Achaja digestum fuisse opus, circa annum LIII. J. Chr.

Non desunt inter Veteres, qui ab Apostolo Paulo dictatum, excipiente Luca, Evangelium illud autumaverint (29). Tertullianus contra Marcion. lib. 4. cap. 5. testatur de quibusdam: *Nam & Lucæ Digestum Paulo adscribere solent. Capit Magistrorum videri, quæ Discipuli promulgarunt.* Asseruerunt alii (30), Apostolum illis verbis, *Secundum Evangelium meum*, Lucæ Evangelium designasse. Pauli ope confisum ad scribendum se contulisse, canit S. Gregorius Nazianzenus Carm. 43. Scriptis mandasse, quæ Paulus verbo Gentibus nunciaret, ait S. Irenæus lib. 3. cap. 1. Dorotheus in Synopsi tradit, scriptum ab illo Evangelium, dirigente S. Petro, & Acta sub Paulo Magistro. Verum nullibi sive in Actis, sive in Evangelio innuit Lucas, scribenti sibi historiam adfuisse Apostolum Paulum, sive Evangelium ab ore dictantis Petri se excepisse, quamquam id Menologium Basilii asserat. Porro ad scribendum se contulit tum post vulgata Matthæi, & Marci Opera, cum etiam postquam alii plures eam historiam probe sibi non exploratam tentarunt, Luc. 1. 1.

Utrumque opus inscribit Theophylo, quo nomine generatim animum Deum amantem designari, plures inter Veteres autumarunt (31). Alii vero, quorum hodie opinio invaluit, cer-

tum

(13) Hieron. de Viris Illustr. Gaudent. Brix. hom. 17. (14) Wheler. pag. 370. (15) Hippolyt. in Ms. Bodl. sup. citata. (16) Gaudent. Brix. Serm. 17. Martyrem & Evangelistam appellat etiam vetus Martyrologium Ecclesiæ Africanæ. Vide Analect. tom. 3. pag. 414. (17) Glycas, Cedren. Niceph. Vide Tillem. hist. eccl. tom. 2. pag. 148. (18) Elias in Gregor. Nazianz. orat. 3. (19) Clemens apud Euseb. lib. 6. Histor. Eccles. cap. 14. & Hieronym. de Viris Illustr. (20) Origen. apud Euseb. lib. 6. cap. 25. histor. Eccles. (21) Apud Euseb. lib. 6. cap. 14. (22) Origen. lib. 4. contra Celsum. (23) Hieronym. quæst. Hebr. in Genes. (24) Vide Var. Lect. Mill. ad finem S. Luc. (25) Origen. Ambros. Hieronym. Chrysostom. alii. (26) Fortunat. lib. 8. cap 4. Metaphrast. (27) Constitut. Apost. lib. 7. cap. 46. (28) Mss. quædam apud Mill. ad Calc. Luc. Ἐν τῇ Ῥώμῃ ἰταλικοῖς χαρακτῆρσιν ἐγράφη. (29) Athanas. Synops. (30) Euseb. lib. 3. cap. 4. & lib. 6. cap. 25. Histor. Eccles. ex Origen. Hieronym. non semel. (31) Origen. in Luc. homil. 1. Ambros. ibidem; Salvian. epist. 9. Epiphan. hæres. 51.

tùm aliquem virum innui credunt; virum, inquam, amplissimum, sive Provinciæ Præsidem, qui nomen dederit inter Christianos (32). Pro Gentibus ad fidem Christi ductis scripsisse Lucam, sentit Origenes apud Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 25.

Unum hoc Evangelium, & fœde truncatum, excipere Marcionitas, tradunt Tertullianus, & S. Epiphanius (33). Scriptoris illi nomen ab Opere adimebant; auferebant pariter cætera capita, a tertio exordientes iis verbis: *Anno quintodecimo* (detrahebant particulam *autem*, quæ conjunctionem indicat) *Imperii Tiberii Cæsaris*. Hæc verba jungebant illi cum ℣. 31. capitis IV. cujus majorem partem expunxerant, ab illis verbis narrationem ineuntes: *Descendit Jesus in civitatem Galilææ Capharnaum*.

Plura etiam alia demebant addebantque, quemadmodum in Tertulliano, & Epiphanio legere est. Porro cætera rejicientes Evangelia, illud ad Galatas I. 7. in patrocinium erroris sui assumebant: *Miror, quod sic tam cito transferimini in aliud Evangelium, quod non est aliud, secundum Evangelium meum*; cum in correctis Exemplaribus legeretur tantum: *Quod non est aliud*.

Quæ Lucas habet de gestis Beatæ Virginis, de Pueritia J. Ch. de Cantico ejusdem Virginis, colloquio cum Angelo, profectione ad Elisabetham & Zachariam, quæque de repositis in corde Beatæ Virginis quæcumque in Filio miranda contemplabatur (34); hæc omnia satis innuunt, factum Scriptorem familiari Beatæ Virginis consuetudine usum esse, unde plura tum de rebus ipsius, cum de J. Ch. didicit (35).

Ratio, quam constantissime servat, laudandi Scripturæ testimonia juxta versionem Septuaginta, etiam cum ab Hebræo recedunt (36), satis docet, illum alienam a Judæis originem retulisse; unde pariter confirmatur eorum opinio, qui ipsum ex Proselytis sive alienigenis ad sacra Judæorum traductis, sive ex Gentibus ad fidem Christi accersunt. Ita pariter quæ est inter ejus Evangelium, & ea, quæ in prima Epistola ad Corinthios leguntur, rerum similitudo, opinionem eorum fulcit, qui adoptatum ab Apostolo Evangelium S. Lucæ asseruerunt; utrobique enim iisdem verbis institutio Eucharistiæ narratur (37). Paulus, & Lucas soli inter cæteros produnt, Christum ipso Resurrectionis suæ die Apostolo Petro spectandum se præbuisse (38).

Ad stilum quod attinet, abundare Hellenismis Grotius (39) observat, quos forte simul cum Judaicæ religionis professione & Librorum Hebraicorum lectione adsciverat. Medicinæ studebat, unde stili puritas & correctio major quam in cæteris N. T. Scriptoribus. Occurrunt etiam aliquando loquendi phrases, quæ Syriacam, & vernaculam Scriptoris originem produnt. Addit etiam nonnulla ad ingenium linguæ Latinæ accedentia. Hoc Critici illius emunctissimæ naris judicium. Quamquam non omnibus eadem sunt de Sacro Scriptore explorata; satis tamen convenit, puriori Græco eloquio, quam Evangelistas cæteros, fluere.

DISSERTATIO

De conciliatione genealogiarum JESU CHRISTI apud Matthæum, & Lucam.

JAM inde a pluribus sæculis Christiani nominis osores accusandi ansam ex Genealogiis Jesu Christi arripuerunt. Si Jesus alterum habuit a Josepho, quod Christianis persuasum est, parentem; cur Evangelistæ Josephi genealogiam texunt? Si vero ex patre Josepho natus est, quomodo Dei Filius & Virginis Parentis appellatur? Expectamus Jesu Christi genealogiam, & nobis oggeritur series Avorum Josephi, cui commune nihil cum Jesu est. Ita Porphyrius, Manichæi (1), Julianus Imperator (2), Celsus (3), & hodie pariter Judæi calumniantur. Eorum accusationibus diversa Patres & Interpretes systemata opponunt: quæ adductis in utramque partem rationibus proponemus. Verum in ipso Dissertationis hujus limine ambæ illæ, de quibus agitatur controversia, genealogiæ cum annotationibus nostris afferendæ sunt, ut uno veluti conspectu Lectori exhibeantur virorum illorum series, de quibus in consequentibus agendum est, quas deinde is facilius inter se comparet. Porro Genealogiam S. Lucæ nonnisi e Davide repetemus.

(32) August. de consensu Evang. lib. 4. cap. 5. Chrysost. in Act. homil. 8. in Luc. Præfat. (33) Vide Epiphan. hæres. 42. Tertull. cont. Marcion. lib. 5. Chrysost. in cap. 1. Epist. ad Galat. (34) Luc. II. 19. & 51. (35) Vide Grot. ad Luc. II. 51. (36) Vide Act. VII. 14. ubi S. Lucas LXXV. posteros Jacobi recenset, quamquam in Hebræo tantum LXX. leguntur. Adoptat pariter capite III. 37. Cainanum, quamquam nonnisi apud Septuaginta extat. (37) 1. Corinth. XI. 23. 24. 25. Confer cum Luca XXII. 15. 19. 20. (38) 1. Cor. XV. 5. Confer cum Luc. XXIV. 34. (39) Grot. Prolog. in Luc.
(1) Vide Faust. Manich. apud August. lib. 23. contra Faust. cap. 1. 2. 3. & lib. 5. cap. 1. (2) Julian. apud Cyrill. Alexand. lib. 5. contra eumdem Julian. (3) Vide Origen. contra Celsum lib. 2.

GENEALOGIA

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Juxta S. Matthæum 1. 1.	*Juxta S. Lucam* 3. 23.
DAVID	
SALOMON	NATHAN (1)
ROBOAM	MATHATA
ABIA	MAINAN
ASA	MELCHA
JOSAPHAT	ELIACIM
JORAM	JONAM
OCHOSIAS (2)	JOSEPH
JOAS	JUDA
AMASIAS	SIMEON
OZIAS	LEVI
JOATHAN	MATHAT
ACHAZ	JORIM
EZECHIAS	ELIEZER
MANASSE	JOSE
AMON	ER
JOSIAS	ELMODAN
JOACHIM (3)	COSAN
	ADDI
	MELCHI
JECHONIAS (4)	NERI
SALATHIEL (5)	
ZOROBABEL	
ABIUD	RESA
	JOHANAN
ELIACIM (6)	ASOR
	JUDA
AZOR	JOSEPH
	SEMEI
SADOC (7)	MATTHATIAS
	MAHAT
ACHIM	MAGGE
	HESTI
ELIUD	NAHUM
	AMOS
ELEAZAR	MATTHATIAS
	JOSEPH
MATHAN	JANNE
	MELCHI
JACOB	MATTHAT (9)
JOSEPH (8)	LEVI
Vir Mariæ	HELI (10)
Matris	MARIA Mater
JESU.	

Ex collatione duplicis hujus genealogiæ satis apparet, geminas ex eodem Davide, per Salomonem alteram, alteram vero per Nathanum familias, in Salathiele & Zorobabele primum conjunctas, coivisse iterum in Jesu filio Mariæ & patruele Josephi, ut unus Jesus flos esset sive germen Jesse (11), filius Davidis & Salomonis, & promissorum, quę utrique facta sunt, hæres.

Cum vero eorumdem Evangelistarum testimonio certum sit, Jesum Christum non ad Josephum spectare, sed ad Mariam, plura sunt, quæ negocium faciunt: I. Cur genealogia Josephi, non Mariæ texitur. II. Quomodo Jesus Christus e Davide & Salomone recta generationis serie deductus ex eo colligitur, quod Josephus filius Davidis demonstretur. III. Quomodo gemini Josepho parentes statuuntur, Jacob e genere Salomonis, & Heli e stirpe Nathan. IV. Tandem, quomodo Jesus inter posteros Davidis & Salomonis demonstratur, etiamsi admittas, apud Lucam Virginis genealogiam texi; cum juxta eam hypothesim e Nathan, non a Salomone, genus referas.

Hisce omnibus reponitur, I. Alienum fuisse a moribus Hebræorum, ut mulierum genealogiæ texerentur. II. Cum Jesus filius haberetur Josephi, sive adoptione, sive ex eo saltem quod ad Mariam ejus uxorem pertineret, eumque Josephus tamquam filium in domo sua exceperit alueritque; in omnia proinde jura domus Josephi ipse Jesus admittebatur. III. Heli patrem fuisse Josephi legalem, Jacobum vero genuinum & naturalem; vel secus, Heli naturalem, legalem vero Jacobum. IV. Si ponas, genealogiam Virginis a Luca adornari, duo perspicue consequuntur: primo nempe Jesum genus e Davide ferre; secundo filium esse & hæredem Salomonis duplici jure; duæ enim Nathani & Salomonis familiæ in Salathiele olim coeuntes, iterum deinde conjugio Josephi, hæredis familiæ Salomonis, cum Maria hærede Nathani coiverunt. Ita pariter factum est, ut Joseph in se uno duas familias conciliaret, & utriusque generis stirpem in Jesum filium & hæredem transmitteret. Latius exponenda sunt hæc omnia, & ab incommodis vindicanda, quo apertior se veritas prodat.

Hebræorum moribus receptum fuisse, ut genealogiæ per viros ducerentur, assiduis Scripturarum exemplis, & testimonio Rabbinorum & Patrum demonstratur (12). Sanctum est inter Doctores Judæos, matris familiam, familiam non esse (13). Quamquam autem Josephus Jesum non genuerat, tamquam parens tamen habebatur, qui eum ut filium in domo sua aluit, adoptavitque, atque jurium suorum omnium participem fecit, ut proinde jure meritoque suam pariter illi genealogiam vindicaret. Attinebat etiam Jesus ad Josephi domum alio nomine, Mariæ scilicet parentis suæ, quæ vero conjugii vinculo cum Josepho conjuncta, id efficiebat, ut natus ex ipsa,

(1) Nathan eodem ac Salomon parente, Davide scilicet, natus est. Sed jussu Domini Salomon regnavit, 3. Reg. III. 13. & 2. Reg. III. 25. (2) Hunc Regem, ac proximos duos a Matthæo omissos, esse ambigit nemo: nos supplendos duximus, ut successio Regum Juda constet. (3) Hunc Regem vel Matthæus ipse, vel ejus Ammanuenses omiserunt. (4) Jechoniæ successit Sedecias ejus patruus. (5) Jechonias, cum Babylone versaretur, filios genuit Asir & Salathielem, 1. Par. III. 19. (6) Medius inter *Eliacim* & *Azor* in quibusdam MSS. constituitur *Abner*. (7) Post Sadocum adusque Jacobum patrem Josephi generationes quædam omissæ, ex collatione Genealogiarum Matthæi & Lucæ, facile apparent.
(8) Joseph apud Matthæum filius Jacobi appellatur, quod parentem illum reipsa haberet; in Luca vero filius dicitur Heli; quod scilicet socerum illum haberet; erat enim Heli ὁμώνυμος ac Joachim pater Mariæ.
(9) Ambo hæc nomina *Matthat* & *Levi* delent in nonnullis MSS. Africanus, Eusebius & S. Irenæus non legerunt.
(10) Heli idem facile vir ac *Joachim* pater SS. Virginis. (11) Isai. x. 1. 10. Rom. xv. 12.
(12) Iren. lib. 3. cap. 15. Tertullian. contra Judæos; Athan. Epist. ad Epictet. Ambros. lib. 3. in Luc. August. pluribus in locis; Hieronym. hic, alii passim, etiam ex Recentioribus. (13) משפחת אם לא משפחה

eodem conjugio constante, sine humano semine filius, ad ipsum Josephum, tamquam in ejus fundo natum germen, pertineret. Jesus vicissim Josephum een patrem coluit & amavit; unde tam alta insedit omnibus persuasio, Jesum ad Josephum parentem pertinere, ut pater ipsius in Evangelio, & a Beata Virgine, nunquam non appelletur. Vide Maldon. Brug. Grot. alios August. l. 2. de Consens. c. 3.

Mos adoptandorum filiorum apud Hebræos ante legem spectatur. Sara in thorum viri ancillam invexit, ut natos inde filios sibi adoptionis jure vindicaret Gen. 16. 2. eodem jure sibi Jacob usurpavit Ephraimum & Manassem Gen. 48. 5. eodem filia Pharaonis sibi adsciivit Moysem Exod. 2. 10. Esther filia habebatur Mardochæi patrui sui Esth. 2. 7. Major natu filiorum e fœmina, nupta fratri prioris viri sui, fato sine liberis functi, tamquam viri illius defuncti filius habebatur Deut. 25. 5. Tametsi igitur Jesus nullo alio quam adoptionis jure ad Josephum pertineret, vindicando sibi titulo filii Davidis, atque hæredem se promissionum ejus familiæ asserendo, satis superque habuisset.

Accedit alia quidem & firmior ratio, quod scilicet Maria ad eamdem familiam & domum Josephi pertineret; ut proinde una eademque genealogia utriusque avos exhiberet. Constat hoc uno Patrum omnium assensu (13). Observant illi, Lege cautum esse, ne puellæ viros ex alienis Tribubus ducerent; quin etiam, siquidem fieri posset, viris ejusdem familiæ nuberent. Cogebantur etiam ad eas nuptias in quibusdam rerum articulis; veluti cum filia paternæ domus hæreditatem sustineret (14), vel cum viro, nullis susceptis ex eo filiis, orbaretur (15); si quid ex his accidisset, intra familiam quærere sibi virum jubebatur. Verus est autem in Ecclesia traditio, Beatam Virginem parentum suorum unicam, ac proinde avitæ facultatis hæredem fuisse (16); ejusque nuptias Josephum patruum vel avunculum ipsius, vel saltem necessitudine omnium conjunctissimum, Legis præcipientis sanctione, sibi quærere coactum.

Fatemur quidem, nonnulla adversus opinionem hanc opponi. I. Mariam fuisse unicam parentibus suis filiam, sibique paternam omnem hæreditatem vindicasse, nullo monumento constat. Neque enim Evangelistarum silentium de Mariæ fratribus, satis convincit. Porro fœminis Israeliticis nuptiæ sive intra Tribum, sive extra liberæ permittebantur. II. Tametsi bonorum patris sui hæres Maria unica censeretur, nullum tamen e familia suæ virum sibi quærere cogebatur; integrum ipsi erat, quemcumque maluisset, virum contribulem ducere. Non satis est autem, Jesum Christum ad Tribum Juda spectantem demonstrasse; debuit pariter e radice Davidis & familia Salomonia deduci, ut sua fides Prophetarum oraculis constaret.

Ambiguum est etiam & incertum, num Legis illa sanctio ipsa Jesu Christi ætate maneret (17). Bona Tribuum & Familiarum in unum confusa, abolendæ Legi causam & argumentum præbuerunt. III. Lucas non obscure prodit, Virginem Mariam sobrinam fuisse Elisabethæ, fœminæ ex Aarone genus referentis (18). Non abs re igitur ad eamdem stirpem pertinere Maria censetur.

Nec satis est, ut sua fides divinis promissionibus constet, si demonstretur Jesus adoptione in familiam Josephi adscitus fuisset vel si e Maria uxore Josephi satus, jure proprietatis ad ipsum pertinere dicatur. Deus enim Messiam non adoptione neque participatione in juribus familiæ, sed ex Davide prognatum secundum carnem promisit. (19).

Fatemur nos quidem, in Scripturis venturum Messiam e Tribu Juda & familia Davidis per Salomonem designari; sed nobis æque persuasissimum est, certisque probatum argumentis, Jesum Christum originem inde suam repetiisse, non per Josephum modo, cujus legitimus hæres erat, sed potissimum per Mariam, qua parente genitus est. Permissum quidem erat fœminis Israeliticis, ad quas paternæ hæreditatis jura non pertinerent, quascumque mallent, nuptias extra Tribum etiam suam quærere; si vero bona ad ipsas paterna devolvebantur, non solum illis vetitum erat virum extra contribules suos, sed vel extra familiam procurare, quemadmodum apertissimis verbis in Lege Mosaica (20) sancitum est, & a doctissimis Interpretibus demonstratur (21).

Quod autem ad Mariam avitæ hæreditatis jura pertinerent, quamquam nulla suppetunt Sacrorum Librorum documenta, vetustissima tamen traditione, cui ne Judæis quidem refragari unquam succurrit, receptum est. Erat quidem bonorum per singulas familias & tribus distributionis ordo ætate Jesu Christi non nihil turbatus; minime tamen propterea neglectam illam legis sanctionem credimus, qua de puellis hæredibus, virum extra familiam quærentibus, sanciebatur. Familiæ etenim census non latifundiis tantum constant; nec minus ad patriam hæreditatem pertinebant bona, quæ in territorio Tribus suæ, quam quæ alibi sita essent; idemque manebat Legis propositum, ut scilicet hæreditates in suis singulæ familiis assererentur. Profecto Tobias & Raguel (22), in aliena ditione versantes, ab ea Legis obligatione exemptos se minime arbitrabantur, quamvis census suos omnes in pecunia, mancipiis, & gregibus constitutos haberent.

Quæ intercedebat inter Beatam Virginem & Elisabetham, e stirpe Aaronis satam, necessitudo, plus aliquid meretur indaginis; non quod majus facessat negotium, sed ideo tantum, quod Patribus quibusdam (23), persuasum est, a Matthæo genealogiam Christi veluti Regis, a Luca veluti Sacerdotis tradi. Quæ si vera sint, profecto necessitudo Mariæ cum Elisabetha, & junctum Regalis cum Sacerdotali familia fœdus non solum sententiæ nostræ non officeret, sed plurimum prodesset; quippe qui persuasum habeamus, Jesum Christum non modo filium Davidis & Regem Judæorum esse, verum etiam Sacerdotem æternum. Poterat itaque Maria sobrinam suam Elisabetham habere, quod aliquis e familia ejus fœminæ necessariam B. Virginis aliquam in uxorem habuerit; sive aliquis ad familiam Mariæ pertinens filiam aliquam Sacerdotis & e familia Elisabethæ duxerit. Nihil in ea re arduum; quemadmodum enim supra innuimus, conjugia puellis non hæredibus libera permittebantur. Quæ omnibus data facultas, amplior pariter puellis Sacerdotalibus patebat, quippe quæ ex ea familia prodiissent, cui nulla erat in regione hæreditas assignata, ut proinde nunquam contingere posset,

(13) Iren. lib. 3. cap. 18. Tertull. cont. Judæos & August. qq. in Judic. q. 47. & Quæst. in N. T. q. 52. & lib. 23. contra Faust. Hieron. hic; Ambros. lib. 3. in Luc. Nyssen. de S. Christ. Nativit. Damasc. alii.
(14) Num. xxxvi. 87. (15) Deut. xxv. 5. (16) Hilar. in Matth. 1. Euseb. Hist. Eccles. lib. 1. cap. 7. ad fin. Cyrill. contra Julian. lib. 7. & 8. Eucher. qu. 2. in Matth. Euthym. Theophylact. ad Matth. 1. Vide Maldonat. ad Matth. 1. 18. Brug. Grot. ibid. (17) Nazian. carm. 16. (18) Luc. 1. 36.
(19) Genes. xlix. 10. Isai. xi. 1. Psalm. cxxxi. 11. Rom. 1. 3. Hebr. vii. 14. (20) Num. xxxv. 8.
ממשפחת בני שבטים (21) Vide Grot. ad Matth. 1. Chrysost. Epiphan. (22) Tob. iii. 8.
(23) August. lib. 23. contra Faust. cap. 8. & lib. 2. de consensu, cap. 2. & lib. 83. Quæst. q. 61. Epiphan. hæres. 78. Julian. Tolet. contra Judæos, lib. 3. Hilar. in Matth. cap. 1. Vide Baron. ad Annal. apparat. n. 40 36, 32. Mald. ad Matth. 1. 18

possit, eorum connubia ad viros contribules & ejusdem familiæ, metu ne turbarentur hæreditates, definiri.

Cum tamen nos utramque Christo dignitatem, Sacerdotalem scilicet & Regiam, asserimus, non ita reputandum est, quasi a Luca Sacerdotalem, a Matthæo Regiam genealogiam texi fateamur. Non enim receptam ex Aarone (24) Sacerdotalem dignitatem Jesus Christus gerebat; quippe qui Sacerdos esset secundum ordinem Melchisedech (25). In serie avorum Jesu apud Lucam nihil unquam sive de Aarone, sive de ejus filiis, sive de alio quocumque Sacerdote in historiis noto legitur. Porro Messias Sacerdotium Aaronicum abrogaturus venerat, ut novum conderet; neque de ejus Sacerdotio Aaronico quidquam apud Evangelistas legitur, cum hi de stirpe ejus Davidica nunquam sileant. Lucas genealogiam Davidis usque ad Zorobabelem & Resam apertissime prosequitur; quis credat deinde, ea relicta, ad seriem Sacerdotalem se contulisse, ne Lectore quidem admonito, neque ratione ulla indicata? Sit itaque constitutum, Jesum Christum e Davide genus secundum carnem retulisse, quod vel unico hoc argumento convincitur. Lucas, & Matthæus diserte testantur, Jesum e Josepho prognatum non fuisse: sed ipsis pariter Evangelistis persuasum est, Jesum patrem habuisse Davidem; quare, ut ambo simul consilent, reputandum est, genus e Davide eum nisi per Mariam parentem suam retulisse. Maria igitur, & Jesus ad genus Davidicum pertinent. Demonstrant pariter iidem Evangelistæ, Josephum e Tribu Juda, & radice Davidis satum esse: ejusdem ergo familiæ, & Tribus gemini reputandi sunt Josephus & Maria.

Gemini patres, qui uni eidemque Josepho asseri in Evangelio videntur, nempe Jacob juxta Matthæum, & Heli juxta Lucam, unicum in hac re negotium facessunt, totamque sibi Dissertationem hanc nostram vindicant. Rei arduitatem jam inde ab initio PP. & Interpretes senserunt, nec Christiani nominis osores ab hoc sibi contra nos argumento urgendo temperarunt. Quibus tria reponenda sunt. I. Jacob Josephum revera ex se genuit, eumdemque legalem sibi filium adscivit Heli: II. seu vicissim, Heli juxta naturam, Jacob secundum legem pater reputandus est (26). III. Potuit Josephus adoptione filius alterius, alterius vero natura reputari (27).

Priori sententiæ favet apertus Matthæi Textus: *Jacob genuit Joseph*; cum Lucas tantum ferat: *Joseph qui fuit Heli*; quod reddi potest; *Qui ad Heli pertinebat*; sicut eodem sensu legitur in capite ejus genealogiæ: *Adam qui fuit Dei*; nempe e manibus Dei opificis prodiit. Concesserunt in eam sententiam Veteres ferme omnes (28), quam Julius Africanus, Author tertii sæculi ineuntis, in Palæstina degens, excepisse se ait ab ipsis Servatoris nostri cognatis secundum carnem, e Nazareth, & Cocaba, vicis Judææ, per omnes terras illas diffusis. Ita vero ille hanc Genealogiam explicat. *Mathan* e Davide per Salomonem ductus, & *Melchi* e Davide per Nathan satus, alter post alterum eamdem uxorem *Esthan* duxerunt. Ex eo conjugio nati sunt e Mathan *Jacob*, & e Melchi *Heli*. Posterior hic ducta uxore sine liberis decessit; cujus proinde viduam uxorem ex Legis præcepto Deut. xxv. 5. sibi vindicante Jacobo, natus est ex eo conjugio *Joseph* filius Jacobi secundum naturam, & Heli secundum legem.

Hoc Africani testimonium, cui ex Patribus fere omnibus authoritas accedit, eo gravius reputandum est, quod assertores habet ex ipsa Jesu Christi familia secundum carnem viros dignissimos. Supersunt tamen aliqua, quæ negotium faciunt: quamquam enim geminos parentes Josephi ex ea discimus, minime tamen ex ea docitur, quomodo juxta hanc hypothesim Jesus filius Davidis ex Salomone statuatur: silet etiam Josephi cum Maria necessitudinem. Repugnat tandem Lucæ, qui *Mathat* & *Levi* constituit medios inter *Melchi* & *Heli*, cum Africanus cæterique ejus sententiam tuentes (29) parentem ipsi Heli proximum habeant *Melchi*, illum scilicet, quem nostra Lucæ Exemplaria avum ejusdem viri ferunt. Nihil moror errata, quæ Africano ea in re vitio vertuntur; credulitatem, & incuriam viri; temporum discrepantiam, quæ inter cognatos Jesu Christi testimonium ferentes, & Josephi incunabula, trecentorum circiter annorum, intercedit. Contrariam forte alteram paris ferme vetustatis traditionem, quæ Heli patrem B. Virginis constituit, in consequentibus opponamus.

Primum, quod objiciunt, satis per anticipationem supra dictum est; cum scilicet ex ipso pariter Evangelio docuerimus, Josephum, & Mariam ad unam eamdemque Tribum pertinuisse, & Jesum Christum, tamquam filium Mariæ & hæredem Josephi, omnia sibi vindicasse jura ac promissiones Abrahamo, Davidi, & Salomoni factas. Ad illud autem, quod secundo oppositum est, proclivis patet responsio, si dixeris, Julium Africanum cæterosque, quibus ejus sententia placuit, in Exemplaribus Lucæ nomina *Mathat*, & *Levi* inter Melchi & Heli non legisse. Ambo quidem hæc nomina irrepsisse in textum ex versu 29. videntur (30). S. Irenæus lib. 3. c. 33. nonnisi LXXII. generationes supputat a Jesu Christo usque ad Adamum; quod satis demonstrat, gemina hæc nomina in ejus Codice expuncta fuisse; alioqui enim non LXXII. sed LXXIV. generationes supputasset. A quarto sæculo duo hæc nomina *Mathat*, & *Levi* in Codice Lucæ paruisse, defendit Grotius. Utra tamen lectio præferenda sit, judicium aliis relinquimus; satis habentes utramque sua authoritate fulciri; primam veterum Patrum, secundam omnium Exemplarium tam manuscriptorum quam impressorum fide; nullum enim absque illis nominibus Millius offendit.

Excutienda est modo hypothesis, quæ Josephi genealogiam in Matthæo, & Beatæ Virginis in Luca constituit. In hanc sententiam, quodo concessum est, eaque tanto ardore a plerisque recentiorum defenditur (31), ut ea tantum ratione, quæcumque adversus Evangelistas objiciuntur, dilui posse contendant. Hac semel constituta, demonstratur e Davide genus suum secundum carnem Jesus retulisse, juxta Scripturarum oracula; demonstratur pariter Josephus ad geminos parentes, Jacobum & Heli, pertinere, ad Jacobum secundum carnem, ad Heli vero tamquam filiæ ejus Mariæ virum. Qua in re spectare licet utriusque Evangelistæ seu potius S. Spiritus, utrumque docentis, sapientiam, cujus ductu Matthæus genealogiam Josephi, Lucas B. Virginis texuit; quo satis aperto documento intelligeremus, Josepho adhuc exsuto, Jesum semper e Davidis stirpe satum fuisse; itemque veluti Jose-

(24) Hebr. VII. 13. 14. (25) Psalm. CIX. (26) Ambros. in Luc. alii apud August. qq. N. T. q. 56. Vide Grot. in Matth. vers. de gener. Christi. (27) August. lib. 2. de consensu, cap. 2. 3. & lib. 2. Quæst. Evangel. q. 2. (28) African. ad Aristid. apud Euseb. lib. 1. hist. Eccles. cap. 7. Augustin. Retract. lib. 2. cap. 12. Justin. q. 22. Hieron. in Matth. & Euchet. q. 3. in Matth. Beda in Luc. Damascen. l. 4. cap. 15. de Fide; Theophyl. &c. (29) Euseb. Histor. Eccles. loc. cit. Ambros. l. 3. in Luc. Nazianzen. Carm. de Christ. generat. S. Augustin. 77. generationes notat in Luc. Serm. 51. nov. Edit. c. 23. (30) Mill. Proleg. in N. T. Græc. proleg. 817. (31) Galatin. Jansf. Genebr. Grot. Spanhem. Dubia Evangel. Gomar. Ligfoot. Hor. Hebr. Beng. in Matth. Voss. de genere Christi; Toynard. Harm. p. 3. & 13.

phi Mariæ viri filium, promissionum divinitus Salomoni factarum hæredem esse reputandum.

Tria huic sententiæ opponuntur, nullo negotio diluenda. I. Textus Lucæ (32) innuit Josephum ex Heli parente natum fuisse, quemadmodum Heli filius Levi, & Levi filius Mathat, & sic de singulis, statuitur. II. Deest huic opinioni Veterum suffragium; nunquam enim ea usos legimus veteres Patres calumniis Gentilium & Hæreticorum refutandis. Porro si genuina ea suppeteret ratio, difficilem hunc nodum explicandi, tota ne adeo pronam, simplicem & naturalem ignorasset antiquitas? III. Promissiones venturi Messiæ, Abrahamo primum factæ, deinde Tribui Juda oraculo Jacobi assertæ Genes. XLIX. 10. ac tandem Davidi confirmatæ, in posteritate Salomonis viri Deo dilecti (33) implendæ expectabantur. Maria vero genus non ex Salomone, sed ex Nathano retulisset; adeoque & Jesu, juxta eam hypothesim, nullum fuisset hæreditarium jus in eas promissiones, posteritati Salomonis factas.

Reponimus igitur ad hæc, Textui (34) Lucæ plures interpretationes aptari posse; e. g. *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, Filius Heli*, (ex Maria parente) *quamvis filius Josephi putaretur* (35). Potest etiam ita reddi, ut Joseph filius Heli appelletur, nempe illius gener (36), juxta familiarem S. Scripturæ (37), nec ignotam exteris phrasim. Neque enim verba, quibus Lucas usus est, naturalem semper filium parentemque designant; quemadmodum nec Adam ad Deum tamquam filius, nec Deus ad Adam tamquam Pater in eodem capite ℣. 38. pertinere designatur. Sive Joseph ad Heli adoptione, sive conjugali affinitate, sive legis sanctione pertineat, salva sunt omnia. Angeli, Dei filii appellantur. Major natu inter filios viri, qui relictam ex fratre sine liberis defuncto uxorem duxit, defuncti filius censendus est (38). Filii adoptivi & hæredes quicumque, eodem filii nomine donantur (39). Patris ergo nomen non semper genitorem designat. Si autem Lucas, Mariæ proxime ex Heli genitæ, nomine suppresso, nepotem Jesum, & generum ipsius Josephum adduxit; ejus silentii in causa fuit, quod de Maria satis superque in superioribus actum esset, & jam præmonitos habuisset Evangelista Lectores, conceptum ab illa sine maritali commercio, editumque fuisse Jesum filium Dei.

Cum autem in Gentilium potissimum gratiam Opus suum scriberet idem Evangelista, natumque Jesum sine Patris opera nunciasset, rectus ordo postulabat, ut Matris genealogiam texeret. Aliud scribenti Matthæo sedere consilium par erat; quippe qui Judæorum gratia historiam suam literis mandatet, apud quos moribus receptum non erat, ut mulierum genealogiæ traderentur. Præterea cum Judæi gentis suæ genealogias, ac præsertim Davidicam, optime callerent, satis habuit Matthæus, si certum Jesu Christi in Regiam dignitatem jus, deducta Avorum non semper sibi proxime succedentium serie, demonstraret. Quædam enim supplenda Lectoribus relinquit, uti cum tres Reges a Davide usque ad captivitatem omittit, eodemque consilio a captivitate usque ad Josephum quindecim ipse generationes, cum Lucas enumeret viginti, recenset. Hæc porro absque dolo malo facta a sanctissimo viro, aperte satis apparent; exhibent enim Scriptorem potissima tantum & majoris momenti inventem, reliqua supplenda Lectoribus relinquentem. Nihil tale apud Lucam, qui nihil omittit, ut successionem Davidici generis per generationes ad sensum usque demonstraret.

At enim, juxta Lucam, nullo argumento demonstratur, Jesum naturali generationis serie e Salomone descendisse, quippe qui a Nathano Davidis filio deducitur. Reponimus, nuspiam satis apertis Scripturæ verbis probari, Deum e genere Salomonis orturum Messiam prænunciasse: id absolute Davidis posteritati promissum est. Deus quidem Regnum Salomoni ejusque posteris, cæteris fratribus, Davidis filiis, exclusis, destinat, sed factæ de Messia promissiones ad universam Davidis familiam pertinent. Est itaque Jesus, juxta Matthæum, certus assertusque Josephi hæres, Josephi, inquam, genus e Salomone referentis, cujus proinde regiæ dignitatis hæreditatem universam ipse Jesus in se colligebat. Ipse pariter Jesus apud Lucam e Nathano & Davide per Mariam & Heli deducitur; unde illi Davidicum genus asseritur. Salomon in universa Scriptura ceu typus & imago Messiæ pingitur, quo Principe illustrior nemo, nemo in tota veteri Lege augustior: plura sunt, quæ inter rerum gestarum Salomonis, & Jesu Christi historias conveniunt; neque inde tamen colligitur, Salomonem tamquam Messiæ parentem habendum fuisse.

Duæ tandem familiæ, Nathanis & Salomonis, inter se coeuntes in Salathiele, & Zorobabele, qui ambo in utraque Genealogia Evangelistarum leguntur, id præstiterunt, ut regius Davidis sanguis in duos veluti ramos divisus, in unum denique amnem coalesceret; sed iterum in ramos divisus, hinc in *Heli* apud Lucam, illinc in *Jacobo* apud Matthæum defluxit; ut proinde uterque genus a Davide, Salomone, & Nathano referret. Sunt enim unius ejusdemque trunci duo veluti rami, idemque in venas utriusque familiæ sanguis transfunditur. Quacumque itaque ex parte respiciatur Jesus, semper Davidis est genus, sibique uni decora omnia ejusdem familiæ, tam ex Josephi quam ex Mariæ parentis jure, deposcit.

Quamquam raro systema hoc postremum a Patribus proponitur, quibus fucum fecit authoritas Julii Africani, testimonio necessariorum Jesu Christi secundum carnem fulta; innui tamen a S. Augustino l. 2. de consensu c. 1. 2. 3. aliisque nonnullis (40) intelligimur, qui recitari a Luca genealogiam J. C. veluti Sacerdotis alierunt; non enim ad sacerdotale genus, nisi Maria tantum, spectabat. Huic plane sententiæ vetustas ante omnes alias asserenda est; cui si deinde aliquid derogatum fuit, id evenisse censendum est, quod in Libris vetustissimis, Apocryphorum nota ob interpolationes Hæreticorum ab Ecclesia inustis, traderetur. Verum demonstrandum est nobis, eam hypothesim semper apud Græcos mansisse, neque Veterum authoritate adeo destitutam esse, quantum aliorum opinione creditum est. Legitur in vetustissimo quodam libro Ebionitarum, ipsa Apostolorum ætate, vel paulo post ipsos digesto (41), Mariam ex parentibus Joachimo & Anna prodiisse. Liber ille inscriptus est nomine S. Jacobi Jerosolymitani, fratris Domini, nempe sobrini ex sorore B. V. Hæc autem hujus Operis apud Veteres frequentissime laudati summa. Joachim vir erat, si quis alius, ditissimus in Israele, qui singulas solemnes festivitates magnificis in Tem-

plo.

(32) Luc. III. [illegible] &c. (33) 2. Reg. XII. 25. [illegible]

(34) Luc. III. 23. [illegible]

(35) Ita explicant Gomar. Voss. Spanhem. Iren. Diodar. Ligfoot. Hot. Bebr. (36) Ita Brugens. Ligfoot. Harm. Pisc. (37) Vide Grot. ad Matth. I. & ad Luc. III. (38) Deut. XXV. 6. *Suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* (39) Vide August. lib. 2. de consensu cap. 3. & serm. 51. nov. edit. cap. 18. & sequ. (40) Hilar. in Matth. I. interior Epiphan. hæres. 78. (41) Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 27. S. Epiphan. hæres. 30. cap. 2. S. Hieron. de viris illust. cap. 3. Ebionitas cum exitu primi sæculi componunt.

plo sacrificiis oblatis prosequebatur. Accidit, ut paratum aliquando sacrificium offerre Ruben illum prohiberet, causatus, viro posteritate in Israele orbato nullum esse in Sacrificiis offerendis jus & potestatem. Joachim pudore suffusus, in desertum sese recepit, ubi maximos alebat greges, ibique XL. diebus commorans, jejuniis, precibusque vacavit. Anna pariter ejus uxor, insigni affecta injuria a procaci quadam ancilla, in hortum secedens, amaris lacrymis sterilitatem suam deflevit. Lugenti adfuit continuo Angelus Dei, nuncians, exauditas esse a Deo ejus preces, ac futurum, ut mater tandem efficeretur. Eadem & Joachimo per alium Angelum nunciata sunt.

Joachim domum repetens, post evolutam novem mensium periodum, Mariæ pater effectus est. Post triennium puella in Templo præsentatur, ibique ad duodecimum usque ætatis annum morata, parato semper ab Angelis cibo alebatur. Duodenni igitur puella, de nuptiis illius deliberaturi Sacerdotes convenerunt; visumque est, ut ex omnibus per universum Israelem viris uxore carentibus in unum coactis, ille sibi puellæ custodiam haberet, qui divino prodigio seligeretur. Convenerunt igitur omnes in Templum, offerentes singuli virgam, quam manibus præferebant, summo Sacerdoti: ipse vero omnes simul tenens, in Sanctum ad orationem se contulit. Deinde a loco Sancto egressus, singulis virgam suam eamdem ipsam, quam acceperat, restituit. Sed Josephi virga insueto prodigio coruscare visa est; nam ex ejus summitate columba evolans, capiti viri senioris insedit; senuerat enim Josephus, & liberos habebat. Quare ne Mariam in sui custodiam reciperet, pluribus rogabat.

Persuasus tandem, puellam domum deduxit; ipsa vero ad pristina fabrilia exercitia in agrum se contulit. Eo absente accidit, ut Maria domo egressa, ad hauriendas aquas veniret: cum subito vox eunti facta est: *Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres*. Ad inopinatam vocem attonita, domum statim repetens; consuetis operibus se dedit. Tum Angelus Domini spectandum se præbens, ita stupentem affatus est: *Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Dominum omnium: ecce concipies sancto ejus verbo*. Secundum hæc, contulit se Maria ad salutandam Elisabetham; & cum ventris tumorem augeri intelligeret, ad propria remeavit.

Post sex mensium absentiam, Josephus domum repetens, prægnantem uxorem, hærens ad rem inopinam, miratus est. Tum reprehendere se, quod minus caute uxorem custodisset; reprehendere pariter & uxorem, quod maritalem fidem læsisset. Mariam Virginem esse se sancte jurabat; quid autem ventris tumor indicaret, ignorare se profitebatur.

Narrat deinde Author, quo pacto Joseph & Maria potarunt aquas amaras, præscriptam in Lege Num. 5. 17. cautionem ad maritalem pudicitiam explorandam, a Summo Sacerdote jussi sunt; narrat pariter iter Josephi & filiorum ipsius, una cum Maria, Bethlehemum, prodigia quæ in natalitiis Christi acciderunt; tum & aliud prodigium Salomes fœminæ cujusdam incredulæ, quæ Virginitatem Mariæ post ejus puerperium tentatura, continuo uri manum suam, & e reliquo corpore mox decisuram sensit; sed solo tactu pueri Jesu in ulnas accepti, sanata est. Addit historiam Magorum, cædem Innocentium, fugam Elisabethæ cum puero Joanne Baptista, quos ambos hiscens subito mons sinu suo exceptos celavit; tandem necatum, jubente Herode, Zachariæ patris S. Joannis Baptistæ, necati, inquam, inter Templum &

Altare; quod filii sui Joannis Baptistæ latebras quærenti Regi prodere recusasset. Zachariæ Summo Sacerdoti Simeon vir grandævus, commissa sortibus electione, substitutus est, qui deinde Jesum in Templo oblatum in ulnas excepit.

Lucubrationem hanc in omnibus defendendam minime suscipimus. Nunquam in Ecclesia inter Canonica Opera receptam fuisse constat, quin & amandatam inter apocrypha a Gelasio (1) fatemur. Neque Patres illam laudantes, fidem illi in omnibus conciliare voluerunt. Verum quæ tamquam certa & explorata ex illa Patres derivarere, hæc etiam nobis tamquam Apostolica traditione certa retinenda esse videntur. Profecto apocryphorum Operum fictores aliquid certum & omnibus exploratum retinent; quis enim alioqui Lucubrationes illas reciperet? In eo pariter, de quo modo agimus, Opere certa quædam identidem spectantur, uti annuntiatio B. Mariæ, Magorum adoratio, & Innocentium Bethlehemi cædes. Quicumque Romanenses fabulas procudunt, aliquid pariter ex genuinis historiis retinent; nomina & præcipuæ quædam rerum ab Heroibus suis gestarum historiæ, veræ sunt & assertæ; quin & recedere a genuino singulorum charactere, ne lato quidem ungue audent. Profecto nihil cogebat, viros illos, qui Libellum hunc sub ipsam Apostolorum ætatem procudebant, nomina parentum Mariæ, Joachimi nempe & Annæ, fingere, quo maxime tempore genuina ipsorum nomina in hominum memoria servari adhuc poterant. Consilium ipsi suum prodidissent, luculentum simulationis suæ argumentum illud exhibentes. Vix igitur persuademur, sive illos voluisse ea in re incautos decipere, sive dolo malo genuina parentum Mariæ nomina supprimere. Porro ex universa hac historia utriusque tantum ejus nominis veritatem defendendam suscipimus.

Guillelmus Postellus (2), qui Protevangelium ex Græco in Latinum omnium primus transtulit, testatur, Opus illud tamquam Canonicum in Ecclesiis Orientis apud Fidelium cœtus legi. Habendum autem credit tamquam caput & exordium Evangelii S. Marci. In subscriptione ad calcem Operis, scriptus a S. Jacobo Liber asseritur, illis verbis: *Ego Jacobus scripsi hanc historiam Jerosolymis: factoque tumultu subduxi me in locum desertum, donec obiit Herodes, & tumultus Jerosolymitis sedatus est. Inde celebro Deum, qui tantum mihi sapientiæ dedit, ut scriberem hæc ad vos spirituales ac timentes Deum*.

Quæ a Postello de authoritate hujus Operis afferuntur, fidei esse sublestæ, nonnullis Eruditorum visa sunt. Verum legi apud Græcos Opus, & plurima ex eo apud Orientales probari, negaverit nemo. Quædam etiam ex illo retulerunt vetustissimi Ecclesiæ Patres; quædam pariter in suis operibus innuerunt. Meminit e. g. Tertullianus (3) sanguinis Zachariæ, cujus maculæ in Templi pavimento diutius perseverarunt; ex eodem Evangelio Origenes in Matth. narrat, natos ex primo Josephi conjugio filios, fratres deinde Domini appellatos. SS. Epiphanius Hæresi 30. & Gregorius Nyssenus homil. de Nativ. Mariæ, tum & Author Operis Imperfecti in Matthæum, Eustathius Antiochenus in Hexaemeron, Epiphanius Monachus Serm. de Nativ. Deiparæ, Opus illud legerunt. Nicephorus lib. 1. c. 7. lib. 2. c. 3. Hist. Eccles. epistolam quamdam Evodii, qui in cathedra Antiochena Apostolo Petro successor datus est, laudat, in qua nonnulla leguntur ex Protevangelio. Idem Author affert testimonium S. Hippolyti, quo ad historiam Salomes obstetricis spectatur. Verum antiquitatis laudem huic historiæ in-

 side-

(1) Gelas. in Concil. Roman. *Evangelium nomine Jacobi, apocryphum. Liber de nativitate Salvatoris & obstetricis, apocryphus*. Innocent. I. ep. 3. ad Exuperium c. 7. (2) Guillel. Postell. Epist. Dedicat. ad Rempub. Venet. ante editionem Protevangelii Basileæ 1552. per Oporin. (3) Tertull. Scorpiac. c. 8. Vide & Hieron. ad Matth. [illegible] 35.

viderit nemo; quemadmodum & a Patribus frequentissime laudatam satis convenit. Vide Vossium in *Tract. de Genealog. S. Virginis*.

Extat etiam alter apocryphus Liber, inscriptus *Evangelium Nativitatis Mariæ*, in quo ambo hæc nomina Joachimi & Annæ leguntur. Operis hujus meminere S. Epiphanius hær. 26. & 79. S. Augustinus lib. 23. in Faustum c. 9. aliique nonnulli. Utebantur illo Manichei, quibus tamquam authenticus probabatur. Inde vero S. Joannes Damascenus de Fide l. 4. c. 15. genealogiam B. Virginis, & cetera de Iosepho, Ioachimo, & Anna derivavit. Ea tandem erat Orientalium hac de re persuasio, ut Mahometes ipse in Alcorano Surat. 3. de Ioachimo patre Mariæ sermonem habeat. Facile credimus, vetus hoc Evangelium Græce amplius non extare; quod vero Latine superest, inter opera S. Hieronymi vulgatum est, adjectis geminis supposititiis literis Heliodori & Chromatii ad eumdem S. Doctorem, quibus verti sibi in Latinum Opus illud postulant; & supposititia S. Hieronymi ad illos responsione, qua is profitetur, versionem illam se suscepisse, & Seleucum (Hæreticum secundi sæculi non obscurum) Authorem esse Operis Græci de Nativitate Mariæ, quod fabellis plurimis anilibusque commentis scatet; se vero alterum ejusdem tituli Evangelium Hebræum Latinis literis tradere instituisse. Tribuit autem idem Opus Matthæo; & quamvis in canone non recenseatur, nihil tamen ex illo detrimenti oriri posse legentibus sentit.

Postremum hoc Evangelium, quod e S. Hieronymo versum credebatur, facile ob oculos habuerunt Vincentius Bellovacensis Specul. histor. Prolog. c. 9. & l. 7. c. 64. & Fulbertus Carnotensis Serm. in Nat. B. M. cum de nativitate B. Virginis historiolas narrarent. Tandem ex vetustissima traditione, quam Scripta Patrum, tum etiam vetustissimi quidam Libri, sed grande Hæreticorum corrupti, servarunt, tenet Ecclesia Latine & Græca nomina Joachimi & Annæ, eademque in Officiis suis Ecclesiasticis veluti conservavit. Ex ea traditione ad nos usque pervenit de prodigiose Nativitate B. V. historia. Ex ea pariter historia conciliandas modo suscipimus inter se genealogias Jesu Christi, apud Lucam & Matthæum deductas; demonstrantes, Matthæum, genus illius per Josephum prosequentem, e Davidis familia natum prodidisse; & Lucam idem pariter probasse, digesta Mariæ genealogia; quæ ex eodem fonte, per diversos tamen rivos, profluxit.

Fatemur quidem, Lucam Joachimi nomen non expressisse, sed tantum *Heli*. Verum ambo hæc nomina idem valent, sunt enim apud Hebræos synonyme *Helim*, *Eliakim*, & *Joakim*. Filius Josiæ Regis Juda, *Joakim* pariter & *Eliakim* appellatur 4. Reg. XXIII. 34. & Summus Sacerdos sub Manasse nuncupatur *Hil*, *Helcias*, & *Eliakim*, & *Joakim* (4). Judæi quoque (5) Beatam Virginem filiam *Heli* appellant, & Jesum filium Pantheris. Testimonium quoddam Haccados Doctoris Judæi laudat Galatinus, qui de Messiæ matre ab Antonino Consule quodam Romano interrogatus, respondit; patrem matris Messiæ binominem futurum, appellandumque *Heli*, & *Joakimum*. Scimus quidem, Judæos Authores multa in Jesum, & sanctissimam parentem ipsius convicia evomuisse; minime tamen inde extenuatur argumentum pro vetustate hujus traditionis, quæ patrem Mariæ *Heli* sive *Joachimum* constituit.

Nec nisi mulanda censeo ea, quæ S. Augustinus ad Faustum Manichæum scribens, reposuit (6); tradit enim, nomen Patris Mariæ nonnisi apocryphorum quorumdam Librorum fide constare; & quæ S. Joannes Damascenus de Fide l. 4. c. 15. qui patrem B. Mariæ Joachimum agnoscit, mortuum tamen sine liberis Heli constituit. Fateor ego quidem, adductam ab ipso genealogiam J. C. qua conciliare nititur Evangelium Matthæi cum altero Lucæ, cum nostra hypothesi non prorsus convenire. Verum cum series ejus genealogica cum Evangelio ipso, & S. Epiphanio hær. 78. non satis congruat, fidei esse subiestæ censenda est. Spectantur tamen in ea summa quædam vestigia vetustissimæ cujusdam traditionis, ex Judæis ipsis Jesu Christo adversariis derivatæ; traditionis, inquam, quæ J. Christo patrem tribuit *Pantherem*. Porro nomen hoc in ipso pariter Origene lib. 1. contra Celsum legitur, uti & in Talmud Babylonico, tractatu Sanhedrin; tandem in Vita J. C. sive *Toldos Jesu*, Opere e Judæis vulgato. Sed hæc vocum & nominum discrepantia in re vetustissima non est cur Lectorem moretur; neque eo tandem cogimur, ut quidquid in ea certissimum appatet, atque constantis receptæque traditionis suffragio probatur, abjici pariter debeat & reprobari.

Hæc genealogia J. C. est a S. Damasceno l. 4. c. 15. de fide deducta. *Levi*, genus suum a Davide per Nathanum referens, filios genuit *Melchi*, & *Pantherem*; posterior hic edidit *Barpantherem*, unde prodiit *Joachim* pater Mariæ.

Mathan, e posteris Davidis per Salomonem, uxorem duxit, ex qua genuit *Jacobum* patrem Josephi, Mariæ viri. *Mathano* defuncto, *Melchi* frater *Pantheris*, defuncti *Mathani* uxorem duxit, unde natus est *Heli*; ut proinde Jacob, & Heli unam eamdemque matrem agnoscerent; quamquam ex illis alter ad Melchi, alter vero ad Mathanum pertinebat. Decessit sine liberis Heli, ex Jacobo, quemadmodum jam innuimus, Josephus natus est. Sed melius expansa tabula hæc omnia patebunt.

DAVID

SALOMON	NATHAN
MATHAN	LEVI
	PANTHER, & MELCHI
JACOB	BARPANTHER HELI sine liberis mortuus.
	JOACHIM
JOSEPH	MARIA
	JESUS

Eadem genealogia juxta S. Epiphanium (7), Græcis probata

SALOMON

JACOB, alio nomine PANTHER

JOSEPH, & CLEOPHAS ejus frater (8), pater Mariæ Cleophæ (9).

Ex priori uxore nati sunt illi sex filii, JACOB, JOSE,

(4) Vide nostram Dissertationem de successione summorum Pontificum, ad Judith. (5) Talm. Jerosolym. fol. 72. Babyl. tract. Sanhedrin fol. 67. (6) Lib. 23. cap. 9. *Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi, Sacerdotem nomine Joachim, quia canonicum non est, non me constringit.* (7) Epiph. Hær. 78. Vide & Hippolyt. apud Niceph. lib. 2. cap. 3. (8) Hegesipp apud Euseb. lib. 3. cap. 32. Epiphan. hæres. 78. Vide & Hieron. advers. Helvid. cap. 7. (9) Joan. XIX. 25. Theophylactus in Matth. XIII. 58. tradit, S. Josephum, & *Cleopham*, sive *Clopam*, fratres fuisse; Cleopham vero sine liberis decessisse; cujus uxorem viduam ducens Josephus, quatuor filios, in Evangelio fratres Domini appellatos, genuit, duasque item filias; nempe Salomem, & Mariam cognomento Cleophæ, quod scilicet ad illum, juxta Legis sanctionem, pertineret.

JOSE, SIMEON, JUDAS, MARIA, SALOME (10). Duxit deinde idem Ioseph Mariam Virginem matrem Iesu, filiam Ioachimi, & Annæ (11).

Hæc duo nomina *Pantheris*, & *Barpantheris* in genealogia I. C. neque laudarunt unquam Iulius Africanus, cæterique Veteres, neque sine prodita Evangelii fide, in quo nihil tale legitur, laudari potuerunt; nisi forte illud reputaverimus, cognomina fuisse duorum virorum, Mathat & Levi; quibus constitutis, omnia in pristinas sedes restituuntur.

DAVID

SALOMON — NATHAN

SALOMON	NATHAN
ELEAZAR	IANNE
MATHAN	LEVI, seu PANTHER
JACOB	MELCHI, seu BARPANTHER
JOSEPH	HELI, seu JOACHIM.
	MARIA JESU Parens.

Ioannes Gerson, Parisiensis Universitatis Cancellarius Oper. Tom. 3. carmina quædam laudat in hanc sententiam,

Anna tribus nupsit, Joachim, Cleophæ, Salomæque.
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias,
Quas duxere Joseph, Alphæus, Zebedeusque.
Prima Jesum, Jacobum, Joseph, tum Simone Judam
Altera dat. Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Verum genealogicum hoc systema nullo authoritatis testimonio fulcitur.

Systema Toynardi, Harmon. pag. 155.

MATHAT

JOACHIM — CLEOPHAS

MARIA uxor Alphæi. JACOBUS major

JACOBUS minor, IOSES, IUDAS sive THADÆUS.

DISSERTATIO

DE BONIS MALISQUE ANGELIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bonis Angelis.

PLenum de Angelis Tractatum dare, nostri non est instituti; sed ea tantum exponenda suscipimus, quæ de illis sive in Libris Sacris occurrunt, sive quæ Hebræi & priores Ecclesiæ Patres philosophati sunt; eo scilicet consilio, ut locis Sacræ Scripturæ, qui Angelorum meminere, lux aliqua afferatur. Qua de re disserentibus nobis, plura obiter, nec minoris momenti, sese offerent excutienda, quæ in nostro Commentario, utpote ab argumento aliena, sive prætcrita sunt, sive levius disputata.

Nomina Angelorum. Nullum ante captivitatem Babylonicam Angelorum nomen auditum est inter Hebræos. Qui Manueli patri Samsonis per visum apparuit Angelus, ut nomen suum proderet rogatus, respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile* (1)? Angeli, qui videndos se præbuerunt Abrahamo, Lotho, Moysi, Iosuæ, cæterisque Patriarchis, *Angelos* tantum, nempe a Deo missos, sese appellabant. Ipsius interdum Dei nomen, tamquam legatione ab ipso ejusque nomine fungentes, sibi usurparunt. Quare peculiaria Angelorum nomina e Chaldæa, una cum Iudæis ex ea regione remeantibus, in Iudæam invecta sunt, quemadmodum & Thalmudistæ asseruere (2). Tobias omnium primus occurrit, qui Angelum *Raphaelem* peculiari nomine expresserit Tob. 3. 25. XI. 14. Vivebat autem Tobias in urbe Ninive aliquandiu ante captivitatem Iuda, ejusque nomine inscriptus Liber ab ipso eodemque Authore digestus, diffitentibus tamen nonnullis, vulgo creditur.

Junior aliquanto Tobia Daniel, Babylone degens, nomina c. 10. 21. *Michaelis*, & *Gabrielis* c. 8. 16. promit. Author quarti Esdræ c. 4. 36. & 6. 20. meminit *Urielis* & *Jeremielis*. Sed hic multo est Esdra recentior, & facile post Iesum Christum florebat. Nomina Angelorum frequentissima in Libro Enoch leguntur; quod tamen Opus remotissimæ antiquitatis non est, & nos fusius de illo in articulo de pravis Angelis. In Liturgiis Orientalibus est Angelus *Suriel*; sunt & nomina quatuor animalium, & XXIV. Seniorum, de quibus Apocalypsis IV. 4. 6. in eadem cum cæteris Sanctis Angelis classe.

Suum singulis Patriarchis Præceptorem Angelum assignant Cabalistæ; Angelum *Razielem* Adamo; *Japhielem* Semo, *Zedekielem* Abrahamo; *Raphaelem* Isaaco, *Pelielem* Jacobo; *Gabrielem* Josepho, *Metatronem* Moysi; *Malushielem* Heliæ; *Cerviielem* Davidi. Persuasum pariter habent, in toto Angelorum cœtu septuagenos distingui, qui communicato sibi Dei nomine clarent, juxta illud Exodi XXIII. 21. *Et est nomen meum in illo*. Credunt autem, siquidem fieri posset, ut genuinum septuaginta illorum Angelorum nomen scire daretur, futurum ut ejus invocatione omnia præstarentur, virtute scilicet nominis Dei, quod Angelis illis insidet. In hoc igitur investigando studia sua omnia collocant Cabalistæ.

In Libris N. T. nullum Angelorum nomen novum occurrit, sed duo tantum, *Gabrielis* nempe Luc. I. 19. & *Michaelis* Judæ v. 9. & Apoc. 12. 17. in Veteri Testamento nota, servantur. Legimus quidem apud Paulum Principatus, Potestates, Thronos, & Dominationes; sed hæc nomina hierarchiæ Angelicæ gradus designant, quorum nempe alii aliis præstant, & veluti dominantur. Angelorum peculiaria nomina rapto in Cœlum Apo-

(10) Nicephor. lib. 2. cap. 11. ex Hippolyto, geminas S. Josephi filias appellat Esther, & Thamar.
(11) Epiphan. hæres. 78. & alii.
(1) Judic. XIII. 18. Vide & Gen. XXXII. 29. Angelus sciscitanti ea de se Jacobo respondit: Cur quæris nomen meum?
(2) Talmud Jerosol. de principio anni.

Apostolo nota fuisse, S. Chrysostomus autumavit (4), nequid autem proderet, in causa fuisse viro sapientissimo, quod metueret, ne superstitio aliqua in eorum cultu glisceret, neva fassum homini rerum novarum studium eo curiosas mentes deduceret, ut inutilibus investigandis bonas horas perderent. Orientales in suis liturgiis pari gradu cum summis Angelis Urielem, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores Apocalypsis collocant.

Angelorum productio.

E nihilo creatos Angelos, ignorat nemo; quo vero tempore, qua prodierint ratione inter varias diversorum sententias incerti versamur. Ea de re nihil apud Moysem, nisi forte, cum a Deo creatos Cœlos testatus est, sub ejus nominis ambagibus creatos Angelos, Cœli peculiares incolas, designarit; quod non unus ex Patribus suspicatus est (5). Malunt alii, non Cœlorum, sed lucis nomine a Moyse Angelos significari (6). Alii, nec infrequentes, putant, ante productum mundum Angelos produisse (7), cui sententiæ favere videtur Job XXXVIII. 7. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ .... cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei?* In hanc sententiam concessere vulgo Veteres Græci, ipsique pariter Latini Patres nonnulli, uti S. Ambrosius in Hexaemeron. hom. 1. cap. 5. S. Hilarius l. 2. de Trinit. S. Hieronymus in c. 1. epist. ad Titum, Cassianus Collat. 8. c. 7. aliique.

Major tamen Patrum Latinorum pars cum Græcorum nonnullis docet, Angelorum productionem ipsum Mundum non prævertisse (8); quæ posterior sententia hodie obtinet. Ajunt Hebræi (9), secunda Mundi die Angelos prodiisse, eosque statim in consilium ab ipso Deo Creatore adhibitos; quod illis verbis Gen. 1. 26. innuitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Ad quintam diem revocant alii (10); nec desunt, qui singulis diebus creari Angelos, vel potius a flumine quodam, *Dinor* appellato, emergere defendant. In tantam denique audaciam a nonnullis ventum est, ut alterum ab altero vera generatione progneros, Gabrielem e. g. filium S. Michaelis constituentes, asseruerint. Saducæi Angelos omnes a medio tollebant; quorum errorem defendens R. Ben-Gersoa tuetur, Angelos, sive Dæmones nullibi unquam paruisse; & siqua in Sacra Scriptura testimonia de illis occurrant, hæc ad metaphoricum sensum detorquenda esse.

De tempore, quo Angeli producti sunt, incertus fluctuat Augustinus. Aliquando enim docet, prima Mundi die prodiisse (11); aliquando vero eum luce confundere illos visus est (12); interdum ante res creatas omnes extitisse asserit (13); eo tandem non semel, quam eligat sententiam in re obscura ambiguus, quæstionem hanc relinquit in medio (14). Sanior Theologorum ætatis nostræ pars, quæ Angelorum productionem cum mundi ipsius initio componit, laudat in eam rem illud Ecclesiastici XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*; idest, simul & eodem tempore, quo Deus ad condendas creaturas se contulit, omnes pariter ab exordio temporis e nihilo produxit, tam visibiles, quam invisibiles, tam corpore, quam spiritu tantum constantes; ita enim ejus sententiæ sensum promit Concilium Lateranense (15): *Deus creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam*. Hujus apertissimi textus authoritate sæpissime in Scholis recitata, nequaquam tamen factum est, quin plures, nec infimæ notæ, Theologi defenderent, ab Ecclesiastici sententia nihil aliud, quam ad unum Deum authorem visibilia & invisibilia pertinere, cui profecto dogmati nemo sanæ mentis refragatur; cæterum quæstionem de tempore creatæ Angelicæ naturæ adhuc in medio relinqui. Vide Petav. l. 1. de Ang. c. 15. n. 13.

Angelorum natura.

Spiritualis esse naturæ Angelos, ætate nostra nemo negat. Non eadem tamen apud omnes atque Veteres recepta est sententia; cum instrui corpore Angelos, multorum ferret opinio, favente Scriptura. Faciunt enim in hanc rem ea, quæ de Angelis, sensibus instructis, luce quadam nitentibus, ignis, venti, aeris speciem exhibentibus, in eadem Scriptura leguntur. Hominis speciem præferebat Angelus ille, qui Abrahamo, qui Moysi, qui Josue, qui tandem aliis per visum apparuere, nihil in illis non humanum, sermo, incessus, cibi degustandi ratio, ac tandem pedum lotio; quid non? Ignem in medio rubi exhibuit Angelus a Moyse in deserto spectatus Exod. 3. 2. Nullam ex pluribus formam assumpserat Angelus, fores Paradisi igneo gladio defendens Gen. 3. 24. Angelus qui monstrandæ Israelitis viæ per desertum a Deo datus est, fulgidæ nubis speciem noctu, opacæ vero interdiu referebat Exod. 14. 19. militari habitu alter Josue sese obtulit Josue v. 13. Cherubim solium gloriæ Domini sustinentes, ab Ezechiele 1. 5. pinguntur tamquam animalia, quæ in una eademque forma hominem, aquilam, bovem & leonem conjungerent. Eosdem Cherubim hominis similitudine sex alis instructos Isaias VI. 1. 2. exhibet. Radiantem ore, coruscantem oculis & corpore instar chrysolyti pellucidam alterum Daniel 1. 21. suspexit. In equi forma, viri & fœminæ, Angelos spectavit Zacharias v. 9. & VI. 2. Quid non corporeum in his omnibus?

Priorum sæculorum Patres fere omnes instrui corpore Angelos autumarunt, corpore tamen maxime tenui, omnia pervadente, quod agilitate aerem ipsum & ventum superaret, nec tamen *Spiritus* nomen abjecerunt, quamquam alias huic nomini significationes aptabant. Spiritum igitur reputabant corpus tenuissimum, ultra quod cogitatione assequi quis possit: quemadmodum in corpore concipimus spiritus quosdam, (animales appellamus) ex tenui sanguinis portione in cerebro instar spiritus elaborata, qua musculi omnes nervique cientur. Illud etiam asserendum censuit S. Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone, in Cœlo nimirum Angelos cibo nutriri, non crasso, quemadmodum nos, sed altero cœlesti opificio parato, veluti manna, cui in Psal. 77. inditum nomen: *Panis Angelorum*. Nec antiquitatis studiosos fugit, Veterum plerosque (16) id habuisse persuasum, ex Angelis carnali commercio cum filiabus hominum commistis prodiisse Gigantes, viros non statura tantum corporis, sed & criminum immanitate notissimos.

Cujus opinionis fontes altius repetendi sunt: ita enim fuerat priscis Hebræis persuasum, quemadmodum ex Libro apocrypho Henochi, sive ex histo-

(4) Chrysost. de incomprehensib. Dei nat. homil. 4. pag. 410. & hom. 5. pag. 180. & 420.
(5) Origen. homil. 1. in Genes. Beda, Strabus. (6) Vide August. l. c. de Genes. ad lit. c. 9. & l. XI. de Civit. 1. c. 11. Lomb. in 2. Dist. 13. Rupert. l. 1. de Trinit. c. 10. (7) Origen. homil. 1. in Genes. & homil. 10 in Matth. Basil homil. 1. in Hexaemer. Nazianz. orat. 38. & 40 & alii plures.
(8) Vide, si lubet, Petav. Theolog. dogm. t. 3. l. 1. c. 15. art. 6. (9) Maimonid. in More Nebochim part. 2. c. 6. (10) Berschit Rabb. Sect. 8. (11) August. l. 22. contr. Faust. c. 10. & l. 2. de Gen. ad lit. c. 8. (12) Aug. l. 11. de Civ. c. 19. &c. (13) August. l. 12. Confess. c. 15.
(14) August. lib. imperf. de Genes. ad lit. c. 3. & l. 11. de Civ. c. 32. (15) Concil. Later. sub Innocentio III. c. 1. Vide & Concil. Nicæn. II. art. 5. an. 780. (16) Justin. Apol. 1. init. Athenag. Apolog. Clem. Alex. Strom. l. 5. Method. de Resurr. apud Epiph. hær. 64. Tertull. de veland. Virgin. Lact. l. 2. c. 14. Ambros. Apolog. David. c. 1.

historia de ipsorum erga filias hominum deperdito amore, uti & de bello ab illis in Deum illato, intelligimus. Serio pariter Josephus Antiqu. l. 1. c. 4. asseruit, Angelos nefario amore hominum filias deperiisse, cujus commercii fructus filii nequissimi nati sunt. Putavit Philo, de Gigantibus, Angelos quidem Spiritu constare, sed corpori pariter veluti animas conjungi; & post obitum, ab ea commistione secretos, pristinas aeris sedes repetere. Manet eadem sententia apud Rabbinos quamplures; & Jesu Christi atque Apostolorum ætate, corpore quodam aereo & subtili constare Angeli vulgo credebantur. Jesus Christus post resurrectionem hærere suspensos Apostolos intelligens, ambigentes, num spiritum aliquem sub Magistri specie coram spectarent, *Videte & palpate*, ait Luc. 24. 39. *quoniam Spiritus carnem & ossa non habet*. Phantasmate quodam illudi sibi primo timuerant Apostoli, cum super Maris Tiberiadis undas gradientem eumdem Jesum spectavere Matth. xiv. 26. & cum Petrus carcere liberatus præ foribus ædium Apostolorum stans pulsaret, non ipse revera Petrus, sed ejus spiritus adesse primum creditus est Act. xii. 16.

Plus aliquid asserendum sibi Rabbinorum aliqui (17) censuerunt, differentiam sexus, mares nempe & fœminas, inter Angelos statuentes. Addunt, geminos Cherubim, quorum simulacra Moyses super Arcam Fœderis collocavit, alterum marem, alterum fœminam fuisse. Sexu discretos pariter asserunt duos Seraphim, nunquam non clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, apud Isaiam vi. 3. His constitutis, in eam opinionem aliqui venerunt, ut Angelorum velut hominum species in dias generatione propagari crederent. Eadem sententia, sed naturæ spirituum magis congruens, traditur a S. Gregorio Nysseno (18); quippe qui credit, Angelos quidem propagari, at non maritali commercio, quemadmodum & cum hominibus futurum fuisse reputat, siquidem pristinam innocentiam retinuissent.

Verum si generatione augeri potest numerus Angelorum, num etiam interitu minuuntur? Utique ex Hebræorum doctrina (19). Arbitrantur illi, post primam Templi eversionem per Chaldæos de numero Angelorum plurimum decessisse; quod ipsi duplici Jacobi & Danielis inter se collato testimonio asserunt. Job xxv. 3. *Numquid est numerus militum ejus?* Daniel vii. 10. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit; thronus ejus flamma ignis. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Angelorum ergo turba numero censebatur sub Daniele; numerum autem vincebat sub Jobo. Lepida ratiocinatio! Doctores tamen Judæorum sapientiores (20) in nostram sententiam concedentes, Angelos spiritu tantum constare, ab omni secretos materia, defendunt: quæque in Scriptura alteram opinionem præferre testimonia videntur, hæc symbolica ratione exponentes, aliarum ænigmate designari dicunt Angelicæ naturæ subtilem tenuemque substantiam: hominis specie acrem intelligendi vim: bos virtutem, aquila acumen, leo fortitudinem, ignis zelum, ventus agilitatem, &c. exprimunt.

Patres, qui corpora Angelis affinxerunt, non subtilem modo tenuemque corpori huic dotem atque agilitatem concessisse contenti, addiderunt animam spiritalem, & intelligendi facultate instructam, ut proinde corpore pariter & spiritu Angelorum natura constet (1). Qua igitur substantiæ suæ parte intelligendi acumine præstant, non nisi spiritum referre apud eos Patres Angeli credontur; qua vero parte in loco aliquo continentur clauduntur que, moventur pariter, & ex uno ad alterum locum se transferunt, ea nonnisi corpore & materia constat. Non minima pariter eorum pars docet (2), hominis spiritum corpori, alteri plane ab eo, quo constamus, corpore, conjunctum esse; corpori, inquam, spirituali, & ab omnibus sensibilibus, quibus obsidemur, corporibus plane diverso: *Qui sine materiali substantia, absque ulla corporeæ adjectionis societate intelligatur subsistere*, unus inter omnes est Deus, ait Origenes de Princip. lib. ii. c. 6.

Bonis malisque Angelis corpus tribuit S. Augustinus (3); Dæmonibus crassius quam bonis Angelis. *Antequam transgrederentur*, addit, *cælestia corpora gerebant. Neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aeream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est, ab elemento naturæ superioris aliquid pati* (4). Claudianus Mamertus de statu animæ l. 3. S. Petrus Chrysologus Serm. 52. Cassianus Collat. 7. c. 13. Fulgentius de Trinit. Gennadius de Eccles. dogm. c. 11. Rupertus Abbas (5) tamquam certum aliquid absolutumque ponunt, Deum ex omnibus unum spiritu solo constare, cetera ex corpore pariter & anima compingi. Inter corpora Dæmones recensent Cajetanus in Ephes. 2. & Eugubinus de perenni Philosoph. c. 26. nec Grotio in Psal. 103. 5. probatur ea, quæ in opinionem Aristotelis concessum est, facilitas; illum enim Philosophum credit spiritum ab omni materia discretorum primum fabricatorem.

Quod autem hanc commendavit opinionem, potissimum reputandum est, nimirum, I. Authoritas Scripturæ, Angelos sub corporea quadam specie plerumque exhibentis: II. Hæc in speciem probabilis ratiocinatio: *Quidquid ex uno in alterum locum transfertur, quidquid cietur, corpore constat*; sunt igitur inter corporeas creaturas Angeli recensendi: III. Tandem, quidquid mutationi obnoxium est, quidquid variis subjicitur qualitatibus, nunquam fieri potest ut ab omni materia secernatur. Angelos vero variis mutationibus obnoxios esse, ex variis, quibus spectandos se præbent, formis satis colligimus; ignis pariter supplicio torquentur: quæ omnia corporis argumentum sunt apertissimum.

Verum hisce omnibus reponimus, Scripturam res tradere nostris ingeniis accommodatas, cum Angelorum imagines corporeas exhibet. Idem pariter ab illa præstitum est, cum Dei meminit: quis autem corpore constare Deum credat? Ita pariter, cum Angelos ex uno in alterum locum transferri dicit, cum modo in Cœlo, modo in terris versari animadvertit, variam tantum agendi rationem, qua præsentiæ suæ documenta variis in locis exhibent Angeli, designat; nec tamen propterea ita locum occupant, quemadmodum a corpore fieri novimus. Quas autem subeunt Angeli mutationes, illæ spirituali eorum naturæ nihil prorsus repugnant; & metaphorico sensu explicandos esse ea in re Sacros Libros constat, siquidem eas in Angelis mutationes iisdem phrasibus exprimant, quibus mutationes corporum designantur.

Ple-

(17) Rab. Uriel. Vide Manasse Ben-Israel, Conciliat. in Exod. q. 50. pag. 142. (18) De Mundi Opific. Vide & Cæsar. Dial. 3. & Barcepha de Paradise. (19) Vide Excerpta Gemar. de opere currus, apud Hottiegerum p. 71. 75. (20) Maimonid. fundament. Leg. c. 2. § 4. More Nebochim, par. 2. c. 47. R. Eliezer. Pirke p. 6. (1) Vide Basil. de Spir. S. c. 16: Idem, seu alius, in Isai. xxvi. 7. Ephrem. Serm. de Natura Dei minime scrutanda. Alii apud Petav. de Ang. l. 1. c. 25. (2) Method. apud Phot. Cod. 234. Jo. Thessalonic. in Oecumenica VII. Synod, lectus act. 5. pag. 548. Tertull. de carne Christi; Hilar. in Matth. can. 5. (3) August. Ep. olim 115. nunc 14. Item l. 3. de Genes. ad lit. c. 10. (4) Idem loc. cit. de Gen. ad lit. (5) De Trinit. l. c. 11. & 27. & l. 3. de Vict. Verbi c. 28. &c.

Plerique ex Patribus (6), & Theologi nostræ ætatis omnes naturam tantum spiritualem, & intelligendi facultate instructam Angelis vindicant. Eamdem sententiam non obscura præfert Philo Judæus De Cain & Abele, & lib. de Gigant. docens, Angelos Spiritus esse felices, & a corpore secretos. Addit insuper, aerem sedem esse animatum pariter, & animalium, cum enim sua singulis elementis animantia, aquæ scilicet & terræ, assignaverit Deus, cur aerem reliquerit vacuum, non satis intelligitur. Ex his vero spiritibus, qui regionem tenent æream, alii insita quadam a natura propensione in humana corpora ita feruntur, ut in unum coalescentes cum corpore, hominem constituant. Regionem alii multo superiorem tenent, a corpore pariter, & a terra abhorrentes. Alii tandem relicto, quod prius animabant, corpore, ab ejus complexione interitu hominis avulsi, ad pristinas raptim in aere sedes convolant.

Alibi vero (7) de Geniis mortalia corpora tenentibus agens, illos hominibus in profluentem rapidi amnis prolapsis comparat. Qui enim viribus & natandi scientia instructi sunt, præsentissimum mortis periculum facile evitant; ceteros gurgitis & torrentis æstus rapit. Ita pariter boni quidam Angeli ita humanis corporibus inseguntur, ut semper mentem habeant ad superiora & divina liberam; cum mali Genii, corpore animantes, totam mentem vitiis mergant. Quare, si Philonem audias, Angeli, Dæmones & hominum animæ solo nomine differunt, non natura, quamquam ingenio, & muneribus gerendis differunt, cum boni Angeli ita corpus teneant, ut corpori non devinciantur; misericordiæ Domini veluti instrumenta; & inter Deum hominesque veluti mediatores sese exhibeant: ultionis autem & justitiæ Domini ministri sunt Dæmones. Hæc de Angelis Philo.

Josephus, vir Pharisæus (8), narrat in lib. 2. de Bello Judaico c. 8. Essenorum sententia, animas ex aere in corpora illabi, ut in corpore veluti in carcere claudantur; tum aereas sedes, statim post soluta vincula corporis, repetere. Quod autem in corpora sive illabantur, sive prorumpant, in causa esse dicunt insitam quamdam Angelis a natura in eadem corporea propensionem. Dæmones, homines quosdam infestantes, ex ejusdem Authoris l. 7. de Bello c. 25. sententia, ipsissimæ sunt animæ impiorum, quæ cum aereas sedes non repetierint, misera quædam occupant corpora; vel hostili animo aggrediuntur, omni conantes nisu ut pereant. Docet tandem lib. 2. c. 8. de Bello, ex Pharisæorum sententia, animas immortalitate donari, & ex uno in aliud corpus migrare, ac tandem æternis cruciatibus animas impiorum addici, ut in corpora remeandi omnis facultas illis interdicatur.

Ex ejusdem facile opinionis persuasione, ætate Jesu Christi inter Judæos pervulgatæ, fieri potuisse credimus, ut Dæmoniaci, quos Jesus convalescere jubebat, quererentur, ante tempus se ab illo torqueri Matt. 8. 30. Spiritus enim pravi, qui corporibus veluti animæ quædam insidebant, atque possesso semel contubernio nunquam nisi in abitu sese pulsum iri credebant, vehementi percellebantur timore, ne inde pulsi ad Inferni tormenta pellerentur; nisi in alium transmigrare hominem daretur, in quo diutius commorantes, magis magisque Inferni supplicia a se removerent. Hinc facile legio illa (9), quæ hominem in regione Gerasenorum obsederat, Jesum rogavit, ut haret sibi permissio insiliendi in gregem porcorum, *nec imperaret illis, ut in abyssum irent*. Luc. 8. 31.

His omnibus satis evidenti argumento probatur, invaluisse apud Judæos opinionem de animarum ante formatum corpus existentia, & metempsychoseos sententiam late apud illos tunc, uti & hodie etiam, obtinuisse. Apparent ejus vestigia tum in Apostolis ipsis, tum in Judæis coævis: Discipuli enim viso homine e nativitate cæco, rogavere Jesum, criminum suorum ne, an parentum merito cæcus ille malum illud in suum caput provocasset Joan. ix. 2. Quodnam, rogo, crimen committere vir ille potuit, antequam nasceretur, ut cæcitatem referret ex utero? Dictitabant alii, Eliam, sive Jeremiam, vel alium e veteribus Prophetis in Jesu Christo paruisse Matth. 16. 14. Transmigrasse in illum animam Joannis Baptistæ fato jam functi, Herodes comminiscebatur (10).

Si spiritualis constat natura Angeli, nulli pariter subjiciantur corruptioni sive interitui necesse est: quin & ab omni eos immunes letho illi pariter pronunciarunt, qui corpore compactos rebantur. Neque ab alio unquam, quem noverim, nisi a Rabbinis quibusdam, in tantam opinionis audaciam ventum est, ut nasci Angelos & interire assererent. Visum est quidem veteribus nonnullis Patribus, posse illos letho subesse; nec immortalitate, nisi peculiari Dei beneficio, Dei, inquam, servantis, neve in nihilum redeant prohibentis, donari. *Omnia quæ facta sunt*, ait S. Irenæus (11), *initium quidem suæ facturæ habent, perseverant autem, quoadusque Deus & esse & perseverare voluerit*.

Angelus natura sua immortalitatem non refert, sed voluntate Creatoris, ait S. Ambrosius de fide lib. 3. cap. 2. *Deus solus habet immortalitatem*, ait Apostolus 1. Timoth. 6. 16. quod ipse natura sua nulli, ne morti quidem, subjiciatur; cetera vero omnia nullam immortalitatem, nisi ex Dei beneficio, donantur (12). At nonne hic sub naturæ nomine æquivocationis aliquid latet? Si enim voluntate Dei Angelus immortalitatem refert, est igitur natura sua immortalis, cum rerum omnium natura Dei voluntas sit (13). Cum autem Angelum ipse spiritualem prorsus condiderit, ex ea constare natura voluit, quæ omnem corruptionis causam arceret.

Proborum Angelorum munia illi, qui donantur, gloriæ apud Deum respondent. Censuerunt Veteres nonnulli, dari ex eorum cœtu Præsides dirigendis astrorum & cœlorum omnium cursibus; defensores pariter & Patronos Regnorum, Provinciarum, Rerumpublicarum, Urbium, quin & Familiarum, quæ singulorum Angelorum tutelæ committuntur. Fide etiam docemur, Angelos singulos singulis nobis assignari. Nec deesse crediti sunt peculiares Angeli Ecclesiis & Altaribus. Philosophorum & veterum Judæorum, & post ipsos, Christianorum dogma consentit, Angelos veluti inter nos & Deum medios constitui, ut solio Dei preces nostras sistentes, congrua nostris rebus beneficia & auxilia referant; legatione illos fungi ab Altissimo Deo, tum ut mortalibus jussiones illius nuncient, tum ut præmia pœnasque pro ejus sententia distribuant. Fusius modo de singulis. Proborum Angelorum munia

Suos singulis rebus præesse Angelos, sentientes Rabbini (14) *Azariolem* præficiunt aquis; *Cazardiam*

(6) Vide Tit. Bost. lib. 3. contra Manich. in Biblioth. PP. Thaumaturg. homil. in Theophania, Nyssen. contra Eunom. Nazian. orat. 34. Euseb. l. 4. Demonstr. c. 1. Chrysost. passim; Theodoret. quæst. 20. in Genes. & quæst. 48. Aliter Damascen. l. 2. de fide c. 3. & 12. Lact. lib. [illegible] c. 21. Greg. Magn. l. 4. Dialog. c. 25. alii plures. (7) De Gigant. p. 285. Vide & de plantatione Noe p. 216. & de confus. ling. p. 340. (8) De vita sua init. (9) Luc. viii. 50. Matth. viii. 30. (10) Marc. vi. 16. Luc. ix. 9. Vide in hæc loca nostrum Comment. (11) Iren. l. 2. c. 64. Vide Arnob. l. 2. Damasc. l. 2. de fide c. 3. Sophron. in Actis Synod. vi. Act. 11. Cyrill. Alexand. thes. l. 20. Hilar. in Psal. cxxviii. alios. (12) Author QQ. ad Orthod. qu. 61. (13) August. de Civit. l. 21. c. 8. (14) Vide Bartolocc. Biblioth. Rabbin. to. 1.

ullam orienti, ut orientem solem, & stato tempore occidentem ducat, *Nekid* pani & alimentis. Singulis planetis, singulis anni mensibus, quin & horis dierum suus est Angelus. Neque id satis Maimonidæ (15); quippe qui sphæras ipsas cœlestes totidem esse Angelos, intelligentia & voluntate munera sua exercentes, asseruit. Hominum tutelæ non unum, sed duos Angelos, probum scilicet pravumque, assignantes Judæi, priorem illum opem nobis præstare & consilium, alterum insidias moliri credunt. In hanc sententiam a veteribus quibusdam Patribus concessum est.

Angeli nomen latius usurpat Maimonides, eo enim appellat virtutem omnem Dei, supernaturalem quamcumque operationem, ac tandem naturales corporis & animæ facultates. Idem pariter obtinuisse Jesu Christi ætate, ex eo suspicamur, quod boni pravique spiritus nomine bonas malasque corporis & spiritus facultates appellarent. Ita Christus verba ad Apostolos faciens, ignorare illos dicit, ad quem spiritum pertinerent Luc. 9. 55. De spiritu paupertatis Matth. v. 3. infirmitatis Luc. 13. 11. impudicitiæ Matt. x. 1. xiii. 43. servitutis Rom. 8. 15. adoptionis Rom. 8. 15. compunctionis Rom. xi. 8. fidei 2. Cor. iv. 13. Lenitatis 1. Cor. iv. 21. Galat. vi. 1. Erroris 1. Timot. iv. 1. gratiæ Hebr. x. 29. in Novo Testamento legimus; quibus loquendi formulis recepta illa persuasio de bonis malisque Spiritibus, in singulos vitæ actus, & in omnes corporis & animæ habitudines dominantibus, designatur.

Docent pariter doctores Judæi, quatuor esse Angelos nunquam in terra visos, quod jugi obsequio solio æterni Numinis adsistant. Michael omnium Princeps sinistram tenet; Gabriel dextram; Uriel coram adstat; post ipsum vero sequitur Raphael. S. Joannes in Apocalypsi viii. 2. 3. septem exhibet Angelos stantes coram Deo, totidem buccinas tenentes, quibus octavus alius adjungitur, fumans thuribulum tenens, cujus fumus Sanctorum orationes ænigmate quodam exhibet. Spondet Zacharias iii. 9. Jesu filio Josedechi septem oculos sive septem Angelos, a quibus ope & consilio juvetur. E septem Angelis ante Deum stantibus unum se esse, Raphael juniori Tobiæ asserit Tob. xii. 15. De Archangelo Michaele legimus Dan. x. 13. unum esse *de Principibus primis*. Porro numerus hic septem Angelorum ex eo expressus est, quod in Aula Regum Assyriæ, Chaldææ, & Persidis septem Principes viri cæteris præstarent Esth. 1. 10. 14. Inde etiam facile derivanda sunt (16) nomina illa, Potestates, Throni, Dominationes (17), de quibus Apostolus in suis Epistolis.

Idem septem Angelorum, jugem Deo famulatum præsentia sua exhibentium, numerus mansit in Scriptis Patrum Ecclesiæ & Hebræorum. Appellantur in Testamento duodecim Patriarcharum *Angeli faciei*, & in vita Moysis, *Oculi Domini*. Noti sunt S. Irenæo (18), S. Clementi Alexandrino, S. Cypriano (19), & Aretæ. Totidem choris Angelorum (non enim nisi in septem choros Angelos distribuit) præfecisse illos videtur S. Hieronymus adversus Jovinianum.

Angeli nomine potissimum proborum Spirituum munus satis exprimitur; sonat enim Legatum, Missum; & Hebræo *Malach* (20) respondet. Apud S. Paulum Hebr. 1. 14. appellantur interdum *Administratorii Spiritus*. Leguntur autem a Deo missi ad prænuncianda insignium quorumdam virorum natalia, uti Isaaci, Samsonis, Joannis Baptistæ, ac tandem Jesu Christi, Dei pariter & hominis. Destinantur interdum tutandis protegendisque viris Deo amicis; quemadmodum de Raphaele ad Tobiam misso constat, ad exercendam in viros impios ultionem, uti de Angelis in Sodomam missis, de Angelo exterminatore in cædem primorum natu Ægypti, & alio in cædem exercitus Sennacheribi irruente legimus. Mittit tandem Deus Angelos ad nunciandas voluntates suas Prophetis, cæterisque viris sanctissimis, Abrahamo, Agari, Danieli, Zachariæ, &c.

Vicibus autem Dei tamquam ejus legati fungentes, nomen ipsum Domini, *Elohim* (21), adoptant; adsciscunt interdum & nomen sacrum ac incommunicabile *Jehovah* (22): hæc tamen non nisi eum Dei nomine loquuntur. Quæ autem spectabatur inter munera Angelorum & Prophetarum similitudo, in causa fuit, cur Prophetis interdum Angelorum Domini nomen tribueretur. Ita Judic. ii. 1. 2. venisse legimus Angelum Domini, nempe Summum Sacerdotem vel Prophetam, ad locum flentium (Heb. Bochim), & populo denunciasse: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi Patribus vestris. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, elevaverunt vocem suam, & fleverunt*. Et Judic. v. 23. *Angelus Domini, qui maledicit terræ Meroz*, ipse est Barac, vel Summus Sacerdos, sive Propheta aliquis (23). In Malachia, II. 7. Angeli Domini exercituum Sacerdotes appellantur. Aggæus c. I. 13. ita se ipsum designat: *Dixit Aggæus nuncius Domini* (Heb. *Angelus Domini*), *de nunciis Domini* (Heb. de *Angelis Domini*). Angelus, sive a Deo missus, Nathan est apud Eupolemum in Eusebio. Malachias, inter duodecim minores Prophetas postremus, quo nomine *Angelus Domini* designatur, ex sententia doctissimorum plurium Interpretum cum Esdra, Scriba doctissimo in Lege Domini, confundendus est.

Quod in amplis ædibus columnæ, hoc sunt Angeli in mundo; sustentant nempe, & ornant, ait Philo (24). Præsides ex illis dantur singulis Gentibus & Regnis, juxta Scripturam. S. Michael velut Angelus populi Dei præses agnoscitur Dan. x. 21. *Michael Princeps vester*. De Angelo Persidis legimus in Daniele x. 13. & Macedoniæ in Actis xvi. 9. ac tandem de Angelis plurium Gentium sermo est apud Zachariam. Moyses in Deuteronomio, juxta Versionem Septuaginta (25), præfert: *Quando dividebat Altissimus gentes, & separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei* (Heb. *juxta numerum filiorum Israel*). Sed Hebræi & pleriqua ex Patribus opinati sunt (26), Deum Angelos creasse, ut iis veluti præsidibus Provinciarum & Regnorum uteretur. Hanc autem Angelorum per singulas provincias divisionem factam reputant potissimum in confusione ad turrim Babelis, cum discretæ inter se Nationes singulis Angelis curandæ, & deducendæ in destinata sibi a Deo loca, atque docendæ peculiarem singularum linguam assignatæ sunt. Theodoretus in Dan. iii. persuasum habet, singulis quidem hominibus Angelum defensorem assignari, Gentibus vero singulis Archangelum.

Est etiam suus Angelus, juxta Scripturam & Patres, tum Ecclesiis, tum cœtibus religiosis, tum locis quibusque sacris. S. Joannes Apoc. 2. 1. 8. 12.

(15) More Neboch. par. 1. l. 72. par. 2. c. 5. & 7. (36) 1. Esdræ vii. 14. & 3. Esdr. viii. 12. (17) Vide Hieron. in Ephes. 1. 21. & Groti. in Rom. viii. 38. (15) Apud Clem. Alex. Strom. lib. 6. (19) Adversus Judæos, lib. 1. cap. 20. (20) Ἄγγελος, מלאך (21) Gen. xxxii. 8. Exod. iii. 4. 6. &c. (22) Genes. xvi. 10. 11. 12. 13. Exod. iii. 4. &c. (23) Vide Chald. Scrutr. & Comment. nostr. (24) In Excerpt. Damasc. lib. 1. qu. in Gen. (25) Deut. xxxii. 8. Ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδάμ, ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων Θεοῦ. (26) Origen. hom. 35. in Luc. hom. 16. in Gen. & hom. 8. in Exod. Euseb. Demonstr. lib. 4. Epiph. hæres. 51. Chrysost. homil. 3. in Epist. ad Ephes. Cyrill. in Julian. lib. 4. Alii passim ex Latinis, ut Hilar. Hieronym. alii.

8. 12. scribit ad Angelos septem Ecclesiarum Asiæ, idest, ad Episcopos, & Angelos, qui una pariter cura Ecclesiis illis invigilarent: *Nec solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit*, ait S. Ambrosius (27). Gemina habent Origenes, S. Hilarius in Psal. 129. S. Basilius in Isai. & ep. 191. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 31. & 32. S. Hieronymus in Mich. 6. & in Matth. 18. Quod ad loca sancta, divinis mysteriis offerendis destinata, ea Angelis frequentari, quo tempore Jesus Christus immolatur, dubitaverit nemo, ait S. Ambrosius (28). Angelum Orationis appellat Tertullianus lib. de Orat. Angelum illum, qui Ecclesiæ, ubi nostræ Orationis thura ad Deum ascendunt, præses datus est. In obsequium facile ejusdem Angeli jubet Apostolus 1. Cor. xi. 10. ne fœminæ non velatæ in Ecclesiam ingrediantur: *Propter Angelos*. Quæ apud Josephum de Bello l. 6. c. 31. leguntur, auditas nimirum nocturnas paulo ante captam Urbem voces clamantium: *Exeamus hinc*; hæc a S. Hieronymo de Angelis custodibus, Jerosolymitanum Templum deserentibus, intelliguntur (29). Receptam pariter apud illos fuisse opinionem de Angelis, in custodiam Altarium Ecclesiæ destinatis, ex Veterum quorumdam scriptis apparet.

Neque prorogandum hic arbitror sermonem de Angelis custodibus, ad singulos deducendos homines destinatis; qua de re multa dedimus in Matth. 18. 10. Dogma hoc fidei nunquam in Ecclesia non mansit; quamquam minori fortuna obtinuit altera de Angelis custodibus singularum Gentium & Regnorum opinio. Sententiæ enim Deuteronomii, qua potissimum opinio illa fulciebatur, alter literalis sensus subesse agnitus est; ex quo minor ejus defendendæ ardor Scriptoribus fuit. Vide ea de re Commentarium.

Angelorum numerus. Angelorum numerus nunquam non frequentissimus apparet. *Aspiciebam*, ait Daniel vii. 10. *& Antiquus dierum sedit . . . fluvius igneus egrediebatur a facie ejus: millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. S. Joannes (30) perhibet, Dei thronum confertissima [*millia millium, & decies centena millium*] turbæ, veluti corona, circumdari. Tandem Jesus Christus Matt. 26. 53. significat, volenti sibi Patrem cœlestem plusquam duodecim legiones Angelorum, id est 72000. Angelorum, exhibiturum. His omnibus ingens plane & numerum vincens turba satis exprimitur. Dei potentiam describens Psalmista Psal. 146. 4. nosse illum dicit numerum & singula stellarum nomina, tamquam Rex, qui milites suos omnes, & præfectos Aulæ singulos novit. Et Psalm. 67. 18. canit, currum Dei decem millium Angelorum exercitu stipari.

Hujus multitudinis Angelorum cum hominibus comparatæ notitiam aliquam exhibituri Patres, parabolam illam in medium adducunt de Pastore, qui relictis xcix. ovibus, palantem unam quærirat Matt. 18. 12. Luc. xv. 4. *Ovis una homo intelligendus est*, ait S. Hilarius in Matth. Canon. 18. *& sub homine uno universitas sentienda est ..... nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum Cœlestium opinanda est*. In eamdem sententiam loquuntur S. Ambrosius in Luc. l. 7. c. 55. S. Gregorius Nyssenus contra Eunom. c. 11. & S. Cyrillus Jerosolymitanus Cathech. 15.

Alii ea de re in hunc modum philosophati sunt (31). Ex Urbis amplitudine de incolarum numero judicium flagitur: cum igitur terra cum Cœlo & aere comparata punctum videatur; ita pariter de Angelis reputandum, ut multitudine homines in immensum vincant. Titus Bostrensis in Luc. xii. in illa verba Jesu Christi, *Nolite timere pusillus grex*, scribit, homines universos, quotquot unquam fuerunt ac futuri sunt, minimum esse gregem, si cum Angelis comparentur. Author Cœlestis Hierarchiæ, sub S. Dionysii Areopagitæ nomine delitescens, capite XIV. sentit, Angelorum multitudine numerum omnem vinci, nihilque haberi in universa naturæ superius. Æneas Gazensis in Bibl. Patrum omnia, Cœlum nempe & aerem, Angelis & Dæmonibus frequentari dicit, quin etiam & mare & terram adeo ut nihil vacuum, ne spatium quidem digito vel spicæ capiendæ, ab illis relinquatur. Addit, homines, etiamsi ad mille annos vitam prorogent, minorem tamen liberorum numerum edituros esse, quem qui Angelorum & Dæmonum multitudinem æquet. Vetus est oraculum apud Lactantium l. 2. c. 6. Angelos & Dæmones imminentes e tergo superni Numinis flagello maria & terras omnes percutere.

Ut de numero Dæmonum cum Angelis collato in præsentia agamus, illud animadvertendum est, tertiam Angelorum partem a Deo desciscentem in Inferni tartara detrusam fuisse, ex quorumdam sententia, quæ ex illo Apocalypseos xii. 4. derivata est, in quo tertiam stellarum Cœli partem in terram cauda sua detraxisse draconem legimus. Cum igitur insignes plures Authores (32) docuerint, homines prædestinatos rebellium Angelorum numerum suppleturos, recta inde consecutione colligitur, hominum numerum Angelorum numero esse majorem, certo enim constet, ne tertiam quidem hominum partem salutis compotem futuram. Dubitat etiam S. Augustinus Enchir. c. 29. an hominum prædestinatorum numerus malorum Spirituum multitudinem vincat. Quare Augustini sententia minor est, quam pro aliorum opinione, Angelorum & Dæmonum numerus. S. Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. Magister Sententiarum in 2. dist. 9. & Guillelmus Episcopus Parisiensis in 2. part. de Univers. c. 18. quibus ea sedit opinio, prædestinatos ad gloriam numero Angelorum, qui in fide manserunt, æquaturos, infinitæ Angelorum multiplicationi minus favent. Sed in hoc argumenti genere a lingua & a cogitatione temperare, quam metas excedere, præstat.

Scitum est tota Antiquitate, Angelos in plures classes distributos, politico quodam inter se ordine submitti, sed hujus ordinis ratio ferme est in obscuro. Totius militiæ cœlestis Principem, & populi Israelitici in terra patronum & defensorem, ac tandem Archangelorum omnium primum, Michaelem constituunt Hebræi. De illo dictum arbitrantur: *Præcedet te Angelus meus*, [Heb. *facies mea*] *& est nomen meum in illo* Exod. 23. 14. Illum pariter spectatum credunt a Josue v. 13. cum toto provolutus corpore Angelum adoravit. Appellant autem plerumque nomine *Metatronis*, quod ipsum creditur ac *metator* apud Latinos (33), quo scilicet designantur in exercitu Romano Præfecti, ponendorum castrorum curatores. Porro S. Michael exercitum Israelitarum ducebat per deserta, loca castrorum designabat, & tempus, quo sive ponenda, sive movenda castra essent. Putant insuper, eumdem Angelum medium se pro hominibus coram Deo constituere, ut nemini, nisi per Michaelem, ad Deum accessus pateat. Donant insuper titulo magni Scribæ, quod scilicet merita universi populi Israelitici in census referat, eoque insignitus mu-

(Margin: Ordo inter Angelos.)

(27) In Luc. lib. 2. Vide & Orig. in Luc. hom. 12. & 23. (28) In Luc. *Ne dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur*. (29) In Isai. lxvi. & Epist. ad Paul. (30) Apoc. v. 11. Μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων. (31) Cyrill. Jerosol. loc. cit. Didymus citatus apud Maxim. ad cap. 14. Dionys. de Cœlesti Hierarch. (32) August. Enchirid. cap. 29. & lib. 22. de Civit. cap. 1. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo, c. 18. Isidor. de summo bono, cap. 12. Mos. Barcepha, de Paradiso, par. 1. (33) Buxtorf. Vide Basnage, Histoire des Juifs, tom. 4. liv. 6. ch. 9. art. 9. 10. Edit. de Paris.

munere, in Cœlo solus sedeat, cæteris Angelis stantibus. Quæ sane Angeli prærogativa venditandi plura gloriabundis Hebræis occasionem præbet. Synagogæ imitatione, Christiana pariter Ecclesia tamquam Principem suum, & Angelum, cui animas judicio Dei sistendi cura demandata est, S. Michaelem veneratur.

In decem classes, sive ordines, Angelorum cœtum distribuentes Hebræi (34), sua singulis nomina affingunt; I. *Animalia Sancta* appellant, quo nomine Angeli per visum ab Ezechiele spectati censebantur; II. *Rotas*, currum gloriæ Domini ferentes; III. *Leones Dei*, vel robur supernaturale; IV. *Chasmalim*, quo Hebraico nomine *electrum* designatur; V. *Seraphim* sive ardentes, igneos; VI. *Angelos*, missos, legatos; VII. *Elohim*, Deos, Principes; VIII. *Filios Deorum*, IX. *Cherubim*, sive formas ex pluribus constantes; X. *Homines*, quod scilicet sæpe hominis specie videndos se præbeant, & sub humano nomine plerumque in Scriptura designentur.

De numero, & ordine classium in Angelorum Hierarchia, in varias sententias Patres Ecclesiæ abiere. Autumarunt plerique (35), Apostolum, quibus in locis de Thronis, Potestatibus, Dominationibus, & Principatibus agit, nonnullas tantum ex pluribus Angelorum classes enumerare, quas omnes Scriptura generico nomine *militiæ cœlestis* designaverit; id autem innuit idem Apostolus, Ephes. I. 21. cum scribit: *Deum esse supra omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed & in futuro*. A prioris illis Angelis usque ad infimos homines, infiniti creaturarum ratione utentium sunt gradus, ait Origenes in Jonam.

Alii ex Patribus (36) certos quosdam ordines cœlestium Spirituum agnoscunt in locis Epistolæ ad Romanos, & ad Ephesios; sed ordines illos ad novem definitos nuspiam legimus ante Authorem Librorum de Hierarchia, sub S. Dionysii Areopagitæ nomine latentem, cap. 6. & S. Gregorium Magnum Homil. 34. in Evangel. quorum deinde authoritas numerum illum in Scholas Theologiæ invexit. Ante illam ætatem alii octo, alii septem gradus distinguebant (37); varias etiam ea in re S. Paulus, neq eumdem ubique numerum fert. In earumdem classium distributione pariter inter S. Gregorium Magnum, & Authorem Hierarchiæ non convenit. S. Gregorio probatur ordo Epistolæ ad Colossenses, I. 16. Authori vero Hierarchiæ Epistolæ ad Ephesios, I. 21. Ita ergo totam de Angelis œconomiam idem Author constituit. Universam Angelorum Rempublicam in tres Hierarchias dividens, singulis tres Angelorum classes assignat. Primam implent Seraphim, Cherubim, & Throni; secumdam Dominationes, Virtutes, & Potestates; tertiam Principatus, Archangeli, & Angeli. De choris Angelorum vide S. Bernardum de Considerat. lib. 5. cap. 4. n. 8. 10.

De singulis Angelorum muneribus, atque earumdem classium differentiis fusius agere, utpote quod ingenium nostrum excedit, temperamus; id solum notasse contenti, omnes hasce Dominationes, Potestates, Principatus ad Regnorum, & Imperiorum hujus Mundi similitudinem exprimi. Spectantur enim in terris, præter Summos Reges, Proreges, Principes, Præfecti, Magistratus, & secondarii plures Præfecti, quibus veluti summæ Potestatis depositum creditum est, quibusque administris suo singulis ordine utitur Imperator.

Cum Angelorum naturam Deus spiritualem, & intelligentia præditam creaverit, ut illis administris uteretur, laudes ab ipsis suas exigeret, ad manifestandas voluntates suas hominibus mitteret, ita comparatos fuisse illos oportuit, ut quæcumque spiritu, & voluntate conciperent, manifestare cæteris possent; quod nos vulgari sermone, loqui appellamus. Neque enim, ait S. Chrysostomus in 1. Cor. XIII. ita reputandum est, quasi lingua instructi distincte sonum vocis illi edere valeant; sed peculiari sibi promendi mentis sensa, valde ab humana discrepante, ratione instruuntur. Nec aliud voluit Apostolus illis verbis 1. Cor. XIII. 1. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*; aliud, inquam, non voluit, quam nihil se futurum, si charitate destitueretur, etsi quanta homo pollere potest eloquentia, vel quanta Angelus promendi (38) sententias suas facilitate valeret. *Angelorum loquutio.*

Sed quæ Angelorum inter se colloquendi ratio? Quo pacto illos in laudes Dei resolutos Isaias & Ezechiel audierunt (39)? quomodo inter se colloquentes a Daniele & Zacharia auditi sunt (40)? Censuerunt nonnulli (41), linguam Hebraicam, quæ brevioribus verbis plura, quam cæteræ omnes, exprimit, usibus etiam Angelorum & Beatorum in Cœlo manere. In scriptis Rabbinorum (42) legitur de Jos-hanano filio Zachai, qui se nosse gloriabatur sermonem Angelorum & Dæmonum, quorum alteros exorcizabat, alteros adjurabat. Alarum instrumento loqui Angelos, ex Rabbinis alius arbitrabatur, Ezechielis I. 24. verbis persuasus: *Audiebam sonum alarum*. Quid de alloquio Deorum in Cœlo, alterius plane ab humana naturæ ratione, Gentiles comminiscantur, satis constat (43). Communi usuros lingua in Cœlo Beatos post Resurrectionem, sentiunt e Schola Theologi. Damnatus est apud Veteres Theodorus Mopsuestenus (44), qui Scripturæ phrases, Deo & Angelis sensibile quoddam eloquii genus tribuentes, ad literam usurpabat.

Sed hæc difficultatem non removent. Nemo ætate nostra asseruerit, Angelos Hebraice, neque humano more loqui, ubi sermones inter se miscent. Si consueta hominum lingua cum hominibus usos legimus aliquando, id quidem illis insolitum fuisse & prodigiosum constat. Philoponus de Mundi Opif. c. 12. aliique nonnullis Recentiores (45) in laudatis illis Apostoli verbis hyperbolicum aliquid suspicati sunt, locutum illum putantes, quasi diceret, se lingua etiam Angelica instructum, & quanta Angelus valeret, eloquentia pollentem, siquidem proprio Angelus instrueretur eloquio, nihil tamen sine charitate effecturum. Hæc porro explicatio maxime prona & ad literam, non argumento nostro, sed tantum Textui Apostoli exponendo deservit.

Docet Theodoretus in 1. Cor. XIII. 1. Angelorum eloquium non sensibile, sed spirituale reputandum esse; est enim puri illius Spiritus & voluntatis operatio, qua mentis sensa mutuo promere vult. S. Gregorius Magnus Moral. lib. 2. c. 5. scribit, Deum ad Angelos loqui, latentea sibique intimos detegendo sensus, & dulci quadam

[34] Maimon. Fundam. Leg. cap. 11. [35] Hieron. in Ephes. 1. Chrysost. hom. 4. de incomprehensib. Dei Natura, & hom. 5. contra Anomœos & hom. 3. in Epist. ad Ephes. Vide Orig. lib. 1. de Princip. cap. 5. & in Jo. edit. Huet. pag. 32. Theodoret. Oecumen. Theophylact. in Epist. ad Ephes. 1. [36] Vide, si placet, PP. apud Petav. lib. 2. de Angel. cap. 2. [37] Hieronym. lib. 2. contra Jovin. Basil. cap. 16. de Spir. S. Cæsar. Dial 1. qu. 44. [38] Theophyl. in 1. Cor. [illegible] [39] Isai. VI. 3. Ezech. III. 12. [40] Dan. VIII. 13. 14. XII. 8. Zach. 1. 9. 10. 14. [41] Vide Scipion. Scambat. Archav. V. T. lib. 2. artic. 4. [42] Vide Ligfoot. in 1. Cor. XIII. 1. [43] Homer. Iliad. Plat. in Phædro. Dio Chrysostom. Serm. Ποιηἐὴς & Serm. Περὶ ὀνομάτων. Et Maxim. Tyr. Diss. 26. [44] Vide Philopon. de Mundi Opific. cap. 12. Nyssen. lib. 12. contra Eunom. pag. 349. [45] Est. Tir. Menoc. Scultet. Pisc. alii.

& valida suadela trahendo, ut quo vult, executioni statim ab illis mandentur; Angelus autem vicissim ad Deum loqui, cum in contemplationem majestatis ipsius admiratione rapiuntur. Addit tandem: *Animarum verba ipsa sunt desideria*. Philippus Presbyter, Author Commentarii in Job, mutuas Angelorum voluntates loco sermonis apud illos haberi censet (46); in quam pariter sententiam S. Thomas (47) concessit; nullam enim ille aliam Angelici colloquii rationem intelligit, quam quod *per voluntatem conceptus mentis Angelicæ ordinentur ad alterum*. Id sane nobis nunquam non obscurum erit; sed argumenti sublimitas evidentiam nostram respuit, evidentiam, inquam, quam in cæteris rebus ab experientia pendentibus & intra nos factis, non frustra interdum requirimus.

Angelorum cultus. Angelorum cultus vetustissimus est apud Judæos, cultus, inquam, quo tamquam Dei ministris, & inter illum ac homines mediis, honor impenditur, vota ad illos & preces diriguntur, atque alia grati erga ipsos animi & venerationis argumenta exhibentur. Moyses & Josue in obsequii documentum, calceamenta coram Angelo sibi per visum exhibito posuerunt; altero nempe in spectro rubi ardentis Exod. 3. 5. altero in agro Jerichuntis Josue v. 13. Abraham coram exceptis in tabernaculum Angelis procubuit Genes. 18, 2. & Daniel coram Angelo sibi in ripa Tigridis occurrente Dan. x. 5. Monuit Israelitas Moyses, ut plenum timoris obsequium exhiberent Angelo Domini, quo præeunte ducebantur Exod. 23. 20. Jacob non sine lacrymis rogavit Angelum, quocum luctatus fuerat, ne discedens benedictione sua se fraudaret Osee xii. 4. & Gen. 32. 36. ad mortem autem decumbens rogavit Angelum, qui sibi præsidio fuerat, ut ortis sibi ex filio nepotibus Ephraimo & Manassi benediceret. Gen. 47. 16.

Ita de Angelis loquitur Philo de Gigant. p. 286. & de Plant. Noe, ac de Somniis, quasi de conciliatoribus pacis inter Deum & hominem; qui hominum res Deo exponentes, quæ impetraverint ab ipso beneficia ad homines referant. Aures sunt & oculi supremi Numinis, quibus inexploratum nihil, nihil inauditum; qui Dei jussiones ad homines, ab hominibus vero ad Deum preces referant. Tyrones suos sacramentis adjurabant Esseni, ut Angelorum nomina sedulo cauteque apud se conservarent (48), unde facilis conjectura de impenso ab iis hominibus erga Angelos cultu. Paulus ad Colossenses II. 18. *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ*. His verbis damnantur Judæorum Doctores, recens ad fidem conversis Fidelibus dogmata illa inspirantes.

Vetus Author Libri apocryphi prædicationis S. Petri, eumdem Apostolum inducit (49) dicentem, Judæos cultum impendere Angelis & Archangelis, & menses superstitiose observare. Non modo Angelorum, sed Cœli pariter cultum vitio Judæis vertebat Celsus (50); cujus dicta Origenes in iis, quæ de cultu Cœlorum commentus est, refellens, nihil de adoratione Angelorum addit; quin & asserit, reipsa a Judæis cultos esse Angelos (51). Ex Evangelio Matt. v. 34. pariter constat, Cœli nomine jurare Judæos; quod idem & Angelorum nomine ab ipsis præstitum, testatur S. Hieronymus (52). Innuit etiam Philo aliquem erga Angelos cultum; postquam enim docuit, Angelos, Dæmones, & animas hominum solo inter se nomine & munere differre, addit, doctrina illa maxime levari homines ingenti superstitionis onere (53). Quarumnam superstitionum, nisi apud indoctum vulgus regnantium?

Recentiores Judæi tuentur, nullum a se impendi Angelis cultum; & eos qui precibus suis Angelorum mentionem miscent, inter errantes homines numerant. Josephus Albus anathema in suis catechalibus adversus illum pronunciat, qui Angelum sive Dominationem aliquam cœlestem flagitaverit. Kimchi contendit; nefas esse, Angelos vel eorum Principes, uti Gabrielem, & Michaelem, invocare. Inviti tamen reluctantesque productis argumentis evincuntur, cultum Angelis revera impendisse (54). Litanias quasdam vel supplicationes, quibus invocatio Angelorum expressa est, producit Bartoloccius (55). Simonius (56) directam ab illis ad Angelum custodem precem quamdam recitat, qua sanctus ille & venerabilis Dei minister invocatur, ut conservationem præbeat & tutamen. Aliud testimonium in eam rem ex Scholiis Gedaliæ in Josephum Album producit Grisendus apud Bartoloc. l. v. p. 206.

Synagogæ erga Angelos Religionis hæres Ecclesia Christiana, eorum cultum, sicut & fidem de Angelorum existentia, præstitaque hominibus ope, retinuit. Nunquam ab eo recessit dogmate, offerri nimirum ab illis Deo mortalium omnium preces; cujus symbolum exhibens S. Joannes Apoc. v. 8. Angelum inducit, fumantem acerram coram Deo tollentem. Patres vero illi (57), qui adversus religionis nostræ adversarios cultum & honorem erga SS. Martyres defenderunt, cultum pariter erga Angelos asserere, suarum partium esse arbitrarunt; qua in re iisdem pariter exceptionibus utrimque usi sunt. Docuerunt igitur, quem Angelis & Martyribus impendebant honorem, supremo alteri, quem latriæ appellabant summo Deo debitum, multum concedere; neque enim nisi inferiori & secundario cultu Angelos venerari se significarunt. Angelus Apoc. 22. 8. qui Joannem, honorem sibi impendere volentem, prohibuit, testatus est: *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, &c. Deum adora*. Prohibuit autem, quod Apostolus, Deum illum esse ratus, divinos ipsi honores impendere vellet. Concilium Laodicenum apud Theodoret. in Coloss. ii. 18. prohibens, ne omisso Jesu Christo, hominum sequestro apud Deum, ad Angelos dirigamur, eo sensu explicandum est, quod Angelorum intercessionem potiori loco, quam Jesu Christi haberi prohibeat. Absit autem ut tales errores adoptemus.

ARTICULUS II.

De Malis Angelis.

Nomina. MAlorum Angelorum sive Dæmonum caterva sub Reipublicæ cujusdam specie, cui Lucifer præsit, in Scriptura plerumque exhibetur. *Ite ad ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*, ait Jesus Matth. 25. 41. Ipse etiam Diabolus distinguitur titulo *Principis hujus mundi* Jo. xii. 31. *Principis tenebrarum* Ephes. vi. 12. *Principis potestatum aeris* Ephes. 2. 2. *Serpentis* Gen. 3. 1. *Belial* 2. Cor. vi. 15. *Beelsebub* (58), *Schammael*

[46] In Job lib. 2. cap. 24. *Collocutionem Angelorum æstima nobilem quemdam voluntatum fuisse consensum, potius quam sonora colloquia.* [47] 1. p. q. 107. art. 1. Ita & Albertus Magnus. [48] De Bell. lib. 2. cap. 12. [49] Apud Clem. Alexand. Strom. lib. 6. pag. 635. 636. &c. [50] Orig. cont. Cels. lib. 5. [51] Orig. in Joan. pag. 213. Edit. Huet. [52] In Matth. v. & q. 15. ad Algasiam. Vide & nost. Comment. in Matth. v. 34. & ad Coloss. ii. 18. [53] Philo, de Gigant. pag 286. [54] Vide Basnage Continuation de l'histoire des Juifs, liv. 6. ch. 10. [55] Biblioth. Rabbin. tom. 1. pag. 193. [56] Simon, Preface sur Leon de Modene. [57] Cyrill. Alexand. lib. 6. cont. Julian. pag. 203. August. lib. 20. cont. Maxim. [58] Matth. x. 25. xii. 24. Luc. xi. 15. 18. 19.

mael (59), *Behemoth* (60), *Satan* (61), *Draconis*, (62) *Angeli exterminatoris* (63). Quibus omnibus nominibus natura & ingenium sævissimi hujus Dei & hominum adversarii demonstratur; *Diabolus* enim sonat calumniatorem; *Satan* adversarium; *Belial* effrænem, perduellem, scelestum; *Sebammael* exterminatorem; *Behemoth* nomen est belluæ immanis, ut elephanti, hippopotami, quod S. Gregorius Magnus allegorice de Diabolo exponit; *Beelsebub* nomen est Dei Accaronitarum, muscam colentium, ut *Beelsebub* idem sit ac Deus muscarum. *Lucifer* matutinam stellam designat; quo nomine ideirco Diabolus appellatus est, quod lapsus & superbia Regis Babylonis, ab Isaia xiv. 12. expressa, Dæmonis casum expressisse videantur. Nomina *Serpentis & Draconis* ingenium nequissimi illius spiritus satis per se exprimunt; quemadmodum & nomina *impuri Spiritus*, *Spiritus nequam*, *Angeli mortis*, & *calumniatoris fratrum*. Unde titulus ille *Principis potestatum aeris* desumptus sit, infra demonstrabimus.

Animadvertere oportet, in Libris Veteris Testamenti Hebraice scriptis nullum exprimi peculiare nequissimorum Angelorum nomen; sed tantum nomina quædam generica, Principem malorum Spirituum designantia. Tobias, qui Ninive scribebat post translatas trans Euphratem decem Tribus, c. 3. 8. *Asmodæi* meminit, qui priores Saræ filiæ Raguelis viros occidit. Ab eo tempore nihil de Angelorum pravorum nominibus legimus, usque ad ætatem Jesu Christi, qua nomen *Beelsebub* Principi Dæmonum datum est in Evangelio. Ex quo tamen minime colligandum est, ignota ad eam usque ætatem apud Judæos fuisse malorum spirituum nomina; plura enim continet Liber apocryphus Enoch, ante Jesu Christi ætatem, uti quidem apparet, scriptus.

Summa Libri Enochi, & malorum Angelorum lapsus. Legitur in eo Libro, filiabus hominum, numero jam auctis, *Egregoros* seu Vigiles (ita enim a Chaldæis Angeli appellantur) earum amore captos, sese mutuo, ut cum illis commiscerentur, adhortatos fuisse. Ducentorum numerum implebant, præeunte omnibus, 1. *Semexia* (64), una cum aliis duodeviginti, nimirum 2. *Letarcuph*, 3. *Araciele*, 4. *Chababiele*, 5. *Orammane*, 6. *Ramiele*, 7. *Sapsic*, 8. *Zaciele*, 9. *Balciela*, 10. *Azalzele*, 11. *Pharmaro*, 12. *Amariele*, 13. *Anagema*, 14. *Thausaele*, 15. *Samiele*, 16. *Sarina*, 17. *Eumiele*, 18. *Tyriele*, 19. *Sariele*.

Cum omnes jurato convenissent, facturos quidquid a Semexia Principe fieri viderent, illo præeunte, fœminas omnes, quotquot erant in terra, sibi vindicantes, effrænem cum illis licentiam exercuerunt. Nefarii hujus connubii fructus nati sunt Gigantes: monstra illa hominum tota antiquitate notissima.

Azalzel, inter pravos Angelos decimus, homines docuit fabricare arma, conflare in nummos metalla, ac tandem mulierum ornamenta formare; demonstravit pariter ferri & gemmarum usum. *Semexias* Gigantes instituit, quo pacto robore suo uterentur, & animi affectus moverent. Herbarum & venenorum vires ostendit *Pharmarus*, nec ignaros voluit excantationum, fascinationum, tum & artium, quibus hæc omnia inania & irrita efficiuntur. *Balcieli* accepto refertur Astronomia, *Chababieli* Astrologia; *Zacieli* divinatio per aëris inspectionem; *Araciele* signa terræ, *Sapsic* signa lunæ. Hæc Angelorum perduellium inventa, uxoribus ipsorum & filiis commissa; hinc pariter malorum eluvio in terras.

Boni Angeli, cœlestis exercitus Principes, *Michael*, *Raphael*, *Gabriel*, *Uriel*, hisce de rebus certiores facti, statimque apud supremum Numen questi, id effecerunt, ut opportunis jussionibus sævienti malo occurreretur. Urieli igitur commissum est, ut raptim se ad Noemum filium Lamechi conferens, moneret, aliquo temporis spatio lateret; imminere enim terris diluvium, quo omnia, quæ forent in ejus superficie, corrumpenda essent. Adjecit insuper Deus, virum moneret quidquid illi præstandum esset, imminenti malo avertendo, ut novæ stirpis pater efficeretur.

Raphaelem pariter Dominus mandatis oneravit, ut alligatum vinculis Azazelem in tenebras projiceret, aperiret desertum *Dudael*, quo vinctum illum caperet, ac lapidum asperorum strue operiret, glomerantes etiam tenebras affunderet, oculos clauderet, ac tandem in extremam Judicii diem igni victimam servaret. Denique, inquit, repara malum, quod Vigiles in terram invexerunt illo iniquitatis mysterio, quod ipsi uxoribus suis, & filiis patefecerunt. Tum Gabrieli Deus præcepit, ut contra Gigantes, filios Vigilum movens, inter se mutuo illos committeret, ut in mutuam irruentes cædem, mutuo pariter delerentur. Michaeli præceptum est, alligaret Semexiam cæterosque ejus fautores. Postquam vero, adjecit, truculentam Gigantum filiorum suorum cædem ipsi spectaverint, catenis onerati in desertis detineantur ad extremam usque Judicii diem, septuaginta scilicet generationum intervallo. Eo enim tempore in carcerem æternum perpetuo igne torridum detrudentur. Homines pariter in effrænem licentiam prolapsi, qui damnationem criminibus meruerint, in tenebrosos carceres una cum illis præcipites agentur.

Spectare licet in eo Libro dogma veterum quorumdam Judæorum de lapsu & tempore supplicii, pravos Angelos manentis. Ex hac narratione intelligimus, I. Angelorum perduellium casum nonnisi longa ante diluvium ætate contigisse, occasione scilicet perditi pravorum Angelorum erga filias hominum amoris. Ex quo recta consecutione colligitur, II. illos corpore compingi, nec generandi facultate destitui, etiamsi eum altero rerum genere commisceantur. III. Tandem ejus Operis Scriptor persuasum habet, pravos Angelos vinculis adstrictos in deserto ad Judicii usque diem detineri; tunc autem in tartara una cum damnatis cæteris detrusum iri.

Tot plane errores, quot verba; sed vetustissimi plane errores, quorum supersunt vestigia in Scriptis tum Doctorum Judæorum, tum etiam veterum Patrum, qui Libro Enochi plus nimio detulerunt, quemadmodum de Epistola S. Judæ agentes demonstrabimus. Constat plane, Dæmonem statu felicitatis & gratiæ jam tum caruisse, cum Evam aggressus est. Opinio illa, quæ corpore constare Angelos, amore fœminarum tangi, atque generandi facultate instructos esse constituit, defendi nequit. Tandem nullus est ambigendi locus, post aperta Sacræ Scripturæ testimonia, & oracula Ecclesiæ, Dæmones Inferni jam supplicio addictos modo torqueri. Sed fusius de singulis agendum est.

Recepta Patrum (65), ac Theologorum sententia docet, Angelos pariter omnes unam eamdemque naturam ab exordio retulisse, ut inter bonos pravosque Angelos discrimen non a Deo authore, qui creaturas omnes rectas constituit, repetendum sit, sed a nequitia & corruptione pravorum Angelo- Malorum Angelorum creatio

[59] Deest hoc nomen in Scriptura, sed in Rabbinis legitur. [60] Eo nomine censetur a S. Gregorio Diabolus. Behemoth legitur Job xl. 10. [61] Job. I. 6. 9. 12. II. 1. 4. 7. 1. Par. xxi. 1. Zach. iii. 1. 2. [62] Apoc. xii. 3. [63] Judith viii. 25. 1. Cor. x. 10. [64] Seu potius Semiexas, Σεμιαζας. Hebr. שמחזאי Rabbini appellant Samchasai, & Azaelem duos Principes Dæmoniacum. Jonathan in Gen. vi. 4. Rabbi Salomon in Num. xiii. 34. [65] Vide Augustin. lib. 12. de Civit. cap. 1. Basil. de Spir. Sancto, cap. 20. Nazianz. orat. 38. Nyssen. orat. Catech. cap. 6. Chrysost. hom. 22. in Genes. Theodoret. orat. 3. contra Græcos; alios plures.

gelorum, *qui non servantes suum principatum* (2), tumore mentis & detrectandi alterius imperii audacia, veluti gravi asti pondere, e felicitate & gloria, qua in ipsa sua creatione donati sunt, exciderunt. Vidimus supra Philonis ea de re sententiam (3), putantis, bonos Angelos, Dæmones, & animas hominum solo nomine differre; & Josephi (4), cui persuasum erat, Dæmones corpora hominum infestantes ipsissimas esse impiorum animas, quæ prioris corporis contubernio destitutæ, alterum quæritant, ne in abyssum suppliciis æternis addictæ detrudantur.

Doctt. [illegible] Dæmonū. De natura & origine Dæmonum non satis convenit inter Hebræos. Alii enim illos corpore compingi censentes, sexuum discrimen inter illos invehunt; &, quæ hanc discrepantiam consequitur, generandi facultatem illis permittunt; ac tandem morti obnoxios pronunciant. Alii vero spiritales conditos fuisse ideo credunt (5), quod sabbathi religio eo temporis articulo, quo Deus illos creare aggressus est, inivérit; quare temporis opportuni defectu a creando illis corpore Deum destitisse. Referunt alii natos ex concubitu *Sammaelis* Principis Dæmonum cum Eva, antequam illa cum Adamo commisceretur. Non desunt qui Adami filios reputent; quamquam varias illis matres varii constituunt, uti *Noemam* sororem Tubalcain Gen. iv. 22. quam fœminam venustate insignem, & modo etiam superstitem, comminiscuntur. Malunt alii *Lilith*, quam dicunt a thoro Adami secedentem, furtim se ab ejus conjugio subduxisse. Tres Angeli ad eam fœminam cum priori viro conciliandam missi sunt; sed frustra illi, quamquam id tandem impetrarunt, ut pueros in iis locis, ubi scripta trium Angelorum nomina legerentur, *Sennoi*, *Sansennoi*, & *Samangeloph*, non interficeret. Secedentes igitur Angeli, mulieri dira imprecati sunt, cujus imprecationis tanta fuit vis, ut singulis diebus centum ex Dæmonibus ejus liberis intereant. Judæi puerperæ conclave ab infesta Lilith liberaturi, quippe quæ recens natis infantibus insidietur, hæc in parietibus describunt: *Adam, & Eva hic adsint; & exulet Lilith*; in foribus vero tria illa nomina Angelum scribunt, *Sennoi*, *Sansennoi*, & *Samangeloph*.

Dæmonem illum, cujus fraude Eva decepta est, ipsum reputant *Sammaelem* Principem Dæmonum, qui angue vectus, ad fœminam fallendam se contulit; cumque eo commixta mulier, Cainum filium genuit. His addunt alii (6), *Azam* & *Azaelem*, e Cœlo sceptro ferreo depulsos, in abyssum descendisse, unde exeundi rationem una cum aere, quo obvoluti sunt, invenerunt; eoque aeris amictu protecti per omnia discurrunt loca, & aereum sibi aptant corpus, ut maritali more commisceantur. Ex iis connubiis ingens illa Proselytorum turba producta est, quæ Israelitis ex Ægypto egredientibus admixta, seditionum, murmuris, & idololatriæ fomes non semel in deserto fuit, Exod. 12. 38.

Commenta, & fabellas ne præmoniti quidem Lectores satis intelligent; quibus neque fidem addixisse Hebræorum Sapientissimos, ultro fatendum est. Maimonides (7) non obscure docet, Dæmones omni corpore, & materia secretos, substantias esse prorsus a corpora distinctas; quamquam ejus Scholiastes (8) receptum inter Judæos dogma esse profiteatur, corpore ex aere igniquo Dæmones componi. Singuli illi Doctores in suas abeunt sententias, quemadmodum in Scholis fit. In eo tamen Doctores illi a nostrorum Theologorum moribus discrepant, quod nostri in rebus fidei certum aliquid fixumque, suprema authoritate, vel Scriptura nempe, vel traditione, vel Ecclesia definitum tenent; cum Rabbinis errantis ingenii deliris sectari integrum sit; qua data via, ineptire illis, & vana pro seriis venditare permissum.

Cæterum quæ de origine Dæmonum sparguntur commenta, non recens inventum sunt, sed primis Ecclesiæ sæculis obtinuisse, ex Operibus vetustissimorum Patrum Ecclesiæ intelligimus. Horum plerique adversus Ethnicos disceptantes, constituunt Dæmones aerii cujusdam corporis amictu, sed impuro & sordido, circumdatos, nidore sacrificiorum pasci, carnium adipe, & sanguine victimarum, quæ falsis Diis, ipsis nempe Dæmonibus, offerentur. Creatum primo Mundum Deus Angelorum gubernationi commisit, ait S. Justinus Martyr Apolog. 1. sed hi concessa sibi potestate abusi, & jussionibus Domini neglectis, puellarum amoribus impliciti sunt, eoque nefario concubitu nati, quos Dæmones appellamus. Corrupti fontis corruptissima fluenta criminibus, audacia, impudicitia, & licentia mundum universum impleverunt.

Athenagoras Apolog. p. 29. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. Origenes contra Celsum l. 3. Julius Firmicus de Error. profan. relig. Minutius Felix in Octav. S. Cyprianus de Idolo vanit. & Tertullianus (9) serio asseruerunt, Dæmones lingere cruorem victimarum, nidorem carnium immolatarum haurire, iisdemque pasci. Quod in illos ex Vatibus Ethnicorum derivatum esse constat, apud quos animæ a corpore secretæ ciborum illorum avidæ, & fossas sanguine oppletas obsidentes inducuntur. Vide Homerum Odyss. Δ. Hæc omnia satis designant, Dæmones corpore uti; nosque in prima hujus Dissertationis parte, docuimus, veteres vulgo censuisse, Angelos & Dæmones materia quadam vel corpore subtili aereo vel igneo instrui. Ab altissima id repetitum antiquitate, in Græcos ex Ægyptiis derivatum est.

Porro hi in ea erant persuasione, hominem ex tribus constare partibus, *intelligentia* nempe, cui nihil non spiritale; *anima*, quæ genus est lucidi & subtilis corporis, intelligentiam veluti amictu obvolventis; *corpore* tandem crasso, quo veluti vagina subtile illud lucidumque corpus protegitur. Crassum hoc corpus eamdem refert similitudinem & lineamenta, quæ alterum illud subtile, quod interdum post mortem videndum se præbet, cum crassi reliquiæ vel cineres super terram jaceant; Sic Homerus Iliad. 23. Manet autem intelligentia corpori suo luminoso conjuncta; sed absumpto demum terrestri corpore, illa pariter subtilis alterius vinculis sese expediens, Cœli alta repetit, manente subtili corpore, in Infernis neorpe, vel in Campis Elysiis, sive in loco suppliciorum, pro anteactæ vitæ merito. Hanc Theologiam legas non obscure in Homero loco cit. Virgilio (10), & Lucretio (11).

Ut ad malos Angelos regrediamur, duo ex illis genera Veteres quidam distinxerunt; alios nempe ipsa Dei manu formatos, alios illorum filios; ex nefario enim Dæmonum connubio cum filiabus hominum secundi illi nati sunt, quos Dæmones peculiari nomine appellamus. Quare, juxta Lactantium (12), duo sunt Dæmonum genera, cœle-

[2] Judæ v. 6. [3] Philo, de Gigantibus, pag. 286. [4] De Bello lib. 7. cap. 15. [5] Bereschit Rab. sect. 7. pag. 9. vol. 3. Menasse Ben-Israel, de creatione, probl. 23. [6] Rab. Eliezer, in Pirke, cap. 7. [7] Maimond. fundament. Legis, cap. 1. [8] Ad cap. 4. Maimon. de fundamento Legis. [9] Tertull. Apolog. cap. 22. *Renuntient se immundos Spiritus esse; quod vel ex pabulis eorum, sanguine, & fumo, & putidis rogis pecudum ... intelligi debuerit.* [10] Virgil. Æneid. l. 4. *Et nunc magna mei sub terras ibit imago.* [11] Lucret. lib. 1. ... *Esse Acherusia Templa, Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra, Sed quædam simulacra modis pallentia miris.* [12] Lib. 2. cap. 14. *Eos Angelos ad tutelam humani generis a Deo missos Diabolus ex Angelis Dei suos facit satellites, & ministros. Qui autem sunt ex iis procreati, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in Cœlum parentes eorum. Ita duo genera Dæmonum sunt; unum Cœleste, alterum Terrenum; hi sunt immundi Spiritus, malorum, quæ geruntur, authores.*

lestium nempe & terrestrium. Cœlestes Angeli sunt, qui Diaboli fraudibus decepti, puellarum amoribus impliciti sunt. Ex his nati terrestres, qui neque apud Inferos, uti neque patres eorum, neque in Cœlo, unde patriam originem referebant, accepti, in terra substiterunt. S. Augustinus putasse videtur (13), Angelos rebelles ante commissum crimen corpora habuisse cœlestia & spiritalia; post lapsum vero aere fuisse obvolutos. *Si transgressores illi, antequam transgrederentur, cælestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversi sunt ex pœna in aeream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris, aliquid pati.*

Eadem spectantur apud Faustum Rhegiensem in Epistola, quam Mamertus Claudianus refellit. Græci recentiores in Concilio Florentino defendebant, Angelos perduelles, spiritales quidem ante lapsum, in corpus & materiam post lapsum degenerasse; hinc fieri ut ament corpora, & requiescant in corporibus, quemadmodum animadvertere est in hominibus a Dæmone obsessis, & in legione Dæmonum, quæ concedi sibi gregem illum porcorum a Jesu Christo impetravit. Inde etiam, dicunt, ratio petenda est, cur flammis crucientur; hanc enim ignis pœnam ferunt in corpore, quod animant. Hæc Græcorum recentiorum, ad opinionem suam probandam, rationum momenta sunt. Inter errores Origenis refert S. Hieronymus Epist. ad Avitum, *Quod Dæmones ob delicta aereis corporibus sint vestiti*. Quantacumque vero fuerit antiquorum ea in re consensio, quantam quantam præbuerit illi authoritatem creduli vulgi persuasio, certum tamen ratumque constituendum est, spiritalem esse & a materia discretam Dæmonum substantiam.

Pravorum Angelorum defectio. In iis, quæ ad defectionem Angelorum pertinent, tres potissimum sententiæ distinguendæ sunt. I. Quæ illos ob superbiam & audaciam in Deum Creatorem suum, invidiam atque odium in homines, ad inferna detrusos constituit. Altera sententia tenet, Luciferum sive Principem Dæmonum, qui Angelorum primas tenebat (14), superbia quidem sua excidisse, in suas deinde partes & crimen deductis Angelis, quos impuris puellarum amoribus implicuit. Tertia tandem opinatur, Angelorum lapsum ex amore illo impuro, atque effræni erga filias hominum licentia repetendum.

Priorem sententiam, unice veram, plerique ex Patribus defendunt; quorum alii ajunt, id sibi malum provocasse Dæmonem, concepta de hominibus invidia (15): videns enim, inquiunt, Dæmon creatum a Deo hominem ad imaginem suam, & in terra velut Deum aliquem constitutum, livore tactus est. Deputant alii (16) immani Angelicæ illius mentis tumori, & immodicæ, qua de præclaris dotibus suis sibi placeat, superbiæ, quasi scilicet non a Deo se illas tenere sibi blandiretur. Alii tandem utramque ejus rei causam adoptant; nec plane solent duo hæc vitia alterum ab altero sejungi. Superbia invidiam parit; illa de excellentia sua sibi placet; hæc aliorum gloriam & felicitatem non fert.

Quid intercesserit temporis inter productionem Angelorum & lapsum, non satis convenit. Patres illi (17), quibus persuasum erat, Angelos mundi creationem præcessisse, longum etiam temporis spatium, quo concessa sibi gratia & gloria fruerentur, permiserunt; videlicet ad minus usque post omnium rerum corporearum & sensibilium creationem, ac potissimum usque ad conditum hominem, ex quo invidiæ causa, & offendiculum. Qui vero una cum mundo sensibili creatum Dæmonem constituerunt (18), recta consecutione dicere coguntur, illum brevi temporis spatio in primo gratiæ & innocentiæ statu mansisse; cum enim Evam in Paradiso vix formatam tentavit, ex Angelo in Diabolum jam transierat.

Priores illi (19) arbitrantur, Deum certum aliquod pœnitentiæ spatium perduellibus hisce Spiritibus concessisse; quod alterius sententiæ assertores minime factum putant, rati (20), Angelos semel in malum conversos, ita mentem suam in malo obfirmasse, ut nullam resipiscendi spem reliquam fecerint. Quo autem altiori erant dignitatis statu, quo majori irradiabantur luce, eo gravius & majoris criminis rei in abyssum proruerunt; *homo vero idcirco veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo se ipso minor esset, accepit*, ait S. Gregorius Magnus Moral. l. 9. c. 18.

Quæ sententia Dæmonum lapsum ad tempus consuetudinis Angelorum cum filiabus hominum revocat, dicti sui neminem, nisi Librum apocryphum Enochi, a quo non sibi satis cavit Antiquitas, habet assertorem. Quæ vero constituit, Principem Dæmonum tumidæ mentis fastu cecidisse, diu antequam cæteri Angeli fœminarum amoribus implicarentur, cæterorum lapsus authorem Principem tenebrarum fuisse (21); hæc, inquam, sententia ideo invecta est, ut Scripturæ illud conciliaretur, quo docemur, I. Dæmonem homicidam esse ab initio Joan. 8. 44. tum & alterum Sapient. 2. 26. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; ac tandem quæ in eadem Scriptura leguntur de pellecta fraude Diaboli in crimen prima muliere. Volebant, inquam, hæc omnia cum Libri Enochi ineptiis componere, cujus tunc authoritati plurimum deferebant, rati Judam Apostolum scriptum illud in sua Epistola tamquam canonicum laudasse.

Quamquam nullus est dubitandi locus, similem ordinem inter bonos malosque Angelos servari; ejus tamen ratio & gradus penitus ignorantur. Ordo inter Dæmones. Agnoscit inter illos Apostolus (22) Principatus, Potestates, & Virtutes, quemadmodum inter Angelos luminis. De Beelsebubo Principe Dæmonum non semel in Evangelio sermo occurrit (23). In parabola Fortis armati docet Jesus Christus, Dæmonem domo pulsum, assumptis septem aliis spiritibus nequioribus se, priores sedes repetere (24). Aliquid de pristino ordine, quem ante defectionem in Cœlo servabant, retinere illos, Cassianus Collat. 8. c. 15. arbitratur; vel saltem, ait, eumdem servant inter se graduum ordinem, quem nequitia vel crimen, quo maxime præstant, expostulat.

Sed hæc inferiorum superioribus subjectio ita repu-

[13] August. de Genes. ad Lit. lib. 3. cap. 17. Vide & lib. 13. de Civit. cap. 23. & lib. 1. contra Academic. cap. 7. & lib. 2. de Ordine, cap. 9. [14] Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 10. & 18, Lactant. lib. 2. cap. 8. Cyrill. Jerosolym. Catech. 2. Gregor. Magnus, lib. 4. Moral. cap. 13. [15] Iren. lib. 4. cap. 78 Lactant. lib. 2. cap. 8. Nyssen. Cath. cap. 6. Method. apud Epiph. hæresi 64. Cyprian. apud August. lib. 4. de Baptismo cap. 8. Tertull. lib. de patientia cap. 5. [16] August. lib. 2. cap. 13. 14. 15. de Genes. ad lit. & lib. 12. de Civit. cap. 6. Cassian. collat. 8. cap. 10. alii passim. [17] Ita Græci plerique. Vide Petav. lib. 1. cap. 15. de Angel. & lib. 3. cap. 3. art. 11. [18] Hugo de S. Victore in Sent. tract. 2. S. Th. 1. par. qu. 63. art. 6. & alii credunt, Dæmonem cecidisse sub ipsum creationis articulum. [19] Nemes. lib. de hominis opificio cap. 1. Damasc. lib. 2. cap. 4. Rupert. de Victoria Verbi lib. 1. cap. 3. & lib. 3. de Glorific. Trinit. Cassian. collat. 8. cap. 10. [20] Goffrid. Vindocin. serm. c. de Nativit. Dom. *Ut cujus gradus fuerat altior, ejus casus fieret gravior*. Vide & Greg. Magn. Moral. lib. 3. cap. 18. *Idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.* [21] Ambros. in Psalm. CXVIII. ser. 7. collatus cum Apolog. David, cap. 1. & lib. de Noe & Arca, cap. 4. Lactant. lib. 2. cap. 8. Method. apud Epiphan. hæres. 64. [22] Ephes. VI. 12. Vide & 1. Cor. XV. 24. [23] Matth. XII. 24. Luc. XI. 15. 18. [24] Luc. XI. 25. 26.

reputanda est, ut subjectioni, quam omnino debent Authori & Creatori suo, nihil officiat. Principis enim tenebrarum jussionibus, quibus interre hominibus mala jubentur, tantum obtemperant, quantum Deo volente permittuntur. Jobum tentaturus Satan, vires in illum suas paulatim explicavit, Deo veluti per gradus sævire permittente. Si Deus ultionem exercere in Urbem aliquam gentemque meditatur, *immissiones facit per Angelos malos* Psalm. 77. 49. Mala consilia a Satana suggeri, & exequutioni mandari permittit. Ita, ex. gr. inspirari Davidi permisit, ut censum populorum sibi subjectorum indiceret (25). Contemptui habet Rex Israelis veros Domini Prophetas: offert se statim Satanas, dicens 3. Reg. 23. 2. *Spiritus ero mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Stantem Satanam coram Domino spectavit Zacharias 3. 1. 2. ut Summum Sacerdotem Jesum accusaret, ejusque urgeret damnationem, nisi ab Angelo impediretur jubente: *Increpet Dominus in te, Satan*.

Dæmonum munera. Corporum ægritudines, mortem, & totam illam malorum cohortem, quæ miseros homines comitatur, uti procellas, sterilitatem, bella, Dæmoni tribuit Scriptura. Sane multa ejus ministerio atque in homines invidia præstari fateor. S. Petrus in 1. ep. v. 8. Dæmonem exhibet ceu leonem rugientem, & prædam nunquam non venantem. Pingitur a S. Paulo Ephes. 6. 16. velut hostis igneis telis armatus, quæ nunquam non in corpora & in animas hominum intorquet. Suos Dæmones mala consilia suggerentes, non secus ac bonos Angelos ad recta impellentes, singulis hominibus Veterum plures (1) tribuerunt, quod in ipsos derivatum est ex Libro Hermæ vel Pastoris (2), & ex altero Libro apocrypho, quem facile credimus *Apocalypsim* Abrahami, a S. Epiphanio (3) citatam.

Idem pariter in Philosophorum Scriptis (4), præsertim Stoicorum, spectatur: admittunt enim Stoici nedum Angelum bonum, singulorum hominum custodiæ vigilantem, sed malum etiam Angelum, insidias nunquam non struentem. Judæi etiam nostræ ætatis duplicem Angelum, bonum nempe & malum, singulis hominibus assignant (5). Sed Ecclesia Christiana unum tantum ab incunabulis salutis Angelum dari hominibus docet; quamquam non diffitetur, malos Angelos nunquam non capiendis incautis vigilare. Origenes hom. 15. in Josue in ea fuit persuasione, singulis vitiis suum præsidere Angelum, suum nempe avaritiæ, fornicationi, superbiæ, &c. ut quo pluribus detinemur vitiis, plures etiam in nostram perniciem pravos Angelos inducamus; & cum vitium aliquod reluctando vicerimus, victum etiam abscedere Dæmonem, vitio illi præsidentem, neque audere iterum ad pugnam redire, nisi segnitiem nostram animadvertens, in novam victoriæ spem erigatur: ita vero prælium, assumptis secum septem aliis Spiritibus se nequioribus, juxta phrasim Jesu Christi Luc. XI. 26. instaurat.

Sedes & locus suppliciorũ. Veterum Patrum plerique docent, pravos Angelos perduellionis reos, e Cœlo pulsos, in aera relegatos fuisse, ubi ad extremam usque Judicii diem, qua die ad Inferna præcipites agendi sint, detineantur. Athenagoras Legat. pro Christian. ad mentem illorum, qui inter pravos Angelos & Dæmones discrimen statuunt, & Dæmones ex rebellium Angelorum cum filiabus hominum commercio natos ajunt, Angelus in aere collocat, Dæmones vero circa terram, quibus hortatoribus omnes in malum propelluntur. Philo Judæus de Gigantib. & lib. de confus. linguar. Tertullianus Apolog. cap. 22. aliique nonnulli bonos malosque Angelos indiscriminatim in aere constituunt: sed Augustinus (6) maluit, excidisse illos e subtiliori & puriori æthere in crassum istum terræ proximum, qui lucido illi aeri serenoque comparatus, perinde ac tenebræ habendus est; unde a S. Paulo Ephes. 6. jure meritoque dicti sunt, *Principes tenebrarum*. In hæc Apostoli verba scribens S. Hieronymus, docet: *Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui, Cœlum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*.

Hic autem constituti Dæmones, imperium in homines exercent, assumpta interdum Angelorum luminis specie, excitatis procellis, nulla tentandi fallendique hominis opportunitate neglecta. Appellat etiam illos Apostolus Ephes. VI. *Principes potestatum aeris*: & S. Chrysostomus in Ephes. 6. hom. 4. persuasum se habere dicit, nihil amisisse illos de priori, quo a Deo donati sunt, in aerem imperio. Cæteri tamen Patres (7) excidisse illos ab hac potestate malunt; quod autem aerem adhuc infestent, huic unice tribuendum est, quia ibi torquentur (8), donec extrema Judicii die tandem detrudantur in Tartara. Defendunt alii (9), Dæmones pro majori parte in inferno torqueri; quæ autem pars adhuc terram vel aerem exercendis hominibus infestat, minorem esse illorum portionem.

Tandem S. Petrus in 2. Ep. 2. 4. & S. Judas V. 6. non obscure docent, perduelles Angelos in inferno cruciari. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ait Petrus. *Angelos vero, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*, inquit Judas. Sed hæc Apostolorum verba S. Augustinus in Psal. 149. S. Gregorius Magnus Moral. l. 13. Beda Venerabilis in 2. Petri 11. Rupertus Abbas in Gen. 37. Petrus Abaelardus Introd. ad Theolog. c. 17. de inferiori crassoque aere exponunt, qui cum puriori æthere collatus, tamquam abyssus & infernus locus haberi potest. Ex illorum tamen auctoritate minime persuasum est Theologis, docentibus, malos Spiritus non ita in Inferno detineri, quin possint interdum ad nos remeare. Et S. Joannes Apocal. 20. Principem Dæmonum exhibet vinculis alligatum, & in abyssum projectum, ablata egrediendi spe per mille annos. Sed quis figuras omnes Apocalypseos ita exposuerit, ut certum aliquid de statu Dæmonum doceat? Fateamur oportet, nihil habere nos ea in re nisi incertum, & conjecturis tantummodo, non argumentis probatum.

Dæmones querentes de Jesu, quod citius, quam par erat, ad torquendos ipsos venisset Matth. 8. rogantesque ne in abyssum præcipites agerentur Luc. 8. 31. innuere videntur, reque illos aliqua in terra potiri, & tamquam summum malorum habere, si in tartara relegentur. Profecto Veterum Patrum multi docent, illos quidem esse igne æterno damnatos, sed sententiæ executionem ad usque Judicii diem suspendi. *Desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora*, ait Tertullianus Apolog. c. 27. S. Justinus Martyr Apologia utraque, Minutius Felix in Octavio, Lactantius Instit.

(25) 1. Par. 21. 1. *Consurrexit Satan contra Israel, & concitavit David, ut numeraret Israel*.
(1) Origen. hom. 35. in Luc. & l. 3. de Princip. c. 11. Antioch. hom. 61. Nyssen. de vita Mosis p. 194. Opus imperf. in Matth. homil. 5. (2) Hermes Pastor l. 2. mandat. 7. (3) Hæres. 39. Sethian. cap. 5. (4) Orph. Hymn. ad musas: Δαίμονα τ' ἠγάθεον, καὶ δαίμονα πήμονα θνητῶν. Vide & Plutarch. in Bruto, & Servium ad Virgil. Æneid. 6. *Quisque suos patimur manes*. (5) Buxtorf. Synagog. c. 10. Basnage Histoire des Juifs liv. 6. ch. 9. art. 14. (6) August. l. 3. de Gen. ad lit. c. 10. Enchirid. c. 28. *In hujus aeris imam caliginem de superna cælesti habitatione dejecti*. Et in Psal. cxlvIII. (7) Theodoret. & Oecumen. in eumdem locum. (8) Vide Ruper. in Genes. XVII. (9) Euseb. Præparat. l. 7.

stit. lib. ult. c. 26. Tatianus Orat. cont. Gent. Origenes (10), Nemesius (11), S. Augustinus (12), S. Hieronymus (13), aliique plures (14) gemina docent; eademque innuere videtur ipse in Evangelio Jesus, hanc referens damnatorum in extrema Judicii die sententiam Matth. 25. 41. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*: paratus, inquit, Diabolo, non qui Diabolum jam torquet.

Non ita tamen reputandum est, quasi nullo pœnarum sensu Dæmones in præsentia torqueantur, & omnis illorum pœna ad usque post Judicii diem servetur. *Alius est ignis, quo modo torquentur, alius quo post illum Judicii diem cruciabuntur*, ait S. Gregorius Magnus Moral. l. 4. c. 10. Mœrore nunc & dolore pro sententia jam prolata suaque damnatione afficiuntur; sed post diem Judicii, quem ignem modo absentem gravem experiuntur, præsentem sentient. *Diffinita quidem*, ait S. Bernardus Serm. de transitu S. Malach. *sed nondum promulgata sententia est. Denique jam Diabolo ignis paratur, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore finitur malignari*. Futuri supplicii certa expectatio sua quasi præsentia cruciat. In hanc sententiam omnes ferme Veteres concessisse, observant Maldonatus in Matth. 25. 41. & Petavius de Angelis l. 3. c. 4. art. 58.

Solus facile inter Veteres Beda Venerabilis docet (15), malos Spiritus, quocumque tandem in loco sint, ignibus cruciari. *Ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, sive detinentur, suarum secum ferunt semper tormenta flammarum, instar febricitantis*. Hæc sententia hodie in Scholis obtinet, quamquam doctissimi aliqui Theologi defendunt, contrariam opinionem, veterum Patrum consensu assertam, nullius erroris nota damnari posse, quippe quam neque Scripturæ authoritas ulla, neque Concilii definitio damnet. Quod enim Concilio Florentino in Decreto Fidei declaratum est, animas impiorum statim post mortem inferni suppliciis cruciari, nihil spectat ad Dæmones. Et S. Thomas 1. par. quæst. 64. art. 4. ad 3. qui erroris damnat opinionem, impiorum animas statim post mortem igne cruciari negantem, adversus alteram de malis Spiritibus nihil grave pronunciat.

Ad naturam ignis, torquendis Dæmonibus in inferno destinati, quod attinet, ignem revera elementarem reputant S. Augustinus de Civit. l. 22. c. 9. S. Gregorius Magnus Dialog. l. 4. c. 9. & Theologi e Schola; metaphoricum quemdam ignem, malæ scilicet conscientiæ, synderesis, & desperationis, docent Origenes (16), S. Ambrosius in Luc. l. 7. c. 14. Theophylactus in Marc. 9x. aliique nonnulli. Mentem hac de re nostram explicavimus in Comment. ad Eccli. xix. De illorum numero aliquid data occasione disseruimus, cum de bonorum Angelorum multitudine ageremus.

De impenso Dæmonibus cultu narrat alicubi Scriptura, Hebræos Chananæorum imitatione filios suos, non Deo, sed Dæmonibus immolasse (17). Et Psalmista Psal. 95. 5. canit: *Omnes Dii gentium Dæmonia*. Oblata a Judæis Dæmonibus sacrificia exprobrat Baruc iv. 7. & in Levitico (18) Moyses cavet, ne Israelitæ immolent, ut olim ab ipsis præstitum est, victimas Dæmonibus, vel ut Hebræus habet, *pilosis*, vel *hircis*. Sed animadvertere juvat, Hebraicam vocem אלילם, quam Septuaginta & Vulgata reddiderunt Dæmones, ad literam exprimere tantum vana, Idola, Deastros, nulloque argumento probatur, sive Hebræos sive Chananæos unquam Dæmonibus cultum impendere voluisse. Hirci sive Pilosi, de quibus Moyses, fortasse Deos Mendesiorum in Ægypto designant (19), quorum imitari cultum in deserto tentarunt Hebræi, & re ipsa aureum vitulum consecrare ausi sunt.

Censuerunt Patres, nec immerito, Dæmones cultum sibi in Idolis a gentibus exegisse. Erant enim revera Dæmones, qui Templa occupabant, sive dabant oracula, sive tandem superstitiosæ illius Religionis Authores fautoresque. Sed spectatum esse a gentibus illis cultum infestissimi illius hominum adversarii, quem sub Satanæ nomine agnoscimus, quis credat? Constat plane, Gentiles nonnisi confusam quamdam illius notitiam habuisse; Deosque illos infernos, quibus litabant, quemadmodum & Diis Cœli marisque, longe alios fuisse ab iis, quos Dæmones nos, illi malos Genios appellabant (20).

At procul dubio est, Persas summis honoribus Dæmonem, quem ut malum principium agnoscebant, coluisse. Duos enim illi Deos, bonum nempe & malum, in natura statuebant; illum *Horomasum*, alterum *Arimanum* appellantes, Horomaso sacrificiis gratiarum actionis litabatur; avertendis autem, quæ ab illo imminebant, malis, sacrificia pariter Arimano fiebant. Offerendi ritus erat ejusmodi, Herbam *Omani* tundebant in pila, Deum interim Inferorum & tenebrarum invocantes, affundentesque cruorem lupi, quem jugulaverant. Tum totam illam confectionem deferebant in locum solaribus radiis invium, quo projectam relinquebant.

Certum etiam constituunt, populos quosdam Americanos hostiis & cereis litare Dæmoni, ut furorem ipsius, & mala, quæ hominibus imminent, evitent. Eo usque ignorantia & superstitio devenit. S. Augustinus non semel repetit id, quod disertissime scripsit (21): *Omnes gentes sub Dæmonibus erant; Dæmonibus Templa fabricata sunt; Dæmonibus aræ constructæ; Dæmonibus Sacerdotes instituti; Dæmonibus oblata sacrificia, &c.* Docet alibi (22), Principum authoritate invectum esse inter homines Dæmonum cultum: & id constituisse Romanos, ut boni Genii invitarentur, sacrificiis vero placarentur mali. Quod ea plane religione sanxerunt, qua olim erecta ab illis sunt Templa febri & pallori (23). Non est igitur cur pervicaciter negemus, quin & eo ignorantiæ apud Ethnicos ventum sit, ut vel Dæmonibus divinos honores decernerent.

(10) Origen. homil. 8. in Exod. & l. 2. de princip. c. 6. (11) De nat. hom. cap. 1. (12) Aug. l. 13. de Civit. cap. ult. Idem l. 21. c. 3. 10. 13. alibi sæpius. (13) In Isa. xxv. (14) Vide Petav. l. 3. de Ang. c. 4. art. 13. &c. (15) Beda in Jacob. iii. (16) Origen. l. 2. de Princip. c. Vide & Hieron. Ep. 59. ad Avit. & in Isai. ad finem. (17) Deut. xxxii. 17. Psal. cv. 37. (18) Levit. xvii. 7. ולא יזבחו עוד את זבחיהם לשעירים (19) Herod. lib. 2. c. 42. Strab. Diodor. Ælian. alii. (20) Plutarch. de Iside, & Osiride, Stanley tom. 2. p. 14. c. 6. (21) In Psal. xciv. n. 6. & alibi non semel. (22) De Civit. l. 5. c. 32. (23) Aug. de Consen. Evang. l. 1. c. 18. *Qui & [illegible] Dæmonas invitandos, & κακοὺς Dæmonas placandos monet.*

DIS-

DISSERTATIO

IN TRES MARIAS.

QUAM modo agitamus, quæstio, tres fœminas in Evangelio respicit, nimirum Mariam Magdalenen, Mariam sororem Marthę, & fœminam illam pœnitentem, quę in ędibus Simonis Pharisęi Christi pedes delinivit Luc. 7. 37. Quęrendum est autem, num tres istę una eademque, an tres revera fœminę sint.

Atque in ipso Dissertationis hujus limine constituendum est, hanc e quęstionum illarum, quas interminatas Apostolus (1) appellat, numero habendam esse, de quibus post longam prolixamque disquisitionem semper tamen veritas manebit in obscuro. Profecto si rei veritas disputatione attingi potuisset, jam tandem factum esset, ut in lucem solemque exposita post tot sapientissimorum hominum conatus pateret. Attingendæ hujus veritatis duę plane essent vię: prima Dei verbum, nempe sacrorum Librorum Textus; secunda, Ecclesię traditio, Patrum consensus. Ambiguus est autem Evangelii Textus magis, quam ut certi aliquid ex illo definiatur. Ecclesię traditio variat; inter Patres enim non minus ac inter nostrę ętatis Criticos non convenit. Hanc sententiarum varietatem, & discrepantiam videt Ecclesia, nihilque ex ea retimens incommodi, authoritate sua coercendam esse ingeniorum licentiam non ducit. Integrum est igitur, ut quicumque voluerit, iterum argumentum hoc, expostulante nemine, tractandum suscipiat.

Sex autem referuntur sententię. Prima omnium ait, Mariam Magdalenen, Mariam sororem Marthę, & Pœnitentem illam fœminam, quę Jesu Christi pedes in ędibus Simonis Leprosi Luc. 7. 37. unxit, ac tandem quę pretioso unguento perfudit caput ejusdem Bethanię, cum apud Lazarum esset (2), unam eamdemque mulierem, varia erga Jesum officia pręstantem, haberi. Alii tres personas distinguunt; alii Mariam Magdalenen cum sorore Marthę confundunt; alii fœminam peccatricem a Magdalene non distinguunt; denique alii reputant, Mariam sororem Marthę esse fœminam illam criminosam. Addenda hisce omnibus est illorum opinio, qui inter tot varias sententias, veritatem in ambiguo positam satis aperte non distinguentes, hęrent suspensi; inter quos recenseri merito possunt S. Hieronymus (3), S. Ambrosius (4), S. Augustinus Tract. 49. in Joan. num. 3.

Singularum opinionum assertores eadem Scripturę testimonia in suas quique partes trahunt; ex quibus oppositas plane consecutiones deducunt. Laudat pariter pro se quisque Patres sententię suę faventes. Qui unam constituunt, assertores dant potissimum S. Clementem Alexandrinum (5), Ammonium (6), S. Gregorium Magnum (7), Chrodoberrum Episcopum Turonensem septimo sęculo (8), Bedam ejusdem sęculi Scriptorem (9), Druthmarum Monachum Corbejensem in Matthęum, noni sęculi Scriptorem, S. Odonem Abbatem Cluniacensem Serm. 2. de Maria Magdal. Pseudo Anselmum in Matthęi xxvi. Petrum Blesensem (10), S. Antoninum (11), Dionysium Carthusianum, Hugonem Cardinalem, ac tandem Latinos fere omnes post S. Gregorium Magnum.

Qui plures defendunt, assertores habent Authorem Constitutionum Apostolicarum lib. 1. c. 6. distinguentem inter Mariam Magdalenen, & Mariam Sororem Marthę; quod idem pręstitum est a Theophylo Antiocheno (12), S. Ireneo lib. 3. c. 14. S. Chrysostomo (13), S. Macario hom. 12. Tito Bostrensi in Luc. vii. Theophylacto (14), Euthymio in Evangelia, Modesto Patriarcha Jerosolymitano (15), ac tandem a Gręcia Patribus fere omnibus. Ita a septimo Ecclesię sęculo insignia hęc controversia Orientem Occidentemque inter se committebat. Albertus Magnus, & S. Thomas, neutram partem secuti, agnoscunt, Occidentem universum S. Gregorii Magni partes sectari. Est quidem animadversione dignum, Officium Missę, & Breviarium Romani ritus in unam eamdemque fœminam Mariam Magdalenen, fœminam flagitiosam, & Mariam sororem Marthę non aperte quidem, sed obscure, quantum capimus, conflare.

In eo rerum statu Jacobus Faber Stapulensis decimo sexto sęculo insurgens, demonstrandum suscepit, tria illa nomina tres designare distinctas fœminas, nihilque populari illi opinioni, tres in unam colligenti, deferendum esse. Subsidiariam Fabro operam præstitit Jodocus Clictovęus (16); tantęque ejus disputationis novitate turbę motę sunt, ut denique Facultas Theologica Parisiensis Fabri thesim censura inusserit die ix. Novembris 1521. Adversus Fabrum contrariam opinionem scripto libro defendit Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, anno 1519. cui etiam suffragatus est alio scripto Balthasar Sotius, ejusque Opus prodiit Cesaraugustę anno 1521. Idem pręstitit Laurentius Surius, Jacobus Episcopus Viennensis, Marcus Grandivallus, Baronius, Jansenius Gandavensis, & Maldonatus.

Nequaquam tamen his factum est, quin Eruditorum alii causam Fabri defendendam susciperent. Louvet, anno 1636. Librum ea de re vulgavit, munitum approbatione D. Chatelain, Syndici Facultatis Theologicæ Parisiensis, qui & docet, cur Sorbonica Facultas eam censuram vulgaverit; asseritque futurum, siquidem iterum sub Judice causa poneretur, ut æquior pro Fabro prodiret sententia. Casaubonus in Baron. Exercit. 14. Estius Orat. 14. Launoyus, de Commentitio Lazari & Magdal. in Provinciam appulsu, Bulengerus Jesuita Diatrib. 3. & ejusdem Societatis Turrianus in Consensu lib. 3. c. 6. Zegerus Franciscanus celebratissimus Interpres in Joan. xi. Salmeron

(1) Timoth. 1. 4 Μὴ προσέχειν γενεαλογίαις ἀπεράντοις, genealogiis interminatis. (2) Jo. xi. 2. & xii. 3. (3) Hieron. in Matth. xxvi. & l. 2. contra Jovin. c. 16. Præfat. in Osee; & Ep. 150. (4) Ambros. l. de Virgin. Confer cum lib. 6. in Lucam. (5) Clem. Alex. l. 2. Pedag. c. 8. Vide Ticevet, Dissertation sur Marie Madel. l. 2. art. 2. p. 214. (6) Harmonia quatuor Evang. (7) Greg. Magn. homil. 25. in Evangel. & hom. 33. in 1. Reg. 12. (8) Chrodobert. apud Quesnel. in Nat. ad Epist. S. Leonis. (9) In Luc. lib. 3. cap. 2. (10) Petrus Bles. l. 3. Ep. 50. & Serm. de S. Maria Magdal. (11) Serm. in fer. v. hebdom. Passionis. (12) Comment. alleg. in iv. Evang. (13) Chrys. hom. 81. in Matth. xxvi. & hom. 61. in Joan. Vide Origen. ham. 35. in Matth. & hom. 1. & 2. Cantic. (14) In Marc. xiv. & in Luc. vii. (15) Apud Phot. Cod. 273. (16) Jodoc. Clictov. Epist. dedicatoria ad Francisc. Molin. præfixa Tractatui Jacobi Fabri Stapul. Idem Clictov. discept. 1. & 2. advar. Marcum Grandivallum, Paris. an. 1519.

meron tom. 9. tract. 49. aliique etiam Recentiores pro distinctione earumdem fœminarum, adversus alios unitatem defendentes, decertarunt.

Natalis Alexander Dominicanus Histor. Eccles. sect. 1. Dissert. 17. Lamy (17), & Mauduit (18) Oratorii Presbyteri, Pezronius (19) strictioris observantiæ Cisterciensis, unius mulieris partes tuentur. Sed Mauconduit (20), Anquetin Parochus Legionensis (21), Tillemont Hist. Eccl. tom. 2. Baillet (22), Faber Doctor Sorbonicus in suis animadversionibus ad P. Alexandrum suppressis, pro pluribus decertant. Lamy, lecta Dissertatione D. Anquetin, contrariam sententiam duplici Epistola, 1699. fulcivit. Prodiit eodem tempore Libellus Gallicus quidam anonymos inscriptus: *Animadversiones in Dissertationem de S. Maria Magdalena* (23); cui Ecclesiasticus quidam Diœcesis Rothomagensis, facile idem D. Anquetin, tres Epistolas publici juris factas opposuit. Omnium postremus insurgens D. Trévet, Parochus Gomecourt, vulgavit anno 1713. prolixam Dissertationem suam, qua Mariam Magdalenen, Mariam sororem Lazari, & fœminam flagitiosam unam fœminam adversus recentiores quosdam Authores defendit, Rem sibi proponit maxime contra Anquetin, Tillemontium, & Baillet. Is est celeberrimæ hujus controversiæ status.

Quam suscepimus provinciam, cogit nos mentem hac de re nostram promere: at contenti erimus utriusque sententiæ rationes in medium proferre, ut Lectores nostros, & nos etiam ad judicium ea de re nostrum pronunciandum, & quas maluerimus partes sectandas, comparemus.

ARTICULUS I.

Rationes pro unica Maria.

I. QUÆ singularem asserit fœminam sententia, fere obtinuit in Ecclesia Occidentali jam inde a sæculo septimo, nempe post S. Gregorii Magni ætatem. Asserta autem mille annorum spatio, & omnium scriptorum Catholicorum authoritate firmata possessio adeo ratum efficit certumque jus, ut nonnisi solidis apertisque demonstrationibus rejici queat. Opinio sane, quæ tot sæculorum spatio in Ecclesiasticis Officiis valuit, in publicis ad populum concionibus constituta, quæque traditionis inter Fideles receptæ partem aliquam efficit, tanquam sancta & inviolabilis tenenda est, nisi adeo aperta textuum & rationum documenta adversus illam proferantur, ut contra stare non possit. In eo autem rerum articulo constituti sumus, ut, ipsis fatentibus adversariis, quæ contra ipsam proferuntur documenta & Textus Scripturæ, longissime absint ab evidentia. Cujus rei, si nihil aliud, certum apertissimumque argumentum est ea, quæ inter Criticos de hoc argumento hodie usque est, sententiarum & opinionum dissensio. Contra assertam igitur Latinæ Ecclesiæ possessionem, & obfirmatam tot sæculorum persuasionem, non est cur admittatur opinio, quæ tres fœminas adversus unicam defendit.

II. Diserte notant Evangelistæ, Mariam Magdalenen emisse aromata curando post ejus funus Magistro Marc. 16. 1. notat insuper (24), Jesum sex ante Pascha diebus, verba cum Maria sorore Marthæ, & Lazari facientem, dixisse futurum, ut ipse ab illa post obitum suum aromatibus condiretur; cujus deinde rei fama longe lateque per orbem prædicationibus diffundenda esset. Una igitur eademque mulier habenda est Maria Magdalene, & Maria soror Lazari; in Magdalene enim impleta sunt ea, quæ de sorore Lazari oraculum Jesu Christi prædixerat.

Conveniunt inter Scriptores, de hoc argumenti genere differentes, Mariam Magdalenen curandi Jesu Christi cadaver aromatibus negotium assumpsisse, & Mariam sororem Marthæ & Lazari pretioso nardi spicati unguento recumbentis Christi pedes perfudisse. De solo igitur sensu verborum Evangelii negotium superest. Habens enim, Jesum Christum obtrectantium in illam Mariæ profusionem ora verbis illis obstruxisse Joan. XII. 7. *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud*; sive Matth. 26. 12. *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*; & Marc. 14. 8. *Quod habuit hæc fecit; prævenit ungere corpus meum in sepulturam.*

Quibus positis Scripturæ testimoniis, ita argumentum fingitur: Agens Christus de Maria, quæ sibi pedes Bethaniæ in ædibus Simonis Leprosi perfudit, prævenisse ab illa ait supremum erga suum cadaver officium. Nemine autem ambigente constat, mulierem illam, quæ condiendi cadaveris Jesu Christi aromatibus curam suscepit, Mariam Magdalenen fuisse. Una igitur eademque reputanda est, ac Maria Marthæ soror. Eadem ipsa mulier unguento Magistrum perfundens, pium illud prævertit officium, quod deinde post ejus obitum revera præstare aggressa est. Prævenire autem illam ungere corpus suum in sepulturam ait Christus, quod probe nosset, volenti condire corpus aromatibus occasionem defuturam; cum ipse præventurus illam esset Resurrectione. Hæc maxime probabilia sunt argumenta, quibus Mariæ singularitas defenditur.

Sed hisce rationibus respondendum est; 1. Quæ a Maria sorore Marthæ sex ante obitum Jesu Christi diebus præstita sunt, nihil habere necessariæ affinitatis cum pio Mariæ Magdalenes erga cadaver J. C. officio. Illa caput perfudit recumbentis; hæc mortuum corpus curature venerat: duo hæc a duabus pariter mulieribus præstari commode potuerunt. 2. Tamquam certum, nullis tamen demonstratum argumentis, constituitur, Jesum Christum prædixisse, pium sibi officium præstituram esse post obitum, vel saltem sibi præstare curaturam Mariam sororem Marthæ. Possunt enim verba illa Evangelii ad alios plane sensus non male detorqueri: *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud* Joan. XII. 7. Utique non servavit unguentum illud, quod super caput recumbentis jam effuderat. In hanc igitur sententiam locutus est Christus, ex Matthæo XXVI. 12. *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*, idest tantumdem præstitit, juxta Marcum XIV. 8. ac si prævenisset ungere corpus in sepulturam. Prælusit nempe ea re, pioque illo officio pio alteri ab altera muliere post obitum præstando.

3. Recta consecutione deduci non potest, Mariam sororem Marthæ curandi J. C. cadaver aromatibus negotium suscepisse, quod Jesus Christus de fœmina illa locutus dixerit, prævenisse illam unguento suo ungendum corpus in sepulturam. Quod enim præverterat officium, quomodo post mortem præstandum erat? Si vero Christus innuit tantummodo, frustra mulierem pium idem officium prosequuturam post obitum suum, ab illo certe abstinere debuit mulier, quippe quod supervacaneum fore prædixerat Christus.

III. S. Joannes 11. 2. infirmam Lazari valetudinem narrans, addit, Mariam ejus sororem non aliam fuisse ab ea muliere, quæ recumbentis J. C. pedes unguento perfudit. Porro nunquam antea Evangelista unctionem ullam a Maria factam

signis

(17) Homel. in Evang. & Epist. Gallice. (18) Analys. des Evang. tom. 2. a Paris 1695.
(19) Hist. Evang. tom. 2. pag. 337. a Paris 1696. (20) Mauconduit, en 1685. (21) Dissertation sur Marie Madelaine, a Paris 1699. (22) Vie des Saints, mois de Juillet 22. jour. (23) Reflexions contre la Dissertation sur Sainte Madeleine. (24) Matth. XXVI. 6. Marc. XIV. 3. Joan. XII. 1.

significaverat; caeteri vero Evangelistæ nullius alterius antea fecerant mentionem, quam quæ diu antea a fœmina flagitiosa in domo Simonis Pharisæi facta narratur Luc. VII. 37. Pronum est igitur ut credamus, hoc ipsum fœminæ flagitiosæ officium, cujus per omnes Ecclesias fama celebrabatur, Joannem designasse. Quare Maria soror Marthæ cum fœmina flagitiosa jure meritoque confundenda est.

Reponunt hisce adversæ sententiæ assertores (a), fieri utique posse, ut Joannes anticipatione quadam eam rem narraverit, ut Mariam agnoscendam Lectoribus proponeret, ejus rei gestæ memoria, per omnes Ecclesias & longe lateque celebrandæ, cujus pariter in universo mundo laudes prædicatione innotuerant, juxta J. C. oraculum Matth. 26. 13. Jam enim ejus rei illustris erat memoria apud Fideles, quo tempore S. Joannes ad scribendum Evangelium se contulit. Eo consilio Evangelistæ de vocatione Judæ ad Apostolatum verba facientes, notant, virum illum proditione Magistrum neci tradidisse, quamvis nihil adhuc de proditione ille retulissent.

IV. Cæteri Evangelistarum loci refragari potius quam favere opinioni de unica Maria videntur; quare ab illis laudandis hujus sententiæ assertores abstinent. Satis habent tantummodo demonstrasse, locos illos opinioni suæ non adversari, vel commode adeo in proposito ab ipsis systemate exponi, ut objectiones adversariorum omnes facile diluantur. Quod ut sibi facilius obveniat, tum ne ex omnibus proficiant historiæ adjunctis, novas excogitarunt hypotheses, ob dirigendam rerum, quæ in Evangelio narrantur, seriem, novisque interpretationibus locos, quibus maxime urgentur, prorsus eludendos.

Ita Lamy, & Mauduit putant, cœnam illam apud Lucam VII. 37. cujus occasione mulier flagitiosa rigatos lacrymis pedes Jesu Christi comæ capitis detersit; cœnam, inquam, illam Bethaniæ institutam fuisse, eodemque loco factam constituunt alteram apud Matthæum XXVI. 7. Marcum XIV. 3. & Joannem XII. 3. cum Maria soror Lazari pretiosi unguenti vase caput Magistri perfudit. Certum ponit Lamy, eam, quæ cum domo Marthæ & Mariæ ac Jesu Christo intercessit, animi conjunctionem, ut quoties Jerosolymam iret, apud illas diverteret, ab exordio prædicationis Jesu Christi incepisse. Constituit pariter, cœnam illam, cujus occasione Martha de Maria sorore conquesta est Luc. x. 8. paulo post Baptismum Jesu Christi factam; præcessisse autem alteri cœnæ, qua Maria anteactæ vitæ jam pœnitens, & ad meliorem frugem conversa, quamquam nondum exteriori vitæ habitu penitus mutato, ad Simonis Pharisæi ædes divertit, ibique pœnitentiæ & pietatis apertissima protulit monumenta. Sed in hoc Authoris systemate totus transponendus est ordo Lucæ, & caput decimum ante caput septimum transferendum; ne dicamus, cœnam illam apud Simonem Pharisæum non Bethaniæ, sed in Naim institutam fuisse, quemadmodum in inferioribus demonstrabimus.

Peronius Hist. Evang. tom. 2. alter unicæ Mariæ assertor, in ipso operis vestibulo profitetur, ex rerum, quæ de Magdalena in Evangelio narrantur, historia, si sparsim, uti scriptis mandata est, legatur, non nisi confusam ejus notitiam esse orituram; si vero juncta tamquam in ordinatæ historiæ seriem digesta exhibeatur, tunc prona erunt omnia & aperta. Quam invidiosam illius systemati confessionem! Quæ in Evangelio res gestas loquuntur, nullam habent ad persuadendum vim, nisi a suo revulsæ loco in arbitrariam digestæ seriem reducantur: quid tunc alienum erit ab Evangelio, si ea eadem interpretandi ratio adhibeatur?

Fatetur ille, Mariam Magdalenen e Galilæa repetendam, cujus nomen duxit e vico quodam, *Magdalo* appellato: addit, Lazarum fratrem, & Mattham sororem, ut ipse quidem credit, hujus Magdalenes, ad eamdem provinciam pertinere. Maria liberioris vitæ licentiam secuta est; non tamen adeo, ut rupto pudoris fræno impudicitiæ se daret. Deus revocandæ ad meliorem frugem mulieri, in potestatem septem Dæmonum, quibus ad tempus vexaretur, illam permisit. Inter hæc, Jesu Christi in Naim adventus, & fama restituti ad vitam adolescentuli longe lateque pervulgata, eamdem mulierem ad ipsum in ædibus Simonis Pharisæi, domui ejusdem mulieris familiaris, accivit. Nec mora: a gemino infami hoste, crimine nempe & Dæmone, liberam se experta est. Contigisse autem dicit hæc omnia circa mensem Januarii, vel Februarii, anni ab inita a Jesu Christo prædicatione secundi.

Proxime sequente Aprili vel Majo, itinerum Jesu Christi comes accessit. Aliquanto post Jesus Christus vicum adivit, cui forte Lazarus & Martha imperabant; ibi vero Martha de sorore sua Maria conquesta est; de Maria, inquam, quæ Magistri clientelæ penitus addicta, domestica munia parum curabat. Tunc Jesus consilium suum, deserendi nempe Galilæam prodens, fœminis in causa fuit, ut Bethaniam, vicum non longe a Jerosolymis, migrarent. Cum igitur Lazarus & Martha a Galilæa secessissent, idem præstandi authores fuerunt Simoni Leproso, quem confundendum arbitratur cum Simone Pharisæo, urbis Naim incola. Omnes igitur sedem transtulerunt Bethaniam, eoque sæpe conveniebat Jesus, qui locum Lazari resurrectione inclytum fecit. Nec alibi etiam, licet aliquandiu post, Maria soror Lazari caput Jesu Christi recumbentis perfudit unguento, uti & idem pium officium erga defunctum ejusdem Magistri corpus iteravit. En systema felicissime conceptum, & perpetua serum serie constans: an tamen verum? Ne ipsum quidem de ejus veritate satis persuaderi Authorem crediderim, quippe qui non tamquam certum, sed tamquam probabile illud se tradidisse significat.

Defendit Mauduit (3), Mariam Magdalenen, alio nomine Mariam sororem Marthæ, Bethania, vico non longe a Jerosolymis, originem duxisse, atque hanc posteriorem Urbem in spectaculum effrænis licentiæ suæ totam convertisse. Cum vero, ait, ad meliorem frugem se recepisset, in Galilæam se contulit, ubi fortasse ditissimæ domus latifundia possidebat; siquidem ad eam pertinuisse oppidum *Magdalum* statuitur. Hic Jesu Christo comes accedens, in Judæam una cum illo repetiit; versantibusque simul Bethaniæ, mulier semel & iterum unguento Jesum perfudit; in domo nempe Simonis Leprosi vel Pharisæi; utrumque enim Simonem confundendum censet. Primum hoc ergo Jesum officium ad exordium restitutæ mulieris in meliorem frugem revocat; secundum sexto ante obitum Servatoris die consignat. Hæc ille pro conciliandis Evangelii textibus, quibus geminæ mulieris, eodem Mariæ nomine notæ, characteres exhibentur.

P. Alexander suo ordine insurgens (4), putat fieri potuisse, ut una eademque fœmina variis temporibus Naim & Bethaniæ sedem haberet. Primo igitur ædem habere potuit in Naim, sive quod in ea Urbe nupta esset, sive quod viro alicui potenti adhæreret. Ibi effrænis licentiæ exhibuit argumenta. Potuit una pariter domum habere Bethaniæ, quo post ejuratum crimen veniens, una cum Lazaro & Martha ibi moraretur.

Ad-

(a) Author quæst. inter Opera August. tom. 3. qu. 64. p. 85. Ephr. Orat. 14. Tillemont, alii. (3) Analyse de l'Evangile tom. 2. pag. 450. (4) Natal. Alexand. Histor. N. T. tom. 3. Dissert. 17. p. 191. &c.

Addit, flagitiosam mulierem in Evangelio appellari, non quod crimen publice profiteretur, sed ideo facile, quod proco uteretur viro aliquo locuplete & potenti, cujus rei gratia invidiam apud universos cives subiret; vel forte, quod muliebri cultu plus nimio lasciviret.

Quæ in Evangelio de possessa a Dæmone muliere narrantur, exponit sive sensu metaphorico, ut nempe Dæmonis nomine crimen designetur; sive forte, ait, revera a Dæmone agebatur, non semper, sed per temporum intervalla; quibus de salute sua, deque parando sibi remedio cogitare potuerit. Defendit tandem, duas illas unguenti perfusiones, nempe in domo Simonis Pharisæi, & Leprosi, in unius ejusdemque viri domo, sed variis temporum & locorum discriminibus, factas reputari. Tandem ait, unam mulierem pro variis rerum circumstantiis nunc flagitiosam, nunc Mariam Lazari, nunc Mariam sororem Marthæ & Lazari, nunc denique Mariam tantummodo appellari potuisse.

Apposite ista quidem, si prius evidenti aliquo argumento demonstrasset, tria illa nomina Mariæ Magdalenes, Mariæ sororis Marthæ, & fœminæ flagitiosæ, e Dæmone liberatæ, ad unam eamdemque fœminam pertinere. Constituta enim optimis argumentis historiæ alicujus veritate, facile interpretationes omnes admittimus, quæ ad solvendas objectiones afferantur. Vel ipsis tunc hypothesibus probabilibus favetur; tametsi enim veritate destituerentur, res tamen ipsa asserta constaret. Nunc autem subducitur ædificio fundamentum, Demonstranda quippe prius fuerat unitas mulieris, adversus tria illa fœminarum nomina; ac deinde detorquenda essent ingenia ad systemata fabricanda, quibus opposita omnia promius & facilius refellerentur.

ARTICULUS II.

Mariam Magdalenen & fœminam flagitiosam unam fœminam esse, a Maria sorore Marthæ distinctam.

HÆC opinio medium quoddam obtinet inter geminas, quarum altera unicam fœminam, altera tres distinctas defendit. Hisce autem argumentis probatur, Mariam Magdalenen ipsam esse eamdemque fœminam flagitiosam, quæ ad bonam frugem rediens, Jesu Christi pedes in ædibus Simonis Pharisæi perfudit unguento. Notæ enim utramque fœminam designantes possunt commode uni eidemque convenire. Confunduntur pariter apud Patres sane multos (1), quorum præpostero plane testimonio utuntur unius Mariæ assertores. Aliud porro est statuere, Mariam Magdalenen cum altera confundi muliere flagitiosa, quæ pedes Jesu Christi in urbe Naim perfudit unguento; aliud e tribus illis, Magdalene scilicet, fœmina flagitiosa, & Maria Sorore Lazari, unam eamdemque fœminam constituere. Lucas VII. 37. narrata historia fœminæ flagitiosæ, quæ ad saniora consilia rediens Jesum Christum in domo Simonis Pharisæi convenit, descriptisque verbis solatii, & spei plenissimis, quibus Jesus mœstam allocutus est, nimirum, *Vade in pace*; addit tandem VIII. 1. 2. Jesum urbes & vicos Galilææ peragrasse, itineris comitibus duodecim Apostolis, quibus accesserunt *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a Spiritibus malignis, & infirmitatibus: & inter cæteras Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem Dæmonia exierant; & Joanna uxor Chusæ, & Susanna, & aliæ plures.*

Poynardus (2) persuasum habet, convaluisse fœminas illas a Dæmone ante sex menses circiter; simulque verisimillimum putat, eamdem hic fœminam innui, quæ prius ante pedes Domini in ædibus Simonis Pharisæi provoluta describitur; hic vero ante religiosas fœminas, itinerum Jesu Christi comites, omnium prima constituitur.

Unius Mariæ patroni misere torquentur, cum de titulo mulieris flagitiosæ, Mariæ sorori Lazari tribuendo, res est. Porro eo nomine, juxta Patrum & Interpretum sententiam, designatur fœmina prostituta, quæ omnia pudicitiæ fræna abruperit. Alienum est autem ab hoc mulieris ingenio quidquid de rebus a Maria sorore Marthæ gestis memoriæ proditum legitur. Debet plane religioni duci, quod ea invidia mulier, Jesu Christi amore flagrans in primis, oneretur, nisi ea promantur documenta, quæ rei veritatem extra controversiam ponant.

Incommodum hoc sentiens Lamy, invidiam nominis flagitiosæ minuendam suscepit. Nititur enim demonstrare, eo nomine designari fœminam, quæ legis obsequio nonnihil defuerit. Quousque vero legi non parebat Maria? Id se deprehendisse credit Lamy in nomine Magdalenes, quod eidem fœminæ adjiciendum constituit. *Magdalene* enim, vel Hebraice *Maggadela*, reddi potest fœmina cincinnata. Tota igitur nominis flagitiosæ invidia eo tendebat, quod scilicet Maria soror Marthæ calamistrandis comis plus nimio, lasciviendi gratia, studeret; hinc titulus flagitiosæ fœminæ datus. Addit, ex Rabbinorum doctrina vetitum esse die Sabbathi comas calamistro inurere. Porro de robore hujus argumenti ad judicium ipsum suum Authorem provoco. Animadvertere tamen juvat, ejusdem Authoris confessione nunquam fieri posse, ut Maria Magdalene eadem cum sorore Lazari statuatur, siquidem peccatricis fœminæ nomen prostitutam mulierem designat (3); erat enim crimen severissimis legibus apud Israelitas interdictum Deut. XXIII. 17. quin & capitale habitum fuisse, Philo Judæus de Joseph. p. 533. testatur.

P. Alexander suspicatur, fœminam illam, de qua in Evangelio, non palam quidem impudicitia quæstum fecisse, sed habuisse potius procum virum aliquem potentem, quocum liberius consuesceret. Si vero, ait, venale corpus habuisset, non inde tamen recta consecutione colligeretur, alienam fuisse a genere Israelitarum; quamquam enim severa Legis sanctione prostitutionis crimen interdicebatur, nulla tamen certa decreta erat in transgressores pœna; nec nisi parum ea in re Domini jussionibus delatum fuisse, satis & plusquam satis intelligimus. Probe id noscens futurorum Legislator Deut. 23. 18. cavet, ne prostitutæ merces in Templum inferratur, mandatis insuper onerans Sacerdotes, *ne scortum & vile prostibulum ducerent uxorem* Levit. 21. Duæ tandem fœminæ prostitutæ coram Salomonis tribunali, alia contra aliam caussam agebant 3. Reg. 3. 16.

Sed irritæ sunt conjecturæ, ut invidia nominis peccatricis leniatur; numquam enim fiet, quin ea turpitudinis nota Mariam sororem Marthæ inurere mens refugiat, sive nimirum publica scortatio voce illa designetur, sive impudica viro alicui potenti adhæsio. Repugnant enim illa cum iis, quæ de Maria sorore Marthæ in Evangelio recitantur. Quare duas inter se plane distinctas mulieres intelligere oportet, cum in Scriptura nomina fœminæ flagitiosæ & Mariæ sororis Marthæ legimus. Alia notabimus in proxime sequenti articulo, quibus inter duas hasce fœminas discrimen magis magisque patebit; ibique pariter diluentur objectiones, quibus sententia hæc nostra impetitur. Apud Græcos peculiari Festo colitur die XXI. Martii sancta illa mulier ad meliorem fru-

[1] Beda, Alcuin. Petr. Damian. Petr. Cell. Bernard. alii plures; quos vide ad finem hujus Dissertationis.

[2] Poynard. Harm. pag. 22. art. 89. ad Marc. 1. 39. & pag. 36. art. 112.

[3] Vide Lamy, Harm. lib. 4. cap. 10. & Diss. Gallice pag. 98.

fuisse conversa, tamquam distincta a Maria Magdalene, & Maria sorore Marthæ.

Nec dissimulanda hic sunt hujus sententiæ incommoda, quæ lenienda utcumque suscipiemus. Fœminæ illius flagitiosæ semel tantum meminit Evangelium. Cum Jesus Christus defunctum filium Viduæ Naim ad vitam revocasset, in ædes Simonis Pharisæi ad Cœnam invitatus venit Luc. vii. 11. & sequ. Accumbentibus illis, domum ingressa est fœmina, flagitiosæ nomine in Urbe tota notissima, quæ ad pedes Jesu Christi accidens, pretiosi unguenti vasculo pedes Magistri perfudit, quos lacrymis rigatos coma capitis sui abstersit. Sinistri aliquid de Jesu suspicatus est Pharisæus, reputans inter se, Christum facile prophetiæ spiritum venditare, quippe qui, cujus fœminæ tactum sustineret, ignoraret. Quæ animo versabat Pharisæus, probe intelligens Jesus, parabolam duorum fœneratorum, quorum ille majori, alius minori ære alieno gravabatur, proposuit. Utrique debitum dimisit fœnerans; quare interrogavit Jesus Pharisæum, uter insignis beneficii largitorem amaret magis. Respondenti Pharisæo, illum scilicet, cui majus debitum dimissum est, intulit inde Jesus, se ab ea fœmina amari magis, quod plurimorum criminum rea, majus ab ipso absolutionis beneficium accepisset. Tunc mulierem iis verbis dimisit: *Vade in pace*. Post hæc omnia, paucis versibus infra sequitur Lucas, Mariam Magdalenen aliasque nonnullas fœminas Jesu Christo, prædicationis gratia per regionem discurrenti, adhæsisse.

Ad probandam distinctionem Magdalenes a fœmina flagitiosa adducitur primo, Mariam Magdalenen malo septem Dæmonum hospitio, antequam resipisceret, liberatam fuisse. Alia erat igitur fœmina a muliere illa flagitiosa, sceleribus suis tota Urbe notissima; vix enim in unam eamdemque personam convenire possunt duo illa, ut publicam exerceat scortationem, simulque a Dæmone agatur. II. Maria Magdalene e *Magdalo*, unde nomen trahebat, originem traxisse creditur, quemadmodum in superioribus demonstratum est; flagitiosa vero illa Urbem Naim licentiæ suæ theatrum nacta erat: est igitur altera ab altera muliere distinguenda. III. Magdalene duobus saltem postremis Jesu Christi annis itinerum illius comes accessit; cum flagitiosam illam fœminam, neque etiam ad meliora consilia reductam, nequivisset sine aliqua probri nota sibi Jesus Christus adsciscere. IV. Tandem, nunquam fœmina illa Mariæ Magdalenæ nomine designata est, nec vicissim Mariæ Magdalenes titulus flagitiosæ unquam tribuitur. Ex quo conjectura non levis ducitur, alteram esse ab altera distinguendam.

Hisce omnibus reponi potest. I. Si ea quæ de Maria Magdalene a Dæmone vexata narrantur, ad sensum allegoricum cum Patribus quibusdam detorqueantur, fieri utique poterat, ut una eademque fœmina & a Dæmone ageretur, & scortationem exerceret. Si vero a Dæmone revera possessam contendimus, reputandum est, illam actam esse per intervalla a Dæmone, ut proinde commodum nancisceretur spatium, libidinis suæ in publicis Urbis locis exercendæ. Facile etiam a Dæmone illo impudicitiæ agebatur, de quo sæpe in Sacris Libris mentio est (a). Ita de Saule memoriæ proditum legimus, ita agitari illum a Dæmone consuevisse, ut nihil tamen impediretur, quin in expeditiones prodiret, & reliqua exerceret vitæ munia, quæ ab hominibus cæteris præstantur. Idem facile & in Maria contigit. II. Maria Magdalene potuit originem suam, & nomen e *Magdalo* referre, scortationem autem exercere in Urbe Naim, cum duo hæc loca minime distarent. Sive autem Naim haberet libidinum suarum theatrum, sive Magdalum, sive Tiberiadem, sive alium quemcumque locum, satis habemus, si mulieris flagitiosæ cognomine in urbe Naim innotesceret: quod ab Evangelista adnotatum est.

III. Lucas non prius refert Mariam Magdalenen Jesu Christo comitem adhæsisse, quam post narratam ejurati a mala fœmina criminis historiam. Nihil autem prohibet, quin fœmina flagitiosa, post criminis abdicationem, Magistro adhæserit, ut una eademque cum Magdalene haberetur. Potuit etiam ad meliorem & valetudinis, & innocentiæ statum redire aliquo tempore, antequam ædes Simonis Pharisæi adiret. Arbitrabatur quidem Pharisæus, fœminam illam in crimine manere, sed numquid proinde mansisse revera semper; recta inde consecutione colligi potest? cujus pœnitentiæ fama non antea facile vulgata est, quam cum ad pedes Jesus Christi palam accidit: tunc enim lacrymarum merito, pristinis eluit criminibus impetravit.

Invidiæ metus apud Pharisæos contrahendæ, siquidem Christus in comitatu mulierem impudicitiæ fama notam admisisset, aliquid in tam præsentem valeret, nisi exploratum esset, Jesum Christum in comitatu habere viros deploratæ famæ non refugisse. Ita Apostolorum suorum collegio Publicanum sociavit Matth. ix. 9. Pharisæorum criminationes de sociatis sibi communi mensa Publicanis & peccatoribus contempsit, easque in ludum vertit Matth. ix. 11. xi. 19. Edixit, Publicanos, & fœminas flagitiosas præventuras Pharisæos in Regni Cœlorum possessione Matth. xxi. 31. Quæ tunc temporis obtinebat apud Judæos, prædicationis gratia regionem discurrentes, consuetudo, ut itineris comites haberent fœminas religiosas, e quibus necessaria præstarentur, omnem ejus rei apud Judæos invidiam tollebat. Ad hæc, publicæ resipiscentiæ Magdalenes exhibita documenta, provectior ejus fœminæ ætas [debuit enim aliquot ætatis annos agere] præcedens ejus morbus, ac mutatæ in melius vitæ exempla, omnis pariter suspicionis timorem removebant, atque scandalo medebantur, si forte inde aliquod succurrisset, quod habere Jesus in comitatu fœminam impudicam spectaretur. Hujus tamen objectionis pondere multo quam nos magis urgentur unius Mariæ assertores.

IV. Fateor quidem, Mariam Magdalenen nunquam flagitiosæ titulo, nec flagitiosam mulierem Magdalenes nomine ab Evangelistis appellari; sed animadvertere pariter juvat, nunquam flagitiosam illam mulierem peculiari nomine designari; unde nulla duci potest conjectura, alio illam nomine, quam Mariæ Magdalenes, nuncupari. Lucas, sive ut mulieris decori parceret, sive alia persuasus ratione, noluit, ejus describens historiam, genuinum illius nomen scriptis tradere, contentus sub generico fœminæ flagitiosæ nomine rem retulisse. Potuit autem consilium illud Evangelistæ suggerere sive scandalum, quo, inspecta muliere, affectus est Pharisæus, vel invidiosum flagitiosæ elogium, quo ille mulierem notavit, potuit, inquam, his omnibus Lucas persuaderi, ut peculiare nomen supprimeret, eodemque tunc utendum censuit, cum de eadem muliere in comitatu Jesu sermo historicus recurreret.

Cæterum sententiam hanc non veluti assertam, sed tamquam probabiliorem defendimus; illud etiam demonstrantes, quæ contra hanc torquentur objectiones, congrua aliqua responsione dilui posse. Suam probabilitatem tenet opinio, quæ tres Marias tamquam distinctas inter se fœminas tuetur, quemadmodum demonstrandum modo suscipimus.

A R-

(a) Osee iv. 12. *Spiritus fornicationum decepit eos.*

ARTICULUS III.

Mariam Magdalenen, Mariam Sororem Marthæ, & fœminam flagitiosam tres esse inter se distinctas mulieres.

ID potissimum commodi sententiæ huic accedere illius patroni animadvertunt (1), quod cum negantem propugnent opinionem, nullum dicti sui documentum proferre teneantur. Nullus in Novo Testamento locus tres illas fœminas in unam eamdemque mulierem confundit; id satis pro sententiæ hujus patronis, ut veluti proprio jure alios ad respondendum cogant, cur in unam confundendæ sint; nec debent ipsi vicissim quærentibus aliis respondere, cur sint distinguendæ. Dicti sui documenta exhibere ad eos spectat, qui non distinctas tuentur. Agitur enim de facto historico, diserte satis ab Evangelistis recitato, quo tres personæ tribus inter se distinctis nominibus designantur; hæc enim fœminæ flagitiosæ nomine appellata est, altera Mariæ sororis Marthæ, tertia tandem Mariæ Magdalenes, & singulæ diversis rebus gestis clarent. Ut igitur inter se confundendæ demonstrentur, non præsumptione tantum agendum est, neque convenientia, neque longe ab ea ætate remotis Authorum testimoniis; petita ex ipsa re documenta, nec ambigui textus promendi sunt.

Ex superioribus autem credimus exploratum, argumenta, quæ in eam rem probandam afferuntur, a perspicuitate magnopere abesse. Unicus tantum Evangelii textus producitur, ad demonstrandam Mariæ sororis Marthæ, & Mariæ Magdalenes unitatem; unus, inquam, textus, & hic maxime ambiguus, ad arbitrariam satis consecutionem deductus. Pro asserenda vero inter Mariam sororem Lazari, & fœminam flagitiosam unitate, nullus luculentus locus adducitur. Quantum sibi facessant negocii ejusdem sententiæ assertores, & quas cogantur fingere hypotheses, in superioribus demonstratum est. Cætera vero argumenta eo rediguntur, ut demonstrent, opinionem de unica Maria Sacræ Scripturæ authoritati non repugnare; congruere autem maxime cum Ecclesiasticis Officiis, solamque obtinuisse in Occidente, post S. Gregorium Papam, atque authoritate insignium Doctorum, & Scripturæ Interpretum valuisse.

Nihil tamen ex his satis in præsentia est. Possessio, cui potissimum fidunt, nunquam satis quieta & in tuto mansit; sæpe enim turbata est, & multo etiam sæpius e gradu excidisset, si animus minus occupatus, ac magis sedula meditatio ad Scripturæ studium collata fuissent. Porro in quæstione facti, in qua nullum imminet fidei detrimentum, neque temporis, neque authoritatis legitima aliqua præscriptio admittitur. Integrum est omnibus causam pro libito ad Judicem revocare, integrum, in examen adducere monumentorum fidem, ex quibus alterius sententiæ authoritas consistit; præsertim si ea monumenta adhuc existant, & omnium manibus terantur. Manent autem, æternumque manebunt Evangelia, e quibus monumenta in rem præsentem promenda sunt.

Multum equidem deferendum Officiorum Ecclesiasticorum authoritati fatemur, a quibus nonnisi gravissimas ob rationes recedendum est; servantur enim in sacris Ecclesiasticis ritibus, atque solemnibus Fidelium precibus, Fidei evolutorum sæculorum & traditionum nostræ Religionis dogmata. Sed inter Officia tamen Ecclesiastica solerter distinguenda sunt ea, quæ ipsum veluti mysterii fundamentum constituunt, & preces sive cæremonias continent, quæ a remotissima petitæ antiquitate, neque exordium neque authorem noscunt. Tenenda sunt ista quidem, atque ita suspicienda, ut minimum quid de illis dubitare nefas habeatur. Pars enim sunt depositi Fidei, Ecclesiæ custodiæ concrediti.

Quod autem ad cæremonias & preces recentiori ætate in Ecclesiastica Officia invectas pertinet, uti historias Sanctorum, vitas Martyrum, illas tamquam veras assertasque defendere nunquam Ecclesia voluit. Quare nedum in examen revocari earum veritatem patitur, sed laude etiam dignos censet, qui rem aggrediuntur; & si secundo illorum labore aliquid deprehensum sit fictum & ambiguum, & illud repudiare statim & supprimere, a se alienum non arbitratur. Nec desunt ad eam rem demonstrandam exempla. Ecclesia Parisiensis, Aurelianensis, Viennensis, & Ordo Cluniacensis vetus Officium correxere, quo tres Mariæ in unam confundebantur, earum distinctionem diu neglectam restituentes. Eodem consilio Clemens Papa VIII. auferendum jussit ex Officio S. Mariæ Magdalenes (2) vetus quoddam Carmen, quod nimis aperte Mariam Magdalenen cum sorore Lazari & fœmina flagitiosa confundebat. Id tandem reputandum est, Ecclesiam unico Officio nolle se tres in unam confundere, sed trium memoriam una simul die celebrare.

Nunc autem singula hujus opinionis argumenta promenda sunt. I. Maria soror Marthæ, e Bethania, vico non longe a Jerosolymis, originem referebat, nec alibi unquam in Evangelio exhibetur. Morabatur ibi cum Martha sorore, quo tempore Jesus, & facile tunc primum, eo divertens, querentem audivit Martham, quod a Maria sorore domesticis in rebus præstandis sola relinqueretur Luc. 10. 38. ibi pariter versabatur, cum Jesus ad revocandum in vitam Lazarum venit Joan. xi. 2. 3. ac tandem Bethaniæ caput & pedes Jesu Christi discumbentis sexto ante obitum ipsius die unguento perfudit (3). Maria Magdalene e Galilæa ducebat originem, quemadmodum non semel ab Evangelistis significatum est (4). Altera igitur ab altera Maria diligentissime distinguenda est.

II. Mariæ Magdalenes cognomen e *Magdala* Galilææ accersunt magno numero Interpretes, unde nomen fœminæ inditum *Mariæ a Magdala*, quemadmodum usurpari solebat Jesus a Nazareth, Simon e Giscala, Judas e Ganlone, &c. Cum vero eadem sit facile mulier ac flagitiosa illa fœmina, ideo viri cognomen illi additum non est, quemadmodum cæteris fœminis Jesu Christi comitibus. Ita notæ sunt in Evangelio Maria Cleuphæ, Maria Salome, Joanna Chusæ, & sic de singulis. Pro viro nomen Patriæ substitutum est. Mentio autem occurrit Magdali tum in Libris V. T. cum in Josepho, Talmudistis, Eusebio, S. Hieronymo, atque ipso pariter Evangelio. Urbs *Magdalel* in Tribu Nephtali habetur in Josue xix. 38. ibique xii. 21. legitur *Mageddo*, alio nomine *Magdial*. Arcis *Magdalæ* meminit Josephus in Libro de vita sua, ubi narrat, Agrippam eidem Arci expugnandæ copias misisse. *Mageddon*, sive juxta Græca Exemplaria, *Magdala* legitur in Matthæo xv. Eumdem locum videas apud Talmudistas (5); eumque situm ferunt circa mare Tiberiadis (6).

Maria soror Lazari nunquam alio titulo innotescit, quam Mariæ sororis Marthæ, sive Lazari. Quia ergo cum Maria Magdalene illam confundat?

III. Nihil habent commune duarum mulierum characteres. Quæ mulier Mariæ Magdalenes no-

[1] Anquetin, Dissert. sur Sainte Madeleine p. 1. 2.
[2] Vide Gavant. Rubric. apud Estium orat. 14.
[3] Matth. xxvi. 1. 2. Marc. xiv. 2. 3. Joan. xii. 1. 2.
[4] Matth. xxvii. 56. 57. *Mulieres, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa . . . inter quas erat Maria Magdalene.* Marc. xv. 40. 41. Luc. xxiii. 49. 55.
[5] Talmud. in Thaanith, fol. 10.
[6] Vide Ligfoot. in Matth. Cellar. Geograph.

mine censetur, fœmina erat Galilæa, quæ acceptum a Jesu Christo beneficium, pulsi nempe e corpore suo Dæmonis, repensura, largitori suo comes perpetua adhæsit, ne in cruce quidem & in tumulo clausum deserens. Maria soror Marthæ, Bethaniæ in patria sua solitaria manebat adeo, ut neque domus suæ administrationem sustineret, cum Jesus eo primum divertit; nec unquam inter comites Jesu Christi memoratur; nunquam Præceptorem suum vidisse extra vicum Bethaniæ, & forte extra domum legitur.

IV. Maria Magdalene in comitatu erat Jesu Christi postremo vitæ ipsius anno (7); quippe quæ e Galilæa Jerosolymam ad novissimum Pascha se conferenti comes hæsit. Erant autem tum temporis Maria & Martha una cum fratre suo in avitis Bethaniæ ædibus (8); nam absente Jesu Lazarus decessit, & affectæ valetudinis ipsius nuncium ambæ sorores miserunt ad Jesum. Cum autem ad earum domum restituendo in vitam fratri se contulisset, venientem ambæ exceperunt. Aliquandiu post, cum Jesus in suo Jerosolymitano itinere ad absolvendum salutis nostræ opus in vicum Bethaniæ ad hospitium Lazari, Marthæ, & Mariæ divertisset, tria illa sibi amicissima capita nactus est (9). Itaque altera est Maria soror Marthæ a Magdalene, quæ postrema mulier in comitatu erat Jesu Christi, e Galilæa sive e regione trans Jordanem venientis; cum altera Maria una cum fratre suo eumdem Christum hospitio exceperit.

V. Statim post prodigium restituti in vitam adolescentis Naim, Maria Magdalene comes Jesu Christo accessit (10). Inde Christus Jerosolymam concedens, hospitio exceptus est apud Martham & Mariam (11). Quam luculentum distinguendis duabus fœminis argumentum! hæc e Galilæa Bethaniam una cum Jesu venit; hæc venientes hospitio recipit.

VI. Magdalene septem Dæmonibus revera agebatur, juxta Evangelistas (12), vel saltem in effrænis vitæ licentiam proruerat, juxta Patres nonnullos (13). Scortationibus & impudicæ vitæ criminibus totam se dederat, si fides sit Veteribus quamplurimis, qui hanc cum fœmina flagitiosa, Jesu Christi pedes in ædibus Simonis Pharisæi unguento perfundente, unam eamdemque arbitrantur. Nihil tale de Maria sorore Marthæ affirmandum est, nisi prius statuatur illud, de quo maxime ambigitur, vitiosa illa argumentatione, qua principium petitur.

Unius Mariæ assertores in ipso causæ limine ponunt, Mariam Magdalenen & Mariam sororem Lazari unam esse fœminam; quod sibi certum jure quodam possessionis veterisque nescio cujus traditionis vindicant. Ita persuasi, ad exponendos Scripturæ locos se conferunt, satisque se hac ratiocinatione pro causa obtinenda præstitisse confidunt. Quam sustinemus, opinio Ecclesiæ authoritate fulcitur, nihilque habet sacræ Scripturæ repugnans; tenenda est igitur, neque committendum, ut novis invectis rebus vetus Ecclesiæ depositum corrumpatur. Hæc illi comminiscuntur, cum potius ita reputare deberent: Trium harum mulierum unitas nunquam satis exprimitur in Scriptura, recentius in Ecclesiam invecta est, atque adversarios habet plures tum veteres Patres, tum sapientissimos Criticos; majori igitur indagine de illa disquirendum est; & si forte in ea quæstione nunquam satis perspecta possit haberi veritas, neque etiam certa satis & asserta promenda est sententia: quæ sunt æquiora statuamus, posthabitisque præjudicatis opinionibus, debitam referamus veritati gloriam, ultro professi, sententiam, quæ tres fœminas distinguit, potiorem habere apud Evangelistas causam, vel saltem a sententia ea de re promenda abstineamus, donec pro unitate majora & luculentiora ferantur argumenta, quam quæ hucusque producta sunt.

Laudantur pro hac sententia Authores sane multi, qui inter Mariam Magdalenen & Mariam sororem Lazari distinguunt. Verum sedulo secernendi sunt hi Scriptores ab aliis, qui tres Marias statuunt. Author Constitutionum Apostolicarum Lib. 3. cap. 6. S. Irenæus, Origenes, S. Macarius, S. Chrysostomus, Titus Bostrensis, Theophylactus, Euthymius, quos supra laudavimus, adversus unitatem trium mulierum apertissimum ferunt testimonium; sed inter assertores trium fœminarum recensendi non sunt. Distinguunt illi tantummodo, nec immerito, fœminam flagitiosam, quæ pedes Jesu Christi unxit apud Lucam VII. a Maria sorore Marthæ, ad quam alia unctio pertinet, tribus aliis Evangelistis memorata. Quare eorum Patrum testimonio perinde abutuntur unius Mariæ assertores, qui in suam sententiam illos adducunt, ac ii qui tres Marias defendunt, eosque in suas partes pertrahunt. Neque enim dictum ab illis statuendum est, quod nunquam dixere, neque apertæ consecutiones ex eorum silentio deducendæ sunt.

Græci Patres non satis putaverunt, distingui oportere tres unctiones, alteram nempe, de qua Lucas VII. 37. aliam, de qua Joannes XII. 1. 2. ac tertiam Marco XIV. 1. & Matthæo XXVI. 1. 2. memoratam; ut tria illa facta ad tres distinctas mulieres pertineant. Confundendam alii censent unctionem Lucæ cum altera apud Joannem. At sententiæ istæ ambæ assertore ætate nostra carent. Tertullianus de Pudicit. cap. 11. confundit historiam fœminæ flagitiosæ apud Lucam cum Maria sorore Lazari, quæ *prævenit ungere pedes Jesu in sepulturam*. Hæc ille: *Peccatrici fœminæ contactum corporis permisit, lavanti lacrymis pedes ejus, & crinibus detergenti, & unguento sepulturam ejus inauguranti*. S. Augustinum de Consensu lib. 2. cap. 79. confudisse quidem constat fœminam flagitiosam cum Maria Lazari; utrum vero Magdalenen ab illis distinxerit, non satis intelligimus. Quin & Tract. 49. in Joan. ambiguus versatur, num Maria soror Marthæ eadem statuenda sit cum muliere illa flagitiosa, quæ lacrymis rigatos J. Christi pedes coma capitis detersit.

Confundunt Mariam Magdalenen cum fœmina flagitiosa S. Bernardus Serm. 12. in Cant. Nicolaus Clarævallensis Serm. de Maria Magdal. inter opera D. Bernard. Godefridus Vestenensis Abbas Ser. 9. S. Petrus Damiani Epist. 12. ad Desider. Petrus Abbas Cellensis Ser. 5. de S. Mar. Magd. S. Th. 3. par. qu. 21. art. 4. ad 1. S. Bonaventura Compend. Theolog. de gratia sanctificante l. 5. c. 19. Fœminam flagitiosam unam eamdemque cum Maria sorore Lazari arbitrantur S. Petrus Chrysologus Serm. 93. Eusebius Emissenus seu alius, hom. in fer. v. post Dominicam Passion. Paschasius Radbertus in Matth. lib. 12. Alcuinus in illud Joan. *Jesus ergo ante sex dies*, Franco secundus Abbas Vindocinensis Libro de gratia Dei, Rupertus Abbas De Oper. Spir. S. cap. 28. S. Norbertus Serm. in hæc verba: *Beati qui audiunt verbum Dei*. Lyranus in Matthæum, aliique plures. Porro universi hi Scriptores unitatis adversarios se profitentur, sed non eadem omnes ratione; & si ex eorum turba segregentur ii, qui tres distinctas mulieres defendunt, eorum numerus sane minor erit.

Sed agendum hic est non suffragiorum multitudine, sed monumentorum pondere ac rationum; ejusque, quam agitamus, litis definitio non aliunde quam ex Evangelio petenda est. Est autem Evangelistarum textus æquior iis, qui duas vel tres defendunt, quam qui omnes confundunt in unam,

---

[7] Vide Matth. XXVII. 56. 57. Marc. XV. 40. 41. Luc. XXIII. 49. 55. [8] Joan. XI. 1. 2. &c. [9] Joan. XII. 1. 2. 3. [10] Luc. VII. VIII. 2. 3. &c. [11] Luc. X. 38. [12] Luc. VIII. 2. Marc. XVI. 9. [13] Greg. Magn. homil. 23. in Luc. VII. Beda, alii.

unam. Patres, quorum testimonia pro variis hic ce sententiis afferuntur (id quod extenuando pretio ex illis argumento plurimum valet) minus ipsi quoque secum constare, minusque accurate loqui deprehenduntur. Ad hæc, Libri, ex quibus testimonia petuntur, non ideo scripti sunt, ut argumentum illud expenderent: testimonia sunt interdum nullo inter se nexu conjuncta, & e concionibus ad populum, vel aliis hujus generis Lucubrationibus ducta, in quibus minus accurate loqui Authores constat, quam in Libris de ipso argumento scriptis.

Quod ad censuram Facultatis Parisiensis, quam unius Mariæ patroni ingerunt, post minus accuratam causæ cognitionem pronunciatam asse defendimus. Jacobus Faber Stapulensis rerum novarum, quæ turbas eo tempore intra Regnum & extra ciebant, cupidus & fautor habebatur, S. Gregorii Papæ authoritatem minuebat; quare Facultas sententiam Fabri tantummodo censura notavit, tamquam S. Gregorii authoritati contrariam, quam authoritatem & sententiam Facultas arbitrabatur *Evangelio Christi & Ecclesiæ Catholicæ ritui consentaneam*. Damnavit itaque Fabrum, sed causam reliquit intactam. Ponit tamquam certum, quod in quæstione est, ac deinde Fabrum postulat, quod plures esse Marias adversus exploratam S. Gregorii sententiam defendat. Plures post ea tempora Doctores Sorbonici scripserunt pro asserenda triplicis Mariæ distinctione, quam hodie apud viros doctos obtinere, asserere non dubitamus.

DISSERTATIO

DE S. JOSEPHO S. MARIÆ VIRGINIS SPONSO.

QUæcomque de S. Josepho habet, pauca licet, Scriptura, adeo illius gloriæ serviunt; & quæ de illo agitantur quæstiones, tanti videntur momenti, ut peculiari Dissertatione de viro sanctissimo agere, operæ pretium duxerimus. Josephus germen est Davidicæ radicis insigne, Mariæ vir, Virginitatis ejus custos, Jesu Christi pater, & altor. Ab ipso Spiritus Sancti organo *Justi* titulo decoratur. En Viri decora, en agitatas de illo quæstiones, Quæ Viri genealogia; quod munus; an, præter S. Virginem, alteram uxorem admiserit; quo pacto ad ejus conjugium pervenerit; quo sensu *Justus* appelletur; quando obierit; & ubi fuerit sepulturæ mandatus. Hæc modo nobis quærende.

ARTICULUS I.

Josephi genealogia.

AD Tribum Juda, & familiam Davidis pertinuisse Josephum, tradente Scriptura, satis constat. Paulus Hebr. 7. 14. scribit, omnibus exploratum esse, Jesum Christum e familia Juda satum fuisse; & Angelus ad Josephum Matth. 1. 20. *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Idem tandem Evangelista Josephi genealogiam ducit ab Abrahamo per Davidem Matth. 1.

Plures tam Recentiores quam Veteres censuerunt, Lucam c. 3. 23. eamdem pariter Josephi genealogiam ab Adamo usque ad Heli instruxisse: sed quæ negotium faciunt in hac opinione, infra examinabimus. Quærendum est prius, utrum Joseph unicus esset hæres in familia Davidis, quod Erudito cuidam recentiori (1) probatur; vel, utrum ille tantum arctiore quam cæteri necessitudinis vinculo necteretur Virgini. quæ cum, juxta plurimorum Patrum sententiam (2), unica esset patris sui, & familiæ hæres, ex Legis præscripto Num. 36. 6. Josepho uxor fuerit destinanda.

Ad primam difficultatem quod attinet, duobus illa locis præpostere expositis innititur: in primo Angelus Josephum appellat filium Davidis Matth. 1. 20. in secundo Gabriel hæc habet ad Mariam Luc. 1. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Hisce duobus locis probatum creditur, Josephum unicum fuisse Davidicæ domus hæredem, simulque Jesum Christum in hanc hæreditatem illius successisse. Statuunt proinde impletam in Jesu Christo fidem oraculi Jacobi Gen. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Hujus ratiocinationis vim me plane non assequi fateor. Joseph filius est Davidis: unicus ergo erat in domo sua, & solus familiæ hæres. Tum & illud: Jesus Christus *regnabit in Domo Jacob, & sedebit in sede David patris sui*; postremus est ergo familiæ illius hæres. Tantumdem profecto liceret colligere de Salomone, Roboamo, Josia, cæterisque Regibus Juda post Davidem. Nonne Jesus Christus palam professus est Joan. 18. 36. Regnum suum non esse de hoc mundo? Nonne legimus, diu post ejus obitum Vespasianum Imperatorem soletter quæri jussisse reliquias Domus Davidicæ, quibus deletis, defectionis, & restituendi Imperii spem omnem Judæis adimeret (3)? Supererant ergo e Davide hæredes; nec Jesus Christus unquam in temporale aliquod Regnum jus sibi vindicavit.

Quod attinet ad opinionem, quæ Josephum arctissimo præter cæteros necessitudinis vinculo conjunctum fuisse ait cum Maria, unica in domo sua hærede; hæc non recens invecta est, sed antiquissimos habet assertores, S. Hilarium; S. Cyrillum Alexandrinum, Eusebium Cæsariensem, S. Eucherium, Euthymium, Theophylactum, aliosque plures; et rationes promendæ sunt. Vetustissima Evangelia Nativitatis B. Mariæ, & Protevangelium S. Jacobi aperte notent, Mariam unicam fuisse parentibus suis filiam, Annæ & Joachimo: sed eorum Operum authoritas, præter ejus opinionis Vetustatem, nihil probat.

Nemo unus apud Veteres Mariæ Virgini fratres tribuit (4); qui tamen sorores tribuerint, plures sunt profecto. Tametsi autem fratribus & sororibus caruisset, non tamen colligi posset, Josephum sive ad ejus familiam pertinuisse, sive arctiore quam cæteros necessitudinis vinculo cum

(1) Harduin. Chronol. V. T. pag. 531. (2) Hilar. in Matth. 1. Euseb. Hist. Eccles. l. 1. c. 9. Cyrill. contra Julian. Zachar. q. 2. in Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. 1. Vide Maldonat. in Matth. 1. 16. Grot. Brug. alios. (3) Euseb. Hist. Eccl. lib. 3. c. 12. (4) Vide Hieron. in Matth. & contra Helvid. c. 9. Theodoret. in Epist. ad Galat. pag. 228. Petr. Chrysol. serm. 48. Beda in Marc. 111. 18.

illis fuisse concessum; minime enim Lege interdictum erat puellis, ad quas hereditas non pertineret, ne quem maxime vellent, virum seligerent. Hæredibus tantum, quæ germanis carerent, sive illæ plures essent, sive unica puella, præceptum fuit Num. 36. 6. ut in Tribu sua virum quærerent: *Nubant quibus volunt, tantum ut suæ Tribus hominibus*. Scriptores Veteres apocryphorum Evangeliorum, quos supra diximus, nunquam ferunt, Josephum coactum fuisse lege propinquioris cognationis ducere in uxorem Mariam; quin & contraria omnia docent. Nec sane quidquam habent ea de re Patres, nisi forte unus S. Epiphanius Hæres. 78. cap. 7. Colligunt tamen plures, Mariam Virginem ad Tribum Juda & familiam Davidis pertinuisse, quod ex illa satus esset Josephus: colligunt autem eo ducti, sed non vero principio, puellas lege coactas nubere viris e Tribu & familia sua. Nihil enim tale de puellis generatim in Lege, sed tantum de hæredibus, uti supra innuimus, cautum erat.

Statuendum est plane, Matthæum in capite Evangelii genealogiam Josephi deduxisse; an vero eamdem instruxerit Lucas, ex eo maxime ambigitur, quod series genealogica apud geminos Evangelistas a Davide usque ad Zorobabelem, & a Zorobabele usque ad Josephum Virum Mariæ, omnium in eo postremum, discrepat. In Matthæo pater Josepho assignatur *Jacob*, in Luca *Heli*. Duo hæc nomina duos ne distinctos homines, an unicum designant? Reponunt, duos esse viros, quos ambos diversa ratione tributos Josepho parentes volunt; alter enim parens erat ex Lege sive adoptione; alter secundum carnem & naturalis (6). Patrem ex lege appellamus illum, cui sine liberis decedenti frater superstes vel propinquior inter cognatos, vidua ejus uxore ducta, liberos procreavit Deut. xxv. 5. defuncto illi assignatos. Sed cum hæc mera sit hypothesis, uter ex illis, Jacob ne, an Heli, pater esset naturalis vel adoptivus, non constat.

Verumtamen invaluit in Ecclesia vetustissima quædam traditio, a Julio Africano servata (7), quam tenere se profitetur a necessariis Jesu Christi secundum carnem. Fert autem illa, *Mathanum* a Davide per Salomonem prognatum, & *Melchi* e Davide per Nathanum, eamdem uxorem Estham, alterum post alterum, duxisse: ex qua fœmina Mathano natus est *Jacob*, & Melchi genitus *Heli*. Porro Heli uxorem duxit, cujus nomen latet, ac liberis carens decessit. Quare juxta Legis præscriptum Deut. 25. 5. Jacob viduam ejus uxorem duxit. E postremo illo conjugio natus est Joseph, simul filius Jacobi secundum naturam, & Heli secundum Legem.

Hæc difficultatis solutio eo magis in pretio habenda est, quod familiares habet assertores, tradita enim dicitur ab ipsa Josephi familia, cujus sane testimonio præ cæteris standum esse arbitror. Sed illud habet incommodi, quod *Melchi* & *Heli* alterum post alterum jungit, veluti filium & patrem; cum inter duos illos, nempe inter Melchi & Heli, Lucas duos constituat, nempe *Mathat* & *Levi*. Legisse videntur Julius Africanus cæterique illum secuti, in suis Exemplaribus nomina Melchi & Heli, duobus illis mediis expunctis. Et quidem S. Irenæus lib. 3. c. 33. nonnisi LXXII. generationes numerat ab Adamo usque ad Jesum Christum; cum Lucas LXXIV. juxta nostra Exemplaria præferat. Positum ab Africano systema maxime obtinuit apud Veteres (8), necsane infrequentes habet laudatores apud nostrates.

Putat S. Epiphanius hæres. 78. n. 7. Jacobum, cognomento *Pantherem*, patrem fuisse *Josephi* & *Cleophæ*, Josephum primam uxorem e Tribu Juda duxisse, ex qua sex filios, quatuor nempe mares, & duas fœminas, sustulerit; natu maximum inter filios statuit *Jacobum fratrem Domini*. Paulo aliter rem explicat S. Damascenus de Fide l. 4. c. 15. putat enim, *Levi* per Nathanum e Davide prognatum, filios habuisse *Melchi* & *Pantherem*; e Panthera natum *Bar-pantherem*; ex hoc vero *Joachimum*, patrem B. Virginis. Ex altero vero genealogiæ surculo, *Mathan* e Davide per Salomonem, filium habuit *Jacobum*, patrem Josephi, viri B. Mariæ. Nomen *Pantheris* legitur pariter in Origene contra Cels. lib. 1. in Thalmude Babylonico Tract. Sanhedrin. & in Actis Jesu Christi, Judæorum opera vulgatis, habent enim hæc omnia Pantherem veluti parentem Jesu Christi. Verum traditionibus hisce ut antiquitatis multum, ita fidei parum est, procusæ sunt enim fabellæ a Judæis, unice studentibus, ut invidiam Jesu Christo & Christianæ Religioni crearent.

Expeditiorem conciliandæ utriusque Evangelistæ genealogiæ rationem inire se recentiores Interpretes putavere (9), statuentes, deductam a Matthæo genealogiam S. Josephi, & a Luca alteram Virginis Mariæ. Juxta hoc systema, Jesus Christus e familia Davidis natus est per utrumque parentem; uterque enim, licet per diversos canales, ex eadem familia ducitur. Cum autem postremam hanc sententiam peculiari Dissertatione nos antea firmaverimus, nihil hic ulterius immorandum est.

Non defuerunt qui crederent (10), Josephum jura Sacerdotis & Regis in se uno conciliasse; quippe qui surculus esset domus Davidicæ & Aaronicæ. Nihil tamen occurrit sive in Evangelio sive in traditione, quod faveat huic opinioni. Necessitudine quidem cum familia Sacerdotali juncta erat B. Virgo, cum dicitur cognata Elisabeth e filiabus Aaronis; sed num propterea ad eamdem familiam Joseph pertinebat? Reputarunt etiam Veteres nonnulli, Jesum Christum simul & Sacerdotem fuisse e genere Aaronis, & Regem e stirpe Davidis: sed tametsi vera hæc sint de Jesu, num & de Josepho idem reputandum est? Erat, juxta Scripturas, Jesus Christus Rex pariter & Sacerdos; Sacerdos tamen juxta ordinem, non Aaronis, sed Melchisedechi, & Rex alterius plane [illegible] constituti in orbe Regni.

ARTICULUS II.

Quam artem Josephus exercuerit.

VEtus, nec ambigua, traditio tenet, lignariam exercuisse Josephum. Evangelium apocryphum S. Jacobi domorum ædificatorem fuisse docet (11): addit pariter, cum aliquando sacræ buccinæ sonitu viri omnes uxore vidui in Israele ad Templum, virgam quilibet suam ferentes, vocarentur, Josephum, ascia relicta (12), procurrisse cum cæteris. Legimus pariter in Evangelio apocrypho Infantiæ Salvatoris c. 38. Jesum Christum una cum Josepho patre suo per Urbem discurrisse, quo ad exercitium artis suæ appellabantur, nempe ad conficiendas arculas, cribros, fores, & cum forte in lignum aliquod incideret brevius sive longius, quam oporteret, Jesum Christum solo tactu comparasse ad opus. Non authoritatem mo-

(6) Vide Ambros. in Luc. Quidam apud August. quæst. in N. T. q. 56. Idem lib. 2. qq. Evang. q. 2. Idem de consensu Evangelist. l. 2. c. 2. 3. (7) African. ad Aristid. apud Euseb. lib. 1. c. 7. Histor. Eccles. (8) [illegible] Ambros. l. 3. in Luc. [illegible] (9) Gelasius. Jansen. Genebr. Grot. Gemar. Ligfoot. Hor. Hebr. Burg. in Matth. Spanhem. Dub. Evangel. Voss. de Generat. Christ. Toynar. Harm. Evang. pag. [illegible] (10) Serm. 3. in Annunciat. Virg. pag. 525. 526. Appendit. t. 5. Oper. S. Aug. nov. edit. idem qui sermone 25. & in Nativit. Domini Appendic. Lovaniens. pag. 659. (11) Protevang. Jacobi c. 8. & 9. [illegible] (12) Ibid. c. 8. & 9. [illegible]

moror horum Operum, sed vetustatem, & veteris receptæ traditionis testimonium.

Refert S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Jesum patri suo præsto fuisse in conficiendis jugis & aratris. Cædendis arboribus, ædibus ædificandis, similibus cæteris exercendis incubuisse, perhibet S. Ambrosius (13); sed ibidem pariter asserit, instrumenta illum tractasse fabri ferrarii, quod e Theophylo Antiocheno deduxit. Refert Theodoretus, & Sozomenus (14), quæsivisse olim Libanium a viro quodam Christiano, quid faceret Jesus Christus: cui alter respondit, feretrum Imperatori Juliano fabricare. Author Operis imperfecti in Matthæum t. 18. S. Thomas, recentiores fere omnes Interpretes fabrum lignarium illum constituunt: quæ sane traditio est totius Orientis, unde deduxit Mahometus, Josephum artem suam exercuisse in Templo Domini.

Cum tamen Græca vox *Tectôn* (15), qua Evangelistæ artem Josephi exprimunt, designet generatim hominem opificem, Veteres plures putavere, illum ferrariam exercuisse. S. Hilarius diserte in Matthæum XIII. habet: *Jesus fabri erat filius, ferrum igne vincentis*. Hanc sententiam non reprobasse S. Ambrosium, supra observavimus; sed ferrariæ lignariam jungit: *Pater Christi igne operatur, & Spiritus tamquam bonus animæ faber vitia nostra circumdolat*. Beda Venerabilis in Marc. 6. sub allegoriæ ambagibus scribit, Jesum filium esse viri, qui per *ignem & spiritum* operatur; ipsum vero Jesum baptizare *in Spiritu & igne*. Eamdem allegoriam sequitur S. Petrus Chrysologus Serm. 48. paraphrasi exponens verba illa Nazaræorum de Jesu. *Hic est Jesus filius fabri*. Recte illi quidem, ait Chrysologus, quamquam ignorantes, quid dicerent; est enim Servator filius illius Fabri, qui mundum fabricavit *non malleo, sed præcepto; qui mundi massam formavit auctoritate, non carbone*, qui lucem soli contulit *non terreno igne, sed superno calore*. Idem habet Textus Hebræus S. Matthæi, a Tibio vulgatus. Hugo Cardinalis, qui aurificem virum facit, in cæmentarium pariter inclinatur. Bollandistæ sermonem quintum S. Augustini de Nativitate (16), Cornelius a Lapide laudat alterum locum S. Doctoris, ubi traditur, ille domos fabricasse; sed facile tamquam faber lignarius, non tamquam cæmentarius. Fateri enim oportet, vetustissimam & maxime receptam opinionem tenere, lignariam illum exercuisse; & qui fabrum ferrarium habuerunt, allegoriam potius secuti videntur, quam scilicet allegoriam facile suppeditat vaga illa & generica vox *faber*.

ARTICULUS III.

Utrum Josephus Virginitatem servaverit.

Virginem fuisse Josephum toto vitæ tempore, defendunt cum Veteribus nonnullis Recentiores plures Interpretes. S. Hieronymus potissimus est ejus opinionis assertor, in Libro contra Helvidium c. 9. & in Matth. 13. ubi continentiam jugiter servasse illum asserit, ut Jesus Virgo e Virgineo conjugio nasci posset. *Etiam ipsum Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex Virginali conjugio Virgo Filius nasceretur. Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos fuit potius quam maritus*. Addit insuper, nuspiam legi, illum in conjugio vixisse. Author Sermonis quinti de Nativitate, in Appendice Operum S. Augustini per Doctores Lovanienses, asserit pariter Virginitatis laudem Josepho. Longius etiam excurrit S. Petrus Damiani opusc. 17. n. 3. *Ecclesiæ fides est, ut virgo fuerit & is qui simulatus est pater*. Hæc hodie sententia invaluit apud Fideles (17); sed ad fidem Ecclesiæ plane non pertinet, cum apud Veteres, uno excepto S. Hieronymo, vix obtineat suffragatores. Obtinuit etiam vetustissima traditio, Iosephum uxore viduatum, S. Virginem duxisse. Id non obscure præferunt Evangelia illa apocrypha, de quibus supra (18). In Protevangelio Iosephus, ne ducat Mariam, causatur: Senex ego, & liberis non careo; illa puella est; in fabulam Israelis, illam ducens, convertar. S. Epiphanius hæres. 51. n. 10. notat, egisse illum ætatem LXXX. circiter annorum; uxore orbatum fuisse, & sex liberorum patrem. S. Hippolytus Thebanus quatuor illi filios & geminas filias tribuit in Chronico; filios nempe Iacobum, Simonem, Iudam, & Iosem; filias Estherem & Thamarem. Ejus uxor *Salome* patrem habuit Aggæum, fratrem Zachariæ, patris Ioannis Baptistæ. Eadem refert Nicephorus Hist. Eccl. l. 2. c. 3. ex S. Hippolyto Portuensi; sed facile pro Portuensi legendus est Thebanus, quod vitio forte Amanuensium in textum irrepsit. Porro Iacobum Apostolum Fratrem Domini inter filios Iosephi ex primo conjugio natos, agnoscit etiam S. Gregorius Turonensis Hist. Franc. l. 1. c. 21.

S. Epiphanius hæresi 28. c. 7. & 78. 7. tradit Iosephum primam uxorem e Tribu Iuda duxisse, ex qua nati Iacobus, Iose, Simon, & Iudas, Maria, & Salome. Nihil discrepat S. Epiphanius a cæteris supra recitatis, nisi in nomine duarum filiarum Iosephi. Eusebius Hist. Eccl. cap. 1. agens de Iacobo Fratre Domini, inter filios Iosephi [ex alio plane conjugio natos] illum recenset. S. Hilarius in Matth. 1. n. 4. agnoscit pariter, fratres Domini, in Evangelio notos, patrem habuisse Iosephum, ex priore conjugio natos: *Quasi Mariæ filii fuissent, & non potius Ioseph ex priori conjugio suscepti, &c.* Satis communem eam opinionem esse fatetur Origenes in Matth. deductamque dicit ex Evangelio apocrypho S. Petri, sive ex Libro Iacobi, nec tamen illam refellit; tantumque abest, ut credat Iosephum Virginem fuisse, ut probari etiam sibi innuat, Iesum primum esse exemplar perfectæ virginitatis apud mares, quemadmodum Maria est apud fœminas.

De Fratribus Domini ex Evangelio notis, declarat S. Ambrosius de Instit. Virg. c. 6. n. 43. *Potuerunt fratres esse ex Joseph, non ex Maria*. Addit: *Quod quidem si quis diligentius prosequatur, inveniet*. Ambrosiaster, idest Hilarius Diaconus Ecclesiæ Romanæ, quarti sæculi Scriptor, id totum explicat luculenter in Epist. ad Galat. 1. 19. Jacobum enim Episcopum Jerosolymæ filium Josepho tribuit; ex quo fratrem Domini appellatum arbitratur. Laudantur in eamdem sententiam S. Amphilochius hom. 4. S. Gregorius Nyssenus homil. 2. in Resurr. & S. Chrysostomus in Matth. hom. 5. quamquam hic ambigue loquitur.

Refellit hanc sententiam S. Hieronymus Comment. in Ep. ad Galat. 1. sed non iis argumentis, quæ assensum extorqueant. In ipso limine ad Librum adversus Helvidium remittit; tum addit, fratris Domini elogium sibi promeruisse Jacobum *propter egregios mores, & incomparabilem fidem, sapientiamque non mediam*. S. Augustinus in Galat. 1. 19. reliquit in medio, num Jacobus patrem habuerit Josephum, an aliam sanguinis conjunctionem cum Jesu Christo haberet. Sed in recentiori Opusculo de Idiotism. S. Script. Jacobum filium Alphæo tribuit.

(13) In Luc. lib. 3. n. 2. pag. 1314 Ex Theophyl. Antioch. in Matth. VIII. (14) Theodor. Hist. Eccles. l. 3. c. 18. Sozomen. histor. Eccles. l. 6. c. 2. (15) Matth. XIII. 55. O' tu tektonos uios. Marc. VI. 3. Tektôn. (16) Bolland. 19. Martii p. 17. Non legitur sermo iste in nova editione S. Doctoris, ubi nec in editione Lovaniensi nihil tale lego; nisi forte in secundo sermone ad articulum Epiphaniæ, ubi Author alludens ad nomen *Artifex*, illud exponit cæmentarium, architectum, fabrum lignarium. (17) Vide Bollandistas, ad XIX. Martii. (18) Protevan. Jacobi n. 9. Vide & Evangel. de Nativit. Mariæ n. 7.

Sed peremptoria adversus hæc omnia de Jacobo, cui pater adscribitur Josephus, hæc unica ratio promitur: quod scilicet cum Jesus morti traderetur, vivebat adhuc Maria mater Jacobi, cujus nomen legitur inter religiosas fœminas, quæ præsentes spectaculo adfuerunt (19). Quis autem sibi persuaserit, sive Josephum duas simul uxores habuisse, nimirum Mariam Jacobi, & alteram Mariam Jesu matrem, sive e geminis illis unam, idest, Mariam Jacobi repudiasse, ut duceret Mariam matrem Jesu, qua de re altum est in Scriptura, Historia, & Traditione silentium? Quod etiam multo erit absurdius, si quis cum Patribus non paucis statuat, geminas illas fœminas sorores fuisse (20). Cavet enim Lex, ne talia incesta connubia ineantur (21). Judicium ergo de virginitate Josephi suspendendum est; & fateamur oportet, ambiguum esse maxime quidquid de adscita ante B. Virginem priore uxore, relatisque ex illa filiis traditum est.

ARTICULUS IV.

Quomodo S. Joseph connubium inierit cum Virgine.

VEteres illi & apocryphi Libri (22), de quibus supra, & Patres nonnulli, eorum fidem secuti, docent, Sacerdotes Templi Jerosolymitani, cum vellent virum quærere Virgini Mariæ, seu potius Virginei illius pudoris testem, virum tanto munere dignum, omnes uxore viduatos e Tribu Juda acciverunt in Templum, imperantes, ut virgam unusquisque suam deferret; exploraturi cujusnam virga floreret, & cujus virgæ S. Spiritus in columbæ forma insideret; quo indicio Mariæ destinatus vir agnosceretur. Cum igitur omnes convenissent, virga Josephi florem emisit, & S. Spiritus a cacumine virgæ evolans, capiti illius insedit. Nec mora: & Virginis vir, & sanctissimæ Puellæ custos eligitur. Hanc traditionem secuti vulgo Pictores, exhibent Josephum, florentem virgam manu tenentem, cujus cacumini insidet columba; ita, inquam, exhibent Josephum ineuntem cum Virgine coram Summo Sacerdote connubium. Gemina ferme tradunt Eustathius Antiochenus in Hexaemeron, Gregorius Nyssenus Orat. in Nativ. Christi & Epiphanius hæres. 78. num. 8. Nihil enim moramur in commentitiis hisce fabellis variantia quædam minoris momenti. Nihil pariter habet apud nos authoritatis recepta apud Pictores consuetudo, nescio qua traditione fulta, exhibens Prophetam Agabum, qui ductam ab altero Virginem dolens, virgam suam frangit, & Carmelitarum cucullum, uti desperantes solent, induit.

ARTICULUS V.

Josephus, cum gravidam Virginem intellexit, desponsam ne illam, an uxorem haberet.

SIne ambagibus quæstionem hanc definire videtur Scriptura illis verbis Matth. 1. 18.: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Lucas pariter de Josepho habet c. 1. 27. & 2. 4. *Cum Maria desponsata sibi* (1). Cum autem Græcum verbum, quod redditur *desponsare*, æque pariter usurpetur de conjugali nexu, Patres & Interpretes ea in re committantur inter se; alii enim pro conjugio, alii pro sponsalibus tantum decertant. Pseudo-Evangelium Nativitatis Mariæ habet, Josephum, *nuptiarum jure de more in Templo celebrato*, se recepisse Bethlehemum patriam suam, rebus domesticis cæterisque ad nuptias necessariis comparandis; Mariam autem cum sociis puellis in Galilæam apud parentes suos divertisse. Protevangelium Jacobi legit tantum, Josephum, coactum minis Summi Sacerdotis, Mariam duxisse; cui dixit: *Maria, ecce ego te hodie accipio de Templo Domini, & derelinquam te domi* (*donec regrediar*), *& vadam ad exercendam artem meam ædium struendarum, fabrilemve operam. Et Dominus custodiat te.* Ex his intelligimus, verum conjugium Scriptoribus illis fuisse persuasum: quamquam non tale conjugium, quod concubitum tamquam necessariam consecutionem exigeret; ajunt enim Scriptores illi & Patres (2), Mariam, Deo religione Parentum consecratam, castitatem suam Domino vovisse. Veruntamen votum hoc a Virgine nuncupatum latuisse homines, & ipsum Josephum, credendum est; Patres enim doctissimi monent (3), Deum Virgini virum destinasse, ut honori ejus consuleret, & puerperii illius mysterium conjugii velamine celaretur. S. Augustinus Contra Julian. l. 5. c. 12. innuere videtur, Josephum Mariam duxisse, tamquam uxore usurum: *Neque enim cum eam vidisset divina fœcunditate donatam, ipse aliam quæsivit uxorem; cum utique nec istam quæsisset, si necessariam conjugem non haberet: sed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit esse solvendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est.*

Modo ut ad propositam quæstionem regrediamur, utrum scilicet Virgo conjugali, an tantum sponsalitio vinculo alligata esset Josepho, cum mysterium Incarnationis ab Angelo intellexit, quæ opinio conjugium defendit, nititur iis Scripturæ verbis Matth. 1. 19. *Joseph autem vir ejus*, &c. &, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, Matth. 1. 20.

Affert etiam S. Ambrosius in Luc. l. 2. n. 5. illud Evangelii de Josepho, volente Virginem dimittere: *Qui volebat dimittere*, ait, *fatebatur acceptam.* Et quidem nullum est, nisi in conjugio, divortium. Sed numquid non & sponsam infidelem integrum est sponso dimittere? Docent Authores Judæi, desponsas puellas perinde ac uxores haberi, ut nonnisi per literas divortii repudientur (4). Origenes & Author Operis imperfecti in Matthæum, uti & Theophylactus, aliique plures volunt, Textum Evangelii, *Cum esset desponsata*, &c. conjugium revera designare.

Sed contraria opinio & rationum momentis, & authoritate multum superat. Textus Græcus ad literam sonat desponsationem. Ad hæc, Angelus ad Josephum ait: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam*: non ergo antea acceperat. Pseudo-Origenes hom. 1. & 2. in divers. Evang., qui exscripsisse videtur S. Hilarium, & subinde etiam S. Hieronymum, eorum opinionem de conjugio seu potius de sponsalibus Josephi cum Virgine adoptant, scribit, ante ortum Jesu Christi Mariam absolute uxorem Josephi appellari, ut mysterium Incarnationis Diabolum, & Mariæ Virginitas Judæos lateret. S. Hilarius in Matth. 1. verum conjugium inter illos nonnisi post natum Christum agnoscit: *Ergo & conjugis nomen sponsa suscepit, & post*

(19) Marc. xvi. 1. Luc. xxiv. 10. Matth. xxvii. 56. Joan. xix. 25. (20) Hieron. in Matth. in Helvid. & Epist. 150. Theodoret. in Galat. Beda in Marc. Chrysol. serm. 48. Theophylact. in Matth. &c.
(21) Levit. xviii. 18. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.* (22) Evang. Nativit. B. V. Item Evang. B. Jacobi, num. 9. (1) Matth. 1. 18. Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ. Luc. Ἀπεστάλη ὁ Ἄγγελος . . . πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρί, ᾧ ὄνομα Ἰωσήφ. (2) Vide Nyssen. Orat. de Nativit. Domini, pag. 779. Ambros. de Institut. Virg. cap. 5. Epiphan. hæres. 78. cap. 14. &c. (3) Ignatius Martyr, Epist. ad Ephes. Ambros. de Institut. Virg. c. 6. Origen. in Luc. hom. 6. Hieron. in Matth. 1. 18. Bernard. serm. 2. cap. 12. (4) Vide Selden. Uxor Hebraic. lib. 2. cap. 1. & 8.

& post partum cognita tantum, Jesu Mater ostenditur. Apertior S. Hieronymus in Matthæum de Josepho: *Pene licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat.* Et aliquanto post ait de Josepho: *Cum virum audis, suspicio tibi non subeat nuptiarum.* S. Epiphanius hær. 78. n. 7. 8. scite observat, Evangelistam nunquam scripsisse, Virginem nupsisse Josepho, sed tantum illam fuisse Josepho desponsam, nec ductam illam, ut uxor haberetur, sed ut sanctæ fœminæ vir sanctus esset custos.

Desponsa licet tantum Josepho, adhuc tamen cum sponso Virgo morabatur; quod juxta S. Chrysostomum in Matth. hom. 4. Authorem Operis imperfecti & S. Bernardum Hom. 2. n. 12. in Missus est: *Mos Judæorum erat, ut a die desponsationis suæ usque ad tempus nuptiarum, Sponsis Sponsæ traderentur custodiendæ.* Sed consuetudo hæc Authorum Judæorum testimonio non probatur: id tantum scimus, longum constitui ab illis intervallum inter sponsalia & nuptias; cujus rei documentum exhibent Scriptura, Judæorum Libri (5), & historia ipsa, de qua agimus; cum trium vel quatuor mensium spatio Virgo oppignorata manserit Josepho, antequam conjugium celebraretur. Obtinet hodie pariter apud Judæos, ut puellæ oppignoratæ maneant interdum sex mensium spatio, quin & anno ac sæpe biennio, antequam conjugium ineatur; quo temporis intervallo si pudorem suum violaverit sponsa, adulterii rea habetur, uti Thamaris exemplo intelligimus.

ARTICULUS VI.

Cur Josephus dimittere Mariam meditaretur.

SI Josephus de pudicitia Sponsæ suæ, ejusque innocentia optime persuadebatur, uti Authoribus quam plurimis visum est, cur prægnantem illam intelligens, dimittere meditabatur? Si ream credebat, cur, *justus cum esset*, occulte dimittere illam moliebatur, & non palam accusavit, ne connivere crimini videretur? An ignorabat, Deum non criminis tantum reos punire, sed & criminis consentientes Rom. 1. 32.? Reponitur huic objectioni, in Lege quidem permitti, ut fœmina adulterii rea sistatur judicio Levit. xx. 10.; nihil tamen ea de re præcipi. *Qui tenet adulteram, stultus est, & impius*, ait Sapiens Prov. 18. 22. Nolebat Josephus Mariam, quam fœtam norat, incertus tamen quomodo, & forte vi oppressam suspicans (Vide Deut. xxii. 24.), apud se retinere: forte etiam ambigere poterat, num antea concepisset, quam sibi desponderetur. Profecto nihil aptius succurrisset illi, quam opportunum hoc dimittendi consilium. Potuisset ille quidem rem a Maria quærere; sed numquid rem plane miram affirmanti credidisset? Josephi angustias intelligens Maria, potuisset rem totam ita exponere, ut illi persuaderet; maluit tamen in silentio Deum opitulantem, & ambages Sponsi tollentem, opperiri.

Censent nonnulli, Josephum mysterium Incarnationis probe novisse, & profunda erga pudicitiam Virginis veneratione prohibitum fuisse, ne se cum tanta Virgine jungeret, satiusque duxisse, clam illam dimittere. Docet S. Basilius lib. 1. hom. 25., Josephum, veritum, ne vir haberetur mulieris cæterarum conditionem adeo superantis, clam omnibus illam deserere meditatum fuisse. Reputat Author quidam, sub Origenis nomine latens hom. 1. Josephum, mysterium aliquod ineffabile in Maria intelligentem, indignum se reputasse, ut tantæ rei sibi incognitæ particeps admitteretur; quare secessionem agitasse apud se, eadem fere ingeminantem, quæ S. Petrus Luc. 5. 8. *Recede a me, quia homo peccator sum*. Fusius eamdem sententiam prosequens S. Bernardus Hom. 2. in Missus est, ex Patribus tenere se illam profitetur: *Accipe in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Videbat, & horrebat divinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne; & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam.* Gemina ferme promit S. Hieronymus in Matth. 1. *Joseph sciens Mariæ castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.* Vetus Evangelium S. Jacobi num. 13. 14. tradit, Josephum post sex circiter mensium a domo absentiam, regressum tandem, cum fœtam Virginem intellexisset, mente turbatum, hæc secum reputasse: Quid faciam? quanam facie intuebor Dominum Deum? quam Virginem accepi ex Templo Domini, non custodii? Tunc ad Mariam conversus: O tu in Sancto Sanctorum nutrita, manu Angelorum pasta, quid fecisti? Plorans ad hæc Maria: Nullum ego admisi crimen, & virum non cognovi. Cur ergo, ait Joseph, prægnantem te video? Tum illa: Vivit Deus meus, unde hoc mihi contigerit, ignoro. Ad hæc verba obstupescens Joseph, reputabat intra se: Quid faciam? Si crimen ejus abscondo, criminis ego adversus Legem Dei damnor: si illam accuso coram populo, vereor ne justitiam lædam, innoxiam poscens ad pœnam. Paria ferme e veteri historia se accepisse profitetur Author Operis imperfecti in Matth. hom. 5.

Sed nihil tale in Scriptura, ex qua pariter intelligere videmur, cavisse Josephum, ne ambages suas Sponsæ proderet, pudicitiæ ipsius & mœrori consulturum. S. Augustinus Epist. olim 54. nunc 153. ita de hac re philosophatur: *Cum eam scisset esse prægnantem, cui se noverat non esse commistum; & ob hoc nihil aliud, quam adulteram esse credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit. Nam hæc voluntas ejus etiam justitiæ deputatur.* Idem Serm. 82. de verb. Evang. celebrat justitiam Josephi, qui cum prægnantem Sponsam intelligeret, non poterat non adulterii ream suspicari: *Restabat itaque certa adulterii suspicio*; in quo tamen rerum articulo plurimum cavit, ne miseram traduceret: *Voluit enim prodesse peccanti, non punire peccantem.* Gemina ferme habet S. Chrysostomus in Matth. hom. 5.

ARTICULUS VII.

Quo sensu Josephus appellatur Justus.

JUsti elogium ita exponunt Patres, Chrysost. loc. cit. Author Oper. Imperf. in Matth. & Maldonatus, ut sonet hominem virtute excultum, probum, æquum, & omnibus viri perfecti laudibus ornatum. Hoc enim tradit Scriptura de homine Justo; ut sit homo perfectus & Deo gratus. Nec sane ambigendum est, virtutes omnes morales summo loco fuisse apud Josephum, virum a Deo electum tantæ rei ministrum, Incarnationis nempe conscium, cui Jesus Christus educandus committeretur.

Strictius tamen Brugensis, & Piscator nomen *Justi* accipientes, de viro intelligunt sua unicuique tribuente, & malis puniendis & virtuti præmio donandæ æque intento Prov. xviii. 22. Intelligens Josephus Sponsam suam concepisse, fidem illi sponsalitiam servare nullatenus voluit, juxta illud: *Qui tenet adulteram, stultus est & impius*. Cepit ergo consilium ream dimittendi; sed occulte peccantem noluit Legis severitati subdere, & palam accusare. Clam ergo dare libellum repudii, sive alia ratione dimittere visum est: omnia ad sanctissimas justitiæ regulas. Prægnantem manifesto tenebat Mariam; idque satis erat superque ad suspicionem adulterii concipiendam, ac ream dimittendam. Cum vero fieri posset,

(5) Selden. Hebr. Leone Modena, De' riti Giudaici, par. 3. cap. 3. Basnage, histoire des Juifs, liv. 5. ch. 18. num. 12. Vida & Grot. in Matth. 1. 18.

fet, ut invita oppressa fuisset, morte dignam minime censuit; quare cavendum sibi duxit, ne ream sisteret judicio, Lege puniendam.

Nomen denique *Justi* alii accipiunt veluti mitem, bonum, clementem, misericordem, quod oppositum est severitati justitiæ. Hoc sensu non raro usurpatur in Scriptura nomen *Justi* & *Justitiæ*; ac favent expositioni S. Chrysostomus in Matth. hom. 4. S. Ambrosius in Psal. 118. & S. Augustinus Serm. 82. *Noli esse justus multum*, ait Salomon Eccl. 7. 17.; idest, juxta Doctores Hebræos, noli esse nimium clemens, & alienæ miseriæ compatiens, uti Saul erga Agagum Regem Amalecitarum. Et Isaias, Judæos hortatus ad misericordiam & eleemosynas, claudit c. 58. 8. *Tunc anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te*. Et Psalmista Psal. 111. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus* (idest, misericordia, eleemosyna) *manet in sæculum sæculi*. Daniel IV. 24. *Peccata tua eleemosynis redime*; quo loco legit Chaldæus: *Peccata tua justitia redime*. Non ergo laudat Scriptura in Josepho segniorem quamdam indulgentiam, nec perniciosam clementiam, quæ malum ita tolerat, ut abusionem permittat. Mitis erat & justus, sapientia & zelo plenus, nec tamen in severitatem nimiam sive in rigorem præposterum declinabat.

ARTICULUS VIII.

Quando obierit Josephus, & ubi sepultus.

Superest tantum de Josephi obitu quæramus. Recepta persuasio docet, antea vitam clausisse, quam Iesus prædicandum Evangelium susciperet; nuspiam enim posthac legitur de illo in Evangelio, quasi de viro vita jam defuncto. Ideo Judæi secum invicem mussitabant: *Jesus filius est fabri* Matth. XIII. 55. sive ipse *faber est*, juxta Marcum 6. 3.; nec dictum ab illis unquam legimus: Versatur in medio nostri ejus pater; sed tantum: Versantur mater, fratres, & sorores, Matth. 13. 56. Mater ejus & Discipuli ad Canæ nuptias acciti venerunt Joan. 2. 5. 3., non Josephus. Ex quo Jesus duodennis in Templo delituit, & ab utroque parente inventus est, nuspiam alibi de Josepho. Subdit Lucas 2. 51. Jesum parentibus suis obsequentem mansisse. Tandem Jesus supremum spiritum agens, Matrem suam Evangelistæ Joanni commendat Joan. 19. 26., Josepho potius commissurus, si in vivis egisset; neque enim Jesus dissidiis gaudet, sed concordia & charitate ait Ambros. in Luc. 23.

Putat S. Epiphanius hær. 78. n. 50.; obiisse illum XCII. annorum ætate grandævum, paulo post inventum Jesum in Templo in Doctorum corona. Pseudo-Augustinus t. 5. Append. pag. 27. serm. t. de S. Joseph. defendit, vitam illum egisse adhuc, cum Iesus in Cœlum ascendit, in quam rem accommodat illud Gen. 37. 7. *Vidi quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me*; allegorice enim explicat Solem de Iosepho, Lunam de Virgine, & stellas undecim de Apostolis, ea occasione Dominum Deum adorantibus. Sed talibus argumentis quæstio facti plane non probatur.

Obiit facile, & sepulturæ mandatus est Iosephus Nazarethæ in patria sua, ubi sedem fixit post reditum ex Ægypto Matth. 2. 13., & ubi pariter morabatur Iesus, cum munus prædicationis iniit. Nonnisi aliquandiu post Capharnaum contendit; quam Urbem aliqui patriam credunt Iosephi, uti Nazaretham Beatæ Virginis. Constat plane, Iosephum notum fuisse Capharnaitis; prædicante enim Iesu veritatem corporis, quod daturum se pollicebatur Discipulis, mussitabant inter se cives Ioan. VI. 42.: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, ejus novimus patrem & matrem?* Quidquid sit, tempus mortis, & locus sepulturæ æque latent. Posterioribus sæculis monstratum est Iosephi, uti ferebatur, sepulchrum in valle Iosaphat, non procul a Ierosolyma: sed nihil de illo apud Veteres. Nec sane credimus moriturum eo venisse Iosephum, ubi nunquam superstes moratus est. Incertum esse hunc sepulturæ locum, satis probat ignoratio, qua de Reliquiis ejus tenemur; nullibi enim locorum sacra ejus ossa coluntur. Dies obitus ad XIX. Martii notatur in Martyrologiis, ultra DCCC. annos vetustissimis, quem diem festum agit in ejus memoriam Ecclesia Latina, at vigesimam Iulii in eam rem assignant Cophtæ, & Orientales cæteri cum nonnullis Italiæ Ecclesiis. Vide Bollandistas ad diem XIX. Martii.

DISSERTATIO

DE SUDORE SANGUINIS JESU CHRISTI IN HORTO OLIVARUM, AD Luc. XXII. 43. 44.

Malorum, quæ Iesus Christus tulit, & Crucis ejus meditatio variorum varie animos affecit. Fideles componendis moribus exemplum inde retulerunt, & asserendæ fidei suæ argumentum; Infideles vero occasionem scandali & infidelitatis. Usque ad hanc diem Christus odor est mortis viris perditissimis, odor est cæteris vitæ in salutem 2. Cor. 2. 16.; nunquam non Iesus cruci affixus scandalum fuit Iudæis & pravis Christianis; at virtus & robur Dei sinceris fidelibus 1. Cor. 1. 18. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, Dei virtus est.*

Angor Iesu Christi in horto olivarum, expressusque ex ejus corpore sudor sanguineus, tamquam argumentum certissimum de veritate carnis illius, humanis infirmitatibus omnibus obnoxiæ, habitus est a nonnullis; ex quo pariter causam suam confirmavere adversus illos, qui veritatem ejus Incarnationis negantes, nonnisi specie illum mala pertulisse asserebant (1). Alii, veriti ne Christiani nominis osores ea historia abuterentur, ut indigna Jesu Christo incommoda tribuerent, totum Textum ab Exemplaribus suis expunxerunt; quemadmodum hodie pariter in multis vetustis Græcis codicibus (2), & olim etiam in multo pluribus Latinis desiderabatur. *Nec sane ignorandum nobis est*, ait S. Hilarius de Trinit. lib. 1. cap. 41. *& in Græcis & in Latinis Codicibus quamplurimis vel de adveniente Angelo, vel de sudore Sanguinis nihil scriptum reperiri*. Addit, nihil inde discriminis in veri-

(1) Vide Epiph. Ancorat. cap. 31. 32. 33.

(2) Deest in Mss. Alex. Bodl. 4. 5. Cod. Leicestr. Cophe. Paris. 6. Syri quidam, teste Photio Epist. 138. Plerique Latini, testibus Hieron. lib. 2. cont. Pelag. & Hilar. lib. 10. de Trinit. Plures Græci, teste Epiph. Ancorat. cap. 31. 32. 33.

veritatem creari, neque juvari errorem; quod scilicet incertum sit, quæ vera lectio inter tot Exemplarium varietates putanda sit. *Ambigentibus igitur, utrum hoc in Libris variis aut desit aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de varietate Librorum)* &c.

S. Hieronymus adversus Pelagianos scribens lib. 2. asserit, in nonnullis Exemplaribus Græcis & Latinis legi illud Luc. 22. 43. *Apparuit illi Angelus de Cælo confortans eum; & factus in agonia prolixius orabat; & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Colligit ex his, Jesum eo imbecillitatis venire voluisse, ut Angeli solatio indigeret, cum & sudoris sanguinei causam repetit ex orandi ardore ac vehementia: *Tam vehementer orabat, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus*.

S. Hilarius loco citato hæc habet: *Sudorem vero nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam est sudare sanguinem; nec infirmitas est, quod potestas non secundum naturæ consuetudinem gessit*.

Beda Venerabilis in Luc. l. 4. c. 22. verba ferme omnia S. Hilarii exscribit, ratus, sudore Jesu Christi, prorsus prodigioso, everti hæresim illorum, qui phantasma & speciem tantum hominis in Jesu Christo agnoscunt: nec ambigit, revera sanguine sudasse cum ex rigata ejus sanguine terra allegoriam deducat, quia demonstrat, totum ab ipso mundum merito passionis suæ servandum fuisse.

Agnoscit S. Epiphanius in Ancorat. c. 31. locum hunc ex Evangelio Lucæ in Codicibus Græcis permultis eralum fuisse pia frauda Catholicorum quorumdam, metu ne quid sotra sinister inde colligeretur, non intelligentes, quid dispendii in veritatem proveniret. Addit, S. Irenæum usum esse eo loco in suo adversus hæreses libro tertio c. 32. ad probandam Incarnationis veritatem.

Utitur pariter eodem loco idem S. Epiphanius loco cit. c. 37. ad ipsum idem dogma asserendum, demonstrans, lacrymas & sudorem res esse mere corporeas: simulque ostendens, infirmitatem Jesu Christi nequaquam tribuendum, si Angeli verbis confirmatus est, non enim Angelorum solatio ille indigebat, ad cujus aspectum cœlestia, terrestria & inferna genuflectuntur Philipp. 2. 10. Suspicatur Grotius in Luc. 19. 41. hanc Exemplarium correctionem nonnulis Episcoporum authoritate inductam, verisimilius tamen credimus, ita cum illa contigisse, quomodo cum aliis permultis, ut Amanuensium audacia, seu nimia semilophorum quorumdam religione, putantium, hoc loco invidiam Jesu Christo creari, expungeretur, vel ad oram Codicis, veluti caute legendus, adnotatus, locum dederit suppressioni in nonnullis Exemplaribus.

Minima tamen hoc valuit, quin Mss. plersque Græca & Latina, ac impressa omnia nostræ ætatis integra manerent. Vidimus apologiam ex S. Epiphanio, in ejus suffragium adducente locum S. Irenæi. Eamdem pariter sententiam, quam Irenæus, refert S. Hippolytus (1), S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, S. Chrysostomus in Matth. hom. 84. Ammonius in concordia, S. Augustinus in libro de consensu Evangelistarum, & Patres alii post ipsos. Photius ad Theodorum amicum scribens, monet Epist. 138. ne unquam committat, ut quorumdam Syrorum authoritate permotus, locum hunc e Luca, veluti alienum expungentium, illum rejiciat. Porro Syris illis persuaserat metus, quod indecorum Jesu Christo videretur, ut eo dolore oppressus esset, quo Sanguineus sudor exprimeretur. Syrorum nomine hic Armeni facile designantur, quos locum hunc & historiam fœminæ adulteræ expunxisse ex Evangelio, accusat Nicon, de pessima Religione Armenorum.

Recitatis Patrum sententiis de varietate lectionum, eo loco in Exemplaribus Græcis & Latinis occurrentium, modo Textus illius sensus eliciendus est, juxta varias Interpretum opiniones. Scribit ergo Lucas c. 22. 44. de Christo: *Factus in agonia precem ingeminabat*, sive juxta Textum, *Prolixius orabat* (2). Sed Græcus ad literam habet: *Rogabat instantius*, nempe majori ardore & perseverantia. Angor Jesu Christi horror erat, aspectu mortis, & instantium tormentorum conceptus. Græca vox *agonia* significat ad literam motum hominis strenui, cui malum aliquod imminet, nec tamen ejus aspectu despondeat animum, sed horrescit, & conturbatur, & quamquam horrori & cordis agitationi resistit, hoc ipso angor ejus augetur; *agon* enim Græce est pugna, discrimen. Hunc ipsum agonem & luctam sponte, & cogente nemine, Jesus subierat.

Censet Ligfootus (3), Angelum non ante Christo apparuisse, quam post actam Jesu Christi cum Dæmone luctam. Dæmon enim horrendi monstri specie videndum se obtulit, totamque in illum rabiem ac furorem excussit. Venit tunc Angelus ad confirmandum illum, qui contra Dæmonem pugnabat: *In agonia*. Nova hæc est sententia, rationibus destituta, cum apud quatuor Evangelistas altum sit de viso Dæmone silentium.

Prosequitur Lucas: *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Plures in hæc verba quæstiones sunt. I. Contendunt nonnulli (4), non satis aperte ex Luca demonstrari, Jesum Christum sanguine sudasse, sed tantum veluti guttis sanguinis manasse, idest sudorem, uti cæteros, amisisse, sed multo crassiorem & majori copia, ut in ejus corpore veluti globulos, guttis sanguinis simillimos, efficaret, quod alii corpori adhærerent, alii ad terram usque fluerent. Observant, S. Justinum Martyrem (5) nihil de sanguine, sed tantum de sudore locutum. S. Hippolytus semel & iterum ad hunc locum Lucæ spectans, nonnisi sudoris meminit. Theophylactus & Euthymius notant, Lucam non scripsisse *factus est sudor ejus sanguis*; sed, velut guttæ sanguinis. Sed Textus Lucæ hanc expositionem non patitur. Vox Græca *Thrombos* sonat sanguinem concretum: Ita pariter obtinet apud Græcos, ut *Thrombon* appellent concretum sanguinem, & parvum tumorem educto e vena sanguine aliquandiu apparentem, qui e sanguine extra vasa coagulato, & in globulos concreto circa cutem efficitur. Nihil tale scimus de sudore, qui certe non cogitur. Sudor itaque Christi humor erat e sanguine sudore mixto, seu potius sanguis pariter & sudor eodem tempore e corpore stillarunt; & concretum sanguinem fluidior sudoris humor velut vehiculum ad terram usque deduxit; seu potius sudor sanguineus tanta copia manabat, ut ad terram usque defluerat, quod per humentem sudore cutem facile devolveretur: vix autem terram contingens, concrescebat.

II. Reputant alii, sudorem hunc merum fuisse sanguinem; quam sententiam tenuisse videtur S. Augustinus in Psal. 93. 21. dum scribit: *Toto corpore sanguis exibat. Ita Ecclesia ejus habet Martyres; per totum corpus ejus fusus est sanguis*. Ita pariter sensisse videntur Maldonatus in Matth. 26. 37. & Beda Venerabilis.

III. Censet Photius (6), verbis Lucæ tantum designari hyperbola quadam, & exaggerata loquendi phrasi intimum doloris sensum, & supre-

mam

(1) Contra Noet. cap. 18. edit. Fabric. Item serm. de Resurrect. apud Anastas. Sinait. in Hodego, pag. 356. (2) Erasm. Vatabl. (3) Hor. Hebr. in Lucam. (4) Vide Geor. Hamm. Prics. & [illegible] de morte Christi, lib. 2. pag. 130. (5) Dialog. cum Tryph. [illegible] [illegible] [illegible]. (6) Epist. 138. ad Theodor. Vide etiam pro hac sententia Euthymium, & Theophylactum.

tem J. C. virium & animi destitutionem Vulgari ille formula utitur, quam nos pariter usurpamus de homine, qui plurima passus est; illum enim sanguine & aqua sudasse dicimus. Ita ergo Evangelista, ut immensum illud mœroris pondus, quo Jesus in horto opprimebatur, acriter pingeret, scripsit, sudasse illum toto corpore, veluti guttis sanguinis decurrentibus in terram, denique sudasse sanguine & aqua: *Salsusque per artus sudor iit*.

IV. Miraculo eum totam tribuisse S. Hilarium, supra jam observavimus; ex eaque argumentum ducere non de infirmitate Christi, uti Arianos, sed de potentia divinitatis: *Nec infirmitas est, quod potestas non secundum naturæ consuetudinem gessit*.

V. Communis tandem opinio docet, sudorem illum sanguineum naturalem quidem fuisse, sed majori expressum vi & copia, quam soleat plerumque. Exempla quidem multa suppetunt sudorum sanguinei, ex inopinato terrore seu discrimine sine miraculo educto.

Quid possint in hominum corpora motus animi, ex variis atque exploratis exemplis satis constare arbitror, arcte enim adeo spiritus corpori nectitur, ut unius motum in alterum redundare necesse sit. Ita anima affectibus commota, movetur & corpus; & turbato corpore, anima pariter angitur. Quid in hominibus plerisque pariat postularum, seu alterius cujusque contagiosi morbi metus, frequentibus exemplis docemur. Tota sanguinis massa agitata, turbato *oscillationum* & secretionum cursu, contrahitur actutum morbus, & ea saluti affert incommoda, quæ raro vitantur. Quid vehemens aliquod gaudium? Nonne ejus vi oppressos plures legimus in historia? Porro nomine affectionum designamus hic motus omnes, quos consensu turbati sanguinis & spirituum animalium anima patitur.

Porro ab hujus generis affectionibus Jesus Christus immunis non fuit; sunt enim, ait Damascenus de Fide lib. 3. c. 30. *naturales*, & *innoxiæ*, nempe naturæ humanæ appendices, quibus nullum gratiæ & scientiæ vitium patitur. Illud unice intercedit inter affectiones Jesu Christi, & nostras discrimen ex eodem Patre, quod Jesu Christi affectiones voluntati ejus per omnia obsequebantur, nostræ vero præveniunt voluntatem; & ex S. Augustino de Civit. lib. 4. *Hos motus, certissimæ dispensationis gratia ita, cum voluit, suscepit animo humano, sicut, cum voluit, factus est homo*. Si autem affectionibus hisce reliquo vitæ tempore obnoxius fuit Christus, negabit utique nemo, totum illarum exercitum in illum irruisse in horto Olivarum, ac omnium maxime mortis metum imminentem; ait enim: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Objectus est tunc illius oculis totus probrosæ illius mortis terror.

Præscientiæ divinæ artificio factum est, ut ejus mortis facies omnes Christo exhiberentur; certam intellexit, sensit ejus opprobria, & indigna omnia, quæ se manerent; nihil terribilium tunc Jesu fugiebat, miser hominum status, criminis immanitas, ingrati animi vitium, sævitia, & cæcitas Judæorum, imbecillitas Petri & Apostolorum: ea simul omnia illius mens agnoscebat. Cum tandem vis tota Divinitatis veluti suspensa retineretur, perinde se habebat, quasi a Patre derelictus, ut in eos questus eruperit: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Tantum se igitur mœrori concessit, tantoque dolore oppressus est, quantum humanitas vix capere queat.

Tot simul conferte affectiones cursum animalium spirituum interceperunt, repressferunt sanguinis motum, omnesque secretiones. Verum animo deinde confirmatus Jesus ab Angelo, ac voluntati divinæ se totum submittens, hominum semper charitate inflammatus, ad amplectendam mortem animo convolavit. Redditus tunc pristinus spirituum cursus, reclusi cutis meatus, sanguis una cum sudore defluxit: quemadmodum solet amnis objecto aggere, tumescunt enim aquæ, eoque tandem disjecto, impetu majori in arva prorumpunt. Ita in accessu ardentium febrium contingit, in tensionibus solidorum omnium, arescit enim cutis exsanguis; sed febri resoluta, & violentis illis *contractionibus* remissis, effuso sudore morbus effluit.

Spectamus hæc non raro, si quando aliquis subito & inopinato metu opprimitur; pallescit ore, nutat artubus, & contremiscit, modico vel longo temporis spatio pro metus magnitudine: tandem si terror ille perseveret, vel augeatur, cor palpitat, cutis humescit, & sudor manat; nec rari sunt, quibus sanguis erumpit e naribus, vel e secretioribus corporis partibus.

Horum porro symptomatum causa est, quod cum primum insilit metus, motum comprimunt spiritus animales; quare minus validæ & frequentes *contractiones* in corde resultant, quamobrem minus valide repulsus in arterias & in extremas corporis partes sanguis, pallens relinquit os, trementes artus, & genua labantia. Cum autem nihil vel parum sanguinis recipiunt arteriæ, sanguis tamen vel proprio pondere, vel peristaltico ipsarum motu in venas impellitur, ex quo fit, ut sensim destituantur sanguine arteriæ, ac venæ magis magisque redundantes majorem, quam soleant, sanguinis copiam referant ad cor. Cum vero cor sanguinem arteriis non suppeditet, atque novum subinde & novum recipiat a venis, sanguine oppletur, quo proinde ventriculorum membranæ, fibræ & nervi magis quam pro consueto distenduntur, quare ad majorem etiam contractionem adigitur cor, ut redundantem e venis sanguinem pellat. Cum autem elasticum quodcumque corpus ea proportione contrahatur, qua distenditur, qui cordis nisus ea occasione sit, judicandum Lectoribus relinquimus.

Si enim integro corporis statu vis contractionis seu vibrationis cordis tantum, ut nihil de arteriis dicamus, æquat in singulis pulsationibus pondus trium millium librarum (7), quantum ea occasione vis illa intendatur, quis æstimet? Redundantem igitur sanguinem ut expellat, contrahetur maxime cor, eademque proportione vim suam elasticam exerent nervi pariter & fibræ; quare auctis *oscillationibus*, motus & undulationes in arteriis oriuntur, quæ arteriæ cum ipsæ pariter sint in contractione, maximo impetu sanguinem ad extremitates capillares propellent, quin & ad ipsa cutis vasa, nonnisi ad recipiendas serosas sanguinis partes facta: succedit post pallorem palpitatio, & coacta quædam ac præceps transpiratio, unde & post humiditatem sudor.

Facile hinc intelligimus, quomodo in vehementi mœrore sanguineus exprimatur sudor, quam in rem animadvertendum est, I. humanum corpus constare venis & arteriis, arterias autem cum venis anasthomosi ita continuari (8), ut unicus sed curvus canalis e vena pariter & arteria reddatur. Est autem arteriæ os extremum velut extremus *conī* angulus (9), eo loco desinens, quo incipit extrema cuspis venæ, quæ pariter in conum desinit (10), ut proinde arteria, latum os habens circa cor, sensim decrescat, & secundum suum alveum ramos ad dexteram & sinistram demittat, in quos scilicet ramos exonerat albam sanguinis partem secretionum omnium, nutritionis occultæ, transpirationis, & sudoris materiam.

II. Sudorem per cutis poros, nempe per oscilla glandularum *cutanearum*, effluere; occultam vero tran-

(7) Borell. de motu animal. (8) Bellini de motu bilis, pag. 148. (9) Strom. Theoria nova, pag. 31. (10) Strom. ibid. pag. 33.

tranſpirationem per anguſtiores alios corporis meatus.

III. In languida cordis contractione cum primum opprimit metus, relaxari extremam partem nervorum, qui vaſis cutis junguntur, deficientibus animalibus ſpiritibus, in quibus vis elaſtica ita detinetur, ut nervi tactui ſerviant. Cum autem tunc corporis etiam motus paulo languidior evadat; fit inde, ut meatus corporis magis pateant, eo facilius, quod juxta recentiores accuratiſſimos Anatomicos (11) detecta ſit in ſingulis poris cutis pellicula quædam ſemicircularis, locum tenens valvulæ, quæ fibras nervorum amplectens, ſtringit & relaxat pro opportunitate; ex quibus proinde etiam pori cutis adſtringuntur relaxanturque.

Docet autem experientia, meatus illos ita laxari quandoque, ut non ſanguini tantum via pateat, ſed arenulis etiam, ut in arthriticis (12); quia & teſte Vanderlindinio (13) ita patuerunt quandoque, ut hordei granum exciperent.

His ita conſtitutis, ſi ingens terror, & probroſæ mortis horror, ſolatii deſtitutio, ſanguinis & ſubtilium ſpirituum ad motum expeditorum maxima fluiditas ſimul jungantur, nullo certe negotio naturalem cauſam ſanguinei hujus ſudoris aſſequemur.

Etenim, juxta conſtituta a nobis principia, cor ſubito oppreſſum terrore, motum habens languidiorem, cum ſanguine plus nimio opprimeretur, ut incommodum onus expelleret, vim exerens ſuam, ſanguinem illum ſubtilem maxime, & ſpiritibus antea repreſſis abundantem, propulſavit in vacuas arterias, dilatari faciles & conſtringi. Facile inde intelligitur, quomodo validis hiſce & ingeminatis convulſionibus, & in maxima arteriarum contractione ſanguis majore impetu uſque ad arterias capillares propelleretur. Cum autem ſanguinem, iteratis hiſce cordis & arteriarum contractionibus, motum pariter ſuum progreſſivum, & periſtalticum augere neceſſe ſit; fiet inde, ut principia ejuſdem ſanguinis inter ſe confuſa & admiſta fibras omnes diſſolvant, rubræ ejus partes attenuentur, atterantur, cum ſeroſis confundantur, in unum cum illis corpus coaleſcant.

Abundans ergo in arteriis ſanguis, & vi cordis atque arteriarum validius impulſus, in arteriæ cuſpidem, quam capillarem arteriam vocamus, impingit; ſed cum anguſtior ſit vaſis hujus capacitas, ac minor, quam ut maſſam abundantis ſanguinis capiat, nec ferat impetus urgentis vim, laſſeſcere illud neceſſe eſt in extremitatibus capillaribus, ubi velut agger opponitur ſanguini e corde proſilienti, eo maxime, quod anguſtius contrahantur vaſa illa, quo magis a corde recedunt. Ita ergo per rectam lineam a corde ſanguis impulſus, premente ad latera ſyſtole arteriarum, nec extremitatibus capillaribus liberum meatum præbentibus, cum nec effugium habeat, nec requiem, urgentibus undique omnibus, quærit ut evadat; quare inſinuare ſe coactus, cum ſeroſitate per vaſa ad latera canalis ſui patentia dilatatur.

Cum autem, ut ſupra obſervavimus, arteria ſecundum canalem ſuum plures emittat ramos ad dextram & ſiniſtram, quibus apta tranſpirationi & ſudori materia ſecernitur, in eos ſe ramos inſinuans ſanguis, per diſpoſitam ſeroſitatis viam ducitur uſque ad glandulas cutaneas; quibus laſſeſcentibus, & pluſquam par eſt reclusis, deſtitutis pariter animalibus ſpiritibus, ſtillabit e poris ſudor ſanguineus. Ita pariter ſpectamus, cum violenta ſubita tuſſi excreatur ſanguis; nec tamen inde ſtatim colligas, ruptis pulmonis vaſis vitium illud induci [raro enim tunc eo vitio affecti convaleſcerent]; ſed violenta pulmonis contractione vaſorum diametra pluſquam par eſt diſtenduntur, unde ſanguis coactus per veſiculas pulmonis inſinuatur. In inflammationibus oculorum idem pariter recurrit, cum enim vaſa lymphatica, ſuper corneam diſcurrentia, ſanguine regurgitent, oculus momento citius ſanguinis colore inficitur; emiſſo ſangine ceſſat morbus, quia decreſcens ſanguis in vaſa ſua recipitur, iter ſuum proſecuturus. Nec aliter explicatur contingens ſæpe mulieribus ſymptoma, quarum ubera lacte deſtituta ſanguinem reddunt, [quamquam glandulæ illæ minime a cutaneis diſcrepant; at ſunt non glandulæ potius quam glandularum acervuli] (14).

Ex his etiam principiis deſcribitur ſæviſſimus ille & recens morbus Polonicus, quem nos *Plicam Polonicam* appellamus, in quo capilli omnes capitis, & corporis pili ſanguine ſtillant. Porro luem hanc Joannes Stadlerus Medicus omnium primus anno 1564. obſervavit, uti tradit Hercules Saxonia Medicus Patavinus (15). Criſpantur in eo comæ, tumeſcunt maxime crines, intricato invicem plexu nectuntur, ut Meduſam ſpecies, ſive furiarum poeticam comam, mille anguium plexu horrentem. Porro, ſi fides ſit Schenkio in 1. Libr. Obſerv. de capite, tumeſcunt ad digiti craſſitudinem interdum crines, & adeo augetur barba, ut ad ventrem uſque non raro deſcendat.

Quæ autem propria hujus morbi eſt natura, promovere morbum, non tollere, Medici eſt ſapientis; ſi quis enim radere crines vel barbam auſus fuerit, ille pro valetudine diſcrimini erit ægroto. Teſtatur enim Aloyſios Sinapius (16), vidiſſe ſe quoſdam intimo capitis dolore affectos, tum oculorum inflammatione, ac deinde cæcitate; quæ omnis funeſtæ erant appendices abſciſſorum crinium. Statim ac ergo aliquis gravi capitis dolore laborat, cum oculari morbo, colicis, & vagantibus quibuſdam articulorum doloribus, hiſce indiciis *plicam* agnoſcunt; cujus proprium eſt pharmacum, ſi quis caput ægroti defricet mollium quarumdam herbarum decoctione, ac maxime Acanthi ſativi, qua *plica* inducitur. Ubi morbi vis tota explicatur, ceſſant ſtatim omnia, dolor, & morbus; ægro enim valetudinem reſtituendam ſibi ſumit natura. Si quis autem velit ſive comam pectere, aut crines acu pungere, ſive abſcindere, effluit ſtatim ater, denſus, & abundans ſanguis, ac æger acri dolore ita torquetur, ut non raro mors ipſa ſuperveniat.

Atri hujus morbi cauſa non ea quidem reputanda eſt, quæ olim credita, nempe Polonorum ſordes, ſive humi cubationes; alioqui enim viros locupletes morbus non tangeret; ſed deputanda potius algenti regionis illius aeri, quo facilis tranſpiratio impeditur; compotationibus immodicis ſpiritus vini, meri Hungarici, cerviſiæ, corruptis aquis; tum & uſui immodico ſalitarum & aromatibus conditarum carnium, unde proverbium: Polonos edere, & bibere ignem. Fuſius hunc morbum expoſui; ſed ipſa rei novitas digreſſionis moram excuſat. Qui plura de illo velint, adeant, præter geminos Scriptores ſupra laudatos, Joannem Agricolam (17), Rodericum Fonſecam (18), Joannem Collem (19), Janum Abrahamum a Gehema (20), Michaelem Geilegum (21), Joannem Thomam Minadoum (22), Theo-

(11) Malpighius, primarius Medicus Innocentii XII. & Verheyen in ſua Anatomia. (12) Anton. Benivenius, de abditis morbor. cauſis, cap. 4. (13) In Phiſiolog. cap. 16. art. 13. ſect. 24. (14) Bergerus, de Natura Humana, pag. 113. Paccaia. differt. pag. 291 Ruyſch. Theſaur. paſſim. (15) In Tract. de Plica, pag. 15. Patavii 1600. in 4. (16) Abſurda vera, ſeu paradoxa medica, in 8. Genevæ 1697. (17) De Helotide, ſeu Plica Polonica, Baſileæ, decad. 4. diſputation. Joan. Genathi, in 4. 1620. (18) Conſultationes medicæ, ubi de Plica, Venetiis 1618. fol. (19) Methodus parandi jucunda, ubi de Plica, Venet. 1628. in 4. (20) De morbo Plica, Hagæ-Comitis 1683. in 8. (21) De Plica, decad. 5. Joan. Genath. Baſileæ 1620. in 4. (22) De corporis ſanguinibus. Patav. 1600. fol.

Theophrastum Veridicum Scotum (23), Honuphrium Bontilium (24), qui de hoc argumento scripserunt.

Hanc reddimus proniorem, naturalem & physicam, ac maxime limplicem languinei sudoris explicationem. Cum autem exemplis magis quam rationibus, ab exemplo maxime pendentibus, persuadeamur, exempla ejus rei plura proferemus in medium, tum ex Historicis fide dignissimis, tum ex observationibus Veterum & recentiorum Medicorum.

Suppetunt magno numero exempla sudoris varii coloris & naturæ.

Subcroceos rum & virides se spectasse tradit Avicennss l. a. c. de sudore, & in alio Libro, alium atramento similem se vidisse asserit, cujus erat causa in melancholiam referenda (25). Refert Olaus Borrichius (26), visum a se similem alium sudorem in fœmina phthisi laborante, quæ sudando convaluit. Alsharavius Arabs (27) meminit rubri & arenosi sudoris. Ie Germanis Ephemeridibus legitur sudor lacteus, oleosus, virens, violaceus; nec multis ante annis Gelly, & Geofridus, Medici Facultatis Parisiensis, spectarunt ægrotum, qui post morbum pustularem intra viginti dies interiit, sudans cærulei coloris humore; quo eodem colore panniculi circa ægrotum inlecti sunt. Retenta diutius urina sudorem urinæ similem reddidit, & excrementorum odore infectua sudor aliquandu expressus est (28). Apulejus in priori Apologia narrat, Crassum, post instructissimam cœnam iterum lavantem, vino sudasse. Vidit Fraecifcus Zypæus (29) hominem, post epotum Hispanum vinum, sudaotem humore, qui illud vinum colore & odore referebat: cum rhabarbarum gustasset quidam croco sudavit, uti legimus in Ephemeridibus Germanis, ex Christiano Meezelio. Hæc certa fide constantia satis probant adversus Sceligerum fieri posse, ut sanguine sudetur; contendit enim Scaliger, Aristotelem nonnisi imperite locutum de sudore languineo, quem Scaliger ipse nec fieri posse censet, nec se legisse unquam ejus exempla profitetur (30).

Nec minori copia succurrunt exempla sanguinis, e partibus quibusque corporis exsudantis. Erumpit interdum ex auribus, ex oculis, e gingivis. Matronam vidisse se refert Bartholinus (31), cujus manus dextera & facies vix tactæ sanguinis guttis rubebant. Quoties Georgius ille Castriotus (32), Rex Illyrici, cognomento *Scanderbegus*, idest, Dominus Alexander, ad pugnam edversus Turcas, quorum erat infestissimus adversarius, procederet, sanguine stillabat e labiis. Notus est etiam sudor sanguineus sob alis.

Henricus ab Heres (33) refert de Belga quodam, qui cum Spadanas aquas biberet, regrediens a fonte mane sanguinem reddebat stillantem ex alis. Paria narrat Gaspar Pezoldus (34) de viro LXVI. annis sene, ex intermedio digitorum pedum lecto sudorem emittente. Apud Antonium Benivenium (35) legas de viro XXXVI. annorum ætatis, egerente singulis mensibus sanguinem per cutis meatum, juxta regionem jecoris; quem cum invisurus venisset Scriptor ille, nec cicatricem seu vulnus ullum offenderet, de re ipsa primum dubitavit; sed post alterum mensem iterum ad illum se conferens, vidit eo loco fluentem usque ad libræ pondus saeguinem, & quod mirum est, post sanguinem locum observans, salva omnia invenit. Fernellus (36) Medicus primarius Henrici II. & Medicus itidem Facultatis Parisiensis, e vasis capillaribus cutis ad regionem jecoris fluentem sanguieem observasse se affirmat. Tandem res est exploratissima, sæpe etiam saeguine sudatum esse; quod ex causis sive intereis sive externis repetendum est.

Externa hujus causa est anguis *Hæmorrhois*, idest, sanguine fluens, nomine ex re indito. Ejus morsu vehemens primum dolor; tum intime insinuante se veneno, fibræ omnes sanguinis adeo dissolvuntur, ut per sudorem toto corpore sanguis effluat (37). De illo agit Nicnnder in Opere de theriaca, & Lucanus in Pharsalia, libro IX.

.... Sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.
Sanguis erant lacrymæ: quæcumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: sudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.

Jacobus Grevinus Medicus Facultatis Parisiensis in Tractatu de Venenis 1568. Antuerpiæ in 4. pag. 85. refert, anguem hunc brevi esse corpore, e genere viperarum, colore subnigro, arctissimo collo, & duobus albis cornubus distinctum.

Legitur pariter apud Georgium Marggravium Hist. natur. Brasil. lib. 6. anguis *Ibyra*, cujus morsu sanguis e naribus, ex oculis, ex auribus, ex ore, ac tandem e poris omoibus provocatur ea copia, ut raro eo incommodo affectus convalescat.

P. Kircherus Jesuita in suo *Scrutinio Pestis* refert, notos esse in regione Quito aegues bicaudatos, quorum morsus ex omnibus corporis poris sanguinem provocat. Sunt etiam sudorificæ quædam plantæ, juxta Galenum lib. Medicament. purgant. c. 4. quibus sanguineus sudor exprimitur; cujus generis credimus *Hæmanthen* P. Kircheri, quam Courtautus in sua Apologia appellat *Hæmagogam*, sive herbam Galenicam, non dissimilem stachyo; erescit autem in Pyrenæis, & cuti admota exprimit sanguinenm sudorem.

Petrus de Osma in epistola data Peruviæ anno 1568. ad Monardum Medicum, ut refert Marcellus Donatus (38), nosse se dicit Indum, qui pervicacissimos morbos pellebat, succum quemdam herbæ admovens, & defricans ad juncturas, tum vero partem calefactam stragulis operiens: quo facto, aliquandiu post sanguineus sudor ex articulis omnibus provocabatur. Clymatis etiam mutatio inter externas causas referenda est; advenæ enim, cum in Americam venerint, ex hiatibus omnibus corporis sanguinem reddunt, quod morbi genus in Martinica appellant morbum Siami (39); sudant etiam saeguine e poris omnibus cutis.

Causæ interez sunt aer pestilens; sed potissimum animi affectiones. In lue sudare interdum sanguine visi sunt plures; quod perniciosissimum est morbi symptoma. Narrat Schenkius (40), anno 1554. in lue Miseni, fœminam eo morbo affectam triduo sanguine sudasse. Conardus Lycosthenes (41) observat, anno 1552. fœminam lue infectam ex omnibus poris capitis sanguine stilasse.

Tandem affectionum vi factum est interdum, ut

(23) Plicomastix, Dantisci 1668. in 4. (24) De Plica Uratislaviæ 1712. in 4. (25) In Cantic. (26) Acta Hafniensia Bartholin 1672. tom. 1. pag. 133. (27) Lib. practic. sect. 2. tract. 31. cap. 19. (28) Appendix Ephemerid. Germanic. an. 1685. (29) Fundam. Medica Phisica par. 2. cap. 3. art. 17. (30) In Scaligeranis. (31) De Cruore Hippomnem. 4 de sudor. sang. (32) Marinus Barletius, de vita & morte Scanderbegi, cum epitome Georgii Barthol. Pontani a Breitemberg. (33) Observat. Medic. rariores, seu fons Spadanus, Lugd. Batav. in 12. 1685. observat. 23. (34) Observ. Uratislaviæ 1715. in 12. (35) De abditis morbor. caus. Basileæ in 8. 1529. pag. 20. (36) Pathnolog. l. 6. cap. 4. Paris 1587. fol. (37) Diodor. lib. 17. pag. 560. (38) De Medicina Hist. mirabili, Mantuæ in 4. 1592. cap. 2. (39) Ita vocatur morbus in ea regione, quod delatus credatur navi e Siamo veniente. (40) Observ. 138. lib. 2. Francof. fol. 1609. Georg. Agric. lib. 2. de Peste. (41) Prodigior. ac ostentor. Chronic. fol. Basileæ 1557. pag. 270.

ut fangoineus sudor exprimeretur; ne quid enim moremur sanguineos sudores recitatos ab Aristotele (42), Galeno (43), Theophrasto Eresio in tractatu de sudoribus, & Rondeleto (44), Durius in Ephemeridibus Germanicis, Observatione 179. narrat de juvene, qui in carcere clausus, tanto effectus est terrore, ut corpore deficiens, in pectore, manibus & brachiis sanguineum sudorem reddiderit. Refert etiam Rosinus Lentilius in iisdem Ephemeridibus, puerum quemdam, una cum duobus fratribus suis suspendio damnatis, ejusdem criminis conscium, cum supplicium fratrum spectaret, sanguine toto corpore sudasse.

Fagonius, Medicus Facultatis Parisiensis, in sua Thesi 25. Januarii 1665. corollario 5. *Ergo*, scribit, *sudor sanguinis a naturæ vi. Sed & sensibus facta fides est, consecratam Virginem, impurissimis sicariis ad eam corrumpendam advolantibus, stupri horrore, mundissimum sanguinem e venis sudoris specie cum vita profudisse.*

Virorum fide dignissimorum narratione tenere se tradit Collius (45), anno 1583. virum quemdam in carcere detentum Parisiis sanguine sudasse. Scribit Maldonatus, hominem robustum, & integra sanitate cum primum audivit in se mortis sententiam, sanguineum sudorem toto corpore emisisse. Quod pariter de viro morte damnato legimus in Vita Sixti V. (46), per noctem magna copia sanguine sudante. Observat autem Leri ejus Vitæ Scriptor, viros illos, qui propius rem inspexere, existimasse, sudorem illum nonnisi lacrymas esse, dolore & desperatione e glandulis lacrymalibus expressas, & inflammatione rubescentes, quod illis succurrebat, persuasis, nonnisi divino miraculo fieri posse, ut sanguis per transpirationem e vasis suis eliceretur. Optime illi, si nonnisi lacrymæ viri hujus rubescerent; sed non de lacrymis tantum agit historia. Miscellanea Historiæ & Literaturæ P.D. Bonaventuræ Arragonii Carthusiensis, vulgata sub nomine Vignolii Marvillii to. 3. p. 174. feruet de muliere defuncta Parisiis ex effuso sanguinis sudore, ita ut ne gutta quidem sanguinis post ejus obitum in vasis superesset. Meminit Thuanus in Histor. l. 2. Præfecti *Montis marini*, qui captus ab Augusto, filio spurio Principis Salutiarum, & morte intentata, ni dederet Urbem, tanto mœrore effectus est, ut sudarit sanguine & aqua. Continere autem me non possum, quin in calce hujus Dissertationis, singularis cujusdem sanguinei sudoris historiam referam, quæ Genuæ contigit anno 1703. Narratur autem in epistola ad diem v. Decembris ejusdem anni a D. Saporitio, Medico ejusdem Urbis; quæ inseritur cum nonnullis animadversionibus celeberrimi D. Vallisnieri, Medicinam Paduæ profitentis, in Ephemeridibus Germanicis anno 1712. centuria I. observat. 20.

Puella XVIII. annorum ætatis, integra ad id usque valetudine, post levia quædam incommoda, valido stomachi morbo arrepta est; tum sanguinem excreavit violenta expressum tussi, non sine laterum dolore, & respirandi difficultate. Is morbi status quatriduo fuit. Excepit deinde ingens capitis dolor, & sanguinis magna e naribus effusio; nec tamen vi morbi remittente, sanguinis alia emissio e brachiis & pedibus facta est. Supervenit *cardialgia*, & sanguinis vomitus; tum sanguinis e naribus emissio, deinde iterum vomitus sanguineus, nequidquam renitentibus pharmacis astringentibus & narcoticis, a Medico adhibitis. Post aliquot dies, sanguis profluxit ex auribus, e summis digitis manuum & pedum, ex umbilico & angulo oculi; post hæc, sudor e medio pectore, & interiori ac exteriori utriusque manus parte, tum ex eo pedum loco, unde sanguis educitur: ac triduo post e mento & nasi extremitate, quod XIV. diebus duravit.

Testatur autem Saporitius, tot sanguinis erogationibus nequaquam factum esse, ut ægrotans puella languidior redderetur; paruisse autem in manu tantum sinistra leve quoddam veluti vulnus, cujus tamen ne vestigium quidem deprehendebatur in pectore, sive aliis in locis, unde sanguis effluxerat; nihilque doloris in ea sanguinis erogatione sentiebat, nisi cum ex interiori manus parte difflueret. Post decem dies, sanguinem multo pallidiorem, quam soleret, animadvertit Medicus, & acriorem in puella manus dolorem; quo indicio egressio sanguinis ex eo loco designabatur. Nec mora, effluxit veluti sudor sanguineus, fluens tamquam ex alte inflicto vulnere, cujus tamen nullum vestigium supererat in cute post emunctionem; momento post sanguis e vicino poro dissiluit, tum ex altero etiam poro; ac positus ad languentis sinum panniculus sanguine itidem infectus est. Hæc se spectasse tradit Saporitius; aliorum autem narratione didicit, triduo post sanguinem in formam crucis, spineæ coronæ, aliorumque mysteriorum Passionis Jesu Christi prosiluisse, facile, ait, quod fluens sanguis casu varias figuras, utcumque Passioni similes, referret, unde ea credulis persuasio inducta est.

Post hæc exempla, neminem futurum arbitror, qui sanguineum sudorem naturaliter fieri posse negans, rem totam in Christo divino prodigio deputet. Testor autem non invitus, hæc omnia debere me D. *Alliot de Masses*, Medicinæ Doctori in Facultate Parisiensi, itemque medicinam profitenti, qui observationes suas mecum, qua est humanitate, communicavit, eo officiorum additamento, quo muneris pretium magnopere ex eo augetur, quod mihi sua proferenda tribuerit.

DISSERTATIO

DE DÆMONIBUS CORPORA OBSIDENTIBUS, ET POSSIDENTIBUS.

VEteres Christianæ Religionis adversarii, prodigiorum Jesu Christi, Apostolorum, & primorum Christianorum evidentia convicti, cum veritatem in dubium revocare nec auderent nec valerent, vim eludere tentarunt, contendentes, illa esse tribuenda magicæ operationi, sive Dæmo-

(42) Histor. animal. lib. 3. cap. 19. & lib. 3. partium animal. cap. 5. (43) De utilit. respirat. Galeno attribut. *Contingit poros ex multo & fervido spiritu adeo dilatari, ut exeat sanguis per eos, & fiat sudor sanguineus.* (44) Lib. de dignoscend. morbis, cap. 2. *In juvene studioso propter venarum raritatem, osculorum illorum laxitatem, & sanguinis tenuitatem.* (45) Tract. de Sanguine Christi in 4. Mediolani 1617. (46) Gregorio Leti, Vita di Sisto V. lib. 6.

monum Principi, sive arcanorum verborum, vel naturalium rerum virtuti. Opponebant alii Iesu Christi & Apostolorum prodigiis prodigia Numinum, Magorum, & Heroum apud Ethnicos. Pellere Dæmones nomine Beelsebubi Iesum Christum contendebant Iudæi; Ethnici vero collatas a Iesu Christo ægrotis sanitates comparabant cum vulgatis Æsculapii; & prodigia Apollonii Thyanæi pari habebant gradu cum prodigiis Apostolorum. Nostra ætate ingenia, quæ cæteris superiora se jactitant, Philosophia utuntur, ut prodigiosum, de quibus Sacra Scriptura, vim eludant. Sunt enim arcana quædam naturæ, herbarum vires quædam occultæ, est mira quædam vis phantasiæ, sunt præpostere inductæ ab infantia & institutione præjudicatæ opiniones, sunt certæ regulæ motuum, sunt hyperbolicæ quædam loquendi formulæ in Scriptura, quibus omnibus totam prodigii vim illi deputant; contendentes, omnia ad naturales regulas referri optime posse.

Nos hic ea tantum revocabimus in examen, quæ de Dæmoniacis feruntur. I. An fieri possit, ut Dæmones corporibus insideant. II. An insideant reipsa. Afferenda ducimus primo quæcumque in contrarium validiora opposita sunt argumenta; dein congrua responsione illa diluemus, adversam sententiam firmantes, tum argumentis e Scriptura, tum e ratione ductis. Cum autem res nobis sit cum Philosophis, Patrum authoritatem parum morabimur; tunc tantum illam attulisse contenti, cum adductis a Patribus rationibus roborabitur.

ARTICULUS I.

Rationes negantes revera esse Dæmoniacos.

Quos vocamus Dæmones, naturæ sunt mere spirituales, quibus nulla proxima in corpora actio respondet. Nulli ergo esse possunt Dæmoniaci. Nihil enim aliud eo nomine intelligimus, quam Dæmones proxime & naturaliter in hominum corpora agentes. Si quis autem revera id fieri posse contendat, saltem ad prodigium confugere necesse est; repugnat enim exploratis naturæ legibus. Nulla autem congrua ratio succurrit, cur Deus hanc Dæmoni potestatem indulgeat; videretur enim uno agere consilio cum isto tum gloriæ suæ, tum humani generis adversario; scandalo propterea esset imbecillibus, plus nimio exaggerans de potestate Dæmonis opinionem, Dæmonis, inquam, interdum ludibrio habentis vim exorcismorum, & quidquid in religione est maxime sacrum: tandem nulla necessitate prodigiorum numerus multiplicaretur. Prodigium enim esset, quod homo a Dæmone possideretur, prodigium, quod liberaretur infestissimo hospite; prodigium tandem, quod ab illo non perimeretur.

Tandem si quis statuat, revera obsideri a Dæmone energumenum, agnoscere necesse erit in uno eodemque homine duo agendi veluti principia, duos spiritus, qui sive alter post alterum, sive ambo simul ad agendum illum impellerent, nimirum Dæmonem & animam. Porro duo illa principia, ingenio inter se & voluntate contraria, mutuo committerentur, alterum ab altero dissiparetur, nec corpus in medio hujus certaminis diu subsisteret. Quam non exerceret tyrannidem Dæmon, si corpus sibi subigeret? Quid non diceret, quid non faceret? Quodnam corpori illi discrimen? An conceptæ hac de re opinioni aliquid simile respondet in historia? Quid non assequeremur, pandente Dæmone? quid scientiæ homines lateret?

Occurrunt interdum pueri statim a Baptismo, & homines morum sanctitate eximii, qui tamen iniquissimo adversario committuntur possidendi. A Deo rem hanc indignam permitti quis credat? Nonne ad alteram confugere interpretationem præstaret, e.g. vitio morbi? Neque enim ultionis exigendæ gratia permitti id a Deo credi par est; sunt enim moribus castissimis: nec experimenti de illis capiendi consilio; sunt enim ante usum rationis pueri, qui experimentis illis nihil proficerent. An hæc omnia valeant ad gloriam Dei promovendam? cur igitur non occurrunt omnibus locis & temporibus? cur integras per Orbem Nationes intactas Dæmon relinquit?

Unde vero fit, ut plerumque eo affectas incommodo non offendas, nisi gentes & regiones maxime omnium superstitiosas, sive animo & mente imbecilliores? Nunquam profecto spectes viros doctos, integra valetudine, superstitione vacuos, in Dæmonis potestatem & possessionem venisse. Si quis examine rentet Dæmoniacos istos, spondeo futurum, ut omnes ad unum deprehendantur tetro humore teneri, vel saltem affici morbo aliquo cerebri, seu partium nobilium corporis, cujus morbi vi spiritus labascit.

Ea persuasione tenentur nonnulli, quasi Dæmoniaci citra Religionis dispendium, citra Scripturæ contemptum negari pervicacius non possint. Sed apage territicula puerorum. Maximum potius Religioni præstatur obsequium, si superstitionum & fictorum prodigiorum fœce purgetur. Prodigiorum temeraria farrago in Religione vera & asserta labefactat, & audaciora facit procacia quędam ingenia, ut negent indiscriminatim omnia. Est autem Dæmonis in corpora hominum possessio prodigium inter maxima; a legibus omnibus naturę recedit Deus, ut corpus possidendum Dæmoni permittat. Quo posito miraculo, alterum consequi necesse est, ut scilicet vis omnis & potestas Dęmonis citra necem hominis cohibeatur; nec nisi tertio prodigio possidens corpus illud Dęmon expellitur.

Si quis vero statuat, unum idemque corpus a pluribus simul Dæmonibus insideri, uti de Maria, quam septem Dæmones possedisse legimus Luc. 8. 2. de viro Gadareno, quem legio inhabitabat Marc. v. 9. Luc. viii. 30. nova insuper & nova prodigia cumulabuntur. Si datis temporum intervallis, & veluti iteratis aggressionibus, ut in singulis lunationibus Matth. 17. 14. vel in recursu morborum, torqueri Dæmoniacus constituatur, iterum ad nova prodigia; ex quo enim nova hęc supernaturalis aperitur via, nunquam per illam proceditur, nisi nova & nova interneantur prodigia. Rationes physicæ omnes ad aggressiones illas per intervalla explicandas loco cedunt, si Diabolo tribuantur, succeduntque supernaturalia omnia; est enim supra naturam, Dæmonis in hominum corpora obsessio.

Neque e re est nostræ Religionis, ut veritas ejusmodi rerum defendatur. Nihil inde sive de Numinis potentia demitur, sive Jesu Christi prodigiis derogatur: ubi enim energumeni negentur, non proinde negatur, Deum pro arbitrio tollere, angere, refrænare vim Dęmonis valuisse. Id tantum contenditur, Deum adversus constitutas sibi leges ea indulgentia facturum; repugnaturum pariter commodis Religionis, exaggeratis ultra modum prodigiis; fræna Dæmoni plus nimio laxaturum; denique in veritatem assertorum prodigiorum creaturum invidiam, quod scilicet ab energumenis multa patrari supra vires naturæ, adeoque prodigia putaremus. Quæ si vera sint, quis demonstrabit incredulis, prodigia SS. Petri & Pauli non in Dæmonem, sed in Deum referri oportere? Hanc calumniam struxere Judæi (1) adversus prodigia Jesu Christi, quę Beelsebubo tribuebant.

Nec inficiamur, plenam fuisse in Jesu Christo potestatem patrandi tot tantaque prodigia, quot satis essent ad asserendam divinitatis & missionis illius veritatem. Cum ergo negamus oblatos illi esse

(1) Joan. viii. 48.

esse Dæmoniacos, a Dæmone revera possessos, asserimus illi tamen virtutem Dæmones pellendi, si opus fuisset; asserimus factum ab illo prodigium eo morbo depulso, quo languentium seu corpus, seu mens, seu tandem cor ita afficiebatur, ut in eam persuasionem venirent. Maximo est sane prodigio, si dicto citius valetudo restituatur lunatico, surdo, muto; quæ omnia incommoda a Dæmone intus agente inducta censebantur. Potentiæ Divinæ summum esset decus, si tantum valuisse demonstraretur, ut posset Mariam ad bonam frugem convertere, & ab ejus animo non septem Dæmones revera obsidentes, sed totidem capitalia crimina, seu totidem malas habitudines, quibus ferebatur in crimen, depelleret; si gratiæ virtute contractas ab illa longa consuetudine malas propensiones corrigeret; vel saltem si sanitatem restitueret e morbo, vel septem morborum complexu; ita enim explicari potest septem illud Dæmonum contubernium.

Vetustissimum intus agentis Dæmonis exemplum in Scripturæ Saul occurrit. Nullo autem negotio demonstratur, morbum Principis totum ab agente intus melancholico humore repeti. Morbus erat per intervalla insiliens, & invalescens, cui pharmacum erat præsentissimum, si quis musico aliquo instrumento canens, letiora Principi inspiraret. Canebat igitur cythara David, qua paulatim tetrum illum humorem dissipante fiebat, ut depelli Dæmon crederetur. Hæc S. Chrysostomus Hom. I. de Davide & Saule, & post illum Interpretes plures quos inter Cajetan. Sact. Cornel. totum Regis morbum maniæ & melancholiæ tribuunt.

Nec majori molimine cetera omnia Energumenorum exempla, de quibus in N. T. explicatur. Hic enim occurrit ater & melancholicus humor; hic adustus sanguis & incensus; hic viscerum ardor, hic noxiorum humorum congeries, quibus Spiritum precludentibus, similis epilepsiæ morbus inducitur. Viciata interdum phantasia persuadetur aliquis, teneri se a legione Dæmonum; quemadmodum errore mentis interdum factum est, ut transformati homines in bruta, in Reges, in Deos sibi videantur. Sæpe ex morbo surditas, seu incommoda alia, casu vel natura inducta, satis erant, ut pronus in superstitionem populus Dæmoniacum esse aliquid persuaderetur.

Hisce ergo, quicumque fuerint, Dæmonibus depellendis, satis habebatur vel a morbo valetudo, vel mens vitio correcta. Duo hæc fuere Energumenorum genera, quæ Jesus Christus in Evangelio sanavit. Qui post alteram e transfiguratione diam Apostolis oblatus est Dæmoniacus, lunaticus (2), epilepticus (3), & mutus (4), narrante Scriptura, ab infantia sæpius aggressorem Dæmonem experiebatur, quo agente allidebatur ad terram, & in ignem, spumabat ore, clamabat, contorquebatur. Jesus minitatus est Dæmoni, & salva statim omnia.

His omnibus exponendis certum illud, quod etiam in Evangelio ponitur, constituendum est; puerum nempe illum epilepsia ab infantia laborasse, pervicaci sane remediis omnibus morbo, cujus portentosa symptomata facile Dæmoni ab imperitis tribuuntur. Eo te magis visum est Christo, miserum hunc puerum morbi hujus tyrannide liberare; quam affectam vulgi mentem, errantem quidem, sed errore nequaquam pernicioso, sanare. Idem affirmo de obsessionibus, quas ferunt, Dæmonis; nihil enim habendas censeo, præter latentes morbos Dæmoni tributos. Ita mulier curvitate a XVIII annis laborans Luc. 13. 13. *habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo; & erat inclinata.*

Aliud energumenorum genus erant homines vitiis implicati, quorum merito sive a Dæmone revera illi torquebantur; sive conscientia ejusdem criminis illos torquendi munere fungebatur. Ex eo numero facile credimus mulieres, quas, contubernio mali spiritus liberatas, comites se liberatori suo dedisse legimus Luc. 8. 2. nec aliter censemus de illis, de quibus in proposita parabola locutus est Jesus Luc. 11. 24. Matth. 12. 43. narrabat enim, immundum spiritum ex homine egredientem deserta loca requiem quærendo peragrare; sed spe sua frustratum in priorem domum redire tandem; adhibitis secum septem aliis Spiritibus se nequioribus, qui omnes venientes sedem ibi suam constituunt, ut fiant novissima hominis illius pejora prioribus.

Malus ille spiritus, e quo septem priores viri Saræ, filiæ Raguelis, occisi sunt Tob. vi. 14. 17. Dæmon erat, cui permissa tantum erat nocendi potestas in eos, qui se totos voluptatibus addicerent, nulla Dei ratione habita. Compertum est tandem, homines, admisso mortali crimine, servos fieri Dæmonis (5), cujus tyrannidi subjecti in graviora semper adiguntur crimina, nisi Deus infelici ea servitute per gratiam suam miseros levet. Ea certam & perniciosissimam Diaboli possessionem.

De spiritu fornicationis frequenter legas in Scriptoria (6), uti & de spiritu mendacii 3. Reg. 22. 22. de spiritu vertiginis Isai. 29. 10. de spiritu zelotypiæ Num. 5. 14. & sic de ceteris; quibus designantur pravæ quædam habitudines, quibus in vitia illa vel rapimur, vel comparamur. Nec tamen hæc omnia Dæmoni tribui necesse est. Docet Jacobus Apostolus 1. 14. queri non tantum oportere de regnante in nobis concupiscentia; cujus imperio ita ferimur in vitia, ut illis volentes nos subjiciamus. Non est proinde, cur statim putemus supernaturale aliquid inesse iis, qui teneri dicuntur e spiritu fornicationis, vel ambitionis. Satis habet homo propensionis in vitia; validum satis est affectionum imperium, ut nihil a nobis ducamus alienum; quin aliquid agere Diabolus credatur. Sive autem ipse se Diabolus rebus illis immisceat, sive non, illud constituendum est, unum esse Deum, qui genus illud Dæmonum pellere valeat. Ecclesiæ quidem & Sanctorum preces id efficere possunt, ut Deum erga homines criminosos flectant, utque Deus resipiscendi gratiam concedat; sed nihil ad ejusmodi possessiones valent adjurationes. Morbi genus illud unicum exigit pharmacum, pœnitentiam, jejunium, eleemosynam, preces.

Tertium Energumenorum genus constituunt hypocondriaci & mania laborantes, qui se agi a Dæmone mentis errore persuadentur. Totus eorum morbus est affectæ mentis vitium, quæ possideri se a Dæmone reputans, agit, loquitur, clamat, cursitat, agitatur, ac si revera ab uno vel pluribus Dæmonibus ageretur. Morbi hujus causa vel e sanguine, vel e cerebro, vel e spiritibus, vel saltem ab hisce omnibus simul repetenda est; quod tamen nos examini Medicorum relinquimus. Morbi hujus curationem tentant illi non raro, nec infelici interdum eventu, sive naturalibus & refrigerantibus pharmacis adhibitis, sive remediis opportune ad rem & personam admotis, ut menti reddatur, & pulso errore, restitutam sibi credant sanitatem. Historiolæ quædam non injucundæ ea de re narrantur; sed maxime serium argumentum, quale exigit Religio, serio tractandum est; idque credimus poscere nostrum erga Libros Sacros obsequium, in quibus plures ejusdem generis morbos deprehendisse nobis videmur; morbos, inquam, affectæ mentis, quæ se agi a Dæmone falso credat. Hunc morbum, sublato virtute & sapientia Christi errore, idem Christus depulit.

Legimus in Evangelio Matth. VIII. 28. Marc. V. 1.

(2) Matth. XVII. 15. Σεληνιάζεται. (3) Luc. IX. 39. Πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετὰ ἀφροῦ. (4) Marc. IX. 16. Ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον. (5) 2. Petr. II. 19. Rom. VI. 16. Matth. VI. 24. (6) Osee IV. 12. V. 4. Spiritus fornicationum.

v. 1. &c. Luc. VIII. 26. &c. Jesum Christum, cum trajecisset mare Tiberiadis, & venisset in regionem Genesareth, duobus Dæmoniacis occurrisse; quorum alter diu a pluribus Dæmonibus agebatur, nudus incedebat, in sepulcris, in montibus excavatis versabatur; violentus erat adeo, ut nec catenis nec funibus cohiberetur. Cucurrit statim ad Jesum ingenti clamore, quærens ab illo, ac si Dæmon ejus ore loqueretur, ne ex eo corpore se pelleret; vel saltem permitteret, ut ex eo egressus, in gregem porcorum, casu inde transeuntium, insiliret. Interrogavit Jesus hominem, tamquam si verba faceret ad Dæmonem, quo appellaretur nomine: *Legio*, respondit, quod magno hic versemur numero. Et Jesus actutum facessere inde jussit, indulgens, ut in porcos per vicina arva errantes insilirent. Nec mora; sues, ad bis mille numero, magno procurrentes impetu, præcipites se dederunt in mare; & ille statim convaluit.

Miraberis forte, cur hoc potissimum exemplum selegerimus in affectæ mentis argumentum, sed nullum licet expressius habeatur in Scripturis, cujus singulæ notentur circumstantiæ, nullum quod magis faveat Dæmonum possessioni; id tamen nobis suscipimus, ut constitutis jam principiis rem totam exponamus, nihil Dæmonum possessioni faventes. Vir ille nullo corporis morbo tenebatur; integra quin etiam valetudine & robore adeo pollebat, ut frustra vinculis & catenis vinciretur, ac vestes omnes discerperet. Nihil de commissis ab illo criminibus exprobrat Jesus; & cum ille obtenta valetudine comitem se Jesu Christo offerret, respondentem Jesum audivit, reciperet se domum, & Divina beneficia palam omnibus ediceret; nec unquam legimus monitum illum, quemadmodum cum aliis factum constat, caveret, ne deinceps peccaret.

En igitur, quomodo rem illam exponimus. Fervido nimis sanguine agitabatur vir ille, cujus mens turbata legionem Dæmonum intus agentium adhibebat. Obiter etiam animadvertendum est, juxta recepta a Judæis principia, unum & eumdem hominem plusquam unius animæ sedem esse posse, multisque teneri spiritibus (1). Hac inducta persuasione vir ille, cum fervido nimis, ac redundante sanguine agitatus, e sociorum consortio secedens, Urbium frequentiam in agrum egressus fugiebat, ubi turbatæ menti, sive, uti rebatur, legioni Dæmonum intus agentium se totum permisit.

Quid autem Jesus ad reddendam ægroto sanitatem? cavit nimirum, ne concepto errori contradiceret, quin potius credere se affirmanti visus est. Quærit igitur ab illo ægrotus, ut, si legionem Dæmonum fugare velit, egredientibus permittat, ut gregem porcorum teneant. Omnia concessit Jesus; sed cum ad errorem depellendum satis hæc non haberentur, argumentum ejus rei exhibendum erat in grege porcorum, ut agi revera a Dæmone videretur. Acti proinde in fugam sues, præcipites sese dederunt in mare. Eo argumento persuasus ægrotus, quem opinio non levis tenebat de Jesu, quasi vir esset insignis prodigiorum patrator, sese curatum esse credidit; ita se proinde gessit in gestis & in sermone, quasi a Dæmone agitante liberaretur.

Nec difficile credimus, Jesum Christum eodem tempore sanguinis fervorem compressisse, reddita simul cerebro, humoribus, cæterisque omnibus pace. Prodigium ultro in his omnibus agnoscimus, non quidem in pellendo Dæmone, quo agitaretur, sed in restituta ad sanitatem mente, in sedatis humoribus, ac tandem in grege porcorum acto in lacum una Jesu Christi voce.

Animadvertere juvat, Dæmones, si revera ex homine pulsi in gregem porcorum venere, commodius illud sibi contubernium ducentes, quam statim præcipites agi in abyssum; Dæmones, inquam, adeo regressum in inferos metuentes, rebus suis male utique consuluisse, si gregem porcorum statim egerunt in mare. Cur novas sedes non cautius servavere, id agentes, ut sues per agros spatiarentur, & laniorum manus sedulo vitarent? cur ad montes & deserta loca illos non adegerunt, ubi tamquam acta a Dæmone animalia sibi relinquerentur, abstinentibus se omnibus, quemadmodum rabiosa quæque animalia fugiunt omnes, eaque libere palari sinunt? Sed Jesus voluit argumentum præbere apertissimum & ad sensum, quod menti hypocondriaci sese altius imprimens, illum in eam induceret persuasionem, ut vacuum se ab ea legione crederet; cujus rei nunquam satis firmam persuasionem ille habuisset, quamdiu sues viverent, metuens, ne legio illa pristinas sedes repeteret. Perpetua erat valetudo restituenda, mersis suibus.

Ad constituta a nobis genera energumenorum, exempla omnia revocanda sunt, de quibus in Scripturæ & Historia Ecclesiastica. Hæc enim repeti commode possunt, sive ex vitio quodam ac redundante humore, mentis amotæ morbo, vel tandem acutissimis flagitiosæ conscientiæ stimulis. Ita pariter curationes omnes Energumenorum explicandæ sunt.

At enim Jesus Christus, Apostoli, & Ecclesia versantur in errore, vel saltem in errorem nos sponte inducunt, id agentes, & scribentes, velut si revera agi homines a Dæmone persuaderentur, Jesus Christus sermonem habet ad Dæmones, Energumenorum corpora possidentes: imperat illis, & ipsi parent; argumenta exhibent præsentiæ suæ & potentiæ, violentis convulsionibus miseros discerpentes, projicientes in terram, veluti mortuos relinquentes, ac tandem in gregem porcorum insilientes, quos præcipites agunt in mare. An hæc mentis errores sunt, & morbi symptomata? Offertur Jesu homo, ab agente intus Dæmone loquendi & audiendi facultate privatus. Pulsus est Dæmon, & continuo salva omnia. Quid sincerius? Si pulsa prius surditate, tum nobis exactus Dæmon obtruderetur, suspicandi esset locus, num Dæmonis nomine ipsa tantum surditas designaretur. Sed diserte admodum Scriptura pulsum antea Dæmonem, ac inductam postea valetudinem expressit (2). Nonne Ecclesia in precibus a se institutis, & in adjurationibus, obsideri revera Dæmonibus corpora censet apertissime? Ludis, & illuditur profecto, si Dæmoniaci vana sunt otiosorum commenta.

Hisce omnibus reponitur, nec Jesum Christum, nec Apostolus, nec Ecclesiam refutandas suscepisse vulgi opiniones omnes & præjudicia; nihil pariter moratos tritas jam communi usu phrases, parum utique accuratas, & veritati minus cohærentes. Notæ sunt præposteræ Judæorum ejus ætatis, tum & Apostolorum de Regno Messiæ opiniones, uti & de futuro sæculo, ac de aliis pluribus multæ, Jesus Christus ad finem usque vitæ rudes illos indoctosque pertulit, Spiritui Sancto relinquens, ut præceptis & doctrinis institueret, mentem aperiret, ac cætera doceret, quæ ipse quidem sæpe, illis minime assequentibus, exposuerat.

Solebant Judæi plerumque morbos omnes, funestas esse criminum consecutiones rati, Dæmoni authori tribuere; quorum errorem destruere, censuit Jesus supervacaneum; ne quid dicam de erroribus rerum philosophicarum & naturalium, quos utique corrigendos nequaquam suscepit. Cum horum omnium scientia nihil ad salutem confe-

[1] Vide Joseph. de bello lib. 2. p. 788. & lib. v. c. 25. pag. 281. & R. Isaac. Lorinens. de revolut. animar.
[2] Luc. XI. 14. *Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum; & cum ejecisset Dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.*

rat, ut docerentur a Jesu Christo, nihil erat. Quot antem ferebantur errores de Angelir & Spiritibus per vilum exhibitis, da malorum spirituum potestate, de excantationibus, & Magia, quæ omnia Jesus reliquit intacla? In rebua Anatomicis & Medicis nihil vel parum norant Hebræi; quemadmodum ax verbis illorum intalligimus. An igitur hosce illorum errores adoptabimus, quod Scriptura, nt legentium ingenio sese accommodet, suis illam phrasibus innuit & veluti consectat?

Cum itaque ita loquuntur Sacri Scriptores, veluti si ægroti a Jesu Christo curati, possiderentur revara a Dæmone; si ponere tamqnam certum videntur, Dæmoner miserorum corporibus insidere, quæ carpora loquendi & audiendi privant facultate, inclinant, mania cogunt laborare, cruciatibus torquent; hæc ad populi opiniones accommodata sunt. Quas sane opiniones sectari interdum coguntur, cum verba ad populnm faciunt, vel scribunt, Philosophi etiam, & docti viri. Si quis Medicum accersat ad curandum hypocondriacum, ille ne continuo opinionibus ægroti se præbebit adverlarium, quietem ejus turbans, suadens ponere mentis errorem, & salva esse omnia, neque anim revara esse id, quod tamen ipse de se firmissima mentis persuasione putat, nempe glaciam, nivem, equum, cuniculum? Sapientis est Medici, ut prius statum suum reddat humoribus; tum siquod artificium excogitaverit, ut errantem revocet, sive ur mentem ægroti corrigat, statim adhibet, ea tamen cautione, ut dicta omnia & facta ad circumstantias & habitudines languentis accommodet. Ita plana Jesns, bonitatis & sapientiæ consilio, non sina magno patientiæ documento, cum illis prælitit.

Ad Ecclesiam quod attinet, institutæ ab illa adjurationes non unius sunt generis; sont enim quædam pro pueris ad Baptismum oblatis, qui cum peccato Originis obnoxii teneantur, ita habentur ab Ecclesia, veluti si Dæmonis potestati subsint. Sunt etiam adjurationes salis & aquæ, antequam consecientur; quod ea persuasione præstitum est, veluti si ab Infernis potestatibus, circumfusum aerem infestantibus, imperium aliquod in alia etiam alamenta & in fructur exerceatur, quem Ecclesiæ morem, utpote e traditionibus tota vetustate probatur petitum, meritis laudibus prosequimur. Tandem adjurantur hominer & loca, quæ a Dæmone infesta reputantur, qua in re nihil antiquius ducit Ecclesia, quam ut Ministros suos summa circumspectione uti moneat.

Teneri illa quidem ea persuasione videtur, Dæmones interdum ita valere, ut homines quosdam infestent, sive ad exigendam latentium criminum ultionem, sive exercendæ virtutis illorum, sive manifestandorum operum Dei causa. Ita loquitur, veluti si a Spiritibus teneri corpora, torqueri, ac insideri putet. Sed hæ loquendi phrases nonne e cæteris vulgi & Ecclesiæ sermone adoptatis haberi non possunt, quarum tamen exprassam nimis & literalem significationem nunquam urget Ecclesia? Lustralis aquæ aspersioner in loca etiam maxime sacra, sicut & in homines, docent utique, ea persuasione teneri Ecclesiam, circumfusum undique aerem & loca etiam maxime sancta a Dæmonibus infestari; sed mos iste & persuasio ineluctabile nihilominus rei argumentum non conficiunt. Raligiosæ sunt consuetudines a religiosa quadam persuasione deductæ, quibus tamen nihil certi nec fida divina explorati subest. Ita, pro earum ratione, de adjurationibus censendum est: illis uti neminem cogit Ecclesia; neminem etiam damnat, si utatus; esse reverа Energumenos non negat; sed reputare etiam possumus, nunquam Fideles ad eam persuasionem ab illa obligari, sive negantes fidem illis suam adjicere, vel saltem raro incommodum illud occurrere putantes nunquam condemnari.

Si vero problematicæ res est, neque Ecclesiæ authoritate ad illam credendam tamquam fidei dogma adigimur; præferenda est utique sententia negans esse Energumenos; ea enim arctiores intra fines virtutem Dæmonis cogit, vulgaribus superstitionibus minus favet, ambigua omnia prodigia a taligiona removet, ut sua fides veris probatisque asseratur. Ad hæc, simplici & naturali expositione locos plures Sacræ Scripturæ declarat, magnis alioqui difficultatibus implicitos; ac genuinam suppeditat rationem, cur in hac sæculorum luce apud gentes minus credulas minor sit Dæmoniacorum fraquentia, quam in tenebricosir alterius ætatis sæculis, & apud rudes ac superstitiosas nationea.

Quas tandem adhibet Ecclesia loquendi phrases in adjurationibus, ad similer alias Scripturæ referri constat; quamobrem uti Scripturæ locutiones commode axponi posse, non admissa Energumenorum varitate, damonstravimus; ita pariter de Ritualibus Libris Ecclesiæ reputandum est. Nunquam Christua disertis verbis Ecclesiæ suæ assertam & perpetuam authoritatem concessit, seu vim patrandnrum miraculorum, pellendorum nempe Dæmonum, vim, inquam, formulis hisca alligatam. Sunt argo adjurationes puræ putæque Ecclesiæ preces, cum invocatione nominir Jesu Christi, ad solatium ferandum ægrotantibus corpore, & inducendam valetudinem menti illorum, qui possideri se a Dæmone censent.

Quamquam recepta Judæorum persuasio Energumenorum veritati favet; ex eorum tamen Libris intelligimus, plures ex illis putassa specie tantum energumenos inveniri. Josephus Antiquit. lib. 7. cap. 25. disetta asserit, cruciari hominer a scelestorum animabur, quæ paratum sibi suppliciorum locum petere recusantes, mortale aliquod corpus occupant, angunt, discerpunt, nihil relinquentes intentatum, ut mortem inducant. Vulgo Judæi olim putabant, pelli Dæmones magicis operationibus, herbarum quarumdam, & odoramentorum virtute, excantationibus, ac tandem invocatione nominis Dei, & ipsiur pariter Beelsebubi. Fumo jecoris ex exenterato pisce pulsus Dæmon Asmodæur legitur Tob. vi. 19. vsti. 2. 3.

Carmina quædam mulcendis morbis, & adjurationum formulas adversus Cacodæmonas, ut e mortalium corporibus pellerentur, scripsisse Salomonam, narrat Josephus Antiqu. lib. 8. c. 2. Addit pariter, Eleazarum quemdam Judæum Energumenos quosdam coram Vespasiano liberasse, subjecta naribus radice a Salomona indicata, quam annulo alligatam tenebat, adjecta pariter invocatione nominis ejusdem Principis, & indicata ab illo precum, vel adjurationis formula. His præstitis, cadebat in terram ægrotus, & secedante Dæmone, nullo inda dolore torquabatur.

Jesu Christi hoster calumniam in illum struxere, veluti si nomine Beelzebubi Principis Dæmonum spiritus malos depellieret Matt. xii. 24. Luc. xi. 15. &c. Hæc objicientibus Pharisæis reposuit ille Luc. xi. 19. *Si ega in Beelzebub ejicio Dæmonia, Filii vestri in quo ejiciunt?* Ponit ergo, intar Judæoa notos fuisse Exorcistas, Dæmones aliter sane pellenter, quam invocatione nominis Beelsebubi; ex quo facila colligitur, alias iniri potuiste tunc rationes, quam adhibita ope nominis Beelsebubi, nt proinde nonnisi impudantissime de usurpato eo nomine Jesus accusaretur.

Legimus Act. 19. 14. filios Scævæ, a Discipulia Jesu Christi utique alienos, id sibi munaris suscepiste, ut Energumenor adjurarent. Sed cum invocatione nominis Jesu Christi, quem Paulus prædicabat, Dæmoniacum quemdam aggrederentur, exprobravit ille: *Jesam novi, & Paulam scia: vos autem qui estis?* Tum in duor ex illis insiliens, arripuit, & pessime adeo excepit, ut vulnerati & ferme nudi fuga se subducere cogerentur. Ex his omnibus exemplis consecutiones statim ducam.

Rabbini, & maxime Maimonidea, Scriptoræ stilo assueti, solent non raro morbis Dæmonum

nomina tribuere. Ita ex. gr. *Cordeum* (1), sive *Cardiacum* appellant Dæmonem, qui musto ebrius præsidet, vel juxta eorum phrasim, iis *quas mustum coegit renunciare torculari*. Docet Maimonides, *Cardiacum* genus esse morbi epileptici, ex regurgitantibus vasis cerebri, & turbato spirituum ordine. Assignant alibi (2) nomen *Schibta* Dæmoni, qui pueros in occipite apprehendens, arentes reddit, & nervis contractos.

Imitati sunt facile Hebræi veteres Græcorum Philosophos, & Medicos, nomina Dæmonum interdum tribuentes latentibus quibusdam, & minus cognitis morbis, uti apoplexię. Quem morbum Plato Dæmonem appellavit; alii cum Galeno tribuerunt Lunæ (3). Epilepsiam Græci designarunt nomine *morbi sacri* (4), quod scilicet insuetum adeo & ignotum morbum nonnisi a Diis induci posse putarent.

Juxta has hypotheses Rabbinorum, & Philosophorum, Energumenorum numerus magis quam pro communi opinione restringitur; rari enim sunt, qui vel errore mentis, vel morbi vitio, vel turbato humorum ordine in eam persuasionem non venerint, rati hæc omnia, quorum latent & causæ & remedia, ad Dæmonem referri oportere.

Si vero Spiritus hominem infestantes ipsæ sunt impiorum animæ, juxta opinionem Josephi, frustra hęc omnia obsessionum exempla ad Dęmones referantur; neque cum veritate satis congruunt quæ supra animadversa sunt e phrasibus Scripturæ, & loquendi formulis Ecclesiæ solemnibus. Multo tamen verisimilius creditur Josephus suam tantum conjecturam ea de re obtrusisse; constat enim ex Novo Testamento, Judęorum vulgarem tunc opinionem multum Energumenis favisse. Sed quid ea de re philosophabantur Hebręi? Censebant, a Dęmonibus corpora hominum subeuntibus morbos fere omnes tam exteriores quam interiores induci; pelli vero posse Dęmones excantationibus, & magicis arcanis; denique integrum esse Beelsebubo Dæmoniorum principi, subjectos sibi Spiritus pro arbitrio ad homines dimittere & avocare; ac tandem Beelsebubum ipsum cogi vi magica posse.

Profecto si pellere Dæmones e corpore magicæ est virtutis, audacter affirmo, nullos esse revera Dæmoniacos: I. Quod vera Magia nulla est; II. Quod si Dæmones corpora obsident, datum id malis Spiritibus a Deo censendum est, permittente Deo, ut singularis ille Dæmon singularem hunc hominem aggrediatur: quod si verum sit, nulla est in Energumenos Magorum authoritas, nulla Beelsebubi; imperare enim Beelsebub nequit Dæmoni, cui Deus, ut hominem obsideat, permisit, excantationes, herbarum vires, & Dæmones simul omnes nihil valebunt adversus summi Dei imperium.

Certo nihilominus constat ex Historia, contigisse interdum Ethnicis, & Judæis, seu potius Veneficis, ut Dæmones pellerent. Commenta sunt ergo, & ludibria, quæ de Energumenis feruntur; & magicæ artes, quibus illi curantur, nihil habent solidius. Si unquam apud homines inita est ratio pellendi Dæmones corpora obsidentes, id profecto tribuendum est medicinæ, seu virorum sapientium industriæ, qui mentis errorem corrigere noverunt: hoc totum ejus rei prodigium. Utrumque Jesus non sine miraculo præstitit; uno ipsius imperio utrumque statim factum est absque invocationibus, nulla carminum vi, nullo humani artificis invento, nullo studio, labore nullo.

Istæ, quæcumque sint, Dæmonum intus in corpora agentium infestationes, nulla veritatis exhibent argumenta, sive Energumenis ipsis, sive nobis eas intuentibus. Indicia sunt maxime ambigua, adeoque incerta; quæcumque enim observamus in Dæmoniacis, eadem non raro spectare licet in hypocondriacis; cruciantur enim, agitantur, loquela carent, a Dæmone teneri se credunt & creduntur, curantur Exorcismis, acribus quandoque impressionibus, quibus sensus vel mens afficiuntur, opportunis medicamentis, ætate, humorum crisi, fraude interdum solerti. Nihil est ergo satis assertum, ut de Energumenorum veritate persuadeamur.

ARTICULUS II.

Rationes, Energumenorum veritatem demonstrantes.

Esse revera Energumenos, asserta est Scripturæ, Patrum, Judæorum, Profanorum, Veterum, & Recentiorum sententia. Tantæ authoritati quis repugnet? Jesus Christus & Apostoli vel persuasos se de ejus rei veritate demonstrant; vel ita loquuntur, veluti minime ambigant. Tantis testibus quid opponatur? Missionis suæ argumentum exhibent Jesus Christus, gloriatur a se Dæmones pelli Luc. ver. 20. 21. quam pariter virtutem Apostolis daturum se profitetur Marc. xvi. 17. Utrique palam omnibus potestatem hanc exercent. Jesus verba ad Dæmones facit, imperat, minatur, silentium indicit, jubet e corporibus facessere; & vere expulisse indicio valetudinis restitutæ a morbis, quos mali illi hospites induxerant, ad sensum demonstrat.

Ludibria hæc sunt, si mentes quasdam vulgaribus superiores audias. Dæmones ibi nulli, nulli Dæmoniaci, Energumenorum restitutæ valetudines nullæ. Vitium erat cerebri, vel error mentis, quæ fucum miseris faciebant. Jesus Christus, & Apostoli, si illos audias, prudentes, volentes, libentesque populum errori suo permiserunt. Satis hæc esse debent, ut qui energumenos esse ajunt, convincantur.

Negant fieri posse, ut spiritus ipse per se agat in corpus; nulla est enim inter corpus & spiritum affinitas. Motui tantum, quieti, & figuræ apta materia, reliquis omnibus functionibus inepta est; nihil tale spiritus agere potest in materiam; quare agendi in materiam nulla est spiritui facultas. Non ergo valet Dæmon hominis corpus aliquod obsidere, non movere loco, non voces in illo fingere.

Respondeo, Dæmonem minime propria virtute, authoritate, & insita a natura vi corpus obsidere; sed divina id præstare concessa sibi facultate: Dei autem voluntas ipsa rerum omnium natura censenda est. Esto hoc singulare quoddam Dei volentis consilium; esto supra consuetas naturæ leges, esto prodigium. Post hæc omnia, miraculum hoc, si quod est, nihil superat subjectam nostris assidue oculis conjunctionem animæ cum corpore, & mutuam motuum ac sensuum inter utrumque affinitatem, quorum alteri altera occasionem præbet, & veluti fomentum.

Frustra hic miracula miraculis cumulare præter necessitatem accusamur. Inepta est accusatio, cum res ipsa constat: nec satis esset argumenti, etiamsi de facto ipso ambigeremus. Neque enim exploratum est nobis, quos fines Deus virtuti suæ præscribere constituerit, ignotum, quæ nobis argumenta præbere velit suæ in prodigia virtutis. Miracula exaggerare absque necessitate dici non debemus, dum nec nova, nec ficta, nec incerta adducimus. Ipsis autem fatentibus adversariis, quæ narrantur de Energumenis historiæ, nec recentia sunt inventa, nec fictæ res, nec ambiguæ. Ipso-

[1] Vide Maimon. & alios in Gittin cap. 7. §. 1. [2] Aruch, in Schibta. [3] Galen. 3. parte Oper. tract. 9. pag. 402. Vide Bekkerum lib. 1. cap. 17. Mundi incantati. [4] Hippocrat. lib. de sacro morbo.

Ipsorum est ergo ut demonstrent, nullos esse Energumenos, antequam accusationem de exaggeratis temere prodigiis struant.

Quid? an multiplicantur nimium Dæmoniaci Jesu Christi ætate, ut ex reddita illis sanitate argumentum pro asserenda ejus divinitate ducatur? Potuisset ille angustiores præscribere miraculis fines; nemo autem hactenus illum accusavit de auctis nimium absque necessitate prodigiis. Nec nos defendimus, infestationes Dæmonum prodigio tribuendas esse omnes, vel restitutas Energumenis sanitates continuo censendas esse prodigiosas. Potest enim Energumenus ab agente intus Dæmone per adjurationes & institutas Ecclesiæ preces sine miraculo liberari. Teneri a Dæmone hominem, nisi alia adjungantur, id fieri utique potest sine prodigio. Neque enim concessa a Numine malis Spiritibus facultas agendi in corpora, in sensus, in organa, quin & in ipsam hominis animam, prodigii loco a nobis habetur, cum nihil adversetur consuetis naturæ legibus, quemadmodum animæ cum corpore conjunctio, ac alterius cum altero consensio juxta naturam est maxime.

Cum ergo possideri vere a Dæmonibus corpora notet Scriptura apertissimis verbis, & ea persuasione tenerentur, vel saltem teneri se significarent verbis & factis Jesus Christus, & Apostoli; cum neque factu id esse impossibile, nec naturæ legibus repugnare satis constet, pro ejus rei veritate sententia jure meritoque ferenda est. Huic autem judicio fidem vindicat principium illud, quod scilicet si locus aliquis clarus & apertus Scripturæ aliquid ferat, neque contrarium suadeat sive apertissima rei veritas, sive repugnantia, quæ forte occurrat, sive absurdæ aliquæ adversus Religionem & veritatem revelatam consecutiones (1); nisi, inquam, hæc advertentur, pro sensu maxime prono judicandum est. Nunc autem omnia recurrunt, nihil est repugnans, nihil absurdum, impium nihil: veritas ergo literæ tenenda est.

Opponunt, rem esse hanc, de qua tractamus, explicatu difficilem; si enim obsideri homines a malis Spiritibus statuantur, duo erunt agendi in uno eodemque homine principia, duæ velut animæ in uno corpore. Sed nihil est in hac re magis arduum, quam quod singulis momentis accidere spectamus in nobis, ubi in contraria studia variis & inter se pugnantibus affectionibus distrahimur, seu ante nos positis pugnantibus objectis afficimur. Homo a Dæmone occupatus, non semper a Dæmone agitur & movetur. Variis temporum intervallis superiora tenet in illo voluntas, Dæmoni resistit, reluctatur. Tametsi autem admitteremus, liberam agendi facultatem suspendi, & veluti alligari in homine, cum obsidente Dæmone agitur, quid inde colligitur? Nonne per quietem noctis homines & loquuntur, & agunt? nonne gradiuntur, vestiuntur, nihil tamen sentientes, sopita prorsus cum animo libertate? Citra prodigium hæc tamen omnia, nec ullum sequitur absurdum. Tantumdem & de Energumenis dicito: alto sopore demersa anima cessat ab agendo.

Si vero Deus voluntatis suæ consilio permittat interdum, ut pueri statim a Baptismo, & castissimis moribus homines Dæmonem habeant contubernalem; valent hæc ad opera Dei ejusque potentiam manifestandam, ut rectissime de illis usurpari queat effatum Jesu Christi ad Apostolos interrogantes Joan. IX. a. 3. *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Quibus ille: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo*; ut scilicet Jesu Christi visum illi restituentis gloria, tum & virtus, ac misericordia Dei in illo claresceret.

Non est profecto nostrum, ut limites Deo præscribamus, neque de operibus illius quæramus rationem. Tametsi illi, qui malo aliquo afficiuntur, nihil inde utilitatis colligant, satis est, si ex illis documentum aliis præstetur.

Si ea nobis sederet opinio, historias omnes tam sacras quam profanas, quæ de Energumenis feruntur, cum veritate constare, nos utique urgeret illud adversariorum, cur in quibusdam locis, & apud quosdam superstitione vacuos homines nihil tale occurrat? Cur mente plerumque minus sanis, & tenui atque imbecilli corporis habitudine, tum vitiatis corpore incommoda illa contingant? Fatemur enim, plurimum esse in rebus ejusmodi inane, falsi plurimum; nec nos defendendam veritatem suscipimus, nisi eorum quæ suppeditat Scriptura. Satis habemus demonstrasse, esse quandoque sincera ejus rei exempla, nec nisi præpostere omnia indiscriminatim rejici; ac tandem quæ narrantur in Evangelio, omnes præferre sinceritatis notas.

E re quidem Ecclesiæ est, si onere inanium superstitionum & miraculorum ad arbitrium confictorum levetur; sed vera pariter prodigia pervicacius negare, fidem non habere historiis apud Authores Canonicos relatis, sive in sensum minime pronum & inauditum illas detorquere, fieri nequit absque imbecillium offendiculo, neque sine Ecclesiæ discrimine, quæ detractis armis, & argumentis nuda exponitur telis adversariorum. Ecquid est aliud pyrrhonismum inducere, atque effrænem in sententiis licentiam? Singulis pro arbitrio explicare sensum Scripturæ ad suas opiniones audebunt: & augustissima Religionis nostræ mysteria novis hisce interpretationibus in classem rerum maxime communium & pedestrium redigentur.

Nec obiter tantum vel ambigue narratæ sunt in Evangelio Energumenorum historiæ, non tamquam commune aliquid & nullius momenti: ita de illis agitur, quasi de apertissimis missionis & divinitatis Jesu Christi argumentis. Documentum illud exhibet Jesus, quo homines persuadeantur, non alium expectandum esse prædictum Oraculis liberatorem Luc. VII. 20. spem facit Apostolis futurum, ut pellendorum Dæmonum, invocato ipsius nomine, virtute donentur Marc. 16. Septuaginta illi Discipuli, functi missionis suæ munere, læti narrabant, malos Spiritus imperio suo se habuisse morigeros Luc. X. 17. Utique Religionis commodis servitur, si facta hæc omnia removeantur, & Energumeni aliquo seu mentis seu corporis morbo affecti demonstrentur.

At enim plus nimio Dæmonis potentia augetur, nec ipsa patrandorum miraculorum virtute privatur; non enim nisi miraculo, & quidem insigni, deputari potest, si Dæmon hominem castissimis sæpe moribus, & signo Jesu Christi obsignatum, ita in suam redigat potestatem, ut male illum excipiat, ad blasphemias cogat, desperationem ingerat ac sævitiam in homines, agendi & ratiocinandi privet facultate. His Dæmoni concessis, nonne in eam suspicionem imbecilliores mentes venire possent, Dæmonem alterum esse a Deo rerum omnium principium, & parem fermo cum illo obtinere in res creatas potestatem? Si quis etiam admittat, magicas operationes, excantationes, adjurationes nomine Beelsebubi, vel Salomonis in Dæmones valere plurimum, & id præstare, quod interdum frustra adjurationibus Ecclesiæ tentatum est; quod, rogo, Fidelibus offendiculum? Nonne magis magisque absurda illa opinio firmabitur, Dæmonem virtute pollere plurimum, & vim exercere posse in homines, cum illos sævissimis suppliciis excruciet?

Reponi hisce omnibus potest. I. Citra miraculum possideri homines a Dæmone, supra demonstra-

[1] Vide S. August. de Doctr. Christ. lib. 3. cap. 12. 15. & de Genesi ad lit. l. 9. c. 12. & lib. 11. c. 1. n. 2.

ſtratum eſt. Poteſt Deus Dæmoni permittere, ut hominem obſideat; parere cogitur Dæmon, ſalvis naturæ legibus. II. Augeatur licet Dæmonis in Energumenos poteſtas, immenſo tamen ſemper a Deo diſtabit intervallo; Deo enim aſſenſum negante, adverſarius nihil poterit: concedet etiam plurimum Jeſu Chriſto, qui Dæmones imperio ſuo habet morigeros, loco abire, ne reſiſtere quidem audentes, jubet; minus valebit quam Apoſtoli & viri Sancti, quorum juſſa revereri cogitur; minus tandem quam Eccleſia, adjurationibus, ſuis, precibus, ac cæremuniis in fugam illum agens, & pœnis igne gravioribus ſubjiciens.

Nec eſt cur magis miremur, ſi adjurationibus interdum reſiſtant, quam quod Apoſtolorum virtuti reſtiterit Diabolus in Dæmoniaco epileptico & muto; reſtitit autem, quod, juxta traditam a Jeſu Chriſto doctrinam, genus illud nonniſi oratione & jejunio pelleretur Marc. 9. 28. Plura vero ſuccurrunt, cur adjurationibus contumax fiat Diabolus. Deſideratur interdum ſive in Miniſtro, ſive in Energumeno fides; criminibus tandem Energumeni invaleſcit Diabolus, ut alias ejus rei cauſas, in ſecreta Dei conſilia referendas, omittam. Nonne efficaciſſima Religionis remedia, Sacramenta videlicet, vacua efficit interdum prava recipientium habitudo? Si adjurationibus hiſce nulla unquam eſſet ab eventu fides, merito reclamarent adverſarii: cum tamen ſæpe non recidant in caſſum, nihil eſt cur illas urgeant. Si nulli eſſent Enegumeni, fruſtra ſemper eſſent adjurationes; non enim valent quidquam naturalibus corporis vitiis depellendis, quorum in cenſu Energumenorum incommoda habent adverſarii.

Ut autem Dæmonum infeſtationes validius oppugnentur, in tres claſſes diſtribui illas advertimus. Primam tenent ii, qui pervicaci, & Medicis occulto morbo laborant. Secundam, quibus vitiatæ mentis error fucum facit. Tertiam, qui liberioris vitæ licentia perſuaſi, tradi ſe in manus Dæmonum, quibus rapiantur ſive detineantur in vitiis, firmiſſime credunt. Tria hæc Energumenorum genera ſtatuuntur; ad quorum facile cenſum referri poſſe credunt, quæcumque de Energumenis ad ſanitatem reſtitutis feruntur, omni abjecto Dæmonum commento, ſed non omni amoto prodigio; præſertim ubi agitur de corporis ſeu mentis valetudine ad nutum & ſtatim reſtituenda, quemadmodum a Jeſu Chriſto factum novimus; qui pariter non ſine prodigio crimina remittebat, malas habitudines corrigebat, obducebat animæ vulnera divino virtutis ſuæ pharmaco. Denique tota objectionis hujus vis in eo verſatur, ut ſi Scripturæ verba a prodigio detorqueri queant, hæc utique ratio interpretandi præferenda ſit.

Damus & nos ultro, hanc expoſitionem Scripturæ eſſe præferendam, ſi quidem omni amoto prodigio, & Dæmonum infeſtatione, maxime naturalis & pronus verborum ſenſus eliciatur; defendimus autem viciſſim, ſatis prono ſenſu exponi non poſſe Evangelii verba cum omnibus adjunctis, quin ea interpretatio rejiciatur. Ne unus quidem locus non aperte exprimit, Dæmonem in homine inſidentem, miſerum torquere, ubique Jeſus malis ſpiritibus imperat: parent illi, & ſalva ſunt omnia. Si in tanta verborum luce integrum eſt cuique ſuſpicari, nihil hic ſive de malo Spiritu, ſive de Energumenis agi, ſed rem eſſe tantum de morbo & tetro humore; licebit aſſertiſſima etiam prodigia tuto in rerum naturalium cenſum redigere, uti transfretationem Maris Idumæi, Solis ſtationem ad nutum Joſue, Lazari reſurrectionem. Illud enim tunc reputandum eſſet, Scripturam aliter reddendam eſſe, quam litera præferat, ut, cum Hebræi mare trajeciſſe dicuntur, alveum tantum illius in æſtu maris arentem ſubiiſſe intelligendi ſint; reputandum eſſet pariter, non ſtetiſſe quidem revera Solem, ſed id præſtitiſſe Deum, ut Joſue maturius rem abſolveret, antequam noctis tenebræ venirent; Lazarum non quartum ante diem interiiſſe, ſed credulos ſpectatores deceptos fuiſſe ſymptomate quodam apoplexiæ, quo languens oppreſſus fuerit.

At, inquies, hanc interpretationem reſpuunt loci ſcripturæ, & adjuncta rerum quas adduximus. Dictum tenemus; ſed & infeſtationes illæ Dæmonum, de quibus in Scriptura, veras ſe omnibus circumſtantiis ſatis demonſtrant; fruſtra ergo interpretationes aliæ excogitantur. Nullum ſuadet argumentum, ut valetudo Energumeno collata ab expulſione Dæmonum diſtinguatur. Duo ſunt hæc ſimul juncta, quibus unum efficitur prodigium, Diabolo pulſo, ſanitas actutum reſtituitur.

Damus ultro, plures eſſe Dæmonum infeſtationes vel ambiguas vel falſas, quarum cauſa ex occulto morbo petitur. Verum ſi arctæ nimium infeſtationes abuſione nocent, nimis quam par eſt earum numerum extenuare, tutum non arbitror. Probabiliter creditur, in Saulis morbo tribuendas eſſe majores melancholiæ quam Diabolo partes. Judæi, naturas morborum parum edocti, plura interdum Dæmoni vindicabant, e cauſis naturalibus repetenda: ita epilepticos, lunaticos, hypocondriacos perinde habebant ac Energumenos. Quid autem hæc perſuaſio Judæorum ad Energumenos Evangelii? Admittimus, Jeſum Chriſtum vulgares phraſes uſurpaſſe interdum; neque enim ad ſermonis, ſed ad animi vitia corrigenda venerat, negligebatque falſas Judæorum perſuaſiones quoad res in medio poſitas. Hæc pariter valent de Apoſtolis, & Evangeliſtis. Quid vero ſuadeat, in hoc rerum, de quo tractamus, genere, omnes ſive ad decipiendos homines conſpiraſſe, ſive caviſſe, ne errorem noſtrum tollerent, docerentve, eas, quæ veræ obſeſſiones viderentur, ſpeciem ſolummodo rei, non rem ipſam eſſe? Nunquam eo confugiendum eſt, niſi ſummæ neceſſitatis anguſtiis ad extremum hoc redigamur.

Diſſimulantibus licet magnis hiſce ingeniis, intelligimus tamen, quantum illis faceſſant negotii adjurationes Eccleſiæ, in quibus aperta ejus rei perſuaſio demonſtratur. Neque recens ea eſt Eccleſiæ alicujus ſententia: una eſt populi Fidelis opinio, a primis accepta Eccleſiæ ſeculis. Provocant Eccleſiæ Patres adverſarios, ut Dæmoniacos coram Fideli conſtituant; non enim ſuſtinent Exorciſtarum præſentiam Dæmones, ipſis fatentibus Chriſtianorum obtrectatoribus. Tam alte mentibus omnium ea ſederat perſuaſio, ut vel Judæorum Exorciſtæ nomen Jeſu Chriſti pellendis Dæmonibus uſurparent Marc. ix. 36. Actor. xix. 14. Si quis dicat, perſuaderi utique poſſe Eccleſiam eſſe Energumenos, quamvis revera nulli ſint, at ſuam hanc ſententiam nunquam filiis ſuis tenendam proponere; hic certe alieno ducitur quam Fideles catholici ſpiritu; morigeri enim Eccleſiæ filii hanc ſibi proponi cenſent neceſſitatem credendi, quod matrem Eccleſiam credere noverunt.

Sunt, fatemur & nos, adjurationes in Ritualibus Fidelium Libris, phraſibus N. T. affines; ex quo magis magiſque ſententiæ noſtræ veritas confirmatur. Si veras non eſſe obſeſſiones putaret Eccleſia, alias agendi & loquendi rationes uſurparet: falli autem illam in opinionibus ſuis & ritibus, quis dicat? Cum vero inſidentem ſemperque præſentem in Eccleſia virtutem patrandorum in obſeſſis miraculorum admittere accuſamur, res maxime dubia tamquam certa conſtituitur, Dæmones nempe nunquam ſine prodigio expelli. Ita profecto agitur in præſenti, quemadmodum in ceteris Eccleſiæ precibus, quas vacuas interdum, efficaces non raro experimur; vacuas, inquam, ex prava orantium habitudine, vel latentibus aliis & Deo tantum cognitis cauſis. Poteſtatem Dæmones expellendi Jeſus Chriſtus conceſſit Eccleſiæ; ſed non uſque adeo, ut quovis tempore & in quibuſvis perſonis effectus ſecuturus ſit poteſtatem.

At

At enim nihil erat discriminis inter Energumenos, quibus saluti erant adjurationes Salomonis nomina, vel excantationes quædam, & eos, quos Jesus Christus & Apostoli valetudini restituerunt: ex quo sane colligunt nostræ sententiæ impugnatores, inanem esse gentis persuasionem, quæcumque de Energumenis feruntur; si quid enim veri subesset, nihil utique valuissent excantationes, cum obsessiones Dæmonum, a Dei voluntate unice pendentes, nonnisi ipsius voluntate auferri possent; pugnasset autem suis ipsius consiliis Deus, si magiæ obedisset, atque veneficis seu potius Dæmoni permisisset ea destruere, quæ ipse fecerat. Sed evanescunt hæc omnia, si duo infestationum Diabolicarum genera, vera nempe & in speciem tantum, distinguantur.

Magi illi & Exorcistæ, de quibus in præsenti, poterant utique naturalibus quibusdam pharmacis, quibus accederent superstitiosi quidam ritus, creduli vulgi persuasione efficaces; poterant, inquam, ad sanitatem revocare credulos illos Dæmoniacos, quibus fucum faciebat sive corporis, sive animæ, sive tandem mentis morbus. Valida hac adjurationum impressione revocari poterat ad sanitatem ægrotus, alio errore pristinum illum de versante intra se Dæmone errorem expellens. Cum vero res erit non cum spectro, sed cum Dæmone, frustra se Exorcistæ illi tunc moliri intelligent, & frigidis causationibus removere a se molientur rei infeliciter tentatæ invidiam. Interdum illi audaciæ suæ pœnas dedere, quemadmodum de filiis Scevæ Sacerdotis Judæi legimus Act. xix. 14. Dæmonem enim illi pellere, invocato Jesu, quem Paulus prædicabat, satagentes, actutum a Dæmoniaco abrepti, parum abfuit quin suffocarentur. Supposititios etiam Dæmoniacos suos presto habuisse Circulatores illos credimus, cum artis suæ experimentum tradere vellent, & credulis populis persuadere, esse in sua potestate, ut morbos a Dæmone inductos pellerent.

Ægre admittunt adversarii, Dæmonem accepta a Deo facultate agere in spiritum & voluntatem hominis: verum si hæc omnia ad nutum Dei agantur, prona sunt omnia. Profecto male affectæ valetudines, humores turbati, ebrietas, mentis error, & alia sexcenta manus immittunt in omnes animæ nostræ facultates, prohibent, suspendunt: cur ergo tantumdem & Dæmones, id permittente Deo, non valeant? Quod affectionum violentia quotidie fieri intelligimus, ut agitent, angant, torqueant, (quanta est enim amoris, odii, & ambitionis impotentia!) id pariter ex Dæmone jure timeri potest.

Postremum omnium & validissimum forte adversus Energumenorum veritatem argumentum inde petitur, quod indicia ambigua sunt maxime, tum Energumenis ipsis, cum illis, qui de Energumenis judicant, spectatis. Indicia sunt, inquam, maxime ambigua; nullo enim argumento satis certo vera a falsis in hac re distinguuntur; exteriora omnia signa, convulsiones, agitationes, clamores & symptomata quæcumque, a Dæmone æque ac a morbo inducuntur. Occurrunt etiam interdum ægroti, qui auditi olim sermonis quædam vocabula efferunt, qui futurorum oracula casu pronunciant. Nihil ergo ex his satis certi ad Energumenos distinguendos.

Reponimus, multa utique Energumenorum indicia magis a perspicuitate abesse, quam vulgo creduntur; nec nos veritatem alterius cujuscumque de Energumenis historiæ defendimus, præter quam earum, de quibus in Sacra Scriptura, & in assertis aliis Historiis, quæ sinceritatis ea præferunt argumenta, ut ne suspicandi quidem de morbo, de mentis errore, de fraude & dolo locum recte judicantibus præbeant. Nihil ad nos de receptis vulgo persuasionibus, de immodica Dæmonis potestate, de confictis ad libitum prodigiis, cæterisque creduli vulgi opinionibus. Veritatem tantum defendimus Sacrorum Textuum, non obscure præferentium, Energumenos Jesu Christo, & Apostolis esse curatos. Asserimus enim non specie tantum illos a Dæmone obsessos fuisse, eo freti principio, hæc obsessionum genera nihil habere repugnans Divinæ potentiæ, præscriptis naturæ legibus, Dæmonum potestati; nec sine religionis, & obsequii erga sacrum Textum discrimine fidem huic veritati denegari.

Si quis a nobis apertas quærat infestationis Dæmoniacæ non fucatæ notas, reponimus, plures dari probabiles tantum, certas etiam plures. Cum uno veluti impetu, sine præcedenti habitudine, homo e statu dimovetur, ut in alium transeat longe diversum, cum alio veluti spiritu animatus, angitur, discruciatur invitus; cum plura admittit ab ingenio suo longe aliena, sed ita admittit, ut extraordinaria videantur, & violenta, quæ nunquam ab homine præstari posse videantur, uti cum in aera repente tollitur, cum res sibi occultas referat; cum, inquam, hæc omnia in uno eodemque homine conveniunt, ut virorum, quorum mentes præjudicatis opinionibus vacuæ sunt, sententia aliena esse censeantur a naturali corporis & animæ hominis illius statu, tunc sincera omnia reputanda sunt.

At enim has simul omnes notas frustra in Energumenis Evangelii quæras. Utique: sed duo regerimus. I. Non omnia Dæmoniacorum ejusmodi incommoda narravere Sacros Historicos; nec raro observamus, ab altero suppleri circumstantias ab alio prætermissas. II. Omnia hæc deceptionis pericula removentur a Scriptura, dum veritatem ejus infestationis asserit. Eo testimonio satis abunde suppletur, quidquid ad veritatem demonstrandam desideratur.

Profanorum Scriptorum, & Hebræorum phrases, certa quædam morborum genera quibusdam Spiritibus asserentes, satis probant communem gentium omnium persuasionem, Deum scilicet uti quandoque Diaboli ministerio, malis illis inducendis, quibus interdum affligi mundum animadvertimus. Observat Jamblichus de Myster. sect. 3. c. 6. nunquam Dæmones spectandos se, vel experimentum sui hominibus præbere, nisi ad deprimenda corpora, infligendos morbos, & pondere quodam animas ad terrena inclinandas. Ait Porphyrius in lib. de Abstinen. malis hisce Spiritibus accepto referenda esse omnia illa, quæ affligendis hominibus immittuntur, pestem, sterilitatem, terræ succussiones, siccitates, &c. Minutius Felix in Octavio: *Impuri Spiritus vitam turbant, somnos inquietant, irrepunt etiam corporibus occulte, ut Spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, & ad cultum sui cogunt*. Meminit Plutarchus de defectu oraculor. fœminæ cujusdam, quæ Apollinis sacris præerat, a Dæmone peremptæ.

Quare etsi verum reputari potest, interdum hunc humani generis adversarium, capta morborum & pravarum corporis atque humorum habitudinum opportunitate, in homines insilire, eosque dire torquere, nunquam tamen talia tentare renuente Deo censendus est: nec raro ipsi pariter Authori tribuendi sunt morbi; ipse corpora & humores, pravis in corpore impressionibus, ad morbos excitat, & impellit. Solerter tamen duo ista mala, Dæmonis nempe infestatio, & morbus, quamquam ab una & eadem causa petita, distinguenda sunt. Quæ autem sedet multis sententia, obsessionem Dæmonis aliud non esse quam morbum, seu morbi appendicem, mentis errorem, animi tetra bili turbati phantasma, commentum est apertissimum, duo simul confundens, quorum alterum cum altero nullam habet necessariam affinitatem. Agi a Dæmone possunt homines, integra etiam valetudine, & mentis maxime compotes, cum Deus ad justitiæ & potentiæ suæ gloriam conferre id arbitratur.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN EVANGELIUM
SANCTI LUCÆ.

CAPUT PRIMUM.

Præfatio Lucæ in Evangelium. Gabriel Angelus filium Zachariæ pollicetur. Mariæ nunciatur. Elisabetham salutat Maria. Mariæ Carmen. Nascitur Joannes, & circumciditur. Zachariæ usus loquendi restituitur. Is carmen Domino canit.

V. 1. QUoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis com-
pletæ sunt, rerum: 2. Sicut tradiderunt nobis, quæ ab initio ipsi vide-
runt, & ministri fuerunt sermonis: 3. Visum est & mihi, assecuto omnia
a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. Ut cognoscas
eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. 5. Fuit in diebus Herodis re-
gis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filia-
bus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. 6. Erant autem justi ambo ante Deum, ince-
dentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela, 7. Et non erat
illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.
8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum.
9. Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in
templum Domini: 10. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.
11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. 12. Et
Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. 13. Ait autem ad illum
Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua
Elisabeth pariet tibi filium; & vocabis nomen ejus Joannem. 14. Et erit gaudium
tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt: 15. Erit enim magnus
coram Domino: & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc
ex utero matris suæ: 16. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum
ipsorum. 17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ: ut convertat
corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino ple-
bem perfectam. 18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim
sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. 19. Et respondens Angelus dixit
ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi
evangelizare. 20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem, quo
hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.
21. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur, quod tardaret ipse in tem-
plo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt, quod visio-
nem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. 23. Et fa-
ctum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. 24. Post hos au-
tem dies concepit Elisabeth uxor ejus, & occultabat se mensibus quinque, dicens:
25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium me-
um inter homines. 26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo
in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. Ad virginem desponsatam viro,
cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis, Maria. 28. Et in-
gressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in
mu-

mulieribus. 29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. 30. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: 31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. 32. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, 33. Et regni ejus non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: 37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda: 40. Et intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. 41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: 42. Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 43. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? 44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. 45. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. 46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. 47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 49. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. 50. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. 52. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. 53. Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes. 54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. 55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula. 56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reversa est in domum suam. 57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. 58. Et audierunt vicini, & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. 60. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. 61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. 62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. 63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. 64. Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum. 65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc: 66. Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. 67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto, & prophetavit dicens: 68. Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ: 69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. 70. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus: 71. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. 72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. 73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis; 74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, 75. In sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. 76. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. 77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum: 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos, oriens ex alto. 79. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

℣. 1. Quo-

ỳ. 1. QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT, &c. Sub rerum Christianarum exordia quamplurimi ex Fidelibus fuere, qui res a Christo gestas ejusque prodigia describere aggressi sunt; unusquisque pro arbitrio, privataque religione & ingenio. Inter multos vero hujusmodi Libros perpauci fuere, in quibus solertia & fides desideraretur; sive nimirum nimia quorumdam simplicitas, aliorumque facilitas illis ea persuaserit, quæ nonnisi obscure noverant; sive Judæorum, Hæreticorumque, & Christiani nominis hostium nequitia corrupti fuerint Libri, statim ac prodierunt (1). Quamobrem decrevit Lucas singula accuratius nosse ex iis, qui Dominum viderant, unaque vixerant; Apostolis nempe ac Discipulis, quos *Ministros verbi* nuncupat, & Evangelii præconea; constantemque ac veram certissimamque narrationem tradere.

Ingens pessimorum voluminum falsorumque Evangeliorum numerus, a primo Ecclesiæ sæculo confictorum, notus est apud Veteres Patres (2). Hos fortasse libros significat Lucas, ubi ait, quamplures fuisse, qui res a Christo gestas descripsere: ipsa tamen illius verba hoc ipsum non luculenter & necessario indicant. Scriptores hosce minime damnat Lucas; illud solummodo asserit, male iis rem evenisse, ipsosque non satis accurate id explevisse, quod sibi proposuerant. De malis hujusmodi Libris fuse egimus in generali Præfatione ad Evangelia. Fortasse etiam minime damnans incuriæ alteriusve cujuspiam vitii eos qui antea scripsere, hoc solummodo vult, sese illos esse imitatum in scribendo Evangelio (3). Communi Ecclesiæ persuasione creditur Lucas non prius manum conscribendo Evangelio admovisse, quam post Matthæum & Marcum, quorum scripta evolvisse, ipsaque interdum verba exscripsisse non dubitatur. Si quorum narrationes accuratius corrigere, & quæ in nonnullis deerant supplere voluit, id profecto ad Evangelistas non refertur; sed majore solertia, judicio & ordine usus est, quam cæteri, quorum Scriptis nonnisi mera adversaria, vel pars dumtaxat vitæ Jesu Christi exhibebantur, cum alii solum Jesu Christi exortum vel pueritiam, alii mortem narrarent.

Ad ea verba, *Multi conati sunt*, animadvertunt Origenes & S. Ambrosius, Evangelium scribere opus non esse, quod ab hominum industria & conatus pendeat, sed a Dei gratia & Spiritu: *Sine conatu sunt donationes & gratia Dei*. Evangelistæ *sine ullo molimine cœpta compleverunt*.

QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT, RERUM, vel quę in Ecclesia Christiana gestę sunt ab initio. Non una est Grecarum vocum (4) interpretatio; omnes tamen eo desinunt, ut sonent, impleri, fieri, evenire; vel, persuasum esse (5). Ea scripsimus, quę certa fide tenemus: neque, uti quidam nonnulli, incertos rumores dubiasque narrationes collegimus, sed eos consuluimus, a quibus, utpote verbi Ministris, rerumque a Christo gestarum testibus, certissime doceri poteramus.

ỳ. 2. QUI AB INITIO IPSI VIDERUNT, ET MINISTRI FUERUNT SERMONIS, Sunt (6) qui Grecum reddant (7): *Ministri fuerunt Verbi*, Jesu Christi. Apostolos, Discipulos, & Jesu Christi servos significat. Plerisque tamen probabilius videtur Lucas iis verbis Apostolos & Jesu Christi Discipulos, verbi illius Ministros ac Pręcones, qui ipsum ab initio secuti fuerant, atque in terris viderant, significare.

ỳ. 3. VISUM EST ET MIHI (8). Silet Lucas, sese a Spiritu sancto agi, ut scribat; atque ita loquitur, uti profanus Scriptor, humanas rationes asserens, cur ad scribendum se conferat, suamque ipsius bonam fidem, solertiam, absolutamque rerum descriptarum scientiam commendans. Nimirum Ethnicis potissimum scribebat, quorum benevolentiam conciliare opus erat, antequam fidem absolutissimam exigeret earum rerum, quibus illi minime assueverant. Adde quod Scriptoris scientia, probitas, sedulitas, fides inspiratione Divini Spiritus non excluduntur. Quo sublimior est scribentis dignitas, & ea quæ scribuntur quo magis divina sunt & naturam excedunt, eo majori sedulitate ac fide omnia perquirere & scrutari Scriptorem necesse est. Cum ait, *Visum est mihi*, Spiritus Divini virtutem sibi adesse non negat (9).

OPTIME THEOPHILE. Quæritur, quis iste sit Theophilus. Negavere nonnulli (10) certum esse hominem; censueruntque, universis Fidelibus inscriptum esse a Luca Evangelium, quos Fideles *Theophilos* nominat, scilicet Dei amatores. At multo probabilius (11) creditur esse Theophilus Christianus aliquis clari nominis, cui Lucas nedum Evangelium, verum etiam Acta Apostolorum inscripsit. *Optimi* adjunctum argumento est, hominem fuisse inter cæteros clarissimum. Putat Oecumenius in Acta, Præsidem fuisse Provincię, quod *Optimi* epitheto plerumque Provinciarum Pręsides vel Gubernatores donarentur (12). Videtur aliis Episcopus esse Antiochię. Profecto sextus Antiochię Episcopus Theophilus appellabatur: at hic multo recentior Luca procul dubio fuit. Grotio est vir aliquis clarus, in aliqua Achaję urbium magistratu functus, & a Luca baptizatus. Mavult Ligfootius, locupletem fuisse Antiochię civem, Lucę amicum & popularem, ejus opera ad Fidem Christi conversum. Conjecturę.

ỳ. 5. FUIT IN DIEBUS HERODIS Magni, primi Herodis, cęde Innocentium clari, qui paucis post Jesu Christi ortum mensibus obiit. Eos hic narrat Lucas, quorum opera usus est Deus, ut nobilissimum humanę salutis opus perficeret, Zachariam, Elisabetham, Joannem Baptistam, pręserrim vero Mariam Virginem, Jesu Christi matrem. Gravissima hęc sunt, a cęteris Evangelistis omissa; quibus fortasse silentibus, multa invecta sunt commenta, quę Lucas, certioribus productis, abolere voluit.

DE VICE ABIA, (13), e Sacerdotali Abiæ familia, Universum Aaronis genus Sacerdotio fruebatur; at non omnes eodem tempore ministrabant, neque omnes eodem dignitatis gradu gaudebant. Supremum Sacerdotium uni ex iis familiæ servabatur: cæteri Sacerdotes in classes quatuor & viginti distribuebantur; cœpitque is ordo ab ætate Davidis. Ante id tempus, nihil constitutum fuerat, quod scimus, de minorum Sacerdotum muneribus & dignitate. Fortasse ad Pontificis nutum ministerium inibant. Nequid autem turbarum contingeret, David Sacerdotes in classes quatuor & viginti sorte distribuit. Abiæ classis octava erat (14). Hic ordo deinceps in Templo servatus est ad

[1] Origen. homil. 1. in Luc. Ambros & Beda in Luc. Theophyl. hic. Vide & August. lib. 4. de consensu, cap. 8. Erasm. hic. [2] Vide Euseb. lib. 3. cap. 15. Histor. Ecclesiast. Millii Prolegom. in N. T. Græc. [3] Maldon. Grot. Scultet. Casaubon. [4] Περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. [5] Origen. in Luc. homil. 8. Ambros. Theophyl. Euthym. Vide & Euseb. Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 18. Maldonat. Erasm. Bez. Camer. [6] Budæus, Hamm. Cappell. Vall. Vatab. Pisc. Gemar. & ex antiquis Origen. in Luc. homil. 1. Ambros. & Euthym. hic; Hieronym. Præfat. in Matth. [7] Ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. [8] Vetusti quidam libri ferunt: Ἔδοξε κἀμοί, καὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ, *Visum est mihi, & Spiritui Sancto*. Ex Actis xv. 25. 28. [9] Ambros. Beda, Maldonat. Brug. Grot. alii. [10] Ita videntur Origen. homil. 1. & Ambros. in Luc. Epiphan. hæresi 51. Beda hic. Ita Camer. Hamm. [11] Maldonat. Grot. Brug. Ligfoot. Erasm. alii. [12] Act. xxiii. 26. xxiv. 3. xxvi. 25. [13] Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, *Ex vice, ministerio*, Classe Abia. Ἐφημερία idem est, ac Hebraicum מחלקה , משמרת [14] 1. Par. 24, xxiv. 10. Joseph. Antiqu. lib. 7. cap. 11.

ad extremum usque excidium per Romanos, teste luculentissimo Josepho. Mane cujusvis sabbathi certus Sacerdotum ac Levitarum numerus in ministerio succedebat, aliis eodem tempore abeuntibus. Octonarii curriculi initio sorte educebatur, cui ex omnibus demandanda esset thuris offerendi provincia; idemque de cæteris muneribus servabatur. Ea hebdomada Zachariae inferendi thuris in altare aureum munere fungebatur.

Uxor ejus de filiabus Aaron. Elisabethæ matrem e Tribu Juda & Davidis stirpe fuisse necesse est, cum Elisabetha Mariæ, tribulis Juda, sobrina esset Luc. 1. 36. Puellis non hæredibus integrum erat nubere cui mallent, vel extra Tribum suam. Novum erat apud Hebræos, fœminarum meminisse, cum genealogias texerent. Cum vero agendum infra sit Lucæ de Elisabethe, operæ pretium hic est illius genus commemorare. Nihil profecto illustrius aut nobilius Joannis origine, quippe qui ad Regium & Sacerdotale genus pertineret.

℣. 6. Erant justi ambo. Pietatem justitiamque nedum erga homines, verum etiam erga Deum colebant (15). *Justi* appellatio omnia pietatis ac Religionis officia complectitur.

℣. 7. Non erat illis filius, &c. Prodigium continet Joannis nativitas duplici ex parte; I. quod sterilis erat mater; II. quod tum Elisabetha tum Zacharias ætate provectiores erant, quam ut liberis procreandis pares essent. Hæc Joannis dignitatem, & Zachariæ atque Elisabethæ fortunas commendant. Gratiæ fructus est Joannes, quemadmodum Isaac Saræ filius.

℣. 8. Cum Sacerdotio fungeretur. Cum in Templum venisset, ut constituta familiæ classique suæ hebdomada ministraret. ℣. 5.

℣. 9. Sorte exiit ut poneret incensum, &c. Collectis in Templum Sacerdotibus, sorte educebatur, quid quisque muneris exerceret. Obtigit autem Zachariæ, ut per eam hebdomadam mane & vespere thus in altare Domini aureum inferret Exod. 30. 7. mane quidem ante ortum solis, vespere circa occasum, inquit Josephus Antiqu. l. 3. c. 9. Sunt (1) Qui censeant, sortibus explorari consuevisse singulis diebus, vel etiam quoties munus aliquod Sacerdotale exercendum esset, velut si fundendus victimæ cruor, cremandum thus, &c. Nobis videtur, semel tantum singulis hebdomadis.

Veteres multi censuere, Zachariam fuisse Pontificem, quippe qui uni Pontifici licuisse existimarent in Sanctum ingredi, cremandi thuris causa. Hanc profecto provinciam Moyses Aaroni Pontifici dedit Exod. 30. 6. Aureum thuribulum, teste Paulo ad Hebr. 9. 3. in Sanctuario servabatur. Neque desunt qui putent, eum fuisse solemnis expiationis diem, qua die unius erat Pontificis in Sanctum Sanctorum ingredi Levit. 16. 17. Favet huic conjecturæ ingens hominum multitudo, tunc in Templum collecta; tum & illud quod dicitur, populum eo tempore in preces effusum fuisse, orantem, inquiunt, ut Pontificem tueretur Deus, ac sollicite præstolantem, ut is e Sanctuario egrederetur; anxius enim erat de illius salute populus, dum is in Sanctuario versabatur, loco mortalibus inaccesso (2). Hanc sententiam amplexi sunt S. Augustinus in Joan. tract. 49. S. Chrysostomus, S. Ambrosius (3), Beda, Theophylactus, Strabus, Author Historiæ Scholasticæ, & e Recentioribus nonnulli.

At jam ferme omnes aliter sentiunt. Nullus enim Pontificum catalogus fert Zachariam; ipsumque munus, quod hic exercet, minime postulabat, ut ea dignitate poliretur. Altare thymiamatum, in quo thus cremabatur, in Sanctuario non erat, sed in Sancto, uti perspicue docent Scriptura Exodi 30. 6. & Josephus de Bello c. 6. Singulas Templi partes inter se distingue. Præter triplex atrium, Gentium, Israelis, & Sacerdotum, quæ atria ampla erant areæ sub dio, Templum ipsum proprie dictum, summi Numinis domicilium ac sedes, præcipuas in partes tres distribuebatur, in Vestibulum, in Sanctum, & in Sanctuarium. Uni autem Pontifici fas erat quotannis semel in Sanctuarium ingredi. Sacerdotes per hebdomadam ministrantes bis singulis diebus in Sanctum ingrediebantur, ut lucernas ibi ardentes accenderent atque emungerent, ac thus offerrent. Vestibulum ante Sanctum patebat, quo unicuique Sacerdotum ingredi fas erat, quoties id res postularet.

Ipsamet sortitio, qua thuris offerendi munus ea die Zachariæ obtigit, argumento est, ipsum non fuisse Pontificem. Functiones unius Pontificis propriæ nunquam sortibus subjiciebantur, cum Pontifex nunquam non unus esset. Siquando plures Pontificis nomine donati leguntur, nunquam tamen duos invenias, inter quos de Pontificis muneribus gerendis disceptaretur; sed alter aliquis eligebatur, qui in prioris locum succederet, ubi hujus senium, aut morbus, vel aliud quodpiam incommodum prohiberet, ne is officio fungeretur: quod ubi contingeret, Pontificis appellatio illi, qui semel Pontifex fuisset, nunquam auferebatur; idque supremis Judaicæ Reipublicæ temporibus usuvenit, teste ipsomet Evangelio, ubi Annas & Caiphas Pontifices nuncupantur. Tale quid hic non legitur. Neque tunc Pontifex erat, neque fuerat Zacharias. Nihil porro suadet, hæc solemnis Expiationis die contigisse. Id profecto præteriturus non fuisset Evangelista, quemadmodum & Pontificiam Zachariæ dignitatem. Sunt (4), qui probare audeant, Zachariæ ministerium die xxi. Iulii incepisse, desiisse die xxviii. Græci conceptionem Joannis Baptistæ festo celebrant die xxiii. Septembris (5); qua pariter die, vel altera ejus diei in vetustis Martyrologiis Latinis nonnullis legitur (6). Apud Menologium die xxii. consignatur (7). Certum in hac re illud solummodo est, nihil esse exploratum. Ponit Toynardus, Angelum exhibitum Zachariæ Sabbatho, pridie Kalendas Septembris, die xxix. Hebraici mensis *Ab*, anno Mundi 400. Periodi Julianæ 4709.

℣. 10. Omnis multitudo populi, &c. Hoc evenisse videtur Sabbatho vesperi, pridie Kalendas Septembris, ex Toynardo, qua prima die ministerium inierat Zacharias; Sabbatho, inquam, cum populus frequentior quam cæteris diebus in Templum convenisset. Orabat populus in atrio Israelis, ante fores atrii Sacerdotum, e regione forium Sancti. Preces suas multitudo Zachariæ precibus jungebat; cumque thuris odor & nebula coram Domino tolleretur, effusis illi precibus Dominum supplicabant: ita enim usurpant Hebræi (8): *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Prodigium Zachariæ contigisse universa multitudo intellexit; quamquam enim Angelum Zachariæ exhibitum non spectavit, illum tamen diutius quam soleret in Sancto morari sensit, ipsumque ex interiori Templo egredientem surdum ac mutum vidit.

℣. 11. Apparuit illi Angelus stans a dextris altaris incensi; aurei nimirum Altaris, cui imponebatur focus, seu thuribulum, ubi thymiamata cremabantur. Angelus Zachariæ exhibitus, Gabriel erat (9). Judæis testibus (10), tunc præsertim cœlestia spectacula Sacerdotibus exhibebantur, quo tempore thus cremabatur. Huma-

(15) Ambros. Euthym. Mald. Grot. alii. (1) Mald. Vide Ligfoot. Capell. Brug. (2) Vide Brug. in Matth. (3) Ambros. l. 1. in Luc. Ita Beda, Theophyl. Brug. Strab. in Lucam. (4) Casaubon. in Baron §. 25. (5) Bolland t. 1. Maii p. 42. (6) Menæa p. 291. 292. (7) Joh. de Usuardo p. 37. (8) Psal. cxl. 2. Apoc. viii. 3. 4. (9) ℣. 19. & 26. (10) Vide Drus. & Grot. hic; & Joseph. Antiqu. lib. xiii. c. 18.

na specie sese obtulisse Angelus creditur, quemadmodum in cæteris Veteris Novique Testamenti visionibus usuvenit.

℣. 12. ZACHARIAS TURBATUS EST. Horret hominis natura, cum Angelum intuetur. Spectra hujusmodi spectantibus exitialia esse censebant Hebræi (11), certaque vicinæ mortis omina.

℣. 13. EXAUDITA EST DEPRECATIO TUA. Quæ porro? Nimirum ea, qua jampridem filium postulabat (12), vel Messiæ adventum, ac populi salutem, quam enixis precibus postulare ex munere Sacerdotii tenebatur (13). Cęterum de filiis certe non cogitabat, uxore sterili & effœta, cum & ipse procreandis liberis impar esset; hinc fiebat, ut asserenti Angelo fidem ęgre haberet. Precum itaque illius argumentum erat Messię adventus, a quo libertas afferenda erat Israeli.

VOCABIS NOMEN EJUS JOANNEM. *Joannes* (14) sonat *Deogratum*, vel absolute *gratiosum*, gratum. Jubet Angelus appellari eo nomine puerum, nedum prędicens quod venturum est, verum etiam indicans, pueri hujus procreationem ex Dei beneficio esse, ipsumque puerum gratię fructum & sanctitatis fore.

℣. 14. MULTI IN NATIVITATE EJUS GAUDEBUNT. Felix erit pueri ortus non uni tibi, tuęve familię, sed omnibus. Hominum felicitati nascetur puer, nempe Servatoris ac Messię adventum nunciaturus. Angeli verbis, etiam ex literarum sono usurpatis, fides absolutissima stetit nedum inter Christianos, verum etiam apud Profanos (15), qui ea die publicam hilaritatem & exercuere olim, & adhuc exercent festis ignibus, aliisque lętitię argumentis. Olim ea die lavabantur, quem morem disertissime damnat vetus Scriptor, sub Augustini nomine vulgatus Serm. 277. tamquam Ethnicę superstitionis reliquias, itemque luxuriosa carmina, quę per ejus Festi noctem canebantur. Arguit etiam eum usum S. Augustinus (16). Alius quidam inter Opera S. Augustini in Append. tom. 6. ita scribit: *Nullus in festivitate Sancti Joannis solstitia, aut vallationes, aut saltationes, aut cantica diabolica exerceat*. Idem pariter interdictum legitur in vita S. Eligii Noviomensis Episcopi, a S. Audoeno ejus amico scripta sæculo septimo. Recentiorum Itinerariorum fide, Turcę & Orientales ferme omnes eum diem maximis lętitię significationibus celebrant. De his fortasse usurpandum est id, quod habent S. Bernardus, & Author sermonum *Ad fratres in eremo*, natalem scilicet Joannis Baptistę diem ab Ethnicis festu celebrari.

℣. 15. MAGNUS CORAM DOMINO. Non apud homines modo (17), verum etiam apud Deum magnus. Vel, divina penitus & extraordinaria futura est Joannis dignitas. Magnum esse coram Domino, apud Hebręos aliquid multo nobilius est, quam absolute magnum esse. Ita *robustus coram Domino* Gen. 10. 9. *nequam coram Domino* Gen. 13. 13. maximas vires, maximamque nequitiam significant.

VINUM ET SICERAM NON BIBET. Alibi docuimus (18), *siceram* ex S. Chrysostomo ac Theodoreto vinum esse ex palmis. His adde Theophilum Antiochenum in Libro Allegoriarum in Lucam. Vulgaris erat apud Orientales potio; & post vinum e vite, nullus erat liquor usitatior, aut aptior inducendę ebrietati. Perpetuus igitur Nazaręus futurus erat Joannes Num. 6. 3. veluti Samson Judic. 13. 14. & Rechabitę Jerem. 35. 8.

SPIRITU SANCTO REPLEBITUR. Ab ipso matris utero Spiritus Sancti vim sentiet, ac vaticinabitur (19). Cęteri Prophetæ nonnisi ætate matura ad sacrum vaticinii munus vocabantur, Joannes nedum ex matris utero ad divinum hoc ministerium vocatur & eligitur, id quod illi commune futurum fuisset cum Jeremia & Isaia (20); verum etiam vaticinium exercebit, antequam in lucem edatur. Nascetur Propheta, non fiet, ut cæteri.

Grotius novam affert explicationem, Patribus & Interpretibus inauditam. Notandum est, inquit, ex priscis Philosophis, fœtum qui in utero matris est, non haberi pro homine existente, sed ut partem matris censeri. Impletum est ergo hoc Angeli dictum tunc, cum Elisabeth, in cujus visceribus Joannes latebat, impleta est Spiritu Sancto, & vaticinata est. Provoco ad melioris judicii homines. Ea ne est interpretatio, quæ defendi queat? De Elisabetha ne an de Joanne loquitur Angelus? An ad Elisabetham referuntur ea omnia, quæ promittuntur puero nondum concepto, qui puer veluti magnus vir exhibetur?

Dubitare videtur S. Augustinus (21), fuerit ne Joannes in matris ventre sanctificatus: ægre etiam demonstrari posse putat, Joannem eo tempore usum esse ratione. At Veterum plerique constantissime censuerunt, agnitum esse Jesum Christum a Joanne, antequam hic nasceretur. Zacharias in Carmine, inquiunt Origenes & S. Ambrosius (22), ad Joannem verba facit, ea ab illo percipi existimans. Docet S. Gregorius Magnus in Job. l. 3. c. 5. impletum fuisse vatidico spiritu Joannem; antequam in lucem ederetur; quamobrem dici illum posse renatum, antequam natum. S. Bernardus Ep. 174. c. 4. Joannem quidem in originis peccato conceptum ponit; at eo deinde purgatum, editum esse sanctissimum. Ecclesiæ quamplures celebrabant olim Festum Conceptionis S. Joannis Baptistæ, ipsius nempe sanctificationem, cum is in matris ventre contineretur. Festum hoc notant vetera Martyrologia ferme omnia, & Calendaria manu exarata quamplurima. Solemnis adhuc apud Græcos hic dies est. Profecto Evangelii verba aliter explicari nequeunt, quam de vera Joannis sanctificatione.

Utrum Joannes ab ipso statim tempore, quo perfusus est Spiritu Sancto, usus semper fuerit ratione, & Jesum agnoverit ac salutaverit exultando, dum matris utero clausus fuit, & pueritiam egit, quemadmodum nonnullis visum est; id porro affirmare non ausim. Crediderim certe probabilius, rationis usum, quo per eam occasionem donatus est, fugacis instar jubaris fuisse, quod statim evanuit, nec deinceps perseveravit.

℣. 16. MULTOS FILIORUM ISRAEL CONVERTET concionibus, exemplo, baptismo. Ex universa undique regione ad illum omnes confluebant; factaque criminum exomologesi, baptismo abluebantur. Apta uniuscujusque conditioni monita dabat Joannes, eosque salutis viam docebat. Præsertim vero convertit *corda filiorum Israel ad Dominum Deum ipsorum*, Jesum Christum illis indicans (23), deque ipso publice & gloriose testatus.

℣. 17. IN SPIRITU ET VIRTUTE ELIÆ, Coram

Deo

(11) Genes. xvi. 13. xxxii. 30. Exod. xx. 19. Judic. vi. 22. 23. xiii. 22. Vide Euthym. Mald. alios.
(12) Ambros. in Luc. c. 1. Mald.   (13) Aug. lib. 2. Quæstion. Evang. qu. 1. Chrysost. homil. Nativ. S. Joan. Baptist. & de incomprehens. Dei nat. homil. 2. Ita & Beda, Theoph. Euth. Strab. Brug. Grot.
(14) יוחנן *Jochanan*. Ἰωάννης.   (15) Bernard. serm. de sancto Joanne Baptista. Ita & Author serm. 23. ad fratres in Eremo, apud Aug. t. 6. p. 329.   (16) Aug. tom. serm. 196. p. 903. n. 4 *Natali Joannis de solemnitate superstitiosa pagana, Christiani ad mare veniebant, & ibi se baptizabant*.   (17) Ambros. lib. 1. in Luc. Origen. homil. 4. Beda, Theophyl. Euthym.   (18) Vide ad Isai & Deut. xxv. 22.
(19) Origen. homil. 4. 7. & 8. in Luc. Ambros. lib. 1. in Luc. Chrysost. homil. 3. in Joan alii passim.
(20) Jeram. 1. 5. 6. Isai. xlix. 5.   (21) Aug. ep. 187. n. 23. & sequ. & serm. 293. nov. edit. t. 5. p. 1182. n. 15. 18.   (22) Origen. in Luc. homil. 10. Ambros. in Luc. lib. 2.   (23) Cyrill. de recta fide ad Reginas, Beda, Strab. Euthym. &c. Mald.

Deo vitam instituet, quemadmodum Patriarchæ & Prophetæ (24): *Ambula coram me, & esto perfectus*; atque instar Eliæ vatidico afflatu ac lumine, divinarumque rerum studio abundabit, ut Domini hostibus resistat, seseque velut aggerem flagitiis & sceleribus Judæ & Israelis objiciat. Quantopere Joannes Herodi Regi restiterit, quam acriter nefarium illius connubium arguerit, qua constantia simulatam Pharisæorum virtutem damnaverit, nemo ignorat. Nunquam constantius Elias Achabum & Israelitas prævaricantes allocutus est.

Plerique Interpretes aliter explicant (25). Futurus est Messiæ, Dei scilicet Filii, Præcursor: vias illi sternet, ut inquiunt Isaias xl. 3. & Malachias 3. 1. Christum populis nunciabit & ostendet, eosque ad ipsum ducet, *spiritu & virtute Eliæ*; eodem, ac Elias, animi robore & virtute instructus, ut compescat impios, & superbis resistat (26), pœnitentiam suadens & conversionem, tum exemplo, tum verbis. Aptissima omnium est hæc interpretatio: eamque suadent ipsimet Evangelistæ (27), dum Joannem Baptistam ceu Messiæ Præcursorem a Prophetis prædictum exhibent. Ipse etiam Christus testatur (28), Eliam in Joanne jam venisse; non quod Eliæ anima in Joannem transisset, quemadmodum Hæretici quidam comminiscebantur (29), sed quod Joannes par esset Eliæ aeti divinarum rerum studio, virtute, sanctitate, vitæ innocentia, officio. Visum est nonnullis Patrum (30), Joannem cum Elia comparari, qualis hic futurus est ante alterum Dei Filii adventum, nempe supremum ante Judicium.

Ut convertat corda patrum in filios; ut simul utrosque conciliet: ut conjungat Judæorum animos cum Patriarchis ipsorum majoribus, a quibus illi tam longe aberant, quorum a religione adeo infeliciter defecerant (31). Vel: Quemadmodum Elias sub mundi exitum Judæorum animos ad Christiana sacra est conversurus, juncturusque cum Ecclesia Synagogam; ita Joannes Judæos atque Ethnicos, omnesque absolute orbis gentes ad Christum perducere conatus est (32); quem in Christum omnia hominum vota & officia desinant, necesse est. Aliter (33): Natus inter homines Præcursor, hominum omnium animos mentesque ad Messiam, Jesum scilicet Christum, perducere studuit. Divisi ea ætate in sectas Judæis, in Pharisæos nempe, Saducæos, Herodianos, Essenos, singuli quidem Messiam expectabant, evolvebant Scripturas, at suo singuli arbitrio interpretabantur. Indicat his Joannes Christum, Legis finem ac Prophetarum, atque hac arte docet in unum fœderis vinculum coire, eamque sententiarum varietatem abdicare.

Et incredulos ad prudentiam justorum. Vel ex Græco (34): *Et incredulos in prudentia justorum*: ut incredulos doceat mites esse, dociles, morigeros, Prudentia hoc loco virtus non est futura providens, sed insitum natura ingenium, sententia, mentis proclivitas.

Parare Domino plebem perfectam. Non eo quod Joannis baptismus sanctificantem gratiam conferret, aut homines ad absolutam sanctitatem Joannes duxerit; quippe cujus prædicationi non magnus fructus responderit, Judæis in nequitia obfirmatis, ipso nequicquam conante; sed quod per Joannem non steterit, quominus resipiscerent Judæi, & Jesum Christum agnoscerent. Optimas ille vias docuit; quem illi quærebant, præstolabantur, votis sollicitabant, inter ipsos latentem indicavit.

℣. 18. Unde hoc sciam? Peccavit ne Zacharias, signum postulans ab Angelo, nasciturum sibi filium nunciante? Ajunt plerique (35), hoc argumento persuasi, quod scilicet Angelus credere cunctantem punierit: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis*. At qui hæc eadem alio tempore dixere Abraham, Gedeon, & Maria Christi parens. Omnino: at non eodem animo locutus est Zacharias (36). Poterat quidem rogare Zacharias, qua ratione id eventurum foret, quemadmodum Maria: nefas vero de Angeli promissione dubitare. Illius igitur dubitatio & cunctatio puniuntur.

℣. 19. Ego sum Gabriel. Tibi non licet de verborum meorum veritate dubitare. Angelus tenebrarum non sum, sed Gabriel, e primis Dei Ministris, qui Dei vultum intueor, illique præsens adsisto. Notus erat apud Danielem Gabriel, quo docente (37) is mysterium septuaginta hebdomadum Jeremiæ (38), & venturi Messiæ tempus didicit. Angelos plerumque Scriptura (39) ceu Domini Ministros exhibet, illi servientes, ejusque Majestati proxime adstantes, quemadmodum apud Orientalium Reges nonnulli ex Ministris Regio aspectu fruebantur, & coram Rege admittebantur, cæteris nunquam aut ferme nunquam eo beneficio donatis: earum quippe gentium Reges sub specie majestatis nunquam fere in publicum prodibant (40). *Gabriel* sonat *virtutem Dei*; vel, *virtus mea Deus*.

℣. 20. Eris tacens. Videtur ex consequentibus (41) nedum mutus fuisse, verum etiam surdus; illum enim nutu interrogavere, quodnam filio nomen dari vellet. Græca vox (42) proprie significat *mutum esse*, tacere; at optimi Interpretum (43) usurpari etiam pro surdo arbitrantur.

℣. 21. Erat plebs expectans, &c. Contigit hoc, uti animadvertimus (44), die Sabbathi vespere. Convenerat in Templum multitudo, qua hora thus offerebatur; id quod vespere & mane fieri consueverat. Ex Israelis atrio commode spectabatur aditus Sancti, per fores atrii Sacerdotum, & omnium oculi atque ora in Sacerdotem hebdomadæ ministerio fungentem, in Sanctum ingredientem vel egredientem, convertebantur; Diuturnum temporis spatium non postulabat thuris in Altare aureum illatio. Aureum thuribulum seu foculum inferebat Sacerdos, eoque super Altare constituto, injecto thure discedebat.

℣. 23. Ut impleti sunt dies ministerii ejus. Exhibuit sese Angelus vespere ejus diei, qua die ministerium hebdomadæ iniit Zacharias. Tota deinceps hebdomada is in Templo fuit, dedit que operam ministerio, quippe qui novo incommodo non prohiberetur; altero deinde sabbatho mane, absoluto ministerio, domum rediit.

℣. 24. Occultabat se mensibus quinque. Latere illam cogebat pudor; tametsi enim probrosa non erat graviditatis causa, ipsa tamen graviditas absurdum aliquod præferebat, mulieris ætate spectata (45). Quemadmodum probro est mulieri integra ætate sterilitas, ita parum honesta videtur

(24) Genes. xvii. 1. Vide & Genes. vi. 9. v. 21. (25) Ita Patres, Origen. Ambros. Aug. Brug. Mald. Grot. alii. (26) Beda, Theophyl. Mald. Brug. Origen. homil. 4. Ambros. in Luc. lib. 1. (27) Marc. i. 2. 3. Matth. iii. 1. 2. & sequ. (28) Matth. xi. 14. xvii. 11. 12. (29) Apud Aug. quæst. 18. in Num. Confer Tertull. lib. de anima c. 35. (30) Aug. tract. 4. in Joan. Euthym. hic. (31) Hieronym. in Malach. iv. 6. Aug. lib. xx. de civit. c. 29. Beda in Luc. Ita Vat. Bez. (32) Vide Euthym. hic. Ligfoot. (33) Mald. Grot. (34) Καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων. (35) August. homil. 290. nov. edit. pag. 1163. n. 4. Beda, Theophyl. Maldon. Grot. Brug. (36) Vide Aug loco citato. (37) Dan. viii. 16. ix. 21. (38) Jerem. xxv. 11. 12. Dan. ix. 24. (39) Tob. xii. 15. Apoc. i. 4. v. 6. (40) Justin. lib. 1. *Apud Persas persona Regis sub specie majestatis occulitur.* (41) ℣. 62. *Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum.* (42) Ἔσῃ σιωπῶν. (43) Theophylact. Euthym. Ambr. hic. Vide Mald. Grot. Hamm. Brug. Ligfoot. &c. (44) ℣. 10. (45) Origen. in Luc. homil. 6. Ambros. Beda, Theophyl. Euthym. Mald. Grot. Brug. alii.

tur in non effœta fœcunditas, quippe quæ intemperantiam aliquam significat, mulieri indecoram. Lætabatur itaque Elisabeth, se matrem esse divino beneficio; at ea ætate gravidam esse pudebat. Colligunt hinc nonnulli ex Patribus (46), Zachariam & Elisabetham communi consensu continentiam a longo antea tempore coluisse. Igitur quasi Elisabetham puderet, prodito indicio apparere, sese post spontaneam a viro continentiam usam esse conjugio (47), *mensibus quinque* latuit, toto scilicet eo tempore, quo ventris tumor dissimulari potuit.

℣. 25. Auferre opprobrium meum inter homines. Maledicti & opprobrii loco inter Israelitas sterilitas habebatur. Certa res est, & e Scripturis passim explorata (1). Hujus persuasionis causa ignoratur. Sunt qui censeant, desiderio pariendi Messiæ, quem in Israele oriturum noverant, mulieres optasse fœcunditatem. Videtur aliis fuisse populi rudioris opinio, felicitatis partem in eo constituentis, ut quis numerosa familia coronaretur. Filios ceu fulcra senectutis, & laborum auxilia fore existimabant. Sese iterum in filiis nasci censebant, diuturnæque inter posteros vitæ spe, per sobolis successionem, sibi blandiebantur. Putant nonnulli, sterilitatem habitam esse a Judæis ceu pœnam divinitus inflictam. Profecto sterilitatem minitatur Deus, veluti sui furoris indicium (2). At sapientissimus quisque fatetur, id falso a Judæis fuisse reputatum. Sanctissimæ interdum fœminæ steriles fuere, veluti Sara, Rebecca, Rachel, Anna Samuelis mater, & mater Samsonis. Ipsimet sacri Scriptores errori remedium præbent, docentque unicum esse dumtaxat probrosum sterilitatis genus, nimirum si virtute bonisque operibus careas (3).

℣. 26. In mense autem sexto. Mittitur Gabriel Angelus ad Mariam, viro e Davidis familia, Josepho nomine, *nuptam*, vel *desponsam*, uti sonat Græcus (4). Quicquid propositio servit, & cum consequentibus conjungitur, sedulo notat Lucas. Sexto jam mense ventrem gerebat Elisabeth, cum Angelus Gabriel ad Mariam veniens, Divinam Verbi Incarnationem illi nunciavit. Sextum vix mensem a conceptione agebat Joannes, cum præsentem Dei sui matrem sensit.

℣. 28. Ave gratia plena: Dominus tecum. Mariam *gratia plenam* prædicat Angelus, Divinisque beneficiis cumulatam; eamque Deo placere: *Invenisti enim gratiam apud Dominum*, Spiritus sanctus, in Maria commorans, illius mentem donis omnibus, omnique gratia impleverat. Servatus est cum cæteris gratiarum modus: Maria cumulatur gratia & impletur (5). Tota gratiæ ubertas quodammodo in Maria sedet, cum Patris Templum sit, Spiritus Sancti Sponsa, ac Verbi Mater (6). Ut illam hac dignitate, qua cæterorum hominum dignitas quam longissime superatur, dignam efficeret, omnes, ut ita dicam, thesauros exhausit Deus, divinis muneribus illam undique ornaturus.

Græca vox (7) usurpari potest pro gratiosa, charissima, ea quæ gratiam invenit, donis ac muneribus cumulata, quemadmodum passim Veteres explicavere. Addit Angelus: *Dominus tecum*; nempe, te amat Deus, sanctam facit, beneficiis locupletat. Vel absolute (8): *Dominus tecum esto*. Consueta dicendæ salutis forma. Ita Gedeonem Angelus salutavit Judic. 6. 12. & Booz messores, Ruth. 2. 4.

Benedicta tu in mulieribus, vel supra cæteras mulieres. Una es inter mulieres dignissima, felicissima, & gratiarum ubertate refertissima. Interpretes nonnulli explicant (9): *Benedicta esto præ cæteris mulieribus*. Gratia & donis te impleat Deus. Consueta inter Hebræos forma salutandi mulieres, præclaro aliquo facinore nobiles: *Benedicta tu inter mulieres*. Ita Jahelem Heberi uxorem, quæ Sisaram necavit, Debore commendat in Cantico Jud. 5. 24. Booz salutem dicit Ruthæ his verbis Ruth 3. 10. *Benedicta es a Domino*. Ita etiam David benedixit Abigaili, a qua prohibitus fuerat, ne Nabalis domum cæde cruentaret 1. Reg. 25. 33. Benedicta igitur Maria est omnes inter mulieres, deletque quodammodo probrum, quo universum fœminarum genus post Evæ peccatum aspergebatur. Eva malorum dirarumque in homines origo fuit: quippe cujus crimine peccatum & mors hominum genus invasere. Maria gratiam, felicitatem, vitam hominibus affert, dum Servatorem & Messiam parit. Hæc Jesum Christum, vitæ & gratiæ Authorem, fide & obedientia edidit; quemadmodum Eva peccato & incredulitate nos perdidit (10).

℣. 29. Turbata est. Græcus (11): *Illa autem videns* hoc sive Angelum, *turbata est*. Casta & pudica virgo solo viri aspectu trepidat & cruciatur, præsertim sine teste (12). Nobilissima fortasse specie, fulgida, & augustiore quam hominis, sese obtulit Angelus. Terruit Mariam jubar & majestas. Divinum illud esse spectaculum, intellexit Maria; quamobrem consueto iis hisce rebus motu trepidavit. Simili spectaculo territum formidantemque vidimus Zachariam Luc. 1. 12. Daniel Angelum intuitus dejicitur viribusque destituitur Dan. 10. 8. Piæ mulieres, conspectis ad Jesu Christi sepulcrum Angelis, territæ fuere. Matth. 28. 5.

Veterum plures (13) censuere, Mariam Angeli sermone vel salutatione fuisse turbatam. Favent huic opinioni verba Evangelistæ: [℣. 29.] *Turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio*. Verebatur fortasse Maria, ne oblata ultro encomia Dæmonis essent insidiæ (14); vel hominis assentationes, pudicitiam tentantis (15). Sunt qui ea verba, *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, ita interpretentur: Mirabatur, cur Angelus de se ita magnifice tantoque obsequio loqueretur. Modestissima quippe minime intelligebat, hæc encomia sibi deberi (16): quamobrem illi suspecta fuere.

℣. 31. Ecce concipies et paries Filium. Hæc nimirum causa est encomiorum, quæ ex me audis: futura es mater Filii Dei, Messiæ; editura es Liberatorem Israelis, Mundi Servatorem. Ita ad summum gloriæ fastigium, quo evehi queat homo, erigeris.

Vocabis nomen ejus Jesum. Apud Matthæum 1. 21. Angelus Josephum alloquens, idem hoc illi imperavit, ut scilicet Mariæ Filium indito nomine Jesu nuncuparet. Apud Scripturam, nunc pater, nunc mater nomina filiis tribuunt. Nunc cæterisque temporibus, quibus ipse Deus nomina filiorum docet, neuter nomen imponunt: Di-

vigis

(46) Origen. & Ambros. hic. (47) Maldon. Brug. Lud. de Dieu. (1) Genes. xxx. 23. 1. Reg. 1. 6. Isai. iv. 1. (2) Genes. xx. 18. Osee ix. 15. Exod. xxiii. 28. Deut. vii. 14. (3) Isai. LV. 5. 6. Sap. iii. 13. 14. (4) Μεμνηστευμένην: Vat. hic. Vide ad Matth. 1. 10. (5) Petr. Chrysolog. serm. 141. *Singulis gratia se est largita per partes: Mariæ vero se totam dedit gratiæ plenitudo*. (6) Ambros. in Luc. August. plurib. in locis. Beda, homil. 1. de B. V. Chrysolog. serm. 142. Sophron. serm. de Assumpt. Rupert. lib. 0. in Cantic. (7) Κεχαριτωμένη. (8) Grot. Hamm. Capell. alii. (9) Grot. Capell. alii nonnulli. (10) Vide Iren. lib. 3. c. 33. Tertull. de carne Christi. August. alios. Maldon. hic. (11) Ἡ δὲ ἰδοῦσα διεταράχθη. (12) Ambros. hic: *Quasi viri specie mota trepidavit*. (13) Origen. homil. 6. Chrysostom. homil. de nativ. S. Joan. Hieronym. ad Eustoch. & Ambros. lib. 2. num. 9. in Luc. (14) Euthym. Bernard. serm. de nativ. B. M. Maldon. hic; alii. (15) Theophyl. hic; Hieronym. ad Eustoch. Bernard. serm. in Apoc. xii. *Signum magnum*, &c. (16) Brug. Grot.

viais tantum juſſionibus parent. Jeſus Servetorem ſonat.

℣. 32. Filius Altissimi vocabitur, & erit; Hebræi enim paſſim uſurpant *vocari* pro *eſſe*. Neque cæterorum Juſtorum inſtar futurus eſt Dei filius, adoptione ſailicet aa dilectione, ſad oatuia. Illum ellocutus a tota æternitate Daus, inquit Pſal. 2.7. *Filius meus es tu, hodie genui te*; quæ quidem de areatia rebus nullis dixit, ne Angalis quidam nobiliſſimis, teſte Paulo Hebr. 1. 5.

Dabit ei Dominus, &c. Non ita implendum erat hoc vaticiniom, uti vulgo Judæi axiſtimabant; atqua ipſa fortaſſa Maria, inter Synagogæ alumnos coutrita, temporalo Regnum Meſſiæ, quemadmodum cæteri, præſtolabatur. Quamobrem ita ſermonem tamperat Angelus, ut huic opinioni cooniveat. At Chriſti Regnum ex hoc mundo non erat, ipſo teſte Joan. 18. 36. aut ſi eſt, imperium certe non aſt terrenis Principatibus ſimile. In animis ille mentibuſque dominatur, & in Eccleſia, Davidiao Regno figurate (17). Imperaturus eſt Iſraeli Dei, quemadmodum David Iſraali carnis imperavit. Maſſias e Davidis ſobole oriturus paſſim in Scripturis prædicitur (18): quamobram illum Angalus ſucceſſorem in Davidis ſolio futurum prædicat.

Regnabit in domo Jacob in æternum. Primum ac potiſſimum Dei propoſitum erat, ut Meſſias in univerſa Jacobi familia regnarat. Vaoit ille, ut errantas ee Iſraela ovas revocarat; at ranuentibus ipſum axcipere Iſraelitis, terga illis dedit, & Eccleſiæ fores aperuit Gantibus, quæ aatatim confluxere. Cum ipſimet illius ſubditi profeſſi fuiſſent, nolle ſe, ut is in ipſis dominaretur, his electis iis, quos ſibi fidos novarat, ad alterius imperii acquiſitionem profectus eſt. Hac ipſa parabola uſus eſt Chriſtus Luc. 19. 12. ut ſarvatæ e ſe erga Judęos providentię rationam redderat.

℣. 34. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Minime dubitat Maria da veritate rerum ab Angelo promiſſarum: illius quippa fidem Divinus ipſe Spiritus per Eliſabatbam commendat Luc. 1. 45. myſtarii ſublimitatam admiratur, & quęrit, qua retioea illud explandum ſit, virgo enim erat, ac nondum in ſponſi domum tradacta. Adda, quod vel anta nuptias, vel etiam poſt nuptias, conſentienta Joſepho, virginitatem Deo irravocabili voto dicavarat, uti docent Patres, & Interpratum pręſtantiſſimi (19). Profecto quid illud ſignificabat, *Virum non cognoſco*, ſi nuptias vel tantum ſponſalia iniiſſat, ut in conjugio, quemadmodum cęterę, viverei? Cur ſtupens quęſivit, quo pacto futura eſſet mater, ſi filios procraatura nupſit?

Sunt qui cenſeant (20), Mariam, cum optime compertum haberet, Meſſiam e virgine oriturum, ae Iſaiæ vaticinio, quæſiviſſa, quo pacto virgo, illæſo virginitatis ſigno, futura aſſat matar. Rei garendæ modus, ab Iſaia minime deſcriptus (21), negotium illi faceſſebat. Rogat igitur Angelum, qua ratione gerendum id ſit. Tradit S. Epiphanius hær. 68. ex vatari narrationa, Mariam primæ ætatis puellam ab Joſepho ductam eſſe, viro ætate provectiſſima; cum jam hic ex altera priori uxore liberos quamplures procreaſſat; qua uxora mortua, octoginta ennorum ſanem duxiſſe Mariam, ut Virginitatis illius cuſtos, & myſtarii in ea peragandi miniſter aſſet potius, quam vir puellæ. Hoc ſi ſatis aſſartum foret, mirum non eſſet, Mariam Angelo raſpondiſſa: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſca?* At dubiæ fidai eſt traditio a S. Epiphanio recitate. S. Gregorius Nyſſenus in Tract. da S. Chriſti Nativit. ex apocrypho libro ſcribit, Mariæ virginitatem fuiſſe e parentibus Deo dicatam. Id varo probabile non videtur.

℣. 35. Spiritus Sanctus superveniet in te. Mater afficiaris, et non uſu conjugii. Ex iis quæ in te garenda ſunt, virginitas tua minime lædatur. Viri vices Spiritus Sanctus præſtabit; & Omnipotentis virtus te fœcundam efficiet (22), quin pudicitiæ vitium inferat. Divina Trinitas tota manum Incarnationi Varbi admovit: id taman Scriptura Spiritui Sancto tribuit, qui idem eſt ac Altiſſimi Virtus: cum is ceu vitę fons ſit, & principium, quo rebus omnibus ſanctitas affertur.

Patrum compluribus videtur Spiritus Sanctus hoc loco aſſe Dai Filius, altara Sanctiſſimę Trinitatis Perſona, Marię obumbratura, humaniſque artubus in ajus utero induanda. Sane apud Scripturas (23) Pater, Filius, & Spiritus ſanctus paſſim uno Spiritus vocabulo deſignantur, teſtibus Theodoreto (24), aliiſqua. Hoc ipſum diſarte aſſerit da Filio Dei, Verbo carne indoto, S. Juſtinus Martyr, eumqua ſub ſancti Spiritus appellatione deſignat in Apolog. 2. Tertullianus luculentiſſime (25): *Sicut, Joanne dicente, Sermo caro factus eſt, Spiritum quoque intelligimus in mentione Sermonis, ita & hic Sermonem quoque agnoſcimus in nomine Spiritus*. Eadem locutione non raro utuntur S. Ambroſius (26) & S. Hilarius (27). Suos habet hęc ſententia patronos ex Recentioribus (28).

Dei Virtutam, da qua hic Lucas, *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, S. Juſtinus (29) de Dei Filio interpretatur, itemqua S. Gragorius Nyſſenus in diem Nativ. Chriſti, ac Thaophylactus in hunc locum. At communi ſantentia Dei Virtus ſynonyma eſt Spiritui Sancto, tertię Trinitatis Perſonæ, cujus divina vi Marię fœcunditas parta aſt.

Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Reddi etiam poteſt (30): *Quod concipietur in te ſanctum*; vel, *quod conceptum eſt in te ſancte*; ſeu denique, *quod orietur ex te Sanctum Domino*, utpota primum natu, *vocabitur Filius Dei*. Codices manu exarati Patreſque compluras omittunt eas voces *ex te*, tua nimirum e ſubſtantia. Illud antonomaſtica *ſanctum quod ex te naſcetur*, divinus ille ſurculus, ſanctitatis univerſę fons, *vocabitur*, atque revera, quemadmodum ſua ipſius aſſentia, totaque ab eternitate eſt, *Dei Filius*, unicus, Patri coęternus & conſubſtantialis. Sunt qui ita interpretentur: Quod ex te oriturum eſt, cum in te generatum ſit Altiſſimi virtute, ſuaque unius in perſona Divinam humanamque naturam colligat, hoc ſenſu *Dei Filius* veriſſima appellabitur (31), omiſſa ęterna generationa a Patris ſubſtantia, cujus cauſa multo nobilius *unicus Dei Filius* eſt Dai Sapientia & Varbum. *Sanctum* nuncupat

(17) Theophyl. Maldon. Grot. Brug. alii. (18) Pſalm. II. 7. Pſalm. CXXXI. 11. Iſai. IX. 6. 7. Dan. VII. 14. Ezech. XXI. 27. (19) Greg. Nyſſen. orat. in nativit. Chriſti; Auguſt. de ſancta Virginit. cap. 4. Beda hic; Bern. ſerm. 4. in Miſſus eſt; & ſerm. in hæc verba Apoc. *Signum magnum*, &c. Anſelm. lib. de excellent. B. M. V. cap. 4. Rupert. lib. 3. in Cant. Maldon. Brug. Grot. alii paſſim. (20) Vide Ambroſ. lib. 2. in Luc. num. 14. 15. Auguſt. de civit. lib. 16. Ligfoot. hic. (21) Iſai. VII. 14. (22) Maldonat. Brug. Grot. Ligfoot. Glaſſ. alii. Vide Theophyl. & Bernard. hom. 4. ſuper Miſſus eſt. (23) Joan. IV. 24. 1. Timot. III. 16. 1. Cor. XV. 45. (24) Theodoret. Interpr. in principio. (25) Tertull. adverſ. Judæos: *De terra in Cælos rem recipit, unde & venerat ipſe ſpiritus ad Virginem*. Idem adverſ. Praxeam. (26) Ambroſ. ad Rom. 1. 4. & lib. X. in Luc. num. 86. & lib. VIII. in Luc. & alibi. (27) Hilar. in Matth. 11. n. 5. & in Matth. XII. num. 15. & 17. &c. (28) Cocci. Schol. in Luc. & ad Rom. 1. 4. & conſider. in principium Evang. Joan. &c. (29) Idem loc. cit. (30) [illegible] &c. [illegible] uſurpatur pro *concipere*, *generare*, & *parere*. (31) Vide Gregor. Magn. lib. 18. Moral. cap. 27. & Bedam hic.

Evangelista, quod nulla criminis labe conceptum fuerit, nulloque virginitatis Mariæ vitio, quodque sanctitatis fons sit & origo: aliter plane atque hominum ceteri solent, quorum ortus depravatione, & communi originis labe non caret. Non satis mentis sententiam prompsisset Evangelista, inquit S. Bernardus in Missus est homil. 4. si diceret, sanctus Homo, Sancta Caro, sanctus Puer ex te nasciturus: cum vero absolute ait, *Quod nascetur ex te sanctum*, optime demonstravit, nasci ex Maria non posse, nisi id quod præstantissima sanctitate est, & Sancti Spiritus virtute, sanctum illud faciente, a quo ipsum intra Mariæ viscera fingebatur, & hypostatica Verbi cum natura hominis conjunctione.

℣. 36. Hic mensis sextus est illi, quæ sterilis vulgo existimatur. Ut certissimo argumento doceam, vera esse quæ nuncio, ostendamque nihil esse, quod fieri a Deo nequeat (32); sobrina tua Elisabeth, quam sterilem esse nosti, atque ætate liberis inepta, sexto jam ab hinc mense gravida filio est, & uterum gerit.

℣. 38. Ecce ancilla Domini. Vides hic Mariæ fidem, humilitatem, obedientiam. Illam Angelus gratia plenam, futuramque Dei Matrem prædicat: ipsa demittens animum, inquit: *Ecce ancilla Domini* (33). Incomprehensibile mysterium audit; depressoque intellectu assentitur, Dei voluntati demisse paret (34). Pio fervore acta, Deum orat, ut quicquid libuerit, in sese perficiat (35). Eodem ipso tempore ineffabile Incarnationis mysterium peractum est, ex Patrum & Interpretum plerorumque sententia (36). Quamquam autem Verbi corpus sensim formatum est, & novem mensium spatio in Virginis utero crevit; eo tamen ipso tempore, quo carnem assumpsit Verbum, divinum illud Corpus anima instructum est, humanaque forma indutum, quamquam ita exile, uti arcana Verbi consilia postulabant. Non igitur per partes gesta est Incarnatio, sed statim unoque temporis momento. Verbi Divinitas statim per Personam cum Jesu Christi Anima & Corpore in utero Virginis conjuncta est (37).

℣. 39. Maria abiit in montana, in civitatem Juda, Hebronem, uti creditur (38), urbem Sacerdotalem (39), in meridiana regione Judææ sitam, in montibus, decem circiter leucis ab Jerosolyma, & a Nazaretha ferme quadraginta. Iter profecto puellæ, qualis erat Maria, non minimum: at divinus ille ignis, quo Maria æstuabat, incommoda omnia superavit, ut gaudium, quo efferebatur, cum Elisabetha communicaret, illique supremis graviditatis mensibus præsto esset atque inserviret. Neque, ut nonnullis visum est (40), iter illud iniit, quod de rebus ab Angelo nunciatis dubitaret, sive ut veritatem beneficii Elisabethæ collati curiose inspiceret, sed ut Dei opera admiraretur & prædicaret. *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio*, inquit S. Ambrosius (41). Sunt qui censeant (42), Zachariæ domum Jerosolymis fuisse; alii (43) Macherunte trans Jordanem collocant; alii denique circa Emmaus.

℣. 40. Salutavit Elisabeth. In illius conclave ingressa, illam officiis prosecuta est, cœleste beneficium illi gratulans, quod divinitus vissitati, mater effecta fuerit prodigio. Surdus tunc mutusque Zacharias, hujus rei particeps esse non potuit: quamobrem Zachariæ hic non meminit Evangelista.

℣. 41. Exultavit infans in utero ejus. Quæritur, utrum Joannis motus voluntarius illi fuerit ac naturalis, an ortus e gaudio, quo affecta est eo tempore mater: fœtus enim in matrum uteris vehementer afficiuntur iis, quæ matribus gaudium, dolorem, aut metum afferunt. Cum enim unum idemque cum matribus ii sint, communes cum illis habent motus, odia, aversationes, lætitiam, mœrorem: unde fit, ut pueri quædam natura aversentur, quædam ament. Posterior hæc interpretatio nonnullis placet (44). Plerique tamen Patres atque Interpretes (45) censent, Joannem, anticipato rationis usu, Spiritus Sancti lumine illustratum, sensisse Domini præsentiam, lætitiamque motibus, prodigiosa ea impressione partis, ostendisse. Neque desunt (46) qui velint, Elisabethæ animam Spiritu sancto impletam esse per Joannem, effondente se Spiritu, quo ille implebatur. *Duplici miraculo prophetant matres spiritu parvulorum.*

℣. 43. Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Sublimissimam Mariæ dignitatem cernens Elisabeth, indignam se putat, cujus in domum illa succedat. Dei Dominique sui Matrem esse fatetur, prævertitque Hæreticos, Mariam esse Dei matrem sequiori ætate negaturos.

℣. 44. Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit, &c. Subito fœtus motu Elisabeth intellexit, Dei Matrem adesse, clausumque suis visceribus puerum, olim coram præsente hoc Domino exultaturum. Eo tempore mens Elisabethæ divino lumine illustrata est, animusque dilatatus, ipsaque vatidico spiritu impleta est (47): *Exultavit infans; repleta est mater*, inquit S. Ambrosius lib. 2. in Luc. 2. 23. *Non prius mater repleta quam filius: sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & matrem.*

℣. 45. Beata quæ credidisti. Commendat Elisabetha fidem Virginis, quæ Angelico sermoni fidem habens, id promeruit, ut Dei Filius intra ipsius viscera humanis artubus indueretur. Maximum profecto prodigium est, arcanumque qualibet fide majus; Virginem illæsa virginitate matrem fieri. At Maria minime dubitavit, ubi Gabrielem Dei nomine loquentem intellexit: cum nihil sit, quod fieri a Deo nequeat, hoc ipsum Divina virtute majus non esse existimavit. Infidelitate ac superbia peccavit Eva, mortemque ac mala omnia in mundum, maledictum in posteros induxit: Maria fide & humilitate Servatorem hominum, humanarumque calamitatum Reparatorem edidit. *Beatior fuit* Maria, inquit S. Augustinus lib. de S. Virginit. c. 3. *percipiendo fidem Christi, quam concipiendo Carnem Christi.* Si caruisset fide, Jesu Christi Mater non evasisset; & *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestaret.* Gregor. M. hom. 30. in Evangel.

℣. 46. Magnificat anima mea Dominum. En primum Novi Testamenti Carmen. Pii apud Hebræos afflatique homines insolitis in rebus Dei laudes effuso statim carmine prosequi solebant,

Hu-

(32) ℣. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, nempe, *omnis res*. (33) Ambros. lib. 2. in Luc. (34) Iren. lib. 5. cap. 19. Damascen. lib 3. cap. 2. de fide. (35) Ambros. Beda, Euthym. (36) Iren. lib. 5. cap. 19. & lib. 13. cap. 19. Tertull. de carne Christi; Damascen. lib. 3. cap. 2. Maldon. Grot. Brug. (37) Gregor. Magn. lib. 15. Registri, Epist. 61. nunc 67. Damasc. lib. 3. de fide cap. 2. Mald. hic. (38) Drus. Scultet. Brug. Grot. Lud. de Dieu, Ligfoot. Toynard. alii plerique. (39) Josue 21. 10. 11. (40) Vide Theophyl. hic, & Grot. (41) Ambros. in Luc. lib. 2. Beda hic, Mald. Brug. (42) Ambros. Alb. Mag. Bonavent. (43) Martyrologia quæd. apud Fineint. (44) Calvinus. (45) Chrysost. homil. de S. Joan. Bapt. Hieronym. lib. advers. Luciferian. August. Epist. 187. ad Dardan. Ambros. lib. 2. in Luc. Iren. lib. 3. cap. 18. Tertull. de Carne Christi cap. 21. Cyrill. Jerosol. cap. 3. Origen. homil. 7. in Luc. Bed. Grot. Maldon. alii. (46) Ambros. Beda loc. cit. Ex Origen. homil. 7. in Luc. (47) August. Epist. olim 57. nunc 187. ad Dardan.

Hujus generis multa in Veteri Testamento legimus. Hoc porro nihilo inferius vetustis est vel orationis majestate, vel sublimitate sententiarum, vel animi pietate, qua undique scatet. Agit Maria Deo grates ob impertitum sibi a Deo beneficium, quod scilicet ipsam humilem demissamque intuens, Filii sui matrem esse voluerit. Quidquid in ipsa magnum præstitit Deus, sibi illa non tribuit, omnemque earum rerum gloriam in Deum regerit. Nobilissimum est humilitatis gratique animi Mariæ monumentum, atque absolutissimum gratiarum actionis exemplar.

℣. 47. In Deo salutari meo, ex quo auxilium, opem, beatitudinem, salutem refero. Maria sese ceu multitudini immistam spectat; agitque Deo gratias, quod Messiam Israeli supremumque Liberatorem dederit. Umbris carceris coercebamur, tu liberasti: horrida sub captivitate gemebamus, tu redemisti.

℣. 48. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Me ex humillimo loco eductam, supra ceteras mulieres extulit, ac beneficiis cumulavit. Indignam se divinis muneribus existimat. Veteres multi (48) *humilitatem* pro pie animi demissione usurpavere; quasi dixerit Maria: Spectata animi mei demissione, ac dejectissima mei ipsius de me existimatione, altissimam in dignitatem me evexit Deus. At non satis perspicio, decueritne sapientissimam ac demississimam Virginem suæ meminisse virtutis. Humilitatis virtute cares, ubi te illa ornari putes. A se ipsa & a ceteris cavet humilitas. Germana igitur hujus loci explicatio est, quam primo dedimus: Humilem mei conditionem aspexit Deus; ac nullius pretii fœminam, qualis ego sum, intueri non est dedignatus (49).

℣. 49. Fecit mihi magna qui potens est. Siquid Magnum aut nobile in me reperias, ejus rei gloria Deo uni debetur. Ipse me in sublime evexit; quicquid sum, ipse largitus est: ex me nihil. Unus Ipse author est magnarum rerum, quas de me mirabuntur populi omnes & prædicabunt.

Et sanctum nomen ejus; vel, Sanctus ipse est; sive, Illi nomen, *Sancto*, coram quo assidue clamant Seraphim, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*; quem Scripturæ passim *Sanctum Israelis* nuncupant.

℣. 50. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Veteria misericordiæ signa nostris temporibus edidit, ejusque argumenta hominibus sese timentibus exhibuit. Promissa qualibet ætate Patriarchis ac Prophetis significata, missum iri a se Messiam, præstitit. Sive latiori sensu: Beneficiis me cumulavit Deus sanctus, misericordia dives, qui bonitatis suæ indicia per universas late ætates hominibus sibi morigeris dedit.

℣. 51. Fecit potentiam in brachio suo. Potens est Deus, ultor, invictus, superbis resistens, deque suis viribus confidentes deprimens. Universa humani generis historia exemplis & narrationibus passim scatet, quibus hæc Mariæ sententia confirmatur; Deum nempe superbis resistere, iis vero qui demissi animo sunt, gratiam elargiri. Quicquid infirmum maxime abjectumque est, & hominibus contemptum, elegit Deus, ut mira & maxima consilia impleret. Ipsamet Maria certissimum est hujus rei argumentum. Atque hoc ipsum fortasse voluit Maria; quamquam modestiæ causa sese in exemplum producere ausa non est.

℣. 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Pergit Dei sapientiam, potentiam, justitiamque commendare. Gaudet Deus illos deprimere, qui superbum inter ceteros erigunt caput, & eos extollere, quos demisse de se existimantes videt. Pharaonem in Erythræo dejecit; Moysis gloriam apud universas gentes commendavit. Rejicitur Saul; David sibi ipsi humillimus ad Regnum eligitur. Roboam gloriatus, minimum manus suæ digitum crassiorem esse toto Salomonis patris sui corpore, majori Regni parte spoliatur, electo a seditiosis in Regem fugitivo. Holofernes a fœmina interficitur. Aman extraordinarios honores Mardochæo exhibere cogitur, eodemque in patibulo, quod inimico paraverat, ipse suspenditur. Nabuchodonosor, terrestre Numen sese arbitratus, ad brutorum conditionem redigitur. Ita Deus nulla non ætate omnesque inter gentes consuevit. Ipsimet norunt Ethnici; adeo perspicua fuit & constans ea in re Dei Providentia.

℣. 53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Eadem ferme ratione Anna Samuelis mater Dei amplitudinem commendat, mira ipsius opera enumerans 1. Reg. 2. 5. 6. 7. *Repleti prius*, inquit, qui olim rerum omnium copia luxoriabantur, *pro panibus se locaverunt: & famelici saturati sunt. Dominus mortificat & vivificat; humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Neminem magis hæc dicere decuit, quam Mariam, ea maxime in re & tempore.

℣. 54. Suscepit Israel puerum suum. Vel, uti proprie sonat Græcus (50): *Sustentavit* Israelem ruinæ proximum, succurrit, manum porrexit, lapsum erexit. Opprimebatur eo tempore Israel, alienis sævisque dominis parebat. Rerum tunc potiebatur Herodes; & Davidis genus obscurum erat, & cum vulgo mistum. Veteris misericordiæ suæ meminit Deus, venitque ut Israelem oppressione liberaret, ac Davidis familiam probro subduceret. Servatorem Israeli, & Regem Davidicæ soboli largiturus est Deus. Vide Canticum Zachariæ infra ℣℣. 68. 69.

℣. 55. Sicut locutus est ad patres nostros. Finis legis Messias (51), ad eumque omnia Prophetarum oracula ferebantur. Hujus adventum Sancti olim Viri, Patriarchæ & Prophetæ votis omnibus postulavere; eaque fuit omnium Veteris Testamenti suspiriorum meta. Quibuslibet in promissionibus, quibus Spiritus Sanctus Patriarchas ac Prophetas recreabat, Messias vel luculentius vel obscurius significabatur, uti Deus e re esse censebat. Maria divino lumine statim veteres promissiones, earumque fidem penitus expletam videt; felicior certe, ac sapientior priscis e Veteri Testamento Prophetis.

℣. 56. Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus, ut una colloquerentur de maximis iis rebus, quarum notitia apud ipsas e cunctis mortalibus unas, & Zachariam erat. Mansit, inquiunt Patres (52), quo commodius Præcursorem suum institueret Christus; eumque ad graves cum Dæmone pugnas compararet. Maria Elisabetham non reliquit, nisi edito Joanne, Interpretum optimorum sententia (53). Profecto cur cognatam relinqueret eo tempore, quo illa ipsius officiis maxime indigebat? Putat Grotius, siquidem Maria partum Elisabethæ expectavit, opus etiam fuisse, ut illius valetudinem a ceteris incommodis, partum consequentibus, expectaret; quibus perseverantibus, impuræ censebantur Lege Levit. xii. & xv. mulieres; quamobrem & multo diutius quam tribus mensibus, cum Elisabetha maneret. Censent alii (54), dedecuisse pudicitiam mundissimamque Mariæ Virginitatem, apud puerperam esse, illique parturienti obsequium & servitu-

[48] Origen. homil. 8. Beda hic; Bernard. serm. 5. & 42. in Cantic. [49] Ita Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. Bez. Brug. alii. [50] Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ. [51] Rom. x. 4. *Finis legis Christus.* [52] Origen. homil. 9. & Ambros. in Luc. lib. 2. num. 29. [53] Maldon. Brug. Toynard. Hamm. Evangel. alii. [54] Vide Theophyl. Euthym. hic; Niceph. lib. 1. cap. 8. hist. Græcus Author apud D. Thom.

virtutem exhibere. Denique, inquiunt, cum Lucas Joannis Baptistæ ortum nonnisi narrato Mariæ discessu describat, credibile est, Elisabetham post Mariæ discessum peperisse.

At fatendum omnino est, minimum esse hujusmodi animadversionum robur. Fieri enim potuit, ut Maria altero vel tertio post partum die discederet, neque est cur illam diutius mansisse existimes. Suæ etiam pudicitiæ consulere potuit Maria, vel in altera domus Zachariæ parte, vel in vicinis ædibus manens, dum Elisabetha parturiret, ac deinde consueta cognatæ obsequia exhibere. Tandem Lucas omnia simul tradidit, quæ ad Mariæ iter spectabant, deinde iterum ad ea rediens, quæ ad Joannem pertinebant. Ita solent vulgo Historiarum Scriptores, ne narrationis partes nimis distrahant, dum præpostera religione temporis ordinem studiosissime persequuntur.

℣. 58. Congratulabantur ei felicem filii exortum, post tantas Zachariæ vices omnino prodigiosum (1). Ita sua fides mansit iis quæ dixerat Angelus, futurum nempe ut multi nascente Joanne gauderent.

℣. 59. In die octavo venerunt circumcidere puerum. Pueri octava post exortum die circumcidebantur Gen. 17. 12. eademque nomen puero solemni ritu imponebatur. Nihil hac de re erat Lege sancitum; sed mos obtinuerat, in gente religiose servatus. Circumcisionis minister unus aliquis e propinquis erat, vel ex amicis, sive alius ejus officii peritus, quem idcirco accerserent; hujus enim rei causa Templum vel Synagogam petere opus non erat.

℣. 60. Nequaquam: sed vocabitur Joannes. Filii nomen divinitus fortasse Elisabetha didicerat (2); si enim e Zacharia vel scripto vel alia ratione intellexisset, id minime præteriisset Lucas, atque omnino monuisset Elisabetha, ita velle patrem, & Angelum imperasse, neque necesse fuisset innuere Zachariæ, ut quid nominis filio imponi vellet, significaret.

℣. 61. Nemo est in cognatione tua, &c. Tametsi neque veteri neque communi consuetudine patrum vel avorum nomina filiis imponi solebant, tamen ex hoc & superiore versiculo noscitur inductus fuisse hic mos in Israelem ætate Zachariæ; & nisi ratio aliqua aliter juberet, eligi consuevisse inter patris matrisve cognatos aliquem, cujus de nomine puer nuncuparetur; quemadmodum apud nos in baptismi ritu plerumque illius, qui puerum in sacro fonte suscipit, vel alterius e familia nomen puero imponitur.

℣. 62. Innuebant patri ejus. Surdus igitur ac mutus erat Zacharias, quemadmodum animadvertimus, cum nonnisi per nutus intelligeret, ac pueri nomen in pugillaribus descriptum significaverit.

℣. 64. Apertum est illico os ejus. Statim ac Zacharias pueri nomen pugillaribus inscriptum edidit, & loqui & audire cœpit. Veteres nonnulli censuere (3), Zachariam, cum arrepto jam stilo scripturus esset, solutis linguæ vinculis, loqui statim cœpisse. Contrarium tamen ex Evangelista colligitur. Mulctatus modicæ fidei causa Zacharias, æquum erat, ut loquendi facultate non donaretur, nisi penitus expleta earum rerum fide, quas prædixerat Gabriel. Tunc denique Deo benedicere incipiens, ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, &c.* ℣. 68.

℣. 65. Et factus est timor, seu potius stupor, metus, admiratio. Religioso cum metu ac stupore conspexere omnes prodigia, quæ nascente Zachariæ filio contigere.

℣. 66. Manus Domini erat cum illo. Perspicuis nimium prodigiis Joannis conceptio & exortus claruerant, ut hominem communi conditione majorem illum fore non crederes, in eoque Divina consilia expletum non iri dubitares. *Manus Domini* est Dei patrocinium, potentia, vaticinandi facultas.

℣. 67. Prophetavit, dicens. *Prophetare* apud Scripturam non semper est futura prædicere, aut divinitus afflari. Sonat interdum (4) Dei laudes canere, interpretari Scripturas, more Prophetarum agitari. Hic procul dubio significat sancto Spiritu plenum esse, ac sanctissima illius vi agi. Deus, qui Zachariam incredulitatis causa puniit, ubi illum satis dejectum vidit, gratia & beneficiis cumulavit. Domini clementiam admirare, inquit S. Ambrosius (5): nedum ablata restituit, sed nova etiam addit, quæ minime speraverat. Ipsum Zachariæ silentium, novem mensium spatio perseverans, vaticinii genus erat, cum & Zachariæ peccatum, & Domini justitiam, & futurum mirabilis pueri ortum nunciaret.

℣. 68. Benedictus Dominus, &c. Alterum Novi Testamenti Carmen. Sacrorum Scriptorum more Zacharias a Dei laudibus & commendatione exorditur. Minime jam dubitat, quin venturus sit Messias, populumque mox liberaturus, cum filium, Redemptoris Præcursorem ac vocem, ortum videat, ac Mariam, a tribus mensibus Redemptore fœtam, domi exceperit.

℣. 69. Et erexit cornu salutis nobis, &c. Validissimum Servatorem edidit. *Cornu salutis* ipse est Messias, populo salutem valida manu porrectoque brachio allaturus. Putabat forte Zacharias, quemadmodum cæteri Israelitæ, magnum Regem, Victorem, Imperatorem felicissimum fore Messiam, a quo Regnum in Davidis familia restituendum esset. Spiritus Sanctus, quo is carmen effundens afflabatur, illum fortasse docuit ita de Messiæ Regno loqui, uti veteres olim Prophetæ locuti sunt. Quæ populi de Messia falso existimabant, ac vulgarem in sententiam transierant, ea neque Spiritui Sancto neque Scriptori divinitus afflato tribuenda erant; sed Judæi rudibus atque imperitis, qui ex sermone non satis percepto ipsi sibi fucum fecerant. Ea autem opinione ac sententia longo usu confirmata, necesse quodammodo fuit, ut sese illi Spiritus Sanctus accommodaret, quo intelligeret populus, quid ipse loqueretur. Uti ferme usuvenit citharœdo, cui si citharam dissonis fidibus exhibeas, eo pulsante, absonum carmen futurum est: at peritus quisque, citharœdi artem intelligens, soni vitium citharæ tribuet, non citharœdo. Vulgares loquendi formæ, neglectæ & parum accuratæ passim in Scriptura scatent; iisque usi sunt sæpe Prophetæ, Apostoli, atque ipsemet Christus. Describitur Deus ceu corpore instructus, animi motibus iraque agitatus; astra intelligentia donantur, bruta ratione: ita quandoque loquitur Christus, ut quosdam vulgi errores admittere videatur. Messiam Apostoli Principem opulentissimum fore existimabant, cui præsto essent munera & magistratus amicis distribuendi, ipsos vero ab eo cumulatum iri temporalibus bonis ac dignitatibus: ipsemet Christus Ecclesiæ suæ institutionem sub novi Regni, convivii, nuptiarum, novæ vitæ, resurrectionis, aliarumque rerum imaginibus describit. Multa etiam, quæ Apostoli falso putabant, minime correxit, post ipsius Resurrectionem ac Spiritus Sancti adventum penitus corrigenda. Hisce nimirum sub ambagibus nonnulla celabat Deus, revera sublimiora, scilicet vim veritatis, gratiæ, miraculorum, & Crucis Christi, quarum rerum

vir-

[1] Supra ℣. 14. [2] Origen. homil. 9. Ambr. in Beda, Euthym. Theophyl. Mald. Grot. Brug. alii.
[3] Auth. de Mirabil. sacr. Script. lib. 3. cap. 2. Juvencus:
Sed, proh mira fides! Tabulis cum scribere tentat,
Implicitam solvit per verba sonantia vocem.
[4] 1. Reg. x. 5. 1. Par. xxv. 1. Gen. xl. 5. [5] Ambros. in Luc. hic. Vide & Bed.

virtus multo efficacior fuit, quam exercitus & hominum vires. Vide Paulum in 1. Corinth. 1. 18. 19. 20.

℣. 72. Memorari testamenti sui sancti; fœderis cum Abrahamo initi, cum pollicitus illi est Gen. 22. 16. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; in Christo Jesu, teste Paulo ad Galat. 3. 16. Eodem loco victoriam de hostibus promisit: *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*. Atque hoc vult Zacharias in consequentibus: *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris*. Qui ex Judæis nonnisi carnalia sapiebant, veras sibi victorias indignasque voluptates pollicebantur; at qui ducebantur spiritu, veluti Zacharias, tranquillissimam quidem ac felicissimam sub Messiæ Regno vitam expectabant, sed iis voluptatibus occupatam, quas in pietatis exercitationibus, & vitæ frugi perfectæque innocentia mens experitur.

℣. 76. Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. Joannem Baptistam nuper natum alloquitur, ejusque fatum munusque prædicit. Ita vero cum illo agit, quasi is præditus ratione sit: multorum enim ex Patrum sententia (6), Præcursor ab eo statim tempore, quo Elisabetham Maria convenit, deinceps usus est ratione. Sive orationem ad puerum convertit, uti poeticis in lucubrationibus fit, quin verba ab eo percipi putet; sed ut cæteros doceat, quid aliquando futurus sit puer. Futurum ait *Altissimi Prophetam*, vatidico spiritu, quemadmodum priscos Prophetas, plenum; similiter missum, ut populos doceat, arguat, corrigat, ac Messiam venturum nunciet. Aliquid tamen animadvertit Christus, quod Joannis gloriam quam maxime exaggerat, eumque Propheta majorem constituit (7): nimirum, cum cæteri Messiæ adventum ceu futuram remotamque rem prædicerent, Joannes præsentem gestamque demonstravit. Vias Messiæ parabat, mittebat ad illum Discipulos, illum populis indicabat, eumque ut sequerentur hortabatur.

℣. 77. Ad dandam scientiam salutis. Ut justitiæ ac veritatis viam illos concionibus doceat, ac ducat ad Christum, qui via, veritas ac vita est, unus Servator, hominesque inter ac Deum sequester (8); quo ex uno spes veniæ criminum nobis est: *In remissionem peccatorum eorum*. Joannis Baptismo parabantur homines ad Christi Baptismum, per quem revera venia peccatorum datur (9). Eo autem Joannes scientiam salutis & criminum remissionem afferebat, quod ad Christum, veræ scientiæ ac salutis fontem, duceret. Joannes vox erat nuncians; Salus expectata, Jesus.

℣. 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Jesum *Orientis* appellatione designat, more Prophetarum passim (10): *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. Hebræus (11) legit *Germen*, surculum, pro Oriente. At omnes procul dubio loci, in quibus ea vox fertur, de Messia usurpandi sunt. Verba hæc, *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, referri queunt ad superiora, sive ad criminum remissionem, de qua statim antea, seu denique ad *Orientem* justitiæ solem, cujus hic meminit. Hæc nimirum omnia merum sunt paternæ erga nos Dei misericordiæ beneficium. *Viscera misericordiæ* tenerum misericordiæ sensum significant, ac flecti facilem, qualis est matris, cujus viscera turbantur, ubi filii vulnus videt, aut infortunium audit.

℣. 79. Illuminare his qui in tenebris, &c. Vera lux Christus est, hominem quemlibet in terras venientem illustrans Joan. 1. 9. Mortali carne indutus est, ut homines, ante adventum miserrime captivos, & horrenti carcere detentos, sive mortuorum instar in sepulcris clausos, liberaret. Ortus est nobis Justitiæ Sol, ejusque jubar omnes terrarum plagas pervasit. Ipsemet Baptista *lucerna erat ardens & lucens* Joan. 5. 35. at fulgorem ex Justitiæ Sole, de quo Zacharias, mutuabatur.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Ante Christi exortum, in tenebris omnes umbraque mortis errabamus, atque ad mortem & exitium ferebamur. Dei penitus ignari, nulloque illius metu & amore, fieri non poterat, quin in incertum vagantes interiremus. Divino tamen hoc Sole demum exorto, fugiunt tenebræ, nosque in pacis tramite ambulamus: periit Israel, at suo ipsius vitio: *Perditio tua ex te, Israel*. Impii tenebras lumini prætulere Joan. 3. 19. *Dilexerunt homines tenebras magis quam lucem*. Via pacis, ex consuetudine Scripturarum, pacatum iter ac tranquillum significare potest; seu felicem vitam prosperisque rebus affluentem.

℣. 80. Puer autem crescebat, &c. Hoc loco utuntur nonnulli, ut Joannes vel inter pueritiæ crepundia ratione præditum fuisse demonstrent. At multo proclivius ita usurpari potest: Puer ætate crescebat, & fortior corpore grandiorque efficiebatur: crescente autem corpore (12), nitidius fiebat rationis jubar, magisque perspicuus Spiritus Sanctus in eo elucebat. Ratione crescebat, sapientia, virtute, consilio. Iisdem fere verbis, at sensu longe sublimiori, de Jesu dicitur Luc. 2. 52. *Jesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines*.

Et erat in desertis, &c. Quammaturrime in deserta secessisse creditur Joannes (13), ibique ad trigesimum usque ætatis annum latuisse. Putat S. Paulinus Carm. 5. Joannem annos aliquot in paternis ædibus egisse, ea sapientia & gravitate, quæ Spiritum Sanctum in eo commorantem decebat; ibique sacrorum voluminum lectione edoctum Divinas Leges veterumque Patriarcharum vitam, ætate confirmatum, a mundi negotiis in desertum secessisse, ut asperum ibi ac solitarium vitæ genus ageret. Narrat S. Petrus Alexandrinus (14) ceu rem omnibus exploratissimam, Herodem, cum Jesum ad necem quæreret, quæsisse pariter Joannem, cujus exortus regionem universam adeo perculerat; quamobrem Elisabetham in deserta elapsam, ibi cum puero permansisse.

Legitur apud Joannem Moschum in Prat. Spirit. cap. 1. ex revelatione quadam, Joannem in specu loci nomine *Samsas*, vel *Sapsas*, mille circiter passibus trans Jordanem, latuisse, ubi deinde Templum sæculo sexto conditum est, eoque loci Jesus sæpiuscule ad Joannem venisse dicitur. Id porro ita incertum est, ut illud quod in vetustis quibusdam Martyrologiis (15) traditur, consuetum nempe Joannis domicilium fuisse Macheruntem, ubi arcem condidit Herodes Magnus, & Joannes in carcerem datus & capite minutus est (16). Quod vitæ genus egerit Joannes, narrant Evangelistæ (17). Silvestri melle & locustis vescebatur, cibo adeo tenui contentus, ut dicere non dubitaverit Christus, illum neque comedere neque bibere Matth. xi. 18. Par cibo erat vestis, ex asperis nempe cameli villis, quam nostro more potius cilicium diceres.

[6] Origen. homil. 10. in Luc. Ambros. Beda, Theophyl. Strab. alii hic. [7] Matth. xi. 9. Luc. vii. 28. [8] 1. Timoth. ii. 5. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*. [9] Joan. i. 25. 25. 26. Matth. iii. 6. [10] Zach. iii. 8. vi. 12. Jerem. xxiii. 5. *Germen justum*. [11] Ἀνατολή. Alias: Germen, βλάστημα. [12] Theophyl. Maldon. Brug. Grot. Erasm. [13] Origen. homil. xi. in Luc. alii. [14] Petr. Alex. cap. 13. pag. 27. Vide & Hieron. advers. Luciferian. cap. 5. pag. 178. Chrysost. homil. 31. in Matth. [15] Florentin. pag. 855. [16] Joseph. lib. 18. Antiqu. cap. 7. Vide nos in Matth. xiv. 3. . . , 10. [17] Matth. iii. 4. Marc. i. 6.

CAPUT II.

Imperii totius subditos censeri jubet Augustus. Josephus & Maria Bethlehemum proficiscuntur. Nascitur Jesus Christus; cujus rei certiores fiunt Pastores ab Angelo. Circumciditur Jesus. Mariæ Purificatio. Simeonis vaticinium, Anna Prophetis. Jesus duodennis in medio Doctorum reperitur. Nazarethum venit, ibique in parentum obsequio manet.

℣. 1. FActum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut de-
scriberetur universus orbis. 2. Hæc descriptio prima facta est a præside
Syriæ Cyrino: 3. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4.
Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem
David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo, & familia David. 5. Ut
profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. 6. Factum est autem, cum
essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. 7. Et peperit filium suum primogenitum,
& pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in
diversorio. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigi-
lias noctis super gregem suum. 9. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, &
claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis Ange-
lus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni
populo: 11. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in ci-
vitate David. 12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum,
& positum in præsepio. 13. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœ-
lestis, laudantium Deum, & dicentium: 14. Gloria in altissimis Deo, & in terra
pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli
in cœlum, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & vi-
deamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et ve-
nerunt festinantes: & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in præse-
pio. 17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero
hoc. 18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant a pa-
storibus ad ipsos. 19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in
corde suo. 20. Et reversi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum, in omni-
bus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos. 21. Et postquam con-
summati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus, Jesus,
quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. 22. Et postquam
impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusa-
lem, ut sisterent eum Domino, 23. Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne
masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et, ut darent ho-
stiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos
columbarum. 25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo
iste justus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat
in eo. 26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi
prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cum in-
ducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro
eo: 28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: 29.
Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: 30. Quia
viderunt oculi mei salutare tuum: 31. Quod parasti ante faciem omnium populo-
rum; 32. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. 33. Et
erat pater ejus, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. 34. Et be-
nedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in rui-
nam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur: 35.
Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogi-
tationes. 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser; hæc proces-
serat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. 37.
Et hæc vidua usque ad annos octogintaquatuor: quæ non discedebat de templo, je-
juniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die. 38. Et hæc, ipsa hora superve-
niens,

niens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redem-
ptionem Israel. 39. Et, ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi
sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, &
confortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo. 41. Et ibant parentes
ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. 42. Et cum factus es-
set annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei
festi, 43. Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem,
& non cognoverunt parentes ejus. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu,
venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. 45. Et non inve-
nientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. 46. Et factum est, post tri-
duum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, &
interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super pruden-
tia, & responsis ejus. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum:
Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. 49.
Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis: nesciebatis, quia in his, quæ patris
mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est
ad eos. 51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et ma-
ter ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Jesus proficiebat sapien-
tia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

℣. 1. EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO. Census, de quo Lucas, apud Profanos diserte non legitur. Id porro mirum non est, cum nemo unus ex Historiarum Scriptoribus supperat, qui res ab Augusto gestas descripserit, perierintque monumenta ad decem vitæ illius annos pertinentia, quo tempore ponendus erat hic census (1). At notissimum fuisse necesse est, cum S. Justinus Apolog. 2. ac Tertullianus in Marcion. l. 4. c. 7. Ethnicos & Hæreticos ad tabulas ea de re confectas, & ipsorum ætate servatas mittant.

Cur censum hunc indixerit Augustus, non satis liquet. Sunt (2) qui unius curiositatis causa indictum arbitrentur, ferme uti olim David, habito subditorum censu, quid virium sibi esset, perquisivit 2. Reg. 24. Ajunt plerique (3), voluisse Augustum pernosse, quot in unaquaque Provincia homines essent, quæ uniuscujusque opes, bona, munera, ut pat singulorum opibus vectigal imperaret. Ita vulgo censetur.

Universus orbis non ita intelligendus est, uti sonant verba. Sunt qui de Judæa tantummodo interpretentur, Augusto intelligere cupiente, quam multo exercitu Herodes, tunc in Judæa regnans, Romanorum amicus ac socius, Romanos juvare posset, ubi res postularet. *Universus orbis* apud Scripturam Judæam dumtaxat sæpe significat (4). Si hæc germana sit loci interpretatio, mirum esse non debet, cur neque Josephus, neque Profanorum aliquis hujus census meminarint. Plerique tamen arbitrantur (5), universum Romanorum Imperium fuisse hoc censu comprehensum: idque vere hoc loco significari. Græci Latinique Scriptores *universum orbem* pro universo Romanorum Imperio usurpant. Ita Ovidius: *Totum circumspicit orbem*. Et: *Orbem jam totum victor Romanus habebat*. Hegesippus l. 2. c. 9. *Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur & definitur*, &c.

℣. 2. HÆC DESCRIPTIO PRIMA FACTA EST A PRÆSIDE SYRIÆ CYRINO. Varium est in Codicibus manu exaratis hujus Præsidis nomen: alii enim *Cyrenium* habent, alii *Cyrinium*, alii denique *Kerynium*. Germanus tamen illius nomen, quale in Latinis Scriptoribus legitur, est *Quirinius*. Loci difficultas in eo est, ut hujus census tempus definiatur: certo enim certius provinciam Syriam non gessit Quirinius, Herode regnante, adeoque nascente Christo; sed Quintilius Varus, Syriam obtinens ultimo Herodis anno, teste Tacito (6). Putat Tertullianus (7), censum hunc habitum esse a *Sentio Saturnino*: at Saturninus a provincia discesserat supremo Herodis anno, succedente *Quintilio Varo*, ut innuit Josephus (8). Quintilium Varum excepit *Publius Sulpitius Quirinus*, sive *Quirinius*, de quo hic: is tamen nonnisi decimo circiter anno post Herodis obitum, quo tempore Archelaus Judææ Rex relegatus est ab Augusto (9).

Petavius & Grotius, ut hæc dissidia concilient, ajunt, missum in Judæam ac Syriam Quirinium extraordinario cum imperio, præside tamen Sentio Saturnino seu Varo. Desunt huic opinioni argumenta. Cur extraordinaria sanctione mittendus erat Roma legatus, ideirco tantum, ut facile adeo negotium, censum nempe, conficeret? Alii felicius difficultatem fugiunt, redduntque Lucæ verba (10): *Hæc descriptio ante facta est quam præses esset Syriæ Cyrinus*. Ita omnia vitantur incommoda, neque Græca Syntaxis repugnat. Similes huic locutiones in Novo Testamento occurruot, eodem modo explicandæ. *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat*; scilicet, *erat priusquam ego* (11). Et (12): *Si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit*, nempe *antequam vos*. Alexander Aphrodysius (13): *Ictus prius fulgure tonitru perficit*; scilicet, fulmen ferit antequam fulgur micet. Ita hoc loco: *Hæc descriptio facta est prior quam præses esset Syriæ Cyrinus*, scilicet, antequam Cyrinus provinciam gereret. Ita interpretantur eruditissimi

(1) Casaubon. Exercit. in Baron. & Tillem. not. 2. sur J. C. (2) Svid. A. t. 1. p. 362. Vide Tacit. Ann. lib. 1. c. 17. Grot. (3) Cassiodor. lib. 3. ep. 12. Ambros. in Luc. lib. 2. Vide & Euthym. Bed. Strab. Maldon. Alii plerique. (4) Josue 11. 5. 1. Reg. xxx. 16. Genes. xlii. 9. Isai. xiii. 9. Matth. xxiii. 45. &c. (5) Vide Ham. Ligfoot. &c. (6) Tacit lib. 5. sect. 9. *Post mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Simon quidam regium nomen invaserat. Is a Quintilio Varo Syriam obtinente punitur.* (7) Tertull. contra Marcion. lib. 4. c. 19. *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum.* (8) Joseph. Antiqu. lib. 16. cap. & lib. 17. c. 13. (9) Joseph. Antiq. lib. 17. c. 13. 14. (10) Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρίνου. (11) Joan. 1. 15. 30. Ὅτι πρῶτός μου ἦν. (12) Joan. xv. 18. Ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκε. (13) Alexand. Aphrodys. Problem. Ἡ πληγὴ πρῶτον τῆς ἀστραπῆς τὴν βροντὴν ἀποτελεῖ.

mi (14), atque, ut mihi videtur, probabilissime.

Sunt (15) quibus hic census dici primus videatur, non quod alter nullus habitus fuerit in Judæa, sed nullus antea habitus fuerit. Hæc tamen explicatio difficultatem non solvit, nimirum qui fieri potuerit, ut Quirinius, qui nascente Christo Syriam provinciam certe non gerebat, huic descriptioni præesset. Quamobrem melior nulla videtur solutio, quam mox recitata, ita nimirum redditis Lucæ verbis: *Hæc descriptio facta est antequam præses esset Syriæ Cyrinus*.

℣. 4. Ascendit Joseph de civitate Nazareth, &c. Jubebantur singuli in urbem locumque, unde genus trahebant, proficisci, ut suum ipsi, uxorisque & liberorum nomina darent, in censu describenda (16). Quæritur, utrum fœminæ & pueri jussi fuerint ad locum migrare, ubi descriptio habebatur. Neutiquam omnino: opus enim fuisset, ut universi alicujus provinciæ vel etiam Imperii homines loco moverentur, & longo etiam itineri se darent levissima de causa, nullaque necessitate. Cur igitur Maria, uterum gerens, Bethlehemum profecta est, nomen ibi datura? Idcirco, inquiunt Interpretum plerique, quod ipsa hæres familiæ esset, utpote unica parentibus nata; quamobrem hoc nomine opus erat, ut ipsa se sisteret, generis totius ac familiæ vices gerens. Plura tamen sunt, quæ in hac re negotium facessunt. I. Mariam unicam fuisse in familia hæredem, non satis liquet: contraria huic opinio validissimis utitur argumentis. II. Tametsi hæres atque unica fuerit, inito demum conjugio, viri munus erat, uxoris nomen deferre, præsertim cum illa maturum jam uterum gereret. Multo itaque probabilius dixeris, Mariam cum Josepho profectam esse Bethlehemum, quod Providentiæ consiliis ita decretum fuerit, ut Bethlehemi nasceretur Jesus, & vatum oracula id pollicentia implerentur (17).

Originem igitur Bethlehemo, & genus e Davide ducebat Josephus, quemadmodum & Maria. At nullos sanguine propinquos in ea urbe illis fuisse, credibile est; secus enim in stabulum divertere coacti minime fuissent. Nazaretha, urbs duabus leucis a Thabore monte occidentem versus sita, a Bethlehemo, quæ duabus Jerosolyma leucis aberat ad meridiem, triginta leucarum spatio disterminabatur. Si incommodum Mariæ fuisset ventris onus, quemadmodum cæteris mulieribus usu venit, hoc certe iter præter discrimen peragere nequivisset. Cum vero illa integro virginitatis signo concepisset, nulloque cruciatu esset paritura, clauso intra viscera fœtu nedum non opprimebatur, verum etiam solatium sentiebat (18). Illam usam esse jumento ad conficiendum iter, nuspiam legimus; quamobrem pedestre iter habuisse, quemadmodum Josephus, censenda est.

Eo censu descripti creduntur Maria, & ipsemet Christus (19). Recensebantur uniuscujusque nomina, ætas, conditio, bona & opes; *Quibusdam* enim, teste Ulpiano (20), *ætas tribuit, ne tributa onerentur, veluti in Syriis a XIV. annis masculis, a XII. fœminæ usque ad LXV. annum tributo capitis obligantur*. Locus hic argumento est, Mariam a Davidis familia genus duxisse; quorsum enim Bethlehemi recensetetur, si secus esset? Mira Providentiæ consilia venerare, ita rerum vices disternentis, ut vaticinia impleantur. Christus Bethlehemi oriturus prædicabatur Mich. 5. 2. Peracto igitur Incarnationis mysterio Nazarethæ, statim præter spem profanus Imperator censum indicit, quo Josephus & Maria Bethlehemi esse coguntur eo ipso tempore, quo nasciturus erat Jesus. Vides profecto absolutum Dei imperium, & qua potestate is de temporibus rebusque decernat.

℣. 7. Peperit filium suum primogenitum; non quod alios deinde pepererit, sed quod nullum antea ediderit. *Primogenitus* hic pro *unigenitu* usurpatur. Animadvertit opportune Lucas, Jesum esse Mariæ primogenitum, quo nomine sacer Deo erat, oblatoque pretio redimendus, ex Lege Levit. 12. 6. quemadmodum gestum est Luc. 2. 22.

Videtur nonnullis Jesus eadem nocte natus esse, qua Bethlehemum Maria pervenit: omnino probabiliter; cum enim eo venissent parentes, nullus iis locus publicis in hospitiis, seu *Carvanseras*, erat. Alii tamen (21) nonnisi aliquot post diebus id contigisse ajunt. Favere huic sententiæ videtur Lucas, ubi ait: *Cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret*. Porro causa, quæ prima die utrumque impulit, ut in hospitii stabulo manerent, post quartum etiam & quintum diem fortasse perseveravit. Vetustissima Ecclesiæ Latinæ sententia fertur Jesus die XXV. Decembris in lucem editus (22); eademque die divinus hic partus consignatus legitur in vetustissimo Bucherii Kalendario. S. Epiphanius hær. 5. ad sextum Januarii diem transfert, & S. Clementis Alexandrini ætate (23) erant, qui ad diem XIX. seu XX. Aprilis amandarent, & qui ad diem XX. Maji. Nobis statuendus videtur Christi natalis die XXV. Decembris, anno Mundi 4000. Periodi Julianæ 4709. ante Æram vulgatem quarto.

Pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, vel *in quodam præsepio* (24). Cum Josephus & Maria Bethlehemum venissent, inter multitudinem confluentium ad censum, locus illis publico in hospitio nullus fuit, ab iis, qui prius venerant, occupato. Hujusmodi autem hospitium ex iis fuisse videtur, quæ vulgo nuncupant *Carvanseras*, publica scilicet domus, unumquemque nulla mercede excipiens, at quæ nihil nisi rectum præberet, uti adhuc in Oriente servatur. Occupatis publicæ domus conclavibus, necesse fuit in proximum domui stabulum succedere, quo peregrinorum jumenta cogebantur. Hoc nimirum in loco primam lucem haurire voluit Dei Filius.

Græci Patres (25), ubi de Christi incunabulis agunt, nunquam non specum nominant. Eum locum intra urbem esse negant S. Justinus in Dialogo, & Eusebius l. 7. c. 4. Demonstr. eumque in agro prope urbem collocant. Id optime nosse uterque poterant, cum incolæ regionis essent, & S. Justinus indigena. S. Hieronymus (26) sacram speluncam in extrema ejus oppidi parte, meridiem versus, statuit. Hospitium igitur prope oppidi mœnia erat, ut peregrinis qualiber hora venientibus præsto esset. Cum vero Bethlehemiticos ager montibus rupibusque asper esset, stabulum, quo nascens Christus exceptus est, ipsumque præsepe excisa erant in rupe. Ligneum præsepe ostenditur, diciturque idem illud esse, quod pro incunabulis Christo fuit. Fortassis intra saxeum

(14) Hervart. Perizon. Differt. singul. in hunc loc. Le Clerc in Hamm. hic; Toynard. Harm. Evang. not. p. 143 Schmid. in Luc. (15) Vide Casaub. Exercit. 1. §. 34. & Bez. hic. Justin. Dialogo advers. Tryphon. (16) Supra, ℣. 3 (17) Vide Brug. hic; & Bynæ. l. 1. de Christi natali c. 3. art. 14. (18) Vide Fulgent. serm. de Laudib. B. M. Bernard. serm. in hæc verba Apocal. XII. 1. *Signum magnum*, &c. Nicephor. lib. 1. c. 12. Mald. hic. (19) Origen. in Luc. homil. XI. Justin. Apolog. 2. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Chrysost. Brug. Grot. (20) Ulpian. in Digest. c. 3. de Censib. (21) Mald. hic, Toyn. Harm. p. 5. Thebet 5. Decemb. 25. Feria 5. (22) Chrysost. t. 5. homil. 13. pag. 418. Aug. de Trinit. lib. 4. c. 5. (23) Clem. Alex. Strom. lib. 1. p. 340. (24) Græci Codices dissident, alii enim ferunt, Ἐν τῇ φάτνῃ, in *præsepio*; alii, Ἐν φάτνῃ, in *quodam præsepio*. (25) Epiphan. hæres. 51. Nyssen. de S. Christi Nativit. Theodoret. lib. 8. de Græcan. affect. curat. Origen. Athan. (26) Hieronym. ep. 24. ad Marcell. Vide Casaubon. in Baron. & Grot. hic; & Scultet. Exercit. Evang. lib. 2. c. 51.

xeum præsepe lignea erat arcula, quæ deinde Romam delata est.

Ecclesiastici Scriptores quidam tradunt (27), puerum Jesum inter bovem & asinum in præsepi fuisse collocatum: idque adamussim usurpavere Pictores, dum Jesum exhibent gemina inter hæc bruta, adorantium more procumbentia, uti fere Habacuc (28): *In medio duarum animalium cognosceris*, Domine; & Isaias c. 5. *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*. At e priscis Isaiæ & Habacuci Interpretibus nemo ea verba hoc sensu explicavit. Qui pro hac sententia laudantur, plerique aut recentiores sunt, aut levissimæ authoritatis: veterum autem Patrum locutiones, quorum authoritas huc detorquetur, tropice explicandæ sunt de Judæis ad Christiana sacra conversis, atque Ethnicis, qui Jesum Christum Deum atque hominem, in stabulo natum, & in præsepi positum agnovere (29). At nemo ante Scriptorem Libri De Promissionibus, qui circa dimidium quinti sæculi floruit, luculentam ejus rei mentionem agit. Legitur quoque in Carmine de Passione inter Opera Lactantii, alieno certe a Lactantio; & in homilia 33. quæ S. Chrysostomo vulgo adscripta, tanto Doctore est indignissima.

Addit Evangelista, puerum Jesum matris ipsius manu pannis obvolutum fuisse, positumque in præsepi: id quod certe præstare nequivisset, si cæterarum mulierum more, partus illi cruciatum ac viscerum lacerationem attulisset. Obstetrice minime indiguit (30), neque pœnam expertа est primæ mulieri indictam Gen. 3. 6. *In dolore paries*. Partum illa tanta animi serenitate tantoque gaudio expectabat, quanta sollicitudine, quantoque metu cæteræ. Quæ nullo virginitatis vitio concepit, nullo pudore & dolore peperit.

Docent Patres quamplurimi (31), idque vulgo sentit Ecclesia, Christum e matris utero prodiisse, integro virginitatis signo; quamquam alii plures (32) repugnare videntur, dum ajunt, ea Moysis verba (33), *Omne primogenitum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*, uni Jesu Christo proprie convenire, quippe qui unus hominum matris uterum clausum invenit, nullius antea viri opera reseratum. At hi Patres illud solummodo voluerunt, ut inviolatam Divinæ Parentis virginitatem defenderent, & veritatem carnis Jesu Christi, adversus Hæreticos illam negantes, confirmarent. *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt. Hæc est porta orientalis, per quam solus Pontifex ingreditur & egreditur; & nihilominus semper clausa est*, inquit S. Hieronymus in Dial. 2. contra Pelag.

℣. 8. Pastores erant in regione eadem, &c. Cum audis pastores in ea regione per noctem in agro commorantes XXV. Decembris die, nihil est quod mireris. In Ægypto, testibus Itinerariis (34), per menses Decembrem & Januarium, greges ad viridia pascua aguntur, quemadmodum apud nos mense Majo. Crucesignatorum exercitus (35) cum ad Jordanem pervenisset pridie S. Martini, ibi suavissime lavit, eodemque loco uberrima atque optima pascua invenit. Profecto mitissimas fuisse in Palæstina hyemes necesse est, cum hordei messis circa dimidium Martii mensis inciperet. Pastores mutatis vicibus greges custodiebant, quemadmodum ferme in stationibus milites. Id significat Evangelista iis verbis (36): *Custodientes vigilias noctis*. Narrat S. Hieronymus, locum, in quo sese pastoribus exhibuit Angelus, prope *turrim Ader*, seu, *turrim gregis* fuisse, juxta Bethlehemum (37). Conditum ibi deinde est Templum, trium Pastorum titulo, quod Bethlehemitici pastores tribus plures non fuisse crederentur. Origeni hom. XII. in Luc. pastores ii sunt Angeli Provinciarum, quibus gentium cura credita erat. His posito nunciatus, venisse Redemptorem, ut ipse universi totius curam administrationemque suscipiat, eosque gravi provincia liberet. *Erant pastores in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis*. Pastores qui ovium consertissimos Reges ducebant dies noctesque sub dio continuabant, unaque secum ducebant uxores & filios in curribus tectis, quos habebant loco domorum. Interdum tamen parva quædam tentoria in aperto agro explicabant. Pro lucorum & pascuorum opportunitate gregem suum sive in nemora sive in colles sive in valles ductabant. Hæc Busbequius epist. 7. pag. 77.

℣. 9. Claritas Dei, ingens, insolitum jubar.

℣. 10. Evangelizo vobis gaudium magnum, &c. Nihil jucundius & expectatius populo nunciare poterat, quam (℣. 11.) *ortum esse Servatorum*, venisse Messiam, ipsumque editum esse Bethlehemi, in urbe Davidis. Locum fortasse, in quo natus est, indicavit, sive divino illos ac prodigioso jubare eo duxit. Maxime tamen omnium admirabilis est fides, obsequium studiumque pastorum, qui neque parentum Servatoris inopia, neque loci natalis humilitate, neque præsenti illius imbecillitate perculsi, quippe quem in præsepi jacentem cernerent, & agnoscunt & venerantur. *Hoc vobis signum*, inquit Angelus: *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*. Is ne apparatus hominum Servatori, Messiæ, Liberatori Israelis?

℣. 13. Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis. Angelorum legio accessit Angelo faustissimum nati Servatoris nuncium ad Pastores deferenti; junctisque vocibus cecinere [℣. 14.] *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, qui recto animo sunt, & Liberatoris adventum sollicite præstolantur; qui parati sunt ipsum excipere, bonæque mentis habitudine illum sequuntur; quos gratia prævertit Deus, quos amavit, elegit (38), totaque ab æternitate prænovit mero misericordiæ suæ beneficio. Neque illud reputandum est, unis *bonæ voluntatis* hominibus pacem a Christo esse delatam: omnibus obtulit qui voluere. At ingens erat malorum ac pertinacium Judæorum multitudo, oblata felicitate & pace ob animi nequitiam caritura. Futurus erat Jesus his quidem in exitium, illis in

(27) Hieronym. epist. 27. ad Eustoch. Nazianz. orat. de Christi nativ. Nyssen. de Christi generat. Paulin. ad Sever. ep. 21. Cyrill. Catech. 2. Prudent. Cath. vers. Kal. Jun. Damasc. Carm. de nativ. Christi, apud Baron. an. 5. n. 3. (28) Habacuc III. 2. ex LXX. Vulgata legit: *In medio annorum vivifica illud*.
(29) Vide Tillemont, Note 5. sur J. C. (30) Vide Cyprian. seu alium, serm de nativ. Christi, Nazianz. de Christo patiente; Nyss. de Resurrect. Christi; Fulgent. serm. de Laudib. B. M. Hieron. contra Helvid. Bern. serm. 4. in Vigil. nat. Domini; apud Mald. hic. Vide & Brug. & Ligfoot. (31) Vide Patres supr. cit. & adde Ambr. ep. 81. Leon. Mag. serm. 1. & 2. de nativit. Gaudent. tract. in Evang. Nyssen. orat. in occursu Domini; & alios quam plurimos, apud Natal. Alex. in Luc. II. 23. (32) Origen. homil. 14. in Luc. Tertull. l. 1. de Carne Christi; Epiph. hæres. 78. Hieron. contra Pelag. Euthym. & Theophyl. in Luc. II. 23. &c. Vide Bynæ. de natali Christi lib. 2. c. 3. n. 1. 2. 3. 4. 14. (33) Exod. XIII. 2. 3. XXXIV. 19.
(34) Vide Itinerarium Petri Martyris. (35) Jacob. de Vitriaco lib. 3. p. 1129. (36) Καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς, &c. Vide Grot. Hamm. Mald. Ligfoot. (37) Hieronym. Epitaph. Paulæ. Vide Genes. XXXV. 21. (38) Vide Mald. hic; & Patres ab eo citatos. Origen. in Luc. homil. 13. Cyprian. de nativit. Domini; Hilar. lib. 2. de Trinit. Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte c. 10. Severian. apud Chrys. serm. de Pace; Leon. Mag. serm. 6. de nat. Cæsar. serm. 22. Greg. lib. 18. moral. & homil. 8. in Evang. alios.

in resurrectionem (2): bonis salus & pax, malis pernicies.

Ita etiam reddi potest Græcus (3): *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax: in hominibus bona voluntas* Dei esto: Deo chari homines sunto: illos bona voluntate prosequatur Deus (4). Aliter (5): *In terra inter homines pax regnet, quæ est bona voluntas Dei in hominibus*. Reddunt alii (6): *Gloria sit in altissimis Deo. Pax & felicitas in terras venere: homines Deus benevolentiæ suæ argumentis cumulavit*. Præstantissimum amoris sui reconciliationis, bonæque erga ipsos voluntatis pignus exhibuit. Filium suum, Messiam misit, quo nihil nobilius largiri naturæ hominum potuit. Singulis hisce interpretationibus sua est probabilitas, suique sunt patroni eruditissimi. Græcam lectionem vulgatam, quæ fert, *Hominibus bona voluntas*, sequuntur Syrus, Cophtica Versio, Arabs, Origenes, S. Chrysostomus, Eusebius, Theophylactus, aliique quamplures; Latinam vero vulgatam, *Hominibus bonæ voluntatis*, servant vetus Codex Cantabrigensis Græco Latinus, Versio Gothica, S. Irenæus, S. Cyrillus Jerosolymitanus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, aliique permulti. Utra fuerit prima & germana Lucæ, non liquet: optima est utriusque sententia.

℣. 15. Videamus hoc verbum, quid hoc rei sit. *Verbum* hic pro *re* usurpatur. Sunt ex Patribus (7), qui pro Dei Verbo carne induto accipiant. At ita usurpasse Pastores non videntur.

℣. 18. Mirati sunt, et de his, &c. Obstupuere, ea intelligentes, quæ pastores ab Angelo dicta, atque ab ipsis spectata, & in antro Bethlehemitico inventa narrabant. Particula *Et* non legitur in Græco vulgato, Vetustis Codicibus & Versionibus. Eam non habet S. Ambrosius, ac revera hic penitus abundare videtur.

℣. 19. Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo; impletamque veterum vaticiniorum, rerumque sibi ab Angelo promissarum fidem suavissime contemplans (8). Divinæ Incarnationis mysterium minime ignorabat Maria, sed nova in dies noverat, & experimento discebat, prodigia intuens quæ quotidie contingebant, quibus ipsa magis magisque fide confirmabatur. Veteres nonnulli (9) censere videntur, mysterium aliquod, sibi antea ignotum, a Pastoribus didicisse Mariam. *Hæc omnia* mente condebat Maria, nihilque vulgabat. Nihil certe prudentius aut modestius Josepho & Maria in sublimis adeo mysterii tractatione excogitari potest. Versare animo & mirari contenti, exteris prædicare in sui commodum aut gloriam non festinant, sed constitutum a Providentia tempus expectant.

℣. 21. Postquam consummati sunt dies octo..., vocatum est nomen ejus JESUS. Animadversum est, cum de Joanne Baptista ageremus, Luc. 1. 59. nomen pueris octava die imponi consuevisse, qua die pueri circumcisione initiabantur. Severum & probrosum circumcisionis ritum subira sponte voluit Jesus, quamvis eo minime indigeret. Sive enim ceu primi criminis remedium spectes, is nullam in Incarnatione labem retulit; sive tamquam signum Divini fœderis cum Abrahamo initi accipias (10), par & commune illi jus erat cum Patre, quippe qui Abrahamum inter amicos ipse numeraverit, illiusque posteros in gentis suæ locum elegerit. Incarnatione complebat ea, quæ in veteri illo fœdere promissa fuerant, novumque ac longe absolutissimum instaurabat. Cum autem omnia justitiæ officia, ut ipse inquit (11), explere vellet, omnibusque sese legibus, tamquam verus Abrahami filius, subjicere, signum illud sua ipsius in carne accepit, quo Judæi a cæteris gentibus secernebantur: circumcisionem Judæorum sanctiorem reddidit, atque absolutissimi obsequii, quo Divinas Leges nos prosequi decet, exemplum exhibuit (12).

Servatum est seu potius servari credebatur S. Præputium D. N. J. C. in templo Dominæ Nostræ Vaccensi in Urbe Cabilonensi usque ad annum 1707. diem 19. Aprilis, quo tandem D. Gasto de Noailles, ejus Urbis Episcopus lipsana illa veluti dubia & ambigua ac superstitiosa suppressit. Prodit tunc parvum quoddam Scriptum ad demonstrandum factum illud, quodcunque fuerit, jam inde ante 400. annos eo in templo fuisse. Syrorum, Armenorum, Orientalium etiam quidam, & Anastasius Sinaita persuasum habuerunt, Sacrum illud præputium a corruptione mansisse immune; Beatissimam vero Virginem illud sibi asservasse, donec tandem Jesus Christus post Resurrectionem illud sibi recepisset, & restituisset corpori. Porro in theca illa reliquiaria Cabilonensi nihil repertum est, nisi granula quædam arenæ, & parvus quidam lapillus. Fertur idem sacrum præputium manere adhuc Romæ in templo S. Joannis Lateranensis. Bollandistæ ad diem 1. Januarii pag. 3. &c. fuse disserunt de his sacris lipsanis, cultu, & locis ubi servari creduntur, ubi pariter sermonem habent de cultro, quo caro Christi abscissa fuit. Vide Assemani Biblioth. Orien. tom. 2. pag. 167. & Fabricii Biblog. pag. 383.

Jesus nomen, quo Christus in circumcisione nuncupatur, idem est, quod Gabriel Angelus Mariæ & Josepho nunciaverat (13). Eo autem nomine continentur excellentissime cætera, quibus Messias in Scriptura distinguitur; veluti *Emmanuel*, Dominus nobiscum; *Jedidiah*, dilectus Deo, Pacificus, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, Angelus Testamenti, Christus Domini, Justus, Oriens, Sol justitiæ. Omnes hasce appellationes complectitur unicum Jesu vel Servatoris nomen; quæque sub variis nominibus promissa fuerant, Jesus absolutissime implevit, quippe qui salus, pax, felicitas & solatium est omnium, qui sibi credunt. *Nomen est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Philipp. 2. 10.

℣. 22. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus (14). Sanxerat Moyses Levit. 12. 2. ut Mulier, quæ communi lege ac ratione conceperat & pepererat, diès quadragenos impura haberetur, a sacrarum rerum usu & communione remota. Par tamen per totos eos dies illius impuritas non censebatur. Septem primis diebus impurum erat quicquid illa contingeret; nefas erat juxta illam vesci, sedere aut cubare. His elapsis, si profluvium desiisset, suis illa rebus domi vacare poterat, ac de more cum viro esse & cibum capere: at adire Templum, atque e victima Deo mactata comedere non licebat. Quadragesima denique post editum puerum, & octogesima post puellæ partum die, mater ad Templum se confere-

[2] Luc. 11. 14. [3] Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. [4] Vide Psal. 50. 4. 5. *Memento nostri in beneplacito populi tui*. Vide Erasm. Maldon. Brug. Bez. [5] Vide Erasm. Grot. Brug. Vide & Bed. hic; Beron. Iegam. de S. Andrea; alios. [6] Vide Grot. Vat. Erasm. Castal. Ligfoot. alios. [7] Ambrof. Bed. in Luc. Bern. serm 21. in Cant. [8] Euthym. Theophyl. Beda hic. Vide Maldon. & Joan. Geometr. in Catena. Ῥήματα, pro πράγματα. *Verba*, pro *Res*. [9] Ambrof. Beda hic. [10] Rom. iv. 11. Justin. Mart. Dialog. Iren. lib. 4. cap. 10. Tertull. contra Jud. Chrysostom. homil. 37. & 39. in Genes. &c. [11] Matth. iii. 15. Vide & Galat. iv. 4. Heb. x. 5. [12] Vide Maldon. Brug. Orig. Bed. [13] Matth. 1. 21. Luc. 1. 31 [14] Origenes, aliique plures e Græcis legunt: Ὅτι ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν, *Purgationis Judæorum*, sive purgationis eorum lege imperata. At alii: Αὐτῆς, *Purgationis Mariæ*.

ferebat, ut ibi manus sisteret; quo peracto, purgata censebatur.

Si editus ab illa puer prior natu esset, offerendus ab illa erat Templo, ac redimendus, ex Legis alterius instituto (15), quinque siclorum pretio (16), octo scilicet libris nostri numismatis, solidis duobus, unoque denariolo. Redemptum fuisse quinque siclis Jesum, minime narrat Lucas: at nullus dubio est locus, quin id servatum sit, cum idcirco venerit Jesus, ut Legem impleret absolveretque, illi penitus obtemperans, quamvis ea minime teneretur (17). Maria, teste Evangelista, in purgationis suæ sacrificium *par turturum* obtulit, *aut duos pullos columbarum*, paupertimarum munus: vulgo enim puerperæ, ad Templum accedentes purgationis causa, agnum anniculum in holocaustum, & columbæ pullum seu turturem pro peccato offerre jubebantur. Lev. 12. 7.

Hinc collige, non magnum auri munus ad puerum Jesum a Magis esse delatum, cum non satis pecuniæ parentibus fuerit, ut agnum emerent ob Mariæ purgationem. Sunt qui censeant (18), ea munera Domino consecrasse Josephum & Mariam: alii ad Ægyptiaci itineris sumptus illa servasse. Visum aliis est, hinc esse colligendum, Magos eo tempore nondum venisse (19). At hæc minime satisfaciunt. Illud sibi non proposuere Magi, ut natum Regem opibus augerent; ipsique fortasse tenui fortuna utebantur: obsequium solummodo & cultum illi exhibere voluerunt; quam in rem non muneris magnitudo, sed animi desideria spectantur.

℣. 23. Omne masculinum adaperiens vulvam, &c. Vide supra ℣. 7.

℣. 25. Et ecce homo erat in Jerusalem, &c. Simeon ex optimis iis Israelitis erat, quibus Angeli pacem nunciaverant Luc. 2. 13. quique *consolationem Israelis* & Messiæ adventum præstolabantur. Plenus hic Spiritu Sancto erat, & vatidico spiritus ornatus. Divina lux, qua perfundebatur, certiorem illum fecerat, ipsum minime moriturum, quin suis ipse oculis Messiam & Israelis Servatorem intueretur. Hac spe plenus vivebat, atque harum promissionum fidem expectabat. Ajunt nonnulli (20), Simeonem filium fuisse ac successorem Hillelis, Judæorum Patriarchæ, ac Rabbini nobilissimi, quem Jesu Christi adventu vetustiorem asserunt, ipsiusque Simeonis filium seu discipulum fuisse Gamalielem, celeberrimum alterum inter Rabbinos, quem Paulus Act. 22. 3. audivit. Apud Thalmudem (21) legitur Simeon filius Hillelis; ipsum tamen esse Evangelicum senem, nullo discimus argumento.

Sunt (22) qui Legis Sacerdotem fuisse censeant Simeonem; quam in sententiam Baronius & deinde Allatius quamplurimos e priscis Christianis Scriptoribus recitavere. Græci Recentiores multa priscis addunt; atque huic opinioni Pictores accedunt, utpote aptiori ad tabulæ ornatum ac majestatem. At nulla dignitate sacra distinctum exhibent tum Scriptura, tum veteres atque eruditissimi Interpretes (23). Jesum puerum inter ulnas excipit, non tamquam Sacerdos; sed gaudio actus, Servatorem suum amplectitur, ut publicum ac solemne amoris erga illum sui præbeat argumentum.

℣. 29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, &c. His Simeon puerum ipsum, quem amplectebatur, alloqui videtur Origeni aliisque; aliis, Deum Patrem: Nihil jam est, quo intra corporis hujus carceres detinear, cum votorum meorum finem exorto Servatore conspexerim. Vel: Jam nunc, o Deus, si videtur, ex hac vita me collige, quippe quem in hanc dumtaxat fortunam servaveris, qua nunc fruor (24). Vetus Scriptor (25) putat, Simeonem oculis captum, excepto inter ulnas Jesu, ad oculorum usum rediisse.

℣. 31. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Divino lumine illustratus Simeon, prædicit fore, ut alienæ gentes ad illius fidem convertantur, quem ipse puerum adorat. Fidei ipsius magnitudo id efficit, ut remotissimas res ceu præsentes intueatur. Jesum gentium omnium Servatorem esse prædicat, tum Judæorum tum Gentilium; ipsumque lucem esse, qua omnes mundi homines illustrantur. Has Simeonis locutiones confer cum iis e Psalmo 97. 2. *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.* Isaias: *Ecce constitui te hodie in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

℣. 33. Erant pater ejus et mater mirantes, &c. Mysterium uterque optime norant, idque minime mirabantur, sed plenam prodigii rationem, qua sese Deus primo Joanni Baptistæ, tum Elisabethæ, deinde Josepho, pastoribus, Simeoni, Annæ manifestavit. Hic rerum & manifestationum nexus illos in admirationem rapiebat. Lucas Josephum nunquam non patrem Jesu nuncupat, quod is Mariæ sponsus, & Jesu educator esset, vulgoque illius pater existimaretur.

℣. 34. Ecce positus est hic in ruinam, &c. Natus est Jesus, ut ruinæ sit & exitio incredulis ac pertinacibus, qui spretis illius institutionibus, ipsum rejecere; resurrectioni vero & felicitati Fidelium, qui ipsum secuti, illius doctrina & exemplis profecere. Quemadmodum sol nunquam non micat, quamquam ii, qui infirma oculorum acie sunt, ferre illius jubar nequeunt, ita Christus numquam non est Servator, quamvis innumera hominum millia pereant, inquit S. Chrysostomus in Catena hic. Malis quidem Evangelium odor mortis est, bonis odor vitæ 2. Cor. 2. 14. Fidelibus est lapis angularis, vivus, fundamenti, cui ipsi imponuntur, ut Ecclesiæ ædificio serviant (26); reprobis, lapis offensionis, in quem impinguntur; rupes super ipsos ruens, eosque opprimens. Si Scribarum ac Pharisæorum plerique adversus oblatam a Christo veritatis lucem oculos claudunt, infortunii illorum causa non est Christus, neque enim laqueos illis ipse paravit, aut in incredulitatem eos impulit: ipsi ultro in eam proruerunt. Osee 13. 9. *Perditio tua ex te, Israel.* Opem a Deo sibi oblatam sua ipsi nequitia inutilem effecere. Quæ parata fuerant, ut ipsis vitam afferrent, mortem ipsis peperere, cum iis abusi fuerint. Confer Joannem IX. 39. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*

In signum cui contradicetur. Quælibet Evangeliorum pagina expletam hujus vaticinii fidem exhibet. Statim ut Jesus pœnitentiam prædicare, & vitia tunc in Israele bacchantia arguere cœpit, ut Pharisæorum hypocrisim, pravasque Legis interpretationes insectatus est, statim undique in illum pugnæ, calumniæ, inimicitiæ, odia, maledicta, criminationes, quibus ipse insanus, publicus deceptor, veneficus, belluo, Legis contemptor, impiorum & Publicanorum amicus delatus est. Eo autem crevere odia & simultates, ut denique in crucem actus fuerit.

℣. 35. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ærumnas, quas Jesus toto prædicationis tem-

[15] Exod. XIII. 1. 2. 3. XXXIV. 19. 26. [16] Num. III. 47. & XVIII. 16. [17] Vide nos in Exod. XIII. 1. 2. 3. [18] Vide Maldon. ad Matth. II. 11. [19] Grot. in Luc. hic. [20] Vide Maldon. hic; Scalier. Ligfoot. Baron. an. 1. §. 40. Basnage hist. des Juifs, liv. 4. ch. 5. art. 7. [21] Juchasim, fol. 66. [22] Baron. & alii quam plurimi apud Allat. Dissert. de Simeonibus. [23] Vide Maldon. hic, & Tillemont, Note 6. sur J. C. [24] Vide ℣. 26. [25] Cellus inter opera Cypriani, pag. 564. 1. [26] 1. Petr. II. 4. & sequ. Isai. VIII. 15.

tempore pertulit, cernere non potuit Maria, quin acerrimo doloris sensu cruciaretur. Illud vero sævissimum illi fuit, cum illum in cruce suspensum atque animam agentem vidit. Tunc certe illius animus gladio transverberatus est (27). Veteres nonnulli (28) censuere, Mariam doloris vi expirasse apud crucem. Alii martyrio affectam asseruere (29). At sapientissime S. Ambrosius in Luc. c. 3. negat id credi oportere, cum nullum ex historia ejus rei monumentum sit.

Quidam ex Antiquis (30) multo improbabilius ajunt, gladium, quo Mariæ animus transverberatus est, fuisse dubitationem, qua Maria Filium e cruce pendentem intuens, anceps hæsit, is ne Dei Filius esset; qua dubitatione solvi non potuit, nisi postquam ille e mortuis rediit. Sunt (31) qui gladium hunc interpretentur ignem, quo omnes prorsus homines in mundi exitu expiandi sunt, ne Maria quidem excepta. Origenis inventa, veteribus nonnullis probata, nunc penitus rejecta. Idem dicito de iis (32), qui de verbo Dei, & mysterio Mariæ manifestato explicant. Dei verbum Paulus Ephes. 6. 17. simile esse ait gladio utrimque acuto; quibus e verbis ortum habuit hac opinio. Jesu Christi Passionem obiter prædicit hic Simeon, dum Mariam monet, quid ipsi in ea ferendum sit (33). Ambigua est Lucæ locutio, geminas sententias complectens: I. Jesu Christi animum gladio transverberatum iri; II. Eo etiam animum Mariæ. Gladius hoc loco tropice usurpatur, ut in Psalmo 56. 5. *Lingua eorum gladius acutus*. Et Psal. 104. 18. de Josepho: *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*, quæ ipse de se prædixerat, implerentur.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Christi Passio & Mors experimentum fuit, quo factum est periculum, quinam vere ipsum sequerentur, quive sequi simularent. Hæc Petri imbecillicitatem, pavorem Apostolorum, nequitiam Judæ, furorem Judæorum, iniquitatem Pilati, ac Sacerdotum Pharisæorumque cæcitatem patefecit. Eadem adhuc Jesu Christi Crux veros simulatosque Christianos periclitatur. Verum quippe Christianum Crucis Dei sui non pudet; illam hic amplectitur, amat, gerit. Malus Christianus crucem probro habet, fugit, veretur (34). Si Christus docere, clarere prodigiis, populos beneficiis cumulare nunquam desiisset, innumeros habuisset asseclas, sed sui ipsorum commodi studiosos & nutantes. Post illius obitum, nullus fuit Christi Discipulis morti aut cruciatuum metus: inter omnium odia constantes atque interriti fuere. Hic porro Crucis Christi & cruciatuum fructus.

℣. 36. Et erat Anna Prophetissa. Ortum suum ab omnibus cujuslibet ætatis, conditionis & sexus hominibus prædicari vult Christus: a Sacerdote per Zachariam, per Mariam a virgine, a puero per Joannem, per nuptam ab Elisabetha, per Simonem a sene divina aura afflato, a Prophetide anu per Annam (35).

℣. 37. Vidua usque ad annos octoginta-quatuor, &c. Nihil hic levis momenti est: prophetis mulier, quæ maturrime vidua, alterius conjugii expers, viduitatem & pietatis opera coluit, ad annos usque quatuor & octoginta. Puellæ apud Israelitas quam citissime nuptum dabantur; magnaque laus erat viduæ puellæ, ita viduitatem colere, ut a nemine argui posset, vitaretque peccata hominibus hujusmodi maxime communia, quæ acerrime Paulus insectatur (36). Lege, quam multis laudibus Booz prosequutus sit Rutham (37), & Juditham Scriptura (38), quod viduæ cum essent, continentiam ac Dei timorem coluerint. Grotius hoc loco docet, quid vetus Ecclesia de secundis nuptiis senserit, quove loco hæ olim habitæ fuerint.

Et non discedebat de Templo. Ex iis fortasse fœminis erat, quæ vigilias in Templo agebant, iisque successerant, quarum meminere Exodus 38. 8. & primus Regum Liber 2. 22. Domini servitio occupatæ in iis, quæ a Sacerdotibus jubebantur. Anna ad Tribum Aser pertinebat; nullum enim Tribuum discrimen erat, ubi de spontaneo Templi obsequio ageretur.

℣. 38. Et hæc ipsa hora superveniens, cum Simeon Mariam alloqueretur, prædiceretque, quid puero matrique immineret. Anna quoque in Dei laudes erupit, omnibusque qui aderant, Israelis redemptionem præstolantibus, votorum finem, ipsumque Servatorem jam adesse nunciavit.

℣. 39. Et ut perfecerunt, &c. Lucas, post Matthæum scribens, multa præteriit jam a Mattheo recitata, veluti Magorum adorationem, fugamque in Ægyptum. Contigit illa, antequam Maria Jerosolymam veniret, filium natu primum Domino oblatura, & purgationis Legem subitura: altera statim post Jerosolymitanum iter constituenda est: ita ut reditus Nazaretham, de quo Lucas, post Ægyptiacum exilium rejiciendus sit.

℣. 40. Puer autem crescebat et confortabatur (39), &c. Jesus ætate crescebat, confirmabatur corpore, ejusque sapientia in dies cum ætate explicabatur. Ætate adhuc tenerrima, omnibus sapientiæ, scientiæ & gratiæ thesauris distinguebatur. Qua Deus erat, crescere non poterat; qua homo, augeri nequibat sapientia, sanctitate, virtute, scientia, gratia; at earum argumenta magis minusve perspicua exhibere poterat ex legibus, quas ipse sibi præscripserat, atque e sapientiæ ac providentiæ suæ instituto. Veteres multi credidere (40), Jesum sapientia crevisse uti hominem, non uti Deum: cum vero pessimas ex hac sententia consecutiones oriri posse animadverterent, & colligi, non semper igitur perfectum fuisse Jesum, qua homo erat, Veteres alii (41), ac Theologi horum asseclæ in sententiam declinavere, ab ipsis prioris sententiæ auctoribus propositam; Christum nempe, uti diximus, majoris subinde sapientiæ indicia exhibuisse, uti ætate crescebat. Multa in dies discebat experientia, non infuso habitu. Item repetit Lucas ℣. 52. *Jesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.*

℣. 41. Per singulos annos in die Paschæ. Singulis Israelitæ lege jubebantur ter quotannis, in Paschate, Pentecoste, & Tabernaculorum Festo, coram

(27) Theophyl. Bed. Euthym. Author serm. 1. de Assumpt. sub nomine Hieron. Maldon. (28) Vide Maldonat. hic. (29) Vide Epiphan. hæres. 78. (30) Vide Origen. homil. 17. in Luc. Author quæst. vet. & nov. Test. sub nomine August. qu. 73. Chrysost. homil. de occursu Domini; Cyrill. Alex. in Joan. lib. 12. Basil. ep. 317. Theophyl. hic. (31) Origen. Vide & Hilar. in Psalm. cxviii. Vide 1. Cor. iii. 13. (32) Vide Ambros. hic, & lib. de Virginib. cap. 3. (33) August. Ep. 140. nov. edit. §. 31. alias epist. 59. (34) Vide Bed. Theophyl. D. Thom. in Caten. Maldon. August. Epist. 149. nov. edit. (35) Vide Ambros. in Luc. hic. (36) 1. Timoth. v. 11. *Adolescentiores autem viduas devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.* (37) Ruth iii. 10. *Benedicta es a Domino, filia, quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites.* (38) Judith viii. 4. 5. 6. 7. 8. *Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.*
(39) Græcus addit: Πνεύματι, *spiritu*, quæ vox in nonnullis Græcis Codicibus desideratur. Versiones Persica & Æthiopica legunt: *Spiritu Sancto*. (40) Athan. serm. 4. contra Arian. Epiphan. Anchorato; Cyrill. lib. 5. Thesauri cap. 7. & lib. de fide ad Regin. Fulgent. lib. 1. ad Trasimund. Bed. Euthym. hic. Vide & Ambros. de Incarnat. (41) Origen. hom. 20. in Luc. Epiph. Anchorato, Nazianz. orat. de Laudib. Basil. Theophyl. hic; Damasc. lib. de duab. volunt. Alii. Vide Maldon. hic; & Natal. Alex. ad ℣. 52. hujus capitis.

coram Domino adesse in loco, ubi Dei Templum erat (42). Nolla fœminis lex lata erat; at minime prohibebantur; neque dubio locus certe est, quin ex iis quamplures cum viris eo proficiscerentur. Queritur, cur Josephus & Maria, studiosissimi Legis cultores, nonnisi per Paschale Festum Jerosolymam peterent, teste Evangelista. Sunt (43) qui censeant, hominibus a Templo remotioribus nullam fuisse legem, qua illi per Festa Pentecostes ac Tabernaculorum Templum petere juberentur; Paschate vero (44) severiorem quam ceteris diebus fuisse Legis Sanctionem. At credibile omnino est, Paschatis festum a Luca usurpatum esse in exemplum; ceteris Festis minime exclusis; quod fortasse aliquo Paschatis Festo ea contigerint que hoc loco narrantur (45); vel quod ceteris Festis solus Josephus Jerosolymam peteret, Paschate vero cum Maria (46).

℣. 42. Cum esset annorum duodecim. Creditur puer Jesus (47) profectus esse ad Templum cum parentibus, ubi per etatem licuit; duodecim autem annorum etatem usurpare Lucas, ut certum aliquod rei mox narrande tempus statuat. Videtur aliis (48), iter Jerosolymitanum conficere nonnisi duodennis incepisse; & nunc primo ad Templum esse profectus. Apud Hebræos, pueri post duodecimum denique etatis annum *filii præcepti* dicuntur, totaque Legis severitate obligati existimantur (49).

Non cognoverunt parentes ejus. Obscuram ignotamque ætatem egit Jesus ab ortu atque oblatione in Templum ad annum usque duodecimum; tum ab anno duodecimo ad tertium ac trigesimum ætatis suæ, ex Æra vulgari trigesimum, quo demum anno docere exorsus est. Leve aliquod sapientiæ suæ specimen exhibere voluit duodennis, nequis deinde, ipso se hominibus palam prodente, putaret, illum studio eam eruditionem comparasse: quamobrem ea ætate, qua dici non poterat magistrorum opera vel privatis studiis didicisse, docere voluit, quam multa eruditione instrueretur. Putat Origenes (1), invisibilem sese effecisse Jesum, ut se matri & Josepho subduceret.

Qui vero fieri potuit, ut nonnisi post diei unius iter Jesum abesse intelligerent? Nimirum quia per eos dies Judæi Jerosolymam euntes, aut inde revertentes, per turmas proficiscebantur: quamobrem cum ejusdem loci ac Tribus homines in turmas plures dividerentur, illum parentes cum alterius turmæ hominibus esse censuerunt; ac vesperi dumtaxat cum Nazarethæ hominibus puerum non esse intellexerunt. Ajunt alii (2), cum in hisce itineribus viri a fœminis sejuncti in turmas distribuerentur, Josephum & Mariam, diversis in turmis proficiscentes, putasse, Jesum in alterutra turma incedere, quippe cui per ætatem liceret fœminas sequi aut viros. Collectis vesperi turmis, ut cibos caperent, Jesum a comitatu abesse agnoverunt. Id Beroæ contigisse ajunt, decem circiter passuum millibus a Jerosolymis.

℣. 46. Post triduum invenerunt eum. Tertia post discessum die, illum in Templo invenere, in gentis suæ Sapientum cœtu, inter Discipulos sedentem, audientemque atque interrogantem. Perperam a pictoribus exhibetur more magistri honestissimo in loco sedens, ipse doctores docens. Non ita usurpavere S. Gregorius Magnus, & Interpretum optimi (3): *In medio Doctorum sedens, non docens, invenitur*, inquit S. Gregorius Magnus 3. part. Pastoral. cap. 26. *quo exemplo ostenditur, ne infirmus* in rebus Religionis *docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministrabat.*

In Hebræorum scholis, inquiunt, præceptores a discipulis audiebantur partim in scamnis, partim humi sedentibus, in semicirculum circa ipsos dispositis. Hic autem mos incepisse dicitur (4) sub Gamaliele Rabbino: hactenus enim discipuli stantes audierant. Paulum ad pedes Gamalielis operam studiis dedisse legimus Act 22. 3. quo testimonio id quod diximus confirmatur. Author Commentariorum in Pauli Epistolas, quæ Commentaria S. Ambrosio perperam tribuuntur (5), veterem Judæorum consuetudinem luculentissime animadvertit: *Hæc traditio Synagogæ est, ut sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas.* Cæterum Jesus non simplicis more Discipuli sedebat: interrogabat subinde respondebatque ea sapientia, qua omnes in admirationem rapiebantur, ℣. 47. Qua ratione pueri in scientiis erudiuntur in Scholis Persarum, vide Iter Moschov. tom. 1. pag. 393.

℣. 48. Ecce pater tuus et ego, &c. Josephum patrem Jesu appellari ne mirere, cum Jesum Josephus filii loco haberet, aleretque, & vulgo illius pater existimaretur: illud mirum est, quod cum Maria & Josephus optime nossent, Jesum Dei Filium esse, supremamque Patris sapientiam, illius absentia dolerent & cruciarentur. An ignorabant, illum sapientissime in omnibus agere, ac nonnisi iis in locis esse, ubi Patris consilia juberent? Respondet Origenes (6), non metuisse illos deperditum esse Jesum, aut de via aberrasse; sed veritos, ne discessisset, alio abiturus; sive etiam rediisset in Cœlum, inde reversurus, cum visum esset Patri. Mysticarum rerum Scriptoribus aliæ probantur absentiæ Jesu, & sollicitudinis Mariæ rationes (7): at maxime omnium simplex interpretatio ea est, Josephum & Mariam, minime quæsitis iis quæ fide noverant de natura & potentia filii, naturalem amoris sui impetum sequutos, non potuisse, quin illius absentia excruciarentur, incerti quid illi contigisset, aut quibus de causis ipse se subducere voluisset.

℣. 49. Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Alii (8) Græcum reddunt (9): *Nesciebatis, quæri me oportere in domo Patris mei?* vel me nonnisi in Patris mei ædibus esse decere? Cur me alibi quærebatis? aut cur me non invento dolebatis? In Templum recta venire oportebat. Posterior hæc sententia, cum reliqua orationis serie aptius cohærere, & ad Græci sermonis ingenium magis accedere videtur (10). Alteri interpretationi sui sunt patroni, suaque probabilitas.

℣. 50. Ipsi non intellexerunt verbum. Jesum esse Dei Filium, ac Templum revera Patris illius domum esse, minime dubitabant: at non satis as-

[42] Exod. xxiii. 15. 16. 17. xxxiv. 23. Deut. xvi. 16. [43] Hugo, Lyran. [44] 1. Reg. i. 7. [45] Maldon. Brug. [46] Brug. Grot. [47] Beda, Juvenc. Maldon. Vida & Grot. [48] Vide Ligfoot. hic. [49] Abenezra ad Genes. xvii. 14. Grot. hic. [1] Origen. homil. 19. in Luc. & Græcus Auth. apud D. Thom. hic. [2] Beda hic, Aelred. serm. in Dominica infra octav. Epiphan. 2. tom. Oper. S. Bern. Liran. hic; & in 1. Reg. 1. 19. [3] Beda, Maldon. &c. [4] Vide Megillath, fol. 21, 1. . . . apud Ligfoot. hic. Vide & Simon, Supplement aux cérémonies des Juifs, ch. 6. [5] Ambrosiaster in 1. Cor. 1. 14. Grot. hic. [6] Origen. homil. 19. in Luc. Euthym. hic. [7] Vide Aelred. serm. in octava Epiphan. tom. 2. Oper. S. Bern. pag. 575. [8] Origen. Theophyl. Euthym. hic; Epiphan. hæres. 30. Hugo hic; Faller. Capell. Grot. Lud. de Dieu, Hamm. Le Clerc. Vide Toynard. Harm. not. pag. 144. [9] Ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με. [10] Vide Joan. xiv. 27. Ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια, *in domum suam*. Et Esther. vi. 12. *Aman mœstus domum rediit*: Ἐπέστρεψεν εἰς τὰ ἴδια. Joseph. Antiquit. lib. 8. cap. 2. ait, columnam auream ab Hiramo in Templo Jovis esse dedicatam: Ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἀνέθηκε.

sequuti sunt, quid iis verbia significaret: *In domo Patris mei oportet me esse*; vel, *Patris mei negotiis me operam dare necesse est*. Incerti erant, vellet ne in Templo semper agere, eo frequenter adventare, sive ministerium ac prædicationem inire jam decrevisset. Cum res mirificas ab eo in humanis gerendas præstolarentur, omnia illia mysterium præseferre videbantur, neque divinare poterant, quo tempore, quibusque modis consilia sua esset expleturus. Multa sunt in vatum oraculis perspicua, quæ nonnisi re gesta intelliguntur. Multa gessit dixitque Christus dum vixit, quæ nonnisi post illius mortem & Resurrectionem Apostoli assecuti sunt.

℣. 51. Venit Nazareth, et erat subditus illis. Breve hoc sapientiæ specimen, quod inter Doctores Christus exhibuit, ipsum obsequio parentum non liberavit. Nondum advenerat tempus, quo illius gloria inter homines erat patefacienda. Divini erat consilii, ut multa is præberet exempla demissionis ac modestiæ, quam omnibus in rebus a nobis servari necesse est; obsequii præsertim ac subjectionis erga parentes. Id Patres hoc loco animadvertunt (11). Josephus procul dubio multo inferior erat Jesu: illi tamen paret & subjicitur Jesus. Fit interdum, inquit Origenes, ut qui minor dignitate est, majori imperet: minime tamen idcirco is qui subditus est, ab illius imperio, cui Deus illum subjecit, eximitur; neque is qui imperat, in superbiam efferri debet, aut imperiose dominari. Meminerit quis ipse sit, & Jesum parere Josepho: *Non elevabitur superbia ex eo quod major est, sed sciet ita sibi meliorem esse subjectum, quomodo & Jesus subjectus fuit Joseph.*

Mater ejus conservabat omnia. Hoc ipsum animadvertit supra ℣. 19. Animi sui fidem ac pietatem alebat Maria sedula meditatione eorum, quæ agebantur a Jesu & dicebantur, aut de ipso contingebant. Pleno admirationis obsequio spectabat expleram veterum oraculorum fidem, & eorum, quæ ipsa ab Angelo Gabriele intellexerat. Hoc ipsum non semel animadvertit Lucas, quod fortasse majorem harum rerum partem ex Maria didicerit (12), vel ex iis, quibus ipsa narraverat.

℣. 52. Proficiebat sapientia et ætate. Vide supra ℣. 40. Reddi potest Græcus (13): *Crescebat sapientia & statura*; corporis magnitudine.

[11] Ambros. & Origen. Beda, Theophylact. Euthym. hic. [12] Grot. hic; Toynard. Harmon. in not pag. 144. [13] Προέκοπτεν σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ. Vox ἡλικία usurpatur pro statura corporis. Luc. xix. 3. de Zachæo: Ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν, Et Matth. vi. 27. *Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam?* Προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν.

CAPUT III.

Joannis Prædicatio. Is baptizat, populos docet, Jesum Christum prædicat. Ad Joannis baptismum accedit Jesus. Panditur Cœlum: Spiritus sanctus sub columbæ specie descendit. Vox Patris de Jesu Christo: hujus genealogica series ab Adamo ad Mariam.

℣. 1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre
ejus tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha.
2. Sub Principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super
Johannem, Zachariæ filium, in deserto. 3. Et venit in omnem regionem Jordanis,
prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 4. Sicut scriptum est
in Libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus: 5. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas: 6. Et videbit
omnis caro Salutare Dei. 7. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 10. Et interrogabant eum
turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? 11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: &, qui habet escas, similiter faciat: 12. Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? 13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis,
faciatis. 14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos?
Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris. 15. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus
suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus: 16. Respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus
solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.
17. Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum

cum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa qui-
dem & alia exhortans evangelizabat populo. 19. Herodes autem tetrarcha, cum cor-
riperetur ab illo de Herodiade, uxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit
Herodes, 20. Adjecit & hoc super omnia, & inclusit Joannem in carcere. 21. Fa-
ctum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante,
apertum est cœlum: 22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut colum-
ba in ipsum: & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui
mihi. 23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius
Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui
fuit Janne, qui fuit Joseph, 25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Na-
hum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, 26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ,
qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, 27. Qui fuit Johanna, qui fuit Re-
sa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28. Qui fuit Melchi, qui
fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29. Qui fuit Jesu, qui
fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, 30. Qui fuit Simeon,
qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, 31. Qui fuit Me-
lea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, 32. Qui
fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salomon, qui fuit Naasson, 33.
Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Efrom, qui fuit Phares, qui fuit Ju-
dæ, 34. Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit
Nachor, 35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui
fuit Sale, 36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe,
qui fuit Lamech, 37. Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit
Malael, qui fuit Cainan, 38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam,
qui fuit Dei.

℣. 1. ANNO AUTEM QUINTODECIMO IMPERII TIBERII CÆSARIS. Græci Codices multi non habent *autem*, initio hujus Capitis. Rejiciebant etiam Marcionitæ, & superiora duo capita; jungebantque hujus Capitis initium cum ℣. 31. Capitis IV. Annus hic decimusquintus Tiberii sumitur ab inito illius imperio, post Augusti obitum, respondetque anno Mundi 4032. periodi Julianæ 4741. Joannis Baptistæ 32. Jesu Christi 31. Æræ vulgaris 29

Pontius Pilatus provinciam Judæam acceperat anno superiore, Tiberii 14. Jesu Christi 30. eamque gessit annis decem, usque ad annum J. Ch. 40.

Herodes Tetrarcha Galilææ, cognomine Antipas, Herodis magni filius, & Philippi frater, de quo mox agemus. Tetrarcha ex nominis sono est Princeps in quarta Regni parte: at vulgo usurpatur de minoris Imperii Rege, & Romanorum socio. Hujus Regnum Galilæa cis & trans Jordanem porrigebatur, ejusque in ditione maximam supremorum vitæ suæ annorum partem egit Christus.

Philippus Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis, item magni Herodis filius. Hujus ditio trans Jordanem erat, ad orientem Galilææ, illique ad septemtrionem erat Syria Damasci, ad orientem Arabia deserta.

Lysanias Abilinæ Tetrarcha, filius fortasse vel nepos alterius Lysaniæ, apud Historicos notissimi, cui paruerant urbes Chalcidis & Heliopoleos, cum montibus Ituræ (1). Cum illum Marcus Antonius Ituræ Regem creasset, paulo post necavit, ut illius Regni parte Cleopatram donaret (2). Deinde Zenodorus, cum tributi cujusdam onere, ditionem, quæ olim Lysaniæ fuerat, sortitus est, cui deinde abstulit Augustus, & Herodi Regi addidit (3). Hæc pars fuit Regni Philippi Tetrarchæ Ituræ, de quo mox egimus. At omnino necesse est, Lysaniam filium vel nepotem postremi Lysaniæ ab Antonio necati, potitum adhuc esse Abilena, quo tempore prædicandi munus iniit Joannes, cum a Luca inter eos Principes recenseatur, qui Palæstinam finitimasve regiones moderabantur. Profecto Josephus Antiq. lib. 17. cap. 13. scribens quid datum fuerit Philippo, ait, additam illi esse partem ejus ditionis, quæ Zenodori appellabatur. Partem alteram obtinebat Lysanias. Operæ pretium censuit Lucas, Lysaniæ meminisse, quod fortasse magno numero Judæi illius ditionem frequentarent.

Abilena fortasse provincia est, cujus princeps oppidum *Abila*. Meminit hujus Abilæ Ptolemæus lib. 5. cap. 15. eamque *Abilam Lysaniæ* nuncupat, & inter Heliopolim ac Damascum collocat. Itinerarium Antonini vel Æthici millia passuum octo & triginta inter Damascum & Abilam, & ab Abila ad Heliopolim duo & viginti metitur. Consentiunt ferme Tabulæ Peutingeri (4). Nobis fuisse videtur Abila inter Libanum & Antilibanum, ultra fontes Jordanis; eamdemque putamus atque *Hoba* seu *Hobal*, de qua Genesis, quæ, ex Moyse, ad sinistram vel septemtrionem Damasci jacebat Gen. XIV. 15.

℣. 2. SUB PRINCIPIBUS SACERDOTUM ANNA ET CAIPHA. Cave putes, geminos eodem tempore fuisse Judæis Pontifices, suprema authoritate fungentes. Cum Annas a Quirinio, Syriæ & Judææ Præside, creatus fuisset Pontifex, eamque dignitatem annis undecim gessisset (5), ea etiam spoliatus, nomen retinuit; atque hoc tempore nihil nisi Pontificis appellationem habebat. Caiphas, Annæ gener, a Grato Judææ Præside electus, gesto annis octo vel novem Pontificatu, eo exutus est a Vitellio Judæam moderante. Quamobrem is sacro munere potiebatur, quo tempore iniit prædicationem Joannes, & annis aliquot post Christi obitum eo frui perseveravit. Vide nostram Dissertationem de successione Summorum Pontificum apud Hebræos, ad Librum Judith.

FA-

(1) Dio lib. 49. pag. 44. (2) Joseph. Antiqu. lib. 15. cap. 4. (3) Joseph. Antiqu. lib. 15. cap. 13. Dio lib. 54. (4) Vide Cellar. Geogr. Antiqu. lib. 3. cap. 12. & Tillemont not. 14. sur J. C. & Grotium hic. (5) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 3. 5.

Factum est verbum Domini supra Joannem. Joannes ab ipso matris utero divina aura impletus fuerat. Idem hic Spiritus illum in solitudinem duxerat, ubi a prima ætate vitam egit. Ibi expectabat, ut Deus quid ex sese vellet, edoceret, suaque jussa patefaceret, antequam ipse cæteros docere aggrederetur. Nemo sanctissimum hoc munus suscipere audeat, nisi a Deo vocatus, vel divinitus, uti Joannes, vel consueta Ecclesiasticorum Pastorum voce. Dei verbum, quo excitatus est Joannes, sermo secretus fuit, & Spiritus Sancti impulsus.

℣. 3. Venit in omnem regionem Jordanis. Quo loco Joannes triginta priores vitæ annos egerit, postquam e paternis ædibus discessit, in solitudinem secessurus, non liquet: illud solum constat, tribus in locis ad Jordanem prædicationem & baptismum exercuisse Joannem; I. circa Jerichuntem, cis Jordanem, & ad Jordanis occasum Matth. 3. 1. Ibi tinctus fuisse creditur baptismo Christus. II. Ad Bethaniam seu Bethabaram trans Jordanem Joan. 1. 28. III. Ad Ennon, prope Salim, cis Jordanem Joan. 3. 28.

℣. 4. Vox clamantis in deserto.. [℣. 5.] Omnis vallis implebitur. Isaias 40. 3. reditum e captivitate Babylonica describens, ait, paratum iri a Deo iter populo facile ac planum. Vaticinium hoc Evangelistæ de Jesu Christi adventu explicavere. Ut digno apparatu quisque Jesum excipiat, opus est præstet in se ac morali sensu id, quod Propheta in populi reditu factum iri pollicetur: pœnitentia scilicet atque animi demissione se deprimat, mores emendet, prava corrigat, aspera complanet, cœnosa impleat, dejiciat ardua. Quid ista sint morali sensu, facile intelligis.

℣. 6. Videbit omnis caro salutare Dei. Isaias, cujus verba mutuatur Lucas, fert c. xl. 5. *Videbit omnis caro quod os Domini locutum est*. Vel, ex Septuaginta. *Videbit omnis caro salutare Dei, quia os Domini locutum est*. Quemadmodum libertatem populo comparatam a Deo ex captivitate Babylonica omnes terrarum gentes admiratæ sunt; ita omnes late populi adventum Messiæ, veri hominum Liberatoris, aspicient.

℣. 7. Genimina viperarum, &c. Hæc explicavimus in Matth. iii. 7.

℣. 11. Qui habet duas tunicas, &c. Fusius tradit Lucas, quid prædicando tradiderit Joannes Baptista. Hinc exorditur Joannes, ut salubrem judiciorum Dei metum inspiret, & acriter vitia reprehendat. Tum salutis viam docet, unumquemque iis monitis instituens, quæ singulorum conditioni conveniant. Vulgum, minorum criminum reum, monet, ut opera charitatis & misericordiæ exerceat: milites & Publicanos, quorum ars magis obnoxia est vitio, jubet a crimine abstinere (1). Vel, uti animadvertit S. Ambrosius in Luc. hic, omnibus in universum imperat, ut misericordiam colant, communem popularemque virtutem; milites vero & Publicanos monet, ne cæteros vi & injuriis opprimant: *Omnes in commune admonentur, ut conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est* (2). Quod hic de tunicis & vestibus dicitur, de cæteris intelligendum est. Quæ necessaria non sunt, unusquisque pauperibus largiatur. Charitatis opera ceu tutissimus expiandorum criminum modus a Scriptura proponuntur (3).

℣. 13. Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, exigatis (4). Ita explicandum est id, quod habet Vulgata, *faciatis*; Græcum enim *prasso* frequenter usurpatur pro exigere, atque hic optime in eamdem sententiam congruit. Cum ex Regum facultate vobis liceat tributa exigere, id solummodo quod imperatum est, exigite, neque modum excidite. Norat Joannes, consueta esse militum peccata, furari, vim & injuriam inferre, ubi id impune futurum putant. Non jubet a castris discedere, cum ipsa per se militum ars flagitiosa non sit; sed mala est abusu, qua milites, nomine & authoritate Principis freti, debacchantur (5). Vectigalia & justa tributa, a Principibus imperata, non damnat, cum ea ex legibus justitiæ & æquitatis, ob publicam dumtaxat utilitatem, & Reipublicæ necessitatem indicta esse arbitretur; sed abuti & modum excedere, id vero prorsus damnandum est (6).

℣. 14. Neminem concutiatis, &c. Veteres nonnulli e Christianis militiam omnino damnavere (7): at neque Scriptura, neque antiqui Canones, neque Patres illam damnant, nisi injustam, vel idcirco, quod milites certissimis peccandi periculis obnoxii fiant. Milites non arcet a baptismo Joannes, neque pœnitentiæ aditum illis claudit; neque idem, quod a vulgo, a militibus postulat: vult solummodo illos injuria abstinere, cæde, vulneribus: armis dumtaxat in hostes reipublicæ uti jubet: caveant fraudem, malitiam, calumniam; denique contentos esse monet stipendiis a Principe distributis, quin subditos vexent, latrocinia, vim, injurias in innocuos exerceant.

Nihilo plura Joanne a militibus, baptismum postulantibus, exigunt Apostolicæ Constitutiones lib. 8. cap. 32. Legionis Thebææ milites ad Imperatorem ajebant: *Dexteræ istæ pugnare adversum impios atque inimicos sciunt: laniare pios & cives nesciunt. Meminimus, nos pro civibus potius, quam adversus cives arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute. Hæc fuerunt hactenus nobis pretia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quo pacto conservabimus tibi, si hanc Deo nostro non exhibemus?* Præter hoc discrimen, deserendæ scilicet fidei aut pietatis, militiæ nomen dare, & militare, si jam dedissent, minime dubitabant Christiani. *Navigamus & nos vobiscum*, ajebat Tertullianus in Apolog. *militamus*, &c. Castra vestra & exercitus Christianis abundant.

Milites, quos alloquebatur Baptista, ex Herodis Antipæ aut Philippi exercitu erant, vel Judæi Romanis in castris militantes; ex his enim multi in Romanis exercitibus merebant, vel ad Romanos nomine auxiliarium accesserant. Multos etiam Judæos in castris habebat Alexander Magnus; iisque magnopere usi sunt Ægypti ac Syriæ Reges, qui Alexandro successere, tum in expeditionibus, tum arcium præsidio (8). Cum vero Judæi in profanorum Principum exercitibus nomen darent, facultatem colendæ Legis suæ paciscebantur, quietem Sabbatho, atque arma in populares non convertendi libertatem. Hecatæo teste (9), cum Alexander Magnus Beli Templum restaurare aggressus esset, jussissetque milites materiam in ejus ædificii usum colligere, Judæi in ipsius exercitu merentes neque minis neque injuriis adigi potuere, ut operi manum admoverent.

Vetat hic primum Joannes vim cuiquam aut violentam exactionem inferre: *Neminem concutiatis*. Propria Græci vocabuli significatio est (10): *Nequem concutiatis*, ne vim inferatis: minis, terrore, vulneribus ne utamini, ut indebita exigatis. II. *Nequem fraudetis*, vel, *nequem calumnia circumveniatis*, uti sonat Græcus (11): ne innoxios

[1] Theophylact. hic. [2] Gregor. homil. 20. Ambros. & Beda hic, alii. [3] Tob. iv. 7. 11. & xii. 8. 9 & Dan. iv. 24. [4] Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. [5] Zeno Comitus apud Grot. Πάντες πλοῦται πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. [6] Vide Grot. in hunc locum. [7] Vide Grot. de jure Bel. & Pac. lib. 1. cap. 2. num. 5. 6. 7. & ad hunc loc. [8] Vide Josephum passim, & quartum Macchabæorum, & Grotium hic. [9] Apud Joseph. contra Appion. lib. [10] Μηδένα διασείσητε. [11] Μηδὲ συκοφαντήσητε.

xios oneretis crimine apud Tribunos, ut crimen ipsum a vobis removeatis, vel gravia in illos & incommoda inducatis. Sacri Scriptores Græco verbo *sycophantein* utuntur interdum generatim pro inferre injurias, vexare; interdum proprie pro calumniam irrogare, decipere, falso accusare. III. denique jubet Joannes *contentos esse stipendiis suis* milites. Græca vox (1) nedum pro pecunia usurpatur, verum etiam pro annona, & utensilibus, quæ militi suppeditantur a civibus *Annona sua contentus sit miles*, ajebat Aurelianus Imperator (2), *non de lacrymis Provincialium vivat*.

Y. 15. Existimante autem populo, &c. Universa tunc Judæa, imo totus late Oriens in Messiæ expectationem suspensus erat. Impleta cernebantur tempora omnia per Prophetas significata. Joannes omnino vir erat a Deo excitatus; ejusque vitæ innocentia, sanctitas & austeritas, dogmata, prædicatio, virtus persuadebant, ipsum forte esse, quem omnes expectabant. Aliquis fortasse e Discipulis illum monuit, quid vulgo de ipso sentirent; is vero *respondit*, *dicens omnibus* [Y. 16.], se quidem alium esse a Messia, propediem affuturum Desideratum cunctis gentibus, eumque baptizaturum Spiritu Sancto & igne, cum ipse Joannes sola aqua baptizaret, populum comparans, ut per Messiam venia criminum donaretur. De YY. 16. & 17. vide quæ diximus in Matthæum III. 11. 12.

Y. 19. Herodes autem, cum ab Joanne argueretur ob nefarium cum Herodiade connubium, quam ille Philippo fratri suo abstulerat, Joannem in carcerem dedit. Hoc nonnisi multo post contigit, uti ceteri Evangelistæ narrant (3). Visum autem est Lucæ hic omnia describere, quæ ad Joannem spectant, antequam ad reliqua gradum faciat.

Y. 21. Jesu baptizato et orante. Jesum orasse post baptismum; silent ceteri Evangelistæ. Reliqua explicata sunt alibi (4).

Y. 23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta. Annum circiter trigesimum agebat Jesus, cum tinctus est baptismo. Tertium ac trigesimum inchoaverat, ex optimorum Chronologorum sententia. Sunt qui Græcum reddant (5): *Trigesimum annum inchoabat*; id vero contrarium est iis, quæ de ætate Christi ex chronologia certissime colliguntur; atque Interpretes multi ita explicant: Trigesimum circiter annum agebat Jesus, cum ipse docere incepit, sacrumque ministerium iniit (6).

Ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli. Jesus vulgo Josephi filius existimabatur, quamquam nullo carnali patre natus. Heli, nostra quidem sententia, est Joachim, Mariæ pater, socer Josephi, & Jesu Christi avus. Christi originem Lucas per Mariam illius matrem tradit, uti Matthæus per Josephum. Vide nostram Dissertationem, qua uterque Evangelista conciliantur. Hæc verba, *Qui fuit Heli*, tum ad Josephum, tum ad Jesum referri queunt. Josephus Heli filius dicitur uti gener, Jesus uti nepos. Gener ac nepos, multis etiam ætatibus remoti, apud Scripturam profanosque Scriptores filii nuncupantur. Ita vulgo Jesus Davidis filius dicebatur, quamquam longissimo intervallo remotus.

Y. 27. Qui fuit Resa, filii Zorobabelis. Rami duo e Davide orti, per Nathanum alter, & alter per Salomonem, in Zorobabele collecti; post Zorobabelem iterum coivere in Abiud & Resam, geminos Zorobabelis filios. Ex Abiud orti sunt majores Josephi, ex Resa Mariæ genus.

Y. 36. Cainan, pater Sale, & filius Arphaxadi, in Hebraico Geneseos textu non legitur. Hunc hausisse creditur Lucas ex Græco LXX. Interpretum, apud quos habetur in Genesi XI. 12. Cum autem abundare videatur, atque in Genesim inductus a vetustis hisce Interpretibus, nihilo magis hic necessarius aut verus existimari potest (7). Ita doctissimi quamplures Interpretes, uti docuimus (8). At si Cainan error librarii est in LXX. Interpretibus & Luca, vetustissimus certe est; codices enim typis editi & manu exarati summopere consentiunt (9). Unus Cantabrigiensis Codex non habet *Cainan* in Luca (10). Videtur nonnullis Lucas, cum gentilium gratia scriberet, quibus unica LXX. Interpretum versio obvia erat, Cainanum admisisse, quod illi hunc in Scriptura legerent; ne, eo ablato, offensioni esset imbecillibus (11). Siquod enim in Chronologicis descriptionibus discrimen fuisset, id vel LXX. Interpretum, vel ipsiusmet Lucæ Evangelii auctoritatem infirmasset. Igitur siquis error hic subest LXX. Interpretibus sive librariis illos describentibus tribuendus est. Nihil habent Judæi quod Lucæ objiciant, sed vetustis ipsorum Versionibus. Cainanum idcirco dumtaxat servamus, quod illum Lucas in Evangelium admiserit, quin vel corrigere vellet, vel probare eos, qui ante se illum adoptaverant. Satis constat, Lucam ubique LXX. Interpretibus uti, cum etiam ab Hebræo dissident. Vide Acta VII. 14.

Y. 38. Qui fuit Dei. A Deo creatus, non Dei filius; quamvis enim Adam quodammodo filius Dei sit (12), utpote a Deo conditus, eadem tamen ratione non est, qua ceteri in hac descriptione recitati. Deus homini dedit ut esset, animam largitus est ac vitam; ceteri homines a parentibus corpus dumtaxat accipiunt, vel, ad summum, vitam animalem. Ex Deo habemus quod vivimus, quod crescimus, quod conservamur.

(1) Καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. (2) Aurelian. apud Vopiscum. (3) Vide Joan. III. 26. Matth. IV. 12. Marc. I. 14. (4) Matth. III. 16. Marc. I. 10. (5) Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. (6) Justin. Origen. Euthym. Vide Act. I. 22. X. 33. (7) Vide Usser. Dissertat. de Cainan; Spanh. dub. Evang. Grot. hic; Cornel. a Lapide; Bochart. Phaleg lib. 2. cap. 13. alii. (8) Vide nos in Genes. X. 24. (9) Editio Romana non legit Cainan in I. Par. I. 17. Sed habent Aldina & Complutensis, & Ms. Alexandrinum. (10) Vide Notas Millii in Lucam III. 38. Mancus est hic Codex & corruptus innumeris in locis, uti animadvertit Millius hic, & alibi sæpe. (11) Jun. Ligfoot. alii nonnulli. (12) Vide Philon. & Joseph. apud Grot. hic; & Arat. in Act. XVII. 28. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

CAPUT IV.

Jesus in solitudinem ducitur, & a Diabolo tentatur. Nazarethæ docet; atque hinc abiens, Capharnaum proficiscitur. Ibi hominem a Dæmone agitatum liberat, & Petri socrum curat. Alios etiam incolumitati restituit.

℣. 1. JEsus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane: & agebatur a Spi-
ritu in desertum. 2. Diebus quadraginta tentabatur a diabolo. Et nihil man-
ducavit in diebus illis: & consummatis illis esuriit. 3. Dixit autem illi diabolus:
Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. 4. Et respondit ad illum Jesus:
Scriptum est: Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. 5. Et
duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ
in momento temporis. 6. Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, &
gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. 7. Tu ergo si ado-
raveris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Jesus, dixit illi: Scriptum
est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. 9. Et duxit illum in Je-
rusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte
te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim, quod Angelis suis mandavit de te, ut
conservent te. 11. Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pe-
dem tuum. 12. Et respondens Jesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum
Deum tuum. 13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque
ad tempus. 14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit
per universam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in synagogis eorum, & ma-
gnificabatur ab omnibus. 16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit se-
cundum consuetudinem suam die sabbathi in synagogam, & surrexit legere. 17. Et
traditus est illi Liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi
scriptum erat: 18. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare
pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19. Prædicare captivis remissionem, &
cœcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acce-
ptum, & diem retributionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & se-
dit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. 21. Cœpit autem di-
cere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. 22. Et om-
nes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore
ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Joseph. 23. Et ait illis: Utique dicetis mi-
hi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capphar-
naum, fac & hic in patria tua. 24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo pro-
pheta acceptus est in patria sua. 25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in
diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex,
cum facta esset fames magna in omni terra: 26. Et ad nullam illarum missus est
Elias nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in
Israel sub Elisæo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28.
Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, & eje-
cerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super
quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens
per medium illorum, ibat. 31. Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibi-
que docebat illos sabbathis. 32. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate
erat sermo ipsius. 33. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, &
exclamavit voce magna, 34. Dicens: Sine, quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene?
venisti perdere nos? scio te, quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpavit illum Jesum,
dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium,
exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus, & collo-
quebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate, & virtute
imperat immundis spiritibus, & exeunt? 37. Et divulgabatur fama de illo in om-
nem locum regionis. 38. Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Si-
monis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.
39. Et stans super illam, imperavit febri: & dimisit illam. Et continuo surgens mi-

nistra-

nistrabat illis. 40. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: At ille singulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem dæmonia a multis, clamantia, & dicentia, Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis. 43 Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. 44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

℣. 1. JESUS AUTEM PLENUS SPIRITU SANCTO, REGRESSUS EST A JORDANE. Quo? fortasse Nazaretham; vel saltem eo iter instituebat. Statim vero (1) ductus est in solitudinem a Spiritu; Sancto nimirum Spiritu; id quod Matthæus confirmat iis verbis: *Ut tentaretur a diabolo*. Non desunt tamen Interpretes, ductum eo fuisse a Diabolo, uti deinde Jerosolymam, & in montem editissimum; permittente Dei Filio, ut ille omnes in se vires exereret, quo gloriosius & plenius vinceretur. Vide quæ diximus in Matthæum IV. 1. Animadvertit hic Lucas, *Jesum Spiritu Sancto plenum* fuisse, non quod antea eo caruerit, sed quod hiscente Cœlo, & Spiritu Sancto in ipsum sub columbæ specie illapso, Jesus perspicua magis Spiritus Sancti præsentis indicia præbuerit, quam antea soleret.

℣. 3. SI FILIUS DEI ES. Minime dubitabat Diabolus, quin Jesus esset Dei filius eodem modo, quo Sancti omnes & Justi; noverat quippe, nullo illum crimine vitiari; pernosse igitur volebat, verus Dei Filius esset nec ne, Verbum carne indutum, essentialis Dei Sapientia; ac pervadere sensum ejus vocis, quæ in Christi baptismo omnibus audientibus insonuerat Luc. 3. 22. *Tu es filius meus dilectus: in te complacui mihi*.

℣. 4. SED IN OMNI VERBO DEI. Potest Deus verbi sui vi, quicquid voluerit, nutriendi virtute instruere. Aer, aqua, lapis, omnia cibus fient, ubi jusserit Deus.

℣. 5. DUXIT ILLUM IN MONTEM. Per montis clivum ne, an sublimi in aere raptum? Id porro non liquet (2). Quidlibet autem fuerit, certe nonnisi Christo permittente gestum est. Diabolus *ostendit illi omnia Regna orbis terræ in momento temporis*, sive manu innuens longe, & oratione describens; sive imaginario schemate exhibens magica vi ac diabolica; seu denique in ipsius mente pingens. Cum audis *omnia Regna mundi*, hyperbolen intellige; præcipua nimirum Regna urbesque terrarum. Permittit Christus, ut quam late pateant illius vires, agat Dæmon, quo luculentius virium suarum imbecillitatem superatus experiatur.

Gloriatur Satan, sese de omnibus terræ Imperiis pro arbitrio decernere, eaque largiri cui libuerit. Mendacium diabolo dignum. Iratus hominibus interdum Deus permittit, ut diabolus ea quæ mirantur maxime homines & plurimi faciunt, pro libito distribuat; quamobrem Jesus *Principem hujus mundi* appellat diabolum Joan. 14. 30. 16. 11. at nonnisi permittente vel jubente Deo diabolus tum minima tum majora moderatur. Porcorum gregem invadere, nisi impetrata facultate, non audet. Matth. V. 11.

℣. 8. SCRIPTUM EST: DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS. Græcus legit (3): *Recede a me Satana; scriptum est enim*, &c. Quæ verba ex Matthæo IV. 10. desumpta sunt. Locus a Christo recitatus, ex Deuteronomio est VI. 13. X. 20. Hebræus habet duntaxat (4): *Illi servies*: non: *Illi soli servies*. LXX. Interpretes sequutus est S. Hieronymus (5), cum Vulgata consentientes, Cap. VI. 13.

℣. 9. SUPER PINNAM TEMPLI, fortasse super loricam, qua tectum in areæ formam complanatum, de regionis more, cingebatur. Vide nos in Matt. IV. 5.

℣. 12. NON TENTABIS, &c. Non vetat, se a diabolo tentari, sed ait: Caveo quam maxime, ne Dominum Deum tentem, & prodigia nisi extremis in rebus ab eo postulem. Sponte discrimen non adeo, ut eo me liberet Deus.

℣. 13. RECESSIT AB ILLO USQUE AD TEMPUS. Illum aggredi ausus non est usque ad Passionis tempus (6), quo tempore id illi rursus per Deum licuit, uti docet Scriptura Luc. 22. 53. Christus enim apparitoribus ad se vinciendum accedentibus dixit: *Hæc est hora vestra, & potestas* Principis *tenebrarum*. Joan. 14. 30. *Venit Princeps mundi hujus*, me tentaturus, *& in me non habet quicquam*, nihil ex me retulit.

℣. 14. REGRESSUS EST IN VIRTUTE SPIRITUS IN GALILÆAM. Voluerat eo reverti, statim post baptismum (7): at ductus a Spiritu in solitudinem, dies ibi quadragenos commoratus est: quibus elapsis, secutus est Spiritus impetum, quo agente Nazaretham ductus est, unde antea discesserat, Joannis baptismum subiturus. Antequam vero Jesus Nazaretham perveniret, multa contigere, quæ prætermittit Lucas. Egressus solitudine Jesus, ad Joannem rediit, a quo luculentissime commendatus est Joan. 1. 29. Inde Canam Galilææ petiit, ubi primo claruit prodigio Joan. 2. 1. postea Capharnaum, ubi multa prodigiose gessit Luc. 4. 23. Deinde Jerosolymam rediit per Paschatis Festum Joan. 2. 13. Aliquo tempore in Judæa fuit, baptismum ibi exercens Joan. 3. 22. Discipulis nempe baptizantibus, ipse enim neminem baptizavit Joan. 4. 2. Cum per id tempus intellexisset, Joannem datum esse ab Herode in carcerem, visum est Nazaretham secedere, ubi ea gessit, quæ hic a Luca narrantur.

℣. 16. INTRAVIT IN SYNAGOGAM, ET SURREXIT LEGERE. Totis triginta annis, quos Jesu Nazarethæ egit, Religionis exercitationes assidue coluit, & Synagogas singulis Sabbathis frequentabat, ut ibi Legis lectionem audiret, Deoque laudes caneret. Hactenus tamen inter auditores sese continuisse videtur, nullo sapientiæ, & Spiritus quo complebatur, specimine exhibito. Periculum sui facere tunc denique incepit, cum a baptismo, descriptoque superiori versiculo itinere rediit. *Surrexit* igitur *legere*, sive se ipse ad id obtulerit, sive id jusserit *Angelus Synagogæ*, is nimirum qui Synagogæ præerat. Quæ de Jesu prædicaverat Joannes, prodigium in ipsius baptismo visum, atque altera recentiora Canæ prope Nazaretham, deinde Capharnai ab ipso gesta, nomini famam, ipsi obsequium conciliaverant.

Rogatus igitur ut legeret, perlecto Hebraico textu, Syriaco seu vernaculo sermone interpretatus

(1) Ita Marc. 1. 12. Καὶ εὐθὺς τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον. (2) Vide Dissertationem Bocharti, de translatione J. C. in pinnaculum Templi, in fine novissimæ Editionis operum Bocharti, Lugduni Batavorum, 1707. (3) Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, γέγραπται γὰρ, &c. At magno numero Codices hanc additionem non habent. (4) Deut. VI. 13. אלהיך תירא ואתו תעבד (5) Τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. (6) Brug. Ligf. alii. (7) Supra ℣. 1.

tus est; hic enim mos ab Esdræ ætate inductus fuerat 2. Esdr. 8. 2. Advenis interdum deferebatur honos legendi in Synagogis, ac disputandi (8). Stantes legebant (9); Doctores verò sedentes interpretabantur Matth. 5. 1. Luc. 5. 3. Privati in Synagogis disputantes, stare solebant (10). Videtur aperuisse volumen Christus ubi libuit, statimque legisse id quod occurrit, nullo delectu; Rabbinisque testibus (11), in Prophetarum lectione id maxime licebat; in cæteris Scripturæ Libris, Moyse præsertim, interdictum.

℣. 17. Et revolvit librum (12), explicuit; volumen enim erat veteri more e membranis pluribus simul consutis ad latera, qualibus adhuc utuntur Rabbini in Synagogis. Colligitur id ex ℣. 20. ubi Jesus, perlecta sententia, librum complicuisse, vel collegisse volumen dicitur (13).

℣. 18. Spiritus Domini super me, &c. Non casu, sed Providentiæ consilio, hic locus occurrit Christo, initio prædicationis illius optime conveniens. Ibi Isaias lxi. 1. de se ceu Messiæ figura loquitur. Missum se ait a Deo, ut captivis Judæis proximam libertatem nunciet; populumque extremas in angustias redactum moneat futurum, ut quamprimum oppressione liberetur. Captivitas Babylonica figura erat miseræ hominum conditionis; reditus a captivitate, a Cyro concessus, & ab Isaia nunciatus, hominum redemptionem per Christum, a Propheta prædictam, & a Christo impletam, significabat.

Scribit Isaias, *unctum se esse a Spiritu Domini*, *ut pauperibus evangelizet*; prædicandi scilicet munus a Deo sibi esse commissum. Regem ungere, vel Prophetam, sive Sacerdotem, apud Hebræos erat, sua illum dignitate, & muneris sui exercitio donare. Quamvis nullo non vitæ suæ tempore Jesus Christus uberrima sancti Spiritus unctione perfusus fuerit, videtur Deus Pater commissam Filio prædicationem, & Spiritus ubertatem, qua illum cumulabat, significare luculentius voluisse, cum Spiritum Sanctum in Christi baptismo in ipsum illabi corporea specie jussit (14).

Neque temere addit Propheta, missum se *ut pauperibus evangelizet*. Hæc enim inter cæteras nota Messiæ prædicatio distinguenda erat. Pauperis nomen in Scriptura pro humili, malis afflicto, oppresso usurpatur. Qua appellatione captivos Babylone Judæos innuere videtur Isaias. At Providentiæ, vaticinia Isaiæ moderantis, consilio hac potissimum voce usus est Propheta, ut illud significaret, Messiam venisse hominum mente animoque humilium causa, præter cæteros; eorum qui paupertatem & inopiam suam sentiunt, qui Liberatorem expetunt, qui peccatorum pondere oppressi, surgere satagunt.

℣. 19. Prædicare captivis remissionem, cæcis visum. Homines Babylone captivos Scriptura passim veluti sedentes in umbra mortis & sepulcri horrore describit. Hic autem rerum status imago est levissima servitutis, qua humanum genus opprimebatur, ac tenebrarum, inter quas vagabamur, quo tempore in terris ortus est Christus. Prodiit ceu Liberator carcerem aperiens, & vincula captivorum frangens, utque inter obscuræ noctis tenebras novus sol. Libertatem largitur iis, qui ope gratiæ, & omnipotentiæ suæ captivitatis suæ horrorem, & catenarum suarum pondus sentiunt. Lumine captis lucem restituit, qui ejus pariter ope adjuti cæcitatem suam recognoscunt: cæcis, qui cæcitatem fatentur, & lumen optant, lucis usum restituit: eos vero qui servitutem amant, seque minime cæcos putant, in vinculis & cæcitate relinquit (15). Vetusti codices Græci quamplures non habent hæc Vulgatæ verba: *Sanare contritos corde*.

Prædicare annum Domini acceptum. Tandem aliquando adest dies, quo Deus cum populo reconciliabitur, & annus quo pœnas ex inimicis exiget. Fulsit dies optatissima, qua Deus malorum captivæ gentis, ejusque coram se demissionis misertus, vetera peccata dimissurus illi est, iramque in Babylonios hostes suos conversurus. Alludunt hæc verba (16) ad Jubilæi annum, qui buccinarum concentu nunciari solebat Levit. 25. 10. quo demum anno unusquisque in patrimonii possessionem, & servi in libertatem revocabantur. Christi adventus in terras absolutissimus fuit hominibus Jubilæi annus; is enim peccati servos in libertatem asseruit, oblataque libertate uti in singulorum potestate fuit (17). Sanguinem vitamque profudit Christus in hominum universorum redemptionem (18): æternitatis aditum illis reseravit, amissamque primorum parentum crimine immortalitatis æternæque beatitudinis spem iterum illis attulit. Confer Isa. xlix. 8. & 2. Cor. vi. 2.

Idem ipse annus, afferens justis veniam & reconciliationem, impiis ultionem atque iram feret. Venit Christus *in ruinam & resurrectionem multorum*. Ea Judæorum pars, quæ fidelis ac docilis fuit, Christumque excepit, beneficiis omnibus ab illo cumulata est: cæteri, qui Jesum & rejecere, & in crucem egerunt, patriæ Templique ruinis oppressi sunt, a Romanis direpti, vastati, eversi. Veteres quidam, ut Valentiniani (19), hinc colligebant, Christum unico duntaxar anno prædicationem exercuisse: *Prædicare annum Domini acceptum*. At Evangelista teste, tribus annis exercuit.

℣. 20. Omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum; sive quod illum nondum publice verba facientem quisquam audisset, ipsumque nullo usum esse Præceptore nemo ignoraret Joan. 7. 15. sive prodigiorum causa, quæ in illius baptismo contigisse, & alterius quod ab ipso gestum esse norant Canæ Galilææ, conversa in vinum aqua. Cum stans legisset, sedit Jesus, dignamque sese authoritatem usurpavit, more Præceptoris disputans; unis enim Doctoribus fas erat sedentibus in Synagoga disserere, uti animadvertunt Interpretes, id ex Actis Apostolorum colligentes (20).

℣. 21. Hodie impleta est hæc Scriptura. Vel, impleri incipit. Egomet redemptionem prædico, libertatem, reconciliationem, veniam peccatorum. Liberator vester ego sum, spes, salus, Messias. De me loquitur Propheta (21) his verbis, quæ mox audistis, *in auribus vestris*.

℣. 22. Mirabantur in verbis gratiæ, &c. Fatebantur, neminem unquam ea suavitate, vi, eloquentia disseruisse; tanta neminem arte suadere, movere, placere, uti Jesum. Hoc ipsum alio tempore experti & confessi sunt ii, quos Judæi miserant, ut Jesum caperent Joan. 7. 46. At Nazareni suavitatem loquentis mirari contenti, traditam ab eo veritatem amplecti, Deoque gloriam reddere neglexerunt. Credita generis humilitas, & agnatorum paupertas illis offensioni fuere; quamobrem invicem ajebant: *Nonne hic est filius Joseph?*

(8) Act. xiii. 15. xvii. 2. (9) Ita in Megilla c. 4. (10) Act. xiii. 16. 1. Cor. xiv. 30. (11) Rab. Alphes, apud Ligfoot. hic. (12) Καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον. (13) Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον. (14) Iren. lib. 3. c. 10. Athanas. Orat. 2. contra Arianos; Rufin. Exposit. Symbol. August. l. 11. de Trinit. cap. 26. & lib. 3. contra Maxim. cap. 16. Hieron. in Isai. lxi. (15) Joan. 12. 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus; Peccatum vestrum manet.* (16) Κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. (17) Rom. viii. 21. Galat. iv. 31. v. 13. Jacobi i. 25. ii. 12. (18) Rom. v. 8. . . . 9. vi. 10. 11. 13. 2. Cor. v. 14. &c. (19) Apud Iren. lib. 2. cap. 38. & Origen. hic. Ita & Clemens Rom. (20) Act. xiii. 1. & 1. Cor. xiv. 30. Vide Mald. Ligfoot. Grot. alios.
(21) Theophyl. Euthym. Mald. Grot.

eph? En mundi judicia! Jesus patrem habet privatum Nazarethæ civem: qui esse Mesſias potest?

℣. 23. MEDICE, CURA TE IPSUM. Vulgaris loquendi forma in eos, qui multa in aliorum commodum faciunt, nihil sibi, amicis, propinquis; qui aliena curant, negligunt sua; qui cæteros docent, cum ipsi egeant præceptore. Multa ediderat Jesus Capharnai prodigia Joan. 2. 12. quæ non describuntur: multa etiam editurus erat Nazarethæ patria sua, siquidem locum iis, minoremque in civibus pertinaciam inveniret: at nulla edidit, contemptus & negligentiæ ipsorum pœna. Dicetis: *Medice, cura te ipsum:* at ego vicissim regeram: *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Me, meaque instituta spernitis: mea igitur beneficia cæteris servo (22).

℣. 25. MULTÆ VIDUÆ ERANT, &c. Res est notissima (23). Gratuita sunt Dei beneficia: nemini debentur (24). Capharnai & Canæ prodigia edidi, quæ hic edere non licet. An omnium in Israele viduarum farinam oleumque, sævissimæ famis tempore sub Achabo, Elias multiplicavit? An omnes Syriæ leprosos, Naamani ætate, curavit Elisæus? Ita neque necesse est, ut ego ubique prodigia edam. Homines exhibere fidei & obedientiæ plenos, uti Naamanum, viduasque Sareptanas, animo demissas, & fiduciæ in Dominum plenas; hominesve prodigia postulantes fidei ardore nobiles, veluti Capharnaitas: statim apud vos prodigia eadem, quemadmodum inter illos præstiti. Denique tametsi ubique prodigiis claream, & apud vos nullis, qui locus querelæ est? An vobis iniquus fuero? An quidquam debeo?

ANNIS TRIBUS, ET MENSIBUS SEX. Par tempus habet Jacobus v. 17. at Regum libri famis diuturnitatem non tradunt (25). Illud solummodo ferunt, *anno tertio* famis, vel potius *tertio* postquam Elias apud viduam Sareptanam secesserat *anno*, jussum esse Eliam nunciare Achabo, Deum aliquando tandem demissurum imbres in terram. Antequam vero ad viduam Sareptanam diverteret, aliquandiu moratus fuerat ad torrentem Carith, trans Jordanem (26). Si igitur ponas, Eliam in torrente sex mensibus fuisse, annos tres ac dimidium invenies, quos habent Lucas & Jacobus.

℣. 28. REPLETI SUNT IRA. Facile intellexere Nazarethæ cives, Jesum, relictis popularibus suis, beneficia sua ad alios delaturum; seque ab eo cæteris postponi, collata ipsorum incredulitate cum docilitate cæterorum. Id porro iræ causa illis fuit. Adde, quod se ipse priscis Prophetis Elisæo & Eliæ parem faciebat, & exemplo Naamani ab Elisæo curati innuebat, sese beneficiis ethnicos cumulaturum. Altera iræ civium causa (27).

℣. 30. PER MEDIUM ILLORUM IBAT. Auditis Jesu Christi exprobrationibus, Nazarethæ cives in illum conspirantes, ipsum ad supercilium montis, cui oppidum insidebat, duxere, præcipitem dejecturi. Permittebantur vulgares hujusmodi impetus, prætextoque Legis studio, quilibet nulla judicii forma necabatur. At Jesus, duci se ad montis supercilium passus, pessimum consilium ab iis expleri noluit. Quamobrem medius inter illos transiit, quin detineri posset; sive ipse inconspicuum se illis effecerit (28), sive illos cæcitate percusserit, aut illorum voluntatem mutaverit (29). Edito autem hoc prodigio luculentissime ostendit, ipsos injuste queri, quod nulla sibi miracula exhiberet.

℣. 31. DESCENDIT IN CAPHARNAUM, Galilææ oppidum, situm in ripa occidentali maris Tiberiadis; ibique domicilium reliquo vitæ tempore constituit. Eo etiam venit Maria Jesu mater. In vivis tunc fuisse Josephus non creditur, cum nulla de eo mentio fiat, postquam duodennis Jesus in Templo inventus est. Lucæ Evangelium hinc exordiebantur Marcionitæ (30), jungebantque hunc locum cum Capite III. hoc modo: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris descendit Jesus e Cælo in Capharnaum.*

℣. 32. IN POTESTATE ERAT SERMO IPSIUS. Ea majestate disputabat, qua obsequium ab hominibus exigeret. Doctrinam fulciebant miracula. Vide Matthæum VII. 29. *Loquebatur tamquam potestatem habens.*

℣. 33. ERAT HOMO HABENS DÆMONIUM; idem ille, de quo Marcus 1. 23.

℣. 38. SOCRUS SIMONIS. Vide nos in Matthæum VIII. 14. & in Marcum 1. 30.

℣. 40. CUM SOL OCCIDISSET, ac transisset sabbathi quies; selius enim dies altera die vesperi incipiebat, & alterius vesperis claudebatur; omnesque, quibus æger domi erat, Christo illos obtulere ad Petri domum, eosque curavit Jesus.

℣. 41. SCIEBANT IPSUM ESSE CHRISTUM; non certo fideque absolutissima, sed dubia. Vide Marcum I. 34. (31). Reddi etiam Græcus potest (32). *Non sinebat ea dicere, nosse se, eum esse Christum.* Prior interpretatio melior.

℣. 42. FACTA DIE, EGRESSUS EST IN DESERTUM, quo illum prosequuta est universa multitudo, ipsum retinere conata, minime ferens, se ab eo deseri. Quo secesserit Jesus, ignoratur: summo mane illum discessisse, ait Marcus (33).

℣. 43. ET ALIIS CIVITATIBUS OPORTET ME EVANGELIZARE, quemadmodum Capharnao. Primum omnium mihi propositi, Evangelii prædicationem: morborum ejectio ad prædicationem accedit, ut veritatem dogmatum meorum meæque missionis ostendat: quamobrem nonnisi in eum usum a me adhibenda est.

(22) Matth. XIII. 58. *Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum.* (23) Vide 3. Reg. XVII. 9. 10. &c. (24) Rom. XI. 6. *Alioquin gratia jam non est gratia.* (25) 3. Reg. XVII. 1. XVIII. 1. (26) 3. Reg. XVII. 3. 4. 5. Vide, si placet, Brug. Grot. Ligfoot. (27) Vide Brug. Mald. Grot. Menoch. D. Thom. alios. (28) Mald. Grot. Brug. alii. (29) Ambros. Beda hic. (30) Tertull. contra Marcion. lib. 1. cap. 19. & lib. 4. cap. 7. (31) Οὐκ ἤφιε τὰ δαιμόνια λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν. (32) Luc. hic: Οὐκ εἴα αὐτὰ λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι.
(33) Marc. 1. 35. Πρωΐ ἔννυχα λίαν.

CAPUT V.

Jesus in navi Petri, quem jubet retia jacere. Prodigiosus Petri piscatus. Curantur Leprosus & Paralyticus. Vocatur Levi. Jesus cum flagitiosis cibum capit.

℣. 1. FActum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. 2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lavabant retia. 3. Ascendens

dens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. 4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. 5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. 6. Et cum hæc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. 8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. 10. Similiter autem Jacobum, & Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. 11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum. 12. Et factum est, cum esset in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Jesum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. 13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. 14. Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret; sed, Vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo: & conveniebant turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. 16. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. 17. Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. 18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. 19. Et non invenientes, qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. 20. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. 21. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? 23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, & ambula? 24. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat, & abiit in domum suam, magnificans Deum. 26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. 27. Et post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens, secutus est eum. 29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua, & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? 31. Et respondens Jesus, dixit ad illos: Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. 32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. 33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt, & bibunt? 34. Quibus ipse ait; Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare? 35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus. 36. Dicebant autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura a novo. 37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, utres peribunt. 38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, & utraque conservantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim: Vetus melius est.

ỷ. 1. CUM TURBÆ IRRUERENT IN EUM, Peragrata Galilæa, quemadmodum in fine superioris Capitis animadvertit Lucas, & fusius narrat Matthæus IV. 23. 24. rediit Jesus ad Lacum Genesareth, ubi Capharnaum erat. Quæ hic leguntur, fortasse gesta sunt prope Capharnaum, ubi

ubi Simon Petrus domicilium habere consueverat (1). Cum igitur esset Jesus in Lacus ripa, & a multitudine ad ipsum audiendum spectandaque illius prodigia undique confluente opprimeretur, ascendit in navim Petri, quem ad sui clientelam antea vocaverat (2), qui tamen absolute artem non abdicaverat, atque ex navi docere multitudinem aggressus est. Res hoc loco narrata, alia est ab ea, cujus meminere Matthæus IV. 18. & Marcus I. 16. variis enim adjunctis distinguitur. Hæc ultima est Petri vocatio, illa est prior; illud enim quod tradit Joannes I. 42. de Andrea, Simonem fratrem ad Jesum ducente, pro vocatione habendum esse, mihi non videtur.

℣. 5. Præceptor, per totam noctem laborantes, &c. Aptissimum piscationi tempus est nox. Cum Petrus nihil tota nocte cepisset, lotis retibus, cessare meditabatur. At jubente Christo, fiduciæ plenus, retia iterum jacit, uberrimoque piscatu locupletatur. Docere voluit Christus, ipsum suis absque auspiciis nihil gerare posse. Cætera Petri gesta fidem faciunt, illum hac admonitione magnopere eguisse, in eoque maxime peccasse, quod suis ipse viribus nimium fideret.

℣. 7. Annuerunt sociis, fortasse remotioribus quam ut vocem percipere possent; vel quod multitudinis stantis in ripa fremitum vocem opprimeret. Petrus in altum egerat navim, ut retia jaceret, ℣. 4. *Duc in altum, & laxate retia vestra*. Altera navis proxima litori erat.

℣. 8. Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Territus prodigio Petrus, indignum se existimat, qui ad Christum accedat. Quamobrem ante illius pedes procumbens, ait: Recede a me, Domine; indignus quippe sum, qui te navi mea veham. *Admirabatur dona divina; & quo plus meruerat, hoc præsumebat minus*, inquit S. Ambrosius (3). Ita & Centurio ajebat Matth. VIII. 9. *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*. Ita nos animo comparatos esse decet, cum ad divinum Corporis & Sanguinis Jesu Christi Sacramentum accedimus. Putant Euthymius & Grotius, Petrum dixisse Christo, ut e navi sua discederet, metu ac formidine actum, veritum, ne a Deo mulctaretur: quemadmodum vidua Sareptana querebatur, quod vir Dei ad se divertisset, ut scelerum suorum memoriam revocaret 3. Reg. XVII. 18. *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ*. In Veteri Testamento passim homines timebant, cum Angelum aspicerent. Viso prodigio Petrus minime dubitavit, quin Jesus major homine esset.

℣. 10. Ex hoc jam eris homines capiens. Græca locutio (4) sententiam animadversione dignam exhibet; neque enim fert, Petrum capturum homines venatu seu piscatu, quemadmodum pisces feræque capiuntur ut occidantur & exhibeantur in cibum; sed, *Vivos homines capies*, uti capiuntur homines bello, ut vivi serventur; vel, uti feræ seu pisces capiuntur vivi, in piscinis ac vivariis detinendi. Hominum piscator futurus es, qui vitam illis largiturus; ex errore, tenebris, morte illos reduces ad veritatem, lucem ac vitam.

℣. 11. Relictis omnibus, secuti sunt eum. Hactenus, quamquam a Christo vocati, nondum fortasse artem penitus deseruerant, illum omnino secuturi. Neque cum Jesu fuisse videntur in prima illa Galilææ peragratione, quæ in fine Capitis superioris describitur. Nunc vero, *relictis omnibus, secuti sunt eum*; nunquam deinceps vel ad artem vel ad familiam reversi.

℣. 12. Cum esset in una civitatum, Leprosus quidam ad illum accessit, incolumitatem postulans. Quæ ea urbs fuerit, ignoratur. Disertissime docet Marcus 2. 1. 2. paralyticum, de quo hic ℣. 18. curatum esse Capharnai: porro innuit Lucas, eadem in urbe curatum esse Leprosum. Hunc autem non intra urbem fuisse intellige, sed in agro vel prope urbem, Leprosi enim urbibus ejiciebantur, a cæterorum consuetudine remoti.

℣. 14. Ostende te Sacerdoti, &c. Cautum erat Moysis lege Levit. 14. 2. ut cum sanaretur Leprosus, hic sese Sacerdoti sisteret, quem Sacerdos extra castra conveniens, perpendebat, satis ne sanus esset. Probatus vero, geminas aves vivas purasque, ex iis quarum esus interdictus non erat, offerebat; quorum altera super vas fictile aqua plenum mactabatur; altera mergebatur viva aqua sanguine mista, tum dimittebatur. Deinde Leproso ea mistione asperso, ingressus in urbem permittebatur. Domum autem ingredi nonnisi septimum post diem ipsi licebat. Eo igitur veniens, omnes corporis villos radebat: iterumque septima die rasus, totum corpus & vestes abluebat aqua: tum ad ostium Tabernaculi coram Sacerdote se sistebat cum agnis duobus, ove una, tribus mensuris similæ oleo mistæ, & mensura olei una: quibus Deo oblatis, mactatoque altero agno in sacrificium pro peccato, altero in holocaustum, Sacerdos cruore victimæ delatoque oleo liniebat extremum auriculæ dexteræ, pollicis dexteræ manus ac pedis dexteri: quibus peractis, homo cæterorum consuetudini, ut antea, restituebatur.

Hæc igitur Jesus homini curato imperat: I. ut sese offerat Sacerdoti, ut is purgatum sanatumque hominem pronunciet; II. ut sacrificia & oblationes lege imperatas impleat; III. ut hæc agat *in testimonium illis* (5); ut hinc discant, me omnino legibus obsequi, teque penitus esse curatum, adeoque verum esse prodigium quod gessi. Noverat Jesus, quam multas olim calumnias Pharisæi & Sacerdotes in sese essent molituri.

℣. 19. Ascenderunt super tectum, et per tegulas summiserunt. Non semel animadvertimus, Palæstinorum tecta in areæ formam plana esse. Tegulæ igitur, de quibus hic, minime indicant tectum, qualia apud nos sunt; domus quippe apud Palæstinos latericio pavimento teguntur. In areæ medio fenestra patebat, ostio suo clausa, quo aperto sublatoque, diei lux in subjectum conclave excipiebatur. Hanc itaque per fenestram demissus est Paralyticus. Fortasse opus fuit, tegulas seu lateres aliquot removere, ut homo cum lectulo transmitteretur. Hoc autem vult Lucas, cum ait: *Per tegulas summiserunt eum*. Vide nos in Marcum II. 4. 5.

℣. 20. Remittuntur tibi peccata tua. Innuere videtur, hominis morbum criminis pœnam esse. De hoc sequentibusque versiculis vide nos in Matthæum IX. 2. 3. 4. 5.

℣. 27. Vidit Publicanum nomine Levi. Expendimus in Præfatione ad Matthæum nonnullorum sententiam, qui Levin & Matthæum geminos esse viros existimant; eamque rejecimus, quippe qui Levin & Matthæum unicum esse virum censeamus. Rarum in ea regione non erat, duplici nomine nuncupari. Plerisque, præter Hebraicum, nomen erat Græcum sive Romanum, cujus sub appellatione singuli apud Græcos Romanosque vulgo cognoscebantur.

℣. 30. Scribæ eorum, populi Doctores, ii qui una aderant, cum Jesus Levin vocaret, ejusque in domum cœnaturus ingrederetur.

Quare cum Publicanis et peccatoribus manducatis? Pharisæi, & inter Judæos ii, qui summum Religionis studium & munditiam profitebantur, cibum cum hominibus flagitiosæ & invidiosæ

(5) Confer Matth. ix. 1. Marc. ii. 1 & Luc. v. 18 [illegible] (2) Joan. I. 42. ii. 2. Matth. IV. 18. Marc. I. 16. 19. Luc. iv. 38. (4) Ambros. Euthym. alii. (4) Ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσῃ ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. Vide Grot. Heins. Lud. de Dieu, Brug. (5) Codices multi legunt: *In testimonium vobis*; Εἰς τὸ μαρτύριον τοῦτο ὑμῖν. Ita legebat Marcion apud S. Epiph. & Tertull.

diosæ artis non sumebant. Vide nos in Matthæum IX. 11. & in Marcum II. 16.

℣. 34. Numquid potestis filios Sponsi, &c. ad verbum (6), *filios thalami*. Erant hi, ut ajunt, adolescentes, sponsi comites per nuptiarum dies, sponsum in thalamum ducentes, ipsiusque thalami aditum custodientes, qui deinde in conclave ingressi, virginitatis indicia, in Deuteronomio descripta (7), recognoscebant. His porro opportunum non erat jejunium, præsertim nuptiarum tempore.

℣. 35. Tunc jejunabunt. Innumeris Apostoli laboribus, odiis, spoliationibus obnoxii fuere post Jesu Christi obitum ac Resurrectionem. Dum is vixit, nulla jussit illos servare jejunia præter legitima: satis habuit, ut ea servarent, quæ cæteris commonia essent. Jesu mortuo, nuspiam occurrit grave jejuniorum aut severioris vitæ onus, quod Apostoli Discipulis imposuerint. At universa Apostolorum vita diuturnum jejunium fuit, & assidua quorumlibet vitæ commodorum abdicatio (8): unde & a primis Ecclesiæ sæculis habentur jejunia in Ecclesiis instituta, sanctissimique & piissimi ex Christianis homines austerissimum vitæ genus nullo non tempore coluerunt.

℣. 36. Nemo commissuram, &c. Duplex hæc vestis & vini recentis comparatio docet, Christi Discipulos eo tempore nondum satis fortes fuisse, ut dogmatum ipsius sanctitatem exercerent. Sancto Spiritu renovandi erant & confirmandi sacra Pentecostes die, ut quibuslibet rebus ob ipsius gloriam suscipiendis pares efficerentur. Videtur etiam innuere, Legem veterem novamque simul jungi non posse; hæc quippe recens vinum est, illa vinum vetus.

℣. 39. Nemo bibens vetus, statim vult novum, &c. Perspicua est parabola. Vetus vinum vulgo præstantius est vino recenti, suavius, jucundius, minus acre, minusque fumosum; neque facile quis vinum vetus relinquit, ut recens bibat; offenditur quippe vi recentis, ubi veteri assueverit. His docet Christus, Discipulos populari vivendi rationi assuetos, statim gradum facere non posse ad austeram illam & parcam, quam exercebant Pharisæi, & longo usu coluerant (9). Sunt (10) quibus videtur Christus dicere Pharisæis, ipsos Judaicæ superstitionis studiosissimos, non posse statim novæ Legis instituta percipere: exuenda illis esse paulatim Judaica dogmata, ut traditæ Discipulis institutiones placeant.

(6) Μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ᾽ αὐτῶν ἐστι, ποιῆσαι νηστεύειν. Ita & Matth. IX. 15. Marc. II. 19. (7) Vide Deut. XXII. 17. Pollux apud Grot. in Matth. IX. 15. (8) Vide 2. Cor. VI. 5. Act. XIII. 2. 3. (9) Grot. Brug. hic; Theophylact. Euthym. Maldon. ad Matth. IX. 16. & Chrysostom. hic in Catena. (10) Vide Tertull. lib. 3. & 4. contra Marcion.

CAPUT VI.

Apostolos vellentes spicas Sabbatho, defendit Christus. Hominem manu contracta curat. Apostolos seligit: sermonem ad illos habet ad montis radices, ubi totius novæ Legis fundamenta jacit.

℣. 1. Factum est autem in sabbatho secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, & manducabant confricantes manibus. 2. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in sabbathis? 3. Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant: 4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his, qui cum ipso erant: quos non licet manducare, nisi tantum sacerdotibus? 5. Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbathi. 6. Factum est autem & in alio sabbatho, ut intraret in synagogam, & doceret: Et erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida. 7. Observabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in sabbatho curaret: ut invenirent, unde accusarent eum. 8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet sabbathis benefacere, an male; animam salvam facere, an perdere? 10. Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus ejus. 11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. 13. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis [quos & Apostolos nominavit]. 14. Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum, 15. Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, 16. Et Judam Jacobi, & Judam Iscariotem, qui fuit proditor. 17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, 18. Qui venerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus

tus de illo exibat, & sanabat omnes. 20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos,
dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. 21. Beati, qui nunc esuri-
tis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. 22. Beati eritis, cum
vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint no-
men vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. 23. Gaudete in illa die,
& exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo: secundum hæc enim facie-
bant Prophetis patres eorum. 24. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis
consolationem vestram. 25. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis,
qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. 26. Væ cum benedixerint vobis homi-
nes: secundum hæc enim faciebant pseodoprophetis patres eorum. 27. Sed vobis
dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. 28.
Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. 29. Et qui te
percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, et-
iam tunicam noli prohibere. 30. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert,
quæ tua sunt, ne repetas. 31. Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos
facite illis similiter. 32. Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia?
nam & peccatores diligentes se diligunt. 33. Et si bene feceritis his, qui vobis be-
nefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. 34. Et si mu-
tuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam, & pec-
catores fœnerantur, ut recipiant æqualia. 35. Verumtamen, diligite inimicos ve-
stros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa,
& eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos. 36. Estote
ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. 37. Nolite judicare, & non
judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.
38. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam; & su-
pereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis,
remetietur vobis. 39. Dicebat autem illis & similitudinem. Numquid potest cœcus
cœcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? 40. Non est discipulus super ma-
gistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. 41. Quid autem vi-
des festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non conside-
ras? 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de
oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem
de oculo tuo: & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. 43. Non
est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum
bonum. 44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spi-
nis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam. 45. Bonus homo de bono the-
sauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum.
Ex abundantia enim cordis os loquitur. 46. Quid autem vocatis me, Domine, Do-
mine: & non facitis, quæ dico? 47. Omnis, qui venit ad me, & audit sermones
meos, & facit eos, ostendam vobis, cui similis sit. 48. Similis est homini ædificanti
domum, qui fodit altum, & posuit fundamentum super petram, inundatione autem
facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat
super petram. 49. Qui autem audit, & non facit, similis est homini ædificanti do-
mum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, & continuo
cecidit, & facta est ruina domus illius magna.

℣. 1. FACTUM EST IN SABBATHO SECUNDO-PRIMO. Ingens est sententiarum dissidium de *sabbatho secundo-primo*. Alii (1) enim censent, secundum esse azymorum diem; alii (2) ultimum azymorum, sive XXI. mensis Nisan, ex Lege Levit. 23. 7. solemnem, quemadmodum & decimomquintum ejusdem mensis, qui dies primum sabbathum erat, & dies XXI. secundum, cum altero comparatum. Sunt (3) qui Pentecosten esse velint. Primum sabbathum, Pascha; secundum, Pentecosta; Festum Tabernaculorum, tertium. Cl. le Moine ait, duplex fuisse Judæis *magnum* Sabbathum; primum, initio anni civilis, mense Tizri; alterum, initio anni sacri, mense Nisan. Appellabatur illud *primum magnum sabbathum*; hoc, *secundum magnum Sabbathum*.

Docet Josephus Scaliger (4); Sabbathi dies a Paschate ad Pentecosten usque numerari solitos a secundo azymorum die; adeo ut primum sabbathum diceretur *primum post secundum diem azymorum*, vel *secundo-primum*, quod hoc ipsum est, de quo agitur. Alterum proxime consequens di-

[1] Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 110. Euthym. apud D. Thom. [2] Epiphan. hæres. 51. num. 31. quæ est alogorum; Osiand. in not. ad Harmon. Evang. Vatab. Pisc. Drus. Bez. [3] Maldon. Ita & Mercator. [4] Joseph. Scalig. lib. 6. de Emend. tempor. Casaub. Exercit. 13. in Bar. Ligfoot. in Luc. Le Clere hic.

cebatur *secundum* post secundum diem azymorum; sive *secundo-secundum*; tertium deinde, *tertio-secundum*, vel *secundo tertium*; quartum *secundo-quartum*; atque hoc ordine reliqua usque ad septimum, ante Pentecostes diem, quod Festum quinquagesima die post secundam azymorum celebrabatur.

Toynardus (5) ostendit ex Judæorum libris (6), Sabbathum Paschati præcedens appellari ab Judæis *magnum sabbathum*; quod ea die Hebræi agnum eligerent Exod. 12. 3. quinta post die immolandum decimaquarta vesperi, & decimaquinta sive nocte Paschatis vel transitus Domini comedendum. Sabbathum autem primo huic deinde proximum, dicebatur *secundo-primum*, sive secundum a primo; primum post magnum Sabbathum. Congruit hæc cum Scaligeri sententia, quamquam alio utens fundamento. Ita Toynardus Scaligeri sententiam & argumenta confirmat: atque hæc quidem opinio probabilissima omnium mihi videtur; omnia enim nullo negotio ex ea explicantur. Inceperat jam hordei messis, & hordeum maturum erat; ex quo vulsis aliquot spicis, has Discipuli manu excutientes, hordeum comedebant.

Cloppenburgio (7) *Sabbathum secundo-primum* in mensem Nisan convenisse videtur. At eo tempore matura non erat hordei messis, neque adhuc primitiæ ex hordeo delatæ erant ad Templum. Scribæ, qui Apostolo violatæ sabbathi religionis arguerent, illos certe sacrilegii damnare non neglexissent, si violantes messem, nondum dedicatam oblato omer Domino (8), conspicerent.

Triplex magnum sabbathum inter Judæos agnoscit Grotius (9); primum, quod statim Paschati præcedit; secundum, Sabbathum Pentecostes; tertium Sabbathum Scenopegiæ. Paschatis Sabbathum absolute appellabatur primum, seu *primo-primum*; Pentecostes, *secundo-primum*, vel secundum e primis; Scenopegiæ, *tertio-primum*, primorum tertium. Postremi hujus meminit Josephus de Bel. l. 2. c. 37. tamquam e maxime solemnibus. Id tamen Grotii conjecturam non probat.

Ludovico de Dieu *Sabbathum secundo primum* illud est, quod in Paschatis octava occurrit. Primum Sabbathum, dies decimaquinta Nisan; secundo-primum, quod inter octavam Paschatis recurrit; tertium, septima dies, vel octava Paschatis. Quoslibet festos Judæorum dies sabbatha nuncupari, satis constat. Cl. Petit (10) in hanc sententiam, quam & ipse probat, detorquere conatur S. Epiphanium, subobscure scribentem, qui tamen illud velle videtur, Sabbathum secundo-primum postremam esse Festi Paschalis diem, seu XXI. Nisan.

Recentiori cuidam Critico *Sabbathum secundo-primum* creditur primum Sabbathum mensis Adar, qui mensis eo anno intercalari ordine duplicabatur; quasi diceret, *primo sabbatho secundi Adar*; ita enim appellabatur intercalaris hic mensis, cum alius esset eodem nomine, primus Adar. Nullus unquam finis conjecturarum esset, si recitandæ essent omnes, quæ in hunc locum inventæ sunt. S. Gregorius Nazianzenus a S. Hieronymo rogatus, quid rei esset sabbathum secundo-primum, illud facete respondit, quod deinde sæpe usurpatum est (11); *Docebo te*, inquit, *super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis; aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis*.

℣. 2. QUID FACITIS QUOD NON LICET SABBATHIS? Nefas erat spicas sabbatho vellere, cum id instar messis esset; neque spicas excutere, quippe quod sine labore fieri non posset. Vide nos in Matthæum XII. 1. &c.

℣. 4. INTRAVIT IN DOMUM DEI, in Tabernaculum, quod eo tempore in urbe Nobe colebatur. Tentorium erat, pellibus desuper tectum, & pretiosis subter aulæis stratum, & asseribus e ligno Sethim sustentatum. Circa tentorium corona erat amplissima, velis clausa, columnis identidem fulta.

PANES PROPOSITIONIS SUMPSIT. Singulis Sabbathis panes propositionis duodecim aureæ mensæ, in Sancto positæ (12), imponebantur, eodemque tempore subducebantur ii, qui superiore sabbatho impositi fuerant. Panes hi *propositionis* appellantur, Hebraice, *facierum*, quod coram Domino, ipsiusque mensæ imponerentur. Sacri erant, ac nemini, præter Sacerdotes, iis in cibum uti licebat (13). Nihilominus Pontifex Davidi eos suppeditavit, quos ex aurea mensa sabbatho elapso subduxerat, quibus in cibum uti David cum suis minime veritus est, cum extrema inopia cogeretur 1. Reg. 21. 5.

℣. 5. DOMINUS EST FILIUS HOMINIS ETIAM SABBATHI; quemlibet pro arbitrio solvere potest sabbathi religione. Vide Matthæum XII. 8. Veteres Codices nonnulli hæc addunt hoc loco (14): *In illa die videns Jesus quemdam operantem sabbatho, dixit illi: O homo, siquidem noveris quid agas, beatus es; si nescis noveris, maledictus es, & transgressor legis*. Hæc addita putat Grotius a Marcionitis; at Millius mavult a Nazaræis, ex Evangelio Hebræorum; eum vero, quem allocutus dicitur Christus, in eo laborasse, ut jumentum in foveam lapsum educeret. Cui Christus: Siquidem fas tibi esse putas hoc agere, jure facis, cum hujusmodi operæ lege non interdicantur. Si vero peccare te credis, execrandus es, & Sabbathum violas.

℣. 6. MANUS EJUS DEXTRA ERAT ARIDA. Vide Matthæum XII. 10.

℣. 9. SI LICET SABBATHIS BENEFACERE, AN MALE? Nefas esse ajunt Judæi, medicinam facere Sabbatho, & *emplastrum ponere super vulnus*, præterquam *ubi ægro est periculum vitæ* (15). Hoc ipsum a Christo non peccati, sed operis sanctissimi loco existimatur. Vide Matthæum XII. 10.

℣. 12. ERAT PERNOCTANS IN ORATIONE DEI, instantissime orans. *Oratio Dei* est oratio diuturna, vehemens, fervida. Reddunt nonnulli (16). *Pernoctabat in Proseucha*, Synagoga, *Dei* (17). At ex Marco (18) discimus, Jesum trans mare Genesareth abiisse, in desertum montem.

℣. 13. QUOS ET APOSTOLOS NOMINAVIT. *Apostoli* seu *Missi* ab Hebræis dicebantur ii, qui ad colligenda vectigalia ob Templum imperata, vel pecunias in Patriarcharum sumptus erogatas, mittebantur; vel ii qui ad exigendas decimas (19), aliasve gravissimas res peragendas legabantur; veluti cum missus est Damascum Paulus, ut Jesu Christi Discipulos perquireret. Hi vero literis publice datis instruebantur a Synagogæ Principibus, quorum authoritate mittebantur Act. 9. 2. Missi a Jesu Christo Apostoli alterius generis erant. Hos ita a se mitti ait Christus, uti ipse missus est a Patre Joan. XX. 21. eum vero, qui Apostolos exceperit, eo apud se loco esse, quasi ipsum exceperit Matth. X. 14. Potestatem illis

facit.

(5) Toynard. Harmon. pag. 97. & not. pag. 146. (6) Arbah Turim, tom. 1. Orach Chaim p. 8. 495. (7) Cloppenburg. ep. ad Lud. Capell. (8) Levit. XXIII. 14. (9) Grot. hic. Ita & Hamm. (10) Petit, Var. lect. 19. (11) Hieronym. nov. edit. epist. 34. ad Nepotian. de vita Clericorum. (12) Exod. XXV. 30. Levit. XXIV. 5. (13) Exod. XXV. 30. XXIX. 33. Levit. VIII. 31. XXIV. 6. 9. (14) Cantab. G. L. Steph. β. duo Codd. MS. Junii. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ, ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. Εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. (15) Tanchuma, fol. 5. & 8. apud Drus. (16) Drus. Medus, Hamm. (17) Ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ. (18) Vide Marc. 13. 7. 9. 13. (19) Vide Hammond. hic.

facit dimittendi peccata, vel retinendi, ligandi quoque ac solvendi (20); curandi ægros, docendi, ac baptizandi suo ipsius nomine (21), ob remissionem criminum impetrandam. Denique vicarios sui creat, jussionum suarum ministros, suæque authoritatis depositarios; eosque pollicetur sessuros in judicio suo super sedes, sententiam in duodecim Tribus Israelis pronunciantes (22).

℣. 15. JACOBUM ALPHÆI, cognomento *Minorem*, primum Jerosolymæ Episcopum, Canonicæ Epistolæ Jacobi nomine inscriptæ authorem. Vide Matth. x. 3.

SIMONEM, QUI VOCATUR ZELOTES, *Cananæum* (23) appellat Matthæus; et *Kanani* Hebraice & Cananæum & Zelotem sonat. Ad postremam interpretationem ducit Lucas.

℣. 17. DESCENDENS CUM ILLIS, STETIT IN LOCO CAMPESTRI. Eamdem hic esse eumdemque sermonem narrari credimus, quem interpretati sumus apud Matthæum V. Quamobrem breviores erimus. Descendens igitur Jesus e monte, in quo noctem egerat, & ad clivi radicem perveniens, edita in rupe sedit, ubi a circumfusa multitudine spectari & percipi poterat; suorumque dogmatum summam explicans, novæ Legis fundamenta posuit.

℣. 19. VIRTUS DE ILLO EXIBAT. Vide quæ diximus in Matthæum ix. 21. Vide & supra, v. 17. & infra viii. 46. Ita agit Lucas de prodigiorum virtute, quæ in Christo erat, quasi aliquid substantiæ fuerit, ex illius corpore fluentis, & quicquid tangeret sanantis. Omnia in Jesu salutaria erant & vita, vestes, tactus, intuitus.

℣. 20. BEATI PAUPERES, &c. Beatitudine octo enumerat Matthæus; Lucas quatuor. Christi sententiam fusius exposuit Matthæus; Lucas illius summam & vim tradit. Explicandus est Lucas ex Matthæo.

℣. 22. BEATI ERITIS, CUM SEPARAVERINT VOS, &c. Injustas hic excommunicationes innuit Christus. Joan. 9. 22. prædicit futurum, ut Apostoli a Judæis ejiciantur e Synagogis, e societate segregentur, pellantur a cœtibus, ipsique & ipsorum nomen execrationi habeantur. Non idcirco dumtaxat beatos nuncupat. Beatum non est, ejici e societate; sed beatum plane pelli e Synagogis Jesu Christi causa, & ob fidei & Evangelii defensionem. Si timenda sunt anathemata, uti revera sunt (24) unicuique Deum timenti, & quanti decet, Ecclesiæ preces & communicationem æstimanti; minime tamen metuenda sunt ea, quæ a perspicuis Jesu Christi hostibus, & Judæis illius inimicis pronunciantur. Gaudebant Apostoli Act. v. 41. cum ex Judæorum cœtibus pellerentur, dignique fierent, qui aliquid ob Jesu Christi nomen ferrent.

Excommunicationis vetustas apud Hebræos colligitur ex iis verbis, tam sæpe in Moyse occurrentibus: *Interibit*, vel *exterminabitur de populo suo*, sive anathemate devovebitur. Hujusmodi autem locutiones plerumque mortis pœnam inferebant, ex veteris Legis severitate. Supplicium, quo Cain post fratris necem a Deo affectus est, tamquam vetustissimum anathematis exemplum habetur. Miser quippe ab hominum consuetudine ejectus est, coactusque vagam & profugam in terris vitam agere Gen. 4. 12. *Vagus & profugus eris super terram*. Ajunt Rabbini (25), Meroz, de quo Liber Judicum v. 23. hominem fuisse circa torrentem Cison, qui, cum opem Israelitis ferre adversus Sisaram renuisset, anathemate inustus est a Barace, clangentibus buccinis quadringentis.

Esdras (26), de Seniorum ac Principum gentis suæ consilio, minatus est, pronunciaturum se anathema in eos, qui stata die Jerosolymam non convenissent. Nehemias etiam 2. Esdr. 13. 28. exclusit societate cœtuque Sanaballatum, & reliquos, qui divinas Leges violaverant, ductis alieno genere uxoribus, quas dimittere recusabant. Quoddam anathematis genus erat Essenis adversus eos, qui gravi aliquo scelere peccarent. *Deprehensos in peccatis gravioribus*, inquit Josephus de Bello l. 2. c. 12. *ex ordine suo ejiciunt; isque cui contigit e cœtu ejici, non raro mortem obit miserrimam. Nam juramentis & ritibus obligatus, ne aliorum quidem escis uti potest; sed dum herbas comedit, corpus fame tabescit, atque ita interit. Quamobrem etiam ipsi plurimos miserati, extremum jam agentes spiritum receperunt: pro peccatis satis pœnarum, quod ad mortem usque fuerint cruciati, dedisse existimantes.*

Grotius hic post Rabbinos tria excommunicationum genera enumerat. Primum mera erat segregatio, nomine *Niddui*, quo qui inusti erant, Templi aditu non prohibebantur; exclusi tamen ingressu in atrium Israelitarum, consistebant, ait Grotius, in atrio Gentium. Alterum genus erat major excommunicatio, qua quis societate Israelitarum ejectus, ethnici loco habebatur. Tertium denique erat anathema, quo, præter ea quæ diximus, diræ & maledicta addebantur. Excommunicationum hujusmodi exempla facile invenias in Ecclesia Christiana, quippe quæ prima sub initia mores Synagogæ quam maxime imitaretur. Ii, quos ejici jubet Paulus 2. Thessal. 3. 14. similes sunt iis, qui apud Judæos minori excommunicatione inurebantur. Pessimi Fideles, quorum meminit Joannes in 2. epist. 10. 11. quibus salutem reddi, quosque domi excipi vetat, ii ferme sunt, qui apud Judæos majori excommunicatione feriebantur. Denique anathematis exemplum exhibet Paulus in iis, quos Satanæ tradit, ut illorum audaciam coerceat 1. Cor. v. 5. & 1. Timoth. 1. 20.

Judæi, sub Christianæ Religionis exordia, minori dumtaxat excommunicatione in Christi Discipulos utebantur. Decreverant illi, ait Joannes Apostolus ix. 22. & xii. 42. ut quicumque Jesum messiam esse diceret, cœtu vel Synagoga excluderetur. Quam ob rem multi ex iis, qui Christo credebant, publice fidem profiteri verebantur. At post Christi Resurrectionem, crescente in dies Fidelium numero, cum Apostoli januam fidei ethnicis aperuissent, Judæi, versa in furorem odio, innumeris devovere diris Christianos in Synagogis cœpere. Dirarum hujusmodi formæ in ipsorum libris leguntur; docetque S. Justinus Martyr Dial. cum Tryphon. Synagogæ præsides, post consuetas preces, convicia & probra in Christum ejusque asseclas evomere. Hoc ipsum de Judæis ætatis suæ tradit S. Hieronymus (27). Ter illi singulis diebus maledicunt Nazaræis; quo nomine Christianos significabant. Maledicere illos Nazaræis mane, meridie, ac vesperi, scribit S. Epiphanius lib. 1. hær. 29. qui tamen hoc de hujus nominis hæreticis intelligit. Expletam vides eorum fidem, quæ hic prædicit Apostolis Christus. Docent præterea S. Justinus loco nuper citato, Eusebius (28), & S. Hieronymus, datas a Judæorum Senatu literas in omnes terrarum partes, quibus probrum nomini Christiano irrogabant, ipsumque universæ genti suæ odiosum efficere conabantur.

NOMEN VESTRUM TAMQUAM MALUM. Christianum nomen horrori habebunt, execrabuntur, nihilque non

(20) Matth. xvi. 19. Joan. xx. 23. (21) Matth. xxviii. 19. 20. (22) Matth. xix. 28.
(23) Matth. x. 4. (24) Greg. Magn. hom. 26. in Evangel. *Qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste.* (25) Gemar. Babyl. ad Tit. Moed. Caton cap. 3. Jacobi. (26) 1. Esdr. x. 8. יבדל [illegible] מקהל הגולה (27) Hieronym. in Isai. cap. v. 18. & in Isai. xlix. pag. 353. & in cap. lii. pag. 387. & in cap. lxv. pag. 476. (28) Euseb. in Isai. xviii. Hieronym. in eumd. loc. Origen. lib. 6. contra Cels. Justin. Dialog.

non molientur, ut sese Christianos non esse ostendant. Ethnici quoque Christianum nomen quodammodo insectabantur. Bonus, honestus est, inquiebant, at Christianus (29). Cæteris in rebus torquentur rei, ut fateantur scelus; nos torquemur, ut Christianum nomen abdicemus, ait Tertullianus. *Nominis prælium est. Illud solum expectatur quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis.* Nomen etiam pro ipso homine usurpari potest. Vos ipsi rejiciemini.

℣. 24. Habetis consolationem vestram. Hujus vitæ commoda, ceu summam beatitudinem, amastis: nihil igitur in altera vita expectandum vobis est. Æquum non est, ut, cum Dei causa nihil agatis, bonisque in hac vita abundetis, æterna etiam beatitudine perfruamini; dum justi omnibus hic sese abdicant, suaque commoda & vitam Divinis obsequiis postponunt.

℣. 25. Quia esurietis. Præsentem vitam similem facit convivio. Qui hic saturantur, in altera vita esurient. Qui commodis hic suis gaudent, uti malus dives (30), illic sævissima fame ac siti cruciabuntur. Fames & sitis cruciatum & rabiem damnatorum significant.

℣. 26. Væ, cum benedixerint vobis homines; cum amatorum hujus sæculi & impiorum amicitia & gratia fruemini. Iis minime grati essetis, nisi id quod nefas est illis indulgeretis (31). *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus*, ajebat ad Discipulos Christus Joan. xv. 19. Phocion cum in dicendo multitudini præter morem placuisset, ecquid peccasset, amicos interrogavit. Eos nimirum amat multitudo, qui ipsius cupiditatibus blandiuntur: odit vero eos, qui repugnant.

℣. 27. Diligite inimicos vestros. Matthæus v. 43. aliter hoc scribit: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; &c.*

℣. 30. Omni petenti te, tribue. Omnibus indiscriminatim pauperibus largire, uti opes ferunt. Interdum licet, imo necesse est videas, cui largiris, veluti si duo accedant, alter propinquus, alter alienus; Fidelis & profanus; pauperior minusque pauper; aliquis ostiatim victitare assuetus; & alter quem pudor vetet inopiam suam patefacere: tunc enim prudentia utendum est & judicio. Cæterum non multa opus est animadversione, ne dum vere inopes quæris, largitionis meritum amittas. Confer ℣. 34. & intelliges, hoc loco significari: Largire indiscriminatim, nullaque retributionis spe.

Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Ne nimia erga proximum severitate utare, neve violentis nimium artibus, quibus charitas læditur: temporalia potius bona amitte, quam spiritualia, omnibus vitæ hujus commodis multo præstantiora. Hammondus Græcum reddit (32): *Ab eo qui mutuum accepit, usuras ne repetas.*

℣. 31. Prout vultis ut faciant vobis homines, &c. Non vult Deus, ut malis affectus par pari reddas; verum etiam præcipit, ut nedum bona pro bonis reddas, sed alios bonis omnibus prosequare, quibus te ipsum cumulari cupis. En nobilissimam Christianæ charitatis regulam (33); quam Prosanus Imperator quidam satis admirari non poterat, & publice inscribi optabat, ut discerent omnes, quid alter alteri præstare deberet. Vide eamdem sententiam aliis verbis apud Tobiam iv. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

℣. 32. Quæ vobis est gratia? Quam ea Deo mercedem merebimini? Deus ne id vobis laudi daturus est, quod naturæ vires non superat, ipsique met profani nulla Religionis causa faciunt, nisi vos nobiliori aliqua ratione ducamini?

℣. 34. Et si mutuum dederitis, &c. Mutuum da inopi & pauperi, ex quibus parem gratiam expectare non queas. Omnino, inquit Grotius, hoc pertinet ad illud beneficii genus quod *ἐρανισμὸν* Græci vocant (34). Si qui naufragio, incendio, aut alio casu tristiore multum rei amisisset, solebant amici pecuniam ei contribuere, non ad certum diem solvendam, sed ubi commodum esset. At hic ita loquitur Lucas, ut mutuum cum fœnore significare videatur (35): *Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere* vel sortem ipsam vel fœnus, *quæ vobis est gratia?* Hanc explicationem exposcit comma proxime consequens, huic respondens, cum ferat (36): *Mutuum date, nihil inde sperantes*; iis etiam, quos minime reddituros veremini. Objicienda sunt discrimini vel sors ipsa vel fœnus, potius quam charitas, aut indigens frater sine ope destituendus. Germanam hanc esse puto loci explicationem.

℣. 35. Mutuum date, nihil inde sperantes. Mutuum date vel iis, quos minime reddituros speratis, uti commate superiore diximus. Hanc tamen explicationem non omnes vulgo Interpretes probant. Reddunt nonnulli: *Mutuum date, parem gratiam non sperantes* (37). Alii (38): *Mutuum date, non frustrantes spe proximum*: ne committite, ut proximi animis despondeant; deque ope vestra desperent. Alii (39): *Mutuum date, neque inopiæ metu a benefaciendo deterreamini.* Cavete, divina de misericordia unquam desperetis. Dum pauperi mutuum datis, Deo datis. Oriuntur hæc ex ambiguo Græco verbo *apelpizein*, desperare, fiducia deficere, & aliquid ab alio sperare. Postremus hic sensus nobis placet, ac favere videtur consequens Jesu Christi oratio, dum ait: *Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

℣. 37. Nolite judicare, et non judicabimini. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: neque m accusaveris, aut judicaveris, damnaverisque, & negotium illi ne creaveris: qualis tu in cæteros fueris, tales erga te futuri sunt cæteri. Vel: Sententiam de proximo ne tuleris, si mitem tibi Deum esse velis (40). Benignus esto & cautus in fratres, siquidem cupis Deum erga te uti misericordia: eadem enim mensura Deus te metietur, qua tu mensus fueris cæteros. Vide ℣. 38.

Dimittite, et dimittemini. Veniam da, & veniam impetrabis: de jure tuo nonnihil decede, ut cæteri conniveant: ne aliorum facta in pejorem partem rapueris, ut cæteri te benignius tractent (41).

℣. 38. Mensuram bonam, &c. dum tu hoc ipsum erga cæteros servaveris. Si liberalis fueris & munificus, parem liberalitati ac beneficiis mercedem a Deo accipies. Bonis te cumulaturus est Deus, quemadmodum tu cæteros cumulaveris. Suam erga te liberalitatem ex tua in fratres metietur.

℣. 40. Perfectus omnis erit, &c. Non illud quæritur, ut Discipulus perfectior Magistro sit. Patrem cœlestem imitare: nihil ulterius postulatur. Justus esto, æquus, benignus, ut ille est. Cæterum meliori conditione non es quam Magister.

(29) Tertull. Apologet. cap. 2. (30) Luc. xvi. 10. Vide Grot. hic. (31) Brug. hic.
(32) Ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σά, μὴ ἀπαίτει. (33) Vide Ambros. in Luc. lib. 5. num. 74. (34) Ἐρανίζειν, ἐρανισμόν. (35) Καὶ ἐὰν δανείζητε παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί. (36) 35. Ἀγαθοποιεῖτε, καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες. Legisse videtur Syrus: Μηδένα ἀπελπίζοντες. (37) Brug. Grot.
(38) Syr. Arab. Pers. Ludovic. de Dieu, Tremel. (39) Hamm. Beza. (40) Rom. ii. 1. 2. 3.
(41) Vide Grot. hic.

ster. Si me oderunt homines & insectantur, nihilo mitiora ex iis expectare te decet. Ita vulgarem hanc sententiam usurpavit Christus apud Matthæum x. 25. & Joannem xiii. 16. xv. 20. atque ita explicant Interpretes optimi (42). Paratus esto agere & pati quicquid me facere & pati videris.

℣. 43. Non est arbor bona, &c. Mala arbor effici potest bona, bonosque fructus ferre: malus homo non semper mala gerit: bona interdum facere potest, meliorem ad frugem animum vertens: quin etiam dum arbor bona dici nequit, male agendi habitudine adhuc occupatus, bonos ferre fructus potest pio charitatis sensu, quem in illius animo Spiritus Sanctus informat. Nondum in illo dominatur gratia, sed illum quatere incipit, & ad sanctitatem comparare.

℣. 44. Neque de spinis colligunt ficus. Ficus & rubus semper idem sunt: at malus homo fieri bonus potest. Natura minime mutata, mutare potest animum ac voluntatem.

℣. 45. Ex abundantia cordis os loquitur. Libenter de iis agis quæ amas, & quæ abunde contines. De bene gestis, virtute, charitate impius non disputabit; neque pius de scelere & flagitio. Ut tuum ipse animum & alienum noveris, animadverte sermones, colloquia, gesta. Quicquid dicimus agimusque, ab eo movetur, quo animus & cupiditates ferunt.

℣. 46. Quid vocatis me, Domine? Discipulos meos fuisse quid proderit, nisi obtemperaveritis? Confer Matthæum, vii. 21. 22. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, &c.*

(42) Erasm. ex Theophyl. Grot. ex Castalione. Vide & Irenæ. lib. 5. cap. 31. Lud. de Dieu Græc. Κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ.

C A P U T VII.

Centurionis & viduæ Naim filii incolumes restituuntur. Discipuli Joannis ad Christum. Joannes Baptista laudatur. Judæi neque Jesum neque Joannem probant. Jesus apud Pharisæum cœnat. Mulier flagitiosa pedes Jesu lacrymis lavat. Pharisæus offenditur. Mulier ad meliorem frugem conversa defenditur.

℣. 1. CUM autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit in Capharnaum. 2. Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus: qui illi erat pretiosus. 3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret, & salvaret servum ejus. 4. At illi cum venissent
ad Jesum, rogabant eum solicite, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes.
5. Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis. 6. Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres. 7. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. 8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit: & alii: veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit. 9. Quo audito Jesus miratus est: & conversus sequentibus turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. 10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum. 11. Et factum est: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. 12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa. 13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. 14. Et accessit, & tetigit loculum.
[Hi autem, qui portabant, steterunt]. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. 15.
Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. 16. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam. 17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circa regionem. 18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. 19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?
20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 21. [In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum] 22. Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui

tui resurgunt, pauperes evangelizantur: 23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. 24. Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt, & deliciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis & plusquam Prophetam. 27. Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 28. Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, major est illo. 29. Et omnis populus audiens, & publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. 30. Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. 31. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? & cui similes sunt. 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentavimus, & non plorastis. 33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. 34. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum. 35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. 36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. 37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: 38. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. 40. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. 42. Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti. 44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. 49. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? 50. Dixit autem ad mulierem: Fide tua te salvam fecit: Vade in pace.

2

℣. 1. INTRAVIT CAPHARNAUM. Matthæus curatum narrat leprosum a Christo, antequam is Capharnaum ingrederetur. Matth. 8. 1.

℣. 2. CENTURIONIS CUJUSDAM SERVUS, QUI ILLI ERAT PRETIOSUS. Hanc ipsam rem paulo aliter narrat Matthæus VIII. 5. quod tamen discrimen in Matthæo conciliavimus. Centurio apud Romanos præfectus erat centum militum. Charus hic Centurioni servus, cujus vita charissima Duci erat, vel anima coram illo pretiosa, ut more Hebræorum loquar (1), aliquis forcasse e militibus erat. Milites plerumque apud Hebræos appellantur Ducum servi, atque ipse hic Centurio, Jesum alloquens, ait ℣. 8. *Habeo sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit.* Servum cum milite miscet, alterum pro altero usurpans.

℣. 7. SED DIC VERBO, ET SANABITUR PUER MEUS. Satis est velis, ut sanus fiat puer. Necesse non est, ut ipse domum venias.

℣. 9. JESUS MIRATUS EST. Nihil profecto admirabilius, quam alieni hujus hominis fides. Majori certe obsequio, intelligentia, fide Propheta non loqueretur. More cæterorum hominum mirari non poterat Jesus, cum ipse natura sua ipsamet esset scientia & sapientia: sed admirantis speciem exhibuit, ut cæteri magnam Centurionis fidem animadverterent ac mirarentur.

℣. 11. IN CIVITATEM, QUÆ VOCATUR NAIM. Prodigium prope Naim gestum cæteri Evangelistæ silent. Jacebat Naim ad radices & meridiem Thaboris, millibus passuum duobus ab illo, ad torrentem Cison. Hanc S. Hieronymus (2) Galilææ tribuit, Josephus Antiqu. l. 20. c. 5. Samaritidi, quod in utriusque finibus esset.

IBANT CUM EO DISCIPULI EJUS. Græci Codices nonnulli ferunt (3): *Discipuli illius satis multi* una ibant, atque ingens populi multitudo: hic enim consuetus erat Jesu Christi comitatus. Prodigia ab illo edita, & sanitates ex ipso expecta-

ta

[1] Vide 1. Reg. XXVI. 21. Act. XX. 24. Prov. VI. 26. Psalm. CXV. 15. Isai. XIII. 12. [2] Euseb. & Hieronym. in locis. [3] Οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοί.

tæ frequentiſſimos populi concurſus ad illum ducebant. Nimirum id agebat Providentia, quo frequentiores eſſent prodigii teſtes (4).

℣. 12. Ecce defunctus efferebatur. Judæi mortuos extra urbem ſepeliebant humi, vel in antris in rupe excifis. Sepulcra Judæis impura loca habebantur. At Chriſtiani, conſtantiſſima Reſurrectionis ſpe, pie putantes, eos, quorum corpora in cœmeteriis jacent, æterna frui beatitudine, hujuſmodi locorum ſanctitatem venerantur. Cœmeteria Templis jungunt; quin & corpora in Templis ſepeliunt: id quod ex eo ortum eſſe videtur, quod olim Eccleſiæ conderentur ſuper Martyrum corpora, & ad horum ſepulcra ſacri cœtus haberentur (5).

℣. 13. Misericordia motus est, viduam mœrentem intuens: quamobrem prævenit, ipſique minime poſtulanti filium reddit. Docet pudori pauperum conſulere, neque expectare, ut opem poſtulent, cum ipſa illorum inopia ſatis clamet.

℣. 14. Adolescens, tibi dico: Surge. Feretrum, quo puer ferebatur, tangit Jeſus: reſiſtunt omnes: mortuum alloquitur, nullaque præfatione jubet ſurgere. Indicant omnia ſupremam abſolutamque authoritatem, qua is prodigia edebat (6). Impurum eſſe jubet Lex eum, qui mortuum tetigerit (7); at non eum mortuum, qui tactu revocatur ad vitam. Hoc actionis genere mortuus ipſe purus fit, ab eaque labe, qua mors illum aſperſerat, liberatur (8).

℣. 16. Propheta magnus surrexit. Naimitæ in Jeſu Meſſiam agnoſcunt (9); magnum illum Prophetam a Moyſe promiſſum Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Prophetam hunc iiſdem verbis ſignificant, quibus Zacharias Joannis Baptiſtæ pater Meſſiam: *Deus viſitavit plebem ſuam*. Luc. 1. 68.

℣. 19. Convocavit duos de discipulis suis Joannes. Hæc explicavimus in Matthæum xi. 2. &c. Neque dubitationis, neque curioſitatis cauſa diſcipulos ad Jeſum mittit Joannes; ſed gloriæ Servatoris deſiderio, optanſque, ut diſcipuli agnoſcant Jeſum & ſequantur.

℣. 25. Qui in veste pretiosa, et in deliciis. Intelligi hæc (10) poſſunt de veſtium dumtaxat mollitie & pretio, quemadmodum uſurpavit Matthæus (11). Vocabulum delicias ſeu voluptatem ſignificans, generatim pro luxu accipitur.

℣. 26. Et plusquam prophetam. Priſci Prophetæ adventum Meſſiæ ambagibus verborum & figuris prædixerant: Joannes illum veniſſe atque adeſſe nunciat, digito innuit, manifeſte prædicat oſtenditque. Ita *non erat Propheta*, quemadmodum cæteri, ut ipſe Joan. 1. 21. Judæis dixit, ſed *pluſquam Propheta*, qualem hic prædicat Chriſtus.

℣. 28. Major inter natos mulierum, &c. Vide Matthæum xi. 11. Quantumvis magnus Joannes Baptiſta, minor eſt Angelis & minimo Chriſtianorum, cum ad antiquum fœdus pertineat, Chriſtiani autem omnes ad novum, cujus dignitas multo præſtantior eſt veteris dignitate.

℣. 29. Omnis populus et Publicani justificaverunt Deum, &c. Loqui hæc pergit Chriſtus ipſe, ex Veterum ſententia (12), teſtatus, humillimum vulgus probaſſe ea quæ a Deo ferebantur, at Phariſæos ſpreviſſe conſilia miſericordiæ de ipſis cogitantis. Qua vero ratione probavere illi, hi ſpreverunt? Illi nimirum accepto Joannis baptiſmate, hi ſpreto. Docentem Joannem nemo non audiit: at non omnes obtemperavere. Divinis obſequiis obſequuti non ſunt, neque veritati ac Dei miſericordiæ gloriam, quam debebant, reddidere. Rudis multitudo, flagitioſi homines, Publicani, pœnitentiam amplexi, Joannis baptiſmo ſeſe ſubmiſere: Phariſæi & Legis Doctores ſprevere illius dogmata, & baptiſmum neglexerunt. *Juſtificare Deum* non eſt, *juſtum facere Deum*, neque geſtorum illius juſtitiam agnoſcere; ſed meritas laudes illi tribuere, miſericordia illius uti, conſilia probare, illiſque obſecundare: opponitur autem alteri locutioni commatis proxime conſequentis: *Conſilium Domini ſpreverunt*.

Vide apud Matthæum xi. 19. quæ diximus in hæc verba: *Et juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*; quæ pariter apud Lucam leguntur hic ℣. 35. Qui ſapientia & pietate inſtruuntur, omnes mea & Joannis geſta probavere: illius baptiſmum, meaſque inſtitutiones amplexi ſunt. Qui vero falſam dumtaxat ſpeciem pietatis habent, veluti Phariſæi, & illorum ſimiles, ſprevere baptiſmum Joannis, & in me conſpiravere. Hoc tamen ipſo perſpicuam effecere ſapientiam conſiliorum Dei, qui ſuperbis reſiſtit, atque animo demiſſos gratia & beneficiis cumulat.

Interpretes plerique recentiores (13) cenſent, hæc verba, *Omnis populus & publicani juſtificaverunt Deum*, animadverſionem eſſe Scriptoris, docentis, eos qui Jeſum de Joanne prædicantem audiere, Deo laudes & gratias egiſſe, quod Joannis baptiſmo tincti fuerint, ejuſque inſtitutiones exceperint; Phariſæos vero ſpreviſſe illius dogmata, & baptiſmum neglexiſſe.

℣. 30. Consilium Dei spreverunt. Abſoluta ſunt Dei conſilia, decretaque mutationi obnoxia non ſunt: quis enim Dei voluntati reſiſtat, ut inquit Apoſtolus Rom. ix. 1. Animos ac voluntates hominum Omnipotens infinita poteſtate ita moderatur, uti cætera; ſupremaque hæc poteſtas nedum libertatem noſtram non deſtruit vel minuit, verum etiam perficit & confirmat, ut ſuaſione potius, quam impulſu nos movere videri poſſit: *qua non ſolum ſuadetur omne quod bonum eſt, ſed etiam perſuadetur*, inquit S. Auguſtinus (14); eamque ita movet, ut illa ipſo actu in partem contrariam libere flecti queat: id quod neceſſarium eſt libertati. Cum itaque dicuntur hic Phariſæi *conſilium Dei ſpreviſſe*, cave illud intelligas, abſoluta Dei decreta reddita eſſe inania nequitia Phariſæorum, aut illos omnipotenti illius voluntati reſtitiſſe: quis enim hominum reſiſtat Deo (15)? Sed incredulos, nequiſſimos, contumaces rejeciſſe inſtitutiones Joannis, divinæ miſericordiæ illecebras, oblataque ſibi a Deo adminicula, quibus conſequi ſalutem poterant, ſi animo minus corrupto & contumaci forent. *Conſilium* Dei hoc loco non eſt decretum Dei certum abſolutumque ſervandi Phariſæos; ſed *abſoluta voluntas*, ut ii docerentur veritatem, atque ad pœnitentiam vocarentur, quæ quidem voluntas ipſis vel invitis expleta eſt; & *voluntas conditione definita*, ut converterentur & ſalutem acquirerent, quam illi, cum repugnaſſent, peſſima animi habitudine inanem effecere.

℣. 31. Cui ergo similes, &c. Vide Matthæum xi. 16.

℣. 35. Justificata est sapientia. Vide Matthæum xi. 19. & ſupra ℣. 29.

℣. 36. Rogabat illum quidam de Pharisæis, nomine Simon (16), &c. Fœminam hanc flagitioſam omnino aliam eſſe credimus a Maria Lazari ſorore; atque hanc cœnam Jeſu apud Simonem Phariſæum, non eamdem cum illa, qua exceptus eſt Jeſus Bethaniæ, ſexta ante Paſſionem die

(4) Beda, Mald. (5) Grot. hic. (6) Brug. Mald. (7) Levit. xvii. 4. Num. v. 2. vi. 6. 9. &c. (8) Vide Grot. hic. (9) Heſych. Mald. Brug. alii. (10) Οἱ ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ, & τρυφῇ ὑπάρχοντες. Alii, Διάγοντες. (11) Matth. 11. Οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, &c. (12) Ambroſ. Beda, Euthym. D. Th. Mald. alii. (13) Lyran. & alii pleriſque. (14) Auguſt. de Grat. & liber. arbitr. lib. 1. c. 10. n. 11. (15) Geneſ. 1. 19. Job ix. 4. Pſalm. lxxv. 8. Sap. xi. 22. (16) Infra ℣. 40.

die (17), ubi Maria Lazari soror pedes Jesu nardo spicato linit; omnia enim temporis ac loci adjuncta discrepant. Hæc cœna habita est apud Pharisæum, Simonem nomine; altera apud Simonem Leprosum, minime Pharisæum, neque offensum officio, quod Maria Lazari soror Christo exhibuit. Miratur hic Pharisæus, quod Jesus flagitiosam mulierem ad se accedere patiatur, illic obloquitur Judas, quod unguentum in Christi obsequium effundatur. Hic flagitiosa mulier, lacrymis perfusa, retro accedens, Christi pedes unguento linit, & capillis tergit: apud Leprosum, Maria, quam Jesus diu antea novit & diligit, cujus frater Lazarus, nuper in vitam revocatus, una cum Jesu discumbit, grati animi sensu, amore, obsequio plena in triclinium venit, officiumque exhibet Christo, in iis locis consuetum: quamobrem bis mentio de ea fit in Evangelio (18), variis temporibus.

Cœna Lazari & Mariæ habita est Bethaniæ, prope Jerosolymam, sexta die antequam occideretur Jesus; hæc vero apud Pharisæum in urbe Naim fuisse videtur, paulo post secundum Jesu Christi Pascha, altero ferme ante ipsius obitum anno. Nullo denique argumento scimus, Mariam Lazari sororem infamem fuisse flagitio. Aliud plane de ea docet Evangelium; nunquam enim de ea nisi cum laude scribit. *Peccatrix* hoc loco significat fœminam flagitiosam (19) sive ethnicam (20); quæ quidem convenire nequeunt Mariæ Lazari sorori. Nihil tamen vetat putari eamdem esse *Mariam Magdalenen*, de qua consequenti Capite agitur (21), malo septem Dæmonum contubernio a Jesu liberatam. Hanc quam citissime adhæsisse Christo, & genus e Galilæa retulisse, discimus ex Evangelio (22): quæ cum fœmina flagitiosa optime conveniunt.

Posteriorem hanc sententiam amplexi sunt Græci Patres plerique, doctissimique Scriptores permulti, qui de hoc argumento disputavere, quamquam aliquo discrimine. Origenes (23) nunc geminam Mariam agnoscit; nunc (24) utramque confundit; deinde pro dupl ci triplicem facit, cui sententiæ Euthymius ac Theophylactus subscripsere. S. Augustinus (25), & Recentiores multi arbitrantur, unam esse ac eamdem mulierem apud Matthæum, Marcum & Joannem, aliam vero ab ea, de qua Lucas. At S. Chrysostomo in Matth. hom. 80. videtur Joannes solus de Lazari sorore agere, cæteri de flagitiosa muliere. Dissidet a cæteris S. Hieronymus (26), qui unam eamdemque rem narrari a Matthæo & Marco putat, aliam a descripta apud Joannem & Lucam.

℣. 37. Alabastrum unguenti. Quid rei esset *alabastrum*, disputavimus in Matthæo 26. 7.

℣. 38. Stans retro secus pedes. Discumbebat Jesus more orientalium, in sublimi lecto, capite & ore ad convivas verso, pedibus in exteriorem partem porrectis (27). Nudis erat pedibus, positis quippe de more sandaliis, antequam discumberet. Retro igitur accessit mulier, & pedes unguento linit, aspersit lacrymis, & capillis tersit. Solemnibus in conviviis frequens erat unguentorum usus, quibus convivarum caput aspergebatur (28). Hic obsequii causa pedes Christi liniuntur. Interdum heri servorum capillis manus tergebant (29): hic mulier capillis suis pedes Christi tergit. Rarum erat, convivarum pedes unguento liniri (30), deliciarum genus a Philosophis damnatum. Has certe delicias non quærebat Jesus, at pium mulieris nuper conversæ obsequium rejiciendum esse non censuit.

℣. 39. Hic si esset Propheta, &c. Triplici ratione peccat Pharisæi ratiocinatio. I. Si Propheta esses Jesus, nosses quæ ipsum mulier tangat; quasi omnia norint Prophetæ, & animorum arcana pervideant. II. Cum flagitiosa sis mulier, se ab illa tangi ferre non debet: quasi exterior flagitiosi hominis tactus labem in hominis innoxii mentem inferat. III. Mulier, quæ flagitio diebus vel fortasse horis aliquot antea flagravit, adhuc flagitiosa est: quasi animum illius movere nequiverit Deus, sinceramque pœnitentiam, & verum criminis horrorem inspirare.

℣. 40. Respondens Jesus. Pharisæi mentem pervadit, eumque ipsum, qui de ea muliere tam male sentit, pro ea dicere cogit. *Respondere* apud Scriptores Sacros nonnunquam est, loqui incipere.

℣. 42. Quis ergo eum plus diligit? Is profecto, cui majoris summæ veniam dedit. Multo magis illi devinctus erit, ipsumque plurimi facere & amare censebitur. Colligit denique Jesus ℣. 47. *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Dicendum fuisse videtur: *Diligit multum, quia dimissa sunt ei peccata multa: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Vel: *Dimittuntur ei peccata multa, ideirco diligit multum: cui autem minora dimittuntur, is diligit minus.* Probant hanc explicationem multi ex Interpretibus (31); & passim in Scripturis τὸ *quia* idem valet atque *idcirco* (32). Ita omnes hujus loci ambages & antilogiæ solvuntur.

Græcus (33) fert: *Uter illorum magis illum amabit?* is cui multum, an is cui parum dimittitur? Ex Græco igitur Christus hominis amorem post veniam criminis significat, ex Vulgata, indicat amorem, qui veniæ precedit, eamque comitatur.

Censent alii, duplicem ratiocinationem verbis Christi contineri, hac ratione explicandam: Qui veniam criminis cupit, illum pœnitere opus est, atque ad Deum amore converti: multum amavit Maria, multaque illi peccata dimissa sunt: nunc vero, criminum onere levata, gratissimo erga liberatorem animo est, quo ablatorum criminum magnitudo æquatur. Qui autem minus peccavere, cum se pœnitentia Divinaque misericordia indigere minus sentiant, minus etiam dolore & amore permoventur; atque impetrata peccatorum venia, minus grato animo sunt. Quotidiana id experientia confirmatur. Homines olim flagitiosi, ubi serio resipuerint, virtutis iter majori studio atque alacritate prosequuntur quam alii, qui magis innoxium vitæ genus coluere. Hi quippe minus sentiunt, quam multa debeant Deo, cujus ope e malis emersere, quam ii qui flagitiis obruti fuerunt, quæ deinde ferente opem Deo reliquere.

Gro-

(17) Joan. xii. 2. Marc. xiv. 3. 5. Matth. xxvi. 6. & sequ. (18) Joan. xi. 1. 2 & hic 37.
(19) Ambrof. Beda, Meld Grot. hic; Greg. Magn. homil. in Evang. alii passim. (20) Hammond. hic.
(21) Cap. viii. 1. 2. 3. Matth. xxvii. 55. Marc. xv. 40. 41. (22) Origen. in Cantica homil. 2.
(23) Idem in Matth. tom. xii. (24) Euthym. in Matth. xxvi. Theophylact in Marc. xiv. & in Luc. vii.
(25) August. de Consensu Evangel. lib. 2. Ita Dionys. Carthus. Jansen. Gand. in Concord. Joan. Gerhard. in Concord. & alii. (26) Hieron. in Matth. xxvi. Ita & Rupert. in Joan. xii.
(27) Martial. lib. 5. Epigr. 70

Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

(28) Athen. lib. 15. c. 13. p. 691. Vide Grot. hic. (29) Petron. Satyr. Trimalc. (30) Vide Athen. lib. 15. c. 12. Aristophan. in Vespis. Q. Curt. lib. 8. c. 9. (31) Hamm. hic; Med. l. 4. ep. 17.
(32) Vide Joan. viii. 29. xiv. 17. Marc. xii. 28. Genes. xxii. 17. Psal. xvi. 2. & Psal. cxvi. 1. Collat. cum 2. Cor. iv. 13. Jerem. xxix. 18. Genes. xvi. 13. Judic. 13. 24. Noldius octo enumerat significationes particulæ Hebraicæ כי quæ sonat idem ac Græca Ὅτι, ὅτε. (33) Τίς ἂν αὐτῶν, εἰπὲ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει.

Grotius Jesum ita colligentem inducit: Mitaris, Simon, quod me ub hac muliere tangi patiar: at siquem ad me accedere pati debeo, eos certe, qui me amant & colunt: eu his porro esse hanc mulierem euistimo; I. quod illa mihi multum debet, illique scelerum veniam elargitus sum; II. quod omnia amoris indiciu mihi exhibuit. Multo plusibus illa benevolentiæ argumentis me prosecuta est, quam tu, qui me ad cœnam vocaveris.

Lucas Brugensis aliter differentem facit: Si multa huic mulieri dimisissem, multum illa, te authore, esset umatura: cum vero multum amoris illa exhibuerit, antequam me sibi pepercisse intelligeret, cur illi nunc non dimittam?

Confert Jesus mulierem cum Phariſęo, evincitque, majora illam amoris & obsequii argumenta sibi exhibuisse, quam Simonem, a quo vocatus fuerat ad cœnam. Hujus autem amoris causa veniam obtinuit scelerum a se patratorum (34). Amor & veniæ causa est a Deo datæ, & grati ob veniam animi exhibitio. Alterius dumtaxat meminit Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Alterum relinquit ab audiente colligendum, eu iis quæ Phariſęo dicit: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Is igitur qui ampliorem veniam consequutus est, plus multo amare debet. Veniæ tamen consequendæ opus est amore saltem inchoato, qui, venia impetrata, perficitur; idque significat Christus, inquiens: *Remittuntur tibi peccata*. Perficit id quod in ipsa inceperat, vel jam facta confirmat.

Ỹ. 44. Aquam pedibus meis non dedisti. Hoc plerumque officio excipiebantur ii qui ex agro veniebant: cum enim nudis cruribus incederent, pedesque solis sandaliis munirentur adversus lapides silicesque, abstergendi erant lotione pulvis & sudor. Innumeris id Scripturarum (35) ac Profanorum exemplis constat (36).

Ỹ. 45. Osculum mihi non dedisti, uti moris erat, cum aliquis domi exciperetur, aut obvius esset amicus.

Ỹ. 46. Oleo caput meum non unxisti. Convivarum caput pretiosis unguentis perfundebatur, uti vidimus in Ỹ. 38. & Psal. xxiii. 5. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians.*

Ỹ. 47. Remittuntur ei peccata multa. Peccatorum veniam meretur perspicuis amoris indiciis, quæ mihi exhibuit. Tu, Simon, qui non multum te peccasse putas, neque sentis quantum debeas Deo, quod te sceleris immunem servaveris, parum umas, & parum gratus es ob veniam, quam impetrasti. Rem apertis verbis non exprobrat, sed satis perspicuam reddit iis verbis: *Cui minus dimittitur, minus diligit*. Nihilo tamen minoru debemus Deo, cum illius ope scelere abstinemus, quam cum is commissorum veniam largitur. *Gratiæ tuæ deputo & quæ non commisi mala*, inquit S. Augustinus (37). Omnino fatendum est (38): *Nullum est peccatum quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector, a quo factus est homo*. Reddi potest: *Remittuntur ei peccata multa; idcirco dilexit multum*. *Quia* usurpatur pro *idcirco* (39), uti diximus.

Ỹ. 49. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Utramque in partem torqueri potest hæc sententia, in bonam & malam. In bonam torsetis, si putes, eos qui filium viduæ Naim revocatum in vitam aspexerant, mirari absolutissimam Jesu Christi potestatem, peccata etiam dimittentis. Necesse omnino est, hunc non esse dumtaxat Prophetam, cum nedum mortuos in vitam revocet, verum etiam peccatorum veniam largiatur (40). Malam vero in partem trahes, si livore & invidia dictum censeas (41): Hic impia loquitur: quis veniam peccatorum largitur, præter Deum? Eamdem criminationem videas supra v. 21. *Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Ỹ. 50. Fides tua te salvam fecit. Credidisti, posse me tuorum scelerum veniam tibi elargiri (42): fiduciæ hujus plena accessisti: præterita scelera execraris: conversa es ad Deum sincera animi pœnitudine. fides tua, fiducia, amor germana sunt salutis tuæ causa (43). Mulieris fidem Christus confert cum præsentium Pharisæorum incredulitate; quemadmodum Ỹ. 42. 43. &c. pœnitentis hujus amorem cum Simonis Pharisæi negligentia comparavit.

(34) August. serm. olim 23. de homil. 50. nunc 90. cap. 6. Vide & Psal. xi. Vide Est. Jans. Brug. Mald. Huic, Simon, l'Allemant, Natal. Alex. alios. (35) Genes. xviii. 4. xix. 2. xxiv. 32. & Judic. xix. 21. 1. Timoth. v. 10. (36) Athen. lib. 14. (37) August. Confess. lib. 2. c. 7. *Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Et serm. 99. nov. edit. cap. 6. *Agnosce gratiam ejus cui debes & in quod non fecisti.* (38) August. ibidem. (39) Vide Judic. ii. 24. Genes. xxii. 17. xxix. 32. Psal. cxxi. 10. Jerem. xxiii. 6. in Hebr. (40) Grot. & alii quidam. Vide infra viii. 25. Matth. viii. 27. Marc. iv. 41. (41) Mald. Pisc. alii plerique. (42) Titus Bostr. in Catena, Brug. Mal. (43) Grot. ex Tertull. & Clem. Alex.

CAPUT VIII.

Parabola de homine semen spargente. Quæ mater & qui fratres Jesu. Procella in mari Genesareth. Dormit Jesus; excitatur, & ventis imperat. Curatur homo quem dæmonum legio occupabat. Mulier fluxu sanguinis laborans, tacta fimbria vestium Jesu, incolumis redditur. Filia Jairi revocatur in vitam.

Ỹ. 1. ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates, & castella, prædicans, & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, 2. Et mu-
lieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ
vocatur Magdalene, de qua septem dœmonia exierant, 3. Et Joanna uxor Chusæ
procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus
suis. 4. Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad
eum, dixit per similitudinem: 5. Exiit, qui seminat seminare semen suum: & dum
seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.

illud. 6. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. 9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. 10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant. 11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. 13. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. 14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, & a solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. 16. Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. 17. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. 18. Videte ergo, quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. 19. Venerunt autem ad illum mater, & fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba. 20. Et nuntiatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre. 21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. 22. Factum est autem in una dierum, & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 23. Et navigantibus illis, obdormivit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur. 24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, & tempestatem aquæ, & cessavit, & facta est tranquillitas. 25. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei? 26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est, Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. 30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum. 31. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. 33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. 34. Quod ut viderunt factum, qui pascebant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in villas. 35. Exierunt autem videre, quod factum est, & venerunt ad Jesum, & invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus, & timuerunt. 36. Nuntiaverunt autem illis, & qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione. 37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est. 38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens: 39. Redi in domum tuam, & narra, quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. 40. Factum est autem, cum rediisset Jesus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum. 41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Jesu, rogans eum, ut intraret in domum ejus. 42. Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. 43. Et mulier quædam erat in

in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari: 44. Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus, & confestim stetit fluxus sanguinis ejus. 45. Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? 46. Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis, nam ego novi, virtutem de me exiisse. 47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit. 48. At ipse dixit ei: Filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace. 49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. 50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & salva erit. 51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem, & matrem puellæ. 52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. 53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. 54. Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: puella, surge. 55. Et reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare. 56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum erat.

℣. 2. MARIA QUÆ VOCATUR MAGDALENE, &c. Magdalenen, post Interpretes doctissimos, eam esse credimus, de qua actum est Capite superiori, aliquanto antea malo septem vel plurium dæmonum contubernio, jubente Christo, liberatam. Cum Magdalene, Christum esse in urbe Naim apod Simonem Pharisæum intellexisset, eo venit, & Christi pedes liniit, uti vidimus. Deinceps illum sequuta, nunquam deseruit, vel in Cruce pendentem, cum toto Passionis tempore in Calvariç vertice perseveraverit. Constantia & amore id conseeuta est, ut ipsi ante cæteros post Resurrectionem se exhiberet. *Magdalenes* appellationem illi partam eredimus ex *Magdala*, urbe Galilææ, unde originem duxerit. *Magdala* turrim sonat. Interpretibus bene multis Magdala trans Jordanem creditur: cujus tamen rei aptum non video argumentum. Quæ Ligfootus ex Thalmude recitat, mihi ea probare videtur, Magdalam cis mare Tiberiadis & cis Jordanem jacuisse. Cum senex Pastos, inquiunt (1), se vidisse dixisset Magdalæ cives altera post Sabbathum die domum redeuntes, per Tiberiadem usque ad suburbium & pontem, pronunciavit Rabbinus, licere Magdalæ civibus id itinesis sabbatho peragere. Suburbium & pons omnino jacuisse videntur secus mare & Jordanem; quamobrem Magdala cis utrumque eum locum fuit.

Magdalæ meminit Josephus lib. de Vita sua, at illius situm præterit. *Mageddo*, notissima urbs Galilææ, *Magdalum* etiam & *Magdala* appellabatus (2), atque hinc nomen duxisse Magdalenen, magnopere probo, cum ea urbs non longe a Naim abesset. Ligfooto (3) videtur eo nomine nuncupari a plicandis capillis, quasi esset *plicatrix*, Hebraice *Magaddela*. Profecto apud Thalmudistas legitur mulier ejus artis ac nominis, Jesu Christi ętate vivens. Hoc tamen etymon nimio est exquisitius.

Dæmonia septem ex Magdalene ejecta, nonnullorum sententia (4), sunt ingens peccatorum numerus, quibus absoluta est, quorumque habitus ipsa exuit. Verius tamen explicatur (5) de magno dæmonum numero, quibus revera liberata fuerit. Illam non secernit Lucas a cæteris fœminis, altero commatis membro memoratis (6), quas Jesus, pulsis immundis spiritibus, incolumes reddiderat e morbis; atque unum hoc discrimen ponitur, quod magna dæmonum multitudine torqueretur. Hebræi plerosque morbos e dæmonum sævitia iraque divina repetebant.

Septem illi Dæmones, quos Christus e Magdalena expulit, revera Dæmones erant, quibus misera possidebatur opinione S. Ambrosii de Salom. cap. 5. alii vero malunt dictum accipere de totidem criminibus, quibus illa tenebatur. Contendunt tamen alii (7) Virginem illam extitisse perpetuo, quod non facile conciliaretur cum eorum opinione, qui obnoxiam extitisse magnis criminibus sebantur.

℣. 3. JOANNA UXOR CHUSÆ, PROCURATORIS HERODIS. Eo fortasse tempore Chusa Joannæ vir in vivis non erat, vel illa consentiente viro sequebatur Jesum, quemadmodum aliæ nonnullæ apud Evangelistas. Chusa vel Procurator erat domus Herodis, vel Præfectus illius ærario, seu denique Præses regionis alicujus in Herodis Regno; latissima enim est Græcæ vocis significatio. Susanna cæteræque Jesum sequentes, *ministrabant ei de facultatibus suis*: quæ necessaria erant Christo & Apostolis, comparabant (8), ne illi cæteris oneri essent in prædicationis ministerio. Ex probata Judæorum consuetudine, ii qui prædicationi docendæque multitudini operam dabant, patiebantur, ut piæ mulieres e numero asseclarum sibi deservirent. Vulgo id fiebat, nemine prorsus mirante (9). Idem servavere post Christi Resurrectionem Apostoli; ac diserte scribit Paulus (10), nolle se hac consuetudine uti, ne cui causa daretur obloquendi.

℣. 5. EXIIT QUI SEMINAT. Parabolam proposuit Christus in navi sedens, ita litori proximus, ut e multitudine in ripa maris Galilææ circumfusa exaudiretur. Hanc in Matthæo XIII. 1. 2. 3. explicavimus.

℣. 10. UT VIDENTES NON VIDEANT. Christi propositum non est, laqueos illis struere, eosque prohibere, ne videant; at illud vult, sua illos incredulitate sibi oculos obstruere, nequid videant; quamobrem dignos fieri, quibus Deus lucis suæ radios suaque auxilia, quibus illi spernendo abusi sunt, auferat. At demissa Discipulorum docilitas id præmii sefert, ut *cœlestis Regni mysterium* ipsis ape-

(1) Ligfoot. Chorograph. Galilææ. (2) Vide 2. Par. xxxv. 22. 4. Reg. xxiii. 29 cum Herodot. lib. 2. c. 159. (3) Ligfoot. Chron. 34. 28. (4) Greg. Mag. homil. 33. Ligfoot. Hor. Talm. Beda hic, & alii. (5) Grot. Mald. alii plerique. (6) Αἵ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ ἀσθενειῶν. (7) Ambros. de Virginitate lib. Modestus Ierosoly. apud Photium C. 276. (8) Αἵ τινες διηκόνουν αὐτῷ [Alii, αὐτοῖς] ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. (9) Hieron. ad Matth. xxvii. Beda, Strab. Mald. Grot. hic. (10) 1. Cor. ix. 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?*

aperiatur ; omnia scilicet arcana , & veritatis instituta , quæ Christus hominibus nunciaturus venit , præsertim vero Dei consilia , & lex sapientissima , quam sibi ipse in Ecclesiæ institutione proposuit .

℣. 14. SUFFOCANTUR , ET NON REFERUNT FRUCTUM . Græcus (11) : *Suffocantur , & non perficiunt* ; fructum ad absolutam maturitatem non ferunt . Non absoluta sterilitas est , sed vitium , quo prohibentur , ne fructus ad maturitatem perferant.

℣. 15. IN CORDE BONO ET OPTIMO ... ET FRUCTUM AFFERUNT IN PATIENTIA . Græcus (12) : *Qui in corde pulcro & bono audientes retinent , & fructum ferunt in patientia* , constantia . Cor pulcrum & bonum Græcis est animus perfectus , optime comparatus . *Fructum afferre in patientia est* , fructum ferre perseverando , quin te mala contingentia terreant , aut pugnæ suborientes , aut mora .

℣. 17. NON EST ENIM OCCULTUM , &c. Quicquid nunc parabolis edissero , aliquando manifestum fiet . Non illud volo , ut lateant ea quæ vos doceo : quin & aliquando vulgari volo . Idcirco autem hæc multitudini sub ambagibus trado , quod nondum adsit tempus , quo perspicua efficiantur . Vide Matthæum V. 15. & Marcum IV. 21.

℣. 19. VENERUNT AD ILLUM MATER ET FRATRES EJUS . Hoc minime narrant cæteri Evangelistæ hoc loco . Vide Matthæum XII. 46. Marcum III. 31. Id autem contigit mane ejus diei , qua parabolas mox explicatas proposuit .

℣. 22. IN UNA DIERUM ET IPSE ASCENDIT .... TRANSFRETEMUS TRANS STAGNUM , sive Mare Tiberiadis ; Hebræis quippe dicitur mare , quicquid Græci stagnum seu lacum nuncupant . Gestum hoc est vesperi ejus diei , qua is e navi verba ad multitudinem fecit . Inde reversus domum , vesperi conscensa rursus navi , trans lacum navigavit cum Discipulis , ut sese multitudini subduceret . Vide Matthæum VIII. 28. & Marcum V. 1. &c.

℣. 26. NAVIGAVERUNT AD REGIONEM GERASENORUM . Librorum discrimina in hunc locum jam animadvertimus ad Matthæum 8. 28. ita autem sem interpretatur Origenes Comment. in Joan. *Contemnenda non est accurata circa nomina diligentia ei , qui voluerit probe intelligere sanctas literas . Peccatum equidem frequenter fuisse in Gentilium Exemplaribus , indeque errata in Evangeliis translata facile quis credat . Dispensatio namque circa porcos e rupe præcipitatos , & in mari suffocatos a dæmoniis , scriptum est , fuisse in loco Gerasenorum . Gerasa autem urbs est Arabiæ , neque mare neque stagnum in propinquo habens . Nec mendacium adeo apertum , quodque facile redargui posset , dixissent Evangelistæ , viri diligenter agnoscentes regionem Judææ . Quoniam vero in paucis exemplaribus invenimus in locum Gadarenorum , ad hoc etiam est dicendum , Gadaram quidem civitatem esse Judææ , circa quam celeberrima balnea sunt ; haudquaquam vero in ea esse stagnum , vel mare præcipitiis adjacens . At Gergesa , a qua Gergesæi , urbs est antiqua juxta stagnum , quod nunc Tiberiadis vocamus , juxta quam rupes est stagno adiacens , e qua ostenditur , porcos a dæmonibus in præceps delatos fuisse .*

℣. 27. OCCURRIT ILLI VIR QUIDAM , &c. Duos a dæmone occupatos fert Matthæus 8. 28. at Marcus V. 1. & Lucas alterum dumtaxat multo sævissimum elegere , ut illius curationem describerent ; omnia enim Jesu Christi prodigia ab Evangelistis narrari , minime credimus ; sed ea e reliquis selegi , quæ maxime proposito serviunt , fidemque legentium confirmant , & mores corrigant . Hunc *ex urbe* profectum fuisse , fert Græcus (13) ; ac repugnare videtur Matthæo & Marco , qui utrumque in sepulcretis extra urbem commorari consuevisse scribunt . At tametsi has voces , quæ in Latinis desiderantur , admittas , illud dici potest , virum hunc *ex urbe* fuisse , non quod ex urbe discesserit , sed quod ex urbe genus duxerit , in eaque editus ac nutritus fuerit (14).

℣. 29. AGEBATUR A DÆMONIO IN DESERTA . Usus dæmon tetra bili , qua is abundabat , illum agebat in deserta , in sepulcra , in montes , ubi remotam a cæterorum consuetudine vitam ducebat . Dæmon erat hominum osor & ferus .

℣. 31. NE IMPERARET ILLIS , UT IN ABYSSUM IRENT . Nonnulli interpretantur (15) , postulare dæmones , ne se in mari mergi jubeat : vulgo tamen (16) rogare censentur , ne se in infernum præcipites agat . Porro infernus apud Scripturam (17) abyssus dicitur , quod locus esse intelligatur in medio terræ constitutus , veluti fovea fundo carens , quo conjecti sunt dæmones ac damnati , nunquam evasuri . Tametsi Dæmones suum ubique supplicium ferunt , & Dei gratia exutos nullo non tempore aut loco miserrimos esse necesse est ; aliqua tamen solatii pars illis esse videtur , ubi perversæ mentis nequitiam ac rabiem in homines exerceant ; summumque malorum , cæteris additum , arbitrantur , nocere non posse . De reliquis hujus narrationis partibus vide nos in Matthæum VIII. 30. &c.

℣. ECCE VENIT VIR CUI NOMEN JAIRUS , Princeps synagogæ , fortasse Capharnai . Non unum fuisse hunc Synagogæ Principem , dicere videtur Marcus (18) : Venit ad Jesum , inquit , *unus ex Archisynagogis* . Multorum erat ea dignitas : primus inter cæteros Jairus .

℣. 44. FIMBRIAM VESTIMENTI . Sanxerat Moyses , ut Hebræi oras palliorum fimbriis ornarent Num. XV. 38. Mulier , contacta Christi veste curata , Martha erat , authore S. Ambrosio de Salomone c. 5. Profanam fuisse mulierem , asserit Eusebius hist. Eccl. lib. 7. c. 27. Paneade ortam , ad fontes Jordanis , quæ beneficium testatura , simulacrum Jesu Christi conflavit , ab ipso Eusebio spectatum . Testibus Sozomeno l. 5. c. 20. hist. ac Philostorgio hist. l. 7. c. 3. simulacrum hoc ad Julianum usque Apostatam stetit . *Veronicam* nuncupant fœminam Joannes Malala & Codinus ; aliam tamen ab altera Veronica , quam comminiscuntur retulisse imaginem Jesu Christi , cum proficiscentis ad Calvariam os admoto linteo abstersisset .

℣. 46. EGO NOVI , VIRTUTEM DE ME EXIISSE . Vide supra V. 57. VI. 19. *Virtus de illo exibat , & sanabat omnes* .

℣. 54. IPSE AUTEM TENENS MANUM EJUS . Græcus legit (19) : *Jesus autem ejiciens foras omnes , & tenens* , &c. Desiderantur hæc verba apud S. Ambrosium , Græcosque Codices nonnullos ; ablataque fuisse censentur antilogiæ causa , quæ ex iis oriri videbatur inter ℣℣. 54. & 51. ubi dicitur Jesus intra puellæ conclave dumtaxat utrumque illius parentem ac tres e suis Discipulis admisisse . At nihil auferre opus est , cum dici queat id scriptum esse , ut res summatim colligeretur . Cum itaque Jesus in conclavi esset cum iis quos diximus , puellæ manum tenens , illam jussit surgere .

℣. 55. ET REVERSUS EST SPIRITUS EJUS . Merus igitur animi defectus non erat , sed mors . Anima sejuncta erat a corpore : discesserat , & rediit . Nihil his luculentius ad agnoscendum geminæ hujus substantiæ discrimen , animæque immortalitatem . Pares ferme locutiones vide *Psalm.* LXXVII. 39. *Spiritus vadens & non rediens* . Et LXXV. 13. *Qui aufert Spiritum Principum* . CII. 15. *Spiritus pertransibit in illo , & non subsistet , & non cognoscet amplius locum suum* CXLV. 4. *Exibit spiritus ejus , & revertetur in terram suam* , &c. Eccl. XII. 7. *Revertatur pulvis in terram suam , & spiritus redeat ad Deum , qui dedit illum* .

(11) Συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι. (12) Ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, ... καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ. (13) Ὑπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως. (14) Grot. Erasm. Brug. Camerar. alii. (15) Vat. Erasm. (16) Mald. Grot. Brug. Era. Drus. Ham. alii. (17) Apoc. IX. 1. 2. XI. 7. XVII. 8. XX. 1. 3. Matth. VIII. 29. (18) Marc. V. 22. Εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων. (19) Αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, καὶ κρατήσας, &c.

CA-

C A P U IX.

Apostolorum legatio. Quid de Jesu sentiret Herodes. Panes quinque multiplicantur. Petri confessio, Jesum agnoscentis Filium Dei. Transfiguratio. Puerum a dæmone actum Jesus liberat. Apostoli de principatu disceptant. Filii Zebedæi elicere volunt ignem e cœlo in Samaritas. Hominem qui ultro sese obtulit ad Jesu clientelam, rejicit Jesus; qui alium vocat, ne dato quidem tempore justa solvendi parentibus.

ỷ. 1. CONvocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem
super omnia dæmonia, & ut languores curarent. 2. Et misit illos præ-
dicare Regnum Dei, & sanare infirmos. 3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via,
neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas
habeatis. 4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.
5. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pe-
dum vestrorum excutite in testimonium supra illos. 6. Egressi autem circuibant per
castella, evangelizantes, & curantes ubique. 7. Audivit autem Herodes tetrarcha
omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quod diceretur 8. A quibusdam: Quia
Joannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero: Quia Elias apparuit; ab aliis autem:
Quia propheta unus de antiquis surrexit. 9. Et ait Herodes; Joannem ego decolla-
vi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. 10.
Et reversi Apostoli narraverunt illi, quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit
seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. 11. Quod cum cognovissent turbæ,
secutæ sunt illum; & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura
indigebant, sanabat. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim
dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque, quæ circa sunt, diver-
tant, & inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus. 13. Ait autem ad illos:
Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes,
& duo pisces: nisi forte non eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. 14.
Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos di-
scumbere per convivia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt o-
mnes. 16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cœlum,
& benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. 17.
Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est, quod superfuit illis, frag-
mentorum cophini duodecim. 18. Et factum est, cum solus esset orans, erant cum
illo & discipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? 19.
At illi responderunt, & dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero,
quia unus Propheta de prioribus surrexit. 20. Dixit autem illis: Vos autem quem
me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. 21. At ille increpans
illos, præcepit, ne cui dicerent hoc, 22. Dicens: Quia oportet filium hominis multa
pati, & reprobari a senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, &
tertia die resurgere. 23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abne-
get semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. 24. Qui enim vo-
luerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam pro-
pter me, salvam faciet illam. 25. Quid autem proficit homo, si lucretur universum
mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? 26. Nam qui me eru-
buerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate
sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. 27. Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic
stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. 28. Factum est autem
post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascen-
dit in montem, ut oraret. 29. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera,
& vestitus ejus albus, & refulgens. 30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant
autem Moyses, & Elias, 31. Visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem
completurus erat in Jerusalem. 32. Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant
somno: Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo.
33. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est

nos hic esse: faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ:
nesciens quid diceret. 34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit
eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem. 35. Et vox facta est de nube, dicens:
Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus
solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ vi-
derant. 37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit
illis turba multa. 38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister: obsecro te,
respice in filium meum, quia unicus est mihi: 39. Et ecce spiritus apprehendit eum,
& subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum:
40. Et rogavi discipulos tuos, ut ejicerent illum, & non potuerunt. 41. Respondens
autem Jesus, dixit: O generatio infidelis, & perversa, usquequo ero apud vos, & pa-
tiar vos? Adduc huc filium tuum. 42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, &
dissipavit. 43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddi-
dit illum Patri ejus. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei, omnibusque
mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus
vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.
45. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud:
& timebant eum interrogare de hoc verbo. 46. Intravit autem cogitatio in eos, quis
eorum major esset. 47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit pue-
rum, & statuit illum secus se, 48. Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in
nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam
qui minor est inter vos omnes, hic major est. 49. Respondens autem Joannes, dixit:
Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum:
quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim
non est adversum vos, pro vobis est. 51. Factum est autem, dum complerentur dies
assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. 52. Et misit nun-
tios ante conspectum suum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut para-
rent illi. 53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.
54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus, & Joannes, dixerunt: Domine, vis
dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos? 55. Et conversus increpa-
vit illos, dicens: Nescitis, cujus spiritus estis: 56. Filius hominis non venit animas
perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. 57. Factum est autem, ambu-
lantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te, quocumque ieris. 58. Dixit
illi Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non
habet, ubi caput reclinet. 59. Ait autem ad alterum: Sequere me: ille autem di-
xit: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. 60. Dixitque
ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum
Dei. 61. Et ait alter: Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntia-
re his, quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad
aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

℣. 2. DEDIT ILLIS VIRTUTEM SUPER OMNIA DÆMONIA; ita ut nullum resisteret; non enim eodem æque negotio omnia ejiciebantur, uti hoc ipso Capite legimus de puero, quem a dæmone occupatum curare Apostoli nequivere, cum adversus illum prece & jejunio usi non fuerint (1), neque fervida satis & constanti adhuc fide essent.

℣. 3. NEQUE VIRGAM ... NEQUE DUAS TUNICAS, ne vestes mutandas deferatis; vulgo enim una dumtaxat tunica utebantur; at in itinere alias deferebant. Pergite quo vos mitto, nihil parare solliciti: providentiæ meæ prorsus fidite.

℣. 4. IBI MANETE, ET INDE NE EXEATIS. Ibi manete, dum in oppido fueritis, neque circumeatis domos, uberiorem mensam, sedemve commodiorem quæsituri: id enim contumeliæ genus esset iis, qui primum excepere. Legit Græcus (2): *Ibi manete, & inde exite.* At Codices multi (3) cum Vulgata consentiunt: *Ibi manete, & inde ne exeatis.* Matthæus x. 11. *Ibi manete, donec exeatis* ex oppido.

℣. 7. AUDIVIT HERODES TETRARCHA, &c. Quicquid de Jesu audiebat, admirabatur: hærebat incertus de iis, quæ in populo de Jesu ferebantur, cum alii Jesum esse Eliam crederent, alii Baptistam redivivum. In posteriorem sententiam ferri videbatur Herodes (4); anceps tamen adhuc & dubius. Hinc collige, nonnullos ex Judæis ipsumque Herodem quamdam probasse metempsychosin. Pharisæi, teste Josepho Antiqu. l. 18. c. 2. & de Bello l. 2. animam esse immortalem ajebant; relictoque post mortem corpore, in subterranea loca secedere, præmio pœnave pro bene vel male gestis afficiendam. Impiorum animas æternum iis locis claudi, ibique torqueri, nunquam egressuras; piorum vero interdum egredi, atque alia in corpora migrare.

Do-

(1) Luc. ix. 38. Matth. xvii. 15. 20. 20. (2) Ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. (3) Pers. Æthiop. Aug. Beda, Steph. 8. Velez. (4) Matth. xiv. 2. *Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, &c.*

Docet Josephus de Bello Jud. l. 7. c. 25. dæmonas, quibus nonnulli occupantur, & interdum ad necem usque torquentur, ipsas esse animas impiorum, ea corpora invadentes. Tradebat etiam Philo lib. de Somniis, animas e corporibus egressas in æthere, ex quo venerant, reverti; redire interdum in terras, & occupare corpus aliquod quod amaverant, cæteris execrantibus corpora seu carceres vel sepulcra, manentibus molestissima. S. Justinus Martyr in Apolog. 2. ait, obsessiones per mortuorum animas effici.

Veteres quidam Judæi, & Rabbini nonnulli recentes animarum transmigrationem tuentur; asseruntque, quicquid ea de re Plato, Pythagoras, aliique disputavere, haustum esse ex Prophetis. Accedit huic sententiæ Chaldæus in Isaiæ XXII. 14. locum: Mendax sim, *si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*. Interpretatur ille de *altera morte*, tunc contingente, cum anima, quæ corpus suum secundo incoluit, denique separatur. Idem legas in veteri Libro, Zohar inscripto. Addunt, posse animam in corpus ingredi, ab altera jam anima occupatum. E. g. adolescenti annorum tredecim vel quatuordecim altera potest accedere anima, priorem quodammodo augens atque perficiens (5). Interdum anima in corpus nuper formatum labitur, ut vel peccata vitæ alterius ante actæ expiet, vel id quod sibi deest perfectionis acquirat; vel denique opem ferat alteri ad superandas peccati vires. Aliæ vero crassiores rudiorasque in corpora redeunt, ut corporeis voluptatibus, quibus trahuntur, gaudeant.

Ajunt, has animarum conversiones ter quaterve fieri, deque metempsychosi interpretantur ea Jobi 33. 29. verba: *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos*. Sunt qui censeant, Jobum ibi significare animas, quæ unum corpus incolere queant, atque illud innuere, tres esse posse in uno corpore, nunquam plures. His positis, mirum non erit, credidisse Herodem, Joannis Baptistæ animam ad animam Jesu Christi in eodem corpore accessisse, ut novas multoque perfectissimas functiones ederet.

Sub ipsa rerum initia, inquiunt, bonæ erant malæque animæ, quæ plures conversiones subiere. Moyses Abelis anima instruebatur; & anima Caini implebat Ægyptium e Moyse interfectum. Hæc in corpus Jethro soceri Moysis immissa, purgata est, novoque jubare fulsit. Rabbi Salomon pertinuisse dicitur ad Moysis conversionem, illiusque animam habuisse. Porro animas nedum in hominum corpora migrare arbitrantur, verum etiam in ferarum, imo & in res inanimas, veluti in amnem, in fontem. Multi ex Rabbinis (6) credidere, Phineem & Eliam Prophetam eadem anima instructos fuisse, eademque Adamum, Davidem ac Messiam. Nullus esset ineptissimorum commentorum finis, si omnia essent enumeranda.

Hoc Evangelii loco, quem explicamus, abutebantur multi, teste S. Hieronymo in Matth. XII. ut Pythagoricam metempsychosim defenderent. Cæterum plerique Judæi veram agnoscebant resurrectionem, corporum scilicet, quæ hic animantur, & olim in vitam iterum revocanda sunt, redeuntibus animabus, quibus nunc instruuntur; atque hoc fidei dogma docet Ecclesia, e Scripturis Veteris ac Novi Testamenti haustum: cum alterum resurrectionis genus, Pharisaica nempe seu Pythagorica metempsychosis, in nullis Scripturarum libris inveniatur, nullamque veritatis speciem præ se ferat. Hic tamen error ipsa Jesu Christi ætate inter Judæos obtinuisse videtur, testibus Josepho & Philone; quamquam illius exordium certo definire non audeam. Idem nullo non tempore Orientalibus placuit, iisque in regionibus vulgo probatur. Neque desunt, qui hujus vestigia in Eliæ historia perscrutentur, eo enim rapto, uti neminem latet, Hebræi gesta ab Elisæo prodigia conspicientes (7), Eliæ spiritum in eo quievisse asserebant.

℣. 10. SECESSIT IN LOCUM DESERTUM, QUI EST BETHSAIDÆ, prope Bethsaidam, oppidum trans Jordanem, ad ostia Jordanis in Tiberiadis mare influentis. Desertum Bethsaidæ in finitimos agros porrigebatur, trans mare, meridiem versus. Vide Matthæum XIV. 13. & Marcum VI. 31. ubi dicitur Jesus mare trajecisse, ut in eam solitudinem proficisceretur.

℣. 12. DIES AUTEM COEPERAT DECLINARE. Rem hanc brevius tradit Lucas. Vide Joannem, XI. 1. 2. &c. cæterosque duos Evangelistas loco citato.

℣. 16. BENEDIXIT. Egit Deo grates, ipsumque rogavit, ut pani benedicens, illum multiplicaret.

℣. 18. ET FACTUM EST CUM SOLUS ESSET ORANS, Discipulos interrogavit, quid de se vulgo censeretur. Hoc diu post multiplicatos panes gestum est, cum Jesus una cum Discipulis circa Cæsaream Philippi versaretur. Vide quæ diximus in Matthæum (8).

℣. 23. DICEBAT AUTEM AD OMNES ... TOLLAT CRUCEM SUAM QUOTIDIE. Vetusti Codices multi (9) non habent *quotidie*. Aliqui etiam totam hanc periodum, *tollat crucem suam quotidie*, omittunt. At ferunt Versiones Syriaca, Gothica, Vulgata, & Latina Exemplaria. Ex assiduæ afflictationis necessitate docet Christus, satis non esse, si ipsum uno vel altero anno sequare, crucemque aliquo tempore feras; sed constanter ad mortem usque quotidie esse portandam. Christianorum vita pugna est assidua carnis adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Victus es, ubi pugnare desieris.

℣. 24. QUI VOLUERIT ANIMAM SUAM SALVAM FACERE, PERDET ILLAM. Vitam tueris, ubi illam fidei ac Religionis causa prodegeris; perdis, ubi eam innocentiæ & fidei jactura servaveris. Neque solam corporis vitam perdis, sed animæ, multo pretiosissimam quam corporis. Quod si corporis mors malorum omnium maximum jure censetur, quid mors animæ? (℣. 25.) *Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat?*

℣. 27. DONEC VIDEANT REGNUM DEI. Hoc vulgo de Transfiguratione intelligitur, qua Christus gloriæ suæ specimen Discipulis tribus exhibuit.

℣. 28. FERE DIES OCTO. Sex tantum dies habent cæteri (10). Lucas etiam addidit *fere*, ut innuat, definitum certumque tempus a se minime significari. De Transfiguratione vide Matthæum, XVII. 1. 2. &c.

℣. 31. VISI IN MAJESTATE, ET DICEBANT EXCESSUM EJUS. Ore majestatis pleno, de ipsius obitu ac passione colloquebantur. Ita plerique interpretantur. Petrus (11) *exitus* vocabulo mortem suam designat; eaque locutio communis est nedum Patribus & Ecclesiasticis Scriptoribus, verum etiam profanis (12). Sunt (13) qui de ultione a Jesu Christo in Jerosolymam exercenda explicent. *Exitus* usurpari potest vel pro Jesu Christi adventu in terras (14); vel pro ipsius discessu, in Cœlum migraturi (15); vel pro eo adventu, quo is ultionem in Judæos hostes suos, sive in impios suprema judicii die est illaturus. *Exire*, apud Scripturam & profanos frequenter est in bellum egredi, ad expeditionem proficisci, &c. Optima tamen

(5) Vide Isaac. Lotiens. de Revolut. & Manass. Ben-Israel, de Resurrect. mortuorum. (6) Vide Grot. ad Matth. XIV. 2. (7) 4. Reg. II. 15. *Requievit spiritus Eliæ super Elisæum*. (8) Matth. XVI. 13. Marc. VIII. 27. (9) Vide Mill. Var. Lect. hic. (10) Matth. XVII. 1. Marc. IX. 1. (11) 2. Petr. I. 15. *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum*. Μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον. (12) Vide Grot. & Vallem hic. (13) Hamm. & le Clerc hic. (14) Joan. XVI. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum*, &c. (15) Joan. XIII. 1. *Quia venit hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem*.

men omnium prior explicatio. Vetusti quidam Græci Codices ferunt (16): *Dicebant gloriam ejus*; idque Euthymius de Christi cruce interpretatur. At fortasse vetus est librariorum error.

℣. 31. Gravati erant somno. Cum Jesus in montem, ubi transfigurandus erat, ascendisset, statim orare aggressus est; oransque circumfusus est gloria, quemadmodum commate superiori vidimus. Interim Petrus, Jacobus & Joannes in somnum sensim deflexerant: at deinde experrecti, Jesum cum Elia & Moyse conspexere, insolita luce fulgentem. Colligit hinc Lucas Brugensis, Transfigurationem noctu contigisse; cui favet ℣. 37.

℣. 34. Facta est nubes, et obumbravit eos. Apostolos ne, an Moysem & Eliam? Credibile est, sub finem spectaculi fulgidam nubem descendisse, qua Jesus, Elias ac Moyses obvoluti sint, auditamque de Cœlo vocem: *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite*. Statim vero dissipata nubes Moysem & Eliam abstulit, & Jesus consueto corporis habitu solus cum tribus Apostolis mansit. Sunt ex Interpretibus doctissimi, quibus videtur nubes Apostolos etiam obvolvisse; textu minime repugnante.

℣. 37. Sequenti die. Noctem egerat Jesus partim orans, partim cum Moyse atque Elia loquens. Mane alterius diei e monte descendit cum Petro, Joanne & Jacobo ad cæteros Discipulos, cum reliqua multitudine expectantes.

℣. 38. Magister, respice in filium meum. Vide apud Matthæum xvii. 14.

℣. 40. Rogavi Discipulos tuos, ut ejicerent, et non potuerunt. Causam tradit Matthæus xvii. 18. cum enim quæsivissent seorsum ab Jesu Discipuli: *Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium.*

℣. 44. Filius hominis futurum est ut tradatur. Hæc Jesus Apostolis dixit per Galilæam prædicaturis, cum Capharnaum redirent ex monte, ubi transfiguratus fuerat. Vide Matthæum xvii. 18. 19. 20. 21.

℣. 45. Illi ignorabant verbum istud. Optime percipiebant, quid rei esset, in potestatem inimicorum & in necem dari: at minime assequebantur, qui fieri posset, ut Jesus, quem esse Messiam ac Dei Filium noverant, immortalem, æternum, morti obnoxius esset, probroque ac supplicio ab hominibus afficeretur. Hæc porro simul pugnare ipsis videbantur; quamobrem mysterium aliquod ignotum in iis latere censebant.

℣. 46. Quis eorum major esset. His ex Jesu auditis, cogitare cœperunt, ipsum quantocius gloriam suam palam exhibiturum, ac vetus Judææ Regnum restituturum. Singuli autem blandiebantur sibi futurum, ut munera mox ab ipso distribuenda assequerentur: illud solummodo quærebant, quis futurus est cæterorum princeps. Ea tunc erat Apostolorum imbecillitas, perversaque de Messiæ Regno opinio.

℣. 47. Apprehendit puerum, &c. Plura hic omittit Lucas, a cæteris Evangelistis recitata (17). Apostolorum disceptatio in itinere contigit, absente Jesu, qui una cum Petro Capharnaum præcesserat: quod autem hic dicitur de puero, quem Christus proposuit tanquam exemplum simplicitatis ab ipsis servandæ, tunc contigit, cum illi jam collecti essent domi. Itaque Discipuli, ut ab ipso Jesu lis definiretur, rogavere, quis in Regno cœlorum futurus esset princeps, quibus respondit Jesus, humillimum omnium & modestissimum cæteros dignitate & gloria in Regno suo superaturum.

℣. 49. Vidimus quemdam in nomine tuo, &c. Jesus igitur & Petrus Capharnaum præiverant, & aliquandiu antea a cæteris Discipulis discesserant. Hoc apud Lucam dumtaxat & Marcum ix. 38. legitur.

℣. 51. Cum complerentur dies assumptionis ejus (18), cum adventaret tempus, quo auferendus erat ex hominibus, et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem, Jerosolymam proficisci decrevit. Cave credas, quemadmodum Interpretibus nonnullis visum est (19), iter hoc ab Jesu instituendum, ultimum fuisse ab eo habitum, quo deinde necatus est; cum ex Evangelistis colligatur, multos fluxisse menses ante obitum Jesu Christi, atque hoc iter habitum esse circa Pentecostes festum. Hic tamen annus postremus fuit Jesu Christi; atque is noverat, quo erga se animo essent Judæi, quidve sibi non multo post esset eventurum. Sunt (20) qui censeant, reditum sive *assumptionem* Jesu hoc loco significare illius mortem e cruce suspensi, qua sublimis a terra obiit. Plerique tamen (21) de illius ascensione ac reditu ad Patrem interpretantur. Hæc verba, *Faciem suam firmavit*, interdum in Scripturis usurpantur pro animo in malum obfirmato (22). At intelligi etiam possunt de certo animi consilio, constantiaque ad ea explenda, quæ quisque decrevit (23). Ipso igitur oris habitu, incessu & sermone ostendit Jesus, sese Jerosolymam proficisci velle, frustra minitante inimicorum nequitia.

℣. 52. Misit nuntios ante conspectum suum. Censuit S. Hieronymus Ep. ad Algas. qu. 5. revera præmissos a Jesu Angelos, ut suum ipsius adventum nunciarent. Græca vox (24) plerumque Angelos significat: usurpatur tamen etiam pro Legatis ac Nunciis. Plerisque (25) videtur Christus misisse Jacobum & Joannem, ut sese in urbem venire nunciarent, pararentque omnia, quibus opus esset ad lectum & cibum. Cum nullo non tempore magna stipatus multitudine iter faceret, ubique docens & ægros sanans, secumque annonam non ferret, opus erat, ut ita sibi consuleret, quocumque proficisceretur, suumque adventum prænunciari juberet, ut domicilium ipsi præsto esset, monitusque populus ad ipsius institutiones audiendas, referendamque ægrorum sanitatem conveniret. Cæterum unus omnium Lucas narrat ea quæ hic leguntur a ℣. 51. ad finem usque Capitis.

Intraverunt in civitatem Samaritanorum; in quamdam scilicet; incertum enim est, utrum in veterem urbem Samariam. Græcus fert (26): *In vicum Samaritanorum* (27). Samaritis genus erat provinciæ, pagos complures continens.

℣. 53. Et non receperunt eum, quod Jerosolymam proficisci videretur. Alio quovis tempore excepissent; quamvis enim mutua esset Judæorum ac Samaritanorum simultas, communia tamen humanitatis officia invicem non negligebant; quemadmodum constat exemplo Samaritani, curantis Judæum hominem, a latronibus pene interfectum Luc. 10. 33. ipsiusque Christi, potum postulantis Sichimæam mulierem Joan. 5. 7. urbemque Sichimam ingressi, ubi dies aliquot docuit. At in rebus ad Religionem spectantibus minime con-

(16) Ἔλεγον τὴν δόξαν αὐτοῦ. Vide Mill. Var. Lect. hic. (17) Matth. xvii. 23. Marc. ix. 31. &c. (18) Ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, ἐ αὐτὸς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ. (19) Beza, Grot. alii. (20) Heinsius. (21) Mald. Brug. Vat. Camer. Erasm. alii. Vide Marc. xvi. 19. Act. 1. 11. & 1. Timot. iii. ult. (22) Prov. vii. 13. xxi. 29. Jerem. xlii. 15. Ezech. (23) Ezech. iv. 3. xiv. 8. Jerem. xxi. 10. (24) Καὶ ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸ προσώπου αὐτοῦ. (25) Euthym. Mald. Grot. (26) Εἰς κώμην. Quidam. Εἰς πόλιν. (27) Vall. Erasm. Vatab. Grot. Brug. Beza.

conveniebant Joan. 4. 9. *Non coutuntur Judæi Samaritanis*. Cumque Jesus ipso itinere, cæterisque adjunctis temporis significaret, se Jerosolymam proficisci ad Pentecostes Festum, ipsaque re damnare Samaritanorum ritus ac Religionem, Samaritani ipsum excipere noluerunt, illorum quippe dogmata luculentissime ab eo arguebantur (28). Veteres quidam (29) hunc locum ita interpretantur, quasi Samaritani Christum apud se retinere, id maxime volentes, nequiverint, cum is Jerosolymam festinaret. Hæc tamen opinio cum ipsomet Evangelio pugnat: quorsum enim Jacobus & Joannes rogavere, ut ignem e cœlo in oppidum elicere sibi liceret, si cives Jesum excipere & retinere cuperent?

℣. 54. Vis dicimus, ut ignis descendat e cœlo? Hac fortasse ex re appellatio *filiorum tonitrui* Marc. 3. 17. Jacobo & Joanni contigit. Nimium gloriæ Jesu Christi studium (30) & vindictæ amor, quo adhuc tenebantur, ipsos ad id quærendum impulere; qua in re nonnihil iis favebat exemplum Eliæ 4. Reg. 1. 10. cujus jussu lapsus est e cœlo ignis in milites Regis Samariæ, ad sese capiendum missos. Legit Græcus (31): *Quemadmodum & fecit Elias*. Consentiunt Versiones Arabica, Persica, Syriaca, Æthiopica, Gothica. Veretur Grotius, ne hæc abjecta sint a Librariis, quod Marcionitis favere crederentur (32).

℣. 55. Nescitis cujus spiritus estis; a quo spiritu vocemini, vel ad quem pertineatis, seu quo spiritu ducamini. Vindictæ, severitatis, servitutis spiritum, qui Legis est, a spiritu clementiæ, suavitatis ac misericordiæ, qui est Evangelii, non secernitis (33). Nescitis certe, nimium hujusmodi fervorem ac severitatem minime mihi probari. Mea consilia meamque mentem nondum agnoscitis. Rectissimo vos impetu agi putatis, cum ira & vindicta impellamini. *Spiritus* interdum apud Scripturam pro animi habitudine affectibusque usurpatur. Ita dicitur spiritus timoris, amoris, potestatis, infirmitatis seu morbi (34), &c.

℣. 56. Non venit animas perdere, sed salvare, ut vitam hominum perdat, sed tueatur. Hæc animi mei habitudo est, eamque vobis inesse oporset; suavem, benignam, piam, mansuetam, pacis amicam. Homines ad Religionem voco non igne aut ferro, sed suasione ac patientia. Imitamini.

℣. 57. Sequar te, &c. Hæc ad aliud tempus refert Matthæus viii. 19. At non uno tempore locoque id contigisse, credibile est. Eorum qui ad sui clientelam se ultro offerrent, periculum faciebat Jesus, se quam maxime inopem esse, multaque asseclis esse toleranda testatus.

℣. 60. Sequar te, Domine: sed permitte mihi, &c. Legitur hoc apud Lucam duntaxat. Non una elici e Græco potest hujus responsionis sententia (35): *Permitte mihi, ut valedicam iis qui domi meæ sunt* (36); vel, *permitte ut publica fide renuntiem omnibus quæ domi habeo* (37): sine, proprietatem rerum mearum propinquis remittam. Aptissimum omnium videtur: Sine, de re familiari decernam; idque maxime consentaneum est consuetudini Scriptorum Novi Fœderis (38), qui Græcum vocabulum ἀποτάξασθαι pro *valedicere* usurpant, sensu proprio ad personas spectante; metaphorico enim rebus etiam odiosis valedicitur (39). Putat Grotius, hunc & alterum illum, ℣℣. 57. 58. ad Jesum tamen accessisse, in censu duorum & septuaginta Discipulorum connumeratos.

℣. 62. Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Alludere videtur Christus ad illud, quod Elia Elisæum ad propheticum munus vocante contigit 3. Reg. xix. 19. Elisæus enim relicto statim aratro, dictoque parentibus vale, Elia permittente, festinans geminos boves mactat, lignis aratri coquit, & Eliam sequitur. Jubet Christus, eos qui sequi se voluerint, nullius rei curam gerant. Ubi huic aratro manum admoverint, os retro convertere non licet. Relictis aratro & sæculi negotiis, nunquam deinceps ad ea redire meditentur. *Admovere manum aratro*, locutio est Græcis etiam vulgaris, qua aliquid aggredi significant. Quemadmodum qui stivam tenet, oculos alio convertere non debet, si rectos, pares altosque sulcos agere cupiat; ita qui me sequi optat, omnibus sese abdicare illum necesse est, ut destinatum sibi a me munus omni cura vacuum exerceat (40).

---

[28] Euthym. Beda, Mald. alii plerique. [29] Vide Ambros. & Theophylact. hic, & Hieron. ep. ad Algas. qu. 5. [30] Tit. Bostr. Beda, Hieron. ad Algas. 4. 5. Alii. [31] Ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε. [32] Vide Tertull. lib. 4. p. 540. contra Marcionem. [33] Mald. Brug. Grot. Beza. [34] Vide Grotium & Hamm. hic. [35] Πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. [36] Cyrill. apud D. Thom. Beda, Erasm. Brug. Bez. Grot. Syr. Arab. [37] August. lib. 2. de Consensu cap. 23. *Renuntiare iis quæ domi sunt*. Ita & Maldon. & Erasm. & Brug. [38] Marc. vi. 46. Καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς. Act. xviii. 21, Ἀπετάξατο αὐτοῖς. 2. Cor. ii. 13. Ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς. [39] Luc. xiv. 33. Ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ. [40] Vide Philipp. iii. 13. *Quæ quidem retro sunt oblivîscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum prosequor*. Mald. Grot. Brug.

CAPUT X.

Duo & septuaginta Discipuli ad Evangelium nunciandum mittuntur. Hilares lætique redeunt. Væ urbibus minime resipiscentibus! Parvulos & simplices admittit Deus. Qui proximus? Jesus apud Martham & Mariam. Hæc optimam partem eligit.

℣. 1. Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. 3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis. 5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super

illum

illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. 7. In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: 9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos Regnum Dei. 10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: 11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinqua it Regnum Dei. 12 Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. 13. Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent. 14. Verumtamen Tyro, & Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis. 15. Et tu, Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. 16. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. 17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis: Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. 21. In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto, & dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam, Pater; quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. 23. Et conversus ad Discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. 24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt. 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum sicut teipsum. 28. Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, & vives. 29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? 30. Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagis impositis abierunt, semivivo relicto. 31. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præterivit. 32. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. 34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit. 35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? 37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter. 38. Factum est autem, dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum; & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. 39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagabat circa frequens ministerium; quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. 41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. 42. Porro unum est necessarium. 43. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

℣. 1. DESIGNAVIT DOMINUS ET ALIOS SEPTUAGINTA DUOS. Præter Apostolos duodecim, quos antea elegerat, seligit alios & septuaginta Discipulos, quorum opera Evangelium doceatur. Uberiorem esse noverat messem, quam ut modicus messorum numerus illi sufficeret Matth. 9. 37. Apostoli duodecim instar erant duodecim Patriarcharum, duodecim Tribuum authorum ac Principum: duo & septuaginta Discipuli pro totidem Senioribus sunt a Moyse electis, Spiritu Sancto plenis, ut illi præsto in regimine essent Num. xi. 16. Homines universam gentem præ se ferentes

tes ab Judæis eligebantur duodecim, sive duo & septuaginta, singuli in singulas Tribus. Quemadmodum Episcopi Apostolis successere, Corepiscopi merique Sacerdotes, verbi ministerio occupati, pro Discipulis duobus & septuaginta sunt (1), Græca Exemplaria quamplura, Syriaca Versio, Cophtica, Arabica, S. Irenæus, S. Ambrosius, Tertullianus, aliique multi dumtaxat legunt *septuaginta*, non *septuaginta duos*. At vetus Codex Cantabrigiensis Græcus, Persica Versio, S. Augustinus, Author Recognitionum, & Scriptor Constitutionum Apostolicarum, veteresque libri Græci quamplurimi, cum Vulgata consentientes, legunt *septuaginta duos*. Iidem illi, qui in libris suis habuere septuaginta, fatentur, Discipulos fuisse duos & septuaginta (2).

Misit illos binos ante faciem suam, &c. veluti anteambulones, ipsius adventum nunciantes, parantesque animos ac mentes. Quæritur, quo tempore decreta fuerit hæc legatio. Nimirum eodem in itinere, de quo actum est Capite IX. 51. &c. cum adhuc Jesus in Samaritide esset, Jerosolymam proficiscens. Duo hi & septuaginta missi sunt in Judææ loca, per quæ iter habiturus erat Jesus; quemadmodum alios Ipse in Samaritidem paulo ante legaverat, Cap. IX. 52. 53. 54. Binos misit, nempe in sex & triginta paria distributos, ut mutuam sibi opem & auxilium ferrent (3), & alter alterius gesta spectarent, quo inimicorum Christi & invidorum ora obstruerentur. Animadverte, quæ hic Capite decimo, & consequentibus quinque narrantur, apud cæteros Evangelistas non legi.

℣. 3. Mitto vos sicut agnos inter lupos. In Epistola secunda, S. Clementis nomine vulgata, hæc habentur, tamquam a Jesu pronunciata: *Eritis velut agni in medio luporum. Respondens autem Petrus ei dicit: Si ergo lupi agnos discerpserint? Dixit Jesus Petro: Ne timeant agni post mortem suam lupos: & vos nolite timere eos qui occidunt vos, & post nihil vobis possunt facere; sed timete eum, qui, postquam mortui fueritis, habet potestatem animæ & corporis, ut mittat in gehennam ignis*. Scriptor hic, quisquis ille sit, multa recitat tamquam ex Jesu, quæ iisdem verbis nunc in Evangeliis non leguntur. Vero tamen simillimum est, illum ea memoriter recitare, nec religiosius verba sectari.

℣. 4. Neminem per viam salutaveritis. Festinate, neglectis inanibus urbanitatis officiis erga obvios. Proverbii genus esse videtur. Eadem Elisæus imperavit Giezi, cum illum baculo suo instructum mitteret, ut Sunamitidis viduæ filium in vitam revocaret 4. Reg. IV. 29. *Si occurrerit tibi homo, ne salutes eum*. Hoc solum cogita, ut quamprimum imperata facias.

℣. 6. Filius pacis, homo, cui Deus cor reclusit, ut verbum suum auscultaret (4), vos audire paratus, oblatumque beneficium amplecti. *Pax* pro bonorum omnium ubertate usurpatur. *Filius pacis* est vir fortunis omnibus dignus; quemadmodum *filius mortis* 2. Reg. XII. 5. *filius perditionis* 2. Thessal. 2. 3. est homo dignus morte & supplicio. Si quam in domum veneritis, nemo in ea fuerit pace vestra dignus, hæc *ad vos revertetur*: vos ea cumulabimini: vobis amissa non erit: vestra in vos desideria Deus convertet. Consequentium ℣℣. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. explicationem vide apud Matthæum X. 7. 14. 15. Eadem præcipit Jesus duobus hisce & septuaginta Discipulis, quæ Apostolis, missionis initio.

℣. 8. Quæ apponuntur vobis. Quæ vobis exhibuerint hospites, iis contenti, delicias, superflua, & lautitiam ne quæratis (5), nullius rei solliciti. Satis ciborum nanciscemini apud eos, quibus adventum meum nunciaveritis. Annonam ne comparetis, neque pecuniam aut cibos detuleritis: Deus ipse vobis consulet. *Dignus est operarius mercede sua*. Sunt qui censeant, Christum ita monere Discipulos, *Manducate quæ apponuntur vobis*, ut omnem illis scrupulum de ciborum delectu ritibusque Mosaicis adimat. Id tamen probabile non est, cum illos nonnisi ad Judæos mittat; magnamque offensionis causam dedissent Discipuli, si ciborum delectum publice neglexissent.

℣. 9. Appropinquavit in vos Regnum Dei; accessit ad vos, pervenit. Tempus adest felicissimum, quo Deus Regnum suum inter vos est institurus. Adest Messias, vos inimicorum injuriis & oppressione liberaturus. Ita rudes Judæi hæc verba interpretabantur; iisque passim utitur Christus, ut suum ipsius adventum, & Evangelii prædicationem significet.

℣. 13. Væ tibi, Corozaim. Corozaim, trans Jordanem erat, ex Adrichomio & Bonfrerio: at S. Hieronymo jacuisse videtur duobus passuum millibus a Capharnao in Galilæa: quamobrem cis mare Tiberiadis illam collocamus.

Si in Tyro et Sidone, profanis urbibus. Norat Christus, illas minus a veritate abhorrere, minori pervicacia & nequitia, quam Judæos.

℣. 15. Et tu, Capharnaum. Capharnaum in ora occidentali maris Tiberiadis jacebat. Relicta Jesus Nazaretha, domicilium Capharnai posuerat Matth. 4. 13. nullaque urbs fuit, quæ illum docentem frequentius audierit, ac prodigia patrantem viderit: quamobrem edita usque ad Cœlum jure a Christo dicitur: at perfidiæ causa usque ad inferos dejicienda pronunciatur.

℣. 17. Reversi sunt autem septuaginta, &c. Discipuli ad Jesum rediisse videntur, cum ille Jerosolymam venisset, peragrata universa regione Samariam inter & Jerosolymam. Lucas hic ℣. 38. Jesum ponit Bethaniæ prope Jerosolymam, nullo itinere narrato nullaque re gesta inter discessum Discipulorum, & adventum Jesu Bethaniam. Veteribus nonnullis (6) videntur Discipuli ambitione aliqua efferri, cum dæmonas ipsos sibi morigeros esse gloriantur. At alii æquiores iis sunt (7); neque porro quidquam in illorum sermone occurrit, quod ipsorum lætitiam & verba malam in partem torqueri jubeat. Animadverte, fateri Discipulos, sese prodigia edidisse Jesu Christi nomine & authoritate, cum Jesus sua ipsius virtute ac potestate faceret. Narrant, se nedum ægrorum valetudinem restituisse, verum ipsos etiam dæmones sibi obtemperare: majoris certe potestatis argumentum (8).

℣. 18. Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Qui horum nexus cum superioribus? Sunt (9) qui ita explicent: Diaboli Regnum proximum est exitio: mox dejiciendus est tenebrarum Princeps: ruet ille ex æthere, in quo dominatur, eoque impetu ruet, quo fulgur nubem scindit, & in aere dissipatur. Eadem ferme sententia, quam Joan. XVI. 11. dixit: *Princeps hujus mundi jam judicatus est*. Et XII. 31. *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Cum vos ad nunciandum pauperibus Evangelium mitterem, Satanam videbam a solio ruentem; cedensque illius imperium intuebar. Ultimus imperii tenebrarum conatus, mors Servato-

ria

(1) Vide Grot. hic, & Mald. Ita Hieronym. ad Marcell. Beda in Luc. XV. Euseb. lib. 1. hist. Eccl. cap. 1. (2) Vide Var. Lect. Mill. hic; & Maldon. & Grot. & Selden. lib 2. de Synedr. c. 4. art. 8. (3) Origen. Theophyl. Mald. alii passim. (4) Confer Matth. X. 13. Grot. Brug. Vatab. alii. (5) Grot. Brug. Lud. de Dieu. (6) Cyprian. de jejunio, & orat. Christi; Greg. lib. 23. Moral. c. 7. Beda, Cyrill. apud D. Thom. (7) Theophyl. Mald. Grot. (8) Grot. Brug. Mald. (9) Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia; Basil. homil. quod Deus non sit Author malorum; Elias Cretens. in Greg. Nazianz. Cyrill. apud D. Thom. Euthym. Theophyl. Mald. Brug. Grot. Ligf.

ris fuit, Christo teste Luc. XX. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Post Resurrectionem, draconem in abysso clausit ad annos mille: aditum abyssi obstruxit, suoque signo munit Apoc. XIX. 9. XX. 2.

Videtur aliis (10) agere Christus de Luciferi lapsu sub ipsum mundi exordium. Jesus religiosam animi demissionem edocturus Apostolos, inani ambitione tumentes, prodigiorum causa, inquit: Cavete superbiam, quæ primum Angelum e sublimi cœlorum vertice detraxit. Sua illum gloria fulgentem vidi, ruentemque ad inferos fulguris instar aspexi. Parem casum vobis ipsi metuite. Prior explicatio magis placet, utpote simplex magis, magisque serviens literæ.

℣. 19. ECCE DEDI VOBIS POTESTATEM, &c. Græcus legit (11): *Ecce do vobis potestatem.* Eamdem nempe confirmat & auget: moneo tamen, addit, eam veluti rem magni momenti, & amore atque æstimatione magnopere dignam ne habeatis. Illud multo plurimi a vobis faciendum est, eoque multo magis gloriari vos decet, quod vestra singulorum nomina in cœlis descripta sunt. Patres permulti (12), recentioresque nonnulli allegorice interpretantur angues hoice & scorpiones: Tartareos dracones, anguesque & scorpios animabus noxios & infestos pedibus contreretis; omnesque inimici vires contringetis, &c.

Nihil tamen prohibet, quin proprie intelligantur veri angues verique scorpiones (13). Alludit Christus ad Psalmum 90. 13. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Vide Marcum XVI. 18. apud quem Jesus eadem potestate instruit Apostolos in angues noxiasque bestias. Quæ statim subdit: Potestate vos dono *super omnem virtutem inimici*, ea innuunt, anguium virus, & noxias quarumdam bestiarum qualitates a Dæmonis nequitia proficisci. Noxiis ille bestiis ceu armis & instrumentis utitur, ut mortem nobis afferat, uti mortis princeps, & homicida ab initio, quo is nomine appellatur Joan. 8. 44. Hebræi morbos, venena, & his similia dæmonibus accepto referebant.

℣. 20. QUIA NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN CŒLIS, in Libro Vitæ, inter prædestinatos & Dei amicos. Hoc porro esse oportet lætitiæ vestræ argumentum. Prodigia edere, morbis ac dæmonibus imperare vel impii interdum queunt Matth. 7. 21. *Multi dicent mihi in illa die* judicii: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos.*

Colligunt nonnulli ex his, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis*, duos & septuaginta Discipulos ad æternam gloriam omnes fuisse prædestinatos; id quod ipsis Apostolis minime contigit, cum ex eorum collegio Judas fuerit, quem nemo reprobum esse negaverit. At quemadmodum nonnisi per summam impudentiam dixeris, unum aliquem e duobus & septuaginta Discipulis fuisse reprobum; ita nonnisi temere asserueris, omnes esse ad gloriam prædestinatos (14). Illud igitur vult his verbis Christus, Discipulorum gloriam in eo sitam non esse, ut prodigiis rebusque gloriose gestis clareant; sed in eo esse ponendam, quod illos ipse vocaverit, selegerit, ab ingenti pereuntium multitudine segregaverit, gratia fidei & justitiæ instruxerit; ipsis vero laborandum esse, ut gratiæ depositum tueantur, suamque vocationem & electionem rebus pie gestis certam efficiant. Quos vere prædestinavit Deus, ii e Libro vitæ deleri nequeunt, inquit S. Augustinus in Psal. 68. 13. At multi, qui sese in Libro vitæ descriptos putant, deletos se aliquando experientur: justitiæ gratiam per baptismum illi quidem accepere, multa etiam pie ac laudabiliter fecere, dum viverent; at denique gratiam amisere peccando, atque in cœpto justitiæ itinere non perseveravere.

℣. 21. EXULTAVIT JESUS SPIRITU SANCTO; ET DIXIT .... REVELASTI EA PARVULIS, rudibus ac simplicibus. His manifesta fecisti ea, quæ sapientibus prudentibusque denegasti; iis nimirum, qui *sapientes* esse sibi videntur, scilicet superbis; & *prudentibus*, qui carnis prudentia, mera apud Deum insania, gloriantur. Parasti animos parvulorum, eosque instruxisti demissione & docilitate, ad excipienda Evangelii dogmata necessariis, cæteri superbia & pertinacia sese indignos eo beneficio præstiterunt. Prodigiorum virtutem parvulis largitus es, quam sapientibus atque opulentis denegasti. Horum pernicie non gaudet Christus, at Dei justitiam sapientiamque commendat in iis quæ circa Electos agit, & in Ecclesiæ Christianæ institutione. In hunc versiculum, & consequentes tres vide nos ad Matthæum XI. 25. 26. 27. &c.

℣. 25. QUIDAM LEGISPERITUS SURREXIT, TENTANS EUM, &c. Moysis Lex æternam vitam obtemperantibus non diserte pollicetur, bonaque terrestria ac præsentem vitam minime prætergreditur (15). Hebræis tamen spes erat alterius post præsentem vitæ; idque perspicue in Scripturæ Libris ante captivitatem exaratis, & post captivitatem in Josepho & Philone animadvertitur. Ita vulgo sentiebant Hebræi, geminæque Judæorum sectæ, Pharisæi & Esseni: Saducæi, aliter opinantes, homines religionis expertes, ac ferme Epicuræi habebantur.

Legisperitus iste, Græce *Nomicos*, vir in *Legis* quæstionibus versatus, cum intelligeret, æternæ vitæ instituta a Jesu tradi, illum periclitaturus venit, rogans quid sibi præstandum esset, ut eam beatitudinem assequeretur: si enim, secum ipse disserebat, dixerit, obtemperandum esse Legi ritibusque Judaicis, frustra Dei Regnum, ceu novum aliquid, nunciat: si vero respondeat, opus non esse illis morem geri, *spretæ Legis* reus, falsusque Propheta esse evincetur. At Jesus ex ipsamet inimici responsione ipsum probro cumulavit. Docuit nimirum, scire optime ab eo quæ Legis sunt, minime vero servari: *Hoc fac, & vives.*

℣. 29. ILLE AUTEM VOLENS JUSTIFICARE SE IPSUM, causas excusationis pro se subtexere, ac malæ fidei suspicionem a se avertere, inde fortasse orsam, quod Jesum interrogasset (16). Cum scite adeo responderet, jam perspicuum erat, ipsum ignorantia non laborare. Itaque ut veræ difficultatis aliquid sibi esse ostenderet, iterum quærit: *Et quis est meus proximus?* Quis ille est, quem amare instar mei debeo?

ET QUIS EST MEUS PROXIMUS? Tullius off. lib. 3. *qui autem civium dicunt rationem habendam; exterorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem, qua sublata, beneficentia, libertas, bonitas, justitia funditus tollantur &c.* Veteres olim neminem habebant proximum præter necessarios, & amicos, ac gentiles; extraneos perinde respiciebant ac hostes. Porro ostis græce [illegible] sonat *quilibet*, nempe hominem qui nobis nihil est. Herodotus in Urania scribit Græcos appellare barbaros nomine [illegible] extraneos. Varro lib. 4.

(10) Cyprian. lib. de jejun. & tentation. Christi; Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 7. Chrysost. hom. 2. de pœnit. Hieronym. lib. 2. contra Jovinian. Gregor. Mag. lib. 21. in Job cap. 7. Beda & Theophyl. hic; Bernard. serm. 5. de dedicat. Eccles. Euthym. alii. (11) Δίδωμι. (12) Iren. lib. 5. cap. 24. Cyprian. ad Nestor. Rufin. exposit. Symbol. Basil. in Psalm. 28. Procop. in Isai. XXIX. Chrysost. homil. 17. in Genes. Beda, Theophyl. Euthym. Brug. &c. (13) Maldon. Grot. Boch. &c. (14) Vide Maldon. & Jansen. hic. (15) Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. 2. Esdr. IX. 29. (16) Beda, Maldon. Martianay, Brug.

lib. 4. de lingua latina: *Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud autem significabant, ut hostis; nam tunc eo verbo dicebant peregrinum qui suis legibus uteretur; nunc dicunt eum quem dicebant perduellem.* Cicero de off. lib. 1. *hostis enim apud majores nostros dicebatur quem nunc peregrinum dicimus. Hoc autem durius jam effecit vetustas; a peregrino enim jam recessit, & proprie in eo qui arma contra ferret remansit.*

℣. 30. Homo quidam descendebat ab Jerusalem, &c. Videtur nonnullis (17) rem gestam potius hic narrare Christus, quam parabolam. Iter Jerosolyma Jerichuntem ducens, infestum erat latronibus, cædibusque famosum. Ibi, inquiunt, vallis erat *Adommim* (18), sive Cruentorum, frequentium homicidiorum causa. Propositum hujus narrationis illud est, ut unumquemque, qui ope alterius eget, proximum nobis esse demonstret; ac nefas esse cuiquam denegare auxilium quod vitea ferunt (19): denique, Legem, qua quisque proximum amare jubetur, esse communem, omnesque penitus homines amplecti, ut unusquisque unicuique indiscriminatim opituletur. Cum Legisperito disputat ex vulgari Hebræorum opinione, quibus Hebræi dumtaxat & Justi proximorum loco habebantur, exclusis penitus Ethnicis impiisque (20), præsertim Samaritanis, quos implacabili odio prosequebantur.

Cogit igitur Jesus hominem fateri, Samaritanum hujus parabolæ proximum esse Judæi vulneribus affecti; quamobrem falsa illum opinari esse aliquem Israelitæ proximum, quin ipse sit Israelita; ab hominum vilissimo atque ignotissimo præstari posse alteri tanti momenti officia, ut ille inter amicissimos recensendus sit (21). Docet præterea, eamdem Judæorum opinionem defendi non posse, ob perspicuum plane incommodum, quod ex ea oritur; fieri nimirum posse, ut fratres, cives, populares, pussimi esse desinant proximi, cum in proposita parabola Sacerdos & Levites, neglecto Judæo vulnerato spoliatoque, prætererint.

Patres (22) vulgo allegoriam in hac parabola vident. Judæus Jerosolyma Jerichuntem descendens, a latronibus pene occisus, ipse est primus omnium parens Adam, ex innocentię statu per peccatum dejectos, exutusque gratia, qua illum creando Deus cumulaverat. Se ipse lethali vulnera affecit, vetitum pomum comedens. Latrones ipsum vulnerantes spoliantesque, Dæmones. Sacerdos ac Levites prætereuntes, quin ullam opem jacenti ferant, Mosaicam Legem significant cum ritibus ac sacrificiis, curandis hominum vulneribus imparem. Pius Samaritanus est Jesus: stabulum, quo infertur vulneratus, Ecclesia: oleum & vinum, Sacramenta: vinum, Christi sanguis: oleum, ipsius misericordia: ii, quibus custodiendus traditur vulneratus, Pastores Ecclesiæ.

℣. 31. Præteriit. Gręcum vocabulum (23) sonat, *pedem retulit*, veluti spectaculo territus (24); vel pręteriit, contrarium iter habens illi, quod habiturus erat vulneratus, scilicet, Jerichunte Jerosolymam (25).

℣. 33. Samaritanus quidam. Judęi, quemadmodum animadvertimus, summopere oderant Samaritanos tamquam anathemati devotos ac profanos, magisque quam Ethnicos.

℣. 34. Infundens oleum et vinum; oleum, quo leniretur dolor; vinum, quo induceretur cicatrix, & cruor abstergeretur. Vel: Oleum vinumque miscuit, ut vulnera oblineret. Hęc de more secum deferebat Samaritanus ob itineris annonam (26): adhuc enim apud Orientales publica hospitia nonnisi tectum præbent: unusquisque vero necessaria cibo & lecto secum defert.

In stabulum (27), in *Caravanseras*; quo nomine nostra ætate appellantur apud Orientales publica hospitia, quibus excipiuntur peregrini, nulla ob tectum mercede. Hęc alibi descripsimus. Id proprie hoc loco est *stabulum*. Ita etiam usurpatur in Jure Romano.

℣. 35. Duos denarios, & cauponi dedit, ob sumptus ęgroto necessarios, se absente; dum enim adfuit, ipse curam illius gessit. Incertus est denarii valor. Communis denarius Romanus solidos nostri numismatis octo & denariolum unum ęquabat. Apud Scripturam, *denarius* interdum pro siclo usurpatur: siclus autem solidos nostri numismatis triginta, vel duos & triginta continebat. Si pro denario siclum intelligas, Samaritanus aureum unum cauponi dedit. S. Irenęus l. 3. c. 19. legabat hic, *duo denaria Regalia*.

℣. 37. Qui fecit misericordiam in illum. Vide supra ℣. 30. Evincit hic Jesus, adversus falsas Rabbinorum opiniones, quemvis cujuslibet conditionis hominem esse alterius proximum, quamquam externi. Si diceret Christus, Samaritanum a latronibus spoliatum, a prętereuntibus Sacerdote ac Levita fuisse neglectum, nulla ope illi pręstita, statim respondisset Doctor, optime illos, cum Samaritanus e numero proximorum non esset. Cum vero in Judęo indigentiam, in Samaritano misericordiam descripserit, naturę voces exaudiri cogit, docentis, unumquemque similium sui proximum esse; communemque naturę legem a Moyse non destrui, sed perfici, ubi proximum instar sui amari jubet.

℣. 38. Intravit in quoddam castellum; Bethaniam Joan. xi. 1. passibus bis mille a Jerosolyma dissitam, meridiem versus (28). Illam Joannes xi. 18. stadiis quindecim ab Jerosolyma removet, passibus nimirum ter mille, seu leuca una. Jerosolymę fuisse videtur Christus, antequam Bethaniam veniret; ac fortasse duo & septuaginta Discipuli Jarosolymę illum convenere, narrataque cum Legisperito disputatio ibi contigit. Cum nondum adesset Pentecoste, omnes circa Jerosolymam vicos peragravit Jesus, de more docturus. Fortasse nunc primum Jesus Bethaniam venit.

Huic erat soror nomine Maria. Ita hic agit de Maria Lucas, veluti de illa nunquam egerit, quo ea confirmantur, quæ supra diximus in Luc. 7. 37. hanc nempe Mariam aliam esse a Maria Magdalene, e flagitio conversa. Cum Marthæ paranda Jesu sociisque, nihilo paucioribus quam quatuor & octoginta, Apostolis nempe duodecim, & duobus ac septuaginta Discipulis, mensa occuparetur, Maria ad pedes Christi sedens, veluti una e Discipulis, illum docentem suavissime audiebat. Discipuli apud Judæos ad Præceptorum pedes sedebant Act. 22. 3. Luc. 8. 35. & Rabbinorum effato, *sordidare se pulvere pedum Doctorum*, est, illos audire, eorumque scholas frequentare. His verbis, *Quæ etiam sedens*, innuitur, quamplures fuisse circa Jesum sedentes, atque inter illos Mariam. Jesus, curis omnibus ad sacrum quod susceperat ministerium conversis, nullam penitus negligebat opportunitatem, qua doceri populus, & ad veritatis agnitionem vocari posset.

℣. 40. Martha satagebat circa frequens ministerium. Græcus ad verbum (29): *Distrahebatur circa multam ministrationem*; ob ingentem hominum numerum, quibus cibos parabat, sive ob solicitudinem, qua ita servire satagebat Christo, ut

[17] Grot. Jansen. alii. [18] Hieronym. in Matth. xx. & epist. 27. [19] Augustin. lib. de Doctr. Christ. cap. 30. [20] Vide Matth. v. 43. Auct. & Martian. & Ligfoot. hic. [21] Vide Maldon. hic; Grot. ad ℣. 37. [22] Vide Origen. homil. 34. Gregor. orat. 4. de Theolog. Ambros. hic; Hieronym. ad Fabiol. Greg. lib. 22. Moral. cap. 21. Beda, Theophyl. hic; Alii. [23] Ἀντιπαρῆλθε. [24] Theophyl. Brug. [25] Grotius hic. [26] Brugens. [27] Εἰς πανδοχεῖον. [28] Hieronym. in locis. [29] Περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν.

ut illi placeret. Solicitudinem magis augebant pium illius studium, & erga Christum amor, quam ipsa officii gravitas.

Non est tibi curæ, quod soror mea, &c. Ex ore sororis, avide perbibentis institutiones Christi, collegit Martha, illam non facile e Christi pedibus e se avelli posse: quamobrem Jesum ipsum orat, ut sua illam auctoritate moneat, & ad opem ferendam mittat. Sperabat illa futurum, ut Maria opem ferente, reliquum sibi foret aliquid temporis ad audiendas Jesu Christi institutiones. Pia laudabilique invidia in questum impellitur. Aliqua saltem parte felicitatis optabat frui, qua Maria cumulabatur. *Felix domus & beata semper Congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur!* Bern. Ser. 3. de Assumpt. n. 2.

℣. 42. Porro unum est necessarium. Veteres multi legunt (30): *Paucis est opus, vel una est opus.* Martha, varium ac multiplex convivium parare ne labores: paucis opus est; vel unum opsonium sufficiet (31). Aliter: Inter multiplices vitæ curas unum porro est necessarium; Dei verbum audire, illique obtemperare (32): *quærere Regnum Dei & justitiam ejus*, ut alibi ait Christus Matth. 6. 33. Cætera cum hoc comparata, minora sunt & duntaxat convenientia; unicum Christianis negotium est necessarium, salus.

℣. 43. Maria optimam partem elegit. Marthæ solicitudinem absolute non damnat Christus, sed Mariæ studium præfert. Dignissimum laude est, exteriora charitatis opera exercere, excipere hospitio advenas, pauperibus inservire; at multo præstantius, precibus & meditationi vacare. *Nec tamen Martha in bono ministerio reprehenditur*, inquit S. Ambrosius in Luc. hic; *sed Maria, quod meliorem partem elegit, antefertur.* Non arguit Marthæ officium, sed nimiam illius solicitudinem; & Mariæ quietem laudat: *Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit*, ait S. Augustinus Serm. olim 27. de verbis Dom. nunc 104. Cur vero altera alteri præfertur? Nimirum per Mariæ partem ad partem Marthæ pervenitur, quæ denique auferenda est, illa non item: *Ideo intelligitur optima*, inquit idem lib. 2. qu. Evang. q. 20. *quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur: illa vero ministerii, quamvis sit bona, tamen auferetur.* Maria symbolum vitæ contemplantis est, Marthe agentis. Græcus (33) & veteres multi (34) ferunt: *Maria bonam partem elegit*. Alii *Meliorem partem*, &c.

---

[30] Cassian. Collat. 1. cap. 8. & Coll. 23. cap. 3. legit: *Porro paucis opus est, aut etiam uno.* Hieronym. ad Eustoch. *Pauca autem necessaria sunt, aut unum.* Basil. non semel; Olympiodor. in Eccle. 1. Æthi. Copht. Ὀλίγων ἐστὶ χρεία, ἢ ἑνός. Colb. 8. Arab. Ὀλίγων ἐστὶ χρεία. [31] Basil. Monast. regul. fusior. 4. 20. & Constit. c. Tit. Bostr. Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. hic; Tolet. Tir. Menoch. Brug. alii. [32] Beda, Euthym. Maldon. Grot. Tir. alii ex August. Bern. alii. [33] Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο. [34] Vide Maldon. hic.

C A P U T XI.

Orandi formulam Discipuli docentur. Orandi constantia. Dæmonium mutum ex homine pulsum. Accusatur Jesus, quod dæmonia nomine Beelsebubi ejiciat. Criminationem refellit. Parabola de forti armato, domum suam custodiente. Mater Jesu beata: beati qui Dei verbum audiunt, & obtemperant. Signum Jonæ. Ninivitæ & Regina Austri damnaturi sunt Judæos supremo Judicii die. Oculus simplex, & oculus nequam. Pharisæorum hypocrisis. Pharisæi sepulcris latentibus similes. Majorum sævitiam imitantur.

℣. 1. ET factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex Discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Joannes discipulos suos. 2. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. 5. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, 6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum; 7. Et ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. 8. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. 9. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. 10. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur. 11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? 12. Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem? 13. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? 14. Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. 15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. 16. Et alii

alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. 17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. 18. Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dœmonia. 19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dœmonia: filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. 20. Porro si in digito Dei ejicio dœmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. 21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. 22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. 23. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. 24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens dicit: revertar in domum meam, unde exivi. 25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam. 26. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. 27. Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. 28. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. 30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi isti. 31. Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic. 32. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plus quam Jonas hic. 33. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: 35. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. 36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. 39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. 40. Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? 41. Verumtamen, quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. 42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. 43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. 44. Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt. 45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. 46. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. 48. Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. 49. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur. 50. Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista. 51. A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. 52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. 53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis. 54. Insidiantes ei: & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

℣. 1. CUM ESSET IN QUODAM LOCO ORANS [Forte, in monte olivarum] DIXIT UNUS EX DISCIPULIS, &c. Nondum fortasse Christum Discipulus hic sequebatur, cum ille Apostolos altero ante anno doceret orandi formam, quam in Matthæo VI. 9. 13. legimus. Nihil necessarium magis, quam orare, nihilque difficilius. Sanctiores orandi leges nemo tradere poterat, quam Christus. Omnia ille hac oratione complexus est, quæ postulanda sunt a Christianis.

SICUT DOCUIT JOANNES. Quam orandi formam docuerit Baptista, ignoratur: quæ fortasse circa Messiæ manifestationem versabatur; quippe quæ præcipuum esset verborum Baptistæ argumentum; & circa animi præparationem, qua ille erat excipiendus (1).

℣. 2. PATER, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. Ne mirere, verba eadem hic a Christo non repeti, quæ anno superiore, cum orandi modum Apostolos doceret. Satis erat, rei summam persequi. Dissident hic Græci Latinique Libri. Quo loco Vulgata fert dumtaxat, *Pater*, pleraque Græca Exemplaria habent, *Pater noster qui es in cœlis*: atque ita Origenes in suo libro de prece scripserat. Græci quamplures, tum editi tum manu exarati, legunt: *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo & in terra*; & ℣. 4. *Sed libera nos a malo*. Vulgata, plurimique Codices optimi utrumque omittunt, quemadmodum Origenes (2) & S. Augustinus. Postremus hic animadvertit in Enchirid. ad Laurent. c. 116. Oratione Dominica apud Lucam quinque dumtaxat petitiones contineri; septem vero apud Matthæum. Dominicam orationem interpretati sumus in Matthæo.

℣. 5. IBIT AD ILLUM MEDIA NOCTE, ut panes tres mutuo postulet. Parabolam hanc Lucas solus recitat. Cum descriptam mox orandi formam Jesus Discipulos docuisset, orationis utilitatem ac vim generatim ostendit. Constanter orandum esse ait, minimeque cessandum. Panem amicus ab amico mutuum postulatum venit, nocte intempesta, tempore maxime importuno, dormientibus hero, filiis ac familiaribus. Repulsus primo, iterum rogat; & perseverando extorquet id, quod absque improbitate non impetraret. Precibus fatigari vult Deus, fervidaque & constanti oratione vinci.

COMMODA MIHI TRES PANES; non magnos certe, si in amici unius usum postulat. Porro adhuc in iis regionibus panes modici, tenues aridique sunt. Sive tres panes poscit, unum hospiti, alterum sibi, tertium si alterutri unus minime sufficiat; vel, unum hospiti, alterum illius uxori, tertium servo (3). Credibile est, panem apud pistores venumdari non consuevisse, singulis domi parantibus: quorsum enim excitandus erat amicus, si panes apud pistorem prostarent?

℣. 7. PUERI MEI MECUM SUNT IN CUBILI. Sunt (4) qui servos interpretentur & familiares; quos interdum Scriptura *pueros* nuncupant. Plerique tamen (5) de filiis explicant, eodem in lecto vel conclavi, seu denique in eadem domo dormientibus.

℣. 8. PROPTER IMPROBITATEM EJUS. *Improbus* & *improbitas* interdum usurpantur pro pervicaci flagitatione (6). Græcus (7): *Propter inverecundiam*, impudentem (8) pervicacemque postulationem. Hunc imitari opus est, dum oramus. Aliud expectat nihil Deus nisi precem, ut largiatur. *Non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet*, inquit S. Augustinus Serm. olim 29. nunc 105. *Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quam nos accipere*.

℣. 11. QUIS ENIM EX VOBIS, &c. Similes admodum sunt anguilla & anguis. Pisces universe ab Hebræis inter reptilia recensebantur. Genus quoddam scorpiorum est album; magnitudine ac forma ovo simile (9).

℣. 13. QUANTO MAGIS PATER VESTER .... Spiritum Sanctum largietur cum ipsius donis muneribusque? Hoc maximopere indigebant Apostoli ac Discipuli, quos alloquebatur, ut ministerii sui officia explerent. *Spiritus bonus* consueto Scripturarum sermone significare generatim potest mentem animumque bene institutum, docilem, demissum, morigerum. Leguntur hæc apud S. Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. veluti a Christo pronunciata: *Petite, inquit, magna, & parva vobis adjicientur*. Et apud Origenem lib. de Orat. 9. 2. & 1. 6. contra Celsum: *Petite cælestia, & terrena vobis adjicientur*.

℣. 14. DÆMONIUM MUTUM, vel quod hominem mutum efficiebat.

℣. 15. IN BEELSEBUB. Non semel hoc Judæi crimini dederunt Christo. Vide apud Matthæum, XII. 24. quo pacto criminationem hanc refellerit Christus, iisdem nempe rationibus, quibus hic utitur.

℣. 16. SIGNUM DE CŒLO, in sideribus, sole, luna. Ea non edebat Christus prodigia, quæ inani dumtaxat ostentationi servirent, sed quæ cæteris prodessent.

℣. 22. UNIVERSA ARMA EJUS. Sunt qui Græcum (10) interpretentur *de Rebus* & effectis, in illius potestate positis. Melius tamen de armis. Quid sit fortis armatus, atrium suum custodiens, explicavimus in Matthæum XII. 29.

℣. 24. CUM IMMUNDUS SPIRITUS. Docet hac parabola Christus, Pharisæos, qui magnis quibusdam criminibus, homini non ita perspicuis, non tenebantur, magis corrumpi superbia & hypocrisi, quam si peccatis vulgo notioribus inquinarentur; minus enim sibi fiderent, minusque a pœnitentia abhorrerent. Referri etiam *hæc* possunt ad Judæos universos, quibus certe exprobrari non poterant profanorum Numinum cultus, magnaque illa peccata, majoribus familiaria; sed qui superstitiones innumeras sectabantur, a vera Legis mente alienas. Vide quæ diximus in Matthæum XII. 43.

℣. 27. EXTOLLENS VOCEM QUÆDAM MULIER. Capta suavitate sermonum Christi hæc mulier beatam prædicat matrem, quæ ipsum edidit; ac naturali conditionis suæ desiderio sese fore beatissimam clamat, si talis filius sibi contingeret. Hujus mulieris verba usurpant Patres (11), ut verum fuisse Christo corpus adversus Marcionitas aliosque Hæreticos, id negantes, probent.

℣. 28. QUINIMO BEATI QUI AUDIUNT VERBUM DEI, ET CUSTODIUNT. Minime negat, beatissimam esse matrem suam, quæ se peperit & lacte nutriverit, sed multo beatissimos asserit eos, qui verba sua excipiunt, iisque obtemperant. Quamquam Maria Dei mater effecta est beneficio prorsus gratuito, ipsum tamen quodammodo meruit fide, inquit S. Augustinus de peccat. merit. & remiss. c. 24. n. 38. *Sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit*. Maria Deo magna fide & constantia obediens, ejusque verba excipiens, Dei mater effici meruit. Ne igitur desperes, quin matris meæ fortunam consequare: potes quippe, si, ferente opem Deo, fidem diligentissime colueris, meisque institutionibus obtemperaveris. Qui ita mater mea fiunt, beatiores sunt, quam ipsa mater foret, si, his neglectis, materiam dumtaxat meo corpori suppeditasset (12).

℣. 29.

[1] Grot. Brug. [2] Origen. ibidem. Vide Var. Lect. Mill. hic. [3] Bern. serm. in Rogationib. [4] Hamm. Le Clerc. [5] Tertull. lib. 4. contra Marcion. Theophyl. Maldon. Grot. Brug. Syr. [6] Eccli. XXIII. 13. *Ne improbus sis, ne impingeris*. Sueton. *Vir viri improbi*. [7] Διὰ τὴν ἀναίδειαν. [8] Erasm. Var. Grot. Pisc. alii. [9] Vide Boch. lib. 4. cap. 29. pag. 636. & 641. [10] Τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. Beza, de Rebus. [11] Tertull. lib. 4. contra Marc. Beda, Theophylact. hic. [12] Vide August. lib. de Virginitate; Bedam hic; Maldon. Grot. Brug. alios.

℣. 29. Signum Jonæ Prophetæ. Prodigium in aere cœlove non exhibeo, sed in ipso terræ sinu, multo nobilissimum, quam Jonę Prophetæ, qui ex piscis ventre vivus prodiit. Ita ego vivus emergam e sepulcro, tertia die postquam obiero. De ℣℣. 30. 31. 32. vide nos in Matthæum xii. 40. 41. 42.

℣. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Ut versiculi hujus significationem assequare, junge cum superiori ac duobus consequentibus. Prodigia edo, measque institutiones trado non surdis & cæcis. Verba facio, ut nemo non intelligat, prodigia ostendo, ut missionis meę argumenta proferam. Lucernam sub modio non abscondo. Quisquis vult, videat: lucerna palam micat. Si bona tibi est oculorum acies, luminis mei jubar commode perspicies: si mala vitio laborans, tenebras undique senties: prodigia mea loco veneficiorum erunt, measque institutiones meram insaniam esse existimabis. Cave igitur, ne mentis tuę oculi invidia odioque vitientur.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quemadmodum oculis corporis corporea intueris, ita oculis mentis spiritualia: atque uti corpus totum in tenebris versatur, ubi inest oculis vitium; ita ubi animus tuus indigna odii seu livoris affectione occupatur, nihil nisi tenebras ac turbas experiris: monstra tibi videntur ea quæ sunt pulcherrima; piissimus quisque deceptoris loco tibi est; ac prodigia vel nobilissima Beelsebubi opera tibi existimantur. [℣. 35.] *Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebræ sint;* & illud ipsum, cujus ope bonum a malo secernere debes, te in errorem agat. [℣. 36.] *Si corpus tuum totum lucidum fuerit, erit lucidum totum.* Si oculus tuus infirmus non fuerit, omnia tibi erunt fulgida; si ille obscurus sit, omnia tenebræ tibi fient. Ita de rebus senties, uti animus tuus bene vel male erga proximum comparatus fuerit; quemadmodum pro bona malave oculorum valetudine æquam vel iniquam de rebus exterioribus sententiam ferre soles.

℣. 36. Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, &c. *Corpus* hoc loco non usurpatur dumtaxat pro membrorum mole, quæ anima regitur; sed hominem totum significat, ex anima & corpore compositum (14). Si corporis & animæ tuæ oculi nitidi fuerint ac bene valentes, labe nulla aut perturbatione occupati, *erit lucidum totum*; tibi undique futurum est jubar, intus ac foris: de rebus, quæ sub sensum cadunt, & a cæteris geruntur, recte judicabis.

℣. 38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Nihil plane cautum est Lege de his manuum lotionibus, quas Pharisæi ante cibum usurpabant. Christus & Apostoli manus lavabant, cum opus esset, neglecta superstitione atque inani rerum levissimarum religione. Minime tamen omittebant eas lotiones, quas interdum Lex imperabat: cæteras parvi faciebant. Vide nos in Marcum vii. 4.

℣. 39. Nunc vos, Pharisæi, &c. Particula *nunc* illud innuit, Christum in Pharisæorum ore seu verbis animadvertisse, illos offensos esse, quod ita se gereret. Criminationem ita diluit: Jussit Deus, hominem omni mentis labe purum esse: hoc Legis propositum est: at *nunc* vos, Pharisæi, sanctissimam hanc Legem pervertitis: de exterioribus quippe labibus solliciti, mentem penitus negligitis.

℣. 41. Verumtamen quod superest [cæterum] date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Certissimus comparandæ animi puritatis modus, eleemosyna. Una ne quibuslibet criminibus expiandis sufficit eleemosyna? Satis ne fecerit fur, homicida, adulter, calumniarum artifex, si eleemosynam largiatur? Nequaquam certe. Eleemosynam Christus tantummodo comparat cum exterioribus Pharisæorum lotionibus. Non balneo & vulgari aqua mentis sordes purgandæ sunt, sed operibus charitatis. Multo præstantius lavat eleemosyna, quam maris totius omniumque fluminum aqua (15). Aliter: Si vere lavari cupitis, dignos pœnitentiæ fructus exercete: res male partas restituite; atque ex reliquo peccata largitionibus redimite. Ita omnia, tum interior tum exterior vasis pars, purgabuntur (16).

S. Augustinus (17) aliique post ipsum nonnulli *eleemosynam* hic pro quibuslibet charitatis & misericordiæ operibus usurpant. Primum autem charitatis officium est, animæ saluti studere, teste Scriptura Eccli. 30. 24. *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Alterum, proximo reddere quæ debes. Eleemosyna tam late usurpata non potest, quin animos purget: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* At mihi ægre probatur, Christum hic intellexisse hoc sensu *eleemosynam* sive *misericordiam*.

Beda & S. Bonaventura *eleemosynam* propria & communi acceptione intelligunt; at limites arctiores ponunt consequentibus: *Ecce omnia munda sunt vobis.* Optime vos comparabit eleemosyna, ut absolutam corporis atque animi munditiem assequamini. Ita explicandi sunt cæteri Scripturarum loci, veluti Danielis iv. 24. cum ad Nabuchodonosorem ait: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Tobiæ iv. 11. *Elemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Recentioribus nonnullis (18) placet Græcum ita reddere (19): *Eleemosynam dabitis, & omnia vobis pura esse putatis*; nihilque exigi aliud, ut intus ac foris puri sitis.

Putat Ligfootus, hoc a Jesu proponi, non ut dogma sibi probatum, sed uti falsam Pharisæorum opinionem; quasi per ironiam dicat: Vos quidem purgare animum non satagitis, dicitisque: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis: eleemosyna hominem ab inferorum suppliciis servat; unaque ipsa universæ Legi par est. Hæc profecto dogmata apud Rabbinos inveniuntur. At neutra interpretatio nobis placet: illa, quod Græci sermonis analogiæ; hæc, quod universæ orationi repugnet. Hæc porro est maxime simplex & probata interpretatio: *Cæterum date eleemosinam ex iis quæ habetis*, vel quantum potestis maxime (20), & *ecce omnia munda erunt vobis.* Hæc vestrorum criminum veniam, & animi corporisque munditiem melius vobis comparabit, quam exteræ lustrationes.

℣. 42. Decimatis mentham .... et omne olus hortense; cæterorum enim decimæ non solvebantur. Id minime damnat Christus, quasi malum sit; arguit solummodo affectatam religionem exhibendi decimas ex rebus Lege non imperatis, cum præcepta Legis multo graviora negligerent. Vide nos in Matthæum xxiii. 23.

℣. 44. Estis ut monumenta quæ non apparent. Christus Matth. 23. 27. Pharisæos similes esse ait sepulcris albo pictis, quæ foris nitent, intus vero plena sunt tabo & ossibus. Hic vero cum sepulcris comparat humi latentibus, quæ nemo cavet, cum minime appareant, nihilo tamen minus sordida, ac tabo & putredine referta. Utraque comparatio eamdem rem significat; Pharisæos nempe turpissimæ simulationis accusat, scelera gravissima sub specie pietatis obtentu celantis.

Ut Christi mentem, Pharisæos sepulcris albo pictis similes esse dicentis, plane assequare, ani- mad-

[14] Vide Maldon. Grot. Jans. [15] Maldon. hic, & Euthym. [16] Grot. hic. Vide Basil. regul. Brevioib. quæst. 271. & Hamm. hic. [17] August. Enchirid. cap. 75. & serm. olim 50 [illegible] verbis Domini, nunc 106. cap. 4. Beda, Strab. hic. [18] Erasm. Drus. [19] Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην. [20] Grot. Vat. Hamm. Bez. Camerar. alii.

madverse, Hebræos, ut labem ex cadaveris vel sepulcri contactu caverent Num. 18. 16. consuevisse, ea loca, in quibus jaceret cadaver, externori signo sedulo notare (21), quod longe prospicientibus appareret, nequis imprudens pollueretur. Cautum erat, ut quilibet Israelita, mortuum vel sepulcrum nullo signo notatum inveniens, apposito indicio perspicuum faceret; singularumque urbium Judices subinde sepulcra in agro sita invisebant, ut indicia, quibus distinguebantur, restituerent. Hujusmodi autem indicia vel lapis erant erectus, vel calx super eum locum fusa. Sepulcra erant Pharisæi, tabo & ossibus plena, nullo tamen indicio notata: quisque nullo metu accedebat.

℣. 46. QUI ONERATIS HOMINES, &c. Vide Matthæum XXIII. 4.

℣. 48. TESTIFICAMINI QUOD CONSENTITIS OPERIBUS PATRUM VESTRORUM. Non eo assentiebantur Hebræi sævitiæ ac cædibus majorum erga Prophetas, quod Prophetis sepulcra conderent. Iidem ipsi apud Matthæum 23. 29. publice testabantur, se minime in illos fuisse sævituros, si ea ætate viverent. At imas illorum mentes pervadens Jesus, norant quo in se odio fervetent, & in eos, qui ipsorum flagitia vulgarent. Colligit denique, plane ipsos ostendere, sese ortos esse ex Prophetarum interfectoribus, eosque imitari. Tametsi fertemini, vos majorum sævitiam damnare, cæsorumque ab illis Prophetarum obsequio monumenta construere, facta cum verbis pugnant. Omnino evincitis, vos illorum filios esse, eorumque gesta probare, dum struitis monumenta iis, quos illi necavere. Acris ironia. Argumentationis hujus collectio idcirco tantum consequitur, quod imas Pharisæorum mentes pervaderet Christus, uti diximus, nossetque id moliri eos, ut ipsum occiderent, & Apostolos ad necem usque insectarentur (22).

℣. 49. SAPIENTIA DEI, &c. Apud Matthæum 23. 33. ipse de se Christus ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & scribas; & ex illis occidetis & crucifigetis.* Ex hac locorum collatione plane vides, *Sapientiam Dei* ipsum esse Jesum, Sapientiam essentia, Verbum Patris.

℣. 51. A SANGUINE ABEL, &c. Vide Matthæum XXIII. 35.

℣. 52. TULISTIS CLAVEM SCIENTIÆ. Neminem esse vultis, præter vos, Israelis Doctorem. Quis aut vobiscum aut ex vestra institutione non docet, illum certa manent odia & condemnatio. Salutem nemini patere dicitis, nisi per monstratum a vobis iter, ac nonnisi per apertas a vobis fores posse ingredi neminem (23). Miserum, si quis docere ceteros aggrediatur, nisi vos assentiamini, vestrisque institutionibus ille obsequatur. Miserrimum, si vestra instituta palam damnet, vestrumque probrum manifestum efficit. Pereat necesse est, furoris vestri victima. Cœli fores clauditis, & clavem aufertis (24): neque vos ingredimini, neque cæteris ingressum datis. Scripturas pessime interpretamini, perversisque traditionibus germanum illarum sensum corrumpitis: quæ docenda sunt, siletis; docetis ea quæ silenda fuerunt; ritus nimirum & superstitiones, quas pro Lege obtrusistis. Hebræi clavem doctoribus ac tabulas tradebant, ut ipsos veluti in muneris possessionem immitterent: interdum etiam cum iis cadavera Doctorum sepeliebant (25). Ad hunc morem, inquiunt, allusit Christus. Confer Matthæum XXIII. 13. 14.

℣. 53. GRAVITER INSISTERE, ET OS EJUS OPPRIMERE DE MULTIS QUÆSTIONIBUS. Græcum vocabulum (26) plures interpretationes patitur: *Acriter illum urgere, ac multis quæstionibus confertim aggeratis fatigare*, ut aliquem in errorem laberetur. Vel: Furere in illum cœpere; seu vehementissime in illum indignati, multa ex eo quærebant, ut vel accusationis vel inferendæ viæ opportunitatem ex responsis caperent. Aliter (27): *Insistebant vehementer ei, & loquentem importune intercipiebant.*

[21] Vide Ezech. XXXIX. 15. Rabb. apud Porok. Miscellan. [22] Vide Brug. Pisc. Hamm. hic; Grot. ad Matth. XXIII. 29. [23] Maldon. Vide Ambros. in Luc. August. lib. 2 quæst. Evang. qu. 1. & lib. 2 contra adversar. Leg. & Proph. cap. 5. Bedam, Theophyl. alios. [24] Ἤρατε τὴν κλεῖδα. Grot. hic. [25] Vide Grot. Camerar. Ligfoot. [26] Ἤρξαντο δεινῶς ἐνέχειν, & ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων. Legunt quidam: Δεινῶς ἐπέχειν. Alii: Δεινῶς ἔχειν. Vulgatæ Author legisse videtur: Ἀποστομίζειν, Os opprimere; Ἀποστοματίζειν, Interrogare, excipere recitata memoriter, ut Magister a Discipulo. [27] Vide Erasm. & Lu-Dov. de Dieu.

CAPUT XII.

Fermentum Pharisæorum. Blasphemia in Spiritum Sanctum. Spernenda inimicorum odia. Renuit Jesus hæreditatem inter geminos fratres dividere. Dives, collecta ingenti fortunarum copia moriens. Ne solicitus sis de rebus vitæ necessariis. Servus vigil, herum expectans. Jesus ignem in terras allaturus venit. Unumquemque monet, adversarium caveat.

℣. 1. MUltis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit
dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est
hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum,
quod non sciatur. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod
in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis
meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius,
quid faciant. 5. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui,
postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.
6. Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & unus ex illis non est in
oblivione coram Deo? 7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite
ergo

ergo timere: multis passeribus pluris estis vos. 8. Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. 9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. 12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. 13. Ait autem ei quidam de turba, Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. 14. At ille dixit illi: homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? 15. Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: 17. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? 18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, 19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt? 21. Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. 22. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 26. Si ergo neque, quod minimum est, potestis, quid de cæteris solicitis estis? 27. Considerate lilia, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei? 29. Et vos nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: 30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit, quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. 32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit: 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. 36. Et vos similes hominibus, expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit; beati sunt servi illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? 42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem. 44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. 45. Quod si dixerit ille servus in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere servos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: 46. Veniet dominus servi illius, in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. 47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. 48. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omnis autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. 49. Ignem

veni

veni mittere in terram, & quid volo, nisi, ut accendatur? 50. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur? 51. Putatis, quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem: 52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, & duo in tres dividentur. 53. Pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. 54. Dicebat autem & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit. 55. Et cum austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit. 56. Hypocritæ, faciem cœli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? 57. Quid autem & a vobis ipsi non judicatis, quod justum est? 58. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

♃. 1. ATTENDITE A FERMENTO PHARISÆORUM, QUOD EST HYPOCRISIS. Hoc ipsum alibi monuerat Matth. 16. 5. Aliæ multæ leguntur tum hoc Capite, tum in superioribus sententiæ, aliis in locis iteratæ. Nonnulla majoris momenti sæpissime monuit Christus. Ea erant authoritate Pharisæi apud populum (1), ut Evangelii cursum impedire possent, nisi Jesus communem de illis existimationem evertere sedulo studuisset, demonstrata doctrinæ illorum perversitate, indicatisque vitiis, quæ illi in Religionem induxerant. Monet hic Apostolos, hypocrisim Pharisæorum caveant; idque ait frequenti in multitudine, ut ipsi a se eam pestem arcerent, ipsamque in cæteris execrarentur. *Fermentum hypocrisis* est agendi vivendique ratio simulatione plenissima, vel dogmata, moresve nequissimi, aut superbia. *Fermentum* usurpat sæpe Scriptura (2), ut malorum dogmatum vel pessimi exempli discrimen significet: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*.

♃. 2. NIHIL OPERTUM QUOD NON REVELETUR. Frustra latere conantur: simulatio illorum ac perversitas omnium oculis aliquando exponendæ sunt. Reducto demum velo pessima illorum dogmata detegentur, & execrationi erunt. Pergit Christus prædicare, vulgandum fore Evangelium, ritusque Legis abrogandos: *Quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis*. Quæ nunc trado de Pharisæorum superbia, hypocrisi ac perversitate motum, quæque ipsi dicetis, ab universis plane hominibus cognoscentur. In Palæstina verba ad populum fieri poterant e tectis, quippe in areæ formam constructis. Versiculos 4. 5. 6. 7. 8. 9. explicavimus in Matth. x. 16. 34.

♃. 6. VÆNEUNT DIPONDIO. *Dipondium* accipitur pro minima moneta, ut proverbio olim usurparetur: *dipondio*, vel *dupondio non facere aliquem*; quod perinde erat ac nihili aliquem facere. Homodupondiarius, homo octo denariorum, homo flocci. Ex Buddei sententia dipondium assibus duobus sive octo denariis æstimabatur; ac reipsa quidem græcus hujus loci fert ἀσσαρίων δύο. Vide Buddeum de Asse lib. 5. & confer Matth. x. 29.

♃. 10. QUI IN SPIRITUM SANCTUM BLASPHEMAVERIT, NON REMITTETUR. Vide nostram Dissertationem de peccato in Spiritum Sanctum, & quæ diximus in Matth. XII. 31.

♃♃. 11. 12. NOLITE SOLICITI ESSE, &c. Vide Matth. x. 19.

♃. 13. DIC FRATRI MEO, UT DIVIDAT MECUM HÆREDITATEM. Vides hic mundi ingenium. Christo agente de contemptu rerum ac divitiarum, de fiducia in Dei misericordiam & providentiam, intercipit illum quidam, rogans, ut negotio sese immisceat prorsus humano, ad ipsum minime spectanti, cum ad eas res agendas missus non fuerit. Hic cætera negligens, nonnisi de caducis rebus cogitat; conaturque Christum ad res suas pertrahere, quo tempore is maxime de hujus vitæ rebus disputat (3). *Petebat in terra dimidiam hæreditatem; in cælo Dominus offerebat totam: plus Dominus dabat, quam ille postulabat*. Augustinus serm. olim 196. nunc 107.

Disceptationis capita inter duos fratres ignorantur; utrum scilicet totam hæreditatem alter occupaverit, ac fratri partem relinquere nollet; an vero quantum illi debebatur, denegaret. Neque etiam constat, Jesum ne uterque arbitrum elegerit, an alter dumtaxat rogaverit Jesum, qua pollebat authoritate imperaret, vel saltem suaderet alteri, ut res amice & ex æquo componeret. Ordinaria hæreditatum lex, authore Moyse Deuter. 21. 17. sanciebat, ut major natu filius duplicem patrimonii partem obtineret, cæteri ex æquo dividerent. At ex matris hæreditate nulla erat majori prærogativa, sed æquales in partes dividebatur (4).

Præter causam a Christo allatam ♃. 14. ne arbitrium & negotium dividendæ hæreditatis susciperet, nimirum quod in hujusmodi res missus non fuerit, neque par esset, ut rerum terrenarum causa munus docendi curamque rerum divinarum intermitteret; alia subesse poterat, nolle scilicet alienis negotiis immisceri, invidiamque apud inimicos civilesque Judices sibi creare, quasi usurpare illorum authoritatem auderet, causasque ad se minime spectantes cognoscere. Si deinde Episcopis visum est cognitionem de plerisque Diœceseos suæ negotiis aggredi, id gestum est obsequio Pauli Apostoli, vetantis, nequis Christianus causam apud Ethnicos diceret (5). Reluctantes invitique ea suscepere, ne majoribus incommodis aditus pateret.

♃. 15. CAVETE AB OMNI AVARITIA, QUIA NON IN ABUNDANTIA CUJUSQUAM VITA EJUS EST. Omnia hujus vitæ bona vitam tibi neque dabunt neque tuebuntur, nisi largiatur Deus & servet. Quamobrem frustra omnino laboras; invitumque te huc redigi necesse est, curam rerum tuarum relinquendam esse Providentiæ.

Græcus ad verbum (6): *Cavete avaritiam*, seu opum colligendarum cupiditatem, divitiarum amorem; *quia non in abundantia cuiquam vita ipsius est ex facultatibus suis*. Frustra congeris multa; cum enim ista habueris, neque curis liber futurus es, nec morte. Universæ hominum opes cupiditatem habendi non sanabunt, neque vel momento uno mortem remorabuntur (7). Qui plura possi-

(1) Joseph. lib. 1. de Bello cap. 4. (2) Matth. XVI. 5. 6. Galat. V. 9. 1. Cor. V. 6. (3) Vide Ambros. in Luc. lib. 7. (4) Vide Selden de success. in bona cap. 5. 6. (5) 1. Cor. VI. 1. 2. 3. &c. Vide Grot. hic; in Luc. XII. 14. (6) Φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας. Ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ. Plures Mss. legunt cum Vulg. Ἀπὸ πάσης πλεονεξίας. (7) Vide Augustin. serm. olim 192. nunc 107. & 28. de Divers.

poſſidet, an plus comedit, aut ſuavius vivit, quam qui minora? Sapientiſſimum eſt illud, ut animo & cupiditatibus modum imponas (8).

℣. 20. Dixit autem illi Deus, &c. Per noctis quietem, vel intra illius animum dixit (9); ſeu potius, illum ſtatim in alteram vitam tranſtulit, illique oſtendit, ſeſe adverſus illum decrevisſe ac pronunciaſſe, quo tempore is maxime de commodis cogitaret (10). *Dixit*, decretum ſignificat ac ſententiam, quæ morte completur.

Animam tuam repetunt a te. Mox tibi vitam ablaturus eſt Deus, ac præteriti temporis rationes repetiturus. Vitæ uſuram, ceu pecuniæ, homini dat Deus, mox repetiturus, cum voluerit, ajebat Cicero. Confer hunc locum Lucæ cum Eccleſiaſtico xi. 18. 19.

℣. 21. Et non est in Deum dives; qui locuples apud Deum non eſt; vel, qui ſpem in opibus ſuis collocat, *neque fiduciam in Deo ponit*; ſive, *qui non eſt dives ſecundum Deum*, virtutibus, rebus bene geſtis (11); qui opibus non utitur ex Dei præſcripto & voluntate, earumque partem pauperibus non elargitur (12).

℣. 22. Nolite soliciti esse, &c. De hoc ℣. & conſequentibus uſque ad ℣. 23. vide Matthæum vi. 25. . . . 34.

℣. 29. Nolite in sublime tolli. Ne pendete animi inter ſolicitudines (13), ut ii qui ſpe carent, & aſſidue verentur, ne ſibi deſint quæ ſunt neceſſaria. Poteſt etiam Græco & Vulgatæ aptari hæc interpretatio (14): *Ne in ſublime efferamini*, ut ii qui ambitionem ac ſuperbiam ſectantur, neceſſariis minime contenti, aſſiduiſque animi perturbationibus inquietantur, quippe quorum cupiditates modum neſciunt, ipſoſque ſupra ſe rapiunt. Alia penitus erat Prophetæ ſententia, cum diceret Pſalm. 130. 1. *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*. Reddunt alii (15): Ne curetis aſtra conſulere, futura quærentes, ut facienda prævideatis ac moliamini.

℣. 30. Gentes mundi, ſeu Gentiles ſæculi (16). Hoc nomine ab Hebræis donantur Ethnici (17), quibus nulla ſpes eſt, præter hanc vitam.

℣. 32. Nolite timere, pusillus grex, &c. Qui Regnum ſuum vobis pollicitus eſt Deus, ille ne rebus vitæ neceſſariis carere vos patietur? Tranquillo igitur animo fiduciam omnem de illius Providentia habetote (18). Modicum Diſcipulorum numerum alloquitur. Beneficio prorſus gratuito vocati eſtis ad fidem a Cœleſti Patre, atque ad cœleſte Regnum electi; modo illum ametis conſtanter ac timeatis, rebuſque pie & ſancte geſtis vocationem atque electionem certam efficiatis (19).

℣. 33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Nedum jubeo fidere Deo, ac terrena negligere; verum etiam moneo, ut venumdatis iis quæ poſſidetis, ea pauperibus largiamini, theſaurum in Cœlis hac arte vobis comparaturi. Eo inferendæ ſunt opes manu pauperum, ſiquidem eas a latronibus cæteriſque vitæ caſibus tutas eſſe cupitis.

℣. 35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (20), ſervorum inſtar, herum noctu venientem præſtolantium; ut ubi ille fores ferierit, ſtatim a vobis excipiatur. Servi a priſcis exhibentur (21) ſeminudi, vel alte cincti, quo magis ſtrenue inſerviant. Servi herum expectantes, præcincti ſunt, paratique obviam illi occurrere, atque inſervire, ubi advenerit. Lampadas manibus geſtant, utpote præſtolantes herum e nuptiis vel convivio redeuntem noctu, uti moris erat (22). *Nuptias* Helleniſtæ pro mero convivio frequenter uſurpant. Herus a ſervis expectatus, Deus ipſe eſt, nos in morte vocaturus, rationeſque repetiturus eorum quæ vivendo geſſerimus. Nemo non Dei ſervus eſt, ſeduloque unicuique in omnem vitæ ſuæ partem vigilandum eſt; ne veniens Dominus aut dormientem inveniat, aut lumine carentem, aut ſæculi curis impeditum.

℣. 37. Præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Herus domum rediens, ſervorum vigilantiam ac ſedulitatem ita acceptam habebit, ut ipſe inſtar famuli ſervis in menſa diſcumbentibus ſit inſerviturus, atque alte præcinctus circumiturus menſam, nequid cuiquam deſit. Id inter homines fieri, rarum eſt, ac forte inauditum. At hoc exemplo utitur Chriſtus, quo acrius oſtendat, quanti faciat paterfamilias ſervorum ſedulitatem atque ſolertiam; docetque, quam ingentem gloriam ac beatitudinem paret Deus iis, qui ſibi magna fide ſervierint (23).

Cæterum quamvis inſolitum videatur, herum præcingi, ſuiſque ipſum ſervis exhibere ſervitutem, res tamen exemplo non penitus caret. Saturnalibus diebus heri familiaribus ſerviebant (24), neque apud Romanos modo Græcoſque, ſed vel apud Babylonios, quæque *Sacæa* Feſta inter illos dicebantur, quorum meminere Cteſias (25) & Dio Chryſoſtomus Orat. de regno, eadem ferme fuiſſe creduntur Babyloniis, ac Romanis Saturnalia. Vide in Jerem. xxv. 26. & li. 41. quæ diximus de *Seſac*, ex quo nomen inditum eſt *Sacæis*.

Alienum eſt hoc a noſtris moribus, adeout vix in animum inducere valeremus herum adeo familiarem habuiſſe ſervum ſuum, ut non ſolum conviva ſecum adhibuerit, ſed & veſcenti miniſtraverit. D. Maillet Deſcript. Ægypti pag. 176. ſcribit ægre exprimi poſſe officia, quibus Turcæ ſervos ſuos proſequuntur. Illis erudiendis dominus præfectos habet deſtinatos; Domini vero aſſidue curant eorum commoda, conjuges illis conciliant, & munia lucroſa procurant. Nihil faciunt reliqui ut famulorum ſuorum conditionem augeant; commenſales adhibent; nec raro accidit ut famulus ſupra herum ſuum aſſurgat dignitate & honore; quorum tamen major dignitas nihil detrahit de obſequio & obſervantia in Dominos ſuos.

℣. 38. Et si venerit in secunda vigilia, &c. Conſtat, noctem apud Hebræos ea ætate in vigilias quatuor diſtribui conſueviſſe Matth. 14. 25. Vetuſti Codices nonnulli pro ſecunda vigilia ferunt (26), *veſpertina vigilia*.

℣. 39. Vigilaret, et non sineret perfodi domum suam. In ſuperioribus egit de ſervorum vigilantia: nunc de patreſfamilias. Vigilant illi, dum præſtolantur herum; hic vigilat, dum fures timet. Fures hi ſunt animæ hoſtes, domum noſtram ſubeuntes ſpoliranteſque, dum ipſi dormimus. Venturum tradit Dominum Scriptura (27) inſtar furis, tunc venientis, cum minime expectatur.

(8) Vide Horat. Satyr. lib. 1. Sat. 1. (9) Euthym. Brug. (10) Beda, Grot. (11) Euthym. Vide 1. Timot. vi. 17. 18. 19. Bez. Grot. (12) Ambroſ. Beda. (13) Ita Pag. Grot. Tig. Bez. Arab. Caſtal. Hamm. Lud. de Dieu. (14) Μὴ μετεωρίζεσθε. (15) Vat. Eraſm. (16) Τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου. (17) 1. Theſſal. iv. 12. (18) Maldon. Grot. (19) 2. Petri 1. 10. *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. (20) Græc. non habet, *In manibus veſtris*. Nec plures e Latinis. Vide Maldon. hic. (21) Vide 4. Reg. iv. 29. Luc. xvii. 8. Vide quæ Grotius & Hamm. congeſſere in hunc locum. (22) Luc. xiv. 8. Eſth. ix. 22. (23) Mald. hic, & Grot. (24) Athen. lib. 4. cap. 10. & Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. cap. 22. Lucian. epiſt. Saturnal. & in Cronoſolone. (25) Cteſias in Perſicis apud Athenæum. (26) Ἑσπερινῇ φυλακῇ. Vide Mill. hic. Ita legebat Marcion, teſte Epiph. (27) 2. Petri iii. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur*. Et 1. Theſſ. v. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet*.

ctatur. Mora ceu fur nocturnus irrumpit.

℣. 41. Ad nos . . . an ad omnes? Quæstioni huic non respondet hoc loco Christus: at apud Marcum 13. 37. aperte dicit, se ad omnes verba facere: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate*. Satisque hic idipsum innuit, parabolam in consequentibus narrans, qua Præsules ac Præfecti præsertim spectantur.

℣. 42. Quis, putas, est fidelis dispensator? In magnis familiis, ubi ingens esset servorum numerus, alicui ex his conservorum cura demandabatur; cujus potissimum munus esset, inspicere quid illi agerent, annonam in dies, vel hebdomadas, sive in menses distribuere, ex patrisfamilias præscripto & voluntate (28). Functi eo munere, plerumque ad totius domus administrationem, sive ad universam bonorum procurationem, seu denique ad libertatem gradum faciebant. Huc alludit Christus. Ecclesiæ Præsules instar fidelium hujusmodi in conservos dispensatorum sunt, consuetam & quotidianam illis annonam præbentes, scilicet institutionem. Beatos, si gravissimo hoc munere fideliter functi fuerint; eosque morientes, ubi Dominus ad familiam visendam venerit, familiæ universæ præficiet, honore & gloria in felici æternitate cumulabit.

℣. 46. Dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. *Dividere* in Scripturis sæpe est, neci tradere, animam a corpore sejungere (29). Heri olim authoritatem in servorum vitam mortemque exercebant. Hæc porro erat pœna servi infidelis, protervi, contumacis, & fugitivi. Qui tradita sibi ab hero in conservos authoritate abutebatur, protervia & superbia elatus, dignus omnino erat, qui in censu servorum infidelium atque immorigerorum haberetur.

℣. 47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini . . . vapulabit multis: qui vero ignoraverit, minus vapulabit. Unusquisque igitur scire tenetur & exsequi Dei voluntatem: quisquis illam non expleverit, pro peccati gravitate mulctabitur; hoc tamen cum discrimine, ut, qui voluntatem Dei agnoverit, severiores; qui ignoraverit, mitiores pœnas luat. Ita respondet Christus Petro, interroganti ℣. 41. (30), unis ne ipsis ea diceret, an omnibus? Omnino, inquit; unusquisque enim, nullius ratione habita, pœnas referet, quales promeruerit. Nullum erit discrimen Judæos inter atque Ethnicos (31), majorem minoremve, superiorem atque inferiorem (32); nisi illud fortasse, quod qui majori præditus cognitione peccare non desierit, severius punietur quam alter qui ignorans peccaverit (33), modo ignorantiam ipse non quæsiverit atque voluerit; hæc enim ipsa ignorantia peccatum est (34); aut Deum suum non ignoraverit, vel communia juris naturalis principia; quippe huic ignorantiæ nullus est excusationis locus: *Ignorantes Dominum nulla exceptio tutatur a pœna*, inquit Tertullianus de Pœnitentia.

℣. 49. Ignem veni mittere in terram, &c. Quem? Sunt (35) qui Spiritum Sanctum Interpretentur, institutionem Evangelicam, Apostolorum prædicationem, quæ terram universam pio fervore ac lumine complevere; idque indicatum est igneis linguis die Pentecostes in Apostolis lapsis Act. 2. 3. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis*, inquit Deus per Jeremiam 23. 29. *& quasi malleus conterens petram?* Alii (36) charitatis ignem accipiunt, a Christo in terris accensum, quem Apostoli omnes undique in partes intulerunt. At simplex maxime atque ad verbum interpretatio est de igne persecutionum & belli (37). Ignis passim in Scriptura bellum significat (38); testaturque apud Matthæum 10. 34. Christus, se gladium attulisse, non pacem; futurum nempe, ut Evangelica institutio seditiones, odia, malaque innumera sese defensuris pariat & amplexuris. At hac ipsa ratione Regnum Dei acquiritur: his artibus Jesus diaboli imperium frangit, idolorum cultum, superstitionem, errorem inter homines evertit. Porro tam magna rerum conversio absque fragore, tumultu, igne, bello, fieri non poterat.

Et quid volo, nisi ut accendatur? Vides hic fervidum Christi desiderium, ut Evangelium in omnes terrarum plagas diffundatur, & Apostoli cum mundo, carne, diabolo pugnam misceant. Hoc porro bellum amat & cupit Christus; hoc tumultu gaudet, quippe quo suum ipsius instituitur, & hostium imperium labefactatur; Imperatoris instar, prælium summopere cupientis, cujus certo ac felici exitu regnum inique ab alio usurpatum sibi restituendum videt. Græcus nonnihil a Vulgata discrepat (39): Ignem veni missurus in terram: *& quid volo, si jam accensus est?* Quid superest, si jam flagrat ignis (40)? At non desunt Interpretes eruditissimi (41), qui Græcum ex Vulgatæ sententia explicari posse arbitrentur: *Quid volo, nisi ut jam accendatur?*

℣. 50. Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor, usque dum perficiatur (42)? Quam avide, quam solicite cupio, id quantocius perfici? Passionem suam non semel (43) sub nomine baptismi significat; cum obruendus sit cruciatibus, ut ita dicam, usque ad verticem. Cumque Apostolorum ac Martyrum supplicia & persecutiones passionem J. Christi quodammodo expleant (44), nedum Passionem suam se cupere ait, verum etiam Evangelii prædicationem, quam Apostolorum persecutiones secuturæ sunt, imo & comitaturæ. *Coarctari* se asserit, non dolore aut metu, sed videndæ sei desiderio (45); quemadmodum gravida mulier partum valde cupit, quamquam timore non vacua (46).

℣. 51. Sed separationem. Eadem sententia, quæ apud Matthæum x. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium*. Separatio significat hic bellum, secessionem, mortem. Hæc quidem per se non optavit Christus, quem Scriptura ceu pacis Principem exhibet, patientiam, lenitatem, charitatem Discipulis magnopere commendantem; sed quæ futura sunt prævidebat, noveratque, quam mul-

(28) Vide Salvianum lib. 4. ubi ia invehitur in heros, qui cum annonam servis præberent, satia ciborum non dabant. *Servis etiamsi stipendia usitata præstentur, consuetudini hæc magis quam sufficientiæ satisfaciunt; & ita implent canonem, ut non impleant satietatem*. Theophrastus ait, avaros heros consuevisse per se annonam servis distribuere. Charact. Περὶ ἀνελευθερίας. Μετρεῖν αὐτὸς τοῖς ἔνδον τὰ ἐπιτήδεια. (29) 1. Reg. xv. 33. 2. Par. xxii. 11. 1. Reg. xxxii. 28. &c. Erasm. Vat. Camer. Martian. (30) Vide Maldonat. hic. (31) Origen. lib. 2. in epist. ad Rom. (32) Grot. hic. (33) 2. Petr. ii. 21. *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti*. (34) Grot. Brug. (35) August. lib. contra Adimant. Manichæum cap. 13. Origen. apud Hieron. lib. 2. contra Rufin. & in Matth. xxi. Greg. hom 3. in Ezech. Ambros. hic; Bern. ser. 1. de Purific. Alii plures. (36) Euthym. Theophyl. (37) Tertull. lib. 4. contra Marcion. Maldon. Grot. Brug. alii. (38) Deut. xxxii. 22. Psalm. x. 7. xvi. 3. lxv. 10. lxvi. 12. Isai. xxxiii. 11. & alii passim. (39) Καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη. Quidam Latini: *Quam volo ut accendatur!* Ita Philastr. hæres. de labiis Isaiæ carbone tactis. Hieron. lib. 2. in Rufin. & Comment. in Zach. ix. & in Matth. xxi. Origen. in Exod. Καὶ εἴθε ἤδη ἀνήφθη. *Atque utinam accendatur!* (40) Pagn. Erasm. Illyr. Mont. Castal. Beza, Ludov. de Dieu, Camer. (41) Vide Grot. & Hamm. hic. (42) Iren. apud Epiphan. Βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πάνυ ἐπείγομαι εἰς αὐτό. Epiphan. Καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη. (43) Marc. x. 38. Confer Psalm. lxviii. 2. lxxv. 2. 15. 16. (44) Coloss. i. 24. (45) Vide Ambros. Bedam, Theophyl. Euthym. Maldon. alios. (46) Grot. hic.

multa oritura essent bona ex bello & odiis, quibus agitandi erant Christiani. Tertullianus (48) *gladium* legebat in libris suis, non *separationem*: ac vitio vertit Marcioni, quod hanc vocem pro altera obtruserit. At optime legebat Marcion, idque servant apud nos examplaria omnia Græca & Latina.

℣. 54. Cum videritis nubem orientem ab occasu, &c. Hoc secundo jam illis exprobrat Matth. 16. 2. Qui ex aeris temperie bonam malamve tempestatem ominamini, tempora nosse nescitis; scilicet, minime intelligitis, expleta esse tempora adventus Messiæ, a Prophetis prædicta. In Palæstinam nubes imbresque a Mediterraneo Mari, quod occiduum illi est, impellebantur. Australes venti, ex Arabia & Ægypto, ferventissimis regionibus, spirantes, siccitatem æstumque inferebant: denique boreales venti frigora & nivem (49): quæ omnia passim e Scripturis colliguntur.

℣. 57. Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est? Ex posito principio duo colligit. I. Bonam malamve tempestatem prævidere nostis: cur vero quæ coram versantur, non intelligitis, nimirum adesse Messiæ tempus, omnesque illius notas in me compleri? II. Cur ita callidi cum sitis in iis quæ extra vos sunt, vestra ipsorum commoda ignoratis, malasque, causas seritis, aut cum adversario litem componere non satagitis, antequam ab eo in jus rapiamini, eoque agente damnemini? Græcus (50): *Cur autem ex vobis ipsis non judicatis quod æquum est?* Cur lites, cur controversias agitatis? Cur ipsi vobis æquum jus non redditis? cur non proximis?

℣. 58. Cum vadis cum adversario tuo ad Principem, &c. Non docet Christus litium amatores, quid ipsis agendum sit; quippe hujusmodi homines optime provident omnia quæ ad rem & causam spectant; sed eos arguit, qui dum vivunt, Deum placare non student, atque ad mortem pœnitentiam differunt. Hi nimirum justa inexorabilis Judicis severitate imprudentes occupantur, spernentis eo tempore inanem illorum pœnitentiam, qui monita sua & jussa, dum viverent, neglexere.

Græcus (51) ita reddi potest, junctus cum ℣. 57. *Cur ex vobis ipsis non judicatis quod æquum est? Et cum accedis ad Judicem*, seu Principem, vel Magistratum, *cur non das adversario usuram*, quam postulat, *ut illius vexatione te liberes?* Vel: Cur non reddis illi fœnus, quidquid sit? Si alieni æris causa, solve: si mercedem exigit, cur non reddis? Si rem ipsam exhibere non potes, exhibeto usuram, ne pergat. Ita explicant Theophylactus hic & Salmasius (52). Sors exigi non poterat ex legibus, dum debitor usuras præstaret. Optima explicatio.

(48) *Machæram quidem scriptum est; sed Marcion emendat, separationem, quasi non & separatio opus sit machæra.* Tertull. contra Marcion. lib. 4. (49) Vide Job xxxvii. 9. (50) Τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον. (51) Ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ. (52) Vide Salmas. hic.

C A P U XIII.

Galilæi, quorum cruorem Pilatus illorum sacrificiis miscuit. Ruina turris Siloes. Ficus sterilis. Mulier curva sanatur. Regnum cœlorum cum grano sinapis & fermento comparatum. Angusta porta. Jerusalem Prophetas occidens.

℣. 1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis: Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem, & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? 5. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. 6. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? 8. At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam & mittam stercora: 9. Et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. 14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, & ducit adaquare? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem, & octo annis, non oportuit solvi a vincullo isto die sabbati? 17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes

nes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo. 18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arburem magnam: & volucres cœli requieverunt in ramis ejus. 20. Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. 22. Et ibat per civitates, & castella, docens, & iter faciens in Jerusalem. 23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? ipse autem dixit ad illos; 24. Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. 25. Cum autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos, unde sitis. 26. Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis: Nescio vos, unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis. 28. Ibi erit fletus, & stridor dentium: cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt novissimi, qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt novissimi. 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. 33. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. 34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

℣. 1. NUNTIANTES ILLI DE GALILÆIS, QUORUM SANGUINEM PILATUS MISCUIT CUM SACRIFICIIS EORUM; nempe, quos sacra in Templo facientes Pilatus trucidavit. Res, quam hic Lucas obiter innuit, ignoratur. At hi fortasse Galilæi Discipuli erant Judæ Gaulonitæ, seu Galilæi, docentis, nefas esse, tributa externis pendere (1). Cum hæc illi Jerosolymis, ac fortasse in Templo traderent, Pilatus versis in illos armis, omnes ipsa inter sacrificia mactavit.

Sunt (2) quibus homines a Pilato necati, Samaritani fuisse videantur. Authore Josepho Antiqu. l. 18. c. 5. nebulo quidam cum se nosse diceret locum in monte Garizim, ubi Moyses sacra Templi vasa condiderat, seque certa die illa exhibiturum polliceretur; credula multitudo ingenti numero ad illum confluxit, ut spectaculo adesset. Cum autem illi Tirathabæ socios expectarent, una in montem conscensuri, Pilatus magno equitatu ac peditatu superiora occupavit; irruensque in Samaritanos Tirathabæ collectos, quamplurimos cecidit, fugavit cæteros, nonnullos e principibus cepit, & capite damnavit. Hi videntur illi esse Galilæi, quorum cruorem Pilatus cum illorum sacrificiis miscuit. Cur vero Galilæos nuncupat Lucas, tametsi Samaritanos, quales fuisse ait Josephus? Quo autem pacto Pilatus illorum sanguinem cum sacrificiis miscuit? His porro nihil aptum responderi potest; quamobrem hæc opinio vulgo repudiatur.

Nihilo meliora scribit Suidas in Pilato id nimirum contigisse, cum Pilatus sacrum ærarium, nomine *Corban*, ad ducendas in urbem aquas adhibere aggressus, milite immisso in multitudinem circa Tribunal collectam, multos neci dedit, multosque vulneribus affecit. Hos tamen fuisse Galilæos, nullo discimus argumento. Judæi erant Jerusolymitani, sive aliis ex locis collecti, non in Templo cæsi, aut inter sacra, sed in foro, & circa Pilati tribunal (3). Adde, quod illud omnino contigit post Jesu Christi obitum, anno Æræ vulgaris 35. circiter, cum Vitellius, auditis Samaritanorum querelis, Pilatum miserit Romam anno Jesu Christi 36. Vicissim non absimile vero apparet historiam hanc Samaritanorum Pilati jussu cæsorum accidisse paulo ante passionem Christi, quæ referri debet in annum 35. æræ vulgaris. Vitellius enim auditis ea de re Samaritanorum querelis Pilatum ad Urbem revocavit anno 36. Jesu Christi.

℣. 2. QUOD HI PRÆ OMNIBUS GALILÆIS PECCATORES FUERINT. Facile credit vulgus, eos, qui ærumnis & infortuniis opprimuntur, reos esse atque impios. Id certissime sentiebant Judæi, quemadmodum persæpe animadversum est, præsertim in iis, quæ dixere Christo de homine, qui natus fuerat cæcus Joan. 9. 2. *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Hanc tamen opinionem evertit Christus, inquiens, Galilæos, de quibus narrabatur, minime fuisse totius Galilææ nequissimos; docensque, Deum interdum suppliciis a nequissimis abstinere, & punire piissimos, ut horum patientiæ ac virtuti præmium, illis exempla det severitatis, quæ ipsos manet, si in flagitiis perseverent (4). Atque omnibus hisce in rebus aliquid injuste agere Deus dici nequit: absoluto enim in creatas res imperio, quod habet, justos malis affligit, veraque illis bona comparat, dum ferit; at Dei patientia erga impios plerumque ex misericordia oritur, illos præstolante ut resipiscant; interdum vero furentis iræque est, ipsosque relinquentis in perversæ mentis potestate, ut dicentis Ezech. 16. 42. *Quiescam, nec irascar amplius*. Hoc porro maxime formidandum est extremi furoris indicium.

℣. 3.

(1) Vide Grot. Brug. Theophyl. Euthym.
(2) Beza; Maldon.
(3) Joseph. lib. 2. de Bello c. 8. p. 789.
(4) Beda, Mald. Grot.

℣. 3. OMNES SIMILITER PERIBITIS. Minitari videtur Christus mala, quibus obruti sunt Judæi in supremo Jerosolymæ per Romanos excidio, quo tempore Judæi pervicaces & increduli sub miserrima patriæ ruinis incredibili multitudine perierunt (5). Nonnulli (6) *similiter* usurpant pro eodem mortis genere: Cruorem vestrum miscebit vestris sacrificiis Titus, quemadmodum Pilatus Galilæorum victimas illorum sanguine cruentavit. Narrat Josephus de Bello l. 6. c. 4. quantopere sævierint Zelotæ & Seditiosi in Templo, sub obsidionis exordium, ipso Azymorum die. Prior explicatio magis vulgo probatur. Patres de æterno impiorum exitio interpretantur. Augustinus de Continentia cap. 6. *nullus quippe debitæ gravioris pœnæ accepit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem quam debebat solverit pœnam; atque ita impartitur largitor misericordiæ, ut non relinquatur etiam justitia disciplinæ.*

℣. 4. SICUT ILLI DECEM ET OCTO, &c. Res a nemine traditur; neque solent Scriptores minorum hujusmodi eventuum meminisse. At Christus, qui nihil negligebat, quo doceri possent Discipuli, omniaque ad Deum æternitatemque referebat, usus est hoc exemplo, ut doceret, mala exteriora, quibus homines a Deo afficiuntur, non semper esse argumento, eos qui illis feriuntur, majorum esse criminum reos, quam ceteri iisdem immunes. Turris Siloes fortasse mœnibus Jerosolymæ adhærebat, qua parte spectabatur fons Siloes, sub ipsis urbis mœnibus scatens, orientem versus.

QUIA ET IPSI DEBITORES FUERINT. *Debitor* hoc loco est criminum reus. Syriacus vel Hebraicus dicendi modus. Eodem hoc sensu in Dominica Oratione (7) Deum rogamus, ut *dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; & Dei judicium in impios exercendum debitorum parabola describitur (8).

℣. 6. ARBOREM FICI, &c. Quo acrius imprimat animis hoc quod mox dixit, omnes penitus perituros, & sub patriæ ruinis obrutum iri, nisi resipuerint, hanc parabolam eidem proposito servientem narrat: Ficus sterilis est gens Judæorum: paterfamilias Deus, qui cum fructum nunquam exhibitum frustra diu expectaverit, securim arbori minitatur. Prophetæ, piique homines manum ac decretum Dei remorantur, futurum polliciti, ut ipsorum solertia & exhortationibus populus ad Deum convertatur, ac fructus pœnitentiæ ferat. Denique ipse per se Christus arborem colere aggreditur, atque æterni Patris nomine minitatur, sese tandem securim arbori immissurum. Res ipsa consecuta est minas. Quadragesimo post Christi mortem & Resurrectionem anno vastata est Jerosolyma, crematum eversumque Templum, Judaica gens dissipata & ferme deleta, abrogati ritus, Ethnici ad fidem vocati, & pro ficu sterili in Ecclesia sati. En totius parabolæ ordinem (9). Confer cum iis quæ narrantur Matth. 21. 19. de ficu diris a Christo devota, ob solam foliorum luxuriem; & cum parabola vineæ malis vinitoribus relictæ Matth. 21. 33.

℣. 7. ANNI TRES SUNT. Significant hi diuturnam Dei patientiam & misericordiam, qua impius ad pœnitentiam vocatur. Judaicam gentem expectavit Deus ab annis bis mille, si ab Abrahami vocatione numeres (10); sive a mille & quingentis, si ab egressu ex Ægypto, lataque in monte Sinai Lege (11). Patres nonnulli (12) tres hosce annos interpretantur triplicem hominum statum; sub Lege naturali, a mundi exordio usque ad Moysem, sub Lege per Moysem data usque ad Christum; sub Lege Evangelica, a Christo usque ad mundi exitum. Alii (13) explicant de triplici Reipublicæ Judæorum forma; sub Judicibus, ab Josue usque ad Saulem; sub Regibus, a Saule usque ad captivitatem Babylonicam; sub Pontificibus, a captivitate usque ad Christum. Aliqui (14) de triplici hominis ætate, pueritia, virili ætate, & senectute, alii denique de tribus annis, quibus Christus homines docuit. Posteriores tamen hæ interpretationes ex arbitrio sunt. Tres anni omnino innuunt, Deum Judæis dedisse tempora omnia & commoda, ut nullus esset excusationis locus.

UT QUID TERRAM OCCUPAT? Græcus (15) ad verbum: *Cur terram inutilem facit?* Frustra occupat locum alterius arboris, fructum laturæ. Judæi, penes quos depositum dogmatum veræque Religionis erat, nedum fructum non ferebant, verum etiam causa erant, ut exteræ gentes dogmata salutis ignorarent, & Dei Regno excluderentur.

℣. 8. FODIAM, ET MITTAM STERCORA (16). Deus per servos suos, per Prophetas, & denique per suum ipsius Filium nihil non movit, ut Judæos ad officium reduceret: cumulavit beneficiis, ærumnis identidem oppressit: docuit, minitatus est, monuit; innumera coram illis prodigia edidit. Nulla tamen arte indocile perversumque illorum ingenium vicit; omniaque Dei auxilia & adminicula ob ipsorum nequitiam periere.

℣. 11. QUÆ HABEBAT SPIRITUM INFIRMITATIS (17). Quamplures legimus in Scripturis morbos (18) a dæmone partos, surditatem, pestilentiam, lnem, Dæmonis obsessiones, impeditas hominum linguas. Cum hujus mulieris morbus ex naturali causa non esset, frustra omnes medicorum artes eo expellendo laboraverant.

℣. 12. DIMISSA ES AB INFIRMITATE TUA. Ita de morbo agit, veluti aliquid sit anima instructum, hominem occupans aut deserens; cum visum fuerit, illumque vis externa coegerit. Sive: Dæmon, morbi tui author, a te discessit, tuque in optimam valetudinem restituta es.

℣. 14. ARCHISYNAGOGUS. Plures esse poterant in una Synagoga Principes, seu Præfecti, mutuo ordine subjecti (19). Hic Jesum absolute arguere non audet; sed populum alloquens monet, ne curandos ad Jesum ægros Sabbatho ducant. Diuturna satis hebdomada est, quin Sabbathi quies curationibus minime necessariis violetur. Beneficium quærere, nemo vetat: tempus dumtaxat magis opportunum eligite. En verum ac germanum Hypocritam.

℣. 15. HYPOCRITÆ (20), UNUSQUISQUE VESTRUM, &c. Me vero, qui eadem Sabbathi die mulierem hanc incolumem restituerim, damnatis? Ajunt Hebræorum Doctores, ubi homo vel bellua vitæ periculum subeat, Sabbathi religionem solvi. Negabat hic Synagogæ Princeps, hujus mulieris curationem adeo urgere, ut differri non posset. At exempla a Christo recitata, domesticorum scilicet jumentorum, quæ Sabbatho solvebantur, & potum ducebantur, absolutam ne inferebant necessitatem, ut illis potu & cibo per diem Sabbathi consuleretur? Nonne comparari ea poterant ante Sabbathum? Tametsi autem hujusmodi animalia horis aliquot potu ciboque Sabba-

(5) Brug. Mald. Grot. alii. (6) Cyrill. apud Thom. Euthym. Hugo Lyr. (7) Luc. xi. 4. Matth. vi. 12. (8) Matth. xviii. 26. ... 32. 35. (9) Vide Ambros. in Luc. Bedam, Theophyl. Euthym. Aug. serm. olim ... ex. de verb. Domini; Petr. Chrysolog. serm. 10. (10) Anno Mundi 2083. (11) Anno Mundi 2513. (12) Ambros. & Theophyl. hic; Greg. Magn. homil. 31. in Evang. (13) Euthym. (14) Theophylact. (15) Ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; (16) Cantabrig. Gr. Κόφινον κοπρίων. Lat. *Squalum stercoris.* Ambros. *Cophinum stercoris.* (17) Vide infra, ℣. 16. *Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit satanas.* (18) Marc. ix. 19. Job. ii. Psalm. lxxvii. 49. Proverb. xvi. ... 1. Cor. x. 10. 4. Reg. xix. 35. &c. (19) Vide Matth. ix. 18. Marc. v. 22. Act. xiii. 15. (20) Græci Codices multi consentiunt cum Vulgata legente, *Hypocritæ*, plurali numero; at editi legit, *Hypocrita*, numero singulari,

cibo caruissent, idcirco ne peritura erant? Igitur Sabbathi religio minime prohibebat, quin ea præstarentur, quibus commode opus erat, neque extremam necessitatem expectari jubebat. Siquando autem Sabbathi religio solvi poterat, tunc certe erat solvenda, cum curanda esset mulier, quæ ab annis duodeviginti adeo curva erat, ut cœlum intueri non posset, cum præsertim id a Dæmone ageretur. Denique quis servile opus esse jure dixerit prodigiosam curationem, nullo conatu, nulla arte, nulloque labore, unico dumtaxat verbo, manibusque impositis præstitam?

℣. 17. QUÆ GLORIOSE FIEBANT AB EO. Ita designabantur ab Hebræis prodigia & miracula (21).

℣. 19. SIMILE EST GRANO SINAPIS. Vide nos in Matthæum XIII. 31. Regnum Cœlorum hic est Ecclesia Christiana; & evangelii prædicatio. Granum sinapis & fermentum ℣. 22. celerem Evangelii promulgationem miramque propagationem significant.

℣. 21. IN FARINÆ SATA TRIA. Non legit S. Ambrosius *sata tria*; eaque putat addita esse ex Matthæo. At libri omnes ferunt.

℣. 22. IBAT PER CIVITATES, &c. Quæ narrata sunt a Capite IX. ℣. 51. ad hunc usque locum, contigerunt iter faciente Jesu a Galilæa Jerosolymam, quo Jesus venit die IV. Junii VI. mensis Sivan, Pentecosten celebraturus (22).

℣. 23. DOMINE, SI PAUCI SUNT QUI SALVANTUR? . . . . (℣. 24.) CONTENDITE INTRARE PER ANGUSTAM PORTAM. Aliquid huic simile vidimus in Matthæo (23). Nunquam non obscura & ingens lis fuit, quam multi sint qui salutem assequantur. At passim in Evangelio docet Christus, minimum esse numerum Electorum; angustas Cœli fores, & paucos per illas ingredi: asperum atque angustum esse iter eo ducens; ac paucos, qui ad finem usque illud constanter teneant. Usurpari etiam hæc possunt de ingressu Regni Cœlorum, Ecclesiæ scilicet per fidem in Christum. Angusta est porta, & difficile invenitur; pauci ex Judæis ingrediuntur. E sexcenties mille hominibus ex Ægypto egressis vix duo terram promissionis tenuere: ita perpauci Israelitæ temporibus Messiæ salutem consequentur, inquit Rabbi Rabba.

℣. 24. MULTI QUÆRENT INTRARE, ET NON POTERUNT; non quod Deus salutis fores cuiquam claudat, atque a sorte felicissima excludat, denegatis illi auxiliis ad eam rem necessariis, quæ ille uti opus est postulaverit. Qui sincero animo quærit, procul dubio invenit; qui petit, accipit, & pulsanti aperitur Matth. 7. ℣. 8. At interdum Deus hoc tempore aliquid denegat, quod alio tempore oblatum rejecisti. Superbis, audacibus, incredulis, obstinatis se ipsa non prodit, Messiæ tempora nunquam non optavere Judæi: adhuc venturum sperant: æternitatis felicitatem expectant: medio tamen in lumine adhuc cæci sunt: in foribus stantes, minime ingrediuntur. Venit Messias, quumque nedum non excipiunt, verum etiam rejiciunt, insectantur, neci tradunt. Ita palam fit Christi effatum, quamplures fore qui ingressum quærant, nunquam vero ingrediantur, cum quæsituri non sint ut oportet.

℣. 26. MANDUCAVIMUS CORAM TE: tua consuetudine familiariter usi sumus. Cum omnibus indiscriminatim Judæis cibum potumque sumpsit Jesus, nequem a Regno suo exclusisse diceretur. Verba publice fecit; communem se omnibus exhibuit. Luculentius significari non poterat Judæorum reprobatio, quam his Christi verbis.

℣. 29. VENIENT AB ORIENTE . . . ET RECUMBENT IN REGNO DEI. Ethnicos ad Evangelium vocandos prædicit. Intra convivii aulam hi admittentur, excludentur Judæi. Vide Matthæum (24).

℣. 30. SUNT NOVISSIMI, QUI ERUNT PRIMI. Ethnici, olim a Dei Regno alieni, quos Deus odiosos ac refractarios habebat, in gratiam redibunt, primique heredes futuri sunt: ac filius major natu, & hactenus in deliciis habitus, futurus est ultimus, & paternæ domus felicitate excludetur. Vide Matthæum XIX. 30.

℣. 31. IN IPSA DIE ACCESSERUNT QUIDAM PHARISÆORUM, DICENTES ILLI; Fuge, te enim Herodes ad necem quærit. Contigit hoc Jerosolymis ipsa Pentecostes die, vel postridie ejus diei (25). Ex iis quæ consequuntur ℣. 32. intelligi potest, Pharisæos hosce, Christum de malo Herodis consilio monentes, missos esse ab Herode. At multo similius vero est, Pharisæos ista comminisci (26). Profecto quorsum Herodes necem Christo intentaret? Quæ illius auctoritas Jerosolymis, qua in urbe hoc contigisse existimamus? Regnum ille in Galilæa obtinebat: eo tamen proficiscitur Christus quo tempore monetur, insidias sibi ab Herode strui, jubeturque fugere Jerosolymis. Vera igitur commenti hujus causa fuisse videtur Pharisæorum invidia erga res a Christo gestas, qui cum vererentur, ne is arguere sese apud populum pergeret, simulata amicitia hortabantur, ut aliam aliquam in partem, sive in desertum secederet, neque deinceps Jerosolymam aut in Galilæam veniret. At & horum monita, & pessimum Herodis animum sprevit Christus, quippe qui tempora nosset a Patre constituta. Quamobrem sedato animo respondet Pharisæis, nonnihil temporis adhuc sibi esse ut viveret, ægrosque curaret; decreto autem tempore, sese ministerio finem morte impositurum.

℣. 32. ITE, ET DICITE VULPI ILLI. Innuere hæc videntur, missos ab Herode Pharisæos, uti diximus (27). Illorum mendacium præterit Jesus; sed ipsa agendi ratione satis ostendit, sese illorum verba nihili facere. Indignus erat Herodes, qui apud populum purgaretur. Notissima erant illius & sævitiæ & flagitia. Vulpem nominat quod quod in bonam malamque partem usurpari potest. Versutia quam maxime pollebat Herodes. Romanos amare videbatur, & Imperatorem adeo colebat, ut assentari non vereretur. At non eadem animo sententias fovere convictus est, quas ore præ se ferebat (28); quippe accusatus conjurationis cum Sejano.

Sunt (29) qui censeant, iis verbis, *Dicite vulpi illi*, spectari potius Pharisæos, quam Herodem, idque ex ipsomet Græco textu colligi (30): quasi diceret: Audite, vulpes fallere me studentes: hodie & cras prodigia edere pergo: tertia demum die morte auferar. Melior tamen prior explicatio. *Cras & tertia dies* usurpantur pro brevi temporis spatio.

℣. 33. NON CAPIT (31) [fieri nequit] PROPHETAM PERIRE EXTRA JERUSALEM: non quod Prophetæ omnes Jerosolymis obierint, aut ea de re lex aliqua haberetur (32): sed ut Jerosolymæ sævitiam ostendat, ait Christus, illam adeo Prophetarum cædibus assuevisse, ut Propheta quispiam extra eam urbem mori non posse videretur (33). Nulla præter Jerosolymam civitas exagitare

(21) Ἐν τοῖς ἐνδόξοις. Vide Exod. XXXIV. 10. נפלאות 70. Ἔνδοξα. (22) Toynard. Harmon. p. 70. (23) Confer Matth. VII. 13. & XXV. 10. (24) Matth. III. 9. VIII. 11. & XXV. 11. 12. (25) Die 5. Junii 7. Sivan. Toynard. p. 70. (26) Ita Euthym. Theophyl. Cyrill. Brug. Mald. alii. (27) Vide Grot. ad ℣. 31. Le Clerc, hic. (28) Vide Joseph. Antiqu. lib. 17. c. 7. & lib. 18. c. 9. p. 638. (29) Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. Euthym. Brug. Fr. Bost. apud Hamm. (30) Εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, non ἐκείνῃ, quemadmodum dicendum erat, si Herodem intelligeret. (31) Οὐκ ἐνδέχεται, *fieri non potest*. Ita Erasm. Grot. alii passim. (32) Ambros. serm. 2. & 11. in Psalm. CXVIII. Beda hic Mald. Grot. alii passim. (33) Brug. Grot. Men. Mald. alii plerique. Confer. Matth. XXIII. 29. Luc. 11. 50. 51.

tare novit Prophetas, & neci tradere: proprium hoc est Jerofolymæ.

Eruditi quidam (34) arbitrantur, hæc eo a Jesu dici, quod Judæi cognitionem de veris falsisque Prophetis Jerofolymitano Synedrio reservarent; quamobrem nefas esse, Prophetam extra Jerofolymam necari. Hac tamen explicatione vis verborum Christi minuitur; eaque admissa, fævitiam Jerofolymæ Prophetas trucidantis non æque execraris.

℣. 34. Quoties volui congregare filios tuos . . . et noluisti? Hæc interpretati fumus in Matthæum 23. 37. Hic ostendit Christus, quam obstinato animo Judæi essent, & quam multum fuæ ipsius prædicationi resisterent. Vocationi divinæque gratiæ nunquam non repugnavere: exagitavere Prophetas, necavere justos, homines a Deo missos, quorum ope ab erroribus reducerentur, sprevere.

℣. 35. Domus vestra deserta (35); Templum scilicet, quod Hebræi domus appellatione significabant. Anno post hasce Christi minas quadragesimo eversum est Templum, abrogataque facrificia.

Non videbitis me, donec, &c. Hoc ipsum alibi dixit, altero ante obitum die Matth. 23. 39. minitans fore, ut Judæi monitis fuis contumaces ipsum non viderent, nisi qua die venturus erat, ut ultionem exerceret. Tunc porro gloriæ illius fulgore coacti, dicent: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Prædicit futurum, ut Judæi, qui fub mundi exitum reliqui erunt, convertantur; simulque docet, eos qui in infidelitate obierunt, actos veritatis vi fassuros, Jesum esse Messiam. Explicari etiam potest de vindicta a Christo exercenda in Jerofolymam per Romanos, anno post quadragesimo.

(34) Drus. Grot. Ligfoot. Ludov. de Dieu, Coutchull. Vide Sanhedr. fol. 2. 1. & 89. 1. (35) Græci Codices multi non ferunt *deserta*, ἔρημος, neque S. Cyprianus, neque libri veteres Latini, neque Versio Cophtica & Armena. Vide Grot. atq. Mill. Additum videtur ex Matth. xxiii. 38.

C A P U T XIV.

Hydropicus Sabbatho curatus in Pharisæi domo. Sedes infima in convivio eligenda. Pauperes in convivium vocandi potius quam locupletes. Parabola de vocatis ad nuptias, non venientibus. Rationes privatim subducito, antequam ædificare aggrediaris. Sal insipidus.

℣. 1. ET factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharifæo-
rum fabbatho manducare panem, & ipsi observabant eum. 2. Et ecce ho-
mo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperi-
tos, & Pharifæos, dicens: Si licet fabbatho curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse vero
apprehensum sanavit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos dixit: Cujus ve-
strum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die fabbathi?
6. Et non poterant ad hæc respondere illi. 7. Dicebant autem & ad invitatos pa-
rabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: 8. Cum
invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit
invitatus ab illo: 9. Et veniens is, qui te, & illum vocavit, dicat tibi: Da huic
locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10. Sed cum voca-
tus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit, qui te invitavit, di-
cat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbenti-
bus: 11. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.
12. Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli
vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne
forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. 13. Sed cum facis convivium, vo-
ca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: 14. Et beatus eris, quia non habent re-
tribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. 15. Hæc cum audisset
quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno
Dei. 16. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.
17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata
sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi,
& necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum. 19. Et alter
dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.
20. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire. 21. Et reversus ser-
vus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito
in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc
huc. 22. Et ait servus: Domine, factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. 23.
Et ait dominus servo: exi in vias, & sepes: & compelle intrare, ut impleatur do-

mus mea. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo; & conversus dixit ad illos: 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. 27. Et, qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; 29. Ne, postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, 30. Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? 31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.

℣. 1. FACTUM EST, CUM INTRARET JESUS, &c. Hoc Capharnai evenisse credimus, Jesu reverso Jerosolymis in Galilæam. Regio universa scatebat Pharisæis, ubique in Christum iratis. *Princeps* hic *Pharisæorum* Magistratus fortasse aliquis erat, sive Synagogæ Princeps, secta Pharisæus; seu Pharisæus aliquis, fama & authoritate nobilis inter suos, scientiæ, munerum, aut benefactorum causa.

MANDUCARE PANEM. Hebræorum more, panis appellatione quodlibet ciborum genus intelligitur; id quod fortasse ex vita frugi & moderata ortum est.

℣. 3. SI LICET SABBATHO CURARE? Noverat Jesus, in se conversos esse convivarum oculos animosque, ut aliquam accusandi sui damnandique opportunitatem caperent. Interrogat igitur Christus, ut, vel ipsis respondentibus, curari posse homines Sabbatho, ipse nemine repugnante hominem curaret; sive negantibus, ipse contrarium doceret argumentis deinde prolatis ℣. 5. quæ similibus in causis non semel adhibuit.

℣. 5. RESPONDENS DIXIT: CUJUS VESTRUM ASINUS AUT BOS, &c. Non verbis Pharisæorum respondet Christus, quippe qui nihil dicere ausi essent, sed pessimis cogitationibus & voluntati, quas plane pervidebat. Græcus in optimis Codicibus quamplurimis habet (1): *Cujus vestrum filius aut bos in puteum cadet*, sive in altam scrobem, vel cisternam, cum Hellenistæ per abusionem *puteum* de quavis voragine usurpent (2).

℣. 7. INTENDENS QUOMODO PRIMOS ACCUBITUS ELIGERENT. Fortasse eo tempore non ita sentiebant de primarum sedium ambitione homines, quemadmodum nos. Callidior erat Pharisæorum superbia, quam ut sese ridiculos honestioribus facerent. Quamobrem communis consuetudo id tulisse videtur, neque probro erat hujusmodi ambitio. Tutissimam vitii hujus corrigendi viam aggreditur Christus, docens, ipsos ea ratione obnoxios fieri periculo, ne coram convivis probro & dedecore obruantur; id quod illi magnopere verebantur. Aliis etiam ex capite, ipsorum superbiæ maxime consentaneo, arguit; ipsos nimirum, si inanem hanc ambitionem negligant, verum sibi apud cæteros decus comparare. Nihil simplicius hujusmodi argumentis. Ostendit Christus, quam ridicula sit & probrosa Pharisæorum ambitio. Non disputat, illam modestiæ contrariam esse, honestæque animi demissioni, qua quis Dei causa, & deprimendæ superbiæ gratia, Deo odiosæ, sese cæterorum humillimum agnoscit; quippe cum Pharisæi monitis hisce proficere nescirent, eaque sublimiora essent, quam ut ab illis perciperentur: quamobrem ex re minus perfecta exorditur.

DICEBAT AD INVITATOS PARABOLAM; vel, ita docebat: quæ enim consequuntur, parabolam non præseferunt. Hoc proponit Christus, ipsos ex directo minime arguens, sed rem generice tradens, more consilii, quasi aliud quodvis, quam cui aderat, convivium significaret. Putat Maldonatus, revera narratam a Christo parabolam, ex qua nonnisi summam collectaque monita tradit *Lucas*.

℣. 8. AD NUPTIAS. Græca vox (3) absolute pro quolibet convivio usurpatur. Syrus: *Ad domum convivii*.

℣. 11. QUIA OMNIS QUI SE EXALTAT, &c. Ita orationem claudit Christus. Universos plane complectitur hæc sententia, ac verissima est non dum erga Deum, verum etiam inter homines. Superbos Deus vel in hac vita vel in altera omnino deprimit: at interdum homines superbiam tolerant, eamque indignissime vel in se ipsi, vel in cæteris fovent.

℣. 12. CUM FACIS PRANDIUM ... NOLI VOCARE AMICOS. Minime prohibet Christus, quin propinquos, vicinos, amicos convivas adhibeas; id enim cum ipsius institutionibus, charitatem & concordiam præter cætera inspirantibus, pugnaret: sed illud solummodo vult, ut cum aliquem ad convivium vocaturus es, aut largitionem facturus, pauperes præferas, ex quibus nihil expectare queas, locupletibus, ex quibus parem vel aliam gratiam sis relaturus. Profecto si liberalitatem & magnificentiam exerces erga eos, a quibus parem gratiam speras (4), vendis potius quam collocas beneficium. *Hospitalem remuneraturis esse, affectus avaritiæ est*, inquit S. Ambrosius in Luc. lib. 7. n. 195. Ad hanc Lucæ sententiam alludere videtur Paulus Act. 21. 35. ubi ait: *Beatius est magis dare, quam accipere*.

℣. 14. RETRIBUETUR TIBI IN RESURRECTIONE. Supremo Judicii die tibi dicet Deus Matth. 25. 34. *Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*. Accipe jam præmium, tibi a tota æternitate paratum: esurivi enim, & cibum mihi exhibuisti, &c.

℣. 15. BEATUS QUI MANDUCABIT PANEM IN REGNO DEI. Vides hic, quemadmodum alibi passim,

[1] Τίνος ὑμῶν υἱὸς ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται. Ita plures Mss. apud Mill. Ita Theophyl. Tit. Bostr. alii. Cantab. Πρόβατον ἢ βοῦς. Latin. *Ovis, aut bos*. [2] Vide Grot. hic. [3] Vide supra xii. 36.

[4] Cicero de Offic. lib. 1. *In collocando beneficio hoc maxime Officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque: a quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen ei potissimum inserviunt.*

sim, quid Judæi de Regno Dei & Messiæ adventu sentirent, Convivia nimirum ac delicias expectabant. Perversæ illorum opinioni sese accommodat Christus, Regnum suum in Ecclesia cum convivio comparans. Hujus rei exemplum vides proximo commate.

℣. 16. Homo quidam fecit cœnam magnam. Hæc parabola re eadem est cum ea, quam narrat Matthæus xxii. 2. &c. quamquam verbis discrepat. Illam apud Matthæum proposuit Christus altera ante obitum die; hanc aliquot mensibus antea. Utriusque propositum est, ut ordinem ostendant a Christo servatum in Ecclesiæ institutione. Ecclesia Regnum Dei est, sive convivium, ad quod primo loco vocantur proceres Judæorum, Sacerdotes, Sapientes, Pharisæi, amicis Patrisfamilias significati. His renuentibus, introducuntur pauperes, ægri, cæci; Publicani scilicet, flagitiosi, homines e vulgi fæce, veluti plerique ex Apostolis primisque Discipulis. Quamobrem inter cætera adventus sui indicia hoc potissimum tradit Christus Luc. 7. 22. Evangelium pauperibus nunciari, ægrisque incolumitatem restitui. Luc. x. 21. gratias agit Patri, quod mysteria sua sapientibus ac prudentibus absconderit, parvulis vero patefecerit. Denique, cum aula convivii satis plena non esset Judæis hisce ad fidem conversis, vocantur, imo & intrare coguntur externi, in triviis obvii: idque Ethnicorum vocationem significat. Hæc parabolę totius sententia (5).

℣. 18. Cœperunt omnes simul excusare, &c. Græca locutio aliter vertitur (6): at optimi omnes Interpretes in quatuor hasce explicationes conspirant: Excusavare *uno consilio* (7), una voce quodammodo & consilio; vel, *uno tempore* (8), confestim, subito, illico; sive, *unam ob causam*, inani causatione (9); seu denique, *ad unum omnes* (10). Postrema omnium maxime nobis placet.

℣. 21. Pauperes ac debiles, quotquot in urbe sunt pauperes, qui fortunis, valetudine, viribusque ad laborem carentes, ostiatim tolerare coguntur. His, uti diximus, significantur infima Judæorum plebs, sive etiam universę gentis flagitiosissimi.

℣. 23. Exi in vias, et compelle intrare. Ipsimet externi, Ethnici, Infideles ad Ecclesiam vocati fuere, Judæis renuentibus. Hæc verba, *Compelle intrare*, indicant seu vehemens Patrisfamilias desiderium, seu vim gratiæ ac veritatis Evangelii, sive suavem violentiam, qua populi ab Apostolis & Evangelicis Præconibus cogendi erant in Ecclesiam ingredi. Nemo alium cogit ad convivium vel fuste, vel minis: nunquam tamen non licuit, imo imperatum est, verbis urgere, & quodammodo adigere, ut aliquis apud te cœnet; quemadmodum Loth tres Angelos coegit, noctem domi suæ agere Gen. 19. 3. *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum*; & Discipuli duo, Emmaum proficiscentes, Jesum redivivum una cœnare coegerunt Luc. 24. 29. *Et coegerunt eum, dicentes: Mane nobiscum.* Ipsummet verbum *invitare* sonat attrahere, blanda vi allicere.

Ita igitur vult Jesus Infideles atque Ethnicos ad viam salutis trahi. Ita etiam Paulus jubet Timotheum dare operam Evangelio nunciando 2. Timot. 3. 2. *Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Si quando permisit Ecclesia, ut vis adversus Hæreticos atque Infideles exerceretur, non errorem punire voluit, aut vi adigere ad eam fidem, quam detrectabant. Error & ducta a majoribus persuasio miseratione potius digna sunt quam pœna. Veritas vi non suadetur, minime enim cogi mens ad credendum potest; uti ad laborem corpus. Vim igitur hisce illatam nunquam probavit Ecclesia, nisi ut vires opponerentur viribus, ac temeraria & seditiosa molimina coercerentur. Quæ contra afferri queunt, ea neque in exemplum, neque in legem abire debent. Ea, quibus S. Augustinus Africanæ Ecclesiæ gesta in Donatistas defendit, nonnisi adversus illud Hæreticorum genus admittenda sunt; homines nimirum seditiosos, furiosos, cædium amatores, & Imperatorum legibus refractarios. Fateur quidem, licere interdum Prælatibus Ecclesiæ, & Christianis Principibus severitate in malos Christianos, Schismaticos, Hæreticos, & suppliciis etiam temporariis uti. Imitari fas est patremfamilias, filios cogentem dare operam studiis, eorumque peccata æquis suppliciis castigantem. Potest Ecclesia, imo interdum debet vi adigere Fideles ad sceleris errorisque fugam (11), ut mala æterna vitent; Divinæ misericordiæ exemplo, Hebræos quodammodo cogentis in solitudine ærumnis ac malis, ut in promissam hereditatem ingrederentur; & Saulum prosternentis, quo tempore is odia & furorem in Christi Discipulos meditabatur. Optimi Pastoris est nedum errantem ovem quærere, verum etiam cæteras quæ in ovili sunt, continere, & ita cogere, ne fugiant (12). *An non pertinet ad diligentiam pastoralem etiam illas oves, quæ non violenter ereptæ, sed blande leniterque seductæ, a grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare?* Denique nonne uniuscujusque est, alterum vel desperatione vel furore in præceps ruentem detinere?

Adde, quod hac parabola non Hæretici spectantur, sed Ethnici, circa quos nulla unquam arma Apostoli vitique Apostolici adhibuere, præter institutiones, prodigia, argumenta, patientiam. Illos nedum ad credendum non coegerunt, verum etiam cessere, ubi illi Ecclesiam infectarentur. Nonnullos interdum Deus ad fidem traxit per prodigia insolitasque vias, veluti Saulum, cum is Damascum proficisceretur, minas cædemque spirans in Christi Discipulos; & nunquam non potest gratiæ viribus animos vel contumacissimos frangere: *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*, quemadmodum orat Ecclesia. Illud solummodo Tertullianus Ethnicos rogat, ut Evangelii dogmata sedato animo audiant, & futurum pollicetur, ut victas illi manus dent, & credant: *Qui studuerit intelligere, & cogetur credere.* Hæc nimirum est violentia, quam hic præcipit Christus, neque voluntatis neque fidei libertatem lædens.

℣. 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem, &c. *Odisse* hic, ex Interpretibus (13), est *minus amare*; odisse specie potius & signo, quam re. Nisi ita comparatus animo sis, ut mei causa amicitiam & consuetudinem propinquorum amicorumque deseras, dignus non es, qui meos inter Discipulos recensearis. Si te impediant necessarii, quominus me sequaris, illos alienorum & hostium loco habe. Vide Matthæum x. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Hæc ad omnes prorsus Christianos pertinent, quemadmodum ex ipsis Evangelistæ verbis colligitur.

℣. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat . . . . si habeat ad perficiendum? His potissimum spectantur ii, qui cum sequi vellent Christum, minime ani-

(5) Vide Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 31. & August. Quæst. Evang. lib. 2. qu. 30. (6) Καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες. (7) Ita Grot. Drus. Camer. Piscat. Ἀπὸ μιᾶς; supple φωνῆς, seu γνώμης, vel ψυχῆς. (8) Fuller. Miscellan. Ἀπὸ μιᾶς ὥρας. (9) Ligfoot. Ἀπὸ μιᾶς [illegible] (10) Lud. de Dieu. (11) Lege August. Ep. olim 204. nunc 173. num. 2. 3. & sequ. Item Ep. olim 50. nunc 185. cap. 6. p. 652. & sequ. (12) August. Ep. 185. cap. 6. n. 23. (13) Brug. Grot. alii. Vide Genes. xxix. 31. 33. Deut. xxi. 15. 17. Joan. xii. 25.

animadvertebant, quid hæc vivendi ratio postulasset. Putabant illi, mox restitutum iri ab illo Regnum Juda, illumque bonis & felicitate cumulaturum Discipulos, hostesque spiritu oris prostraturum. Cum igitur nosset Jesus, quam multa hominum odia in se & in suos essent sævitura, horum animos hac super re occupavit, docuitque, non leve opus aggredi illos, qui in Discipulorum suorum censu esse cuperent: opus esse constantia & virtute. Turrim firmumque ac sublime ædificium aggredimini. Manus conserere oportet cum Principe hujus mundi ac tenebrarum, veritatis & justitiæ hoste: pensandum igitur, utrum pares tanto molimini sitis; ac timendum, ne cum inceperitis, recedendum sit ab incepto. Quamobrem hæc potissimum ad Apostolos & Discipulos, jam tum Christum sequentes, pertinent.

Nullo tamen negotio ad privatos Fideles convertuntur (14). Nemo a Christianæ fidei professione excluditur, eaque professio nihil fert, quod vires hominis, gratia opem ferente, superet. Christi jugum suave est, & onus leve Matth. xi. 29. Venit Christus, ut deperditos & errantes servet & quærat Matth. 18. 11. quoslibet ille labore & & sarcina oppressos ad se vocavit Matth. xi. 28. Unicuique tamen Christiano sedulo considerandum est, quæ sint sanctissimi hujus status officia, ac diligentissime cavendum, ut lapsus & peccata vitet, quorum periculis universa hominum vita obsidetur: denique assidue postulandum, ut Deus præsto sit gratia & adminiculis, quibus in bonorum operum exercitatione perseveratur, ac resistitur hosti, a quo indesinenter impetimur.

Turrim ædificare. Animadvertit S. Hieronymus (15), multas fuisse in Palæstina ædes solidissimas, teretes, undique clausas, & instar turrium structas. Turres etiam nuncupabantur villæ, in vineis vel in agro ædificatæ Matth. 21. 33. Isai. v. 2. unde ea phrasis 4. Reg. 17. 9. *A turre custodum usque ad civitatem munitam*. Ac pro domibus eximiis, sublimibus, solidis, optime fundatis, S. Hieronymus in 2. Paralipom. 17. 12. transtulit: *Domos ad instar turrium*.

℣. 31. Ituras committere bellum adversus alium Regem. Unusquisque Christianam Religionem amplectens, mundum, Satanam, ejusque pompas execratur; eoque ipso bellum Principi tenebrarum indicit, assiduamque adversus illum pugnam aggreditur. Arma sunt fides, spes, charitas, omniumque virtutum exercitatio. Nullæ cum eo hoste induciæ, pax nulla. Illud vero, quod hic addit Christus, nimirum, si satis virium adversus hostem non suppetat, *Legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt*, in Christianæ vitæ institutione ex mero verborum sono usurpandum non est. Adversus mundum ac diabolum pugnanti vincendum est aut moriendum. Si pacem rogas, victus es: si rem cum illo componis, illi servus, Deo inimicus efficeris. Ut probe resistas, docet Christus abdicanda esse omnia quæ habes (16). ℣. 33. *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus*. Profecto non ex omnibus æque Christianis hoc sanctitatis fastigium exigitur: at nonne rem componere quodammodo videris cum mundo & mundi Principe, si inter illius pompas verseris, & ames divitias, quas ille a se pro arbitrio distribui gloriatur (17)?

℣. 34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? Vel: Qua ratione suus illi sapor restituetur? Nos hanc vocem de stercore interpretamur, vel cineribus, seu marga, aliisve salis generibus, quibus agri stercorantur (18). Cum marga seu cinis salem amiserint, ac diu nimis vento & imbribus exposita relinquuntur, quin ager iis stercoretur, inutilia prorsus cuilibet rei efficiuntur. Ita Christianus, si sapientiam & Evangelicas institutiones fastidire cœperit, si deserat fidem, ac præceps in crimen ruat, sub diaboli imperium redit, deterior fit quam antea, ac fieri ferme non potest, ut gratiam, fidem, innocentiam recuperet. Minime tamen id fieri posse negatur, sed maxime arduum est (19). In Veteri Ecclesia siquis relapsus ad Ecclesiam rediret, ante fores stratus ad introeuntes ajebat (20): *Conculcate salem infatuatum*.

---

[14] Vide Grot. & Mald. hic. [15] Hieron. ad Principiam: *Cum Baris sit verbum ἐπιχώριον Palæstinæ, & usque hodie domus ex omni parte conclusæ, & in modum ædificatæ turrium Baris appellantur*.
[16] August. lib. 2. quæst. Evang. qu. 31. [17] Matth. iv. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. [18] Vide animadversa in Matthæum v. 13. & Hammondum & Clericum hic.
[19] Hebr. vi. 4. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti . . . & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam*, &c. Vide & 2. Petr. ii. 20. Matth. xii. 45. [20] Socrat. lib. 3. hist. Eccles. c. 13. de Ecebolio Rhetore Constantinopolit. qui vixit sub Constantio, & sub Juliano Apostata.

CAPUT XV.

Pharisæi de Christo obloquuntur, quod flagitiosos exciperet. Parabola de ove errante, drachma amissa, filio prodigo. Gaudium in Cœlo ob peccatorem pœnitentiam agentem.

℣. 1. ERant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum:
2. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam dicens: 4. Quis ex
vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit
nonagintanovem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? 5.
Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: 6. Et veniens domum convocat amicos, & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam,
quæ perierat? 7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia.
8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? 9. Et cum
inve-

invenerit, convocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni
drachmam, quam perdideram. 10. Ita dico vobis: gaudium erit coram angelis Dei
super uno peccatore pœnitentiam agente. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos
filios: 12. Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ,
quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, &
ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. 15. Et abiit, &
adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.
16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo
illi dabat. 17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei
abundant panibus, ego autem hic fame pereo! 18. Surgam, & ibo ad patrem meum,
& dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te. 19. Jam non sum dignus vocari
filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. 20. Et surgens venit ad patrem
suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus
est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. 21. Dixitque ei
filius: Pater: peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.
22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum,
& date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: 23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: 24. Quia hic filius meus
mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari. 25. Erat
autem filius ejus senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audivit
symphoniam, & chorum. 26. Et vocavit unum de servis, & interrogavit, quid hæc
essent. 27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, qui salvum illum recepit. 28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater
ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dedisti
mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer: 30. Sed postquam filius tuus hic, qui
devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.
31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. 32. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est.

℣. 1. ERANT APPROPINQUANTES EI PUBLICANI. Hoc Pharisæorum murmur alibi sæpe vidimus (1): quod tamen Christus ut injustum nunquam non aspernatus est. Si vulgo cavendum erat, ne impiorum consuetudo vitaretur, cavendum non erat Christo, qui cum illis non communicabat, nisi ut eos ad pœnitentiam vocaret; monitisque salubribus institueret. An verebantur Pharisæi, ne Christus publicanorum consuetudine deterior fieret? Haudquaquam. Publicanos illi & peccatores non oderant, quod vererentur, ne illorum consuetudine scelus in cæteros diffunderetur; sed ipsas hominum personas oderant & execrabantur, malo sui ipsorum amore ducti, quo neminem sibi proximum & amicum censebant, nisi Judæum, Legisque Mosaicæ studiosum. Præter Israelitas, cæteros inimicorum loco habebant: quasi Deus misericordiæ sinum nunquam panderet iis, qui cum ipsum deseruerint, denique sinceru animo resipiscunt. Nullam magnis criminibus veniam esse, Pharisæi existimabant (2).

℣. 4. QUIS EX VOBIS HOMO, QUI HABET CENTUM OVES, &c. Vide nos in Matthæum XVIII. 12. ubi aliquanto antea & aliam ob causam Christus eamdem parabolam proposuit: plures enim parabolas non semel narravit.

℣. 7. QUI NON INDIGET PŒNITENTIA. Non ea innuit Christus peccata, quibus quotidie obnoxii sunt vel piissimi, & quorum causa opus est, ut illi nullo non tempore apud Deum gemitu vedant; neque pœnitentiam, uti virtus est, in eo sitam, ut quis se ipse abdicet Luc. XIV. 33. & crucem quotidie post Christum ferat (3). Hanc quidem virtutem assidue coli oportet ab unoquoque Christiano, vel sanctissimo. Agit igitur de pœnitentia ob magna peccata, quæ lacrymis abluenda sunt, & afflictationibus expianda. Conversionem significat impiorum ad justitiæ viam, quæ nunquam fit, nisi animus plane corrigatur. Cœlum magnopere gaudere hujusmodi conversione, testatur Christus; Angeli siquidem, Sanctique gaudio afficiuntur, quod pii bene agendo perseverent, & impii resipiscant; mœrent vero, & *flent*, Hebræorum sententia, ubi illi erraverint. Vulgaris loquendi modus, at multum significans.

℣. 8. SI PERDIDERIT DRACHMAM UNAM . . . EVERRIT DOMUM. Drachma octo ferme nostri numismatis obolos æquabat. Minima certe pecunia: at mulieri, quæ drachmas decem solummodo habeat, gravis est unius jactura. Homo in Deum peccans, atque ab eo per peccatum fugiens, minus Deo est, quam drachma una locupleti: at Deus sese similem facit pauperi fœminæ, lucernam accendenti, & everrenti domum, ut modicam pecuniam quærat; vicinasque & amicas vocanti, ut una gratuletur, ubi invenerit. Veteres multi Latinorum Libri hoc loco mendose legunt (4), *Evertit*, pro *everrit*, quod legendum est, uti

[1] Vide Matth. IX. 10. 11, 12. XI. 19. Luc. V. 10. 32. VII. 34. XIX. 7. [2] Vide Grot. hic.
[3] Matth. X. 38. XVI. 24. Luc. IX. 23. [4] Ita legunt MSS. plerique, & Edit. Sixti V. 1590. Henten. Lovan. Ita habet Angl. & Saxon. Versio ante an. 700. teste Mareschall. Vide Erasm. hic & Mill.

uti habet Græcus (5). Exemplaria olim nonnulla ætate S. Gregorii Magni (6) ferebant, *emundat*: quibus assentitur S. Ambrosius (7). La Haye, spretis emendationibus, legi vult *evertit*, non *everrit*.

℣. 11. Homo quidam habuit duos filios. Lis est de hac parabola. Sunt qui duobus hisce filiis significari putent Judaicam gentem, & populum gentilium; sunt (8) qui justos & impios. Utraque sententia probari ac defendi potest. Mihi magis probatur prior de duobus populis. Filius major natu, paternis in ædibus semper enutritus, qui morigerum patri se nunquam non fuisse gloriatur, gens Judæorum est: minor, qui relicta patris domu, fortunas omnes lascivia & libidine dissipat, populus gentilium. Placet hæc explicatio Priscis vulgo & Recentioribus (9).

℣. 12. Da mihi portionem, quæ me contingit. Probabile omnino est, de Judæorum more, filiis, ubi puberes essent, licuisse patrem patrimonii a parentibus postulare, ex qua quæstum facerent; quæ pars post parentum mortem in hæreditatem computabatur. Parabolæ ex moribus & communi consuetudine regionis desumuntur. Usurpari hoc solet, inquit Grotius, in iis locis, in quibus vigent mercimonia, & artes quæstuosæ; quamobrem similem morem, si non apud Judæos, certe apud Judæorum vicinos Syrophœnicas viguisse Christi temporibus credibile est.

Ethnici, prodigo filio significati, a patre, Deo scilicet, libertatem, rationem, mentem, valetudinem, naturales scientias, bona universis hominibus communia accepere; iisque abutentes, prodegere. Peccatores & impii, qui fide & justitia in baptismo donati, vocationis & conditionis suæ sanctitatem flagitiis profanavere, pessimo hujus filii ingenio luculentius designantur. Quo præstantiora sunt beneficia, quibus illos cumulavit Deus, eo execrabilior & odiosior est abusio: ex eo enim qui plura accepit, plura exigentur.

℣. 13. In regionem longinquam, puta, in Ægyptum. Ex consequentibus disces, me id non temere imaginari. Morali sensu, regio longinqua est Dei oblivio, peccatum (10).

℣. 14. Fames valida; inopia verbi Dei (11), gratiæ, illustrationum animi, Sacramentorum. Hic nimirum est peccatoris status, quem Deus in sua ipsius potestate destituit.

℣. 15. Ut pasceret porcos, humillima & probrosissima hominis occupatione, præsertim Judæi, quibus odio erant sues. Porcos alebant Ægyptii (12); at porcorum pastores adeo execrabantur, ut illos cæterorum consuetudine, ipsoque Templorum ingressu prohiberent. Significantur porcis dæmones (13), vel effrænes animorum libidines (14), quibus serviunt impii.

℣. 16. Cupiebat implere ventrem de siliquis. Extremam piane indigentiam. Aliud hic mysterium quærendum est nullum. Siliquæ sunt pisi, ciceris, seu fabarum vaginæ, quibus per hyperbolen dicitur vesci avarus. *Vivit siliquis, & pane secundo*, inquit Horatius l. 2. ep. 1. Persius Sat. 3.

Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

Scribit Juvenalis Sat. 11. ganeonem quemdam laudare siliquas, ceu optimum opsonium, eum occulte lautitias sectetur:

Sed laudem siliquas occultus ganea.

Eruditissimi tamen Interpretes (15) hoc loco intelligunt *carubas*, fructum arboris Ægyptiæ hujus nominis, vagina quadam dulci, & cibo apta obvolutum. Ex iis quoddam vini seu liquoris genus exprimebatur, in Ægypto Syriaque familiare, retrimentum vero porcis projiciebatur. His igitur siliquis, sive illarum retrimento vesci cupiebat prodigus. Græci ac Latini (16) rerum naturalium Scriptores siliquas hasce nominant *ceratia*, quo vocabulo hic utitur Lucas. Plinius appellat *siliquas*, quemadmodum Vulgata. Teste Gorræo, fructus longitudinem & crassitiem digiti æquat, dulci succo, sed concoctione difficili: duas in partes finditur, quemadmodum pisum: amarus est fructus, solaque illius siliqua manditur. Plinius lib. 15. cap. 28. lignum appellat, forsasse ob duritiem: *In siliquis quod manditur, quid nisi lignum est? Ceration* Græce est parvum cornu, quod curva sint siliquæ, cornubus ferme similes. Quamobrem ita de illis Plinius lib. 5. cap. 14. *Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine.* Putat Harduinus, *ceratia* Græce esse Latine *carotas*, nemine assentiente. De siliquis vide d'Arvieux tom. 2. pag. 250. & Spon. Itiner. tom. 2. pag. 220.

℣. 17. Quanti mercenarii in domu patris mei (17)? Adolescens, fame & inopia monitus, resipiscit; secumque ita reputat: Si serviendum est, certe apud patrem, non apud alienum: saltem abunde nutriar. Quam multi, serviente mundi & curarum oppressi, inter pessimarum habitudinum vincula gemunt, optantque illorum felicitatem, qui tranquilla & innoxia mente Deo serviunt? quam multi in sæculi & peccati viis laborant (18), ipsumque hunc statum, quantumvis molestissimum, relinquere nesciunt? *Multo difficilius est facere ista quæ facitis*, ajebat Seneca. *Quid enim quiete otiosius est animi? Quid ira laboriosius? quid crudelitate negotiosius? Vacat pudicitia: libido occupatissima est. Omnium denique virtutum tutela facilior est. Vitia magno coluntur.*

℣. 18. Peccavi in cœlum, et coram te. In Deum peccavi flagitiis, abusus sum lenitate tua, qui a te fugiens, liberam imperio tuo vitam agere volui. Ethnici, quorum figura est prodigus adolescens (19), in cœlum peccavere, idola venerati, cœlestem Patrem provocavere flagitiis, neque digni sunt, qui Filiorum Dei appellatione, aut patris præsentia gaudeant. At ea est Dei misericordia, ut vix redeuntes excipiat, liberalior quam prodigi pater, quippe qui illos a scelere per præcones revocat, gratia prævertit, salubri pudore obruit; obviam it, amplectitur, iterumque inter amicos enumerat.

℣. 19. Non sum dignus vocari filius tuus. Peccator, præsertim vero idolorum cultor, indignus est qui Dei filius nuncupetur. Patri injuriam intulit, ipsiusque imaginem, quod in ipso fuit, in se delevit: se ipse exclusit hæreditate, dum Conditoris sui hæreditatem, amicitiam, obsequium objecit. Postulare non audet prodigus, ut veluti filius excipiatur, sed ut in servorum numero recenseatur: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* En vere pœnitentis exemplar. Audendum illi non est ad res sacras statim accedere: fleat, criminum suo-

[5] Σαροῖ τὴν οἰκίαν. [6] Gregor. homil. 34. in Evangel. [7] Ambros. Epist. 2. initio. Vide Zeger. [8] Tertull. de pudicitia; Cyprian. de unctione; Theophylact. Euthym. Maldonat.
[9] Vide Hieronym. Epist. 146. ad Damas. Augustin. lib. 2. quæst. Evang. qu. 33. Bedam hic; Bern. serm. de divers. affection. animæ. [10] Beda, Theophyl. Euthym. hic; Hieron. ad Damas. August. qu. Evang. lib. 2. cap. 33. alii. [11] August. loco citato; Beda, Theophyl. [12] Herodot. lib. 2. cap. 47.
[13] Ambros. August. Hieron. alii. [14] Beda, Author serm. de tempore Barbarico. [15] Syr. Arab. חרובא *Caruba*. Salmas. in Solin. p. 326. Edit. Ultraj. Bochart de animal. par. 1. lib. 2. cap. 56. Hamm. & Clerc. Theophyl. hic, & Grot. alii post eos plurimi. Græc. Κεράτια. Theophrast. Κερωνία. Plin. *Siliqua*, & *ceraunia*. [16] Vide Theophrast. lib. 1. cap. 18. Dioscorid. lib. 1. Galen. lib. vii. & Plin. lib. 13. cap. 8. lib. 15. cap. 28. & alios. [17] Veteres multi, uti S. Ambrosius, S. Petrus Chrysologus, Beda, S. Euchetius consentiunt Græco: *Quam multi operarii patris mei!* Πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου; Non habent: *In domo.*
[18] Sapient. v. 7. *Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* [19] August. quæst. Evang. lib. 2. cap. 33. Theophyl. Euthym.

suorum pondus sentiat, expectetque, dum Innocentiæ stola induatur: tunc ad patrem accedet, osculo excipiendus. Non multum expectabit, si ex animo resipuerit. Obviam iturus est Pater, ipsumque præveniet. ℣. 20. *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Veniam quodammodo dat, antequam rogetur. Nihil suavius, & solatio peccatorum opportunius, quam dulcissima hujus parabolæ descriptio. Lenitatem animi & clementiam graphice depictas exhibet.

℣. 20. Non sum dignus, &c. Codices Græci plures, multique ex Latinis (20) hoc loco addunt: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

℣. 22. Cito proferte stolam primam, qua ipse utebatur, antequam discederet (21); seu potius eximiam (22), vestem pulcherrimam ac pretiosissimam ex repositorio. Multas olim vestes repositas habebant, quod corpori aptæ, quemadmodum apud nos, minime conficerentur. *Stola* promissæ vestis genus erat, viris ac fœminis apud Orientales commune. Apud Romanos, fœminarum erat. Hic vestis, qua prodigus induitur, innocentiam significat, quam peccator pœnitentia & conversione recuperat (23). Servi vestem restituentes sunt verbi Dei Præcones, Pastores, Evangelici Administri.

Et annulum. Locupletes & ingenui annulo distinguebantur. Eductus e carcere Josephus, Ægyptii Regis jussu Genes. XLI. 42. ita ornatus est, quemadmodum hic prodigus; sordidis enim exutus, pretiosis vestibus indutus est, annuloque distinctus. Interdum annulus insigne dignitatis est. Ex Patribus, annulus Spiritus Sancti dona significat, quibus hominem pœnitentia conversum cumulat Deus; & eum Jesu Christo similitudinem, quam Deus in illo per gratiam restaurat.

Calceamenta in pedibus. Veste & calceis egebat adolescens. Quamobrem calceis induitur, sive sandaliis, de regionis more. Disce hinc, hominem ex peccato conversum incedere debere non carne, sed Spiritu (24).

℣. 23. Vitulum saginatum. Vituli seu boves in solemnium sacrificiorum & conviviorum usum alebantur: Horatius lib. I. ep. 33.

Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

Boves altiles ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi, ait Varro de re Rust. lib. 2. c. 5. Inepte quæras in singulis parabolæ partibus allegoriam. His universe describitur Cœli & Ecclesiæ gaudium, ubi peccator aliquis resipiscat.

℣. 24. Mortuus erat, et revixit. Servitus, ærumnæ, mœror, exilium apud Hebræos mortis appellatione designantur; qui ex his emerserit, dicitur redivivus. Novi Testamenti Scriptores (25) peccatum nuncupant mortem, conversionem vero resurrectionem. Ethnicorum conditio, antequam converterentur, cum miserrima morte omnino erat comparanda.

℣. 25. Filius senior. Hic, uti diximus, figura Judæorum fuit. Gloriabatur hic, sese patri semper fuisse morigerum, & nunquam illius imperium detrectasse. Digna superbissima gente sententia, quæ unam se inter cæteras piam sanctamque arbitratur, Legisque sacra & ritus plurimi facit; atque Ethnicos summopere execrans, ægerrime fert, quod salutis fores illis pateant, ipsique participes earum promissionum fiant, quas uni sibi datas esse arbitratur. Judæorum ingenium graphice describitur ℣℣. 28. 29. 30. multoque luculentius in eo concipitur, quod hic ℣. 28. in patris domum redire dedignatur.

Audivit symphoniam et chorum, veluti publicæ hilaritatis causa. Aliter ac nos de choreis sentiebant Orientales; quippe quas in quibuslibet Festis, etiam Religiosis, usurparent. Ipsi interdum Prophetæ (26), virique gravissimi (27), quamquam modestissime, choreas agitabant. Præsentia patrisfamilias, & deperditi filii reditus prohibent, nequid dissolutum in hisce choreis imaginemur.

℣. 28. Nolebat introire. Renuunt Judæi in Ecclesiam ingredi, & Jesum excipere, quod is a peccatorum consuetudine non abstineret, ipsos ad salutem vocaturus. Apostolos insectantur, quod illi Ethnicos instituerent, ipsosque & baptismo & societate non excluderent.

Pater egressus cœpit rogare illum. Deus ad Judæos mittit unicum Filium, unius cum ipso substantiæ, & Deum: deinde Apostolos, & Filii Discipulos: at illi minime aures præbent; nimiamque Patris lenitatem & clementiam ægre ferunt.

℣. 29. Nunquam mandatum tuum præterivi. Inanem Judæorum gloriationem. Sese cum Ethnicis conferunt, quippe quorum flagitia notissima erant & publica: at majorum suorum peccata, cultum ab illis exhibitum profanis Numinibus, & assiduas fere seditiones prætereunt. Profecto quo tempore Jesus in Judæa claruit, numinum cultus ab Israele exulabat, & nunquam majori religione Divinas leges coluere Israelitæ. Describit Christus superbam Judæorum de sua virtute fiduciam, qua maxime prohibiti sunt, ne salutem assequerentur, atque ad Deum redirent. Vulnera sua non sentientes, rejiciebant Medicum, detecturum vulnera & curaturum. *Si cæci essetis*, si vos peccato inquinari agnosceretis, ait Christus Jo. 9. 41. Judæos alloquens: *non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis, quia videmus*, justos vos esse gloriamini: *peccatum vestrum manet.*

Locus hic, obvio sensu usurpatus, Tertulliano aliisque persuasit, filio majori natu hujus parabolæ minime significari Judæos, sed justos ex Christianis sive Judæis; cum minime intelligant, qua ratione glorientur Judæi, sese nunquam Dei mandata neglexisse; quippe quorum historia illorum flagitia & seditiones passim testatur. At distinguendum sedulo est id quod se gessisse gloriatur Judæus, ab iis, quæ revera præstitit: secernendum est id quod superbia, ab eo quod veritas ex ipsis elicit. Quod si de justis sermo est, quorsum invidia ob deperditi fratris conversionem ac reditum?

℣. 31. Tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Cum frater debitam sibi patrimonii partem absumpserit, reliqua hæreditas tua est. Tibi natu majori pars duplex debetur Deut. XXI. 17. Domus mea, mearumque opum proprietas tibi, me obeunte, servatur. An fratris conditio ea est, ut invidiam ex te mereatur? An gentium populus patrimonium tuum minuere potest? an se tibi præfert? Meane lenitas & clementia te adigent, ut obloquaris & doleas? *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. 15.

---

[20] Vide Var. Lect. Mill. hic. [21] Theophylact. Tit. Bostr. Brug. Heinsius, Chrysolog. [22] Grot. Brug. Maldonat. alii. [23] Ita Patres passim, & Interpp. [24] August. Ambros. Hieronym. Beda locis citatis. [25] Ephes. II. 1. *Et vos cum essetis mortui.* Et ℣. 5. *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* 1. Timoth. v. 6. *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Vide & Ephes. IV. 17. 18. V. 8. 14. Coloss. II. 13. Rom. V. 6. 7. 8. &c. [26] 1. Reg. XVIII. 6. 2. Reg. VI. 14. *David saltabat totis viribus.* [27] Philo de vita contemplativa, de Therapeutis pag. 902.

CAPUT XVI.

Villicus amicos sibi comparans opibus heri. Comparandi sunt in Cælo amici eleemosyna. Matrimonium indissolubile. Malus dives. Lazarus pauper. Illius supplicium, hujus præmium.

℣. 1. Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. 4. Scio, quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? 6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. 8. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis? 12. Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis? 13. Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire & mammonæ. 14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari: & deridebant illum. 15. Et ait illis: Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex, & prophetæ, usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit. 17. Facilius est autem cœlum, & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere. 18 Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur. 19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso: & epulabatur quotidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus. 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. 22. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. 23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus: 24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. 26. Et in his omnibus, inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. 27. Et ait: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. 28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & prophetas: audiant illos. 30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illis: Si Moysen, & prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

℣. 1. Homo quidam erat dives, &c. Villicus hic (1) minime erat ex ejusmodi servorum genere, quos Romani in villas mittebant, ac vilę, servisque & cęteris ad villam pertinentibus pręficiebant (2). Magnę domus dispensator erat, penes quem dati & accepti rationes servabantur, cui herus omnia crediderat. Hoc munere functi sunt Josephus apud Putipharem primum, de-

---

(1) Οἰκονόμος.

(2) Varro, de re Rust. lib. 2. Cato c. 5. & 142. Columel. lib. 1. c. 7. 8.

deinde apud Pharaonem Gen. 39. 4. & 41. 43. & Eliezer in Abrahami familia Gen. 24. 2. At cum plerumque dispensatores servi essent, hic liber erat, sive libertus, heri dominio minime obnoxius; sponte serviens, ac fortasse ex mercede. Ceteri hero obærati conductores prædiorum sunt, iis similes, de quibus Cantica Canticorum VIII. 11. qui vineam Salomonis conduxerant, annua mille siclorum pensione; & iis apud Matthæum XXI. 33. quibus paterfamilias vineam locavit, fructuum partem vindemiæ tempore reddituris.

℣. 2. REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TUÆ, &c. Audivi, te opes meas absumpsisse: res meas tibi deinceps non credo. Unusquisque conductor est, Deo obligatus. Quicquid singulis est, ex Deo habemus, omnium rationes exhibituri. Parabolæ hujus propositum est, ut doceamur, qua cautione utendum sit bonis, quæ ex Deo accepimus, & quam sapienter illa dispensanda sint, ut nostra singuli peccata redimamus. Superiores sequitur hæc parabola, eodem tempore proposita. Illis docuit Christus, qua sollicitudine nostram ipse salutem, & impii conversionem quærat; hac docet, quantopere homo ad meliora conversus vocationi respondere debeat, & gratiam atque innocentiam tueri, eamque amissam recuperare.

Institutionibus hisce spectari potissimum videntur locupletes (3), conductores dispensatoresque opum sibi a Deo creditarum, quibus illos optime uti jubet, fratrum auxilio usurpatis. Præstat tamen ad omnes universa Christianos prorogare, cum nemo unus sit, qui pro virium modo thesauros in cœlo sibi colligere, & peccata largitionibus piisque operibus redimere non teneatur.

℣. 3. FODERE NON VALEO, MENDICARE ERUBESCO. Adeo inops in rebus ad mores spectantibus fit, qui dissipatis Dei beneficiis, peccati indigentia & nuditate opprimitur: nimirum neque laborare, neque mendicare jam potest. At neminem Deus ita deserit, ut nihil benevolentiæ ac misericordiæ erga illum servet, paratusque non sit auxilia præbere, ubi nos converti pro viribus conemur (4). Impatiens hic est laboris & mendicationis; at pias largitiones exercere potest, ac pauperes pro se oratores dare.

℣. 5. QUANTUM DEBES DOMINO MEO? Poterat dispensator, nondum administratione spoliatus, acceptilationes conductoribus atque obæratis suo ipsius nomine facere, quasi accepisset ea quæ revera non acceperat; debitores vero, fraude nequissimi dispensatoris aliqua alieni æris parte soluti, grati animi causa ipsum domi excipere, ac parem in infortunio gratiam referre tenebantur. Cum locupletes largitionibus inopes juvant, illud ipsum præstant, quod hic dispensator: bona scilicet herilia largiuntur: pauperi præbent quæ Dei sunt.

℣. 6. CENTUM CADOS OLEI. *Cadus*, seu *batus*, uti habet Græcus (5), continebat pintas novem & viginti, cum dimidio pintæ, semisextario, octava pintæ parte, & aliquanto amplius, Parisiensi mensura. *Cadus* hoc loco eamdem rem significat. At Hebraice *cad* proprie est amphora, mensura, urceus.

SEDE CITO, SCRIBE, &c. Notarii olim humi sedebant; quemadmodum adhuc solent Notarii seu Scribæ Divani apud Turcas (6).

℣. 7. CENTUM COROS TRITICI. *Chor*, sive *chomer* Hebræorum batos decem capiebat, adeoque pintas CCXCVIII. cum dimidia, semisextario, & aliquanto amplius, Parisiensi mensura.

℣. 8. LAUDAVIT DOMINUS VILLICUM INIQUITATIS, nequissimum, &c. Minime commendat Deus fraudem dispensatoris, herum fallentis, bonaque herilia pessime absumentis. At hoc ipsum quod in dispensatore erga herum nequitia & iniquitate non caret, sapientissimum est apud Deum atque sanctissimum. Homines ita bonorum suorum proprietate gaudent, ut alteri nonnisi ex heri voluntate ac facultate da ea decernere liceat. Id porro herus dispensatori neque imperaverat, neque permiserat. At Deus, utpote qui minime veretur, ne suæ ipsius opes atque ærarium exhauriantur, nedum facultatem fecit nullis finibus clausam, verum etiam imperavit omnibus, quibus ipse terrenas ac spirituales opes largitus est, ut eas large distribuant. Addit etiam promissa & præmia iis, qui morigeri fuerint, ac refractariis minas. Ita corrigitur id, quod in parabola vitiosum & iniquum videtur. Id quidem in homine consideratum, genus est prudentiæ: hanc laudat paterfamilias, non ipsam rem. At apud Deum eleemosyna nedum prudentiæ pars est, sed justitiæ (7).

FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES FILIIS LUCIS IN GENERATIONE SUA [in rebus suis] SUNT. Dispensator, qui domini rebus male gestis, administratione spoliatur, amicos comparare sibi novit ex heri opibus, quin illi vel postulare liceat, vel repetere: *filius lucis*, Christianus, homo fidei ac Religionis lumine illustratus, ita sapiens non est, ut credita sibi a Deo commoda largitionibus distribuat, quibus amicos ac patronos, certamque sedem in Cœlis sibi comparet. *In generatione sua*, dum vivunt, inter homines, inter hujus sæculi mortales (8). Optimi tamen Interpretes quamplurimi (9) de universa vivendi institutione usurpant. *Generatio* apud Hebræos interdum vitam significat (10). *Filii lucis* opponuntur *filiis sæculi*, quemadmodum filii Dei filiis Belial. Diabolus tenebrarum (11), vel sæculi Princeps (12) nuncupatur; Christus vero mundi lux est (13).

℣. 9. FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS. Omnino haud jubet, opes iniquis artibus quæri, ut pias largitiones facias, aut res male partas pauperibus distribuas (14). Hæ quippe possidentis non sunt, sed alterius, a quo inique abstuleris. Restituendæ sunt, non distribuendæ; nisi tamen dominum penitus ignoraveris; sive neque dominus neque hæredes impetes sint rei accipiendæ.

Vult Christus, amicos a te comparari, *divitiarum iniquitatis*, scilicet mundi hujus bonorum largitione, quæ quidem bona iniquitatis adminicula sunt possidentibus (15), cum proximum peccandi discrimen inferant, ac perraro quis illa possideat, quin amet, nullaque iniquitate nunquam fere parentur; præsertim ubi ingentia ac brevi tempore comparaveris (16). Dispensator, cujus prudentia hic in exemplum proponitur, in eo imitandus non est, quod infidelis erga herum fuerit. Bonorum, quæ ipse largitus est, proprietas penes illum non erat; quamobrem hæc nonnisi iniquitatis opes illi esse poterant. Tua vero, & bene

(3) Ita Ambros. in Luc. Chrysost. apud D. Thom. August. lib. 2. quæst. Evang. qu. 34. Beda, Theophylact. Euthym. Maldon. hic. (4) Concil. Trid. *Jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis*. (5) Ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. Græci Codices multi legunt *Cados*, κάδους ἐλαίου. Syr. & Pers. *Metretas*. (6) Della Valle pag. 142. (7) Vide Euthym. Maldon. Grot. alios passim maxime August. l. 2. qu. Evang. qu. 34. (8) Syr. Pers. Arab. Bing. Origen. apud D. Thom. Cyprian. ad Jubajan. (9) Vide Grot. Vatab. alios. (10) Genes. II. 9. XXXVII. 2. תולדת Isaac. (11) Ephes. VI. Coloss. I. 13. (12) Joan. XII. 31. XIV. 30. (13) Joan. I. 9. III. 19. VIII. 12. (14) Vide August. serm. olim 35. nunc 113. (15) Vide Tertull. lib. 4. contra Marcion. & Ambros. lib. 7. num. 245. (16) Vide Prov. XXVIII. 20. *Qui festinat ditari, non erit innocens*. Vide & ℣. 22. Hieron. ad Hedibiam qu. 1. *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres*. August. in Psalm. XLVIII. *Divitiæ mammona iniquitatis; quia aut de iniquitate acquisita sunt, aut quia ea ipsa iniquitas est, quod tu habeas, alter non habeat; tu abundas, & alter eget*. Vide Grot. Vat. Maldon.

& bene parta largiatis opus eſt, ſi largitiones tuas Deo gratas & jucundas eſſe volueris.

Interpretes quidam eruditiſſimi (17) ajunt, *mammona iniquitatis* Hebraicam eſſe locutionem, pro *mammona vanitatis*, inaniſſimis opibus caducis, temporariis, quæ cœli opibus opponuntur, æternisque ac veris divitiis, de quibus ſermo eſt ỷ. 11. *Si in iniquo mammona fideles non fuiſtis; quod verum eſt, quis credet vobis?* Hanc porro ſimpliciſſimam eſſe ac veriſſimam exterarum explicationem puto. Hebraica vox (18), quæ *iniquitatem*, eadem ſonat vanitatem, nihil, id in quo nihil ſolidi ac firmi eſt.

Mammon, ſeu *Mammona* Syriaca vox eſt, divitias ſignificans. Teſtantur S. Auguſtinus l. 2. c. 21. de Serm. Dom. in monte, eamdem vocem eadem ſignificatione Punice efferri, Punicus enim ſermo ex Hebraico naſcebatur. *Matmon* dicunt Hebræi (19) ex טמן, abdere, abſcondere; מטמון *matmon* quippe tam late patet apud illos, quam אוצר *ozar*, theſaurus; uſurpaturque nedum de auro argentoque & metallis ſub terra latentibus, verum etiam de frumento, vino, oleo, quæ olim ſubterraneis in ſcrobibus interdum condebantur (20), ne ab hoſtibus invenirentur.

Ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: ut morientes (21) in cœlum ab iis, æternamque beatitudinem excipiamini. Pauperes hic exhibet Chriſtus, ceu janitores cœli, quodammodo arbitros, quorum ex voluntate Cœlorum aditus pateat aut claudatur. Infidelis diſpenſator, at prudens, domi excipitur ab iis, quibus ingentis ſummæ veniam dederat. Qui tradiras ſibi a Deo opes pie largitus fuerit, in cœlum admittetur ab iiſmet pauperibus, quos ille opum ſuarum participes effecerit; vel ab Angelis, ſi pauperes defuerint. Quamquam enim hic ita loquitur Chriſtus, ut pauperes omnes eſſe juſtos, & Jeroſolymæ cœleſtis incolas, dicere videatur, id ex meru verborum ſono uſurpandum non eſt. Multa in unaquaque parabola ſunt, minime moltum urgenda, & ornatus cauſa uſurpata. Pauperes cœlorum fores orationibus pandunt. Ipſæmet largitiones officio janitoris quodammodo funguntur, quod nos Deo gratos efficiant (22). Allegoricæ locutiones ſunt & myſteriorum plenæ.

ỷ. 10. Qui fidelis est in minimo, &c. A terrenis opibus ad ſpirituales gradum facit Chriſtus. Poſtquam docuit auditores, qua ratione diſtribuendæ ſint terrenæ opes & caducæ, ad Apoſtolos convertitur, ac docet, quo pacto utendum ſit ſpiritualibus bonis, opibuſque veris ac minime perituris. Quemadmodum paterſamilias familiarium fidelitatem in rebus minimis periclitatur, antequam majores iis credat, gravioraque negotia minime credit iis, qui in levioribus infideles fuerint; ita Deus, cum aliquem ad fidem vocat, eique apoſtolicum, vel cætera Eccleſiæ munera imponit, opportuna etiam illi præbet adminicula ut quam aptiſſime iis fungatur; illuſtrationes parat & auxilia, quibus ſua circa illum conſilia expleat; qui ſi tum in magnis tum in parvis ad finem uſque fidelis manſerit, novis in hac vita dignitatibus Deo donabitur, ac denique perſeverantiæ donum, laborumque in cœlis præmium ex ipſius liberalitate expectabit.

Phariſæorum avaritiam ſævitiamque notare ex obliquo videtur Chriſtus; verbiſque ſubobſcuris prædicit, illos excluſum iri ex Eccleſia, ſeque illorum opera minime uſurum, ut verbi panem diſtribuant, quippe quorum fides ita levis futura eſt in ſpiritualium bonorum diſpenſatione, quemadmodum in terrenarum opum eſt. Harum ſcilicet rerum notitiam ipſi ſibi conditori ſunt, cæteriſque minime exhibituri, præſertim Ethnicis, pauperum nomine ſignificatis, authore Tertulliano in lib. de fuga in perſecut.

ỷ. 11. Si in iniquo mammona fideles non fuiſtis, &c. Cum vos, Phariſæi, terrenis opibus tam male uſi fueritis, an futurum ſperatis, ut ſpiritualia bona vobis credat Deus? qui avaro animo tuemini caduca hæc, falſa, & inutilia, quis vobis traditurus eſt eas opes, quæ veræ ſunt, rerum cœleſtium cognitionem, Evangelica dogmata, ſacrorum diſpenſationem, opes nimirum multo quam mundi bona pretioſiſſimas (23). S. Clemens Papa ep. 2. §. 8. hæc veluti ex Jeſu Chriſto recitat: *Si parvum non ſervaſtis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis: Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt.* Eadem ferme S. Irenæus l. 2. c. 6. *Dominus dicebat ingratis exiſtentibus in eum: Si in modico fideles non fuiſtis, quod magnum eſt quis dabit vobis?*

ỷ. 12. Si in alieno fideles non fuiſtis, &c. Terrenæ opes homini alienæ ſunt, cum revera ſint Dei, a quo diſpenſandæ tribuuntur (24). Cum eleemoſynam facis, aliena largiris. At qui neque aliena largitur, illi ne credenda ſunt a Deo illa, quæ propria ipſius ſunt? Quam avare ſua diſtribuet, qui tam male abutitur alienis? Nihil profecto magis peculiare Judæorum fuiſſe videtur, quam Dei Regnum, prædicatio Evangelii, & dogmatum ſalutis agnitio. His tamen æquiſſimo jure ſpoliati fuere, infidelitatis cauſa in Legis exercitatione, ac præſertim charitatis, quæ potiſſimum quærenda erat. His ſeſe ſpectari, optime intellexere Phariſæi, teſte Luca ỷ. 14. *Audiebant omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant illum.*

ỷ. 13. Nemo servus potest duobus dominis servire; Deo ſcilicet atque opum numini. Vide nos in Matthæum vi. 24.

ỷ. 14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum. Phariſæi quibus terrena hæc tanti fiebant, ut vera eſſe bona crederent, ac promiſſum a Deo legem ſervantibus præmium Levit. 26. 3. Jeſum ridebant, a quo liberalitas & eleemoſyna magnopere laudabantur, quippe paupertatem plurimi a ſe fieri oſtenderat ſermone, vivendi ratione, electione Apoſtolorum, inopum ſcilicet hominum, atque humillimæ conditionis.

ỷ. 15. Vos estis qui justificatis vos. Exteriorem apud cæteros ſpeciem oris componere, magnumque paternarum Legum obſequium præferre noſtis (25): at qui profundos mentium veſtrarum receſſus ſcrutatur Deus (26), illas ſuperbia, malo veſtri amore, hypocriſi, avaritia, invidia, odio, vindictæ cupiditate plenas videt. His nimirum vitiatur quicquid bene geritis, Deoque execrabile efficitur. Si eam, quam præfertis ore, pietatem ac religionem animo coleretis, æquiora de vobis ipſi ſentiretis, minas meas vereremini, ac vitia, quæ ex vobis damno, corrigere ſatageretis.

ỷ. 16. Lex et prophetæ usque ad Joannem duravere. Hæc interpretati ſumus in Matthæum xi. 12. His Phariſæos alloquitur Chriſtus, ſuas ipſius inſtitutiones deridentes. Minime recens eſt veſtra in veritatem pugna. Majores veſtri quam ma-

(17) J. Capell. Ludov. de Dieu, Heinſ. Natal. Alex. alii. (18) שקר *Mendacium*, vel *Falſitas*. Vide Exod. xxiii. 7. Deut. xix. 18. Jerem. v. 31. Oſee xii. 7. און *Vanitas*, & *iniquitas*. Job xv. 15. 18. Pſalm. vi. 15. Prov. vi. 12. 18. xxii. 8. xxvi. 3. Amos v, 5. Zach. x. 2. (19) Job iii. 21. Prov. ii. 4.
(20) Jerem. xli. 8. יש לנו מטמונים בשדה (21) Theophyl. Euthym. O'ταν ἐκλίπητε. Brug. *Cum ſublati fueritis ex hac vita, & officio diſpenſandi.* (22) Vide Maldon. Grot. Brug. Ludov. de Dieu.
(23) Vide Brug. Ludov. de Dieu, Grot. Vat. (24) Vide S. Paulin. de Gazophylacio, & Aſter. Amaſ. homil. in hunc loc. (25) Confer Luc. xx. 32. Matth. xxiii. 25. (26) Vide 1. Reg. xvi. 7. *Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor.*

male in Prophetas sævierunt, Divinasque Leges quantopere conculcavere? Venit Joannes, Messiæ adventum nuncians: illum quo pacto excepistis? Quam multa de illo estis obloquuti? Ipse ego Dei nomine Regnum Dei prædico; prodigia facio, qualia nemo edidit Joan. 15. 24. quales vero vos mihi exhibuistis? Me nimirum insectamini, meque & dogmata mea damnatis, in me denique insanissime sævituri: *Regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

At probe intelligite: ℣. 17. *Facilius est, cœlum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere.* Quæ de me scripta sunt, opus est omnia impleri. Quicquid a Prophetis de Messia prædictum est, in me ipse exhibebo. Expleturus est Deus omnia, quæ ipso dictante prænunciata sunt: cumque vos servorum suorum opera vocaverit, reluctantes obstinatosque demum destituet, populumque magis morigerum eliget. Fide nihilo minus certa minatur illa, quam promittit. Reprobationem vestram, alienæque gentis vocationem nihilo luculentius tradunt Scripturæ, quam adventum Messiæ, & posterorum Abrahami electionem, ut gens sua sint.

℣. 18. Qui dimittit uxorem, &c. Vide Matthæum xix. 3. &c. & Marc. x. 3. apud quem Pharisæi Christum periclitaturi rogant, liceat ne quacumque ex causa uxorem datis literis repudiare: ubi etiam animadverte, id contigisse, antequam Jesus, Galilæa relicta, Judæam versus proficisceretur per regionem trans Jordanem (27).

℣. 19. Homo quidam erat dives. Quo tempore hanc Jesus parabolam, sive historiam Discipulis enarraverit, incertum. Parabolam, inquam, sive historiam, cum non satis hac de re conveniant Interpretes. Rem vere gestam putant S. Irenæus l. 4. c. 4. S. Ambrosius l. 8. in Luc. n. 13. Tertullianus de Anima c. 7. Euthymius, S. Gregorius Magnus hom. 40. in Evang. Lucas Brugensis hic, quod proprium Lazari nomen ibi legatur, atque omnia rei adjuncta luculentius, quam simplici parabola, tradantur. Meram parabolam existimant S. Chrysostomus hom. de divite & Laz. S. Cyrillus Alexandrinus in Catena Græc. PP. Theophylactus hic & pleríque Recentiores. Lazari nomen, inquiunt, confictum est, veluti apud Tragœdos, & in responsis Scholasticorum & Jurisconsultorum, in quibus certa hominum nomina finguntur, vitandæ confusionis causa, ex genericis nominibus orituræ. Alii (28), denique medium tenentes ajunt, neque meram esse parabolam, neque veram in omnibus historiam, sed ex utraque conflatam. Malo parabolam. Codices nonnulli Græci & Latini (29) commatis initio legunt: *Aliam quoque parabolam dixit illis: Homo quidam*, &c. Lazari nomen satis argumenti esse non videtur, ut veram historiam credas.

Simplicissimum est totius parabolæ propositum. Docet Christus divitiarum discrimen, commoda paupertatis, & quo pacto utendum sit opibus, siquidem locuples extremam perniciem vitare cupiat. Ingens est hujus parabolæ similitudo cum iis quæ docuit supra ℣℣. 9. 10. 11. 12.

Lazarus notissimum erat apud Judæos nomen ætate Christi, quemadmodum docet Marthæ & Mariæ frater; idemque censetur atque Hebræorum (30), *Eleazar*, quod sonat *Dei auxilium*. Nec temere fortasse additur; cum eo nomine significetur, omnem pauperum fiduciam opemque in Deo esse.

Induebatur purpura et bysso. Quid rei esset purpura, nemo ignorat. Præstantissima & nitidissima erat Tyria. Byssus plerisque Interpretibus linum est tenuissimum. Nobis videtur serici genus, ex testaceo quodam pisce, nomine *pinna* (31).

Epulabatur quotidie splendide. Græcus (32): *Lætabatur quotidie splendide*, vel *jocundabatur*. Plerique de vitæ suavis deliciis interpretantur. Omnia divitis hujus crimina in luxu, mollitie, epulis, sævitiaque erga pauperes versabantur. Nulla huic injusta vis, avaritia, rapacitas vitio dantur (33).

℣. 21. Cupiens saturari de micis. Græci Codices multi (34) non habent: *Et nemo illi dabat*; itemque Latinorum quamplurimi. Addita hæc putantur ex Capite xv. 16. ubi de prodigo filio sermo est, saturari cupiente porcorum siliquis: *Et nemo illi dabat*.

Canes lingebant ulcera ejus. Ipsæmet belluæ aliqua pauperis misericordia moveri videbantur. His longe durior dives, illius ærumnas negligebat. S. Augustinus (35) maledicos cum canibus Lazari ulcera lambentibus comparat. Pascuntur illi & gaudent iis, quæ unusquisque socius habet sordidissima & maxime fœtida.

℣. 22. Ut portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Veteri Judæorum opinione (36), piorum animæ in Paradisum ab Angelis deferuntur. *Abrahæ sinus* est locus, in quo Justorum ac Patriarcharum animæ adventum Liberatoris præstolabantur. Eo post mortem descendit Christus: *Descendit ad inferos*. Eruditorum nonnullis (37) spectata hic videtur veterum consuetudo, qua illi ad mensam accumbebant in lectis, pedibus in exteriorem partem porrectis, capite vero prope sinum illius, qui ordine superior cubabat. Ita Joannes Evangelista supra Jesu Christi pectus in mensa recubuit (38).

Hebræi Paradisum ita sibi fingebant, veluti locum, in quo Beatorum animæ assidua convivia agitarent. Abraham, uti gentis Princeps, in summo mensæ capite; filii una ejusque in sinu cubant, minori majorive propinquitate. Lazarus, utpote carissimus, juxta Credentium Patrem est (39), ejusque in sinu recumbit. Hoc ipsum Christus alio loco innuit (40), ubi ait, venturos ex omnibus terrarum plagis advenas, sessurosque vel cubaturos in mensa cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo. Rabbini (41), cum pii Israelitæ felicitatem significant, ajunt, illum in Abrahami sinu in altera vita cubare. Omnino intelligis, tropicas esse locutiones, neque usurpandum Abrahamum in corpore existentem, aut corporeum & materiale convivium, locumve, in quo animæ suavem vitam agant (42), quemadmodum Ethnici de Elysiis comminiscebantur. In rebus errori minime obnoxiis Christus multitudinis opinionibus sese accommodat.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, quo loco legitur hic *magnum chaos*, ponit *magnum profundum*, aditque divitem illum impium oculos suos lacrymis madidos elevasse ad celsiorem quendam locum, ubi Lazarus versabatur.

Plato de Republica lib. 10. pag. 614. narrat historiam Eretis cujusdam, in mundum regressi,

[27] Matth. xix. 1. 2. 3. Marc. x. 1. 2. [28] Maldon. hic, Salmas. & Serar. in J. Capell. Grot. hic, Justin. seu alius qu. Orthodox. qu. 60. [29] Cantabr. G. B. L. Steph. Cod. Lat. vetust. in Bib. Bodl. Vide Bez. & Mill. hic. [30] עזר. אל Eleazar. [31] Vide nos in 2. Paralip xv. 27. [32] Εὐφραινόμενος λαμπρῶς. [33] Chrysost. homil. 1. de divite, e Lazaro. [34] Vide Mill. hic, & Erasm. [35] August. 78. nov. edit. [36] Chald. Paraphr. ad Cant. iv. 12. & Rabboth paras. ult. Deuteron. apud Grot. & J. Capell. hic. [37] Vide Mald. Grot. Camer. J. Capell. Le Clerc, Ligfoot, alios plures. [38] Joan. xiii. 23. xxi. 20. [39] Rom. iv. 17. 18. [40] Matth. viii. 11. [41] Vide Juchasin fol. 77. Col. 4. & Talm. Jerosol. apud Ligfoot. Chron. & Hor. Hebr. & Grot. hic. [42] Vide August. lib. 4. de anima ad Vincent. cap. 14. & Epist. 187. no. Edit. ad Dardan. & 164. ad Evodium. Vide & Nyss. disput. de anima.

ex quo decesserat ante 10. vel 12. dies. Porro ille vitæ restitutus narrabat inductum se post obitum in agrum quendam latum, ubi quatuor magnas voragines alteram post alteram distinxit; ex his duæ altius in terram penetrabant, reliquæ ex imo in Cœlum iter pandebant. Intra has cavitates assidebant constituti defunctis judices, pro merito singulorum laturi sententias. Justi adjudicabantur dexteræ, ubi patens erat hiatus in Cœlum; unusquisque vero ante se appensam sententiam absolutionis suæ, & causam ejusdem ferebat. Impii vicissim postquam idem judicium subierant, præcipites agebantur in voraginem in sinistris positam, & illi pariter descriptum ferentes judicium suum, & seriem malorum omnium, quæ in vita mortali commiserant. Cum ventum esset ad Erem Judicum sententia remissus est in mundum, ut viventibus hominibus annunciaret, quæ in altera vita spectaverat. Profecto Judices isti, qui voragini ad sinistram hianti impios addicebant, quique justos ad dexteram positos Cœlo donabant, nescio quid habent simile cum iis, quæ hic leguntur de abysso, Abrahamum a Lazaro segregante; atque cum iis pariter, quæ Jesus Christus de electis & reprobis alibi docuit, quippe qui hos constituit ad lævam throni sui, eosque veluti reprobos infernis pœnis destinat; illos vero ad Cœlum dirigit. Erees remissus in mundum, ut annunciaret viventibus hominibus quæ viderat, non obscure refert ea, quæ dives impius postulabat ex Abrahamo, ut scilicet aliquem ablegaret necessariis suis, quo sibi caverent a præcipitio.

MORTUUS EST AUTEM ET DIVES, ET SEPULTUS EST IN INFERNO. Græcus fert: *Mortuus est dives sepultusque: in inferno elevans oculos*, &c. Pauperem e vita egredi jubet Deus, antequam divitem; illius quippe ærumnas miseratus, brevius illarum tempus facit. Locuples quoque obiit, quin illum opes suæ immunem morte servaverint. Quid vero locupleti contigit? Sepultus in inferno est, illatumque sepulcro cadaver: hoc nimirum supremo honore illum homines prosecuti sunt; anima vero rapta est in infernum a diabolo, æternis suppliciis torquenda.

Ex totius parabolæ serie intelligis, putasse Judæos, quibuscum verba faciebat Jesus, Abrahami sinum, & infernum, quo illatus est dives, subterraneis in locis atque homini inaccessis esse, at adeo dissitos, ut mutuo itinere adiri non possent: utrumque enim disterminabat chaos & abyssus. Mortuorum sedem ferme similem sibi confinxerant Ethnici. Niger Tartarus, & Arva Elysia sub terris erant (44); at ita locis distincta, ut nullus unquam impiis ad beatorum sedes aditus pateret. Saducæi, apud Hebræos, nulla post hanc vitam esse præmia aut supplicia asserebant (45); Esseni vero (46) paria ferme Poetis Græcorum de hoc argumento sentiebant. Credebant Pharisæi (47), manere pios impiosque subterraneis in locis rerum bene vel male gestarum pœnas aut præmia.

℣. 23. ELEVANS OCULOS SUOS, VIDIT ABRAHAM A LONGE. Hæc locutio, *Elevans oculos*, non illud omnino significat, malum divitem profundissimo in loco fuisse, comparato cum eo, in quo Abraham versabatur; sed oculos in eam partem convertisse. Hebraicus loquendi modus. Infernus & Abrahami sinus eodem, ut ita dicam, in campo erant, sed inter utrumque chaus magnum intercedebat.

℣. 24. MITTE LAZARUM, UT INTINGAT EXTREMUM DIGITI SUI, &c. Non audet malus dives Lazarum appellare, quem a se nunquam non spretum neglectumque noverat, cum in vivis esset: quamobrem Abrahami authoritatem usurpat, ut aquæ guttam ab eo postulet, quem ab ipsis e mensa micis arcuerat. Justissime illi denegatur aquæ gutta, & leve hoc atque inane solatium inter voracissimos ignium cruciatus non impetrat. Tropice intelligenda sunt flammæ, lingua divitis, & aqua (48). Cave tamen colligas, ignem damnatorum esse allegoricum: Audi S. Augustinum eodem loco: *At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum*, &c.

℣. 25. FILI, RECORDARE QUOD RECEPISTI BONA IN VITA TUA, &c. Scriptura passim teste, credebant Hebræi, certam bonorum malorumve mansuram in hac vel altera vita a Deo singulis esse decretam; eos qui vitam hic inter delicias egerint, alterius vitæ beatitudine carituros; cœlestis vero felicitatis participes fore, qui ærumnas hic toleraverint. His niti videntur Jesu Christi promissiones, ubi is ait Matth. v. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cum persecuti vos fuerint*, &c. *quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Alibi vero (49) ait, hypocritas, jejunia & pietatis opera colentes, ut hominum æstimationem aucupentur, suam mercedem jam accepisse. Ita hunc locum interpretantur S. Chrysostomus hom. 4. de Lazaro, Maldonatus, & Grotius.

Censent alii (50), hoc loco significari, malum divitem in hac vita mercedem suam, vel sua bona retulisse (51); quod malo rerum homini carissimarum amore actus, ac voluptatibus sensuum illectus, Deo permittente, gavisus fuerit hisce rebus, quæ in sola hominis æstimatione consistunt; cum Lazarus, qui vitam inani hac felicitate carentem atque inopem duxit, at veram beatitudinem sperans, in Cœlo beatus potiatur iis, quæ nunquam non desideravit, malo divite rebus tantopere amatis penitus spoliato. Bona Lazari æterna sunt; mali autem divitis caduca. Illius felicitas, hujusque calamitas talia fuere, qualia sunt bona quæ illi amaverunt.

Cæterum, Philone teste lib. de Execratione, fatebantur Hebræi, animas nedum post hanc vitam existere, felicemque aut miseram conditionem subire; verum etiam Sanctorum ac Patriarcharum animas propitium orando posteris Deum reddere, illisque ea quibus indigent, postulare.

℣. 26. IN HIS OMNIBUS INTER NOS ET VOS CHAOS MAGNUM. Frustra roges mitti ad te Lazarum, ut solatium aliquod tibi afferat. Locus, in quo es, inaccessus est iis, qui, uti Lazarus, æterna beatitudine fruuntur; quemadmodum & istbinc nemini aditus ad nostras sedes datur. *Chaos magnum*, vel, ex Græco (52), hiatus ingens, vorago profundissima, quasi infernus ac Paradisus insuperabili voragine, vel fossa aquis plena, seu amne minime permeabili disterminentur. Hujusmodi erant apud Poetas Cocytus & Acheron, quibus Tartara ab Elysiis sejungebantur. Docet Ligfootus (53), Hebræorum sententia, gehennam & paradisum parum adeo invicem abesse, ut ex uno in alterum obtutus concedatur. Esseni, ut vidimus ex Josepho, eadem fere de inferis sentiebant, quæ Poetis Profanorum probabantur. Consule Grotium in hunc locum.

Cæterum ingens hic hiatus minime censendus est

[44] Virgil. Æneid. vi. Ita Sophocl. Plutar. Diodor. alii apud Grot. hic. [45] Joseph. de Bello lib. 2. cap. 7. [46] Joseph. ibidem. [47] Joseph. Antiqu. lib. 15. cap. 2. [48] Vide August. lib. 21. de civit. cap. 10. [49] Matth. vi. 2. 5. 16. [50] August. lib. 2. quæst. Evang. cap. 38. & serm. xli. nov. edit. Chrysost. homil. 2. de Lazaro; Greg. hom. 40. in Evang. [51] Gr. Ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου, Recepisti tu bona tua. [52] Χάσμα μέγα ἐστήρικται. [53] Ligfoot. horæ Talm. ex Midras coheleth 103. 2.

est locus, sive loci distantia, sub sensum cadens. Allegoricus est ex Patribus (54), quo significatur ingens discrimen beatos inter atque damnatos, & immutabilis utrorumque conditio in præsenti singulorum statu, ad quem a Dei justitia adiguntur.

V. 27. Rogo te, ut mittas eum in domum patris mei, monitorum fratres meos, quantis ego in malis verser, ne & ipsi in hunc locum cruciatuum veniant. Si hæc vera est historia, non parabola, mirum profecto, quantopere sollicitus sit miser, ne fratres exemplum sui sequantur, eademque damnatione obvolvantur. Sunt (55), qui censeant, non misericordia exterorum, sed suo ipsius amore malum divitem vereri, ne fratres sui una pereant; quippe quorum suppliciis suos ipsius cruciatus auctum iri nollet, quod illos ipse exemplo in miserrimum eum statum impulerit. Hujusmodi tamen in parabolis quærenda non est historiæ veritas. Illud solummodo docere voluit Christus, minime expectandum esse, ut aliquis e morte redux, aut prodigium aliquod nos doceat, quid a nobis officii præstandum sit. Discendum est ex rebus divinitus traditis apud Scripturas, & ex iis, quæ penes Ecclesiam ceu deposito servantur. Hi nimirum præceptores consulendi sunt (56).

V. 29. Habent Moysen et Prophetas. Nihil prætermisit Deus, quod a se præstari deberet. Si errant pereuntque, id ex vitio ipsorum est. An redivivi hominis exhortatione moveantur, quos Moysis & Prophetarum institutiones, tot prodigiis fultæ, non vicerunt? Satis magistrorum illis est: nihil nisi officiosa voluntas deest. Moyses & Prophetæ pro Veteri Testamento ponuntur (57): hujusque in libris nullo negotio invenies, impios æquissimas scelerum pœnas in altera vita dare. Sermo est apud Jobum 26.5. de gigantibus: *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis*. Hebræus: *Rephaim*, seu gigantes; *merent sub aquis, & qui habitant simul in teterrimis* illis locis. Semitæ mulieris adulteræ, ex Salomone Proverb. 2. 18. *ducunt ad gigantes*, ad inferos nempe, ubi sunt Rephaim. Et Proverb. 9. 18. Vecors, qui meretricem sectatur, *ignorat quod ibi* [cum illa] *sint gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus*. Isaias 14. 9. & 26. 14. Regem Babylonis alloquens, Ezechiel 31. 17. & 32. 19. Reges Tyri & Ægypti, mortem illis extremaque mala minitantur, & contemptim monent, ad inferos cum priscis Gigantibus descensuros; ipsos cum obsequio exceptum iri, omnesque ibi jacentes, ipsis venientibus, honoris causa surrecturos. Psalmista, Deum alloquens, ait Psal. 77. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia, & Rephaim surgent*, sive in vitam redibunt, *tibi*, ut tuas laudes canant? Supervacaneum est, locos ex Sapientia, Ecclesiastico & Macchabæis recitare; quibus supplicia impiorum post mortalem vitam luculentissime traduntur. Sufficiat hiademonstrasse, dogma hoc luculentissime in Libris ante captivitatem scriptis legi. Veritatis hujus argumenta ubique in Historia occurrunt, quemadmodum apud Prophetas librosque morales. Profecto nisi sua sint præmia justis in altera vita, & impiis supplicia, ubi Dei justitia, ubi promissa & minæ?

V. 31. Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque siquis ex mortuis. Vulgo credimus, siquis ex mortuis redierit, ac narraverit, quid ipse in altera vita viderit atque expertus sit, homines acrius permotum iri quam prodigiis, quæ a Priscis traduntur, minisque ac promissionibus Prophetarum, Christi, Apostolorumque, quas narrat Scriptura. At frustra ariolantur. Impii increduli que inanissimas causationes inventuri sunt, ne fidem narratis habeant (58): spectrum dicent, confictam esse resurrectionem, commentaque mera, quæ audierint. Lazaro, Marthæ & Mariæ fratre a Christo in vitam revocato, prodigio licet perspicuo ac notissimo, nemo ex Pharisæis resipuit: quin imo eo usque sævierunt, ut ipsimet Lazaro necem molirentur, ut testem incredulitatis suæ contrarium amoverent.

Quam multa iis præsentibus prodigia gesta sunt? Ea tamen illi Principi tenebrarum artibusque veneficis tribuerunt. Christus ipse ex mortuis rediit, innumeris gravissimisque testibus. Quid vero pertinaces Judæi? Ablatum dictitant a Discipulis Christi cadaver, malaque fraude turbis persuasum, ipsum esse ex morte revocatum. Publicis quotidie suppliciis in homicidas, fures, latronesque animadvertitur: an idcirco flagitia exulant? Ea est humanæ mentis corruptio, ut ubi libidinem aliquam sequitur, alia re nulla moveatur. Siqua ratione persuaderi poterant Judæi ac permoveri, omnino Jesu Christi gestis, institutionibus, prodigiis. Audivere, intuiti sunt, & mirati, neque tamen correcti: quin ipsum odiis, calumniis, injuriis insectati, crucis denique supplicio affecere.

[54] Ambros. hic; August. lib. 2. quæst. Evang. cap. 38. Chrysost. homil. de Lazaro; Beda, Theophylact. Euthym. hic. [55] Gregor. homil. 40. Beda hic, Brug. alii. [56] Vide Maldonat. hic. [57] Vide Matth. 5. 17. 7. 12. 22. 40. 13. Joan. 1. 45. [58] Vide Chrysost. homil. 4. de Lazaro, Euthym. Bed. Maldon. Grot. hic.

CAPUT XVII.

Scandalum pusillorum. Septies qualibet die parcendum resipiscenti. Servi inutiles sumus. Leprosi decem a Christo curati. Horum decimus, Samaritanus, ad gratias Christo agendas redit. Christus ceu fulgur venturus. Ubi corpus, ibi aquilæ.

V. 1. ET ait ad discipulos suos: Impossibile est, ut non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt. 2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. 3. Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi. 5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in

mare: & obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens servum arantem; aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: 8. Et non dicit ei: Para, quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes? 9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? 10. Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe: 13. Et levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, 16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt? 18. Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi: Surge, & vade: quia fides tua te salvum fecit. 20. Interrogatus autem a Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit. Non venit regnum Dei cum observatione: 21. Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. 23. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. 24. Nam, sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis. 27. Edebant, & bibebant: uxores ducebant & dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant. 29. Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cœlo, & omnes perdidit: 30. Secundum hæc erit, qua die Filius hominis revelabitur. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote uxoris Lot. 33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. 34. Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur. 35. Duæ erunt molentes in unum; una assumetur, & altera relinquetur: duo in agro; unus assumetur, & alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi: Ubi, Domine? 37. Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

℣. 1. IMPOSSIBILE EST; UT NON VENIANT SCANDALA. Cum tanta sit hominum corruptio, fieri nequit, quin neque ea gerant, neque ea loquantur, quibus quasi possit constantiores, cæterique virtute ac pietate magis imbecilles dejiciantur. *Scandalum* dicitur quidquid objicitur in via ut transeuntes ruant. Vetat hoc sensu Moyses Levit. 19. 14. *Nec coram cæco pones offendiculum.* Væ, ait Christus, si quis fratri peccatio tuendi sit, Vide Matthæum XVIII. 6. 7.

℣. 2. LAPIS MOLARIS. Græcus (1): *Mola asinaria*, ex iis nimirum gravissimis molis, quæ ab asinis torquebantur; cum leviores consuetasque molas torquerent servi. Censent alii (2), molam esse inferiorem, quæ frumentum retinet. Aliqui Græcorum libri cum Vulgata consentiunt (3): *Lapis molaris.* Vide Matthæum loco supra citato.

UNUM DE PUSILLIS ISTIS, Discipulis meis, e grege hoc modico; ex hisce Neophytis, adhuc in fide & patientiæ exercitatione nutantibus.

℣. 3. SI PECCAVERIT IN TE FRATER TUUS. Postquam docuit, quantopere cavendum sit, nequem offendas, aut ruinæ causa sis imbecillioribus sermone, gestis, negligentia, docere jam incipit, quid præstandum sit erga fratres, ubi illi in te peccaverint: corripi nimirum illos jubet, adhibito tamen modo apud Matthæum explicato (4); privatim primo, deinde coram testibus, denique coram coetu aut Ecclesia. Si, pœnitentiæ indicia exhibuerit, parce. Si vel sponte, vel te suaviter monente, sive amicis hortantibus resipuerit, pristinam illi amicitiam redde, præteritorum obliviscere, amici ac fratris loco illum habeto, ut olim. *Si septies in die*, scilicet, persæpe, in te peccaverit, ubi illum pœnituerit, dimitte. Addendum hic est, quod Christus tradit Matth. 18. 22. nempe, si frater singulis diebus in se septuagies septies peccaverit, esse parcendum.

℣. 5. ADAUGE NOBIS FIDEM. Miraculorum fidem significat, certam nimirum constantemque fiduciam, qua Deum rogamus, ut virtutum suarum specimen prodigiis crebrisque divinitus præstitis exhibeat. Usurpari etiam hæc possunt de fide Theologica virtute, qua certo credimus ea, quæ Deus in Scripturis manifesta fecit, aut apud Ecclesiam seu deposito tradidit. Utraque fides donum

(1) Græc. Μύλος ὀνικός. (2) Vatab. (3) Λίθος μυλικός. Vide MSS. Van Lac. (4) Matth. XVIII. 15. & sequ. Confer Levit. XIX. 18. 19. Eccli. XIX. 15. 16. 17.

num Dei est; fides nempe miraculorum, quam augeri rogant Apostoli, & fides articulorum nostræ religionis, de qua S. Augustinus lib. Retract. c. 23. his verbis: *Utrumque* [credare & velle] *ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis*. Videtur ex consequentibus, usurpandum esse potius de fida miraculorum. ℣. 6. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro* (5): *Eradicare, & transplantare in mare; & obediet vobis*.

℣. 7. Quis vestrum habens servum arantem aut pascentem (6), qui regresso, &c. Illud esse parabolæ hujus propositum videtur, ut doceat, nos servos esse Deo inutiles. Potest absolutissima authoritata Deus quælibet nobis imperare, muneribusque nos aut officiis, quibus libuerit, addicere, quin liceat nobis de officii labora, indignitate ac diuturnitate queri. Dei res sumos, nostrumque, ac nostrorum temporum ac facultatum ipse dominatur. Quicquid habemus, ex ipso accepimus; earumque rerum usum exigere ex nobis potest: miseros taman, si ita utamur, ut illi grave sit ac molestum. At adeo nostri dominantur Deus, ut intactam voluntatis libertatem relinquat. Ubi pia ipse in nobis pariu desideria, res sancta ac laudabiliter gestas præstat, nosque optimis habitudinibus divinisque muneribus cumulat, boni harum rerum usus rationem habet, sua in nobis dona remuneratur, dum merita nostra coronat (7). Simplicissima interpretatio, literæ quam maxime serviens (8), & priscis probatissima.

Qui vero nectuntur hæc verba cum superioribus? Visum est quamplurimis, quærendum non esse nexum varias inter parabolas atqua institutiones ab Evangelistis traditas; neque enim temporom ordinem ab iis religiose servari; sed Sancti Spiritus impetu raptis eodem loco aliquos Christi sermones recitari, quæ is variis temporibus edidit, id postulante rerum similitudine. Censent alii (9), Christum, cum in soperioribus de fide disputaverit, hoc loco monita & instituta demissionis animi Discipulis tradere, quibus illi adversus superbiam & arrogantiam muniantur. Opinatur Maldonatus, recitatam a Christo hanc parabolam, eum disceptantibus de principatu Apostolis, ipse pueri simplicitatem in axemplum proposuit; monuitque, Discipulos suos esse non posse, nisi puerorum simplicitate ac demissione instruerentur. Eodem fortasse tampore illis hæc dixit, quæ hic legimus, scilicet præstitis iis quæ a Deo imperantur, servos esse inutiles. Sunt (10) qui putent, pergere hic Christum instituere Apostolos de iis quæ ipsi poposcerant, scilicet ut ipsorum fidem augeret. Docet, satis non esse vulgari fida, consuetisque operibus, unicuique imperatis, ut patrandorum cujuslibet generis prodigiorum virtutem impetres; alia multa sponte præstanda; exercendam esse eleemosynam & jejunium, ut idem ait Matth. 17. 20. *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium*.

Profecto, si parabolam propius inspicias, videtur omnino Christus majus aliquid postulare, quam quod imperatur. Nihil, inquit, herus debet servo, quod hic imperata præstiterit; quemadmodum Luc. 6. 32. ait nihil nobis deberi, si eos amemus, a quibus ipsi diligimur, ac bene faciamus iis, qui benefici nobis sunt; illud significans, amandos etiam essa inimicos, ac bene

faciendum iis, qui nobis injuriam intulerunt. Ita hoc loco, servi exemplum proponens imperata facientis, colligensque, nihil idcirco illi deberi; illud innuit, servum potuisse heri amicitiam sibi comparare, si plus aliquid faceret, quemadmodum ii, de quibus actum est supra xii. 37. qui herum præstolantes intempesta nocte e nuptiis rediturum, renes accincti stabant, manibusque lucernas gestabant, ut pulsanti aperirent ac statim exciperent. Herus servorum solertiam, vigilantiam ac studium admiratus, illos convivio excipiens ipse ministrum gessit.

Geminæ porro hæ parabolæ perspicue opponuntus. Apud hanc servi nihil nisi rem imperatam præstant: in illa plus agunt quam jubentur: quamobrem varia ratione ab hero excipiuntur. Magis etiam perspicuum ejus rei exemplum in se exhibet Paulus 1. Cor. 9. 16. Si Evangelium nunciavero, nullus mihi est gloriandi locus, neque de aliquo benemerendi: id quippe officii mei est: væ autem nisi præstitero. At *si volens hoc ago*, libenter, alacri animo, *mercedem habeo*. Id omnino arbitror parabola significari, ac moneri a Christo Discipulos, longe sanctissimum, quam vulgare, vitæ genus ipsis decerni, seque illud ex Apostolis expectare, ut moribus ipso & Evangelio dignis vocationis suæ dignitatem, collatamqua prodigiorum potestatem confirment. Responsio aptissima petitioni Apostolorum: *Adauge nobis fidem*. Augebo: at conditionis ac vocationis vestræ præstantiam probe intelligite. Inertes servos ne imitemini, quibus gravis est labor, unaque est virtus, hero non repugnare. En Judæorum ingenium. Aliter par est se habere Christianum: alacriter obtemperare, atque hilari animo consilia & Evangelicam sanctitatem exercere.

℣. 10. Servi inutiles sumus (11). Adjunctum *inutilis* servo datum significat servum, qui debita erga herum servitute non fungitur. Ita apud Matthæum (12) *servus inutilis*, qui ex credito sibi talento quæstum non facit, in tenebras exteriores mittitur. Minus hic odiosa est vocabuli hujus significatio: semper tamen sonat servum, qui alacri satis animo ac studio servitutem hero non exhibet, illique placere non satagit. Quamquam vero apud Deum servi maxime inutiles sumus, sive dumtaxat præcepta servemus, sive consilia atiam Evangelica sectemur, is quippe bonorum nostrorum non eget Psal. xv. 2. ipsoque opem non ferente, neque bonum aggredi possumus, neque in eo perseverare: attamen minimorum quæ bene gerimus, memorem se præstat, suaque dona coronat, dum meritis hominum præmia largitur.

℣. 11. Dum iret in Jerusalem, &c. Galilæa Jerosolymam proficiscebatur Christus ad Festum Dedicationis, quod hyeme agebatur Joan. x. 22. Eo proficiscenti habendum erat iter *per mediam Samariam & Galilæam*. Fortasse discedens Capharnao, per Galilææ vicos ad Samaritidem usque occurrentes, tum Samaritidem ipsam, docens ubique instituensque, atque ægros de more curans, transiit.

℣. 12. Cum ingrederetur quoddam castellum, &c. Leprosi, cum in urbibus aut pagis versari non auderent, plerumque magno simul numero in villis a cæterorum consuetudine remotis, prope urbes morabantur (13). Jesum igitur convenere, *cum ingrederetur*, scilicet, cum mox ingressurus esset pagum quemdam, fortasse circa Samariti-

(5) Græc. Τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, *moro huic*. Nam *sycaminus* non est *sycomorus*, quemadmodum visum est nonnullis. Vide Grot. Bez. (6) S. Ambros. S. August. Syr. & Pers. addunt: Pascentem Oves. Latini Codices aliqui suppleat Boves. Vide Var. Lect. Mill. (7) August. lib. 9. Confess. cap. 13. & serm. 213. nov. edit. cap. 8. (8) Vide Origen. homil. 12. in Josue; Cyprian. lib. 3. epist. 6. & lib. 3. ad Quir. cap. 51. Chrysost. serm. de pœnitentia; Hieron. ep. ad Ctesiphont. contra Pelagianos; Theophyl. Beda, Lyr. hic. (9) August. lib. 2. quæst. Evang. quæst. 39. Theophylect. Euthym. (10) Hamm. & Cleric. hic. (11) Ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν. (12) Matth. xxv. 30. Τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. (13) Levit. xiii. 46. Num. v. 2. 4. Reg. vii. 3. 8. (14) Infra ℣. 16.

dem, cum ex hisce decem unus esset Samaritanus (14). Fama prodigiorum illius persuasit, postulatum venere incolumitatem.

℣. 13. STETERUNT A LONGE; verebantur enim leprosi ad sanos accedere, ne illis labem inferrent (15). *Levaverunt vocem*, ut procul exaudirentur. Simul omnes vocem tollunt, ut suavem quodammodo vim bonitati Redemptoris faciant. Jesum nuncupant *Præceptorem*, seu *Rabbi*, quippe quem Doctorem magnum ac Prophetam gestis & sermone eximium existimarent. Græca vox (16) usurpari etiam potest pro Domino.

℣. 14. ITE; OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. Ita plerumque consuevit Jesus, ubi leprosum curarat (17). Ad Sacerdotes misit, I. ut Sacerdotibus plane ostenderet, veras esse sanitates, quæ se jubente agebantur, ipsosque cogeret gloriam Deo reddere, seque verum Messiam agnoscere: II. ut leprosi fructum curationis suæ perciperent, in civilis vitæ cum exteris consuetudinem restituti, Sacerdotibus ipsos plane purgatos esse pronunciantibus, explerisque iis, quæ Lege imperabantur Levit. 14. m Ita quippe servanda erant, antequam prorsus mundi pronunciarentur.

DUM IRENT, MUNDATI SUNT. Christi verbis fidem habentes, itineri se dederunt, suaque illos fides liberavit (18). Illos curare potuit Christus sola voluntate ac virtute, quin illos tangeret, aut quidquam loqueretur. Curatione adeo prodigiosa & subita satis ostendebatur, quam inutiles essent Legis ritus, teste Samaritano ad Christum reverso (19).

℣. 15. UNUS EX ILLIS UT VIDIT QUIA MUNDATUS EST, REGRESSUS EST, gratias largitori suo acturus. Samaritanus erat iste, quemadmodum statim traditur. Nequaquam ille censebat, unicum Jerosolymæ Templum esse locum, in quo exhibendus esset cultus Deo, sed Garizim, prope Sichem, in Samaritide. Ubi tamen jussus a Christo est Jerosolymam se conferre, ut Sacerdotibus se exhibeat, minime dubitans proficiscitur. At se incolumem expertus, antequam eo perveniret, Christum Sacerdotibus omnibus longe majorem esse censuit; quamobrem multo æquius esse ad illum reverti, quam vel ad Garizim vel Jerosolymam pergere. Ipsi Jerosolymam profecto, minime illi præfuisset Sacerdotum ejus urbis testimonium, ut in civium suorum consuetudinem reciperetur; quin & illi obfuisset: quamobrem sapienter me ad Medicum redit, quem ea confessione dominum Legis & verum Messiam agnoscere visus est. Is figura fuit Ethnicorum, neglecta Jerosolyma ad Christum venientium. Cæterum manifestior erat incolumitatis restitutio, quam ut opus esset testimonio Sacerdotum, quod tunc exhiberi par erat, ubi de re dubium esset. Nullus porro hic dubitationi locus supererat.

℣. 18. NON EST INVENTUS QUI REDIRET. Novem cæteri Christo gratias non egerunt, sive ingrati animi vitio, quod ipsis hic tribui videtur; sive falso Religionis suæ studio, quippe qui illud maximopere quærerent, ut incolumes pronunciarentur; seu denique nimio amore valetudinis. Damnanda erat nimia hæc festinatio; prius enim par erat, ut gratias illi agerent, a quo beneficium acceperant. Id primum servandum erat: deinde proficiscendum ad Sacerdotes; denique offerenda Deo sacrificia Lege imperata.

℣. 19. SURGE ET VADE, QUIA FIDES TUA TE SALVUM FECIT, incolumem reddidit. Dominum dum iste videtur, non jussisse Jerusolymam proficisci, contentus fide illius, qui & Messiam esse ipsum fassus est, & Deo gloriam reddidit. His peractis, minime necesse erat Jerosolymam pergere (20).

℣. 20. INTERROGATUS A PHARISÆIS, QUANDO VENIT REGNUM DEI. Pharisæorum cæterorumque Judæorum communis ac sollicita erat Regni Dei, sive adventus Messiæ expectatio; idem enim fuit Regnum Dei, & Messiæ adventus. Venisse noverant tempora in Prophetis significata, & Jesum a quamplurimis existimari Messiam. At præjudicatæ opiniones, quibus ipsorum animus occupabatur, prohibebant, ne ad cæterorum sententiam accederent. Messiam illi præstolabantur humanis viribus conspicuum, strenuum Ducem, Regem, qui ultus Israelis injurias, patriam absoluta libertate, cives mortalibus bonis opibusque esset cumulaturus. Nihil porro in Jesu spectabant, quo magnificas hujusmodi expectationes explerentur. Igitur veluti insultando rogant (21), quando nam venturum sit Dei Regnum, ab ipso ita sæpe usurpatum, & a Discipulis eo jubente nunciatum. Quando nam fiet, ut Israel jugo gentium subducatur, restituatur Davidis solium, & reliquiæ Israelis in patriam colligantur, quemadmodum imperantibus Davide & Salomone? Hoc rogasse creduntur Pharisæi, cum Jesus in Templo esset ad Festum Dedicationis (22).

NON VENIT REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE. Ita perspicuum non venit Dei Regnum, ut ab omnibus animadvertatur. Multiplex est Regni Dei acceptio Matth. 3. 2. Usurpatur hic pro Ecclesiæ Christianæ institutione, & vindicta a Christo in Judæos incredulos exercenda. Non ita intelligebant Pharisæi: at meram veritatem loquebatur Christus disertis adeo verbis, ut si vellent, optime perciperent. Dei Regnum, Messiæ adventus, ultio in Messiæ hostes, antequam hic imperium inter homines statuat, hæc perspicue luculenterque non fient (23), sed nemine sentiente. Plerique casu id evenisse dicent, & ex secundarum causarum nexu, quod a Dei omnipotentia efficietur, ut sublimia illius consilia expleantur.

Non ita veniet Messias, ut armatos exercitus ducat, hostes formidine, cædibus, internecione afficiat. Illius adventum minime nunciabunt Legati, aut e cœlo Angeli, sive prodigia universos homines vincentia. Vespasianus ac Titus valido Romanorum exercitu non alienos vestris cervicibus graves frangent, ut ipsi speratis, sed convertent in vos armis, regionem vestram populabuntur, Jerosolymam evertent, Templum destruent: quæ vos certe non expectatis. Quamobrem mirum non est, si hujusmodi indiciis Messiam non agnoscatis. Post infidelium incredulorumque Judæorum excidium, tunc ego in gentibus universis regnare incipiam, meumque Evangelium in omnes terrarum plagas deferetur.

℣. 21. NEQUE DICENT: ECCE HIC, AUT ECCE ILLIC. Cum Princeps aliquis suos intra fines est, suumque imperium aliqua in regione constituit, minime quæritur. Nemo metropolim, Regii Palatii & Curiæ sedem, ignorat. Ingens ubique hominum multitudo illum obsequii causa, vel largitionum spe comitatur. In Messiæ Regno nihil tale conspicietur, nimirum ille neque in principe aliqua urbe, neque in palatio, neque inter exercitus erit. Dum inter homines fuit Jesus, obscurum ignotumque vitæ genus longo annorum spatio coluit. Quamdiu docendo provinciam peragravit, ii qui illius dignitatem agnovere, dicere puterant: Hic est aut illic. At denique in Cœlum

(14) Infra ℣. 18. (15) Vide Levit. XIII. 46. (16) Ἐπιστάτα. (17) Matt. VIII. 3. 4. Luc. V. 14. (18) Mald. Grot. Brug. (19) Vide Tertull. lib. 4. cap. 35. contra Marcion.
(20) Tertull. lib. 4. c. 35. contra Marcion. *Memorem divinæ gratiæ Samaritem mittens, non mandat offerre munus ex lege; quia jam satis obtulerat, gloriam Domino reddens . . . . Intellexerat unam se Deo oblationem, gratiarum scilicet actionem, ad verum templum, & verum Pontificem ejus Christum facere debere.* (21) Mald. Brug. Ita Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. Euthym. (22) Toynard. Harm. p. 78. Vide Joan. X. 22. 23.
(23) Vide Grot. Brug. alios.

lum reversus, quo tempore illius Regnum proprie exorditur, deinceps in terris minime apparuit, neque dici potuit, qua in terrarum in parte esset, aut sedem haberet. Universa nimirum in terra, omnibusque regionibus dominatur.

Regnum Dei intra vos est. Spirituale est Dei Regnum (24), in animis mentibusque constitutum. Docet Pharisæos, perperam illos terrenum Messiæ Regnum expectare. Alii aliter explicant (25): Frustra speratis futurum, ut Messias in terris regnet, ejusque adventus prænuncietur, veluti Imperatoris in regionem aliquam venientis. Regnum a Prophetis prædictum in medio vestri est: venit Messias, ejusque Regnum jam incepit; cujus rei argumento sunt luculentissima prodigia, quæ is palam edit. Si Messiam in rebus a me gestis minime agnoscitis, alium frustra expectatis. Quem præstolamini, *medius vestrum stetit*, vosque præsens alloquitur, *quem vos nescitis* Joan. 1. 26. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt* Joan. 1. 5. non agnovere.

Sunt (26) qui ita interpretentur: Regnum Dei positum est in vestra potestate, inter manus: excipere potestis, si placet. Ne causemini locorum distantiam, agnoscendi illius difficultatem & obscuritatem. Inter vos est. Probabilis fit hæc explicatio, si cum Deuteronomio 30. 11. conferatur: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, neque trans mare; sed juxta te est sermo valde, & in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*. Et Paulus Rom. 2. 8. *Ne dixeris: Quis ascendet in Cælum, idest, Christum reducere? aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum a mortuis revocare? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum fidei quod prædicamus*.

℣. 22. Venient dies, quando desideratis videre unum diem Filii Hominis. Postquam Pharisæis respondit, ad Discipulos cæterosque auditores orationem convertit. Docere pergit, institutionem Regni Messiæ non distingui iis indiciis ac præsagiis, quæ perspicua omnibus futura sint, & vulgo agnoscenda; ipsumque tunc venturum, cum nemo expectaverit. Innuit hoc versiculo, sese corporia sui præsentiam ipsis subducturum; ipsos fore obnoxios odiis hominum & ærumnis; tunc vero optaturos diem aliquem Filii hominis, at minime impetraturos; scilicet optaturos videre Filium hominis, consulere, alloqui, ac eo solatio carituros (27): quamobrem hoc tempore, quo inter ipsos erat, uterentur; se enim non semper adfuturum.

Grotius aliter interpretatur, quasi Christus Pharisæos alloqueretur: Dei Regnum, prædicatio Evangelii inter vos est, & annos ferme 40. post obitum meum manebit. Elapsu hoc tempore, ultio succedet: Evangelii fores Ethnicis patebunt; ejus Præcones a vobis discedent, vosque dies hosce tantopere spretos frustra optabitis. Probabilis esset explicatio, nisi diserte moneret Evangelista ℣. 22. *Dixit ad Discipulos suos: Venient dies, quando desideretis*, &c.

℣. 23. Dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic. Cum mortuus fuero, & in vitam rediero, surgent pseudo Christi & pseudo-Prophetæ, dicturi: Est hic aut illic: at ne credite. Expletam hujus rei veritatem vide in Commentariis ad Matthæum xxiv. 25. Christus paucis ante obitum diebus eadem ferme atque hic legimus, Discipulos monuit.

℣. 24. Nam sicut fulgur, &c. Explicantur hæc vel de Filio Dei iterum veniente ad supremum Judicium, vel de vindicta, qua ipse in Jerosolymam universamque Judæorum gentem quadragesimo post obitum anno animadvertit. Posterior acceptio probabilior. Vide nos in Matthæum xxiv. Christus instar fulguris venit, Judæis minime expectantibus. Nunquam hominum numero magis floruerat Jerosolyma; innumeramque Judæorum multitudinem eo tempore complectebatur, undique collectorum, ut Festum Paschatis celebrarent. Hos eo collegisse videbatur Deus, ceu vindictæ suæ victimas, mactandas armis Romanorum, qui eo tempore urbem obsidione cinxerunt.

℣. 25. Primum oportet illum multa pati. Antequam Filius hominis cadeat, & vindictam in Judæos exerceat; antequam Ecclesiam suam super Synagogæ rudera condat, suumque in Ethnicis Regnum instituat, exclusis Israelitis, multa illi ex iis toleranda sunt, injuriæ illum manent, perfidiæ, crux, mors: & breve quidem post tempus, & ab his ipsis, qui me audiunt: *A generatione hac*. Vide & Caput xviii. 8.

℣. 26. Sicut factum est in diebus Noe. Cum iratus venerit Hominis Filius, ut Jerosolymæ excidium, Judæis hostibus suis exitium inferat, illos omnino securos inveniet, alia omnia cogitantes, quam ut Dei justitiam flectant, ejusque misericordiam moveant. Nedum patrati criminis eos pœnitebat, cruce scilicet affecti Servatoris ac Dei sui, verum etiam illud solummodo moliebantur, ut in illius Discipulos sævirent, & Evangelicæ prædicationi resisterent.

℣. 29. Qua die exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur. Sodoma inter ipsa flagitia & animi duritiam occupata est, cum id minime vereretur. Ita & Judæi Romanorum armis in urbe Jerosolyma clausi, miserrime perierunt, sua ipsorum pertinacia & odio Messiæ ac Redemptoris oppressi. *Imbre ignis & sulphuris* intelligi possunt inflammatæ exhalationes, quæ in bituminosam Sodomæ humum lapsæ, incendium excitavere; sive fulmen (28), quod in Sodomam urbesque cæteras ruens, parto incendio, ipsas unaque incolas absumpsit. Ex ædibus flamma solum corripuit, quod gravidum bitumine, flammam concepit, & sponte exarsit: quamobrem desidente solo, Jordanis aquæ omnia occupavere, quemadmodum adhuc tenent.

℣. 31. Qui fuerit in tecto, in area qua domus tegitur, per exteriorem scalam descendere festinet, quin tectum subeat, ut vestem vel alia accipiat: nulla mora fugiat; majus enim aut præsentius discrimen esse nullum poterit. Cum bellum ardere in Judæa videritis, unum vobis supererit, fugere nimirum quam celerrime. Profecto id servavere Christiani, Jesu Christi aliorumque Apostolorum vaticiniis moniti (29), quibus opportune utentes, trans Jordanem sese recepere in ditionem Herodis, & urbem Pellam, aliasque finitimas (30).

℣. 32. Memores estote uxoris Loth. Illius moram inanemque curiositatem ne imitemini. Cum illico fugiendum esset, retro aspexit, vel relictarum rerum desiderio, vel præpostero exitii tam multorum dolore, vel importuna curiositate. Illam flamma occupavit, obduravitque ceu cadaver sale & aromatibus conditum, quod diu postea manens, in multa deinde sæcula monumenti loco stetit (31). Ii, qui neglectis Christi & Apostolorum monitis, in urbe mansere, una cum cæteris perierunt: siquos tamen ibi moratos esse putas; id quod ex historia minime liquet.

℣. 33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam. Qui inconsiderato consilio Jerosolymam & in cæteras regionis arces confugerint, ut belli furorem & vim hostium evi-

tent,

(24) Beda, Theophyl. Brug. Vatab. (25) Euthym. hic, Beza, Grot. Piscat. Camer. alii. (26) Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. Mald. (27) Cyrill. apud D. Thom. Theophyl. Euthym. Brug. Bez. Mald. (28) Grot. & le Clerc, hic. (29) Vide Lactant. lib. 4. c. 21. (30) Eusebi. lib. 3. c. 5. hist. Eccles. (31) Sap. x. 7. *Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*.

teut, peribunt. Qui veró Pellam, trans Jordanem, & in loca minime munita secesserint, tuti morabuntur, externaque mala vitabunt (32).

Quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. Qui in ardua loca elapsus fuerit, relictisque patria & necessariis, sese, ut ita dicam, hostibus dediderit, & in agrum apertaque loca secedens manifesto vitæ discrimini sese objecerit, hic vitam tuebitur, & a patriæ excidio evadet. Hoc adamussim Judæis & Christianis contigit, qui se dedentes Romanis, Jerosolyma fugerunt, uti naufragus e navi mox peritura evadit.

℣. 34. Erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et alter relinquetur. Narrat hic, sese noctu venturum. Interdiu, dixerat supra. Hæc locutionum varietas temporis ambiguitatem significat, quo id eventurum erat. Hoc quod de duobus dicitur in eodem lecto cubantibus, capto uno, & altero relicto, securitatem Judæorum indicat, cum hostium armis undique cincti fuerint. Adeo subita & insperata calamitas illos opprimet, ut vir uxoris juxta se cubantis salutem sit oblitūrus. Unusquisque dumtaxat de se uno sollicitus erit. Ea futura est formido, ut locus non sit curandæ amicorum, necessariorum, sociorumque incolumitati. Vide quæ diximus in Matthæum xxiv. 40.

℣. 35. Duo in agro, &c. Hæc in quamplurimis Græcis Codicibus, tum editis tum manu exaratis, desiderantur; atque huc derivata creduntur (33) ex Matthæo xxiv. 18. At in aliis Codicibus Græcis, S. Ambrosio, S. Augustino, Beda, Syriaca, Persica, Gothica, Arabica, Vulgata leguntur.

℣. 36. Dicunt illi: Ubi, Domine? Ubi capientur hi, vel relinquentur? Ita interrogant Apostoli ad ea quæ in superioribus dixerat Christus, futurum nempe ut ex duobus, qui eodem in lecto sint, in pistrino, in agro, capiatur alter, & altor relinquatur. Minime significaverat, quo loco hæc eventura essent, in Judæa ne an alibi. At obscure respondet, ita ut rogantibus non satisfaciat.

℣. 37. Ubicumque fuerit corpus (34), &c. Ubicumque Judæi fuerint, ibi futuri sunt Romani, cæterique hostes, ut illis exitium inferant. Quamobrem nedum Jerosolymis, verum etiam in omnibus Judææ, Galilææ, Syriæ, Phœniciæ, Philisthinorum, Ægypti urbibus. Ubique Judæos Divina ultio persequuta est. Arma in illos versa sunt, ubicumque fuerunt. Vide nos in Matthbeum xxiv. 28. & Jobum xxxix. 30. ex quo primum derivatus est hic locus. Eo usus est Christus veluti proverbio.

(32) Vide Grot. le Clerc. (33) Vide Grot. Mill. (34) Ὅπου τὸ σῶμα. Alii Πτῶμα, Cadaver.

CAPUT XVIII.

Constanter orandum. Iniquus Judex assiduis viduæ precibus fatigatus. Pharisæus & Publicanus in Templo. Pueri offeruntur Christo, quibus ille benedicit. Ardua locupletum salus. Obitum suum prædicit Christus. Cæcus prope Jerichuntem curatur.

℣. 1. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, &
non deficere. 2. Dicens: Judex quidam erat in civitate, qui Deum
non timebat, & hominem non reverebatur. 3. Vidua autem quædam erat in
civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo. 4. Et
nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo,
nec hominem revereor: 5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo il-
lam, ne in novissimo veniens sugillet me. 6. Ait autem Dominus: Audite, quid
judex iniquitatis dicit: 7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum cla-
mantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? 8. Dico vobis, quia
cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet
fidem in terra? 9. Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquam ju-
sti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam: 10. Duo homines ascenderunt in
templum, ut orarent: unus Pharisæus, & alter Publicanus. 11. Pharisæus stans,
hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum:
raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. 12. Jejuno bis in sabbatho:
decimas do omnium, quæ possideo. 13. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec
oculos ad cœlum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto
mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo:
quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. 15. Affe-
rebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli,
increpabant illos. 16. Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad
me, & nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis:
Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. 18. Et
interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æter-
nam possidebo? 19. Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi
solus Deus. 20. Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum fa-
cies:

cies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem tuum , & matrem. 21. Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute mea. 22. Quo audito Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia , quæcumque habes , vende , & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo : & veni , sequere me. 23. His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valde. 24. Videns autem Jesus illum tristem factum , dixit : Quam difficile, qui pecunias habent , in regnum Dei intrabunt! 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Dei. 26. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri? 27. Ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines , possibilia sunt apud Deum. 28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia , & secuti sumus te. 29. Qui dixit eis : Amen dico vobis , nemo est qui reliquit domum, aut parentes , aut fratres , aut uxorem , aut filios, propter Regnum Dei. 30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore , & in sæculo venturo vitam æternam. 31. Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis. Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia , quæ scripta sunt per Prophetas de Filio Hominis. 32. Tradetur enim gentibus, & illudetur , & flagellabitur, & conspuetur: 33. Et postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. 35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam , mendicans. 36. Et cum audiret turbam prætereuntem , interrogabat, quid hoc esset. 37. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. 38. Et clamavit , dicens : Jesu Fili David , miserere mei. 39. Et qui præibant , increpabant eum , ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David , miserere mei. 40. Stans autem Jesus jussit , illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, 41. Dicens : Quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine , ut videam. 42. Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. 43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

℣. 1. OPORTET SEMPER ORARE , ET NON DEFICERE , Sive : Constanter orandum est, nulla negligentia & tædio (1). Probat id parabola , quam statim recitat. Græcus (2) sonat potius , orandum esse constanti animo , præter tædium, languorem, negligentiam, incuriam, quantumvis cessare videatur Deus, & ingruant ex hominibus mala & molestiæ , constanti animo in oratione esse perseverandum . Opportunum sane consilium , post ea quæ dixit de vexationibus ærumnisque Fidelium per Judæos , malisque Judæorum genti imminentibus ; itaut iis obnoxii futuri essent ipsimet Christiani , nisi assidua diligentia sibi ipsi caverent , & constantissimis precibus a Deo auxilium opemque postularent.

℣. 2. JUDEX QUIDAM ERAT , &c. Judex hic , neque Deum neque homines timens, fractus tamen assiduis viduæ precibus , absolutam Dei potestatem, supremamque authoritatem significat. Vitiis tamen hujus Judicis caret Deus : neque ex pari arguendum est, quasi Deus nequissimo huic Judici similis sit . Contra vero colligendum est : Si homo, pietate ac Dei timore vacuus , qui neque homines amaret , nec vereretur , assiduis viduæ numquam orando fatigatæ precibus fractus est: multo magis Deus hominum amantissimus, illud enixe quærens, ut suis eos beneficiis cumulet, orantes exaudiet, bonisque innumeris locupletabit, si orando perseveraverint nullo animi languore aut tædio (3).

℣. 3. VIDUA ERAT IN CIVITATE. Hujusmodi Judicem procul dubio voces inopis viduæ magnopere movere non poterant. Qui neque Deum neque homines veretur , hic profecto mulierculæ , opibus & authoritate carentis , preces , questus clamoresque non curat. At constanti assiduaque prece hæc vidua votorum finem assequitur. Luculentius certe demonstrari non potuit vis orationis, quam duorum hujusmodi hominum comparatione , alterius plane conditionis a Deo , quem obsecramus . Nobis pater est Deus ; nos Deo filii , ejusque opera : is dives est misericordia , ex orari vult, ac pollicetur, opem se omnino præstiturum iis , qui sese rogaverint. Quid nobis ex illo sperandum non est?

℣. 4. ET NOLEBAT PER MULTUM TEMPUS. Non semper exaudit Deus statim ac volumus , atque uti volumus : at *si non exaudimur ad voluntatem, exaudimur ad salutem*, inquit S. Augustin. ep. 130. Salubri mora patientiam nostram exercet Deus, efficitque ut eo acrius optemus id , quod largiri cessat. Interdum iratus ea dat (4), quæ ex misericordia negavit. Orandum itaque est semper , desiderandum , amandum : hanc quippe assiduam orationem Dei Filius postulat . *Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis , si amare destiteris. Frigus charitatis silentium cordis est*. August. in Psalm. 37. num. 14.

℣. 5. QUIA MOLESTA EST , &c. Græcus ad verbum (5): *Ne denique incipiat obtundere me pugnis*. Hoc orationis circuitu assiduas viduæ preces clamoresque significat. Usurpatur etiam Græca locutio tropice pro, aures obtundere , fatigare precibus , contumeliis incessere , vituperare. Jus illi æquum reddam, ne deinceps redeat, sive assiduis questubus (6) precibusque mihi molestiam pariat. Viduæ huic similes erant Apostoli primorumque sæculorum Fideles, Judæorum Ethnicorumque injuriis,

[1] Confer Eccli. xviii. 22. *Non impediaris orare semper*. 1. Thessal. v. 17. *Sine intermissione orate*.
[2] [illegible] Legisse videtur Vulgata : [illegible], *Et non deficere*. Vide Hamm. hic. [3] Vide August. Epist. olim [illegible] [4] Num. xi. 33. Osee xiii. 11.
[5] [illegible] Vide Hamm. hic. [6] [illegible] idem valet, ac Hebraicum [illegible] *in finem*, *semper*, *æternum*. Vide Euthym. Hamm. Drus. Grot. Ludov. de Dieu, alios.

juriis, criminationibus, odiis obnoxii. Hortatur illos Christus, ut assidue orent & clament, ac pollicetur fore, ut Deus tandem aliquando ipsorum voces & questus exaudiat.

Ỷ. 7. Deus autem non faciat vindictam? Iniquus Judex inopis viduæ precibus frangitur; Deus autem Electos suos, die ac nocte ad se clamantes, non vindicabit? Electi, sunt Fideles, servi Dei, ac Discipuli. Hi dies noctesque orando conjungunt inter mala, quibus opprimuntur. Fieri ne potest, ut illos destituat Deus ac repellat, nullamque illis adversus inimicos opem præbeat? Profecto Divinus furor ita in Jerosolymam exarsit, ut omnibus deinde sæculis exemplo futurum sit.

Patientiam habebit in illis? Illos opprimi patietur? Illorum patientiam & ærumnas negliget? *Patientia pauperum non peribit in finem* Ps. 9. 19. Electos suos ad certum usque modum malis affligi patitur, eorumque virtutem ac patientiam exercet: at ad ultimas adigi angustias non sinit, aut ærumnarum pondere obrui. Illos nimirum iis liberat, vel ærumnas lenit beneficiis, & suppeditatis viribus discriminis magnitudini paribus (7); seu denique furorem omnem in illorum hostes exerit. Ita cum priscis Fidelibus sese gessit. Hos martyrii gloria, & virtute, qua cum inimicis ad mortem usque pugnarent; illos invicta in malis patientia donavit. Omnium vero injurias ultus est in Jerusolymæ excidio, ac pertinacium Judæorum internecione.

Græcus legit (8): *Deus utique faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se nocte & die, qui patientiam habet circa illos?* scilicet, is qui furoris sui fulmina coercet, ne in illorum hostes ruant, expectans dum resipiscant & convertantur. Si amicorum suorum, nocte ac die ad se clamantium vindictam, differt Deus, an in finem usque obliviscetur? Minime vero. Cum differt, suorum minime obliviscitur: alia scilicet meditatur: dissimulat, dum hostes sui flagitiis fastigium imposuerint.

Alii ita vertunt: An Deus Electos suos, ad se noctu diuque clamantes, non vindicabit, eorumque clamores negligenter audiet? Vel (9): *An moram faciet*, dissimulabit, *ut illos vindicet?* Nequaquam. Ỷ. 8. *Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum*. Aliter: *Deus non vindicabit Electos suos, clamantes ad se nocte ac die, circa quos patientiam habet* (10)? Illorum malis movetur, veluti ea ipse experiatur. Quamobrem illos ne vindicare cessabit? Dilata non est vindicta, nisi ad annum post Christi Passionem quadragesimum.

Ỷ. 8. Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? Varia & multiplex est loci hujus interpretatio. His positis quæ edisserui, & quantumvis perspicuis minis meis ac vaticiniis, an fore censeris, ut fidem in terris inveniam, cum vindictam in Judæos facturus advenero? Modicus profecto hominum numerus resipuit, & nomen Christo dedit. Plerique sæviente in illos vindicta obvoluti sunt. Aliter relatis hisce verbis ad superiora: Cum Filius Hominis venerit, eam ne inventurus est in terris fidem, quam habuit vidua, quæ Judicis improbitatem constantia superavit? Sive: Cum venerit, pœnas ex Judæis exacturus, an quempiam in sui expectationem arrectum nanciscetur? An homines sibi paratos inveniet? Ea severitate in illos animadvertet, ut ludibrium ac somnium ipsis videatur. Suis ipsi oculis non credent. *Putas inveniet fidem in terra?* Quis credet?

Sunt qui ita interpretentur: Nisi Dei Filius moderatione ac patientia erga impios utatur, statimque servorum suorum ad se clamantium, celeremque vindictam postulantium, voces audiat, an fidem inventurus est in terris, cum venerit? Opus erit, omnes statim impios mactet; quamobrem bonorum numerus magnopere minuetur, cum horum quamplures sint ex impiis ad bonam frugem conversis. Impiorum conversionem expectat rationem habet salutis ac perfectionis justorum, qui exercitatione indigent, & interdum iram atque animi dolorem impensius, quam par est, sectantur. Hisce in rebus piorum fides nonnihil quatitur, impiorum extinguitur. Quamobrem ubi in terras venerit, fidem ubi inventurus est?

Vereor tamen, ne pierisque hisce interpretationibus veritas desit magis quam ingenium. Hæc porro maxime simplex mihi videtur. Interrogaverunt Christum Pharisæi, quandonam Dei Regnum esset venturum, quibus ille respondit, id palam ac perspicue non fore: sese proditurum subito, nemine expectante. Hortatus deinde Discipulos, ut assidue vigilent orentque: denique ita orationem claudit: *Dum venerit Filius Hominis* suumque Regnum instituerit, *putas inveniet fidem in terra*, inter Judæos? An quemquam inter eos futurum speras, me agnoscere & sequi paratum? Communi omnes incredulitate & obstinatione tenebuntur. Vix pauci erunt, qui fidem colant, & orando perseverent. Cæteri prorsus peribunt, incuriæ & incredulitatis causa (11). Hoc porro idem tempus est, quod apud Matthæum 24. 12. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. His Matthæi verbis hic Lucæ locus explicatur. *Si fides deficit, oratio perit*, inquit S. Augustinus Serm. 115. *Quis enim orat quod non credit?* Quamobrem si Christus fidem in terris inventurus non est, neque orationem inveniet.

Ỷ. 9. Dixit ad quosdam (12), qui in se confidebant, Pharisæos scilicet; quemadmodum infra colligitur. Illorum superbiam arguit Christus, qua cæteros sibi non assentientes spernebant. Dum Pharisæus gratias agere videtur Deo de virtute, qua instruitur, rem bene gestam corrumpit pessima mentis suæ in se ipsum conversione: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum*, &c. Nonne satis erat dicere: gratias ago tibi, Deus, quod me servaveris immunem iis criminibus, quæ a te destitutus omnino perpetrassem? Quorsum ea: *Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus*? An ad Templum profectus est, ut proximorum crimina, suas vero laudes enarraret?

Sunt (13) quibus videtur pergere Christus hac parabola Apostolos instituere de oratione. Viduæ exemplo, precibus Judicem fatigantis, docuit qua constantia orandum sit: hic in publicano ad bonam frugem converso docet, quam humili demissoque animo supplicandum.

Ỷ. 10. Ascenderunt in templum, in monte Sionis positum, oraturi; nempe ad locum, in quo cultum sibi exhiberi volebat Deus, seque populi vota exauditurum promiserat (14).

Ỷ. 11. Pharisæus stans. Reddunt nonnulli (15): *Stans seorsum* & solus. At vulgata versio melior. Alia est difficultas de Pharisæi statu. Nonnullis enim videtur (16) vocabulum *stans* non signi-

(7) 1. Cor. x. 13. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (8) Ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ τῶν βοώντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτός, καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς. Vide Vatab. Brug. Pagn. alios. Plures MS. Μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς. (9) Vide Syr. Grot. Hamm. Camer. (10) Vide Syr. & Lud. de Dieu. (11) Mald. Brug. Men. Ita Aug. serm. olim 36. nunc 115. Beda hic. (12) Reddunt nonnulli: Dixit de quibusdam, qui in se confidunt. Vide infra vers. 9. (13) Aug. serm. olim 36. nunc 115. Beda Mald. alii. (14) 3. Reg. viii. 37. 38. 39. Matth. xxi. 13. (15) Græc. Σταθεὶς πρὸς ἑαυτόν, ταῦτα προσηύχετο. Cast. Græc. Καθ' ἑαυτόν. (16) Mald.

significare habitum hominis in pedes stantis, sed hominem in Templo constitutum. Censent illi, morem fuisse Judæorum, humi stratos seu flexo genu orare: eam quippe consuetudinem Christiani ex Judæis imitati sunt. Apostoli ac Discipuli flexis genibus orantes leguntur (17). Eumdem statum servabant in Veteri Testamento Judæi. Salomon 3. Reg. 8. 54. flexo humi utroque genu supplicationes facit: item Daniel 6. 10. & Michæas 6. 6. Ista pro hac sententia afferuntur.

Contraria tamen opinio argumentis & doctissimis patronis non caret (18), quibus creditur populus de more stans orare consuevisse; atque idcirco narrare Scriptura nonnullos flexo genu orantes, quod ea res præter morem esset. Nulla in Templo sella, nullumque scamnum. Uni dumtaxat Regi ac Pontifici fas erat in Templo sedere. Stans igitur Pharisæus in Templo orasse omnino videtur; idque non casu ac temere animadvertit Evangelista.

Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Ita hic loquitur, quasi unum se justum esse arbitretur. Revera grates non agit, sed laudes suas ambitiose prædicat. Cum virtutis suæ gloriam in Deum referre deberet, sese jactat, ac cæteris præfert. Virtutem ipsam se habere credit, cujus umbram vix habet. Superbia miser tumet; nulla porro virtus absque animi demissione est. Ad Templum oraturus proficiscitur: at quam precem verba illius sonant? Minime ille oraturus venit, sed commendaturus se ipse, ac fratri illusurus (19).

Velut etiam hic publicanus. Similis non sum iis, qui populi spoliis vivunt, ac publice odio habentur. Dupliciter peccat hic gravissime Pharisæus; I. intolerabili superbia, dum se præponit alteri, cujus animum non pervidet; II. temerario ac iniquissimo de cæteris judicio. Stetisse videtur in summo capite atrii Israelis, prope ostium atrii Sacerdotum; ac publicanum inferius prospiciebat, in ima parte atrii, sive etiam in atrio gentium & immundorum, uti nonnullis placet (20) *Stans a longe publicanus.*

℣. 12. Jejuno bis in sabbatho, qualibet hebdomada. Legitima erant Judæis jejunia, & spontanea. Non gloriatur Pharisæus, quod jejunia a Lege vel a majoribus imperata servet; iis enim servatis cæteros Israelitas minime superabat; sed quod geminos hebdomadæ dies præter legem jejunio sacros habeat, secundam nempe feriam & quintam (21); quia, inquiunt Judæi, Moyses in montem Sinai ascendit feria quinta, & secunda descendit. Christiani, ne qua in parte Judæis concederent, in horum dierum locum surrogarunt diem hebdomadis quartum & sextum (22); quartum nempe ob decretam a Judæis Christi necem; sextum vero Passionis Christi memoria.

Nullo non tempore habiti sunt Judæi jejuniorum amatores; & creditum vulgo est, illos sabbatha jejunio & corporis afflictatione, veluti pedum nuditate, celebrare. Iuvenal. Sat. 6.

Exercent ubi festa mero pede sabbatha Reges.

Augustus datis ad Tiberium literis ait (23): *Ne Judæus quidem tam diligenter Sabbathis jejunium servat, quam ego hodie servavi.* Narrat Justinus lib. 36. *Moyses septem dierum jejunio per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus ... septimum diem, more gentis sabbathum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit.* Persuadere possent hæc testimonia, si ex his dumtaxat Scriptoribus res Judaicas teneremus. At omnino constat, Hebræos nedum sabbatho jejunium non servasse, verum etiam nefas eo die fuisse jejunium celebrare.

Decimas do omnium quæ possideo, non fundorum, ac reliqui patrimonii, quæ decimarum Legi non subdebantur. Decimæ imperabantur ex tritico ac terræ fructibus: legumina hortensia diserte decimis non subjiciebantur; sed ea dumtaxat, quæ majorum fructuum ac census nomine veniebant (24). Assentiuntur Rabbini. Sunt tamen (25) qui dubitent, utrum minores fructus & herbæ hortenses, fructus aquæ, ova, lac, caseus, quæstus e fructuum venditione decimas subirent. Revera Matthæus XXIII. 23. docet, Pharisæos, ut sese cæterorum Israelitarum religiosissimos esse ostenderent, decimas exhibuisse ex cumino, anetho, mentha, cæterisque herbis hortensibus. Hic fortasse ex iis erat, qui, ut cæteris præstarent, rerum penitus omnium bonorumque suorum decimas afferebant. Hoc illi ambitionis & gloriationis argumentum.

℣. 13. Publicanus a longe stans, in ima parte atrii Israelitarum, procul ab Altari ac Sanctuario. Nulla Lege vetabantur publicani in Templum ingredi, nisi ex Ethnicis essent, aut impuri (26): quamobrem nutat eorum opinio, qui hunc in atrio gentium se continuisse arbitrantur; quippe cum nullus dubio locus sit, quin publicanus hic Judæus fuerit.

Nolebat nec oculos ad coelum levare. Ipsamet natura omnes ubique gentes docuit, in precibus magisve oculos & manus ad cœlum tollere, Dei opem implorantes; quippe cum singulis Dei notitia insit luculentior obscuriorve, prout magis minusve a vera Religione absunt. Publicanus sua ipsius flagitia suamque indignitatem sentiens, oculos ad cœlum tollere non audet, eosque humi defixos tenet, veluti indignus qui diei jubar, Deique tantopere a se spreti solium intueatur. Is est hominis vere pœnitentis status, Deique sui amplitudinem ac majestatem agnoscentis. *Cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras*, inquit Tertullianus (27), *ne ipsis quidem manibus sublimius datis, sed temperate ac prope elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto.* Ita orabat publicanus; eodemque habitu Daniel 9. 18. *Neque enim in justificationibus nostris* (justitiæ nostræ fiducia) *prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Sed percutiebat pectus suum. Ita solent ii, qui pœnitentia & dolore tanguntur, quasi puniant cor, ex quo orta putant peccata, quibus inquinantur (28). Hunc gestum servant in Christianorum Ecclesia & in Synagoga ii qui pœnitentiam profitentur. Verba ad populum faciente S. Augustino (29), cum populus audisset ex Lectore vocabulum *confiteri*, pectus tundere cœpit, censens de confessione peccatorum agi: ex quibus S. Doctor opportunitatem cepit explicandi varias ejus vocabuli significationes, ac docendi, confessionem esse laudum, quemadmodum & peccatorum.

℣. 14. Amen dico vobis, descendit hic justificatus ab illo. Postrema hæc verba multiplicem explicationem admittunt. Descendit *ab illo*, supple *Templo*, sive *ab illo, Deo*; vel *ab illo, Pharisæo*; seu potius *ab illo*, scilicet *præ illo.* Justior abiit quam Pharisæus. Vel: Justus abiit publi-

(17) Act. VII. 60. IX. 40. XX. 36. XXI. 5. (18) Brug. alii plures. Vide nos in Matth. VI. 5.
(19) Aug. serm. 115. n. 1. *Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare ... insuper & roganti insultare.* (20) Hamm. Beza, Camerar. (21) Buxtorf. Synag. c. 9. Sic Epiphan. Theophylact. Grot. Drus. Constit. Clement. (22) Clemens, Ignatius, Epiphan. Ambrosiast. Aug. alii. Tertull. *Stationibus quartam & sextam Sabbathi dicimus.* Vide Grot. hic. (23) Sueton. in Augusto c. 76. (24) Deut. XXVI. 12. Levit. XXVII. 30. 31. Num. XVIII. 21. (25) Vide Grot. Brug. Mont. (26) Lightfoot. hic. (27) Tertull. lib. de oratione c. 17. (28) Mald. Grot. Brug. (29) Aug. Serm. olim 8. nunc serm. 67. *Ait ut hoc verbum sonuit lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri: audito scilicet quod Dominus ait: Confiteor tibi, pater, &c.*

publicanus, non Pharisæus. Hic nempe reum coram Deo sese superbia constituit: publicanus animi demissione peccatorum veniam a Deo impetravit. Hæc germana est interpretatio, optimis Interpretibus probata (30). Tertullianus legit: *Justificatior Pharisæo*: & S. Cyprianus: *Justificatus magis quam ille Pharisæus*. Ita explicant Syrus, Arabs, & optimi Codices Græci quamplures (31). Publicani demissio magis Deo placuit, quam inanis rerum bene gestarum enarratio ex Pharisæo.

℣. 15. Afferebant ad illum et infantes. Jure optimo censebant, eos gratia cumulatum iri, si illis benediceret Christus, eosque tangeret; quippe ex quo prodiret virtus, quæ ab iis qui sincero animo accederent, sentiebatur. Hoc etiam narrant Matthæus & Marcus (32). Græcus (33) proprie fert puellos adhuc lactentes.

℣. 16. Talium est enim Regnum Coelorum, qui puerorum simplicitatem ac docilitatem imitantur. Hac animi habitudine excipiendum est Evangelium, eique obtemperandum. Talem decet esse Christianum.

℣. 18. Interrogavit eum quidam Princeps, &c. Hoc quo loco contigerit, ignoratur: at ex Evangelistarum Concordia evenisse videtur in itinere inter Bethaniam, pagum trans Jordanem, & Bethaniam prope Jerosolymam, ubi Lazarus paulo ante obierat. Ad hunc in vitam revocandum proficiscebatur Jesus, & deinde celebrandum supremum Pascha, per quos dies ipse crucifixus est. Teste Matthæo XIX. 20. adolescens erat, & ex consequentibus agnoscitur locuples fuisse. De cæteris vide nos in Matthæum.

℣. 26. Et quis potest salvus fieri? Si maxime ardua est locupletum salus, æternam beatitudinem quis assequetur, cum homines vel locupletes sint, vel augendis opibus unice studeant? Respondit Jesus: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*. Potest Deus amorem paupertatis, & contemptum divitiarum inspirare; atque ita hominem comparare, ut spretis omnibus Christum sequatur; sive relicto revera & in perpetuum seculo, sive abstracto ab ejus commodis animo. Utrumque vero donum Dei est.

℣. 30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore; non ipsa re quidem, sed pretio. Qui caduca reliquerit, æterna recipiet, multo pretiosissima. Si necessarios amicosque deseruerit, majorem in Dei servis opem & amicitiam nanciscetur, quam in ipsis maxime necessariis speraret. Vide Matthæum XIX. 29.

℣. 31. Ecce ascendimus Jerosolymam. Supremum hoc est iter Christi Jerosolymam. Is in Ephræm versabatur Joan. XI. 54. prope desertum Judææ, ubi aliquandiu cum Discipulis fuit, revocato in vitam Lazaro. Inde profectus est die XXIV. Martii, quarta Nisan, ut ad celebrandum Jerosolymis Pascha se conferret (34). Porro eo in itinere Discipulos docuit ea quæ hic legimus.

℣. 32. Flagellabitur. Græcus (35): *Contumeliis afficietur*.

℣. 34. Nihil horum intellexerunt. Optime illi assequuti sunt, quid ipse diceret, ipsaque verborum perspicuitas, cum ea communi de Messia æstimationi non convenirent, tenebras afferebat. Minime illi intelligebant, qui fieri posset, ut Messias obnoxius esset injuriis & contumeliis, quas descripserat, ipsique morti, quam sibi prænunciaverat. Id illis offendiculo erat, neque quid sibi vellet, percipiebant.

℣. 35. Cum appropinquaret Jericho. Cæcus hic a Christo curatus prope Jerichuntem, alius est ab eo seu duobus iis, quos Matthæus & Marcus (36) curatos tradunt, cum Christus Jerichunte discederet.

℣. 38. Jesu, fili David. Hoc nomine Messiam designabant Judæi.

℣. 42. Fides tua te salvum fecit, sive, incolumem reddidit. Plerumque Christus incolumitatem hominum a se curatorum tribuit illorum fidei, atque in Deum fiduciæ. Sanitates fide impetrantur, fidemque populi confirmant; ac varia ex parte spectatæ argumenta fidei sunt & effecta.

(30) Erasm. Drus. Vat. Grot. Bez. Mald. (31) Κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος. Plerique alii, ἢ γὰρ ἐκεῖνος. Alii quidam: παρ' ἐκεῖνον. Orig. Μᾶλλον αὐτοῦ. Cant. Syr. Cypr. Μᾶλλον παρ' ἐκεῖνον Φαρισαῖον. (32) Matth. XIX. 13. Marc. X. 13. (33) Τὰ βρέφη. (34) Toynard. Harmon. p. 81. (35) Ὑβρισθήσεται. (36) Matth. XX. 29. Marc. X. 46.

CAPUT XIX.

Zachæus Christum domi excipit. Judæorum calamitas prædicitur. Jesus triumphantis more Jerosolymam ingreditur. Futurum urbis excidium deflet. Mercatores Templo ejicit.

℣. 1. ET ingressus perambulabat Jericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic
princeps erat publicanorum, & ipse dives: 3. Et quærebat videre Jesum,
quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4. Et præcurrens
ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum: quia inde erat transiturus. 5. Et
cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum; & dixit ad eum: Zachæe, fe-
stinans descende: quia in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit,
& excepit illum gaudens. 7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod
ad hominem peccatorem divertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum:
Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem de-
fraudavi, reddo quadruplum. 9. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic
facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim filius hominis quære-
re, & salvum facere, quod perierat. 11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit pa-
rabolam, eo quod esset prope Jerusalem: & quia existimarent, quod confestim re-
gnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem
longinquam accipere sibi regnum, & reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis,

dedit

dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. 14. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est, ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus, dicens: Domine mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi: Euge, bone serve, qui in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. 18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. 20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: 21. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti. 22. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam: sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens quod non seminavi: 23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? 24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. 27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. 28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam. 29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem, qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos, 30. Dicens: Ite in castellum, quod contra est: in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit: solvite illum, & adducite. 31. Et si quis vos interrogaverit, Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat. 32. Abierunt autem, qui missi erant: & invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum? 34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. 35. Et duxerunt illum ad Jesum, & jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum. 36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. 37. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus. 38. Dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. 40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. 41. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens: 42. Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te undique: 44. Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. 45. Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes. 46. Dicens illis: Scriptum est, Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere: 48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

℣. 2. ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS. Iesus relicta Ephrem, & Ierosolymam proficiscens, iter habuit Ierichunte; quo cum sub vesperam pervenisset, princeps quidam publicanorum, Zacheus nomine, locuples, hominemque fama celeberrimum spectandi cupidissimus, in arborem ascendit, quo commodius illum pertranseuntem inter comitantes sequentesque turbas intueretur. *Zachæus*, vel *Zachai*, nomen est non ignotum inter Judæos 1. Esdr. 2. 9. & 3. 20.

℣. 4. PRÆCURRENS ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM. Sycomorus apud nostrates alia est atque apud Judæos; inter quos ficus est moro similis folio, magnitudine, aspectu (1); unde nomen e *syco*, ficu, & *moro*. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum ficus est prædulcis, sine granis interioribus, perquam fœcundo proventu, scalpendo tantum ferreis unguibus: aliter non maturescit. Hæc Plinius. Arabs habet peculiare nomen arboris, *gimmus*; quomodo hanc arborem vocat Leo (2), pariterque uti Plinius describit.

℣. 5. HODIE IN DOMO TUA OPORTET ME MANERE. Domicilium apud te in totam noctem elegi. Zachæi animum pervidebat Jesus, noratque, quam probe illum ipse paravisset (3). *Suscipitur Christus in domum, qui jam habitabat in corde*, inquit S. Augustinus.

℣. 7. MURMURABANT, QUOD AD HOMINEM PEC-

[1] Plinius lib. 13. cap. 7. [2] Leo, Descriptio Africæ, lib. 9. Grot. hic. [3] August. serm. alias 8. de verb. Apostoli; nunc 174. cap. 4. *Visus est, & vidit: sed nisi visus esset, non videret: quos enim prædestinavit, hos & vocavit . . . ut videremus, visi sumus: ut diligeremus, dilecti sumus.*

CATOREM DIVERTISSET. Eo nomine vulgo appellabantur publicani, utpote quorum ars nunquam non obnoxia flagitiis esset, atque uti homines assiduis criminibus obvoluti. Patrum quamplures (4) Zachæum Ethnicum fuisse censuerunt; quibus favere videntur consequentia: *Eo quod & ipse sit filius Abrahæ*; quasi antea non fuerit. Leve argumentum. Judæi procul dubio interdum publicani munus exercebant. Levi, aliter Matthæus, & publicanus, qui superiori capite profectus ad Templum narratur Luc. 18. 10. cum Pharisæo, prorsus erant Judæi, & peccatores eodem modo quo Zachæus. Hic *Abrahæ filius* efficitur, non quod Judaismum, sed quod Jesu Christi fidem amplectatur. Imitatur fidem Abrahami, Fidelium & Credentium patris (5).

℣. 8. ECCE DIMIDIUM BONORUM MEORUM DO PAUPERIBUS. Zachæus, eligi se a Christo gaudens, statim e sycomoro descendit; atque ut populi seditionem coerceat, de Christo obloquentis, quod domicilium apud publicanum elegerit, audientibus cunctis testatur, redditurum se quadruplo ea, quæ sibi male parta esse alii comprobaverint; e reliquis vero dimidium pauperibus largiturum. Nihil ulterius exigi poterat ad absolutam restitutionem. Male parta paratus est reddere; restituit iis qui damnum experti sunt, & quadruplo restituit; id quod Lege nonnisi raro imperabatur (6). Cumque fieri posset, ut ex iis, quibus restituenda erat res, aliqui mortui aut aliis in regionibus essent, ut vitium suppleat, dimidium e reliquo pauperibus largiturum se pollicetur. Romanis Legibus (7) publicani, injuriæ aut fraudis convicti, quadruplo damnabantur. Pœnam sponte subit Zachæus, minime expectato hominum judicio; & graviorem quidem, quam si Judicum sententia damnaretur, ubi ipse ultro restitutionem offerret (8).

℣. 9. DIXIT JESUS AD EUM. Reddi potest, *Dixit Jesus de eo*.

HODIE HUIC DOMUI SALUS A DEO FACTA EST. Fidelis fit Zachæus, Abrahami filius & imitator; atque ita illius domus benedictione cumulatur (9). Peccator mox fuerat, profanus, filius tenebrarum: illico fit justus, fidelis, filius lucis, verus Israelita. Æger erat, & sanus efficitur; unaque cum Christo salus, gratia, justitia illius domum ingrediuntur. Neque Jesu Christi præsentia uni Zacheo prodest, sed universæ familiæ; filiique, familiares, vicarii simul cum eo convertuntur. Sunt (10) qui τῷ *huic domui* de Zachæo dumtaxat dici putent; patrefamilias pro universa familia usurpato. Melior tamen prior interpretatio.

Vidimus nonnullos esse, qui Zachæum fuisse ethnicum censeant: hæc tamen opinio raros omne assectas numerat (11). Plerique (12) multo probabilius Judæum existimant. Nonnulli, teste S. Clemente Alexandrino Strom. l. 4. illum cum Mathia confudere, censueruntque Apostolica dignitate donatum post Christi obitum & Judæ prævaricationem. Scribitur etiam apud pseudo-Clementem (13) creatus a Petro Episcopus Cæsareæ in Palæstina: neque id obiter & ex occasione dicitur, sed fuse narratur. Hoc ipsum habet Rufinus (14). S. Petrus Chrysologus hom. de Zach. Zachæum diserte Episcopum ponit: at nullum est argumentum, quo is Ecclesiam Cæsareæ moderatus esse demonstretur. Illum omnino silet Eusebius, quem certe latere non poterant ea, quæ in Ecclesiæ suæ laudem dicerentur. Probabile omnino est, Zachæum publicanum mistum esse cum altero Zachæo, Episcopo Cæsareæ, secundo Ecclesiæ sæculo (15).

℣. 10. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS QUÆRERE, &c. Zacheus deperdita erat ovis ex grege Israelis (16): hanc ego quærens veni. Hoc porro dicit, ut rei a se gestæ justitiam ostendat, coerceatque illorum voces, qui eo offensi fuerant, quod domicilium in publicani ædibus elegisset.

℣. 11. EXISTIMARENT QUOD CONFESTIM REGNUM DEI MANIFESTARETUR. Auditis iis, quæ Christus de suo ipsius Regno, morte, resurrectione docuerat, putavere, Dei Regnum mox exhibitum iri, atque hoc in itinere Christum agnitum iri Messiam ab universa Judæorum gente: ea enim, quæ mente conceperant de Messia, terrenoque illius Regno, dediscere non poterant. Quicquid cum opinione jam concepta non congrueret, id minime assequebantur, ceu ignotum sermonem Luc. 18. 34.

℣. 12. HOMO QUIDAM NOBILIS. Duplex est hujus parabolæ pars, sedulo distinguenda. Prima, quæ continetur ℣℣. 12. 14. 15. 27. pertinet ad subditos seditiosos Principis, qui remotam in regionem proficiscitur, ut Regnum sibi comparet. Altera, quæ describitur ℣℣. 13. 15. . . . 26. spectat ad servos, quibus Princeps pecuniam tradit, ut ex ea quæstum exerceant. Quod ad primam attinet, cave imagineris absolutum Regem, qui coacto exercitu remotam in regionem proficiscitur, ut invadat hostes, & Regnum adipiscatur. Id minime vult parabola, quemadmodum omnia inspicienti constabit. Jesus alloquebatur Judæos juxta ea, quæ ipsis videntibus gerebantur. Judæorum Reges obnoxii erant Romanorum dominationi, a Romanis creati, & Imperatorum arbitriu spoliandi Regno & relegandi, non secus ac cives, testibus inter cæteros Archelao & Herode Antipa. Hi Romam proficisci jubebantur, ut ex Imperatoribus Regnum acciperent (17). Ita Judææ Regnum adepti sunt Herodes magnus, ejusque filius Archelaus, Agrippa, aliique. In Archelai vicibus omnes ferme parabolæ hujus partes adamussim expleri conspiciuntur.

Archelaus *homo* erat *nobilis*, utpote magni Herodis filius. Hic *abiit in regionem longinquam*, Romam scilicet, *accipere sibi regnum* ab Augusto imperante. Judæi, qui *aderant eum*, ob propriam ipsius sævitiam, ac durissimum Herodis patris imperium, Romam profecti, illum accusavere apud Imperatorem (18) cædis in Templo & in civitate, atque ad Herodem Antipam, Archelai fratrem & competitorem, accessere, enixe postulantes, ut Regum jugo soluti, ad provinciæ Romanorum conditionem redigerentur. Augustus, spretis Judæorum querelis, Archelaum in Judææ regno confirmavit (19). *Rediit accepto regno*, exegitque ab iis pœnas, qui legatos una miserant, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos*. Certe sive Christus Archelai res spectaverit, sive parabolam generice proposuerit, nihil ea similius iis quæ Archelao contigere, post Herodis magni obitum, sex circiter ac triginta annis antequam hanc parabolam Christus edissereret.

Si-

[4] Cyprian. lib. 2. epist. 3. de opere, & eleemos. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Chrysost. homil. de Zachæo; Ambros. Beda hic. [5] Rom. IV. 3. 9. 16. Galat. III. 6. 7. [6] Exod. XXII. 1. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem . . . quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.*
[7] L. hoc edicto, in fine digest. de Publican. apud Quistorp. in Walæo. [8] Vide Grot. hic.
[9] Vide sup. Luc. XVIII. 9. & 2. Reg. III. 18. & Heb. 2. 7. [10] Brug. Grot. Theophylact.
[11] Hammond. hic. Vide & Mald. ad ℣. 7. [12] Mald. Grot. Est. Menoch. Tir. Castal. alii passim.
[13] Constitut. Clement. lib. 7. cap. 46. Recognit. lib. 3. cap. 65. 75. homil. 3. c. 65. 72. [14] Rufin. Præfat. Recognitionum ab ipso translatarum. [15] Prædestinat. Sirmondi cap. 11. 13. pag. 15. Vide Tillemont, Note 25. sur J. C. [16] Matth. XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Vide & XVIII. 11. 12. 13. [17] Vide Cleric. ad Hammond. & in Not. ad N. T. Gallic.
[18] Joseph. Antiqu. lib. 17. cap. 11. p. 601. 602. [19] Idem ibid. c. 13. & 15.

Significatur hac parabola Dei Filius, genere nobilissimus, in terris atque inter Judæos natus, ut debitum sibi regnum capiat. At a suis rejectus non solum, verum etiam indignissime exceptus, usque ad crucis supplicium, idem aliquando redibit, furore armatus, ac sævissime in illos animadvertet. Id porro contigit anno post Christi Passionem quadragesimo.

℣. 13. VOCATIS DECEM SERVIS SUIS, DEDIT EIS DECEM MNAS. Altera parabolæ pars. Princeps, ad regnum capiendum profecturus, decem minas servis distribuit. Mina Hebraica constabat siclis argenteis ferme sexaginta, sive ad Gallicum numisma libris septem & nonaginta, sex obolis, & denariolis decem. Græca libris quadraginta, obolis quatuordecim, denariis decem. Quamobrem decem minæ, ut ferebant ea tempora, satis magnam summam conficiebant. Volebat Princeps, ut servi se absente quæstum ex pecunia facerent sive labore, sive industria, seu denique per trapezitas (20). Vide nos in Matth. xxv. 14. 15. ubi simillima huic parabola describitur.

Jesu Christi propositum illud est, ut doceat, Judæos, significatos servis, quibus Princeps pecuniam credidit, ita exceptum iri, uti ipsi ea usi fuerint. Qui crediderint Evangelio, & consiliis atque mandatis integra fide obtemperaverint, novis subinde beneficiis, infinitaque gloria cumulabuntur. Qui vero infideles atque obstinati perstiterint, oculos adversus Evangelicam lucem obstruxerint, & Domini pecuniam in marsupio clausam detinuerint, Legis nempe & Evangelii cognitione recte usi, divinisque consiliis obsequuti non fuerint, non modo ea cognitione spoliabuntur, verum etiam severissime a Domino punientur, ceu servi inutiles, & officii negligentes. In parabola de talentis decem, quæ paterfamilias servis credidit Matth. 25. 30. cujus propositum atque argumentum est idem, servus qui quæstum e pecunia non fecit, heri domo pulsus, in tenebras exteriores ejicitur, ubi fletus & stridor dentium est.

℣. 17. ERIS POTESTATEM HABENS SUPRA DECEM CIVITATES. Orationem accommodat Christus auditorum ingenio & opinioni, Ecclesiam sub Regni imagine significans. Apostoli ac Discipuli sunt fideles servi, qui ex talento sibi credito a Domino quæstum fecere; fidem scilicet amplexi sunt, & Christum sequuti, illius causa omnia reliquere. Decem orbium præfecturam illis largitur, Proreges illos creat, ac Dispensatores, & præcipuis Regni Magistratibus ornat. Principes Ecclesiæ sunt, Fidelium Duces, Judices gentium, genus electum, Regale Sacerdotium.

℣. 19. ERIS SUPRA QUINQUE CIVITATES. Singulis Jesu Discipulis non eadem est dignitas tum in terris, tum in cœlo; quippe qui non æque omnes usi sunt iis donis, quæ a Deo acceperunt 1. Cor. 12. 28. Primum locum occupant Apostoli; alterum prophetiæ munere clari; tertium Doctores; quartum ii quibus morbos pellendi virtutem largitus est Deus, &c. Plures denique in Cœlestis Patris domo mansiones sunt, & honoris gradus Joan. 14. 2.

℣. 21. TIMUI ENIM TE, QUIA HOMO AUSTERUS ES (21). Austerus Græce & Latine est homo sævus, durus, avarus, tenax. Malus hic servus, ut suam ipsius incuriam excuset, herum sævitiæ accusat. At excusatio in ipsum torquetur, ℣℣. 22. 23. Si is sum quem prædicas, cur quæstum e pecunia non fecisti, ut illam cum fœnore reciperem? Vide quæ de hoc argumento diximus in Matthæum xxv. 26. 27.

℣. 27. INTERFICITE CORAM ME. Hoc expletum est per Romanos, ministros Divinæ ultionis in Judæos incredulos & contumaces.

℣. 28. PRÆCEDEBAT ASCENDENS JEROSOLYMAM. Apostoli hoc in itinere Jerosolymitano ea metuebant, quæ subiturus erat Christus. Norant illi, quantopere odissent eum Pharisæi Joan. xi. 47. ejusque interficiendi opportunitatem quærerent. Ipse diserte prædixerat, sese injuriis, flagris, nece affectum iri Jerosolymis (22). His deterrebantur Apostoli, ipsumque ab itinere removere conabantur: at meminerant repulsam Petri (23), cum is nonnulla Christum monere voluit. Itaque sequebantur, at inviti, ipse tamen, ut sese nihil vereri, ac sponte ad necem properare ostenderet, constantissime præcessit (24).

℣. 29. CUM APPROPINQUASSET AD BETHPHAGE ET BETHANIAM. Jerichunte profectus, Bethaniam venit, ibi a Lazaro ejusque sororibus Martha & Maria exceptus. Sexto ante Festum Paschatis die, apud Simonem Leprosum cœnavit Joan. 12. 2. ibique Maria pretioso unguento illius pedes linivit. Sequenti die, feria secunda, ante Passionem quinta, Bethania egressus, ubi prope Bethphagen venit, Jerosolymæ suburbium, ad radices montis Olivarum, geminos Discipulos misit, ut ad se ducerent asinam cum pullo, cui insidens ipse Jerosolymam triumphantis habitu ingrederetur. De solemni hoc ingressu vide nos in Matth. xxi. 1. &c.

℣. 37. AD DESCENSUM MONTIS OLIVETI. Bethphage in clivo ejus montis sita erat; unaque vallis Josaphati montem Olivarum & urbem Jerosolymam intercedebat, eamque vallem mediam secat torrens Cedron. Accedentes ad urbem Discipuli, sacro œstro agitati, in Christi laudes, qui tam multa ipsorum causa & beneficia patraverat, illico erupere. Proficiscentem Jesum ingens semper populi multitudo obsidebat; atque omnino existimare potes, quam læta sonuerit in clivo montis Olivarum vox populi acclamantis, & quantopere proximam spectantemque urbem commoverit.

℣. 38. PAX IN CŒLO, ET GLORIA IN EXCELSIS. Deus in cœlo regnans, pacem omnimodamque prosperitatem largiatur. Æterna & constans pax Deum hominesque conjungat. Omnipotentis laudes & gloria in omne ævum sonent.

℣. 40. LAPIDES CLAMABUNT. Proverbii genus. Gloria me hac die cumulare decrevit Deus, ut veritas vaticiniis constet. Nulla prorsus vis decretis Dei resistit. Silentibus hominibus, Deus voces ex lapidibus promet.

℣. 41. VIDENS CIVITATEM, FLEVIT SUPER ILLAM. Hæc dumtaxat a Luca narrantur. Futurum Jerosolymæ excidium prævidens Christus, erga illam misericordia movetur; cumque omnium undique illi gratulantium voces personarent, ipsique amplissimus lætitiæ locus esse videretur, ipse illius vices deflet. Ex Christi fletu duo colligenda erant iis qui spectabant, I. discriminis magnitudinem urbi imminentis; II. quam certum illud esset ac proximum; denique quantopere amaret Christus ingratam civitatem, a qua ipse mox necandus erat, imponendumque criminibus fastigium.

Teste S. Epiphanio in Anchorato c. 13. cum orthodoxi quidam eo vocabulo flevit offenderentur, in libris delevere, rem Christo indignissimam existimantes esse, quod fleret. Germanam tamen Evangelistæ lectionem habebant exemplaria, quæ volgo excipiebantur a Fidelibus & legebantur; atque interpolantium licentia perniciosior multo est, quam ut unquam ab Ecclesia approbetur. Græci ac Latini Codices, editi & manu

[20] Apud Clem. Alex. Strom. lib. 1. & Origen. in Matth. xii & alibi legitur hæc sententia, tamquam ex Jesu Christo: *Estote trapezitæ probati*, Γίνεσθε τραπεζῖται δόκιμοι. [21] Ὅτι ἄνθρωπος αὐστηρὸς εἶ. Matt. xv. 24. Ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος. Vide Pricæ. ad Matth. xxv. 24. & Cleric. ad Hamm. hic. [22] Luc. xviii. 31. . . . 33. Matth. xx. 17. . . . 19. Marc. x. 32. 34. [23] Matth. xvi. 23. *Vade post me, satana, scandalum es mihi.* [24] Ἐπορεύετο ἔμπροσθεν ἀναβαίνων εἰς Ἱεροσόλυμα. Marc. x. 32. Ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς.

exarati, Orientalesque Versiones in hæc verba consentiunt: *Flevit* Jerosolymæ calamitatem. Christi lacrymis nulla significatur imbecillitas, quæ ipsius majestatem sapientiamque dedeceat; quippe qui sponte ac volens fleret. Humanas animi affectiones habebat Christus, illarum vitiis liber. Stoici, qui animi affectiones in sapientibus damnant, simulacra illi & pupas fingerent, non philosophos. Philosophus coercendis animi motibus studet: Stoicus destruendis; at irrito semper conatu. Libidinem is vincere laborat, at altera libidine.

℣. 42. Quia si cognovisses et tu, Concisa est locutio, quæ aliud aliquid postulat (25): *Quia si cognovisses & tu, & quidem* [saltem] *in hac die tua, ea quæ ad pacem tibi*, quæ tibi pacem comparare possunt. Vides certe mancam esse sententiam, atque ita explicandam: Utinam nosses hac saltem die quæ adhuc tua est, &c. Vel: Miserrima civitas, oh saltem hac die intelligeres, quæ tua esse debeat felicitas, & recte uti velles tempore, ut resipisceres, & mala imminentia occupares! Cur commoda tua non vides? At ea cæcitate laboras, ut res tibi utiles minime videas. Cæca in exitium ruis: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*. Aliter. Oh si videres mala, quæ ego prævideo! & tu certe fleres. At neque commoda tua tu, neque incommoda agnoscis. Utraque te latent.

Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo. Id servatum est adamussim in suprema Jerosolymæ obsidione. Cum intelligeret Titus, urbem totam exercitu cingi non posse, ob soli inæqualitatem, orbisque amplitudinem, neque aggeres strui adversus mœnia & propugnacula, ob arborum inopiam; urbem denique universam muro vinxit, structis identidem castellis, ut Judæi, ablata salutis vel auxilii spe, aut deditionem facerent, aut fame conficerentur (26). Murum igitur struxit stadiorum xxxix. (27), tantoque studio exercitus operi vacavit, ut opus universum triduo absolutum fuerit.

℣. 44. Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. *Visitatio* apud Scripturam in bonam malamque partem usurpatur; scilicet pro Dei vindicta, & pro Dei benevolentia. Hic posteriori sensu accipitur. Jerosolymam veniebat Jesus, pacem & misericordiam præseferens, illam excipere paratus, si hæc converti vellet, manusque Evangelio ac nunciatæ veritati dare. At ita contumacem esse noverat, ut vinci non posset, videbatque, illam mox supremum flagitiis suis fastigium imposituram, obstinatam, incredulam, ut omnes misericordiæ suæ artes inanes efficeret.

℣. 45. Ingressus in Templum, cœpit ejicere, &c. Hæc expendimus in Matthæum xxi. 13. 14.

℣. 48. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. A loquentis ore pendebat, suavitate & vi orationis devictus. Hic dicendi modus (28), *suspensus erat, audiens illum*, in Græcis Latinisque Scriptoribus legitur (29), ut multitudo ab hominis facundia pendens significetur. *Pendetque iterum narrantis ab ore*, ait Virgilius. *Numquam sic locutus est homo* Jo. 7. 46. hac vi, hac suavitate, ac eloquentia, vulgo ajebant de Christo.

---

[25] Ὅτι ἔγνως καὶ σύ. Ὅτι ponitur pro εἴθε, *utinam* Camer. Grot. Maldon. alii. [26] Joseph. Antiqu. lib. 6. cap. 13. [27] Stadia xxxix. sunt passus 4750. scilicet leuca una, & ferme passus ducenti. [28] Ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων. [29] Lucian. Menipp., ὑπὸ τῶν λόγων, & ἐν τῷ ἄτων ... *Eunapius* de Ædesio: Ἐξεκρέματο τῶν λόγων. Senec. Controv. 9. 1. *Ex vultu dicentis pendent omnium vultus.*

C A P U T XX.

Jesus in Templo. Rogant Sacerdotes, unde illi ea potestas sit: ille ab iis quærit, unde baptismus Joannis. Parabola de vinitoribus. Tributum Cæsari solvendum. Refelluntur Saducæi. Messias a Davide Dominus nuncupatur. Cavendum a Pharisæis eorumque superbia.

℣. 1. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, & evangeli-
zante, convenerunt Principes sacerdotum, & Scribæ cum senioribus, 2. Et
ajunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui de-
dit tibi hanc potestatem? 3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos: interrogabo vos
& ego unum verbum. 4. Respondete mihi: Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex ho-
minibus? 5. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cœlo: dicet,
Quare ergo non credidistis illi? 6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa
lapidabit nos: certi sunt enim, Joannem prophetam esse. 7. Et responderunt se nesci-
re unde esset. 8. Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.
9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & loca-
vit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus. 10. Et in tempore misit ad
cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.
11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficien-
tes contumelia, dimiserunt inanem. 12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vul-
nerantes ejecerunt. 13. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium
meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem cum vidissent
coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat
hæreditas. 15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis do-
minus vineæ? 16. Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis. Quo audito,
dixe-

dixerunt illi: Absit: 17. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. 19. Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum; cognoverunt enim, quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc. 20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, & potestati præsidis. 21. Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, scimus, quia recte dicis, & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: 22. Licet nobis tributum dare Cæsari, an non? 23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? 24. Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem, & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris. 25. Et ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in responso ejus, tacuerunt. 27. Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogaverunt eum, 28. Dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo. 29. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis. 30. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt. 32. Novissime omnium mortua est & mulier. 33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem. 34. Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias. 35. Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; 36. Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. 37. Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt, Christum filium esse David. 42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, 43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? 44. David ergo Dominum illum vocat, & quomodo filius ejus est? 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: 46. Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conviviis. 47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

℣. 1. DIC NOBIS, IN QUA POTESTATE HÆC FACIS. Præterit Lucas res feria tertia ante Passionem gestas (1). Quæ hic narrat, pertinent ad feriam quartam, XII. mensis Nisan, cum Jesus supremum in Templum venisset; in Templo enim fuisse feria quinta & sexta, qua die obiit, ex Scriptura non videtur. Itaque Pharisæi Legisque Doctores, qui aliquam illius perdendi causam aucupabantur, variis illum quæstionibus lacessivere, ut in oratione caperent. Primum igitur quæsivere, cujus authoritate publice verba faceret, atque in Templo doceret; qua potestate doctorem ageret, ac Sacerdotum, Pharisæorum, & gentis Procerum censorem, emendatorem denique Legum, consuetudinum, paternarumque traditionum. Si nulla Christus missionis suæ perspicua argumenta exhibuisset prodigiis, aliquo fortasse jure Pharisæi & gentis Proceres hoc postularent. Cum vero tot ac tanta in omnium oculis ostendisset, omnino rejiciendi erant, cum prædicationi Jesu Christi repugnarent.

℣. 4. BAPTISMUS JOANNIS, &c. Merum ne hominis inventum erat, an ritus ex Divina institutione, e Deo probatus? Pharisæorum quæstioni ex directo non respondit Christus, quod pessimam interrogantium voluntatem pernosset. Quamobrem illam vitat, altera quæstione proposita, quæ illis negotium faciat, & responsionem omnino postulare videatur; universus quippe Israel, ac multi ex Pharisæis baptismum Joannis subierant Matt. 3. 7. Vide nos in Matthæum XXI. 24. 25.

℣. 6. PLEBS UNIVERSA LAPIDABIT NOS. Hæc in Templo, multitudine inspectante, gerebantur. Noverant Pharisæi, baptismum Joannis in maxima esse apud populum existimatione; quamobrem veriti sunt quidquam de illo minus gloriosum dicere, ne a multitudine lapidibus obrueretur nulla judicii forma, causaque inaudita, ex eo quod appellabant *Judicium zeli*, in universe gente usurpato.

℣. 8. NEQUE EGO DICO VOBIS, &c. Pessimam quippe in quærentibus voluntatem intueor. Neque curiositati vestræ, neque malitiæ morem gero. Quo jure vos me, eodem ego vos interrogo.

℣. 9. HOMO PLANTAVIT VINEAM. Hanc parabolam totidem ferme verbis narrant Matthæus XXI. 33. & Marcus 12. 1. quos vide.

℣. 15. EJECTUM ILLUM EXTRA VINEAM. Intra vi-

(1) Vide Matth. XXI. 18. 19. 22. Marc. XI. 12. . . . 25.

vineæ septa non intersecere, ne cædis convincerentur. Hos quodammodo imitati sunt Judæi, cum Christum Romanis tradidere, vi quadam his illata, ut illum extra urbem supplicio crucis afficerent.

℣. 16. Veniet, et perdet colonos. Dominus Israelis Deus, expletam a Judæis criminum mensuram videns, ipse in illorum exitium venit Romanis in cædem Judæorum missis. Vineam suam illis abstulit, Templum, patrocinium, terram, Religionem, atque aliis tradidit. Ecclesia e conversis gentibus coalescens, in Synagogæ infidelis rejectæque locum successit.

Dixerunt illi: Absit. Teste Matthæo xxi. 41. cum Pharisæi parabolam audissent, rogavit Jesus, quid pessimis hisce vinitoribus facturus esset dominus? Cui Pharisæi: Malos male perdet, locabitque vineam aliis, fructum suo tempore reddituris. Videtur ex Luca probasse Christus Pharisæorum responsionem, ac nutu vel obtutu indicasse, ipsos a se significari. Quamobrem illi, *Absit*, inquiunt, id facinus eamque sævitiam imitemur.

℣. 17. Quid est ergo [quid sibi vult] hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Si hoc facinus tantopere execramini, cur & non illud quod mox dicturus sum, atque idem plane est? Ædificantes lapidem rejiciunt: hic tamen, Scriptura teste (2), lapis anguli fiet. Hæc omnino indicant me, qui Messias sum, a vobis spretum, & sævitiam, qua in me debacchaturi estis: nedum enim me non excipietis, verum etiam injuriis & criminationibus afficietis, damnabitis, gentibus tradetis, a quibus ipse interficiar. His tamen licet pugnantibus, de nequitia vestra & de morte triumphabo. Rejectus lapis, vobis etiam invitis, lapis anguli efficietur. Vide Matthæum, xxi. 42. & Theophylactum hic.

℣. 20. Observantes miserunt insidiatores. Græcus ad verbum (3): *Observantes, miserunt subsessores*, proprie latrones, qui secus viam obscuso in nemore latent, ut peregrinos aggrediantur (4). Testibus Matthæo 22. 15. & Marco 12. 13. insidiatores hi ad Christum verbis capiendum missi, Pharisæi erant ac Herodiani. Sinceritatem simulabant, quasi nihil mali molirentur: *Qui se justos simularent* (5).

Ut traderent illum Principatui, et potestati Præsidis. Vel (6): *Ut illum traderent viribus & potestati Præsidis*, Pilati nimirum, qui absolutam in regione authoritatem nomine Romanorum exercebat; penes quem suprema erat judicii potestas, & vitæ necisque arbitrium, Judæis ablatum. Sunt qui *Principatu*, Synedrium, *potestate Præsidis* Pilatum significari putent. Melior tamen altera interpretatio.

℣. 22. Licet nobis tributum dare Cæsari? Controversia tunc temporis celeberrima, ob Judam Gauloniten, seu Galilæum, ejusque discipulos, qui nefas esse Judæis docebant, tributum pendere cuiquam præterquam Deo, & alieno Principi obtemperare. Si Christi responsio his faveret, illum omnino ad Pilatum detulissent, veluti *Galilæum*, sive *Herodianum*; eo quippe nomine Judæ hujus asseclæ appellabantur (7); satisque noverat Pilatus, quantopere Galilæos hosce execraretur, edita aliquanto antea illorum strage in ipsomet Templo, cum illi sacra facerent (8). Reliqua hujus argumenti vide apud Matthæum 22. 17. *Tributum* hic nuncupat Lucas (9), quod Matthæus & Marcus (10) *censum* seu capitis censum nominant. At Græca vox, qua utitur Lucas, proprie sonat agrarium & capitationis tributum, quod in Syria, & fortasse etiam in Judæa pendebatur, uti docuimus in Matthæum.

℣. 24. Cujus habet imaginem? Docet Christus, nec repugnabant Judæi (11), jus Principis esse pecuniam de sui imagine cudere. Si igitur jus erat Romanis pecuniam cudendi in Provincia, par etiam jus erat exigendi tributum, quod æque ad Principem pertinet. Romanorum auctoritatem ex ipsa re probat: illud vero quærebant Herodiani, ut sententiam suam diceret, de origine juris, quo illi in Judæam potiebantur, bene partum esset nec ne.

℣. 27. Sadducæi. De hoc argumento nos in Matthæum xxii. 24. Porro videtur, hoc argumentum ita arduum habitum fuisse inter Saducæos, ut solvi non posset, & a Pharisæis ægerrime dilueretur.

℣. 33. In resurrectione, cujus eorum uxor erit? Judæi vulgo sperabant futurum, ut Messiæ tempore mundus omnino renovaretur, & Judæi omnes in vitam revocarentur. Vita his restituta, & regnante Messia, quodlibet voluptatis genus sibi pollicebantur, præsertim vero conjuges ita simul ævum acturos, ut cum viverent, summa tranquillitate & concordia. Validissimum adversus illos erat Saducæorum argumentum, resurrectione hoc sensu usurpata, cum ipsis illorum principiis uterentur: utrique tamen errabant: Pharisæi quidem cæterique Judæi in tempore ac modo resurrectionis, cæterisque illam consequentibus, Saducæi vero in animæ immortalitate, & resurrectione corporum, quam omnino futuram negabant. Anima immortalis est; ejusque rei argumenta profert Christus. Futura est resurrectio, at non Messiæ tempore, quemadmodum illi censebant. In altera denique vita, nulla erunt connubia, nulla corporum conjunctio. Hoc demonstrat Christus ex iis ipsis Scripturæ Libris, quorum authoritatem Saducæi verebantur.

℣. 34. Filii hujus sæculi. Homines, dum in terris vivunt, uxores ducunt, & connubio utuntur, ex Conditoris institutione, ob humani generis propagationem: at in altera vita *illi qui digni habebuntur sæculo illo & resurrectione ex mortuis*, matrimonia ignorabunt; eo quippe tempore nulla opus erit generis propagatione. Mortuorum resurrectionem sub mundi exitum futuram significat Christus; at Judæi illam præstolabantur, veniente Messia, secundum illius adventum cum primo miscentes. In primo Servatoris adventu tropica resurrectio contigit, mutatione morum ac fidei innumeris in hominibus, qui nomen Christo dederunt. At corporum vita nonnisi in sæculorum fine restituenda est. Resurrectio proprie est hominum in vitam revocatorum transitus ab hoc sæculo in futurum.

℣. 36. Cum sint filii resurrectionis. Tunc hominum filii futuri non sunt, quemadmodum hic, morti obnoxii, in filiis iterum nascentes per generationem: *filii resurrectionis* erunt, in altero sæculo, in æternitate viventes, ut mortem deinceps nesciant; adeoque *filii Dei*, & immortales (12). *Filii resurrectionis* opponuntur hic filiis hujus sæculi, ac mortalibus (13), *filii Dei* filiis hominum, innumeras versantibus inter vices & ca-

---

[2] Psalm. cxvii. 22. Act. iv. 11. Rom. ix. 33. [3] [illegible] [4] Hesych. Grot. Salmas. Fricæus. [5] [illegible] [6] [illegible] Apud Luc. xii. 11. Ephes. iii. 10. Coloss. ii. 10. 1. Cor. xv. 24. & 1. Tit. iii. 1. [illegible], & [illegible] ceu synonyma junguntur. Vide Fricæ. Camer. Brug. [7] Vide nostram Dissertationem de sectis Judæorum, art. de Herodianis. [8] Luc. xiii. 1. *Quorum sanguinem Pilatus miscuit sacrificiis eorum.* [9] [illegible] [10] Matth. xxii. 17. [illegible] Marc. xii. 14. Vide Grot. hic. [11] Vide, si placet, Ligfoot. Chronol. 77. 58. [12] Vide Tertull. de resurrect. carnis, cap. 63. Brug. Var. alios passim. [13] Apoc. xx. 6. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima! in his secunda mors non habet potestatem.*

casus, quibus prohibentur, ne semper vivant. Resurrectio genus est novæ generationis in immortalitatem. De Christi Resurrectione Paulus Act. 13. 33. explicat ea Psalmi verba Ps. 2. 7. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.*

℣. 44. Dominum illum vocat: et quomodo filius ejus est? Teste Matthæo 22. 46. hæc Jesu Christi quæstio grave adeo negotium Pharisæis fecit, ut illum deinceps interrogare ausi non fuerint. Videntur autem luculentum nihil de Messia sensisse. Illum minime censebant Deum fore, duplicemque in se naturam esse collecturum, Divinam scilicet ac humanam; Divinam, qua Dominus Davidis est; humanam, qua Davidis filius. Hæc illi minime animadvertebant, imo penitus ignorabant, cum ipsimet Apostoli, post tam multas Jesu Christi institutiones, de Messia ejusque Regno adeo indigna sentirent. Nemo tunc ambigebat, quin Psalmo cix. Messias spectaretur.

℣. 46. Attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis. Eadem ferme Pharisæis exprobravit Christus; cum diceret Matth. 23. 5. *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Utrosque, Pharisæos nempe & Legis Doctores, intolerabilis agebat superbia & ambitio, quæ ipsis vestibus, corporis habitu, moribusque significabatur. Talares illorum vestes, & solemnium vestimentorum ornatum irridet Christus. Hæc quidem ex iis sunt, quæ in medio versantur; eosque dumtaxat damnat Christus, qui iis superbe arroganterque abutuntur. Reliqua hujus Capitis alibi vide (14).

In synagogis; vel generatim *in cœtibus*, tum civilibus, tum iis qui in Templo vel in Synagogis habentur. Primas ubique sedes studiose occupabant Pharisæi, quamquam nulla iis lege aut privilegio decernerentur: esto autem decernerentur, id non satis illorum ambitionem atque inane studium purgabat.

[14] Luc. xi. 43. Matth. xxiii. 5. 6. 7. 14. Marc. xii. 38. 39. 40.

CAPUT XXI.

Viduæ inopis largitio cæteris locupletissimorum anteponitur. Templi excidium, Apostolorum infectationes, Judæorum dispersus per terrarum plagas. Judicii omina. Parabola de ficulnea. Supremum diem præstolantibus vigilandum.

℣. 1. RESpiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium,
divites. 2. Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æ-
ra minuta duo. 3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam
omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei; hæc
autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit. 5. Et
quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, di-
xit: 6. Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapi-
dem, qui non destruatur. 7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor,
quando hæc erunt, & quod signum, cum fieri incipient? 8. Qui dixit: Videte, ne
seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: & tempus
appropinquavit: nolite ergo ire post eos. 9. Cum autem audieritis prælia, & sedi-
tiones, nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. 10. Tunc
dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum. 11. Et ter-
ræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & si-
gna magna erunt. 12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & perse-
quentur, tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides, pro-
pter nomen meum: 13. Continget autem vobis in testimonium. 14. Ponite ergo
in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmodum respondeatis. 15. Ego enim
dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes ad-
versarii vestri. 16. Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & ami-
cis, & morte afficient ex vobis. 17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum:
18. Et capillus de capite vestro non peribit. 19. In patientia vestra possidebitis a-
nimas vestras. 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc sci-
tote, quia appropinquavit desolatio ejus. 21. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad
montes: & qui in medio ejus, discedant: & qui in regionibus, non intrent eam.
22. Quia dies ultionis sunt, ut impleantur omnia, quæ scripta sunt: 23. Væ autem
prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus, erit enim pressura magna super terram,
& ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gen-
tes, & Jerusalem calcabitur a Gentibus: donec impleantur tempora nationum. 25.
Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ con-
fusione sonitus maris, & fluctuum: 26. Arescentibus hominibus præ timore, & ex-

pecta-

pectatione, quæ superveniem universo orbi: nam virtutes cœlorum movebuntur: 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. 29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores. 30. Cum producunt jam ex se fructum, scitis, quoniam prope est æstas. 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33. Cœlum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa: 35. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. 37. Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

℣. 1. VIDIT EOS, QUI MITTEBANT MUNERA SUA IN GAZOPHYLACIUM. Vide nos in Marcum 12. 41. Hoc gestum est feria quarta ante Passionem, vesperi, Jesu e Templo egrediente, ut in montem Olivarum succederet. Circa Templi fores cippi erant quamplures, in arcæ formam, quo unusquisque pro privata religione pecuniam projiciabat 4. Reg. 12. 9. Eas porro oblationes, quemadmodum & alia multa ambitio potius & superbia, quam verus religionis sensus comitabantur. Hoc ipsum docet Apostolos Christus, exemplo inopis viduæ, *minuta dua* (1), puta semissem, projicientis.

℣. 3. PLUSQUAM OMNES MISIT. Cur? Quia ex iis, quibus ipsa eget, cum cæteri ex superfluis miserint. ℣. 14. *Omnes hi ex abundantia ... hæc autem ex ea quod deest illi* (2). Vetat Deus Exod. 23. 15. quemquam ad se vacuis manibus accedere: at munerum nostrorum non eget: animum postulat ac voluntatem, sed totam atque integram, quemadmodum hæc vidua totum exhibuit quod sibi suppetebat. *Nec de abundantia portio, sed de modica totum datur*, inquit S. Cyprianus (3). *Omnem victum suum quem habuit, misit*, scribit hic Lucas, ℣. 4.

℣. 5. QUOD BONIS LAPIDIBUS ET DONIS ORNATUM ESSET. Teste Josepho de Bello l. 6. Jerosolymitanum Templum, a Romanis eversum, quod mirabantur Apostoli, lapidibus constabat quadraginta cubitorum longitudine; columnæ porticus atrium ambientis, cubitis quinis & vicenis in altitudinem erigebantur, e singulis saxis, marmore candidissimo. Donaria & opes, quæ in Templo custodiebantur, prorsus innumeræ: quicquid enim maxime pretiosum haberent omnes ubique Judæi, eo mittebant. Herodes Templum restaurare aggressus (4), albis ingentibusque lapidibus usus est, cubitis quinque & viginti in longum, octo in altum, duodecim in latum patentibus. Ante Herodis ætatem, Templum undique barbarorum spoliis cingebatur; quibus ablatis, Herodes nova iterum dedicavit, eaque addidit, quæ ipse ex Arabibus reportavit. Externi etiam Reges nobilissima ad Templum Jerosolymitanum munera mittebant; illudque Augustus beneficiis cumulavit (5). Auream vitem Herodes magnus miræ magnitudinis & ponderis in eo dedicavit (6).

℣. 7. PRÆCEPTOR, QUANDO HÆC ERUNT? De reliquis hujus Capitis vide Matthæum XXIV. 3. quo teste, hæc rogavere Christum Apostoli, cum egressi urbe in montem olivarum venissent, e regione Templi.

℣. 8. MULTI VENIENT IN NOMINE MEO, DICENTES: QUIA EGO SUM. Minime illi quidem prædicabunt, sese ex meis esse, sive a me missos; id non significant hoc loco ea verba, *in nomine meo*; sed Christi & Messiæ appellationem, mihi uni convenientem, usurpabunt. Vide Matt. XXIV. 5. 24.

ET TEMPUS APPROPINQUAVIT. Intra brevius quam ducentorum annorum spatium, quamplurimi prodiere pseudo-Christi atque impostores, qui sese illum esse jam diu expectatum gloriabantur (7). Explicari etiam possunt illa *Tempus appropinquavit*, veluti impostorum sint. Dicent: Sum ego Christus; salutis tempora advenere; momentaque in adventum meum descripta, jam finem habent; quemadmodum Joannes Baptista, & ipse Christus initio prædicationis ajebant (8): *Appropinquavit regnum cælorum*; veni: ipse nuncio.

℣. 9. OPORTET PRIMUM HÆC FIERI, SED NONDUM STATIM FINIS. Judæorum seditiones ac turbæ in omnibus ferme ipsorum oppidis, supremæ calamitati, iis imminenti, præcessere. Ea dumtaxat initia malorum fuere.

℣. 10. SURGET GENS CONTRA GENTEM. Phœnices, Philisthini, Samaritani, armis in Judæos versis, suis illos in oppidis sævissime trucidavere. Hæc ex Josepho. Vide Matthæum XXIV. 7.

℣. 11. TERRORES DE CŒLO, ET SIGNA MAGNA ERUNT. Quamplura narrat Josephus de Bello l. 6. c. 12. proximi Jerosolymorum exitii presagia, a Deo exhibita. Visa est anni unius spatio species ensis, urbi imminens. Anno ante Judæorum seditionem ac Provinciæ turbas, in Paschatis Festo, ignis circa Aram ac Templum noctu exarsit, ex quo jubar meridiano simile per dimidiam horam fulsit. Eadem die bos ad sacrificium ducta agnum medio in Templo enixa est. Orientalis porta interioris Templi, miræ magnitudinis ac ponderis, nocte intempesta sponte patuit. Paucis post Pascha diebus, visæ in cœlo species curruum copiarum, mutuo invadentium. Ipsa Pentecostes nocte fremitus exauditus a Sacerdotibus, ac paulo post vox improvisa erupit: *Migremus hinc*. Satis superque sunt ista, ut Christi vaticinio veritas constet.

℣. 12. ANTE HÆC OMNIA, &c. Apostoli plerique martyrium necemque obierant, ante Jerosolymitanum excidium.

℣. 14. NON PRÆMEDITARI, &c. Minime prohibet, ne justo studio & cura dicenda meditentur; sed inanem inquietamque solicitudinem atque anxietatem damnat, quibus fiducia de Divina ope minuitur.

℣. 19.

(1) Λεπτὰ δύο. Marc. XII. 42. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. (2) Ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς . . . ἡ δὲ ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς. (3) Cyprian. de opere & eleemosyna. (4) Joseph. Antiqu. lib. 15. cap. 14. (5) Philo, Legat. ad Cajum pag. 1014. (6) Joseph. Tacit. Strabo, Grot. hic. (7) Grot. Brug. alii. (8) Matth. III. 2. IV. 17. X. 7. &c.

℣. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. At qui fieri potest, ut per patientiam servetur vita, ærumnas inter & supplicia? Revocanda hic in mentem sunt ea, quæ docuit Christus Matth. 10. 39. & 16. 25. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Dum me sequeris, vitam tueris, ubi illam constanter ob mei nominis gloriam & veritatis honorem exposueris. Quærenda tibi est vita multas inter ærumnas, vitamque ipsam gloriæ meæ causa prodigens. Mors tibi victoriæ & felicitatis loco futura est Matt. 24. 13. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Qui constans inter inimicorum odia usque in finem fuerit, æternam consequetur vitam, infinitaque beatitudine potietur. Vide Grot. Brug. Est. Tir. Menoch.

℣. 20. Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem. Græcus (10) plurali numero legit, *exercitibus*. Profecto Romanorum copiæ tres in partes divisæ fuere, ut amplissimam urbem obsiderent. Præterea Romanorum exercitus ex Romanis copiis, & auxiliaribus, veluti exercitibus totidem, coaluit. Cum igitus institutam videritis Jerosolymæ obsidionem, pro certo habetote, urbis ac Templi excidium proxime imminere. Producta est obsidio a Paschatis Festo usque ad Augustum mensem, sex mensium spatio.

℣. 21. Qui in Judæa sunt, &c. Id servavere primi Palæstinæ Christiani; transque Jordanem, in montes Galaditidis, Pellam, atque in finitimas urbes secessere. Euseb. hist. Eccl. l. 3. c. 5.

Qui in regionibus, non intrent in eam. Qui in Judæa sunt, finitimisque Jerosolymæ pagis, omnino urbem ne subeant, quemadmodum vulgo fit, succedente in munitam aliquam arcem multitudine, ut militum licentiam fugiat. Qui in ea fuerint, peribunt. Res vaticinium sequuta est. Jerosolyma plerorumque Judæorum sepulcrum fuit. Sunt qui Græcum reddant (11): *Qui in agro sunt, non intrent in eam*, urbem.

℣. 22. Dies ultionis, &c. Prædixerant Prophetæ (12), Messiam rejectum iri a Judæis, atque interfectum; ipsos Templo suo spoliatum iri e Deo; Deum vero aliam sibi gentem electurum; Templum denique omnino fore evertendum. Eadem minitatus est Jesus (13); expletamque earum minarum fidem ipsimet Judæi tradidere. Supremam Romanorum expeditionem in gentem suam ita fuse describit Josephus, ut nihil desideretur.

℣. 23. Erit enim pressura magna ... et ira. Græcus (14): *Erit enim necessitas*, coarctatio, calamitas *magna super terram, & ira in populo*. Inevitabili calamitate opprimentur Judæi, Divinusque in illos furor severissime flagrabit.

℣. 24. Captivi ducentur. Teste Josepho l. 7. de Bello c. 16. & 17. Judæorum captivorum millia xcvii. in supremo Romanorum in Judæos bello fuere. Milite cædibus fesso, jussit Titus, juvenes robustissimos elegantissimosque servari, ornamento triumphi. Cæteros ætate decem & septem annorum majores in Ægyptum misit ad fodinas. Alios etiam multos Titus Provinciis distribuit, ut populi spectaculis in theatro deservirent, vel feris objiciendi, vel mutuæ cædi ad spectatorum oblectationem. Minores annis decem & septem venumdati sunt, atque in servitutem rapti varias in regiones. Ingens adeo fuit captivorum Judæorum Romæ & in universo late Imperio multitudo, ut Rutilius Numantianus, profanus Poeta, circa annum ccccx. his verbis questus sit:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeji bellis, imperioque Titi!
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum. Capta eversaque a Romanis Jerosolyma; alia urbs ex illius ruderibus excitata est, *Ælia Capitolina* nomine, ab *Ælio Adriano* Imperatore (15); at non eodem loco quo vetus Jerosolyma, sed magis occidentem versus & boream, in monte Calvariæ, ubi Christus cruce affectus est, & sepultus. Æliam frequentavere Ethnici, & nonnulli ex Christianis, Judæis annos amplius ter aut quater centum illius ingressu omnino prohibitis (16); ita ut vel eam longe prospiciendi, veterisque patriæ ruinas deflendi facultatem pretio emerent. Ita profanata est Jerosolyma, calcata, solo æquata, & radicitus eversa *a gentibus, donec implerentur tempora nationum*; scilicet, donec Christiana Religio victor fieret superstitionis Ethnicæ, quæ nunquam non illi restitit, eamque infectata est, usque ad Magni Constantini tempora; quo imperante cessavere odia in Ecclesiam, & libertas Ecclesiæ restituta est (17). Hic finis temporis gentium, & initium regni Christianæ Religionis.

Post id autem tempus, an Judæi iterum Jerosolymam occupavere? Id quidem minime pollicetur hic Christus, docetque dumtaxat, Jerosolymam ad illud usque tempus sub potestate Profanorum fore. Omnino compertum est, Judæos ab Adriano pulsos Jerosolyma, nunquam deinceps fuisse in patriam restitutos. At ubi Constantinus Magnus, ejusque mater Helena superstitionis monumentis, quibus illa profanabatur, Jerosolymam purgavere, & Jesu Christi sepulcrum, locusque illius morte sacer in gloriam famamque religione Principis ac Fidelium devenere; Jerosolyma pristinæ majestatis partem recuperavit: confluentibus quippe ad eam undique Christianis, summo in honore habita est, non secus atque amplissimæ terrarum urbes, cum illius Episcoporum civiumque dignitas nobilissimis prærogativis aucta fuerit. Vaticinia (18), quibus dicitur Israel olim in patriam rediturus, & Jerosolyma iterum incolas habitura, explicanda sunt de Christianorum gente, in jura Judæorum immissa, & hærede promissionum, quæ in vetustæ gentis commodum pronunciatæ fuerunt.

℣. 25. Erunt signa in sole et luna. Vide quæ diximus in ℣. 11. de Jerosolymitani excidii præsagiis. Prophetæ plerumque Rerumpublicarum ruinam prædicunt iisdem fere verbis, quibus hic utitur Christus. Solent Orientales hisce in rebus hæc usurpare: Sol tenebris obducitur; luna nubibus velatur; stellæ radios contrahunt; Cœlum ac mare, ut ita dicam, miscentur, simulque turbantur. Locutiones hujusmodi ad verbum usurpandæ non sunt; magnamque solummodo calamitatem significant. Persuasum erat Priscis, nulla prorsus infortunia Imperiis contingere, quin aliqua in Cœlo terrisve præsagia conspiciantur. Præsagiis hisce scatent undique veterum Historicorum paginæ. Hanc vulgi opinionem sequuti sunt Titus Livius, Suetonius, aliique ferme omnes; illique sese accommodare videtur Christus; eodemque fortasse consilio interdum permisit Deus, ut vera in Cœlo signa, futuras calamitates indicantia, conspicerentur; veluti Jerosolymis, antequam Antiochus Epiphanes in illam ita sæviret, uti secundus Macchabæorum Liber c. 5. 2. describit. Alia etiam

(10) Ὑπὸ στρατοπέδων. (11) Οἱ ἐν ταῖς χώραις. Vide Bez. Piscat. Ludov. de Dieu. (12) Vide Isai. LIII. LXV. &c. usque ad finem; Zach. XI. XII. XIII. XIV. Malach. III. IV. (13) Matth. XXIV. 2. Luc. XIX. 44. & XXI. (14) Ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ. (15) Dio Cass. in excerptis Xiphilini; Euseb. lib. 4. hist. Eccl. cap. 6. (16) Tertull. contra Judæos, cap. 13. & Apolog. cap. 21. Cyprian. de Idolor. vanit. Hilar. in Psalm. 58. Euseb. in Psalm. LXVIII. Hieron. in Sophon. 1. & alibi. (17) Euseb. de vita Constant. lib. 3. cap. 26. (18) Isai. LXV. LXVI. Jerem. XXXI. & XXXII. Ezech. XX. XXXVI. XXXVII. Osee III. Vide Grot. hic.

etiam spectata sunt ante urbis excidium per Romanos, quemadmodum supra animadversum est post Josephum de Bel. l. 7. c. 12.

In terris pressura gentium præ confusione. Græcus (20): *In terra* [in regione] *futura est angustia magna gentium in perplexitate*, desperatione, sollicitudine. Hæc gentium angustia est oppressio, mœror, turbatio, animi cruciatus, quibus illi occupabuntur, undique inter angustias clausi, nullo dolorum effugio aut fine. Is erat Judæorum status, cum terra Jerosolymam claudentur, hic obsidentibus, exitumque omnino prohibentibus Romanorum copiis; inde sævientibus seditiosis, qui Templo occupato, quodlibet flagitiorum genere debacchabantur in cives. Ita de Judæis agit Evangelista, veluti gentes una plures significet: *Pressura gentium*; populus quippe multas in Tribus dispescebatur, & Jerosolyma, obsidionis tempore, Judæis variarum regionum, ad Paschatis Festum eo collectis, refertissima erat. Fortasse etiam anxietatem significat omnium Palestinæ provinciarum, sive regionum, quibus Jerusolyma totius Judææ arx & præsidium habebatur; ita ut ea capta, totius regionis excidium existimaretur.

Sonitus maris et fluctuum. Græcus (21): *Sonante mari & procella*; vel fremente horrendum mari, & litora fluctibus verberante. Commotum credit Euthymius mare nulla ventorum vi aut procella. Videtur aliis tantummodo significari extrema rerum omnium confusio, qua cœlum, mare, ac tellus in antiquum chaos reversa viderentur (22). Poeticæ locutiones sunt (23):

Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri; aut homicida Miloni?

℣. 26. Arescentibus hominibus præ timore. Græcus ad verbum (24): *Exanimatis hominibus* metu. Quid hoc rei sit, satis intelligitur. Ea futura sunt mala, ut ipsorum metus & aspectus mortem afferat.

Virtutes cœlorum movebuntur. Hæc de Angelis Cœlestibusque Virtutibus explicantur, tot malorum aspectu territis. Sunt qui de stellis interpretentur, terribili ea rerum mistione quodammodo dejectis. Similes videas in Prophetis locutiones, ubi de Imperiorum casu sermo est, & gentium exitio (25). Cœlum, quantumvis stabile ac solidum, formidabili hac ruina quatietur, & obstupebit. Veterum fuit Astrologorum persuasio (26), cœlos e cardinibus quati, post certam annorum conversionem, & loco moveri. In magnis Imperiorum conversionibus, familiaris est Prophetarum Poetarumque locutio, ut misceri cœlum afferant.

℣. 27. Tunc videbunt Filium hominis, &c. Id nonnisi in supremo omnium Judicio ipsis corporum oculis visuri sunt Judæi. Tunc nimirum, teste Zacharia XII. 10. intuebuntur quem clavis confixere. At in Jerosolymæ excidio, qui res gestas cum Christi vaticiniis contulerunt, illis omnino perspicuum fuit, ipsum esse diem adventus Christi, adeo luculenter ab Evangelistis significatum. Nemo non vidit, eas a Deo pœnas exigi (27).

℣. 28. His fieri incipientibus, &c. Ad ea usque tempora vos Judæorum injuriis & sævitiæ obnoxii eritis. At regionis illorum mala, & Jerosolymæ excidium futura sunt vestræ libertatis præsagia: Oculos igitur tollite, & longe prospicite genti incredulæ & infidelis casum. En potissimum tempore futurum est Regni mei initium, Gentibus ad fidem conversis, meaque Ecclesia in omnes terrarum plagas late propagata. Tunc salutis fores unicuique patebunt, atque ego in universis gentibus regnaturus sum fide, quemadmodum infinita potestate nunc dominor. Vide infra ℣. 31.

℣. 30. Cum producunt jam ex se fructum. Hæc de ficu intelligenda sunt, nullos quidem flores (28), sed fructum ferente cum gemma. Græcus solem legit (29): *Videte ficulneam & ceteras arbores, cum jam gemmaverint.* Neque fructus neque floris meminit, sed absolute, cum gemmaverint vel foliis, vel flore, vel fructu, prout natura est arboris. Hæc igitur præsagia cum videritis, scitote prope esse Dei Regnum ℣. 31. Tam longe non abest, quam putatis ℣. 33. Complenda sunt hæc, antequam mortem obeant ii, qui nunc in vivis agunt. Hæ profecto minæ nullis conditionibus adstringuntur ℣. 33. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

℣. 34. Ne forte graventur corda vestra in crapula. Græca vox (30) proprie significat nauseam & gravedinem post violentia, *crapulam*; ipsamque *ebrietatem*, vel animi alienationem ex præsenti potu. Discipulos monet Christus, vigilent, temperantiam ac sobrietatem colant, ne sopore oppressi, & oblivione monitorum capti, statim communi cum cæteris Judæis patriæ ruina occupentur. ℣. 35. *Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Hunc porro laqueum nemo vitabit, præterquam ii qui vigiles fuerint, animumque nubibus liberum, & mentem terrenis affectionibus vacuam gesserint, *curis hujus mundi*. Orationem claudit ℣. 36. *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*; ad illius tribunal cum fiducia accedere, magnaque constantia pronunciandam ab illo sententiam expectare, quippe omnino vobis amicam, qua vos in libertatem dignitatemque vindicandi estis, hostes vero in exitium ac servitutemque impellendi. Confer ℣℣. 27. 28.

℣. 37. Erat diebus docens in Templo. Ita plerumque consuevit toto prædicationis triennio. Cum Jerosolymam veniret, diem in Templo, noctem in monte olivarum agebat. Suprema hac vitæ hebdomada, feriam secundam, tertiam, quartam in Templo egit, vesperi Bethaniam sive in montem olivarum secedens. Ajunt Rabbini (31) Dei præsentiam tres annos fuisse in monte olivarum, assidue hæc verba iterantem: *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est.* Majorum etiam traditione persuasum habent, montem olivarum sæpe frequentatum iri a Messia.

℣. 38. Et omnis populus manicabat [summo mane veniebat] ad eum. Ipse Jesus summo mane ad Templum se conferens, populum docebat, quamvis parum paratos illorum animos inveniret, veterum opinionum causa, Sacerdotumque & Pharisæorum vitio, qui res a Christo in illorum animis bene inchoatas destruebant. *Manicare* Latinum non est, sed optime respondet Græco vocabulo (32), *mane venire* significanti. Legitur ea vox in veteri Juvenalis Interprete (33), aliisque sequioris Latinitatis Scriptoribus (34). Fatetur S. Augustinus in Jud. q. 46. eam se apud nullum ex bonis Latinitatis Scriptoribus invenisse.

(20) Συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ. Epiphan. Συνοχαί. Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 39. *Angustia*.
(21) Ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου. Quædam MSS. legunt: Ἤχους, *sonitus*. Ut Vulg. Vide Mill. (22) Vide Isai. XIII. 9. 10. 13. 19. (23) Juvenal. Satyr. 2. v. 25. Vide Cleric. ad Hamm. (24) Ἀποψυχόντων ἀνθρώπων. (25) Ezech. XXXII. 7. Joel III. 15. Isai. XIII. 9. 19. (26) Columel. de re rust. l. 1. c. 1. *Multos jam memorabiles autores comperi persuasum habere, longo ævi situ qualitatem Cœli statumque mutari; eorumque consultissimum Astrologiæ Professorem Hipparchum prodidisse tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur, &c.*
(27) Joseph. de bello l. 7. c. 16. in Lat. p. 967. & alibi sæpius. (28) Plin. lib. 16. cap. 26. Vide Arrian. Epictet. 1. 15. (29) Ὅταν προβάλωσιν ἤδη. (30) Μήποτε βαρυνθῶσιν αἱ καρδίαι ὑμῶν ἐν κραιπάλῃ, καὶ μέθῃ. Vide Grot. hic. (31) Rabb. Janua in Midras Thillim. (32) Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ ἀκούειν αὐτοῦ. (33) Ad Satyr. 3. (34) Vide Du-Cange, Glossar. Voce, *manicare*.

C A-

CAPUT XXII.

Sacerdotes consilium ineunt de Jesu nece. Judæ proditio. Discipulos mittit Jesus paratum Pascha. Suprema Jesu Christi cœna. Discipuli de Principatu disceptant. Petri fides nunquam deficiet. Jesus in horto. Orat, animo angitur, sanguine sudat. Judas cum militibus venit. Petrus Malcho auriculam abscindit. Jesus ad Caipham ducitur. Illum se nosse negat Petrus. Jesus contumeliis obruitur. Petrus pœnitentiam agit, & plorat. Sacerdotum & magni Concilii cœtus adversus Jesum. Se ipse Christum esse fatetur. Morte dignus pronunciatur.

℣. 1. APpropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: 2. Et
quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent:
timebant vero plebem. 3. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur
Iscariotes, unum de duodecim, 4. Et abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum,
& magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gavisi sunt, & pacti
sunt pecuniam illi dare. 6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, ut traderet
illum sine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi
pascha. 8. Et misit Petrum, & Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut
manducemus, 9. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? 10. Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus
vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans:
sequimini eum in domum, in quam intrat, 11. Et dicetis patrifamilias domus:
Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem?
12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.
13. Euntes autem, invenerunt, sicut dixit illis, & paraverunt pascha. 14. Et cum
facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. 15. Et ait illis: Desiderio
desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16. Dico enim
vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17. Et
accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos: 18. Dico enim
vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. 19. Et accepto
pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod
pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter & calicem,
postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui
pro vobis fundetur. 21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.
22. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit; verumtamen væ
homini illi, per quem tradetur. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset
ex eis, qui hoc facturus esset. 24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum
videretur esse major: 25. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum:
& qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic: sed
qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. 27.
Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem
in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 28. Vos autem estis, qui permansistis
mecum in tentationibus meis. 29. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi
Pater meus regnum. 30. Ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo:
& sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. 31. Ait autem Dominus:
Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: 32. Ego
autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma
fratres tuos. 33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in
mortem ire. 34. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec
ter abneges nosse me. Et dixit eis: 35. Quando misi vos sine sacculo, & pera, &
calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo
eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet,
vendat tunicam suam, & emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc
hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim
ea, quæ sunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo
gladii hic. At ille dixit ei: Satis est. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem
in Montem olivarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. 40. Et cum pervenisset
ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. 41. Et ipse avulsus est ab
eis,

eis, quantum jactus est lapidis: & positis genibus orabat, 42. Dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 45. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia. 46. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. 47. Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum. 48. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium hominis tradis? 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? 50. Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. 51. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. 52. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis, & fustibus? 53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe. 55. Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. 56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. 57. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. 58. Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non sum. 59. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. 60. Et ait Petrus: Homo, nescio, quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus. 61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis: 62. Et egressus foras Petrus flevit amare. 63. Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. 64. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit? 65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. 66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. 67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: 68. Si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. 70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. 71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

℣. 1. APPROPINQUABAT DIES FESTUS AZYMORUM. Ea dies quarta erat hebdomadæ feria; proximo autem Sabbatho Pascha agebatur. Quamobrem hoc gestum est biduo ante Pascha, uti luculenter Matthæus & Marcus docent (1). Pharisæi Legisque Doctores diu antea in Jesum irati, ipsiusque oratione in Templo adversus sese ab eo nuper habita irritati, illum denique nece afficere decreverunt.

℣. 2. QUÆREBANT QUOMODO JESUM INTERFICERENT. In deliberatione jam non erat, interficiendus esset Jesus, nec ne; sed qua ratione capiendus. *Timebant vero plebem*. Quamobrem illud maximopere quærebant, ut Jesum ante Paschatis celebrationem caperent necarentque (2), antequam universa Judæorum multitudo Jerosolymam conveniret, eum is a plerisque Prophetæ loco haberetur. Animadvertendum est. Jesum nonnisi perraro Jerosolymam proficisci consuevisse, ibique moram brevissimam ducere. Ter quaterve quotannis eo veniebat per præcipuas anni solemnitates, statimque in Galilæam, consuetum sibi domicilium, revertebatur. Itaque teneri non poterat, nisi vel per Paschatis Festum, vel eo elapso. Per festos dies illum tenere ausi non sunt Sacerdotes, quod populi tumultum vererentur. Differri res post Festum non poterat, eo fortasse cum reliqua multitudine statim, sive secunda aut tertia die discessuro. Quamobrem illud solummodo supererat, ut ipsum ante Paschale Festum caperent necarentque, antequam multitudo Jerosolymam conflueret; quæ eo ipso tempore conveniebat, quo Christus a Pilato damnatus ad supplicium rapiebatur. Tunc porro nullus vel amicissimis locus esse poterat quidquam pro illo tentandi. Quocirca Jesu Christi hostes Pilatum magnopere urgebant, ne dato quidem maturi examinis spatio.

℣. 3. INTRAVIT AUTEM SATANAS IN JUDAM. Judam Satanas nonnisi per gradus occupavit; avaritia primum; deinde illum in furtum impulit; denique in teterrimam proditionem, sævissimumque parricidium. Tunc Judam a Satana occupatum denique narrat Scriptura, cum is ultimum in flagitium penitus ruit, animumque adversus Christi gratiam, aurésque contra illius monita & institutiones obstruxit. Hæc locutio, *Intravit Satanas*

[1] Marc. xiv. 1. *Erant autem Pascha, & Azyma post biduum*. Matth. xxvi. 1. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*. [2] Matth. xxvi. 5. Marc. xiv. 2. Monitum te hic volumus, Lector, quod in cæteris Evangelistis, consulendam esse Dissertationem, de supremo Paschate Jesu Christi.

tanas in Judam, plus multo significat, quam interpretando dici queat. Quemadmodum ubi aliquem sua gratia confirmatum Scriptura designat, Spiritum Sanctum in eo habitare dicit; ita cum flagitiosum scelestumque hominem, atque in vitiis obfirmatum, filium Diaboli significat, Satanam in ejus animum invasisse scribit.

Ỳ. 4. LOCUTUS EST CUM PRINCIPIBUS SACERDOTUM ET MAGISTRATIBUS. Græcus (3): *Locutus est cum Principibus Sacerdotum & Ducibus*, fortasse tuendo Templo Præfectis, hominibus e Levitarum genere, qui cæteris præerant, fortium Templi custodiam agentibus; id enim sanxerat Moyses 2. Par. 8. 14. servatumque deinde est inter Judæos. Sacerdotes, Rabbinis authoribus (4), tribus in locis excubias agebant; forte ad tria atrii Sacerdotum ostia; Levitæ vero unum & viginti loca custodiebant. Unaquæque cohors Duci suo parebat; his vero Ducibus alter præerat Imperator, *Dux montis Sion* appellatus. Quamobrem Dei Domus Regiam referebat, in qua Sacerdotes ac Levitæ sanctam dignamque Domino militiam exercebant.

Templi Duces alii penitus erant ab alterius generis Ducibus, qui, Romanorum nomine stationes circa Templum habebant, præsertim in Turri Antonia, quæ urbis totius arx habebatur, ipsi etiam Templo imminens (5). Ibi in præsidio erant Romani Duces, ut populum in officio continerent, coercerentque seditiones ac tumultus, siqui in Templo fierent, præsertim per Festos dies, advenis undique confluentibus (6). Hujusmodi *Ducum* Templi mentio fit infra, Ỳ. 52. & in Actis IV. 1. V. 24.

Ỳ. 6. ET SPOPONDIT. Græcus (7): *Fidem obligavit*, sive *consensit*, pactis convenit.

SINE TURBIS, sive (8), uti doctissimis Interpretibus placet, *sine tumultu*. Græca vox turbas & tumultum significat. Noctu illum prodidit, cum nemo præter Apostolos adesset.

Ỳ. 7. VENIT AUTEM DIES AZYMORUM, IN QUA NECESSE ERAT OCCIDI PASCHA. Cæteri Evangelistæ ferunt (9): *Prima die azymorum*; sive ex nonnullis Interpretibus, pridie Azymorum; feria scilicet quinta, pridie quam moreretur Jesus. Feria quinta vesperi exordiebatur Paschatis pervigilium, & altera die, nempe feria sexta in vesperis, incipiebant azyma, & Pascha mactabatur. Ita nos hunc locum interpretamur. Vide nostram Dissertationem de Paschate.

Ỳ. 8. EUNTES PARATE NOBIS PASCHA, UT MANDUCEMUS: Domum conducite, instruite mensas lectosque, conclave fermento penitus purgate, postremo parate omnia, ut Paschalem victimam comedamus. Discipuli futurum censebant, ut altera die, feria scilicet sexta, Pascha institutum Lege comederent: at aliud Pascha præbiturus erat ea die, feria quinta, Christus, sui nimirum Corporis ac Sanguinis Sacramentum.

Ỳ. 10. HOMO AMPHORAM AQUÆ PORTANS. Ex nonnullorum conjecturis (10), aqua hæc hausta fuerat ad subigendos mane alterius diei, feriæ sextæ, panes azymos, vespere ejus diei mandendos cum agno Paschali. Rabbinis authoribus (11), aqua in eum usum destinata, tota nocte servanda erat, & in quiete relinquenda per horas duodecim: hauriebatur autem inter finem diei decimæ tertiæ Nisan, & decimæ quartæ initium.

Ỳ. 11. DICITE PATRI MAGISTER: UBI EST DIVERSORIUM? Jesum novisse creditur patremfamilias, Testibus Rabbinis, domus in usum celebrandi Paschatis nulla pecunia locabantur.

Ỳ. 12. CŒNACULUM MAGNUM STRATUM (12). Hic *paraverunt Pascha*: omnia scilicet paravere, altera die celebraturi Pascha; ita enim rebantur. Aliter tamen res habuit sese, cum Jesus eo ipso tempore exspiraverit, quo celebrandum erat Pascha.

Ỳ. 15. DESIDERIO DESIDERAVI HOC PASCHA, &c. Cæteris Evangelistis cum Luca collatis, Christum hæc dixisse colligimus sub finem cœnæ, mox Corporis & Sanguinis sui Sacramentum instituturum (13). Omittunt Matthæus & Marcus hos ỲỲ. 15. 16. 17. 18. Porro explicantur vel de vehementi desiderio, quo tenebatur Christus, instituendi Sacramenti amoris sui, sive prodigendæ in hominum redemptionem vitæ; seu denique celebrandi supremi hujus Paschatis, si id in Patris voluntate foret (14). At decretum tempus venerat, quo sacrificium in cruce illi peragendum erat, ipseque in ara crucis Domino immolandus eo ipso temporis articulo, quo Paschalis victima in Templo mactabatur.

Euthymius ad Matt. 26. & Grotius hic ita interpretantur, quasi Christus Pascha cum Discipulis celebrare præverterit, cum futurum nosset, proxima mox nece se prohibitum iri, ne deinceps per corporis præsentiam cum iis Pascha celebraret. Hæc ex Grotii sententia, putantis, Christum una die celebrationem Paschatis antevertisse. Ebionitæ, teste S. Epiphanio hær. 30. c. 21. locum hunc ita legebant: *Num desiderio desideravi carneum hoc Pascha manducare vobiscum?* Quasi Christus responderit interrogantibus: *Ubi vis paremus Pascha?* Respondet: *An desideravi hoc Pascha carneum*, sive agni Paschalis carnes, *manducare vobiscum?* Carnem oderant Ebionitæ, teste eodem Epiphanio ibi, putabantque, Christum nunquam vesci voluisse carnibus, cum viveret. Marcionitæ locum hunc penitus omittebant, eodem authore.

Ỳ. 16. EX HOC NON MANDUCABO ILLUD, &c. Quodnam istud Pascha, in Dei Regno peragendum, atque ab ipsomet Christo post resurrectionem cum Discipulis comedendum? Legis Pascha procul dubio non fuit; quippe quod redivivus nunquam comedit; sed Christianum Pascha, scilicet Eucharistiæ Sacramentum; una enim cum Discipulis & cibum & potum deinde sumpsit, uti antea. Christi Passione ac morte verum Pascha impletum est; vetus quippe sacrificium mera fuit novi figura. Vetus eodem tempore desiit, quo peractum est novum. Teste enim Paulo 1. Cor. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Dei regnum intelligi etiam potest æterna Cœli beatitudo. Nunquam deinceps vobiscum vesperi supremum hoc Pascha typicum simul comedemus: at alterum spiritu in Cœlis celebrabimus (15). Hic Pascha istud comedimus, in monumentum libertatis ex Ægypto comparatæ; illic aliud Pascha spiritu comedemus, ob memoriam restitutæ ex mortali hac vita libertatis. Pulcherrima interpretatio, at quæ Pascha Legis a Christo cum Discipulis celebratum ponit; id quod non omnibus assertum est.

Ỳ. 17. ACCEPTO CALICE, GRATIAS EGIT, &c. Cave calicem hunc Sanguinis Christi intelligas (16); hic alter quippe luculentissime significatur Ỳ. 20. Calix erat, quem convivii princeps rite dedicatum, ipse prius degustans, cæteris deinde con-

(3) Συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τὸ πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς. (4) Vide Middoth, & Ligfoot. Hor. Talm. (5) Vide Act. xxi. 31. 32. xxiii. 24. Matth. xxvi. 65. (6) Antiqu. l. xx. cap. 4. & alibi. (7) Καὶ ἐξωμολόγησε. (8) Ἄτερ ὄχλου. Erasm. Vatab. Brug. Bez. Pisc. Hamm. alii. (9) Matth. xxvi. 17. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. Marc. xiv. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων. (10) Toynard. Harmon. pag. 107. (11) Pesachim, fol. 42. a; Gem cum Orach-Chaim, num. 455. (12) Ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. (13) Vide Hilar. in Matth. Chrysost. 82. 83. in Matth. (14) Toynard. Not. in Harmon. pag. 130. col. 2. (15) Origen. Euthym. Theophyl. Brug. Maldonat. alii. (16) Hieron. in Matth. xxvi. Grot. ibidem. Theophyl. & Beda in Luc. xxii. Brug. & Cajet. in Luc. xxii. Estius in 1. Cor. xi. 25.

convivis ordine propinabat. Hunc morem adhuc servant Rabbini, & Judæi recentiores (17). Nedum in Paschali, verumetiam in solemnibus quibusque conviviis vino crater impletur; illumque paterfamilias, vel honoratissimus e convivis dextera manu tenens, in altum tollit, ac bene precatus, ipse gustat, deinde cæteris ordine convivis porrigit. Non satis convenit, primus ne fuerit hic calix, an secundus. At omnino videtur fuisse primus, qui initio convivii dedicabatur; cum Lucas ℣. 20. diserte scribat (18), peracta cœna calicem accepisse: *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo.*

℣. 19. Et accepto pane, gratias egit, &c. Cum adhuc cœnarent, inquiunt Matthæus & Marcus (19), Christus accepto pane Sacramentum Eucharistiæ instituit. Itaque sub finem cœnæ Jesus panem accipiens, actisque Deo gratiis, fregit, atque Apostolis distribuit, suum ipsius Corpus esse inquiens. Panis substantiam revera in verum Corpus suum convertit; itaut Apostoli non panem, sed germanum Christi Corpus comederint. Pro Paschali cœna cibum Corporis & Sanguinis sui, mox in omnium hominum salutem tradendi, exhibuit.

Quod pro vobis datur. Non dicit, *Quod pro vobis dabitur*, sed *pro vobis datur*, ut significet, hoc ipsum verum esse sacrificium, quo præsens ipsemet Christus Patri offerebatur in antecessum, antequam alterum sequenti die alia ratione ipse in Cruce offerret. Eo autem sacrificio simul finis imponebatur typico Paschati, & exhibebatur pignus cruenti sacrificii, ab ipsomet Christo altera die peragendi. Vel ita intellige: *Quod pro vobis datur*, scilicet, quod mox vestri causa tradendum est, mox immolandum: eadem quippe est sententia; Corpus enim mox mactandum, & Sanguis mox effundendus, ipsa re & substantia sub panis & vini speciebus aderant. Non mera Sanguinis Christi figura in Cruce fusa est, neque Corporis species in cruce mactata; sed verum Corpus, verusque Sanguis. Utrumque igitur vere in Eucharistia & datur & adest.

Hoc facite in meam commemorationem. Ut rei, quam nunc præsto, Corpore meo vobis exhibito, & quam crastina die acturus sum, Sanguine & vita in totius mundi salutem profusis, memoriam instauretis, jubeo vos in posterum hoc ipsum facere. Panem sumentes, frangite, ac dicite: Hoc est corpus meum: revera corpus meum fiet, quemadmodum nunc mea in manu est. Hanc panis & vini conversionem in Christi Corpus & Sanguinem Patres comparant cum aqua in vinum mutata ad Canæ nuptias (20); pani & vino in corporis nostri substantiam converso (21); virgæ Moysis in anguem, & aquis Nili in sanguinem transformatis (22); quibus in rebus vera substantiæ mutatio contigit.

℣. 20. Similiter et calicem, postquam cœnavit, Gratias egit, deditque Apostolis, ut biberent, inquiens, *Calicem esse novi Fœderis in sanguine suo* (23). Vel Matthæo & Marco (24): *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, quæ in idem recidunt. Sanguis, quem Christus sub vini specie Apostolis exhibuit, idem erat atque ille in cruce fundendus: *Qui pro vobis fundetur*, Novi Fœderis sigillum, quemadmodum victimarum cruore, ad Sinai montis radices effusum, vetus Fœdus signatum fuerat (25).

Agni Paschalis cruor, qui ad Altaris basim fundebatur, figura erat Sanguinis Jesu Christi, in Cruce fundendi. Ille in memoriam libertatis ex Ægypto; hic in pretium peccatorum, quibus homines obligabantur. Sanguis a Christo in Cruce fusus, verus erat Christi Sanguis: Sanguis Apostolis propinatus, idem ille erat in cruce fundendus: verus igitur Christi Sanguis Apostolis propinatus est, non figura solum & virtute, sed re ac substantia. Græcus ad verbum (26) *Hic Calix, qui novum testamentum est in meo sanguine* confirmatum, hic, inquam, Calix, *pro vobis funditur*.

Solebant Hebræi sub Cœnæ Paschalis finem (27) calicem vino plenum, bonis precibus dedicatum, convivis ordine propinare. Tres interdum & quatuor solemni ritu post cœnam hauriebantur; fundebantur singulis preces. Bene precabatur paterfamilias, & calicem convivis omnibus subinde tradebat. Hujus consuetudinis causa, Christus Sanguinis sui calicem Apostolis, post precem, & cœnam, *postquam cœnavit*, porrexit.

℣. 21. Verumtamen ecce manus, &c. Tertio jam & ultimo prædicit, sese ab uno e Discipulis suis proditum iri. Primam prædictionem narrant Matthæus xxvi. 23. & Marcus xiv. 20. alteram Joannes xiii. 18. Utrum Judas Christi Corpus & Sanguinem sumpserit, disputavimus in Matthæum (28).

℣. 22. Secundum quod definitum est, vadit; quemadmodum terum Scripturæ, & in Providentiæ ordine ob generis humani salutem constitutum est. Judæ facinus, Christum prodentis, non eodem modo decretis Dei continebatur. Illud permittebat Deus, quia illius malitiam aut faceret aut probaret. Pessimam Judæ voluntatem prævidebat Deus, noratque quid boni esset ex illa oriturum: illius tamen neque causa erat, neque auctor, neque probator (29).

℣. 24. Quis eorum videretur esse major. Ægre intelligitur, qui fieri potuerit, ut Apostoli eo tempore pridie ejus diei, qua obiit Christus, ex quo tam multa demissionis exempla & monita audierant, adeo in superbiam & ambitionem ferrentur, ut vel disceptarent, quis cæterorum princeps & nobilissimus ex ipsis foret. Censent Maldonatus & Grotius, hoc narrasse Lucam per repetitionem alieno loco, cum credibile non sit, tam luctuoso tempore vacasse animos ambitioso certamini. Unus hoc narrat Lucas, idque contigisse eundum censeo antequam Christus Apostolorum pedes lavaret; videturque Christus, ut vanum mentis illorum tumorem curaret, inanemque ambitionem coerceret, manus demisisse ad abluendos illorum pedes, & consequenti mox oratione illos admonuisse, ac tradidisse præcepta humilitatis, præsenti disceptationi omnino convenientia. Sola loci lectione satis docberis, Christum ad ortam controversiam spectare (30): *Si ego lavi pedes vestros, dominus & magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Non est servus major domino suo.* Confer ista cum iis quæ scribit hic Lucas ℣℣. 25. 26. 27.

℣. 25. Reges gentium dominantur eorum. Occurrit ubique alte impressa mentibus Apostolorum opinio, Messiam Regem fore opibus, magnificentia, liberalitate clarissimum, bonisque cumulaturum amicos ac servos sibi fideles, cæteris vero in subditis dominaturum. Reputabant autem futurum, ut Jesus, quippe Messias & Rex Israelis, statim post Resurrectionem, imperium suum usurpa-

(17) Vide Buxtorf. Synag. c. 13. Leon Modena, De' Riti Giudaici, part. 3. cap. 3. Bynæum, de morte Christi, lib. 1. cap. 8. num. 16. 17.
(18) Ita & Paulus, 1. Cor. xi. 25.
(19) Matth. xxvi. 26. Marc. xiv. 22.
(20) Cyrill. Alexand. Cathechef. 4.
(21) Damasc. lib. 4. de fide, pag. 269. nov. edit.
(22) Ambros. de his qui myster. initiantur, cap. 9.
(23) Ita Paul. 1. Cor. xi. 25.
(24) Matth. xxvi. 28. Marc. xiv. 24. Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου.
(25) Exod. xxiv. 5. 6. 7. 8. Hebr. 12. 20.
(26) Τοῦτο τὸ [illegible], ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.
(27) Vide Maimon. Hilcoth Chametz-Umatza, cap. 8. §. 1. Binæ. de morte Christi, lib. 1. cap. 8. art. 17.
(28) Vide nos in Matth. xxvi. 25.
(29) Vide Grot. hic, & Patres ab eo citatos.
(30) Joan. xiii. 13. 14. & sequ.

paret, Apostolos nobilissimis Regni Magistratibus instrueret, cæteros sibi subditos humili sub servitute coerceret, pœnasque durissimas e Scribis ac Pharisæis, qui ipsum nunquam non & verbis & factis infestati fuerant, exigeret: id enim facturus erat homo quispiam erga amicos & inimicos. At plane aliam esse Imperii sui rationem, docere voluit Christus.

Benefici vocantur. Munificos se & liberales esse, amicis & servis gratiam referre dignitatibus & beneficiis gloriantur. Principum plerique munificos sese nuncupari gavisi sunt, eamque appellationem enixo studio quæsivere; eamdemque ultro indignis interdum detulere assentatores. Non pauci Ægyptiorum Reges, animo nequaquam magno & benefico, *Evergetæ*, scilicet munifici, appellati sunt (1). Si Messias erat Jesus, qua de re minime ambigebant Apostoli, nemo Regiis laudibus ornari sublimius debuit. Quos autem liberalitatem illius experiri magis decebat, quam Apostolos? Id porro præter dubium erat. Quærebant dumtaxat, quis inter cæteros dignitate princeps futurus esset ac præstantissimus.

℣. 26. Vos autem non sic. Caducos ex me honores ac dignitates ne expectetis, neve in Regno meo, mea scilicet Ecclesia, in qua prima subsellia occupaturi estis, ita vos geratis, uti Principes sæculi, hominesque mortali dignitate præstantes. Ego inter vos in eo excello, ut veluti minimus omnium sim, servi officium, ac munera abjectissima exerceam. Hoc ipsum vobis servandum est: Tunc denique vere magni futuri estis, cum vosmet infra cæteros demiseritis. Conspicuum Caput Ecclesiæ Christianæ, supremam in terris dignitatem obtinens, Servum servorum Dei sese nuncupat.

℣. 27. Ego in medio vestrum sum. Hæc pronunciavit vel statim post vel statim ante lotos Apostolorum pedes; ut facta verbis miscens, juncto orationi exemplo, animos mentesque Apostolorum acrius permoveret, ne illi ambagibus & parabolis uti colloquentem existimarent (2).

℣. 28. Vos estis qui permansistis mecum, &c. Respondere pergit proposita quæstioni, quis ipsorum futurus est præstantissimus. Vos quidem constantissimum erga me amorem & fidem, præter cæteros, exhibuistis; me secuti estis inter odia Judæorum undique erumpentia. Quamobrem dignum liberalitate mea præmium vobis paro. ℣. 29. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum; ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim Tribus Israel.*

Hoc nimirum præmium vobis paro; & nequa sit inter vos invidia, omnes pares efficio. Regnaturi estis mecum omnes; ad mensam meam sedebitis; atque in duodecim Tribus Israelis judicium exercebitis. Itaque de prima dignitate ne jurgemini; satis locuples sum, ut singulos abunde remunerer, tamque beatos efficiam, ut alter alteri non invideat. Hanc vobis hæreditatem testamento lego: supremum hoc jubeo & volo. Græcus (3) rem testamento legatam significat. Quæ diximus, minime prohibent, quin ordo sit inter Apostolos, variosque Ecclesiæ Præsules, ita ut alter alteri obtemperaret. Atque uti in Cœlo, quamquam æterna felicitate Beati omnes fruuntur, minime tamen singuli eodem gradu ea gaudent; ita Christus Pastorum ordinem, & alterius alteri subjectionem ab Ecclesia non proscripsit. His ablatis, futura est Ecclesia hominum cœtus ordine carens & officio.

℣. 30. Ut edatis et bibatis, &c. Terreni Reges neminem convivam adhibent, præter filios, fratres, necessarios, amicissimos. Jesus Apostolos loco fratrum, filiorum & amicorum habet. Cœleste Regnum passim sub imagine convivii delonbit. Narrat S. Irenæus lib. 5. c. 33. *Meminerunt Presbyteri, qui Joannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus, & dicebat: Venient dies, in quibus vineæ nascentur, singulæ decem millia palmitum habentes, & in una palmite dena millia brachiorum, & in uno vero palmite dena millia flagellorum, & in unoquoque flagello dena millia botruum, & in unoquoque botro dena millia acinorum, & unumquodque acinum expressum dabit viginti quinque metretas vini. Et quum eorum apprehenderit aliquis Sanctorum botrum, alius clamabit: Botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. Similiter & granum tritici decem millia spicarum generaturum, & unamquamque spicam habituram decem millia granorum, & unumquodque granum quinque bilibres similæ claræ mundæ: & reliqua autem poma, & semina, & herbam secundum congruentiam iis consequentem: & omnia animalia iis cibis utentia, quæ a terra accipiuntur, pacifica & consentanea invicem fieri, subjecta hominibus cum omni subjectione. Hæc autem & Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo, per Scripturam testimonium perhibet, in quarto librorum suorum: sunt enim illi quinque libri conscripti. Et adjecit dicens: Hæc autem credibilia sunt credentibus. Et Juda, inquit, proditore non credente, & interrogante: Quomodo ergo tales genituræ a Domino perficientur? dixisse Dominum: Videbunt qui venient in illa.*

Tropicæ hujusmodi locutiones Jesu Christi (si tamen eas Jesu Christo dignas existimes) pepererere Millenariorum sententiam, Priscis bene multis probatam. At usurpandæ sunt per metaphoram. Apostolis, quique illis in Ecclesia successere, ad Domini mensam sedent nobilissima prorsus ratione, scilicet Sacerdotio; ac munere conficiendi Corpus & Sanguinem Jesu Christi, pronunciatis mysteriorum verbis, illudque & manducandi & cæteris distribuendi.

Et sedeatis super thronos. Jam nunc Apostolorum successoribus Judiciaria potestas est in Fideles, ligandi nimirum & solvendi authoritas, quam illis contulit Christus, ipsique ejus nomine exercent. Suprema Judicii die ipsimet Christo assidebunt, ferentque sententiam in incredulos, & Christianos, qui leges violaverint sanctissimi ejus Fœderis, cui per baptismum nomen dedere. Confer Matthæum xix. 28.

℣. 31. Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret (4), &c. Quæ mox dixi de præmio, non sine labore perficientur. Magno stabit, hunc gloriæ gradum consequi. Simon, qui primas in Ecclesia mea occupaturus es, te præter cæteros postulavit Satanas, ut instar tritici cribret. Illud a Deo impetravit, ut sibi liceat te periclitari, quatere, vexare: atque utinam non dejiciaris! ℣. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: Quatieris certe, at non ita vinceris, ut fide cadas, &c. Animadverte; nullam fuisse Dæmoni adversus Apostolos potestatem, nisi Deo permittente; quemadmodum ausus non est Jobum aggredi, eumque fortunis & liberis spoliare, nisi facta e Deo facultate (5). Metaphora ex tritici cribratione ducta mire exprimit discrimina, quibus servos suos periclitatur Deus, quo puriores & sanctiores efficiat (6). Cribrandi vocabulum usurpat Amos ix. 9. ut Judæorum ærumnas & dispersum significet: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro.*

Petrum alloquitur Christus, aliud clam innuens,

(1) Vide Grot. Calak. Priceum hic. (2) Vide Ambrof. in Luc. lib. x. n. 50. 51. (3) Κάγὼ διατίθεμαι ὑμῖν. Quidam Mss. Διατίθεμαι ὑμῖν διαθήκην. Vide Mald. Grot. (4) Ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι. Cypri. lib. 4. Epist. 4. *Postulavit vos ut vexaret vos.* Tertull. Ut discerneret. Ambros. Ut cerneret. (5) Job i. 12. ii. 6. Vide Tertull. de fuga in persecut. & Bedam hic. (6) Ambrof. in Psal. cxviii. Tertull. de fuga in persecut. Mald.

ipsum esse Apostolorum Principem, atque in Petro cæteros Apostolos monet (7); sive Petrum unum admonet, quod ipse præsertim objiciendus esset discrimini, nosletque Christus, illum e constantia dejectum iri. Quæ addidit Christus, se nimirum orasse, ut Petri fides penitus non deficeret, significant, ex Patrum nonnullorum sententia, Petrum non prorsus fide cecidisse; ejusque animum fuisse immunem sceleris, quod ore efferebatur: *Locutus est verbo, ut fundatior esset affectus*, inquit S. Ambrosius (8). Purior redditus est discrimine; & *denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus a Diabolo est*. Vide quæ congessimus in Matthæum XXVI. 74. ut Petrum revera peccasse doceremus, at non ita ut fidem prorsus amitteret. Vulnerata est Petri fides, non extincta. Vivebat in mente fidei radix, statimque per pœnitentiam refloruit (9). *Quando rogavit Dei Filius ne fides Petri deficeret*, inquit S. Augustinus de correpț. & gratia cap. 8. *quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Petri fides quodammodo est fides Ecclesiæ totius, inquit S. Leo Papa Serm. 2. quæ deficere nequit: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est*. Firmissimo hoc lapide Fidelium omnium fides nititur ceu fundamento, ibique detrimenta sentire non potest: *Dignum namque arbitror ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum*, inquit S. Bernardus, de Romana Sede agens epist. 190.

Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Petri lapsum & pœnitentiam clam innuit Christus, cum jubet illum confirmare fratrum suorum fidem, ubi e lapsu surrexerit (10). Alii (11) explicationem literæ magis servientem malunt: *Conversus confirma*, scilicet: *Tu quoque olim vicissim fratres confirma*: pro illis ora, eosque constantes redde, quemadmodum ego pro te oravi, ut in fide sis constans. Vel absolute: Constans in fide esto, & fratres confirmare studeto. Hebraica locutio, similis huic Psal. 84. 7. *Deus, tu conversus vivificabis nos*. Et Psal. 6. 5. *Convertere, Domine, & eripe animam meam*. Et Psal. 70. 20. *Conversus vivificasti me . . . & conversus, consolatus es me*. Denique Psal. 77. 41. *Et conversi sunt, & tentaverunt Deum*.

℣. 33. Tecum paratus sum, &c. Ex animi sententia loquitur Petrus, ac præsentem dumtaxat suæ voluntatis ardorem consulens, de viribus suis nimium fidit. Quæ ex Jesu audierat, confirmaret nimirum fratres, illum audaciorem effecerant; oblitus tamen fuerat antea dictorum: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*; quæ quidem magis cautum reddere debuerant. Quamobrem ut illum Christus ad mentem revocet, prædicit fore, ut eadem illa nocte, qua loquitur, ante gallicinium, ter neget, se illum nosse.

℣. 35. Quando misi vos sine sacculo, sine marsupio & pecunia, sine pera & vidulo, quo viaticum fertur; ut enim sæpe diximus, viaticum deferri consueverat, ubi quis iter aggrederetur. Addit, *sine calceamentis*; non quod nudis pedibus proficisci jusserit ad Evangelii prædicationem, cum itinere nudis pedibus confici solerent; sed quod abire jusserit imparatos itineri, nullo viatico, unica veste, unisque calceis. Vide nos in Matthæum X. 10. Hactenus Evangelium nunciantes profecti estis, quin viaticum, annonam, pecuniam, vestes, calceos pararetis; nihil tamen vobis defuit, quippe quibus & tempus & res favebant. Nemo non libentissime vos excepit, bonisque cumulavit, mei nominis, & prodigiorum doctrinam confirmantium gratia. Mutata nunc est temporum conditio (12): futuri estis omnibus odio, mei nominis causa. Obsequi se Deo putaturus est, qui vos afflixerit: omnia vobis deerunt: undique odia imminent & ærumnæ. Quamobrem deinceps aliter vobis agendum est.

℣. 36. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram. Utrumque sumite, si præsto est; alterutrum si habetis, alterum comparate: cavete ne itineri vos committatis, sacculo, aut pera carentes. Qui utrumque habet, domi ne relinquat. Cæterum ita distingui hic locus potest (13): *Sed nunc qui habet sacculum, tollat: similiter & peram*; optima quippe hæc ratio legendi est. Pecuniam & viaticum deferte: futurum enim moneo, ut utrumque desit.

Et qui non habet, vendat tunicam suam, &c. Qui pecunia & viatico caret, vestem ipsam vendat, & emat gladium (14), vi ablaturus ea, quibus sibi opus fuerit: nemo enim sponte est exhibiturus: emendum erit, aut auferendum. Aliter: Si cætera præsto sint, & desit gladius, omnino iter ne aggrediamini inermes: opus erit gladio adversus hostium injurias. Vestem potius vendite, quam gladio careatis. Hic proprius est hujus loci sensus (15).

At ubi nunc lenitas, mansuetudo, bonitas, patientia, tantopere Discipulis a Christo commendatæ? An veterum præceptorum oblitus est? cumque Discipulos initio agnos effecerit, lupos nunc facere studet, ac militum latronumque more armis instruere? Allegorica est oratio (16), hoc dumtaxat volens, deinceps illos obnoxios fore fami, siti, inopiæ, persecutionibus, morti; iisque in rebus licere Apostolis uti iis artibus, quæ sapienter visæ fuerint opportunæ, ut eas ærumnas vitent, minime abrogans ea, quæ antea docuerat, de malis magna patientia & lenitate tolerandis, deque minime repugnando iis qui persecuti fuerint. Futuros labores prædicit (17) per tropum & allegoriam, quo acrius id intelligant. Nullis unquam armis, præterquam spiritualibus, usi sunt Apostoli; clypeo fidei Eph. 6. 16. galea spei Thessal. 5. 6. gladio verbi Dei Hebr. 4. 12. Implexam Christi sententiam eo tempore non perceperant Apostoli, uti docet ℣. 38.

℣. 37. Dico enim vobis, &c. Necesse est, vaticinia omnia ad me spectantia adamussim expleri: atqui scriptum est, Messiam inter scelestos recensitum iri: hoc ipsum igitur de me implendum est. Quo autem modo? I. eo quod Jesus duos inter latrones medius cruci affixus est; II. quod raptus in jus, damnatusque, & morte mulctatus, ceu falsus Propheta, seductor, seditiosus; III. quod illum ejusque Discipulos Judæi ceu pestem ubiumque hominum criminati sunt, omnibusque ferme gentibus invisos effecere. Hæc optime congruunt cum iis quæ monuerat Christus, futurum nempe, ut ipsius causa illi scelestorum loco haberentur. Illud de me, quod de seductoribus, vulgabitur, scilicet decipi a me multitudinem, vosque mecum conspirare.

℣. 38. Domine, ecce duo gladii hic. Apostoli, uti diximus, Jesu Christi mentem assequuti non sunt;

(7) Leo Magn. serm. 2. in natali Apostol. Petri & Pauli. (8) Ambros. in Psal. XLIII. Vide & in Luc. lib. X. & Prudent. lib. Cathem. (9) Theophyl. hic. Vide Natal. Alex. hic & in Matth. XXVI. (10) Ita Theophylact. Euthym. hic; Ambros. in Psal. 43. alii plures. (11) Beda, Mald. Grot. Jans. (12) Vide Chrysost. in hæc verba Rom. XVI. 5. Theophyl. Euthym. Bedam hic; Mald. Jans. (13) Ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω, ὁμοίως καὶ πήραν. Græci Codices verati quamplures legunt in futuro: *Tollet peram, & emet gladium*, &c. quasi sint futuræ vaticinia. Varietas hæc ipso S. Basilii tempore legebatur. Πωλήσει, ἀγοράσει, &c. Vide Mill. & Grot. (14) Lud. de Dieu, Grot. Vat. (15) Vide Jans. hic, Ambr. Bedam, Euthym. (16) Erasm. Est. (17) Euthym. Mald. Beng. Cast. Camerar. Piscator. Ita Basil. regul. brev. qu. 251. Theophylact. hic.

sunt; atque ex mero verborum sono ea usurpavere, quæ ille de viatico, pecunia, gladio in itinere deferendis disputaverat. Fuit qui geminos enses præsto esse diceret, in usum paratos. At illud non quærebat Christus; attamen, quasi gravius aliud docendum supersit, concise respondet; *Satis est;* vel mentem suam luculentius alio tempore prompturus, vel tempora expectans, quibus per ipsas res & eventus docendi essent.

Satis est: non illud volo, ut arma comparetis (18): non hoc doceo. Sunt (19) qui per ironiam dicta hæc interpretentur: Scilicet his armis futuri estis adversus hostium injurias tuti: his illi in fugam agendi sunt. Alii explicant (20): De hoc actum est satis: hæc vos non assequi video; ad alia transeamus. Videtur nonnullis significari duplici gladio duplex Ecclesiæ potestas, civilis & divina: hæc tamen explicatio ad allegoriam pertines, duplicemque hanc potestatem minime probat.

℣. 39. Egressus ibat, secundum consuetudinem, &c. Absoluta cœna, multa jam nocte, egressus Jesus ad montem Olivarum profectus est, quo in monte diebus elapsis noctem egerat Luc. xxi. 37. Vide quæ diximus in Matthæum xxvi. 30.

℣. 43. Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum. Unus hoc narrat Lucas, unicamque describit Jesu Christi orationem in horto; fortasse, quod simplici oratione Christus unam eamdemque precem iteraverit Matt. 26. 44. *Eumdem sermonem dicens*. Videtur Angelus illi sese sub orationis finem exhibuisse, eumque Patris æterni nomine allocutus, ut mœrorem, quem sponte subierat, leniret. Divinitatis in ipso habitantis vim eo tempora averterat Christus, ut totam, quam late patebat, naturę humanæ imbecillitatem experiretur. Solatium ex Angelo accipere voluit, qui per humanitatem sese Angelis inferiorem effeceras. Hebr. 2. 7.

Vetusti codices multi Græci & Latini, ætate S. Hilarii de Trinit. l. x. & S. Hieronymi l. 2. contra Pelag. minime ferebant ea, quæ leguntur ℣℣. 43. & 44. Ingens etiam Græcorum Codicum numerus ista non habet (21). Animadvertit S. Epiphanius in Anchorato §. 31. hanc esse Christianorum quorumdam correctionem, orthodoxorum quidem, sed minime prudentium, qui cum ea Jesu Christi imbecillitate offenderentur, hæc verba e libris suis delevere, quemadmodum & illa Capitis xix. ℣. 4. *Videns civitatem, flevit super eam;* quasi indignum Christo fuerit lacrymas fundere. Syri quidam (22), & Armeni heretici (23) versiculum 44. solummodo abstulerant, quod sanguineum sudorem hoc loco importunum esse arbitrarentur.

Factus in agonia (24), prolixius orabat. Græcus (25): *Vehementius orabat*, constantius. *Agonia* vulgo usurpatur de homine animam agente, atque in extremis vitæ angustiis pugnante. Græce *Agonia* est horror & formido hominis magno in discrimine constitusi. Pugna animi est, discriminis magnitudinem intuentis, constanterque cum formidine certantis. Quicquid passurus erat Christus, contumeliæ, verbera, proditio, opprobria, crux, mors, omnia sese illi objecere. Hominum scelera & perfidiam vidit, Discipulorum imbecillitatem, sævitiam Judęorum. His vero illius animus alte sauciatus est. Quidam illum terror atque horror invasit: hos tamen animi motus coercuit stabili mentis constantia, qua Patris Justitiæ pœnas dare decreverat. Hæc Christi orantis pugna, hoc certamen. Putat Ligfootus, Christum exhibita Dæmonis præsumtia fuisse territum.

℣. 44. Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis. Sunt (26) qui putent, sudorem hunc natura quidem fuisse communem, at copia uberiorem & extraordinarium. Sudoris rivuli, ut ita dicam, undique e corpore fluxere, quibus madefactus est locus, in quo Christus orabat. Censet Photius, Epistola cxxxviii. ad Theodorum, Lucæ verba vulgarem loquendi formam referre; quemadmodum vulgo dicimus, hominem in angustiis positum aqua & sanguine sudare. Hac locutionis usus est Evangelista, ut extremum Christi angorem significaret. Quamobrem nonnisi uberrimum sudorem indicat.

Hæc tamen sententia cum ipsomet Textu pugnat, quo dicitur sudor fuisse ceu guttarum sanguinis. Sudor sanguinem & colore & crassitie referebat. Græcus (27): *Ut grumi sanguinis decurrentes in terram*. Sanguis sudore mistus grandibus guttis fluebat, & in terram cadens concrescebat: Græca enim vox *thrombos* proprie sonat concreti sanguinis guttas (28). Quibusdam interdum in morbis sudor sanguineus fluit, teste Bartholino (29). Narrat Diodorus Siculus lib. 17. quoddam esse anguium genus, ingentes cruciatus, & sudorem sanguini similem morsu ciens. Id nonnullis contingere docet Aristoteles lib. 3. hist. animal. ob minimi caloris vitium, malumque corporis temperamentum.

Quidam morte damnatus (30), ea nocte, quæ supplicio præcessit, sanguineo sudore manavit. Patiliensis fœmina (31) extincta est sudoru sanguineo ita uberi, ut ea mortua ne gutta quidem sanguinis in venis superfuerit. Montismarini Præfectus (32), ab Augusto, notho Principis Salutiarum filio, captus, indicta morte ni arcem dederet, adeo excruciatus animo est, ut sanguine & aqua sudaverit. Alius quidam (33), magno robore vir, audita mortis sententia in se pronunciata, sanguineo sudore maduit. Hæc exempla satis docent, Christi sudorem, tametsi extraordinarium, tamen prodigio non esse tribuendum. Eo dumtaxat ostenditur, quam sævo cruciatu Christi animus vexatus fuerit. Diximus supra, Græcos quosdam & Latinos, Syros quoque & Armenos inani superstitione pessimoque exemplo hæc olim verba e libris suis abstulisse.

Flodoardus in chronico ad annum 920. narrat puellam quandam, Ozannam nomine, e pago Vonziensi (de Verse) venisse ad Urbem Remensem, templum S. Petri religionis gratia invisuram. Jam inde a biennio nihil sive panis sive pisculi degustasse, mansisse ibi integra hebdomada, sudasse sanguinem, magna omnium admiratione, adeout tota fronte usque ad collum maderet sanguine. Henricus de Heers, qui dissertationem de aquis Spadensibus adornavit, testatur virum quemdam nobilem Belgam ad aquas illas venisse, qui interulam suam sub axillis tingebat macula sanguinis ad latitudinem manus; sanguinum vero illum e corporis poris guttatim stillasse crassum & densiorem, perinde ac sanguis qui incipit concrescere. Christi sanguis, admonente S. Luca, guttatim exiens in terram usque defluebat. Nos ipsi cernimus puellam pagi D'Eumont prope Nancium, quæ ultra biennium abstinuit a cibo, nec solidi quidquam vel minimum capere poterat. Paululum tantummodo mellis sugendo trahebat, osque lavabat frigida, cujus ne stillam quidem deglu-

(18) Vide Theophyl. Euthym. Mald. (19) Vide Theophyl. Priceum, Castal. alios. (20) Brug. Gerhard. Heins. (21) Vide Var. Lect. Mill. hic. (22) Phot. Epist. 138. (23) Nicon. apud Coteler. not. in lib. 2. cap. 4. Const. Apost. (24) Γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ. (25) Ἐκτενέστερον προσηύχετο. (26) Theophyl. Euthym. Grot. Pric. Ham. (27) Ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες, &c. (28) Θρόμβος, αἷμα πεπηγός, apud Galen. Vide Grot. & Price. hic. (29) Thom. Bartholin. de cruce, Hypomnem. 4. de sudore sanguinis. (30) Vita di Sisto V. per Gregorio Leti; Thuan. lib. 82. hist. (31) Melanges d'Hist. t. 3. p. 179. (32) Thuan. hist. lib. 2. (33) Maldonat. ad Matt. xxiii.

ipsum esse Apostolorum Principem, atque in Petro cæteros Apostolos monet (7); sive Petrum unum admonet, quod ipse præsertim objiciendus esset discrimini, nossetque Christus, illum e constantia dejectum iri. Quæ addidit Christus, se nimirum orasse, ut Petri fides penitus non deficeret, significant, ex Patrum nonnullorum sententia, Petrum non prorsus fide cecidisse; ejusque animum fuisse immunem sceleris, quod ore efferebatur: *Locutus est verbo, ut fundatior esset affectus*, inquit S. Ambrosius (8). Purior redditus est discrimine; & *denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus a Diabolo est*. Vide quæ congessimus in Matthæum XXVI. 74. ut Petrum revera peccasse doceremus, at non ita ut fidem prorsus amitteret. Vulnerata est Petri fides, non extincta. Vivebat in mente fidei radix, statimque per pœnitentiam refloruit (9). *Quando rogavit Dei Filius ne fides Petri deficeret*, inquit S. Augustinus de corrept. & gratia cap. 8. *quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Petri fides quodammodo est fides Ecclesiæ totius, inquit S. Leo Papa Serm. 2. quæ deficere nequit: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est*. Firmissimo hoc lapide Fidelium omnium fides nititur ceu fundamento, ibique detrimenta sentire non potest: *Dignum namque arbitror ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum*, inquit S. Bernardus, de Romana Sede agens epist. 190.

Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Petri lapsum & pœnitentiam clam innuit Christus, cum jubet illum confirmare fratrum suorum fidem, ubi e lapsu surrexerit (10). Alii (11) explicationem literæ magis servientem malunt: *Conversus confirma*, scilicet: *Tu quoque olim vicissim fratres confirma*: pro illis ora, eosque constantes redde, quemadmodum ego pro te oravi, ut in fide sis constans. Vel absolute: Constans in fide esto, & fratres confirmare studeto. Hebraica locutio, similis huic Psal. 84. 7. *Deus, tu conversus vivificabis nos*. Et Psal. 6. 5. *Convertere, Domine, & eripe animam meam*. Et Psal. 70. 20. *Conversus vivificasti me ... & conversus, consolatus es me*. Denique Psal. 77. 41. *Et conversi sunt, & tentaverunt Deum*.

℣. 33. Tecum paratus sum, &c. Ex animi sententia loquitur Petrus, ac præsentem dumtaxat suæ voluntatis ardorem consulens, de viribus suis nimium fidit. Quæ ex Jesu audierat, confirmaret nimirum fratres, illum audaciorem effecerant; oblitus tamen fuerat antea dictorum: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*; quæ quidem magis cautum reddere debuerant. Quamobrem ut illum Christus ad mentem revocet, prædicit fore, ut eadem illa nocte, qua loquitur, ante gallicinium, ter neget, se illum nosse.

℣. 35. Quando misi vos sine sacculo, sine marsupio & pecunia, sine pera & vidulo, quo viaticum fertur; ut enim sæpe diximus, viaticum deferri consueverat, ubi quis iter aggrederetur. Addit, *sine calceamentis*; non quod nudis pedibus proficisci jusserit ad Evangelii prædicationem, cum itinera nudis pedibus confici solerent; sed quod abire jusserit imparatos itineri, nullo viatico, unica veste, unisque calceis. Vide nos in Matthæum x. 10. Hactenus Evangelium nunciantes profecti estis, quin viaticum, annonam, pecuniam, vestes, calceos pararetis; nihil tamen vobis defuit, quippe quibus & tempus & res favebant. Nemo non libentissime vos excepit, bonisque cumulavit, mei nominis, & prodigiorum doctrinam confirmantium gratia. Mutata nunc est temporum conditio (12): futuri estis omnibus odio, mei nominis causa. Obsequi se Deo putaturus est, qui vos afflixerit: omnia vobis deerunt: undique odia imminent & ærumnæ. Quamobrem deinceps aliter vobis agendum est.

℣. 36. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram. Utrumque sumite, si præsto est; alterutrum si habetis, alterum comparate: cavete ne itineri vos committatis, sacculo, aut pera carentes. Qui utrumque habet, domi ne relinquat. Cæterum ita distingui hic locus potest (13): *Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram*; optima quippe hæc ratio legendi est. Pecuniam & viaticum deferte: futurum enim moneo, ut utrumque desit.

Et qui non habet, vendat tunicam suam, &c. Qui pecunia & viatico caret, vestem ipsam vendat, & emat gladium (14), vi abstulurus ea, quibus sibi opus fuerit: nemo enim sponte est exhibiturus: emendum erit, aut auferendum. Aliter: Si cætera præsto sint, & desit gladius, omnino iter ne aggrediamini inermes: opus erit gladio adversus hostium injurias. Vestem potius vendite, quam gladio careatis. Hic propria est hujus loci sensus (15).

At ubi nunc lenitas, mansuetudo, bonitas, patientia, tantopere Discipulis a Christo commendatæ? An veterum præceptorum oblitus est? cumque Discipulos initio agnos effecerit, lupos nunc facere studet, ac militum latronumque more armis instruere? Allegorica est oratio (16), hoc dumtaxat volens, deinceps illos obnoxios fore fami, siti, inopiæ, persecutionibus, morti; iisque in rebus licere Apostolis uti iis artibus, quæ sapienter visæ fuerint opportunæ, ut eas ærumnas vitent, minime abrogans ea, quæ antea docuerat, de malis magna patientia & lenitate tolerandis, deque minime repugnando iis qui persecuti fuerint. Futuros labores prædicit (17) per tropum & allegorism, quo acrius id intelligant. Nullis unquam armis, præterquam spiritualibus, usi sunt Apostoli; clypeo fidei Eph. 6. 16. galea spei Thessal. 5. 6. gladio verbi Dei Hebr. 4. 12. Implexam Christi sententiam eo tempore non perceperant Apostoli, uti docet ℣. 38.

℣. 37. Dico enim vobis, &c. Necesse est, vaticinia omnia ad me spectantia adamussim expleri: atqui scriptum est, Messiam inter scelestos recensitum iri: hoc ipsum igitur de me implendum est. Quo autem modo? I. eo quod Jesus duos inter latrones medius cruci affixus est; II. quod raptus in jus, damnatusque, & morte mulctatus, ceu falsus Propheta, seductor, seditiosus; III. quod illum ejusque Discipulos Judæi ceu pestem odiumque hominum criminati sunt, omnibusque ferme gentibus invisos effecere. Hæc optime congruunt cum iis quæ monuerat Christus, futurum nempe, ut ipsius causa illi scelestorum loco haberentur. Illud de me, quod de seductoribus, vulgabitur, scilicet decipi a me multitudinem, eosque mecum conspirare.

℣. 38. Domine, ecce duo gladii hic. Apostoli, uti diximus, Jesu Christi mentem assequuti non sunt;

(7) Leo Magn. serm. 2. in natali Apostol. Petri & Pauli. (8) Ambros. in Psal. XXXIX. Vide & in Luc. lib. x. & Prudent. lib. Cathem. (9) Theophyl. hic. Vide Natal. Alex. hic; & in Matth. XXVI. (10) Ita Theophylact. Euthym. hic; Ambros. in Psal 43 alii plures. (11) Beda, Mald. Grot. Jans. (12) Vide Chrysost. in hæc verba Rom. XVI. 3. Theophyl. Euthym. Bedam hic; Mald. Jans. (13) Ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω, ὁμοίως καὶ πήραν. Græci Codices veteres quamplures legunt in futuro: *Tollet peram, emet gladium*, &c. quasi rei futuræ vaticinio. Varietas hæc ipso S. Basilii tempore legebatur. Πωλήσει ... ἀγοράσει, &c. Vide Mill. & Grot. (14) Lud. de Dieu, Grot. Vat. (15) Vide Jans. hic, Ambr. Bedam, Euthym. (16) Erasm. Est. (17) Euthym. Mald. Brug. Cast. Camerar. Pricæus. Ita Basil. regul. brev. qu. 251. Theophylact. hic.

sunt; atque ex mero verborum sono ea usurpavere, quæ ille de viatico, pecunia, gladio in itinere deferendis disputaverat. Fuit qui geminos enses præsto esse diceret, in usum paratos. At illud non quærebat Christus; attamen, quasi gravius aliud docendum supersit, concise respondet; *Satis est*; vel mentem suam luculentius alio tempore prompturus, vel tempora expectans, quibus per ipsas res & eventus docendi essent.

Satis est: non illud volo, ut arma comparetis (18): non hoc doceo. Sunt (19) qui per ironiam dicta hæc interpretentur: Scilicet his armis futuri estis adversus hostium injurias tuti: his illi in fugam agendi sunt. Alii explicant (20): De hoc actum est satis: hæc vos non assequi video; ad alia transeamus. Videtur nonnullis significari duplici gladio duplex Ecclesiæ potestas, civilis & divina: hæc tamen explicatio ad allegoriam pertinet, duplicemque hanc potestatem minime probat.

℣. 39. Egressus ibat, secundum consuetudinem, &c. Absoluta cœna, multa jam nocte, egressus Jesus ad montem Olivarum profectus est, quo in monte diebus elapsis noctam egerat Luc. xxi. 37. Vide quæ diximus in Matthæum xxvi. 30.

℣. 43. Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum. Unus hoc narrat Lucas, unicamque describit Jesu Christi orationem in horto; fortasse quod triplici oratione Christus unam eamdemque precem iteraverit Matt. 26. 44. *Eumdem sermonem dicens*. Videtur Angelus illi sese sub orationis finem exhibuisse, eumque Patris æterni nomine allocutus, ut mœrorem, quem sponte subierat, leniret. Divinitatis in ipso habitantis vim eo tempore averterat Christus, ut totam, quam late patebat, naturę humanę imbecillitatem experiretur. Solatium ex Angelo accipere voluit, qui per humanitatem sese Angelis inferiorem effecerat. Hebr. 2. 7.

Vetusti codices multi Græci & Latini, ætate S. Hilarii de Trinit. l. x. & S. Hieronymi l. 2. contra Pelag. minime ferebant ea, quæ leguntur ℣℣. 43. & 44. Ingens etiam Græcorum Codicum numerus ista non habet (21). Animadvertit S. Epiphanius in Anchorato §. 31. hanc esse Christianorum quorumdam correctionem, orthodoxorum quidem, sed minime prudentium, qui cum ea Jesu Christi imbecillitate offenderentur, hæc verba e libris suis delevere, quemadmodum & illa Capitis xix. ℣. 4. *Videns civitatem, flevit super eam*; quasi indignum Christo fuerit lacrymas fundere. Syri quidam (22), & Armeni heretici (23) versiculum 44. solummodo abstulerant, quod sanguineum sudorem hoc loco importunum esse arbitrarentur.

Factus in agonia (24), prolixius orabat. Græcus (25): *Vehementius orabat*, constantius. *Agonia* vulgo usurpatur de homine animam agente, atque in extremis vitæ angustiis pugnante. Græce *Agonia* est horror & formido hominis magno in discrimine constituti. Pugna animi est, discriminis magnitudinem intuentis, constanterque cum formidine certantis. Quicquid passurus erat Christus, contumeliæ, verbera, proditio, opprobria, crux, mors, omnia sese illi objecere. Hominum scelera & perfidiam vidit, Discipulorum imbecillitatem, sævitiam Judęorum. His vero illius animus alte sauciatus est. Quidam illum terror atque horror invasit: hos tamen animi motus coercuit stabili mentis constantia, qua Patris Justitiæ pœnas dare decreverat. Hæc Christi orantis pugna, hoc certamen. Putat Ligfootus, Christum exhibita Dæmonis præsentia fuisse territum.

℣. 44. Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis. Sunt (26) qui putent, sudorem hunc natura quidem fuisse communem, at copia uberiorem & extraordinarium. Sudoris rivuli, ut ita dicam, undique e corpore fluxere, quibus madefactus est locus, in quo Christus orabat. Censet Photius, Epistola cxxxviii. ad Theodorum, Lucæ verba vulgarem loquendi formam referre; quemadmodum vulgo dicimus, hominem in angustiis positum aqua & sanguine sudare. Hac locutione usus est Evangelista, ut extremum Christi angorem significaret. Quamobrem nonnisi uberrimum sudorem indicat.

Hæc tamen sententia cum ipsomet Textu pugnat, quo dicitur sudor fuisse ceu guttarum sanguinis. Sudor sanguinem & colore & crassitie referebat. Græcus (27): *Ut grumi sanguinis decurrentes in terram*. Sanguis sudore mistus grandibus guttis fluebat, & in terram cadens concrescebat: Græca enim vox *thrombos* proprie sonat concreti sanguinis guttas (28). Quibusdam interdum in morbis sudor sanguineus fluit, teste Bartholino (29). Narrat Diodorus Siculus lib. 17. quoddam esse anguium genus, ingentes cruciatus, & sudorem sanguini similem morsu ciens. Id nonnullis contingere docet Aristoteles lib. 3. hist. animal. ob minimi coloris vitium, malumque corporis temperamentum.

Quidam morte damnatus (30), ea nocte, quæ supplicio præcessit, sanguineo sudore manavit. Parisiensis fœmina (31) extincta est sudore sanguineo ita uberi, ut ea mortua ne gutta quidem sanguinis in venis superfuerit. Montismarini Præfectus (32), ab Augusto, notho Principis Salutiarum filio, captus, indicta morte ni arcem dederet, adeo excruciatus animo est, ut sanguine & aqua sudaverit. Alius quidam (33), magno robore vir, audita mortis sententia in se pronunciata, sanguineo sudore maduit. Hæc exempla satis docent, Christi sudorem, tametsi extraordinarium, tamen prodigio non esse tribuendum. Eo dumtaxat ostenditur, quam sævo cruciatu Christi animus vexatus fuerit. Diximus supra, Græcos quosdam & Latinos, Syros quoque & Armenos inani superstitione pessimoque exemplo hæc olim verba e libris suis abstulisse.

Flodoardus in chronico ad annum 920. narrat puellam quamdam, Ozennam nomine, e pago Vonzieusi (de Veise) venisse ad Urbem Remensem, templum S. Petri religionis gratia invisuram. Jam inde a biennio nihil sive panis sive potus guštasse...

(18) Vide Theophyl. Euthym. Mald. (19) Vide Theophyl. Priceum, Castal. alios. (20) Brug. Gerhard. Heins. (21) Vide Var. Lect. Mill. hic. (22) Phot. Epist. 138. (23) Nicon. apud Coteler. not. in lib. 2. cap. 4. Const. Apost. (24) Γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ. (25) Ἐκτενέστερον προσηύχετο. (26) Theophyl. Euthym. Grot. Pric. Ham. (27) Ἰδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες, &c. (28) Θρόμβος, αἷμα πεπηγός, apud Galen. Vide Grot. & Price. hic. (29) Thom. Bartholin. de cruce, Hypomnem. 4. de sudore sanguinis. (30) Vita di Sisto V. per Gregorio Leti; Thuan. lib. 82. hist. (31) Melanges d'Hist. t. 3. p. 179. (32) Thuan. hist. lib. 2. (33) Maldonat. ad Matt. xxvi.

gluire potis erat. Sudare illa sanguine cœpit ineunte anno 1723. ejusque vitii indicia præbuerunt guttæ sanguinis in fronte totoque vultu & manibus cernendæ, cujus rei tota urbs Nancii ad spectaculum accurrens testis fuit. Perpetuo veterno tenebatur, donec tandem deprehensa est angi verme qui solitarius appellatur, quo ejecto convaluit, cibumque, ut olim solebat, degustavit.

℣. 45. DORMIENTES PRÆ TRISTITIA. Quoddam est mœroris genus, animum opprimens, dejiciens, sopiens, cum præsertim alius labor, & diuturnæ vigiliæ accesserint. Aliud vero prorsus prohibens somno, & sanguinem vehementer agens. Ex vario corporis temperamento, mœroris gravitate, causarum vi, cæterisque animi motibus una conspirantibus homines varie afficiuntur.

℣. 46. UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM; vel, ne vincamini. Nunquam non metuenda est tentatio; orandumque, ne Deus discrimini nos objici patiatur. Cum enim nobis nihil nisi imbecillitas sit, discrimen evadere non possumus, nisi opem ferat Deus; porro auxilia nemini debentur, quamquam omnibus rite postulantibus omnino largitur Deus. Sapientis autem est, discrimen fugere.

℣. 49. SI PERCUTIMUS IN GLADIO? Bellicum & ferox erat Galilæorum ingenium (34): Apostoli autem genus e Galilæa ducebant. Aliquot ante horis illos monuerat Jesus Luc. 22. 36. qui gladium non haberet, divendita veste gladium emeret. Petrus, cujus natura vehemens atque acris ubique conspicitur, Jesum rogat, liceat ne armis injuriam propulsare; statimque, Christi responso minime expectato, Malchi cujusdam aurem ferit. Ex Joanne 18. 10. discimus, & vulnus illatum esse a Petro, & servo nomen Malcho fuisse.

℣. 50. AMPUTAVIT AURICULAM EJUS DEXTERAM. Ait Græcus (35) auriculam penitus abscissam. Illam restituit Jesus, suoque loco conjunxit. At non desunt qui putent, illam ex altera parte capiti hæsisse, pelle non prorsus abscissa. Peccati reum agit S. Augustinus in Faust. l. 22. cap. 70. adversus justitiæ leges, quæ armis uti vetat, præterquam Principis authoritate.

℣. 51. SINITE USQUE HUC. Sua illum authoritate continet. Græcus (36): *Sinite hactenus*. Desine, Petre, desiste (37). Vobis autem, qui me comprehensum accessistis, impero, ne vereamini; nemo repugnabit. Hoc solum postulo, ut, quando me unum quæritis, hos liberos abire patiamini. Joan. 18. 8.

℣. 52. MAGISTRATUS TEMPLI. Vide supra ℣. 4. & Act. IV. 1.

℣. 53. HÆC EST HORA VESTRA, ET POTESTAS TENEBRARUM. Hoc jam tempus est, a Deo Passioni meæ destinatum; sævitiæ vestræ tradendus sum; vosque furorem omnem in me denique explebitis. Diabolus, *tenebrarum Princeps* (38), id a Deo impetravit, ut sibi liceat, in me ad necem usque sævire. Hactenus vires vestras ac Diaboli malitiam voluntas Patris mei coercuit: vestrum tempus jam adest; suprema denique manus imponenda est sacrificio meo, implendaque sunt penitus vaticinia. *Tenebræ* pro diabolo usurpantur apud allegoriarum amatores. Si Hebræis credas (39), *tenebræ*, quibus rerum initio abyssus operiebatur Gen. 1. 2. diabolum significabant.

℣. 54. AD DOMUM PRINCIPIS SACERDOTUM, Caipham, qui in iisdem ædibus cum Anna socero suo, olim Pontifice, habitabat.

PETRUS SEQUEBATUR A LONGE. Censent nonnulli ex Patribus (40), Petrum cum cæteris Apostolis non fugisse, cum Magistrum comprehensum cernerent. Certe, si cum cæteris initio fugit, statim rediit, ipsumque sequutus est, usque in atrium ædium Caiphæ.

℣. 55. ACCENSO IGNE IN MEDIO ATRII. Veræ noctes frigidæ erant in Judæa; & Rabbinis testibus, interdum per festos Paschatis dies humus nive operiebatur. Ea in regione non nunquam non humida est, ob roris copiam. De Petri peccato vide Matthæum 26. 69.

℣. 61. CONVERSUS DOMINUS RESPEXIT PETRUM. Sunt (41) quibus creditur Jesus Petrum oculis animi dumtaxat respexisse, permotaque illius mente, vehementem criminis sui horrorem illi inspirasse. At collatis Evangelistarum narrationibus (42) colligitur, Jesum ex aula, in qua habita est quæstio, atque ipse reus pronunciatus, descendisse, ductumque in atrium, milites inter & servos, quibus sese adjunxerat Petrus. Quamobrem Petrum intueri potuit Jesus; unoque illius aspectu sauciata est Petri mens, & in fletus effusa.

℣. 63. ET VIRI QUI TENEBANT EUM, ILLUDEBANT EI. Matthæus & Marcus (43) has Jesu Christi contumelias narrant statim soluto Sacerdotum cœtu, ante Petri lapsum. Quamobrem inverso ordine hic illas describit Lucas, innuitque, sacrilegas hasce irrisiones ad alteram usque diem fuisse productas.

℣. 66. UT FACTUS EST DIES. Ex cæterorum Evangelistarum fide (44), Sacerdotes, & populi Judices multo mane convenere, ut ea juris forma quæstionem de Jesu instituerent: nocturnus enim cœtus legitimus haberi non poterat. Quamplures arbitrantur, ductum fuisse Jesum in aulam Synedrii, in uno ex Templi atriis constitutam.

℣. 67. SI VOBIS DIXERO, NON CREDETIS. ℣. 68. SI AUTEM ET INTERROGAVERO, &c. Frustra igitur loquar. Mihi plane compertum est, illud omnino certum vobis esse, ut necem meam quavis arte persequamini. Quamobrem hæ juris formæ, quas studiose servatis, mera sunt simulatio: Si verum dixero, aspernaturi estis, quippe animo male occupati; siquid autem interrogavero, ut me innoxium atque absolvendum esse evincam, neque respondebitis, neque me dimittetis. Agite igitur, ut lubet.

At reddi aliter potest Græcus (45): *Si vobis dixero*, me Christum esse, *non credetis. Si autem vos obsecravero, non respondebitis, nec dimittetis*. Græcum verbum, quod proprie sonat *interrogare*, Lucas & Joannes (46) non raro usurpant pro *obsecrare*. Ita (47): *Interrogaverunt* Jesum, ut Petri socrum sanaret; pro, *obsecraverunt*. Alibi (48): *Interrogavit eum a terra reducere pusillum*. Et Luc. 7. 3. *Interrogans eum ut veniret, & sanaret servum ejus*. Et (49): *Interrogabat illum quidam de Pharisæis*, orabat, *ut manducaret cum illo*. Et Luc. 8. 37. *Interrogaverunt illum omnis multitudo Gerasenorum*, obsecraverunt, *ut discederet ab ipsis*. Alibi denique (50): *Interrogo te*, quæso, *habe me excusatum*. Postremo dici omnino potest, verbum ἐρωτᾷν nunquam a Luca usurpari, nisi ut obsecrationem significet. Favent huic explicationi ea quæ sequuntur, *Neque dimittetis*; docentque, hoc vel-

le

(34) Joseph. l. 3. de Bello cap. 3. (35) Matth. Marc. & Luc. Ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον. Joan. XVIII. 10. Ἀπέκοψεν αὐτοῦ τὸ ὠτάριον. (36) Ἐᾶτε ἕως τούτου. (37) Ita Grot. Priceus, Camer. alii plerique. (38) Ephes. VI. 12. *Adversus mundi rectores tenebrarum harum*. (39) Aruch, apud Ligf. Hor. Hebr. (40) Chrysost. in Matth. homil. 85. (41) August. de gratia Christi lib. 1. c. 45. & de consensu lib. 3. c. 6. alii plures, Brug. Tir. (42) Vide Matth. XXVI. 67. 68. Marc. XIV. 65. 66. & Luc. XXII. 66. (43) Matth. XXVI. 67. Marc. XIV. 65. (44) Matth. XXVII. Πρωΐας δὲ γενομένης, Marc. XV. 1. Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωΐ. (45) Ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε. Ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, οὐ μὴ ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε. Vide Heins. (46) Vide ad Joan. XV. 31. (47) Luc. IV. 38. Ἠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς. (48) Luc. V. 3. Ἠρώτησεν αὐτὸν, &c. (49) Luc. XII. 36. & XI. 37. (50) Luc. XIV. 18. 19. Vide & XXVI. 32. XXII. 37.

le Christum Principibus Judæorum innuere, frustra se responsurum, cum illi aures neque argumentis neque precibus sint præbituri.

℣. 69. Ex hoc erit Filius Hominis, &c. Vices meæ venient, ac severissimum ego in vos judicium exercebo. Justissimas Patris mei nomine pœnas a vobis exigam. Innuit potissimum Christus judicium, quo ipse deinde Jerosolymam armis Romanorum punit. Vide Matthæum xxvi. 64. Marcum xiv. 62. Matthæum xvi. 27. xxiv. 31. xxv. 31.

℣. 71. Audivimus ex ore ejus. Impiam ex eo sententiam ipsi audivimus: se ipse damnavit. Dei Filium se prædicat: plura non quærimus.

CAPUT XXIII.

Jesus apud Pilatum; tum apud Herodem. Iterum ad Pilatum. Barabbas Jesu Christo anteponitur. Pilatus Jesum in potestatem Judæorum tradit. Ducitur ad Calvariam Jesus, mediusque inter latrones geminos crucifigitur. In cruce pendens contumeliis afficitur. Alteri e latronibus, penitentiam agenti, Jesus paradisum pollicetur. Solis defectus. Moritur Jesus. Ab Josepho Arimathæo sepelitur.

℣. 1. ET surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. 2. Cœ-
perunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem
gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem, se Christum re-
gem esse. 3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es Rex Judæorum? At
ille respondens ait: Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & tur-
bas: Nihil invenio causæ in hoc homine. 5. At illi invalescebant, dicentes: Com-
movet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. 6.
Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, si homo Galilæus esset. 7. Et ut co-
gnovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Je-
rosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde, erat enim
cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat
signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus.
At ipse nihil respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum, & Scribæ con-
stanter accusantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & il-
lusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes,
& Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem. 13. Pilatus autem con-
vocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, 14. Dixit ad illos: Ob-
tulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis
interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.
15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum
est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere
eis per diem festum, unum. 18. Exclamavit autem simul universa turba dicens:
Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. 19. Qui erat propter seditionem quamdam
factam in civitate, & homicidium, missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus
locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. 21. At illi succlamabant, dicentes: Cru-
cifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste?
nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. 23. At
illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eo-
rum. 24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis
eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem pete-
bant: Jesum vero tradidit voluntati eorum. 26. Et cum ducerent eum, apprehen-
derunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi cru-
cem portare post Jesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mu-
lierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. 28. Conversus autem ad illas Je-
sus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super
filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, &
ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. 30. Tunc incipient
dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. 31. Quia si in viridi
ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem & alii duo nequam
cum eo, ut interficerentur. 33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Cal-
variæ, ibi crucifixerunt eum; & latrones, unum a dextris, & alterum a sinistris.

34. Je-

34. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. Divi-
dentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes. 35. Et stabat populus spectans, &
deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si
hic est Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei & milites accedentes, & ace-
tum offerentes ei, 37. Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac. 38. Erat
autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis:
Hic est rex Judæorum. 39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus blasphe-
mabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. 40. Respon-
dens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem
damnatione es? 41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero ni-
hil mali gessit. 42. Et dicebat ad Jesum: Domine: memento mei, cum veneris in
regnum tuum. 43. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in para-
diso. 44. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram
usque in horam nonam. 45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est me-
dium. 46. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spi-
ritum meum. Et hæc dicens, expiravit. 47. Videns autem Centurio, quod factum
fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. 48. Et omnis turba
eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percu-
tientes pectora sua revertebantur. 49. Stabant autem omnes noti ejus a longe, &
mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes. 50. Et ecce vir nomine
Joseph, qui erat decurio, vir bonus, & justus: 51. Hic non consenserat consilio,
& actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.
52. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu: 53. Et depositum involvit sin-
done, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fue-
rat. 54. Et dies erat parasceves, & sabbathum illucescebat. 55. Subsecutæ autem
mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmo-
dum positum erat corpus ejus. 56. Et revertentes paraverunt aromata, & unguen-
ta: & sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum.

℣. 1. DUXERUNT ILLUM AD PILATUM. Cum Judæi nulla in vitam necemque authoritate gauderent (1), frustra damnassent Jesum, nisi sententia Pilati accederet. Jesum itaque ad Præsidem duxere, ut ipsi damnationem ex illo quamcitissime extorquerent. Qui judicem egerant, mutata persona innocentem accusant. Omnes Synedrii Patres convenere, *Omnis multitudo eorum*, ne Pilatus denegaret id, quod ipsi & justitiæ & beneficii nomine postulabant.

℣. 2. HUNC INVENIMUS, &c. Non accusant Judæi, quod impia in Deum verba protulerit, Templum evertere se velle dixerit, Legem Moysis violaverit; ista quippe apud Pilatum minime querebantur. Tria Jesu Christo objiciunt: I. seductorem esse: II. vetare illum solvi tributum Cæsari: III. sese Messiam prædicare, Judæorum Regem (2). Nullo negotio intellexit Præses, hæc nullius momenti esse, meramque invidiam præseferre. Regio universa Jesum esse noverat mirissimum hominem ac modestissimum. Non tam docuerat suam de Principum obsequio sententiam, Homo inops e plebe, nullis humanis opibus fretus, is esse non poterat quem timerent Romani, quasi Regnum quæreret. Non illico quis unoque tempore seditiosus, perduellis, ambitiosus efficitur, ut vel Regnum ambiat. Tale quid nunquam crimini datum est Jesu: quin & omnia in contrariam partem trahere videbantur. Quamobrem Pilatus facile percepit, sese circumveniri, Proceresque Judæorum ipsius authoritate uti velle, ut odium suum explerent.

℣. 3. TU ES REX JUDÆORUM? TU DICIS. Addenda sunt ex Joanne 18. 35. *Regnum meum non est de hoc mundo, Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc ... Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Ex his collegit Pilatus id quod respondit Judæis, ℣. 4. *Nihil invenio causæ in hoc homine.* Passionem brevius narrat Lucas.

℣. 5. COMMOVET POPULUM ... A GALILÆA USQUE HUC. Cum objecto Regni crimine Pilatum minime moveri, illudque falsum illi apparuisse intelligerent, ad alterum probabilius convertuntur. Compertum erat, Jesum ingenti multitudine stipatum ubique incedere consuevisse, omnesque ad illum undique confluere, ut loquentem audirent viderentque, & a morbis incolumitatem referrent. Id porro Judæi seditionem nuncupant, ac tumultum popularem; quamquam neminem latebat, nullas in ejus comitatu turbas contigisse, ipsumque sapientissime cavisse quicquid suspectum in ea re Judæis esse poterat. Jesus e Galilæa profectus, ubi is domicilium habuit, pagos urbesque peragrabat docens, usque dum Jerosolymam perveniret: idque constantissime servavit in itineribus a Galilæa Jerosolymam habitis, toto prædicationis tempore. Quotannis etiam ter saltem Jerosolymam proficiscebatur, per tres præcipuas anni solemnitates.

℣. 6. SI HOMO GALILÆUS ESSET. Pilati authoritas in Galilæam non porrigebatur, solamque Judæam complectebatur. Herodes Antipas Galilææ Rex vel Tetrarcha erat: quamobrem Jesus ad illius ditionem pertinebat. Omnino igitur necesse erat, ut Jesum Pilatus ad Regem suum mitteret, ex Romanarum Legum instituto (3), cum præsertim seditionis & quæsiti Regni accusaretur. Facile

[1] Chrysost. in Joan. homil. 83. Theophyl. in Joan. 18. Erasm. Casaub. Bez. alii. [2] Marcion adebat: Καὶ καταλύοντα τὸν νόμον, καὶ τοὺς Προφήτας, *Destruentem Legem & Prophetas.* Epiphan. hæres. 42.
[3] Vide Grot. Brug. Theophylact. hic.

cile Pilatus hanc opportunitatem arripuit, ut sese ab Iudæorum expostulationibus expediret, in re præsertim iniquissima (4), & Herodis gratiam iniret, delato illi obsequio, quod sibi nullius dispendii esset. Iesum itaque ad Herodem mittit, ut ille, eo in Galilæam remisso, quæstionem de ipso in sua ditione haberet. Minime dubium est, quin Herodes Ierosolymam venerit per festos Paschatis dies, quippe Iudæus, vel saltem Proselytus.

℣. 8. CUPIENS EX MULTO TEMPORE VIDERE EUM. Diu antea Herodes Iesu nomen audierat, quippe cujus prodigiorum fama Galilæam universam impleverat. Putaverat etiam Herodes, Iesum ipsum esse Ioannem e mortuis redivivum (5); optabatque suis ipse oculis perspicere, verum esset nec ne id quod ipse suspicatus fuerat, eumque alloqui cupiebat. Sperabat futurum, ut Iesus ipso præsente prodigium aliquod ederet: *Sperabat signum aliquod videre ab eo fieri*. At Iesus prodigia non edebat ambitionis aut lucri causa, quemadmodum benefica impostores; neque ut obsequeretur vanissimæ curiositati hominis, oblectationem dumtaxat quærentis, inutilemve admirationem. Vera prodigia usurpanda non sunt, nisi necessitas aut summa cæterorum utilitas & Dei gloria postulaverint.

℣. 11. SPREVIT ILLUM HERODES CUM EXERCITU SUO, cum aulicis, vel ex Græco (6), *cum militibus suis*, custodibus, Ministris, illique illusit ceu insano, ne verbum quidem coram se facere auso: Herodi enim multa interroganti, *nihil respondebat* Iesus, teste Evangelista, ℣. 9. Hebraicum vocabulum, quod proprie sonat *bellum gerere* (7), unde orta est *exercitus* appellatio, usurpatur etiam pro, comitari Principem, sequi, quemadmodum armati custodes Principem prosequuntur. Ita dicuntur piæ mulieres *militiam egisse*, sive excubias ad ostium Tabernaculi (8). Loco custodum erant ad fores Palatii Regis Israelis: genus quoddam militiæ exercebant in Altissimi obsequium (9).

INDUTUM VESTE ALBA, derisionis causa; fortasse ut inanem quæsiti Regni ambitionem irrideret (10): albus enim color Regius erat apud Persas, Ægyptios, aliosque; vel, quasi candidatus esset, ac Regnum peteret; quemadmodum ii, qui Romæ Magistratus ambibant, albis vestibus candidati conspiciebantur (11). Græcus ad verbum (12): *Veste fulgenti*; quæ vox nitorem vestis potius quam colorem significat (13). Syrus: *Veste coccinea*, sive purpurea; quæ versio eruditissimis quibusdam placuit (14). Alii albam vestem malunt (15), uti habet Vulgata. Herodes Iesum iterum ad Pilatum mittit, veluti nullius pretii hominem, cujus ambitio metuenda non esset.

℣. 12. ANTEA INIMICI ERANT AD INVICEM. Herodis & Pilati inimicitiæ hinc ortæ videntur, quod Pilatus Galilæos aliquot trucidaverit, sacra facientes Jerosolymis, eorumque cruorem, ut ait Lucas XIII. 1. illorum victimis miscuerit. Id mihi ægre persuadetur. Galilæi, de quibus Lucas, discipuli fuisse videntur Judæ Gaulonitæ; ejusque partes tueri, e re Herodis non erat. Idcirco autem ii qui sequebantur Judam, appellati sunt Herodiani, quod genus e Galilæa, Herodis Regno, ducerent, non quod Herodi aut illius imperio faverent.

℣. 14. CORAM VOBIS. Quæstionem habuit Pilatus primum coram Magistratibus, qui Iesum duxerant. Cum vero incertæ essent illorum criminationes, nullaque adversus illum testimonia & argumenta ex rebus gestis producerentur, nullam illorum rationem habuit. In Prætorio deinde instituta quæstione seorsum interrogavit Joan. 18. 33. eo quippe ingredi noluere Judæi, ne labem referrent, Paschalemque victimam ea die comedere prohiberentur Joan. 18. 28. Tum reducto ad illos Jesu, gestam rem edisseruit, nullamque damnationis causam in eo se reperire pronunciavit. Urgentibus iterum Judæis, Pilatus iterum Jesum interrogavit, silente Jesu. Hujus silentium satis causæ non erat, cur damnaretur, cum præsertim ab accusatoribus distinctum & expressum nihil proferretur. Quamobrem ait Pilatus, sese illum coram ipsis interrogavisse.

℣. 15. NIHIL DIGNUM MORTE. Reum ac morte dignum non habuit Herodes, sed ut insanum. Reum nactus, certe aut affecisset ipse, aut supplicio afficiendum mihi tradidisset. Alii Græcum transferunt (16): *Ecce nihil dignum morte actum est ab eo*. Prima explicatio melior.

℣. 16. EMENDATUM ERGO ILLUM, virgis castigatum (17). Vulgare apud Judæos supplicium, quo animadvertebatur in peccata capitalibus leviora. Illius autem inferendi ratio alia erat Judæis, alia Romanis. His nullus plagarum modus: Hebræis ictus novem & triginta dumtaxat usurpabantur (18). Jesum morte damnare non audet Pilatus, quippe nullius criminis conscium; at invidiam populi ac magistratuum, illius necem flagitantium, vitaturus, medium supplicium eligit, flagra scilicet. At, uti fit, neutris satisfactum est. Neque Iesum, neque juris æquitatem servavit. Pro uno, duplex supplicium innocens subire cogitur; flagrisque & cruce damnatur.

℣. 17. NECESSE HABEBAT de more vinctum unum solvere. Vide nos in Matthæum XXVII, 15.

℣. 19. IN CIVITATE, Ierosolymæ, quæ κατ' ἐξοχὴν *civitas* appellabatur (19).

℣. 24. ADJUDICAVIT, &c. Mortis sententiam in Jesum dixit. Addenda sunt multa huic Lucæ descriptioni. Vide Concordiam Evangelistarum, ante Matthæum.

℣. 26. SIMONEM QUEMDAM. Vide Matthæum, XXVII, 32. Vulgo traditur, eunte ad Calvariam Christo, pia quædam fœmina, Veronica nomine, fortassis Berenice, linteum illi exhibuisse, quo faciem tergeret, detersoque Christi ore, illius effigies in linteo remansisse; atque hæc imago ea esse dicitur, quæ Romæ servatur, vulgo *Sanctus Vultus*, seu *Veronica* appellata (20). Iam ab anno MXL. noscebatur Romæ sacrum Sudarium, seu Veronica. Hæc porro fœmina inter Sanctas relata est, ejusque memoria pridie Nonas Februarii, aliisque diebus colitur. Descripta esse dicuntur sanctæ hujus fœminæ Acta, olim in lucem proditura; eamque Romæ obiisse asserunt. At eruditissimi quidam magnopere dubitant, ulla ne fuerit ejus nominis fœmina. Censent autem, *Veronica* effictum esse ex *vera Icon*, scilicet, *vera imago*, ob vetus aliquod Sudarium, quo vera Christi facies exhiberi credita est. Hinc vulgus Veronicam fecit, seu Berenicem. Vulgares hasce opiniones sapientissime dissimulat Ecclesia; minime tamen silentio probat.

℣. 27. MULTA TURBA MULIERUM, &c. Fortasse

(4) Bynæ. Gerhard. Mill. (5) Luc. IX. 7. 8. 9. Marc. VI. 14. (6) Σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ. (7) צבא Tzaba. Στρατεύω, Exercitus. (8) Exod. XXXVIII. 8. & 1. Reg. II. 22. (9) Vide Syr. Grot. Ham. alios. (10) Casaub. in Baron. Exerc. 16. (11) Beza hic; Bynæ. lib. 3. c. 2. art. 12. de morte Christi. (12) Ἐσθῆτα λαμπράν. (13) Grot. Brug. Bez. alii plures. (14) Baron. ad an. 34. n. 39. Montacut. orig. Eccl. to. 1. parte 2. p. 587. Stak. antiq. conviv. lib. 2. c. 26. (15) Priceus hic; Casaub. contra Baron. exercit. 16. Heins. exercit. hic; Lud. de Dieu; alii. (16) Ἰδοὺ οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ. Quasi ὑπ' αὐτοῦ. Ita Erasm. Illyr. Bez. (17) Vat. Grot. Ham. (18) Deut. XXV. 3. 2. Cor. XI. 24. Vide Dissertationem de suppliciis ad Deuteronomium. (19) Matth. XXI. 10. XXVI. 18. XXVIII. 11. Luc. XIX. 41. & alibi passim. (20) Vide Bolland. IV. Februarii pag. 449. 450. Tillemont, note 33. sur. J. C.

se ex vulgari consuetudine mulieres sequebantur eos, qui ad supplicium ducerentur, eorumque calamitatem lacrymis prosequebantur: illas enim damnasse maritorum sævitiam, qui Christi mortem postulaverant, minime credimus. Hos fletus expressit natura, non pœnitentia & rerum male gestarum execratio (21).

℣. 28. NOLITE FLERE SUPER ME. Si sciretis, quam multa & gravia immineant vobis, urbi, viris, liberis mala, flere nunc cessaretis, vestra ipsarum infortunia ploraturę. Mors mea, quę in humani generis universi salutem est, huic dumtaxat genti fatalis erit; & minime quidem ex se, sed ex vestro ipsorum vitio, qui id volueritis. Futurum innuit Jerosolymę excidium per Romanos.

℣. 29. BEATÆ STERILES, & quę liberis carent! Saltem filiorum filiarumque calamitatibus & cęde non cruciabuntur. Semel illę moriuntur: at mater quoties filios coram exspirantes videt, toties, ut ita dicam, moritur. Per Jerosolymitanę obsidionis angustias, mater quędam (22) pasta est carnibus filii, quem alebat.

℣. 30. INCIPIENT DICERE MONTIBUS: CADITE SUPER NOS. Prophetica locutio (23), qua significatur rabies populi malis minime vitandis oppressi. Ruite, montes, super nos, atque nos sepulcris condite, potiusquam in hostium potestatem redigamur. Judæa montibus frequentissima erat; ac montium cacumina vel antra in bellicis tumultibus perfugia trepidorum erant. Ubi vero intra hæc ipsa latibula hostis fugientes scrutaretur, optandum erat, ut ruerent montes, ac sepelirent populum, cui nihil minus imminebat, quam captivitas ac servitus. Isaias (24) futurum dicit, ut impii, fremente adversus illos Dei furore, in rupium specus ac terræ sinum fugiant. Teste Josepho de Bello l. 7. c. 17. Judæi quamplures, capta Jerosolyma, intra cloacas & sepulcra latuere, mortem ibi potius eligentes, quam Romanorum servitutem.

℣. 31. SI IN VIRIDI LIGNO HÆC FACIUNT, IN ARIDO QUID FIET? Si ego justus & innoxius sævis adeo suppliciis afficior, quibus afficiendi sunt impii & rei? Si Deus Pater ita sævit in Filium, qui sese humanorum criminum vadem ac fidejussorem exhibuit, quam dure puniturus est homines ipsos, qui misericordiæ ac bonitatis illius thesauros nihil facere, ipsumque quodammodo in ultimam severitatem impulerunt? Horum Christi verborum vim & latitudinem tunc homines assecuti non sunt: at satis intellexere, ipsum nomine ligni viridis, & Jerosolymitanos cives ligno arido significati. Adhuc proverbii loco usurpatur apud Hebræos: *Si duo fuerint ligna arida, & unum viride, arida illud lignum viride exurunt*. Boni a malis opprimuntur. Minitatur Deus per Ezechielem xx. 47. & xx. 3. *abscissurum se viride & aridum*, bonum & malum. Id publicis in calamitatibus usuvenit, cum boni malorum suppliciis obvolvuntur. Aliter contigit in Jerosolymitana obsidione; Christianos quippe Dominus in tuta loca secedere jussit, antequam urbs obsideretur.

℣. 33. IN LOCUM CALVARIÆ (25). Calvaria mons erat, inter Favonium & Septemtrionem Jerosolymæ jacens, Hebraice vel Syriace *Golgotha*, calvaria, vel a calvariis hominum ultimo supplicio ibi affectorum putrescentibus, vel a montis sterilitate, quæ ipsum ceu nudam calvariam, carne & capillis exutam, efficiebat. Id præterimus, quod vulgo dicitur, primum hominem eo loco sepultum fuisse. De hac re Matth. 27. 33.

ET LATRONES, UNUM A DEXTRIS, ET ALTERUM A SINISTRIS. Ajunt Rabbini, morem genti suæ non fuisse, ut vivos homines crucifigerent, neque reorum pedes manusque clavis perfoderent. Hoc fortasse dabimus, olim ante captivitatem esse servatum; at post ea tempora compertum est, consuetam cæteris gentibus crucifigendi rationem apud illos obtinuisse (26). Crux supplicium erat latronum, servorum, hominumque e plebe vilissimorum. Bonum latronem ad Christi dexteram, malum ad sinistram ponit S. Hilarius in Matth. c. 33. Putat S. Augustinus de anima l. 2. c. 9. bonum latronem proximum Christo fuisse, cum doceat, sanguinem & Aquam ex aperto illius latere prosilientes ad ipsum pervenire, & baptismi loco ipsi esse potuisse. Docent Rabbini (27), duos simul homines supplicio affici non consuevisse, nisi ejusdem criminis reos. Quamobrem habitus est Christus seditionis author, latronum princeps, quietis publicæ turbator.

℣. 34. DIMITTE ILLIS: NON ENIM SCIUNT QUID FACIUNT. Ne illos permittas animi sui nequitiæ & obstinationi: ne perdas hanc gentem; des tuæ conversionis ac pœnitentiæ locum tribue. Gravissimum est populi hujus scelus, & excusatione indignissimum. Nisi ea inter ipsos prodigia, quæ nemo alius, edidissem, locus esset excusationi: at post tam multa illis exhibita, an ignorare me potuerunt? At alia ex parte verum est, ignorare ipsos quid faciant; si enim me gloriæ Dominum esse (28), verum Messiam, Dei Filium nossent, impias ne manus in me inferre auderent? Multo gravissimum erat Scribarum, Pharisæorum, ac Doctorum, qui Jesum Christum ad necem poposcere, quam multitudinis crimen (29). Vulgi partem aliquam potuit ignorantia; at illi hoc saltem noverant, Jesum esse justum, ac expertem eorum criminum, quæ ipsi objiciebant. Compertissima illis erant illius prodigia; & si rem sincere perpenderent, an ignorare poterant, sese præsertim odio, invidia, furore agi in illius exitium? Rem a Judæis gestam ex ea tantum parte spectat Christus, quæ minus odiosa est; uti fit, cum Judicis clementia in reo commodum exoratur.

DIVIDENTES VESTIMENTA EJUS, &c. Acto in crucem Jesu, milites, qui illum crucifixerant, illius vestes, sibi ex Lege debitas, inter se distribuerunt. Hæc fusius apud Joannem xix. 12.

℣. 35. SI EST CHRISTUS, DEI ELECTUS. Electi appellatio propria Messiæ est Isai. 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet*. Hac appellatione abutebantur Ebionitæ (30), ut Jesum merum esse hominem dicerent, cæterorum more generatum editumque; at a Deo electum, ut Messias esset, ejusque spiritu impleretur.

℣. 36. ACETUM OFFERENTES EI, ludibrii causa, uti Lucas innuit: *Illudebant ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei*. Consueta hæc erat Romanorum militum potio (31). Cum ad vesperam usque iis eodem loco manendum esset, in crucifixorum custodiam, nequis illos deponeret, militesque intelligerent, prandii horam eo loco sibi esse exigendam, cibos potumque in montem attulere. In crucem actus est Jesus circa meridiem. Probabile est, milites, cum prandérent, acetum Christo porrexisse ludibrio, veluti ad refectionem invitarent. Alia prorsus hæc potio est a vi-

(21) Vide Leon. Magn. serm. 59. (22) Joseph. de bello lib. 7. c. 8. in Lat. pag. 954. (23) Osee x. 8. Apoc. vi. 16. (24) Isai. 2. 10. *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ a facie formidinis Domini*. (25) *Λεγόμενον κρανίον, Vocatum Calvariam*. Nonnulli, Κρανίου, *Calvariæ*. Vide Mill. (26) Vide nostram Dissertationem de suppliciis, ad Deuteronomium. (27) Sanhedrin c. 14. Vide Schikard. in Reg. c. 4. (28) 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. (29) Act. iii. 17. *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*. (30) Epiphan. hæres. 30. Vide Grot. hic. (31) Vide Æli. Spartian. in Pescennino, & Capitolin. in Gordiano, & Trebell. Poll. in Claudio. Vide Ligfoot. hic.

a vino myrrha condito, quod oblatum Christo est, antequam in cruce suspenderetur (32), & ab aceto illi propinato, cum clamasset: *Sitio* (33).

℣. 38. HIC EST REX JUDÆORUM. Supplicio affectus est, quod sese Regem Judæorum esse prædicaverit. Teste Joanne XIX. 19: inscriptum est: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum*.

℣. 39. UNUS DE LATRONIBUS. Matthæus & Marcus (34) scribunt, latrones Jesu Christo illusisse; putantque Patrum nonnulli (35), primo quidem utrumque latronem convicia dixisse Christo: at bonum latronem Christi gratia intus percussum, exterius vero ipsius patientia, & prodigiis in illius Passione gestis permotum (36) resipuisse, socium que convicientem reprehendisse. Sanctus tamen Leo Serm. 55. conversum ait, antequam prodigia spectarentur. At altera opinio probabilior, cum majora prodigia Christo exspirante contigerint, ipseque Christus animam egerit antequam latro moreretur. Unius etiam eclypseos, circa meridiem inceptæ, meminit Origenes, cum prodigia memorat, quibus latro bonus permoveri potuit.

Aliis Patribus (37) videntur Matthæus & Marcus, cum latrones plurali numero convicia jecisse in Jesum narrant, usi orationis figura, qua ita de uno agitur, quasi de multis. Pseudo Evangelium Infantiæ, vetustissimus liber, tradit; fugientem in Ægyptum Christo, Josephum & Mariam in latronum multitudinem incurrisse, alto somno sterentium, præter duos; quorum alter cum Mariam, Josephum, ac puerum Jesum necare vellet, alter cohibuit, pretio etiam oblato, ne illos læderet. Quamobrem prædixit Jesus, utrumque latronem una secum aliquando in crucem agendum fore; atque alterum præcessurum in Paradisum, alterum in inferos abiturum. Primo nomen *Tito* erat, alteri *Dumacho*. Pseudo-Evangelium Nicodemi illos nuncupat *Dimam* & *Gestam*. In falsa Narratione Persica Vitæ Jesu Christi appellantur *Vicimus* & *Justinus*; in Floribus, sive Collectaneis Bedæ vulgo adscriptis, *Matha* & *Joca*. Hæc nullius esse ponderis, nemo non videt.

℣. 41. NIHIL MALI GESSIT. Græcus (38): *Nihil absurdi gessit*, nihil mali, aut castigandi. Nedum nullius est criminis reus, verum etiam nihil egit, quod deceret.

℣. 42. MEMENTO MEI, DUM VENERIS IN REGNUM TUUM. Bonus latro Jesum alloquitur, uti verum Messiam, Israelis Regem. Minime dubitat, quin is, morte functus, in vitam redeat, suumque in Regnum restituatur. Primas in illius Regno sedes non postulat: illud solum rogat, ut sui meminerit Jesus. Patres multi (39) bonum latronem martyris elogio prosequuntur, ob testimonium veritati exhibitum eo ipso tempore, quo penitus derelicta esse videbatur. Suo ipsius cruore baptizatus est; in tremoue magna cum fide & charitate perferens, effectus est dignus, qui statim post mortem Beatitudine frueretur, quemadmodum statim promittit Jesus.

℣. 43. HODIE MECUM ERIS IN PARADISO. *Paradisus*, ut illius etymon fert, proprie est viridarium muris clausum. Pollux dicit; vocem esse Persicam. Legitur in Ecclesiaste (40) Salomonis Libro, & in secundo Esdræ, vel Nehemia c. 2. 8. Apud Sacros Authores passim usurpatur pro Beatorum sede. Judæi Paradisum ita ferme sibi confinxerant; uti *hortum Eden*, primum Adami & Evæ domicilium, statim post creationem; atque uti Arva Elysia, de quibus Profani (41). Nostris adhuc temporibus Judæi mortuorum manibus imprecantur, colligi in hortum Eden. Censebant iidem (42), animos ad supremam hujusmodi beatitudinem nonnisi per gradus pervenire, eosque nondum probe purgatos, aliquandiu vel in terris vel alibi manere, antequam in Paradisum admittantur. Quamobrem hic latroni pollicetur Jesus, ipsum *hodie* futurum in Paradiso. Hæc erat Judæorum persuasio, Jesu Christi ætate.

Boni igitur latronis animus eadem die cum Jesu Christo fuit in Sanctorum Beatitudine (43), in Abrahami sinu, ubi Abraham, Isaac, cæterique Patriarchæ; sive etiam in Cœlo, quemadmodum visum est multis (44), ubi nunquam non fuit Christus Divinitate. Illum S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 13. ingressum esse ait in Cœlum, antequam Abrahamum, Moysen, cæterosque Prophetas: Patuisse illi cœlum, eoque ante cæteros introisse putant S. Chrysostomus (45), aliique. Utitur ejus exemplo S. Cyprianus Ep. 73. ut doceat, Martyrum sanguinem verum esse baptismum, quo Cœlorum aditus illis reseratur.

Latina & Græca Ecclesiæ boni Latronis memoriam colunt die XXV. Martii, qua die Christum obiisse, diuturna plurium sæculorum persuasione traditum est. Sunt qui illum nuncupent Dimam, seu Dismum, variaque de eo fabulas recitant, ex falso Nicodemi Evangelio. Nos ista negligimus. Hæc satis superque sunt ad Commentarium.

Marcion, teste S. Epiphanio hær. Marcion. locum hunc e suis Lucæ Exemplaribus deleverat; & auctore Origene in Joan. Catholici etiam nonnulli prava credulitate abstulerant, absurdum esse censentes, quod Jesus ea die in Paradiso esse cum bono Latrone crederetur, corpore Jesu in sepulcro jacente, ipsoque ad sinum Abrahami delapso, ut inde Patriarcharum animas liberaret. Additum arbitrabantur hunc versiculum ab Hæreticis, vel ab alio Sacrorum voluminum interpolatore. Narrat Hesychius Jerosolymitanus, placuisse aliis ita distinguere, interposita hypostigme post *hodie*, in hunc modum: *Amen dico tibi hodie, mecum eris in paradiso*. At inanis est labor, cum locus explicari optime queat ex Catholicorum doctrina, quin ulla admittatur mutatio.

℣. 44. TENEBRÆ FACTÆ SUNT circa meridiem, universaque terra, scilicet Judæa, tenebris operta est usque ad horam nonam, tertiam post meridiem. Fusius hac de re disputavimus in Matthæum XXVII. 45. Græci quidam Codices ferunt (46): *Erat hora jam sexta*. Origenes (47), sive Rufinus Origenis Interpres, testatur, libros aliquos legere. *Tenebræ factæ sunt in universam terram, deficiente sole*. Idque is tribuit nonnullis Ecclesiæ hostibus, criminari conantibus, atque ostendere, falsa quædam in Scripturis inveniri.

℣. 45. VELUM TEMPLI SCISSUM EST. Vide quæ diximus in Matthæum XXVII. 51. Velum fortasse ad fores Templi pendens, illudque ab atrio Sacerdotum sejungens, Mortuo Jesu scissum est. Rerum ordinem neglexit Lucas.

℣. 46. CLAMANS VOCE MAGNA; sese roboris plenum esse significans, neque virium defectu, aut vi doloris, vel animi defectione mori, sed sua ipsius voluntate.

IN MANUS TUAS COMMENDO, &c. Græcus (48): Com-

(32) Matth. XXVII. 34. Marc. XV. 23. (33) Joan. XIX. 28. 29. Matth. XXVII. 48. Marc XV. 36.
(34) Matth. XXVII. 44. Marc. XV. 32. (35) Origen. in Matth. homil. 35. Hieronym. in Matth. & Ambros. in Luc. Chrysost. hic. (36) Hieron. in Matth. Origen. loco citato. (37) August. lib. 3. c. 15. de consensu; Ambros. in Luc. Hieronym. in Matth. &c. (38) Οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε. (39) Hilar. de Trinit. lib. 2. & in Psalm. LXV. Hieronym. ep. 13. pag. 65. Aug. lib. 1. cap. 9. de anima, &c.
(40) Eccle. II. 5. פרדס Paredes. (41) Vide Joseph. lib. 2. de bello cap. 7. & nos sup. ad Cap. XVI. 22. (42) Vide Grot. hic. (43) Aug. Ep. 187. nov. edit. n. 5. 6. 7. (44) August. ibidem n. 6. 7. Vide & Hesych. Jerosolymit. de hoc loco. (45) Chrysost. tom. 5. homil. 32. Eusebi. homil. 23. alii. (46) Vide Van. Eccl. Mill. hic. (47) Origen. tract. 35. in Matth. (48) Εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. Plures Mss. apud Mill. Παρατίθεμαι, vel παρατίθημι.

Commendabo spiritum meum. Hæc vetus est Septuaginta Interpretum lectio in Psalmo XXX. 5. ex quo hæc verba mutuatus est Christus. Minime tamen desunt [illegible] ices cum Vulgata consentientes. *Commendo sp[iritum] meum.* Christus animam Patri commendat, q[ui]ppe cui potestas esset *ponendi eam a se ipso, & iterum sumendi eam*, Joan. X. 18. Hac [ill]atione futura quodammodo Resurrectio prædi[c]itur (49).

ỷ. 47. GLOR[IFICAVIT] DEUM. Deo gloriam exhibuit. Fassus est, hæc Dei manu fieri, & quæ gerebantur, præter naturam esse. Hujusmodi mortem non esse hominis impii intellexit. Animum illius perculit [De]us, illiusque mentis oculos aperuit, ut agnosceret, hominem istum, qui sese Filium Dei prædicaverat, atque ad extremum usque spiritum in ea confessione perseveraverat, [illegible] quem dixerat. *Vere filius Dei erat iste*, inquit idem apud Matth. 27. 54.

ỷ. 49. STABANT NOTI EJUS A LONGE. Unus omnium Apostolorum Joannes spectaculo adfuit; cæteros [ab]ondi[tos] [illegible] uerat formido. Verebantur [illegible] Jesu [illegible] ulis agnus, similiter caperentur, [illegible] num socii eodem supplicio [illegible]entur. Qui igitur in Calvariæ monte, aut longe, aderant, aliqui fortasse fuerunt Jesu Christi noti, sive Discipuli non ita vulgo manifesti. Mulieribus non eadem erat formidinis causa, quæ Apostolis; quamobrem adstitere omnes, quæ ipsum inter Discipulos secutæ fuerant: *Et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa*. Harum nomina tradunt Matthæus & Marcus (50).

ỷ. 50 J[OSEPH] DECURIO. Græce (51): *Vir consultor*, sive Senator Magni Synedrii; vel alterius Jeroso[l]ymitani Senatus. *Decurio* ad verbum est præfectus militibus decem; sive magistratus Municipiorum apud Romanos. Patria Josephi *Arimathia*, verus fortasse *Ramathaim Sophim*, in monte [E]phraim, patria Samuelis 1. Reg. 1. 1.

ỷ. 51. HIC NON CONSENSERAT, &c. Favent hæc iis quæ di[ximus], Josephum fuisse Senatorem Synedrii, cujus sententia Pilato traditus est Jesus. Unus adversus cæteros, non consenserat Josephus.

ỷ. 53. In [illegible] quo nemo [illegible] erat; ne quis criminaretur, non Jesum rediisse in vitam, sed alterum; sive non [illegible] ipsius, sed alterius virtute esse revocatum, quemadmodum mortuo illi usu venit, qui in Elisæi sepulcrum projectus 4. Reg. 13. 21. contactis Prophetæ ossibus, vivus stetit. Vetus Cantabrigiensis Codex addit [illegible] *Eoque posito, advolvit monumento lapidem, quem vix homines viginti verterent*. Græci Codices alii, & Coptica Versio addunt [illegible] *volvit lapidem magnum ad ostium monumenti*.

ỷ. 54. DIES ERAT PARASCEVES, ET SABBATUM ILLUCESCEBAT. Præparatio, seu *Parasceve* Judæis est sexta feria; ea enim die parabantur omnia, quibus opus erat Sabbatho, quo die cibos parare Lege vetitum habebatur. Exodi 16. 22. Sabbathi initium a vespere sextæ feriæ ducebatur; atque his verbis, *Illucescebat sabbathum*, significatur, post solis occasum, initium quietem Sabbathi, stellis ac luna orientibus, quietis præceptum exordiebatur: Omnes terræ [illegible] orta stellas, non lucis ac lunæ. Noctis initium [illegible] Rabbinis [illegible] diluculum dicitur (52). Sunt (53) qui censeant, quia lucernæ accendebantur sub vesperam, nomen sabbathi habuisse incipientis *Sabbathum illucescere* [illegible] id porro [illegible]abant, [illegible] lucis, quod proprium diem a sacro divideret. *Qui non habet lucernam accendat Sabbatho*, [illegible] *& ostiatim mendicet, oleum quærens, ut sub illud lucernam accendat*, inquit Maimonides. Piæ mulieres, nocte ante Sabbathum, utraque Sabbathi die quieverunt. *Et sabbato quidem siluerunt* [illegible]

ỷ. 56. ET REVERTENTES PARAVERUNT AROMATA, quibus Christi cadaver condirent, ad quod pio desiderio præstare mulieribus non licuerat. Cæterum, teste Joanne XIX. 39. Nicodemus libris fermè centum myrrhæ & aloes suam officium exhibuerat. Quod hic dicitur, illas ad monumentum revertisse [illegible], per antecessum [illegible] [ar]omata donnisi vesperis alterius diei, clauso jam Sabbatho, comparaverint. Vide Marcum XVI. 1. *Et cum transisset Sabbathum, emerunt aromata* [illegible]

(49) Bengel hic. (50) Matth. XXVII. 56. Marc. XV. 40. (51) Βουλευτὴς ὑπάρχων. (52) Ka[illegible] [illegible] Alii quidam [illegible] (53) Vide Lightfoot. Hor. Hebr. in Luc. hic. (54) Seguin[illegible] [illegible] Glar. Vide & [Li]ghtfoot.

CAPUT XXIV.

Mulieres ad monumentum veniunt, ut Christi cadaver condiant. Jesum in vitam rediisse, ab Angelo monentur. [Pro]currit ad sepulcrum Petrus. Discipulis duobus Emmaum proficiscentibus [se] exhibet Jesus; atque ab iis inter [illegible] agnoscitur.

ỷ. 1. UNa autem sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverunt, aromata: 2. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento. 3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. 4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? 6. Non est hic, sed surrexit: recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, 7. Dicens: Quia oportet filius hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. 8. Et recordatæ sunt verborum ejus. 9. Et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. 10. Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant

ad

ad Apoſtolos hæc. 11. Et viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum, verba iſta: & non crediderunt illis: 12. Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina ſola poſita, & abiit, ſecum mirans quod factum fuerat. 13. Et ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Emmaus. 14. Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant. 15. Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent: & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis: 16. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent: 17. Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes? 18. Et reſpondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti, quæ facta ſint in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jeſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & ſermone, coram Deo, & omni populo: 20. Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. 21. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt. 22. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, 23. Et, non invento corpore ejus, venerunt dicentes, ſe etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere. 24. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum vero non invenerunt. 25. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! 26. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? 27. Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. 28. Et appropinquaverunt caſtello, quo ibant, & ipſe ſe finxit longius ire. 29. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. Et intravit cum illis. 30. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. 31. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? 33. Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Jeruſalem: & invenerunt congregatos undecim: & eos, qui cum illis erant, 34. Dicentes: Quod ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 35. Et ipſi narrabant, quæ geſta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis. 36. Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Jeſus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere. 37. Conturbati vero, & conterriti, exiſtimabant, ſe ſpiritum videre. 38. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? 39. Videte manus meas & pedes, quia ipſe ſum: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. 40. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes. 41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? 42. At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. 43. Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias, dedit eis. 44. Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. 45. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. 46. Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die: 47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma. 48. Vos autem teſtes eſtis horum. 49. Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus ſuis benedixit eis. 51. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. 52. Et ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno; 53. Et erant ſemper in templo, laudantes, & benedicentes Deum. Amen.


℣. 1. UNA SABBATHI, VALDE DILUCULO. Dominica die, ante ortum ſolis (1), piæ mulieres Jeroſolymis diſcedunt, ut ad Calvariæ montem veniant, ubi ſepulcrum Joſephi Arimathæi erat, quo conditus eſt Jeſus. Eo pervenere circa ortum ſolis (2). Addit Græcus ad finem ver-

(1) Vide Joan. xx. 1. Πρωΐ σκοτίας ἔτι οὔσης.

(2) Marc. xvi. 2. Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.

verſiculi (3), quaſdam alias illis ſeſe addidiſſe, Armenus: *Et cæteræ mulieres cum illis*. Quæ verba deſumpta videntur ex ℣. 10. ubi Maria Magdalene, Joanna, & Maria Jacobi mater, & cum illis cæteræ ad Apoſtolos veniſſe dicuntur, ut hæc nunciarent. Revera multæ erant mulieres, quamquam Matthæus 28. 1. dumtaxat Mariam Magdalenen & alteram Mariam, Marcus 16. 1. tres nominat Mariam Magdalenen, Mariam Jacobi matrem, & Salomen. Hæ inter cæteras erant præcipuæ. His acceſſerant aliæ, operam conferentes. Joannes Mariæ Magdalenes ſolummodo meminit xx. 1.

℣. 4. Ecce duo viri steterunt. Teſte Marco xvi. 5. hæ monumentum (F) ingreſſæ, Angelum ſpectavere in dextra ſedentem, ſcilicet ad caput monumenti (G). Atque hic unus verba fecit: ex quo factum eſt, ut Marcus alterum Angelum, qui verba non fecit, minime nominaverit.



℣. 9. Nuntiaverunt hæc omnia undecim Apoſtolis, et cæteris omnibus Diſcipulis, qui in iiſdem ædibus erant. Docet Joannes xx. 1. . . 8. 9. Mariam Magdalenen præceſſiſſe cæteris fœminis Jeroſolymam, & Petrum ac Joannem ab ea monitos ad monumentum accurriſſe, Maria interim quam citiſſime reverſa. Primus venit Joannes, at ingreſſus non eſt. Sequutus deinde Petrus, monumentum (F) ſubiit, viditque inſtitas, quibus cadaver Chriſti obvolutum fuerat. Hinc Jeroſolymam rediere. Eo temporis intervallo Jeſus primum ſeſe Magdalenæ exhibuit Marc. 16. 9. deinde cæteris mulieribus Matth. 28. 9. e monumento redeuntibus; quæ demum ſe contulere ad domum, in quam collecti erant Apoſtoli, quemadmodum hic narrat Lucas, qui rem geſtam brevius deſcribit.

℣. 11. Non crediderunt illis. Perſuaderi non poterant, Jeſum e mortuis ſurrexiſſe, tametſi id Chriſtus tam ſæpe promiſerat. Ægre nimirum creduntur ea quæ fidem ſuperant, & enixe deſiderantur. Quæ vides, te videre non credis, neque audire quæ certe audis.

℣. 12. Petrus surgens cucurrit iterum; niſi hæc alieno loco deſcribi exiſtimes. Primam acceſſionem narrat Joannes, cujus ipſe pars fuit Joan. xx. 3. hic Petrus proficiſcitur ſolus: ſaltem Petri ſolius meminit Lucas.

℣. 13. Duo ex illis ibant ipsa die in castellum. Ipſa eadem die Dominica, qua die Chriſtus redivivus prodiit, altera Feſti Paſchalis, duo ex Diſcipulis Jeſu, quorum alteri nomen erat Cleophæ (4), ignoto alterius nomine, *ibant in caſtellum nomine Emmaus*, ſtadiis ſexaginta diſtum ab Jeroſolyma, vel paſſuum millibus ſeptem, leucis duabus paulo amplius, ter mille paſſibus in leucas ſingulas computatis. Codices nonnulli (5) pro ſtadiis ſexaginta legunt ſtadia centum & ſexaginta. At Joſephus de Bel. lib. 7. c. 27. cum Græco communi & Vulgata congruit, habetque ſtadia ſexaginta. Emmaus ad ſeptemtrionem occidentalem Jeroſolymæ jacebat. *Emmaus* ſonat calidum balneum. Authore Sozomeno l. 5. cap. 21. Hiſt. Eccl. prope oppidum erat ſons, multis morborum generibus ſalubris: at aquas calidas habuiſſe non tradit. Emmaum Veſpaſianus permiſit militibus octingentis, quibus miſſionem dederat (6).

Cleophas S. Hieronymo Ep. 27. & in locis videtur civis Emmaus fuiſſe, & Jeſum invitaſſe, ut domi ſuæ cœnaret. Ejus deinde domus in Eccleſiam verſa eſt, Hieronymi ætate ſuperſtitem. Creditur Cleophas (7) frater fuiſſe S. Joſephi, & Simeonis Epiſcopi Jeroſolymorum pater; adeoque Jeſu Chriſti patruus, ex vulgari hominum opinione, qui Jeſum filium Joſephi eſſe arbitrabantur. Aliis (8) eſt vir Mariæ, ſororis Mariæ Virginis, & Jacobi minoris pater; atque ita verus Jeſu Chriſti avunculus. Cleophæ memoriam agit Latina Eccleſia ad diem vii. Kalendas Octobris. & Græci ad diem iii. Idus Octobris, eumque Apoſtolum nuncupant. Uſuardus & Ado illum martyrio affectum a Judæis teſtantur.

Cleophæ ſocium, quem ſilet Lucas, ſunt (9) qui cenſeant, ipſum eſſe Lucam, iſta narrantem. Ipſe tamen Lucas initio Evangelii docet, ſe ex iis non fuiſſe, qui Chriſtum viderint atque audierint; & quæ ipſe deſcribit, ex his accepiſſe. Origenes (10) paſſim, S. Baſilius, aliique nonnulli *Simonem* quemdam fuiſſe arbitrantur. Putat Grotius, ea quæ infra dicuntur ℣. 34. *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*, cauſam huic opinioni dediſſe. Petrus ipſe Cleophæ ſocius fuiſſe, creditur Ligfooto, qui etiam putat, verba mox recitata cæterorum Apoſtolorum eſſe, qui cum Petrum ſtatim reverſum cernerent, Jeſum omnino ſurrexiſſe, ac ſe conſpicuum præbuiſſe Petro, collegerint. *Ammoam* ſæpe illum nuncupat S. Ambroſius (11), *ſive Ammaanem*. S. Epiphanio hær. 23. c. 6. eſt Nathaæl. Illud procul dubio eſt, certi nihil hac in re haberi. Incertum quoque eſt, fuerint ne uterque e numero LXXII. Diſcipulorum, ſeu ex meris Chriſti Diſcipulis, quemadmodum alii innumeri, qui illum ita non ſequebantur, ut ubique cum illo eſſent: quamquam Priſcis plerique e numero LXXII. Diſcipulorum exiſtimantur.

℣. 16. Oculi eorum tenebantur (12), impediebantur, veluti oppoſita manu, ita ut neque ore neque inceſſu illum agnoſcerent. Vocis etiam ſonum minime cognoverunt, ſive illorum ſenſus impediente Chriſtus (13), quo commodius illos inſtitueret; ſive Chriſti ipſius vox, aſpectus, oculi, corporis habitus poſt Reſurrectionem adeo mutata fuerint (14), ut nonniſi ſedulo inſpectus agnoſceretur. Ad hæc, Diſcipuli mœrore oppreſſi, atque alia omnia cogitantes, ipſum eſſe non ſuſpicabantur. Crederent potius, alium eſſe hominem Chriſto ſimilem. Aliam ſuppeditat rationem Marcus xvi. 12. illum ſcilicet iis ſe præbuiſſe *in alia forma*; qua prohibiti ſunt, ne ſtatim agnoſcerent. Peregrini habitu fortaſſe ſe exhibuit (15), aliter quam conſueverat.

℣. 18.

(3) Καὶ τοῦτ τὰς αὐταῖς. (4) Infra ℣. 18. (5) Cyprian. & Cod. Veteſt. Bibl. Vienn. apud Lambec. (6) Joſeph. lib 7. c. 27. de bello. (7) Euſeb. lib. 3. c. 11. & lib. 4. c. 22. & Epiphan. hæreſ 62 c. 10. (8) Vide Bolland. IX. April. p. 811. & Tillemont, Note ſur S. Jacque le Mineur p. 668. (9) Gregor. in Job lib. 1. c. 1. Theophyl. hic; Nicephor. lib. 1. c. 34. Doroth. alii. (10) Origen. in Jerem. homil. & in Joan. p. v. & lib. contra Celſum; Baſil. in Iſai. vi. (11) Ambroſ. Apolog. David lib. 2. c. 8. in Luc. XII. in Symbol. c. 29. (12) Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο. (13) Vide Aug. lib. 3. de conſ. E. cap. 25. Hieron. ad Pammach. Mald. hic, alias. (14) Aug. Ep. olim 59. nunc 149. Beda, Theophyl. hic; Alger. contra Berenger. lib. 2. c. 5. (15) Aug. ſerm. 144. nunc 232. Beda, Theophyl. hic.

℣. 18. Tu solus peregrinus? Adeo ne novus es Jerosolymis, ut ignores quæ hic gesta his diebus fuerint (17)? Vel: Unus ne es inter advenas, Jerosolymam profectos ad Paschatis festum, qui rem in urbe gestam nescias? Posterior hæc explicatio spernenda non est. Qui te audiat, novum te esse hominem putet. Jerosolymis venis, & quid gestum ibi sit his diebus, ignoras? Probatissima omnium interpretatio (18).

℣. 19. Potens in opere et sermone, &c. Jesus Nazarenus, vir in populo clarissimus præstantia dogmatum, & copia prodigiorum; Deo carus, in pretio habitus ab hominibus; quem commendabat Deus, gestis per eum miraculis; quem homines verebantur, tam multa Spiritus in ipso præsentis argumenta spectantes. S. Stephanus in Actis 7. 22. eodem elogio Moysem prosequitur: *Potens in verbis & in operibus suis*. Lucas 2. 52. *Jesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines*. Vehemens locutionis genus, *Potens coram & omni populo*, significans, miram ac plane divinam fuisse Jesu Christi pietatem, eloquentiam, doctrinam, authoritatem. Nemrod fuisse dicitur *robustus venator coram Domino* Gen. 10. 9.

℣. 20. Et crucifixerunt eum, non suis ipsi manibus, sed Romanorum, quibus illum tradiderunt. Verbis invidiæ plenis odiosam rem exprimit Cleophas. Judæi, qui Jesum Romanis tradiderant, omnino ceu illius carnifices habendi erant, atque odio dignissimi. Vide Acta 11. 36. iv. 10. ubi mors Jesu Christo illata Judæis adscribitur.

℣. 21. Nos autem sperabamus, &c. Duo hi Discipuli errore tenebantur cæteris Judæis communi, putantibus; sese Messiæ viribus subductum iri imperio alienorum, atque in pristinam libertatem revocatum. Christi Crux & Passio ipsis offendiculum fuerant. *Sperabamus*, inquiunt, quasi ipsorum spes penitus perierit (19). Multo etiam magis ea eo dubitabant, quod cum promisisset Christus, sese post tertiam diem redivivum fore, mulieres aliquæ illum revera surrexisse assererent. Publicam illi Resurrectionem præstolabantur, atque ita gloriosam, uti illius Passio & mors probrosæ fuerant, omnibusque notissimæ. *Tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt*. Si virtutis suæ specimen exhibere volebat, jam nunc exhibuisse debuerat; illum jam redivivum esse oportuit: cum vero nondum surrexerit, nihil jam sperandum ex eo est. Ita pessime colligebant Discipuli duo, quasi tertia dies elapsa foret, & Jesus procul dubio non surrexisset. Quæ vehementer optas, ægre iis fidem habes.

℣. 25. O stulti! Illos tum incredulitatis damnat, ægre sequentis argumenta certissima, quibus ille sese Messiam esse docuerat; tum tarditatis ingenii, qua minime intelligerent, quicquid gestum erat, id prædixisse Prophetas. Futurum dixerat Christus, ut ipse tertia die redivivus rediret: aderat dies tertia: mulieres testabantur, spectatos sibi Angelos, seque ab iis monitas, Jesum e mortuis surrexisse: nonnulli etiam ex Apostolis, ad monumentum profecti, rem ita, uti nunciabatur, se habere asserebant. Esto, his argumentis vinci dubitatio omnis non potuerit, aut Christi Resurrectio præter dubium asseri: oportuit certe judicium coercere; eaque satis erant, ut nutantem spem nonnihil confirmarent.

℣. 26. Nonne hæc oportuit pati Christum? His nempe laboribus sua illi gloria comparanda erat. Christum pati ea, quæ revera passus est, necesse fuit non absolute, sed ea conditione, ut Patris voluntatem, & Prophetarum oracula expleret. Hominum redemptio peracta non esset nisi is mortem subiret; eumque, nisi doloribus obrutum, Messiam non agnosceremus: quippe qui potissimo Messiæ indicio careret.

℣. 27. Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, docebat, quicquid gestum est, illud in æternis Dei consiliis contineri; nihil non esse prædictum; omnia expleta esse in ipsius Persona, Vita, Morte, Cruce, Resurrectione. Jacobi labores, sacrificium Isaaci, Josephi venditio & servitus, exilium Moysis, varia Legis sacra, Christi Mortem ac Passionem significabant. Israel in promissam regionem gloriose restitutus, Isaac imminenti immolatione liberatus, Josephus in dignitatem, Moyses in gloriam evectus, figura erant Resurrectionis. Singula vitæ illius tempora descripsere Prophetæ, ortum, vitam, Mortem, Resurrectionem. Id Jesus Discipulis docuit.

℣. 28. Finxit se longius ire. Nihil improbe, aut adversus bonam fidem comminiscitur. Hoc loco frustra Veteres nonnulli (20) abusi sunt, ut mendacium aliquando vetitum non esse evincerent. Ubi de simili re, paribusque casibus agatur, mendacium vetitum non esse fatebimur. Finge, at nullo fallendi consilio, nulla malitia aut fraude: Ubi omnino nondum animum in aliquam partem impuleris, ita simulato eligere, quasi elegeris, quamquam adhuc incertus & pendens: peregrinus, sociorum animum exploraturus, simulet, longius iter sibi esse conficiendum, ut a sociis exoretur: nullum hic mendacium, aut fraus, quemadmodum in parabolis, ironia, hyperbole. Loquendi genus est & agendi, inter homines invidioso mendacii & fraudis nomine non notatum (21). Fortasse non multum processerat dies, ac longius profectus esset Jesus, nisi illum Discipuli detinuissent. Nonnihil progredi voluit, ut illorum animos periclitaretur; quemadmodum alio tempore, supra mare Galilææ gradiens, Apostolos cymba vectos præteriturum se simulabat, nisi illum Apostoli exorassent (22).

℣. 29. Quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Nondum tam serus erat vesper, ut itineri tempus non superesset. Simulabat Jesus, se longius progressurum; & Discipuli duo, agnito Jesu in panis fractione, Jerosolymam, millibus passuum septem ab Emmaus dissitam, commode redierunt, antequam Apostoli cubitum irent.

Credidere Veteres, Cleophæ domicilium in Emmaus fuisse, testaturque S. Hieronymus, illius domum a Christo consecratam, conversamque in Ecclesiam, e usecto ibi Eucharistiæ Sacramento (23): *In fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Ecclesiam dedicavit*.

℣. 30. Dum recumberet, accepit panem et benedixit, &c. Veteres Patres (24), & Catholici Interpretes multi censent, Jesum consecrasse panem in Corpus suum, & Eucharistiæ Sacramentum Discipulis exhibuisse; quo indicio agnitus ab illis fuit. In Actis Apostolorum 2. 42. *fractio panis* de Eucharistia explicatur, nemine repugnante. Hac loquendi forma Lucas Eucharistiæ confectionem plerumque significat. At qui fieri potuit, ut Discipuli duo ex Corporis sui consecratione Jesum agnoscerent, qui non adfuerant ultimæ cœnæ, qua id Sacramentum Christus instituit, tertium ante diem, neque fortasse ex Apostolis didicerant, aliis plane cogitationibus eo tempore occupatis? Sunt (25) quibus placet, Discipulos prodigio, & divina cœlestis cibi virtute fuisse excitatos, ubi illum Christus exhibuit. Videtur aliis, id nullo prodigio contigisse, illis ni-

[17] Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα. [18] Vide Vat. Castal. Pricæ. Bez. Grot. [19] Theophyl. Mald. Grot. [20] Priscillianistæ apud August. lib. contra Mendac. c. 21. [21] Vide Grot. Mald. Menoch. [22] Marc. vi. 48. *Volebat eos præterire*. [23] Hieron. Epitaph. Paulæ c. 3. [24] Chrysost. seu alius homil. ix. de Var. in Matth locis. August. lib. 3. de Consens. c. 25. Theophyl. Bed. Strab. Jans. Mald. Brug. Men. Vide & Augustin. serm. olim 87. de divers. nunc 234. & serm. olim 142. de temp. nunc 235. [25] Vide Mald. hic.

mirum jam edoctis, quid Jesus in ultima Cœna instituisset.

Catholici alii Scriptores (26), & Heterodoxi quamplures arbitrantur, Christum minime tunc Eucharistiam confecisse, sed meram cum Discipulis cœnam. Agnitus autem ab iis est, I. quod Domini partes egerit, panem accipiens, bonisque precibus prolatis distribuens. II. Peculiaris fortasse illi erat benedicendi formula, Discipulis nota. III. Calicem consecrasse non videtur, neque usus iis verbis, *Hoc est Corpus meum*, consecrationi necessariis. IV. Incertum est, comederint Discipuli exhibitum panem, nec ne: eo quippe statim agnito, ipsorumque oculis subducto, surgentes illi Jerosolymam reversi sunt. V. denique, hæc verba, *Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis*, non absolute designant Eucharistiam; iisdem quippe utuntur Evangelistæ, dum panes describunt sequentibus turbis a Christo distributum (27). Patres in contrariam partem recitatos conciliaveris cum hac sententia, si dicas, cœnam hanc, & panis fractionem figuram fuisse Eucharistiæ.

℣. 31. Aperti sunt oculi eorum, mentis eorum (28). Ea intellexere, quæ nondum animadverterant. Ita post Adami & Evæ peccatum, illi apertis oculis sese nudos esse intellexerunt Gen. 3. 7. & Agar, apertis oculis, puteum antea minime animadversum vidit, Gen. 21. 19. Discipuli duo propius inspectis oris Christi lineamentis, illum agnovere (29), reductumque est velum, quo ipsorum oculi impediebantur.

Ipse evanuit ex oculis eorum. Nonnulli (30) ita usurpant hæc verba, quasi dicatur Christus statim discessisse, ac momento citius se subduxerit. Ajunt alii, Christum umbræ instar & fumi evanuisse. Asserit Origenes (31), Christum, per dies quadraginta, qui ab illius Morte ad Ascensionem usque fluxerunt, modo conspicuum, modo inconspicuum fuisse, cum vellet, & quibus vellet. Tunc certe is verum Corpus gerebat. Quis tamen gloriosi corporis dotes enumeret? aut modum Divinæ Omnipotentiæ ponat? His in rebus tutissimum est silere, & vitare curiositatem. Evanuit certe Christus; at modum ignoramus.

℣. 32. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum is loqueretur? Mirantur, quod citius non agnoverint, cum illum Divina prorsus vi & eloquentia differentem audirent. Nos omnino cæcos, qui ex argumentorum robore, divinaque eloquentia, & validissima persuadendi ratione illum non agnovimus.

℣. 33. Invenerunt congregatos undecim. Teste Joanne XX. 24. Thomas, ex undecim unus, non aderat. At Evangelista numerum *undecim* usurpat, ut Collegium Apostolorum significet, quod post Judæ scelus & mortem ad numerum undecim redactum est. Paulus 1. ad Cor. 4. 5. hanc ipsam Christi exhibitionem describens, *duodecim Apostolos* numerat: saltem ita legit Græcus, non decem. Apostoli & Discipuli ipsa Dominica Resurrectionis die coiverant, ut simul colloquerentur de iis, quæ de miro hoc eventu viderant & audierant. Discipuli duo quam celerrime Jerosolymam venere, ut Apostolos simul collectos nanciscerentur.

℣. 34. Surrexit vere, et apparuit Simoni. Hanc Christi manifestationem Petro non recitant Evangelistæ; at hoc loco diserte satis exprimitur, tum etiam apud Paulum: *Visus est Cephæ, & post hoc undecim*. Ita Interpretes intelligunt (32). Animadvertimus, Simonem hunc pro Cleophæ socio ab Origene usurpari.

℣. 36. Stetit Jesus in medio eorum. In aulam ingressus est, *cum fores essent clausæ* Jo: 20. 19. inquit Joannes. Illico præsens stetit, nemine illius adventum sentiente. Contigit hoc ipsa die Dominica vesperi. *Ego sum, nolite timere*. Hæc verba in Græco desiderantur; at ea legunt Versio Cophtica, Syriaca, Persica, Arabica, Æthiopica, Armena, S. Ambrosius, S. Augustinus.

℣. 37. Existimabant se spiritum videre, spectrum, bonum malumve Spiritum, a quo sub Jesu imagine deciperentur: Spiritus enim esse, minime dubitabant, uti passim ex Novi Testamenti Libris compertum est. Hanc opinionem nedum non destruxit Jesus, verum etiam sæpe confirmavit (33). Quamobrem præter temeritatem negari non potest (34) Spiritus, Angelos, Dæmones, mortuorum animas apparere. Hujusmodi manifestationum modum hoc loco non expendimus. Hinc vero suspicati sunt Apostoli, Spiritum adesse, quod clausis foribus ingressus est, teste Joanne.

℣. 39. Spiritus carnem, et ossa non habet. Manus ac pedes exhibet Christus Discipulis inspiciendos pertractandosque, quo certius discant, verum ipsi corpus inesse, nec sese inani spectro ludificari, veluti imagine, quæ fit

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Hæ porro imagines vel aer sunt, vel nubes, vel mera intuentium fascinatio: hic tractabile ac verum est Corpus, idem quod in Cruce suspensum, sua vulnera, suasque cicatrices adhuc servans (35), certissimo Passionis suæ argumento. Apostolos admota manu vulnera & cicatrices tetigisse, non tradit Lucas: utrumvis crede: illa certe præbuit Christus: per ipsos stetit, nisi verborum Christi veritatem sua ipsi experientia perceperunt. Putat S. Hieronymus (36), illos obsequii causa manus vulneribus admovere non ausos, alia ratione convictos a Christo fuisse, postulatis nempe cibis, & coram sumptis. Ita Christus corporis sui veritatem & verbo & comestione comprobavit; eamque discere oculis, auribus, manu, Apostolis licuit.

His Christi verbis, *Spiritus carnem & ossa non habet*, illud objicitur, Angelos Abrahamo e. g. spectatos, & alterum Tobiæ ducem, carne & ossibus instructos fuisse. Loquebantur illi, gradiebantur, vescebantur: illos tangebant cæteri, videbant, audiebant. Dæmon, qui Christum tentavit, in montem excelsum, atque in Templi tectum vexit; ille alter, a Raphaele Archangelo pulsus ope fumi ex jecore piscis, vinculisque constrictus in superioris Ægypti solitudine, profecto carnem & ossa gestabant; quippe qui vivorum hominum instar loquerentur, graderentur, agerent. Denique si Apostolorum oculi & aures falli poterant, manus non poterant? An hæ minus obnoxiæ errori sunt, quam cæteri corporis sensus? Hæc objiciuntur.

Quod ad bonos Angelos attinet, potuere illi quidem corpore aliquo indui, adeoque carnem & ossa gerere: at his alienum erat corpus, Christo proprium. *Visi sunt in carne vera & solida, etsi non nata*, inquit Tertullianus. Quod ad malos spectat, illos nemo evicerit sese exhibuisse carne & ossibus inductos, aut sese solertibus attentisque hominibus præbuisse tractandos. Quæ dicuntur de diabolo Christum tentante, & altero Raphaelis virtute pulso, ea non satis probant, illos ossibus & carne instructos fuisse. Is igitur, qui spectandum se Apostolis obtulit, malus esse Angelus non poterat. At neque bonus; hi quippe non mentiuntur; mentiebatur autem is qui coram adfuit, nisi erat Christus.

Quod tertio loco dictum est, ita diluo, tangendi

[26] Liran. Dionys. Carth. Jans. Gand. Natal. Alex. alii. [27] Matth. XIV. 19. XV. 36. Marc. VI Joan. VI. &c. [28] Chrysost. apud D. Th. [29] Brug. Grot. alii. [30] Erasm. Vat. alii. [31] Origen. contra Cels. Vide Grot. hic. [32] Brug. Mald. Grot. alii passim. [33] Vide Matth. XVII. 4. XIV. 26. Marc. VI. 49. Luc. XXIV. 39. [34] August. de cura pro mortuis cap. 10. 11. 16. 17. [35] Vide Leon. serm. 2. de Ascens. Domini. August. tract. 121. in Joan. & serm. olim 4. ex Paris. nunc 116. Euthym. Beda hic, alii passim. [36] Hieron. ep. advers. errores Joan. Jerosol.

di sensum errori obnoxium esse, non secus atque oculos aurésque: at ubi tres hi sensus de re aliqua sibi convenienti, nimirum de corporis præsentia, judicium ferunt, his fides haberi certe potest, nisi aliæ occurrant dubitandi rationes. Nulla vero hic erat. Prædixerat Christus, se redivivum fore: non semel ea ipsa die se spectandum dederat: prodigia omnia, per ipsum olim gesta, hujus veritatem fulciebant. Omnia denique eo ferebant, ut crederent Apostoli, non dubitarent.

Locum hunc Marcionitæ (37) aliter plane a cæteris Christianis interpretabantur; ex eoque colligebant, verum non fuisse Christi corpus, sed imaginarium. Ita porro vertebant: *Videte quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me non habentem.* Particulam negantem primæ partis sententiæ in altera repetebant. Sive: *Videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me esse videtis*, carne scilicet ossibusque carentem. Hæc tamen explicatio perspicue coacta est, & scribenti contraria. S. Ignatius Martyr ep. ad Smirn. hanc sententiam ita legebat: *Accipite, pertractate me, & videte, quod non sum dæmonium corpore carens, quoniam spiritus carnem & ossa non habet.* Quæ verba ex Nazaræorum Evangelio desumpta esse, testatur S. Hieronymus.

℣. 41. Adhuc autem illis non credentibus. Idcirco increduli non erant, quod agnitæ veritati resisterent, aut temere de re præsenti diffiderent; sed quod vehementer optarent rem ita se habere, uti videbatur. Non statim credis ea quæ vehementer cupis, & maxime ardua esse nosti. Ita Jacob ægre credebat, filium suum vivere, & in Ægypto regnare, quemadmodum narrabant Gen. 45. 26. Petrus carcere liberatus Angeli opera, multum itineris confecit adeo dubius, vera ne essent quæ gerebantur. Somnium se vidisse censebat, ubi Angelo fugiente solus fuit Act. 12. 9. Hebræi captivitate Babylonica soluti, libertatem se somniari arbitrabantur (38). Seneca in Thyeste.

Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.

℣. 43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis (39). Discipulorum angustias videns Christus, Resurrectionem suam, & corporis sui veritatem novo argumento demonstrat. Coram illis vescitur, at ita uti solent corpora gloriosa, & in vitam æternam revocata (40); non cibi indigentia, sed ut potestatem suam & præsentiæ suæ veritatem ostenderet (41): *Ad exhibendam fidei veritatem in Corpore, dignatus est etiam non necessitate, sed potestate cibum sumere*, inquit S. Augustinus. Discipulos monuerat, Beatos post Resurrectionem fore Angelis Dei similes Matth. 22. 30., ita corpore instructos, quasi corpore careant. Minime negaverat, illos cibum sumere posse; sed cibo non indigere significabat. Angelos quidem cibum sumpsisse legimus; *nec tamen necessitate, sed potestate. Aliter enim*, pergit S. Augustinus (42), *absorbet terra aquam sitiens; aliter solis radius candens: illa indigentia, iste potentia. Futuræ Resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit; imperfectæ felicitatis; si cibis eguerit.*

℣. 44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, &c. Addenda non sunt ista statim post reliqua mox recitata; quippe quæ Christus nonnisi diu post, & paulo ante Ascensionem pronunciavit. His clauduntur omnia post Resurrectionem gesta (43). Expleta jam cernitis omnia, de me in Lege ac Prophetis prædicta. Restat ut ad Patrem abeam, & consolatorem Spiritum ad vos mittam, inchoatam a me mutationem in animis mentibusque vestris absoluturum.

In Lege Moysi et Prophetis et Psalmis. Omnes Veteris Testamenti Libros in triplicem hunc ordinem distribuit. Quinque Moysis libri sunt *Lex*; Libros Historicos, & Prophetas sexdecim sub *Prophetarum* appellatione complectitur; denique Hagiographos, sive Libros ad morum institutionem & Sapientiam pertinentes, *Psalmos* nominat; Psalmi enim potissima pars horum sunt, ubi Messias luculentissime omnium designatur. Usurpatam ætate sua sacrorum voluminum divisionem sequitur Christus; Josepho enim teste (44), duo & viginti Sacri Libri Hebræis sunt, quorum primi quinque Moysis. *A Moysis autem interitu ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, Prophetæ, qui Moysi successere, res sua ætate gestas tredecim libris complexi sunt: quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem & præcepta vitæ hominum exhibent utilissima.*

S. Hieronymi temporibus (45) alia erat sacrorum voluminum divisio. Libri duo & viginti, totidem Hebraicis elementis pares, in ordines tres distribuebantur. Primus *Legem* complectebatur, seu quinque Moysis libros. Alter *Prophetas*, scilicet Josuam, Judices, Ruth, duos Samuelis, duos Regum, deinde Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, duodecim Minores Prophetas. Tertius ex Hagiographis, Job, Davide seu Psalmis, Salomone sive Proverbiis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Daniele, Paralipomenis, Esdra, Esther. Alium nostra ætate ordinem servant Judæi, neque cum Josepho neque cum S. Hieronymo consentientes. Sacros ii Libros in quatuor classes distribuunt. Primus *Legem* continet, seu quinque Moysis Libros; alter *primos Prophetas*, Josuam nempe, Judices, geminos Samuelis, & Regum duos: tertius *postremos Prophetas*, Jeremiam scilicet, Ezechielem, Isaiam, & duodecim Prophetas minores: quartus denique *Hagiographos*, nimirum Ruth, Psalmos, Job, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, Lamentationes, Danielem, Esther, Esdram, & Paralipomena.

℣. 45. Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Hactenus Apostoli verum Scripturarum sensum quam minime intellexerant, nedum ob minimum illorum studium, verum etiam, quod falsis opinionibus occupati, præcipua illarum capita in sensum prorsus a veritate alienum torquerent. Messiæ Regnum e. g. ita sibi fingebant, veluti quodpiam hujus temporis Regnum, in quo fortunis omnibus, ac sensuum voluptatibus perfruendum esset. Munera illi ac magistratus dignitatesque in eo Regno præstolabantur. Illorum mentes aperit Christus, verumque Scripturarum de his rebus aliisque innumeris perperam usurpatis, sensum pandit. Docet, ea quæ gesta sunt, cum Prophetis adamussim convenire; expletam in se uno esse illorum fidem; eaque ut expleretur, opus fuisse Christum pati, cruce affici, ac tertia die in vitam revocari. Hoc revera tempore scissum est velum, sub quo sacra volumina latuerant. Ex eo deinceps compertum fuit, Christum Jesum finem esse Legis ac Prophetarum; in ipso conciliari omnia, quæ in Prophetarum oraculis secum pugnare videbantur; gentes duas conjungi, Judæos atque Ethnicos; disjectum ab eo esse parietem divisionis; in ipso denique omnia nullo negotio explicari, præter ipsum minime explicanda.

℣. 47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam.

[37] Tertull. lib. 4. contra Marcion. *Vult itaque sic dictum, quasi spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habentem, idest, non habentem ossa, sicut spiritus.* [38] Psalm. cxxvi. 1. *Facti sumus lætantes*; Heb. כחלמים *Sicut somniantes.* [39] Hæc verba, *sumens reliquias, dedit eis*, non leguntur in Græco; ea tamen ferunt Veteres quamplurimi. Vide Millium. [40] August. lib. 13. de Civit. cap. 22. Euthym. Beda hic. [41] August. serm. olim 147. de tempore, nunc 242. n. 12. [42] August. Ep. olim 149. nunc 118. qu. 1. [43] Vide Grot. hic; Toynard. Harmon. alios. [44] Joseph. contra Appion. lib. 1. p. 1036. [45] Hieron. Prolog. Galeat.

ziam. Docuit & quid expletum esset, & quid explendum restaret, ut integra Prophetarum oraculis fides servaretur. Opus erat, pœnitentiam omnibus late hominibus prædicari, non Judæis modo, verum etiam Ethnicis, facto initio ab Jerosolymis, prolataque per universum orbem prædicatione. In eo autem versatur hæc pœnitentia, ut homines peccata agnoscant & exsecrentur; Deum placent mentis conversione, dignisque pœnitentiæ fructibus; nomen dent Christo, initientur baptismate, vitamque ex Evangelii legibus instituant. Hæc præstanda supererant, quæ Christus Apostolis gerenda reliquit. Nullo negotio doceri potest, Gentium conversionem, pœnitentiam, fidemque in Christum, & Ecclesiæ institutionem inter omnes terrarum populos ita diserte in Scripturis designari, uti Servatoris Ortum, Vitam, Mortem, ac Resurrectionem.

℣. 48. Vos autem testes estis horum. Quæ gesta sunt, ipsi vidistis, Prædicationem meam, Vitam, Mortem, ac Resurrectionem. Horum testes eritis in omnibus terrarum plagis: initium ducetis ab Jerosolymis & Judæis; hisque detrectantibus, in orbem universum effundemini, testes mihi & legati ex me futuri. Cum de Apostolo in proditoris Judæ locum sufficiendo ageretur, ait Petrus eligendum esse virum ex iis, qui omnia Christi gesta & verba, ab illius baptismo ad finem usque, inspexere, testem Resurrectionis futurum: *Testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Act. 1. 22.

℣. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Ut ad munera vobis decreta vos comparem, vosque in Præconum ac testium veritatis labore constantes efficiam, Patris mei nomine Spiritum Sanctum emittam, a quo confirmandi estis, illustrandi, & docendi. Divinum hunc Spiritum per Prophetas promisit Pater; veluti Isai. 44. 3. *Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Et Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Et apud Joelem 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ ... Sed & super servos meos & ancillas effundam Spiritum meum*, ait Dominus. Consolatorem hunc Spiritum Christus etiam Apostolis sæpe promiserat Joan. xiv. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Et xv. 26. *Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me, &c.*

Vos autem sedete in civitate, donec Sanctum Spiritum accipiatis, Divina vi, robore, virtute ab eo instruendi. Ista dixit Apostolis Jesus ea ipsa die, qua ascendit in Cœlum. Cum illi Jerosolymis essent, jussit eos ab urbe non discedere, donec expletam promissorum fidem cernerent. Neque diu res cessavit, decimum quippe post diem, in ipso Pentecostes festo, Spiritus Sanctus in eos illapsus est. Jungenda sunt his ea quæ in Actis 1. 5. & sequ. leguntur: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant, Apostoli, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ, &c.*

℣. 50. Eduxit eos foras, in Bethaniam. Extra Jerosolymam Apostolos duxit, Bethaniam versus, oppidum ad radices montis Oliveti situm, ad meridiem Jerosolymæ, quindecim ab urbe stadiis, ex Joanne xi. 18. vel millibus passuum duobus, ex S. Hieronymo in locis Hebr. dimidia scilicet amplius leuca. Illos quidem non intra ipsum oppidum duxit, sed circa illud, in montem Oliveti, absentem Jerosolymis eo itinere, quod confici potest Sabbatho; *Sabbathi habens iter*. Act. 1. 12.

Elevatis manibus, benedixit eis. Porrectis ad illos manibus, de more Judæorum, cum benedicerent. *Extendens manum ad populum, benedixit ei*, dicitur de Aarone, in populum apud se collectum bene precante Levit. 9. 22. Cæteris temporibus, cum uni tantum homini benedicerent, manus illi imponebant, teste Isaaco, cum bene precaretur Jacobo Gen. 27. 4. 7. 27. 28. ipsoque Jacobo, cum Ephraimo & Manassi benediceret, Gen. 48. 14.

℣. 51. Recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, ipsis videntibus, suaque ipsius virtute. Sensim sublatus est a terra, donec illum nubes ipsorum oculis abstulit. Act. 1. 9. *Videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Non statim evanuit, sed illum Apostoli diu obtutu prosequuti suot.

℣. 52. Adorantes, regressi sunt in Jerusalem. Illum latriæ cultu adoravere, ut Deum. Hactenus, quamvis illius Divinitatem nossent, sæpenumero hisce honoribus illum prosequuti non fuerant: recedentem denique venerantur & colunt. Familiaris consuetudo, qua inter ipsos versari dignatus est, hujusmodi officium, exteriori saltem specie, ab illis non exigebat (47). Hactenus Christum noverant in carne; at post gloriosam ipsius Ascensionem, illum non carne sed spiritu agnoverunt 2. Cor. 5. 16. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.*

℣. 53. Et erant semper in Templo, laudantes, &c. Jusserat eos Christus Luc. 24. 49. Jerosolymis non discedere, donec Spiritum Sanctum acciperent: illiusque imperiis religiosissime obsequuti, in urbem colliguntur, & ibi assiduis pietatis, orationis, divinarumque laudum exercitationibus occupati versantur. *Erant semper in Templo*; majorem scilicet diei partem in Templo exigebant, orationi dumtaxat Divinisque laudibus toto eo tempore vacantes.

Pugnare cum hoc loco videntur Acta Apostolorum 1. 13. cum narrent, Apostolos ac Discipulos, reduces a monte Olivarum, in quo Christum in Cœlum ascendentem viderant, *introisse in cœnaculum, & ascendisse ubi manebant Petrus & Joannes, Jacobus & Andreas, &c. hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jesu, &c.* Hæc porro qui concilientur cum iis quæ hic dicuntur, illos nimirum semper in Templo fuisse, cum privatis in ædibus manerent, assidua oratione occupati?

Ut hæc locorum pugna concilietur, sunt qui censeant, Apostolos ac Discipulos nunquam non fuisse precibus occupatos, vel in Templo, vel domi; in Templo quidem consuetis orandi temporibus; domi vero reliquo tempore, nequem assiduitas offenderet. Putant alii (48), cœnaculum, in quo morabantur Apostoli, in Templo fuisse, ubi plura erant conclavia, ipsis etiam mulieribus minime interdicta: quemadmodum constat exemplo pueri Joas (49), in Templo per annos aliquot cum Nutrice educati. Favet huic sententiæ illud, quod Apostoli sacra Pentecostes die cœnaculo egredientes, ingentem populi multitudinem in Templi atrio nacti Act. 2. 4. salutis verba illis nunciavere. Ad hæc, maxime omnium decebat, ut Spiritus Sanctus in Apostolos illaberetur in Templo, ut Evangelii gratia, & figura-

rum

[47] Vide Mald. Grot. Brug. [48] Clopenburg. Collat. critic. num. 19. Ludov. de Dieu hic.
[49] 4. Reg. xi. 2. 3. 2. Par. xxii. 11. 12.

rum expletio in ipsa Judaicæ Religionis centro contingeret.

Hæc tamen sententia, doctissimis viris probata, suas pariter difficultates. Quempiam diebus aliquot in Templo, in amici vel necessarii sacerdotis conclavibus versari potuisse, id porro dabimus: at homines a sacerdotio alienos centum & viginti in Templo fuisse diebus decem, nemine repugnante, id vero præter fidem est: ipsi enim Sacerdotes ac Levitæ diuturniorem diebus octo moram in Templo non agebant, ipsaque Templi conclavia ita addicta erant Sacerdotibus, ut alienus nemo ibi moraretur. Maxime autem omnium cautum erat, ne ibi essent mulieres: at cum Apostolis erant Maria mater Jesu, aliæque mulieres Act. 1. 15. & 2. 1. Pueri Joas exemplum extraordinarium est, ut nihil ex eo colligi queat. Adde, quod cum Apostoli invisi essent Sacerdotibus, quippe Jesu Discipuli vulgo noti, credibile haudquaquam est, illos diu quietos in Templo relictos fuisse. Denique id minime commisisset Lucas, ut rem adeo animadversione dignam, Apostolos nimirum secessisse in Templum, ibique Spiritu Sancto impletos, omitteret, qui eamdem rem hic & in Actis fuse describit.

Multo igitur simillimum vero est, domicilium in urbe Apostolis fuisse, in quo simul omnes morarentur; sanctoque Spiritu in Festo Pentecostes illapso plenos, statim ad Templum se contulisse, ubi variis loquentes linguis, ingentem populi multitudinem ad sese traxerint; eoque tempore & loco illud contigit, quod in secundo Actorum Capite narratur. Quod hic habet Lucas, illos nimirum assiduo orationis studio fuisse occupatos, de tempore illapsum sancti Spiritus consequuto intelligendum est. Tradit ille his verbis, quæ fuerit primorum Fidelium occupatio post Pentecosten.

Benedicentes Deum. Amen. Postrema hæc vox *Amen* in vetustis quampluribus Lucæ exemplaribus desideratur (50). Addita videtur a piis Fidelibus, quibus in usu erat, preces & Evangelii lectionem in Ecclesia eo vocabulo claudere (51).

Finis Commentarii in Evangelium Lucæ.

IN EVANGELIUM SANCTI JOANNIS PROLEGOMENON.

SAnctus Joannes Evangelista, Bethsaidæ in Galilæa ortus, parentes habuit Zebedæum & Salomen: Piscatoriam exercebat; nec desunt (1), quorum tamen fides incerta est, qui Joanni Baptistæ adhæsisse Discipulum, antequam a Christo vocaretur, autumarint. Ipse & frater Jacobus Major a Jesu Christo appellati sunt *Boanerges*, vel filii Tonitrui Marc. III. 17. tum quod facile ardentiori essent animo, cum etiam quod Jesum aliquando rogarunt, ut sibi deducendi e Cœlo ignis in Urbem quamdam Samariæ, unde exclusi fuerant, potestatem concederet Luc. 9. 54. Junior ex omnibus accessisse creditur ad Apostolatum, cum scilicet ætatem ageret XXV. vel XXVI. annorum circiter (2). Cælibem duxisse vitam, patrum traditione receptum est (3). Ejus amoris, quo illum prosequebatur Jesus, non levia dedit specimina, in eo maxime, quod e cruce pendens, illi Virginem matrem reliquit Joan. 19. 26. Unus inter Apostolos divinum Præceptorem in passione pariter & morte deserere non sustinuit. Ferunt, Evangelium nunciasse Parthis (4), ac majorem Asiæ minoris Ecclesiarum partem fundasse pariter & rexisse (5). Ephesi diu mansit, quo pariter illum secutas dicunt Virginem matrem cum Maria Magdalene. Rerum potiente Domitiano, Romam ductus, ferventis olei dolium intactus subiit (6). Paul deinde relegatus est in Insulam Patmos, ubi & Apocalypsim (7), &, juxta aliquos, Evangelium suum scripsit. Ephesum postliminio regressus, diem ibi clausit extremum (8).

Provectiori ætate Evangelium scripsisse, satis convenit; de anno tamen & loco non constat. Sunt qui Ephesi, soluto exilio, scripsisse censeant (9); sunt qui malint in Insula Patmos (10). Est autem Patmos una ex Sporadibus in mari Ægæo. Mss. Græca sane multa ferunt, scriptum opus XXXII. annis post Ascensionem Christi (11); alia legunt post XXX. alia post XXXI. Ejus epo-

[50] Non legitur *Amen* in Cantabrig. Colb. 8. Copht. Arab. Armen. Latin. quibusd. [51] Vide 1. Cor. XXIV. 16. & Grot. hic. [1] Chrysost. in Joan. homil. 17. & Epiphan. hæres. 51. [2] Hieron. in Jovin. lib. 1. c. 24. & Ep. 1. & Paul. Ep. 386. [3] Epiphan. hæres. 58. Ambros. de Symb. c. 50. Chrysost. de Virgin. c. 82. Paulin. Ep. 4. [4] Vide August. quæst. Evang. lib. 2. c. 39. [5] Hieron. de Viris Illustr. c. 9. Tertull. contra Marcion. lib. 4. c. 5. [6] Tertull. de præscript. Hieron. in Jovinian. 1. c. 14. [7] Apoc. 1. 9 Hieron. in Matt. Tertull. præscript. [8] Euseb. lib. 3. hist. Eccles. c. 1. [9] Iren. l. 3. c. 1. & 11. Epiph. hæresi 51. Victor Petavien. in Apoc. Auth. quæst. vet. & nov. Tatian. qu. 72. Syr. Pers. Copht. in fine Evang. Joan. &c. Theophyl. Prolog. [10] Athan. in Synops. Auth. oper. imperf. homil. 1. Hippolyt. Ms. in Biblioth. Bodl. Doroth. Theophyl. Euthym. Mss. plures. Apud Mill. not. in cap. XXI. V. 25. Suidas. [11] Ita Ms. plures ad calcem Evang. Joan. Vide Mill. post. cap. XXI. Joan. Ita Theophyl.

epocham constituunt alii sub Imperio Domitiani, quidam sub Trajano. Ea in re non satis quidem inter nostros Chronologos convenit; plerique tamen consentiunt, ad Evangelium scriptis mandandum se contulisse Apostolum soluto exilio, circa annum xcvsts. J. C. Trajani primum, ab Ascensione LXV. & ætatis ipsius xcv.

Idcirco potissimum laborem hunc suscepisse Apostolum tradunt Veteres (12), ut hæreses orientes Cerinthi, Ebionisque, Verbi Divinitatem negantes, revinceret. Nec abs re credimus, voluisse pariter Apostolum Judæos incredulitatis arguere, & obstruere ora Philosophorum, qua Platonicorum, qua Stoicorum. Etenim illorum dogmata, & errores nunquam non sternit in Evangelio, ac potissimum in priori capite, quo sublimissimorum Ecclesiæ Catholicæ dogmatum summam complectitur.

Abhorreret licet a scribendo, rogantibus tamen atque urgentibus Discipulis persuasus est, accedentibus præsertim obsecrationibus Episcoporum, & Ecclesiarum, &, quod caput est, secreto Sancti Spiritus illapsu, quo ad suscipiendum impigre laborem urgebatur (13). Nec tamen prius tantum opus aggressus est; quam lectis, expensis, laudatis, & probatis trium præcedentium Evangelistarum scriptis (14); susceptoque consilio supplendi ea, quæ ab illis prætermissa deprehenderat, potissimum quæ ad doctrinam Magistri, ac mysteria Incarnationis, & Divinitatis ipsius pertinerent. Norat enim, cæteros historiam potius dedisse prodigiorum Jesu Christi, quam secreta ejus arcana revelasse; eo, facile consilio, quod nondum capere fideles tanta posse intelligerent.

Quidquid sit, non prius ad scribendum se contulit Apostolus, quam post Divinam opem jejuniis publicisque precibus imploratam. Post altam Divinarum rerum contemplationem, in ipso adhuc colloquio cum Domino, prima Evangelii sui verba pronunciavit (15). Nec desunt, qui inter fulgura, & tonitrua emissa verba illa asseverent (16); cujus rei asserendæ facile in causa fuerunt Patrum quorumdam locutiones (17); qui ad nomen *Boanerges* seu filiorum tonitru, Joanni ejusque fratri a Jesu Christo tributum, spectantes, nominis illius veritatem tum maxime impletam fuisse dicunt, cum Evangelii sui exordium effudit; quod perinde habendum est, quasi ex alta nube reboans tonitru, sed fulgore serenitatis pleno, cujus luminis beneficio Joanni secreta ex ipso Patris sinu patuerint. Testatur S. Gregorius Turonensis de Glor. Mart. cap. 30. ætate sua adhuc spectatum in ipso montis non longe ab Epheso cacumine locum, ubi scriptum a Joanne Evangelium traditione receptum tenebatur. Locus erat sub dio, parietum septo clausum, quem impluvium toto eo tempore mansisse ferunt, quo Apostolus scribendo Evangelio substitit, & tunc etiam eumdem ipsum locum imbres revereri apud incolas ferebantur.

Autumarunt e Priscis nonnulli (18), Cajo, olim discipulo S. Pauli, Amanuense usum esse Joannem; nec facile alter erat Cajus iste ab illo, ad quem tertia Joannis Epistola data legitur. Tradunt alii (19), inscriptum ab eodem Apostolo opus Papiæ Episcopo Hieropolitano, tanquam supplementum, & expositionem eorum, quæ ore tenus ipsum discipulum suum docuerat. Inter hæc incerta, illud tamen certo constat; stilum ejus Evangelii cum tribus Epistolis Joannis congruere, non phrasibus modo, & eodem Joannis ingenio, sed etiam doctrina, sententiis, & quod mirum est, ipsis utrinque vocibus. Variat quidem Apocalypseos stilus; quod suo loco discutiemus.

S. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. 7. cap. 25. elegantiam, & purioris eloquii cultum quemdam in eodem Evangelio observat; cultum nimirum non in selectu solum, & collocatione verborum, sed etiam in syntaxi, & argumenti connexione. Nihil, ait, in eo Opere barbarum horret; ut collatum a Deo Sanctissimo Authori non luminis tantum & scientiæ, sed etiam eloquii donum esse videatur.

In eo tamen, quod ad eloquentiam & leporem dicendi pertinet, excessisse S. Dionysium Alexandrinum, Critici Recentiores putant (20). Non est quidem ea laude Author fraudandus, si rerum granditas, & sententiarum majestas spectetur; sed cadit etiam non raro in stilum humilem & vulgarem. Nonnulla interdum occurrunt ad ingenium linguæ Syriacæ seu Hebraicæ; repetitæ quandoque sententiæ, & phrases quædam Græcæ linguæ leporem non sapiunt. Porro humanarum litterarum rudem fuisse Evangelistam, nulloque excultum artificio eloquii & rhetoricæ, id quod sine ejus injuria dictum volo, constat inter omnes (21). Hoc qualecumque vitium reparatur abunde scientiæ divinitus acquisitæ lumine, Mysteriorum profunditate, rerum excellentia, soliditate sententiarum, atque doctrinæ utilitate. Eum virum selegit, sibique comparavit Spiritus S. qui plane Spiritus Philosophis omnibus, & Rhetoribus plurimum præstat. Lumen est, quo mens illustratur, & ignis, quo corda flammescunt; sine artis & eloquentiæ ope instruit, evincit, persuadet.

Vulgari licet, & simplici stilo scriptum Evangelium Virorum insignium & sapientissimorum elogia promeruit. Si Evangelia veluti primitiæ & selecta Sacrarum Scripturarum portio censenda sunt, ait Origenes (22); profecto Joannis Evangelium est Evangeliorum, & totius Novi Testamenti selectissima portio. Nemo sane potuit profunditatem ejus scripti attingere, nisi qui super-

---

(12) Clem. Alex. apud Euseb. lib. 6. c. 14. hist. Ecclesi. Hieron. de Viris Illustr. & Prolog. in Matt.
(13) Epiphan. hæres. 51. c. 12. (14) Vide Euseb. lib. 3. c. 4. & Hist. Eccles. Hieron. de Viris Illustr. Clem. Alex. apud Euseb. lib. 2. cap. 14. Hist. Eccl. Epiph. hæres. 51. Theodor. Mops. in Caten. Gr. Anonym. in ead. Catena. (15) Vide Hieron. Prolog. in Matth. Chrysost. hom. 87. tom. 6. (16) Vide Baronii Annal. cap. 99. (17) Paulin. Ep. 24. p. 213. Epiphan. hæres. 73. c. 7. Vide August. serm. 135. c. 8.
(18) Athan. in Synops. Dorotheus, & Codex Ms. Seld. (19) Anonym. in Catena Gr. Prolog.
(20) Vide Grot. Prolog. in Joan. (21) Theophylact. Proœm. in Jo. Grot. alii.
(22) Origen. Præfat. in Joan. ex Edit. Græc. Latin. Huet. Vide & Iren. lib. 3. c. 1. Epiph. hær. 30. c. 6.

per ipsum Jesu Christi pectus, veluti Sanctus hic Evangelista, quieverit. Sigillum est, ait idem, quo cæterorum Evangelia obsignantur; columna, quam fulciendæ regendæque Ecclesiæ suæ Deus constituit. Jure proinde meritoque apud Patres Evangelista Joannes aquilæ comparatus est (22), quippe qui ad solium usque Dei volando perveniat. Tot claudit mysteria, quot sententias (23).

Platonicum quemdam dicere solitum fuisse referunt, ea, quæ de Majestate Verbi in eodem Evangelio narrantur, aureis literis exaranda fuisse in liminibus Templorum, ut ab omnibus legerentur (24). Amelius, alter Platonicus ad tertium sæculum pertinens, dicebat, Joannem, barbarum licet, cum de Verbo ageret, hanc protulisse sententiam, nimirum per Verbum ipsum, quod æternum esset, omnia extitisse, ipsum esse rerum omnium principium; Æternum esse; in eo vivere & existere, quæcumque universum replent omnia; carnem vero assumpsisse, nec tamen Divinam deposuisse naturam; ad Deum postea receptum, pristinas sedes obtinere (25). Tandem plures alii Philosophorum cœlestem Viri sapientiam admirati sunt, neque illos puduit, ex eo Opere plura in sua derivare scripta, ex eo scilicet Opere, cujus Author piscator erat, & barbarus ab iis habebatur, studio saltem humanarum scientiarum nullo excultus.

Nihil est autem magis futile & fictitium, quam novum illud recentiorum quorumdam Scriptorum commentum, dictitantium, ex Platone sive Philone Judæo ea didicisse Apostolum, quæ de Verbo in Evangelio scribit. Potuit ille quidem seu ore tenus per Discipulos suos, sive Philosophos ipsos audiens, aliquid de Verbo sive de Principio Platonis discere; eaque præ oculis in exordio Evangelii sui habuisse, non inviti suspicamur. Hæc tamen ille non docendi gratia, sed refellendi expressit; cum Verbum, de quo apud Joannem, aliud plane sit a Verbo Platonico & Philonis (26). Facile autem cuicumque hisce studiis operam danti patebit, nullum teste Græcæ Philosophiæ, & præsertim Platonicæ vestigium ea, quæ a Joanne scripta posteritati transmissa sunt.

Mansisse adhuc hujus Evangelii Autographa in Ecclesia Ephesina septimo sæculo, vel saltem quarto, docet non ambigue S. Petrus Alexandrinus, in Chronico Alexandrino legendus (27). Matute satis opus illud Hebraicis, vel potius Syriacis literis Judæi tradiderunt; scriptumque Hebraicum Exemplar solerti cura in eorum Bibliotheca secreta Tiberiadis ad Mare Galilææ servatum, S. Epiphanius hær. 56. c. 3. est author.

Ejus Evangelii authoritatem nunquam in dubium revocavit Ecclesia. Quicumque vero ex Hæreticis illi repugnavere, illos *Alogorum* nomine, idest adversariorum Verbi, traducit S. Epiphanius (28). Porro Hæretici illi inverecundo sane commento scriptum imputabant Cerintho; quasi scilicet legentibus non constet, nunquam in toto Evangelio impietatem Cerinthi non evinci atque damnati. Ad hæc, opus illud veteres Patres omnes sub Joannis Apostoli nomine laudant. Quare nunquam fieri posse constat, ut Cerinthi habeatur, qui fraude sua Ecclesiam fefellerit universam. Adde, ejusdem Evangelistæ Autographum, uti quidem rebantur, Ephesi servatum tertio sæculo exeunte, quemadmodum supra animadvertimus. Tandem si Cerintho Evangelium tribuatur, cur non & cætera eodem Joannis nomine eodemque stilo descripta Opera, Epistolæ nempe, & Apocalypsis?

Suspicionem alii adversus Evangelii illius veritatem moverunt, quod non in rebus gestis tantum, quod in re præsenti nihil esset, sed in recitandis etiam sermonibus Jesu Christi, vario a cæteris Evangelistis orationis genere Author utatur. Quis porro credat, Jesum adeo vario dicendi genere verba sua exponi voluisse apud Matthæum, exempli gratia, & Joannem? Apud alterum hunc Evangelistam prolixior est oratio, repetitis interdum sententiis morosa, & ratiocinationibus, quarum vix ulla apparet connexio, desultoria: apud cæteros eloquio utitur conciso, sententioso, aperto, & fere nunquam non parabolico. Apud alios Evangelistas Jesus frequentissime utitur eo exordio: *Amen dico vobis*, apud Joannem vero *Amen* geminatur: *Amen, Amen dico vobis*.

Sed hæc levia sunt & nullius ponderis. Evangelistæ suam singuli dicendi rationem suis in Operibus præferunt; regionis & aviti sermonis tenent ingenium, & cum alterius dicta narrant, ita plane historiam suam ducunt, ut citra veritatis dispendium, Scriptoris ingenio stiloque serviant. Quotidianu id novimus experimento, tum in familiaribus colloquiis, cum in lectione Librorum. Eadem historia, apud varios lecta, variat, quamquam utrinque eadem est veritas. Epistolæ Romani Senatus, & Spartarum, in Libris Macchabæorum recitatæ, ingenium servant Hebræorum, alterum plane a Græci Romanique eloquii natura. Conferat, si quis vult, Evangelistas inter se, non in historia tantum, sed etiam in concionibus, quas a Jesu Christo habitas narrant, & discrimen inveniet in stilo & in ordine usque verborum. Ad hæc, Joannes Opus suum eo consilio suscepit, ut omissa a cæteris Evangelistis suppleret; quare suarum esse partium duxit, ut omissos a cæteris Jesu Christi sermones, & quemadmodum ab illo effusi sunt, referret. Accedit rerum, de quibus loquendum suscipit, natura, quæ fane aliam exigebat, quam res per cæteros Evangelistas recitatæ, scribendi rationem. Sublimissima enim nostræ Religionis mysteria pandit Joannes; & quæ ab ipso traduntur dogmata, veritates sunt, quæ in contemplatione versantur. Moralia potius dogmata, prodigia, & veritates usui accommodatas reliqui Evangelistæ prosequuntur. Naturam autem rerum oratio imitatur.

Po-

(22) Vide Paulin. in Epist. 24. August. tract. 36. in Joan. Alios passim. (23) Ambrof. de Sacram. lib. 3. c. 2. (24) August. lib. 10. de Civit. c. 29. ex Simplic. Mediolan Episc. (25) Vide Euseb. Præpar. lib. 11. c. 19. Cyrillum Alex. in Julian. l. 2. (26) Vide quæ contulimus in comment. ad cap. 1. Jo. (27) Vide Chronic. Alex. & Ms. fragment. de Paschate apud Petav. & Usser.
(28) Hæres. 50. c. 6. August. hæres. 30.

Postremum Evangelii hujus caput aliena manu adjectum censuit Grotius in Joan. xx. 30. 31. nec alienum a vero censet, Opus esse illud Ecclesiæ Ephesinæ, quæ palam omnibus fieri voluit, quæ præstanda esset fides sparso inter Fideles rumori, nimirum Joannem nequaquam moriturum. Duo sane versus capitis xx. epilogus videri possunt totius Evangelii: *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in Libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Alii vero (29) duos tantum ultimos versus capitis xxi. aliena manu adjectos consentiunt; talis enim instituitur in illis narratio, quæ aliquem potius ex Discipulis Joannis, quam ipsum Apostolum deceat. *Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus quia verum est testimonium ejus. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, Libros.*

Sed nos veteres fines, a Patribus nostris positos, transgredi, piaculare ducimus (30). Postremum hoc caput tamquam genuinum Joannis Opus semper suscepit Ecclesia; & nos etiam suscipimus. Quantum quantum est hoc Evangelium, una cum omnibus, quibus constat, partibus, in canonem recepit Concilium Tridentinum; & nos etiam nihil non Canonicum agnoscimus. Probabiles licet congerantur conjecturæ, nunquam id impetrabunt, ut deserendam suadeant assertam Patrum nostrorum authoritate sententiam; alioqui enim, ea semel data via, nihil inviolatum in Divinis Libris maneret, quos tamquam Spiritus Sancti Oracula, & Patris cœlestis testamentum habemus.

Præter Evangelium, ingenii sui fœtus reliquit Joannes Epistolas tres, & Apocalypsim, de quibus suo loco. Alia quædam Scripta, Hæreticorum fraude, tanto viro supposita sunt, indigna plane, quæ sub tanti nominis gloria prodeant, e. g. *Itinera Joannis* (31); quod facile Opus confundendum est cum Actis ejusdem Apostoli (32). Laudatur sub ejus nomine Liber *De obitu & Assumptione B. Virginis* (33). Servant adhuc Orientales Liturgias, Joannis Evangelistæ nomine inscriptas. Sed Ecclesia ejus Authoris genuinum non agnoscit, nisi Evangelium, Apocalypsim, & tres illas Epistolas, quas supra innuimus.

Obtinet non raro apud veteres Patres (34) elogium Theologi; quod illi partum est scripto Evangelio, ac maxime primo ejus Operis capite. Polycrates Episcopus Ephesinus apud Euseb. lib. 5. c. 24. Hieron. de Viris Illustr. testatur, alligatam fronti gestasse laminam auream, veluti Sacerdotio Jesu Christi fungentem; quod pariter honoris insigne prætulisse priores Episcopi feruntur, quo major honor Sacerdotio novæ Legis conciliaretur, exemplo Summorum Sacerdotum apud Judæus. Sed hujus rei certiora adhuc documenta expectantur.

DISSERTATIO

DE OBITU S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

DE obitu S. Joannis Evangelistæ tamquam de problemate semper disceptatum est in Ecclesia, jam inde a primis exortæ Fidei sæculis, ad nostram usque ætatem. In utramque partem Authores in medium facile produci queunt, neque id tantum inter Scriptores Græcæ Ecclesiæ, sed etiam Latinæ spectatum est. Decimo quinto sæculo Georgius Trapezuntius Lucubrationem (1) Pontifici nuncupavit, qua defendendam suscepit sententiam de exemptione Joannis a communi mortalium lege; superstitem adhuc, proditurum tandem dicebat, novissimis decedentis mundi temporibus, ut manum cum Antichristo consereret. Porro scriptum illud nullo solido argumento & rara fulcitur authoritate; quare nullo negotio a Bessarione refutatum est. Cardinalis Baronius in suis ad Martyrologium Romanum adnotationibus, ejus Libri, suppresso Authoris nomine, frigide satis meminit.

Jacobus Faber Stapulensis (2), decimosexto ineunte sæculo, sententiam Georgii Trapezuntii defendendam suscepit, asserens, melius facturum S. Hieronymum, si adnotaret, Joannem e præsenti hac in alteram vitam migrasse, quam mortem oppetiisse; neque enim de ejus obitu certi aliquid noscitur; nunquam paruit ejus sepulcrum, quod ille incolumis lætusque, tamquam si ad immortalitatem iret, subiit. Factum itaque arbitratur, ut optima valetudine plenus, e terris, quemadmodum olim Enoch & Elias, translatus sit, ad constitutum Judicio tempus, vel alterum quempiam in usum reservandus.

Argumentum de obitu Joannis tractans Malvenda de Antich. l. 9. c. 11. 12. obiisse illum defendit, nec venturum in exitu sæculorum, ut una simul cum Enocho & Elia manus conserat cum Antichristo. Vide Abdiam in Vita S. Joannis, capite 22. & 23. & Fabricii in eum locum adnotationes, *pag.* 587. *&c.* & Addenda in eam, *pag.* 984. *&c.* Negat, Apostolum obiisse Ambrosius Catharinus.

Decimoseptimo tandem sæculo Florentinius (3) huic fulciendæ opinioni operam suam conferens, sententiam illam solidius & majori scientiæ nisu defen-

[29] Hammond. Le Clerc. [30] Deut. xix. 14. xxvii. 17. [31] Athanas. in Synopsi. [32] Epiphan. hæresi 47. [33] Sixt. Senen. lib. 2. Baron. Annal. an. 44. [34] Concil. Ephesin. Athanas. in Synopsi; Cyrill. Jerosolym. Catech. 52. Ephrem passim; Nyssen. Vita S. Theodor. Aster. Amas. homil. 8. Alii. [1] Georg. Trapezunt. Opusc. quod *Jo. Evang. nondum sit mortuus*. Basileæ 1543. Ita & Pseudo-Hippolytus & Dorotheus. [2] Fab. Stapul. Differt. de una e tribus Maria fol. 52.
[3] Florent. Not. in Martyrolog. vetus Hieronymi pag. 125. & sequent. Ita Nicephor. lib. 1. cap. 55.

defendit. Obiisse ille quidem Apostolum, sed statim ad vitam restitutum putat, ut ad exitum usque sæculorum perveniens, nunciata fide iterum occumbat. Tillemontius Florentinii argumenta ad trutinam revocata, levia esse & inania demonstravit (4). Ætate S. Augustini (5) & S. Gregorii Turonensis (6) plures ea persuasione tenebantur, in tumulo adhuc superstitem Apostolum condi, extrema Judicii die proditurum. Varias hasce sententias modo in examen revocamus, quascumque demum partes potiores reputavimus, secuturi.

His omnibus sententiis unicum momentum petitur e textu Evangelico Joannis xxi. 1. 2. Duodecimo die vel circiter a resurrectione, Christus Discipulis suis, piscationi in mari Galilææ vacantibus, spectandum se præbuit. Cum illis uberem largitus esset piscatum, instruxit pariter & dapes, quas una cum illis in litore maris degustavit. Secundum hæc, Petrum semel, iterum & tertio interrogavit, num magis quam cæteri, se ille amaret? Affirmante Apostolo, ita Jesus: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non vis*. Adjecit: *Sequere me*. Paruit illico Apostolus: interim vero, ait Evangelista, *conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, & dixit: Domine hic autem quid? Dicit ei Jesus. Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*. [Exemplaria Latina habent: *Sic eum volo manere, quid ad te? Tu me sequere*.] *Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia Discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, non moritur; sed si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* [sive juxta Latina Exemplaria: *Sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?*] Hinc datus varie opinandi locus, atque unicus hic disputationis nostræ cardo.

Equidem, ut vera fateamur, verborum sensus, qui primo sese offert legentibus, ille est, immunem fore a præscripta mortalibus omnibus moriendi lege Apostolum, donec Filius Dei veniat: Et id maxime suadetur illa Vulgatæ lectione. *Sic eum volo manere donec veniam*. In eumdem pariter sensum convenit Græca lectio: *Si eum volo manere donec veniam; quid ad te?* Particula illa *si* indicativo apposita, non dubitationem ingerit, sed est affirmandi nota: quemadmodum Georgius Trapezuntius pluribus exemplis demonstrat, & ipso etiam constat Grammaticorum testimonio. Ita familiari sermone usurpatur: Si ego te amo, num tibi obloquor? Si ego multum lectioni & studio vacavi; cur me rudem indoctumque nuncupas? Si ego ista scripsi, nonne optime noram? Porro in allatis exemplis particula *si* non ambigentis nota est, sed affirmantis. Ea pariter vis est ejusdem particulæ in sententia Evangelica, *Si eum volo manere donec veniam*; nimirum: Volo equidem ad adventum usque meum ita manere. Ita pariter loquentis Christi verba interpretati sunt Discipuli, & cæteri quicumque Fideles, ad quos rei fama pervenit: *Exiit sermo inter Fratres, quod Discipulus ille non moritur*. Quod illis tunc visum est, idem pariter & legentibus modo eadem verba usu venit.

Quod enim a nonnullis reponitur, nimirum, nihil aliud innuisse Christum, quam velle se tamdiu manere Apostolum, donec ad eum invisendum per mortem veniret; perinde sane est, quasi minus congruo sermone locutus Jesus Christus statuatur. Quæ tunc prærogativa Joanni præ cæteris a Jesu collata est, si Christus moriendum illi nunciavit, cum per mortem ad eum invisendum ipse veniret? Nonne eo sensu homines tamdiu in mundo persevetant, donec ad invisendos illos Dominus veniat?

Primus igitur, proclivis & literalis verborum sensus tenendus est; quæ plane si ambiguum aliquid continerent, ipse Joannes exposuisset; cum præsertim adjecerit: *Et non dixit Jesus, Non moritur; sed sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?* Cur deceptos esse Fratres ejusdem sermonis occasione, ratos nunquam interiturum Apostolum, Evangelista non monuit? Quamquam non immortalitatem illi Christus, sed diuturnam vitam promisit. Quare cum Discipuli de immortalitate interpretabantur, quod a Christo de vitæ diuturnitate dictum intelligi volebat, adjecit idem Evangelista: *Et non dixit Jesus: Non moritur, &c.*

Ad hæc, Jesu Christi verba ita pariter usurpabant Discipuli, quasi nunquam Joannes mortem esset oppetiturus, cum Jesus tantum significaret: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere?* Congruit quidem verborum sensus, sed verba non item. Quare Joannes verba sententiæ Jesu Christi verbis fratrum opponit, non ipsum verborum sensum. Re quidem, ait Georgius Trapezuntius, mentem Jesu Christi assecuti fuerant Discipuli, sed Apostolus Joannes, insita Sanctis viris animi demissione & modestia, ait, non dixisse Jesum: *Non moritur, sed, si eum volo manere donec veniam, quid ad te?*

Huic etiam opinioni de exempto a communi mortis lege Apostolo favet alter locus Apocalypseos x. 10. 11. ubi Angelus inducitur offerens Apostolo Joanni Librum, simulque his verbis compellans Apostolum: *Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Et accepi Librum*, inquit Joannes, *de Manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tamquam mel dulce; & cum devorassem eum, amaricatus est venter meus; & dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis*.

Observant autem, Apostolum post exilium in Insula Pathmos, ubi Apocalypsim literis mandavit, nunquam ad gentes & Reges extraneos fidem nunciasse. Iniqua enim valetudine & affecta ætate vir longioribus itineribus impar fuisset. Implendo igitur Apocalypseos oraculo destinatum est extremum mundi interituri sæculum, cum scilicet Evangelista nunciando gentibus Evangelio, atque testimonio de Jesu Christi adventu ferendo una cum Elia & Enoch adversus Antichristum prodibit.

Defuturum quidem aliquid videtur in ea veluti expeditione, quam Dominus adversus Antichristum suscepturus erit, si terribili adversario Enochum dumtaxat & Eliam oppositurus esset. Oppugnari enim par est hostem infensum a Propheta ante Legem, Propheta sub lege, ac tandem tertio aliquo Propheta sub Evangelio. Porro Enoch ad ætatem antediluvianam pertinens, cum prioribus illis Patriarchis versatus est; Elias sub Lege, rerumque potientibus Juda & Israelis Regibus paruit, S. Joannes cum ipso Jesu consuetudinem habens, gesta ab illo prodigia præsens spectavit, in ejus requievit sinu, fundavit Ecclesias, Evangelium scripsit, & Apocalypsim. Quanti esset momenti Apostoli ipsius testimonium, & præsentia, iniquissimis illis nostræ Religionis temporibus?

Fidem suam obligavit Jesus Joanni, daturum se ipsi, ut de suomet calice gustaret, eodemque, quo ipse, balneo ablueretur (7). Quibus verbis non obscure Martyrium ipsius designabatur. Nihil autem de Martyrio ipsius legimus, quemadmodum violenta morte sublatos ejus fratres Jacobum, Petrum, cæterosque Apostolos memoriæ proditum est. Quid? an divino Jesu Christi oraculo fides de-

---

[4] Tillemont tom. 1. S. Jean. l'Evangel. art. 10. 11. & Not. 15. 16. 17. 18. [5] Augustin. in Joan. tract. 124. [6] Gregor. Turon. de gloria Mart. l. 1. c. 30. [7] Matth. xx. 22. 23. Marc. x. 38. 39.

defuit? sive Martyrii honori impar Joannes habitus est? Noo arbitror, sed dilata est ejus victoriæ palma, donec in exitu mundi ipse pariter ob veritatis testimonium, una eum Enocho & Elia, interimatur. Hoc victoriæ suæ tempus opperiens Apostolus in loco extra mundum amœno, & serena pace tranquillo, tempus jucundissime fallit. Hæc Georgii Trapezuntii argumenta.

Tandem si occubuisset Joannes, de genere ejusdem mortis, de tempore, de sacris ejus lypsanis, ac tandem de loco ejus sepulcri non vagaremur incerti. Modo autem omnia æque latent. Superstes itaque manet Apostolus. Narrant equidem, illum decrepita jam ætate superstitem adhuc spirantemque tumulum subiisse (8), dimissisque omnibus Discipulis evanuisse illico, in occultum, uti quidem ferebatur, locum translatum. Id quod ipsis demum ad locum regressis Discipulis, & vacuum sepulcrum spectantibus, evidentissime apparuit. In ipso subeundi monumenti articulo, mortem obiisse alii malunt, statimque ad vitam rediisse (9). Alii tandem defendunt, viventem adhuc in sepulcro claudi, in eodem ibi statu adhuc manere, spirantemque apertissimis indiciis deprehendi; nam post plura ab ejus obitu sæcula genus quoddam terræ, sive mannæ ex ejus sepulcro efflabatur; quæ piis Fidelium studiis nunquam deerat (10).

Is erat volgatus S. Augustini & Gregorii Turonensis ætate de Joanne rumor. Ejusdem terræ aliquid octavo sæculo vidit, suisque irrigavit lacrymis S. Villibaldus, cum Epheso pertransiret (11). Neque Ephesi modo, sed longe lateque per orbem manna illud vel terra spargebatur, non sine prodigiorum fama in valetudine ægria afferenda. S. Ephrem Antiochenus Patriarcha apud Photium Cod. 229. anno oxxx. testatur, genus quoddam thuris ex ipso Apostoli sepulcro undique Fideles relatum venisse. Facile autem thus illud eum terra, de qua S. Augustinus, [*manna* appellat S. Gregorius Turonensis] similæ speciem referentem, confundendum est. Ejus rei mentio occurrit io Libris Ecclesiasticis Græcorum, in quibus ebullisse manna illud potissimum die VIII. Maji traditur; in cujus rei memoriam singulare Festum S. Joannis ea die celebratur. Ejusdem mannæ fama nondum evanuerat S. Petri Damiani ætate.

Hisce omnibus historiarum monumentis pondus aliquod accedit ex authoritate Veterum & Recentiorum, qui vel non obiisse adhuc, vel saltem post obitum in vitam rediisse testantur. S. Epiphanius hæresi 79. refert, Deum sive peculiari erga Joannem amore, sive ejusdem Apostoli precibus motum, genus quoddam mortis insuetum & supra præscriptas mortalibus leges dedisse, cujus obitus historiam legas in Actis S. Joannis (12), vetustissimis illis quidem, sed opera Leucii cujusdam viri nutilissimi corruptis. Interciderunt nostra ætate Acta illa: quæ si adhuc superessent, nihil aliud nobis afferent commodi, quam ut ex eorum authoritate probaremus, a vetustissimis sæculis repetendam esse traditionem, quæ exemptum a morte Apostolum tenet. Neque enim ejus Operis Scriptor tanti momenti rem affirmandam suscepisset, nisi prius Fidelium omnium persuasione certa haberetur. Romanensium fabularum Authores, certo quodam historiæ fundamento posito, fabellas superstruunt. Acta illa probarunt secundo Ecclesiæ sæculo Encratitæ, & Manichæi, S. Augustini ætate (13).

S. Hilarii in Lib. 9. de Trinit. n. 39. testimonium, ambiguum licet, plus tamen favet parti, quæ exemptum a morte Apostolum defendit, quam contrariæ opinioni: *Loquatur Joannes*, ait ille, *sic usque ad adventum Domini manens, & sub sacramento Divinæ voluntatis relictus, & deputatus, dum neque non mori dicitur, & manere*. In Libro vero 10. de Trin. n. 37. comparans Joannem cum Jacobo & Petro observat, duobus illis Apostolis Martyrii coronam sponderi, Joannem reservari ad Evangelii prædicationem: *Joanne in prædicatione Evangelii firmando*. Putasse ætate sua quosdam, Apostolum Joannem superstitem adhuc manere, tradit S. Ambrosius, neque persuasionem illam refellit (14). In vetustis Editionibus ejusdem Patris, uti & in nova (15), Joannes pari cum Enocho & Elia gradu constitutus, proditurus dicitur ante postremam Judicii diem, ut cum Antichristo congrediatur. Quamquam nomen Joannis scriptum nonnisi in Ms. Regio & in Editionibus Parisiensibus apparet; alibi enim sive in Mss. sive in editis nomen tantum Enochi & Eliæ legitur. Laudatur pariter in eam rem primus liber lucubrationis S. Ambrosii in obitu fratris sui Satyri, *num.* 4. frustra tamen: demonstrat enim tantum, Jesum potuisse quidem, si vellet, immortalitatis privilegio Joannem donare. Et alibi diserte testatur (16), in suspicionem quidem ventum esse, num Joannes a letho servaretur immunis; nunquam tamen id fuisse persuasum: *Joanni promissum æstimatum; sed non est creditum*.

Certior in eam opinionem est authoritas S. Ephrem Antiocheni apud Phot. Cod. 229. Authoris sæculi sexti, qui amotis ambagibus asserit, Joannem vitam ad exitum usque mundi, quemadmodum de Elia & Enocho vulgatum est, producturum; eoque tandem temporis interiturum, ut statim in vitam revocetur. S. Gregorius Turonensis De Glor. Mart. lib. 1. cap. 30. putat, Joannem spirantem adhuc monumentum subiisse, ubi ipsius ætate adhuc clauderetur. S. Joannes Damascenus Serm. de Transfig. Dom. n. 7. agnoscit, obtinere apud viros plures doctissimos opinionem, nimirum illo Evangelii, *Si ego volo manere, quid ad te?* innui, nunquam Apostolum interiisse. Andreas Cæsariensis in Cappadocia, qui anno circiter o. florebat in Apoc. c. 19. & Aretas Episcopus pariter Cæsariensis apud Flurent. p. 124. qui circa annum oxc. idem sive tenent, sive tamquam probabile significant. Paria legas apud Pseudo-Hippolytum, Pseodo Dorotheum, Metaphrasten, Pseudo Cæsarium fratrem S. Gregorii Nazianzeni, Nicephorum lib. 2. c. 42. Strabum Authorem Glossæ ordinariæ, Fulbertum Carnotensem, Petrum Damiani, qui duo postremi Scriptores pietatis esse & religionis censuerunt, si probabile asseratur, Joannem, non secus ac Beatam Virginem Mariam, ad vitam rediisse, ut mortali corpore indutus Cœlesti beatitudine donaretur.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. eumdem Apostolum appellat Præcursorem J. C. quod alio sensu intelligi nequit, quam qui supra a S. Ambrosio insinuatus est, scilicet in exitu sæculorum una cum Enocho & Elia Joannem proditurum. Ita mentem S. Doctoris exponit ejus interpres Elias Cretensis. S. Hieronymus in Jovin. l. 6. c. 34. commoda virginitatis efferens, illud præ cæteris

(8) Ephrem Theopolitanus, apud Phot. Cod. 229. pag. 797. & 800. Vide Petr. Damian. ser. 64. de S. Joan. Evangel. (9) Vide August. Tract. 124. in Joan. & ita Græci hodierni plerique, & in primis Abdias in vita S. Joan. ad fin. (10) Quidam apud August. in Joan. Tract. 124. Vide & Gregor. Tur. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 30. [11] Vide vit. S. Villibaldi, 2. par sæc. 3. Bened. n. 5. (12) August. in Joan. hom. 124. (13) Vide August. de fide, cap. 4. & 38. & in Advers. leg. & Prophet. cap. 20. (14) Ambros. in Psalm. CXVIII. serm 20. num. 12. & in Luc. lib. 7. num. 4. (15) Ambros. in Psalm. XLV. num. 10. *Nam & Bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam atque Enoch, atque Joannem, qui propter testimonium Domini Jesu terris sunt redditi, prœliaretur*. (16) Ibidem lib. 2. de fide Resurr. num. 49.

teris commendat, nunquam scilicet illam interire: quam in rem laudat illud Jesu Christi de S. Joanne. *Si eum volo manere, quid ad te? Ex quo ostenditur*, ait idem S. Doctor, *Virginitatem non mori, nec sordes nuptiarum ablui cruore Martyrii; sed manere cum Christo, & dormitationem ejus transitum esse, non Martyrium*. Gemina legas in Præfationibus veteris Bibliorum editionis, præfixis Evangelio, & Apocalypsi, quas si negaveris S. Hieronymo Authori tribuendas, certe vetustissimas, & non infimæ esse authoritatis concedes.

S. Thomas, Albertus Magnus, S. Vincentius Ferrerius, S. Thomas de Villanova, qua scriptis, qua suis ad populum concionibus affirmarunt, Joannem post obitum in vitam rediisse. Laudantur in eam rem revelationes SS. Geltrudis, & Birgittæ. Hanc denique traditionis seriem claudunt Georgius Trapezuntius, & Faber Stapulensis, qui superstitem adhuc manere Apostolum ajunt; Florentinius, qui ad vitam restitutum esse defendit.

Eamdem opinionem adoptavit, & in suum Officium transtulit Ecclesia Græca novissimæ hujus ætatis, nec mentem ea de re suam aperte adhuc explicavit Ecclesia Latina, quæ tamen in nonnullis Martyrologiis diem transitus S. Joannis delignat nomine Assumptionis, quod Resurrectionem quamdam innuere videtur; & in Officio ejusdem Festi Apostolo vindicat verba illa J. C. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium Hominis*. In Lectionibus tandem, quas e S. Augustino descripsit, consulto omittit locum S. Doctoris, ubi de obitu S. Joannis, quasi scilicet eam opinionem traditioni suæ repugnantem agnoscat. Hæc majoris momenti in medium producuntur pro asserenda sive diuturniore S. Joannis Evangelistæ vita, sive resurrectione.

Contraria huic opinio de obitu, atque sepultura Joannis in Urbe Epheso, non minoribus fulcitur sive argumentis, sive authoritatibus. Textus Evangelii, potissimum pro adversa sententia momentum, nihil probat, uti scite S. Augustinus (17) observat. Ipse enim Evangelista falsam Discipulorum interpretationem, numquam scilicet interiturum Apostolum, refellit, addens: *Et non dixit Jesus: Non moritur; sed, sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quæ tunc ratiocinatio multo erit firmior, si cum nonnullis Criticis statuatur (18), postremum hoc caput adjectum Evangelio Joannis ab Ecclesia Ephesina post obitum ejusdem Apostoli, ut scilicet sparso de immortalitate Joannis inter fideles rumori, & incommodis, quæ inde consequerentur, occurreret. Alii vero Interpretes defendunt (19), verbis illis Jesum Christum innuisse, non prius interiturum Apostolum, quam Divinam de interfectoribus Magistri sui ultionem ipse spectaret. In eum sensum alii (20) reddunt illud J. C. Matth. 16 28. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis*. Est quidem in Novo Testamento familiare, ut adventus Filii Dei & Regni ipsius nomine nihil aliud insinuetur, quam tempus ultionis in Jerosolymam exercendæ (21). Ita e. g. toto capite xxiv. Matthæus postremam Urbis Jerosolymæ obsidionem, quæque Judæorum capiti inhæsura erant, mala describit, sub specie diei adventus, & Judicii Dei. Totus etiam Evangelistæ textus eumdem sensum verbis illis J. C. de quibus modo agimus, subesse, satis demonstrat; cum enim dixisset Matth. 16. 27. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*; addit statim: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo*. Et Matth. 26. 64. & Marc. 14. 62. Sacerdotibus, & viris amplissimis e Synedrio Judæorum nunciat, illos deinceps non visuros Filium hominis, nisi venientem in nubibus Cœli, & cum ad dexteram Patris sedens spectandum se præbuerit; quod ab illo de eversione Jerosolymæ, & dispersione Judæorum dictum creditur.

Similaceum illud manna, quod e tumulo Apostoli sexto adhuc & octavo sæculo exsufflabatur; pulvis ille, de quo S. Augustinus & viri graves nonnulli, multum sane contulerunt conciliandæ inter Fideles de immortalitate Joannis persuasioni. Valuit pariter ad eam rem apud indoctum vulgus sublesta Actorum S. Joannis (22), & librorum apocryphorum fides. Sed ipsa in se res ad trutinam revocanda est. Acta illa, quæ olim ferebantur, nullius erant in Ecclesia authoritatis, nihil illis vetustate, quam jactitabant, conscrebatur. Cum enim Ebionitarum, vel Encratitarum fraude secundo Ecclesiæ sæculo supposita tenerentur, satis erat, ut deploratæ essent apud Fideles authoritatis.

Esto, Auctores hujus generis fabularum, genuinæ Joannis historiæ adscititia quædam ornamenta, & fabellas intexuerint; quid inde? Nonne id cum cæteris addi ab illis potuit, quod narrant de Apostolo sponte in sepulcrum sese inserente? Fucum, & fabulas huic historiæ demamus, nihilque parebit aliud, quam quod Apostolus ætate senioque confectus diem ita clausit, ut ne decessisse quidem videretur; quare spirans adhuc in sepulcrum descendisse reputari poterat.

Pulvis ille e sepulcro ebulliens, duo prodit, nimirum receptam vulgo persuasionem, Apostoli illius corpus adhuc in tumulo condi, quare nec ad vitam rediisse, neque in occultum mortalibus locum una cum Enocho & Elia detineri. II. Corpus illud, vivens adhuc & integra super humo, adhuc spirare, quod fidem omnem superat. Si sexto vel octavo post obitum sæculo adhuc spirabat, quid hodie de illo factum est? An post eam ætatem decessit? Qui vitam tot sæculis produxerit quis humi defossus, cibo, luce & aere carens? Si vitales spirat auras, cur e cæco illo loco non educitur?

At enim quæstio est facti; e tumulo genus quoddam terræ vel mannæ exsufflabatur, præsentissimum ægrotis pharmacum. Esto, terra sive pulvis supra tumulum Viri sancti vel circum jacens, restituendæ sanitatis virtute polleat; nonne virtuti & fidei religiosissimorum Fidelium dari illud a Deo potuit; quemadmodum præstitum ab ipso scimus, ut pulverem, e tumulo Apostolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum deductum, in morborum solatium adhiberent? Quæ de pulvere illo veluti hominis flatu e tumulo exsufflato feruntur (23), negotium quidem facessunt. Sed loci situs & adjuncta omnia sedulo inspicienda erant, quo certius daretur judicium, num prodigium ea in re

[17] August. Serm. 253. nov. edit num. 4. *Hanc opinionem, qua putabatur Joannes non moriturus, abstulit Joannes ipse consequentibus verbis suis; & ne hoc credatur, ait: Non hoc dixit Dominus; sed dixit hoc, &c.* Et Tract. 124. in Joan. num. 1. *Hanc opinionem Joannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum aperta contradictione declarans, &c.* Vide & Ephrem Antioch. supr. citat. apud Phot. Cod. 229. [18] Vide Grot. ad Joan. xx. ult. [19] Theophylact. D. Thom. Tolet. Ribes. Vatab. Grot. Ligfoot. [20] Hamm. Jac. Capell. Clerc. in Matth. xvi 27. 28. [21] Matth. xii. 11. x. 7. Luc. xvii. 20. xix. 11. 12. 15. &c. [22] Augustin. tract. 124. in Joan. num. 2. [23] August. tract. 124. num. 2. *Non defunctum, sed defuncto similem cubuisse, & cum mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem, & donec Christus veniat, sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare, qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli.*

statuendum esset. Fac autem prodigium agnoscendum sit. Nonne cum S. Augustino (3) reputari posset, Deum eo prodigio commendare voluisse pretiosam Apostoli mortem? nisi latentem aliam causam, cur id voluerit, Deus habuisse credatur.

Ad Veterum testimonium quod spectat, alias nos opponimus authoritates Patrum, qui vetustate illis præstant, nempe S. Irenæi, Polycarpi, Origenis, Concilii Ephesini, Eusebii, Tertulliani, S. Augustini, S. Hieronymi, S. Epiphanii, S. Chrysostomi, S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque plurium, testantium, diem clausisse Apostolum, & in Urbe Epheso sepulturæ mandatum. S. Irenæus (4) vixisse illum usque ad Imperium Trajani perhibuit; ex quo certa ducitur conjectura, Apostolum sub Trajano, juxta Irenæum, occubuisse. Polycrates Ephesius apud Euseb. lib. 5. cap. 24. hist. Eccl. narrat, Joannem in suo apud Ephesum sepulcro resurrectionem omnium opperiri. Ejus obitum consignat Eusebius ad tertium Trajani annum. S. Hieronymus (5) testatur obiisse Apostolum anno LXVIII. a Passione Jesu Christi; obiisse autem annis XCIV. grandævum, author est S. Epiphanius hæres. 51. Centum annorum & septem mensium ætate diem clausisse anno CIV. Jesu Christi, habet Chronicon Alexandrinum. Ejus sepulcrum visebatur non procul ab Epheso, ait S. Hieronymus; qui simul observat (6), Ephesi pariter spectari sepulcrum alterius Joannis, cui a nonnullis duæ posteriores Apostoli Joannis Epistolæ tribuuntur.

His S. Hieronymi testimoniis satis superque refelli credo ea, quæ ex eodem Doctore in Libro adversus Jovinianum contra hanc sententiam producta sunt; quodam enim sui ingenii œstro rapius, panegyrico enthusiasmo ita effatur: *Ex quo ostenditur, virginitatem non mori; & dormitationem S. Joannis transitum esse, non Martyrium.* Ejusdem Apostoli obitum non obscure agnoscit S. Chrysostomus in Epist. ad Hebr. hom. 26. a quo pariter de sepulcro ejusdem Apostoli, veluti de sepulcro Apostolorum Petri & Pauli, agitur. Opinionem quorumdam, qui diuturnam ad judicium usque vitam Apostolos nonnullos producturos putabant, rejicit S. Cyrillus Alexandrin. Divers. hom. tom. 1. Vidimus autem in superioribus, quantum ab eadem sententia de immortalitate Apostoli abhorreret S. Augustinus, & quo pacto contrariæ sententiæ assertores ex ipso Evangelii Textu refellat.

Tertullianus apertissimis verbis obiisse illum dicit (7), eorum spem, qui mansurum illum ad secundum usque adventum Domini putabant, irritam excidisse testatus. S. Ambrosius de Fide Resurr. hom. 49. fatetur, sparsum quidem inter fratres rumorem de ejus immortalitate, sed nunquam satis eam famam Fidelibus approbatam: *Joanni promissum æstimatam, sed non est creditum.* Cœlestinus Papa (8), scripta ad Patres Ephesinos Epistola, hortatur, ut documenta sectentur S. Joannis: *Cujus reliquias*, ait, *præsens veneramini.* Ipsum pariter Ephesinum Concilium agnoscit, Joannem tunc Ephesi fuisse; quo autem modo, nisi in tumulo jacentem? Orientales, qui ad Concilium venerant, querebantur, prohiberi se, ne tumulos Martyrum & præsertim Joannis Evangelistæ, inviserent. Porro quanta quanta sunt Acta hujus Concilii, & Orationes Patrum, ibi relatæ, nulla præseferunt popularis opinionis de immortalitate Apostoli vestigia. Reputandum est igitur, nunquam huic opinioni habuisse fidem Episcopos, eamque viris doctis & ingenio præstantibus nunquam probatam fuisse.

Diserte testatur Origenes apud Euseb. l. 3. c. 1. Apostolum Ephesi diem clausisse. Laudatur testimonium S. Polycarpi (9), Discipuli Joannis, quo asseritur obiisse Joannem non martyrio, sed post plurimos exantlatos labores & exilia. Ejus sepulcrum Ephesi constituit S. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. histor. Eccl. lib. 7. cap. 15. Genuinus S. Hippolytus de Antichristo in eodem cum Jeremia & Daniele censu Apostolum collocat, unam eamdemque de omnibus sententiam ferens: *Mortui estis cum Christo, sed vivetis cum Christo.* Addi his possunt authoritates Theodori Heracleensis, & Mopsuesteni, quorum fragmenta servantur in Catena Græca ad Joannem, S. Gregorii Magni homilia XXV. Leontii, Bedæ, Theophylacti, Euthymii, Ruperti Abbatis, Haimonis, & Interpretum fere omnium, tum veterum, cum recentiorum, qui in postremum caput Joannis scripserunt.

En testium non infimæ authoritatis turbam, cui non sine temeritatis nota refragere. Nihil in illis ambiguum, nihil nisi assertum, nihil nisi ex genuinis Operibus deductum: testes sunt temporis non suspecti; quippe qui sanam & venerabilem referunt antiquitatem. Non sententias damus, quæ alia meditantibus exciderint; non e declamationibus excerptas; sed argumenta historica, & ex re ipsa petita. Alia plane est natura earum, quæ pro contraria sententia recitatæ sunt; pleræque enim ex illis jure meritoque rejiciuntur, sive authoritatem spectes eorum, ex quibus laudantur; sive verborum ambages, quibus obvolvuntur; sive novitatem, vel credulitatem eorum, qui illas effuderunt.

Locus ex Apocalypsi X. 11. pro contraria sententia relatus, venturum scilicet in exitu sæculorum Joannem, ut *prophetet Gentibus, populis linguis, & Regibus multis*; locus, inquam, iste, quamvis in favorem adversariorum usurpari visus sit a S. Gregorio Nazianzeno Orat. 34. S. Ambrosio, sive altero quocumque, qui nomen Joannis nominibus Enochi, & Eliæ, in ejus Tractatu in Psalmum XLV. 10. expressis, addidit; pronum est tamen ut intelligatur de Evangelio, & Apocalypsi, ab eodem Apostolo scriptis, quibus ad nostram usque ætatem, & futuris etiam temporibus fidem omnibus inculcare non desinet. Tantum autem aberat ipsemet S. Joannes ab ea se opinione, futurum nempe ut inter Præcones Evangelii adversus Antichristum, inter Testes, qui Fidem sanguine suo obsignarent, ipse recenseretur; tantum, inquam, ab ea de se persuasione aberat, ut duos solum futuros testes scribat (10), nimirum quantum conjicitur, Enochum, & Eliam.

Promissio, qua Filius Dei fidem suam obstrinxit (11), propinaturum nempe Joanni calicem suum, tunc impleta est, juxta Patres, & Interpretes, cum ferventis olei caldarium subire, atque exul in Insula Patmo degere coactus est. Nonne juge martyrium tota vita produxisse credendus est, qui Apostolicas curas tales tantasque toleravit? Futile est autem argumentum illud, quod ex ignoratis ejusdem Apostoli reliquiis ducitur. Quot enim Sanctorum corpora neque e terra unquam effossa sunt, neque, ubi quiescant, certi aliquid noscitur? Memoriæ proditum est (12), in quadam Mediolani Ecclesia reliquias S. Joannis Fidelium religioni & venerationi exposi-

tas

[3] Tract. 124. in Joan. *Restat, ut si vere ibi sit, quod sparsit fama de terra, quæ subinde ablata succrescit; aut ideo fiat, ut eo modo commendetur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendavit Martyrium, aut propter aliquid, quod nos latet.* [4] Lib. 2. cap. 39. & apud Euseb. lib. 3. cap. 3. [5] Hieronym. de viris illustr. & lib. 1. contra Jovinian. [6] De Vir. Illustr. [7] De Anima cap. 50. *Obiit & Joannes, quem in adventum Domini fuisse remansurum, falsa fuerat spes.* [8] Vide Act. Concil. Ephesin. tom. 4. [9] Vide apud Florent. pag. 124. [10] Apoc. XI. 3. *Dabo duobus testibus meis.* [11] Matth. XX. 22. 23. Marc. X. 38. 39. [12] Bolland. III. Maii, pag. 364.

tas fuisse, munus, uti quidem creditum, S. Ambrosii. Deductæ ex rerum convenientia fusiles sunt in hoc argumenti genere conjecturæ; possunt non dissimiles etiam ad probandam Joannis mortem afferri, quemadmodum pro illius immortalitate afferuntur.

Verum quod vitæ genus Apostolo tribuatur in tumulo, & aggesta humo ac pulvere oppresso? Cum ad exitum vita properaret, teste S. Hieronymo in Epist. ad Galat. officiom pedes negabant; ne loqoendi quidem suppetebant vires; ut ad Ecclesiam nisi inter Discipulorum brachia venire non posset; illud autem in eo infirmæ valetudinis statu repetebat identidem: *Filioli mei, diligite alterutrum*. An ab eo tempore vitam reproduxit, sive dulcem adhuc experiri vitam potuit vir, qui xc. annos natus senectutis pondus vix ac ne vix quidem sustinebat?

Plerosque autem Scriptorum, quorum pro contraria opinione testimonia afferuntur, non ita sententiæ illorum, quantum pro opinione, si diligentius expendantur, favere intelligemus. Nihil etiam ab illis, quod alicujus sit momenti, affertum est. Ita Præfationes, in veteribus Bibliis Latinis præfixæ Evangelio, & Apocalypsi, quarum altera S. Hieronymi, altera Gilberti nomen præfert, hæc tantum habent: *Descendens in defossum sepulturæ suæ locum, facta oratione positus est ad Patres suos, tam liber a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus.*

Smaragdus Abbas S. Michaelis, noni sæculi scriptor Catenæ ex Patribus in Epistolas, & Evangelia totius anni (13), eadem refert verba, tamquam ex Patrum monumentis descripta: *Sic in Patrum literis invenimus: Cum longe confectus senio, &c.* Hæc vulgata octavo, & nono sæculo opinio. Porro Scriptores illi non ea quidem persuasione tenebantur, Apostolum ad diuturniorem vitam servari; sed tantum virginitati ipsius a Deo datum illi putabant, felici longaque senectute ita occumbere, ut se ne mori quidem sentiret. Hujus traditionis seriem non interruptam spectavimus in Interpretibus Græcis & Latinis, qui post eam ætatem scripserunt.

Statuendum est itaque, opinionem, quæ occubuisse Joannem negat, vel post obitum rediisse in vitam affirmat, nullo solido niti fundamento, & ab Authoribus fere omnibus, qua veteribus, qua recentioribus, paucis exceptis, tamquam popularem quidem, sed minus veram habitam fuisse. Frustra autem in eam sententiam trahitur Ecclesia Latina, cui nunquam talia probata sunt. Græcos ultro adversariis damus, quos post admissum schisma altis adeo ignorantiæ, errorum, & superstitionis tenebris offusos constat, ut ne linea quidem veteris scientiæ, & pietatis in illis agnoscatur.

De S. Joanne adhuc inter mortales agente vide Joannis Sebastiani Mitternach dissertationes ad caput xxi. 22. an Joannes Evangelista sit in orbe superstes, editas Geræ anno 1665. apud Martinum Mullerum in 12. Sunt ibi dissertationes octodecim de hoc argomento; tum & subditur altera 19. de Judæo errante.

[13] Smaragd. Collection. in Evangel. & Epist. in Natali S. Joann. Evangel. fol. 11. Edit. Argentorat. Georg. Ulsiches. An. 1536.

COMMENTARIUS LITERALIS IN EVANGELIUM SANCTI JOANNIS.

CAPUT PRIMUM.

Verbi æternitas, Divinitas, Incarnatio. Joannis Baptistæ testimonium de Verbo. Andreas & alter Jesum sequuntur. Andreas fratrem Simonem ad Jesum ducit. Jesus Philippum vocat. Philippus Nathanaelem trahit. Nathanaelis laus.

℣. 1. IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat ver-
bum. 2. Hoc erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta
sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est, 4. In ipso vita erat, & vita
erat lux hominum: 5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehen-
derunt. 6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. 7. Hic venit in
testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.
8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux vera,
quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat,
& mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. 11. In propria ve-
nit, & sui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis
potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: 13. Qui non ex san-
guinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.
14. Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis & vidimus gloriam ejus, glo-
riam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ, & veritatis. 15. Joannes testimonium
perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus
est, ante me factus est: quia prior me erat. 16. Et de plenitudine ejus nos omnes
accepimus, & gratiam pro gratia. 17. Quia lex per Moysem data est, gratia, &
veritas per Jesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit unquam, unigenitus
filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. 19. Et hoc est testimonium Joannis,
quando miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, ut interroga-
rent eum: Tu quis es? 20. Et confessus est, & non negavit: & confessus est: Quia
non sum ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et
dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. 22. Dixerunt ergo ei: Quis
es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso? 23. Ait: Ego
vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. 24.
Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. 25. Et interrogaverunt eum, & dixerunt
ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? 26.
Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit,
quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est;
cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. 28. Hæc in Be-
thania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. 29. Altera die vidit
Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum
mundi. 30. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia
prior me erat. 31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propte-
rea veni ego in aqua baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens:
Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum.
33. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit:

Super

Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui
baptizat in Spiritu sancto. 34. Et ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est
Filius Dei. 35. Altera die iterum stabat Joannes, & ex Discipulis ejus duo. 36.
Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei. 37. Et audierunt eum
discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum. 38. Conversus autem Jesus, & videns eos
sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur inter-
pretatum Magister) ubi habitas? 39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, &
viderunt, ubi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi de-
cima. 40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant
a Joanne, & secuti fuerant eum. 41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem,
& dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus) 42. Et adduxit
eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu voca-
beris Cephas: quod interpretatur Petrus. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam,
& invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me. 44. Erat autem Philippus a
Bethsaida, civitate Andreæ, & Petri. 45. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei:
Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Naza-
reth. 46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Phi-
lippus: Veni, & vide. 47. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo:
Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti?
Respondit Jesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vi-
di te. 49. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex I-
srael. 50. Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: ma-
jus his videbis. 51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum,
& Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

℣. 1. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. Verbum, ejusdem cum Patre essentiæ & substantiæ, Sapientia Patri æqualis, per quam is omnia condidit (1), *in principio erat*, a tota æternitate existebat, antequam mundus conderetur. Neque eo dumtaxat modo erat, quo rerum creatarum essentiæ, quæ a tota æternitate in Dei mente fuerunt: Verbum quippe, Sermo, Sapientia in Patris mente *se* ipsa & *actu* ab æternitate extitit; eadem essentia cum Patre, sed Persona diferentum.

Evangelium Joannes ita exorditur, uti Moyses Genesim. *In principio*: at hoc discriminis intercedit, quo Moyses temporum initia, Joannes (2) æternitatem significat, antequam conspicuæ res & inconspicuæ conderentur, æterno cursu fluentem. Illud vult, jam ante Mundi originem, Verbum in Patre extitisse, neque ex iis rebus esse, quarum exordia & origo nosci possunt ac definiri (3).

Salomon Prov. 8. 27. Sapientiæ Scriptor (4) & Ecclesiastici, Sapientiæ elogium tradunt, magnopere congruens cum iis, quæ hic de Verbo Dei a Joanne scribuntur: *Dominus possedit me*, inquit Sapientia, *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret... Quando præparabat Cœlos, aderam*: præsens eram, cum is omnia conderet in ipso creationis exordio.

Sententiis æque sublimibus sapientiam prosequitur Scriptor Libri Sapientiæ: *Omnium artifex docuit me Sapientia: est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex ... quem nihil vetat benefacere, humanus ... omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis sincera ... candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest: & in se permanens*, mutationi minime obnoxia, *omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit*. Vides hic aliqua rerum vestigia a Ioanne traditarum, Dei scilicet Verbum esse Vitam & Lucem, omnesque homines ab eo illustrari. Addit Scriptor: Sapientia *attingit a fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: Ipsa est veræ gloriæ omniumque bonorum. Et cap. 9. 1. ait, ab Omnipotente Dei Verbo condita esse omnia, nutritos in solitudine Israelitas Sap. 16. 26. anguium morsibus sanatos cap. 16. 12. peremptosque Ægyptiorum primogenitos cap. 18. 15.

Iesus filius Sirach Eccli. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci, in cœlis ut oriretur lumen indeficiens ... Ab initio ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam ... Ego mater pulcræ dilectionis, & timoris Dei, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis*. Quæ verba idem sonant atque hæc Ioannis ℣. 4. *In ipso* (Verbo) *vita erat, & Vita erat Lux hominum*.

Platonici (5), ut rerum omnium Conditorem significarent, utebantur interdum hac voce *Logos*, quæ hic usurpatur, & rationem seu Verbum sonat. Eidem Stoici (6) adversus Epicuræos, qui mundum temere & casu existere ajebant, cum Stoici & Platonici facta esse omnia docerent ratione, seu *Logo*, vel Dei Sapientia. Philo (7), Platonis studiosissimus, qui pleraque illius principia adoptaverat, iisdem sæpe vocabulis Sapientiam creationi

rerum

(1) Psal. xxxii. 6. Eccli xliii. 28. (2) Joan. xvii. 24. *Ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem*. (3) Aug. Chrysost. Theophyl. Basil. Ambros. Mald. Brug. Cornel alii passim. (4) Sap. vii 22. ... 26. viii. 1. & seq. (5) Vide Platon. in Timeo & Epinomide. Vide Gallicas Clerici notas in hunc locum, & Latinas illius Animadversiones in xviii. priores Capitis hujus versiculos. (6) Laert. lib. 7. Tertull. Apolog. c. 21. Cleric. loco citato. (7) Vide Philon. de opificio mundi p. 5. & lib. 2 de allegor. p. 71. & lib. *Quis Rerum divinar. hæres*; & lib. de somniis; & alibi sæpius. Vide Cleric. Animadvers. in Cap. 1. Joan.

rerum omnium præsidem designabat. At Platonici & Stoici, atque ipsemet Philo *Logon*, seu Divinam hanc rationem aliquid esse censebant Divinitate inferius. Docet hic Ioannes, Verbum nedum æternum esse, in Deo extitisse ab ipso rerum exordio, & creationi præfuisse, verum etiam esse Deum & Patri æqualem.

Summa hæc veritatis capita de Verbi & Sapientiæ Patris æternitate, omnipotentia & Divinitate, quæ Salomon, Scriptor Sapientiæ, Iesus Sirachides, & Platonici adumbravere, occurrunt etiam apud *Onkelos*, Caldaicæ Paraphrasis Authorem, Divino Numine afflatum a Iudæis habitum. Plerumque ubi legitur *Jehovah*, reddit ille *Memar Adonai*, Verbum Dei: ex quo nonnullis visus est, Divinæ Trinitatis Mysterium agnovisse, *Jehovah*, sive *Adonai*, est Pater; *Memar*, Verbum, seu Filius; *Schekina*, Dei præsentia, Spiritus Sanctus. Neque semel dumtaxat aut bis hoc discrimine utitur, sed passim (8). Minime tamen contendere hic velim, Trinitatis Mysterium aut illi aut Judæis unquam fuisse compertum. Qui hosce Scriptores evolverunt, optime norunt, nihil illos hac de re perspicuum agnovisse. Mysterii hujus cognitio propria est Christianæ Religionis laus: illud detexit Christus; ipse diserte docuit Divinitatem Patris, Verbi, & Spiritus Sancti; unusque inter Sacros Scriptores Joannes Evangelista luculentissime illam tradidit. Hinc Ecclesiæ Concilia & Patres sublimissimorum hujusmodi dogmatum argumenta prompserunt.

Evangelium scripsit Joannes (9), ut illud Cerintho (10) & Ebioni (11), Ecclesiam eo tempore, negata Filii Divinitate, vastantibus, opponeret. Gnostici (12), qui aliquanto serius prodiere, ajebant, ex prima substantia, vel primo Ente prodiisse post longam sæculorum seriem *Noun*, sive Intelligentiam, ex Intelligentia Primogenitum, ex Primogenito *Logon* seu Verbum. Ioannes, si sedulo inspicias, prioribus Capitis hujus versiculis, errores evertit Judæorum, Jesum Messiam esse negantium; Platonicorum Stoicorumque, Verbum quidem ponentium, sed inferius Deo; Epicuræorum, qui omnia casu facta esse putabant; Cerinthi & Ebionis, Verbi Divinitatem negantium; Gnosticorum, quibus alia principia multis ante Verbum sæculis existentia probabantur; Arianorum denique & Socinianorum, quos deinde infeliciora tempora effuderunt, Jesum Christum Deum uniusque cum Patre substantiæ non esse asserentium.

Verbum erat apud Deum, sive *in Deo*; quippe τὸ *apud* (13) frequenter pro *in* usurpatur. Distinguitur hic a Patre Verbum; tamquam Persona ab altera; simulque arctissima illius cum Patre conjunctio, & absoluta æqualitas demonstratur. Eodem sensu scribit Evangelista (14): *Unigenitus qui est in sinu Patris*.

Et Deus erat Verbum. Platonici & Hæretici Verbum in Deo esse fatentur; at Deum esse illud negant. Hos refellit Joannes. Verbum itaque Deus est ex Deo, Lumen de Lumine, uniusque cum Patre substantiæ. Paucis hisce vocibus, *In principio erat Verbum*, & *Verbum erat apud Deum*, & *Deus erat Verbum*, nobilissima mysteria tria deteguntur; Verbi æternitas, Verbi generatio, Verbi Divinitas (15).

℣. 2. Hoc erat in principio apud Deum. Ne putares, Verbum in Deo non esse necessario, sed ex accidentia, & post certum dumtaxat tempus; ita ut Pater genuerit Verbum ante creatas quidem res cæteras, at non a tota æternitate, quemadmodum ajebant Ariani; urget Evangelista, scribitque, Verbum in Deo fuisse jam inde ab initio; Patri coæternum esse, non alium a Patre Deum, sed aliam a Patre Personam (16). Photinus (17) primi & secundi commatis sententiam ita distinguebat: *In principio erat Verbum*, & *Verbum erat apud Deum*, & *Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum*.

℣. 3. Omnia per ipsum facta sunt. Rerum omnium tum conspicuarum, tum quæ sensus fugiunt, creatio, totius Divinæ Trinitatis est opus: at plerumque in Scripturis (18) Verbo tribuitur, quod Sapientia, Ratio, Intelligentia, quæ Filii proprietates sunt, in illa maxime eluceant. Profecto quid illud est, per quod facta sunt omnia, nisi *Verbum*, & omnipotens illa jussio, *Fiat? Inter dicentem Deum & factam creaturam, quid est per quod factum est, nisi Verbum, per quod Deus dixit, & factum est* (19)? Refelluntur hic Epicuræi, qui omnia casu facta esse censebant; & Cerinthus (20), ajens, *non a primo Deo factum esse mundum, sed a Virtute quadam valde separata ab ea Principalitate quæ est super universa*. Similem Joanni de mundi creatione sententiam habet Philo Judæus in lib. de Monarch. quamquam non eadem noverat de Verbo Patris, quæ intelligebat Joannes. Ait hic Verbum esse Deum, unius cum Patre substantiæ; Philoni in lib. de Somniis Deus est per abusionem; atque creationem tribuit Philo in lib. de Cherubim seu Dei instrumento.

Et sine ipso factum est nihil quod factum est. Duplex punctorum discrimen in commate hoc adscribi solet. Primum illud est quod nos servamus; altero ita jungitur cum proximo commate: *Sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat*. Utramque lectionem sui tuentur e priscis Patribus, Græcisque Latinisque Exemplaribus, editis & manu exaratis, patroni; utraque optimam sententiam facit. Proclivior videtur prima (21), quæ ita explicatur.

Nedum Universi conditor est Deus, ejusque Verbo Cœlum ac terra condita sunt & formata; verum etiam res singulæ, a vilissimis usque ad nobilissimas. Quidquid existit, nihil absque illo factum est. Evertit funditus Joannes insanam Epicuræorum opinionem, quibus indignum videbatur, ut, cum tam multa in mundo sint perversa, molesta, noxia, venenosa, inutilia, perniciosa, hæc a Divina Sapientia atque Omnipotenti Mente condita esse existimentur (22). Huic Epicuræorum argumento tantam inesse vim censuit Philo (23), ut dicendum crediderit, venenatas bestias minime conditas esse a Providentia, sed ex rebus ab ea productis confictas, quemadmodum monstra naturæ opera non sunt, sed a secundis causis vario modo conjunctis, & præter Conditoris propositum agentibus, producuntur. Idem dicito de insectis quibusdam, ex putri nascentium. Ita veteres Philosophi sentiebant. At Recentiores Philosophi, qui omnia recto causarum uno modo agentium ordine fieri docent, me-

(8) Vide Genes. III. 9. VI. 6. & passim. Grat. hic. יהוה *Deus*. מימר Verbum. שכינת *Præsentia*.
(9) Vide Hieron. lib. de Scriptorib. Eccles. Procem. in Matth. & Iren. lib. 3. c. 11. (10) Vide Iren. lib. 1. c. 25. Tertull. de præscript. (11) Epiph. hæres. 30. Iren. lib. 3. c. 11. (12) Epiphan. hæres. 26. 22. S. Irenæus lib. 3. cap. 11. ait etiam spectatos a Joanne Gnosticos, Evangelium scribente; at Gnostici proprie dicti nonnisi Adriano imperante prodierunt, aliquanto post Joannis obitum. (13) Πρὸς τὸν Θεόν. Vide 1. Joan. 1. 2. infra XVII. 5. Rom. XV. 30. 1. Cor. XII. 2. &c. (14) Joan. 1. 18. (15) Vide Brug. Mald. Cornel. Grot. alios. (16) Vide Hilar. lib. 2. de Trin. Brug. Mald. alios. (17) Vide Ambrosi. Hilar. Diac. August. apud Mill. hic; & Prolog. 829. (18) Vide Psal. XXXII. 6. Prov. VIII. 30. Eccli. XXIV. 5. 6. Sap. IX. 1. 2. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. (19) Aug. hic. (20) Vide apud Iren. lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 11. (21) Ita Græc. impressa. Χωρὶς αὐτῦ ἐγένετο ὀδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Ita Chrys. Theophyl. Euthym. Leontius, Syr. Arab. Biblia Romæ correcta a Clem. VIII. (22) Vide Lucret. lib. 5. Cicer. Quæst. Academic. q. 4. c. 38. (23) Vide Philon. de Provid. apud Euseb. de Præparat. l. 8. c. 14. & Cleric. hic.

maliore loquuntur, & Scripturarum sententiæ magis consentanea.

Qui hunc locum ita legunt (3): *Sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat*; ita explicant: Quicquid a Verbo factum & conditum est, in ipso erat intellectuali modo, & quodammodo in ipsius mente æternaque ratione vivens continebatur. Omnia in Dei mente vivebant; atque ita usurpata, omnia quæ existunt, æterna sunt, cum ea in se ipso cognoscere & videre nunquam desierit Verbum, quemadmodum S. Augustinus (4) ac Theologi plerique explicant. Aliter S. Cyrillus Alexandrinus: Quicquid existit, quicquid conditum est, illi dedit Verbum ut sit, vivat, existat; idemque Verbum omnia in eo statu quo sunt, conservat.

℣. 4. IN IPSO VITA ERAT, ET VITA ERAT LUX HOMINUM. In Verbo vita erat, & lux, qua homo videt ac perspicit ea, quæ ad æternitatem pertinent: utraque autem in Verbo erat ab initio, & antequam conditæ res esearentur (5): at postquam Verbum carne indutum est, seseque prodidit Christus, *vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Ita Joannes ipse in 1. epist. 1. 2. loquitur. Christus Jesus Joan. 14. 6. sese viam esse ait, veritatem ac vitam; resurrectionem ac vitam Joan. 11. 24. lucem mundi (6), omnesque homines in mundum venientes ab eo illostrari (7). Quod ipse est, id semper fuit: hominis lux & vita est a tota æternitate: at in tempore dumtaxat hæc lux & vita sese conspicuam reddidit Joan. 1. 9. Gloriabantur Philosophi, mentes hominum suis ipsorum institutis illustrari, viamque beatitudinis & veritatis indicari. Hanc ipsorum lucem tenebras esse, ostendit Joannes; omnem vero lucem a Verbo proficisci; unum illud vitam esse veramque felicitatem.

℣. 5. LUX IN TENEBRIS LUCET, ET TENEBRÆ EAM NON COMPREHENDERUNT. De Verbo locutus Joannes sub tropicis *vitæ* & *lucis* appellationibus, agit hic de hominibus sub allegorico *tenebrarum* nomine (8). Lux, Verbum, æterna Sapientia in sinu Patris erat ab initio: sese in tempore prodidit, conspicuamque reddidit hominibus inter tenebras versantibus; at illam tenebræ non comprehenderunt Joan. 3. 19. *Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*; in Lucem, qua ipsorum nuditas detegebatur, conspiravere: fregere speculum, quo ipsorum deformitas ostendebatur: denique Christum Jesum, suam ipsorum Vitam, Salutem & Lucem, infestati interfecere. Ista scribebat Joannes anno post Jesu Christi obitum sexagesimo.

Mundus, flagitiosi homines, peccatum sæpe in Scripturis *tenebrarum* appellatione significantur (9). Diabolus *Princeps tenebrarum* dicitur, & authoritas qua impii abutuntur, *potestas tenebrarum*. Suis ipse verbis interpretationem addit Joannes infra (10): *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*. Canit Zacharias (11), venisse Christum ut *illuminet eos qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Homines universos, nemine excepto, tenebrarum appellatione Joannes complectitur. Superbiam stangit contumaciam Judæorum, qui sese luce non egere censebant, Ethnicorumque Philosophorum, qui & vulnus suum & suam cæcitatem agnoscere detrectabant. Micabat in Lege & Prophetis Lux: illam non videre Judæi. Eadem conditis in rebus undique fulgebat: hanc intuentes Philosophi, gloriam, quam debebant, illi non exhibuere Rom. 1. 21. Vera Lux Christus in terris fuit: at ipsius humilitas & Crux utriusque offensioni fuere 1. Cor. 1. 23. illum excipere noluerunt: *Non comprehenderunt*, sive ex Græco (12), *Non apprehenderunt*.

℣. 6. FUIT HOMO MISSUS A DEO, CUI NOMEN ERAT JOANNES. Incipit hic historica Evangelistæ narratio. Quæ præcessere, Præfationis loco sunt, quibus Lector ad dicenda comparatur. Missus a Deo est Joannes Baptista, Eliæ animo & virtute instructus, ut vias Jesu Christo sternat, pœnitentiam Judæis prædicet, eosque ad Dominum revocet. Illum a Deo missum ait, ut illius authoritatem commendet (13), ejusque testimonio pondus addat, necessarium gravissimæ legationi, cujus causa tantopere illi pugnandum erat.

℣. 7. HIC VANIT IN TESTIMONIUM. Venit Joannes Baptista, ut Verbi, Sapientiæ, æternæ Lucis, Filii Dei adventum nunciaret. Lux erat alteri Luci testimonium ferens; creata Lux increatæ Luci. Nemo Joanne Baptista huic muneri aptior, homine scilicet sanctitate morum, vitæ sublimitate, doctrinæ puritate, natalium prodigiis micantium splendore admirabili.

Dei Filius, *splendor gloriæ & figura substantiæ Patris* Hebr. 1. 1. *candor Lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius* Sap. 7. 26. *lucem inhabitans inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest* 1. Timot. 6. 16. sese ad nos usque demisit, nostræque infirmitati accommodavit, sese cum hominum natura conjungens, humanisque artubus induens. Ut homines ad ingens adeo mysterium, humanaque intelligentia sublimius compararentur, opus erat testimonio nihilo minori, quam Baptistæ, donec Christus suis ipse institutionibus & prodigiis Præcursoris testimonium confirmaret.

UT OMNES CREDERENT PER ILLUM: in Jesum crederent per Joannis testimonium & prædicationem. Græca vocabula sententiam ambiguam faciunt (14); explicari enim possunt: *Ut omnes crederent per illam*, Lucem, per Christum; vel, *Ut omnes crederent per illum*, Joannem Baptistam. Posterior explicatio longe probatissima.

℣. 8. NON ERAT ILLE LUX. Non ipse quidem Lux erat Joannes Baptista, sed Lucis prædicator. Nobilissimis ille virtutibus clarebat, ut haberi potuerit Messias; at revera longe a Messiæ dignitate aberat; quin & ipse ultro sibi a nonnullis attributam, constantissime respuit Joan. 1. 20. *Et confessus est, & non negavit, & confessus est quia non sum ego Christus*. Lucerna fulgens erat Joannes Joan. 5. 35. at lumine aliunde collato: ipse etiam, quemadmodum cæteri, ab hac Luce, homines universos illustrante, splendebat. Joan. 1. 9.

℣. 9. ERAT LUX VERA, QUÆ ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM IN HUNC MUNDUM. Vera mundi Lux Christus; minime creata, æterna; sua ipsius natura Lux, fons Lucis. Homines ille universos luce perfundit, quemadmodum sol astra lu-

(3) Ita legunt Clem. Alex. Pædag. lib. 1. cap. 9. Origen. lib. 3. in Joan. Theodot. in Epitom. Ambros. in Psalm 36. & alibi; Nyssen. lib. 1. contra Eunom. Cyrill. Nazianz. Hilar. lib. 1. & 2. de Trinit. August. Victorin. Bibl. Sixti V. hæ & Eunomiani, & Macedoniani apud Chrysost. Vide Mill. Var. Lect. & Prolegom. Tertullian. passim; & Theophyl. ad Autolyc. omittunt: *Quod factum est*. Alii, ut Nyssen. lib. contra Eunom. & Epiphan. Anchorat. num. 75. sic legunt: *Quod factum est in ipso. Vita erat, & vita lux hominum*. Quod merito improbat Augustin. lib. 5. de Genesi ad Litt. cap. 14. Plures legunt: *Quod factum est ipso vita est*. Ita Ambros. Orig. August. Hilar. (4) August. hic. Alii fere quotquot ita legunt. (5) Vide Chrysost. Theophyl. hic; Ammon. in Catena, alios passim. (6) Joan. [illegible] 1. 8. viii. 12. &c. (7) Clemens Alex. exhort. ad gentes; Maldon. Grot. &c. (8) Au[illegible]m. Maldon. Grot. Brug. alii. (9) Vide Ephes. v. 8. 11. vi. 12. Coloss. 1. 13. 1. Petr. ii. 9. [illegible] 35. xxii. 53. (10) Infra ℣. 10. (11) Luc. 1. 79. Confer Isai. ix. 2. & xlix. 6. (12) Οὐ κατέλαβεν. (13) Vide Chrysostom. Theophylact. Brug. alios. (14) Πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ.

sanamque (15). Viri quique & sanctissimi & sapientissimi ea fulgent luce, quam ab hoc lucis fonte mutuantur (16). Qui ad hanc Lucem accedit, illustratur (17). Cur ii, qui sponte in tenebris versantur, apertis denique oculis, hunc Justitiæ Solem bonis malisque orientem (18) non inveniunt?

Reddendum puto: *Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*; Jesus quippe, vera Lux homines universos illustrans, in terras venerat. Favent huic explicationi ea quæ sequuntur. *In Mundo erat, & mundus per ipsum factum est, &c.*

Aliam interpretationem admittit Græcus (19): *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum.* Profecto Jesus in terras venit, ut fidei suæ luce nedum Judæos, verum etiam Ethnicos, Barbaros, alienos, omnes denique homines illuminet: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Joan. 12. 46. Falso & iniquissimo jure Philosophi tribuerunt sibi ea quæ cognovere: at omnis illorum scientia & ingenii acies a Deo profecta est. Unus ipse luminum Pater est, æternusque splendor, in omnium mentibus micans. Cum inter homines fuerit Jesus, ex eo discendum est quicquid est utile æternitati. Unus ipse via est, veritas & vita Joan. 14. 6. Præter ipsum, tenebræ dumtaxat sumus, error, imbecillitas, ubi de nostræ salutis negotio agitur.

℣. 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, &c. Verbum, Lux, Patris Sapientia, eadem quippe res sunt, in mundo erat ab ipso rerum exordio; suæque præsentiæ argumenta in omnibus a se gestis exhibebat (20): illius præsentiam Cœlum, Sol, astra, tellus, conspicua omnia prædicabant Rom. 1. 20. at illum minime novit mundus; aut certe si novit, debitam illi gloriam non detulit: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

Post Incarnationem, Verbum in terris conspicuum fuit, prodigia innumera edidit, mirabilem prorsus Doctrinam tradidit: at ab hominibus male agnitum est. Judæi, qui tam multis ætatibus Liberatorem sollicite expectaverant, eo inter ipsos orto, terga verterunt, obstructisque oculis exhibita ab illo missionis ac Divinitatis suæ argumenta cernere noluerunt. Tradita ab eo dogmata furorem illorum usque adeo excitavere, ut eo acti docentem interfecerint. Ethnici, tam diuturnis in tenebris gementes, qui Solis hujus Justitiæ ortum præstolari videbantur, ut ad illius jubar confugerent, prodeunte demum illius luce adversus illam conjuravere; hominesque suam sibi salutem & felicitatem nunciantes insectati sunt (21): *Et mundus eum non cognovit.*

℣. 11. In propria (22) venit, et sui eum non acceperunt. Hoc potissimum ad Judæos spectat (23). Ad eos venit Jesus, veluti suam in domum, hæreditatem, Regnum: at illum non excepere Judæi. Judæos generatim significat, universamque gentem, quæ Jesum nedum secuta non est, verum etiam ad mortem usque exagitavit. Explicari etiam de omnibus hominibus potest (24): Mundus totus Verbi opus erat, ejusque Templum ac domus; futurumque videbatur, ut is ceu domini suæ exciperent: venit, adfuit: sui ipsum servi, resque ab eo conditæ rejecerunt. Perspicuum erit ex consequentibus, verba hæc, quæ generalia videntur, cum modo esse usurpanda. Fuere ex Judæis atque Ethnicis, tametsi modico numero, qui Dominum excipientes, fidem amplexi sunt.

Salomon in Proverbiis Sapientiam describit, ceu Altissimi filiam, a tota æternitate existentem, quæ Deo rerum creationem agenti opem conferat, suasque delicias putet, cum hominum filiis versari Prov. 8. 30. Jesus Sirachides (25) luculentius ait, Sapientiam, ex ore Altissimi egressam, peragratis rebus omnibus a Deo conditis, ac terrarum Regnis, denique in Israele stetisse, posito ibi domicilio. Testatur Baruch 3. 38. Deum scientiæ & doctrinæ omnis authorem, inventa & arcana sua Israelitis aperuisse, ac denique, inquit, *in terris visus est* ipse, *& cum hominibus conversatus est.* Denique Author Sapientiæ, nobilissimo elogio Sapientiam prosequutus (26), illam ait sese piorum animis largiri, & Prophetas efformare. Testatur, se illius pulcritudine captum ab initio, illam sponsæ loco nunquam non cupiisse, eamque ex Deo enixis precibus postulasse: *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut mecum sit & mecum laboret, &c.*

His loquendi formulis, quibus Hebræi vulgo & a vetustissima ætate assueverant, jampridem comparabantur, ut sublimissima hæc a Joanne in Evangelio tradita assequerentur. Prorsus jam parata mens illorum erat, ut increatam Sapientiam, Verbum carne indutum, sua in regione suaque in gente vivens, cum cæteris versans, docens, divinisque cognitionibus instituens, intuerentur. Frustra quæras Platonis sanctiones, ut Evangelistæ verba & mentem assequaris. Divino quippe Scriptori suos inter populares Sacrosque Scriptores præsto erant locutiones, secta a majoribus per manus tradita, & promissiones, quæ cum rebus ipsi de Jesu Christi Persona & Incarnatione exploratis congruerent. Nihil in Joanne occurrit, quo is vel Platonem vel Profanos legisse demonstretur: quos tametsi legerit, ea certe apud illos non invenit, quæ ipse in Evangelio tradit.

℣. 12. Quotquot autem acceperunt eum, &c. Gloriabantur Judæi, unos se Dei filios esse (27), ejusque promissorum hæredes. Cæteros aspernabantur, ac veluti odiosam devotamque stirpem exectabantur. Docet hic Joannes, Dei Filio inter homines orto, jus adoptionis, ac filiorum Dei honorem (28) tradi omnibus, qui in Christum crediderint, eumque uti Deum exceperint, nullo generis, populi, conditionis, ætatis, dignitatis discrimine. Omnium plane hominum dominus est Deus: qui debita in Deum officia servat, is dignus efficitur, cui Deus se Patrem exhibeat (29): *Non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi.*

Quod hic dicitur, datam a Dei Filio *potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*; potestatis nomine intelligendum est jus ulu pandã filiorum Dei appellationem (30). Per fidem filii Dei sunt, & in filiorum adoptionem admittuntur: at ut numeris omnibus absoluti sint, unum deest, charitas nempe, quæ fidem animat; & bona opera, fidem comitantia: quibus si careant, adipiscis ne-

(15) Origen. Ammon. Cyrill. (16) Vide August. hic; & lib. de peccat. meritis, cap. 25. & Enchirid. (17) Joan. III. 19. 20. 21. & XII. 35. 32. (18) Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym. (19) Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Vide Grot. Le Clerc, Hamm. Vat. Brug. Vide August. lib. 1. de peccatorum merit. cap 25. (20) Origen. homil. 2. in divers. Chrys. hom. 7. August. in Joan. Tract. 2. Cyrill. lib. 1. in Joan. Beda, Theophyl. Euthym. Rup. Mald. &c. (21) Maldon Grot. Tir. Le Clerc. (22) Εἰς τὰ ἴδια, *In sua, Ad suos*, i. *domum propriam*. Vide Joan. XVI. 32. Act. XXI. 6. (23) Cyrill. Chrysost. August. Beda, Rupert. Theophylact. Euthym. Brug. Maldonat. alii. (24) Clem. Alex. lib 7. Stromat. Iren. lib. 3 cap. 11. Mald. Grot. Brug. alii. (25) Eccli. XXIV. 5. 6. 14. 15. & seq. (26) Sap. VII. 24. 25. & seq VIII. 1. 2. 3. & seqq. IX. 1. 3. 4. (27) Exod. IV. 22. Deut XXXII. 6. Osee 1. 10 &c. (28) Chrysost. hom. 9. Cyrill. l. 1. c. 13. Beda, Theophyl. Euthym. Mald. Brug. Grot. (29) Act. 2. 34. Vide & Rom. X. 11. 12. & Gal. III. 28. (30) Vide Grot. hic.

nequeunt beatitudinem, adoptionis finem ac perfectionem (31). *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Rom. 8. 30.

℣. 13. QUI NON EX SANGUINIBUS, NEQUE EX VOLUNTATE CARNIS, SED EX DEO NATI SUNT. Jus adoptionis dedit omnibus in se credentibus, nulla sanguinis ratione habita, *Neque ex sanguinibus.* Abrahami genus illi sint nec ne, circumcisi an Ethnici, perinde ipsi est. Neque ea adoptio est carnali ex amore orta, uti cum homo puerum adoptat venustatis aut elegantiæ causa; neque conjunctio illi similis, qua homines duo conjugii vinculis una junguntur (32), *Neque ex voluntate carnis.* Carnem aut sanguinem, sive hominum virtutes non consuluit Deus: ipse ex se causam hausit, qua ad nos in censum filiorum eligendos impelleretur. Unica illius bonitas author fuit, ut hoc beneficio nos donaret (33).

Neque etiam electio est *ex voluntate viri*, adoptio scilicet illi similis, qua Ephraim & Manasse a Jacobo Gen. 48. 5. Moyses a Pharaonis filia adoptati fuere Exod. 2. 10. Hujusmodi beneficia ex arbitrio sunt, electisque nonnisi jus caducæ hæreditatis conferunt. Dignitas Filiorum Dei, nobis Christi morte comparata, jus æternæ felicitatis affert, nosque ad gradum gloriæ multo quam omnia plurimi ab hominibus habita nobilissimæ evehit. Nititur hæc Dei voluntate: *Sed ex Deo nati sunt.* Unus ipse gratuita plane misericordia nos vocat, eligit, justos facit, gloria cumulat Rom. 8. 30. Hujus adoptionis vi nos fidei lumine illustrat Deus, baptismo regenerat, charitatem æternamque beatitudinem largitur: quæ quidem beneficia ex carne & sanguine, aut ab homine habere non possumus.

Ita etiam explicari potest: Nemo in Israelis fœdus & in censum filiorum Abrahami admittitur, nisi triplici ratione: I. *Sanguine*, Israelitis nempe parentibus satus; II. *voluntate carnis*, cum scilicet Hebræus vir uxorem captivam alieno genere satam duceret; III. denique Deut. 21. 11. cum quis ethnicus, abdicata superstitione, & circumcisione ac baptismo initiatus, Judaicam Religionem amplecteretur. Hæc porro dici poterat electio, seu *voluntas viri*. At ad hanc electionem, de qua agimus, triplici hac via minime pervenitur.

℣. 14. ET VERBUM CARO FACTUM EST, &c. Ut filiorum Dei dignitatem nobis compararet, Dei Verbum caro factum est: sese nobis simile reddidit, ut nos similes sibi efficeret (34). Nostram ille infirmitatem, nostraque peccata sponte assumpsit, ut vires, sanitatem, & innocentiam nobis restitueret: hominis filium se ipsum effecit, ut nos filii Dei efficeremur. Caro pro homine sæpe usurpatur (35): *Verbum caro factum est*, pro, *Verbum homo factum est.*

Neque illud reputaveris, Divinitatem factam esse hominem seu carnem, sive carnem aut hominem evasisse in Deum. Hæc duplicis naturæ conjunctio in una persona facta est, mistione nulla vel confusione. Omnia Divinitatis & humanitatis jura vicissim servata sunt, nulla ex parte diminuta; ita ut de eodem ipso Jesu Christo Scriptura nunc ex humanitate loquatur, nunc ex Divinitate. Interdum spectatur Christus, uti homo Deus, Divinitatem plenissime in Divina Persona, & exteriori hominis specie conjungens: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Coloss. 2. 9. Neque illi pro anima erat Divinitas, uti nonnullis visum est Arianis (36): totam ille humanitatem assumpsit, carnem atque animam: alterutra enim deficiente non fit homo: atqui Christus Jesus homo est. Refellit hic Evangelista Simonianos & Cerinthum, Jesu Christi divinitatem negantes, ipsumque merum hominem esse contendentes; docetque, verum simul esse hominem & verum Deum, duabus naturis in una persona conjunctis.

ET HABITAVIT IN NOBIS. Rem somnio aut mente perceptam minime nuncio. Verbum æternum, ejusdem cum Patre substantiæ, natura hominum indutum, ipsi vidimus, audivimus, allocuti sumus, sociumque vitæ habuimus (37). Hoc ipsum luculentissime Joannes idem in Epistola prima 1. 2. *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ ... annunciamus vobis.*

Ita alii (38) explicant: Verbum caro factum est, & *habitavit in nobis*, in corpore fuit ex materia concreto, nostris simili, nostramque naturam induit. Simile sese nobis fecit, mortale, at peccato & concupiscentia vacuum (39). Græcus ad verbum (40): *Tabernaculum posuit inter nos*; vel, inter nos habitavit, ceu in tentorio, instar peregrini, modico tempore permanentis. Corpus interdum in Scripturis *tabernaculi* appellatione significatur. *Velox est depositio tabernaculi hujus*, ajebat Petrus Apostolus ep. 2. 1. 14. de sua ipsius morte agens: Brevi tabernaculum hoc dejicietur.

VIDIMUS GLORIAM EJUS, GLORIAM QUASI UNIGENITI A PATRE. Media inter opprobria, & conditionis obscuritatem, quam Incarnatione assumpsit, illum gloria circumdatum vidimus, at penitus divina, qualis unicum Patris Filium decebat. Neque jam quæro prodigia, quæ illius ortum prævivere, quæque comitata sunt, & sequuta; pleraque enim ex his parum publica & cognita fuere, neque Apostoli ea non viderunt. De iis prodigiis ago, quibus ille toto prædicationis tempore claruit, de Transfigurationis gloria (41), de voce Patris in baptismo, de Resurrectione denique & Ascensione. Illa porro obscura, incerta, remota non sunt, sed publica & vulgatissima: spectatores fide dignissimos habuere: intra Judæam gesta sunt: neque ipse proferre queo testem eorum, quæ naturam & fidem omnem superant. His confirmatur id quod dixit, Verbum scilicet carnem factum, Deum esse (42).

GLORIAM QUASI UNIGENITI. Prodigiis claruere Prophetæ. Moyses, Samuel, Salomon, aliique quamplures gloriam apud Deum hominesque retulere; at non eam *quasi unigeniti a Patre* (43). Prodigia ab illis gesta probabant, illos a Deo missos esse, Altissimi servos, & Dei Viros: neque ipsi majorem hac gloriam quæsivere. At Christus Jesus sese esse dixit unicum Patris Filium, Deum de Deo, unum cum Patre, Patri æqualem; utque hæc nomina a se non usurpari, præter jus sibi debitum, ostenderet, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* Philipp. 2. 6. innumera edidit prodigia, in ejus rei testimonium. Deus, mendacii, superbiæ, arrogantiæ inimicissimus, gloriæque suæ studiosissimus Isai. 42. 8. neutiquam patiens, ut creata res Dei nomen usurpet, Jesu Christo favet, dum is hanc sibi dignitatem arrogat, prodigiis perspicuisque argumentis illum fulcit: vocem e cœli vertice edit, imperatque Apostolis, & universis late hominibus, ut ipsum audiant: charis-

simum

(31) Vide Maldon. Menoch. Vide August. Bed. Euthym. Theophyl. (32) Vide August. Theophylact. Brug. alios. (33) Vide Rom. 10. 11. 12. 13. (34) Chrysost. homil. 10. Theophylact. hic. (35) Genes. vi. 12. Psalm. lxiv. 2. Isai. xl. 5. 6. xlix. 26. lxvi. &c. Vide August. Maldon. Grot. Brug. (36) Athanas. Dialog. de Trinit. Augustin. & Philastr. de hæres. Vide Maldonat. hic. (37) August. Tract. 2. (38) Hilar. lib. x. de Trinit. Cyrill. Chrysost. Theophyl. Ambros. lib. de Incarnat. Dominic. Sacram. cap. 6. num. 50. (39) Hebr. iv. 15. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* (40) Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Vide Bez. Erasm. Brug. Maldon. (41) Vide Matth. xvii. 1. Luc. ix. 28. 2. Petr. 1. 17. 18. (42) Chrysostom. Euthym. Grot. Maldon. (43) Chrysost. Cyrill. Theophylact. Euthym.

simum sibi Filium esse illum testatur Matth. 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite.* Jesus igitur Christus revera est Verbum Patris, lux, vita, veritas, Deus, tum ante, tum post Incarnationem. Invicta plane argumenta.

Verba hæc, *Gloriam quasi unigeniti*, non ita accipienda sunt, quasi ea non fuerit gloria, quæ unico Filio revera debebetur, sed illi similis. Particula *quasi* non similitudinem sonat, sed rem ipsam & veritatem, quemadmodum omnibus passim Interpretibus visum est (44). Similes huic dicendi formæ apud omnes gentes occurrunt. Ita de Rege dicitur, illum Regio more loqui; de bono viro, illum agere uti solent boni; de Propheta, Propheticum vitæ genus servare. Ista rei veritatem non minuunt, sed potius augent, & quodammodo exaggerant, dum hominem, de quo agitur, cum altero ejusdem generis comparant. Tametsi fieri non potest, ut plus uno Dei Filio sit, & Verbi carne induti gloria cum alterius gloria comparetur; utitur tamen similitudine Evangelista, quo luculentius illa demonstretur.

Plenum gratiæ et veritatis (45). Referri hæc possunt ad illa: *Vidimus* illud *plenum gratiæ & veritatis*, sive ad ea: *Verbum caro factum est, plenum gratiæ, &c.* Neque hæc sententiam mutant. Dei Filius *gratiæ plenus* fuit, Deo charissimus, nosque Deo charos reddidit. *Plenus veritatis*, quam docuit & prædicavit. Impleta in illo sunt promissa Patris, & Prophetarum oracula. Ipse testis fidelis est, verusque Messias. *Per Moysen*, uti habet Joannes hic, ℣. 17. *Lex data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Hoc porro est Legis Veteris a Nova discrimen. Lex hominem Deo gratum non efficiebat; neque ipsa ex se gratiam largiebatur: nihil denique ad perfectum adducebat (46). Severitatis Lex erat & servitutis: servos formabat (47), non filios: in rem dumtaxat præsentem constituta erat, & ad certum tempus.

At Jesus Christus gratiam & misericordiam largitur: nos Dei filios facit. Lex Mediatorem promittebat: figuras umbrasque suppeditabat (48): datus nobis est Christus: in ipso rem & veritatem tenemus, & promissionum figurarumque finem (49), ac perfectionem Legis conspicimus. Jesus fons est, ex quo gratiam & veritatem haurimus. *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Veritate plenus fuit Samuel 1. Reg. 3. 20. Maria gratia plena dicta est Luc. 1. 28. eademque laude distinguitur Stephanus Act. 6. 8. at nemo, præter Dei Filium, gratiæ veritatisque plenus appellatus est Joan. 3. 34. de nemine dicitur, nos ab eo gratiæ ubertatem accepisse, ac per ipsum factam esse gratiam & veritatem Eph. 4. 3. Cæteris Sanctis gratia data est cum modo; eamque illi ab alio acceperunt. Christus Jesus gratia abundat, ex se ipso petita, cujus ipse fons est & largitor.

In Veteri Fœdere, *misericordia & veritas* (50), quæ idem sonant atque *gratia & veritas*, passim usurpantur pro misericordia, qua Deus homines prævenit; beneficiis, quibus nos cumulat; postremo fide, qua is promissa præstat. *Fac mecum misericordiam & veritatem*, idem est, ac, Me ama, me tuere, præsta quæ in mei commodum promisisti. *Ne avertas a me misericordiam tuam & veritatem tuam*, est, Ne mihi irascaris, neque promissam protectionis tuæ opem, cum ad te confugero, mihi deneges. Gratia & veritas hoc loco sunt misericordia, qua homines prosecutus est Deus, Filium suum ipsis largiens.

℣. 15. Joannes testimonium perhibet de ipso, &c. Joannes, ad prædicandam pœnitentiam, parandasque Messiæ viar missus, exordium duxit ab exhibito de Messia testimonio, testatus Judæis, prope adesse Regnum Cœlorum Matth. 3. 2. medium ipsorum esse, quem tamdiu præstolabantur Joan. 1. 26. se vocem esse, qua illius adventus nunciaretur (51); venturum mox post se, ipso esse majorem. Ille, ajebat, Sponsus est; ego amicus Sponsi Joan. 3. 29. ille dominus, ego servus: ante me factus est, æternus, me major, cujus calceos gestare dignus haudquaquam sum. Matth. 3. 11.

Hæc de Jesu testabatur Joannes in Jordanis solitudine: hæc eo præsente & absente prædicabat. Initio quidem de eo ita agebat veluti deinde venturo, & mox hominibus manifestando. Illum ore non noverat, & nunquam viderat; sed eo statim prospectu, cum Jesus inter turbas baptismo tingendus accederet, illum agnovit Joannes, editaque voce ad populum dixit: Hic est, de quo dixi: Post me venit vir qui *ante me factus est* (52), me longe major. Hæc verba, *Ante me factus est*, significare possunt seu æternitatem Verbi (53), in Deo existentis ab initio; sive illius dignitatem, Divinamque Verbi naturam, Filii Dei, Messiæ, & Desiderati cunctis gentibus. Patres multi (54) hæc ita accipiunt. S. Ambrosius, *Prior me erat, æternitatis; ante me factus, honoris.*

Quia prior me erat (55); tempore scilicet prior (56), sive dignitate superior (57). Ante me existebat; in Patre erat a tota æternitate, cum ego factus in tempore fuerim. Vel: Ille me dignitate & excellentia superat. Deus erat ille, ego creatus sum: dominus ille, ego servus: ille Israelis Liberator, ego vox clamans, elliusque adventum nuncians.

℣. 16. De plenitudine ejus omnes accepimus. Veteres nonnulli (58) hæc verba Joanni Baptistæ tribuunt, veluti cum iis conjuncta, quæ superiori commate dixit. Plerique tamen (59) veluti ex Evangelista interpretantur; locutus enim de gratia & veritate, qua plenum fuit Verbum caro factum, addit, accepisse nos ex ipsius opibus, quicquid gratiæ & cognitionis ipsi habemus; ex quibus tantum nobis largitus est, quantum ipsi libuit (60); nobisque eum modo impartiens, thesaurum ipsum sibi servavit (65): omnia Pater in illius potestatem dedit, *ipse* enim Jesus *est caput corporis Ecclesiæ*, inquit Paulus Coloss. 1. 18. *qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum. In ipso inhabitat omnis*

ple-

(44) August. in Psalm. cxxv. Ambr. in Psalm. cxviii. serm. 18. Chrysostom. Theophyl. Euthym. Maldon. Vall. Erasm. Bez. Grot. Brug. Glass. alii passim. (45) Græc. Πλήρης χάριτος, καὶ ἀληθείας, supple λόγος. Alii: Πλήρη χάριτος, *Plenum* quarto casu, quem regit, *vidimus*. Vide August. Enchirid. lib. 1. cap. 36. Hilar. lib. 1. de Trinit. Fulg. non semel; Cantabrig. Syr. Æthiop. (46) Hebr. vii. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* (47) August. Tract. 3. in Joan. num. 11. 14. 18. Vide 2. Cor. iii. 7. Galat. iv. 25. (48) 1. Cor. x. 2. 11. Vide Origen. & Theophyl. & Mald. & Grot. Hamm. (49) Rom. xv. 8. Coloss. ii. 17. Hebr. x. 1. (50) Vide Psalm. xxiv. 10. xxxv. 6. xxxix. 12. cxxxvii. 2. Osee ii. 19. alibi. (51) Marc. i. 3. Luc. iii. 4 Joan. i. 23. (52) Ἔμπροσθέν μου γέγονεν. (53) Quid. apud Chrysost. Epiph. Val. Vatab. Drus. (54) Chrysostom. hic; August. Tract. 3. in Joan. Ambros. lib. 3. de fide cap. 5. Gregor. homil. 7. in Evang. Beda, Theophyl. Euthym. Rupert. Vide & Maldon. & Grot. & Ludov. de Dieu, &c. (55) Ὅτι πρῶτός μου ἦν. (56) Ita Pers. Arab. Epiph. August. Tract. 3. Chrysostom. homil. 12. Gregor. homil. 7. Beda, Theophyl. Euthym. Rupert. (57) Vide Maldon. Pagn. Mont. Bez. Syr. Grot. Erasm. alios plures. (58) Origen. Athanas. de Incarnat. August. hic, Theophyl. Rupert. (59) Maldon. Ligfoot. Erasm. alii passim. Vide Chrisost. hom. 13. & Cyrill. hic, &c. (60) Ephes. iv. 7. *Secundum mensuram donationis Christi.* (65) Joan. iii. 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.*

plenitudo Divinitatis Coloss. 2. 9. Author ipse est fidei nostræ, nostræque justitiæ, adoptionis & gloriæ: ista vero is sanguinis sui virtute nobis promeruit: nostrum autem est, opem ferente gratia, vocationi illius inservire, trahentem sequi, consiliis illius obtemperare, dignos nos illius promissionibus reddere, nostramque electionem bonis operibus certam efficere 2. Petr. 1. 10. Idem omnes vocat, ut ad se veniant: fidei fores universis late gentibus patent. *De plenitudine ejus omnes accepimus*.

Putat S. Irenæus lib. 3. c. 11. his Evangelistæ verbis refelli errorem Cerinthi & Nicolaitarum, docentium, quemadmodum deinde Valentinianis placuit, res omnes, ipsumque Christum, & Spiritum Sanctum a *pleromate* seu plenitudine condita fuisse (61). Ridiculam hanc opinionem ut evertat Joannes, animadvertit, Christum Jesum a tota æternitate existere in Patris sinu, Deum Patri æqualem; ipsum indutum carne esse in tempore, atque ex ipsius *pleromate*, seu plenitudine nos accepisse quicquid gratiæ & cognitionis largitus est Deus.

Et gratiam pro gratia. Antequam Christus inter homines esset, singulis hominibus naturalis erat intelligentia. Græcis præsto erat Philosophia; Judæis Lex ac Prophetæ: omnia ex mero Dei beneficio, bonorum omnium Authoris. At ubi Verbum caro factum est, dona sua Deus alio modo distribuit; fidei lumen nobis largitus est: salutis Evangelium nunciari omnibus jussit; gentes universas ad fidem & veritatis agnitionem vocavit. Ita *gratiam pro gratia* dedit: secundam tamen majorem, præstantiorem, uberiorem prima. Versiculus proxime sequens innuit, Legem priori gratia, Evangelium secunda a Joanne significari (62). *Lex per Moysen data est*, inquit; *gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Confer Rom. 1. 17. *Ex fide in fidem*. Judæi e fide in fidem ducuntur; ex fide in Deum per Moysen, in fidem Christianam a Jesu nunciatam.

Alii ita interpretantur (63): Evangelii gratiam tradit nobis Dei Filius pro alia gratia; ea conditione scilicet, ut ametur a nobis, illique gratiæ agantur. Grato saltem erga se animo nos esse jubet, de magno adeo & gratuito beneficio. Hoc dumtaxat exigere ex nobis potest Deus. Grotii explicatio in eamdem ferme sententiam recidit: Omnes ex illius opibus gratis accepimus: suis ille donis ex mera bonitate nos cumulavit. Ligfootus: Gratiam nobis largitus est, ut illam in cæteros transfunderemus. Gratiam pro gratia.

S. Augustinus (64), S. Bernardus Serm. v. de Assumpt. Beda Venerabilis in hunc locum putant, hic ab Evangelista significari gratiam, qua justi efficimur, per fidem charitatemque servamur; & gloriam ab illa nobis comparatam. Gratia, qua justi efficimur, prima est; gloria, qua Deus gratiam donaque sua coronat, secunda: *Gratiam pro gratia*. Secundam largitur uti præmium primæ. *Si enim fides gratia est, & vita æterna quasi merces est fidei*, ait S. Augustinus, *vita æterna gratia est pro gratia*.

Maldonatus hic, aliique post ipsum nonnulli: sua Deus dona hominibus largitus est inæquali modo: his quidem hanc, illis istam; cui plus, cui minus 1. Cor. 7. ex mensura, quam Deus in gratiarum distributione servare voluit. Alii (65): *Dedit gratiam pro gratia*, uberrimam gratiarum copiam: nos cumulavit bonis; atque omne beneficiorum genus in nos effudit. Inter varias hasce interpretationes, elige quam malueris. Quæ de gratia Evangelii, gratiæ Legis opposita, locum explicat, maxime simplex videtur, ob ea quæ consequuntur.

℣. 17. Lex per Moysen data est, &c. Ne glorientur Judæi, datam sibi esse Legem. Christo Jesu inter homines orto, inutilia omnino est Lex ad ritus pertinens. Mosaica Lex severitas est & figura; Christiana Religio, gratia & veritas (66). Legem merus homo tulit: gratiam veritatemque Dei Filius (67). Promittebat dumtaxat Moyses ea quæ per Christum Jesum completa sunt. Hactenus Jesum Evangelista nonnisi sub Verbi, Lucis, Dei appellationibus designavit; hic proprio Jesu Christi nomine appellat. Accipimus per illum *gratiam* seu misericordiam, qua prævenimur; & *veritatem*, sive effecta Divinæ fidelitatis, expletis iis quæ Deus promisit. Vaticiniorum ac Veteris Testamenti figurarum finis est Christus.

℣. 18. Deum nemo vidit unquam. Lege gloriabantur Judæi: hanc neque gratiam esse neque veritatem, ostendit Joannes, sed meram severitatem ac figuram. Prædicabant, Deum a Moyse coram spectatum, nonnullosque Scripturarum locos recitabant, quibus id ipsum innui videbantur (68). Docet hic Joannes, Deum a nemine unquam visum, adeoque nec a Moyse: unicum Patris Verbum, Jesum Christum Dei Filium, illius notitiam ad homines attulisse: *Ipse enarravit*. Alio hoc nomine Christi Jesu dignitas Legislatorem Judæorum immenso superat intervallo.

Frustra igitur ita objiciunt Judæi: Quorsum Christi Evangelium? Nonne satis Mosaica Lex est? *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus* Jo. 9. 29. *Jesum autem nescimus unde sit*. Certo scimus, Legem a Moyse traditam, ex Deo esse: at non idem de Jesu Christi Evangelio novimus. Respondet Evangelista: Jesus Christus Dei Filius est, Verbum Patris, cujus ex opibus universi homines, Prophetæ, Sancti acceperunt ea, quibus clarucrunt. Si severitatis & figuræ Legem dedit Moyses, Christus Jesus gratiæ & veritatis tulit. Deum allocutus est Moyses, at per Verbum, illi enim sese Deus nisi per Filium non prodidit. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* Moysi cæterisque Prophetis. Ita Veterum Patrum plerique (69) sentiunt, ubi Deus in Veteri Testamento sese hominibus exhibuisse dicitur, gestum id esse per Dei Filium.

Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris. Christus Jesus unicus Filius, Filius charissimus dicitur, ut quælibet adoptionis suspicio removeatur (70), utque intelligas, quantopere Pater Filium charissimum amet. *Est in sinu Patris*, ut discas, ipsum unius esse cum Patre substantiæ, & absolutissime cum illo unum (71). Hic hominibus *enarravit*, Patris cognitionem attulit: unus enim probe illum noscens, unus pariter docere cæteros potest (72). *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est in Filio* Hebr. I. 1. Nemo, præter Filium, Patris consilia, decreta, voluntatem noverat:

(61) Vide Iren. lib. 1. cap. 1. Tertull. advers. Valentin. cap. 7. 8. 9. &c. (62) Ita Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Rupert. & August. in Psalm. 81. (63) Cleric. Animadvers. in hunc loc. Vide & Grot. hic. (64) August. hic; & lib. de corrept. & gr. c. 13. & lib. 2. c. 8. &c. (65) Cameron. Piscat. Gatak. Dunæus, Muscul. alii. Vide & Maldon. & Brug. (66) Chrysost. Cyrill. Beda, Theophyl. &c. Heb. x. 1. (67) Vide August. Tract. 3. in Joan. & Hebr. vii. 19. viii. 6. ix. 15. (68) Num. xii. 8. *Ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Deum vidit*. Vide & Gen. xxxii. 30. Isai. vi. 1. Ezech. 1. 1. x. 1. Dan. vii. 9. (69) Iren. lib. 4. contra hæres. cap. 26. Justin. Dialog. cum Tryphone; Tertullian. contra Judæos; Basil. lib. 2. & 4. contra Eunomium; Hilar. lib. 4. & 5. de Trinit. Theodoret. qu. 5. in Exod. Aug. lib. 2. de Trinit. c. 13. & serm. 2. & serm. 7. de scriptur. vet. & nov. Test. &c. (70) Hilar. lib. 6. de Trinit. (71) Chrysost. hom. 24. Cyrill. hic; August. Tract. in Joan. Beda, Theophyl. Euthym. (72) Chrysostom. homil. 14. Victorin. lib. 1. adversus Arium; Beda, hic.

rat: alter nemo ea ferie ad nos potuit. Balbutiunt Lex & Prophetæ, si cum Jesu Christi verbis, in Evangelio recitatis, comparentur (4).

℣. 19. Et hoc est testimonium Joannis. Jam testatus de Jesu Christo est Joannes supra ℣. 15. *Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Hæc Joannes de Jesu ad baptismum accedente. Aliud de eo testimonium alio tempore, pauloque post primum, edidit; cum scilicet Sacerdotes ac Levitæ nonnullos e suis ad illum mitterent, rogaturos, esset ipse Christus, nec ne. Hæc legatio paulo post Jesu Christi baptismum gesta est. Relicta Jordanis solitudine, prope Jerichuntem, ubi Jesum abluerat, Joannes Bethaniam, trans Jordanem, secesserat, quo tempore legati ad illum venere. Vide ℣℣. 25. & 28. Magnopere intererat, Joannis Baptistæ testimonium de Christo Jesu commendare, quippe hominis nobilissimæ apud Judæos universos existimationis & famæ, cujus testimonium suspectum Sacerdotibus esse non poterat, quippe Sacerdotali genere sati. Missa creditur legatio a magno Synedrio (5); quippe cujus erat cognoscere de rebus ad Prophetas eorumque missionem spectantibus. Animadversum est, prodeunte in scenam *Barco-keba*, similes ad eum missos esse legatos, de ipsius conditione rogantes.

Tu quis es? Christus? Propheta? Messiæ Præcursor? Mirum vitæ genus a Joanne servatum, prodigia eo nascente exhibita, Doctoris munus quod ipse exercebat, nunciatus ab illo Regni Dei adventus, usurpata ab eo appellatio Vocis in deserto clamantis, omnia ista nonnullis persuaserant, fortasse illum esse Messiam Luc. 3. 15. Nondum prodierat Jesus, nondum collegerat Discipulos, aut miracula patraverat. Tempora in Messiæ adventum destinata jam aderant, universaque gens Liberatorem præstolabatur. Cum igitur insolita existimatione & fama tunc clareret Joannes, pronum omnino erat, ut is pro Messiâ tamdiu expectato haberetur (6). *Tu quis es?* An Messias?

℣. 20. Et confessus est, et non negavit, &c. Constans veritati testimonium exhibuit, palamque *confessus est*, sive *professus est*, se non esse Christum. *Non negavit*, non celavit quis ipse esset: testatus est, se esse servum illius, de quo quærebatur. Sincere simpliciterque confessus est, constanterque respondit, se non esse Messiam. Hæc & Præcursoris modestiam ostendebant, & magnum testimonio pondus addidere. Neque loquentium dignitate, neque Synedrii, Legatos mittentis, authoritate commotus, neque labefactatus appellatione Christi, quæ ultro deferebatur, dicendo perseveravit, se esse *Vocem clamantis in deserto: Dirigite viam Domini.*

℣. 21. Elias es tu? &c. Noverant Judæi, Eliam e terris raptum 4. Reg. 2. 2. venturum esse, *antequam veniret dies Domini magnus*, ex Malachiæ oraculo iv. 5., *ut converteret cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Vitæ genus, a Joanne in deserto institutum, simillimum erat illi, quod Elias duxerat. Vestis, austeritas, ardor animi magnum Eliam mire repræsentabant. Prædicabat Joannes, prope esse, vel jam adesse Regnum Dei Matth. 3. 2. Hæc Sacerdotibus persuaserant, Joannem fortasse Eliam esse, inter homines reversum; vel forte animum Eliæ in Joannis corpus transiisse: Pharisæi quippe, quorum e numero legati erant (7), censebant piorum animas interdum in alia corpora proficisci (8). Inter cæteras vero, Phineis, Eliæ, Davidis animas in variorum hominum corpora transisse existimabant.

Negat Joannes, se esse Eliam: at illum alio tempore Eliam esse asserit Christus. Cum enim Apostoli dixissent, venturum Eliam, antequam Dei Regnum manifestum fieret, respondit Jesus (9): *Dico vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* Joannes igitur Elias erat spiritu, fervore, virtute, illius munera exercebat; illum repræsentabat: at Elias ipse revera non erat. Elias quippe re ipsa venturus servatur ad alterum Filii Dei adventum, cum is iterum in mundi exitu proditurus est, ut judicium in vivos & mortuos exerceat.

Propheta es tu? Vel potius (10): *Propheta ille es tu*, quem expectamus, magnus ille Propheta, excellentiæ causa ita dictus, quem promisit Moyses (11)? Respondet: *Non sum.* Non sum Messias, neque merus Propheta sum, quemadmodum cæteri, qui Messiæ adventum prædixere. *Plusquam propheta* sum (12), quippe qui præsentem illum indico, nuncio, & viventem inter vos versantemque designo.

℣. 22. Quis es, ut responsum demus? Certum aliquid assertumque ex eo quærunt. Si neque Messias es, neque Elias, neque Propheta, dic igitur, quo nomine & authoritate facias ista quæ facis, doceas, baptismo tingas, publiceque doceas adesse Regnum Cælorum? Quæ dignitas tua? quæ missio? Si enim nulla tibi est missio & dignitas, ergo deceptor es tu: si autem alterutram habes, dicito quis te miserit, & qua authoritate veneris?

℣. 23. Ego vox clamantis in deserto. Majori certe modestia de rebus suis agere non potuit Joannes. Ego sum vox, de qua Isaias Propheta xl. 3. in deserto sonans clamansque: Parate viam Domino, populum ex captivitate Babylonica reducenti. Porro hic e captivitate reditus, uti sæpe diximus, humani generis redemptionem significabat. Dominus populi sui dux figura erat Jesu Christi, Principis & Authoris Ecclesiæ Christianæ, quam ipse peccati & Dæmonis servitute liberavit. Demandata fuerat Joanni provincia, ut vias Messiæ sterneret, animosque hominum ad illum excipiendum compararet. Comparat vero, nobilissimum de eo testimonium exhibens, pœnitentiam prædicans, tingensque baptismo.

℣. 24. Erant ex Pharisæis, Sacerdotali seu Levitico genere (13), secta vero Pharisaica, inter Judæorum hæreses eo tempore florentes nobilissima & opulentissima. Ex his multi in Synedrio numerabantur.

℣. 25. Quare ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Opinio fuisse videtur inter Pharisæos, Christo dumtaxat, Eliæ, aut Prophetæ esse jus solemni baptismo tingendi, quo populus ad pœnitentiam compararetur (14). Prædixerant Prophetæ (15) futurum, ut veniente Messia renovaretur gens universa & purgaretur. Joannis baptismus neque Lege neque majorum sanctione per manus tradita imperatus fuerat. Quamobrem colligebant Sacerdotes, eo igitur baptismo populum ad Messiæ adventum comparari.

℣. 26. Ego baptizo vos in aqua. Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. His a vobis quærendus est: ipse magnus Propheta est & Messias. Ego aqua abluo, ut populum ad criminum veniam comparem: ille Spiritu Sancto & igne

(4) Vide Iren. lib. 4. c. 37. & Grot. hic; & Bernard. serm. 1. in Cantic. (5) Grot. Brug. Ligfoot. Hamm. (6) Vide Origen. Chrysost. homil. 15. Theophyl. Euthym. Ammonium, alios. (7) Infra ℣. 24. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* (8) Vide Joseph. de bello l. 2. c. 8. p. 788. & l. 18. Antiq. c. 2. (9) Matth. xvii. 10. 11. 12. Marc. ix. 10. 11. (10) Ὁ Προφήτης εἶ σύ; Vide Origen. hic tom. 6. & Chrysost. homil. 14. Cyrill. alios. (11) Vide Deut. xviii. 15. (12) Matt. xi. 9. Vide August. Tract. 4. Gregor. homil. 7. Rupert. Mald. hic. (13) Supr. ℣. 19. (14) Vide Euthym. & Grot. Mald. hic. (15) Ezech. xxxvi. 25. 26. xlvii. 1. 2. Zach. xiii. 1. 2. xiv. 8. Joel ii. 28. 29.

igne abluit Luc. 3. 16. Ipse ergo ab illo abluendus sum Matth. 3. 14. *Ego a te debeo baptizari*. Ista omnia non hoc tempore hominibus a Synedrio missis dixit Joannes: sed populo præsente antea dixerat. Tunc non aderat Jesus: sed illum aliàs Præcursor designaverat; idemque de illo testimonium die sequenti exhibuit (16). Legatorum erat, illum quærere, de quo agebat Joannes. Si tantum conati fuissent illum nosse, quantum res ipsa poscebat, illos certe non celavisset. Fortasse jam tum simultatem animo fovebant in Joannem Baptistam, venerantque tum ut illi pararent laqueos, tum ut suam ipsorum curiositatem explerent. Messiam sincero animo agnoscere, magnopere optasse non videntur.

℣. 27. Post me venturus est, &c. Vide supra ℣. 15. Testimonium a se de Jesu Christo exhibitum repetit Baptista. Divinum hunc Liberatorem majorem se & Deum esse profitetur.

℣. 28. Hæc in Bethania facta sunt. Græcorum Exemplaria hoc loco dissident; alia enim legunt *Bethania*, alia *Bethabara*; disputantque Interpretes, utra lectio præferenda sit. Plerique Codices manu exarati ferunt *Bethania*; quam quidem lectionem fatetur Origenes ætate sua fuisse communem, & ab omnibus ferme exemplaribus servatam. Optimæ Editiones Græcæ Novi Testamenti eamdem habent (17). Syrus, Arabs, Persa, Copthicus, Heracleon, Euthymius legunt *Bethania*.

Origenes tamen in Joan., S. Chrysostomus hic, Theophylactus, Suidas, animadverso hoc lectionum dissidio, stant pro *Bethabara*. Inter quos Origenes ait, cum in ea loca se contulisset, quo accuratius regionem a Christo, Apostolis ac Prophetis frequentatam nosset, didicisse se, Bethaniam oppidum esse stadiis quindecim a Jerosolyma dissitum, quo sæpe Christus in domum Lazari, Marthæ & Mariæ ventitabat; abesse vero a Jordane stadia amplius centum & octoginta (18); nullumque esse ejus nominis locum ad Jordanem, sed rudera vici cujusdam ibi ostendi, nomine *Bethara*, ubi Joannes baptismum exercuisse existimatur.

Hæc Origenes. At nullum ne mendum in ejus verbis latet, ubi legitur *Bethara*? Suspicor ego, Originem usurpasse pro *Bethabara* locum alium nomine *Betharam*, seu *Betharan*, in Numeris xxxii. 36. & in Josue xiii. 27. notum, ubi deinde condita est urbs *Livias*. *Betharan* duabus vel tribus leucis a Jordane aberat, alia plane a *Bethabara*, si fides sit Eusebio & S. Hieronymo (19). Nulla his (20) est trans Jordanem Bethania; *Bethabaram* vero usurpant illi ceu locum, in quo baptismum exercebat Joannes, & adhuc ipsorum ætate Fideles multi Sacramento Baptismi, privatæ religionis causa, initiabantur. Porro hic locus tribus vel quatuor leucis a Betharan abesse potuit ad septemtrionem, circa Jordanem.

Qui Vulgatæ lectionem tuentur (21), leguntque hoc loco *Bethaniam*, ii quidem fatentur, nullam esse Bethaniam trans Jordanem. At quam multa alia sunt loca tum apud Veteres tum apud Recentiores Geographos ignota? Præterea Bethaniæ appellatio duci potest ex Hebraico seu Syriaco *Beth-aniah* (22), quod est *domus navigii*, fortasse quod eo loco amnis lintre seu cymba trajiceretur. Hebraica vox *Bethabara* (23) domus transitus redditur. Denique usurpari potest *Bethania*, veluti sit *Bethanan*, seu *Bathanæa*, *Bathanæa*, vetus *Basanitis*, quæ interdum pro magna regionis trans Jordanem parte accipitur (24). At fatendum est, lectionem, quæ in optimis Editionibus plerisque *Bethabaram* fert, optimam videri. Putat Grotius, Israelitas eo loco trajecisse Jordanem, ex eoque appellationem Domus transitus derivatam. Ligfootus Bethabaram collocat circa Scythopolim, ubi etiam Jordanes trajiciebatur.

Comment. Tom. VII.

℣. 29. Altera die (25). Postridie ejus diei, qua Jerosolymitani Legati redierunt, reversus Jesus a deserto, in quo dies quadraginta totidemque noctes jejunio traduxerat, ad Joannem Baptistam venit, selecturus discipulos aliquot, seseque ad missionem comparaturus.

Ecce Agnus Dei. Insolita plane locutio. Agnus Dei es, qui peccata mundi aufers. His verbis Joannes Jesu Christi mortem, humanorumque scelerum expiationem ab ipso præstandam (26) significabat. Designaverant Prophetæ Messiam sub Agni mitissimi appellatione, minime querentis dum tonderetur mactareturque (27). *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*. Novi Fœderis Scriptores (28) Christum Jesum sæpe Agnum nuncupant, qui vitam ob hominum salutem prodegit. Interdum etiam Agnus vox blandientis est, ut filium significet (29).

Hac appellatione nedum spectabantur Prophetarum oracula, in quibus Christus sub Agni nomine designatur, verum etiam id quod in templo agebatur (30), ubi mactato quotidie tum vespera tum mane Agno, totius gentis nomine, illius capiti manus imponebant homines in eam rem selecti (31), ut supremam Dei auctoritatem profiterentur, atque in ejusmodi victimarum caput peccata totius populi inducerent. Sunt qui censeant, dicta hæc fuisse mane ejus diei, quo tempore jugis sacrificii Agnus mactabatur in templo; alterumque Joannis testimonium huic simile, vespere ejusdem diei pronunciatum, hora decima, cum sacrificium vespertinum mox esset immolandum (32).

Qui tollit peccatum mundi. Reddi potest Græcus (33): *Qui suscipit peccatum mundi*. Ipse in se suscepit placandi Patris curam, nedum ob Judæorum, verum etiam ob totius Mundi crimina. *Peccatum* hoc loco majorem vim habet quam *peccata*; melius enim significat discrimen inter Jesu Christi sacrificium, & cætera ex victimis in templo mactatis (34).

℣. 30. Et ego nesciebam eum. Jesum nunquam viderat Joannes, neque de facie noverat, quo tempore docere & baptismum exercere incepit, ipsumque populo audiente commendavit. Eo autem gravius erat Joannis testimonium, quod nulla is cupiditate ageretur (35), neque propinquitatis, aut amicitiæ & benevolentiæ rationem haberet, neque etiam cognitionem, experimento

 vit-

(16) Infra ℣. 29. (17) Vechеli edit. & 2. priores Rob. Steph. (18) Septem circiter leucas, millibus passuum tribus in singulas. Hoc tertia spatio abest a Jordane Jerosolyma. (19) Vide Cellar. Geograph. antiqu. lib. 3. c. 13. p. 251. 652. (20) Euseb. & Hieron. in locis. (21) Vide Bonavent. & Gloss. ordinar. Zeger. Tolet. (22) Heb. בית אניה *Domus navigii*. Syr. בית אניא *Domus navis*. (23) בית עברה *Domus transitus*. (24) Vide Bukentop. Lux de luce lib. 2. p. 276. & Interpp. hic. (25) Τῇ ἐπαύριον. (26) Brug. Ham. Toynard. Harm. p. 15. (27) Isai. LIII. 7. Vide & Jerem. XI. 19. (28) Act. VIII. 32. I. Petr. I. 19. Apocal. V. 7. 8. 12. VI. 12. & passim. (29) Clem. Alex. Pædagog. (30) Vide Ligfoot. Hor. Talm. & Harmon. Ita & Toynard. Harmon. Brug. Piscat. Ita Patres plerique. Vide Mald. (31) Vide Levit. I. 4. III. 2. IV. 4. & XVI. 21. 22. (32) Vide Ligfootum & Toynardum, Harmon. p. 15. (33) Ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Erasm. Ludov. de Dieu, &c. (34) Theophyl. Euthym. Mald. (35) Mald. Brug. Chrysost. Theophyl. Euthym. hic, Origen. in Catena Græca.

virtutum Jesu Christi quæsitam, sequeretur. Summa de eo existimatio, qua tenebatur Joannes, e cœlo erat, eamque ille divinitus acceperat. Dicere Joanni potuit Christus, ut Petro Matth. xvi. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est.*

℣. 32. Vidi Spiritum, &c. Eo docente illum agnovi; quemadmodum ipse infra ait ℣. 33. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Revera, cum Jesus baptismo tingeretur, hiscente Cœlo, Spiritus Sanctus in conspicua columbæ forma super ipsum lapsus est (36). At quam vere dicere potuit Joannes, ante id tempus Jesum sibi ignotum fuisse, eoque dumtaxat indicio agnitum; cum accedente primum ad baptismum Jesu, Joannes illi dixerit Matth. 3. 2. *Ego debeo a te baptizari, & tu venis ad me?* Certe nonnisi baptizato Jesu patuit Cœlum, produitque columba. Igitur antea illum noverat. Responderi potest, illum, a quo missus est ad baptismum exercendum Joannes, illius animum illustrasse eo ipso tempore, quo Christus ad eum accessit (37); & quo certius nosset, indicia mox recitata exhibuisse. Posteriori argumento non destruitur prius. Secreta mentis illustratio, qua ille excitatus est, minime prohibebat, ne prodigiis coram prolatis res certior efficeretur (38).

Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Dubitavere nonnulli, utrum Spiritus Sanctus sub columbæ specie apparuerit; ajuntque, illum eo impetu descendisse, quo rapi solet columba. Hæc tamen sententia cum Evangelicis narrationibus pugnat. Addit Joannes, Spiritum Sanctum super Jesum mansisse, conspicue scilicet, tempore satis diuturno. Quod ad effecta, semper mansit uberrime. Neque dici potest ab eo unquam abfuisse, & eo dumtaxat tempore descendisse, quasi antea abfuerit. Spiritus Sanctus una est eademque cum Patre & Filio essentia, Personæ tres sunt, quæ sejungi nequeunt aut dividi, eademque in substantia conjunguntur, At exhibendum erat populo luculentissimum Sancti Spiritus in Jesu Christo manentis argumentum; neque aliis uti poterat verbis Evangelista, ut hoc ipsum significaret.

℣. 34. Testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Testimonium hoc exhibuit Joannes eo ipso tempore, quo Jesus tinctus est baptismo, quamquam id aperte non ferunt Matthæus, Marcus & Lucas (39). Alii ita usurpant (40), quasi diceret: Vidi ego, & nunc testor, Jesum esse Dei Filium.

℣. 35. Altera die iterum stabat Joannes. Secunda die post discessum legatorum Synedrii, de quibus supra (41). Putat Capellus, dies aliquot fluxisse inter primum Joannis de Jesu testimonium ℣. 29. & hoc præsens. Aliis tamen (42) placet, id eadem die contigisse: quamobrem Evangelista scribit: *Altera die iterum*; quasi eamdem diem innuat, sed horam aliam. Animadversum est, ex nonnullis, prius testimonium mane exhibitum fuisse, alterum vespere. Magnopere intererat, Jesum *Dei Agnum* sæpe prædicari (43), quippe cujus mors & passio futuræ erant ingenti adeo Judæis atque Ethnicis offensioni. Nihil ea morte luculentius traditum erat in Scripturis, nihilque difficilius intelligebatur.

℣. 37. Duo Discipuli secuti sunt Jesum; non ut illi semper hærerent, sed ut illum viderent, alloquerentur, agnoscerent. Alter e duobus hisce Discipulis Andreas erat, quemadmodum animadvertitur ℣. 41. Alter ignoratur. Sunt (44) qui Bartholomæum esse censeant, sunt (45) qui Joannem Evangelistam. S. Epiphanio est Jacobus Zebedæi filius.

℣. 38. Rabbi, ubi habitas? Duo tantum hi Discipuli Joannis secuti sunt Jesum: cæteri Divinum lumen non exceperunt; vel potius, illis non sonuit valida & efficiens Patris vox, qua ad Jesum vocarentur. Consilio Joannis Baptistæ non servierunt, in ea verba idcirco effusi, ut illos ad Christum impelleret. Interrogat Jesus: Quid quæritis? ut illos ad se trahat, & colloquendi potestatem faciat. Rogant illi, quod illius domicilium sit, quo commodius colloquantur. Gesta hæc sunt Bethabaræ; ibique fortasse Jesus apud aliquem e civibus mansit. Neque domicilium indicasse contentus, piam illorum voluntatem fovet, eosque ad se accedere hortatus, ait: *Venite & videte.*

℣. 39. Manserunt apud eum die illo, quod superetat diei; *decima* enim *quasi hora erat*, quarta scilicet ferme post meridiem. Contigisse hoc existimamus mense Martio, circa æquinoctium.

℣. 41. Andreas invenit fratrem suum Simonem, &c. Discedens vespere a Jesu Andreas, statim convenit fratrem suum Simonem, redemptionem Israelis expectantem, & fortasse etiam Joannis Baptistæ Discipulum. Innuit Græcus (46), Discipulos geminos, cum Jesu locutos, illico quæsivisse Petrum; quem tamen Andreas primus invenit (47); statimque nunciavit: *Invenimus Messiam*; Jesus nimirum, de quo Baptista testimonium edidit, illum veluti Messiam indicans, Messias revera est; atque is talem se præbuit sermonibus, qualem descripsit Magister (48).

℣. 42. Adduxit eum ad Jesum sub vesperam ejusdem diei; studiosissimus enim Petrus videndi illius, quem nunciaverat frater, moras omnes abrupit. Jesus, conspecto Petro, antequam hic quidquam loqueretur, suo illum nomine appellavit, dixitque: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ita novos hosce Discipulos sese Deum esse statim docuit, atque omnia absolutissime nosse (49). Post hæc, nullo negotio crediderunt hi, Jesum esse Messiam. Monet etiam Simonem, ipsum deinceps appellatum iri *Petrum*, seu Rupem, prædicitque, ipsum fide firmissimum, profitendoque Jesu Christi nomine constantissimum & invictum fore. Hæc nominis mutatio authoritatem in Christo significat, qua innuitur, Petrum ab ipso inter servos ac Discipulos eligi; quemadmodum herus servum emens, nomen illi arbitratu suo imponit.

Ceph, seu *Cepha* Chaldaica vox est (50), petram seu rupem sonans. *Bar-Jona* (51), scilicet *filius Jona*, sive *columbæ*; vel, ex aliis, *Bar-Joanna*, filius Joannis, seu filius placentis Deo. Posteriorem hanc lectionem sequuntur Exemplaria quamplura Græca & Latina (52); atque infra Joan. xxi. 15. ter legitur: *Simon Joannis diligis me plus his?* Quibus ex verbis noscitur, Simonis patri nomen fuisse *Joanni*, vel *Joanna* Syriace.

℣. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam. Postridie ejus diei, qua Andream & Petrum allocutus est, redire voluit in Galilæam, ubi non fuerat tertium jam mensem postquam discesserat, ad Joannis baptismum accessurus. Cum sese in Judæa jam manifestum effecisset, quam Providentiæ legibus poscebatur, reverti in Galilæam

(36) Luc. iii. 22. Matth. iii. 16. (37) Chrysost. homil. 16. in Joan. (38) Vide Brug. Cajetal. (39) Chrysost. Theophyl. Euthym. Mald. (40) Brug. Beza. (41) ℣. 19. 20. . . . . 25. Vide Ammonium, Mald. (42) Vide Vatab. hic; & Toynard. Harm. (43) Vide Hammon. Chrysost. Theophyl. Euthym. ad ℣. 36. (44) Toynard. Harmon. (45) Theophyl. Euthym. Quid apud Theodor. Mopf. in Catena; & Chrysost. Epiphan. hæres. 51. Cyrill. in Catena; Hamm. hic. (46) Εὑρίσκει οὗτος πρῶτος. (47) Vide Grot. Brug. Mald. (48) Vide Chrysost. Theophyl. Grot. (49) Mald. Brug. ex Chrysostom. Cyrill. August. Beda, Theophyl. Euthym. (50) Job xxx. 6. כפים Petra. Ita & Jerem. iv. 29. (51) בר יונה seu בר יוחנה (52) Οἱ υἱὸς Ἰωάννου. Ita Steph. H. Colb. 8. Copht. Æthiop. Nonnus, August. Fulg. Hieron. ad Rustic.

læam voluit, ut ax ee regione missionis suæ initium faceret.

INVENIT PHILIPPUM, &c. Quartum hunc Discipulum Iesus Bethabaræ adlegit; Andream scilicet, ejusque socium, cujus nomen Evangelista silet, Petrum & Philippum. Priores tres diserte non jusserat se sequi: at illi omnino secuti sunt, cum Jesu Christi voluntatem satis perspectam haberent. Una igitur in Galilæam profecti, nuptiis Canæ cum illo adfuere Joan. 2. 2. Credibile est, Philippum aliquid de Jesu ex Petro & Andrea, popularibus suis, antea intellexisse, atque ex Joanne Baptista audivisse, quæ is de Jesu prædicaverat; quippe ab eo vocatus, relictis confestim omnibus, illum sequutus est.

℣. 44. ERAT PHILIPPUS A BETHZAIDA, oppido Galilææ, trans Jordanem, ad illius ostia in mare Tiberiadis. Huic populares erant Andreas & Petrus. Tres hi fortasse Joanni Baptistæ sese addixerant: certa apud Baptistam Bethabaræ morabantur, cum a Jesu vocati fuere. Sedes deinde Capharnai posuere, fixo ibi a Iesu domicilio (53), cum penitus sese in illius clientelam dedissent. Familiam ibi habuit Petrus & socrum (54).

℣. 45. INVENIT PHILIPPUS NATHANAEL, postquam ipse vocatus a Jesu est, eademque die, qua discedendum erat in Galilæam. Nunciavit Nathanaeli Philippus: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetis, invenimus, Jesum filium Joseph a Nazareth.* Hi, quem tamdiu expectaverant, amicis omnibus exploratum facere student. Ait Philippus, occurrisse sibi illum, *quem scripsit Moyses & Prophetæ*, nempe Messiam, in Lege ac Prophetis promissum. Ex his videtur Nathanael in Scripturarum studio versatus (55), illarum sensum scrutans, atque in illis promissa expectans. Sunt qui censeant, Nathanaelem ipsum esse Bartholomæum, quod hunc Evangelistæ cum Philippo plerumque conjungant (56). Opinionem hanc expendimus ad Matthæum x. 2.

JESUM FILIUM JOSEPH A NAZARETH. Ex vulgi opinione loquitur Philippus (57). Nondum ille veram Jesu Christi originem, atque ortus illius mysterium nosse poterat. Merum esse hominem putabat; id quod vulgo tunc a Judæis credebatur. Ignorabat, Dei Filium esse, ex Virgine matre natum, Josephum illi esse nutritium, ipsumque Bethlehemi in lucem aditum. Nondum ista erant explorata. Ingenti prodigiorum numero comparandi erant populi, ut Divinitatem Jesu, & Mariæ Virginitatem crederent.

℣. 46. A NAZARETH POTEST ALIQUID BONI ESSE? Non meminerat Nathanael, promitti a Prophetis, Messiam Nazaretha profecturum (58). Nasciturus Bethlehemi putabatur (59), seseque Jerosolymis & in Judæa proditurus. Huc diserte ducebant Prophetarum oracula. Legis Doctores se e Scripturis colligere existimabant Joan. 7. 52. nullum fore ex Galilæa Prophetam: *Scrutare Scripturas, quia Propheta a Galilæa non surgit.* Mortuo demum Christo patuit, Scripturas inter se conciliari, easque in Christo prorsus impleri. Qui Scripturas scrutabantur per partes, multa inter se pugnantia in illis inveniebant. Philippus Nathanaeli respondet: *Veni, & vide.* Tute ipse rei veritatem vide.

℣. 47. VIDIT IESUS NATHANAEL. Longior erat via ab examine locorum Scripturæ: non ita facile ostendi poterant impleta in Christo Iesu vaticinia, qui nunc primum se prodere inciperet. Breviori compendio Christus Nathanaelem vincit, ostenditque, sese mentium arcana & abditissima quæque pervadere. His statim persuasus Nathanael, respondet Christo ℣. 49. *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.*

ECCE VERE ISRAELITA, &c. Hoc Nathanaelis encomio docet Christus, se illius animum ac naturam pervidere, antequam ipsum de facie intueatur. *Ecce vere Israelita*, verus Iacobi nepos, quem Iacobum Scriptura hac laude prosequitur (60): *Jacob vir simplex*, sincerus, doli & fraudis nescius. Sinceritatis & simplicitatis specimen in eo exhibuit Nathanael, quod statim Philippo dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse*, oppido obscurissimo & humillimo (61)?

℣. 48. UNDE ME NOSTI? Satis aperte locutus fuerat Iesus, ut a Nathanaele percipi posset. Miratus hic, quod nunquam allocutus ite probe sese agnoverit, rogat: *Unde me nosti?* Respondet Iesus: *Cum esses sub ficu, vidi te.* Animo præsens eram, cum te Philippus sub ficu morantem nactus, inventum a se Messiam tibi nunciavit; cui tu: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Hinc te novi (62). Aliter: Te vidi, cum te solum ac sine teste sub ficu esse existimares (63), oraresque, ut mittendum ab ipso virum Deus tibi ostenderet. Merito creditur Nathanael piæ alicui rei operam dedisse sub ficu, quam rem ignotam foro speraret: quæ tamen ea fuerit, latet.

℣. 49. TU ES FILIUS DEI. Absolutissima fidei confessio ex Nathanaele, vix ille Iesum aspexit. Dicendum est, illius animum eximiis virtutibus a Deo fuisse paratum, illustratumque acerrima uberrimaque gratiæ luce, cum primo statim alloquio illud effuderit, quod vix diuturna consuetudo ex ore Petri extorsit Matth. 16. 16. *Tu es Filius Dei*, Messias, Rex Israelis. Dubitant S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Iesum Christum vere Dei Filium, æternum, ejusdem cum Patre substantiæ, crediderit Nathanael, necne; videturque illis filium ex adoptione existimasse: nondum enim satis explicata erat Messiæ Divinitas. At S. Augustino, S. Cyrillo, Ammonio creditur perfecta fuisse confessio, isque jam tum Iesu Christi Divinitatem agnovisse.

℣. 50. MAJUS HIS VIDEBIS. His verbis illum ad Apostoli munus vocare videtur. Si miraris, quod ea tibi patefaciam, quæ omnes penitus latere credidisti, multo majora deinceps conspicies, dum me sequare. Levia hæc sunt futurorum specimina.

℣. 51. VIDEBITIS CŒLUM APERTUM, &c. Aspiciatis, quemadmodum olim Iacob Gen. 28. 12. patentes Cœlos, descendentesque & ascendentes Angelos, ut ea quæ in terris geruntur, ad Deum referant. Angelos videbitis hominis Filio inservientes, assiduoque a terris ad Cœlos, atque e Cœlis in terras itinere exercitatos, ut illius voluntati obsequantur. Id ex mero verborum sono impletum est in horti angore Luc. 22. 43. Resurrectione Matth. 28. 2. Ascensione Act. 1. 10. in quibus Angeli spectandos sese præbuere, ut illius dignitatem nunciarent, perspectamque hominibus facerent. Hoc ipsum jam spectatum fuerat in Annunciatione Luc. 1. 28. in Iesu Christi ortu Luc. 2. 9. absolutoque illius jejunio in solitudine (64), quo tempore adfuere Angeli, ut cibos esurienti præberent. Prodigiis tum præteritis tum futuris Apostolorum fides fulciebatur. Sunt (65) qui hæc de altero Iesu Christi adventu interpretentur. Confer Matth. XIII. 39. 41. XVI. 27. XXIV. 31. XXV. 31. &c.

---

(53) Marc. 1. 21. 29. Matth. XVII. 23. & sequ. (54) Matth. VIII. 14. (55) Ita Aug. tract. 7. Cyrill. Chrysost. Theoph. Euthym. Rupert. Mald. Grot. Ligf. (56) Matth. x. 3. Marc. III. 18. Luc. VI. 14. (57) Chrysost. Theophyl. Euthym. (58) Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym. &c. (59) Matth. II. 2. Joan. VII. 41. 42. (60) Genes. XXV. 27. איש תם Ἄπλαστος, *Simplex*. (61) Brug. Mald. Ligf. (62) Chrysost. Theophyl. Grot. (63) August. serm. olim 40. de verbis Domini, nunc 122. Cyrill. Euthym. Mald. Brug. Ligf. (64) Matth. IV. 11. Marc. 1. 13. (65) Mald. Toynard.

C A P U T II.

Nuptiæ in Cana Galilææ. Primum Jesu Christi prodigium, conversa in vinum aqua. Jesus Jerosolymam proficiscitur, ut ibi Paschatis Festum agat. Ementes vendentesque Templo ejicit. Potestatis suæ testimonium præbet Resurrectionis prodigium. Sese Judæis non credit.

℣. 1. ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater ejus ibi.
2. Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. 3. Et defi-
ciente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. 4. Et dicit ei Jesus:
Quid mihi, & tibi est, mulier? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater ejus mi-
nistris: Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex,
positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ter-
nas. 7. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad sum-
mum. 9. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. 9.
Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat, unde esset,
ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus. 10. Et
dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc
id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. 11. Hoc fe-
cit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & credi-
derunt in eum discipuli ejus. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater
ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus. 13. Et
prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam: 14. Et invenit in
templo vendentes boves, oves, & columbas, & nummularios sedentes. 15. Et
cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, &
boves, & nummulariorum effundit æs, & mensas subvertit. 16. Et his, qui colum-
bas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum
negotiationis. 17. Recordati sunt vero discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus do-
mus tuæ comedit me. 18. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum
ostendis nobis, quia hæc facis? 19. Respondit Jesus, & dixit eis: Solvite templum
hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 20. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta &
sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? 21.
Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset a mortuis,
recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermo-
ni, quem dixit Jesus. 23. Cum autem esset Jerosolymis in pascha in die festo,
multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat. 24. Ipse au-
tem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. 25. Et quia
opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat,
quid esset in homine.

℣. 1. DIE TERTIA, NUPTIÆ FACTÆ SUNT IN CANA. Tertio die, postquam discessit Bethabara (1), Jesus Canam Galilææ venit. Inter utrumque oppidum iter triginta fere leucarum erat. Bethabaram nos ponimus media ferme in via inter mare mortuum ac mare Tiberiadis; Canam vero inter Thaborem & Diocæsaream, æquali prope intervallo ab utroque. Cana in Zabulonis Tribu continebatur, Thabori septemtrionalis, tribusque circiter ab eo leucis.

ERAT MATER JESU IBI. Inter convivas erat; fortasse enim quispiam ex necessariis nuptias agebat. Eo tempore Josephus in vivis non fuisse creditur (2), cum in reliqua rerum a Jesu Christo gestarum narratione mentio de eo nulla occurrat. Putavere nonnulli (3), hujusmodi nuptias habitas esse in ædibus Alphæi, seu Cleophæ, qui filium suum *Simonem Cananæum*, seu *Simonem Zelotem* (4) matrimonio jungeret. *Cananæi* appellatio derivari potest ex oppido Cana. Aliis (5) fuisse creditur Bartholomæus, alio nomine Nathanael. Plerique tamen (6) Joannem Evangelistam malunt. Incertus Scriptor Præfationis, Commentariis S. Augustini in Joannem præfixæ, hæc habet: *Iste est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit.* Addit vero: *Cui* Christus moriens *matrem virginem virgini commendavit*. Colligi ex his potest, relictam a Joanne uxo-

[1] Ita Epiphan. hæres. 51. Thom. Lyr. Brug. Menoch. Bez. Tolet. Jans. Cornel. [2] Epiphan. hæres. 78. Maldon. Grot. Ligfoot. [3] Niceph. lib. 8. hist. cap. 30. Baronius. Vide & Ligfoot. Harmon. [4] Matth. x. 4. Marc. iii. 5. [5] Rupert. in Joan. Osor. serm. de S. Joanne, Ligfoot. Harm. p. 109. [6] Beda, Smaragd. Abb. S. Michaelis ad Mosam, Collect. in Evang. & Epist. in festo S. Joan. Evang. fol. 10. Lyran. Carthus. hic; D. Th. 2. 2. qu. 186. art. 4. Soto in 4. Dist. 27. qu. 1. ad 4. alii. Ita & Præfationes vulgo præfixæ Evangelio, & Apocalypsi Joannis.

uxorem, antequam matrimonio uteretur. Universa certe Antiquitas Joannis virginitati favet (7); eamque tametsi asserere non audet S. Augustinus (8), tamen maxime probabilem putat.

℣. 2. VOCATUS EST IESUS, ET DISCIPULI EJUS. Cum adesset mater Jesu, id satis causæ visum est, ut Jesus ipse una cum quatuor vel quinque Discipulis, Bethabaræ apud Baptistam collectis, vocaretur. Additus hic hominum numerus, quos minime expectabant, in causa fortasse fuit, cur vinum deficeret. Idque ipsum Deiparæ persuasit, ut Jesum moneret, deesse vinum, neque omnino dubitavit illa, quin Jesus aliquid sponsorum causa faceret, ut inopiæ hujus probrum tolleretur.

Quæritur, cur Iesus Christus hisce nuptiis cum Matre & Apostolis interfuerit? Videtur certe, grave & austerum vitæ genus, quod ille nunquam non coluit, cum hilaritate rerum hujusmodi minime convenire. Ajunt plerique Patres (9), id præstitisse Jesum, ut vel ipsa sui præsentia conjugii sanctitatem probaret. Alii censent (10), humillimæ animi demissionis causa adesse illum voluisse hominum inopum nullaque dignitate præstantium cœtui & hilaritati; quemadmodum alibi flagitiosos inter & publicanos versatur, ut illos ad Deum trahat. Probabile est, cum ingens ibi esset necessariorum multitudo, & quicquid tunc Discipulorum erat, primum iis spectantibus edere voluisse prodigiorum, ut eorum, a quibus pro Messia agnoscebatur, fidem confirmaret; iis vero qui nondum crederent, sese noscendum præberet.

℣. 3. DEFICIENTE VINO, &c. Minime expectavit Mater, ut vinum penitus deficeret; sed cum jam deficere inciperet (11), illa id sentiens, Filium monuit, ut inopiæ consuleret. Norat illa quid posset Jesus, & quanta præstare nullo negotio valeret. Fortasse is non semel antea in privata familiæ inopia, verbi unius opera vinum, panem aut alia multiplicaverat (12). Præterea merito judicare potuit Mater, venisse tempus, quo sese palam exhibiturus esset Filius, quippe qui Discipulos jam aliquot collegisset. Denique cum ipse cæterique novi convivæ, minime expectati advenientes, vini defectum attulisset (13), locum sibi esse credidit Mater monendi Filium, deficere vinum. Hinc vides nuptias fuisse hominum pauperrimorum.

Veteres quidam (14) non satis caute de Mariæ virtute loquentes, ajunt, illam levi aliquo ambitionis motu tentatam, prodigium a Filio postulasse, ut aliqua in sese laudis pars regereretur; quem ut motum coerceret, Jesum subduriuscule respondisse: *Quid mihi & tibi est, mulier?* Hæc animadvertenda sunt in priscis Patribus, ut excusentur, atque ad cæterorum Patrum (15) regulam revocentur, quibus creditur Maria unius charitatis & misericordiæ causa id postulasse.

℣. 4. QUID MIHI ET TIBI EST, MULIER? Quamlibet in partem ista convertas, fieri non poterit, quin duriuscula videantur. Iis ferme utimur, cum alium rebus nostris immisceri ægre ferimus (16).

* Comment. Tom. VII.

Ipsa etiam *mulieris* appellatio, pro *matre*, nonnihil severitatis præ se fert. Verbis hisce abusi sunt Hæretici quamplures: hi quidem (17), ut Mariam Virginem Jesu Christi matrem esse, ipsumque Jesum carnem induisse negarent; illi (18) ut Mariæ virginitatem impugnarent. At Patres (19) ea mitius interpretati sunt, quasi illud voluerit Christus: An nostri negotii est, Mater, si deficiat vinum? Curandum ne id mihi est? Veteres alii (20) putant, Christum voluisse his verbis Matrem docere, prævertenda illi non esse tempora a Cœlesti Patre constituta. Importunam judicant Mariæ petitionem.

Plerique demum (21) asserunt, Christum hic loqui non uti hominem & Mariæ Filium, sed uti Deum: eaque ex dignitate, dixisse Matri: Quid mihi commune tecum est? tuum non est, tempus præscribere, quo patranda mihi sunt prodigia, novi ego quo tempore potestatis meæ specimen exhibeam. Ita & optimi Interpretes explicant (22). Sunt qui censeant (23), Jesum cum convivis colloquentem, docentemque verba vitæ, a Matre interpellatum, illam redarguisse, quasi pium opus, multo præstantius, quam sponsorum sublevationem ab ea postulatam, impediret.

NONDUM VENIT HORA MEA. Veteres multi (24) hæc de Passionis tempore interpretantur. Passionis meæ tempus nondum adest; quo tempore ego tui ceu matris curam geram Joan. 19. 26. Nunc vero, ubi de exhibendo Divinitatis meæ argumento per prodigia res est, te matris loco non habeo. Tuum non est, ea mihi præscribere, quæ agenda sunt mihi ut Deo. Hæ loquendi formæ, Venit hora mea, Appropinquat hora, Nondum venit hora mea, &c. persæpe in Evangelio (25) pro Passionis tempore usurpantur. Hic tamen aliud significant. Res est de edendo prodigio, & gloriæ ac potestatis Jesu argumento: hujus rei tempus nondum adesse ait (26); editurum se, cum tempus adfuerit. Expectabat, inquiunt Patres (27), ut vinum penitus deficeret, nequis criminaretur, auctum solummodo fuisse vinum, aut aquam vino admixtam. Certissimum esse voluit primum quod edebat prodigium, omniumque convivarum testimonio exploratum.

℣. 5. QUODCUMQUE DIXERIT VOBIS, FACITE. Intellexit Mater indicio aliquo, seu vocis tono, aut nutu oculorum, velle Jesum postulatis obsequi (28), aptumque dumtaxat rei tempus præstolari. Quamobrem ministros monuit, ut quicquid ille imperaret, facerent. Neque ulterius flagitavit, cum certo nosset futurum, ut eorum inopiam sublevaret. S. Gregorius Nyssenus (29) ita legit ℣. 4. *Quid mihi & tibi est, mulier?* Adhuc ne obnoxius tibi sum? *An nondum venit hora mea?* An ea ætate non sum, qua vivere atque agere uti videtur queam? Intellexit his verbis Maria, velle Jesum edere prodigium; sed ita velle, ut id nullius hominis causa facere videretur.

℣. 6. ERANT IBI HYDRIÆ SEX POSITÆ, &c. Minuta hæc, tam accurate descripta, prodigii magni-

(7) Epiphan. hæres. 58. Ambros. de Symbolo c. 39. de Institut. Virg. c. 72. Chrysost. de Virg. a. 82. Paulin. Ep. 4. Hieron. in Isai. contra Jovin. lib. 1. c. 14. (8) Aug. in Joan. Tract. 124. n. 7. & l. de Virgin. c. 40. (9) Ammon. in Catena; Aug. olim serm. 41. nunc 121. & Tract. 9. in Joan. Cyrill. Euthym. hic; Theodoret. lib. 5. de Divin. Decret. alii. (10) Chrysost. hic homil. 20. Theophyl. alii.
(11) Vide Mald. hic, Grot. Ligf. (12) Ita Quid. apud Maldon. Cleric. (13) Rupert hic, & Mald.
(14) Chrysost. Theophyl. Euthym. (15) Cyrill. Rupert. hic; Ambros. in Psal. cxviii. serm. 18. Bern. serm. 3. in hæc verba. (16) Judic. xi. 12. 2. Reg. xix. 22. & 4. Reg. ii. 18. 19. Matt. viii. 29. & xxvii. 19.
(17) Montanistæ, Manichæi, Valentiniani apud Origen. in Catena G. Aug. hic, Tract. 8. in Joan.
(18) Vide Gaudent. Tract. 9. Hieron. in Comment. (19) Justin. seu alius, quæst. 138. ad Orthodox. & ita fere Epiph. hæres. 79 Euthym. alii quidam. (20) Chrysost. Euthym Theophyl. Ammonius.
(21) Origen. in Catena, August. hic, & Tract. cit. & lib. de fide & symbolo c. 4. & lib. de fide ad Catech. c. 3. Regist. lib. 8. cap. 42. alii plures. (22) Mald. Brug. Var. Ligf. Tir. Men. alii. (23) Maltianæus Not. in N. T. Vide & Grotium. (24) Origen. & Aug. hic; Theophyl. Antioch. lib. 4. Allegor. Gaudent. Tract. 9 de Lection. Ev. Beda; Euthym. Iren. l. 3. c. 18. &c. (25) Matt. xxvi. 45. Marc. xiv. 35. Joan. vii. 30. viii 20. xiii. 1. (26) Ammon. & Apollinar. in Cat. Gr. Chrysost. Theophyl. Euthym. Juvencus hic. (27) Aug. Chrysost. Theophyl Euthym. Grot. Brug. Mald alii. (28) Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym. Mald. alii. (29) Nyssen. homil. in illa verba 1. Cor. xv. 28. Tunc & ipse filius, &c.

gnitudinem valde commendant. Modicum vinum promere noluit Christus, ne extraxisse viderentur ministri, & conditam antea lagenam aliquam protulisse. Neque etiam in vasis vino continendo destinatis vinum producere voluit, nequis criminaretur, vini fœces, odorem, vim, quæ in vasis supererant, infusæ aquæ odorem coloremque vini dedisse. Prodigium exhibuit in urnis sex amplissimis, quarum singulæ binas ternasve metretas capiebant.

Metreta genus erat mensuræ Atticum, vini libras nonaginta continens. Cum vero Attica libra minor nostris esset, libræ nonaginta libras Gallicas sexaginta circiter conficiebant. Quamobrem metretæ tres libras centum & octoginta pondo habent, duæ libras centum & viginti. Si ex hydriis sex ternas fuisse putas trium metretarum singulas, ternas vero duarum, tota vini summa libras nongentas æquabit. Agricola metretam centum librarum facit; alii quinque & viginti librarum. Pelleterio Rothomagensi metreta eadem est ac *bathus*, sive *epha* (30) Hebræorum, triginta fere liquoris pintas capiens. Plauto (31) metretæ trecentę sunt onus navis. Ita Jesus vinum suppeditavit convivis in totum nuptiarum tempus, quod septem diebus producebatur.

Hydriæ hujusmodi ex lapide erant, scilicet ex quodam alabastri genere, seu lapide ophiti, qui lapis cavatur facile tornaturque, ita ut ex eo vasa continendis liquoribus conficerentur. Ejusmodi lapidis & vasorum meminit Plinius (32), & Plinio vetustior Homerus (33). Nostra adhuc ætate hydriæ monstrantur in quarumdam Ecclesiarum Thesauris, quas in Canæ nuptiis fuisse ajunt. Nobilissima omnium est, quæ in Monasterio Portus Regii servatur. Lancelottus, qui de ea Dissertationem quamdam scripsit, editam in ipsius Chronologia apud Editionem Bibliorum Vitrè, illam pintas duas fere & quinquaginta continere animadvertit, binas ferme metretas, quarum capacitatem ad pintas fere sex & quinquaginta definit. Vas est ex lapide seu marmore candido, polito, crassoque; itaut vacuum etiam ab hominibus duobus ægre moveatur. Os hydrię satis patet, ut inserto brachio hauriri queat liquor. In altero illius latere animadverti ego Hebraicum elementum *Caph*, primam literam vocis *cad*, quę hydriam sive urnam significat; sive *Beth*, primam etiam literam vocis *bath*, seu *bathus*, quę mensura eadem est cum epha.

Eę porro hydrię positę ibi fuerant in usum lotionum Judaicarum; sive ut prę̨sto esset aqua, siquis lustrari vellet, lotis pedibus manibusque; sive purgandis cyathis, cultris, aliisque mensæ utensilibus. Teste Marco 7. 4. Judæi a foro cibum non capiunt, nisi manus laverint, e cubito ad summos usque digitos; & multiplex illis est purgationum genus, quippe qui pateras, vasa vini, lectos convivales, lances & alia abluant. Hic erat hujusmodi hydriarum sive urnarum usus. Sex ibi erant amplissimæ, ob convivarum multitudinem.

℣. 7. IMPLETE HYDRIAS AQUA. Poterat certe vinum inanibus in vasis creare: at ea aqua impleri maluit, exploratumque omnibus fieri, nullum in iis vinum esse, nequis fraudem suspicaretur, aut servos accusaret, quod clam cum Jesu conspirantes, vino hydrias complevissent. Hujus etiam rei causa hydrias ipse tangere noluit, sed ab aliis impleri jussit, quibus testibus prodigium invicte probaretur (34).

Vinum nuptiarum Canæ Galilææ erat ne album vel rubrum? Album credo. Si enim rubrum fuisset, architriclinus statim sensisset, neque ex gustu tantum nosset an aqua esset vel vinum. Ex gustu tantummodo rem, alias sibi ignotam, exploravit. Rubrum ex colore nosset; album nonnisi degustando ab aqua discrevit.

℣. 8. HAURITE NUNC, &c. Conversa illico est aqua, eodemque tempore, quo hydriæ impletæ fuerunt. Hauriri statim ex iis jussit Jesus, quo certius esset prodigium. *Architriclinus* est is, qui convivio præest. Alicui ex amicis sponsi convivii cura atque administratio demandabatur (35). Omnia ille curabat, providebat, imperabat familiaribus, cibos inferri & auferri pro arbitratu jubebat (36). Rectoris convivii munus ita describit Jesus Sirachides Eccli. 32. 1. *Rectorem convivii te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic considera; & omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam.* Hujus erat vinum haustu probare, distribuere, numerum cyathorum unicuique præscribere (37). Ad hunc Jesus vinum mittit, ut gustet: is quippe certius quam ceteri de eo judicium ferre poterat; sobrius & rei cibariæ peritissimus. Ceterum ea erat illius provincia. Putant S. Chrysostomus, Severus Antiochenus, Theophylactus, nullum unquam extitisse eo vino præstantius. Hanc aquæ conversionem Patres in exemplum passim afferunt, ut divinam alteram in Eucharistia vini in Sanguinem Christi confirment.

℣. 9. NON SCIEBAT UNDE ESSET; quippe qui, uti diximus, muneris sui causa discurrere cogeretur, ut omnia provideret. Ignorabat ille & quid imperasset Christus, & quid servi gessissent. Hujus absentia & ignoratione commendatur etiam prodigii veritas & confirmatur (38).

VOCAT SPONSUM ARCHITRICLINUS. Sponsum seorsum trahit, rogans, cur eximium adeo vinum in finem usque servaverit; sive, ad illum accedens, ait, solere in conviviis vinum præstantissimum initio apponi; deinde vero minus nobile, cum scilicet convivæ, vino calefacti, ferre de eo judicium nequeunt. *Et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Cum, inquit Horatius Sat. 8.

Fervida subtile exsurdant vina palatum.

Inebriari tum hic tum alibi proprie non sonat turpem ac flagitiosam ebrietatem, sed largiorem dumtaxat potum. Quemadmodum *saturari* est famem explere; sic *inebriari* est bibere quantum lubet. Ita fratres Josephi coram illo *inebriati* fuisse dicuntur Gen. 43. ult. bibisse scilicet quantum poscebat sitis. Aggæus 1. 6. verba ad Judęos faciens: *Comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati.* Quid mali est, non inebriari? Judæos tamen hoc ipso, ceu pœna, multatos a Deo esse testatur. Moralis etiam ratio vetat, ne turpem ebrietatem hoc loco accipiamus. An solicite curasset Maria vinum suppeditare iis, qui jam vino opprimerentur? An præbuisset Christus, quo majorem ebrietatem referrent? Laqueos parasset, propinasset venenum ipsis exitiale.

℣. 11. HOC FECIT INITIUM SIGNORUM JESUS. Veteres nonnulli (39) ajunt, ante hoc prodigium alio nullo Jesum virtutis suæ specimen edidisse; atque

(30) Vide ante Genesim Tabulas nostras de ponderibus & mensuris Veterum Hebræorum. Grotius, Ludovicus de Dieu, Ligfootus censent pariter, metretam esse bathum vel epham: Capellus metretæ libras liquoris LXX. vel LXXI. tribuit. (31) Plaut. Prolog. Mercatoris. *Navim, metretas quæ trecentas tolleret, parasse.* (32) Plin. lib. 36. c. 22. *Est ophites lapis, quo vasa, & etiam cados faciunt. In Siphno lapis est qui cavatur, tornaturque in vasa coquendis cibis utilia, vel ad esculentorum usus.* (33) Homer Odyss. N. Ἐν δὲ κρατῆρα, καὶ ἀμφιφορῆες ἔασι λάϊνοι. (34) Chrysost. Theophyl. Euthym. (35) Mald. Brug. Erasm. Grot. (36) Gaudentius Brixian. Tract. 9. *Nuptiæ apud Judæos cum fierent, quantum ex traditione comperimus, debatur de Sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, simul & conviviorum apparatum, ministros atque ordinem dispensaret: & hic pro officio architriclinus, hoc est triclinii præpositus diceretur.* Quod hic de Sacerdote, incertissimum est. (37) Vide ad Eccli. 32. 2. (38) Chrys. Mald. (39) Chrysost. Theophyl. Euthym. Vide & Author. hist. Scholast.

atque his verbis illud velle Evangelistam, prodigium hoc primum esse ex iis, quæ sunt in Cana Galileæ, cum alibi gessit. At Maldonato placet, alia edidisse antea Jesum prodigia, Mariæ dumtaxat & Josepho explorata; quamobrem ausam esse hic Matrem prodigium ab eo postulare. Opinio hæc cum Evangeliste non pugnat, utpote qui primum Jesu Christi prodigium recitet, ex iis, quæ patefaciendæ gloriæ suæ, exhibendique Discipulis virtutis suæ speciminis causa patravit. Præsto erat Priscis Liber de Infantia Jesu Christi, miraculis passim scatens: at jamdiu inter apocryphos rejectus.

Crediderunt in eum Discipuli ejus. Crediderant Discipuli, vix illum viderant audierantque; certum quippe fidei argumentum est, quod illum sequuti sunt. Hoc prodigio, quod ipsi spectavere, illorum fides confirmata est (40).

℣. 12. Post hoc, descendit Capharnaum, oppidum in orientali maris Tiberiadis ora. Plura ibi edidit Christus miracula Luc. 4. 23. relictaque post aliquod tempus Nazaretha, ibi sedem fixit Matth. 4. 13. Capharnaum a Cana vix quinque aut sex leucis aberat. Censet Origenes (41), id quod probabile videtur, Jesum sexta post recitatum miraculum die Capharnaum venisse; absolutis nimirum nuptiis, quæ per dies septem producebantur.

℣. 13. Prope erat Pascha Judæorum. Dies paucos Capharnai egit Jesus, ac tertia vel quarta post adventum die Jerosolymam profectus est. Primum hoc Pascha post baptismum celebravit Jesus; agebatque tunc temporis annum tertium ac trigesimum ætatis suæ, Æræ vulgaris trigesimum.

℣. 14. Invenit in Templo vendentes, &c. Contigit hoc mane ejus diei, quæ præcedebat Paschati. Vendebantur ibi victimæ in usum sacrificiorum, & in atriis exterioribus continebantur. Quæstum ex ea re Sacerdotes faciebant, ac turpissimi lucri gratia rem indignissimam in Templo exerceri patiebantur. Nunc primum Christus in mercatores Templum profanantes exarsit. Idem hoc gessit paucis ante Passionem diebus, ex cæterorum Evangelistarum fide (42). Diu antea prædixerat Zacharias 14. 21. *Non erit mercator ultra in Domo Domini exercituum in die illa*, Messiæ temporibus.

Nummularios, trapezitas. Quæstum exercebant hi pecuniarum mutatione, in commodum eorum, qui ex remotis regionibus accedentes, aurum argentumque nummis vilioribus mutabant, ut præsto esset quo oblationes facerent (43).

℣. 15. Cum fecisset quasi flagellum de funiculis. Obvios statim funes capiens, flagrum ex iis confecit, quo boves & oves in Templo venum expositas ejiceret. Neque fuste usus est neque virga, quod hæc in Templum inferre nefas esset, ex Rabbinis.

Nummulariorum æs. Græcus (44): *Pecuniam minutulam*.

℣. 18. Quod signum ostendis? Quæstum hunc ibi fieri patiebantur Senatus & Sacerdotes: Dei autem, vel Prophetæ alicujus erat; illum aut vetare aut removere. Nemo autem Propheta esse agnoscitur, nisi ex prodigiis certissimisque vaticiniis. Nihil hujusmodi adhuc exhibuerat Jesus iis, quibuscum loquebatur. Jure igitur rogare videbantur, qua id authoritate præstaret.

℣. 19. Solvite Templum hoc, &c. En prodigium simul & vaticinium. Resurrectionem suam prædicit Christus, prodigiorum omnium maximum: at verbis ita obscuris, ut qui audiere, nihil intellexerint. Templi nomine suum ipsius Corpus significabat, jubebatque facere id quod severa facturi erant: *Solvite Templum hoc*: Corpus meum necate. Scio futurum ut me interficiatis; at ipse me in vitam revocabo, restituamque Templum hoc, quod ipsi destruxeritis. Hæc dicens, digitum fortasse in se ipse intendit, ut de suo ipsius Corpore se agere innueret. Nihil luculentius merebantur Judæi. Si recto fuissent animo, gestorum illius æquitatem ex isto negotio intellexissent. Magno satis ejus æquitatis argumento sunt ea, quæ is vendentibus dixerat: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Porro idipsum erat miraculum, quod homo unus, inermis, nulla authoritate aut fama, tam facile mercatores, invitis Sacerdotibus & populo, ejiceret. Asseritque constantissime S. Hieronymus (45), nullum a Christo prodigium isto majus videri sibi fuisse patratum.

Corpus suum Templum esse ait; ac profecto Divinitas in eo revera intime & hypostatice habitabat: *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ut inquit Paulus Coloss. 2. 9. cum in sanctis hominibus nonnisi per gratiam spirituali modo sit (46), quorum tamen corpora Apostolus 1. Cor. 16. Templa Dei esse testatur: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Et alibi (47): *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti*.

Ait ad Judæos Christus: *Solvite Templum hoc*, pro *Solvetis*, locutione Scripturis familiari (48), qua imperativus modus pro futuro usurpatur. Denique suæ resurrectionis futuræ signum illis exhibet hic, ut alibi (49), cum incredulos pravosque illorum animos pervideret. Indigni erant, quibus alia signa exhiberentur. At deinde tam multa coram illis edidit, ut omnem excusationis locum illis penitus ademerit Joan. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Ex hoc Joannis loco perperam intellecto Judæi Christum Passionis tempore criminati sunt (50), quod Dei Templum a se eversum iri promiserit, tribus diebus a seipso restituendum.

℣. 20. Quadraginta et sex annis ædificatum est. Spatium hoc annorum sex & quadraginta negotium Interpretibus facit. Templum quippe, de quo Judæi, Salomonicum esse non potuit, a Nabuchodonosore jam pridem eversum; quod tamen Salomon septem dumtaxat annorum tempore ædificavit 3. Reg. 6. 38. Neque etiam Zorobabelicum, post reditum e captivitate restitutum, quod deinde Herodes ferme renovaverat. Præterea anni non amplius viginti in ejus ædificio insumpti sunt, computato etiam tempore, quo illius ædificatio Cyro jubente cessavit 1. Esd. 4. 21. usque ad Darium Hystaspis, qui operis prosequendi potestatem fecit (51).

Aliud igitur esse non potest, quam Templum ab Herode restitutum. Opus hoc ille aggressus est annis sex & quadraginta ante primum Jesu Christi Pascha (52). Annos quidem Herodes novem cum dimidio in illius ædificatione consumpsit Joseph. Antiqu. l. 15. c. 14. at novis subinde operibus auctum ornatumque est usque ad tempus, quo Judæi, cum Christo loquentes, dixere: *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Teste Josepho Antiqu. l. 20. c. 8. cum absoluto Templi ædificio populus cerneret, decem & octo millia operariorum, qui hactenus eo labore occupari fuerant, nullo opere distineri, author Agrippæ juniori fuit, ut orientalis atrii ædificationem aggrederetur, sumptibus

(40) Origen. in Caten. Theophyl. & Juvencus. Maldon. alii hic. (41) Origen. in Catena Gr. Vide & Toynard. Harmon. (42) Matth. xxi. 12. Marc. xi. 15. Luc. xix. 45. (43) Erasm. Brug. Ligfoot. Vasec. (44) Τὸ κέρμα, ex κείρω, in frusta concidere. (45) Hieron. in Matth. xxi. 12. Vide & Grot. hic, & Origen. (46) Vide Hilar. de Trinit lib. 8. Ambros. in Psal. 47. Cyrill. lib. de recta fide ad Regin. alios. (47) 1. Cor. vi. 19. Vide & 2. Cor. vi. 16. (48) Genes. xx. 7. xlii. 18. Deut. xxxii. 50. Isai. liv. 1. viii. 10. Joan. xiii. 27. &c. (49) Matth. xii. 39. 40. Luc. xi. 29. (50) Matth. xxvi. 61. & xxvii. 40. Marc. xiv. 58. (51) 2. Esdr. 11. Agg. 2. 4. &c. (52) Vide Usser. ad an. M. 3987.

ptibus gravissimis ac diuturno labore productam.

℣. 22. Cum ergo resurrexisset, &c. Ne ipsi quidem Discipuli intellexere, quid Jesus significaret; censueruntque, non secus ac Judæorum reliqui, de sacra Domini æde ab eo agi. At post illius Resurrectionem, *crediderunt Scripturæ*, ipsum de morte sua & resurrectione egisse, verbaque Christi plenissime impleta conspexere, destructo illius Templo & restituto, peracta scilicet Corporis ipsius morte ac resurrectione.

℣. 23. Multi crediderunt in eum. Dies aliquot egit Jerosolymis Jesus, tota nimirum Paschatis octava, multaque ibi prodigia edidit (53); quibus ingens Discipulorum numerus illi comparatus est, atque inter ceteros Nicodemus, de quo mox consequenti Capite. Quæ prodigia per eos dies ediderit Christus, ignoramus: at omnino necesse est, magna fuisse & quamplurima, cum illi multitudini, non facile docili, persuaserint. Veteres quidam censuere (54), multitudinem Christo sincere non credidisse, cum statim subdat Scriptor: *Ipse autem Jesus non credebat se ipsum eis*: quæ verba statim expendemus.

℣. 24. Jesus autem non credebat semetipsum eis. Putant vulgo Patres (55), voculam hanc *eis* referri ad eos ipsos, de quibus egit commate superiori; Jesus nequaquam sese illis credebat, quamquam in se credentibus. Cur vero? Nimirum *eo quod ipse nosset omnes*. Infirmos esse noverat, inconstantes, leves; eos a se descituros, ubi res urgeret: suam ipsius demissionem, passionem, crucem, dogmata offensioni illis fore intelligebat. Primos hosce credentes S. Augustinus (56) aliique nonnulli cum Catechumenis comparant. In Christum Jesum credunt hi, illius nomen confitentur, cruce frontem signant; at illis nequaquam se credit Jesus, mysteriorum cognitionem illis non largitur, Religionis arcana non aperit. Sunt (57) qui de reliquis Judæis, in Christum minime credentibus, ista interpretentur. His sese non credebat Jesus, sed iis dumtaxat, qui suam ipsius fidem amplexi fuerant. Prior explicatio multo probabilior.

℣. 25. Opus ei non erat, ut quis testimonium, &c. Joannes, illud in primis studiose curans, ut omnia commendet, quibus Jesu Christi Divinitas comprobatur, animadvertit, illum animos mentesque hominum pervidere; id quod proprium unius Dei est (58).

(53) Hic, ℣. 23. & Joan. iv. 2. 10. 45. (54) Chrysost. Theophyl. Euthym. (55) Origen. Chrysost. Cyrill. Aug. Beda, Theophyl. Rupert. (56) Aug. Cyrill. Beda hic. (57) Quid. apud Mal. (58) 3. Reg. viii. 39. & 1. Par. xxviii. 9. & 2. Par. vi. 30. & Job xlii. 2. Eccl. xlii. 19. Psal. xxxii. 15. Isai. xxxix. 15. Vide Aug. Cyrill. Chrysost. hic.

CAPUT III.

Nicodemus Jesum Christum convenit. A Jesu docetur. Disceptatio inter Joannis Baptistæ & Jesu Christi Discipulos de baptismo. Joannes Baptista minor Jesu Christo. Amicus dumtaxat Sponsi est, ac spiritum cum mensura accepit.

℣. 1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. 2. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? 5. Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus, ubi vult, spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? 10. Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? 13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: 15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. 20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut

non

non arguantur opera ejus: 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeftentur opera ejus, quia in Deo funt facta. 22. Poft hæc venit Jefus, & difcipuli ejus, in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. 23. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. 24. Nondum enim miffus fuerat Joannes in carcerem. 25. Facta eft autem quæftio ex difcipulis Joannis cum Judæis de purificatione. 26. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat trans Jordanem, cui tu teftimonium perhibuifti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. 27. Refpondit Joannes, & dixit: Non poteft homo accipere quidquam, nifi fuerit ei datum de cœlo. 28. Ipfi vos mihi teftimonium perhibetis, quod dixerim: Non fum ego Chriftus, fed quia miffus fum ante illum. 29. Qui habet fponfam, fponfus eft: amicus autem fponfi, qui ftat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem fponfi. Hoc ergo gaudium meum impletum eft. 30. Illum oportet crefcere, me autem minui. 31. Qui defurfum venit, fuper omnes eft. Qui eft de terra, de terra eft, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, fuper omnes eft. 32. Et quod vidit, & audivit, hoc teftatur, & teftimonium ejus nemo accipit. 33. Qui accepit ejus teftimonium, fignavit, quia Deus verax eft. 34. Quem enim mifit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menfuram dat Deus fpiritum. 35. Pater diligit filium: & omnia dedit in manu ejus. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eft Filio, non videbit vitam, fed ira Dei manet fuper eum.

℣. 1. ERAT HOMN EX PHARISÆIS, NICODEMUS NOMINE. Contigit hoc Jerofolymis, per octavam primi Pafchatis, a Jefu poft initam prædicationem celebrati. Urbis Senator erat Nicodemus, & fortaffe e Synedrii Patribus (1). Nepos fuiffe dicitur (2) Gamalielis, quem Gamalielem Paulus Apoftolus docentem audiviffe traditur Act. 22. 3. tinctufque Chriftiann baptifmate poft Jefu Chrifti Refurrectionem a Petro & Joanne, in exilium a Judæis ejectus eft.

℣. 2. VENIT AD JESUM NOCTE, forte ob Judæorum metum, quorum odia jam fervebant in Jefum, quamquam inter ipfos vix clarere incipientem, five ob pulfos e Templo mercatores, five quod ex ipforum numero & Difcipulis non effet, neque ab ipfis miffus. Ægre ferebant, quod ille tantopere clareret, tam multaque prodigia ederet. Cur odio haberetur, fatis caufæ effe cenfebant, quod ille e fuis non foret: *Qui non eft mecum, contra me eft.* Putant nonnulli, noctu veniffe Nicodemum, ne Senatoris Legumque Doctoris dignitati noceret. Probrofum quodammodo apud homines videbatur, Difcipulum effe privati hominis, humanarum literarum & artium imperiti.

SCIMUS, QUIA A DEO VENISTI. Quo pacto? Prodigiis nimirum a Chrifto exhibitis per octavam Pafchatis: *Nemo enim poteft hæc figna facere, quæ tu facis, nifi fuerit Deus cum eo.* At nonne prodigia ejus naturæ funt, ut fallere queant, tefte Moyfe (3)? Probabile omnino eft. Nicodemum Chrifti dogmata vitæque genus fedulo infpexiffe, antequam hoc ex illius prodigiis colligeret: Sanctiffima erant dogmata; vitæ genus innoxium; prodigia miffionem comprobabant. Hæc fatis erant, ut Nicodemus fefe inter Chrifti Difcipulos optimo confilio recenferet.

℣. 3. NISI QUIS RENATUS FUERIT DENUO. Græcus (4) fignificare poteft: *Nifi quis renatus fuerit denuo*, vel, *Nifi quis renatus fuerit e fupernis.* Melior tamen prior verfio, & longe probatiffima. Cum ifta refponderit Chriftus, videtur rogaffe Nicodemus, qua ratione Regnum Dei, fcilicet æternam beatitudinem, vel Difcipuli Meffiæ dignitatem, denique Meffiæ Regnum confequeretur; Nam *Regnum Dei* apud Novi Teftamenti Scriptores (5), ipfofque Rabbinos (6), pro Meffiæ temporibus ufurpatur. Sperabant Judæi futurum, ut regnante Meffia ipfi omnibus humanarum fortunarum opibus abundarent. Nicodemus, Jefum Meffiam effe credens, ad illum venit, teftatus, fefe illius amicitiam enixe cupere, velle illius doctrina inftitui, partemque in illius Regno, quod proximum credebatur, obtinere.

Refpondet Chriftus, nullam effe cuiquam in Regno fuo partem, nifi is renatus fuerit *e fupernis*, fcilicet, nifi novum penitus & cœlefte vitæ genus inftituerit, ab animali vita, rebufque terrenis implicita adeo alienum, quemadmodum Angelus carne indutus alio prorfus modo viveret, quam reliquum carnalium hominum vulgus. Quoddam renafcendi genus noverant in fua Religione Judæi. Cum Ethnicus quis Judaica facra amplecti vellet, baptifmo & circumcifione initiabatur. Baptifmus (7) loco novæ nativitatis erat, qua Ethnicus fuperftitionem, errorem, veterefque mores exuens, novus homo fiebat, fervufque in libertatem afferebatur. Docent Rabbini, novam quoque animam eo ritu acquiri. Definebat ille neceffarius effe iis, quibus olim fuerat; conditionemque & Religionem mutabat. Nonnulli etiam Ethnicis (8) ritus erant, quibus homo quodam novæ generationis ac vitæ genere, publica folemnique expiatione, renovabatur.

℣. 4. QUOMODO POTEST HOMO NASCI. Minime intellexit Nicodemus, quid rei effet nova hæc hominis generatio: ac fortaffe majus ea in re myfterium effe cenfuit, quam revera effet; credibile enim non eft, ignoraffe illum quid rei effet nova Profelytorum nativitas, inter fuos ufitata. Quamobrem Chriftus infra ℣. 10. *Tu es magifter in Ifrael, & hæc ignoras?*

℣. 5. EX AQUA ET SPIRITU SANCTO (9). Renafci ex aqua, eft mergi aqua, initiari baptifmo Chrifti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-

[1] Grot. Cleric. alii. [2] Photius, Cod. 171. [3] Deut. XVIII. 20. 21. 22. & XIII. 1. 2. 3. [4] Ἐὰν μὴ γεννηθῇ ἄνωθεν. [5] Vide nos in Matth. III. 2. [6] Vide Ligfoot. hic; Chald. Paraphr. ad Ifai. XL. 9. LIII. 11. Maimon. in Melachim, per. 11. & in Teshuba, per. 9. [7] Vide Selden. de jure nat. & Gent. lib. 2. cap. 2. 3. Ligfoot. & alios hic. [8] Vide Grot. hic: *Antiqua infcriptio: Taurobolio, criobolioque in æternum renatus.* [9] Author homil. Clement. fic legit: *Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀναγεννηθῆτε ὕδατι ζῶντι εἰς ὄνομα πατρὸς, υἱοῦ, ἁγίου πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.*

Sancti. Renasci ex Spiritu Sancto, est instrui gratia, qua quis efficitur justus, & Spiritus Sancti ubertate obrui (10): compleri ac pervadi eo quemadmodum Apostoli, qui illum facta Pentecostes die acceperunt. Qui baptismo in Christiana Ecclesia initiantur, baptizantur aqua & Spiritu Sancto. Baptismus est unus, at duplex illius effectus: I. quod hominem peccato abluit; II. quod illum Spiritu Sancto complet. Hoc ipsum exprimit alibi Christus, his verbis Matth. 3. 2. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*. Hoc baptismo si careat, nemo *potest introire in Regnum Dei* in Christi Ecclesiam, ac deinde in Cœlum. Id est renasci, de quo ℣. 3. Nova hac in nativitate matris loco est aqua, loco patris est Spiritus, ut ajunt Veteres (11).

℣. 6. QUOD NATUM EST EX CARNE, CARO EST (12). Communi nativitate carnales nascimur, & obnoxii peccato. Homo hominem generat mortalem, infirmum, peccato inquinatum, sui similem: at spirituali generatione homo fit spiritus, purus, sanctus: *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Prisci quidam addunt (13): *Quia Deus spiritus est*. Hæc tamen additio neque necessaria est, neque in nostris codicibus nunc legitur. Homo, quem Spiritus & gratia in baptismo sanctum efficiunt, jam non caro est, sed spiritus: spiritalis, non carnalis: novam prorsus vitam vivit; peccatum & opera carnis abjicit (14).

℣. 8. SPIRITUS UBI VULT SPIRAT (15). Ut hujus loci sententiam plane assequare, ostendendus est illius nexus cum iis, quæ præcessere, & quæ consequuntur. Dixerat Nicodemo Christus, renasci oportere, ut Dei Regnum quis assequeretur. Cum Nicodemus minime intelligeret, quid rei esset istud renasci, explanavit Jesus, dixitque, in eo positum esse, ut quis baptismo aquæ & Spiritus initietur. Aquæ baptismus nullo negotio intelligebatur: at major erat in baptismo Spiritus difficultas. Hunc porro Christus studiosius explicat. Quemadmodum, inquit, carnalis est nascendi modus, ita & spiritalis. Caro carnem, spiritus spiritum parit. Atque uti *ventus*, seu *spiritus* [idem enim utrumque hoc loco est] *ubi vult spirat*, modo hic, modo illic; nunc lenis, nunc vehemens: utque vim illius vides, strepitum audis, impulsum sentis, quin illius causas seu vias noveris; ita Spiritus Sanctus animum hominis agit, movet, animat, purgat, accendit, uti & quando vult, modo prorsus imperceptο, sed validissimo. Verissima sunt illius effecta; sed illorum causa ita corporis oculos fugit, ut id, quod ventos, turbines ac procellas parit.

Igitur si vehemens adeo est venti vis, quamquam ventus sub sensum non cadit; ita, licet minime videas Spiritum Sanctum, cujus virtute purgatur animus & inflammatur, tamen hinc tibi colligendum non est, illo animum revera non agi. Ex rebus effectis judicandum est. Confer hominem e vitiis conversum, & Dei Spiritum actum, cum altero adhuc vitiis occupato, quem nondum Spiritus vis & præsentia commoverunt: utriusque discrimen, & veritatem earum rerum, quas de baptismo Spiritus te doceo, statim intelliges.

Patres plerique (16) hoc loco sub appellatione *Spiritus* Tertiam Divinæ Trinitatis Personam usurpant. Spirat ille ubi vult: inspirat, animat, accendit, quos libet. Durissimos etiam animos frangit, frigidissimos inflammat, aridissimos vivifico rore perfundit, obstinatissimos, ubi libuerit, superat. At interdum etiam eum fugit, qui animum inspiranti claudit; avertentem a Divino ipsius lumine oculos aspernatur; deserit renuentem moventi obsecundare, gratiæ suæ infidelem, & bonitati repugnantem. Hæc certe opinio, quam Patres multi sequuntur, in pretio habenda est.

At alteram de vento explicationem amplexi sunt S. Chrysostomus, S. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Author Quæstionum in vetus novumque Testamentum (17) inter opera S. Augustini editarum, ac plerique ex Recentioribus (18). Ipse orationis nexus hanc interpretationem postulat. Spiritus Sanctus secum ipse male comparatur: at venti vis cum Spiritus Sancti actione conferri potest, cum uterque subtilissima & imperceptа ratione, ventus quidem corpora, Spiritus mentes, moveat: Quemadmodum *Spiritus ubi vult spirat, sed nescis unde veniat aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu*; vel, talis est Spiritus Sancti vis in mentes hominum, qui ipsius virtute renascuntur. Sentitur agentis vis; at agens non cernitur.

℣. 10. TU ES MAGISTER IN ISRAEL, ET HÆC IGNORAS? Censuit S. Augustinus, Christum subduriuscule respondere Nicodemo, ut doceat humilem esse, aptioremque faciat disciplinæ suæ, ac baptismo per Spiritum Sanctum, de quo agitur. Alii (19) probabilius arbitrantur, mirari Jesum Nicodemi simplicitatem, aut saltem ita loqui, veluti miretur. Profecto Legisperitus, Doctor in Israele, vir e Magistratibus Patribusque Synedrii ignoraret, hominem baptismo renasci; sanctumque Spiritum, ubi in hominis animum illabatur, illum ita mutare, ut hominem plane alium efficiat? Vide quæ dicta sunt de Saüle 1. Reg. 10. *Insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum cæteris Prophetis, & mutaberis in virum alium*. Vide & quæ diximus in ℣. 3. de Proselytorum regeneratione; quæque Ezechiel 36. 25. de aqua, qua Judæ scelera purganda sunt, deque novo corde, quo Deus Judam est donaturus.

℣. 11. QUOD SCIMUS LOQUIMUR ... ET TESTIMONIUM NOSTRUM NON ACCIPITIS. Nicodemum incredulitatis arguere videtur Christus. Quæ perspectissima teneo, ea tantum loquor. Fides habenda mihi absolute esset, explicationibus atque argumentis minime flagitatis: at cum merum ex mortalibus Doctorem esse me censeas, tum denique mihi fidem habiturus es, ubi te argumentis vicero (20). En sapientum eruditorumque mortalium morbus. Omnia ad rationis trutinam revocant, nihilque deferunt fidei & authoritati, cui sese mens humana subjicere debet.

℣. 12. SI TERRENA DIXI VOBIS, vulgaria, nulla difficultate implicita, ET NON CREDITIS, an fidem habituri estis, ubi cœlestia & sublimia dixero? Quæ de spirituali regeneratione disputavi, prima, ut ita dicam, sunt instituendæ a me Religionis elementa. Majora his habeo, quæ doceam: at opus est, ut prius animos vestros aperiam, mentesque illustrem, ut iis percipiendis pares efficiamini. Me deceptorem non esse, exploratum ex prodigiis meis atque institutionibus erit. Certa subinde Divinitatis meæ argumenta exhibebo. Res igitur in tuto vobis omnino est, ubi fidem ver-

[10] Vide Cyrill. Jerosol. Cathech. 3. Nyssen. lib. de Baptism. Nazianz. orat. in S. Baptism. Cyrill. Theophylact. hic. [11] Chrysost. in Joan. 15. Euthym. hic; & Ammon. & Theodor. Mopf. in Caten. Gr. [12] Tertull. lib. de carne Christi cap. 18. Ambrof. lib. 3. cap. 11. de Spiritu S. Cod. Evang. Vetustiss. in Bibl. Bodl. adducit: *Quia de carne natum est*. [13] Hilar. lib. 7. de Trinit. Ambrof. lib. 3. cap. 11. de Spiritu Sancto. Vide Ivon. Carnot. Ep. 1. [14] Confer Rom. VII. 14. 1. Cor. XI. 15. Galat. VI. 1. [15] Optat. Milevit. *Deus Spiritus est, & ubi vult spirat*. [16] Origen. Ammonius, Apollinaris in Caten. Gr. Nazianz. de Spir. S. cap. 18. August. in Joan. Tract. 12. & lib. 2. quæst. ad Simpl. qu. 1. Author de mirabil. sacr. script. lib. 1. cap. 54. Greg. Magn. lib. 17. in Job cap. 16. & lib. 8. in 1. Reg. cap. 18. Bernard. serm. 74. in Canticum; Ambrof. lib. 3. de Spir. S. cap. 11. Didym. [17] Author Quæst. in vet. & nov. Testam. qu. 59. [18] Bez. Piscat. Grot. Ligfoot. Chemnit. Martianæ. Natal. Alex. Jans. a Lapide, alii. [19] Chrysost. Euthym. Theophyl. [20] Vide Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym.

verbis mei habueritis. Fallere quemquam nequeo. *Terrena* nuncupat ea, quæ disputavit da baptismo ex aqua & Spiritu Sancto (21), in primis simile illud, e vulgari corporum generatione sumptum, ut spiritalem regenerationem significaret; atque alterum ex vi venti, modo hic flantis modo illic (22), ut Spiritus Sancti virtutem animos moventem explicaret.

℣. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, &c. Probat hic ea, quæ dixit ℣. 11. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*. Si cœlestia & arcana doceo, me temere aut inconsiderate loqui ne arbitremini. Quæ dico, planissime scio: in ipso veritatis fonte, in Dei ipsius sinu hausi: ipse ego de Cœlo veni: Verbum sum, & Patris Sapientia, unusque Filius. Ne igitur causemini, adeo sublimia esse quæ trado, ut illorum explicationem quæsituris ascendendum sit in Cœlum, vel Angelus e Cœlo evocandus. Nemo præter me in Cœlum ascendit, aliusque nemo descendit. Ex me difficultatum omnium solutio petenda est.

Alludit his verbis Christus ad illud Deuteronomii 30. 10. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, & opere compleamus?* Tum ad illud Prov. 30. 3. *Non didici sapientiam, & non novi scientiam. Quis ascendit in cœlum atque descendit?* Quibus locis innuitur, Sapientiam donum Dei esse, atque ad Deum usque surgendum, ut hæc in ipso fonte hauriatur. Docet hic Nicodemum Christus, ad homines descendisse Sapientiam; veritatis salubriumque cognitionum Authorem carne indutum esse, atque inter homines versari; denique se ipsum e Cœlo lapsum, ut veritatem omnem homines doceat: quamobrem nullum iis esse excusationis locum.

Nemo, inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis*; non quod Jesus in Cœlum e terris ascenderit, antequam humana carne indueretur; quippe quem in Deo fuisse ab initio, Joannes 1. 1. dixerit, ibique nunquam non fuisse: sed illud vult, e veteribus Patriarchis, Legislatoribus ac Prophetis neminem ascendisse in Cœlum, ut ibi veritates disceret ac mysteria, quæ deinde esset nunciaturus: unum se venisse de Cœlo, ac nosse omnem Patris voluntatem, atque omnia Sapientiæ illius arcana absolutissime pervidere: unum se eo ascendere, quippe qui Divinitate nunquam non ibi præsens esset, & in quo omniumque notionum fons haberetur.

℣. 14. Sicut Moyses exaltavit serpentem, &c. Mortis suæ genus innuit. Ipse in crucem tollendus erat, ut homines universi ex eo vitam & incolumitatem acciperent: quemadmodum Israelitæ in deserto ab anguibus læsi, viso æneo serpente curabantur Num. 21. 9. Pergit cœlestia mysteria, & præcipua Christianæ Religionis capita Nicodemum docere: at ita illi tradit, uti Legis Doctorem & eruditum decebat, sublimi quadam ratione, & ambagibus obvoluta. Confert sese cum æneo angue, quem Moyses in deserto sublimem posuit; docetque, sese venisse, ut universis hominibus salutem compararet: ℣. 15. *ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*.

℣. 15. Ut omnis qui credit in eum, non pereat. Quemadmodum homines anguium morsu læsi, æneum anguem in hasta erectum intuentes, curabantur: ita qui Filium Hominis e cruce pendentem intuiti fuerint, crediderint, omnemque in eo spem collocaverint, minime peribunt, sed vitam æternam consequentur; modo illorum fides constans sit ac vivida, eamque charitas animet, bonaque opera comitentur: quibus destituta fides mortua est (23), inutilisque ad salutem (24).

℣. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, &c. Aliud hic mysterium tradit Jesus Nicodemo. Postquam de filiorum Dei regeneratione, de authoritate Filii Hominis, e Cœlo lapsi, ut veritatem nos doceat, deque sua ipsius morte, per anguem æneum a Moyse in deserto erectum significata, disputavit; hic de sua ipsius Incarnatione agit, deque infinita Cœlestis Patris misericordia, homines ita amantis, ut suum ipse unicum Filium in ipsorum salutem dederit. Hæc sunt nobilissima totius Christianæ Religionis mysteria. De fide in consequentibus disputat. Ita Neophytum hunc instituit in primo hoc alloquio noctu habito.

Nihil majus, liberalius, ampliusve intelligi potest, quam amor, quem hominibus exhibuit Deus, cum Filium suum ad ipsos mitteret. Eo usque nos amavit Deus, ut dederit nobis illud, quo pretiosius nihil penes ipsum erat, Filium scilicet sibi æqualem; gratiam adoptionis, qua Filii Dei efficimur; reconciliationem, qua ex inimicis amici reddimur; æternam denique mercedem, Regnumque Cœlorum. Nihil eo amore gratuitum magis. Nonnisi odio digni eramus, quippe filii iræ & peccati (25); nosque a se abhorrentes ipse ultro occupavit misericordia, & amavit primus (26). Neque ullos amori fines posuit, ut vel Judæos dumtaxat, vel sapientes, vel justos diligeret: universos prorsus homines complexus est. Venit Christus, ut peccantes servaret (27), & eos, a quibus minime expectabatur, quæreret Rom. 10. 20. Si primas animi sui curas circa errantes domus Israelis oves impendit Matth. 15. 24. minime neglexit externos, in mortis umbra sedentes. mortuus est *pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* 1. Jo. 2. 2.

℣. 17. Non enim misit Deus Filium suum, &c. Primum Dei propositum est, mundi salus (28). Siquis perit, sua ipsius culpa perit. Non vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat Ezech. 18. 23. Omnipotens piusque medicus Dei Filius venit ut morbos hominum curet. *quantum in medico est*, inquit S. Augustinus in hunc locum, *sanare venit ægrotum: ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult*. Servator tibi esse vult, at Judex fiet; si oblatam salutem spreveris: te ipse damnabis; *Salvari non vis ex ipso: ex te ipso condemnaberis*. Primus Jesu Christi adventus lenitatis est; alter severitatis.

℣. 18. Qui credit in eum, non judicatur, non damnatur. Ne putaveris, Christianos supremo judici minime adfuturos, cum, teste Scriptura 2. Cor. 5. 10. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*: at *judicare* hoc loco est *condemnare* (29). Qui in Christum Jesum credit, modo fidem animet charitas, minime damnabitur: *qui autem non credit, jam judicatus est*, damnatus, hoc ipso, quod fide caret, *sine qua impossibile est placere Deo* Hebr. 11. 6.

S. Hilarius in Psal. 1. & S. Ambrosius in Psal. 1. verbum *judicare* proprie usurpant. Qui credit, expers judicii est; qui non credit, in judicium non admittitur. Judicium in eos solummodo est, qui neque perfectorum fidem, neque infidelium incredulitatem habent, sed *dilexerunt tenebras magis quam lucem*. Censet etiam S. Ambrosius, judicatum iri eos solum ex Christianis, qui vitæ genus ita

(21) Vide Origen. Ammon. Theophyl. Euthym. August. Bedam. (22) Maldon. Gini. (23) Jacobi 11. 20. 26. *Fides sine operibus mortua est*. (24) 1. Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. (25) Ephes. 1. 3. *Eramus aliquando filii iræ*. Vide Rom. v. 8. 9. & Ephes. 11. 12. (26) 1. Joan. IV. 10. 19. *Ipse prior dilexit nos*. (27) 1 Timot. 1. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. (28) Augustin. hic, Beda, Theophylact. (29) Ita Chrysost. Euth. Theophyl. Maldon. Vide & August. hic.

ita fanctum, ut ipsorum professio postulat, non egerint. Has tamen opiniones Theologi non sequuntur.

℣. 19. Hoc est autem judicium eorum, qui non crediderint *in nomine unigeniti Filii Dei*: nimirum, *lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem*. Hoc ex capite certa fit illorum damnatio, omnisque excusationi locus aufertur (30). Venit in terras Christus, ceu viva lux; eumque certissime commendabant vitæ illius absolutissima sanctitas, Divinitas institutionum, fulgorque prodigiorum. At Judæi tenebras luci prætulere. Falsis majorum institutionibus vetustisque opinionibus assueti, micantis coram Solis jubar aversati sunt. Criminari maluerunt, prodigia a Jesu edita Dæmonis esse præstigias, ac sanctissima & innoxia illius gesta calumniis obscurare, quam illum Dei Filium ac Messiam esse confiteri.

Erant enim eorum mala opera. Hæc porro causa est, cur lucem fugerint. Metuerunt scilicet, ne illius fulgore ipsorum deformitas, ac turpitudo detegeretur (31). Pharisæi in Jesum exarsere; implacabili odio illum insectati sunt Sacerdotes, quod is doctrinæ ipsorum errores & vitæ flagitia evulgaret. Qui credidere in Christum, ejusque ad lucem accessere, peccatis vacui non erant, non secus ac cæteri: at ea bona fide agnovere, summaque animi demissione confessi sunt. Hæc porro salutis ac felicitatis illorum origo (32).

℣. 21. Qui facit veritatem, venit ad lucem: aliter plane atque impius, lucem execrans, eamque fugiens, ne vitia sua ea micante videat. Animum fraude, malitia, mendacio plenum gerit: tenebras amat, inter quas se ipse non spectat. *Qui* vero *facit veritatem*, qui æquitatem, justitiam, sinceritatem colit, qui res laude dignas agit, hic secure ad lucem venit, cum rectos esse sciat animi sui fines, & siquid intus in animo gerat justitiæ contrarium, illud neutiquam amet. Nisi perfectus absolute est, fieri cupit; justitiæque ac veritatis amore totus occupatur. Apud Scripturam (33) *veritas* pro fidelitate, sinceritate, æquitate, justitia usurpatur. Homines lucem non amantes graphice describit Jacobus Apostolus 1. 23. *Si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit*. Deformitatem suam timet, eamque nec diu intueri ausus est, neque corrigere studuit.

Quia in Deo sunt facta. Justus secure ad lucem accedit, quod ejus opera ex Dei institutionibus, lege, ac voluntate sint (34); sive, quæ is agit, Divino Spiritu inspirante, ejusque gratia regente fiunt (35). *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona* ipsius *voluntate*. Philip. 2. 12.

℣. 22. Post hæc, venit Jesus, &c. Post alloquium cum Nicodemo, Jesus egressus Jerosolymis, non Galilæam, unde venerat, petiit, sed in Judæa commorans, profectus est ad Jordanem, ubi cum Discipulis baptismum exercuit. Locum non tradit Joannes: at fortasse circa Jerichuntem fuit, ubi Joannes Baptista munus suum ab initio exercuerat. Jerosolyma intra Judæam continebatur, neque eam provinciam reliquerat Jesus. Cum itaque dicitur Jesus Jerosolymis abiisse in Judæam, illum aliunde venisse ne putes; sed e metropoli in aliam provinciæ partem discessit.

Baptizabat Jesus, ne suis ipse, quemadmodum Joannes Baptista, sed Discipulorum manibus (36). Cur vero Judæam elegit, ubi baptismum suum exerceret? Fortasse ut baptismum Joannis eodem in loco, in quo cœperat, perficeret; & populus baptismo Joannis paratus ad criminum veniam per Jesum Christum, veniam ipsam per Christi Apostolos consequeretur (37). Denique consentaneum erat, Christus baptismum exercere inciperet eo loco, quo Præcursor tanta & tam gloriosa de eo prædicaverat. Matth. 3. 11.

Nobis cum Patribus ac Theologis plerisque (38) videtur, baptismus, quo Jesus populum Apostolorum manu initiabat, verum fuisse Baptismi Sacramentum, quo Christiani & Filii Dei efficimur, criminumque veniam obtinemus; alius plane a baptismo Joannis, quo populus solummodo ad gratiam & peccatorum veniam parabatur. Scio, veteres quosdam (39) aliter sensisse, baptismum scilicet Christi virtute dimittendi crimina nonnisi post ipsius resurrectionem, & Spiritus Sancti lapsum instructum fuisse. Hanc tamen sententiam nostra ætate Theologi passim omnes repudiavere. Putant S. Augustinus (40) & S. Ambrosius in Luc. 18. Apostolos ipsos a Christo tinctos esse baptismo, antequam ipsi cæteros abluerent. Hoc ipsum docet S. Hilarius in Matth. 19. quamquam obscurioribus verbis.

℣. 23. Erat autem et Joannes baptizans in Ennon. Ennon Eusebio & S. Hieronymo millibus passuum octo abest a Scythopoli, meridiem versus: paulo remotior Salim sive Salem. Ennon in Veteris Testamenti Libris ignoratur. Si scribitur *Ain-nom* (41), significat *pulcrum fontem*. Putat Ligfootus, nomen esse potius regionis, quam urbis aut oppidi. Locus fuisse videtur in Galilæa & Herodis Regno, cum ibi captus fuerit Joannes Baptista, & in carcerem datus. Porro id minime tentasset Herodes in Judæa, quam Pilatus Romanorum nomine moderabatur.

Salim, sive *Salem* S. Hieronymo ep. 126. est urbs, in qua Melchisedech regnavit. Tradit idem Pater, ædium Melchisedechi rudera ipsius ætate superfuisse; id quod credibile non videtur. Urbs Melchisedechi regia Jerusalem potius fuit, quemadmodum visum est Josepho, aliisque post ipsum multis.

℣. 24. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Quo tempore scribebat Ioannes, exploratum unicuique erat, ex cæterorum Evangelistarum narratione, Ioannem Baptistam in vincula datum fuisse ab Herode; cumque hæc, quæ mox narraturus est, alius nemo ex Evangelistis scripserit, Lectorem occupat Ioannes, atque ait, contigisse hæc, antequam Ioannes Baptista in carcerem daretur. Ita lectoris ambages removet.

℣. 25. Facta est quæstio ex Discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione, baptismo. Iudæi quidam, Iesu Christi baptismo initiati (42), cum ex Apostolis ipsoque Christo didicissent, quid discriminis esset inter Iesu Christi & Ioannis baptismum, posteriorem hunc minimi facere cœperunt, quippe quo homines nonnisi ad peccatorum veniam compararentur. Discipuli Ioannis, pro Magistro certantes, commendare virtutem Ioannis, & Iesu Christi baptismum verbis deprimere. Cum vehementius augeretur disceptantium fervor, ejus rei rumor delatus est ad Ioannem, qui miro modestiæ exemplo, spreto Discipulorum studio,

eau-

[30] Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym. Maldon. Vatab. Brug. Zeger. alii. [31] Infra ℣. 20. *Qui male agit, odit lucem*. [32] August. Beda hic. Vide Grot. hic, & in ℣. 20. & Chrysost. in cap. iv. ad Ephes. ℣. 11. 19. [33] Vide Genes. xxiv. 49. Josue xxiv. 14. Isai. xxxviii. 19. & xxxix. 8. xxvi. 10. 4. Reg. xx. 3. Psalm. xxiv. 5. [34] Ἐν Θεῷ ἐστὶν εἰργασμένα. Ἐν pro ב. Grot. Pagn. Brug. Bez. Euthym. Maldon. alii. [35] Ita Erasm. Vat. Ludov. de Dieu, alii. [36] Joan. iv. 2. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus*. [37] Vide Maldon. hic. [38] Vide August. Cyrill. alios. Maldon. D. Thom. Bonav. Soto, Richard. Cajet. Scotus, &c. [39] Vide Ammon. in Caten. Gr. Leon. Magn. Ep. 4 ad Episcopos Sicil. Tertull. lib. de Baptismo, c. 11. Chrysost. hom. 28. & Rupert. hic. [40] Aug. Ep. olim 108. nunc 265. Euthym. [41] עין-נעם *Ain-naam*. [42] Sup. ℣. 22. *Venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*.

causam Iesu Christo ejusque baptismati adjudicavit.

Baptismum nuncupat hic Ioannes *purificationem : Facta est quæstio de purificatione* (2), hoc ipsum quippe baptismi est, purgare. Ac fortasse totus quæstionis cardo in eo versabatur, uter baptismus efficacior; ægre ferentibus Ioannis Discipulis, quod Iudæi, baptismo Christi initiati, assererent; baptismo Ioannis non dimitti peccata, neque animum labe purgari. Hac *de purificatione* disceptabatur.

S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Codicesque Græci quamplures (3) legunt : *Facta est quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæo*, non *Judæis*. Quis ille, ignoratur : ac fortasse quæstio primum orta cum Judæo aliquo, qui baptismum Christi susceperat, ad cæteros deinde transiit, causaque communis effecta est.

℣. 26. Venerunt ad Joannem, ut definiretur ab eo dissidium, vel saltem causa ad ipsum pertinens defenderetur adversus eos, qui Joannis baptismum baptismo Jesu Christi postponebant. *Rabbi*, inquiunt, *qui erat tecum trans Jordanem* ad Bethabaram Joan. 1. 28. *cui tu testimonium perhibuisti*, Agnum Dei esse prædicans, a quo mundi crimina tollerentur, majorem se esse asserens, labentemque in illius caput Spiritum Sanctum te vidisse testatus, *ecce hic baptizat* in Judæa (4), *& omnes veniunt ad eum*. Desertus prope est baptismus tuus, & nemo jam ad nos venit. *Omnes* pro ingenti multitudine usurpantur. Nihil in hac Discipulorum Joannis oratione est, quod non invidiam præseferat. Iesum ingrati animi arguere videntur, quod a Ioanne Baptista commendatus, se supra illum efferat, ejusque baptismo injuriam inferat.

℣. 27. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de Cælo. Ioannes, qua erat prudentia, Discipulos suos acrius non arguit, ne illos magis ac magis irritet, atque a se & Iesu Christo removeat. Leniter illos ad Christum ducit (5), ipsum denuo commendans. *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de Cælo*. Unus bonorum omnium author est Deus. Data est unicuique sua gratiarum donorumque mensura, quibus illum ita uti decet, ut largitori placet. Ne ægre feratis gloriam, quæ cœlitus data est Iesu: ita enim damnatis authorem. Placet Deo, illum supra me efferri: obtemperandum est (6). S. Augustinus & Latini (7) passim de Ioanne Baptista interpretantur. Quicquid sum, & quicquid habeo, ex Deo est. Baptizat Iesus, ego baptizo. Ingens tamen est utrinsque discrimen. Sua ille authoritate baptizat, ego aliena; Dominus ille est, ego servus: ille Deus, ego homo: baptizo ego, ut ad pœnitentiam comparem: ille baptizat, ut criminum veniam largiatur: ego aqua tantum baptizo, ille aqua & Spiritu.

℣. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, illum a me agnitum esse me majorem, Messiam, Servatorem hominum, Agnum Dei : cur igitur illum non sequimini? Cur illius gloriæ me invidere vultis? Veni ego ut illum nunciem, ac testis illi sim (8).

℣. 29. Qui habet sponsam, sponsus est. Iesus est sponsus; ego sponsi amicus. Hoc nimirum discriminis me inter illumque intercedit. Quamquam ego nuptiis intersum, mihi tamen nuptiæ non celebrantur. Nuptiarum commodum atque honor sponsi est. Novum fœdus, uti sæpe diximus (9), Christi Incarnatio, institutio Ecclesiæ

passim in Ecclesia sub nuptiarum imagine describuntur. Sponsus est Christus Iesus; Sponsa Ecclesia; amicus Sponsi Ioannes Baptista, nuptiarum hilaritati serviens, & Sponsi mandata perficiens: *Stat, & audit eum*, Sponsum, *& gaudet propter vocem Sponsi*, lætaturque quod sponsi jussa faciat. Hoc vere significari puto iis verbis : *Gaudet propter vocem Sponsi*. Quod enim ajunt nonnulli (10), spectari ab Evangelista id quod fieri solebat, cum sponsi amicus præ foribus thalami aurem porrigens, audita Sponsi voce gauderet: id porro coactum nimis, minusque proclive nobis videtur.

℣. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. Prædicationem & baptismum exercere ante illum cœpi: nobilis clarusque fui in Israele: at eo demum prodeunte, recedendum mihi est, ut locum illi faciam. Similis matutino sideri sum: lux mea illius ortum nunciabat : quo magis procedit ille & augetur, eo magis condi ego debeo & deficere (11). Multi me hactenus Messiam esse putavere: Iesum vero merum Prophetam: jam nunc agnosci incipit ille Messias, qualis revera est : ego illius præcursor & servus agnoscar (12). Mosaicam Legem repræsentabat Ioannes; Iesus Legis Evangelicæ author novique fœderis erat. Primum fœdus abrogari quibusdam in rebus oportebat, in quibusdam perfici : Novum instituendum erat (13).

℣. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Iesus Christus, e Cœlo lapsus, hominibus universis, justis ac Prophetis longe major est (14): at ego, homo non secus ac cæteri, originem ex humo ducens, longe minor illo sum (15). Si inter homines clareo, meaque verba divinum & cœleste aliquid sonant, id gratiæ illius est munus. Ipse mihi relictus sermonem nisi humanum ac terrenum non profero (16).

℣. 32. Quod vidit et audivit, hoc testatur. Quæ vidit in Cœlo Iesus novitque in sinu Patris, hæc hominibus nunciat; quemadmodum ipse testatur hic ℣. 11. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis*. Et 15. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Et 7. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. Indociles incredulasque Discipulorum mentes damnat Ioannes, quod cum Iesum sequi debeant, illi invident, populique simultatem in illum ciere satagunt: *Et testimonium ejus nemo accipit*.

℣. 33. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est, testatus est, Deum esse veracem. Qui testimonium Iesu Christi accipit, dogmata illius amplectitur, ejusque inter Discipulos connumeratur, is Deo ipsi testimonium exhibet; quemadmodum si Iesum rejiciat ac repudiet, Deum ipsum quodammodo mendacem dicit 1. Ioan. 5. 10. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum*. Deus enim ipse Iesum misit, suasque illi institutiones atque authoritatem tradidit; non uti magister Discipulo, vel uti Legatum Rex. Iesus Christus, qua Deus, æqualis est Patri, ejusdemque cum illo naturæ : at qua homo, ex Patre omnia accepit, illi obtemperat, seque subditum præbet. Missi erant a Deo Prophetæ, ejusque Spiritu afflabantur; quamobrem siquis illos exciperet, perinde habebatur, ac si mittenti obsequium exhiberet : at Iesu Christi dignitas Prophetas infinito plane intervallo superabat; ejusque missio ac dogmata divina erant, ac supra na-

Z z tu-

(2) Ita August. Chrysost. Cyrill. Beda, Theophyl. Euthym. Mald. Grot. Brug. alii. (3) Ita Steph. omnes, excepto ε, Alex. Bod. sex, Laud. tres, Seld. duo, alii plures: Syr. Pers. Euseb. Nonn. &c. (4) Cap. III. 22. (5) Chrysost. (6) Chrysost. Euthym. Theophyl. (7) Beda, Rupert. Strab. Vide & Cyrill. Maldon. alios. (8) Ita August. Beda, Theophyl. Euthym. alii. (9) Vide Matth. 22. 14. Marc. II. 19. 20. Luc. v. 34. 35. &c. (10) Seld. Uxor Hebr. Hamm. hic. (11) Chrysost. Theophyl. Euthym. Mald. Grot. Brug. (12) Greg. Magn. homil. 20. in Evang. (13) Aug. lib. 83. quæst. qu. 58. & Serm. olim 36. de Sanctis, nunc 198. Vide Hieron. ad Galat. IV. (14) Aug. Chrysost. Theophyl. Euthym. (15) Chrysost. Theophyl. Euthym. (16) Aug. Beda, Mald. Grot. Brug.

turam. Qui Iesum accipit, *signat* (17), *quod Deus verax est*: suo, ut ita dicam, annulo & signo testatur, Deum esse veracem.

℣. 34. Quam misit Deus, verba Dei loquitur. In eo quoque est Iesu Christi a Prophetis discrimen, quod interdum hi humanum sermonem loquerentur; non enim quovis tempore assidue afflabantur: at Dei Filius nulla penitus verba nisi Divina eloquitur. Hujus rei rationem statim subdit.

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Prophetis ipsique Baptistæ datus est ad mensuram Spiritus (18); at Iesu Christo absque mensura. Ex Christi opibus omnes accipimus Io: 1. 16. Ipse Spiritum Prophetis largitur; eorum labra ipse aperit, ac mentes illustrat. Ipsa illius natura Spiritum Sanctum una habet: ipse per se possidet, non ab alio accipit, impetrat, poscit: nunquam eo caret: totus ipse in Spiritu Sancto est, quemadmodum totus est in ipso Spiritus Sanctus. Vide nos in primam Petri I. 11. ubi Prophetæ a Iesu Christi Spiritu afflati edoctique dicuntur.

℣. 35. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Pergit argumentis vincere, Prophetas omnes infinito penitus intervallo a Iesu Christo superari. Servos ac fideles suos amat omnes Deus; at non ita uti Filium unicum, coæternum, uniusque cum ipso substantiæ. Servos filiosque adoptivos inter, unicumque Filium a tota æternitate generatum, maximum discrimen facit (19). Huic quippe omnia in potestatem dedit: cæteris nihil nisi per carissimum Filium largitur. Omnia possidet Christus, uti dominus ac Deus: homines ea tantum habent, quæ illis Deus per Filium dedit.

℣. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Orationem claudit Baptista his verbis, quibus doceri debebant Discipuli, quam necessaria esset in Jesum fides. Omnia vobis ex illo expectanda sunt: ipsum sequimini. Ex homine nihil nisi caducum esse potest. Cum vos admisi Discipulos, illud solummodo vobis promisi, futurum ut salutis iter vobis indicarem, vosque ad consequendam peccatorum veniam compararem: at ipse & peccatorum veniam, & vitam æternam largietur. Ille promissorum finis est, vestræque & meæ fidei argumentum. Væ illi qui in eum non crediderit! *Non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Damnatio illum æternaque manent supplicia.

At quisquis in illum crediderit, æternam ne vitam consequetur? Omnino, si constanti vivaque fide credat, charitate bonisque operibus fulta: nisi moribus abdicet eum, quem verbis confitetur Tit. 1. 16. nisi vivendi modus cum fide pugnet: nisi fidem charitatemque dumtaxat verbis præseferat: si fidem & charitatem virtutes comitentur: *Filioli, non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate*. 1. Joan. 3. 18.

(17) Ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστι. Persic. & Sax. *Quod Deus veritas est*. (18) 1. Cor. xii. 7. xiii. 9. Ephes. iv. 7. Vide Chrys. Aug. Cyrill. Amm. Theophyl. &c. (19) Vide Aug. hic, Mald.

CAPUT IV.

Jesus, relicta Judæa, in Galilæam redit. Ad puteum consistit. Cum Samaritana colloquitur; eique Messiam se esse aperit. In urbem Sichem ingreditur, ibique Samaritanis pluribus persuadet. Nobilis viri filium curat.

℣. 1. Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes, 2. (Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) 3. Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere. 8. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. 10. Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus? 13. Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: 14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam: ut non sitiam, neque veniam huc haurire. 16. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. 17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: 18. Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc

hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Judæis est. 23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit: (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus. 29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est, qui seminat, & alius est, qui metit. 38. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. 39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quæcumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. 42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi. 43. Post duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam. 44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. 45. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus: Domine, descende, priusquam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat. 51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.

℣. 1. UT COGNOVIT JESUS, QUIA AUDIERUNT PHARISÆI, plures quam a Joanne Discipulos a se comparari, a Judæa discedens, reversus est in Galilæam. Baptizabat ipse, vel potius, illius Discipuli baptizabant in Judæa, uti vidimus cap. 3. 22. Joanne ad Ennon, prope Salem Joan. 3. 23. baptizante, in Herodis ditione. Iratus Herodes, quod ab Joanne argueretur ob incestas cum Herodiade nuptias (1), illum dari jussit in carcerem, in arce Machæruntis (2). Cogniti Jesus pessimis Pharisæorum adversus se consiliis, timuit, ne Pilato persuaderent, ut ipsum vinciri juberet eo prætextu, quod Discipulos quamplures compararet, ingensque populi multitudo baptismo tingenda ad illum confluerei; quemadmodum eodem prætextu usus est Herodes, quod nimirum Baptista nimis multos ad se traheret, baptismo abluendos (3). Jesus igitur in Galilæa docere contentus, ingentem populi concursum vitavit, gestaque a se pellendis morbis prodigia pro viribus occultavit, ne odia inimicorum exacerbaret, neve suspectus Herodi fieret.

℣. 2. QUAMQUAM JESUS NON BAPTIZARET, SED DISCIPULI EIUS. Perpaucos baptizavit Iesus; relicta Discipulis ea provincia, qui ipsius nomine & authoritate baptizabant. Ipse docenda multitudi-

[1] Luc. III. 19. Matth. XIV. 3. 4. Marc. VI. 17.
[2] Joseph. lib. 18. Antiq. cap. 7.
[3] Joseph. loco citato.

ne occupatus, homines comparabat, ut quemadmodum oportebat ad baptismum accederent (4). Ita Paulus docendo instituendoque intentus, baptizandi munus aliis minus occupatis relinquebat. 1. Cor. 1. 17.

℣. 3. Abiit iterum in Galilæam. Codices multi omittunt τὸ iterum (5). At servandum omnino est. Iesus in Galilæam redierat primo ante Paschatis Festum, Bethabara profectus Io. 1. 43. De secundo itinere agit hic Evangelista.

℣. 4. Oportebat transire per Samariam. Ex viciniis Hierichuntis, ubi illum exercuisse baptismum credimus Ioan. 3. 22. recta in Galilæam reverti non potuit, quin per Samaritanorum regionem transiret. Brevissimum erat hoc iter, teste Josepho; quippe trium dumtaxat dierum iter per Samariam idem in Galilæam est (6).

℣. 5. Venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. Sichar eadem creditur ac Sichem, de qua passim in Veteris Testamenti Libris. Pusat S. Hieronymus (7), librarii oscitantia male hic legi *Sichar* pro *Sichem*. Videtur Eusebius in locis *Sichar* secernere a *Sichem* sive *Neapoli*; Sichar quippe prope Neapolim collocat. Communi tamen sententia una eademque urbs sunt Sichem, Sichar, Neapolis. Iacebat hæc inter montes Garizim & Hebal (8), Garizim ad dexteram, Hebal ad lævam, ex Iosepho. Adeo autem proxima monti Garizim erat, ut Ioathan, Gedeonis filius, ex ejus montis vertice verba fecerit ad multitudinem intra Sichem, vel in urbis porta collectam. Iudic. 9. 7.

Vulgo existimant, Sichem ipsis, ut ita dicam, Samariæ portis adhæsisse, Christi Discipulos ingressos esse Samariam, ut cibos compararent; fœminam, quæ aquam haustum venit, Samariæ civem fuisse, eamque urbem, hortatu civium, Christum subiisse. At si Tabulam Geographicam consulas, statim e contra rem habere te disces. Apostoli in Sichem, Samariticæ ditionis urbem, venere. Mulier Iesum allocuta, Samaritano erat genere, in Sichem commorans, Iesum rogavere Sichemitæ, ut in oppidum succederet. Sichem tribus vel quatuor leucis a Samaria Provinciæ metropoli aberat, ad meridiem. Hæc animadvertere operæ pretium est, ut narrationem plane assequare.

Iuxta prædium, quod dedit Iacob, &c. Iacob, mox moriturus Gen. 48. 22. singularis prærogativæ nomine agrum Iosepho dedit, quem agrum ipse ad Sichem sibi comparaverat: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Sunt qui censeant, significari a Jacobo locum armis liberorum, Simeonis & Levi, acquisitum. Genes. 34. 25. Filiorum sævitiam haudquaquam probavit Jacob (9): at omnino crediderim, eam regionem habuisse Jacobum veluti justa victoria quæsitam, quamquam pessimo filiorum flagitio. Agri hujus partem olim emerat ex filiis Hemor patris Sichem (10), eoque in agro sepulta fuere Josephi ossa, occupata ab Israelitis Chananitide, duce Josue. Josue 24. 32.

Ajunt alii, eum Jacob nunquam non damnaverit sævitiam, qua Simeon & Levi in Sichemitas debacchati sunt Gen. 34. 30. & 49. 5. oppidum atque oppidi agrum nonnisi ut iniquissime usurpatum haberi ab eo potuisse, adeoque nec Josepho tribui ceu legitimam hæreditatem: quamobrem hæc intelligenda esse de agri parte, quam Jacob pecunia ex filiis Hemor emit Genes. 33. 19. Ad hanc sententiam nos accessimus in Commentariis ad Genesim, quos vide.

℣. 6. Fons Jacob, sive *puteus Jacob*. Fons dicebatur Hebræis quælibet aquæ scaturigo, ipsæque illæ, quæ in imis puteis ebulliebant, ut a cisternis, cæterisque pluviarum vel fluvialium aquarum conceptaculis secernerentur.

Sedebat sic supra fontem (11), veluti fessus & labore fatigatus (12); vel *incuriose*, & *ut se locus dabat* (13), absque sella & studio, humi, vel super lapidem.

Hora quasi sexta, circiter meridiem, quæ hora prandendi erat. In urbem successerant Discipuli, cibos comparaturi. Jesus vere fessus erat, & sitiebat.

℣. 7. Venit mulier de Samaria, Samaritana non egressa ex oppido Samaria (14), uti animadversum est supra. Samaritana genere ac Religione, ortum sortita fuerat in oppido Sichem, Samariticæ regionis.

℣. 8. Discipuli abierant in civitatem. Quamvis nulla esset Samaritanos inter & Judæos consuetudo, alteri tamen apud alteros divertere, & annonam pecunia vendere, ubi res posceret, non renuebant. Hujus rei exemplum narrat Lucas 9. 52. Perpaucos tunc fuisse dicendum est J. Christo Discipulos, cum solus ad puteum remanserit. Si decem aut duodecim illi adhæsissent, aliquis saltem eum Magistro permansisset; neque enim omnes in Sichem proficisci necesse erat (15).

℣. 9. Quomodo tu, Judæus cum sis, potum a me petis? Jesum sive a veste sive a loquendi sono Judæum esse cognovit (16). Cur vero miratur, quod Jesus, eum Judæus esset, potum postularet? Et cur ait (17), nullam esse Judæos inter & Samaritanos consuetudinem? *Non coutuntur Judæi Samaritanis*: cum Jesus Discipulos in urbem Sichem miserit, quamquam Samaritanis frequentatam, ut cibos compararent. Multiplex est objectioni responsio. I. Poterant quidem Judæi necessaria ex Samaritanis emere (18), minime tamen gratis accipere; emptio enim emptores non obligat; donum vero sensim amicitiam deinde religionem induceit.

II. Persuasum erat Judæis, vasa, quibus utebantur Samaritani, impura esse (19). Hinc fœmina Christo non dicit, nolle se aut non posse potum præbere in vase, quo ipsa utebatur, sed miratur, quod ille, Judæus cum sit, bibere non recuset ex vase, quod impurum ipsi haberetur. Licebat Samaritanis cibum potumque cum Judæis sumere, inquiunt S. Chrysostomus, Theophylactus, Theodorus Mopsuestenus: at idem sibi erga Samaritanos non licere putabant Judæi (20).

Nostri tamen Eruditi (21), qui mores ritusque Samaritanorum studiosius scrutati sunt, docent, majus fuisse Samaritanorum erga Judæos odium, quam Judæorum in Samaritanos. Siquia Samaritanus Judæum prospiceret, statim clamabat: *Ne tetigeris*; metuens nimirum, ne illius tactu pollueretur. Cur aquam polluis? An ignoras, quantopere Samaritani Judæos execrentur? Vel: Quæ mala superstitio vobis persuasit, nequod cum externis commercium habeatis, qui illorum ope in rebus

[4] D. Thom. Lyraa Mald. Brug. Vida August. Tract. 15. [5] Var. Lect. Mill. [6] Joseph Antiqu. lib. 20 cap. 5. Et in vita sua. [7] Hieronym. Epitaph. Paulæ cap. 14. *Transivit Sichem, non ut plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur*. Et qu. in Genes. cap. XLVIII. 22. *Hebraice Sichem dicitur, ut Joannes quoque Evangelista testatur, licet vitiose ut Sichar legatur, error inolevit.*
[8] Joseph. Antiqu. lib. 4. cap. 8. Benjamin pag. 38. Procop. de ædific. cap. 7 [9] Genes. XXXIV. 30. XLIX. 5. 6. [10] Genes. XXXIII. 19. Act. VII. 16. [11] Ἐκαθέζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ.
[12] Erasm. Brug. Ligfoot. [13] Chrysost. Erasm. Grot. Tornaid. Theophyl. [14] Τοῖς ἐν τῇ Σαμαρείᾳ. Vide Grot. hic. [15] Brug. Grot. [16] Ammon. Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldonat. Brug. [17] Theodor. Mopf. Chrysost. Theophyl. [18] Talmud. Grot Maldon. Drus. Ligfoot. [19] August. Tract. 15. [20] Chrysost. Theophyl. hic; Theod. Mopf. in Catena.
[21] Drus. Grot. Epiph. hæresi Samarit.

rebus vitæ neceſſariis paſſim indigetis (22)?

℣. 10. Si scires donum Dei, noſſeſque quam felix modo ſis, haud expectares, ut aquam rogarem: ipſa exhiberes, & aliam viciſſim aquam rogares, ſalientem in vitam æternam. Jeſus nunquam non ſaluti hominum intentus, explendiſque miſſionis ſuæ officiis, quamlibet opportunitatem arripit, ut homines ad Deum erigat. Ex obviis quibuſque rebus parabolas ſæpe confingit. Fœminam nonniſi de aqua haurienda cogitantem Jeſus ad aliam aquam revocat, ſalutis nempe doctrinam, gratiam juſtificationis, converſionem animi, Meſſiæ cognitionem.

S. Auguſtinus, & qui illum ſequuntur (23), *donum Dei* interpretantur Spiritum Sanctum, alibi etiam ſub aquæ vivæ appellatione ſignificatum. Io: 7. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* At Græci Patres (24) generatim uſurpant de quolibet Dei dono, præſertim vero de eo, quo illa præſens fruebatur, Meſſiæ nempe præſentia.

Forsitan petisses. *Forſitan* hic dubitantis non eſt, ſed aſſerentis, uti paſſim (25). *Aqua viva* duplici ratione accipitur; vere ac tropice: vere, ſcaturiginem, fontem aquæ nunquam deficientem: tropice, Doctrinam ſeu gratiam Jeſu Chriſti, ſive Dei Spiritum ſignificat.

℣. 11. Domine, neque in quo haurias habes. Chriſti mentem non ſtatim aſſequitur mulier, putatque ſignificari ab eo aquam vivam, ex imo puteo hauriendam, ſibique porrigendam. Rogat, ulla ne arte noverit aquam haurire, cum neque vas habeat, neque præſto ſit ſcala, cujus ope in altiſſimum puteum deſcendat.

℣. 12. Numquid tu major es patre nostro Jacob? An opulentior illo es, ut alium puteum effodias; aut doctior, ut aliam ſcaturiginem invenias; aut Deo charior, ut majora quam ille impetres? Iacobus, ejuſque filii & greges ex hac aqua biberunt, totaque urbs noſtra hinc aquam ſumit: an tu vel illis melior es vel nobis? Ubi melioresa uberioreſve aquas nanciſceris (26)?

Jacobum mulier nuncupat Samaritanorum patrem, quamquam revera Samaritani ab Iſraelis genere alieni eſſent, utpote gens variis e locis collecta, traductaque in Samaritidem a Salmanaſaro 4. Reg. 17. 24. pro Iſraelitis, trans Euphratem exulantibus. Cum vero novi coloni a leonibus feriſque quam maxime vexarentur, cenſuere, Deo indigenarum, ſcilicet Iſraelis Deo, haudquaquam placere cultum, quem ipſi exhibebant, ac velle propriis legibus ac ritibus coli. Aſſaradonem igitur, Salmanaſari ſucceſſorem (27), rogavere, ut Sacerdotes Iſraeliticos ſibi daret, ex quibus cultum ac ritus Dei Iſraelis diſcerent.

Sacerdotes ad hoſce colonos miſſi, ex iis erant, qui profanæ Iſraelitarum ſuperſtitioni ſervierant, antequam decem Tribus trans Euphratem abducerentur: quamobrem pro vero puroque Dei cultu, priſtinam impiamque Religionem docuerunt. Itaque minime relicto Numinum cultu, Iſraelis Deum colere, religione tamen miſta impuraque, cœperunt. Poſt longum deinde tempus, cum peſſimi quidam Iudæi ad illos 2. Eſdr. 6. 18. atque ad poſteros Sacerdotum ex Euphrate miſſorum acceſſiſſent, major in dies obſcuritas addita eſt origini Samaritanorum, qui hiſce tenebris freti, ſeſe veterum Patriarcharum nepotes dicere auſi ſunt, quemadmodum audet Samaritana. Teſte Ioſepho (28), cum res proſpere Iudæis cederent, felicibuſque illorum temporibus, uſurpatam hanc ex Patriarchis originem obtrudebant; miſeris vero Iudæorum rebus, ſe non Hebræus genere, ſed Phœnices dictitabant.

℣. 13. Omnis qui bibit ex aqua hac. Jeſus mulierem luculentius inſtituit, docetque naturam ejus aquæ, de qua ipſe loquitur. Aqua non eſt corporea, ſitim ad tempus levans, ſed divina & ſpiritalis, ſitim in omne tempus extinguens. Perſpicue magis in conſequentibus.

℣. 14. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Itaque nunquam ſitiet. Qui enim fieri poterit, ut careat aqua is, intra quem ebulliat fons aquæ ad Cœlum uſque ſalientis? Non ad dies aliquot aut ad annum hac aqua levatur ſitis, ſed ad totius vitæ curriculum; eaque vel in cœlo tota æternitate potamur (29). Aqua hæc ſunt Evangelicæ inſtitutiones, gratia juſtificans, Sancti Spiritus dona. At nonne quotidie experimur, ſpiritali hac aqua ſitim in omne tempus haudquaquam extingui? Quam multi ſunt, qui hac aqua longo plurium annorum ſpatio enutriti, illam denique faſtidientes, ad cœnoſas carnalium voluptatum aquas revertuntur? Omnino: at hi ſua ipſorum culpa divinum hunc fontem reliquere, neglexere donum Dei, ſalubrem hanc aquam voluere. Apertius, cum ipſi Deum reliquerint, illos averſatus eſt Deus (30).

Aqua hæc, inquit Chriſtus, fons eſt, uſque ad Cœlum ſaliens. Vulgarium fontium aquæ tam alte ſaliunt, quam ſublimis eſt ſcaturigo. Hæc, cum e Cœlo prodierit, ad Cœlum uſque æternamque vitam extollitur (31). *Qui biberit ex hac aqua, non ſitiet in æternam.* In illa inveniet, quicquid opus fuerit, ut ſanctus efficiatur. Evangelica dogmata probe cognita, & opere ſervata, ſaluti ſufficiunt. Sancti Spiritus gratia perennis eſt cognitionum & bonorum fons: nemo hanc niſi volens amittit. Qui animo humilis & fidelis fuerit, huic ejuſmodi aquam auget Deus: *Habenti dabitur, & abundabit.* Cum dicitur futurum, ut qui ex ea biberit, nunquam ſitiat, perinde eſt ac ſi dicatur, fore ut gratiæ adminiculo, & perſeverantiæ dono ſalutem certiſſime conſequatur: ſalubrem hanc aquam ita poſſideat ac bibat, ut nunquam faſtidiat, & quo uberiorem habuerit, eo vehementius illam cupiat, uti ait Eccleſiaſticus 24. 29. *Qui bibunt me, adhuc ſitient.* Ea ſitis non eſt, quæ indigentiam & defectum ſignificet, ſed voluptatem & deſiderium. Deum abſolutiſſime cognoſcet amabitque: ſalutis dogmata novo ſemper ardore videbit, guſtabit, amabit, exequetur.

℣. 15. Domine, da mihi hanc aquam, ne huc ventitare cogar, hauſtum aquam. Nondum aſſequitur mulier, quid velit Chriſtus; vel ſi aſſequuta eſt, irridet (32). Putat Origenes, illam Chriſti verba optime percepiſſe, atque ex ejus mente reſpondiſſe: Da mihi hanc aquam: arcana hæc myſteria mihi detege: at illorum intelligentiam effice procliviorem, ne laborare cogar, ſcrutando Scripturas. Exquiſitior eſt explicatio.

℣. 16. Voca virum tuum. Cur vero & quorſum? An quod minime deceret, ſolum cum ſola colloqui; vel, quod nobiliſſimum fidei & Evangelicæ inſtitutionis donum tradere illi nollet, viro inſcio & abſente (33)? An potius (34) capta inde opportunitate locum facere voluit detegendis iis, quæ neminem ſcire mulier arbitrabatur, docendæque mulieri, quæ ſua ipſius eſſet conditio, & quis ipſe foret?

℣. 17. Bene dixisti, quia non habeo virum; nullus quippe tibi vir legitimus eſt. Interpretibus non-

(22) Maldon. Ligfoot. Hor. Hebr. (23) Auguſt. Beda, Rupert. Strab. hic, & alii Latini paſſim. (24) Chryſoſt. Cyrill. Theophyl. Euthym. Ammon. (25) Geneſ. xxxi. 42 Exod. xiv. 11. Pſalm. cxviii. 4. cxxxviii. 11. Joan. v. 42. viii. 19. (26) Vide Chryſoſt. Theophyl. Euthym. (27) 4. Reg. xvii. 25. 26. 1. Eſdr. iv. 2. (28) Antiqu. lib. 9 ad finem, & lib. 12. cap 7. (29) Vide Auguſt. Tract. 15 in Joan. (30) Maldon. hic, Cornel. a Lapide. (31) Grot. Brug. (32) Maldonat. Ligfoot. (33) Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. (34) Brug. Maldon.

nonnullis (35) mentita videtur mulier, ut periculum illius faceret, intelligeretque, Propheta esset ille, nec ne. Virum sibi esse negat, probatura, utrum Jesus neganti crederet. Alii putant (36), Jesum εἰρωνικῶς esse locutum: scilicet pulcre mentita es, tibi virum non esse, quæ viros quinque habueris (37), quæque nunc consuescas cum viro, qui sibi maritus non est. Sive flagitiosam hæc vitam duxerit (38), sive priores viros ipsa repudiaverit, aut ab illis repudiata fuerit; id enim ægre definieris; certum omnino est, virum, cum quo consuescebat, illi non fuisse maritum: ℣. 18. *Nunc quem habes, non est tuus vir*. Patres (39) vulgo ajunt, priores quinque hujus mulieris viros, legitimos fuisse illius maritos. At S. Chrysostomus in Psal. 13. Maldonatus hic adulteros fuisse arbitrantur.

℣. 18. Quinque enim viros habuisti. Legebat Heracleon, *sex viros*, uti ex Origene vidimus supra; ac dicere videtur S. Hieronymus Ep. xi. 34. novæ edit. duos & viginti maritos illi fuisse: *Quid dicimus tali mulieri? nempe quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuisti maritos, & ille, a quo sepelieris, non est tuus.* Verum hic sermonem habet de muliere cujus historiam referendam suscipit, quam ipse suis oculis in Urbe viderat; illa nempe conjugibus viginti duobus nupserat, & sepulturæ tradita fueras a conjuge, qui unam supra viginti mulieres duxerat. Eusebius de Piscina ista sub nomine Besida agens tradit, aquis maxime rubentibus infectam mansisse etiam ætate sua, servando colorem, quem olim contraxerat ex lotione victimarum, cui dudum destinata fuerat. De Piscina illa, quid rei nunc sit, vide D' Arvieux tom. 2. pag. 216.

℣. 19. Video quia Propheta es tu. Clam innuit verum esse id, quod dixit Christus. Prophetam esse fatetur; simulque flagitioso vitæ suæ instituto territa, jam de vitæ emendatione cogitat. Primus emendationis gradus illi est, confiteri peccatum, ejusque probrum humili animo ferre (1).

℣. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, in monte Garizim, quem illa digito intento monstrabat, cujus ad radices erat Sichar; at vos Judæi dicitis, adorandum esse Jerosolymis, atque in ejus urbis Templo: electum esse a Deo montem Sion, in quo is nomen suum constitueret Deut. xii. 14. Hæc quæstionis summa, qua Samaritani ab Judæis sejungebantur. Hinc Samaritana incipit quærere, quid Religionis sibi esset eligendum. Ajebant Samaritani, nullo tamen argumento, Patriarchas in monte Garizim Religionis suæ officia exercuisse (2); id quod nuspiam tradit Scriptura.

Pentateuchus certe literis Samaritanis descriptus sententias nonnullas fert, Samaritanorum opinioni faventes: eæ tamen a Samaritanis ex arbitrio additæ existimantur, neque in Hebræorum Pentateucho prorsus occurrunt. Legunt illi in Libro suo, editum esse in monte Garizim altare, illique inscripta Legis verba Deut. 27. 4. Hebræus tamen Judæorum Liber fert montem Hebal. Ajunt, adorasse Abrahamum in monte Garizim, ibique filii sacrificium paravisse: ibi positum altare a Jacobo, e Mesopotamia reduce Gen. 28. 20. conditum eo loco Templum a Josue, ac diu post a Sanaballat, in Libris Esdræ notissimo (3), conditum alterum, quod Jerosolymitano objiceretur. Vide Chronicon Samaritanum.

℣. 21. Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis, &c. Prædicit Christus, abolitum iri Legis ritus; ejusque rei tempus venisse testatur, Messias nimirum venit (4), a quo Nova Lex substituenda est in locum Veteris, remotisque Mosaicæ Legis figuris, Evangelica veritas constituenda est. Res quidem nonnisi post aliquot annos absolvenda erat; tamen jam cœperat. Ita mulieri respondens Christus, neque Judæis neque Samaritanis litem adjudicat. Utrosque ad alium cultum vocat, novamque ad Religionem, multò quam Judæorum ac Samaritanorum perfectissimam. Quod ad elapsum tempus pertinet, sequenti capite causam addicit Judæis; docetque, veram Religionem hactenus penes Judæos mansisse.

℣. 22. Vos adoratis quod nescitis. Si Samaritani Jesu Christo coævi iisdem, quibus majores, erroribus tenebantur, verissime dicebantur adorare quod non norant: duo quippe sibi fingebant, quæ cum Dei dignitate minime convenirent; Deum scilicet Israelis uni dumtaxat regioni adhærescere (5); & veri Dei cultum cum Numinum obsequio posse conjungi (6). S. Thomas & Lyranus in hunc locum ajunt, credidisse illos, Deum corpore instrui: id quod tamen perspicuis argumentis caret. Samaritani, Esdræ & Nehemiæ ætate (7), flagitabant, liceret sibi, utpote eumdem Judæorum Deum colentibus, operam conferre in Templi constructionem. Pentateuchus, cujus authoritatem illi nunquam non suspexere, Dei unius meminit nobilissimis verbis & magnificentissimis.

Negat S. Epiphanius (8), agnovisse Samaritanos Spiritum Sanctum; vitio quoque illis dat, quod spirituum existentiam & corporum resurrectionem negaverint: illos denique numerat inter Christianæ Religionis hæreticos, miscetque cum Sadducæis. Hæc tamen ad Samaritanos ætatis Jesu Christi, uti & ad posteriores, non pertinent. Postremos hosce hujusmodi criminationibus purgavit Scaliger, atque ex ipsis illorum Libris docuit, creditam ab iis corporum resurrectionem, uti præcipuum Religionis articulum. Idem S. Epiphanius ait, adorata a Samaritanis Teraphim, quæ Rachel e paternis Labani ædibus abstulit; eademque accusatio legitur in Thalmude (9), ubi dicitur Rabbi Israel invenisse, coli a Samaritania in monte Garizim simulacra, quæ ibi Jacob sepelierat (10). Alii ex Rabbinis ajunt, adoratam ab iis auream columbam. Nullo tamen argumento ex ipsa re ducto nituntur.

Illud omnino certum est, regnante Antiocho Epiphane (11), Samaritanos Jovis Olympici simulacrum suo in Templo accepisse, recitatque Josephus literas, Epiphani ab iis datas, quibus indignissime profitebantur, se Jovi dicasse Templum, quod hactenus Dei nullius nomine nuncupatum fuerat. Hircanus, Samaria capta, Templum Garizim diruit (12): at certa suppetunt argumenta, quibus discimus, Templum esse restitutum. Herodes Magnus sumptuosum prosanumque Templum Samariæ condidit (13). At Samaritani Garizim montem frequentare non desierunt. Cum autem Caligula simulacrum sui in Templo Garizim

(35) Vide Maldon. Euthym. (36) Heracleon apud Origen. in Joan. pag. 130. 207. legebat *sex viros*, non quinque. (37) Erasm. Coccbull. (38) Ligfoot. Grot. Maldon. (39) August. Nonn. Euthym Beda, Rupert. alii hic; Hilar. lib. 2. de Trinit. (1) Vide Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldonat. Grot. (2) Vide Chrysost. hom. 31. August. Bedam, Theophyl. Euthym. hic; Rupert lib. 4. (3) 2. Esdr. 13. 10. . . . 19. iv. 1. 7. vi. 1. (4) Ammon. Cyrill. Maldon. (5) 4. Reg. xvii. 26. *Gentes, quas transtulisti, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eos Dominus leones, &c.* (6) 4. Regum xvii. 41. *Fuerunt gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis servientes, . . usque in præsentem diem.* (7) 1. Esdr. iv. 2. (8) Epiphan. hæres. 9. Vide Greg. Mag. lib. 1. Moral. in Job cap. 6. lib. 2. cap. 19. Philastr. de hæres. (9) Hierosol. Abodah Zar. fol. 444. (10) Vide Basnage, Hist. de Juifs, liv. 5. ch. 4. art. 14. (11) Joseph. Antiqu. lib. 12. c. 7. (12) Joseph. de Bello l. 1. c. 2. (13) Joseph. lib. 1. cap. 16. de Bello Jud.

zim dedicari jussisset, quemadmodum in Jerosolymitano dicari jusserat, Samaritani repugnasse non leguntur, eodemque loco dedicasse dicuntur simulacrum Claudii, a Nerone inter Deos relati.

Est æreum numisma, sub Nerone cusum Samariæ (14), Astarten Syriam Deam exhibens, cujus in manu caput Osiridis, cum epigraphe: ΘΣΒΑΣΙΩΝ ΜΕΓαλων ΣΑΜΑΡΙΑ: *Deorum Augustorum Magnorum. Samaria*. Porro magni hi Dii Claudius sunt & Caligula, quos diximus. Aliud visitur (15), in Sichem cusum, ad radicem montis Garizim, ubi Templum in montis vertice, quo per scalam ascenditur, Templum est Jovis, in eo monte dedicatum, post Judææ excidium. His argumentis ostenditur, quantopere amarint Samaritani Numinum superstitionem, levesque in Religione fuerint.

Hæc tamen recentiora sunt alloquio Christi cum Samaritana, neque Religioni ejus ætatis aut favent aut nocent. Fidei professio, quam sæculo elapso ad Scaligerum misere Samaritani (16), nihil continet, quo moveri queat suspicio, illos aut unum simplexque Numen non agnoscere, aut Idolorum superstitionem cum Dei cultu miscere. Quamobrem nequid temere affetamus, illisque errores immerito ne tribuamus, illud magis placet, Christum Samaritanis vitio dare, quod partem solummodo Scripturarum exciperent, & Religionem in monte Garizim exerceant, cum in Templo Hierosolymitano exercenda sit. Ex Pentateucho, quem unum e Scripturis Librum illi admittebant, neque multa neque satis perspicua de vera Religione discere poterant. Jungendi erant Libri ad Historiam moresque spectantes, & Prophetici. Quamvis autem Patrem in monte Garizim adorarent, expectarentque Messiam, neutrum tamen satis noverant, neque Deum adorabant eo in loco, in quo ipse coli volebat: quamobrem ipsorum Religio mera erat superstitio, judicii expers & gratiæ. Si recto itineri insistereris, novissetis utique, Deum per Prophetas locutum esse, uti per Moysen: electumque a Deo esse montem Sion, non Garizim, ubi is a veris cultoribus obsequia excipiat (17).

Græci (18) Samaritanam mulierem, de qua hic, sub Photinæ nomine venerantur; filiosque illi tribuunt Josephum & Victorem, sorores vero Photo, Photidem, Parasceven, & Cyriacam. Addantur his Anatolius, & Dux Sebastienus, ex illius familia, qui a Samaritana, sive e Petro Apostolo sacra edocti, baptismo initiati sunt, & martyrio coronati die xx. Martii. Horum nomina in Romano etiam Martyrologio leguntur (19): legiturque in illorum Actis, Carthaginem urbem e Samaritana fuisse conversam. Victor Samaritanæ filius Hispaniarum Apostolus dicitur. At nequid gravius de hujusmodi Actis, deque Samaritanæ historia dicamus, incertissima hæc sunt, & incredibilia continent.

Quia salus ex Judæis est. Ex his Messias (20), Evangelium, veritatis agnitio in omnes gentes proditura sunt. Data sunt Judæis promissa: quærenda est penes istos vera Religio; eorumque in Templo coli vult Deus; eorum denique in Scripturis describitur Christus & nunciatur: *De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem* Isai. 2. 3.

℣. 23. Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores, &c. Samaritanorum Religio falsa erat; Judæorum cultus carnalis. Post Jesu Christi Resurrectionem & prædicationem Evangelii, novus inter homines exiturus erat cultus in spiritu & veritate; Religio, hypocrisi & simulatione libera, cujus fundamenta essent spiritus & charitas. Christiana quidem Religio exteriores & conspicuos ritus & sacra non excludit; secus enim Religio appellari non posset; quippe (21) *in nullum nomen Religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*, inquit S. Augustinus. Hi tamen ritus, hæc signa non sunt nostræ Religionis fundamenta. Referuntur hæc ad spiritum, in spiritu & veritate exercenda. Opus est ista animent & comitentur fides, pietas, charitas.

Negabant Judæi, coli Deum solemni ritu posse extra Jerosolymam, Samaritani extra Garizim. Eorum igitur Religio loco & rebus sub sensum cadentibus definiebatur. Jesu Christi Religio ubique gentium, & a quolibet populo in spiritu exercetur. Deum venerabantur Judæi typicis operibus, sacrificiis, expiationibus, quibus corpora purgarentur: *Omnia in figura contingebant illis* (22). At in Christiana Religione figurarum veritatem habemus, ipsasque res, quarum figuræ Judæis erant. Ita nos Deum *in spiritu & veritate* adoramus. Christianorum cultus neque definitur loco, neque figuris obvolvitur 1. Cor. x. 11.

Recentiores multi (23) hæc verba, *in spiritu & veritate*, de cultu penitus spiritali interpretantur; sive de cultu spiritali & sincero, quem justitia, integritas, veritas comitantur, quo Deus ejusque Christus mente recta purisque manibus, operibus ex vera, solida, sincera, interiori animi pietate adoratur.

℣. 25. Scio quia Messias venit, &c. Messiam expectabant Samaritani, non secus ac Judæi, sperabantque illum omnia docturum. Minime igitur dubitabant, quin ille promissus a Moyse fuerit in Pentateucho (24); credebantque futurum, ut eo prodeunte, Judæi & Samaritani in unum colligerentur, & schisma vetustissimum, quo utraque gens dividebatur, cessaret. Eo judicante, definitum iri locum modumque, quo Cœlestis Pater adorandus foret. In spem Messiæ brevi proditari Oriens totus ea ætate arrectus erat; omniumque hominum vota Liberatorem præstolabantur. Ex Profanorum fide (25), hæc vulgaris tunc erat earum gentium opinio. Huc spectat Samaritana. Græcus ad verbum (26): *Novi quod Messias venit*, in proximo est: quam citissime illum expectamus.

Post Aggæi & Zachariæ tempora, Judæi, si qua gravis difficultas ldoriretur, illam ad Messiam aut aliquem ex Prophetis remittebant (27): nunc ad Eliam provocant (28). Sunt qui Samaritanos fuisse dicant primos discriminis authores inter Messiam gloria fulgentem, ipsumque ærumnis obnoxium; hunc vero ex Ephraimi Tribu, alterum ex Juda oriturum (29). At iniquum est, fabulam hanc tribuere Samaritanis, quam ipsi execrantur, totamque commenti sunt Hebræi.

℣. 26. Ego sum qui loquor tecum. Nunquam adeo perspicue locutus est Jesus; idque ceu promeritum sinceritati ac simplicitati mulieris præmium reddit (30). Docilitate meruit beneficium,

quod

(14) Vide Noris Epoch. Syromaced. Diss. 5. (15) Noris Epoch. Syromaced. Spanhem. de Præstant. Numism. Diss. 9. (16) Vide Basnage hist. de Juifs liv. 5. ch. 4. art. 23.
(17) Vide Maldon. Grot. (18) Bolland xx. Mart. Menolog. Græc. ad xx. Mart. apud Canis. Lect. antiqu. tom 2 (19) Martyrolog. Rom. cum not. Baron. ad xx. Mart. (20) Origen. hic; Tertull. lib. 4. contra Marcion. Chrysost. Ammon. Cyrill. Rupert. Theophyl. Euthym. Mald. alii. (21) August. lib. xix. contra Faust. cap. 4. (22) Origen. Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. hic; Hilar. lib. 2. de Trinit. Procop. in Isai. xxviii. Maldon. Brug. Menoch. alii. (23) Vide Grot. Piscat. Brug. Vat. Heins. (24) Origen. Chrysost. Theophyl. Euthym. Vide Genes. xlix. 10. Deut. xviii. 15. (25) Sueton. in Vespas. c. 4. Tacit. lib. 5. hist c. 14. Virgil. Eclog. 4. initio. Vide & Joseph. lib. 7. de Bello cap. 12. pag. 961. (26) Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται. (27) 1. Mac. iv. 46. & xiv. 41. (28) Vide Grot. hic. (29) Vid nostram Dissertationem de notis Messiæ, ex Hebræis. (30) Origen. Chrysost. Ammon. Theophyl. Euthym. Rupet. Maldon. Grot.

quod Judæi superbia pravisque moribus amiserunt.

℣. 27. Mirabantur quia cum muliere loquebatur, ita enim nunquam solebat, præsertim vero solus cum fœmina colloqui, sermonemque miscere cum aliena, ignota, Samaritana. Patribus plerisque (8) admirati videntur Discipuli demissionem Servatoris, qui cum simplici fœmina colloqui non recusaret. Summum, quo erga ipsum tenebantur, obsequium illos coercuit, ne rogarent, quid colloqueretur, aut cur cum Samaritana verba facere non renueret.

℣. 29. Qui dixit mihi omnia. Quicquid ipsa clam omnibus egi, quod certe humanis artibus rescifcere nequit, graphice descripsit. Prophetam esse, necesse est. *Numquid ipse est Christus?* Hærens dicit, quamquam Jesus sese Christum esse palam asseruit. Ita fortasse agendum censuit, quo lenius popularium animos allicerer, neque illos provocaret adversum se, aut adversus illum, quem ipsa nunciabat (9), quippe quæ suo unius testimonio rem assereret. Ipsos suaviter trahit, ut suis ipsi oculis rei veritatem discant.

℣. 31. Interea rogabant eum Discipuli, &c. Græcus ad verbum (10): *Interrogabant eum Discipuli*. At animadversum est alibi (11), Evangelistas, atque universe Judæos alterum pro altero usurpare ex verbis, quæ interrogare, & rogare, obsecrare significant. Hic usurpandum est pro orare. Discipuli, qui Jesum labore ac fame fatigatum noverant, orabant, ut cibi aliquid caperet. Utitur persæpe Joannes interrogandi verbo (12) in eam sententiam, quam diximus.

℣. 32. Ego cibum habeo manducare, &c. Nihil prætermit Jesus, quo docere Discipulos queat; omniaque in illorum institutionem vertit. Docet hic, quantopere ipsis in cæterorum salute laborandum sit. Hic vobis esto cibus, hic potus: unum hoc cæteris præferre vos oportet.

℣. 33. Numquid aliquis attulit ei manducare, nobis absentibus? quemadmodum olim Danieli Deus in lacu leonum clauso (13); vel uti Eliæ per corvos 3. Reg. 17. 4. sive ut Christo per Angelos in solitudine (14).

℣. 34. Meus cibus est, &c. Hoc nimirum uno totus occupor: hoc esurio, hoc sitio. Iterum hic Discipulos docet.

℣. 35. Adhuc quatuor menses sunt, et messis venit. In Palæstina messis nonnisi post Paschatis Festum exordiebatur; quod quidem Festum, uti neminem latet, celebrandum erat die xiv. mensis Nisan, qui mensis cum Martio congruit (15), & interdum Aprilis partem occupat. Prior erat hordei messis, posterior frumenti; utraque tamen in Pentecoste desierat: per eos quippe dies omnium messium jam peractarum primitiæ in Templum inferebantur. Quatuor itaque menses, hic a Christo significati, numerandi sunt a *Sebat*, undecimo anni sacri mense, qui mensis hoc anno, ex Toynardo (16), die xiii. Januarii incepit. Ex eo autem mense usque ad messem tritici, quæ mense circiter uno post Pascha inibatur, quatuor prorsus menses sunt. Paschatis festum hoc anno contigit in diem xv. Nisan, xxviii. Martii; Pentecostes, in diem xvii. Maii. Igitur circiter diem xiii. Januarii, & initium mensis Sebat, datus est in carcerem Joannes Baptista, & Christus in Galilæam secessit. Hanc temporum notitiam definire, operæ pretium fuit.

Levate oculos vestros, et videte, &c. Terrena ex messe ad spiritalem statim transit. Quatuor adhuc menses triticea messis abest: at ad aliam ego vos messem, maturam & falci aptam, voco. Messem hominum dico, quos docere atque ad Deum convertere oportet. Oculos jam tollite, erigite mentem (17), & undique prospicite. Adventus mei nuncium nemo non præstolatur. Audire parati sunt Judæi, Samaritani, ipsique met Ethnici. *Messis quidem multa*, idem ait Matt. 9. 37. *operarii autem pauci*. Joannes Baptista in custodia habetur; Judæi Doctores pessimi sunt operarii, perdendæ potius messi, quam colligendæ opportuni. *Rogate ergo* cœlestem Patrem, *dominum messis, ut emittat operarios in messem suam*. Vos ego mitto. Ite, metite, docete. Sunt (18) qui censeant, Jesum, prospectis Samaritanis, extra urbem ad se audiendum videndumque confluentibus, ista dixisse: En messis, vos messores.

℣. 36. Qui metit, mercedem accipit. Ad pulcherrimam hanc uberrimamque messem vos voco. Hanc vos minime seminastis (19), sed Patriarchæ ac Prophetæ, hominesque sanctissimi ex Veteri Testamento. Hi agrum coluere, rigavere sudoribus; messis honorem & gaudium vobis reliquere. Supremam illorum gaudio & votis manum imponite. Animos mentesque in unam fidem unamque Ecclesiam colligite, ut & *qui seminat simul gaudeat & qui metit*. Suam illi mercedem accepere: vestra vos manet. Utrique sub liberali domino laboratis: par laboribus præmium is parat. Idem una laborat, vestramque messem benedicendo prosequitur. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*. 1. Cor. 3. 6. 8. 9.

℣. 37. Alius qui seminat, alius qui metit. Adagium, ex iis quæ inter homines usuveniunt, inter quos alter alteri laborat (20). Alter opes colligit, alter collectis gaudet. Hic sese res paulo aliter habet. Prophetis sanctisque viris, qui seminavere, sors eadem est atque iis qui metunt: eidem omnes domino laborant, eamdemque mercedem omnes expectant. Nulla inter eos invidia est, odium nullum. Major tamen est Apostolorum felicitas: quamquam enim par est ac fortasse major metentis, quam serentis atque arantis labor, minus tamen dolet. Suavius est metere, quam serere.

℣. 38. Misi vos metere quæ non laborastis. Patriarchæ & Prophetæ agrum Domini coluere: vos in messem venitis (21). Illi adventum Messiæ, rerumque conversionem sub ejus regno futuram nunciavere: vobis serviendum est Domini consiliis in prædicatione Evangelii, & Ecclesiæ institutione.

℣. 39. Multi crediderunt in eum. Statim credidere, persuasi verbis fœminæ, testantis, illum sibi narrasse, quæ occultissima esse ipsa censebat (22). At cum deinde ipsi ad Jesum venissent, ipsumque coegissent in urbem succedere, multo major fuit credentium numerus; iique ipsi, qui ob mulieris testimonium, dubitanter tamen, crediderant, confirmati sunt, & dixere: ℣. 42. *Jam non*

(8) Origen. Ammon. Leont. Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. Ita & August. Beda. (9) August. hic: *Paulatim egit, ne illi quasi irascerentur, & indignarentur, & persequerentur. Venite, & videte hominem*, &c. (10) Ἠρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταί. (11) Vide ad Luc. xxii. 68. (12) Vide Joan. iv. 40. 47. viii. 7. xii. 21. xiv. 16. xvi. 23. 26. xvii. 9. 15. 20. xix. 31. 38. & 1. Joan. v. 16. & 2. Joan. ℣. 5. (13) Leontius hic. (14) Origen. hic. (15) Vide nos in Exodum ix. 31. 32. Diximus eo loco in priori editione, ex quorumdam auctoritate, messem triticeam nonnisi post Pentecosten inire consuevisse: id quod in altera correximus. Vide & Exod. xxiii. 16. xxxiv. 22. (16) Harmon. p. 17. in observationibus. (17) Vide Cyrill. August. Rupert. alios. (18) Leontius, Theophyl. Brug. Ligf. Pisc. (19) Infra ℣. 38. (20) Levit. xxvi. 16. *Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur*. Et Mich. vi. 15. *Tu seminabis, & non metes*. Osee vii. 9. *Comederunt alieni robur ejus*. Ita & Græci: Ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δ' αὖ ἀμήσονται. Sic: *Aliis leporem excitasti*. Et: *Sic vos non vobis*, &c. (21) Origen. August. Ammon. Leont. Beda, Rupert. Euthym. Theophyl. Mald. (22) Vide August. Rupert. Grot.

non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus.

℣. 41. Crediderunt propter sermonem ejus. Nulla in Sichem prodigia edidisse Christum, putant S. Chrysostomus & Theophylactus, sed solummodo docuisse. Ingens satis prodigium erant ea quæ ipse dixerat Samaritanæ, occultissimis vitæ illius actionibus patefactis.

℣. 42. Hic est vere Salvator mundi, Messias, non Samaritanos modo & Judæos, sed homines universos redempturus. Ita credebant Samaritani, sive jam persuasi antequam illum audirent, sive ejus oratione convicti, quippe qui & Scripturis & argumentis sese mundi Servatorem esse demonstraverit. Jacob in Genesi 49. 10. prædixerat, *Silo* futurum gentium expectationem & felicitatem: *ipse erit expectatio gentium*. Animadvertunt Patres (23), animos Samaritanorum magis dociles paratosque fuisse percipiendo adventus Christi mysterio, quam Judæis. Nunquam hi intellexere, ut opus erat, Jesum fore gentilium Servatorem.

℣. 43. Post duos dies, relicta Sichem, prosequutus est in Galilæam iter, lætior ob Samaritanorum pietatem, quam Judæorum, ex quibus veniebat Jo: 3. 23. & Galilæorum, inter quos verba fecerat, antequam Ierosolymam proficisceretur Io: 2. 10. Quamobrem ea dixit, quæ infra leguntur

℣. 44. *Propheta in patria sua honorem non habet*. Hoc ipsum paucis post diebus iterum dixit, cum Nazarethæ in patria sua commorans, animadvertit, sese a popularibus suis negligenter audiri, quippe qui necessariorum illius obscuritatem & inopiam nossent Luc. 4. 24. Forte etiam ista hic narrat Ioannes per anteceffum, quæ ad iter Christi Nazaretham pertinent, a Ioanne omissum, quod id recitaverit Lucas; cum Ioannis consilium fuerit supplendi ea, quæ a cæteris prætermissa sunt, aut non satis perspicue explicata.

℣. 45. Cum venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi. Redux in Galilæam, recta contendit Nazaretham, ubi enutritus fuerat; cumque verba fecisset in Synagoga, statim cum auditorum admiratione exceptus est: deinde populares generis illius obscuritatem animo versantes, mutuo rogabant, ipse ne filius Iosephi esset. Pronunciante autem Iesu, nullum unquam Prophetam in pretio habitum fuisse in patria, unamque Sareptanam viduam ab Elia salactam, penes quam habitaret, cum viduæ essent in Israele innumeræ: Nazareni, hisce verbis provocati, Jesum urbe pepulerunt, ipsumque a montis vertice præcipitem dare conati sunt Luc. 4. 16. At is Nazaretha profectus, domicilium in urbem Capharnaum transtulit Matt. 4. 13. Variis in Galilææ locis docere exorsus, libentissime a populo exceptus est, tum institutionum causa, tum ob prodigia & sanitates, quas ubique peragebat: præsertim vero causa miraculorum, quæ ipsi ab eo geri viderant per Paschatis Festum (24), ad quod una cum illo convenerant ℣. 46.

℣. 46. Venit in Cana . . . . Et erat quidam Regulus. Cana jacebat in itinere a Nazaretha ad Capharnaum, & mare Tiberiadis. Quamobrem pertransiens eo venit Jesus; cumque ibi esset, accessit Regius Minister; id enim proprie sonat Græca vox (25) *Basilicos*, quam Vulgata reddit *Regulum*. Hic Herodi Antipæ serviebat, Galilææ Tetrarchæ, Regis appellatione donato apud suos. Ait S. Hieronymus (26), hunc aptissime dici posse *Palatinum*, Regiarum ædium Ministrum. Hujus munus, nomen, dignitas ignorantur; nonnisi enim divinando diceremus cum nonnullis, Regium fuisse Procuratorem, Quæstorem, familiarem, cum aliis ipsum esse *Chuzam*, de quo Lucas 8. 3. vel *Manahem*, qui in Actis 13. 1. legitur. Constat tamen hujus domicilium Capharnai erat; ibique illius filius languebat. Cum igitur hic Jesum Canæ esse intellexisset, Capharnao illuc venit, ut filio incolumitatem postularet: Christi enim nomine regio jam universa occupabatur.

℣. 48. Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Hominem non arguit Jesus, quod nulla fide sit, sed quod modica. Nisi crederet, Capharnao non venisset, incolumitatem filio postulaturus. Si satis fidei haberet, orasset tantummodo Jesum pro filio, non rogasset Jesum ut una descenderet, rem peracturus: quasi res aliter fieri non posset (27). Huic igitur, cæterisque illius sociis dixit, ipsos non credere, nisi prodigiis convictos; quippe qui pessimam mentis illorum habitudinem nosset, tradita sibi dogmata ægre accipientium, nisi prodigiis excitaretur ipsorum attentio, & fides extorqueretur. Nullum in illis videbat veritatis amorem, nullam animi ac mentis demissionem, qualem in Discipulis atque auditoribus exigebat, qualemque in Samaritanis urbis Sichem invenerat.

℣. 49. Descende priusquam moriatur. Curari ab eo absentem posse non credidit, quemadmodum ea Patribus animadversum est. Conferri potest Regulus cum Naamano Syro, ægre ferente, quod Elisæus obviam non venerit, impositisque manibus sese elephanto non purgaverit (28).

℣. 50. Vade, filius tuus vivit, bene valet; eodemque tempore, quamquam absens, incolumitatem illi restituit. *Credidit homo, & ibat*. Fidem habuit verbis Christi, & statim rediit, nonnihil tamen dubitans (29), non de fide verborum Christi, sed de filii valetudine, deque modo, tempore, cæterisque illius adjunctis. Id vero ex iis colligitur, quæ obvios servos rogavit. Censent nonnulli (30), sollicitudine, qua pater quæsivit a servis, qua hora filius bene valere cœperit, non modicam illius fidem, sed desiderium certiora noscendi, sesequa in fide confirmandi significari.

℣. 51. Eo descendente Cana Capharnaum, quo is redibat, occurrerunt servi, incolumitatem filii nunciaturi.

℣. 52. Hora septima, prima pomeridiana.

℣. 54. Hoc secundum signum, quo Jesus e Judæa in Galilæam reversus claruit. Primum ediderat Jesus in oppido Galilææ Cana, in primo ipsius itinere post baptismum Jo: 2. 11. Alterum hoc ibidem edidit. Omittit Joannes prodigia Capharnai a Jesu gesta in priori itinere (31), atque alia ab eodem exhibita, cum is Jerosolymis esset ad Paschatis Festum. Joan. 2. 23.

(23) Chrysost. Cyrill. Theophyl. (24) Joan. 2. 13. 14. (25) Τὶς βασιλικός. Vulg. *Regulus*. Legit fortasse *βασιλίσκος*, quæ vox proprie Regulum sonat. Hæc in nonnullis adhuc libris occurrit. (26) Hieron. in Isai. cap. initio. Vide Origen. t. 18. in Joan. (27) Ita August. Beda, Chrysost. Theophyl. Euthym. Grot. Brug. Mald. (28) 4. Reg. v. 11. (29) Chrysost. Grot. (30) Ammon. Cyrill. Brug. (31) Joan. 2. 12. Luc. iv. 23.

CAPUT V.

Curatur Paralyticus ad piscinam Bethsaidam. Obloquuntur Judæi, quod homo lectum gestet die Sabbato. Rem defendit Jesus. Testimonium illi a Deo & Joanne Baptista exhibitum. Judæorum superbia & contumacia.

℣. 1. POst hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam: 2. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his jacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset, Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. 14. Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. 16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, & dixit eis: 19. Amen, amen, dico vobis: Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. 20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat. 22. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, 23. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte in vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. 27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. 29. Et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. 30. Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. 31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me. 33. Vos misistis ad Joannem: & testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico, ut vos salvi sitis. 35. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. 36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. 37. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque

que speciem ejus vidistis. 38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: 40. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? 45. Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est, qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis.
46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.
47. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

℣. 1. POST HÆC, ERAT DIES FESTUS JUDÆORUM. Qui hic? Veteres quidam (1) Pentecosten credidere: alii (2) Pascha, & probabilius. Græci Codices multi optimæ notæ (3) habent articulum, quo innuitur magnus dies festus, inter ceteros præcipuus, antonomastice dictus, qui dies Pascha erat apud Judæos. Tametsi autem articulus non admittatur, id minime obest Paschati; cum is dies nonnunquam in Græco apud Josephum & Evangelistas mero *Festi* nomine, sine articulo, inveniatur. Favet huic sententiæ ordo temporum; & nisi Pascha fuisse dicatur, nullus omnino dies occurret, cui omnia Festi hujus adjuncta conveniant. Ajunt nonnulli (4), esse *Festum Sortium*, quod die xv. mensis Adar agebatur: nullo tamen argumento hæc conjectura fulcitur.

℣. 2. EST AUTEM JEROSOLYMIS PROBATICA PISCINA, piscina ovium. Græci Codices quidam (5) ferunt: *Erat*. Joannes profecto Evangelium scripsit multis post Jerosolymæ excidium annis, quo tempore piscina intra eam urbem non erat. At locus, ubi olim fuerat Jerosolyma, eodem nomine appellari non desiit; piscina vero semper deinceps ibi visa est. Commune cum urbe exitium non subiit, eversis dumtaxat ædificiis, quibus illa cingebatur. Meminit hujus piscinæ S. Hieronymus; eamque viderunt Benjamin Tudelensis & Brocardus. Nostra etiam Itineraria de ea mentionem habent. In orientali urbis parte, prope vallem Josaphati & portam gregis patebat; implebaturque aquis fontis Siloes, circa eum locum scaturientis.

PROBATICA PISCINA (6), ita ex Græco dicta, *ovium piscinam* significans. Retulisse id nominis creditur (7) ex lotis ibi arietibus, agnis seu ovibus, in sacrificium mactandis. Censent alii (8), lota ibi dumtaxat victimarum viscera.

Sunt (9) qui Græcum ita legant: *Erat autem Jerosolymis in* porta *ovium*, seu gregis, *piscina*, *nomine Bethesda*. Hujus portæ gregis non semel meminit Scriptura (10), dictaque creditur ex victimis, quæ in Templum inferebantur ad sacrificium. Plerique tamen Latini Codices, Arabs, Æthiops, S. Joannes Chrysostomus, Theodorus Mopsuestenus, Ammonius, Theophylactus, S. Hieronymus, Beda cum Vulgata consentiunt; optimamque sententiam fert hæc lectio. Ægre tamen adducimur, ut bina fuisse piscinæ nomina credamus; Græcum alterum, *probaticæ*, scilicet ovium; alterum Hebraicum, *Bethesdæ*, domui misericordiæ. Eadem fortasse est, quæ apud Nehemiam 2. Esd. 3. 15. *piscina Siloe*. Videtur Ligfooto piscina hæc, seu natatoria, non ad lavandas victimas vel ante vel post sacrificium, sed abluendos legalibus sordibus homines destinata.

Bethsaida in Latinorum libris appellatur; apud Græcos *Bethesda* (11). Utra lectio melior, disputatur. *Bethsaida* sonat domum piscatus, fortasse quod ea piscina pisces aliquos contineret, vel quod vivarium piscium esset. Græci Codices nonnulli (12), Cophtica & Æthiopica versio, Theophylactus, Tertullianus, S. Eucherius Vulgatæ lectionem probant. Plerisque tamen placet *Bethesda* (13), scilicet *domus misericordiæ*, ob pauperes & ægrotos circa piscinam expectantes dum moveretur aqua, ut ea mersi incolumes fierent. Eusebius &c. vide supra pag. 542. lin. 29. ubi per errorem positæ sunt lineæ sex sequentes huc transferendæ.

Quinque porticus habebat piscina; ædificio scilicet in porticus quinque distincto cingebatur, quo exciperentur ægri, & ii qui corpus aliamve rem lotum veniebant.

℣. 3. IN HIS JACEBAT MULTITUDO MAGNA LANGUENTIUM, &c. Singula hæc morborum genera divinitus curabantur, ubi aquæ ab Angelo moverentur. Qui primus in aquam ab Angelo motam descenderet, certissime sanabatur. Quamobtem ingens ægrorum multitudo pretiosum illud tempus præstolabatur, ut sese in piscinam mergeret.

℣. 4. ANGELUS DESCENDEBAT SECUNDUM TEMPUS, stato tempore. Quæritur, quo tempore descenderet Angelus; tribus præcipuis anni Festis, an solummodo per Pentecosten (14), an in Paschate (15), aliove festo die; an denique incertis temporibus, Deoque soli notis (16). Hinc vero pendet alterius quæstionis definitio; utrum scilicet ægri sub piscinæ porticibus semper essent, an eo inferrentur iis tantum diebus, quibus aquæ ab Angelo movendæ putabantur. Verba Paralytici Christo respondentis hic, ℣. 7. mea quidem sententia, indicant, ægros ibi semper fuisse, donec incolumes fierent. *Domine*, inquit, *hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit*. Si certo tempore descendisset Angelus, Paralyticus, cui certe aliquis præsto erat, a quo ad piscinam deferretur, cum ipse venire non posset, aliquem omnino habuisset, a quo mergeretur, neque ibi annis octo & triginta expectare coactus fuis-

[1] Chrysostom. Cyrill. Theophyl. Euthym. Cajet. alii quid. [2] Iren. lib. 2. cap. 39. Brug. Grot. Ligfoot. Toynard. Hammon. alii plures. (3) Ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Alii: Ἦν ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Ita Laud. 2. Med. Usser. 1. 2. Gal. & sex Codd. Regii a Toynardo visi, pag. 146. [4] Vide Petav. lib. 12. de doctr. tempor. cap. 17. [5] Ἔστι δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις. Alii: Ἦν δὲ ἐν Ἱεροσολ. Ita Vechel. Pers. Arab. [6] Ambros. legit: *Natatoria*. [7] Vide Hieronym. Brocard. Brug. Grot. Druf. alios. [8] Vide Hammond hic, Ammon. Theod. Mops. Theophylact. Euthym. [9] Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐν τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Ita legunt Alex. Cantab. Latini MSS. non pauci. Vide Mill. Grot. Pisc. Ligfoot. alios. [10] 2. Esdr. III. 1. 31. XII. 38. [11] Ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά. [12] Βηθσαϊδά. Barb. 1. Velez. apud Mill. [13] Ita Græci passim, Syr. Hieron. Euseb. in locis Hebr. [14] Ita Cyrill. hic. Vide & Ammon. & Ambros. lib. de iis qui mysteriis initiantur. [15] Cyrill. Heins. alii. [16] Ita Euthym. Mald. Chrysost. Brug.

fuisset, inani semper spe, quod hominem apud se alere non posset, cujus ope, quo tempore turbabatur aqua, in piscinam mitteretur, quin alter præverteret.

Lis quoque est de Angelo ad turbandas piscinæ aquas descendente, bonus ne an malus esset, perspicue corporeaque forma, nec ne. Sunt (17) qui merum fuisse hominem censeant, turbantem aquas, quibus lotæ fuerant victimæ, earumque viscera, Angelum Domini nuncupatum, utpote e Templo missum, & ob ea quæ motum sequebantur, divinitus contingere existimata. Putat Hammondus, solis naturæ viribus id fieri potuisse; mistisque & calefactis eo motu sanguine & adipe, qui aquis innatabant, effici in hominis statim mersi humoribus motum, quo valetudo restitueretur. Provoco ad Physicos peritissimos, Medicosque prodigiorum inimicissimos, fieri ne queat, ut cæcus quis, aut claudus, sive paralyticus, annis octo & triginta morbo laborans [neque enim temere Evangelista hæc adjuncta subtexuit], mersus piscina, qua victimarum corpora & viscera lota fuerint, statim convalescat. At hoc ipsum quod pro certo ponitur, victimarum viscera ibi lavari consuevisse, repugnantes habet Judæos, qui ea nisi in Templo lota fuisse negant (18).

Censent alii (19), hoc quod de Angelo aquas turbante dicitur, vulgarem esse loquendi modum apud Hebræos, qui Dei virtutem Angeli appellatione designabant (20). Ex hac opinione, dicendum est, Angelum Domini, ad turbandas aquas descendentem, invisibilem fuisse Dei virtutem, id præstantem, & aquas Divina quadam vi instruentem, qua morbi divinitus pellerentur.

Angelus nonnullis creditur Raphael Archangelus, Dei Medicina dictus, & proprio quasi munere ad morborum curationem destinatus. Negat Maldonatus (21), illum descendisse conspicuum. Profecto minime narrat Evangelista, Angelum conspici consuevisse, sed turbari aquas, & curari primum qui aquis mergeretur. At nisi conspicuus erat Angelus, qui sciri poterat, aquas ab Angelo commoveri? Accepta, inquit, ex Patribus narratione, vel facta divinitus notitia.

Cæterum nulla prodigiosæ hujus piscinæ vestigia vel in Josepho, vel in Philone, vel in Judæis Scriptoribus animadvertuntur. Fortasse neque satis antiqua erat, neque nisi perraro Angelus descendebat: ex quo factum est, ut gesta eo loco prodigia negligerentur. Totus hic versus omittitur in vetusto Codice Græco-Latino Cantabrigiensi, duobusque Cophticis Libris Regiis, & in Græco Exemplari Colbertino; in nonnullis vero non in ipso corpore, sed in ora legitur (22). Codices quidam manu exarati legunt (23): *Angelus enim secundum tempus lavabatur in piscina, & turbabat aquam.*

Beda (24), Genebrardus (25), Serarius (26) putavere, saltem ceu vetustissimam ex majoribus historiam narrant, piscinam probaticam eumdem fuisse locum, quo sacrum ignem condidit Jeremias, paulo antequam Templum a Nabuchodonosore everteretur; eductum deinde post captivitatem, cum Sacerdotes pro sacro igne cœnosam aquam invenissent (27). Scribit Brocardus (28), piscinam hanc fuisse a Salomone constructam, ejusque aquis Nathinæos, vel Templi servos lavisse victimas, quas deinde in sacrificium mactandas illi Sacerdotibus offerebant. Idem Genebrardus (29) ex vetusti Codicis fide ait, hujus fontis aquam erupisse in terræ motu, qua die conceptus est Jesus; earumque aquarum virtutem, imo & ipsas aquas nonnisi ad diem usque Passionis perseverasse. Hæc tamen omnia rejicimus inter fabulas, quas ignorantia peperit, aluit superstitio.

Qui prior descendisset, sanus fiebat. Naturalis igitur aut perpetua virtus aquæ non erat. Animadvertunt Patres (30), ea piscina baptismum a Jesu Christo institutum significari, quo omnes mentium nostrarum morbi penitus curantur, peccata nimirum omnia, tum quod ea origine, tum quæ gestis operibusque contrahimus. Concupiscentia enim, peccati pœna, in nobis ad mortem usque perseverat, ut virtutis & exercitationis occasio nobis præbeatur.

℣. 5. Triginta et octo annos habens in infirmitate. Hominis morbum non tradit Evangelista. Sunt qui cæcum fuisse putent (31): plerique tamen paralyticum (32), quem, cum se ipse movere non posset, alier aut expeditior, aut attentius custoditus, prævertebat. Dignus animadversione est numerus annorum octo & triginta, ut prodigii magnitudo commendetur.

℣. 6. Vis sanus fieri? Id rogans Christus, fidem in illo, spem, incolumitatis desiderium excitat, cogitque miserrimam sui conditionem animadvertere. Opus est, ut sacri etiam præcones contumacium peccatorum animos iis moveant: *Vis sanus fieri?* Puta, te ægrotum esse, tuumque morbum remedio non carere. Serio ad medicum revertere. Idem hoc in imis hominum mentibus Servator tacitis suasionibus iterat.

℣. 8. Tolle grabatum tuum, et ambula. Dei ac domini more atque authoritate morbo imperat. Fidem ab ægroto non exigit, quippe ab illo minime agnitus, neque unquam auditus (33): at sese satis prodit, ubi pleno authoritatis imperio jubet lectum tollere, tametsi Sabbathi dies sit. Duo demonstrabat; I. se longe præstantiorem esse Angelo, piscinæ aquas turbante, iisque vim unius duntaxat hominis curandi tribuente; cum ipse verbi unius vi & incolumem & robustum efficiat, ita ut & lectum tollere, & proficisci queat. II. se dominum sabbathi esse, ac posse homines legum ritualium obligationibus solvere, ipsasque leges penitus antiquare.

Vulgo animadvertitur (34), consuevisse Christum, post edita miracula, aliqua subtexere, quibus illorum veritas probaretur. Multiplicatis quinque panibus, jussit illorum reliquias colligi, quarum copia multo major fuit, quam panum quos multiplicavit. Conversa in vinum aqua in nuptiis Canæ, vinum deferri jussit ad architriclinum, ut gustaret. Leprosos curatos mittebat ad Sacerdotes, ut ii redditam incolumitatem testarentur. Hic paralyticum curavisse non contentus, surgere jubet, gradus facere, lectum auferre.

℣. 9. Erat autem sabbathum. Servile opus die Sabbatho a Lege vetitum Exod. 20. 8. nemo ignorat. Imperabatur verbis severissimis quies, præsertim vero cautum erat, nequis sarcinam quampiam ferret (35). Existimat Toyrardus (36), prodigium hoc die xv. Nisan contigisse; quæ dies Sabbathum erat præcedens Paschati, eo anno feria

(17) Hammon. ex Theophylacto. (18) Vide Ligfoot. (19) Vide Maldon. hic. (20) Maimon. more Nebochim. (21) Vide & Grot Ligfoot. Brug. (22) Vide Mill. hic, & Proleg. 453. (23) Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν ἐλούετο ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. Ita Alex. Med. Æthiop. Cypr. Vide Mill. & Grot. (24) Beda in 1. Esdr. 11. (25) Genebr. not. in Chronolog. (26) Serar. in 2. Macc. 1. qu. 14. apud Cornel. a Lapide hic. (27) Vide 2. Macc. 1. 19. 20. (28) Brocard. Descript. Terræ sanctæ. (29) Genebr. Chronolog. lib. 1. pag. 174. Paris. 1600. (30) Ita Chrysostom. Theophyl. Euthym. hic; Tertull. lib. de Baptismo; Ambros lib. 1. de Spirit. S. cap. 7. & lib. de his qui Myster. initiant. cap. 4. & lib. 2. de Sacram. cap. 2. (31) Chrysost. Euthym. (32) Leont. Ambros lib. 2. de Sacr. cap. 2. alii. (33) Maldon. Grot. (34) Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. (35) Jerem. xvii. 21. *Nolite portare pondera in die Sabbathi, nec inferatis per portas Jerusalem.* Vide & 2. Esdr. xiii. 15. (36) Harmon. Evang.

ria quarta, XIV. Nisan, XXVIII. Martii celebrato.

Cur vero Jesus paralytico imperat, ut ea die lectum tollat? Nonne satis erat, homine curato, jubere illum domum reverti? Respondent Interpretes I. voluisse Christum ea re significare, se sabbathi dominum esse Matth. 12. 8. *Dominus est Filius hominis etiam Sabbathi*: II. hanc ipsam rem menti Legis revera non repugnare, quamquam ea verborum sono videretur (37): Sabbathum enim divini cultus gratia institutum fuerat. Hæc porro res publicum erat divinæ potestatis bonitatisque monumentum: III. ipsam Christi sapientiam postulasse, ut ita ordinarentur omnia, ut Divinitatis illius argumenta, ejusque prodigia a quam maximo hominum numero (38), præsertim Jerosolymis, regionis metropoli, & Judaicæ Religionis capite, agnoscerentur. Hujus autem hominis curatio notior fieri non poterat, quam Sabbathi, delatique a paralytico lecti occasione.

℣. 11. Qui me sanum fecit, &c. Optima est curati hominis argumentatio. Magnus omnino apud Deum vir is est, qui me incolumem reddidit, Propheta certe, aut ipse Messias; illum quippe non noverat. Atqui si quid peccati esset iter facere, & lectum tollere, novisset ille, neque imperasset: nihil igitur peccati est (39). *Non acciperem jussionem, a quo acceperam sanitatem?* inquit S. Augustinus.

℣. 13. Jesus declinavit a turba. Edito miraculo, secessit statim, neque paruit. Græcus fert (40): *Jesus elapsus est, cum tumultus fieret in loco* (41). Cum Jesus confluere multitudinem ac tumultuari cerneret, hominis causa lectum ferentis, clam e tumultu elapsus, fugit. Vel: *Jesus elapsus est, quia turba erat in loco*. Potuit facile ignotus elabi, ob collectam eo multitudinem (42), sive ad prodigii famam convenerint, sive ad clamores eorum, a quibus homo lectum gerens arguebatur. Seu denique, *elapsus est, quod ibi esset multitudo*, plausus laudesque multitudinis vitans (43).

℣. 14. Invenit eum Jesus in Templo. Primum Jesu Christi propositum in paralytico curando illud fuit, ut manifesta Divinitatis ac potestatis suæ argumenta exhiberet; alterum, ut curato hominis corpore, animum sanaret. Dum latuit, ipsum esse partæ sanitatis authorem, nihil ea eo prodigio pro illius Divinitate collectum est: dum liberatorem suum ignoravit Paralyticus, parta sanitas animæ saluti inutilis fuit. Illum igitur docet Jesus, redditam illi a se sanitatem; simulque duplici monito instituit: I. morbum fuisse criminum pœnam (44): II. pejus aliquid illi eventurum, nisi emendari studeret: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Christi Divinitas hac exhortatione luculentissime ostendebatur, cum & præterita & futura pervaderet (45).

℣. 15. Abiit homo, et nuntiavit Judæis, &c. Hoc deberi censuit liberalitati curantis: ubique prædicavit, Jesum medicum esse Divinum, a quo reddita fuerat incolumitas: minime tamen dixit iterum, se jussum ab eo fuisse lectum tollere, quippe qui ortum ob eam rem tumultum meminisset; veritatem solummodo testari contentus (46).

℣. 16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quod ista Sabbatho gereret, curaret, curatosque lectum auferre juberet. Hoc criminationis caput, sive hoc commentum livor Judæorum & rabies invenerat, quod odio suo perversæque voluntati prætexerent. Græci Codices (47) addunt, mortem illi esse molitos.

℣. 17. Jesus respondit eis: Pater meus, &c. Cum a Judæis argueretur Jesus, ceu Sabbathi reus, ita respondit, ut simul se Deum esse, & Sabbathi obligationem solvere posse demonstraret. Pater meus & ego, inquit, in Universi conservationem & regimen nulla quiete incombimus; eaque in re laboramus, nulla Sabbathi religione (48). Sabbathi igitur quies ad nos minime spectat: quamobrem homini, qui Patris mei meæque gloriæ servit, & in quem ipse meam meique Patris potestatem exerceo, jure meo impero, ut lectum tollat, Sabbatho repugnante.

Si una servandæ Sabbathi quietis causa vobis est, sanctum agere eum diem, quo Deus, absoluta Mundi creatione, quievit; hac profecto neque ego neque Pater meus prohiberi possumus, quin Sabbatho non secus ac reliquis diebus operemur. Patris potestas nullis aut finibus aut viribus coercetur. Semper ille agit, cum voluerit, atque ubi voluerit, quin leges a quoquam accipiat, aut agere vel cessare cogatur (49). Cumque ego Patris Verbum sim & Sapientia, & ille absque me agere nequeat, nec ego absque illo non possum, consequens est, ut Sabbathi Lege neque ego neque ille contineamur (50).

℣. 18. Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Optime intellexere Judæi, quo ferret Christi argumentatio, senseruntque illum evincere, Patrem sibi esse Deum, se Deo æqualem, verum Messiam, hominumque Servatorem (51). Itaque illi necem moliti sunt, nedum tamquam Sabbathi reo, id enim crimen erat morte dignum Num. 15. 32. verum etiam velut impie obloquenti, cum se Deum & Deo æqualem prædicaret. Levit. 24. 15.

℣. 19. Non potest Filius a se facere quidquam. Orationem prosequitur Christus, interceptam commate 18. quod intra parenthesis notas legendum est. Ego semper una cum Patre operor. Quemadmodum ego nihil sine Patre agere queo, ita ille sine me. Quæ ab illo fieri video, hæc ego facio. Eadem penitus sunt utriusque consilia, actiones, vires. *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit* (52). *Nihil a se facit Filius, quia per unitatem operationis nec Filius sine Patre facit, nec sine Filio Pater*.

Non potest Filius a se facere quidquam. Ex his verbis colligebant Ariani, Filium esse Patre minorem. At triplex erat responsio. I. Cum Dei Filius Verbum sit & Sapientia, per quam Deus omnia condidit (53), nihil sine illo egit Pater: quicquid vero a Patre factum est, vidit Filius, & cum eo fecit. Minor igitur Patre non est (54). II. Filius nedum nihil facit, verum etiam facere nequit, nisi id quod fieri a Patre viderit. Malum autem fieri a Patre nequit, neque admitti quod imperfectum sit: Deus igitur est Filius: si enim Deus non est, id facere potest, quod nequit Pater: peccato, culpa, vitio non caret, neque omnipotens est (55). III. denique evincit, tametsi summa sit Patrem inter & ipsum conjunctio &

 æqua-

[37] Beda hic; August. Tract. 17. *Non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis*. [38] Rupert. [39] Chrysost. August. Maldon. Grot. Bing. [40] Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐξένευσεν, ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. Chrysostom. Ἐξένευσε. [41] Ὄχλος sæpe usurpatur pro tumultu. Vide Luc. XXII. 6. Act. XXIV. 18. Marc. XII. 12. & Vat. Erasm. Bez. Bing. Ham. in Luc. XXII. 6. [42] Erasm. Castal. Lud. de Dieu, Grot. hic. [43] Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. [44] Vide Iren. lib. 5. cap. 15. Chrysostom. Cyrill. Theophyl. Euthym. hic; August. lib. de fide, & operib. cap. 20. [45] Grot. Bing. [46] August. Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. Maldon. Grot. Bing. Ligfoot. alii. [47] Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Ita & Syr. & Arab. sed non legunt Steph. β, ι, Cantab. Cyrill. Non. Armen. Copht. alii quidam. [48] Ita Patres, & Interpp. passim. [49] Theodor. Mopf. Leont. Mald. [50] Vide August. & Cyrill. hic. [51] Vide Ambros. lib. 2. de fide; Cyrill. lib. 12. Thesauri; Maldon. Grot. [52] Ambros. in Psalm. XXVIII. [53] Joan. 1. 3. & Prov. VIII. 30. [54] Epiph. de hæresi Arianor. Cæsari. Dialog. 3. [55] Vide Nazianz. orat. 4. Cyrill. hic; August. lib. 22. de civit. cap. 25. 26. &c.

fuisset, inani semper spe, quod hominem apud se alere non posset, cujus ope, quo tempore turbabatur aqua, in piscinam mitteretur, quin alter præverteret.

Lis quoque est de Angelo ad turbandas piscinæ aquas descendente; bonus ne an malus esset, perspicue corporeaque forma, nec ne. Sunt (17) qui merum fuisse hominem censeant, turbantem aquas, quibus lotæ fuerant victimæ, earumque viscera, Angelum Domini nuncupatum, utpote e Templo missum, & ob ea quæ motum sequebantur, divinitus contingere existimata. Putat Hammondus, solis naturæ viribus id fieri potuisse; mistisque & calefactis eo motu sanguine & adipe, qui aquis innatabant, effici in hominis statim mersi humoribus motum, quo valetudo restitueretur. Provoco ad Physicos peritissimos, Medicosque prodigiorum inimicissimos, fieri ne queat, ut cæcus quis, aut claudus, sive paralyticus, annis octo & triginta morbo laborans [neque enim temere Evangelista hæc adjuncta subtexuit], mersus piscina, qua victimarum corpora & viscera lota fuerint, statim convalescat. At hoc ipsum quod pro certo ponitur, victimarum viscera ibi lavari consuevisse, repugnantes habet Judæos, qui ea nisi in Templo lota fuisse negant (18).

Censent alii (19), hoc quod de Angelo aquas turbante dicitur, vulgarem esse loquendi modum apud Hebræos, qui Dei virtutem Angeli appellatione designabant (20). Ex hac opinione, dicendum est, Angelum Domini, ad turbandas aquas descendentem, invisibilem fuisse Dei virtutem, id præstantem, & aquas Divina quadam vi instruentem, qua morbi divinitus pellerentur.

Angelus nonnullis creditur Raphael Archangelus, Dei Medicina dictus, & proprio quasi munere ad morborum curationem destinatus. Negat Maldonatus (21), illum descendisse conspicuum. Profecto minime narrat Evangelista, Angelum conspici consuevisse, sed turbari aquas, & curari primum qui aquis mergeretur. At nisi conspicuus erat Angelus, qui sciri poterat, aquas ab Angelo commoveri? Accepta, inquit, ex Patribus narratione, vel tacta divinitus notitia.

Cæterum nulla prodigiosæ hujus piscinæ vestigia vel in Josepho, vel in Philone, vel in Judæis Scriptoribus animadvertuntur. Fortasse neque satis antiqua erat, neque nisi perraro Angelus descendebat: ex quo factum est, ut gesta eo loco prodigia negligerentur. Totus hic versus omittitur in vetusto Codice Græco-Latino Cantabrigiensi, duobusque Cophticis Libris Regiis, & in Græco Exemplari Colbertino; in nonnullis vero non in ipso corpore, sed in ora legitur (22). Codices quidam manu exarati legunt (23): *Angelus enim secundum tempus lavabatur in piscina, & turbabat aquam.*

Beda (24), Genebrardus (25), Serarius (26) putavere, saltem ceu vetustissimam ex majoribus historiam narrant, piscinam probaticam eumdem fuisse locum, quo sacrum ignem condidit Jeremias, paulo antequam Templum a Nabuchodonosore everteretur; eductum deinde post captivitatem, eum Sacerdotes pro sacro igne cœnosam aquam invenissent (27). Scribit Brocardus (28), piscinam hanc fuisse a Salomone constructam, ejusque aquis Nathinæos, vel Templi servos lavisse victimas, quas deinde in sacrificium mactandas illi Sacerdotibus offerebant. Idem Genebrardus (29) ex vetusti Codicis fide ait, hujus fontis aquam erupisse in terræ motu, qua die conceptus est Jesus; earumque aquarum virtutem, imo & ipsas aquas nonnisi ad diem usque Passionis perseverasse. Hæc tamen omnia rejicimus inter fabulas, quas ignorantia peperit, aluit superstitio.

Qui prior descendisset, sanus fiebat. Naturalis igitur aut perpetua virtus aquæ non erat. Animadverterunt Patres (30), ea piscina baptismum a Jesu Christo institutum significari, quo omnes mentium nostrarum morbi penitus curantur, peccata nimirum omnia, tum quod ex origine, tum quæ gestis operibusque contrahimus. Concupiscentia enim, peccati pœna, in nobis ad mortem usque perseverat, ut virtutis & exercitationis occasio nobis præbeatur.

℣. 5. Triginta et octo annos habens in infirmitate. Hominis morbum non tradit Evangelista. Sunt qui cæcum fuisse putent (31): plerique tamen paralyticum (32), quem, cum se ipse movere non posset, alter aut expeditior, aut attentius custoditus, præveniebat. Dignus animadversione est numerus annorum octo & triginta, ut prodigii magnitudo commendetur.

℣. 6. Vis sanus fieri? Id rogans Christus, fidem in illo, spem, incolumitatis desiderium excitat, cogitque miserrimam sui conditionem animadvertere. Opus est, ut sacri etiam præcones contumacium peccatorum animos ita moveant: *Vis sanus fieri?* Puta, te ægrotum esse, tuumque morbum remedio non carere. Serio ad medicum revertere. Idem hoc in imis hominum mentibus Servator tacitis suasionibus iterat.

℣. 8. Tolle grabatum tuum, et ambula. Dei ac domini more atque authoritate morbo imperat. Fidem ab ægroto non exigit, quippe ab illo minime agnitus, neque unquam auditus (33): at sese satis prodit, ubi pleno authoritatis imperio jubet lectum tollere, tametsi Sabbathi dies sit. Duo demonstrabat; I. se longe præstantiorem esse Angelo, piscinæ aquas turbante, iisque vim unius dumtaxat hominis curandi tribuente; cum ipse verbi unius vi & incolumem & robustum efficiat, itaut & lectum tollere, & proficisci queat. II. se dominum sabbathi esse, ac posse homines legum ritualium obligationibus solvere, ipsasque leges penitus antiquare.

Vulgo animadvertitur (34), consuevisse Christum, post edita miracula, aliqua subtexere, quibus illorum veritas probaretur. Multiplicatis quinque panibus, jussit illorum reliquias colligi, quarum copia multo major fuit, quam panum quos multiplicavit. Conversa in vinum aqua in nuptiis Canæ, vinum deferri jussit ad architriclinum, ut gustaret. Leprosos curatos mittebat ad Sacerdotes, ut ii redditam incolumitatem testarentur. Hic paralyticum curavisse non contentus, surgere jubet, gradus facere, lectum auferre.

℣. 9. Erat autem sabbathum. Servile opus die Sabbatho a Lege vetitum Exod. 20. 8. nemo ignorat. Imperabatur verbis severissimis quies, præsertim vero cautum erat, nequis sarcinam quampiam ferret (35). Existimat Toyrardus (36), prodigium hoc die XI. Nisan contigisse; quæ dies Sabbathum erat præcedens Paschati, eo anno feria

(17) Hammon. ex Theophylacto. (18) Vide Ligfoot. (19) Vide Maldon. hic. (20) Maimon. more Nebochim. (21) Vide & Grot. Ligfoot. Brug. (22) Vide Mill. hic, & Proleg. 1151. (23) Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν ἐλούετο ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐταράσσετο τὸ ὕδωρ. Ita Alex. Med. Æthiop. Copt. Vide Mill. & Grot. (24) Beda in 1. Esdr. 21. (25) Genebr. not. in Chronolog. (26) Serar. in 2. Macc. 1. qu. 14. apud Cornel. a Lapide hic. (27) Vide 2. Macc. 1. 19. 20. (28) Brocard. Descript. Terræ sanctæ. (29) Genebr. Chronolog. lib. 2. pag. 174. Paris. 1600. (30) Ita Chrysostom. Theophyl. Euthym. hic; Tertull. lib. de Baptismo; Ambros. lib. 1. de Spirit. S. cap. 7. & lib. de his qui Myster. initiant. cap. 4. & lib. 2. de Sacram. cap. 2. (31) Chrysost. Euthym. (32) Leont. Ambros. lib. 5. de Sacr. cap. 2. alii. (33) Maldon. Grot. (34) Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. (35) Jerem. XVII. 21. *Nolite portare pondera in die Sabbathi, nec inferatis per portas Jerusalem.* Vide & 2. Esdr. XIII. 15. (36) Harmon. Evang.

ria quarta, xiv. Nisan, xxvii. Martii celebrato.

Cur vero Jesus paralytico imperat, ut ea die lectum tollat? Nonne satis erat, homine curato, jubere illum domum reverti? Respondent Interpretes I. voluisse Christum ea re significare, se sabbathi dominum esse Matth. 12. 8. *Dominus est Filius hominis etiam Sabbathi*: II. hanc ipsam rem menti Legis revera non repugnare, quamquam ea verborum sono videretur (37): Sabbathum enim divini cultus gratia institutum fuerat. Hæc porro res publicum erat divinæ potestatis bonitatisque monumentum: III. ipsam Christi sapientiam postulasse, ut ita ordinarentur omnia, ut Divinitatis illius argumenta, ejusque prodigia a quam maximo hominum numero (38), præsertim Jerosolymis, regionis metropoli, & Judaicæ Religionis capite, agnoscerentur. Hujus autem hominis curatio notior fieri non poterat, quam Sabbathi, delatique a paralytico lecti occasione.

℣. 11. Qui me sanum fecit, &c. Optima est curati hominis argumentatio. Magnus omnino apud Deum vir is est, qui me incolumem reddidit, Propheta certe, aut ipse Messias; illum quippe non noverat. Atqui si quid peccati esset iter facere, & lectum tollere, novisset ille, neque imperasset: nihil igitur peccati est (39). *Non acciperem jussionem, a quo acceperam sanitatem?* inquit S. Augustinus.

℣. 13. Jesus declinavit a turba. Edito miraculo, secessit statim, neque paruit. Græcus fert (40): *Jesus elapsus est, cum tumultus fieret in loco* (41). Cum Jesus confluere multitudinem ac tumultuari cerneret, hominis causa lectum ferentis, clam e tumultu elapsus, fugit. Vel: *Jesus elapsus est, quia turba erat in loco*. Potuit facile ignotus elabi, ob collectam eo multitudinem (42), sive ad prodigii famam convenerint, sive ad clamores eorum, a quibus homo lectum gerens arguebatur. Seu denique, *elapsus est, quod ibi esset multitudo*, plausus laudesque multitudinis vitans (43).

℣. 14. Invenit eum Jesus in Templo. Primum Jesu Christi propositum in paralytico curando illud fuit, ut manifesta Divinitatis ac potestatis suæ argumenta exhiberet; alterum, ut curato hominis corpore, animum sanaret. Dum latuit, ipsum esse partæ sanitatis auctorem, nihil ex eo prodigio pro illius Divinitate collectum est: dum liberatorem suum ignoravit Paralyticus, parta sanitas animæ saluti inutilis fuit. Illum igitur docet Jesus, redditam illi a se sanitatem; simulque duplici monito instituit: I. morbum fuisse criminum pœnam (44): II. pejus aliquid illi eventurum, nisi emendari studeret: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Christi Divinitas hac exhortatione luculentissime ostendebatur, cum & præterita & futura pervaderet (45).

℣. 15. Abiit homo, et nuntiavit Judæis, &c. Hoc deberi censuit liberalitati curantis: ubique prædicavit, Jesum medicum esse Divinum, a quo reddita fuerat incolumitas: minime tamen dixit iterum, se jussum ab eo fuisse lectum tollere, quippe qui ortum ob eam rem tumultum meminisset; veritatem solummodo testari contentus (46).

℣. 16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quod ista Sabbatho gereret, curaret, curatosque

lectum auferre juberet. Hoc criminationis caput, sive hoc commentum livor Judæorum & rabies invenere, quod odio suo perversæque voluntati prætexerent. Græci Codices (47) addunt, mortem illi esse molitos.

℣. 17. Jesus respondit eis: Pater meus, &c. Cum a Judæis argueretur Jesus, ceu Sabbathi reus, ita respondit, ut simul se Deum esse, & Sabbathi obligationem solvere posse demonstraret. Pater meus & ego, inquit, in Universi conservationem & regimen nulla quiete incumbimus; eaque in re laboramus, nulla Sabbathi religione (48). Sabbathi igitur quies ad nos minime spectat: quamobrem homini, qui Patris mei meæque gloriæ servit, & in quem ipse meam meique Patris potestatem exerceo, jure meo impero, ut lectum tollat, Sabbatho repugnante.

Si una servandæ Sabbathi quietis causa vobis est, sanctum agere eum diem, quo Deus, absoluta Mundi creatione, quievit; hac profecto neque ego neque Pater meus prohiberi possumus, quin Sabbatho non secus ac reliquis diebus operemur. Patris potestas nullis aut finibus aut viribus coercetur. Semper ille agit, cum voluerit, atque ubi voluerit, quin leges a quoquam accipiat, aut agere vel cessare cogatur (49). Cumque ego Patris Verbum sim & Sapientia, & ille absque me agere nequeat, uti ego absque illo non possum, consequens est, ut Sabbathi Lege neque ego neque ille contineamur (50).

℣. 18. Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Optime intellexere Judæi, quo ferret Christi argumentatio, senseruntque illum evincere, Patrem sibi esse Deum, se Deo æqualem, verum Messiam, hominumque Servatorem (51). Itaque illi necem moliti sunt, nedum tamquam Sabbathi reo, id enim crimen erat morte dignum Num. 15. 32. verum etiam velut impie obloquenti, cum se Deum & Deo æqualem prædicaret. Levit. 24. 15.

℣. 19. Non potest Filius a se facere quidquam. Orationem prosequitur Christus, interceptam commate 18. quod intra parenthesis notas legendum est. Ego semper una cum Patre operor. Quemadmodum ego nihil sine Patre agere queo, ita ille sine me. Quæ ab illo fieri video, hæc ego facio. Eadem penitus sunt utriusque consilia, actiones, vires. *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit* (52). *Nihil a se facit Filius, quia per unitatem operationis nec Filius sine Patre facit, nec sine Filio Pater.*

Non potest Filius a se facere quidquam. Ex his verbis colligebant Ariani, Filium esse Patre minorem. At triplex erat responsio. I. Cum Dei Filius Verbum sit & Sapientia, per quam Deus omnia condidit (53), nihil sine illo egit Pater: quidquid vero a Patre factum est, vidit Filius, & cum eo fecit. Minor igitur Patre non est (54). II. Filius nedum nihil facit, verum etiam facere nequit, nisi id quod fieri a Patre viderit. Malum autem fieri a Patre nequit, neque admitti quod imperfectum sit: Deus igitur est Filius: si enim Deus non est, id facere potest, quod nequit Pater: peccato, culpa, vitio non caret, neque omnipotens est (55). III. denique evincit, tametsi summa sit Patrem inter & ipsum conjunctio &

 æqua-

[37] Beda hic; August. Tract. 17. *Non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis.* [38] Rupert.
[39] Chrysost. August. Maldon. Grot. Brug. [40] Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐξένευσεν, ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. Chrysostom. Ἐξένευσεν. [41] Ὄχλος sæpe usurpatur pro tumultu. Vide Luc. xxii. 2. Act. xxiv. 18. Marc. xiv. 14. & Vat. Erasm. Bez. Brug. Ham. in Luc. xxii. 6. [42] Erasm. Castal. Lud. de Dieu, Grot. hic.
[43] Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. [44] Vide Iren. lib. 5. cap. 15. Chrysostom. Cyrill. Theophyl. Euthym. hic; August. lib. de fide, & operib. cap. 20. [45] Grot. Brug. [46] August. Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. Maldon. Grot. Brug. Ligfont. alii. [47] Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Ita & Syr. & Arab. sed non legunt Steph. β, ι, Cantab. Cyrill. Non. Armen. Cophr. alii quidam. [48] Ita Patres, & Interpp. passim. [49] Theodor. Mopsv. Leont. Mald. [50] Vide August. & Cyrill. hic.
[51] Vide Ambros. lib. 2. de fide; Cyrill. lib. 12. Thesauri; Maldon. Grot. [52] Ambros. in Psalm. xxviii. [53] Joan. 1. 3. & Prov. viii. 30. [54] Epiph. de hæresi Arianor. Cæsari. Dialog. 3.
[55] Vide Nazianz. orat. 4. Cyrill. hic; August. lib. 22. de civit. cap. 25. 26. &c.

æqualitas naturæ ac potestatis, unam tamen non esse Personam, cum Filius ea videat, quæ a Patre geruntur, & quæ in Patre videt, ipse faciat (56). Hinc facile colligitur, Patrem Sabbathi reum esse, si reus est Filius.

℣. 20. Pater diligit Filium, &c. Nihil agit Pater, quod cum Filio non communicet, neque Filius, nisi cum Patre. Humano more hic loquitur Christus, veluti Patris Discipulus & imitator sit. Illum audit tamquam Magistrum, illumque sibi veluti exemplar proponit; ea tantum facit, quæ fieri ab illo videt: Pater vero, seu Præceptor Discipuli amantissimus, nihil illum celat. Ne tamen Filium Patrem minorem esse, ab eoque in rebus gerendis pendere existimes, subdit, Patrem majora sibi ostensurum, quam nunc in Paralytici triginta annorum curatione demonstravit. Filius, exemplo Patris, mortuos in vitam, impios ad meliorem frugem revocabit. Dum Patris dignitatem commendat, eumdem sibi servat cum illo æqualitatis & potestatis gradum. Pater Filio, qua homini, Magister est & exemplar: Filius, qua Deus, absolutissime æqualis est Patri (57).

℣. 21. Sicut Pater suscitat mortuos, &c. Iterum hic absolutissimam potestatis & authoritatis æqualitatem vides. Pater mortuos revocavit per Eliam & Elisæum: Filius sua ipsius virtute, per se & per Apostolos revocabit. Si par hisce præstandis est, potest certe alios Sabbathi religione solvere. Reddendam mortuis vitam adducit ceu exemplum eorum, quæ divinitus a se agenda sunt, futura multo nobiliora, quam quæ hactenus ostensa fuerunt: neminem enim adhuc in vitam revocaverat (58). Addit: *Filius, quos vult, vivificat*; ut plenam absolutamque authoritatem sibi inesse significet (59).

℣. 22. Neque enim Pater judicat quemquam (60). Solus non judicat Pater: judicandi potestatem Filio communem fecit. His confirmantur ea quæ dixit supra ℣. 17. 19. Patrem scilicet nihil sine Filio agere, neque sine Patre Filium. Par est potestas, actio communis. Hanc judicandi potestatem Filius a Patre in ipsa æterna generatione ante sæculorum initium accepit (61). Sunt (62) qui velint, Dei Filium judicandi potestatem accepisse, uti Hominem Deum, tunc cum e mortuis revocatus, a Patre constitutus est Judex (63). Putat Grotius, accipi hæc posse, primo quodam sensu, de vindicta a Dei Filio in urbem Jerosolymam exercenda, universalis in mundi exitu judicii figura. Solet Jesus bina miscere argumenta, ubi de exarsuro suæ ultionis igne loquitur.

℣. 23. Ut omnes honorificent Filium, &c. Messiæ Divinitatem Judæi satis perspicui non noverant. Illum hi expectabant ceu magnum Regem, Principemque opulentissimum: at minime cogitabant, divinos illi honores deberi, ipsumque omnipotentem vivorum ac mortuorum Judicem fore. Hunc ab illis errorem pellere nititur Christus; docetque, Hominis Filium, Christum, Verbum, Messiam Patri æqualem esse tum potestate, tum authoritate: eadem, quæ a Patre, ab illo geri, omnesque homines ab ipso, non secus atque a Patre, judicari: quamobrem eadem illi obsequia deberi, quæ debentur Patri, eaque illum promereri, *quia Filius hominis est*, ut idem ait ℣. 27. nempe, quia *cum in forma Dei esset*, Deo æqualis, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (64). *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine JESU omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.*

Qui non honorificat Filium, &c. Non satis est Filium colere, quod missus a Patre fuerit, neque unus hic esse debet obsequiorum finis: colendi hac eadem de causa sunt Apostoli, cæterique Domini nomine venientes. At Filium eodem prosequi honore oportet, quo Patrem; par enim est Patris & Filii potestas, unaque essentia (65).

℣. 24. Qui verbum meum audit, &c. Qui verba Filii audis, & in ipsum credis, Patris mandata excipis, & in Patrem credis: utrumque vero æternam vitam parit. Credere in Filium nequis, nisi credideris in Patrem, a quo missus est: æternamque vitam assequi non potes, nisi in utrumque credas. Per hanc fidem, *transis a morte in vitam*: si enim in morte est is qui non credit, profecto is qui credit, atque ab infidelitate gradum facit ad fidem, a morte transit ad vitam (66).

℣. 25. Mortui audient vocem Filii Dei, &c. Homines ab errore ad fidem migrantes cum hominibus a morte ad vitam transeuntibus mox comparavit: pergit hic in allegoria (67): Venere tempora, quibus *mortui*, ii qui inter erroris tenebras versantur, *vivent*, & nomina fidei dabunt. Quo autem pacto? Nimirum vocem Filii Dei audientes, ejusque Discipulis & sectatoribus accedentes. Mortui hoc loco sunt Judæi, vel Ethnici, vel utrique. Ex his nemo assequi vitam potest, nisi per fidem in Christum.

Interpretantur alii (68) de mortuis revera in vitam a Jesu inter homines versante revocatis. Confirmat ea quæ dixit ℣. 21. nimirum, uti Pater mortuos in vitam revocat, ita Filium vitam largiri, quibus libuerit. Censet Maldonatus, supremam hic spectari Resurrectionem, in mundi exitu futuram. At qui ex hac sententia dici queat, *venisse hora, & nunc esse: quando mortui audient vocem Filii Dei*? Prior explicatio proclivior videtur, magisque cum præcedentibus constans.

℣. 26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, &c. Vita fruuntur homines mero Dei beneficio: at ad certum dumtaxat tempus. Fugax bonum vita est, & mutuo acceptum, Dei Filius vitam & in se & per se habet; non ab aliquo tempore, aut ad tempus, sed ab æternitate ipsa, totamque in æternitatem, non secus ac Æternus Pater (69). Quemadmodum Pater vitæ fons est, & vita per essentiam: ita & Filius, Vitam hic largitur cui libet. Nemo nisi per ipsum vivit, sive de corporis, sive de animæ vita per justificationem & fidem, sive denique de resurrectione interpreteris. Christus Jesus *via* est, *veritas & vita*. Joan. 14. 6.

℣. 27. Potestatem judicium facere, &c. S. Chrysostomus ac Theophylactus sententiam aliter punctis distinguunt: *Potestatem dedit ei judicium faciendi. Quod Filius hominis sit, ne miremini.* Communem apud nos distinguendi rationem damnat etiam S. Chrysostomus, eamque a Paulo Samosateno profectam arbitratur. At optime ex Catholico sensu explicatur, ut dicat, Jesu Christo, tamquam homini, datam esse a Patre judicandi potestatem; Judicis enim personam gerens, proditurus est aliquando in tribunali conspicuus, ho-

---

(56) Vide Maldon. & Cornel. a Lap. hic. (57) Vide Cæsar. Dialog. 3. Sever. Antioch. Mald. hic. (58) August. Beda, Brug. alii. (59) Chrysost. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. (60) Κρίσιν. Cypr. ad Quirin. lib. 3. cap. 33. & Tertull. contra Prax. cap. 21. Οὐδένα, quidquam. (61) Ambros. lib. 2. de fide, cap. 4. Menoch. Gloss. (62) August. lib. 1. de Trinit. cap. 13. Beda hic; Maldon. Grot. Brug. (63) Psalm. 11. 6. Psal. lxxi. 1. lxxiv. 7. 8. Act. xvii. 31. & 1. Petr. iv. 5. (64) Philipp. ii. 6. 8. 9. 10. 11. (65) Euthym. Maldon. Grot. Brug. (66) Vide Var. Grot. Brug. alios. (67) Ammon. August. Beda, Ligfoot. hic. (68) Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. Leont. Grot. (69) Vide August. in Joan. Tract. 19. & lib. 15. de Trinit. cap. 26. Ambros. lib. 4. de fide cap. 5. & lib. 5. cap. 2. & alii apud Maldon.

hominesque universos ad se in supremum Judicium compellaturus (70). S. Augustinus ita explica: *In judicia forma servi bonis & malis ostendetur: forma Dei solis bonis servabitur*. Qua Deus est, naturalis Filio est mundi judicandi potestas; at qua homo, tradita illi est a Patre, quippe qui, uti homo, omnia ex Patre accepit. *Judicium facere* usurpatur etiam pro pœnas sumere, ulcisci, regnare. Dei Filius, ut homo, terræ universæ Rex est constitutus; gravissimas illas de pervicacibus Judæis pœnas sumpturus, quas tam sæpe in Evangelio prædicit.

℣. 28. Nolite mirari hoc. Ne miremini, quod dixerim, Hominis Filio datam esse a Patre potestatem, ut vindictam in refractarios incredulosque Judæos exerceat: majus aliquid dicturus sum: Idem in supremo & universali Judicio hominum omnium Judex futurus est: *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*, cujus virtute revocabuntur in vitam, ac mittentur Angeli, judicandos homines coram ipso collecturi (71). Tunc [℣. 29.] *procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, seu damnationis. Homines universi resurgent, atque ad me colligentur: at bonos a malis, hircos ab ovibus secernam Matth. 25. 35. Bonos in dextera ponam, ac Cœlesti beatitudine donabo; malos ad sinistram rejiciam, atque in paratum diabolo ejusque Angelis ignem præcipites agam Matt. 25. 41. Unusquisque pro bene vel male gestis judicatus, aut purgabitur, aut condemnabitur.

℣. 30. Non possum a me ipso facere quidquam. Nequis putet, aliud a Patre, aliud a Filio judicium exerceri, ac fieri posse, ut Filii judicium cum judicio Patris non consentiat, subdit, facere se nihil posse sine Patre: ex iis, quæ in Patre videt, se ferre sententiam: suum ipsius judicium æquissimum esse, & erroris expers; denique judicium exercere se uti Deum, non uti hominem; potestate Divina, non humana authoritate (1).

Quia non quæro voluntatem meam, &c. Ita luculentissime probat judicii sui æquitatem & sanctitatem: quod nimirum nonnisi ex æterni Patris voluntate & sententia judicium ferat. Atqui Patris voluntas citra omnem aberrationis aleam est; ejusque cognitio errori minime obnoxia: expers igitur erroris est Filii judicium. Vulgares Judices aut avaritia, aut gratia, aut ambitione, aut odio corrumpuntur: falluntur etiam defectu cognitionis. Nihil tale cadere in eum potest, qui Deus sit, uniusque Dei cognitiones & voluntatem sequatur (2).

℣. 31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso. Si solus essem, meaque ex sententia loquerer; si unum idemque cum Patre non essem, testimonium meum aspernari liceret: unus quippe testis, ipsius præsertim in rebus, nunquam non respui potest: meum vero testimonium Patris mei testimonio fulcitur. Cum ego & Pater unum simus, Patris testimonium idem sit meum, nihil ego nisi ex illius sententia loquar, nihil agam nisi ex illius voluntate; meum testimonium respuere non licet, nisi & ipsi mihi, & illi a quo missus sum, injuriam irrogetis. Hoc ex iis oritur quæ alibi statuit (3), verissimum scilicet esse suum ipsius testimonium, tametsi de se ipse testetur.

℣. 32. Alius est qui testimonium perhibet de me. Testimonio suo Pater meum approbat (4), in me, per me, & mecum loquens. Vel, alius hic testis est Joannes Baptista (5), qui vobis sese consulentibus respondit, me esse Messiam, quem ipsi præstolabimini. ℣. 33. *Vos misistis ad Joannem; & testimonium perhibuit veritati.*

℣. 34. Ego non ab homine testimonium accipio. Joannis Baptistæ alteriusve cujuslibet testimonio non egeo (6): hoc ego non quæro, quippe cui Patris est testimonium, multo gravissimum. Hoc uno fides omnis mihi satis conciliatur, & necessaria mihi authoritas confertur. Igitur Joannis idcirco memini, *ut vos salvi sitis*. Vestræ, non meæ utilitatis causa Joannis testimonium produxi, ut nimirum intelligatis, quis ego sim, neque ipsi exitium vobis comparetis, me rejecto. Confer primam Joannis Epistolam v. 6. 7. 8. 9. 10.

℣. 35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Joannes Baptista ante quatuor menses in carcerem datus fuerat Jo: 4. 35. Lucerna hæc quodammodo obscurata erat, & sub modio condita; brevi penitus extinguenda supplicio. Præcursorem laudat Christus, quo majus testimonio illius pondus adjiciat. Nequis Joannem Baptistam ceu vilem e vulgo hominem habeat, ejusque testimonium æque ac meum sese aspernari dicat. Lucerna is erat ardens & lucens (7). Vos ipsi agnovistis, qui *voluistis ad horam* (aliquandiu) *exultare in luce ejus*. Atque utinam conceptam antea de illius sanctitate opinionem constantius servavissetis (8)! Suspexistis illum, & studiose secuti estis: at brevis fuit admiratio, breve studium. Libertas, qua ille flagitia vestra detexit & damnavit, vos ab illo removit: *Voluistis ad horam exultare in luce ejus*. At conversis deinde ab eo studiis, illum a Dæmone agi dixistis (9). Clam in mente illum sprevere Pharisæi. Vos denique illum indignissime excepistis, in ipsum pro libito debacchati Matth. 17. 12.

℣. 36. Ego habeo testimonium majus Joanne. Quamquam omni exceptione majus est testimonium Joannis Baptistæ, qui lucerna Israelis erat, gratiæ miraculum, spiritu Eliæ plenus, Propheta & plusquam Propheta, quippe qui non venturum sed præsentem Messiam ostenderet: minime tamen unum hoc mihi præsto est testimonium. Testatur de me Pater, qui vester Deus idem est (10), certissimus testis & invictus. Quo autem modo ostendero, Patrem de me testari? Rebus nimirum gestis doceo, & prodigiis, quibus missio mea approbatur, meaque & Patris potentia ostenditur, cum uterque junctim & simul agamus. Quod hominem octo ac triginta annorum spatio membris captum sanaverim, id potentiam meam indicat; cum vero hoc ipsum Dei nomine, exhibendique Deo ac veritati testimonii causa fecerim; cumque Patris & Joannis Baptistæ testimonia mihi suffragentur, falsus Propheta non sum, nec impostor. Cur igitur minime creditis, fas mihi esse, hominem Sabbathi religione solvere? Nonne ipsismet interdum Prophetis id licet, quemadmodum ipsi docetis (11)?

℣. 37. Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me, nedum per Moysem & Prophetas (12), verum etiam emissa cœlitus voce, qua die baptismo tinctus sum (13), & prodigiis, quæ passim ipsius nomine exhibeo (14). His ego capitibus, his argumentis nitor.

Aaa a Na-

[70] Vide ad ℣. 22. Bedam, Maldon. alios. August. lib. 1. de Trinit. cap. 13. & homil. 22. inter 50. & ser. 127. num. 10. & 214. num. 9. nov. edit. Ita & Maldon. Brug. hic. [71] 1. Thessal. 11. 15. & Matth. xiii. 48. 49. & xxiv. 31. [1] Vide August. Mald. alios. [2] Mald. Grot. [3] Joan. viii. 13. 14. *Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Jesus: Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.* [4] Cyrill. Beda, Rupert. [5] Chrysostom. Leont. Theophyl. Euthym. Maldon. Brug. Grot. [6] Chrysost. Leont. Rupert. Euthym. Grot. Vatab. Brug. [7] Solent Judæi eruditissimos e suis Doctoribus *lucis* nomine compellere. [8] Leont. Chrysost. Cyrill. Theophylact. Euthym. Maldon. Grot. Brug. Ludov. de Dieu, alii. [9] Matth. 11. 18. Luc. vii. 33. [10] Chrysost. Euthym. Cyrill. Theoph. alii. [11] Vide Grot. ad ℣. 11. hujus cap. [12] Cyrill. Beda, Euthym. Theoph. [13] Matth. iii. 17. Chrysost. Rupert. [14] Mald. Grot.

Nequa vocam ejus unquam audistis, naque speciem ajus vioistis. Cum dico, Deum mihi testimonium exhibuisse, ne comminiscamini, conspicua illum specie in terris fuisse, aut humana voce inrer bomines esse versarum. Illud ne objieite: Testem hunc, quem prædieas, nunquam vidimus, audivimus nunquam: Pater siquidem corpotis oculis conspicuus non est, neque ejus vox carneis auribus obnoaia.

Quod si objeceritis, vestris illum majoribus olim sese exhibuisse, Abrahamo, Jacobo, Moysi, vestrosqoe majores illius vocem in monte Sinai audivisse; constantissime respondeu, spectra Pattiarchis ostenla veram non fuisse Dei speciem, neque Dei vocem, quæ illorom auribus insonuit (15). Corporea species fuit, ab Angelo assumpta, & vox in aere auribusque Hebræorum ab illo facta. Redditum tune testimonium vetum fuisse non nego: at testimonium de me latum in Lege, Propbetis, visis, promissisque Patriarcharum; quodque per Joannem Baptistam tulit, gestisque per me prodigiis ferre pergit, nihilo minus vera sunt & certa. Visa illa me spectabant; omnia de me loquuntur.

℣. 38. Veraum ejus non habetis in vobis manens. Frustra gloriamini, prælto vobis esse in sacris voluminibus Dei Verbum (16). Si revera esset, si prube illud perciperetis, fidem utique haberetis illi, quem misit Paier; mihi crederetis, cum de me omnes Veteris Testamenti paginæ loquanrur. Divinis hisce in libris quærendum vobis est testimonium a Patre mihi exhibitum.

℣. 39. Scrutamini Scriptuaas, &c. Minime dubitatis, quin saera volumina vobis præsentia contineant quid credendum sit, quid agendum; æternamque vitam assecuturi sitis, dum illa sectemini. Horum authoritatem non minuo. Illa igitur serio evolvite; invenietis certe, Deum in illis de me loqui (17). Me ille prædicit, describit, nunciat. At oscitanter legenda non sunt: *Scrutamini Scripturas.*

Sunt (18) qui vertant: *Studiose evolvitis Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere:* at minime percipitis. Liber vobis sunt annulo obsignatus, eujus explicationem ignoratis. Id nisi esset, me utique in illis videretis, cum singulæ illorum paginæ de me testentur. Judæi, ætate Christi, nonnili allegorias in Scripturis sectabantur, uti ex Philone constat.

℣. 40. Non vultis venire ao me. Scripturarum perspicuitati, ac testimonio Sancti Spiritus, de me apud Scripturam loquentis, resistitis. Venire ad me recusatis, vitæque aditum vobis ipsi sponte clauditis. Frustra speratis vos in rituum vestrorum exercitio vitam felicitatemque nacturos. Optimum illud aliquo tempore fuit: at nunc aliud plane postulat Deus.

℣. 41. Claaitatem aa hominibus non accipio. Hominum existimationem minimi facio, neque testimonio illorum egeo, ut authoritatem meam confirmem, mihique gloriam cumparem: me neque cupiditas mover, neque ambitio: vestra dumtaxat commoda, vestramque salutem quæro (19).

℣. 42. Sao cognovi vos, &c. Ne cautemini, me idcirco a vobis non excipi, quod me Deo æqualem faeio; vosque Dei amore & obsequio cohiberi, ne Dei nomen alteri tribuatis; aut gloriæ illius studio meis conatibus constanter resistere: vestrarum enim mentium arcana pervadu, vestrasque sententias penitus video. Non Dei amor, ejusque gloriæ studium vos agunt (20), sed livor & ignorantia. Scripturas legitis; at minime intelligitis. Illis probe intellectis, omnino intelligeretis, Messiam fore Deum ac Dei Filium; hominemque & Filium Davidis.

℣. 43. Ego veni nomina Patais mei, et non accipitis me. Vera esse quæ dixi, vosque charitate esse vacuos, illud argumento est, quod traditæ vobis a me veritati resistitis, neque testimonium mihi a Patre in Scripturis, Prophetis, meisque gestis exhibitum excipitis; quodque, *si alius venerit in nomine suo*, nullis Scripturarum aut prodigiorum testimoniis, nulloque missionis suæ argumento, *illum accipietis*, modo ille vestris cupiditatibus assentiatur, vestramque benevolentiam indignis scelestisque artibus aucupetur (21). Quam vere ista Judæis vitio vertat Christus, ipsimet Judæi luculentissime docuere, tam multos falsos Propheras atque impostores secuti & amplexi (22), cum veros Prophetas, ipsorum scelera damnantes, odiis, lapidibus, nece insectarentur.

Plerique veteres (23) hæc verba ita interpretati sunt, veluti iis prædicatur Antichristus, studiosissime ab Judæis excipiendus. Suo ille unius nomine veniat, nullis Messiæ notis distinctus: illum tamen quamplurimi sequentur.

℣. 44. Quomodo vos potestis cradeaa, qui hominum, non Dei gloriam quæritis? Judæorum Sapientes ac Sacerdotes superbia præsertim ac sui existimatione prohibiti sunt, ne cervices Evangelio subjicerent (24). Humanarum laudum cupidi, atque inani sui ipsorum opinione occupati, ferre non potuerunt, quod minimi a Christo haberentur, damnarentur illorum mores, ac patefactis ipsorum flagitiis, vitæ probrum detegeretur. Hæc prima fuit simultatis causa: tum paulatim in odium apertamque calumniam deflexere; fractis denique obstaculis, adeo exarsit illorom furor, ut morte turpissima ipsum affecerint: indigne nimirum ferentes, sese ab eo apud populum damnari, atque ambitionis ipsorum numen everti. Si gloriam solummodo quæsissent, *quæ a Deo est*, veram scilicet gloriam, in sui demissione & contemptu sitam, atque in subjectione mentium animorumque rebus a Deo divinitus traditis, Legi, Divinæque voluntati, Evangelium excipere, ac filiorum Dei sortem promereri potuissent.

℣. 45. Nolita putare quia ego accusaturus sum vos apud Pataem: est qui accusat vos Moeses. Hic vos infideles atque incredulos esse evincet, quippe qui mihi, quem ille nunciavit, eredere nolueritis. Frustra fiduciam in Moyse collocatis, frustraque speratis futurum, ut Legis vestræ obsequio salutem consequamini: primus ille vos apud Cœlestem Patrem damnabit. Ipsæ illius Leges vocem quodammodo adversus vos tollent.

℣. 46. Si anim credeaetis Movsi, &c. Suis in Libris de me locutus est Moyses, veluti cum Jacobi verba ad Judam habita narrat Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Et alibi (25): *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies* Messiam innumeris prope locis ac figuris, in Patriarcharum historia occurrentibus, Legibusque Ritualibus ad sacrificia spectantibus, descripsit Moyses. Significabant illæ Servatoris vitam, perpessiones, Resurrectionem. Ad hoc, indicia vobis reliquit, quibus veri Prophetæ a falsis secernerentur (26); quæ si

in

(15) Chrysostom. Leont. Theophyl. Euthym. Rupert. (16) Chrysost. Euthym. Theophylact. Maldon. Brug. Grot. (17) August. Chrysost. Theophyl. alii plerique. (18) Cyrill. hic, Beza, Camer. Ligfoot. Piscat. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. (19) Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Maldon. Grot. Vat. Lud. de Dieu, Ligfoot. alii. (20) Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. Mald. (21) Mald. Brug. Grot. (22) Joseph. Antiq. lib. 18. cap. 14. Act. xxxvi. 37. Euseb. hist. Eccl. lib. 4. cap. 6. (23) Iren. lib. 5. cap. 25. Ambros. in Psal. 43. Rufin. exposit. Symb. Theodor. Mops. & Apollin. in Catena Gr. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Beda hic. (24) Leont. Cyrill. Theoph. Mald. (25) Deut. xviii. 15. Act. iii. 22. vii. 37. (26) Grot. hic. Deut. xiii. 1. ... 5.

in meis rebus adhibueritis, plana intelligetis, ma ex iis non esse, a quibus cavendum est.

℣. 47. Si illius literis non creditis, &c. Non quod minor mihi sit, quam illi, authoritas; sed quod vobis minus nota. Si plenam efficientemque fidem Moysi haberetis, mihi etiam crederetis. Fidem Moysi habebant procul dubio Hebræi; ac fortasse religiosius quam par erat: neque hoc exprobrat illis Christus: queritur tantummodo, Legum illius sensum ab iis non accipi ut oportet, neque ex illius verbis ea colligere, quæ sponte oriuntur, ut Messiam agnoscant ex notis, quas ille reliquit.

CAPUT VI.

Panes quinque multiplicantur. Fugit Jesus, Regem se fieri nolens. Supra mare graditur, & ad Apostolos venit. Prodigium poscunt Judæi, prodigio mannæ simile. Corpus suum suumque Sanguinem hominibus daturus est Christus in cibum & potum. Nonnulli ex Discipulis illum deserunt. Duodecim fideles sunt, præter Judam.

℣. 1. POst hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: 2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum. 5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei unus ex Discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri: 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? 10. Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt, fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant. 14. Illi ergo homines cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. 15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare. 17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum, & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Jesus. 18. Mare autem, vento magno flante, exsurgebat. 19. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque, aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt. 20. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in navim, & statim navis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera die turba, quæ stabat trans mare, vidit, quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent: 23. Aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum, ubi manducaverant panem, gratias agentes Domino. 24. Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum. 25. Et eum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? 29. Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & eredamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Jesus: Amen,

Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, dit, & dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem ei Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet umquam. 36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras; 38. Quia descendi de cœlo, n n ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. 41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. 42. Et dicebant ei: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi? 43. Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem: 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die. 56. Caro enim mea, vere est cibus; & sanguis meus, vere est potus. 57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me. 59. Hic est panis, qui de Cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. 60. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? 62. Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63 Si ergo videritis Filium Hominis ascendentem ubi erat prius? 64. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant. 68. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? 69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 70. Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. 71. Respondit ei Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est? 72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

℣. 1. POST HÆC, ABIIT JESUS TRANS MARE GALILÆÆ. Cum primum Joannis Evangelistæ propositum illud sit, ut omissa a cæteris Evangelistis suppleat, a secundo Paschate Jerosolymis celebrato a Jesu post initam missionem, ad prodigium multiplicatorum quinque panum, toto anno recentius (1), gradum facit. Prodigium hoc Evangelistæ quatuor recitant (2): at Joannes addit nonnulla, animadversione dignissima, a cæteris prætermissa. Mare Galilææ, Genesareth, ac Tiberiadis idem est ac mare Cinereth, in Libris Veteris Testamenti notissimum. Hoc trajecit Jesus paucis ante Pascha diebus, ut idem Joannes scribit hic, ℣. 4.

℣. 2.

(1) Vide Harmon. Toynard. pag. 55. 56.

(2) Matth. xiv. 15. & sequ. Marc. vi. 32. & Luc. ix. 10. 11. 12. &c.

℣. 2. QUIA VIDEBANT SIGNA. Ista quidem non recitavit Joannes; sed apud cæteros Evangelistas leguntur, magnamque historiæ partem occupant; hi enim in illud præcipue incubuerunt, ut res a Christo gestas altero prædicationis anno describerent.

℣. 3. SUBIIT IN MONTEM solitudinis Bethsaidæ, intra ditionem Philippi, Tetrarchæ Galilææ. Eo secesserat Jesus, ut importunis frequentium turbarum studiis, inter quæ vel cibi & quietis tempus ipsi deerat, sese subduceret. Marc. 6. 37.

℣. 4. ERAT PROXIMUM PASCHA, DIES FESTUS JUDÆORUM. Contigit hoc decimo circiter die ante tertium Pascha, ab Jesu post initam prædicationem baptismumque celebratum.

℣. 5. CUM SUBLEVASSET OCULOS, aliquanto post quam e monte descendit; prodigium quippe sub vesperam patratum est; atque ipse, mea quidem sententia, noctem in monte egerat. Turbæ profecto circa illum colligi eo numero, nisi post diuturnum temporis spatium, nequivere; terrestri enim itinere venerant, cum ipse lacum navi trajecisset. Marc. 6. 33.

℣. 6. TENTANS EUM; periculum de fide illius faciens, tentansque, quid is virtute profecisset; probans quid esset ille responsurus, idque moliens, ut prodigii magnitudo luculentius agnosceretur. Nisi enim Philippum interrogasset Christus, varia prodigii adjuncta ignoraremus. Cæteri Evangelistæ (3) tradunt, ægros tunc ibi præsentes a Christo curatos; illum edocuisse turbas; factoque vespere, monitum fuisse ab Apostolis, ut dimitteret turbas, quod dies jam obscurior fieret, neque ulla commeatus opportunitas in ea solitudine haberetur. Subdidit Jesus, ipsi annonam exhiberent; iisque id fieri a se posse negantibus, Andreas cæterique Apostoli reposuere, arctam sibi tantummodo esse panum quinque & duorum piscium annonam.

℣. 7. DUCENTORUM DENARIORUM. Si denarius hoc loco siclum significat, denarii ducenti libras Gallicas trecentas & octogintaquinque circiter conficiunt. Si vero denarium Romanum intelligas, octo circiter nostri numismatis obolorum, libras fere octoginta ex nostro numismate æquabunt.

℣. 8. DICIT EI UNUS. Cæteri Evangelistæ (4) respondisse ferunt omnes simul Apostolos.

℣. 9. EST PUER UNUS, &c. Hos pisces vel ipsi habebant Apostoli, vel illi in promptu Apostolis erant ex puero emendi (5). Ex panibus hisce hordeaceis paucisque piscibus intelligis, quam frugi mensa Jesus Christus & Discipuli uterentur. Græcus hic legit (6): *Duo opsonia*. At Græca vox vel pro quolibet opsonii genere, quo quis cum pane utitur, vel pro pisce peculiariter (7) explicatur.

℣. 10. ERAT AUTEM FOENUM MULTUM IN LOCO. Desertus erat locus, ubi multum fœni, & commoda sessio. Ad hoc, proximo Paschate, maturoque jam hordeo, agri fœnum in ea regione valde adoleverat.

℣. 11. CUM GRATIAS EGISSET, DISTRIBUIT. Deo grates agit, antequam panes multiplicet, cum, ut diximus Joan. 11. 41. sese nunquam non a Patre exaudiri nosset, nihilque negari quod postularet. Panem ac pisces distribuit Discipulis, atque horum opera multitudini circum discumbenti. Hoc cæteri Evangelistæ ferunt (8), nonnullaque pariter Græca Exemplaria (9).

℣. 12. COLLIGITE QUÆ SUPERAVERUNT FRAGMENTA. Vides hic, quemadmodum passim in Evangelio, quanto studio Christus gestorum a se prodigiorum veritatem Apostolos docere, & Evangelistæ omnia illorum adjuncta recitare laboraverint.

℣. 14. HIC EST VERE PROPHETA, QUI VENTURUS EST. Alludunt ad locum Deuteronomii 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*, ipsique morem geres. Non semel Apostoli (10) hunc ipsum locum de Jesu Christo ejusque missione interpretati sunt. Quid autem esse dicas, quod cum alia prodigia tam multa ediderit Christus, nunquam Judæi Regem illum creare ac Messiam fateri voluerint, nisi cibos divinitus exhibentem? Nimirum carneo erant animo, ac præstolantes Messiam, a quo mortalibus beneficiis bonisque, voluptatibus præsertim corporis & conviviorum deliciis cumulandi essent, putavere, prodigium mox exhibitum specimen esse bonorum, quæ ille sibi pararet, sibique nihil non expectandum esse ex Propheta, qui tantum misericordiæ esset ac potestatis (11).

℣. 15. JESUS CUM COGNOVISSET, &c. Exteriori aliquo indicio, aut ex verbis forte vulgatis intellexit, vel potius divina illa intelligendi vi, qua mentium arcana scrutabatur (12). Mutuis igitur consiliis decrevere, illum in Regem eligere, excusso Herodis & Romanorum jugo. Cum illi Messiam, in universo Israele regnaturum, absolutæque libertatis authorem præstolarentur, censuere, Jesum id solummodo expectare, ut illi conspirarent, futurum deinde conspirationis ducem, conceptasque animo victorias & Imperium acquisiturum. Ea erat universæ gentis opinio, quæ ipsos etiam Apostolos ad Spiritus Sancti lapsum usque occupavit; quo demum tempore intellexere, Jesu Christi Regnum ex hoc mundo non esse Joan. 18. 36.

FUGIT ITERUM IN MONTEM IPSE SOLUS. Iterum evasit in montem, unde antea cum Discipulis descenderat (13). Prius tamen jussit Discipulos mare, conscensa navi, trajicere (14). Ita solus in deserto Bethsaidæ commorans, turbas dimisit (15), monuitque secederent; se enim deinceps minime in ea regione futurum. Nondum satis certum erat de eo in Regem creando consilium; decreveratque populus altera die suam ea de re mentem illi aperire.

Cur vero delatam sibi ultro dignitatem fugit? Facilius ille conversurus videbatur Judæos, si illorum Regem sese diceret, illorumque obsequia exciperet. At cessassent inimicorum odia, idque Dei consiliis contrarium fuisset, illud volentis, ut Messiæ morte servaretur mundus, & laboribus ac patientia Ecclesia conderetur. Ad hoc, docere voluit exemplo modestiam, fugamque dignitatum: vitare denique quicquid seditionem saperet, & constituta a Deo imperia detrectare videretur.

℣. 17. IN CAPHARNAUM. Teste Marco 6. 45. Jesus Apostolis præcepit, trajicerent mare, seseque Bethsaidæ expectarent; hic vero scribit Joannes, illos, conscensa navi, Capharnaum versus iter instituisse: deinde non Capharnaum sive Bethsaidam, sed *in terram Genesar* appulisse leguntur (16). Ut ista concilies, animadverte cum Evangelistis, Apostolis ea nocte navigantibus, contrarium ventum, a borea flantem, spirasse. Quamobrem pro Bethsaida, in borealibus maris Genesareth finibus posita, mane alterius diei in oppositis fere finibus fuere, circa Tiberiadem, & ad

(1) Matth. xiv. 14. 15. 16. Marc. vi. 34. 35. 36. Luc. ix. 11, 12. 13. & sequ. (4) Matth. xiv. 17. Marc. vi. 38. Luc. ix. 13. (5) Grot. Brug. (6) Καὶ δύο ὀψάρια. Alii Evangel. Δύο ἰχθύας. (7) Vide Grot. hic; & Boch. de animal. part. 1. lib. 1. cap. 6. ubi citat Hippocrat. Polyb. Platon. Athen. Plut. Diodor. Thucyd. alios. Nonn. hic: ἰχθύας ἐπεκλάσε. (8) Matth. xiv. 19. Marc. vi. 40. Luc. ix. 16.
(9) Ita impressi, Vulgo: Διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις. Deest in plurib. MSS. Gr. & in Cantab. Arm. Got. Copht. Syr. Pers. Arab. Æth. Nonn. August. aliis. Vide Zeger. Erasm. Grot.
(10) Act. iii. 22. vii. 37. (11) Vide Chrysost. Theoph. Euthym. (12) Leon. Mald. Grot. Brug.
(13) Supra, ℣. 3. (14) Matth. xiv. 22. Marc. vi. 46. (15) Matth. xiv. 23. (16) Matth. xiv. 34. Marc. vi. 53.

& ad meridiem Caphatnai. Jusserat illos Christus Bethsaidam navigare; at vento flante contrario, conati sunt saltem Capharnaum venire, quo tamen pertingere non potuerunt, sed in remotum ab eo litus appulsi sunt, meridiem versus.

℣. 19. CUM REMIGASSENT QUASI STADIA VIGINTIQUINQUE, tria scilicet passuum millia. Cum igitur tribus vel quatuor passuum millibus in altum progressi essent, Jesum ad se venientem, gradientemque super undas prospexere. Mare Tiberiadis, authore Josepho lib. 3. de Bello c. 25. stadia quadraginta, sive millia passuum quinque in latum, stadia centum & quadraginta, sive duodeviginti circiter millia passuum in longum porrigebatur. Plinius lib. 5. c. 15. sex millium passuum latitudinem, longitudinem vero sexdecim millium illi tribuit. Quamobrem Apostoli satis prope litus esse debuerant, quo tempore sese illis exhibuit Christus, si e deserto Bethsaidæ ad alteram dumtaxat oram navigassent. At pugnante vehementer vento, longa adhuc supererat navigatio, antequam litus tenerent.

℣. 21. VOLUERUNT EUM ACCIPERE. Omittit Joannes Petrum super undas gradientem, jubente Christo Matth. 14. 28. at, uti diximus, is ea dumtaxat persequitur, quæ superiores Evangelistæ omisere. Addunt Matthæus & Marcus, Jesum revera navi exceptum fuisse, cessante statim vento. Marc. 6. 51. Matth. 14. 31.

ET STATIM NAVIS FUIT AD TERRAM, Ex Tabula Geographica, quatuor vel quinque passuum millibus aberant a litore, quod deinde tenuerunt, si navigationem a deserto Bethsaidæ usque ad oram, tribus passuum millibus supra Capharnaum meridiem versus positam, metiare. Quamobrem aliquod etiam hic prodigium agnoscendum est, navi tam cito ad litus appulsa.

℣. 22. TURBA QUÆ STABAT TRANSMARE. Multitudo, quam paverat Christus, in deserto Bethsaidæ commorans, certo Jesum semper sequendi, illumque in Regem sibi creandi consilio, cum altera die illum abesse intelligerent, divinare non poterant, quo pacto is evasisset, cum scirent, *quia non introisset cum Discipulis suis Jesus in navim, & quia navicula alia non erat ibi nisi una*. Turbis illa agitantibus, Jesus venit ad litus, ubi naviculæ Tiberiadis erant (℣. 23.), ex quibus audiit multitudo, Jesum Christum summo mane ad alteram Lacus oram pervenisse, paulo supra Tiberiadem, boream versus. Conscensis itaque navibus, mare trajecerunt, ut ad illum venirent.

℣. 24. ASCENDERUNT IN NAVICULAS, eas fortasse quæ Tiberiade venerant, trajectoque mari, appulere Capharnaum, quo Christum venisse non dubitabant. Probabile omnino est, magnam multitudinis partem per Bethsaidam itinere terrestri profectam fuisse Capharnaum, cum credibile non sit, quinque vel sex hominum millia transfretare iis navibus potuisse.

℣. 26. QUÆRITIS ME, NON QUIA VIDISTIS SIGNA, &c. Minime respondet Christus iis quæ populus rogaverat: *Rabbi, quando huc venisti*? Pervidebat quippe indignam in ipsorum mentibus commodi cupiditatem, & in verbis assentationem, minime sibi probatam (17). Quamobrem duriuscule respondet: Non ita me quæritis, ut me Deum ac Messiam esse ex gestis coram prodigiis agnoveritis. Ut me quæratis, cupiditas & spes ciborum a me vobis exhibendorum impellunt, non fides & amor veritatis. *Propter carnem me quæritis, non propter spiritum*, ait S. Augustinus (18).

℣. 27 OPERAMINI NON CIBUM QUI PERIT, &c. Me sequentes, non mortalem terrenumque panem ac cibum quærere opus est, sed mentis alimoniam. Quæ vero illa? Dei verbum scilicet, fides, charitas, Christus ipse, ex S. Augustino (19). Mihi credite, me imitamini: oblatum vobis a me cibum comedistis (20). Alio loco de se ipse testatur Christus, cibum sibi esse, Patris sui voluntatem Joan. 4. 14. Idem Christianorum omnium sit, necesse est. Cibus hic animæ vitam largitur, nosque ad æternitatem ducit: at carnali cibo alitur corpus, neque tamen moriendi necessitate liberatur.

HUNC ENIM PATER SIGNAVIT DEUS. Christus Jesus Patris imago est (21), splendor gloriæ illius, ejusque substantiæ figura (22), signum Paternæ majestatis, Patris Verbum & Sapientia; in quo tota Divinitatis plenitudo re ipsa habitat Coloss. 2. 9. Suo igitur signo suaque nota illum æterna in generatione distinxit. Signatus etiam est Jesus Christus, secretusque ab hominibus ac segregatus. Humanam ille naturam assumpsit, at alia prorsus quam cæteri homines ratione. Meri homines hi sunt, & obnoxii peccato: ille Deus est, & expers peccati (23): *Segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus* Hebr. 7. 26. Denique potestatis suæ signum illi Pater impressit, illumque Filium suum, Deum sibi æqualem declaravit, nedum edito palam testimonio, voce divinitus emissa in baptismo Matth. 3. 17. verum etiam prodigiis ab eo exhibitis, quibus ipse & Deus & Messias esse ostenditur (24).

℣. 29. HOC EST OPUS DEI, &c. Optime intellexerant Judæi, nomine *cibi non pereuntis, sed permanentis in vitam æternam*, bona opera a Christo significari. Rogant, quæ illa sint bona opera, qui panis. Respondet, cibum esse fidem. Anxie me quæritis, ut vobis præsto sit corporis alimonia, eaque sine sudore vobis exhibita fruamini. Non istud ego volebam, cum vos in deserto Bethsaidæ pavi. Docere volui, me Dei Filium esse, a Patre missum ob totius mundi salutem. Illud mihi proposueram, ut vos mihi fideles facerem, non exhibita vobis lucri & commodi spe; sed sincero vestræ conversionis desiderio. In hoc incumbebam, ut mihi credentes, traditas a me institutiones gestis persequeremini.

℣. 30. QUOD ERGO TU FACIS SIGNUM? Indocilem populum Christi verba irritavere; iratum nimirum, quod minime credere, solamque vitæ commoditatem, & laboris vacuitatem quærere, ab eo diceretur. Arroganter igitur quærunt, quid signi ediderit, quo fidem & fiduciam ex ipsis extorqueat; quasi panis multiplicati prodigium satis perspicuum non fuerit, neque satis validum, quo Filius Dei esse ostenderetur. At præter istud, quam multa alia in regione universa exhibuerat?

℣. 31. PATRES NOSTRI MANDUCAVERUNT MANNA. Nihil adhuc tale fecisti, quale Moyses in deserto cum majoribus nostris. Quinque hominum millia quinque dumtaxat panibus, & piscibus duobus pavisti: omnino: at quantulum istud est, si cum Moyse comparetur, qui amplius decies centena millia hominum manna, cœlesti nimirum pane & alimonia, per annos quadraginta in deserto aluit? Simile quid exhibeto: tibi statim credemus, uti Moysi credidimus (25).

℣. 32. NON MOYSES DEDIT VOBIS PANEM DE CŒLO, &c. Refellit Judæos Christus, docens, I. manna non a Moyse majoribus ipsorum, sed a Deo, datum, II. panem multo nobilissimum, quam manna, ipsis nunc a Patre exhiberi; semet ipsum, Christum Jesum, panem hunc esse, & cibum, de quo agitur. Primum quod proposuit, non evincit, per se satis perspicuum. Nunquam

(17) Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. (18) Vide Aug. Bedam, Mald. (19) Aug. hic, Beda. (20) Vide infra, ℣. 20. Aug. Tract. 25. *Crede, & manducasti*. (21) 2. Cor. iv. 4. *Gloria Christi, qui est imago Dei*. (22) Heb. 1. 3 *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*. (23) Aug. hic, Beda. Vide & Hilar. lib 8 de Trinit. & Cyrill. hic. (24) Chrysost. homil. 43. Theophyl. Euthym. (25) Vide Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym.

quam gloriatus est Moyses, sua ipsius virtute prodigia sua se exhibere, quin omnem illorum gloriam in Deum refudit: totumque muneris sui officium in eo constituit, ut Dei jussa integra fide perficeret. Nunquam ille se Dei Filium, Æternum, Patri Æqualem dixit: quin etiam mortis reum pronunciavit, siquis hæc nomina usurparet. Unus iste usurpavit Iesus, suoque jure id fecit. Rem innumeris prodigiis comprobavit: accessit Deus perspicuis approbationis suæ argumentis et testimoniis.

Ut sese Cœlestem panem esse evincat, duo probat: I. sua ipsius dogmata verum esse mentium cibum; ac fidei unius via ad Deum perveniri. II. sese vere ac proprie daturum Corpus suum ac Sanguinem in cibum potumque iis, qui in ipsum crediderint. Postremum hoc fidem omnem adeo superabat, ut mirum non sit, ingratum eudienribus accidisse. At Christus, qui infinita, qua pollebat, sapientia noverat, quo tempore ac modo dispensanda & distribuenda esset veritas, Discipulis hisce, quos institutiones suæ offenderant, solummodo dixit, quicquid ipse doceret, spiritum esse et vitam; supremis deinde vitæ suæ momentis hoc mysterium explicaturus.

Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum. Manna panis erat cœlestis impropria duntaxat ac tropice. Ex æthere in terram, roris instar, labebetur manna. Cum autem æther sive aer apud Scripturas Cœlum appelletur; hinc manna panis Cœlicus, & Angelorum cibus nuncupatur (2). At Christus panis revera Cœlestis est, e Cœlo vere lapsus, ut humana carne indueretur. Ad hoc, manna tantum erat Evangelicæ veritatis ac Doctrinæ figura, quæ Doctrina verus est animi cibus, ac panis e cœlo delapsus (3). Verissime itaque dicitur Pater panem de Cœlo verum dedisse, cum Jesum Christum, vitæ ac veritatis Authorem, dederit.

℣. 34. Semper da nobis panem hunc; panem vitæ, cœlestem, supernum, manna nobiliorem: da, non semel aut bis, non ad unum vel duos dies (4), sed semper: *Semper da nobis*. Censent Patres, Christi mentem hos minime assecutos (5), qui terrenum panem intellexerint, at naturæ multo quam manna sublimioris, quo vita & valetudo bona æternum esset custodianda; panem minime defecturum; *panem qui nos reficiat, nec deficiat*, inquit S. Augustinus.

℣. 35. Ego sum panis vitæ. Manna panis erat e materia concretus & caducus, cibus vitam non afferens iis qui eo uterentur, neque mortem prohibens: et Christus panis est vivificus, sanitatem largiens & servans; immortalitate donans, æternamque ad felicitatem ducens. Panis vitæ est, vivificans gratia, veritate, fide: panis etiam verissime est in Sacramento Corporis sui & Sanguinis, sub panis & vini specie. Qui Christum fide manducat & bibit, is nunquam esuriet, sitiet nunquam: in Cœlo absolutissime satiabitur: *Significatur æterna satietas*, inquit S. Augustinus, *ubi nulla est egestas*.

℣. 36. Vidistis me, et non creditis. Panem poscitis, quo æternum satiemini: prædixi: Ego panis sum: *Dixi vobis, quia vidistis me*. Præsto est panis, nec manducatis: ego panis sum. Credite mihi, & manducastis. *Vidistis me, & non creditis. Ante vos habetis, & non manducatis*, inquit S. Augustinus.

℣. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniat. Hæc porro causa est, cur mihi non credatis, neque hunc vitæ panem comedatis: nimirum ex iis non estis, quos mihi dedit Pater (6). Si essetis, accederetis utique, vosque ego amplecterer: nam *eum qui venit ad me*, eos quos mihi Pater dedit, *non ejiciam*. Vos n Regno meo non estis, neque oves e grege meo. Neque illud causemini, futurum ut, si vos traxisset Pater, vosque mihi dedisset, crederetis, ac cœlestem panem, de quo loquor, comederetis. Nullus vobis est excusationi locus, dum minime creditis, neque fidei donum accepistis. Sincerissima salutis vestræ voluntas Patri est (7). Innumera ille vobis auxilia præbuit, quæ neglexistis: vocavit ille, at vos repugnastis: *Vocavi, & renuistis*. Prov. 1. 24. Quam sæpe ille vos per Prophetas servosque fidissimos ad rectum iter revocavit, *& noluistis* (8)? Potest ille quidem omnipotentiæ suæ vi refractarias voluntates vestras vincere (9), & lapidea corde in carnea convertere Ezech. 11. 19. at ingratus, infidelis, pervicax animus veller indignus est, quem hoc beneficio prosequatur. Meo igitur e grege non estis, quippe quos mihi non dedit Pater: at non dedit ob animi vestri duritiem & pervicaciam. Vos exitii vestri causa: *Perditio ex te, Israel*. Osee 13. 9.

℣. 38. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed Patris. Vos si vocasset Pater, mihique dedisset, vos ego non ejicerem: idcirco enim in terras veni, ut illius voluntatem explerem (10). Neque mea voluntati Patris repugnat: imo cum similis omnino illi sit, meaque Divina voluntas eadem sit ex essentia cum voluntate Patris, nihil aut facere aut velle possum, nisi id quod ille vult & facit (11). Qua homo sum, mea certe voluntas eadem non est cum Patris voluntate; at illi semper absolute subjicitur (12); atque ego id solum volo quod ille. Certum fide tenemus, duplicem esse in una Christi persone voluntatem, Divinam, & humanam, & utriusque discrimen in horto orans luculentissime ipse ostendit Matth. 26. 39. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Humana tamen voluntas Divinæ contraria nunquam fuit, neque unquam Christus Patris voluntati repugnavit.

℣. 39. Hæc est autem voluntas, &c. Videtur ex his Pater prædestinatos tantummodo dedisse Filio, non reprobos, qui in Ecclesia continentur: hos porro homines esse furtim immissos, & inimicos in convivii aulam ingressos, neque vocante Patre neque volente: quamobtem hos Christus ad resurrectionem usque non ducit. At alioqui citra dubitationem est, Jesu Christi Ecclesiam ex electis reprobisque coalescere; in area Patrisfamilias bonum malumque triticum esse (13); in ipso Apostolorum collegio Judam contineri, homines inter sanctissimos mistum, non omnibus a Deo vocatis perseverantiam dari (14). Quid igitur colligendum est? Nullum ex iis quos Pater Filio dedit, ac prædestinavit, periturum: eos vero, qui fidei dono instructi, in Ecclesia nunc continentur, quamquam inter prædestinatos non sint, nonnisi sua ipsorum culpa perituros. Qui illos baptismo sanctos fecit Deus, prior illos non deseret: perseverarent, si vellent. *In eo quod audieras & tenueras, perseverares, si velles*, inquit S. Augustinus (15).

℣. 40. Ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam. Certissima Dei vo-

(2) Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. (3) August. Cyrill. Beda, Rupert. (4) Mald. Grot. (5) Chrysost. August. Cyrill. Theophyl. Euthym. Brug. Mald. (6) Ita Chrysost. Leont. Cyrill. Theoph. Euthym. (7) 1. Timot. 11. 4. *Vult omnes homines salvos fieri*. (8) Luc. XIII. 34. Matt. XXIII. 37. (9) Secreta Dominicæ 4. post Pentecost. *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. (10) August. Cyrill. (11) Vide Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Ammon. (12) Vide Cyrill. hic: Greg. Naz. orat. 4. de Theolog. Ath. lib. de commun. essent. Patr. & Fil. & Spir. S. Mald. alios. (13) August. de corrept. & grat. c. 9. & lib. 15. de Civit. c. 45. & alibi sæpius. (14) Concil. Trid. c. 6. can. 22. (15) August. de Correptione, & Grat. c. 7.

voluntas est, ut omnes ii, quos ipse prædestinavit, quibusque mero misericordiæ suæ beneficio certa & invicta paravit auxilia, quibus illi ad salutem ducantur, certissime salutem cœlestemque gloriam consequantur. Ac minime consequitur, quoslibet ad fidem vocatos, donatosque gratia justificationis in baptismo, perseveraturos in bono, & salutem assecuturos. Non omnes ex iis sunt, quos Pater Filio dedit: continentur illi quidem nunc intra Filii gregem (16), membra corporis illius sunt, & palmites viti adhærentes (17); at res ipsa deinde monstrabit, lupos esse ovium pelle protectos (18), membra mortua, palmites inutiles ac minime frugiferos, tandem aliquando ex vite abscindendos.

℣. 41. Murmurabant Judæi, non eo præsertim quod se panem vitæ, suaque dogmata cibum esse cœlestem diceret; sed quod ipse se e Cœlo lapsum, seque Moyse majorem prædicaret. Ea re permoti, de parentum & originis illius humilitate obloquuti sunt. (℣. 42.) *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?*

℣. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater . . . . traxerit eum. Obloquebantur Judæi, quod ille sese panem e cœlo lapsum diceret. Obloquiverat Christus, quia, inquit, *nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Hujus rationis vim ut assequaris, repete ea, quæ in superioribus dixit: Vidistis me, neque tamen creditis, non enim ex eorum numero estis, quos mihi dedit Pater. Neque ego miror, quod mihi obloquamini, meaque verba vobis offensioni sint. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*; cumque ex iis non sitis, quos trahit Pater, neque etiam inter eos recensemini, qui mihi credunt, ac panem vitæ, de quo loquor, manducant.

Quibus autem vinculis Pater eos ducit, quos trahit? Minime iis assentior, qui ajunt, post primi hominis lapsum, hominem libero arbitrio esse spoliatum, nullam illi esse, nisi in malum, libertatem; cum bene agit, superiori illum vi trahi & cogi, quin voluntas libera electione in illud feratur. Si libertas nulla homini est, & eligendi facultas, homo nullius est meriti capax. Si prona in malum libido vinci non potest, & cogit, homo reus peccati non est, ubi peccet. Trahit nos Pater nulla vi, nullaque necessitate. Secretum, suave, tenerum virtutis desiderium inspirat (19), quo valide simul ac leniter trahimur; cui tamen nunquam non resistere possumus (20). Voluptate trahimur, blanditiis, amore. *Crede, & venis: ama, & traheris*, inquit S. Augustinus Serm. 2. de verbis Apost. *Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam: dulcis est, suavis est: ipsa suavitas te trahit. Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illum. Nuces puero monstrantur, & trahitur*: quomodo autem, nisi voluptate?

Trahi igitur, ac validissime trahi possumus, nulla tamen necessitate & violentia. Cur vero suavem hanc vim experti non sunt Judæi, quam alii tam multi? Respondeo I. Beneficia sua Pater pro arbitratu dispensat, neque ulli debet. II. Sese illi iis indignos effecerant Judæi, vitio animi increduli & pertinacis. Quam multa ex eo prodigia spectavarant? Quam sæpe illum docentem audierant? Quam frequentibus virtutum exemplis clarum admirati sunt? His tamen nedum bene usi non sunt, verum etiam iis offensi, calumniæ opportunitatem arripuere. Ambitione, invidia, avaritia agebantur, pleni erant superbia & arrogantia, falsisque opinionibus & superstitione occupabantur. Domino illos docente animi demissionem, paupertatem, patientiam; cumque is superstitionem, vanasque Doctorum institutiones ex illorum mentibus evellere. Legemque ad perfectissimam purissimamque sanctitatem revocare conaretur, animos invenit indociles, mentesque lumini & gratiæ suæ clausas; habitudines denique misericordiæ suæ consiliis repugnantes.

Denique, ex Augustini doctrina (21), credere non poterant, quia nolebant. Poterat quidem Deus gratiæ suæ viribus illorum voluntatem parare, & animi duritiem frangere Jo: 3. 19. at quo jure id sibi pollicerentur? An istud illis debebat Deus? Quam multis illos beneficiis atque illustrationibus cumulavit, quibus illi nedum bene usi non sunt, sed ipsi sibi exitium, Deo contumeliam intulere? Nonne satis multa præstitit Deus, ut, nisi prorsus illos converteret, nullum saltem excusationi locum relinqueret? Lux illis affulsit diu: at ipsi *dilexerunt tenebras magis quam lucem*. Frequentissime a Deo vocati, renuerunt. *Vocavi, & renuistis*. Prov. 1. 24.

℣. 45. Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei, omnes a Deo docebuntur. Sententiam superiorem probat (22), neminem scilicet ad Jesum venire posse, nisi quem traxerit Pater. Apud Isaiam 54. 13. legitur: *Ponam omnes filios tuos doctos a Domino*, Dei ipsius discipulos faciam. Doctor illis & Præceptor futurus est Deus. Illorum animos mentesque ipse aperiet, ut credant, & salutis veritates exerceant. Eadem ferme habet Jeremias 31. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum . . . dicens: Cognosce Dominum.* Ezechiel (23): *Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Idcirco igitur verbis meis non creditis, quia cor lapideum mentisque pertinaciam nondum a vobis abstulit Pater. Cur vero? Absit, illius æquitatem aut misericordiam accusetis. Ista vobis non debet. Quam multa vobis beneficia largitus est, quæ vos animo contumacissimo aspernati estis (24).

℣. 46. Non quia Patrem vidit quisquam. Cum dico, credentes omnes a Patre edoctos esse, ac neminem credere posse, nisi illum traxerit Pater, ejusque Spiritus edocuerit, illud animo ne fingite, Patrem ratione aliqua sensibus obnoxia usurum esse, ut vos alloquatur, aut humana sub specie vos edocturum. Nemo unquam Patrem vidit (25); neque illum Moyses (26), aut Prophetæ, seu Patriarchæ corporeis oculis intuiti sunt. Solus ego Patrem vidi. Ego ex Deo natus, atque e Cœlo lapsus, Patrem apprime novi, suaque illum in gloria vidi. Penes me totius sapientiæ ac potentiæ illius depositum est. Ego ipse Patris Sapientia sum, Filius, Verbum, Virtus. Quamobrem si audire Patrem optatis, me audite, qui communem cum illo substantiam habeo. *Quomodo audire potuimus a Patre? A me ipso audite.* Vetustas opiniones exuite: audite quæ in imis mentium vestrarum penetralibus per me loquitur Pater (27).

℣. 47. Qui credit in me, habet vitam æternam. Revocat dicta supra ℣. 40 *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Hunc trahit Pater; ipse Patrem docentem audit; pane vitæ alitur; datus mihi est a Patre: illum ego non perdam, supremaque die in vitam revocabo; æternamque vitam is consequetur. Hæc mutuo referuntur, & alte-

(16) Joan. x. xv. 2. 5. 4. (17) Joan. xv. 2. 1. 4. (18) Matth. vii. 15. (19) Vide August. tract. 26. in Joan. (20) August. de Correct. & Grat. cap. 8. & alibi sæpius; D. Th. qu. 110. art. 2. (21) August. tract. 53. in Joan. n. 6. Vide Joan. xii. 39. (22) Cyrill. Theophyl. Euthym. (23) Ezech. xi. 19. xviii. 31. xxxvi. 25. 26. (24) Leontius, Chrysost. Ammon. Vide & August. hic. (25) Supra ℣. 37. *Neque speciem ejus vidistis, neque vocem ejus audistis.* (26) Leon. Cyrill. Theodor. Heracl. (27) Didym. in Caten. Gr.

alterum cum altero nectitur; eaque Chriſtus frequenti varioque orationis flexu ſuis in ſermonibus iteravit, quo altius animis imprimeret.

℣. 49. PATRES VESTRI MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO, ET MORTUI SUNT. Poſtquam docuit turbas Chriſtus, ſe panem eſſe vivificum e Cœlo lapſum, expoſuitque qua ratione cibus animorum ipſe ſit per fidem & charitatem, quibus illos animat, & per veritatem quibus illos alit; gradum facit ad tertium nutriendi modum, quo cæteri duo continentur, multo perfectiſſimum, intimum, ac ſublimiſſimum, quam quos hactenus dixit; veram ſcilicet Corporis & Sanguinis ſui comeſtionem in amoris ſui Sacramento, quod ipſe ſub panis ac vini ſpeciebus in Eccleſia reliquit.

Quantumvis magnum mannæ prodigium, quo majores veſtri paſti ſunt in deſerto, minimum certe eſt, ſi cum eo comparetur, quod ipſe in hominum mihi credentium commodum ago. Manna comeſtum homines mortis experies non faciebat: qui panem a me oblatum comederint, æternum vivent. Manna corpus dumtaxat nutriebatur: panis meus animum paſcit, & immortalitatem largitur. Panis, quem ego do, veritas eſt ac fides, meum eſt ipſius Corpus & Sanguis. Si mihi credideritis, fideſque veſtra charitate animetur, & bonorum operum exercitatione ſit efficiens: ſi Carnem meam meumque Sanguinem in Euchariſtiæ myſterio animo bene comparato comederitis, & conſtanti fide optimas animi habitudines ſervaveritis, æternum vivetis. Imparatis Corpus ac Sanguis meus lethale virus ſunt, oblatus e me panis mortem, non vitam affert (28): *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. Sin optima cum animi præparatione, fide, charitate, innocentia, cordis munditie acceſſeritis, nedum animæ vitam, gratiæ cœleſtis incrementum, robur adverſus ſpiritales inimicos, verum etiam immortalitatis principium, radicem reſurrectionis corporis in eo invenietis. Ita intelligunt & explicant Patres (29).

℣. 52. PANIS QUEM EGO DABO, CARO MEA EST PRO MUNDI VITA (30). Non ſolas jam inſtitutiones, fidem, Evangelicam prædicationem cœleſtis panis nomine appellat, ſed ſuam ipſius Carnem, eam ipſam Carnem, quam *daturus eſt pro mundi vita*. Hanc procul dubio figurate non dedit: eamdem igitur non figurate promittit. Re ipſa & ſubſtantia illam dat, quamquam panis & vini ſpeciebus obvolutam. Neque hanc boni dumtaxat accipiunt, quamquam ii tantummodo ejus fructu gaudent; verum etiam mali, at in exitium & condemnationem: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. 1. Cor. 11. 29. Si Divini hujus myſterii particeps eſſe cupis cum fructu, ipſe Chriſti membrum eſto, ejuſque ſpiritu adimplere (31): *Fiant Corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti*. Charitatem colito, fratribuſque & Deo vinculis charitatis conjungere. *O Sacramentum pietatis, o ſignum unitatis, o vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur.*

℣. 53. QUOMODO POTEST HIC NOBIS CARNEM SUAM DARE AD MANDUCANDUM? Qui fieri poteſt, ut hic carnem ſuam & ſanguinem in cibum & potum exhibeat? An ſe ipſe in fruſta concidet, membraque Corporis ſecta & cruenta porriget? Quis humana carne veſci poterit? Fac autem quis poſſit: qua vi carnem ipſe ſuam multiplicabit, ut partem unicuique diſtribuat? Quo autem pacto is vivet, lacerato corpore & membratim conciſo? Iſta Judæis, verba Chriſti audientibus, occurserunt (32).

At æquum ne erat, ut minime quæſita rei gerendæ ratione, aſſerenti fidem non haberent, diſputarent, obloquerentur? An infinitas Deo vires eſſe ignorabant? Nonne recens viderant Divinæ virtutis ſpecimen, panibus quinque divinitus multiplicatis? An non ſatis eſſe debuit, quod Chriſtus conceptis adeo verbis promiſerit futurum, ut ipſos Carne ſua paſceret? Totus difficultatis cardo in eo verſabatur, veram ne comeſtionem ſignificaret (33). Porro ſi figuratam ac ſpiritalem comeſtionem intelligebat, uno tantum verbo litem ſolvere, & obloquentium jurgia compeſcere poterat. Contra tamen, dicta confirmat, eamdemque ſententiam verbis expreſſioribus repetit.

℣. 54. NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, &c. Priorem ſententiam, Judæis gravem, nedum non temperat, verum etiam urget, noviſque argumentis fulcit. Non ſatis eſt quod dixi, me Carnem meam in cibum vobis exhibiturum: quin & futurum minitor, vos minime habituros vitam, niſi eam ipſam Carnem comederitis. Quamobrem non hortor dumtaxat & ſuadeo, ſed omnino Diſcipulis meis impero, ut Carnem meam comedant, meumque Sanguinem bibant. His ego cum illis conjungor, & illi mecum. *Hæc accepta atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit*, inquit S. Hilarius lib. 8. de Trinit. n. 14. *Eſt ergo in nobis ipſe per carnem*, qua veſcimur; *& ſumus in eo, dum ſecum hoc, quod nos ſumus, in Deo eſt*. Cum Concilia & Patres (34), penes quos ſolummodo poteſtas eſt interpretandi Scripturas, locos hoſce de Euchariſtia explicaverint, hos pleno mentis obſequio ſequimur, ſpretis neglectiſque iis, qui aliter uſurpant. Horum error potius miſeratione dignus eſt, quam acri inſectatione verborum.

℣. 56. CARO MEA VERE EST CIBUS. Alius quilibet cibus neque vitam tueri ſemper poteſt, neque mortem arcere. Corporis cibus, neque immortalis natura neque ſpiritalis, vitæ ac felicitati nobiliſſimæ hominis partis, animi ſcilicet, ſervire non poteſt: alio igitur opus eſt cibo, Corpore ſcilicet ac Sanguine Chriſti per Euchariſtiam. *Ut cibo & potu id appetant homines, ut nec eſuriant, nec ſitiant*, inquit S. Auguſtinus (35), *hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos, a quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit.*

℣. 57. QUI MANDUCAT MEAM CARNEM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO (36). Arctior nullus eſt conjunctionis modus, quam per ciborum concoctionem, cibis nimirum in comedentis ſubſtantiam converſis. Hæc porro conjunctio exemplum eſt alterius, qua Chriſtus Jeſus & hominis anima in Corporis & Sanguinis illius Sacramento junguntur (37). Nos in illo ſumus, ille in nobis eſt per fidem & charitatem. *Crede, & manducaſti*, ait S. Auguſtinus Tract. 25. in Joan. Ad hoc, una, ut ita dicam, caro unuſque

(28) 1. Cor. 11. 30. Auguſt. tract. 26. in Joan. n. 11. *Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur!* (29) Vide Ignat. ad Epheſ. Iren. lib. 4. c. 34. & lib. 5. cap. 2. Cyrill. lib. 4. in Joan. xiv. Tertull. de Reſurrect. carnis; Nyſſen. orat. Cath. cap. 38. Apollinar. in Caten. Gr.
(30) Gr. Ἡ σάρξ μου ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Hæc verba, ἣν ἐγὼ δώσω, in multis Codicibus deſiderantur. (31) Auguſt. Tract. 26. in Joan. Vide & Chryſoſt. homil. 25. in Joan. (32) Vide Auguſt. hic; Cyprian ſerm. de cœna Domini; Cyrill. Hieroſ. Catech. Myſtag. 4. (33) Vide Chryſoſt. Leont. Theophyl. Cyrill. lib. 4. in Joan. (34) Vide apud Mald. hic. (35) Auguſt. Beda, Leont. Apollinar. Theoph. (36) Vetus Codex Græco-Latinus Cantabrigienſis, octavus Henrici Stephani, Victorinus Africanus, poſt ea verba, *Manet in me, & ego in eo*, ſubdunt: *Quemadmodum in me eſt Pater, & ego in Patre. Amen amen dico vobis: Niſi acceperitis Corpus Filii hominis, ſicut panem vitæ, & niſi biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* (37) Vide Chryſoſt. homil. 45. in Joan.

que sanguis cum illo efficimur. *Concorporei & consanguinei Christi*, ut verbis utar S. Cyrilli Jerosolymitani (1): divinam quodammodo naturam induimus (2): *Ut efficiamini divinæ consortes naturæ*, inquit Petrus Apostolus. Quemadmodum, ait S. Clemens Alexandrinus lib. 4. cap. 34. cera cum cera miscetur, & unum quid efficitur; ita per Sacramenti perceptionem, unum cum Christo efficimur, nos in illo sumus, ille in nobis. Christi conjunctionem cum homine, Corpus & Sanguinem ipsius comedente, comparat S. Hilarius (3) ipsius unitati cum Patre, atque hypostaticæ Divinæ naturæ cum humana conjunctioni.

At hæ, similesque aliorum Patrum locutiones (4) ex mero verborum sono intelligendæ non sunt. Profecto dum panis & vini species in stomacho hominis sunt, ipsa Christi substantia homini unitur, atque ita unum quodammodo cum eo corpus & sanguis sumus: at mutata specierum natura, iisque concoctis, & in chymum sanguinemve dispersis, virtus Corporis Christi tantum in homine residet, quo animatur, vivificatur, ipsaque hominis caro vitæ & immortalitatis semine aspergitur, totus denique homo certa resurrectionis ac futuræ vitæ spe impletur.

℣. 58. SICUT MISIT ME VIVENS PATER, &c. Usurpata a Christo comparatio ita explicari potest: Quemadmodum Pater, a quo missus sum, vivens est, ita & ego; & quemadmodum ego vivens sum, ita qui meam Carnem comederit, vivet (5). Eadem est vita mea, quæ Patris: ego in Patre vivo, Pater in me. Qui Carnem meam comedit, meumque Sanguinem bibit, pariter in me vivet, & ego in illo. Eodem quo ego, spiritu ille animabitur. Non ille mihi, sed ego illi vitam tribuam; neque ille me in sui substantiam convertet, sed illum ego in me transmutabo. *Noverunt Fideles Corpus Christi, si Corpus Christi non negligant esse* (6). Quo autem modo Christi Corpus fieri queunt? vivendo nimirum ex ejus Spiritu. *Fiant Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit, nisi Corpus Christi.* Si membra Corporis Christi sunt, arctissime illi adhærescant: *Non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur; sit pulcrum, sit aptum, sit sanum; hæreat corpori; vivat Deo de Deo.*

PROPTER PATREM, ET PROPTER ME (7) ponuntur hic pro, *per Patrem, & per me*, authoribus Patribus plerisque & optimis Interpretibus (8). Similes loquendi formæ apud Græcos Scriptores accuratissimos, uti & apud Evangelistas, occurrunt. Græca præpositio διὰ non raro redditur *per* (9).

℣. 60. HÆC DIXIT IN SYNAGOGA. Cum de gravissima re, nobilissimoque Christianæ Religionis mysterio ageretur, in Capharnai Synagoga, frequentissima concione, disputare voluit Christus, nequis ignorantiam causaretur, neve dogmatum ipsius hostes uti aliquando adversus ipsum possent clandestina ejus rei traditione. Eucharistiam ille quidem clam instituit, unis Apostolis testibus: at illam frequentissimo in cœtu promisit, nunciavit, vulgavit, iis temporis ac rerum adjunctis, quibus posteri satis evincerentur. Audientium incredulitas & murmur nedum mysterii fidem non labefactat, verum etiam confirmat.

℣. 61. DURUS EST HIC SERMO: ET QUIS POTEST EUM AUDIRE? Non Capharnaitis modo, cæterisque elapso die a Jesu pastis, tunc præsentibus, Christi verba displicuere, sed ex Discipulis etiam multi iis offensi sunt. Durus erat sermo, sed ipsis ranium, hominibus scilicet animo incredulo & indocili. *Durus est*, ait S. Augustinus (10), *sed increduli. Ipsi erant duri*, idem alibi scribit (11), *non sermo*. Si hoc solummodo voluisset Christus, suam ipsius Doctrinam esse Carnem suam suumque Sanguinem, atque oportere, ut ipsius Discipuli ac sectatores ea Doctrina, quemadmodum cibis corporeis, satiarentur, nemo ejus verbis offensus fuisset. Idem hoc paulo antea dixerat eadem in oratione, obloquente nemine. At ubi de vera Corporis & Sanguinis sui comestione agere, spretisque audientium obloquutionibus eamdem rem acrius urgere cœpit: tunc denique intellexere Judæi, illum de tropica & spirituali comestione non loqui; cumque minime assequerentur, qua ratione datam fidem esset liberaturus, ejus verbis offensi discessere. Discipuli obloquentes ex Apostolis duodecim non erant, teste ℣. 68.

℣. 62. SCIENS JESUS APUD SEMETIPSUM, &c. Clam obloquebantur Discipuli (12), quamobrem Divina animum cognitione murmur illorum Jesus intellexit. Id satis esse debuit, ut loquentem hominem esse Deum agnoscerent (13); nihil esse quod illius vires superaret; fieri non posse, ut aut is in iis quæ dicebat quemquam falleret, aut ipse falleretur.

℣. 63. SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM? Si illa quæ de Carne mea meoque Sanguine comedendis loquor, molesta vobis sunt, vobisque incredibilia & quibuslibet viribus majora videntur, quid deinde dicturi estis de iis, quæ me ad Cœlum ascendente contingent? Quid futurum est, si dixero, me revocatum iri in vitam, atque in Patris dextera sessurum (14)? Vel: Incredibile vobis est quod dixi, exhibiturum me vobis Carnem meam & Sanguinem: at illud animo ne fingite, me illam in frusta vobis præbiturum, aut ita exhibiturum, uti belluarum carnes dari solent. Corpus meum in Cœlum tolletur, ac post Resurrectionem perpessionibus minime obnoxium & gloriosum vivet. Ita me vobis tradam, ut neque sensus neque ratio repugnent (15). Me scilicet sub panis vinique speciebus comedetis, sub quibus re ipsa & substantia futurus sum, unis tamen oculis fidei conspicuus.

℣. 64. SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT: CARO NON PRODEST QUIDQUAM. Me vitam promittente, si carnem meam comederitis, cavete id rudi crassoque modo usurpetis, quasi membratim laniandus sim atque ita distribuendus, uti fit in macello (16); aut cruorem meum vobis in cratere propinaturus, quemadmodum barbaræ gentes suis in cœtibus consuevere. Ab hac sententiæ explicatione mens mea penitus abhorret: *Caro non prodest quicquam*. Apud Scripturam (17) caro usurpatur pro crassa rei alicujus interpretatione. Si mentem meam assequi cupitis, promissaque a me vita frui, ad spiritalem magis explicationem animos erigite. *Spiritus est qui vivificat*. Sentietis certe, ea quæ

(1) Cyrill. Catech. 4. Mystagog. (2) 2. Petr. 1. 4. (3) Hilar. lib. 8. de Trinit. *Si vere carnem Corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem Corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus: quia Pater in eo est, & ille in nobis*, &c.
(4) Vide Iren. lib. 4. c. 34. Cyrill. Alex. lib. 4. in Joan. c. 14. & l. 10. cap. 13. & lib. 15. & Nyss. in Eccle. hom. 8. Damasc. de fide lib. 4. cap. 14. Amm. Theophyl. Euthym. hic; Chrysost. hom. 60. (5) Ita Chrysost. Theoph. Leont. Euthym. (6) August. hom. 26. in Joan. (7) Διὰ τὸν πατέρα ... δι᾽ ἐμέ. (8) Vide Grot. Lud. de Dieu, Bez. alios passim. (9) Joan. IV. 41. 42. *Propter sermonem ejus*, idest, *per sermonem*. Matt. II. 4. & XII. *Propter hoc erratis*, idest, *per hoc*. Vide & Hesiod. Thucyd. Demosth. apud Grot. & Lud. de Dieu hic. (10) August. serm. 2. de verb. Apost. Beda, Rupert. (11) August. in Psal. XCVIII. (12) August. Beda, Mald. (13) Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. hic, Theodor. Heracl. in Cat. Gr. (14) Mald. Brug. alii. (15) August. Beda Rupert. (16) Aug. tract. 27. *Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.*
(17) Joan. VIII. 15. *Vos secundum carnem judicatis.* Rom. VIII. 1. *Non secundum carnem ambulabant.* Et ℣. 6. *Prudentia carnis mors est.* Et ℣. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Et passim.

quæ vobis dixi, spiritum esse ac vitam: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Quid est spiritus & vita sunt* (1)? *Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter? spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.* Explicatio hæc simplex maxime ac literalis videtur.

Patres nonnulli (2) ita interpretantur: *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam.* Sola Jesu Christi Caro & Humanitas, a Divinitate sejuncta, neque sanctitatem neque vitam largiri potest: at Divinitas cum humanitate conjuncta salutem æternamque vitam affert. Alii (3) ita explicant: Caro spiritu vacua nihil prodest. Frustra Corpus Christi corporea ratione gustatur, nisi spiritus fidesque jungantur. Non mera Carnis meæ comestio vos Sanctos efficiet, sed eadem ipsa comestio, comite fide & charitate.

℣. 65. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Spectant hæc ad Judam cæterosque Discipulos, qui a Christo discessere, obmurmurantes: *Durus est hic sermo.* Fieri non posse putavere, ut Christus Carnem suam in cibum exhiberet, ipsaque Caro vitam ipsis esset allatura. Hæc Jesu Christi verba, quibus malam animi ipsorum præparationem, omnibus certe ignotam, se pervidere significabat, argumento erant luculentissimo, qua & Divinitas (4), & infinita ipsius sapientia demonstrabatur. *Sciebat* Jesus *ab initio*, cum nempe illos eligeret, indociles esse, suisque institutionibus excipiendis minime paratos. Hoc ille noverat, antequam obloquerentur (5), vel ex aliis (6), a tota æternitate. Norat qui sui essent; & qui vere fideles.

℣. 66. Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, &c. Hujus rei argumento est, quod non omnes crediditis. Si omnes vos elegisset Pater, & gratia traxisset, firma constantique fide omnes essetis. Cur vero non omnes traxit Pater? Magnum, inquit S. Augustinus Tract. 26. in Joan. gratiæ Dei mysterium. *Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare ... Non traheris, ora ut traharis.*

Græci Patres culpam omnem, quod increduli fuerint Judæi, illosque non traxerit Pater, in pessimam illorum voluntatem animique pertinaciam retorquent. Venire ad Jesum non poterant, quod vocationi Patris & institutionibus Filii obsequi nollent. S. etiam Augustinus (7) fatetur, credere illos Christo non potuisse, quia nolebant. *Quare autem non poterant credere* (Joan. XII. 39.) *si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant.* Pessima illorum voluntas meruit, ut illos obduraret Deus, scilicet obdurari pateretur, gratia minime suppeditata: *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo; sic enim excæcat, sic indurat Deus, deserendo & non adjuvando.*

℣. 67. Abierunt retro, atque illum sequi desierunt. Relicta Christi consuetudine (8), descivere a Fide, quam hactenus, Jesum Messiam esse confitentes, coluerant (9). Credere videntur S. Augustinus & Rupertus Abbas, simulatam fuisse illorum fidem, eosque perseverasse in cultu satanæ, ad quem pertinebant.

℣. 68. Numquid et vos vultis abire? Horum constantiam in fide firmissimam noverat Christus: at docere voluit, se non egere ipsorum ope, ut imperatum sibi a Patre opus expleret (10): licere pessimum fratrum exemplum sequi, se invitos non detinente. At simul illorum fidem accendit, fervorem excitat, detinetque quodammodo, dum ait: *Numquid & vos vultis abire?* An & vos ex iis estis, quos neque traxit, neque mihi dedit Pater? An e pessimorum Discipulorum numero, quorum fides nutans primo statim procellæ impetu naufragium passa est? Detinentur his verbis, non dimittuntur.

Ita Josue collectis ad instaurandum cum Domino fœdus Israelitis, ajebat cap. 24. 15. *Eligite hodie quod placet, cui servire debeatis, utrum Diis ... ego autem & domus mea serviemus Domino. Respondit que populus, & ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, & serviamus Diis alienis .. Dixitque Josue ad populum: Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis ... Dixitque populus ad Josue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus.* Eodem modo Christus hic Apostolos duodecim sibi arctissime devincit, dum in ipsorum potestate relinquit, ut sibi adhærescant, nec ne.

℣. 69. Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Consueto animi fervore & alacritate Petrus, nomine cæterorum loquens, pollicetur, se constanter illi ad finem usque adhæsuros (11): *Domine, ad quem ibimus?* Ubi bonum adeo Magistrum, parem defensorem, ac tam uberem bonorum omnium fontem nacturi? *Repellis nos a te: da nobis alterum te. Si a te recedimus, ad quem ibimus?* inquit S. Augustinus (12). Addit Petrus: *Verba vitæ æternæ habes;* alludens ad ea quæ dixit Christus ℣. 64. *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Spiritali modo usurpanda sunt, si vitam in illis nancisci cupis. Si, uti oportet, ea intellexeris, & opere expleveris, vitæ æternæque felicitatis fons tibi futura sunt.

℣. 70. Et nos credidimus, et cognovimus, &c. Totam Jesu Christi doctrinam probat Petrus his verbis: *Tu es Christus Filius Dei.* Verus igitur tu es, & erroris expers, fons vitæ, virtutis, sapientiæ: omnia igitur explere poteris, quæ libuerit: nihil tibi arduum est; tuaque Carne, & Sanguine tuo pascere nos poteris, ut dixisti, atque ita uti placuerit. Infinitæ Sapientiæ tuæ arcana minime penetrando: at illam & fateor & colo. Humili ac simplici fide præstolor, ut promissa expleas. *Credidimus* fide certissima, *& cognovimus* diuturna sapientiæ tuæ ac divinæ potentiæ experientia (13), te non merum esse hominem ac Prophetam, sed verum Messiam *Dei Filium.*

℣. 71. Unus ex vobis diabolus est. Nomine fratrum loqueris, Petre; quasi omnes eadem ac tu sentiant, omnesque efficienter traxerit Pater. Temere ne credatis. Duodenos ego vos ex cæteris Discipulis elegi: unus tamen e duodecim diabolus est, impius, infidelis, proditor. Præsenti animi fervori ne nimium fidatis, neque supra cæteros, qui recessere, efferamini. Qui stat, cadere potest (14); vosque ego moneo, unum e duodecim diabolum fore, & pejorem iis, qui a me descivere (15). Innuebat Judam, quem avaritiæ Dæmon jam occupabat. Is tamen nonnisi aliquod post tempus supremam sceleri suo manum imposuit.

[1] August. Tract. 27. in Joan. Vide Tertull. Maldon. Brug. Ver. [2] August. hic, Cyrill. Leont. Rupert. [3] August. serm. 6. de verbis Apost. Gaudent. tract. 6. in Exod. Paschas. Radb. lib. de Corpore, & Sang. Christi. [4] Cyrill. Leont. Theophyl. [5] Chrysost. Leont. Euthym. Maldon. [6] August. Beda, Rupert. Theophyl. [7] August. Tract. 53. in Joan. num. 6. *Quare autem non poterant credere (Joan. XII. 39.) si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit .. Et induravit cor eorum: etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando; quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* [8] Cyrill. Grot. Var. [9] Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Theod. Heracl. [10] Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Theod. Heracl. [11] Vide August. Chrysost. Theophyl. alios. [12] August. hic. Ita Beda, & Rupert. [13] 1. Joan. 1. 1. *Quod audivimus, quod vidimus, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* [14] 1. Cor. X. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et Rom. XI. 20. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* [15] Vide Cyrill. hic.

CAPUT VII.

Jesus clam Jerosolymam proficiscitur ad Festum Tabernaculorum. Non omnes illius necessarii ipsi credebant. Judæorum de illo disceptantium sententia. Oratio ad populum habita a Christo. Mittuntur qui Jesum capiant. Revertuntur satellites, neminem unquam ita locutum esse confitentes. Illum defendit Nicodemus. Illum Pharisæi Galilæum nuncupant.

℣. 1. POst hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam
ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus:
Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.
4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis,
manifesta te ipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper
est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Ut autem
ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed
quasi in occulto. 11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est
ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia
bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam
loquebatur de illo, propter metum Judæorum. 14. Jam autem die festo mediante,
ascendit Jesus in templum, & docebat. 15. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? 16. Respondit eis Jesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus
facere; cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. 18. Qui
a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui
misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere? 21. Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini. 22. Propterea Moyses
dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in sabbatho circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbatho, ut
non solvatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbatho? 24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Non ne hic est, quem quærunt interficere?
26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus? 27. Sed hunc scimus, unde sit: Christus autem cum
venerit, nemo scit, unde sit. 28. Clamabat ergo Jesus in templo docen, & dicens:
Et me scitis, & unde sim, scitis: & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit
me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.
30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? 32.
Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes, & Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. 33. Di it ergo eis Jesus: Adhuc modicum
tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit. 34. Quæretis me, & non
invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Judæi ad
ad semetipsos. Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? 36. Quis est hic sermo, quem dixit:
Quæretis me, & non invenietis: & ubi sum ego, vos non potestis venire? 37. In
novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit,
veniat ad me, & bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de
ventre ejus fluent aquæ vivæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi
erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat
glo-

glorificatus. 40. Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est vere propheta. 41. Alii dicebant: Hic est Christus: Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Christus? 42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? 43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? 46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisæi? Numquid & vos seducti estis? 48. Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? 49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: 51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat? 52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide, quia a Galilæa propheta non surgit. 53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

℣. 1. POST HÆC, AMBULABAT JESUS IN GALILÆAM. Post concionem superiori Capite recitatam, habitamque in Synagoga Capharnai, Jesus Capharnao egressus, Galilæam iterum peragrare instituit: quater enim vel quinquies antea jam totam peragraverat Christus, cæteris Evangelistis testibus. Intra Galilææ fines tunc sese continuit Jesus, Judæam vitans, Pharisæorum causa, qui summo in illum odio necem ipsi moliebantur (1). Inter rem superiori capite narratam, & alteram hanc præsenti descriptam, multa intercessere. Panes quinque multiplicavit Jesus, proximo Paschatis Festo. Altera die concionem habuit ad populum in Capharnai synagoga: statimque Joannes gradum facit ad festum Tabernaculorum, post menses a Paschate sex celebratum. Multa igitur supplenda sunt, uti ex quatuor Evangelistarum Concordia constat.

Pro (2) *Non volebat in Judæam ambulare*, Veteres nonnulli legunt (3): *Non enim poterat*, non licebat *in Judæa ambulare*. Publicas in Judæa conciones habere non audebat, quemadmodum in Galilæa, quod Judæi, Judæam proprie dictam, uti a Galilæa sejunctam, incolentes, necem ipsi molirentur, Sabbathum ab eo violatum causantes, justo nimirum paralytico mox sanato lectum tollere; illique crimini dantes, quod in concione, anno superiore Jerosolymis habita, se Deo æqualem, sibique Patrem Deum esse prædicavisset (4).

℣. 2. SCENOPEGIA. Agebatur Scenopegia, seu Festum Tabernaculorum, decimaquinta die mensis Tizri, qui mensis cum Octobri & Septembri congruit. Septimus hic erat anni sancti, & primus anni civilis. Ex Toynardo, dies xv. mensis Tizri cum 22. Octobris eo anno conveniebat. Festum *Scenopegiæ*, sive Tabernaculorum, nomen ducebat a tenturiis e frondentibus ramis, quæ in Templi atriis, publicisque plateis, & privatis ædium cortibus hortisque struebantur, sub quibus Hebræi dies octo agebant, memoria itineris, quod ipsorum majores in deserto habuerant, quo tempore per annos quadraginta sub pellibus vixere. E tribus Festis maxime solemnibus unum erat, per quæ Festa mares omnes Jerosolymam convenire jubebantur (5).

℣. 3. FRATRES EJUS. Fratres Jesu, de quibus hic mentio est, quidam illius necessarii ex carne sunt, vel a Josepho procreati, quippe cui liberos plures, ante Mariæ Virginis conjugium, Veteres tradidere (6); vel filii sororum Mariæ Virginis, ut aliis placet, & vulgo probatur. Putat hic Origenes, hos fuisse Jacobum, Joannem, & Simonem, procul dubio Apostolos: id quod credibile non videtur. Ex iis, quæ deinde tradit Evangelista (7), certo constat, nonnullos e Christi necessariis ex carne in illum minime credidisse: tres vero illi, quos diximus, fidem amplexi fuerant, atque inter præcipuos illius Discipulos recensebantur. Christum igitur hortantur necessarii, Jerosolymam proficiscatur ad Festum Tabernaculorum, ut Discipuli ab eo ibi ante annos duos & dimidium in Paschatis Festo electi (8), spectarent prodigia, quæ ab eo ubique gerebantur, ac magis magisque in fide confirmarentur. Probabilis certe prætextus: at potissimum illis propositum erat, ut micante Jesu Christi gloria, aliquod ipsis decus proveniret. Suum potius ea in re quam illius commodum quærebant (9).

℣. 4. NEMO QUIPPE IN OCCULTO QUID FACIT, ET QUÆRIT IPSE IN PALAM ESSE. Nemo enim clam sua agit, qui celeber esse cupiat. Græcus ad verbum fert (10): *Nemo enim in occulto quid facit, & quærit ipse in libertate esse*. Qui libere & secure loqui, in pretio & existimatione vulgo haberi, palam audiri & conspicuus esse, & convenientem Magistro ac Doctori dignitatem authoritatemque usurpare cupit, is in occulto non versatur (11). Parum est prodigia edere in Galilæa, in agro obscurisque oppidis, turbam inter rudem & credulam: Jerosolymam proficiscere, Provinciæ Caput, sapientes inter atque Doctores, in gentis universæ oculis ad Festum collectæ. Ibi famam nominis & existimationem tibi comparabis. Opus est missionem instituas Jerosolymis, Sacerdotum ac Synedrii authoritate.

℣. 5. NEC ENIM FRATRES EJUS CREDEBANT IN EUM. Veteres nonnulli (12) censuere, hos Jesu Christi fratres ex Apostolorum numero fuisse, nondum satis in fide confirmatos. At, uti animadvertimus in ℣. 3. alii erant illius necessarii, minime illi credentes. Cur vero non credebant? Hoc ipso fortasse, quod illius necessarii essent (13), atque ex illo indigna & carnalia expectarent.

℣. 6. TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT. Jesu Chri-

(1) Joan. v. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere.* (2) Οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν. (3) Cyrill. Οὐ γὰρ εἶχεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. Chrysost. Euthym. Οὐ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν. Erasmus, Grotius & Drusius putant, olim fuisse Vulgatam, *valebat*, mutatum deinde in *volebat*. S. Augustinus & Beda legisse videntur *valebat*, quamquam editi ferunt *volebat*. (4) Joan. v. 18. (5) Exod. xxiii. 16. Levit. xxiii. 34. Deut. xvi. 13. xxxi. 10. (6) Epiphan. hæres. 29. Leont. Cyrill. Euthym. (7) ℣. 5. *Nec enim fratres ejus credebant in eum.* (8) Joan. ii. 23. *Cum esset Jerosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat.* (9) Augustin. Tract. 28. in Joan. (10) Οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ, καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. (11) Vide Hamm. hic, & Grot. (12) Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym. (13) Chrysost. August. Theophyl. Mald.

Christi tempus Passio erat (15), qua ad infinitum gloriæ decus extolleretur (16). Tempus meum nondum adest. Ad Patris gloriam evehendus sum, ac supra cœlorum verticem ascensurus: at eo nonnisi per ærumnas & Crucem veniendum mihi est. Porro neutrum tempus advenit. Illius necessarii, ipsum Jerosolymam proficisci suadentes, id hoc sensu minime usurpavere. Putabant illi, hoc velle Christum, nondum adesse tempus sibi opportunum proficiscendi Jerosolymam (17): ipsis licere eum vellent. Hoc tamen loco cum aliis collato, in quibus de passione sua loquens Jesus, ait *venisse horam suam*, sive nondum *venire* (18), videtur & hic idem illud voluisse sub temporis sui appellatione: *Tempus meum nondum advenit*. Suis quidem necessariis, quibus nimirum nihil esset metuendum; licere proficisci cum vellent: nullum ipsis tempus esse non aptum aut opportunum.

℣. 7. ME AUTEM ODIT, QUIA TESTIMONIUM PERHIBEO, &c. Mundi iniquitatem, ambitionem, superbiam, doctrinam gestis & verbis damno: qui igitur fieri potest, ut ille me amet aut magni faciat? Vos autem, qui illi favetis, & assentimini, odisse non potest (19). *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret:* inquit Jesus, Apostolos alloquens Joan. 15. 19.

℣. 8. EGO NON ASCENDO AD DIEM FESTUM ISTUM. Diem Jesu Christo de mendacio dicit Porphyrius (20), quod sese iturum ad diem festum neget, cum id animo meditaretur, ac paucos post dies revera profectus fuerit. Accusationem ut diluant Interpretes, alii quidem (21) dixere, Christum prima die, quæ dies maxime solemnis erat, minime profecturum fuisse: ac revera profectus est circiter Octavæ dimidium (22): *Jam die festo mediante*. Alii (23), non profecturum ob eam causam, quam volebant necessarii, nimirum ut se ipse proderet, sibique gloriam compararet. Alio prorsus consilio illuc profectus est, ut obtemperaret Legi, populumque doceret.

Probavere alii lectionem aliam a Vulgata (24); *Ego nondum ascendo ad diem festum hunc:* nondum enim tempus meum venit. Vel: *Non ascendo nunc*, &c. At si olim Porphyrii ætate ita legebatur, nullus relinquebatur locus nequissimo Religionis hosti, ut Christum mendacii hoc loco accusaret. Vetusti Codices Græci quamplures, Latini omnes, S. Augustinus, S. Cyrillus, Syrus, Persa omnino cum Vulgata conveniunt, ac præsens Vulgatæ lectio edita prorsus orta videtur ex librariis, quibus succurrit, ut veritatem verborum Christi, vulgata lectione vitiatam, tuerentur.

℣. 10. NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO. Diebus aliquot post discessum fratrum, clam Jerosolymam se contulit, paucis comitibus, neminem docens, nulla in itinere prodigia gerens, nullum itineris nuncium evulgans. Fortasse etiam consuetum iter non tenuit, & per viam trans Jordanem profectus est Jerosolymam.

℣. 11. JUDÆI QUÆREBANT EUM IN DIE FESTO. *Judæos* hic intellige non indigenas provinciæ unius, quæ proprie Judæa dicebatur, alia a Galilæa, aut omnes Jerosolymæ incolas, sed Judæorum Proceres, Senatores, Scribas, Pharisæos (25). Hi Christum quærebant in advenarum ad Festum diem collectorum multitudine. Cur? ut insidias illi struerent, caperent illum, & interficerent (26). Id ex consequentibus constabit; ubi (27) & perspicies, populum in decreto Jesu Christi exitio cum Proceribus non consensisse.

℣. 12. QUIDAM DICEBANT, QUIA BONUS EST &c. Non Procerum Judæorum varia erat de Jesu opinio, sed vulgi, ex quo unusquisque ad conscientiam vel ad libidinem judicabat. Qui penitus illum noverant, bonum virum & Prophetam esse ajebant, alii, Sacerdotibus ac Pharisæis fidem habentes, impostorem asserebant: hoc tamen discrimine, quod qui maledicerent, libere ac secure; qui laudarent, clam & in occulto loquerentur (28). ℣. 13. *Nemo tamen palam* bene *loquebatur de illo, propter metum Judæorum. De omnibus servis ejus*, inquit S. Augustinus hic, *hoc dicitur modo. Quicumque eminet in aliqua gratia spiritualive profectu, alii dicunt, Quia bonus est; alii, Non, sed seducit turbas. Unde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.*

℣. 14. JAM DIE FESTO MEDIANTE, ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM. Jerosolymam venit Christus diebus aliquot post initium Festi, quod diebus octo celebrari solebat. Nemine conscio venit: at placatis nonnihil inimicorum odiis (29), Templum ingressus, docere cœpit eadem securitate, qua antea: ea re docens, posse se pessimam illorum voluntatem ac nequitiam pro libito coercere (30). Ajunt nonnulli (31), Christum venisse Jerosolymam prima solemnitatis die; at nonnisi circiter Octavæ dimidium se palam exhibuisse. Mihi quidem innuere videtur Evangelistæ narratio, illum nonnisi tertium circiter aut quartum diem venisse.

℣. 15. MIRABANTUR, DICENTES: QUOMODO HIC LITERAS SCIT? Mirabantur, quantopere Divinas Scripturas calleret Jesus, & quam apte ad res a se traditas applicaret. *Literas* hoc loco intellige Divina volumina; omnia quippe Judæorum studia in iis versabantur. Eruditissimi quique his addebant studium Institutionum a majoribus traditarum, quod apud illos quoddam Juris Canonici genus habebatur. Allegoricæ interpretationes quammaxime in usu erant, testibus Philone, Josepho, & Novi Testamenti Libris. Singulis hisce studiorum generibus excellebat Jesus; ac nemo unquam fuit, qui majori dignitate & eloquentia disputaret, atque allegoria & parabolis aptius uteretur. Cum nemo unquam Scripturarum sensum melius pervaserit, nemo pariter opportunius illas adhibuit, expletamque illarum fidem ostendit.

Id eo magis mirabantur Judæi, quod is nunquam in scholis fuisset, nullius sectæ esset, nullumque Præceptorem privatim audivisset. Docebat authoritate quadam (32), quam ne ipsi quidem inter Rabbinos clarissimi usurparent, qui verba Legis, & Præceptorum institutiones servili quadam ratione sequentes, incertis, ut ita dicam, gressibus, ac manu a majoribus ducti, incedebant. Animadverte, gentis Proceres Jesu Christi eruditionem eo dumtaxat admirari, quod is nunquam didicerit (33). Clausa illi inter hos fines admiratione, minime satagunt rebus ab eo traditis proficere; negliguntque dictorum veritatem scrutari, atque in rem suam convertere.

℣. 16. MEA DOCTRINA NON EST MEA, sed Patris mei. Jesus qua homo verissime ajebat, doctrinam a se uti Deo traditam, suam ipsius non esse (34); quemadmodum Legatus Regis sui nomine loquens, vere diceret: Mea oratio non est mea, sed

[15] Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Mald. [16] August. Beda, Rupert. [17] Apollinar. in Cat. Gr. [18] Joan. VII. 30. *Nondum venerat hora ejus.* VIII. 10. *Necdum venerat hora ejus.* XIII. 1. *Sciens Jesus quia venit hora ejus.* [19] Chrysost. August. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. Beda, Rupert. [20] Apud Hieron. lib. 2. contra Pelag. [21] Eucher. Chrysost. Cyrill. August. Ammon. Mald. Tir. [22] Infra ℣. 14. [23] Vide Rupert. Maldon. Ligfoot. [24] Ita plurimi Codd. Gr. impressi: Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, Alii, οὐκ ἀναβαίνω νῦν. Alii, οὐκ ἀναβαίνω ἄρτι. Ita Chrysostom. [25] Leont. Theophyl. Maldon. Grot. [26] Chrysost. Cyrill. Theoph. Euth. [27] ℣. 15. 20. [28] August. Beda, Maldon. alii. [29] Ammon. Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. [30] Augustin. Beda. [31] Maldon. Ligfoot. alii quidam. [32] Matth. VII. 29. *Erat docens eos tamquam potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.* [33] Chrysost. Theoph. Euthym. [34] August. lib. 1. de Trinit. cap. 11. 12. Ambr. lib. 2. de fide cap. 4. alii.

sed illius a quo missus sum: hic per me loquitur. Ita Prophetæ usurpabant. *Hæc dicit Dominus*: Meo ex ore jussa Domini excipite. Jesu Christi eruditionem admirabantur Judæi, quippe quem in scholis non fuisse scirent: quamobrem luculentissime ostendit Jesus, sese a Præceptore invisibili eductum; Præceptorem esse Patrem suum, seu potius Divinitatem in ipso residentem, junctamque hypostatice humanitati, vero luminis eorum illis micantis fonti.

℣. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, &c. Periculum facere cupitis eorum quæ dico, atque experiri, ego ne ex me ipso, an Deus in me loquatur? Dei voluntati obsequimini, ejus jussa servate, Deum diligite ac proximum; pessimas adversus me opiniones & odia exuite: statim futurum spondeo, ut doctrinam meam Cœlestem Divinamque esse fateamini (35). Ex inimicis osoribusque, Discipuli & cultores mihi efficiemini. Profecto cur Scribæ ac Pharisæi non agnoverint, Jesu Christi orationes verba vitæ esse, maxime in causa fuit animi corruptio, cupiditatum licentia, divinarumque sanctionum neglectus.

Putat S. Augustinus (36), Jesum id a Scribis ac Pharisæis exigere, ut sibi credant, eamque esse Dei voluntatem, cui obtemperare illos jubet. Si nosse cupitis, meam doctrinam non esse meam, sed a Patre meo proficisci, fide illam excipite, statimque intelligetis, me Verbum illius esse, Sapientiam, ac Filium: *Noli quærere intelligere ut credas; sed crede ut intelligas: quoniam si non credideritis, non intelligetis*. Prior explicatio simplex magis & literæ serviens est.

℣. 18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Alter periclitandi modus, vera ne sit Doctrina mea, & an uti meros homo disputem: nimirum causa qua ad loquendum moveor, & id quod ipse mihi loquendo proposui (37). Si meam ipse gloriam quæro, si idcirco loquor, ut famam aucuper, meæque superbiæ & ambitioni satisfaciam, aut hujus vitæ commoda mihi augeam, me uti impostorem falsumque Prophetam rejicite: sin Divinæ unius gloriæ causa laboro, veros illi cultores quæro, hominesque horror, ut Deum ament, illique serviant & obediant, nulla mei ratione; si ego illa ipsa doceo, quæ veri illius servi docuere, nihilque præter Legis perfectionem, ejusque sanctionum obsequium mihi ipse propono, iniquum est, ut me saltem verum Prophetam esse non fateamini. Quod si cætera missionis ac potentiæ meæ argumenta, a me vobis exhibita, addideritis, crimine non caretis, si verum Messiam me ac Dei Filium non agnoscitis.

Injustitia in illo non est; fraus nimirum & mendacium (38). Verax est & sincerus, mendacii expers & doli.

℣. 19. Nonne Moyses dedit vobis Legem? Pervidebat Christus imas Pharisæorum mentes, cæterorumque inimicorum, a quibus ipse vulgo apud cæteros impostor esse dicebatur. Sua illi odia honesto ea velamine tegebant, quod is Sabbathi religionem negligeret. Si missus a Deo esset, ajebant, Legem non violaret (39): violat autem, Paralytico imperans, ut Sabbatho lectum tollat Joan. 5. 9. missus igitur a Deo non est. Cumque is eloquentia, eruditione, falsisque prodigiis ad plebem fallendam abutatur, ipsa Religio postulat, ut impellatur in necem, tum uti Sabbathi reus Num. 15. 35. tum uti falsus Propheta & impostor Deut. 13. 1. 9. Ita Pharisæi.

Pessimam hanc argumentationem ut evertat Christus, ait: Si reus mortis sum, Sabbathi violati causa, quod hominem eo die sanaverim, eumque auferre lectum jusserim, nihilo levior est vestrum omnium culpa, qui puerum ea die circumciditis, id quod majoris operæ est ac minus utile, quam quod ego Sabbatho gessi. Sin nullius vos criminis reos creditis, initiato circumcisione puero die Sabbathi, cur me damnatis, qui hominem ab annis octo & triginta morbo laborantem Sabbatho curavi? Quid istud est, nisi pondus & pondus, mensura & mensura? Si lenibus adeo sententiis in re vestra utimini, cur non etiam erga cæteros (40)?

℣. 20. Respondit turba, et dixit: Dæmonium habes. Multitudo, cum Sacerdotibus ac Pharisæis minime consentiens, ac libentissime Jesum audiens, necem Jesu parari ignorabat Jo. v. 18. Quamobrem non videns, quid sibi vellent illa, *Quid me quæritis interficere*? temere respondet: *Dæmonium habes: quis te quærit interficere*? Nihil hac cogitatione alienius. Ex sua ipsorum sententia judicium de cæteris ferebant (41). At optime intellexere Sacerdotes ac Pharisæi, quid ipse vellet.

Veteres plerique (42) censuerunt, Sacerdotes ipsos ac Pharisæos, qui necem Jesu Christo molientes, mala animi sui consilia patuisse intelligebant, dixisse: *Dæmonium habes: quis te quærit interficere*? At prior interpretatio verior videtur. *Dæmonium habere*, non semper est, a malo Dæmone revera occupari, sed insanum esse, furere. Ipsemet populus omnes mentis turbationes Dæmoni authori tribuebat, veteresque Prophetas non raro ejus vitii accusavit, quos veluti insanos & atra bili actos habuit.

℣. 21. Unum opus feci, et omnes miramini. Redditam die Sabbathi ante menses decem & octo Paralytico incolumitatem significat Joan. 5. 9. *Mirari* autem sonat non simplicem innoxiamque admirationem, sed turbas, agitationem, seditionem. Turbati estis, atque offensi, quasi magnum aliquod flagitium patraverim (43).

℣. 22. Propterea (44) Moyses dedit vobis circumcisionem. Idem ipse Moyses & circumcisionis & Sabbathi Leges vobis tradidit: Sabbathum violatis, ut serveris circumcisionem: Leges igitur Moysis moderationem, exceptionem, explicationem aliquando patiuntur; tunc scilicet, cum duo concurrant præcepta, quæ simul servari nequeant; vel cum majoris boni gratia Lex ritualis negligitur, ut altera ad mores pertinens impleatur. In eo autem quod gessi, cum lex charitatis cum Sabbatho, Divina Lex cum Mosaica concurrerent, quarum altera servari non posset absque alterius dispendio, æquum esse censui, ut levior graviori cederet, redderem incolumitatem homini, & gloriam Deo compararem, potius quam Sabbathi quietem, ritualem scilicet legem, servili more vererer. Vide ℣. 23.

Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus, Hæc intra parenthesis notas claudenda sunt. Cum circumcisionis Legem a Moyse latam dixi, non illud asserui quod revera se habet. Circumcisio ritus est a Patriarchis traditus, a Moyse dumtaxat in Lege renovatus: hanc tamen Sabbathi religioni interdum anteponitis, quamquam Sabbathi Legem Deus ipse Moysi dedit: cur igitur Sabbathi quietem verear, ubi de inviolabili agitur cha-

(35) Chrysost. Theoph. Euthym. Rupert. Maldon. Brug. Tir. (36) Aug. Beda hic. (37) Chrysostom. Leont. Theoph. Euthym. Grot. Brug. Maldon. (38) Rupert. Grot. Maldon. Brug. alii. (39) Joan. IX. 16 *Non est hic homo a Deo, qui sabbathum non custodit*. (40) Vide Chrysostom. Cyrill. Theoph. Euthym. Leont. Theod. Mopf. Rupert. Maldon. Grot. Brug. (41) Leont. Maldon. Brug. Grot. (42) Chrysost. Theophyl. Cyrill. Euthym. August. Rupert. (43) Ita August. Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Grot. Maldon. (44) Theophylactus τὸ *propterea*, addit in fine ℣. superioris, ita: Ἓν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο. Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν. Quæ lectio probabilissima videtur, & Bezæ, Casaubono, Maldonato, Hammondo, aliisque probatur.

charitatis lege, qua unusquisque jubetur alteri indigenti opem ferre, ac privatam religionem ex alterius necessitate metiri? Quem sanavi, paralyticus erat ab annis octo & triginta, cui nemo postulatam opem exhibere curavit. Reus igitur in eo sum, quod charitatem colere maluerim in simili rerum articulo, quam merum ritum servare, qui Lex Mosaica proprie non sit.

℣. 23. Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ut non solvatur Lex Moysi, vel, quin Mosaica Lex violetur: cur nefas erit, hominem Sabbatho sanare? Tunc solummodo puer circumcisione initiabatur Sabbatho, cum ea dies in octavam diem ab ortu pueri concurrebat: quo casu, obsequio Legis, circumcisionem octava ab ortu die imperantis, eadem Sabbathi die circumcisio peragebatur, *ut non solveretur Lex Moysi*. Circumcisionis exemplum Jesu Christo mire favet. Quemadmodum enim illi dicere poterant Christo: Cur paralytici curationem vel ante vel post Sabbathum non peregisti? eodem jure poterat Christus respondere: Cur eadem vos religio non tenet in circumcisione? An pluris est simplex ritus, quam charitatis exercitatio? Circumcisio, cum revera Lex Mosaica non sit, solverit Religionem Sabbathi, quæ a Deo imperatur?

Totum hominem sanum feci. Circumcisione amputabatur ex homine carnis particula, quæ Hebræis opprobrium & labes existimabatur (44). Amputationi huic opponit Christus sanitatem homini membris omnibus capto restitutam. Si fas est, circumcisione amputare ex homine probrosam labem, qua miscetur cum cæteris gentibus Israel, multo potius reddenda est incolumitas homini membris omnibus languido. Alii ita explicant (45): *Totum hominem sanum feci*; paralyticum anima & corpore sanavi. Vide supra v. 14. 15. ubi Christus hominem monet, ne deinceps peccet, alioqui multo pejora passurus.

℣. 24. Nolite judicare secundum faciem. Veram Legis mentem percipite, deque gestorum bonitate aut malitia judicium ferte ex rationibus multo nobilioribus, non ex indignis, servilibus, ac literæ servientibus. Discite, Legem, qua quies Sabbatho imperatur, inferiorem esse charitatis Lege. Aliter: Necujus rationem judicando habueritis (46), odio, gratia, cupiditate vacui judicate. Omnem adversus me simultatem exuite, uniusque veritatis & justitiæ curam habetote (47): rem a me gestam omnino laudabitis, uti debetis, non damnabitis.

℣. 26. Numquid vere cognoverunt Principes, quia hic est Christus? Græcus fert (1): *Numquid vere cognoverunt Principes, quia hic est vere Christus?* Turbæ Christum audientes, ex triplici hominum genere coalescebant; I. ex Senatoribus, Sacerdotibus; Pharisæis, certissimis Jesu Christi inimicis; II. ex Jerosolymitanis civibus, qui mala Procerum consilia adversus illum norant; III. denique ex Judæis advenis, qui ad Festum coiverant, ipsum cupidissime audientibus, a quibus pessima Senatorum, Sacerdotum & Pharisæorum voluntas ignorabatur. Hac oratione Christus semper fere verba facit ad inimicos. Judæi advenæ sunt, qui, dicente Christo, ℣. 20. *Quid me quæritis interficere?* admirati, putavere, furere illum, & dixere: *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* Denique Jerosolymitani, cum tranquille illum audiri conspicerent, vi nulla illi adhibita, ipsum a populi Principibus pro Christo agnitum censuere.

℣. 27. Sed hunc scimus unde sit. Hæc infimum vulgus sibi objiciebat. Credibile non est, hunc esse Messiam; novimus quippe, hic unde sit, at unde venturus sit Messias, ignoratur. Hæc populi argumentatio Scripturis nititur, duplicem Messiæ ortum sive generationem tradentibus, alteram æternam, & hominibus ignotam (2); alteram temporariam, certo tempori, loco, familiæ addictam. Gemina hæc turbas in animis vulgi ciebant, a rudioribus minime explicatas (3). Ineffabilem æternamque Verbi generationem significant, ubi ajunt, minime perspicuum fore, unde venturus sit Messias, & quo tempore proditurus. At ℣. 42. alii temporarium Messiæ ortum innuunt, iis verbis: *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Ista non pugnant: docent solummodo, ex variis hisce Prophetarum de Messia oraculis, confusas in animis vulgi opiniones ortas esse.

℣. 28. Et me scitis, et unde sim scitis. Turbæ de Jesu loquentes dixerant: *Hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit*. Subdit Jesus: Omnino, me nostis, & unde sim nostis; scitis quis ego sim, quod ad hominis naturam pertinet: parentes & genus meum vos non latent; at ex parte dumtaxat me agnoscitis: alia quippe mihi origo est, vobis ignota: *A me ipso non veni*; ex Patris æterni, *qui misit me*, sinu prodii: *verus* ille testis est, qui exhibitis coram prodigiis satis ostendit, qui ego sim. *Quem* tamen *vos nescitis*, imo neque illum neque me. Me meumque genus vobis plane perspectum esse censetis: at moneo, me nonnisi ex minima parte nostis: ignoratis, quis ego sim, unde veniam (4).

Græci Patres (5) aliter interpretantur: Nostis quis ego sim, nedum ex hominis natura; verum etiam me esse Messiam ac Dei Filium scitis, quamquam per summam malitiam atque invidiam dissimulatis. Latere vos non possunt, quæ Baptista de me prædicavit, aut prodigia a me gesta, quæ ipsi vidistis, ejusmodi certe, quæ nemo nisi Dei Filius patrare queat. Nulla relinquitur ignorantiæ vestræ sive dissimulationi excusatio.

Recentiores nonnulli (6) ita explicant, quasi ironice dixerit, sive addita interrogantis nota, qua negatio continetur. Nimirum, me nostis, atque unde sim scitis. Profecto qui fieri potest ut me noveritis, cum generatio mea ineffabilis sit & incomprehensibilis, & is qui me misit, a vobis penitus ignoretur? His certe argumentis prorsus constat, me a vobis optime agnosci. E tribus hisce interpretationibus priorem præfero.

℣. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum (7). Latini Codices nonnulli in versiculi hujus calce addunt illa ex Capite VIII. 55. *Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax*. Qua Deus, ex Patre natus sum: qua homo, ab illo missus (8): *Ab ipso, inquit, sum, quia Filius de Patre; & quicquid est Filius, de illo est, cujus est Filius ... Quod autem videtis me in carne, ipse me misit*, ait S. Augustinus. Et: *Ubi audis, ipse me misit, noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis authoritatem*.

℣. 30. Nemo misit in illum manus. Illum neque Sacerdotes & Pharisæi ipsius inimici, neque populus liberis illius sermonibus irritatus (9), tenue-

(44) Josue v. 9. *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis*. Genes. xxxiv. 14. (45) Aug. Beda, hic. (46) Deut. i. 17. xvi. 19. Clopenburg. in Synop. (47) Chrysost. Cyrill. Leont. Theoph. Euth. Aug. Beda, Mald. Gros. (1) Græci Codices editi legunt: Μή ποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός; At alterum ἀληθῶς in Codicibus quampluribus desideratur. (2) Vide Isai. LIII. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Mich. v. 2. *Egressus ejus a diebus æternitatis*. (3) Aug. Leont. Theoph. Brug. (4) Ita fere Aug. Beda, Rupert. (5) Chrysost. Leont. Apollinar. Theoph. Euthym. Mald. (6) Brug. Grot. Beza, Camer. Gloss. (7) Ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, *Quia ab ipso sum*. Steph. Tanaq. Faber, Casaub. legunt εἰμι: *Ab ipso eo*, vel, *procedo*. Sed tamquam poeticum, & Apostolis incognitum rejicit Grotius. (8) August. Beda, Euth. Mald. (9) Leont. Cyrill. Theoph. Euthym.

tenuere: cum Jesus divina, quæ pollebat, auctoritate malas illorum voluntates refrænaverit, & violenta ingenia coercuerit, expleta scilicet nondum hora, quam Pater ad illius Passionem destinaverat (10).

℣. 31. De turba multi crediderunt in eum, cum dicerent: Ubi Messias venerit, majora his his facere non poterit. Multitudo Christum audiens, ex triplici, uti diximus in ℣. 26. hominum genere coalescebat: I. ex Judæorum Proceribus; II. ex Jerosolymitanis civibus; III. ex advenis ad festum confluentibus. Hos fortasse postremos significat hic Evangelista (11). Hi credidere Jesu Christo, illumque prodigiorum causa Messiam esse agnoverunt. Argumentum ex prodigiis omnium est maxime luculentum, & ingenio populi aptissimum.

℣. 32. Miserunt Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. Sacerdotes ac Pharisæos hactenus coercuerat seditionis metus in populo orituræ, si Jesum caperent. At omnia denique fregere patientiæ repagula, ubi sensere illum a multitudine Messiam dici, quod ea ederet prodigia, quæ nemo unquam edidisset, aut majora esset editurus. Ista quidem prodigia minime narrat Joannes: et alibi monet, edita esse ab illo innumera, quæ apud Evangelistas non leguntur (12). Verebantur Sacerdotes & Pharisæi, ne universa tandem multitudo Jesum sequeretur, ipsis penitus derelictis (13).

℣. 33. Adhuc modicum tempus vobiscum sum, &c. Cum divina, qua utebatur, cognitione intellexisset Jesus, missos clam e Sacerdotibus ac Pharisæis satellites, a quibus teneretur, nihil veritus, loqui perseveravit, ac monere, se captum et detentum iri, cum sibi libuerit: pessimam inimicorum voluntatem, conatus, insidias sibi explorata esse; at nullam ipsis in se potestatem fore, nisi quam ipse conantibus fecerit. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, inquit: vitæ meæ tempus ad finem vergit; ad Patrem, e quo missus sum, redeo: nulla vobis ante tempus potestas futura est: me iniquissime insectamini, atque e vestro cœtu ejicitis: me præsente, debacchamini. At aliquando *quæretis me* (℣. 34.), *& non invenietis: & ubi ego sum*, quo ego proficiscor, *vos non potestis venire*. Post menses sex ab hac ipsa die, qua loquebatur (14), interficiendus erat Christus.

℣. 34. Quæretis me, et non invenietis. Cum obiero & resurrexero, me quæretis, ut me insectemini, & in exitium impellatis: odia & vindictam in Apostolos meos exercetis; at nihil adversus me valebitis; neque ubi ego fuero, vobis eo venire licebit. In cœlis futurus sum, loco vestris conatibus inaccesso (15). Sive: Gravibus adeo angustiis olim opprimemini, ut, inanibus tamen serisque desideriis, optaturi sitis, aliquem inter vos Prophetam mei similem surgere, qui vos & consiliis & ope tueatur. Qui mihi credent, præsentem me vel uno die cupient, incredibilium malorum, quibus obruentur, solatio. Hoc ipsum Luc. 17. 22. dicit: *Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii Hominis, & non videbitis*. Atque hic-ait, 23. idem Apostolis repetit. Favent hæc magnopere iis, qui bonam in partem explicant hæc verba: *Quæretis me*. Videre, audire, alloqui cupietis, &c. Locus denique est ut credamus, Judæos ipsos incredulos ac pervicaces, spectatis patriæ ac Templi excidio, facere non potuisse, quin hoc esse intelligerent justissimam scelerum suorum pœnam, præsertim odii, quo Christum & Apostolos iniquissime exagitavere (16).

℣. 35. Quo hic iturus est? ... docturus gentes (17), Ethnicos? Superba erat Hebræis persuasio, indignos esse Ethnicos, qui Dei verba docerentur: oderant illos, ceu populum diris devotum atque a Deo derelictum. Nequaquam credebant fieri posse, ut verus Domini Propheta ad gentes hasce imperat, suisque libidinibus relictas proficisceretur. Res penitus inaudita Israeli erat, e priscis Prophetis quemquam ad externos missum esse, exclusis Judæis.

Sunt (18) qui reddant (19): *Numquid in dispersionem Græcorum iturus est, & docturus Græcos?* Ad Judæos nempe, qui inter gentes Græcosque versantur: Hebræi enim universas terrarum gentes in tria genera dispescebant; in Judæos, Græcos, & Barbaros. Dispersionem Græcorum seu gentium appellabant Judæos, in Græcorum barbarorumque provinciis dispersos (20). Dispersio trans Euphratem, Barbarorum erat; cis Euphratem, Græcorum, atque ad Imperium universum ab Alexandro Magno conditum, in Græciam, Syriam, Ægyptum, Asiam Minorem porrigebatur. Regiones hæ singulæ Judæis innumeris frequentabantur. An hic Alexandriam, Antiochiam, aliamve Græcorum ad urbem profecturus est, Judæosque ibi versantes docturus? An sese odiis injuriisque nostris subducturum asserit, matura in aliam regionem fuga? Illic ne se minime a nobis inventum iri ait? Aptissima omnium videtur hæc explicatio: *Docturus Græcos*, sive Hellenistas? Jerosolymitani Judæi, quique Judæam provinciam incolebant, efferebantur supra cæteros ex Judæis, qui inter Ethnicos vitam agerent: hi quippe e Templo aberant, atque omnino necesse erat, ut ex gentium consuetudine labe aliqua inquinarentur.

℣. 37. In novissimo die magno Festivitatis. In maximis Judæorum solemnibus, quibus Octava addebatur, primus ac postremus dies maxime omnium celebrabantur (21): ac plerumque iis diebus peculiares ritus, & extraordinaria sacrificia peragebantur (22). In Tabernaculorum Festo, per quos dies ista contigerunt, deferri solebant ad Templum solemni pompa, musicos inter concentus, vasa duo, alterum aquis fontis Siloes, alterum vino plenum, ex iisque per septem Festi dies, dum sacrum matutinum fieret, pes Altaris holocaustorum rigabatur (23). Hunc morem spectasse nonnullis (24) creditur Christus, cum edita voce in Templo clamaret: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: similis futurus est urnis istis argenteis aqua Siloes plenis, ad Templum delatis, quarum ex ventre aquæ vivæ fluunt. Messiæ institutiones crebro a Prophetis cum salubribus aquis, ac fonte vitæ comparantur (25): atque ipsemet Christus Samaritanæ mulieri dixit, sese aquam vivam hominibus propinare Joan. 4. 10. quæ futura est bibentibus fons saliens in vitam æternam. Idem est ex hac aqua bibere, atque in ipsum credere.

℣. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vi-

(10) Ita Patres & Interpp. passim. (11) Ita Rupert. Mald. (12) Joan. xxi. 25. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse.*
(13) Joan. xi. 48. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Vide Aug. Amm. Leont. Theoph. Euthym. Bedam, Rupert. (14) Euthym. Brug. Pisc. Toynard. (15) Theod. Heracl. Vide & Rupert. & Mald. Brug. Grot. (16) Ita Chrysost. Theoph. Leont. Euth. (17) Ita Chrysost. Cyrill. Leont. Theoph. Euth. Aug. Beda, Rupert. Vat. Brug. Mald. (18) Bez. Pisc. Drus. Lud. de Dieu, Ligfoot. Hor. Talm. Grot. Hamm. (19) Εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας.
(20) Jacob. 1. 1. 1. Petr. 1. 2. (21) Levit. xxiii. 36. *Dies octavus erit celeberrimus atque sanctissimus.*
(22) Mischna, tit. Sucha c. 4. & 9 (23) Bartenora in cap. 4. Mischn. tit. citato. (24) Hamm. Grot. Ligfoot. Toynard. not. pag. 147. Scheringham not. in Joan. 41. (25) Isai. lv. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Et Is. xii. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris, &c.*

vivæ. Membrum hoc partim explicavimus in superiori. Quæritur hic, quo referenda sint hæc verba: *Sicut dicit Scriptura*. Non pauci (26) cum superioribus jungunt: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura*; scilicet, qui perfecte credit, ut oportet, atque uti docet Scriptura. Plerique tamen ad consequentia referunt. Qui credit in me, fons aquæ vivæ futurus est, fluminis instar exundantis, uti dicit Scriptura. Spiritum Sanctum significabat, quo abundaturi erant credentes, quemadmodum ipse noster Evangelista. Quærendi igitur sunt Scripturarum loci, in quibus Spiritus Sancti effusio in Apostolos ac Fideles aquæ vivæ ac vehementis fluvii nomine significatur.

Luculentissimum habet Isaias 44. 3. *Effundam aquas super sitientem* terram, *& fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam*. Ezechiel 36. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri*. Iterum Isaias 58. 10. *Implebit* Dominus *splendoribus animam tuam, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ*. Joel 2. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt, &c.* Locos hosce omnes spectabat Christus, nullo expresse recitato, quemadmodum passim solet, ubi generica e Scripturis testimonia laudat.

Fidem, uti diximus, idipsum est quod a Christo dicitur, bibere aquam vivam. Quo autem modo is qui credit, fons est, ex quo aquæ vivæ fluenta manent? Quæ fluenta? Sunt (27) qui censeant, Evangelicam esse prædicationem, qua orbis universus impletur: alii (28) charitatem malunt, quæ in omnes homines effunditur. Quidam (29) interpretantur gaudium Spiritus Sancti, mentes ab eo occupatas inundans. Quamplures denique (30) omnia Spiritus Sancti dona sub hac appellatione intelligunt: atque hæc interpretatio certissima omnium, & cum reliqua oratione maxime consians videtur.

℣. 39. NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS SANCTUS DATUS (31), QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS. Totus hic versiculus intra parenthesim claudendus est. Cum Joannes quamdiutissime post Spiritus Sancti in Apostolos die Pentecostes lapsum scriberet, animadvertit, Christo illa dicente, nondum ab eo missum Spiritum Sanctum; nondum enim in vitam redierat Christus (32), nondum gloriosus, nondum ad Cælos ascenderat; sive ex Chrysostomo, nondum fuerat crucifixus (33). Cum aquæ vivæ fluenta promitteret iis qui sibi crederent, eo verborum involucro Spiritum Sanctum, facta deinde Pentecostes die in eos lapsum, pollicebatur. Illos quodammodo gratiæ suæ donis obruit, ejusque donorum effusio per illos in gentes universas manavit, fluminis instar exundantis, atque omnia late arva mergentis.

℣. 40. HIC EST VERE PROPHETA, Vel, ex Græco (34): *Hic est vere Propheta* ille, quem promisit Moyses Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus*. Sub Prophetæ hujus nomine quamplures Messiam, alii merum Prophetam præstolabantur, at excellentiorem iis, qui deinde post Moysem claruerunt. Quamobrem, teste Evangelista ℣. 41. *alii dicebant: Hic est Christus*.

℣. 41. NUMQUID A GALILÆA VENIT CHRISTUS? Hoc objiciebatur iis, qui Jesum Messiam esse existimabant. Nihil reponi objicientibus poterat. Prophetæ luculentissime prædixerant, Messiam e Tribu Juda, familia Davidis, & Bethlehem urbe oriturum. At si rem serio, uti decebat, perpendissent, omnino intellexissent Judæi, implevisse Jesum tum hoc, tum cætera, quæ apud Prophetas tradita fuerant. Nullus illis erat excusationis locus, cum Jesu Christi ortum & genus non scrutarentur.

℣. 44. QUIDAM VOLEBANT APPREHENDERE EUM. En quam varia essent de Jesu Christo Judæorum judicia. Hi impostorem clamabant; illi Prophetam: nonnulli Messiam; alii hominem perniciosissimum, e Republica tollendum.

℣. 46. NUNQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO. Nemo hac suavitate & vi, hac authoritate & eloquentia disputavit. Nemo unquam acrius adeo animos permovit ac persuasit. Missi a Sacerdotibus ac Pharisæis Satellites eodem, quo domini, odio non agebantur. Simplices docilesque illorum animos Deus dono Fidei remuneratus est. Agnovere illi Jesum naturæ esse humanæ superioris, cum dicerent, merum hominem ita loqui non posse, ut is loquebatur. *Non enim quisquam sic loquitur homo: ille autem sic locutus est, quia Deus erat & homo*, inquit S. Augustinus (35).

℣. 47. NUMQUID ET VOS SEDUCTI ESTIS, ut vulgus? Impostorem, imperitamque multitudinem, quam nostra consilia, sequi mavultis? (℣. 48.) *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit Legem*, capi illius sermonibus potuit. Pessima collectio. Legis periti Jesu non credunt: Jesus igitur Messias non est. Ut recte concluderent, dicendum fuit: Legisperiti, serio perpensis moribus Jesu, prodigiis, institutionibus, animis prorsus cupiditate & odio vacuis, minime probavere, quod in moribus flagitium, in institutionibus errores, fraudem in prodigiis invenerint. Quis autem, præter derisionis discrimen, ita de Jesu Christo concluderet?

℣. 49. TURBA HÆC, QUÆ NON NOVIT LEGEM, MALEDICTI SUNT. Cur maledicti? Quia Legem neque callent, neque colunt (36), juxta illud Moysis effatum Deut. 27. 26. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus*. Judæorum Doctores (37) dicere videntur, infimum vulgus esse Deo execrabile, resurrectione vitaque æterna indignum, nisi tamen Sapiens aliquis sollicitus de illo sit, illudque commendet Deo, obsequiorum causa, quæ sibi ab ipso præstantur.

℣. 50. DIXIT NICODEMUS, idem ille, qui nocte Jesum convenit Joan. 3. 2. UNUS EX IPSIS, &c. Mosaica Lege cautum diserte non est, ne quis inaudita causa damnetur; at ubique ita agit, ut hoc juris naturalis principium religiose servatum pateat. Æquius nihil quæri poterat in re adeo gravi, cum ageretur, rejiciendus esset Jesus nec ne, an uti Messias excipiendus.

℣. 52. NUMQUID ET TU GALILÆUS ES, & Jesu Galilæo faves? Qua fronte defendis hominem, qui se parem Deo, Dei Filium, Christum, tametsi Galilæus, adeoque a Tribu Juda & familia Davidis alienus, asserat? Quasi aliquis Bethlehemi ortus; atque ex Tribu Juda, familiaque Davidis satus, sedes in Galilæa habere nequiverit.

A GALILÆA PROPHETA NON SURGIT. Sive (38), *A Galilæa Propheta ille*, excellentiæ causa dictus: *non*

(26) Chrysost. Leont. Theoph. Euth. Heins. Jac. Capell. Hor. Talm. (27) Greg. lib. 18. in Job c. 22. & homil. 2. in Ezech. Rupert & Ammon. hic, &c. (28) Aug. Beda, hic. (29) Ammon. hic, & Basil. in Ps. 45. (30) Origen. homil. 12. in Num. Chrysost. Leon. Euth. hic, Mald. Brug. Vat. Ligf. Grot. alii. (31) Gr. Οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι, &c. Quædam addunt, δεδομένον. Plures omittunt, ἅγιον. Ita Arm. Copht. Syr. Origen. Cyrill. &c. (32) Origen. in Matth. tom. 12. & in Joan. Greg. homil. 26. in Evang. & Aug. hic, tract. 32. (33) Chrysost. homil. 50. in Joan. (34) Οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης. (35) Aug. Beda. (35) Rupert. Bruge Grot. Mald. (37) Vide Drus. Grot. hic, Pocok. not. in Maimon. portam Mos. (38) Ὅτι ὁ Προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται.

non est oriturus. Neque Messias, nequealius quisquam Propheta ex Galilæa oritur. Quam ob rem? Quia nullum unquam Prophetam edidit Galilæa. Falsa & inepta conclusio. Nahum ortu Galilæus erat, quamquam originem e Tribu Simeonis duceret. Jonæ patria *Geth opher*, in Tribu Zabulonis (39). Sunt qui Malachiam eidem Tribui, & urbi *Suphæ* adscribant. Ad hæc, male colligitur, prophetam nullum oriturum ex ea regione, quæ nullum hactenus ediderit (40). Denique tametsi omnia Pharisæis demus, minime consequitur, Jesum non esse Messiam, quippe quem neque ortu neque genere Galilæum fuisse, certo scimus.

℣. 53. REVERSI SUNT. Versiculus hic, & priores duodecim Capitis consequentis quamplurimis in Codicibus desiderantur.

(39) 4. Reg. xiv. 25. Josue xix. 13.

(40) Grot. Brug. Mald.

C A P U T VIII.

Adultera mulier ad Jesum ducitur. Pharisæorum pervicacia. Judæi filii diaboli. Mortem Jesu Christo moliuntur. Optavit Abraham Christi adventum in terras intueri: vidit, & gavisus est. Jesus Christus Abrahamo antiquior. Lapidibus obruere. Jesum tentant Judæi.

℣. 1. JEsus autem perrexit in Montem Oliveti: 2. Et diluculo iterum venit in tem-
plum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. 3. Addu-
cunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt
eam in medio, 4. Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in
adulterio. 5. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo
quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus
autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseverarent
interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in
illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. 9. Audientes
autem hæc, unus post unum exibant, incipientes a senioribus: & remansit solus Je-
sus, & mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus dixit ei: Mulier, ubi
sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit? 11. Quæ dixit: Nemo, Domine.
Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & jam amplius noli peccare.
12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur
me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pha-
risæi: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. 14.
Respondit Jesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est
testimonium meum: quia scio, unde veni, & quo vado: vos autem nescitis, unde
venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem judicatis: ego non judico quem-
quam: 16. Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed
ego, & qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum ho-
minum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso:
& testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei: Ubi
est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sci-
retis, forsitan & Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazo-
phylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora
ejus. 21. Dixit ergo iterum eis Jesus: quæretis me, & in peccato vestro moriemi-
ni. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi: Numquid
interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et
dicebat eis: Vos de deorsum estis; ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis,
ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis ve-
stris: si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Di-
cebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui & loquor vobis. 26.
Multa habeo de vobis loqui, & judicare: sed qui me misit, verax est: & ego, quæ
audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus
dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc
cognoscetis, quia ego sum, & a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc
loquor: 29. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego,

quæ

quæ placita sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in
eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis
in sermone meo, vere discipuli mei eritis. 32. Et cognoscetis veritatem, & veritas
liberabit vos. 33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus
umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? 34. Respondit eis Jesus: Amen, amen
dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. 35. Servus autem
non manet in æternum: filius autem manet in æternum. 36. Si ergo vos filius li-
beraverit, vere liberi eritis. 37 Scio, quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me in-
terficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego, quod vidi apud Patrem
meum, loquor: & vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responde-
runt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit ei Jesus: Si filii Abrahæ estis,
opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veri-
tatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo; hoc Abraham non fecit. 41. Vos
facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati,
unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset:
diligeretis utique me, ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim a me ipso
veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non po-
testis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis; & desideria patris
vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non
est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est,
& pater ejus. 45 Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex
vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non
estis. 48. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia
Samaritanus es tu, & dæmonium habes? 49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non
habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. 50. Ego autem non
quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet. 51. Amen, amen dico vobis: si
quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt
ergo Judæi: Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, &
Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem
in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est?
& Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis? 54. Respondit Jesus: Si ego glo-
rifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos
dicitis, quia Deus vester est, 55. Et non cognovistis eum, ego autem novi eum:
Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & ser-
monem ejus servo. 56. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum:
vidit, & gavisus est. 57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos non-
dum habes, & Abraham vidisti? 58. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, an-
tequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum:
Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

℣. 1. JESUS AUTEM PERREXIT IN MONTEM OLIVETI. Suprema Festi Tabernaculorum die Joan. 7. 37. cum diu in Templo docuisset, Jesus sub vesperum urbe egressus, in montem Olivarum secessit; quo in monte noctem cum Apostolis agere solebat, fortasse ne obnoxius esset Pharisæorum insidiis, qui ipsum capere moliebantur. Duodecim priores Capitis hujus versiculi in Codicibus Græcis Latinisque quampluribus, ipsa S. Hieronymi ætate (1), desiderabantur; eosque non legerunt Græci Patres plerique. Ex Interpretibus in Catena Græca collectis, tribus nempe & viginti, nemo hos explicavit. Omisere Origenes, S. Chrysostomus, Nonnus, cæterique. Asserit Maldonatus, inter Græca Exemplaria, quæ ipse consuluit, nullum fuisse, in quo hæc narratio legeretur, præter unum dumtaxat, Leontii Commentaria continens: imo Leontius ipse in Commentariis prorsus illam præterit; Græcusque Textus hujusmodi Commentariis additus, obelis hoc loco notatur, ut intelligas, apocrypham esse narrationem. Codices alios laudat Millius, hac narratione carentes. Illam Armeni e Bibliis suis penitus delevere; Syriaca versio in Polyglottis Parisiensibus ac Londinensibus, ac vetus versio Gothica Ulphilæ non ferunt. Historia hæc de fœmina adulterii rea legebatur olim in Codicibus S. Maræ Episcopi Amidæ, quippe qui illam in Commentario suo exponit; monet vero Barsalitas non legi in aliis Syriacis Codicibus, atque illa, quam ferebat Codex Maræ, satis multum differt ab illis quæ extant in aliis editionibus Syriacis Polyglottorum, & in editione Syriaca Romæ 1703. vulgata. Addit Barsalitas eandem historiam a vetustis commentariorum scriptoribus Syris non exponi. Syris, inquam, nam de Græcis alia ratio est, ut constat ex Tatiano, & Hammonio in suis harmoniis, S. Athanasio in Synopsi, in epitome Evangelii

[1] Hieron. lib. 2. contra Pelag. cap. 6. *In Evangelio secundum Joannem in multis & Græcis & Latinis codicibus non invenitur de adultera muliere, &c.*

gelii S. Joannis, ex S. Chrysostomo homil. in Joan. pag. 60.

Vetusti quidam Græci Codices illam hoc loco non habent; sed alii ad calcem Capitis XVI. Lucæ (1), alii ad calcem Evangelii (2): In nonnullis a reliquo Textu peculiaribus notis distinguitur. Apud alios codices in ora libri legitur, vel minoribus literis describitur. Euthymius hic, initio sæculi duodecimi florens, illam in Commentariis interpretatur; at in libris optimæ notæ desiderari, vel obelo distingui asserit; quapropter, inquit, adscripta videtur, vel addita. S. Chrysostomus, quem patroni hujus narrationis recitant, in Latina quidem versione homiliæ LX. in Joannem, mulieris adulteræ meminit; minime tamen in Græco, ubi illud habet dumtaxat quod Pharisæi a Jesu quæsivere, liceret ne uxorem qualibet ex causa repudiare. Vide Matthæum XIX. 3.

Narrat Eusebius hist. Eccl. lib. 3. cap. 39. Papiam Joannis Evangelistæ Discipulum sententias orationesque quamplures ex Apostolorum ore collegisse, quæ in Evangeliorum libris non legerentur; inter cæteras vero *& aliam historiam de muliere multorum flagitiorum accusata apud Dominum. Quæ historia*, inquit Eusebius, *in Evangelio secundum Hebræos continetur*. Hæc Eusebii verba Eruditis quibusdam scrupulum injecere, præsens ne de adultera narratio ex Joanne primum, an ex Papia, ingenii nullius homine, an denique habeatur ex Hebræorum Evangelio, quo, uti constat, incerta quamplura & apocrypha continebantur. Pugnat pariter in illius sinceritatem ingens variarum lectionum numerus, quæ in duodecim prioribus capitis hujus versiculis, quam in cæteris Evangelii hujus locis, frequentiores inveniuntur (3). His adde Græcarum & Orientalium Ecclesiarum consensum, quarum multis in Libris desideratur (4). Ista sunt quæ in hujus historiæ sinceritatem objiciuntur.

His respondemus, Codices Codicibus, Græcis Græcos, Latinus & Orientales Latinis & Orientalibus opponendo. E libris septem & decem, quos habebat Theodorus Beza manu exaratos, unus dumtaxat narrationem hanc non ferebat. Præsto illi erat Cantabrigiensis Codex celeberrimus ac vetustissimus, apud quem olim hæc legebatur. Libri omnes, quibus usus est Robertus Stephanus, non pauciores quam sexdecim; editi omnes, innumerique manu exarati; plerique eorum, quos vidit Millius, illam exhibebant. Latinum Codicem, in quo ea desideretur, nullum novimus. Quod ad Syriacos, Arabicos, Cophticos attinet, plures fortasse sunt qui eam ferunt, quam qui omisere.

Græci Patres, Joannem interpretati, locum hunc præteriere, sive quod perspicuus magis esset, quam explicationn indigeret, sive quod ipsorum in libris non haberetur. Tatianus, qui anno circiter CLX. Jesu Christi floruit LX. post Joannis Evangelistæ obitum, & Ammonius anno ferme CCXX. Jesu Christi, & CXX. post Joannem scribens, narrationem & agnovere Canonicam, & in Evangelica Concordia, ab utroque concinnata, ex qua desumpsit Eusabius, Tabulis seu Canonibus inserendam, recitavere. Illam omnino excipit S. Hieronymus (5), quippe quam adversus Pelagianos torquat, Non semel in libris suis ea utitur S. Augustinus (6). Vetus Apostolicarum Constitutionum Anthor ejusdem meminit (7); itemque Synopsis S. Athanasio adscripta, uti & S. Ambrosius (8), cæterique Latini Patres pro opportunitate. Concilium denique Tridentinum (9), cum omnes singulasque res, in Exemplaribus Vulgatæ contentas, Canonicas esse pronunciaverit, locum hunc cum cæteris in Canonem excepit; eumdemque, uti authenticum, Critici plerique eruditissimi, etiam Heterodoxi (10), amplectuntur.

Unde autem fit, ut Libri veteres sam multi, præsertim Græci, hunc locum non ferant? S. Augustinus (11) factum esse ait, *ut nonnulli modicæ fidei, vel potius inimici veræ fidei, credo, metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferreat de codicibus suis: quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit: Jam deinceps noli peccare*. Alii censuere, ex Evangelio secundum Hebræos in Joannis Evangelium migrasse; sive a Papia in ora libri descriptum, deinde in Textum irrepsisse. Hisce conjecturis locum fecere verba Eusebii, quæ recitavimus. At non satis liquet, utrum de muliere hac adultera eo loco agat Eusebius, illud dumtaxat scribens, narratam a Papia *historiam de muliere multorum flagitiorum accusata apud Dominum; quæ historia in Evangelio secundum Hebræos contineretur*. Non meminit Eusebius mulieris de adulterio dumtaxat delatæ; quam narrationem in Evangelio secundam Hebræos recitatam fuisse, nullo argumento discimus.

Grotius, qui eam primitus a Joanne descriptam negat, ait, traditam Discipulis viva voce ab Apostolis, at in Evangeliis omissam, quod facile inde calumnia arripi posset, traducendi Christianos apud Magistratus, quasi evertentes publica judicia, quibus stare videtur Reipublicæ salus. Contra defendit Millius (12), narratam a Scriptore Evangelii secundum Hebræos ex eorum fide qui ab Apostolis didicarant, variisque adjunctis ornatam, uti plerumque in his rebus usu venit, descriptam deinde a Joanne in Evangelio ex accuratissima veritate, quippe cujus rei testis ipse fuerat, spreto vel ignorato protsus Evangelio secundum Hebræos. Deinde cum sciolus aliquis eam narrationem Joannis Evangelio ex Evangelio secundum Hebræos additam putaverit, adjecto veru notasse, veluti dubiam, ab alio demum audaciore expunctam. Ita sensim in Græcis Codicibus desiderari incepisse: cumque nonnisi uti apocryphus locus habaretur, effusa passim licentia corruptam, & minori obsequio studioque, quam reliquas Evangelii partes, fuisse descriptam. Hinc vero ortas tam multas varias Lectiones, quæ hoc loco inveniuntur.

℣. 3. ADDUCUNT EI MULIEREM IN ADULTERIO DEPREHENSAM. Scripsere nonnulli (13), mulieri huic nomen fuisse Susannæ, decrepiti senis Manassis uxori, eamque in Hispania, quo Jacobum Apostolum secuta fuerit, sanctissime obiisse. Fabulæ!

℣. 5. IN LEGE MOYSES MANDAVIT NOBIS HUJUSMODI LAPIDARE. Falso dicitur Moyses quodlibet adulterii genus lapidibus damnasse. Adulterium generatim tum in viro tum in fœmina morte plectebatur (14). Quo autem mortis genere? Elisis faucibus, inquiunt Rabbini (15); quo quidem supplicio animadverti solebat in reos, ubi supplicii genus minime definiretur. Siqua puella viro sponsa, nondum nupta, pudicitiam suam violari patere-

[1] Ita Cod. Leicestr. apud Mill. & Paris. 6. apud Kuster. [2] Codd. Reg. 1879 & 1583. [3] Vide Sixt. Sen. lib. 1. Grot. Bez. Hammond. Jan. Cleric. Cajetan. [4] Vide Selden. Uxor Hebr. lib. 3. cap. 14. [5] Hieron. lib. 2. contra Pelag. [6] August. hic, Tract. 32. & lib. 2. de adult. conjug. cap. 6. & 7. & lib. de vera & fals. pœnit. cap. 13. & Ep. olim 54. nunc 153. & lib. de consens. Evang. cap. 10. & alibi. [7] Constit. Apostol. lib. 2. cap 24. [8] Ambros. lib. 3. de Spirit. S. cap 2. & lib. 7. Ep. 58. & lib. 9. Ep. 76. [9] Concil. Trid. sess. 4. de Script. Canon. [10] Calvin. Gomar. Selden. Uxor Hebr. lib 3. cap. 11. Mill. not. in hunc loc. alii. [11] Augustin. lib. 2. de conjug. adult. cap. 7. [12] Mill. Prolog. 25. 252. 253. & 592. [13] Vide Julian. Presb. t. Annal. Hispan. Hebr. apud Euseb. Nierembetg. de orig. sacr. Script. lib. 11. cap. 5. [14] Levit. XX. 10. Deuter. XXII. 22. [15] Misna, tit. Sanhedrin cap. 10.

teretur, lapidibus conficiebatur Deuter. 22. 23. Si vero filia esset Sacerdotis, viva comburebatur Levit. 21. 9. Id tamen non usque adeo servatum est. Ezechielis ætate, ipso teste cap. 16. 38. interdum adulteri lapidibus perimebantur. Eo supplicio affecti creduntur duo illi Senes, qui Susannæ vitium inferre tentaverant Dan. 13. 62. scilicet ex talionis lege. Fatentur Rabbini (17), lapidum pœnam interdum in adulteros fuisse usurpatam.

Seldenus (18) & Fagius (19) arbitrantur, mulierem, de qua hic agitur, ex iis fuisse, de quibus in Deuteronomio 22. 22. sancitur his verbis: *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui*. Favet huic sententiæ pœna lapidum in Lege expressa, quam urgent accusatores; & indulgentia, qua Christus erga illam utitur, illatam illi injuriam innuit, quamquam non prorsus innoxiæ, cum illam monuerit: *Vade, & jam amplius noli peccare*.

℣. 6. Ut possent accusare eum. Quæritur, cur Judæi mulierem hanc in adulterio deprehensam ad Christum duxerint. Respondent (20), adempta tunc temporis Judæis judiciorum capitalium facultate, illud esse molitos, ut Jesum cum Pilato Romanisque committerent, si eam lapidibus obruendam esse pronunciaret, cum hujusmodi flagitia Romanis Legibus morte non damnarentur; sive cum populo Legis studiosissimo, si negaret; sive cum Pharisæis cæterisque Sapientibus traditionum tenacibus, si lapidibus conficiendam diceret; quippe traditio mulierem antea moneri jubebat, ut deinde ex Legis severitate animadverti in illam posset. Alterum illi laqueum structum ab iis fuisse, censent Patres (21). Tentavere scilicet Judæi, utrum aliquid adversus Mosaicam Legem iis esset pronunciaturus, ut arrepta opportunitate ipsum, ceu Legi Deut. 13. 1. perniciosum, lapidibus opprimerent.

Digito scribebat in terra, quasi accusantes non audiret, atque aliud ageret (22). Græci Codices quidam addunt (23): *Digito scribebat in terra simulans*, sive (24) *dissimulans* intelligere se sermonem Pharisæorum & Legisperitorum, inquit Grotius. Scribere se simulabat, ajunt alii (25), lineas confuse describens, veluti per ludum. Videtur S. Ambrosio lib. 7. ep. 58. sententiam aliquam exarasse, qua obruerentur probro accusatores, puta ex Jeremia 22. 29. *Terra, terra, terra, scribe viros istos derelictos*; vel alteram (26) ab ipso pronunciatam, apud Matthæum 7. 3. *Vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides*. Putat S. Hieronymus (27), illum uniuscujusque illorum, omniumque hominum peccata in pulvere descripsisse. Bedæ & S. Thomæ hic placet, eadem ab illo exarata fuisse verba, quæ deinde is surgens protulit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Minime dubitat Grotius, quin descripserit Christus sententiam aliquam dignam quæ memoriæ mandaretur; at nullam tradit. Aptior huic rei nulla mihi videtur, quam illa ex Psalmo 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*.

℣. 7. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Docent Hebræi, virum aut fœminam, adulterii judicio convictos, duci consuevisse super terræ tumulum ita editum, ut vulgarem hominis staturam bis æquaret; ibique constitutos seminudos, manibus post terga vinctis, a testibus præcipites impelli consuevisse. Si ex lapsu expirarent, inquiunt, ulterius non sæviebatur; secus, ingens in illos lapis ab iisdem testibus advolvebatur, quo conficerentur. Quod si necdum expirassent, spectatorum manu lapidibus obruebantur. Ita lapidum supplicium agebatur, ex Rabbinis. At nihil tale Moyses tradit. Ubi is de lapidum supplicio meminit (28), ipsumque supplicium reis illatum ubi describitur (29), ubique legimus sontem extra urbem ductum, primumque lapidem a testibus jactum, præsentibus deinde cæteris certatim sævientibus.

Cum ex Judicum sententia reus non damnaretur, populusque, minime servata judicii forma, aliquem perimeret *judicio zeli*, quod vulgo dicebant, reus non semper extra urbem trahebatur, sed ibi lapidibus obruebatur, ubi occurreret. Ita Ananus (30) intra Jerosolymam confectus est; Zacharias inter Templum & Altare (31): Judæi lapides rapuerant, ut Jesum ipsomet in Templo obruerent Joan. 8. 59. Atque omnino hi, qui mulierem in adulterio deprehensam ad Jesum duxere, noluisse videntur omnes judicii formas servare, eamve ad Pilatum deferre, quippe quam ille ex Romanis Legibus morte damnaturus non fuisset. Oppressissent statim *judicio zeli*, quod Judicis sententiam minime expectabat. Idem illi in Levitam Stephanum servavere. At pessimo creandæ Jesu Christo molestiæ, ejusque capiendi consilio, furorem suum adversus mulierem, Christi sapientia & clementia deinde mortis discrimine & peccato liberatam, aliquandiu continuere.

Jesus, ut flagranti in mulierem illorum furori arma detraheret, pessimamque eorumdem in se voluntatem confunderet, ait: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Cum sanxerit Moyses, ut adulteros lapidibus obruatis, non repugno: at cavete, ne, dum alios damnatis, sententiam in vos ipsi pronuncietis (32): serio ipsi perpendite, velletis ne eam in vos exerceri severitatem, qua ipsi cæteros insectamini. Non illud vult Christus, opus esse, ut, qui adversus alium testatur, ipse penitus expers sit culpæ. Id si esset, servari non posset Lex, qua cavetur (33), ut testes in reum ante cæteros animadvertant. Hoc saltem postulat, ut eodem illo crimine non teneatur (34). *Non modo accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est is*, inquit Cicero in Verr. orat. 5. *qui quod in altero reprehendit, in eo ipse reprehenditur*.

℣. 8. Iterum scribebat, ut antea, sive ut innueret, nolle se hac de re cognoscere; sive ut illorum iniquitatem objurgaret, morali aliqua sententia in pulvere exarata; seu denique illorum peccata in pulvere scribens, quemadmodum Codices nonnulli ferunt (35), & credidisse videtur S. Hie-

[17] Vide Kimchi. Grot. hic. [18] Selden. Uxor Hebr. lib. 3. cap. 11. [19] Fagius ad Deut. xxii. 22. [20] Vide Grot. Brug. Ligfoot. Pisc. alios. [21] August. hic, Beda, Rupert. Euthym. Ambros. lib. 7. Ep. 58. & lib. 9. Ep. 76. nunc Ep. 25. & 28. [22] Euthym. Beda, Mald. Brug. Bez. Pisc. [23] Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν προσποιούμενος. Ita Mss. quatuor. [24] Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν μὴ προσποιούμενος. Ita Codd. Mss. fere 20. apud Mill. hic. Ita Euthym. [25] Maldon. Brug. Zeger. [26] Ambros. lib. 9. Ep. 78. [27] Hieron. lib. 2. contra Pelag. Ita fere Haimo, & Raban. & Ms. Græc. N. T. a Vangesyl. laudatus, Comment. ad Sotam pag. 51. Τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας. [28] Deut. xiii. 10. xvii. 7. xxi. 21. xxii. 21. 24. &c. [29] Num. xv. 35. Deut. xxii. 24. Josue vii. 25. Act. vii. 57. [30] Joseph. de bello lib. 4. cap. 7. pag. 882. in Lat. [31] Matth. xxiii. 35. & 2. Par. xx. v. 21. [32] Rom. ii. 1. *In quo enim alium judicas, teipsum condemnas*. [33] Deut. xvii. 7. *Manus testium prima interficiet eum*. [34] Mald. Grot. Brug. Le Clerc, Menoc. alii. [35] Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας. Ita legunt Cod. Colleg. olim Emmanuelis; Usser. 2. Bodl. 7. Cod. Evang. penes nobilem Hungar. teste Vagenseil. ad lib. Sota pag. 33. apud Mill. hic.

S. Hieronymus lib. 2. cap. 6. contra Pelag. *Scribebat in terra, eorum videlicet qui accusabant, & omnium peccata mortalium.*

℣. 9. AUDIENTES AUTEM, UNUS POST UNUM EXIBANT. Græcus in editis libris addit (36): *Exibant, cum a conscientia redarguerentur*. Hæc tamen verba in plerisque Exemplaribus non leguntur. Credibile est, metuisse illos, ne sua ipsorum probra a Christo aperirentur, convincerenturque magis rei quam mulier, quam ipsi accusabant; quippe non semel experti, imas animi cogitationes latebrasque ab illo pervadi.

REMANSIT SOLUS JESUS ET MULIER IN MEDIO STANS, vel loci, vel Discipulorum, vel multitudinis circumfusæ: cum enim audis, Jesum mansisse solum, cave id absolute intelligas; sed solum a Pharisæis, qui technas Christo structuri venerant, & mulierem accusaverant (37).

℣. 11. NEC EGO TE CONDEMNABO. Mulieris flagitium non probat Christus, sed damnat, juberque amplius non peccare (38). Sed cum non idcirco venerit ut judicet, aut judicis more sententiam de aliorum peccatis ferat, rerumque hujusmodi cognitio ad ministerii sui munus non pertineat (39), mulierem dimittit, eamque a se damnatum iri negat. Fortasse, uti animadvertimus, rei adjuncta gravitatem & horrorem peccati valde minuebant. Christus cum ista probe nosset, secretamque mulieris pœnitentiam perspiceret, ex iis temperavit ea quæ circa illam & accusatores gessit.

℣. 12. ITERUM LOCUTUS EST EIS JESUS. Institutam ad populum concionem intermiserat Christus ob Pharisæos, qui adulteram mulierem adduxere. Vide supra ℣. 1. 2. Illis igitur cum probro, & muliere cum venia dimissis, iterum alloqui multitudinem exorsus est.

EGO SUM LUX MUNDI. Unus ego universos terrarum homines illumino Joan. 1. 4. præter me, tenebræ. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* ignorantiæ, infidelitatis, peccati; *sed habebit lumen vitæ;* fidem scilicet, qua veluti face utetur iter monstrante, & mortis discrimen removente. Non ad Judæos dumtaxat missus sum: universis late gentibus lucem affero (40). Messias sub lucis appellatione apud Prophetas significatur Isai. 60. 1. *Surge, Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Et 49. 6. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Iterum 9. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Se ipse Christus lucem persæpe appellavit.

℣. 13. TU DE TE IPSO TESTIMONIUM PERHIBES, &c. Aderant etiam in concione Pharisæi, animadvertentes omnia, quæ a Jesu dicebantur; illique resistere exorsi sunt a testimonio, quod ipse de se tulit, inquient: *Ego sum lux mundi.* Si tibi asferenti fidem haberi vis, exhibe argumenta, quibus dicta probes. Temerarium est, tuis unius verbis credere. Sapiens ac modestus vir se ipse non laudat, sed laudari a cæteris vult. Ambitiosum atque ineptum est, si quis se ipse commender. Æquus satis judex nemo sibi est. Facile nobis ipsi indulgemus, quia nos ipsi præter modum diligimus. Probabile nonnihil hac in ratiocinatione sentitur. Quod addunt, *Testimonium tuum non est verum*, præter dubitationem non est. Se quisque melius nosse debet, quam alter, ac fieri potest, ut ea sinceritate sit, qua suas ipse virtutes ac vitia fateatur.

℣. 14. ETSI EGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE ME, VERUM EST TESTIMONIUM MEUM. Cur verum? *Quia scio unde veni & quo vado.* Si homo essem nullius authoritatis, ignotus, temerarius, qui nullo argumento prædicarem, me lucem esse mundi, atque in tenebris non ambulare illum qui me sequatur, meque a Deo missum esse, ut populos doceam & corrigam, merito me rejiceretis, meumque testimonium, utpote ex me uno profectum, nullius ponderis esse diceretis. At ego *scio unde veni & quo vado.* Missionis meæ argumenta exhibeo. Non ita venio, ut falsi Prophetæ, dicentes, Hæc dicit Dominus, cum Dominus locutus non fuerit Ezech. 22. 28. Ego ex Patre meo profectus, ad illum revertor. Quæ hactenus egi, argumentum sunt eorum quæ loquor. Plura dicerem, si percipere plura possetis: *vos autem nescitis unde venio & quo vado* (1). Nihil plane intellecturi estis, si dixero, me Deum esse ex Deo, Lumen de Lumine, Patris Sapientiam ac Verbum; lapsumque in terras, ut homines servem, in Cœlos reversurum, ut æterno ibi regno fruar. Sublimiora sunt hæc, quam a vobis percipiantur.

℣. 15. VOS SECUNDUM CARNEM JUDICATIS. Arduum vobis est credere, me conditione majori esse, quam videor. Cum falsam de Messia opinionem geratis, humani ortus mei humilitas, meæque vitæ obscuritas vobis offensioni sunt (2). Cum dico, me Deum esse ac Dei Filium, hoc ipsum vobis impium videtur: nimirum ex carne, ex rerum specie (3), ex præjudicatis opinionibus sententiam fertis.

EGO NON JUDICO QUEMQUAM. Iniquum & præceps in me judicium ipsi pronunciatis. Cum in exteriori specie, quam præ me fero, dumtaxat hominis obscurissimi figuram intueamini, inde colligitis, eum non esse me quem præstolamini Liberatorem. Præcipitia vestra temeritatemque judicando non imitor (4). Neminem damno indicta causa. Ea in vos non utor judicii severitate, qua possem. Indulgentiæ nunc tempus est ac misericordiæ: vindictæ ac severitatis consequetur (5).

℣. 16. ET SI JUDICO EGO, JUDICIUM MEUM VERUM EST. Si causa incognita, sine teste, authoritate, dignitate judicarem, judicium meum merito rejiceretis: at præsto mihi sunt omnia, quibus judicii mei veritas confirmatur; testimonium Patris, cujus cognitio falli, æquitas corrumpi non potest. Naturalis rerum omnium conditarum judex ipse est, ac nemo illius potestati subducitur. Igitur si ex Patre meo sejungi nequeo, nihil certe judicio meo deest, quo illius veritas ostendatur: minime tamen judico, neque damno; quippe qui *non veni ut judicem mundum, sed ut salvetur mundus per me.* Jo. 12. 17.

℣. 17. IN LEGE VESTRA SCRIPTUM EST, QUIA DUORUM HOMINUM TESTIMONIUM VERUM EST (6). Si ex hominum duorum testimonio negotium quodlibet definiri Lex jubet, quamquam frequentissima sunt multorum exempla, qui per fraudem aut errorem in sceleris defensionem conspiravere (7); quanto magis ego & Pater, qui unus Deus sumus, testimonium, judicium, ac sententiam in vos ferre possemus, si ultionis tempus adesset?

℣. 18. EGO SUM QUI TESTIMONIUM PERHIBEO DE ME IPSO: at non unus ego de me testor: testis accedit Pater. Duo igitur mihi ut homini testes præsto sunt (8).

(36) Καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι. Vide Mill. hic. (37) Maldonat. Grot. Brug. alii.
(38) August. hic: *Ergo & Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem.* (39) Joan. III. 17. *Non misit Deus filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Vide & Luc. XII. 14. *Quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* (40) Ammon. Chrysost. Theodor. Mopf. Leont. Theophyl.
(1) Hæc non leguntur in quamplurimis vetustis Codicibus. Mill. (2) August. Ammon. Theophylact. Leont. Euthym. (3) Vide sup. Joan. VII. 24. & Grot. Brug. hic. (4) August. Beda, Rupert. Brug.
(5) Vide Chrysost. August. Leont. Theophyl. Euthym. Maldon. (6) Deut. XVII. 6. *In ore duorum, aut trium testium peribit qui interficietur.* Deut. XIX. 15. *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*
(7) Adversus Nabothum, 3. Reg. XXI. 13. Susannam, Daniel. XIII. 34. S. Stephanum, Act. VI. 11. ipsumque Jesum Christum, Matth. XXVI. 60. 61. (8) Vide Maldon. & PP. hic.

℣. 19. Ubi est Pater tuus? Putavere nonnulli, Pharisæos istud a Jesu Christo quæsivisse, contumeliæ causa, quasi illum ex adulterio natum dicerent (8). At credibilius multo est, ipsos illius mentem optime assequutos. Intellexerant olim, ipsum in illud incumbere, ut Deum sibi Patrem esse demonstraret, quamquam id nihilo luculentius dixerat Jo. 5. 18. At aliquid ex eo elicere conabantur, quod apud populum impie dictum esse criminarentur; ut arrepta opportunitate ipsum lapidibus obruerent, vel saltem multitudinem, illius sermonibus captam, ab eo seducerent (9).

Neque me scitis, neque Patrem meum. Si Patrem novissetis, intelligeretis omnino, illum in Cœlis esse & inconspicuum, atque ab homine mortali corporeis oculis videri non posse; neque si cognosceretis, quis ego sim, Deum ac Dei Filium, istud ex me non quæreretis. Me igitur agnoscite, antequam rogetis quis mihi Pater (10): *Qui enim videt me, videt & Patrem* Jo. 14. 9. Et: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*; unius quippe cum illo essentiæ sum.

℣. 20. Gazophylacio. Animadvertit Ligfootus, tredecim fuisse in atrio mulierum arcas, quibus oblata Templo munera excipiebantur. In hoc atrium mulierum ducta ad Jesum est fœmina in adulterio deprehensa. Arcæ prope fores stabant. Vide animadversa in Marcum xii. 41. Porticus erat in atrium istud desinens, ubi interdum Jesus populum docens sedebat.

℣. 21. Dixit eis iterum Jesus: Ego vado, et quæretis me. Hoc ipsum elapso die minitatus fuerat Jo. 7. 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non invenietis; & ubi ego sum, vos non potestis venire.* Addit hic futurum, ut in peccato suo moriantur: *In peccato vestro moriemini*, infideles ac pervicaces. Vide animadversa supra vii. 33. 34.

℣. 23. Vos de deorsum estis. Cum dico, illuc me proficisci, quo vos sequi non potestis, id imperite usurpatis, quasi significem, me, ut vestris me injuriis subducam, mihi necem consciturum ℣. 22. Hoc ipsum argumento est, animos vobis esse terrenos, nihilque nisi carnali modo intelligere. Ego quidem aliud plane vobis loquor, atque aliter rem intelligo (11). Moriturus sum, ubi definitum morti meæ tempus accesserit: ad cœlos, unde sum lapsus, ascendam: frustra tunc me quæretis, sive ut me insectemini, sive ut clementiam meam imploretis: ad me accedere, ullamve molestiam mihi creare nequibitis: surdas precibus vestris aures præbiturus sum, uti vos me monentem vocantemque neglexistis. Terga vobis dabo, uti vos mihi: *In peccato vestro moriemini*.

℣. 25. Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis (12). Ægre ferentes Pharisæi libertatem & minas, quibus loquebatur Jesus, irati quæsivere: *Tu quis es*, qui nos ita alloquaris, nosque in peccato morituros dicas? Respondit Jesus, se esse *Principium*, rerum omnium authorem & conditorem (13), *per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil* Jo. 1. 3. eum qui in Apocalypsi 1. 17. & 2. 8. ac 22. 13. dicitur principium & finis, *alpha & omega*, primus & novissimus.

Pulcherrima interpretatio est, & maxime orthodoxa; quam tamen Græca syntaxis non patitur (14); Græcus quippe quartum habet casum, eumque Interpretes eruditissimi pro adverbio usurpant: *Tu quis es? Primum id sum quod dico*; sive id quod orationis hujus initio dixi (15) ℣. 12. *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Seu denique, id quod semper dixi, quodque ab initio dicere nunquam desii, Dei Filium esse me, ejusque Verbum ac Messiam, &c. (16).

Explicari etiam potest: *Tu quis es?* Audite *primum quod loquor*. Importunas quæstiones hic ne feratis. Animum advertite ad ea quæ dicturus sum: ℣. 26. *Multa habeo de vobis dicere*; multa sunt quæ in vobis damnem, &c. Ludovicus de Dieu: *An nunc primum vos alloquor?* An quærendum vobis erat, quis ego sim, quasi me nondum noveritis? Jungenda mihi videntur cum superioribus in hanc sententiam: [℣. 24.] *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* [℣. 25.] *Dicebant ergo ei* Judæi: *Tu quis es*, qui tam libere nos arguas? *Dixit eis Jesus: Iterum dico, quod prædixi*: In peccato vestro moriemini. [℣. 26.] *Multa sunt quæ adversus vos vestramque in damnationem loquar*: minas meas sperni a vobis scio: *at is a quo missus sum, falli non potest; eaque dumtaxat loquor, quæ ex illo audivi.* Quamobrem verba mea tamquam nullius ponderis ne aspernemini. Certus illa eventus, & citior, quam creditis, consequetur. Confer ad Hebræos VIII. 1. Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα *Principium, seu præcipuum*, sive summa rei & caput. En brevibus verbis per epitomen expressum, quod tibi dicendum proposueram. Repeto summatim quæ dixi, seu quod dicere constituo.

℣. 26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare. Enumerare hic possem flagitia vestra, superbiam, ambitionem, simulationem, falsasque doctrinas: dicere possem cur vos in peccato morituros asseram: novi, qua estis pervicacia, sermones meos a vobis neglectum iri: *sed qui me misit, verax est; & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.*

℣. 28. Cum exaltaveritis Filium hominis, ipsumque cruci affixeritis (17): agnoscetis quis ego sim. Prodigia me moriente micatura docebunt, me revera Dei Filium esse (18). Narrant profecto Evangelia, multos ex iis, qui testes rei fuerant, reversos esse Jerosolymam, pectora tundentes Luc. 23. 48. Animadvertens Centurio, Jesum clamando expirasse, ait, illum omnino esse Dei Filium Marc. 15. 39. Sancto Spiritu in terras lapso, multa Judæorum millia docentibus Apostolis conversa sunt Act. 2. 41. Denique ingens adeo fuit prodigiorum numerus a Jesu Christo gestorum, ut vel pervicacissimi serio ea cogitare nequiverint, quin illum homine majorem esse faterentur.

Ut vero hunc cum ℣. superiore jungamus, ex interpretatione quam in illum dedimus, ita explicandus est: Prædixi, vestra in pervicacia & peccato moriemini; certumque vobis esto, minas meas neque inanes esse neque temerarias; ea quippe dumtaxat loquor, quæ me docuit Pater. Cumque me in crucem tuleritis, unoque hoc scelere supremam flagitiis vestris manum imposueritis, *tunc* denique *cognoscetis quia ego sum, & a me ipso nihil facio, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor*. Patris mei furor in vos luculentissime fla-

(8) Cyrill. in Caten. Gr. Leont. hic. (9) Vide Chrysost. Theophyl. Euthym. Rupert. Maldonat. (10) Vide August. Bedam, Maldon. Brug. (11) Chrysost. Leont. Ammon. Theod. Mopf. & alii Græci, August. Beda. (12) S. Augustinus legit: *Principium quia & loquor vobis.* Credite me principium esse, quia loquor vobis. S. Ambros. lib. 1. Hexaem. cap. 4. & de fide lib. 3. cap. 7. *Principium quod & loquor vobis.* S. Gregor. lib. 2. homil. 2. in Ezech. *Ego principium, propter quod & loquor vobis.* (13) Ambros. lib. 3. de fide cap. 4. & lib. 5. cap. 5. & lib. 1. Hexaem. cap. 2. & 4. August. lib. 5. de Trinit. cap. 13. lib. xi. confess. cap. 8. & alibi; Fulgent. lib. 2. de fide; Bernard. lib. 5. de consid. Rupert. hic; alii. (14) Τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. (15) Syr. Maldon. Grot. Sa, alii. (16) Vide Nonn. Vat. Hamm. Bez. Pisc. (17) Confer Joan. 12. 24. alii. 32. 34. (18) Ammon. Chrysostom. Leont. Cyrill. Theophyl. Euthym. August. Beda, Rupert. &c.

flagrabit, vosque minas meas non aspernari discetis; quippe quarum veritatem miserrime experiemini.

℣. 29. Qui me misit, mecum est. Sentietis, Patrem meum a me nunquam abesse, mihique unam esse cum illo essentiam (18), neque quidquam dixisse me præter ea, quæ ea illo didici. De se loquitur Christus uti homo est (19); qua enim Deus, nihil ex Patre discit.

Quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Intelligetis, me nihil aut agere, aut loqui præter id, quod Patri placet. Nihil sine illo facio, ac nonnisi ea ejus Spiritu loquor. De se uti homine agit. Jungi etiam possunt ista cum superioribus in hanc sententiam: Pater meus semper mecum est, *& non reliquit me solum: idcirco ego quæ placita sunt ei, facio semper*. In *quia* redditur *idcirco*; hanc quippe particulæ hujus significationem esse, passim constat (20).

℣. 30. Multi crediderunt in eum. Eadem verba, quæ offensioni fuere Pharisæis, eosque in consilio perdendi quavis arte Jesu confirmavere, aliter plane valuere in aliorum quamplurium Judæorum animis, qui illum & Messiam & Dei Filium esse crediderunt.

℣. 31. Dicebat ad eos: qui crediderunt ei. Oratione convertit ad eos, qui sibi crediderunt. Recesserant, uti videtur, Pharisæi, & remanserant dumtaxat ii, quibus illius verba persuaserant. Quæ consequuntur, docebunt, eunstantem fatis non fuisse illorum fidem; vel saltem inter hosce credentes non defuisse qui ea animo converti non erant. Vide ℣℣. 40. 44. 52. 59.

Si manseritis in sermone meo. Si in fide (21), mearumque institutionum obsequio perseveraveritis, *vere Discipuli mei eritis*. Satis non est, ad tempus credere: opus est in fide ad finem usque perseveretis. Admonitionem hanc multis e cœtu necessariam fuisse, docebunt ea quæ consequuntur.

℣. 32. Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Futurum expectatis, ut externorum jugo Messias vos liberaret: multis ab hinc sæculis Liberatorem præstolando suspiratis. Adest jam libertatis dies. Credite, veritatem amplectimini: fides ac veritas absolutissimam vobis afferent libertatem. At ne comminiscamini terrenam solummodo libertatem, quæ excusso Romanorum jugo, remotaque externorum vexatione eludatur. Libertas, quam nuncio, animi est peccato soluti: *Omnis* enim *qui facit peccatum, servus est peccati*. ℣. 34. Quæ vero ea est veritas, libertatem vobis comparatura? Ipse nimirum ego (22), verba mea, fides, quam meis sermonibus habetis.

℣. 33. Semen Abrahæ sumus. Ineptam Judæorum ambitionem! Gloriantur illi, se nunquam servos fuisse, ac nemini subditos; cum nihil frequentius apud veterum Judaicarum Scriptores occurrat, quam Judæorum servitus in Ægypto & Chaldæa, sub Persis, Macedonibus & Romanis (23): *Dum Assyrios penes Medosque & Persas Oriens fuit*, [Judæi] *despectissima pars servientium*. Aliter tamen explicari possunt Judæorum verba, ut servitutem usurpes ceu perseverantem statum, intimam veluti notam, qua hominis conditio mutatur, quæ cum deleri nequeat, hominem dignitatibus, honoribus, privilegiis ingenuorum indignum facit. Hoc sensu gloriari poterant Judæi, se nunquam servos fuisse. Gens erant libera, Deo uni serviens; quo tamen minime prohibebatur, ne Regibus suis, aut alienis Imperiis obtemperarent. Atque hoc fortasse volebant his verbis (24): *Quomodo tu dicis: Liberi eritis?* An servi sumus, quibus nulla est in furtuoas suas, se ipsos, filiosque authoritas?

℣. 34. Qui facit peccatum, servus est peccati. En servitus quam dicebam, & liberras quam eram comparaturus. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, inquit Salomon Prov. 5. 22. Unusquisque illi servus est, a quo superatur, ait Petrus Apostolus in 2. ep. 2. 19. qui autem peccat, sua ipse concupiscentia & peccato vincitur. Quæ verior servitus? Rogare potest servus, ut alteri domino tradatur; aut sperare futurum, ut domini vel sua ipsius mors finem ærumnis imponat, fuga denique elabi potest (25): at peccatori nulla hujusmodi sunt quærendæ libertatis adminicula: unum illi superest, ut resipiscat, ad Deum confugiat, fidem ac veritatem amplectatur: *Veritas liberabit vos*.

℣. 35. Servus non manet in domo in æternum. Ea potissimum in re servus a filio familias differt, quod servus non ita inseritur herili familiæ, ut ejici nequeat: mutari enim potest, venumdari, dimitti, aut dono dari. At filio jus in paternas opes ac domum nunquam non est (26); quibus excludi nequit, nisi exhæres fiat; exhæres autem fieri nisi gravissimas ob causas non potest. Morali sensu, peccati servus non semper paternis in ædibus moratur. Judæus incredulus & infidelis excludi ex Patriarcharum fœdere, atque ex domo Domini ejici potest; Ethnico, qui fidem & Legem servet, excepto inter filios, atque in Domini familiam adoptato. Ne igitur vobis blandiamini numquam futurum, ut libertate spoliemini. Si in peccato pertinaces, fide carueritis, servorum more excipiemini. Reprobatio Judæorum, & Gentium vocatio prædicitur.

Referri etiam ad Christianos potest: Qui Dei donum, ac filiorum Dei libertatem amittit, ut diabolo ac peccato serviat, haudquamquam speret, æternam sibi fore in Cœlis, domo filiorum Dei, habitationem. Cœlestis sedes verorum Fidelium, Cœlestisque Patris filiorum est (27).

℣. 36. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Respondet hoc membrum alteri, quo veritas illos liberatura dicitur (28). Filius, ejusque veritas, verbum, fides illi præstita, hæc una libertatem, de qua loquor, vobis parient, justitiam, charitatem, innocentiam.

℣. 37. Filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere. Hæc profecto non spectant ad eos, qui Christo credebant ℣. 30. sed ad cæteros Judæos, qui inter illos admiscebantur. Dicitis, vos Abrahæ filios esse: non repugno. Hinc vero vos servos non esse colligitis. Si veram ac terrenam hominis subjectionem intelligitis, assentior: at vos ego vere peccati servos esse ajo, quippe qui neque Filium, neque fidem, neque veritatem habetis, & *sermo meus non capit in vobis*. Verba mea vos rejicitis & aspernamini, mihique necem iniquissime molimini ex odio & invidia. Quid porro istud est, nisi esse peccati servos?

℣. 38. Quod vidi apud Patrem meum, loquor. non temere: vera esse scio quæ dico: mentium vestrarum arcana pervado: novi ego, quam mala erga me consilia meditemini. Nihil dico, quod in ipso Patris mei sinu non viderim, qui æterna veritas, unusque cum illo Deus sum.

Vos quæ vidistis (29) apud Patrem vestrum, facitis. Initum a vobis me perdendi consilium id

(18) Ammon. Chrysost. Leont. Theophylact. Euthym. alii. (19) Euthym. Rupert. Maldonat. (20) Vide Maldon. Rupert. Joan. xiv. 17. Marc. xii. 28. Luc. vii. 42. Genes. xxii. 17. Psal. xvi. 2. & cap. c. Jerem. xxix. 26. Judic. xi. 24. (21) August. Beda, Rupert. Chrysost. Theoph. Euthym. (22) Ita PP. Græci. (23) Tacit. lib. 5. hist. Vide & Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. August. Bedam, Rupert. Brug. Maldon. hic. (24) Grot. Heins. (25) Vide August. hic, tract. 41. & serm. 134. olim 48. de verbis Domini. (26) Confer Genes. xxi. 10. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Et Galat. iv. 30. & Grot. hic. (27) Brug. Menoch. Tolet. (28) Supra ℣. 31. (29) Codices optimi quamplures legunt: *Ἃ ἠκούσατε*, pro *ἃ ἑωράκατε*. Facitis quæ ex Patre vestro audistis. Vide Mill.

id non est, quod Spiritus Sanctus dictaverit; neque vos eo impellunt charitas, fides, veritas: consilium istud ex Patre vestro accepistis, ex diabolo, spiritu tenebrarum, authore peccati (30), cui vos ipsi servos effecistis. [℣. 44.] *Vos ex patre diabolo estis*.

℣. 39. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Exprobrare statim noluit, illos falso gloriari, se filios esse Abrahami, quippe ab hujus virtute fideque degeneres. Cum vero generis nobilitatem urgerent, patremque sibi Abrahamum jactarent, subdidit Jesus: Si Abrahæ filii estis, cur patris fidem non imitamini, obedientiam, justitiam? ℣. 40. Mihi veritatem docenti necem molimini: Illud ne gessit Abraham?

℣. 41. Vos facitis opera Patris vestri. Alius certe vobis pater est ab Abrahamo, cum ista faciatis. Pater est diabolus, uti diximus, & disette tradidit Christus ℣. 44.

Nos ex fornicatione non sumus. Abrahami filios vere nos dicimus, neque ab illius justitia & Religione degeneramus: Idola non colimus, quemadmodum cæteri (31): si autem patris nomen morali ac spirituali sensu usurpas, unus nobis pater est Deus, qui apud Scripturas Jacobum sibi filium majorem natu (32), nosque electam gentem esse (33) significat. Hunc patrem nostrum (34), Regem, Deum appellamus.

℣. 42. Si Deus pater vester esset, &c. Judæos Dei filios non esse, hoc argumento evincit Christus: Si pater vobis esset Deus, illum diligeretis, tum omnia quæ ad Deum pertinent, quæ ab illo proficiscuntur, quæ illius nota distinguuntur; adeoque me ex Deo profectum, Dei Verbum, veritatem, Filium, Deum illi parem, ejusdemque cum illo naturæ: ex Deo egressum æterna generatione (35), multoque luculentius per humanam generationem (36).

℣. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Si pater vobis esset Deus, illius sermones audiretis, gratissimumque vobis foret, siquis de illo, ejusque nomine vobiscum loqueretur. Mea ne verba divina esse non constat? An quidquam vulgare sermo meus sonat? Num aliud loquendi genus usurpabant Prophetæ? aut illorum orationes frequentioribus prodigiis, majori virtute ac robore fulciebantur? Me tamen loquente, Dei vocem non agnoscitis: *non potestis audire sermonem meum*, repugnatis, resistitis: ad iram & offensionem eo provocamini; illum denique audire renuitis (37): *Unde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant?*

℣. 44. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere, me necato. Cum it homicida & mendax ab initio fuerit, mulierem primam fallens, ipsique & viro, tum posteris omnibus lethale vulnus infligens (38); ita vos veritatem exosi, mihi necem molimini. Certissimis hisce indiciis ostenditur, diabolum, mendacii patrem (39), & mortis authorem (40), patrem vobis esse, scilicet exemplar, cujus notas ipsi præfertis, & dogmata motusque sequimini (41). Ex hisce verbis colligebant Manichæi, duo esse principia; bonum alterum, alterum malum; illud a Deo, hoc a diabolo.

In veritate non stetit. Cum diabolus mendax sit, primamque mulierem mendacio deceperit (42); ita vos veritatis, quam doceo, inimici estis, eamque ægerrime fertis, insectamini. Ita explicant alii (43): Cum diabolus in æquitate, justitia, veritate, innocentia creatus fuerit, minime perseveravit; atque in superbiam elatus, similis Altissimo fieri ausus est; quamobrem a prima felicitate gloriaque dejectus: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Judæ cp. 5. 6. Simplex magis est prior interpretatio.

Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus mendacii. Proprium hoc diaboli est, in veritate non perseverare, mentiri, cæterosque in mendacium impellere; mendacem esse, patremque mendacii. Cum mentiuntur homines, diabolo suadente mentiuntur, cum vero mentitur diabolus, se authore facit: *Ex propriis loquitur*. Unus ipse sibi magister est: ortum ex ipso est mendacium, illudque ipse in terras attulit (44); ac siquando veritatem dicit, aut coactus, aut fallendi alicujus causa facit. Nunquam non mendax, paterque mendacii, nec veritatem nec justitiam amat.

S. Epiphanius hær. 38. ex superioribus Christi verbis Jo. 6. 71. *Unus ex vobis* [Judas nempe] *diabolus est*, colligit, hoc loco Judam a Christo significari; Judæos vero diaboli filios dici, *Vos ex patre diabolo estis*, quod Judæ patris sui incredulitatem & scelus amare, quam Jesum Christum, a quo veritatem tot prodigiis confirmatam docebantur, sequi maluerint. Judas *homicida* erat ac proditor; *in veritate non stetit*; a Præceptore defecit, totumque se avaritiæ flagitioque permisit.

Cainitæ & Archontici, apud eumdem Epiphanium hær. 38. & 40. ita legebant ℣. 44. *Vos filii estis Patris vestri Diaboli: quoniam mendax est; quoniam pater ejus mendax est. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit. Cum loquitur, mendacium ex proprio loquitur, quoniam & pater ejus mendax erat*. Ita & Cassianus, Ex his autem illa colligebant Cainitæ. Patet Judæis diabolus, ab altero dæmone genitus, quem alterum tertius dæmon procreavit; ita ut pater illius, qui Legem Moysi dedit, malus dæmon fuerit. Ajebant Archontici, Cainum ex dæmone & Eva satum; hunc vero esse *homicidam ab initio*, de quo hic; Judæos ex Caini genere editos, Dæmonem Caini patrem, & Hebræorum authorem: ortum e Sabaoth Judæorum Deo. Commenta prorsus indigna, quæ refellantur. Constat, veteres Patres quamplures legisse in Græco (45): *Mendax est, quemadmodum & pater ejus*. Quæ eo ducunt, ut diabolus a malo quodam principio, alteroque diabolo editus dicatur.

Grotius, cum ponat, diabolum Evæ deceptorem non fuisse dæmonum Principem, sed aliquem Satanæ Angelum, illi similem, a quo vexabatur Paulus 2. Cor. 12. 7. ait, malum hunc Angelum men-

(30) August. Beda, Rupert. Leont. Theophyl. Euthym. (31) Apud Scripturam fornicatio non raro pro idolorum cultu usurpatur. (32) Exod. iv. 22. *Filius meus primogenitus Israel*. (33) Eaod. xix. 5. Deut. xv. 20. vii. 7. 2. 2. 15. xiv. 2. Psalm. cxxxiv. 4. &c. (34) Jerem. iii. 4. *Pater meus, dux virginitatis meæ*. (35) Ammon. Leont. August. Beda. (36) Origen. Theophyl. Euthym. Rupert. Maldon. (37) August. hic, tract. 42. Ita & Chrysost. hom. 53. (38) Origen. Augustin. Beda, Rupert. Euthym. alii. (39) 3. Reg. xxii. 22. *Ero spiritus mendax in ore Prophetarum, &c.* (40) Sapient. ii. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*. (41) August. hic: *Unde Judæi filii Diaboli? imitando, non nascendo*. Ita Beda, Leont. Ammon. alii passim. Ambros. lib. 4. in Luc. *Judæi patre Diabolo, non utique carnis successione, sed criminis*. Vide Sapient. ii. 25. (42) Genes. iii. 4. 5. *Nequaquam moriemini: sed eritis sicut Dii*. Vide Iren. lib. 5. c. 23. Ammon. Leont. Theophyl. Chrysost. (43) August. lib. xi. de civit. cap. 13. Leo, Serm. ii. de Quadrag. & epist. 63. cap. 6. Euthym. (44) Origen. August. Chrysost. Ammon. Theodoret. Mops. Beda, Theoph. Euthym. Rupert. Recentiores passim. (45) Vide Hesych. quæst. apud Coteles. Monum. Eccles. Græc. pag. 15. Ὡς καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Ita legerunt Cyrill. Alex. Antiochus, Ambros. Suid. Auth. Disp. cum Manete: Ignat. Interpol. ad Philadelph. Ὡς ὁ πατὴρ αὐτοῦ Διάβολος.

mendacem esse, quemadmodum patrem ejus, Principem scilicet Luciferum. *Pater* interdum apud Scripturas pro Principe usurpatur. Satanas cæteros Dæmones in seditionem & peccatum traxit. Is *Princeps dæmoniorum* Matth. 9. 34. *Princeps potestatum aeris* Ephes. 2. 2. *Princeps hujus mundi* Jo. 12. 31. & 14. 30. & 16. 11. appellatur. Mendax & homicida est ab initio; quippe cujus imperio ac ministerio primam mulierem tentator aggressus est, illique mortem attulit. Nihil hic deest, præter validum satis argumentum, quo Eva a dæmonum Principe tentata non fuisse demonstretur.

℣. 45. EGO AUTEM SI VERITATEM DICO, NON CREDITIS MIHI. Obsequimini patri mendacii, vos adversus me impellenti; mihi veritatem loquenti non creditis. Nullo negotio Judæi, si rem serio, animoque cupiditatibus vacuo expendere vellent, agnoscere poterant, meram veritatem Christum loqui, seque malis animi æstubus, invidia, odio, malo spiritu agi, ut Christo insidias necemque molirentur.

℣. 46. QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO? Si veritatem loquens, quemadmodum certe loquor, indignus sum cui credatis, illud fortasse in causa est, quod moribus destruam veritatem quam doceo, meæque vitæ institutum verbis non respondeat. Hoc mihi objicere non potestis: quis enim me peccati arguat? Cum res a me gestas sedulo scrutemini, en quidquam in me nacti estis reprehensione dignum? Igitur *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

℣. 47. QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT. Eamdem sententiam, quam dixit supra ℣. 42. 43. *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi ... Quare loquelam meam non cognoscitis? & quare non potestis audire sermonem meum? Vos ex patre diabolo estis*. Si Dei filii essetis ac servi, verba, quæ illius nomine loquor, audiretis: idcirco autem non auditis, quia ex Deo non estis, Deum non amatis, neque ea quæ Dei sunt. Mens vestra nubibus occupata, vesterque animus ægritudine & odio plenus, veritatem quam nuncio, non audit, non videt (45).

℣. 48. NONNE BENE DICIMUS NOS, QUIA SAMARITANUS ES TU, ET DÆMONIUM HABES? Neque apud Joannem, neque apud cæteros uspiam legimus, Christum Jesum a Judæis appellatum fuisse Samaritanum, præterquam hic. Cum igitur ipsi fateantur, sese contumeliam hanc illi irrogasse, id omnino gestum esse credendum est, etiam tamen, non coram (46), quamobrem id omiserunt Evangelistæ. *Samaritanum* vel Chutæum quempiam appellari, idem erat, ac si profanus, schismaticus, hæreticus, Judaicæ nationis hostis diceretur. Apud Thalmudem *Chutæi* appellatio profanis & impiis tribuitur, ferme uti apud Prophetas *Chananæi & Hethæi*. *Semen Chanaan, & non Juda* Dan. 13. 56. Et Ezech. 16. 3. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*. Et Isa. 1. 10. *Audite verbum Domini, principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ*.

Probrosæ autem hujus appellationis titulum ex eo desumebant, quod is Samaritanos æque non odisset atque oderant Judæi; interdum in illorum oppidis morabatur, in urbe Sichem aliquot dies fuerat, Dei verbum illos docebat, neque a salute excludebat, modo illi converterentur; fortasse etiam Judæorum ritus & majorum instituta non ita verebatur, ut ipsi voluissent. Ajunt etiam, illum agi a Dæmone; quam eamdem contumeliam elapso die irrogaverent, Cap. VII. 20. Illud significare volebant, furere illum, temere atque insane loqui.

℣. 49. EGO DÆMONIUM NON HABEO. Priori membro contumeliæ, *Samaritanus es*, non respondet, utpote inepto, cum dubitari merito non posset, quin ipse & genere & Religione Judæus esset (47). Alterum, *Dæmonium habes*, divina prorsus lenitate ac modestia diluit: *Ego dæmonium non habeo*; mea quippe oratio furiosum insanumque non sonat. Siquid in illa est, quod extraordinarium videatur, novasque penitus veritates si nuncio, illa idcirco ago, ut gloriam Patri meo exhibeam, ejusque veritates flagitioso silentio conditas non teneam. Patris mei gloriam amicitiæ vestræ meæque quieti antepono. Munus ab illo mihi creditum cum vitæ discrimine gero.

℣. 50. EGO NON QUÆRO GLORIAM MEAM in iis, quæ loquor aut facio. Me neque ambitio agit, neque cupiditas. In id unum incumbo, ut gloriam illius qui me misit, eorumque ad quos missus sum, salutem quæram. Meam ipsius gloriam curabit Pater iis artibus, quæ aptissimæ videbuntur. Aliter: Cum objectum mihi a vobis probrum, me nimirum a Dæmone agi, refello, neque gloriæ meæ, neque ultionis studeo (1): illius dumtaxat, qui me misit, dignitatem tueor. Quod ad me attinet, rerum mearum curam illi relinquo; gloriæ meæ curam ipse geret, irrogatamque mihi contumeliam ulciscetur.

℣. 51. SIQUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNUM. Me a Dæmone agi dicitis, quod ea doceam, quibus ipsi non assuevistis: at ego meram veritatem loquor, Patri meo honorem exhibeo, illius jussa servo, & quæ trado, verba vitæ sunt Jo. 6. 47. *Siquis ea servaverit, mortem non videbit in æternum*. Diuturnam vitam pollicetur Moyses iis, qui traditas a se Leges coluerint (2), bona etiam fortunasque mortales: æternam ego vitam felicitatemque promitto. Fidem habetote verbis meis, eaque servate, præceptis meis obsequimini; mortem animæ, mortem alteram (3) non experiemini.

℣. 52. ABRAHAM MORTUUS EST, & tu moriturum negas eum, qui verba tua coluerit? An te majorem Abrahamo ac Prophetis, qui mortui sunt, putas? Nonne sanctissimi viri illi præcepta Domini servavere? at mortis expertes non fuerunt. An præcepta Divinis majora tradis? An major es Deo? Mortem, quam subiere viri sanctissimi, servique Deo fidissimi, Discipuli tui non sentient? Falso nititur principio tota hæc Judæorum argumentatio; quippe qui vitam hujus temporis a Christo significari existiment, cum is de æterna animæ vita loquatur.

℣. 54. SI EGO GLORIFICO MEIPSUM, GLORIA MEA NIHIL EST. Si hæc quæ ego loquor, me auctore dico; si mea unius virtute, citra Patris operam, ista me tradere glorior; si hisce in rebus ex hominibus existimationem & gloriam aucupor, uti solent falsi Prophetæ atque impostores, qui magna minentur, extricant nihil; mihi ne credite, meosque sermones aspernamini. In re sua nemini creditur (4). *Est Pater meus, qui glorificat me*, suarumque virium specimen in me exhibet prodigiis, quæ coram vobis gero, & veritate quam nuncio. Neque causemini, Patrem hunc a vobis ignorari, meque per ambages loqui: *Pater est, quem vos dicitis quia Deus vester est*. Si nossetis illum, me quoque agnosceretis (5), omnesque Filii illius ac Messiæ notas in me animadverteretis.

℣. 55. SI DIXERO QUIA NON SCIO EUM, ERO SIMILIS VOBIS, MENDAX. Vestrum ipsi Deum, & illum quem ipse nomine suo misit, ignoratis:

(45) Maldon. Grot. (46) Origen. Ammon. Chrysost. Theophyl. Rupert. (47) Vide August. Bedam, Rupert. Chrysost. Theophyl. alios. Grot. Brug. Maldon. (1) Chrysost. Euthym. Leont. Theophyl. Maldon. Grot. Brug. Menoch. (2) Exod. xx. 16 Deut. v. 16. xxii. 7. (3) Apoc. II. 1. & August. Maldon. Grot. (4) Joan. v. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum*. (5) Joan. VIII. 19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*.

Deum ego Patrem meum novi, quem si ignorare dicerem, mentiret uti vos, qui illum vos nosse negatis (6). Si notus ille vobis vere esset, illius præcepta servaretis: illum ego novi, & quæ ab illo imperantur, integra fide servo. Agit hic uti homo Christus.

℣. 56. ABRAHAM PATER VESTER EXULTAVIT UT VIDERET DIEM MEUM, adventum meum in terras (7), incarnationem, ortum, meam Israeli ostensionem, vel etiam mortem ac passionem (8); anxiis votis præstolatus est tempus illud, quo cunctis hominibus erat afferenda libertas: *vidit, & gavisus est*: Spiritu vidit, Deo monstrante: in Isaaco suo in lucem edito, tum divinitus liberato, cum hic jam in pyra esset mox mactandus, vidit ille argumenta, quibus de rerum Patriarchis promissarum fide certior fiebat (9). Rem remotissimam exhibuit illi præsentem fides. Sunt qui censeant (10), Abrahamum cæterosque Patriarchas in Abrahami sinu detentos, eo ipso in loco Messiæ incarnationem adventumque intellexisse; immensoque gaudio perfusos, cum audirent; vidisse denique, & esse gavisos. Duo hic evincit Christus; I. se majorem esse Abrahamo, adversus Judæorum sententiam, ℣. 52. 53. II. veros Abrahami filios non esse Judæos, quippe qui spernant negligantque illum, quem pater Abraham enixis adeo desideriis cernere optavit, cujus adventum tanta gaudii effusione intellexit.

℣. 57. QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM HABES, Legunt nonnulli (11) quadraginta pro quinquaginta; sed tenendum est *quinquaginta*, ex totius Antiquitatis consensu, præter S. Chrysostomum, Authorem Dialogi de Trinitate inter Scripta S. Athanasii, & perpauca Græcorum Exemplaria, apud Euthymium. Numerabat tunc temporis Christus ætatis annos quatuor & triginta, & menses octo circiter. Contigit hoc anno Christi die XVII. Octobris, anno Christi quinto & trigesimo, qui annus die XXV. Decembris complebatur. Quamobrem menses duo & dies octo ad anni quinti ac trigesimi complementum deerant.

Peritissimos hac in re Chronologos sequimur, qui Christum obiisse ponunt anno ætatis suæ sexto ac trigesimo, Æræ vulgaris XXXIII. qua in Æra Christi ortus triennio serior computatur. Absolutum hujus rei examen hic non aggredimur. Consule eos, qui hoc de argumento disputavere. Nobis satis esto demonstrasse, varias fuisse Patrum de Christi ætate sententias. Quæ annos illi tres ac triginta cum dimidio tribuit, cœpit in Ecclesia Latina post sæculum sextum (12); tametsi autem post id tempus vulgo huic assentiere, non desunt tamen, qui ab ea recesserint; neque ullam hac de re legem tulit unquam Ecclesia, facto disquisitionibus Eruditorum loco. Quadraginta annis majorem facit Jesum S. Irenæus (13), quo tempore Jesus alloquebatur Judæos, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, &c. Hoc dicitur ei qui quadraginta annos excessit, quinquaginta autem nondum attigit: non tamen multum a quinquaginta abstitit.*

S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. annos triginta ætatis, unicum prædicationis Jesu Christo tribuit. Scribit Tertullianus l. contra Judæos c. 8. *Passus est Christus, annos habens quasi triginta cum pateretur*. Hæc recitavit S. Hieronymus in Caput IX. Danielis. Ait Origenes tract. 35. in Matt. datos Judæ argenteos triginta, quibus actæ a Christo in terris vitæ annorum numerus æquabatur. Unicum & hic, uti S. Clemens Alexandrinus, annum prædicationis numerat (14). Julius Africanus, Origeni coætaneus, apud Hieron. in Dan. 9. qui inter Christianos primus res ad Chronologiam spectantes tractavit, Christum obiisse ponit anno Tiberii XV. ætatis suæ XXX. circiter. Idem placuit Hippolyto Episcopo Portuensi, uti ex illius cyclo constat (15). Author Chronici sub Severo exarati, & a Canisio in antiqu. lect. t. 2. editi, annos triginta dumtaxat inter Jesu Christi ortum obitumque constituit. Huic assentitur Lactantius lib. 4. Instit. c. 1. Eusebius Cæsariensis annos Jesu Christo tribuit unum ac triginta cum mensibus aliquot, vel ut summum, duos ac triginta, Philastrius Brixiensis, unum & triginta; S. Epiphanius hær. 51. n. 28. duos & triginta, & dies quatuor ac septuaginta; duos & triginta annos Apollinaris Laodicenus (16).

S. Chrysostomus & Euthymius (17), ætate minime definita, quadraginta ætatis annos gessisse putant, quo tempore passus est; Sulpitius Severus lib. 2. hist. annos duos & triginta, amplius triginta, vetus Author hymni, *Lustris sex qui jam peractis*, quem hymnum alii S. Ambrosio, alii Sedulio adscribunt. S. Hieronymus ep. 22. & 27. & S. Augustinus l. 8. de Civit. c. ult. & l. 12. c. 15. qui duobus Geminis Consulibus obiisse Christum tradunt, cum Tertulliano, anno Tiberii XV. triginta circiter annos vixisse illum existimant; Paulus Orosius, unum vel duos & triginta; S. Prosper, sive Scriptor Libri *De Prædictionibus*, Victorius Aquitanicus, & Idacius, triginta, Cassiodorus, tres & triginta; Jornandes, Isidorus Hispalensis, Reginon Abbas Prumensis, Lambertus Schafnaburgensis, duos ac triginta; Chronicon Alexandrinum, annos tres ac triginta cum mensibus tribus; S. Maximus Martyr, tres & triginta, cum novem & octoginta diebus. S. Bernardus (18) bis annos triginta, bis vero tres ac triginta fert; Petrus Lombardus (19) & Petrus Comestor duos & triginta cum mensibus tribus. Consule animadversiones ad calcem Chronologiæ Magnis Bibliis Antonii Vitre additas (20). Colligitur ex his, annum Jesu Christi emortualem, vitæque illius tempus nunquam fuisse in Ecclesia definitum.

At si Christus, cum Judæos alloqueretur, nonnisi quinque & triginta ætatis annos agebat, cur dixere Judæi, nondum annos quinquaginta illum attingere? Ingens certe intervallum est inter quinque ac triginta annos, & quinquaginta. Respondeo, Christum ob ærumnas laboresque totius vitæ curriculo exantlatos senili vultu fuisse, majoremque præ se tulisse ætatem, quam revera ageret (21). Sive, majorem illi ætatem ultro dant, quo certius colligant, fieri non potuisse, ut Abrahamum videret (22); si enim vel sæcularis, vel semisæcularis Abrahamum videre non potuit, multo

(6) Chrysost. Leont. Theoph. Ammon. (7) Iren. lib. 4. c. 11. 12. Origen. homil. 10. in Genes. Cyrill. in Caten. Gr. Hilar. lib. 5. de Trinit. Bernard. serm. 6. in Vigil. Natal. Domini; Mald. alii. (8) Chrys. Ammon. Leont. Theoph. Euth. (9) Ita Patres Græc. modo citati. Grot. (10) Mald. Jans. Cornel. a Lapide, alii. (11) Chrysost. orat. contra omnes hæreses; & Author Dialogi 1. de Trinit. inter opera Athan. & Barber. Cod. 1. Quidam Codd. Gr. apud Euthym. (12) Beda lib. de ratione temporum c. 45. *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam* XXXIII. *annos, usque ad sua tempora passionis vixisse.* (13) Iren. l. 2. contra hæres. c. 39. *A quadragesimo aut quinquagesimo anno declinat jam in ætatem seniorem, quam habens docebat* (Christus). *sicut Evangelium, & omnes seniores testantur, &c.* (14) Origen. lib. 4. Περὶ ἀρχῶν, & initio tract. 35. in Matth. (15) Vide Lancelot. in Bibliis Mag. Anton. Vitré c. 33. p. 48. (16) Apollinar. Laodic. apud Hieron. in Dan. IX. (17) Chrysost. & Euthym. hic. (18) Bern. serm. 1. de circumcis. & serm. 2. in hæc verba, *Non est Regnum Dei*, &c. stat pro XXX. annis. Et serm. 2. de Pentecost. & in feria 4. Maj. Hebdom. stat pro XXXIII. (19) Petr. Lombard. lib. 4. dist. 43. c. 1. (20) Cap. XXXIII. p. 37. & seq. (21) Vide Hugon. Erasm. Mald. (22) Grot. Brug.

multo minus cum annos quinque ac triginta non superaret.

℣. 58. Antequam fieret (existeret) Abraham, ego sum. A tota æternitate, atque ante omnia sæcula ego existo. Hominem dumtaxat loquentem, oculisque vestris ab aliquo tempore conspicuum, in me spectatis. At præter humanam, quam vos nosse censetis, divina in me est æternaque natura. Utraque in me uno conjuncta subsistit; utramque discrevit Abraham, qui me uti Deum adoravit, desideravit ut Servatorem. Mea me in æternitate vidit, meque in terras venturum prædixit.

℣. 59. Tulerunt lapides, ex Lege, quæ lapidum supplicium in impios Divini nominis conviciatores decernit (23). Christus, qui se Deo æqualem faceret, ejus sceleris reus apud illos habebatur.

Jesus autem abscondit se. Aliquanto secedens, sese illis inconspicuum reddidit (24); tum pacifice egressus, e Templo discessit: qui enim fieri poterat, ut in secretum aliquem ignotumque Templi locum secederet, inimicis undique circumfusis? Unde vero præsto fuere Judæis lapides? Ex congesta illinc ad ædificationem materia inquiunt nonnulli (25). Ajunt alii, obvios illi fuisse lapides in ipso Templi atrio: denique aliis placet, illos concurrisse ad lapides extra Templi atrium, quo tempore commodum fuit Jesu Christo ut secederet, eorumque manus & vim effugeret.

Græcus fert (26): *Exivit de templo, transiens per medium illorum, & præteriit sic.* Quæ verba magnopere favent iis, qui prodigium contigisse hic asserunt illi simile, quo Jesus e Nazarenorum manibus, sese præcipitem e vertice montis dare conantium, elapsus est Luc. 4. 30. Inconspicuum se illis reddidit, perque illorum medium transiit, quin a quoquam detineri posset. Videtur aliis medios inter Discipulos ac multitudinem sibi credentium transiisse, ipsaque multitudine circumseptus, inimicorum manus evasisse. Hæc tamen verba, *Transiens per medium illorum, præteriit sic*, apud Vulgatam, S. Chrysostomum, S. Cyrillum, S. Augustinum, optimosque Codices quamplurimos non leguntur; neque desunt Interpretes eruditissimi (27), qui hic addita existiment.

(23) Levit. xxiv. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi.* (24) Theodor. Heracl. Ita Leont. Theophyl. Euth. Mald. (25) Lightfoot. Horæ Talm. ad Joan. ix. 6. (26) Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν. Καὶ παρῆγεν οὕτως. (27) Vide Erasm. Grot. hic; Mill. Prolog. 752.

C A P U T IX.

Cæcum ab ortu Jesus curat, Pharisæorum murmur. Hi cæcum natum ejiciunt; quem Christus docet; credit ille, & Jesum adorat.

℣. 1. Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate: 2. Et interroga-
verunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus,
ut cæcus nasceretur? 3. Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus:
sed ut manifestentur opera Domini in illo. 4. Me oportet operari opera ejus, qui
misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. 5. Quamdiu sum
in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum
ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus. 7. Et dixit ei: Vade, lava in nata-
toria Siloe, (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns. 8.
Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic
est, qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est. 9. Alii autem: Ne-
quaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. 10. Dicebant ergo
ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus,
lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & la-
va. Et abii, & lavi, & video. 12. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.
13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbathum,
quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus. 15. Iterum ergo interrogabant
eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super
oculos, & lavi, & video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic
homo a Deo, qui sabbathum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest
homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæ-
co iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia
propheta est. 18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vi-
disset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat: 19. Et interrogaverunt eos,
dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est. Quomodo
ergo nunc videt? 20. Responderunt ei parentes ejus, & dixerunt: Scimus, quia
hic est filius noster, & quia cæcus natus est. 21. Quomodo autem nunc videat, ne-
scimus; aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate, ætatem ha-
bet, ipse de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Ju-
dæos;

dæos : jam enim conspiraverant Judæi , ut si quis eum confiteretur esse Christum , extra synagogam fieret . 23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet , ipsum interrogate . 24. Vocaverunt ergo rursum hominem , qui fuerat cœcus , & dixerunt ei : Da gloriam Deo : nos scimus , quia hic homo peccator est . 25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est , nescio ; unum scio , quia cœcus cum essem , modo video . 26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ? Quomodo aperuit tibi oculos ? 27. Respondit eis : Dixi vobis jam , & audistis : quid iterum vultis audire ? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri ? 28. Maledixerunt ergo ei , & dixerunt : Tu discipulus illius sis ; nos autem Moysi discipuli sumus . 29. Nos scimus , quia Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus , unde sit . 30. Respondit ille homo , & dixit eis : In hoc enim mirabile est , quia vos nescitis , unde sit , & aperuit meos oculos . 31. Scimus autem , quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est , & voluntatem ejus facit , hunc exaudit . 32. A sæculo non est auditum , quia quis aperuit oculos cœci nati . 33. Nisi esset hic a Deo , non poterat facere quidquam . 34. Responderunt , & dixerunt ei . In peccatis natus es totus , & tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras . 35. Audivit Jesus , quia ejecerunt eum foras : & cum invenisset eum , dixit ei : Tu credis in Filium Dei ? 36. Respondit ille , & dixit : Quis est , Domine , ut credam in eum . 37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum , & qui loquitur tecum , ipse est . 38. At ille ait : Credo , Domine , Et procidens adoravit eum . 39. Et dixit Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant , & qui vident cœci fiat : 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis , qui cum ipso erant , & dixerunt ei : Numquid & nos cœci sumus ? 41. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis , non haberetis peccatum : nunc vero dicitis : Quia videmus . Peccatum vestrum manet .

℣. 1. PRÆTERIENS JESUS , VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE . Jesus e Templo egressus , fortasse in montem Olivarum secessit , ibi de more noctem acturus . Altera die , qua die Sabbathum erat (1), in urbem venit ; prætereunsque hominem vidit ab ortu cæcum , seorsum sedentem , stipemque a transeuntibus postulantem (2).

℣. 2. RABBI , QUIS PECCAVIT , HIC , AUT PARENTES EJUS ? Ex hac interrogatione colligi fortasse potuit , persuasum fuisse Apostolis , animas ante corpora existere , aut metempsychosim exercere . Fieri non potest , ut grave hoc malum ille , nisi justis de causis , ferat . Mereri autem non potuit peccatis post ortum admissis , quippe quod in lucem prodiens secum detulerit : aliquo igitur crimine ante ortum patrato ; vel saltem Deus , qui parentum peccata in filiis ad tertiam usque & quartam sobolem prosequitur Exod. 20. 5. paterni criminis pœnam in filium detorsit . Ita , inquiunt , colligebant Apostoli ; qua ex collectione prorsus constat , putasse illos , posse hominem , antequam in lucem prodeat , peccato aliquo vitiari , cujus pœnam deinde vivens luat .

Hoc ipsum non semel agnoscit Philo (3). Totus , inquit , aer duplici animarum genere circumfusus est : aliæ in corpora descendunt : aliæ corpora execrantur . Earum quæ junguntur corpori , quædam sublimibus eximiæ Philosophiæ cognitionibus plenæ , corporis mortem assidue meditantur , ac cœleste prorsus vitæ genus agunt . Aliæ carnis pondere oppressæ , neglecto sapientiæ studio , libidinibus ac fortunæ serviunt . Hanc sententiam ex Platone haustam passim retractat . Eadem ferme persuasio Pharisæis erat , teste Josepho de Bello l. 2. c. 12. Hi animas immortales esse , atque æternum vivere asserunt ; ex æthere purissimo in corpora ceu in carcerem descendere ; corporibus hærere , ad quæ naturali motu & amore prorsus invicto trahuntur . Idem Antiqu. l. 18. c. 2. scribit , impiorum animas , ex Pharisæorum sententia , æterno in carcere claudi , diris ibi suppliciis excruciatas , & nunquam evasuras ; at piorum animas facile in terras reverti ad alia corpora , post obitum priorum .

Quoddam etiam metempsychoseos genus habent Rabbini ; atque hæc opinio universum Orientem a vetustissimo tempore latissime occupat . Ex apocrypho Hebræorum libro hæc Jacobi verba recitat Origenes tom. 5. in Joan. *Dei Angelus sum , unusque e principibus . Jacob ab hominibus vocor : at verum mihi nomen , a Deo inditum , est Israeli .* Doctores Judæorum quamplures putant , Adami , Abrahami & Phineis animas in multos gente sua eximios viros ordine successisse . Mirum igitur non est , ita philosophari Apostolos de cæci hujus morbo , & credere , ipsum latenti aliquo crimine ante ortum admisso malum hoc in caput suum provocasse (4).

Persuasum etiam Rabbinis est , parentum peccata , præsertim libidinem immodicam , esse interdum filiis noxia , atque horum incommoda ex illorum criminibus plerumque proficisci : malorum autem filiis imminentium causa potissimum constitutas esse Mosaicas illas leges , quibus indicta mortis pœna cavetur , nequis in menstruis uxoris incommodis ad illam accedat (5). Opiniones hasce Apostoli alte a pueris hauserant ; inanemque non esse metum , non semel docuerat experientia .

℣. 3. NEQUE HIC PECCAVIT , NEQUE PARENTES EJUS . Minime negat Christus , cæci hominis parentes peccasse : illud solummodo asserit , filii incommodum ex parentum crimine non esse profectum (6). Neque etiam negat , peccatum originis satis causæ esse potuisse , cur Deus æquissimo jure permitteret , ut ille cæcus nasceretur . Non quæreba-

(1) Infra ℣. 14. (2) Infra ℣. 8. (3) Philo de Plantatione Noe p. 516. & de Gigantibus p. 28.. & de Confusione Ling. p. 151. & lib. quis rerum divin. hæres p. 519. & lib. de somniis p. 568. & 592.
(4) Vide Dius. Oror. Ligf. Vide Cyrill. Alex. in Caten. Gr. (5) Levit. xx. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo , & revelaverit turpitudinem ejus , ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui , interficientur ambo de medio populi sui.* Vide & Ezech. xviii. 61. (6) Chrysost. Theophyl. Euthym.

rebatur generica mali hujus causa, sed peculiaria.

Apostolorum animos mentesque erigit Christus ad causam longe superiorem, Dei scilicet Providentiam Sapientiamque, qua Deus suam ipsius gloriam apud homines quærit ex cæci curatione. Neque dicendus est Deus absolute voluisse hominis malum, ut sibi gloriam compararet, sed cæcitatem permisisse, cujus occasione is deinde potentiæ & misericordiæ suæ specimen ederet (7). *Ut* hoc loco non significat causam, sed eventum ex ea re ortum (8).

℣. 4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; scilicet dum inter vivos, in terris sum (9); cum enim mortuus fuero & resurrexero, miracula edendi tempus non erit, exhibendique hominibus Divinitatis ac missionis meæ documenta. Cum ea dies Sabbathum esset, deque postulanda valetudine cæcus non cogitaret, Apostolorum animos hac præfatione præparat Christus (10): Oportet festinem opus meum absolvere, instar mercenarii, cui nox instat. Sex tantummodo vitæ menses Christo supererant; ejusque opera prædicatio erat, ac prodigia, quibus prædicatio confirmabatur. Tametsi Sabbathum hodie est, ac futurum novi, ut offensionis occasionem hostes mei ex me capiant; festinandum mihi est, ut homini, tametsi non postulanti, incolumitatem restituam. Novi ego auctum iri ex ea re Dei gloriam, meamque operam probe processuram.

℣. 5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Cum diei noctisque membro superiore meminerit, se mundi lucem esse dicit. Solis instar sum, terras illuminantis. Meum est, lucem inferre quamvis in partem, illustrandisque hominibus nunquam deesse. Idcirco misit me Pater. Cum hic in tenebris jaceat, oculorum usum illi reddere debeo, & lucis usuram.

℣. 6. Hæc cum dixisset, expuit in terram. In illud plerumque incumbit Christus, ut prodigia sua certissima, quam fieri potest, efficiat, ut nedum præsentes, verum etiam posteri illa in dubium revocare nequeant. Quo acrius expenduntur, eo luculentior est illorum perspicuitas. Exhibetur hic cæcus, & ab ortu cæcus, quem medicæ artis opes curare nequeunt. Illum curare sponte aggreditur Christus: in terram exspuit, lutum e saliva conficit, eoque oculos cæci linit, quo fieri cæcus poterat, si oculis valuisset. Lotum mittit ad fontem Siloes: obtemperat ille, & sanus redit.

℣. 7. Vade, et lava in natatoria Siloe. Fons Siloe mœnia Jerosolymæ alluebat ad orientem. Hujus aquæ in urbis usum amplissima piscina excipiebantur. Ad hanc mittitur cæcus. *Siloe* sonat missum, sive fontem cum impetu e scaturigine fluentem (11). Missus erat a Patre in terras Christus, ut illuminaret homines, quos cæcus iste significabat (12). Piscina Siloes symbolum erat baptismi, quo Sancti & Christiani efficimur (13). Fontem Siloen nostra adhuc ætate colunt Turcæ, ejusque aquas morbis oculorum salubres esse arbitrantur.

℣. 8. Vicini, et qui viderant eum prius. Neque clam gestum est prodigium, neque paucis testibus, aut facile creditum. Qui cæcum noverant, de eo disputavere, non gauderet ne oculorum usura, id quod præter dubitationem erat, sed idem ille esset, nec ne, in urbis regione notissimus, quod publice stipem quodam in angulo sedens flagitaret. Græcus editus, & plerique manu exarati dumtaxat legunt (14): *Vicini ejus, & qui viderant eum antea, quod cæcus esset, ajebant, &c.* At Vulgata, Syriaca, Cophtica, Armeniaca, Gothica, Arabica, Æthiopica Versio, Codices optimæ notæ Græci quamplures, plerique Patres Græci & Latini legunt: *Quod cæcus & mendicus erat*, &c.

℣. 11. Ille homo qui dicitur Jesus. Christum Jesum non viderat cæcus, sed quæ gerebantur, cum curaretur, senserat. Mentis oculorum sanitatem vix ex parte recuperaverat, qui Christum Jesum nonnisi ut pium hominem, ac Prophetam agnoscebat. ℣. 17.

℣. 12. Ubi est ille? Capere illum meditabantur, atque apud Synedrium ceu Sabbathi violatorem accusare.

℣. 14. Erat sabbathum, quando lutum fecit. Docent Rabbini, jejuni hominis salivam morbis oculorum mederi, eaque liniri oculos die Sabbathi ob eam causam, nefas esse (15). Id tamen omnino confictum a Judæis videtur, ut rei a Christo gestæ, veluti quieti Sabbathi contrariæ, invidiam crearent. Lutum saliva conficere idem ferme est ac subigere, adeoque opus Sabbatho repugnans, ex Judæis.

℣. 16. Non est hic homo a Deo, qui sabbathum non custodit. Probabilis collectio. Qui Dei legem certissime violat, is Dei Spiritu plenus, atque a Deo missus esse non potest. Triplex tamen est responsio. I. Jesus, utpote Deus, Sabbathi religionem solvere poterat, cum ea Lex ad homines, non ad illum spectaret. II. Sabbathi quietem violare poterat etiam uti homo, ubi de gloria Dei, vel animarum salute, aut incolumitate proximorum ageretur, quemadmodum Christus ipse alibi docuit (16). III. denique, falso dicitur Christus Sabbathum violasse, cum omnino servile nihil præstiterit. Eo tamen falso principio, ceu re satis asserta, nititur collectio Pharisæorum.

Alii dicebant: Quomodo potest homo peccator, &c. Nonnulli e Pharisæis ac Sacerdotibus fideles, & Jesu Christi Discipuli, veluti Nicodemus. Falso principio hi niti videntur, videlicet geri non posse ab impiis prodigia, saltem magna, iis similia quæ a Christo gerebantur; cum certo constet, nonnulla interdum ab impiis patrari, specie quidem iis paria, quæ a piis exhibentur. Magi Pharaonis omnia fere Moysis prodigia imitati sunt Exod. 7. 8. 9. faceturque ipse Moyses Deut. 13. 1. geri posse a falsis Prophetis miracula, & futura prædici. At fieri non potest, ut Deus diuturna verorum prodigiorum serie authoritatem addat impostori, falso Prophetæ, impio; permittat, ut ii qui sincero animo veritatem quærunt, ab impostoribus Religionem corrumpentibus, fraudesque dumtaxat molientibus, ad finem usque decipiantur; impius denique simile Jesu Christo vitæ institutum servet, paria illi doceat, similia exhibeat prodigia, sua unius authoritate & verbo, nullo apparatu, superbia, ostentatione, conatu. Atque ita verum est, impium hujusmodi prodigia patrare non posse.

℣. 17. Tu quid dicis de illo? Insidias homini moliuntur, ut injuriis locum faciant. At is minime territus asserit, Jesum Christum verum esse Propheram, probum virum, a Deo missum; Hebræis quippe Prophetæ dicebantur ii, quos Deus extraordinariis honoribus cumularet (17); sanctum-

(7) Cyrill. in Caten. Theoph. Mald. alii. (8) Mald. Geor. Brug. (9) Theodor. Heracl. & Theodor. Mopf. August. Beda hic; Cyrill. in Cat. Gr. Mald. alii. (10) Theodor. Mopsuest.
(11) Hieron. in Isai. VIII. *Non jugibus aquis, sed incertis diei horis ebullit*, &c. Vide & Epiphan.
(12) Iren. lib. 4. cap. 9. Chrysost. hic. (13) Beda, Rupert. Mald. alii. (14) Θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον ὅτι τυφλὸς ἦν, ἔλεγον, &c. Τυφλὸς ἢ προσαίτης ἦν. (15) Maimon. apud Lightfoot. Hor. Talm.
(16) Matt. XII. 5. *Sacerdotes in Templo Sabbathum violant*. Et ℣. 11. *Si ceciderit ovis Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove?* Vide & Luc. XIII. 14. 15. & Joan. VII. 22. *Sabbatho circumciditis hominem*, &c. (17) Cyrill. Leont. Mald.

ctumque apud illos erat, fas esse Prophetæ, Sabbathi Lege hominem solvere (18).

℣. 21. ÆTATEM HABET. Sive: Ea ætate est, qua sisti ad judices queat, deque rebus suis testimonium exhibere: quæ ætas Hebræis anni XIII. (19).

℣. 22. UT EXTRA SYNAGOGAM FIERET. Intelligendum de minori anathemate, *niddui* appellato, sive separatione (20), quæ in eo versabatur, ut quis cœtu excluderetur. Varia anathematum genera Judæis usurpata expendimus in Dissertatione de Suppliciis Hebræorum ad Deuteronomium, & in Commentario ad Matthæum XVIII. 18.

℣. 24. DA GLORIAM DEO. Judicialis forma, qua Judices jusjurandum postulabant (21), monebantque reum, ut vera loqueretur, veluti coram Deo. Hominem terrere conantur Pharisæi, ut aliquid adversus Christum proferat. *Nos scimus, quia hic homo peccator est*: tu hoc ipsum dicito.

℣. 25. SI PECCATOR EST, NESCIO. Non litigo. Cum vos impium esse illum asseratis, causam asserendi non quæro: at illud scio, me ab eo fuisse curatum, neque intelligo, id satis argumenti esse, ut ille impietatis arguatur. Usurpandum non est τὸ *nescio* ita, ut dubitet cæcus, bonus sit Jesus nec ne (22). Illum esse Prophetam liberrime confessus fuerat ℣. 17. idque asserere pergit constantius, quam ut de sententia decessisse credatur.

℣. 27. NUMQUID ET VOS VULTIS, &c. Clam arguit Pharisæos, quod pervicacissime quavis arte peccatum in rebus a Jesu gestis scrutentur. An ista sedulitas, studium illud quærendi rem, uti gesta est, ex eo proficiscitur, quod vos quoque, quemadmodum ego, inter illius Discipulos recenseri velitis (23)?

℣. 29. NOS SCIMUS QUIA MOYSI LOCUTUS EST DEUS: HUNC AUTEM NESCIMUS UNDE SIT; sive unde veniat, vel a quo missus sit: homo ne a Deo productus, an impostor; omnino enim noverant, illum e Galilæa esse profectum, eaque in regione diu docuisse. Nequaquam relinquimus Moysem, certissime a Deo missum, ut ignotum obscurumque hominem sequamur: quasi nihili faciant testimonium, quod illi non semel exhibuit Joannes Baptista, quodque & prodigia illius & divina prorsus Doctrina reddere non desinebant (24). Ubi animus malo aliquo æstu agitur, nulla jam ex eo æqua bonaque ratio expectanda est.

℣. 30. IN HOC MIRABILE EST, &c. Fieri ne potest, ut homines, quorum est veros Prophetas a falsis dignoscere, quique se scire gloriantur, quid ex bono, quid malo e Spiritu oriatur, in re adeo perspicua hæreant? Homo sanctissimis moribus, ac divina docens, in me prodigium gerit urbi universæ perspicuum, quod ipsi negare non audetis; & dubitatis adhoc, utrum missus a Deo fuerit?

℣. 31. SCIMUS QUIA PECCATORES DEUS NON AUDIT. Ex vulgi opinione loquitur, atque uti Discipulus nondum probe institutus (25). Huic non semel favere videtur Scriptura. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, inquit Psalmista Ps. 65. 18. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis*, ait apud Isaiam 1. 15. Deus: *& cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Et 59. 2. *Aggravata est auris ejus ut non exaudiat: iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum*.

Dici etiam potest, dum homo peccatum amat, odit justitiam ac veritatem (26), dum charitatis ac Sancti Spiritus moventis atque excitantis vim non sentit, vocesque ad Deum tollit ex naturali tantum metu, ac sui amore, illum nequaquam a Deo exaudiri; quippe qui eas preces non audit, quas Divinus Spiritus in hominum animis non finxit, quæque ab alio quam ab ipso proficiscuntur (27). Atque ita verissime dicitur, quemadmodum hic cæcus ait, impios a Deo non exaudiri. Ad hæc, siquando illos audiat Deus, eo usque non audit, ut prodigia per illos gerat, aut extraordinariis honoribus ac donis eos prosequatur, eorumque sanctitatem luculentis adeo insolitisque indiciis vulgo manifestam efficiat (28).

Siquando permittit Deus, ut impii, impostores, falsi Prophetæ miracula edant, eosque ita exaudire videtur, exaudit & concedit iratus id quod ex misericordia non daret (29). *Metuendum, ne quod posset non dare propitius, concedas iratus*, ait S. Augustinus in Jo: tract. 63. num. 1. Ipsum quandoque diabolum exaudit, veluti cum potestatem Satanæ fecit, ut Jobum aggrederetur Job 1. 12. 2. 6. aut dæmoniis, ut porcorum gregem invaderent Luc. 8. 32. Neque idcirco putaveris, gratas Deo esse dæmonum preces; aut Hebræorum, quibus carnes dedit, cum murmure ac seditione postulantibus Num. XI. 39. sive placuisse Deo consilium Hebræorum, quos Regem eligere sivit, uti optaverant 1. Reg. 8. 22. Docuit his, ait S. Augustinus ep. 130. n. 26. nov. edit. ne animo cruciemur, cum aliquid quod male cupimus, non largitur; neque nobis placeamus, ubi dederit ea, quæ postulanda non erant, si nostra ipsi commoda intelligeremus. *Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem*, inquit idem Serm. 354. n. 7. *habete pro magno exaudiri ad utilitatem*. Cum igitur ait cæcus, *Deus peccatores non audit*, illud non significat, cum quis ex Deo irato aliquid impetrat; sed vota quæ propitius audit Deus, ob suam ipsius gloriam, nostramque sanctitatem: *Exaudiri ad utilitatem, non ad voluntatem*.

Alia duo ponit hoc loco cæcus, quæ cum veritate non constant; I. Christum Jesum nihil esse majus, quam probum virum & Prophetam; II. illum non sua ipsius virtute prodigia edere, sed per preces, palam aut clam habitas, quibus prodigiorum patrandorum gratiam ex Deo impetret. Christi Divinitatem, absolutamque & infinitam illius potentiam non agnovit, nisi post alloquium infra recitatum ℣. 35. 36. 37. 38.

Narratione hac de cæco nato abutebantur Donatistæ (30), ut evincerent, Sacramenta ab impiis administrata gratiam non conferre, & nulla esse. Falso autem hoc principio nitebantur, Sacramentorum vim ex administrantis præparatione meritoque pendere; cum doceat Ecclesia, Jesum Christum, Sacramentorum authorem atque Institutorem, invisibilem quoque illorum dispensatorem esse; atque a Christo, non ab homine administro vim & efficacitatem Sacramentis dari. Dum orat Minister, Ecclesiæ nomine orat; cum baptizat, id Jesu Christi & Ecclesiæ nomine agit. Preces, uti ab homine privato sunt, esse possunt malæ; at preces Ecclesiæ, cujus minister est homo, nunquam non exaudiuntur.

℣. 32. A SÆCULO NON EST AUDITUM. Nihil unquam tale præstitere Moyses & Prophetæ (31).

Qui

(18) Grot. hic & alias. (19) Selden. de Syned. & Grot. hic. (20) Drus. Grot. le Clerc, Capell. (21) Josue VII. 19. 1. Reg. VI. 5. Luc. XVII. 18. (22) Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Mald. Brug. Grot. (23) Theodor. Leont. Mald. (24) Vide Chrysost. Theophyl. Euthym. (25) Aug. lib. 5. de Bapt. *Hac adhuc inunctus loquitur: Nam & peccatores Deus exaudit; alioqui frustra publicanus diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.* (26) Jans. Tir. Nat. Alex. hic. (27) Rom. VIII. 26. *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Vide August. in Psal. CVIII. serm. 14. n. 2. (28) Leont. Theoph. Euthym. Mald. Brug. Menoch. Est. Jans. alii. (29) Vide Matt. VII. 22. Osee XIII. 11. Deut. XIII. 1. 2. & seq. (30) Vide August. hic; & lib. contra duas Epist. Parmen. cap. 5. & lib. 5. de Baptismo contra Donatist. cap. 20. & lib. 1. Retract. cap. 3. (31) Theodori duo, Cyrill. Leont. Grot. Mald.

Qui igitur verus Propheta non sit is qui hoc præstitit? An credibile est, impio favere Deum, eamque illi potestatem, quam nullis unquam viris sanctissimis largitus est, impertiti? Probabilis ad vulgi sententiam collectio: at re ipsa non prorsus vera. Prodigiorum magnitudo sanctitatem patrantis non semper ostendit. Hoc posito statim colligas, nonnullos e Jesu Christi Discipulis fuisse Magistro sanctiores, eum plura quam ille prodigia gesserint.

℣. 34. In peccatis natus es totus. Cum neque minis neque blanditiis quicquam se ex eo impetrare intelligerent, illum e cœtu ejicientes cum probro, anathemate inusserunt (32): *Ejecerunt eum foras*. Vetus incommodum illi exprobravere, veluti ortus maculam. Censent, editum esse illum in lucem peccati alicujus reum, ipsaque illius cæcitate evinci, latens aliquod peccatum ab eo admissum esse, antequam is nasceretur (33). Hoc ipso errore, uti animadvertimus, tenebantur Apostoli, antequam a Jesu docerentur (34).

℣. 35. Audivit Jesus. Divina, qua pollebat, infinitaque scientia noverat Christus: at ita se gerere voluit, quasi cæterorum hominum more disceret. Illatam homini injuriam a narrantibus audivit.

Tu credis in Filium Dei? Non statim dicit: *Credis in me?* Sensim & per gradus illum ad fidem ducit. Jesum Prophetam esse, jam iste crediderat: se Deum ac Messiam esse, illum docet Christus: *Credis in Filium Dei?*

℣. 36. Quis est, Domine? Putant nonnulli (35), cæcum natum minime dubitasse, quin Dei Filius esset Jesus; at nescisse, utrum Jesus is esset, quocum loquebatur. At multo probabilius (36) videtur sciisse, loqui se cum Jesu Nazareno, quem nondum nisi merum Prophetam existimabat. Rogat: Ubi, aut quis est Dei Filius, ut adorem?

℣. 37. Et vidisti eum. Ipse ego sum. Potentiam illius expertus es; ille cæcitatem abstulit: *Vidisti eum*.

℣. 38. Credo, Domine, &c. & Messiam & Dei Filium fateor; simulque adorat, & supremo cultu, qualis unum Deum decet, veneratur (37). Illum hactenus nonnisi uti merum hominem, quamquam sanctissimum, & Prophetam crediderat: cum vero Dei Filium esse audiit, adorat. *Vis videre qualem credat? Et procidens adoravit eum*, inquit hic S. Augustinus.

℣. 39. In judicium ego in hunc mundum veni. Quod vero judicium? *Ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*. Hanc ad rem in terras veni. Ethnici, in tenebris versantes, lumen accipient; Judæi, quibus lux fulget, in tenebras ruent. Sacerdotes, Pharisæi, Legis Doctores, qui Legem callent, cæci fient; ac maxime rudes e vulgo, quibus recta mens est animusque minime corruptus, fidei ac veritatis lumine illustrabuntur.

Usurpatur hic judicium & pro sententia, quam Christus in superbos pervicacesque Judæos pronunciat (38), & pro gratia, quam Ethnicis in Ecclesiam ingressuris largitur; vel pro ostensione divini in homines judicii, quorum alii in infidelitate perseverant, alii fidei lumen accipiunt, arcano & obscurissimo Divinæ Justitiæ Sapientiæque consilio (39). Ita Simeon senex ajebat, venisse Christum in multorum ruinam ac resurrectionem Luc. 2. 34. ita Jeremias 2. 10. mittitur ut destruat ac restituat, evellat ac plantet: ita jubetur Isaias 6. 10. excæcare & obdurare Judæos. Quid futurum esset, docere voluit his verbis Spiritus Sanctus, non rei futuræ causam aperire (40), quæ ex unius humanæ mentis duritie, Divinorumque judiciorum sublimitate repetenda est. Rom. xi. 33.

℣. 41. Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Si ea vobis esset animi demissio, ut ignorantiam atque imbecillitatem vestram agnosceretis, atque utrique medicinam studiose quæreretis, statim omnis abesset culpa. Cum vero ambitione tumeatis, vestra in cæcitate flagitioque versamini (41). Cæcitatem peccatum illorum nuncupat; cum enim voluntaria illis esset, non carebat crimine, neque locum excusationi relinquebat.

(32) Leontius, Brug. Ligf. (33) Theodor. Heracl. & Theodor. Mopf. Cyrill. Leont. Mald. (34) Vide sup. ℣. 1. 2. 3. (35) Theophyl. Leont. (36) Theodor. Heracl. & Theod. Mopf. & Mald. Grot. (37) Mald. Brug. Grot. (38) Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. August. (39) Vide Cyrill. hic; & Cornel. a Lapide. (40) Theodor. Heracl. & Mopf. Theodoret. in Cat. Cyrill. Euthym. Mald. (41) August. Beda hic; Eucher. quæst. in Joan. alii. Brug. Grot. Mald.

C A P U T X.

Bonus Pastor. Ejus notæ, oves, ovile. Unum ovile faciet Christus. Ad Templum sacra dedicationis die venit Jesus. Instant Judæi, palam fateatur, utrum ipse sit Messias. Ejus rei argumento sunt prodigia. Lapidibus illum obruere moliuntur. Se ipse tuetur Jesus rebus in commodum Judæorum gestis.

℣. 1. Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. 4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum. 6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves. 9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & pascua inveniet. 10. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor

ani-

animam suam dat pro ovibus suis. 12. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. 14. Ego sum pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. 15. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. 16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor. 17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi a Patre meo. 19. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos: 20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dœmonium habet, & insanit: quid eum auditis? 21. Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire. 22. Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis, & hyems erat: 23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. 27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: 28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego & Pater unum sumus. 31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. 34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, dii estis? 35. Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: 36. Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis. Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. 39. Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum. 40. Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum: & mansit illic. 41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum. 42. Omnia autem, quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

℣. 1. QUI NON INTRAT PER OSTIUM. Ut orationem hanc probe percipias, animadverte, habitam a Christo Jerosolymis hanc concionem, eodem ipso loco, quo ipse cæcum sanatum obvium habuit. Cum se ipse cæco prodidisset, docuit, se mundi lucem esse; at statim addidit futurum, ut ea luce alii cæci fierent, alii illuminarentur. Pharisæi, qui aderant, dicta sibi esse censuerunt, quæ Jesus de mentis cæcitate disputavit. Illis itaque indignantibus, ait Jesus, si cæcos sese faterentur, illos facile cæcitatem relicturos. Pergit hic, & pastoris gregisque parabola ostendit, Ecclesiam suam ex Ethnicis ac Judæis sese compositurum: ex utriusque illos dumtaxat admissurum, qui suam ipsius vocem audierint. Quamobrem eadem est, quamquam aliis verbis, sententia, quæ superiori Capite ℣. 39. *Ego veni, ut qui non vident cæci fiant.* Incredulí arrogantesque Judæi, instituta mea contemnentes, oves sunt, quæ pastoris vocem non audiunt; ii, sunt, qui cum se videre arbitrentur, non vident; & qui exuta cæcitate lucem aspiciunt, Ethnici sunt, ad fidem accessuri, & Judæi qui fidem amplectentur.

Lux mundi, pastor bonus, ovilis ostium, est Christus Jesus. Pastores mali, ii qui cæci sunt sponte sua, latrones, fures, sunt pseudo-Christi, pseudo-Prophetæ, pessimi Sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi, Jesu Christi hostes. Ovile unum e gregibus duobus in unum collectis coalescens, Ecclesia Christiana est, ex Ethnicis Judæisque conversis composita. Sensus parabolæ est, atque ita cum superioribus nectitur. Nunc ad Evangelistam.

Qui non intrat per ostium in ovile, vel septum ovium (r), scilicet intra claustrum sepibus seu vallo cinctum, ubi noctem agunt oves toto anni spatio apud Palæstinos; *sed ascendit aliunde*, qui vallum transiit, neque bono consilio invadit, venit ut mactet, perdat, rapiat: fur est & latro. Ii sunt pseudo Prophetæ (a), pseudo-Christi, ac præsertim Pharisæi, quos alloquebatur Christus, in illud maxime incumbentes, ut uni ipsi populi Doctores ac Principes haberentur, insanisque odiis sævientes in eos, qui aliter atque ipsi sentirent.

Me insectamini, veluti ultro introsum ac temerarium, qui gregem alienum ducere ac pascere audeam. At vos ipsi pseudo-Pastores estis, ultro in-

(r) Εἰς [illegible] αὐλῆς. Homer. Odyss. [illegible]

(a) Hieronym. lib. 2. contra Pelag.

intrusi (3). Verus ego Pastor sum, a Deo missus, ut errantes e domo Israelis oves quæram Matth. xv. 24. Vos in ovile per ostium, vocante Deo, ejusque Spiritu authore, non intrastis. Eo vos impulere ambitio, malusque vestri ipsorum amor: detinent error & superbia. Non pascitis gregem optimis institutionibus: perniciosa doctrina, pessimo exemplo, illatoque superstitionis & pertinaciæ spiritu mactatis.

℣. 2. Qui intrat per ostium, pastor est ovium. Pastor septi dominus est; cum libuerit, ingreditur; sepem non transilit; non dissimulat, non latet, quippe qui ad gregem suum invisendum & curandum accedit. At latro vel confringit fores, vel transilit vallum. Ovilis ostium, veterum Patrum sententia (4), sacra Biblia sunt. His veluti clavibus aperiuntur mentes, cum Pastores sacrorum voluminum authoritate confirmant dogmata, quibus oves imbuunt. Aptior tamen videtur de Divina vocatione interpretatio (5). *Nec quisquam sumit sibi honorem* Sacerdotii, atque Ecclesiastici Pastoris munus; *sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Hebr. 5. 4.

Christus ipse infra asserit, sese ovilis ostium esse (6), idque ipsum hic quoque usurpandum esse, Patribus bene multis (7) videtur. At qui esse potest ostium simul & Pastor? Ecclesiæ quidem Christianæ utrumque, varia ob munera. Nihil hic negotii est: illud potius difficultatem movet, qui esse idem potuerit ostium veteri Legi, ac Pharisæis, quibuscum loquebatur. Qua ratione Pharisæi fures erant ac latrones, quod per Jesum minime ingrederentur? Duo his reponimus, I. Doctores Legis, & eos, qui sese Judæorum pastores esse gloriabantur, a Christo Jesu veluti Deo fuisse mittendos. Omnes ille Prophetas hoc nomine atque authoritate misit. II. Jesus, uti Messias, verum erat ovilis ostium; statimque ut inter homines prodiit, ac perspicua missionis suæ argumenta & institutionibus & prodigiis exhibere cœpit, sese Judaicæ Religionis Caput ac Principem præbuit. Penes illum omnis collecta est potestas docendi, explicandi, dispensandi, creandi, removendique Legis ministros. Nemini jam licebat docere, nisi per ipsum ipsiusque authoritate ac missione. Pharisæi, qui nedum ab eo missi non fuerant, sed illi ubique repugnabant, per ostium minime ingrediebantur. Esse nisi fures latronesque non poterant.

℣. 3. Huic ostiarius aperit. Animadverte, olim ovium septa in agro fuisse, vel in domorum chortibus. Illis claudebantur oves per diem, vel ubi domum seduci non possent, longioris itineris causa: his noctu per æstatem colligebantur. Posteriora hæc septa in angulo chortis erant (8), illorumque clavis, non secus ac domus, penes janitorem erat. Cum pastor accederet, janitor secure aperiebat, ut oves inviseret, curaret, vocaret, lustraret. Hoc porro illius negotium erat. Janitor Deus ipse est, pastores mittens (9).

Proprias oves vocat nominatim. Vides hic Pastoris amorem. Oves suo singulas nomine donat: audiunt illæ, & unaquæque intelligit, quam vocet Pastor. Oves e grege Domini, homines universi sunt. Venit Christus, ut omnes ad fidem (10) ac salutem vocet, nullo Judæorum Ethnicorumque discrimine. At præcipuum illius ovile, electus grex, Judæi sunt. Hoc in ovili oves sunt

morigeræ, Judæi nimirum fideles, qui Pastoris Christi voces excipiunt; & sunt indociles ac refractariæ, mali nempe Judæi, Pharisæi, & horum similes.

Præter electum hoc ovile, aliud est multo amplissimum, at minus nobile; Ethnici scilicet (11). Ex his nonnullos elegit Christus, sibi credituros; alios rejecit, in errore permansuros. Ex Judæis Ethnicisque ad sua sacra conversis suam ille condet Ecclesiam, cui potissimum ea conveniunt, quæ de grege ovibusque dicuntur (12). Toto enim hoc Capite distinguenda sunt sedulo tempora & rerum adjuncta, quæ non semper in parabolis secernit Christus. Interdum quippe agit de Ecclesia, qualis futura erat olim, non qualis tunc erat. Sæpe etiam Judaicæ Ecclesiæ illud tribuit, quod dumtaxat convenit Christianæ: illa enim instar arboris erat, cui inserenda esset Christianorum Ecclesia.

℣. 4. Ante eas vadit, Pastores in Scripturis interdum sequi gregem dicuntur (13), interdum præcedere, ovesque ducere, quemadmodum hic. Psal. lxxix. 1. *Qui regis Israel, qui deducis velut ovem Joseph*. Psalm. 22. 2. *Dominus regit me, in loco pascuæ ibi me collocavit*. Et Psalm. 76. 20. *Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi & Aaron*. Quibus verbis illud innititur, pastorem gregi præcedere. Jesus Christus & Apostoli gregis sibi crediti forma sunt & exemplum (14).

Sciunt vocem ejus, sibilum; obtemperant, timent. Id multo verius est in moralibus rebus, quam in physicis. Veri Fideles profanam quamlibet nos irantem, doctrinamque a legitimis Pastoribus minime traditam execrantur. At Pastorum institutionibus dociles sunt, eorumque jussionibus planissime parent.

℣. 7. Ego sum ostium ovium. Per me oves in ovile ingrediuntur; per me Pastor ad gregis regimen venit. *Dicant Pagani: Bene vivimus. Si non intrant per ostium*, inquit S. Augustinus hic Tract. 45. num. 1. *quid prodest eis unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse videre, ut detur illi semper vivere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt*. Pastor aliunde quam per ostium ingrediens, falsus est Pastor, imo lupus rapax. Nisi Dei Filius cum ingrediente sit, quo pacto muneris sui officium expleturus est? Quis illum cognitione & gratia instruet, quibus opus est, ut gregem bene doceat, ducat, corrigat, recreet? Vide supra in ℣. 2.

℣. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt. Græcus legit (15): *Omnes quotquot ante me venerunt, &c.* Hæc tamen verba, *ante me*, in Græcis Codicibus quamplurimis, Syriaca, Persica, Gothica, Patribusque bene multis (16) desunt. Sub ipsum Ecclesiæ initium ablata fuisse censent nonnulli ex Eruditis, Manichæorum causa, qui, Theophylacto teste, ex iis colligebant, omnes Veteris Testamenti Prophetas missos a Deo non fuisse. At passim Jesus Prophetas commendat, nihilque his verbis aliud vult Jesus, nisi eos omnes, qui ante ipsum Messiæ nomen ac dignitatem usurpaverant (17), veluti Theudam, & Judam Gaulonitem, de quibus in Actis 5. 36. fures esse ac latrones, eos qui antea venerant, neque missione, neque prodigiis fultos, veluti Pseudo-Prophetas (18)

[3] Chrysost. Theophyl. Euthym. Cyrill. Maldon. Brug. [4] Chrysost. Theoph. Euthym. Leont. [5] Maldon. Brug. Grot. alii. [6] ℣. 7. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, &c.* [7] Cyrill. August. hic; Greg. Magn. homil. 15. in Ezech. Beda, Rupert. [8] Vide Homer. Odyss. O; & Columell. lib. 7. cap. 3. & Varron. cap. 2. [9] Theodor. Heracl. Rupert. Maldon. alii. [10] 1. Timoth. 2. 4. *Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* [11] Infra ℣. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.* [12] Maldonat. Cornel. a Lapide, alii plerique. [13] 2. Reg. vii. 8. Psalm. lxxvii. 71. [14] 1. Petr. v. 3. *Facti forma gregis.* [15] Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον. [16] Vide Mill. Var. Lect. hic. [17] Chrysost. Theoph. Euthym. Cyrill. Theodor. Heracl. & Mopsuest. Mald. alii. [18] August. lib. 16. contra Faust. cap. 12. & lib. 2. contra adversar. Legis & Prophetas. Hieron. lib. 2. contra Pelag. Beda hic.

Pharisaicarum Traditionum, sectarumque tunc temporis inter Judæos obtinentium Authores, hos, inquam, omnes, veros non fuisse Pastores.

℣. 9. INGREDIETUR ET AGREDIETUR, ET PASCUA INVENIET. Ingredi & egredi, apud Hebræos (19), omnia vitæ negotia, agendi otiandique, eundi aut manendi libertatem significat. Bonus Pastor gregem in agrum ducet reducetque; illius curam geret; illum vero Deus optimis auspiciis prosequetur; pascua ille inveniet; augebitur grex; ipse cognitione gratiaque cumulabitur. Id luculentius intelligitur ex mali pastoris incuria, qui gregem negligit, deglubere & mactare satagit, pro salubribus pascuis venenatas gregi herbas lethiferumque virus præbet. Siquando gregem in agrum ducit, illum agit in præcipitia, locaque sterilia & perniciosa.

℣. 10. FUR NON VENIT NISI UT FURETUR. Qui Ecclesiastica munera ambitione & superbia affectant, suumque dumtaxat in iis commodum quærunt, eo non veniunt, *nisi ut furetur & mactent & perdant*. Horum vita & mores rudioribus laqueus sunt, & offensio: doctrina est mortis cibus; eorumque criminibus Divinus furor in ipsos gregemque provocatur. *Væ pastoribus Israel*, ait Dominus Ezech. 34. 2. *qui pascebant semetipsos! Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis*. Hæc Ezechielis verba, & præsens Jesu Christi oratio, qua mali pastores describuntur, Pharisæorum, Legis Doctorum, pessimorumque ejus temporis Sacerdotum ingenium & flagitia pingunt, qui superbia, ambitione, avaritia, hypocrisi, superstitione mirum in modum excellebant.

UT VITAM HABEANT. Abunde oves pasco, easque ago in pascua pinguissima: studiosissime curam illarum gero. Advigilo; illarum malis doleo; vulneribus medeor, lupos ferasque arceo. Atque ut ad rem a figura gradus fiat, Christus purissima exhibet Fidelibus dogmata, sanctissimum vitæ institutum: beneficiis & gratia illos cumulat, dum vivunt, æternamque illis vitam, cum obiere, largitur (20): *Ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Vide infra ℣. 18. Aliter plane se gerunt falsi Pastores, qui idcirco veniunt, ut mactent ac perdant.

℣. 11. BONUS PASTOR ANIMAM SUAM DAT PRO OVIBUS SUIS. Discrimini vitam objicit, ut gregem tueatur: temporum incommoda, frigus, æstum, imbres fert, ne gregem lupis deferat. Eximium hujus rei exemplum Jacob Gen. 31 40, *Nec captum a bestia ostendi tibi: die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. David ad Saulem (21): *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos*.

En veri Pastoris exemplum. Quanto majora gregis sui causa præstitit Christus? Suam ipse vitam & quietem neglexit, sanguinem præbuit, se ipse hostibus dedidit; seque Patri victimam in Cruce obtulit, ut oves, quæ in lupum, diabolum nempe, incurrerant, liberaret. Post obitum vero, Ecclesiam tueri, gregem suum defendere, pascere, recreare tum divino lumine, tum interiori gratia, tum effuso in Fidelium animos Spiritu suo, tum denique constitutis in Ecclesia Pastoribus, simili ardore, charitate, Spiritu instructis, non desinit. Tales fuere Apostoli, & magno numero Episcopi, vitæ sanctitate, & Ecclesiæ amore præstantissimi. Tales etiam innumeri fuere inferiori gradu Pastores, qui peculiares locorum Ecclesias moderati sunt, ac moderantur. Heliodorus Æthiop. lib. 5. pag. 224. Pastorem describit ad sonitum obliquæ tibiæ gregi pascua distribuentem; & oves ad sonitum ejusdem tibiæ in pastione perseverantes.

℣. 12. MERCENARIUS AUTEM, ET QUI NON EST PASTOR, &c. Egit supra de fure vallum transiliente, ut in ovile irrumpat, gregemque mactet ac perdat. Aliud hic pestilentium hominum genus describit, mercenarios nimirum, qui operam suam pascendo gregi ob mercedem locant, nullaque gregis cura tanguntur. Hi, ubi lupum vident, nedum non repugnant fugantque & voce & manu, sed fugiunt ipsi, gregemque lupo diripiendum relinquunt. Facilis est allegoriæ explicatio (22).

℣. 14. COGNOSCO OVES MEAS. Non eam solummodo cognitionem hic significat, quæ in contemplatione consistit, & in mercenario interdum Pastore, ovibusque male curatis invenitur; sed eam, quæ benevolentia & amore perficitur. Oves suas cognoscit Christus & amat: illarum imbecillitatem novit, & tolerat: imas illarum mentes pervidet, piaque in iis desideria motusque sanctissimos elicit. Illum vicissim norunt oves, amant, quærunt, libenter utiliterque audiunt. Addit ℣. 15. se nosse illas ita, *sicut novit illum Pater, & ipse agnoscit Patrem*: quibus verbis intima atque absolutissima cognitio significatur, cum amore, obsequio, obedientiaque conjuncta; mutua charitatis & concordiæ conversio (23). Cave abutaris hoc loco, ut Fideles Jesu Christo æquales esse colligas, aut Jesum Christum Patri æqualem esse neges. Mutuam dumtaxat absolutamque cognitionem hic innuit Christus, qualem personarum natura fert: absolutissimam infinito modo inter Christum & Patrem; minus vero absolutam inter Fideles (24).

℣. 16. ALIAS OVES HABEO, QUÆ NON SUNT EX HOC OVILI; Ethnicos nimirum, qui Judæorum, quos alloquebatur Christus, ovilis pars non erant. Hos acturus erat Jesus, non in Judæorum ovile, cum ex ipso Judæorum numero secreturus esset electos; sed in Ecclesiam, in quam cogendi erant Judæi atque Ethnici, ut ex iis ovile unum sub uno pastore coalesceret: *Et fiet unum ovile, & unus Pastor*. Vide Rom. x. 12. Ephes. 11. 14. *Ipse fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens*.

℣. 17. PROPTEREA ME DILIGIT PATER, &c. Inter causas, cur me amet Pater, ex ultimis non est, quod ego vitam ob gregis utilitatem prodigam. Loquitur hic Christus, uti homo est (25). Ait, *ponere se animam* (vitam) *suam, ut iterum sumat eam*; videlicet idcirco se mori, quod sponte mortem subeat; mori se, ut redivivus surgat; neque ullam mortis necessitatem sibi aut ex se aut ex Patre instare (26). Morti occurro, quia Patrem amo; in mortem propero, quia volo. Neque ita morior, ut iterum victurus non sim: vitam mihi restituam, cum voluero: *Pono animam meam, ut iterum sumam eam*. Nota conjunctionis *Ut* non causam aut finem mortis, sed quæ mortem consequuntur, significat (27).

℣. 18. NEMO TOLLIT EAM. Egomet sponte dedo:

(19) Deut. xxviii. 6. 1. Reg. xxix. & 2. Reg. iii. 25. 2. Par. i. 10. Psalm. cxx. 8. (20) Aug. Beda, Chrysost. Theodor. uterque, Theophyl. Euthym. (21) 1. Reg. xvii. 34. Vide & Amos, iii. 12. & Isai. xxxi. 4. Homer. Iliad. Σ. v. 161. (22) Greg. homil. 14. in Evang. *Non pastor sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad mercedes temporales pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit*. (23) Cyrill. in Catena Gr. Mald. Grot. Brug.
(24) Vide Chrysost. Theoph. Leont. Euth. Mald. Brug. Est. alios. (25) Vide Euth. & alios Gr. Mald. Vat. Brug. (26) Aug. hic: *Ego animam meam pono. Non glorientur Judæi: Sævire potuerunt, potestatem habere non potuerunt*, &c. (27) Theodor. Mopsu. Euth. Mald. Grot.

do: eam quippe dedere atque iterum sumere pro arbitrio possum. *Hoc mandatum accepi a Patre meo*. Patris mei voluntati hac in re obsequor. Seu moriar, seu redivivus surgam, illi obtempero. Uti homo hic etiam loquitur; quippe uti Deo Pater illi non imperat.

℣. 19. Dissensio iterum facta est, similis alteri, supra IX. 16.

℣. 22. Facta sunt Encaenia, Sive, Festum agebatur expiationis Templi, ejusque restaurationis, in monumentum rei sub Juda Macchabæo gestæ, quo tempore Templum ab Antiocho Epiphane profanatum (28), purgavit Judas, intermissaque per triennium sacrificia iterum induxit (29). Templi expiatio primum habita est, ac deinde celebrari consuevit die xxv, mensis Casleu, qui mensis cum Decembri congruit. Ita inter ea, quæ superioribus membris narrata sunt, & ea quæ hic legimus, alia multa fluxere, duorum mensium spatio (30). Quid egerit Jesus, e Galilæa Jerosolymam ad Festum huc proficiscens, narrat Lucas (31).

Et hyems erat, die XVIII, Decembris, XXV. mensis Casleu. Reddi potest Græcus (32) *Gravis erat aeris tempestas*. Hoc animadvertit Evangelista, ut significet, cur Christus sub porticu Salomonis se teneret, quippe quem prohiberet hiberne esset in atrio, sub dio (33).

℣. 23. In porticu Salomonis, ita dicta vel a similitudine porticuum olim a Salomone in Templo conditatum, vel ab aliquo illius ornamento. Hanc nonnulli ad meridiem collocant (34), alii ad orientem (35). Posterior hæc opinio probabilior videtur; porta enim Templi, cognomine *Speciosa*, ad Templi orientem erat, authore Josepho de Bello l. 6. c. 12. hærensque porticui Salomonis, uti colligitur ex Actis 3. 1. 2. 11. In Templo Zorobabelico, & altero quod Herodes condidit, servatum ferme est Salomonici exemplum, nonnullis tamen mutatis.

℣. 24. Quousque animam nostram tollis? Quo tempore Christus proxime antea Jerosolymam venit, per Tabernaculorum Festum, inter Judæos de illo disceptatum est (36). Alii, prodigiorum ab eo gestorum perspicuitate coacti, Messiam esse asserebant; aliis vel invidia vel odio occupatis, impostor vel insanus esse videbatur. Post alterum mensem, in Dedicationis Festo, certatim ad illum confluentes, rogant: *Quousque animam nostram tollis*, animo suspensos detines? *Si tu es Christus, dic nobis palam*. An non satis luculenter hoc ipsum dixerat? Neque diserte satis Joannes Baptista id asseveraverat? An illius dogmata & prodigia persuadere non poterant? Veritatem illi agnoscere non studebant, sed calumnias laqueosque Jesu Christo struere conabantur (37). Optabant omnino, ut ille sese Judæorum Regem diceret, quo seditionis reum apud Romanos accusarent. At omnibus ille titulis ac nominibus vel levissime suspectis studiose abstinuit, ne hostes merito damnatum dicerent. Sedulo cavit, ne illorum nequitiæ atque odio arma præberet.

Quousque animam nostram tollis? suspensum & inquietum animum significat, quem cruciat discendæ aut obtinendæ rei alicujus desiderium (38). Sive: *Cur animam nostram aufers*, furaris (39)? Usitata Hebræis locutio, qua significant, dissimulare sententiam, cæteros in suspenso relinquere. Ita (40): *Furatus est Jacob cor Labani*, Labano inscio abiit. Et 2. Reg. 15. 6. *Absalom furabatur corda filiorum Israel*, imprudentes in secessionem a Patre inducere moliebatur. Alia omnia meditabatur, quam quæ præseferret. Secretis cuniculis animi sui decreta moliebatur.

℣. 25. Loquor vobis, et non creditis. Nonne dixi, me lucem mundi esse, Dei Filium, Pastorem bonum, venisse me, ut homines servem, in vitam libertatemque restituam ac redimam; moriturum me, futurumque redivivum; penes me esse vitæ meæ ac mortis arbitrium? Nondum ne sensistis, me imas vestrarum mentium cogitationes pervadere, atque infinitas mihi esse patrandis miraculis vires? Ea vero prodigia nonne *testimonium perhibent de me*? Nonne satis aperte docui, mihi Patrem esse Deum, me unum cum illo esse, & æquali cum illo potestate gaudere? Satis ista superque sunt homini rem perpendenti, ac bene comparata.

℣. 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis (41). Non estis e grege, quem mihi tradidit Pater, non estis oves dociles ac fideles, quas ego in ovile meum collecturus sum, & ex quibus Ecclesiam meam compositurus. Oblatæ vobis gratiæ restitistis; micantique vobis luci oculos clauditis.

℣. 28. Vitam æternam do eis. Eadem est sententia, quæ supra ℣. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Vitam nunquam desituram abundantia significat. Potest quidem vulgaris pastor oves a lupo defendere, atque alicujus morbos curare: at potest nemo vitam illis æternam largiri. Id unius Jesu Christi est. Ovilis illius oves *non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu ejus*; nisi tamen sua ipsarum culpa ex ovili fugiant vel hæresi vel seditione, aut ipsæ sibi necem consciscant, fugiantque Pastoris manus, ut sese inimico, nempe Dæmoni, tradant (42). Vide supra ℣. 56.

Explicari etiam possunt ℣℣. 26. 27. & 28. ex S. Augustini Sententia (43): Jesu Christo non credebant Judæi, neque illius voces excipiebant, quod ex ovium ac prædestinatorum numero non essent: qui vero ex ovibus erant, audiebant, credebant, vitam æternam habebant, quam nemo auferre posset; Deus quippe mero misericordiæ suæ beneficio ipsis ad gloriam prædestinatis paravit adminicula, quibus certissime salutem assequentur; quos, tametsi peccare possunt, & gratiam justificationis amittere, tamen in finem usque non deseret. Ex hoc prædestinationis ordine, addit, *quam multæ oves foris* (extra ovile sunt), *& quam multi lupi intus! & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris!* Qui nunc lupus est, ovis fiet, & qui ovis est, impœnitens, & Deo exosus morietur. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Rom. 11. 33.

℣. 29. Quod dedit mihi, majus omnibus est. Ecclesia, quam mihi Pater meus dedit, ex ovibus meis composita, munus omnium maximum, pretiosissimum ac locupletissimum est. Nihil dare potuit aut se dignius, aut mihi jucundius. Plurimi illud facio, neque rem tanti pretii unquam amittam. Locum hunc Patres (44) vulgo de natura & potestate divina, quam Pater æterna generatione Filio dedit, interpretantur. Rerum omnium maxima est ea natura & potestas; ni-

(28) 1. Macc. IV. 39. 2. Macc. X. 6. 7. 8. Joseph. Antiq. l. XII. c. 11. Ita Rupert. Mald. Vat. Beug. alii. (29) Vide nos in 1. Macc. IV. 52. (30) A die XVII, Octobris, ad XVIII. Decembris anni ejusdem XXXV. J. C. ex Toynardo. (31) Luc. XVII. 11. . . . 37. & XIII. 1. . . . 14. (32) Καὶ χειμὼν ἦν. (33) Cyrill. hic. Vide & Ligf. Grot. & le Clerc. (34) Mald. Menoch. (35) Grot. Ligf. (36) Infra IX. 12. & hic ℣. 19 20. 21. (37) Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. Mald. Beug. Grot. (38) Vide Deut. XXIV. 15. Psal. XXIV. 1. LXXXV. 4. Jerem. XXII. 27. (39) Vide Lud. de Dieu. (40) Genes. XXXI. 20. 26 ויגנב יעקב את לב לבן. (41) Græcus addit: *Quemadmodum dixi vobis*; Οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν, καθὼς εἶπον ὑμῖν. Hæc tamen verba in Codicibus bene multis non leguntur. (42) Origen. t. 19. in Joan. alii. (43) Vide Aug. tract. 48. & 49. & Bedam hic. (44) Tertull. Ambr. Aug. Hilar. Beda.

hilque e creatis rebus cum ea comparari potest. Græci (45) aliter legunt: *Pater meus, qui dedit mihi* (oves meas), *major omnibus est*, omnibus longe superior: eas nemo illi aut mihi auferet, cum Pater meus, qui mihi dedit, omnes inferni vires, omnemque hominum nequitiam longe superet.

℣. 30. EGO ET PATER UNUM SUMUS, essentia una & natura (46): par utrique potestas & virtus. Ipse Ecclesiæ oviumque mearum defensor. Patria est quod est meum. Quemadmodum auferre illi nemo potest quæ is servare voluerit; ita oves meas nemo auferre mihi poterit (47).

℣. 31. SUSTULERUNT LAPIDES, UT LAPIDARENT EUM, veluti blasphemiæ reum Levit. 24. 14. qui sese unum cum Deo esse diceret. Concurrerunt ad lapides, at illis Jesum non impetivere, quippe quos ille consequenti oratione compescuit.

℣. 32. MULTA BONA OPERA OSTENDI VOBIS: ægris incolumitatem restitui, a Dæmone actos liberavi, pavi multitudinem, patientissime vos docui: istamne gratiam refertis? *Ostendere bona* est bene facere. Hebraicus loquendi modus, similis hisce Psal. 4. 6. *Quis ostendit nobis bona?* Quis bene nobis faciet? *Ostende nobis misericordiam tuam* Psal 84. 8. fac experiamur. *Ostendisti populo tuo dura* Psal. 59. 5. populum dure tractasti. *Quantas ostendisti mihi tribulationes* Psal. 70. 20. Quam multis me malis obnoxium fecisti?

℣. 34. NONNE SCRIPTUM EST IN LEGE VESTRA: QUIA EGO DIXI, DII ESTIS? Locus e Psalmo 81. 1. quem *in Lege* recitatum ait Christus, quod *Legis* nomine omnes Veteris Testamenti Libros complectatur (48). Locus hic recitatus ad Judices ac Principes regendo judicandoque Dei populo destinatos pertinet. Hos monet Psalmista, ut æquum unicuique jus integra fide reddant, utpote qui in ipso Dei solio sedent, quorumque medius est Deus. *Deus stetit in synagoga Deorum* (seu *Principum*): *in medio autem Deos* (sive *Deorum*, vel *Principum*) *dijudicat*. Traditisque nonnullis ad ipsorum institutionem spectantibus, pergit: *Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini*, &c. Ne in superbiam efferamini, vel abutamini potestate.

℣. 35. SI ILLOS, AD QUOS SERMO DEI FACTUS EST, &c. Si Prophetæ appellantur Dii, quod verba faciat ad illos Deus, multo magis Deus est Dei Verbum. *Si ergo vos Deos facit sermo Dei, quomodo non est Deus Verbum Dei?* inquit S. Augustinus. Si homines, quos Deus constituit Judices, suæque authoritatis parte donavit. &c. Vel absolute, ii de quibus hic agitur. *Ad quos sermo Dei factus est*, idem est ac, *De quibus sermo Dei factus est*; uti (49): *Ad quem nobis sermo*, pro, *De quo nobis sermo*. Si Judices, de quibus Psalmista, vocantur Dii, multo potius mihi, qui vere sum Deus, fas est, præter impietatis notam, nomen istud usurpare, meque Deum ac Dei Filium dicere (50).

ET NON POTEST SOLVI (mentiri) SCRIPTURA. Adeo perspicua est hujus loci sententia, ut repugnare nemo queat. Divinus ipse Spiritus homines vocat Deos. Minime igitur pugnat Dei hominisque proprietas cum Deorum ac Filii Dei appellatione. Unum est discrimen, quod ad eos, de quibus Psalmista, verba seu præcepta dedit Deus. *Quem igitur Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?*

Restat ut hoc unum evincat, se *sanctificatum a Patre, missumque in mundum*, mandata sibi dedisse Patrem, seque ab eo destinatum, ut salutis viam homines doceat: *sanctificare* enim non raro est aliquem ad sacrum aliquod ac certum munus destinare, comparare, consecrare (51). Nemo autem negaverit, Jesum a Deo missum esse, Divino Spiritu cumulatum, Divinaque potentia instructum, ac modo prorsus longe nobilissimo, quam cæteros veteris Testamenti Prophetas. Luculentissimo ejus rei argumento sunt prodigia, quibus illius prædicatio fulciebatur, authoritas, qua miracula edebat (52). Nihil igitur iniquins, quam objectum Jesu Christo crimen de affectata Dei ac Filii Dei appellatione. Tametsi merus Propheta esset, Judex Israelis, populi sui Princeps, eo nomine spoliari non poterat, teste Scriptura. Multo igitur verius illud usurpat, cum Filius sit Patri coæternus & consubstantialis.

℣. 37. SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI, &c. Mendax haberi volo, & impietatis reus, nisi ea præsto, quæ unius Filii Dei sunt, Messiæ, atque Hominis Dei. Sin præsto, id quod nemo negaverit, ℣. 38. *cognoscite* igitur *& credite, quia Pater in me est, & ego in Patre*; me unum esse cum Patre, & eamdem utrique potentiam ac naturam. Tota Jesu Christi collectio hujusmodi est: Quorum opera eadem & una sunt, unum idemque sunt ipsi: atqui mea & Patris opera una eademque sunt: Ego igitur & Pater unum sumus. Reus igitur blasphemiæ non sum, qui me & Patrem idem unumque esse dico. Ut sua ipsius opera eadem quæ Patris esse evincat, ad ipsa provocat opera, quibus omnes insunt Divinitatis notæ.

℣. 39. QUÆREBANT EUM APPREHENDERE. Christi adversariis hæc argumenta non persuasere. Quamobrem illum capere conati sunt, rem peracturi, nisi is secessisset; qua ratione incertum, silente Evangelista.

℣. 40. ABIIT TRANS JORDANEM, Bethabaram, seu Bethaniam, ubi baptismum Joannes exercuerat, & quo illum convenit Jesus, post quadraginta dierum jejunium Joan. 1. 28. . . 44.

℣. 41. MULTI VENERUNT AD EUM. Facere non potuit Pharisæorum malitia, quin multi, qui illum audiverant, illi crederent, illumque convenirent trans Jordanem, quo ille secesserat, hostium furorem declinaturus, quod constitutum sibi tempus nondum adesset. Animadversione digna est multitudinis argumentatio, quæ Joannis testimonio, & ipsius Christi miraculis nititur; argumentis certe simplicissimis ac popularibus, at validissimis. Pharisæi Legisque Doctores, tametsi Eruditi, sanam adeo collectionem ducere nesciebant.

(45) Ὁ Πατήρ μου, ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί. Ita & Syr. Arab. & PP. Græci. Sed Aug. Hilar. Copht. Vetus. Cyrill. & Vulg. *Quod dedit mihi, majus*, &c. Ὃ δέδωκέ μοι μεῖζον, &c. (46) Ita Patres, & Interpretes Catholici omnes contra Arianos. (47) Hilar. Leont. Theophyl. (48) Joan. XII. 34. *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum*. Ex Psalm. CIX. 4. CXVI. 2 Isai. XL. 6. & Joan XV. 25. *Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis*. Ex Psal. XXIV. 19. (49) Hebr. IV. 13. Vide & Jerem. XXX. 4. (50) Maldon. Brug. Cornel. Natal. Alex. hic. (51) Jerem. 1. 5. Eccli. XLIX. 7. Galat. 1. 15. &c. (52) Vide ℣℣. 37. 38.

CAPUT XI.

Lazari morbus & mors. A Jesu revocatur ad vitam. Sacerdotum Principes & Pharisæi Jesum interficere decernunt. Ipse in Ephrem secedit. Illum quærunt Judæi, ut capiant.

℣. 1. ERat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus. 2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur). 3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. 4. Audiens autem Jesus dixit eis: infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum. 6. Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum. 8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc? 9. Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: 10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. 11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut a somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit. 13. Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est: 15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo. 17. Venit itaque Jesus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim) 19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: 22. Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. 25. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: 26. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27. Ait illi: Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. 29. Illa, ut audivit, surgit cito, & venit ad eum: 30. Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. 31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit, & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo, cum venisset, ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum. 34. Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei. Domine, veni, & vide. 35. Et lacrymatus est Jesus. 36. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur? 38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum, erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei. 39. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. 42. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me misisti. 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. 44. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes,

des, & manus institis, & facies illius sudario erit ligata. Dixit eis Jesus: Solvite
eum, & sinite abire. 45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Mar-
tham, & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis
abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Jesus. 47. Collegerunt ergo Pon-
tifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa
facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, &
tollent nostrum locum, & gentem. 49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum
esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam. 50. Nec cogitatis, quia
expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 51.
Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit,
quod Jesus moriturus erat pro gente. 52. Et non tantum pro gente, sed ut filios
Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. 53. Ab illo ergo die cogitaverunt,
ut interficerent eum. 54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos,
sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi mo-
rabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Judæorum: & as-
cenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. 56.
Quærebant ergo Jesum: & colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid pu-
tatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisæi man-
datum, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

℣. 1. ERAT QUIDAM LANGUENS LAZARUS. Bethaniæ civis erat Lazarus: huic sorores Maria & Martha, apud Evangelistas notissimæ, quod sequerentur Christum, ac frequenter ipsius Christi hospitio fruerentur. Joannes Evangelista, cum res a cæteris descriptas narrare non soleat, minime recitat, unde illa Jesu Christi amicitia cum Lazari familia; ac veluti satis compertum ponit, Jesum fuisse Lazaro familiarem. Mirari subit, cur nobilem adeo historiam cæteri Evangelistæ omiserint. Succurrit Grotio, cum illi scriberent, vixisse resuscitatum Lazarum, & periculum ei fuisse a Judæis, si, quod ipsi acciderat, palam vulgaretur. Nam etiam mox (1) narratur, ob hoc ipsum structas Lazaro insidias.

Jerosolyma discesserat Christus die XXVI. mensis Casleu, XIX. Decembris, altera post Templi Dedicationem; profectusque fuerat Bethaniam, aliter Bethabaram, ubi aliquandiu fuit, ipse quidem, uti videtur, multitudinem docens, Discipulis baptismum exercentibus. Lazarus in morbum incidit circa dimidium proximi mensis Januarii. Qua de re monitus Jesus, Bethabara non discessit nisi post obitum Lazari, quem nos ad diem XVIII. ejus mensis consignamus.

Bethania, ubi tunc erat Jesus, apud Codices nonnullos *Bethabara*, trans Jordanem jacebat: at *Bethania*, ubi obiit Lazarus, cis amnem erat, & ad meridiem Jerosolymæ, duobus circiter passuum millibus dissita. Quamobrem veluti suburbium Jerosolymæ habebatur. Sunt qui perperam credant, Lazarum, Martham & Mariam Bethaniæ imperitasse, Mariam vero Magdalenen *Magdali*; quasi ea ætate iisque in regionibus nobiles ac Principes viri fuerint, uti apud nos usuvenit, oppidis vicisque imperitantes. Lazarus, Martha & Maria Bethaniæ imperitabant non secus ac Petrus & Andreas Bethsaidæ. Bethsaidam Joannes 1. 44. *civitatem Andreæ & Petri*, quemadmodum hic Bethaniam nuncupat *castellum Lazari, Marthæ & Mariæ*, quod nempe utrique iis in locis domicilium haberent.

℣. 2. MARIA ERAT QUÆ UNXIT. Hoc per anteceffum narratur (2). Cœna, in qua hoc præstitit Maria, habita est die sexto antequam moreretur Christus, eo cœnante Bethaniæ, in domo Lazari, quem ad vitam revocaverat Joan. 12. 3. Mariam designat Evangelista ex re, tunc temporis apud Fideles nobilissima.

℣. 3. ECCE QUEM AMAS INFIRMATUR. Nihil simplicius, aut modestius nihil. Non dicunt: Veni, & cura, sive, Hic, ubi es, morbo impera, & fugiet, sed nunciari jubent: *Quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris*, inquit S. Augustinus (3); *non enim amas, & deseris*. Vel, ea Græcorum quorumdam Patrum interpretatione (4): Cur amicum passus es morbo affici? Omnia miraculi adjuncta sedulo narrat Evangelista; I. quod cæteri Evangelistæ prætermiserint; II. quod maximi esset ad Religionem momenti. Res fuerat notissima, utpote prope Jerosolymam gesta. Negari non poterat prodigium, cum Lazari cadaver tertium diem in sepulcro fuisset. Neque tantum specie exhibita est illius resurrectio, quippe qui cibum potumque sumere visus est post resurrectionem, uti ante obitum. Ipsi met Judæi vel imprudentes testimonium de re gesta ferebant, qui Lazarum etiam necare decreverunt: *Cogitaverunt, ut & Lazarum interficerent*. Joan. 12. 10.

℣. 4. INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM. Eo morbo sublatus est Lazarus, at non cæterorum more, nunquam restituendus in vitam. Revocavit illum Jesus, ut gloriam Deo pareret (5). Ea fuit permittendæ mortis causa (6): *Ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem*, inquit S. Augustinus.

℣. 6. TUNC MANSIT IN EODEM LOCO, Bethabaræ scilicet, neglecto Lazaro. Illum se absente mori passus est, & quarta demum die, postquam ille sepultus fuerat, Bethaniam venit, quo certior esset prodigii fides (7).

℣. 8. NUNC QUÆREBANT TE JUDÆI LAPIDARE. Vix mensis unus est, cum te Judæi lapidibus obruere vellent in Templo, ejus Dedicationis die. Joan. x. 31.

℣. 9. NONNE DUODECIM SUNT HORÆ DIEI? Hebræi, non secus atque e cæteris gentibus plerique, diem tunc temporis in duodecim horas inter se æquales distribuebant, inæquales vero ex variis anni temporibus, quibus dies modo longiores sunt, modo breviores. Hæc porro est Jesu Christi argumentatio, paucis hisce collecta: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Alludit ad peregrinum,

[1] Joan. XII. 10. [2] August. seu alius Author qu. 94. tom. 3. p. 55. Est. ozar. 14. Casaub. exercit. 14. alii. [3] August. hic, Beda. [4] Cyrill. Leont. Theoph. [5] Cyrill. Theod. Mopf. Chryf. Theoph. Euthym. alii passim. [6] August. Beda, Rupert. [7] Chrysost. alii passim.

num, cui tota die iter habendum est. Dies vitam, mortem nox designat. Hac loquendi forma usus est supra Jo: 9. 4. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari*. Hic respondet iis quæ Apostoli dixerant, Pharisæos necem illi molitos, ac non diu esse, cum quæreretur a Judæis, lapidibus obruendus: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Proficisci debeo, & Patris mei opus perficere, dum vitæ meæ dies est. Supremum mihi tempus nondum adest. Judæi, quantumvis conentur, vel minimum horæ quadrantem non urgebunt. Opus est, diei horæ prætereant. His elapsis, locus furori illorum dabitur: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Luc. 22. 53. Explicatio est maxime simplex, & probata (9).

Siquis ambulaverit in die, non offendit. Vitæ meæ non metuo, dum dies est, tempusque in Patris mei decretis definitum nondum adest. Neque etiam ipsi vobis metuatis, æquum est, dum ego vobiscum sum. Veniet nox. Cum tempus morti meæ constitutum advenerit, in manus hostium tradar; vosque discrimini & offensioni obnoxii eritis: ℣. 10. *Siquis ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in ea*. Videntur Apostoli sui ipsorum causa loqui, dum persuadere conantur Christo, ne in Judæam proficiscatur. Nimirum verentur, ne Judæorum odium in Magistrum, in ipsos recidat. Vide ℣. 16.

℣. 11. Lazarus dormit. Hebræi (10), ipsique interdum Profani (11) *somnum* pro *morte* usurpant; *expergisci* autem illis resurgere est. Usitatum id profanis erat, ne tristitia & mali ominis verba proferrent. Hebræi fortasse hac loquendi forma innuere volebant, sese animæ immortalitatem futuramque resurrectionem credere. Eadem usus hic videtur Christus (12), fortasse ut doceret, quam facile Lazarus restituendus esset in vitam.

℣. 12. Si dormit, salvus erit. Optimum est in morbis præsertim acutis somnus (13). Solemne apud Judæos effatum: *Somnus in ægrotante signum est ad salutem* (14). Frustra te discrimini objicis. Quorsum in Judæam proficisceris, ut ægrotum dormientem excites? Ipse expergiscetur. Omnia movent Apostoli, ut Christum ab itinere deterreant. Ipsi etiam nonnisi de vulgari somno intelligebant. ℣. 13.

℣. 14. Lazarus mortuus est. (℣. 15.) Et gaudeo propter vos. Aperte prædico, mortuum esse Lazarum. Hunc ego somnum significo. Percommodum vero est, quod præsens non fuerim: curare debuissem (15), abstulissemque luculentissimam ostendendæ vobis præsentibus Dei gloriæ, vestræque fidei confirmandæ opportunitatem. Satis magnum erat prodigium, quod ipse Lazari mortem vulgaret (16), cum nonnisi morbum per nuncios intellexisset. Majus erat, revocare in vitam hominem, quam ægro incolumitatem reddere; longe maximum, revocare mortuum, tertium jam diem in sepulcro jacentem, quam statim post mortem.

℣. 16. Thomas, qui dicitur Didymus. *Didymus* Græce est *geminus*, quemadmodum Hebraice *Thomas* (17). Per id tempus vulgo duplex nomen unicuique erat in Palæstina, Græcum alterum, & alterum Syriacum, duplicis linguæ causa, ibi usurpatæ.

Ut moriamur cum eo, cum Lazaro. Nonne certæ ex Judæis neci obviam imus, cum post ea quæ gesta sunt, comperiaque illorum in nos malitia, nos illis ultro damus (18)? Sævissima omnia metuebant Apostoli, siquidem Pharisæi Christum capere, ac pro arbitrio tractare possent. Cum Christus in Olivarum horto caperetur, prodigio simile fuit, quod Apostoli fuga elaberentur (19). Plerique (20) ea referunt ad Christum: Eamus, ut moriamur cum Jesu. At in eamdem sententiam recidit. Prior tamen interpretatio simplex magis videtur. Eamus ut moriamur cum Lazaro, vel, Magistrum sequamur ad necem usque, cui se ipse objicit. Constantiæ ne an timoris hæc verba sunt? Incertum. Utrumvis elige.

℣. 17. Invenit eum quatuor dies. Bethabara discessit ea ipsa die, qua Lazarus exspiravit, sive postridie. Tertium post diem Bethaniam pervenit (21). Quartum jam diem obierat Lazarus, & in sepulcro jacebat. Eadem die, qua exspiraverat, sepultus fuerat, at minime unguentis conditus, uti docent consequentia (22). Audito Lazari morbo, Christus duos adhuc dies Bethabaræ substitit (23); at statim eo mortuo discessit.

℣. 19. Multi ex Judæis venerant ex urbe Jerosolyma, ut Martham & Mariam de fratris morte consolarentur (24). Cum proxima esset Jerosolymæ Bethania, geminarum sororum necessarii ad illas accessere, ut de regionis more lugerent una fratris mortem, ac dolorem levarent.

℣. 20. Martha ut audivit. Martha senior fuisse altera sorore creditur. Ipsa venientem excipit, sedente inter necessarios amicosque domi collectos Maria. Fortasse etiam Maria Jesum adesse ignorabat; nonnisi enim admonita a Martha, ad illum venit. ℣. 28.

℣. 21. Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Hoc ipsum repetit Maria, infra ℣. 32. Ex quibus colligimus, utramque sororem credidisse quidem, Lazarum sanari potuisse a Christo, si hic adfuisset; at dubitare fortasse, utrum aut absens sanare, aut mortuum in vitam revocare posset (25).

℣. 22. Sed et nunc scio. Jesum alloquitur veluti Prophetam, cui potestas prodigiorum, & impetrandæ precibus resurrectionis mortuorum sit (26). Neque absolute ingens adeo beneficium quærit, sed monet, fieri ab eo posse. Si vis, nondum præteriit tempus; scio quippe, Deum tibi minime repugnaturum.

℣. 23. Resurget frater tuus. Cur non dicit: *Fratrem revocabo?* Modeste nimirum, uti solet, ut & Marthæ fidem confirmet, & illius desiderium augeat. Ac revera Jesus illam per gradus eo ducit, ut fateatur, ipsum *esse Christum, Filium Dei vivi, qui in mundum venit*. ℣. 27.

℣. 24. Resurget in resurrectione. Resurrectionis fides communis erat eo tempore apud Judæos; eamque luculentissime præseferunt Veteris Testamenti volumina, præsertim post captivitatem scripta, veluti libri Macchabæorum (27), Sapientiæ (28), & alter Josepho adscriptus, vulgo de Imperio Rationis (29). Vide nos in Psalmum l. 5. & in 2. Macch. xii. 43.

℣. 25. Ego sum resurrectio et vita. Ais fratrem tuum suprema die resurrecturum: per quem vero, nisi per me, qui sum resurrectio & vi-

ta

[9] Rupert. Mald. Tolet. Men. Tirin. Grot. alii. [10] Vide Jerem. 51. 39. *Ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum*. Eccli. xlvi. 23. *Post hoc dormivit Samuel*, &c. [11] Homer. Χάλκεον ὕπνον. Virgil. *Ferreus somnus*. Horat. *perpetuus sopor*. [12] Theodor. Mopſ. Auguſt. Beda. [13] Auguſt. Brug. Grot. alii. [14] Misnaioth, apud Grot. hic. [15] Theodor. utrique, Euthym. Rupert. Mald. Grot. [16] Auguſt. Chryſoſt. Beda, alii. [17] Geneſ. xxv. 24. תומים *Gemini*. xxxviii. 27. Idem. Δίδυμος, δίδυμοι. [18] Grot & alii nonnulli. [19] Joan. xviii. 8. 9. Matt. xxvi. 56. [20] Ita Antiqui PP. Mald. Brug. Grot. Menoch alii. [21] Codex Alex. Cantabrig. Syr. Æthiop. Colb. 8. addunt hic, Bethaniæ. [22] Infra ℣. 39. *Jam fœtet, quatriduanus est enim*. [23] Joan. x. 40. *Tunc quidem mansit duobus diebus*. [24] Περὶ τοῦ Μάρθαν καὶ Μαρίαν. [25] Vide Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Cyrill. Rupert. Mald. alios. [26] Mald. Grot Brug. [27] 2. Macc. vii. 9. 14. 23. 36. xii. 43. xiv. 46. [28] Sap. v. 1. 2. 17. vi. 6. 7. [29] Vide Joſeph. de Macchabæis, ſeu de Imperio Rationis.

ea (29)? Cur modo revocare nequeam, qui tunc sum revocaturus? Marthæ spem fidemque confirmat Christus (30), docetque, se merum hominem non esse mortalem, qui vitam sibi servare aut dare nequeat, multoque magis sua unius virtute cæteris. Ego vita sum mea ipsius natura, author resurrectionis, vitæ mortisque dominus: ipse, uti Deus, per me Lazaro vitam restituere possum, & servare, quamdiu libuerit.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Vitam vel mortuis largiri possum, modo adsit fides. Quamobrem crede, & illud assequeris, ut vitam fratri tuo restituam. Vitam ille quærere non potest, tu potes impetrare. Plus multo ego facio: vitæ animam mihi credentibus largior. Esto quis Deo mortuus per peccatum, in errore & superstitione versetur: si Deo juvante mihi crediderit, servaverit quæ docuero, & constans in fide & obsequio fuerit, gratiæ vita vivet in hoc sæculo, in altero æternam vitam consequetur.

Ex corporis vita & resurrectione, quæ Marthę animum occupabant, alterius vitæ genus Martham docet, scilicet vitam fidei charitate viventis, & resurrectionis ad gloriam, quæ vitæ bene actæ, ac fidei per bona opera agentis est merces. Significat Marthę, nedum posse illam Deo juvante id assequi, at sibi etiam promereri, alio tamen sensu. Possum ego Lazaro vitam restituere: potes tu, ope gratiæ & fidei, immortalitatem & resurrectionem ad gloriam tibi comparare (31).

℣. 26. Qui vivit et credit in me (32). Mortuis vitam, viventibus immortalitatem tribuo. Lazarum revocare possum, te facere immortalem. Unum rogo, ut mihi credas. Mors Fidelium, ut vere loquar, mors non est; quippe qui moriuntur, ut in vitam redeant, & æternum vivant (33).

Credis hoc? (℣. 27.) Utique, Domine. Comparato Marthæ animo, ut sese Deum ac Dei Filium fateatur, rogat, istud ne constantissime teneat: *Credis hoc?* Si enim credere potes, ut oportet, nihil non fieri poterit (34). Omnino. Domine, credo, sive *credidi*, uti habet Textus (35), te Christum esse, Dei Filium. Jam antea credidi: at nunc constantius credo. Hanc Marthæ confessionem confer cum Petri confessione, magnis adeo laudibus a Christo commendata (36). Petri confessioni præmium fuit principatus inter Apostolos; Marthæ, resurrectio Lazari.

℣. 28. Vocavit Mariam. Vocavit clam, *silentio*, fortasse ne præsentium Judæorum odia excitaret (37), sive ne illos, ceu ad spectaculum, ad rem a Christo patrandam arcesseret (38). Christus ipse Mariam moneri jusserat, id quod constat ex iis: *Magister adest, & vocat te*. Communis erat in ea familia loquendi forma, ubi Jesum significarent: *Magister adest*.

℣. 30. Nondum venerat in castellum. Extra oppidum steterat, prope Lazari sepulcrum; Judæorum quippe sepulcra extra urbes, plerumque in montium rupibus, erant.

℣. 31. Vadit ad monumentum ut ploret. Solebant identidem ad sepulcrum accedere, ut flerent. Qui solatium sororibus geminis exhibituri venerant, non poterant, quin illis ad monumentum euntibus, una proficiscerentur.

℣. 33. Infremuit spiritu, et turbavit seipsum. Sunt (39) qui ita interpretentur, ut Christus compescuerit naturalem animi motum, ex misericordia & dolore ortum, sibique ipse vim adhibuerit, ne nimiam hic benevolentiam ostenderet. Divinitas humanæ naturæ motus sensusque continuit (40). Aptius tamen explicatur de voluntaria animi perturbatione, quam sensit Christus, vel ipse excitavit (41). Acri intimoque dolore fremuit, *Infremuit Spiritu*, ut is, cujus animum dolor occupavit. *Turbavit se ipsum:* animi tumultum, misericordiam, angustias ad lacrymas usque præ se tulit: ℣. 35. *Et lacrymatus est Jesus*.

℣. 35. Lacrymatus est. Flet, turbatur, angitur, rogat ubi situs fuerit Lazarus: *Ubi posuistis eum?* Humano scilicet more, ut verum hominem se esse demonstret (42). Dolore ac misericordia luget, comitumque dolorem sentit (43). Veteres quidam ægre ferebant, quod Christus in Evangelio flevisse dicatur. S. Epiphanii ætate, ipso teste in Anchor. c. 31. in quampluribus Lucæ 19. 41. Codicibus desiderabatur locus ille, ubi Christus, visa Jerosolyma, flevisse narratur. Id porro indignum esse Christo existimabant; quamobrem ex Evangelio eraserant.

℣. 37. Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, &c. Livido animo Christi lacrymas Judæi quidam, ceu imbecillitatis illius argumentum, aspiciebant. Cum tam valde amaret, cur incolumem non reddidit? Fecisset certe, si potuisset, qui illius mortem ita dolet (44). Quid igitur, inquiunt, prodigium de cæco nato tantopere prædicatur? Cur amicum incolumem non servavit, si cæcum curasse non falso dicitur?

℣. 38. Erat autem spelunca. Sepulcra in rupe excidere solebant Judæi, eaque apto lapide & ad ostii amplitudinem cæso claudere. Intra speluncam cadaver jacebat, in paris magnitudinis alveo seu sepulcro. De Hebræorum sepulcris satis fuse disputavimus in Dissertatione De Funeribus Judæorum, ad Ecclesiasticum.

℣. 39. Tollite lapidem. Spectatores omnes, eos præsertim, qui lapidem abstulere, suis ipsos oculis percipere vult, cadaver nedum jacere exanimum, verum etiam fœtere; nequis criminetur, illum lethargo dumtaxat opprimi, aut alio ex capite prodigii magnitudinem extenuet (45).

℣. 40. Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, &c. Hoc totidem verbis Jesus non dixerat, sed aliis idem sonantibus. ℣. 25. *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Videre gloriam Dei* hoc loco idem est ac, Lazarum vitæ restitutum cernere (46). Filii sui gloriam commendaturus erat Deus prodigio, omnium quæ gesserit nobilissimo.

℣. 41. Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Oculos ad cœlum, verba ad Patrem tollit, nequis illum veneficio aut Dæmonis nomine prodigium patrare criminetur. Gratias agit, quod nondum orantem exaudierit (47); ut intelligas, ipsum similem non esse cæteris sanctis viris ac Prophetis, quos orare necesse est, ut prodigia edant, sed sua unius virtute illa patrare. Ita loquitur, ac si gesta res esset, quippe de Patris voluntate securus; simulque docet, unam sibi esse cum Patre potentiam & voluntatem.

℣. 42. Propter populum qui circumstat. Dei Filius

(29) August. hic: *Per quem tunc resurget, potest & modo, quia ego sum resurrectio.* (30) Chrysost. Theoph. Mald. Grot. Brug. (31) Leont. Theophyl. Mald. Brug. (32) Ignat. ad Trall. Οὗ ζῶν, ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. (33) Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Euth. (34) Marc. ix. 23. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* (35) Πεπίστευκα, *credidi*. Grot. Mald. Brug. ex August. & Beda. (36) Matt. xvi. 16. (37) Theod. Mops. Cyrill. Leont. Mald. (38) Grotius. (39) Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. Cyrill. in Catena. Gr. (40) Cyrill. Leont. Theophyl. (41) August. & Beda hic; Greg. Magn. lib. 1. Moral. cap. 11. Bern. serm. de sancto Andrea. (42) Bern. *Fuerunt lacrymæ illæ testes profecto naturæ, non indices diffidentiæ.* (43) Theodor. Herac. August. Maldon. Grot. Brug. (44) Theodor. Mops. Chrys. Theoph. Euthym. Brug. (45) Theodor. Heracl. Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. Ambros. lib. 1. Hexaem. cap. 7. & orat. de fide resurrect. Brug. Mald. (46) Theodor. Heracl. Euthym. Mald. (47) Chrysost. Leont. Theoph. Euth. Mald. Brug. alii.

Filius in illud ubique incumbit, ne populus sese Patre minorem existimet. Ubi orat loquiturque uti homo, adeoque uti Patre minor, nonnulla semper admiscet, quo ipsius æqualitas innuatur; sive post orationem aliquid gerit, quo suam ipsis Divinitatem atque omnipotentiam ostendat. Hic, actis Patri gratiis, quod sese exaudierit, nequis suspicetur, ipsum antea orasse, neque semper exaudiri, addit: *Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti*; me esse Filium tuum, pari prorsus potentia & voluntate.

℣. 43. Magna voce clamavit. Vocem tollit, ut approbet id, quod alibi dixerat (48): *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent*. Lazarum sepulcro egredi jubet, ceu mortis vitæque arbiter. Sua unius virtute illum revocari demonstrat (49). Origenes (50) & Theophylactus hic, opinionem refellunt Judæorum Ethnicorumque, quibus credebatur anima post mortem in sepulcro allidere corpori; atque animadvertunt, Christum edita voce clamare, ut hujusmodi commenta rejiciat.

℣. 44. Statim prodiit qui erat mortuus. Sepulcri ostium fuisse videtur pari solo cum alveo, quo condebatur Lazarus. Neque Lazari sepulcrum, quemadmodum alia nonnulla, instar putei erat, quo ex ore superiori cadavera immittuntur. Secus nequivisset Lazarus nullius ope egredi, tametsi solutus fuisset. Unicum difficultatis momentum in eo situm est, qui potuerit prodire Lazarus, cujus manus ac pedes institæ, ceu puerum fasciæ, obvolverent. Ita enim sepeliri apud illos solebant mortui, quemadmodum hoc ipso ex loco evincitur (51). Alterum hic prodigium agnoscunt Patres & Interpretes (52), hominem scilicet pedibus simul vinctis junctisque, manibus ad latera colligatis arctissime lineis institis, ore oculisque lineo panno obvolutis, potuisse tamen nullius ope progredi, atque ad monumenti ostium prodire.

Iodicüs hisce Judæi qui aderant, Domini potentiam agnoscere coacti sunt. Lazarus videlicet, quatrum jam diem mortuus, qui putrescere jam inciperet ac fœteret, cujus e sepulcro lapidem ipsi removerunt, egreditur funebribus adhuc institis obvolutus: ipsis præsentibus, quia & ab ipsis solvitur; loquitur, videt, Jesum adorat. Nullum jam restat incredulis etiam pervicacissimis perfugium. Lazari resurrectionem Patres (53) ceu exemplum, figuram, argumentum, pignus futuræ ac generalis Resurrectionis agnovere. *Ostendit tibi Dominus, quemadmodum resurgas. Non enim unum Lazarum, sed fidem omnium suscitavit*.

Solvite eum, Apostolis præsentibusque Judæis imperat (1). Putat Origenes, Christum fortasse Angelis imperasse, ut Lazarum solverent. Symbolum hic vides eorum, quæ homine pœnitentiam agente & ad meliora converso contingunt. Is peccatum execratur, confitetur, sepulcro egreditur, adhuc tamen ligatus. Solvendus est, atque absolutum in libertatem asserendus ab Apostolis, cæterisque, quibus ea potestas a Christo facta est (2). Hi adhuc mortuum non solvunt, inquit S. Gregorius; magis enim magisque mortui fœtor dilataretur: expectant dum reviviscat (3): *Illos duntaxat debemus per pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare*.

℣. 46. Quidam ex ipsis abierunt ad Pharisæos. Quamquam mira esset prodigii magnitudo & perspicuitas, ac sedulo studuisset Christus, ut rem præter omnem dubitationis aleam poneret; non desnere tamen Judæi aliquot pervicaces, qui dubitaverint (4), ac rem veneficio, aut malæ alteri virtuti tribuerint (5). Quamobrem ad Pharisæos, Christo infensissimos, deferunt, ut caveant, ne hominum numerus, ad Jesum in dies accedentium, augeatur.

℣. 47. Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? Quid consilii capiendum est? Perdendus omnino est impostor iste, qui multitudinem fictis prodigiis fallere non cessat. Nimirum eo cæcitatis devenere hi, qui Judæorum omnium sapientissimi doctissimique habebantur. Prodigiis fulget innumeris; igitur, inquiunt, non credendum illi est, sed capiendus est iste, authoritati nostræ, famæ, potestati noxius (6).

℣. 48. Omnes credent in eum: et venient Romani. Si liberum abire patimur, Messiam se & Judæorum Regem multitudini obtrudet; armaque in nos, veluti rebelles, vertent Romani, qui nullum, præter se unos, dominum agnoscunt, nostramque Urbem, Templum, gentem evertent. Hoc publicæ utilitatis prætextu simultatem in Christum contegunt sicarii nequissimi, eique necem inferre decernunt (7). *Tollent nostrum locum*; urbem scilicet ac gentem (8), sive Templum, quo omnia illorum fiducia & superbia nitebatur (9).

Odium, quo aguntur Judæi, mentes illorum perturbat, ne argumentationis suæ vitium, consiliorumque falsitatem videant. Si tanta patrabat Christus, cur verebantur, ne omnes illi crederent? Si mortuos ad vitam revocare, pellere morbos, mentes convertere poterat, quid metuendum ex Romanis erat sub tanto duce, qui naturæ imperaret? Si ad illum accessuri, ac nomina daturi omnes erant, quid nocere poterant Romani? Ipsi ne uni minime converterentur? Denique si Jesus verus erat Messias, eaque prodigia edebat, quæ hoc ipsum luculentissime evincerent, cur vel ipsius vitæ, urbis, Templi, gentisque universæ, si opus foret, dispendio illum non excepere? An dubitabant, Messiam non fore sibi unicum libertatis authorem, ac spei & fiduciæ assertorem?

℣. 49. Caiphas cum esset Pontifex anni illius. Supremum gentis Judaicæ Sacerdotium, ex primo Legis instituto, perpetuum homini esse debebat, ac filius patrem excipere, e posteris Aaronis. Hic tamen ordo jamdiu mutatus fuerat, Romanis & Herode jus in Pontifices usurpantibus, ut pro arbitrio crearent amoverentque, hoc tantum servato, ut e familiis Sacerdotum. Caiphas igitur eo anno Supremum Sacerdotium gerebat. Is apud Judæorum Historicum (10) *Josephus* nominatur, cognomine *Caiaphas*. Gesto annis octo vel novem Pontificatu, a Vitellio Judææ Præside exutus est.

℣. 50. Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo. Cum ista diceret Caiphas, hoc omnino volebat, expedire potius, ut unus interficeretur Jesus, quam ejus causa populus furori Romanorum obnoxius fieret. Populi totius incolumitati

[48] Joan. v. 25. Vide Chrysost. Theoph. Euthym. Cyrill. hic. Ambros. de fide resurrect. [49] Chrysostom. Theophylact. Cyrill. hic: [illegible] [50] Vide Origen. hic, & lib. 7. contra Celsum. [51] Δεδεμένος τοὺς πόδας, καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. Vide Grot. hic. [52] Theodoret. Heracl. & alter Theodor. Mopf. Chrysost. Theophyl. hic; Maldon. Menoc. Brug. Ligfoot. alii passim. [53] Iren. lib. 5. cap. 13. Tertull. de resurrect. carnis; Cyrill. Jerasol. Catech. 18. Cyrill. Alex. in Cat. Gr. Ambros. lib. de fide resurrect. Vide & Tolet. Maldon. alias. [1] Ita Græci passim. [2] August. hic: *Quid est, solvite, & sinite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cælo*. Ita Beda, Rupert. alii. [3] Gregor. Magn. homil. 26. in Evang. Vide & lib. 22. Moral. cap. 9. [4] Origen. Theod. Mopf. Theophylact. Rupert. [5] Vide Euthym. Grot. [6] August. hic: *Nec tamen dicebant: Credamus; plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent, ut perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent*. [7] Cyrill. Chrysost. Theodor. Mopf. Theophyl. Euthym. [8] Chrysost. Theophyl. [9] Maldon. Brug. Menoch. [10] Joseph. Antiqu. lib. XVIII. 3.

tati immolanda est hominis unius vita. Nihil ea sententia æquius, si res politicas spectes. At duo erant objicienda. I. Vetat Religio quippiam mali fieri, ut bonum aliquod inde oriatur (11). II. Incertum erat, utrum Jesus sese populo obtrusurus esset in Regem, aut seditionem adversus Romanos excitaturus; seu denique illius causa Romani exitium illaturi essent Templo, urbi, regioni, gentique Judæorum (12). Opus fuit, ista expenderet Caiphas. Certo tenenda erat principii veritas, antequam quidquam ex eo colligeretur.

℣. 51. Hoc AUTEM A SEMETIPSO NON DIXIT, &c. Caiphæ linguam ita moderatus est Deus, ut is, vel invitus, de Christi morte vaticinaretur. Imprudens (13) dixit id, quod ex Servatoris morte oriturum erat; futurum nempe, ut Jesu Christi mors universæ genti esset utilissima, quo cæteri servarentur. Id porro contigit. Occisus est Jesus nedum ob Judæorum, verum etiam omnium hominum salutem (14). Mero Providentiæ consilio ista pronuntiavit Caiphas; qui ex se verus Propheta non esset. Prophetiæ donum eo tempore non homini, sed Sacerdotio contulit Deus (15). Hoc exemplo disce, divinam vaticinii & prodigiorum patrandorum potestatem non semper dignissimis hominibus adhærescere.

Suo ipse consilio locutus est Caiphas, dum Christi mortem iniquissime suasit: Divino tamen, cum Servatoris mortem, bonaque inde hominibus oritura prædixit. Id loquebatur Caiphæ lingua, quod ignorabat, ferme uti asina Balaami, quæ rationis expers dominum allocuta est, ejusque stoliditatem arguit. Ita, Platone teste (16), arioli, & qui divino furore aguntur, multa dicunt ac faciunt, quæ ignorant; veraque interdum auguria ex verbis imprudenter pronunciatis colliguntur. Putat S. Chrysostomus, divinum vaticinii Spiritum inter Judæos perseverasse, usque ad scissum Templi velum moriente Christo (17).

℣. 52. ET NON TANTUM PRO GENTE Judæorum, verum etiam pro Ethnicis per varias orbis plagas dispersis, futuris deinde per fidem filiis Dei, atque æterno Dei consilio in numerum Prædestinatorum adlectis. De filiis Dei per terras universas dispersis alibi dixit Christus (18): *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor.*

℣. 53. AB ILLO ERGO DIE COGITAVERUNT. Perdendum esse, communi consilio decreverunt. Non deliberandum, sed gerendum esse constituerunt (19). Communi omnes consensu conspirasse, dicere videtur Græcus.

℣. 54. NON IN PALAM AMBULABAT. Græcus ad verbum (20): *Non jam libere ambulabat.* Urbes atque oppida non peragrabat, docens, instituens, morbosque curans. Neque etiam mediæ regionis loca frequentabat, sed secessit in *Ephrem*, seu *Ephraim*, ignobilem vicum, *juxta desertum*, prope Bethel, cum Bethel & Ephrem apud Scripturam (21) & Josephum l. 9. de Bello c. 33. ceu finitima loca exhibeantur. Censent quamplures, eamdem esse ac *Ephron* Machabæorum (22) & 2. Paralipomenon 13. 19. Hanc Josue xv. 9. tribui Juda adscribit. Eusebius & S. Hieronymus Ephronem sive Ephraim xx. millibus passuum a Jerosolymis ad boream constituunt. Duos ferme ibi menses Christus fuit, a die xxiv. Januarii ad diem xxiv. Martii.

℣. 55. PROXIMUM ERAT PASCHA, supremum, quod Christus in terris egit, per quos dies mortem ob hominum salutem obiit. Instante igitur Paschate, quamplures e vicinia Ephronis seu Ephrem Jerosolymam petiere, ut lustrarentur, seque ad Pascha celebrandum compararent; septem scilicet vel octo diebus ante Paschatis festum. Ex 2. Paralipomenon 30. 18. fide nonnulli Pascha celebravere, quin lustrarentur; pro quibus oravit Ezechias, quippe qui ignorantia peccavissent. Istud vitare hi satagebant.

℣. 56. QUÆREBANT ERGO JESUM. Ephremitæ, qui Jesum una profectum esse noverant, illum in Templo quærebant (23), mirati, quod ille serius Jerosolymam veniret. Aliter: Illum non venisse cur mirarentur, aut cur in Templo quærerent, cum nondum consuetum veniendi tempus adesse scirent? Ignorabant, illum in itinere, Jerichunte, aut circa eam urbem substitisse.

Sunt qui Græcum reddant (24): *Quid vobis videtur? Annon veniet ad diem festum?* Invicem interrogabant, quis quid de illo nosset, venturus ne ad festum diem; cum compertum esset, illum a Pharisæis ad necem quæri. Variæ ferebantur de illo sententiæ. Quidam asserebant, qui illum venire consuevisse, legemque integra fide servare nossent: negabant alii, quibus æquum esse videbatur, ut discrimini & hostium insidiis sese non objiceret.

[11] Rom. III. 8. [12] Vide Grot. Brug. [13] Theodor. uterque Heracl. & Mops. Leont. Cyrill. Ambros. in Psalm. CXVIII. serm. 15. *Aliud dicere volebat, aliud significabat.* [14] Infra ℣. 52. [15] Chrysost. Cyrill. Theophyl. Euthym. Leont. Theodor. uterque, August. Beda, alii. Origen. tom. 51. in Joan. dubitat, utrum Caiphas Divino Spiritu vaticinatus fuerit. [16] Plato in Menone, & in Apolog. Socrat. [17] Vide August. Chrysost. Euthym. [18] Joan. X. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, &c.* [19] Cyrill. Alex. hic. [20] Οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει. [21] 2. Paral. XIII. 19. *Ephron.* At Massoretæ legunt, *Ephraim.* [22] 1. Macch. V. 46. & 2. Macch. XII. 27. [23] Vide Toynard. Harm. pag. 84. [24] Τί δοκεῖ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν. Vide Maldon. Brug. Bez. Pisc. cum interrogatione legunt: *An non veniet?*

C A P U T XII.

Convivium Bethaniæ, ubi Maria pedes Christi pretioso unguento linit. Obloquitur Judas. Judæi necem Lazaro moliuntur. Christus Jerosolymam triumphantis more ingreditur. Ethnici quidam illum alloqui cupiunt. Judicium de mundo ab eo exercendum. Ubi crucifixus fuerit, omnia ad se trahet.

℣. 1. JEsus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit

cepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: 5. Quare hoc unguentum non vænijt trecentis denariis, & datum est egenis? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. 8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est: & venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. 10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent: 11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum. 12. In crastinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Jesus Jerosolymam: 13. Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. 14. Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: 15. Noli timere, filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis. 18. Propterea, & obviam venit ei turba: quia audierunt, eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit. 20. Erant autem quidam Gentiles, ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre. 22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Jesu. 23. Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; 25. Ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat, tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. 30. Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. Nunc judicium est mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. 33. (Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) 34. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Jesus. Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus: & abiit, & abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: 38. Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: 40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo. 42. Verumtamen, & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. 44. Jesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non judico eum, non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

48. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea: habet, qui judicet eum: ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die. 49. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. 50. Et ſcio, quia mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.

℣. 1. ANTE SEX DIES PASCHÆ, VENIT BETHANIAM, menſibus duobus poſt Lazarum vitæ reſtitutum. Venit autem die Dominica, IX. menſis Niſan, XXIX. Martii, cum annum ætatis ageret XXXVI. ſexta die ante Paſcha, quod Feſtum eo anno feria ſexta ſub veſperam incepit, eo ipſo tempore, quo Jeſus crucem ſubiit. Hac tamen de re vide noſtram Diſſertationem de ſupremo Chriſti Paſchate. Una cum Diſcipulis in domum Lazari ac ſororum venit. Convivio exceptus eſt, unaque cœnavit Lazarus, ante duos menſes in vitam revocatus.

℣. 3. MARIA ACCEPIT LIBRAM UNGUENTI. Maria Lazari ſoror, altera plane a flagitioſa muliere, de qua Lucas 7. 37. *accepit libram unguenti nardi piſtici*, nardi ſinceræ, vel *nardi ſpicati*, uti legit Marcus (1): hæc enim cœna eadem eſt atque altera, de qua Matthæus & Marcus, apud Simonem Leproſum (2). De more liniendi pedes convivarum, ſeu capita pretioſo unguento perfundendi, ſatis fuſe diſputavimus in cæteros Evangeliſtas.

℣. 4. DIXIT ERGO JUDAS. Judam ante cæteros obloquentem imitati ſunt cæteri, at alio plane conſilio (3).

TRECENTIS DENARIIS. Romanus denarius ſolidos decem noſtri numiſmatis æquabat; quamobrem trecenti denarii libras Gallicas centum & quinquaginta conficiunt.

℣. 6. NON QUIA DE EGENIS PERTINEBAT AD EUM, &c. Iſte non obmurmurabat amore pauperum, neque illorum miſericordia movebatur; imo neque eleemoſynas largiendi provincia ad illum ſpectabat. Diſtribuebat Chriſtus ipſe, vel jubebat diſtribui, ubi opus eſſet. At cum commune æs apud illum eſſet, erogandorumque ſumptuum, ac munerum, quæ ultro offerebant, accipiendorum curam illi demandaſſet Chriſtus, clam furabatur Judas, & ſeponebat ea quę poterat, illud animo verſans, ut aut a cæterorum cœtu deſciſceret, aut anguſtioribus deinde rebus conſuleret, ubi caperetur Chriſtus, & necaretur, uti omnia undique minitabantur.

℣. 7. SINITE UT IN DIEM SEPULTURÆ MEÆ SERVET ILLUD. Græcus (4): *Sine illam: in diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*. Codices tamen Græci quamplures, Cophtica, Æthiophica, Nonnus cum Vulgata conveniunt (5): *Sine illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*. Scilicet: Sine, Juda, ut compertum ſit, illam unguentum hoc ſervaſſe, ut per anteceſſum hodie, paucis ante obitum diebus, me liniat. Proximam ſui mortem prædicit Jeſus; utque illam ſe aſſidue meditari doceat, Mariæ officium ita haberi vult, veluti Corpus ſuum jam mortuum condierit. Hoc illa in hunc uſum ſepoſuit. Supremam hanc illa impenſam mei cauſa erogabit. Iſtud eſt mortis meæ imminentis præſagium. Mecum ita agit Maria tamquam cum homine mox ſepeliendo: jam condire me incipit.

℣. 8. PAUPERES SEMPER HABETIS VOBISCUM. Eleemoſynæ erogandæ opportunitas vobis nunquam defutura eſt; at corporalia officia mihi exhibere non ſemper licebit. Ex hominibus brevi diſceſſurus ſum. Ne igitur queramini, levem hanc impenſam a Maria mei cauſa erogari. Alludit ad ea Moyſis verba Deut. 15. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis veſtræ*.

℣. 9. TURBA MULTA EX JUDÆIS. Cum Joannes Evangeliſta Galilæus eſſet, Jeroſolymitanos paſſim Judæos abſolute nuncupat. Hi venere Bethaniam curioſitate acti (6), nedum quod ibi eſſet Jeſus, qui ſollicitis omnium votis ad diem feſtum expectabatur (7), verum etiam ut Lazarum e mortuis revocatum intuerentur; prodigii enim fama univerſam late regionem pervaſerat.

℣. 10. UT ET LAZARUM INTERFICERENT: dum enim is viveret, futurus erat invictum Divinæ in Jeſu Chriſto potentiæ argumentum & præco; ejuſque præſentia innumeros homines ad Jeſum videndum audiendumque perducebat. *O ſtulta cogitatio, & cæca ſævitia! Dominus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſet occiſum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino poteſtatem* (8)?

℣. 11. MULTI ABIBANT EX JUDÆIS, Deo gloriam ac veritati reddebant, credebantque in Chriſtum, quippe qui Sacerdotum ac Phariſæorum, Chriſtum iniquiſſime exagitantium, malitiam agnoſcerent & execrarentur.

℣. 12. IN CRASTINUM, feria ſecunda, die decima Niſan, quinta antequam moreretur Jeſus. Hiſtoriam hanc fuſius vidimus apud cæteros Evangeliſtas (9). Judæorum advenarum multitudo, qui aliquot ante Feſtum diebus Jeroſolymam venerant, quo religioſius ad illud compararentur, cum Jeſum Bethania, ubi noctem egerat, Jeroſolymam venire intellexiſſent, illi occurrerunt. Iidem forte ſunt, qui biduo ante ſollicitis adeo ſtudiis quæſiverant, venturus ne is eſſet ad Feſtum (10); peſſima enim Sacerdotum ac Phariſæorum adverſus illum conſilia neminem latebant.

℣. 15. NOLI TIMERE, &c. Zacharia 9. 9. ſic habet: *Exulta ſatis, filia Sion; jubila, filia Jeruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*.

℣. 16. SED QUANDO GLORIFICATUS EST, & ad Cœlum rediit Jeſus, meminere hujus vaticinii, illudque ipſi applicavere. Alia innumera ſunt vaticinia, quorum veritas quæſita nunquam fuiſſet in Meſſia, niſi Chriſtus ipſe infinita, qua pollebat, ſapientia in minimis etiam vitæ ſuæ caſibus impleta eſſe oſtendiſſet.

℣. 19. VIDETIS QUIA NIHIL PROFICIMUS. Quancumvis prohibeamus, & anathemata minitemur (11), irrident omnes. Quicquid adverſus hunc dicimus, non audimur. Illum omnes prodigiorum cauſa ſequuntur. Gerendum eſt ſtatim, quod in cœtu decrevimus: necandus ille eſt, atque e vivis auferendus. Joan. 11. 53.

℣. 20. ERANT AUTEM QUIDAM GENTILES, qui adoratum venerant, obſequia Deo & ſacra facturi, per Feſtum diem. Publica quælibet Religionis officia ſub *adorationis* nomine comprehenduntur. Gentiles hi revera erant Pagani (12), quos Jeroſo-

(1) Marc. XIV. 3. Ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς, Nardi ſpicati pretioſi. (2) Matth. XXVI. 6. Marc. XIV. 3. Vide Toynard. Grot. Brug. Menoch. (3) Matth. XXVI. 7. Marc. XIV. 4. (4) Ἄφες αὐτήν. Εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. (5) Ἄφες αὐτήν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό. (6) *Eos adduxit curioſitas, non charitas*, ait S. Auguſtinus. (7) Sup. XI. 56. (8) Aug. hic. Ita & Theodor. Mopſ. Cyrill. alii. (9) Matth. XXI. 1. Marc. XI. 1. Luc. XIX. 29. & ſequ. (10) Supra 11. 56. (11) Joan. IX. 22. XII. 42. (12) Ita Theodor. Mopſ. Cyrill. Leont. Theophyl. Maldon. Brug. Menoc. Ligfoot. Seld. Salmaſ. Grot.

rosolymam impuleras vel curiositas, vel fama amplitudinis ac majestatis Templi, sive miraculorum Christi; seu denique Religio ipsa, ut videlices Deum Judæorum venerarentur: apud Profanos enim, qui plures esse Deos rebantur, unicuique licebat alienos Deos colere, modo patrios non desererent. Hinc factum est, ut Hebræi cultum Chananæorum Numinum cum Domini cultu conjungere tam sæpe studuerint, & Romani superstitionea & cultum Numinum victarum gentium adotaverint (13).

Gentiles multi, minime abdicata Deorum superstitione, potentiam Dei Hebræorum agnoscebant. Luculenta ejus rei exempla apud Scripturam suns Cyrus 1. Esd. 1. 1. & Nabuchodonosor Daniel 2. 4. Josephus lib. 2. c. 30. de Bello & Philo in Legat. ad Cajum meminere donariorum, quæ a profanis Imperatoribua Regibusquo ad Templum Domini mittebantur, & sacrificiorum quæ ipsorum nomine in Templo fiebant. Alexander Magnus (14) sacra in Templo Jerosolymitano fecit; item Pompejus (15). M. Agrippa, dum Jerosolymis fuit, quotidie ad Templum ascendis, victimasque mactavit (16). Jusserat Augustus, quotidiana ibi sacra ipsius nomine fieri, ex privato sumptu (17). Fas erat Ethnicis in destinatum sibi atrium, quod *Gentium* appellebatur, ingredi (18). Victimas illi emebant, in Templo deinde mactandas. Hi, de quibus hic sanctissimam illam ædem venerationi habebant; sacrumque ibi Numen venerabantur; at nullum ab hoc Deo socium admitti ignorabant. Ex iis, quæ Christus Philippo respondet, colligitur, homines hosce ex iis Ethnicis fuisse, qui Deum plane nondum agnoverant. ℣. 23. *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis*.

Recentioribus nonnullis (19) gentiles hujusmodi fuisse videntur Proselyti, sive Ethnici ad Judaica sacra conversi; non tamen ex iis, quos *Proselytos justitiæ* appellabant, circumcisione initiatos, omnibusque Legis ritibus obtemperantes; sed *domicilii*, qui Deum nossent, in regione Judæorum viverent, juraque civilia Judæorum omnia servarent, quin circumcisione cæterisque ritualibus institutis implicarentur. Censet S. Chrysostomus, Ethnicos fuisse, Jerosolymam profectos, ut sese Proselytos redderent. Sunt denique (20) qui veros fuisse Judæos putent, sed Græcos genere, & ex Judæis per Orientis Provincias dispersis. Judæi Palæstini, sub *Græcorum*, *Hellenon* [hac voce utitur hic Joannes] appellatione Ethnicos sive Hebræos alienigeneris intelligebant. Iidem nobis *Hellenistæ* dicuntur, quod Græco sermone uterentur; cum in Judæa vulgaris lingua Hebraica esset sive Syriaca. Nobis prior sententia magis arridet.

℣. 21. Accesserunt ad Philippum. Gentiles hi e Phœnicia, vel Syria, sive ex Decapoli, Lacus Genesareth ac Bethsaidæ finitima, fuisse existimantur (21). Id autem ex eo colligitur, quod Philippum Bethsaidæ civem, ac fortasse sibi notum, adierint; tum ex eo quod Jesum, apud suos celeberrimum, intueri optaverint. Jerosolymæ vicinitas, & ingens Festi pompa illos forte Jerosolymam accivit, non secus ac Religio & pietas.

℣. 23. Venit hora ut clarificetur Filius hominis, ejusque Evangelium toto orbe vulgetur. Tempus adest, quo in ovile meum nedum ex Israele oves, verum etiam ex alienis cogam, ut grex unus efficiatur Joan. x. 16. Confringendus est paries, quo gentes duæ sejunguntur Eph. 2.14. & Dei nomen intra Judææ dumtaxat fines notum cultumque, omnibus late populis prædicabitur; cumulandus est gloria Filius hominis, ac pro hominum universorum Liberatore inter omnes terrarum populos agnoscendus. Hactenus vetui, ne profanis gentibus Evangelium nunciaretis Matth. x. v. *In viam gentium ne abieritis*; at brevi dicam (22): *Euntes, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Hoc porro illis imperavit Jesus, postquam gloriosus e mortuis revixit.

℣. 24. Nisi granum frumenti, &c. Se ipse Christus grano frumenti comparat; mortem suam grano humi sato & putrescenti; resurrectionem, ferenti germen & fructum. Nisi obiero, reviviscere & gloria cumulari non potero: quæ nisi contigerint, omnes in Ecclesiam meam gentes non colligam. Hic mortis & gloriæ meæ fructus.

℣. 25. Qui amat animam suam, perdet eam. Proverbii genus, quod sibi ipse accommodat. Hujus rei causa mors constantissime obeunda mihi est. Si vitam prodegero, ipse mihi vitam comparabo, cum tertium post diem sim resurrecturus. Me imitentur Discipuli. Mortem ne timeant, si veræ vitæ compotes esse cupiunt. Mecum illos in cœlis esse jubebo, & aliquando in vitam, quemadmodum ipse me, revocabo ℣. 26. *Siquis mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum* [ero], *illic & minister meus erit*. Hæc eadem alibi tradidit Jesus (23), sed sensu nonnihil diverso. Plures occurrunt in Evangelio sententiæ, variis temporibus a Jesu usurpatæ (24).

℣. 27. Nunc anima mea turbata est. Sola mortis memoria, quam Christus in se excitavit, cum de frumento humi putrescente sermo esset, turbatus est ac territus (25). Hanc tamen turbationem, atque hunc metum ipse sponte commovit, magis, ut nos confirmaret, quam ut sese imbecillem ostenderet: *Nos in se transtulit, nos in se suscepit: Caput nostrum membrorum suorum suscepit affectum*. Dicerent Apostoli: Pronum tibi est ac facile mortem ac pericula spernere, nosque ad vitæ laborumque contemptum hortari, qui animi tui motus pro arbitrio moderaris, nec metu tangeris nec perturbatione: nobis aliter sese res habet. Quamobrem doces hic, sese mortem timere, uti cæteros; sed timori ac formidini resistere, ut obtemperet Patri (26).

Et quid dicam? His animi angustiis oppressus, quid agam dicamve, quo me vertam? Pater, miserrimum hoc tempus a me remove: *Transeat a me calix iste* Matth. 26. 39. Ne patiare, me in mortem dari. At quid queror? Recedendi ne locus est, cum hucusque processerim? *Propterea veni in horam hanc*. Inter homines veni, ut mala & mortem feram. Quicquid tibi libuerit, ferre paratus sum, Pater ℣. 28. *Pater, glorifica nomen tuum* (27). Quicquid vis, fiat (28). Cum mea mors gloriæ tuæ servire debeat, illam libentissime amplector.

℣. 28. Venit ergo vox, &c. Quæ æternis ego consiliis sanxi, in te explevi: te in terras misi, ut mundi crimina expiares, læsæque justitiæ meæ satisfaceres. Quod cœpi, perficiam: tu cruorem vitamque in Cruce prodiges, Gloriæ meæ est, ut sacrificium tuum impleatur (29). At dum glo-

(13) Leo Magn. ser. 1. in natali SS. Petri & Pauli: *Magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* (14) Antiq. lib. xi. cap. 8. (15) Idem lib. 1. de Bello cap. 5. p. 720. D, E. (16) Philo, Legat. ad Cajum, pag. 1033. Vide & Joseph. de Bello lib. 2. cap. 31. in Gr. 17. in Lat. p. 810. (17) Joseph. de Bello lib. 2. cap. 30. 31. in Lat. Philo, Legat. ad Cajum pag. 1038. (18) Joseph. Antiqu. lib. 15. cap. 14. & de Bello lib. 6. cap. 14. in Lat. 6. in Græco. (19) Beza, Piscat. Hammond. (20) Drus. Calv. le Clerc. (21) Gror. Ligfoot. Hor. Talm. Vide & Cyrill. (22) Matth. xxviii. 19. Marc. xvi. 15. (23) Vide Matth. x. 39. xvi. 25. Marc. viii. 35. Luc. ix. 24. xvii. 33. (24) Chrysost. Theodor. Mops. Leont. Theophyl. (25) Augustin. & Beda hic. (26) Chrysost. Grot. Brug. alii. (27) Codices quidam legunt: *Pater, clarifica nomen meum*. Alii: *Clarifica Filium tuum*. Vide Notas Millii. (28) Ita Chrysost. August. Euthym. alii. Confer Matth. xxvi. 38. 39. (29) Vide Brug. Ligfoot. Tir. Vide & S. Chrysostomum.

giæ meæ studeo, tuam ipse promoveo. Tua æque vita & mors mihi gloriam pariunt: at vicissim tibi ego comparavi gloriam prodigiis, quibus missionem tuam approbavi; idque agere te moriente non desinam prodigiis a nemine auditis; tuaque resurrectio gloriæ & dignitati tuæ fastigium imponet (30).

Ita interpretantur alii (31): *Et clarificavi* in æternitate, per quam in forma Dei & sinu Patris semper fuisti; & *clarificabo* post Resurrectionem atque Ascensionem, cum evectus ad cœlos, in Patris dextera sedem occupaveris, eadem indutus gloria, qua ante omnia sæcula fruebaris. Prior tamen explicatio magis servire videtur literæ; idque ex superiori sententia evincitur: *Et quid dicam? Pater, clarifica nomen tuum*. Quæ verba idem sonant atque illa: *Fiat voluntas tua* (32). Patres hunc locum interpretantes, similem censuerunt alteri ex Capite XVII. 5. quo Filius Dei Patrem alloquens, ait: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te*.

℣. 29. Dicebat tonitruum esse factum. Fragorem audierant, vocemque distinctam, veluti sonante tonitru: at verba satis expresse non intellexerant, vel saltem suadere sibi non poterant, vocem esse idcirco missam, ut ipsi aliquid docerentur. Credere maluerunt, se errasse, aut nonnisi sonitru fragorem, vel Angeli vocem percepisse. Hebræi generatim, quicquid boni ominis divinitus fieret, Angelis tribuebant: Dæmoni vero, quæ noxia præter naturæ vires contingerent. In Apocalypsi 1. 15. vox Filii Dei, Joannem alloquentis, similis est fragori ex ingentibus aquis; eodemque loco 6. 1. vox Cherub cum tonitru comparatur, denique 10. 3. vox Angeli cum rugitu leonis, ac septem tonitruum fragore confertur. Tonitru, apud Scripturam, Dei vox dicitur. Cum Deus per Angelum loquitur, vox tonitru est, vel constantissimos quatiens.

℣. 30. Non propter me hæc vox venit, sed propter vos, ut fides vestra confirmetur, certoque teneatis, me Filium Dei revera esse: quis enim ego sim & unde venerim, satis scio; neque unquam dubitavi, quin me Pater meus gloria cumulaverit, aut deinceps sit cumulaturus. At plurimum refert, hoc vobis esse compertum (33); præsertim Ethnicis qui aderant, ac Philippum convenerant, ut Jesum de facie agnoscerent.

℣. 31. Nunc judicium est mundi. Mortis meæ, resurrectionis ac Regni tempus accedit. Mundi judicium & damnatio brevi conspicietur. Increduli hostesque Dei vindictam in capita sua sævire sentient (34), Jerosolymæ excidium, malaque illud comitantia & consequutura significat. Hoc ipsum cæteri Evangelistæ sub regni Filii Dei, ejusque adventus ad judicium in homines exercendum appellatione designant (35), Ethnicos potissimum, qui ipsum videre optaverant, alloquitur Christus. Monet, suum ipsius regnum mox incepturum, exercita in Judæos incredulos vindicta, reprobata Synagoga, ejectoque e terris tenebrarum Principe: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras;* abolitione superstitionis, atque Ethnicorum vocatione ad fidem. Hoc porro est Imperii Dæmonis excidium. Nihil jucundius exteris hisce, qui sese a Domini fœdere exclusos sentiebant, dicere poterat Christus (36).

℣. 32. Si exaltatus fuero a terra. Cum mortem obiero, nihil discriminis ponam Judæum inter & Ethnicum: gentes omnes ad me traham (37). Hæc præsertim ad Ethnicos spectant. Græcus pro *omnia* legit (38) *omnes*. Græci tamen Codices multi, Gothica, Cophtica, S. Irenæus, S. Hieronymus, S. Leo, Rufinus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, S. Gaudentius, & generatim Latini consentiunt cum Vulgata: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Ut enim ait Apostolus Rom. XI. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur;* videlicet, cum nihil nisi infidelitatem tum apud Judæos tum apud Ethnicos invenerit Christus, mero misericordiæ suæ beneficio utrosque servavit. Et Coloss. 1. 20. Christus *reconciliavit omnia pacificans per sanguinem* suum; homines cum Deo Patre conciliavit. Cum ait, se *omnia ad se tracturum*, nullam significat vim in hominum voluntates exercendam, sed verbi sui robur, & gratiæ trahentis suavitatem. Omnes ille homines fortiter, suaviter tamen, nullaque vi adhibita, trahet: *Fortiter suaviterque disponens omnia*. Sap. 8. 1. Nos ille trahet, Dæmonis malitia nequicquam reluctantes (39), & in cruce suspensus trahet. Nimirum ipse in cruce pendens nobis fidei donum, & cætera beneficia nobis exhibita promeritus est. Ibi nos cum Deo Patre conciliavit.

℣. 34. Nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in æternum. Judæi qui aderant, nullo negotio intellexere, iis verbis, *Si exaltatus fuero a terra*, suam ipsius mortem, aut e vivis subductionem a Jesu significari; fortasse enim satis expresse non assequebantur, quo pacto is tollendus esset a terra: illud tamen intellexere, ipsum non semper in terris futurum. Dicunt igitur, sese *ex Lege* didicisse, sacris videlicet e libris, interdum sub communi Legis nomine laudatis (40), immortalem esse Christum, æternumque regnaturum. Vaticiniis, de Divinitate, amplitudine, immortalitate, æternitate Messiæ agentibus, movebantur magis Judæorum animi, quam iis, quibus illius probra, humanitas, labores, mors prædicuntur. Nostra adhuc ætate illi hac de re incerti palpantesque versantur. Res adeo pugnantes una componi non posse putant. Profecto una divinæ humanæque in Christo Jesu naturæ conjunctio id efficit, ut rerum, quæ apud Prophetas pugnare videntur, veritas impleatur; hanc autem Judæi non satis intelligebant.

Messiæ æternitas, *Christus manet in æternum*, luculentissime in Prophetis traditur, quippe qui Davidis ac Salomonis regna ceu Jesu Christi figuras & symbola inducunt (41). Isaias 9. 7. *Parvulus natus est nobis: vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis . . . super solium David sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia, amodo & usque in sempiternum*. Ezechiel 37. 25. *Habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob; & habitabunt super eam ipsi & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sempiternum: & David servus meus princeps eorum in perpetuum*. Daniel 7. 14. *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur*. Quamplures occurrunt similes hisce locutiones in Scripturis, quibus confirmabantur Judæi, ut Messiam fore æternum crederent. At minime dissimulandæ erant eæ, quibus Messiæ ortus, durum atque ærumnosum vitæ genus, ac denique mors prædicebantur.

℣. 35. Adhuc modicum (42), lumen in vobis est.

(30) Ita Græci PP. Chrysost. Theodor. Mopsl. Leont. Theoph. Euthym. (31) Victorin. advers. Arium. August. Beda, Rupert. hic. (32) Confer Joan. VIII. 31. 32. XVII. 4. & 10. (33) Theodor. Mopsl. Chrysost. Cyrill. Leont. Euthym. Theoph. Brug. Grot. (34) Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. (35) Matth. XVI. 28. Luc. XVII. 20. XIX. 11. 12. XXI. 31. Matth. XXIV. XXV. (36) Brug. Grot. Ligfoot. (37) Chrysost. Leont. Theophyl. (38) Πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Græci quidam, πάντα ἑλκύσω. (39) Chrysost. Theodor. Heracl. Theoph. Euthym. (40) Joan. X. 34. Iis Cyrill. Leont. Theoph. Euth. (41) 2. Reg. VII. 12. *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum in æternum ante faciem meam*. Psal. LXXXVIII. 30. *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cœli*. Vide & Psalm. CIX. 4. (42) Græcus addit χρόνον, tempus, quæ vox in Vulgata aliisque Codicibus nonnullis desideratur.

est. Ad breve tempus vobiscum futurum est lumen. Ut propositam sibi quæstionem dilnat Christus, sese luci comparat, ad breve tempus cessanti, ut deinde novo jubare fulgeat. Hortatur ut lucem sequantur, dum ea inter ipsos micat; credant sibi, qui lux illuminans est. Minitatur futurum, ut lucem, quam aspernantur, ipse subducat. *Christus æternum manet;* omnino: at non semper conspicuus, atque inter vos versans. Cum ille recesserit, densissimis ipsi tenebris, animi contumacia ac duritie, Deo vos deserente, occupabimini. Tunc certe *desiderabitis videre unum diem Filii Hominis; & non videbitis* Luc. 17. 22. tunc *quæretis me, & non invenietis* Joan. 7 34. Cœlestis ira & ultio in vos ruet; *auferetur a vobis regnum* Matth. 21. 43. vobisque exclusis, ad fidem Ethnici vocabuntur; idque brevi fiet: *Adhuc modicum*. Ista pronunciavit Christus die x. mensis Nisan, quinta antequam moreretur (4). Confer Caput ix. 5. xi. 9.

℣. 36. Abiit, et abscondit se ab eis. Inter eos diutius morari noluit, ne ab iis detineretur; quippe nondum hora ipsius aderat. Neque tamen e Templo abiit, quamquam non diu ibi stetit; atque abiens pronunciasse videtur ea, quæ hic a ℣. 44. usque ad 50. leguntur. Versiculi 37. 38. & reliqui usque ad 44. intra parenthesis notas claudendi sunt. Hinc Bethaniam discessit, ibi noctem acturus, uti discimus ex Matthæo 21. 17. & Marco xi. 11.

℣. 37. Cum tanta signa fecisset, &c. Causam reddit Evangelista, cur Judæi tantopere Jesum odissent, & cur secesserit Jesus, qui fugere cogebatur, ne in illorum manus incideret. Illos nimirum furor suus adeo cæcos contumacesque reddiderat, ut nullis Christi prodigiis moverentur.

℣. 38. Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, &c. *Ut* non propositum sibi a Pharisæis non credendo finem significat, neque id quod spectabat Propheta, cum Judæorum pervicaciam prædiceret, sed illud solummodo innuit, quod in Judæis incredulis prædictum est & impletum (5). Patuit in illis veritas vaticinii ab Isaia prolati: *Domine, quis credidit auditui* (verbo) *nostro? Et brachium*, virtus, potentia, prodigia, *Domini cui revelatum est?* Domini brachium, gestaque a Jesu Christo prodigia corporeis illi quidem oculis intuiti sunt: minime tamen oculis fidei, interiori obtutu, quem consensus & fides sequerentur. *Brachium Domini* significare etiam potest, ex Patrum sententia (6), Dei Filium, Patris vim & virtutem.

℣. 39. Propterea non poterant credere, &c. Vaticinium Isaiæ neque causa fuit, neque occasio, cur illi non crederent; sed merum dumtaxat vaticinium, nullam inducens necessitatem (7). Credere poterant, posito etiam Isaiæ vaticinio; hujusmodi enim vaticinia latentem quamdam conditionem inferunt, qua libera servator homini in utramque partem potestas; atque ideo certissime implentur, quod Deus certo videat illorum, de quibus agitur, voluntatem pessime comparatam, ac libere prorsus & sponte contumacem. *Quare autem non poterant, si a me quæratur*, inquit S. Augustinus (8), *cito respondeo: Quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænunciavit*. Peccantis exitium non vult Deus, sed conversionem & vitam. *Quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ*.

℣. 40. Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum. Illos fore cæcos contumacesque prædixit: idque fieri æquissimo justitiæ suæ consilio permisit. Cæcos reddidit, non indita illis malitia, sed subductis auxiliis, quibus illi sese indignos reddidere abusione & contemptu (9). *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo*, ait S. Augustinus Tract. 53. in Joan. num. 9. *sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adjuvando. Quod occulto judicio facere potest, injuste non potest*. Vera cæcitatis, & contumaciæ Judæorum causa ex illorum superbia proficiscitur, teste eodem Patre ibid. 2. 9. Juncta ignorantiæ superbia, suam ipsorum justitiam, Divinæ dispendio, constituere conabantur; rerumque a se bene gestarum merito freti, minime sentiebant, quantopere Mediatore indigerent. Cæci ac stupidi, pede in lapidem offensionis impacto, illisi, probroque obruti sunt: at multorum lapsus ac dedecus occasio aliis fuere, ut ad Deum redirent, & converterentur. Hi denique inopiam, subjectionem, infirmitatem suam intellexere.

Ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, &c. Vel: *Ita ut non videant*, &c. Si obviam Textus sententiam sequeris, videtur Deus vereri, ne impius converteretur; id quod sacrilegum esset asserere. Id quod futurum est, innuit dumtaxat Scriptura. Particulam negantem ante *intelligant* non legit Græcus (10), non secus ac vetusti Bibliorum Latinorum Codices (11), & S. Augustinus: at orationis series postulat, ut ea particula suppleatur.

℣. 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, Dei gloriam, Patris, Filii, & Spiritus Sancti essentiam, ex multorum Patrum sententia (12). Vel ex aliis (13): Cum vidit spiritu gloriam Filii Dei; illique Spiritus Sanctus ostendit id quod Messiæ temporibus futurum erat Act. 28. 25. Putant alii, Isaiam vidisse Dei gloriam eodem modo, quo Abraham vidit J. Christi diem, & gavisus est Joan. 7. 56. *Exultavit ut videret diem meum; vidit, & gavisus est*. Idem ipse Isaias docet, quo anno mortuus est Ozias, Deum in gloria sua se conspexisse, solio suo insidentem Isai. 6. 1 & Cherubim corona circumdatum. Quo tempore is missus a Deo est, ejusque labia unus e Seraphim pruna ex altari rapta purgavit. Tunc ad Isaiam Deus: *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, &c.* Perspicuum omnino est, hunc Isaiæ locum ab Evangelista spectari; neque alia Dei gloria quærenda est præter hanc ab Isaia spectatam.

℣. 42. Ex principibus multi crediderunt in eum. Invito Pharisæorum ac Sacerdotum odio, proceres multi ex Jerosolymitanis Jesu Christo credidere. Cum vero sanxisset Senatus, anathemate inustum iri Joan. 9. 22. & e cœtu pulsum eos, qui Jesu Christo crederent, palam id profiteri non audebant. Adhuc infirma erat illorum fides: Dei gloriam dumtaxat non quærebant (14), neque adhuc hominum judicia & ludibria aspernari didicerant. ℣. 43. *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*.

℣. 44. Qui credit in me, non credit in me, &c. Hæc dicens Jesus, abibat; jungendaque fuere cum ℣. 36. ubi idem ajebat: *Dum lumen habetis, credite in lucem*. Cæterum ne putetis me postulare

(4) Maldon. Grot. Brug. alii. (5) Ita Græci PP. Chrysost. Theodor. Mopf. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. Ita & recentiores pleriqne omnes. (6) Hesych. in Cat. Gr. August. Beda, Rupert. alii. (7) Vide Theodor. Heracl. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Maldon. Grot. Tir. Est. alios. (8) August. tract. 53. in Joan. Vide & Chrysost. (9) August. Ep. 194. nov. edit. num. 13. *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*. (10) Ἵνα μὴ ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ νοήσωσι τῇ καρδίᾳ, καὶ ἐπιστραφῶσι, &c. Vulg. Æthiop. Cantabr. Velez. addunt, Non, & μὴ νοήσωσι. (11) Vide nov. edit. S. August. tom. 3. par. 2. pag. 648. (12) Theodor. Heracl. Cyrill. Ambr. lib. 3. de Spir. S. cap. 23. Hieronym. in Isai. cap. vi. Athanas. Hilar. apud Maldon. hic. (13) August. Beda, Rupert. Leont. Theophylact. Euthym. (14) Vide supra v. 44. *Quomodo potestis credere, qui gloriam quæ ab invicem est quæritis, & gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?*

lare ut mihi credatis, quasi merus homo sim aut Propheta: qui mihi credit, Deo credit; Pater enim & ego una sumus substantia, unus Deus. Hæc autem dixit eorum causa potissimum, qui credebant quidem, sed illius Discipulos sese profiteri non audebant (15). Quid veremini? Creditis Deo, qui mihi creditis. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. An pudet, Patrem agnoscere vobis Deum? Cur igitur me confiteri erubescitis?

℣. Ego lux in mundum veni. Eadem hic sententia, quæ ℣. 36. Vide & Joannem 1. 5. Ante Christi adventum, universum late orbem tenebræ occupabant (16); eo oriente, dissipantur tenebræ, at nonnisi iis, qui oculos adversus solis hujus justitiæ fulgorem non claudunt.

℣. 47. Siquis audierit verba mea, et non custodierit, &c. Græcus (17): *Siquis audierit verba mea, & non crediderit*. Pleræque tamen Versiones Orientales, Codicesque permulti cum Vulgata consentiunt: *Et non custodierit*. Hunc a se judicari, sive damnari negat Christus, illud innuens, hominem ipsum sententiam in se pronunciare; judicem illi fore ipsum Dei verbum (18). & jam esse damnatum (19). In re mea judex esse nolo: vestrum tamen scelus & infidelitas impune non erunt. Æquum jus reddet Pater (20), & injuriam mihi irrogatam ipse ulciscetur. Moyses ipse vos judicabit. Joan. 5. 45.

℣. 48. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit. Suprema judicii die damnabimini, quod mihi non credideritis. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, locus excusationi illis esset: meus tamen sermo illorum damnatio est (21). Aliter: Judicium subituri estis ex verbis meis. Instituta, quæ ex me audistis, absolvent vos aut damnabunt, ut ipsi fidem atque obsequium, sive contemptum neglectumque exhibueritis. Denique, ex S. Augustino (22): *Sermo meus*, ego ipse, qui sum Patris Verbum, vobis judex suprema die futurus sum. Me ipse nunciavi, me prædicavi: mihi credere vos oportet: *Se ipsum manifestavit judicaturum in novissimo die: seipsum quippe locutus est, seipsum enunciavit, seipsum januam posuit*.

℣. 49. Ex me ipso non sum locutus. Uti homo hic agit Christus. Hae ex parte, hæc ipsa quæ loquor, meus sermo non sunt, sed Patris; atque hoc ipso sunt meus quoque, qui divina essentia alius ab illo non sum. Sermo meus, seu potius Patris, cum nihil ex me ipse loquar, judex vobis futurus est suprema die (23).

℣. 50. Scio quia mandatum ejus vita æterna est: scio, hominem verbis illius, iisdem nempe meis, morigerum (℣. 49.), vitam æternam ac beatitudinem assequuturum: eum vero, qui non crediderit, minimeque servaverit, judicatum iri, æternisque suppliciis damnatum. Hæc dicens, Christus Templum urbemque reliquit, & Bethaniam secessit.

(15) Theodor. Mops. Chrysost. August. Rupert. (16) August. hic. Maldon. alii. (17) Ἐάν τίς μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ πιστεύσῃ. Sed MSS plures φυλάξῃ. Ita & Armen. Syr. Copht. Arab. Æth. Noan. &c. (18) Infra ℣. 48. (19) Joan. III. 18. *Qui non credit, jam judicatus est*. (20) Joan. VIII. 50. *Est qui quærat, & judicet*. (21) Rupert. hic, Grot. (22) Augustin. hic. (23) Theodoret. uterque, Leont. Maldon.

C A P U T XIII.

Suprema Jesu Christi cum Apostolis cœna. Pedes Apostolorum lavat Christus. Docet Joannem, quis e Discipulis sese proditurus sit. Novum de charitate præceptum. Prædicit Petro futurum, ut ante ultimum gallicinium neget ille, sibi notum esse Jesum.

℣. 1. ANte diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat
ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in
finem dilexit eos. 2. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet
eum Judas Simonis Iscariotæ: 3. Sciens, quia omnia dedit ei Pater in ma-
nus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit: 4. Surgit a cœna, & ponit vesti-
menta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se: 5. Deinde mittit aquam in
pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præ-
cinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu
mihi lavas pedes? 7. Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis mo-
do, scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum.
Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. 9 Dicit ei Si-
mon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. 10. Di-
cit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus to-
tus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim quisnam esset, qui tra-
deret eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. 12. Postquam ergo lavit pe-
des eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis,
quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis:
sum etenim. 14. Si ergo lavi pedes vestros, Dominus, & Magister; & vos debe-
tis alter alterius lavare pedes: 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum
ego feci vobis, ita & vos faciatis: 16. Amen, amen dico vobis: Non est servus

major

major domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum. 17. Si hæc sci-
tis, beati eritis, si feceritis ea. 18. Non de omnibus vobis dico; ego scio, quos
elegerim: sed ut impleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra
me calcaneum suum. 19. Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fue-
rit, credatis, quia ego sum. 20. Amen amen dico vobis: Qui accipit, si quem
misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit. 21.
Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen,
amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. 22. Aspiciebant ergo ad invi-
cem discipuli, hæsitantes de quo diceret. 23. Erat ergo recumbens unus ex disci-
pulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus,
& dixit ei: Quis est, de quo dicit? 25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus
Jesu, dicit ei: Domine, quis est? 26. Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum
panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 27. Et
post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.
28. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim
putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus
sunt nobis ad diem festum: aut egenis, ut aliquid daret. 30. Cum ergo ac-
cepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. 31. Cum ergo exisset,
dixit Jesus: Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. 32.
Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo
clarificabit eum. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & si-
cut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo:
34. Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos
diligatis invicem. 35. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dile-
ctionem habueritis ad invicem. 36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis?
Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea.
37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te po-
nam. 38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico
tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

℣. 1. ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ. Cum Joannes Evangelista illud solummodo sibi proposuisset, ut res a cæteris Evangelistis prætermissas suppleret, omisit omnia, quæ feria tertia, quarta & quinta ante Passionem contigere, statimque a feriæ secundæ vesperis ad feriam quintam post cœnam gradum facit. Scribit, cum Jesus nunquam non dilexisset suos, voluisse ante Paschatis Festum multo luculentissima exhibere amoris sui argumenta (1). Animadvertenda hic sunt hæc verba, *Ante diem festum Paschæ*: si enim, ut vulgo creditur (2), Paschalem cœnam ea die celebravit Christus, certe Paschatis Festum ante horas tres vel quatuor jam inceperat, tametsi rem hic narratam hora sexta vel septima vespertina contigisse putes: neque dicere potuit Evangelista, lavisse Jesum Apostolorum pedes ante Paschatis Festum, absoluta cœna Paschali: secum ipse pugnaret.

℣. 2. ET CŒNA FACTA. Eucharistiæ institutionem, a cæteris tam sedulo ac fuse recitatam, prætermisit Joannes, consequentia tantum relegens. Cum igitur Christus in Eucharistiæ Sacramento suum ipsius Corpus ac Sanguinem Discipulis exhibuisset; Apostoli, teste Luca 22. 24. disceptare cœperunt, quis ex iis futurus esset princeps. Disceptationi occasionem dedere Christi verba, quibus illos ipse monuerat, se mox abiturum Luc. 22. 22. pauloque antea dixerat, calicem, quem una cum Discipulis biberet, sibi esse supremum (3). Hujus autem disceptationis causa id egit Christus, quod hic legimus, humilitatem eo efficacius docens, quod non verbis modo, sed exemplo traderet.

Sedulo distinguas finem cœnæ, quo de fine Lucas 22. 25. qua absoluta, Christus calicem sumens, singulis ordine Discipulis propinavit; alterum hunc, quo Jesus pedes Discipulorum lavit; ac denique tertium, post quem idem recitato hymno gratiarum actionis, urbe discessit (4). Una eademque est cœna, bis intermissa, ac denique absoluta per precem, uti mos erat. Institutum est Eucharistiæ Sacramentum, accumbentibus adhuc Discipulis, & *manducantibus*, uti diserte habent Matthæus & Marcus (5). Cum igitur apud Lucam 22. 20. legis, institutum esse post cœnam, intellige sub finem cœnæ; lotis enim Apostolorum pedibus, iterum accubuere omnes (6), & comederunt, cum Jesus porrexerit Judæ panem jure mersum, quo comesto Judas illico discessit.

Patres & Interpretes vulgo ajunt (7), Judam e Christi Corpore & Sanguine gustasse. Necesse igitur est, Eucharistiam ante lotos Apostolorum pedes fuisse institutam; quæ opinio adversatur nonnullis, qui Apostolos lotione pedum comparatos fuisse existimant, quo dignius Eucharistiam sumerent: nobis tamen ambitionis illorum medicina fuisse videtur, & exemplum quo docerentur, quæ vera esset Regni Dei dignitas. Monita, quibus Apostolos post eam rem instituit Christus, in eamdem sententiam conveniunt, nostramque explicationem confirmant.

CUM DIABOLUS MISISSET IN COR, &c. Parricidium jam decreverat Judas ante sex dies, occasione rei apud

(1) Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Mald. alii passim. (2) De hoc argumento vide Dissertationem de supremo Christi Paschate, in fine. (3) Matt. xxvi. 29. Marc. xiv. 25. (4) Matt. xxvi. 30. Marc. xiv. 26. (5) Matt. xxvi. 26. Marc. xiv. 22. (6) Joan. xiii. 15. . . . 26. (7) Vide nos in Matth. xxvi. 25.

apud Simonem Leprosum gestæ, cum Maria Lazari soror pedes Christi unxit (8). Convenerat ille Sacerdotes Christi inimicos, promiseratque proditum iri a se illis Jesum, accepto triginta argenteorum pretio; & jam tum opportunitatem quærebat, ut fidem impiissime datam liberaret.

℣. 3. Sciens, quia omnia dedit ei pater, &c. Cum nosset Christus, vitæ suæ finem instare, seque mox Apostolos relicturum, exhibere illis voluit humilitatis exemplum, & male confictam de Regni sui dignitatibus opinionem corrigere. Satis illi ubique docuerant, quam anxie ambitionem quærerent. Metuendum erat, ne hæc in Ecclesiam mox instituendam manaret; quæ, mortuo Magistro, seditiones sevisset inter fratres, eosque in exitium impulisset. Coercenda igitur fuit mala hæc libido, exemploque maxime conspicuo confirmandum id, quod tam sæpe docuerat, veram ipsorum dignitatem in humilitate constituendam.

℣. 4. Surgit a cœna, &c. Cingitur more servorum, qui heris ad mensam accumbentibus, sive pedes lavantibus nudi inserviebant. Linteo cingitur, ne penitus nudum se exhibeat (9), neve quid indecorum in ea re faciat. Credibile est (10), minime exuisse tunicam, carnibus hærentem, seque cinxisse, ut illam colligeret, quippe quæ ad talos usque flueret.

℣. 5. Mittit aquam in pelvim, &c. Vilissimorum erat hoc servorum munus. Electa Abigail, ut uxor Davidis esset, tam nunciantibus respondit, se humillimam esse domini sui ancillam, & honoris loco se habituram, si servorum illius pedes ablueret 1. Reg. 25. 41. Veteres nonnulli (11) putant, Christum lavandi initium a Juda fecisse, ut illum ad animi lenitatem ac pœnitentiam perduceret, ac doceret, quid agendum esset erga inimicos. Aliis incepisse videtur a Petro (12), idque Latinis plerisque probatur. Non repugnat Evangelistæ narratio. Confer Matth. III. 14. *Ego debeo a te baptizari, & tu venis ad me?*

℣. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum, &c. Ignorabat fortasse Petrus, quid vellet Christus, cum illum vestibus exui, & aquam in pelvim infundere vidit. Petrus cæterique in convivalibus lectis discumbebant, nudis pedibus, uti moris erat. Nihil certe magis novum illis contigit: quis enim convivarum pedes post cœnam lavari unquam audiit? Lavabantur interdum ex agro venientibus, atque ad mensam accubituris Luc. 7. 44. minime vero post cœnam.

℣. 7. Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Sine: mox edisseram, cur id faciam. Si nosses, cur ego ad pedes usque lavandos demittar, minime repugnares. Exemplum præbeo, quod vos invicem imitari cupio. Vide ℣. 14.

℣. 8. Si non lavero te, non habebis partem mecum: meos inter amicos (13) & Discipulos non recenseberis; nulla tibi hereditatis meæ spes, meæque gloriæ & Regni pars futura est. At ea ne pœna dignum erat obsequium, quo Petrus erga Magistrum tenebatur, sibique pedes a Christo lavari renuebat? Præmio dignus erat, non minis. An exteriori hac ablutione carere, grave adeo flagitium erat, ut ejus rei causa Christus e numero amicorum ac Regni parta Petrum excluderet? Nequaquam: sed aut iis minis rei gestæ gravitas tantummodo ostenditur; vel Petri contumacia coercetur (14); seu denique interiorem aliam animi ablutionem significat Christus, cujus figura dumtaxat ac symbolum esset exterior. Solet Christus in singulis ferme sermonibus e corporeis ad spiritalia gradum facere, atque ex qualibet re opportunitatem capere, ut Discipulos doceat, eorumque mentes ad Deum erigat. Ubi de pane, aqua, fermento, opibus, fratribus, matre mentio incidit, literalem ejusmodi rerum sensum statim detorquet, ut panem, aquam, fermentum spiritale significet.

Renuit Petrus, pedes sibi a Christo ablui: duo illi objicit Christus: I. causas sibi esse, cur id faciat, mox explicandas, nempe ut animi demissionem doceat: II. Eam ablutionem symbolum esse vel baptismi, omnes animi labes tergentis, vel innocentiæ qua vivendum est, ut quis particeps Regni illius fiat; vel pœnitentiæ (15), consueta & quotidiana peccata expiantis. Vide ℣. 10. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Sive, quod probabilius est: Nisi vos hisce ambitionis & arrogantiæ reliquiis, quibus ipsi tenemini, abluero, tamque demissos reddidero, quam vobis videor, ita ut ceu servos cæterorum vos exhibeatis, nulla vobis mecum pars futura est.

Veteres quidam de pedum ablutione ita loquuti sunt, uti de ritu, cui eadem prope vis quæ baptismo esset. S. Ambrosii ætate, ipso teste lib. de Myster. cap. 6. hominibus mox baptismo initiatis lavabantur pedes, cum sacro e balneo egrederentur. *Ideo planta abluitur*, inquit, *ut hæreditaria* (originis) *peccata* (saltem concupiscentia) *tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur.* Quamdam ejusdem Patris sententiam recitat S. Augustinus (16), ex ejus libro nunc deperdito, qua hoc ipsum dicebatur. Denique S. Ambrosius eamdem sententiam repetit in Psalmum XLVIII. ℣. 6. n. 8. *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri .... Unde Dominus Discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis.* Addit tamen, putare se, hac pedum lotione ablui potius concupiscentiam, sive, ut ipse ait, naturalem hominis propensionem in culpam, quam peccatum: *Unde reor, iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti.*

Author tertii Libri De Sacramentis, sub S. Ambrosii nomine vulgatus l. 3. c. 1. testatur, morem fuisse Mediolani, ut hominum mox baptismo tinctorum pedes, statim post baptismum, lavarentur. Erant qui merum esse religionis & charitatis ritum putarent: et ipse, *Audi*, inquit, *quia mysterium est & sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Addit: *In baptismate omnis culpa diluitur ... sed quia Adam supplantatus a diabolo est ... ideo lavat pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat.*

Neque peculiaris erat Mediolanensis Ecclesiæ ritus; quippe qui in aliis Italiæ locis, in Gallia, Hispania, & Africa animadvertitur (17). Potissimum vero feria quinta Hebdomadæ majoris exercebatur; eumque Sacramenti appellatione, & vi delendi venialia peccata donare, nonnulli non dubitant (18). Vetus quidam Scriptor, inter Opera S. Augustini (19), ait, eum, qui hospitum pedes ex fide & humilitate lavat, veniam nedum venialium, verum etiam lethalium criminum impetrare. Hæc tamen sententia vero major est.

Qui

(8) Vide Luc. XXI. 3. Matth. XXVI. 14. 15. 16. Marc. XIV. 10. 11. (9) Origen. hic, Pisc. Lud. de Dieu Le Clerc. (10) Mald. Brug. Grot. alii. (11) Origen. tom. 32. in Joan. Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. (12) August. Rupert. Beda, Maldon. Brug. Grot. S. Ambrosius lib. 3. a. c. n. 4. de Sacrament. putat, Christum Petri omnium postremo lavisse pedes. (13) Mald. Vat. Grot. Vide Deut. XXV. 27. XVIII. 1. 3. Reg. XII. 16. (14) Ita Cyrill. Alex. Basil. Proœm. lib. de morib. Brug. (15) Cyprian. seu alius, tract. de Cœna Domini; Pacian. Ep. 1. contr. Novat. Gregor. Magn. lib. 9 Ep. 39. August. hic 5 Serm. serm. in Cœna Domini. (16) August. lib. 4. contra duas Epist. Peleg. c. 11. ex deperditis Ambros. Comment. in Isai. (17) Vide Notas nov. edit. S. Ambros. t. 2. lib. 3. de Sacrament. c. 1. p. 362. (18) Bernard. serm. in Cœna Domini n. 1, 2, 3. Ernald. Bonæval. Abb. serm. de ablut. pedum. (19) Serm. 145. n. 1. Appendic. t. 5. p. 262.

Qui ritum hunc Sacramenti nomine donant, generice usurpant pro sacro ritu, & gratiæ augendæ aptissimo. Origenes (20) huic ablutioni non ita favet; & ineptum esse ait, ex verbis Jesu Christi colligere, illam esse necessariam, cum hæc ad verbum usurpanda non sint. Addit, ætate sua nonnisi paucos & maxime rudes fuisse, qui eam usurparent.

Nemo dubitat, quin pedum lotio, ex fide & humilitate cæteris exhibita, venialia peccata delere queat, quemadmodum cætera misericordiæ opera ex iisdem causis exercita (21). S. Ambrosii opinio de vi lotionis pedum Mediolani usitatæ, singularis est, neque vulgo Ecclesiæ probata. Quin & ipse nonnisi caute ac modeste de ea agit (22). Festum lotionis pedum celebrant Syri feria quinta majoris hebdomadæ; quem diem Græci *Sacrum Nipterion*, seu Sacram Lotionem nuncupant. Servatur adhuc is ritus ea die in Ecclesia Latina. Concilium Elibertanum, certe vetustissimum (23), cum plerosque eo ritu abuti, nimiamque in eo fiduciam collocare intelligeret, illum in Hispania abolevit. In rebus hisce, ad disciplinam tantummodo spectantibus, varias amplecti potest Ecclesia consuetudines, circa inconstantiæ notam. S. Gerhardus Tullensis Episcopus pium hunc ritum quotidie præstabat, ratus valere plurimum ad remittenda peccata; *credens, ut est vera fides, criminum sordes abluere, uti multoties sanctum audiverat Præsulem certissime prædicare*. Vindricius vit. S. Gerhardi.

℣. 10. QUI LOTUS EST, NON INDIGET, NISI UT PEDES LAVET. Alludit ad Judæorum morem, sæpissime lavantium, ut legalibus sordibus sese purgarent. Qui balneo ablutus est, necesse non est, ut iterum eo abluatur: satis est, pedes lavet, ut pulverem ambulando collectum abstergeat. Hoc servato, accumbere ad mensam potest, in Templum ingredi, omnia vitæ civilis officia implere, & sacris interesse. Quicquid exigit Lex, servavit. Putat Knatchbullus, reddi posse Græcum (24): *Qui lotus est, opus non habet vel ut pedes lavet*. Communis tamen versio melior; neque desunt libri, qui hujus conjecturam prorsus evertant.

At sub corporis lotione aliud intelligit Christus. Qui fidem & charitatem habet, omnique labe lethali caret, cujusmodi labe Deo execrabilis efficitur, hic sola pedum lotione indiget: nimirum opus est, ut modum animi æstubus imponat, concupiscentiæ motus coerceat, latentem superbiam, ambitionem, propriæ excellentiæ amorem, invidiam cohibeat. His porro labibus nondum plane purgati erant Apostoli (25). Judas quidem a capitis vertice ad pedes usque immundus erat; quippe quem Deo execrabilem redderent infidelitas, pervicacia, avaritia, sacrilegium, perfidia. Satis non erat ut lavaret pedes: totum ablui oportebat. Id volunt ea quæ addidit Christus: *Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim*, subdit Evangelista, *quisnam esset qui traderet eum*.

Veteres multi (26) credidere, significari a Jesu Christo baptismum, quo tincti fuerant Apostoli, quem iterare nefas esset. Baptismo meo loti estis, omnibusque sordibus purgati: superest pedum baptismus, scilicet pœnitentia, qua expientur peccata, forte post regenerationem admissa. Prior tamen interpretatio multo simplicior est; Judas quippe baptismo Jesu Christi, quemadmodum cæteri Apostoli, tinctus fuerat. S. Ambrosius in Luc. l. 8. n. 7. legit hic: *Qui lotus est totus, non habet necesse ut manus lavet*; quibus verbis, inquit, damnatur superstitio Pharisæorum, manus frequenter lavantium.

℣. 12. POSTQUAM LAVIT PEDES EORUM . . . CUM ACCUBUISSET; Apostoli enim e lectis non descenderant, uti animadvertimus, sed suo quisque in loco, ut antea, manserant. Jesus igitur, sumptis iterum vestibus, cum rursus accubuisset, causam edisseruit, cur ad pedes usque ipsorum lavandos sese demisisset. Diximus jam, id ab eo gestum esse occasione disceptationis de principatu inter ipsos obortæ. Igitur, *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine; & bene dicitis; sum etenim*. Nemo ex vobis dubitat, quin ego vestrum Princeps sim, & jure imperandi gaudeam: lavi tamen omnium pedes, ut docerem opus esse, ut alter alteri subjiciamini; mutuis officiis fratrem occupetis; vilissima denique officia in omnibus quæratis: hoc ego vos docere volui, antequam abeam, & ad Patrem revertar. Nulla igitur lis inter vos esto de principatu: invicem animos demittite, ita ut pedes invicem lavetis. Porro hac ratione primas in Regno meo dignitates consequemini.

℣. 16. NON EST SERVUS, &c. Vos me majores non estis: si igitur vestros ego pedes lavi, probri loco non erit, si par officium invicem exhibeatis. Humillima officia commendavit Christus, cum ipse primus ultro impleverit. Christiani hominis gloria ea est, ut humilis sit instar Magistri.

℣. 18. NON DE OMNIBUS VOBIS DICO. Judam pungere nunquam cessat, quem certe iis verbis alte sauciari necesse erat, sive eo adigi, ut vel a pessimo consilio resiliret, vel reprehensionum impatientia reos quam citissime maturaret. Decretum sibi tempus adesse noverat Jesus; quamobrem nulla inimicorum reverentia loquebatur: quin & trahebat illos quodammodo & provocabat. *Ego scio quos elegerim*: arcana singulorum consilia perscrutor. Cum vos ego eligerem, plane vos novi, quæque futura essent, prævidi. Me aut eligendo deceptum esse, aut ullis nunc angustiis, quas olim nescicerim, premi ne putaveritis. Ista omnia initio noveram (27): *sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*: calcitrabit, me calce feriet (28). Ut autem vaticinii hujus veritas constaret, necesse erat, ut impius aliquis e Discipulorum meorum numero esset. Neque malum elegi, neque ut malus fieret, sed illum fore malum prævidi (29): Evangelista, vel potius Christus Judæ accommodat ea, quæ David questus est de Absalomo Psalm. 40. 10. luculentissima hujus proditoris figura.

℣. 19. AMODO DICO VOBIS, ne, ubi res contigerit, me deceptum esse in electione suspicemini, sed certo noveritis, me Deum esse, mentium & arcanarum cogitationum secreta scrutantem (30). Hæc monui, antequam fiant, ne deinde, ubi contigerint, vobis offensioni sint. Denique ista prædixi, ut intelligeretis, me eum esse, quem spectabat David, cum sententiam mox recitatam pronunciarem (31).

℣. 20. QUI ACCIPIT SIQUEM MISERO, ME ACCIPIT. Hæc mihi videntur jungenda cum ℣. 16. *Non est servus major domino suo; neque Apostolus major est eo, qui misit illum*. ℣. 20. *Qui accipit siquem misero, me accipit*. Si ego dominus ad lavandos usque vobis pedes demittor, iniquum est, ut vos pudeat humillima præstare, & vilissima fra-

(20) Origen. t. 32. in Joan. p. 390. & 391. (21) Vide August. serm. 9. nov. edit. cap. 11. (22) Ambros. lib. 3. c. 1. de Sacram. (23) Concil. Elibertin. c. 48. (24) Ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι. Plures MSS. Εἰ μὴ τοὺς πόδας. (25) August. hic: *Ipsi humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, ut si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*. Vide & Bern. serm. in Cœna Domini, &c.
(26) Cyprian. Pacian. Ambros. August. Bern. Gregor. Rupert. (27) Euthym. Mald. Brug. Grot. alii.
(28) Grot. Brug. (29) Vide Mald. Euthym. Mald. alios. (30) Brugens.
(31) Cyrill. Theophyl. Euthym. August. Beda, Rupert. Mald. Grot.

fratribus officia exhibere. Neque vereamini, ne cummendata vobis humilitas vos hominibus contemptos efficiat. Quo humiliores fueritis, eo facilius veram dignitatem consequemini; qui enim vos excipit, me excipere; qui vos spreverit, me spernere, uterque vero contemptum vel obsequium Patri meo exhibere censebitur. Dum igitur humilitatem summopere commendo, vos quodammodo Deo pares efficio. Illata sibi arbitrabitur Deus Pater quæcumque vos aut bona aut mala a cæteris accipietis. ℣℣. 18. & 19. veluti per parenthesim inseruntur, Judæ gratia.

℣. 21. TURBATUS EST. Visus est animo commoveri ac perturbari, veluti qui præsentem inimicum, & imminens periculum videt. Mortis aspectu, & Judæ præsentia turbatur Jesus. Hunc animi tumultum Christus ipse sponte excitavit, uti & alterum ad sepulcrum Lazari Jo. XI. 33. ac deinde in horto olivarum Matth. 26. 37.

℣. 23. RECUMBENS IN SINU JESU. Joannes Evangelista statim post Jesum accumbebat, capite sinum Christi contingens, adeo ut caput retro vertens, aut in posteriorem partem inclinans, in Jesu Christi sinum demitteret. Id nullo negotio intelliges, si imagineris, quo ordine Judæi in mensa discumberent. Petrus fortasse in contraria parte, e regione Jesu, & in altero quam Jesus lecto recumbebat. Innuit igitur Joanni Petrus, ut clam a Christo quæreret, quis esset proditurus. Nemo aptius id faceret, quam Joannes, quem Christus maxime omnium amaret. Itaque capite in sinum Jesu Christi inclinato, id clam postulavit (6).

℣. 26. RESPONDIT: ILLE EST, CUI EGO INTINCTUM PANEM PORREXERO. Respondit secreto, nequis audiret. Veteres quidam censuere, panis buccellam, jure tinctam a Christo (7), nondum enim ablatæ fuerant lances, & Judæ porrectam, ipsius Christi Corpus fuisse, de quo iis antea dixerat: *Accipite & manducate: Hoc est corpus meum.* At S. Augustinus (8) aliique plures probabilius docuere, merum fuisse panem, exhibitumque Judæ a Christo Corpus suum, antequam panis hoc loco descriptus porrigeretur. Vide nos in Matthæum XXVI. 23. Nonnus, aliique nonnulli (9) putant, panem a Christo porrectum Judæ, mersum fuisse vino; atque hinc ortum esse apud Antiquos morem, ut Sacram Eucharistiam distribuerent sub specie panis tincti vino mysteriis consecrati (10). Morem hunc damnavit Julius Papa, qui ea de re literas ad Ægypti Episcopos dedit (11): quo tamen invito communis in Græcia esse non destitit.

℣. 27. POST BUCCELLAM. Avaritiæ & odii Dæmon jam Judæ animum occupabat. Jam ille una cum Sacerdotibus rem gerere decreverat (12). Cum autem rem compertam esse intellexit, multo pertinacius in proposito perseveravit. Multo validius illum occupavit Diabolus: *Intravit ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet*, inquit S. Augustinus.

QUOD FACIS, FAC CITIUS. Non jubet rem pessime decretam perficere, non hortatur, sed ostendit, se id nosse, neque tamen timere. *Vox hæc non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati*, ait S. Leo (13). Perfidiam arguit (14), dum jubet: *Quod facis, fac citius*. Permissio indignantis est, Cum rem decreveris, quamprimum expedi. Dignum te consilium. Putat Origenes in Jo. hic ira usurpari hæc verba posse, veluti Dæmonem iia alloquatur, & provocet Christus. Ejus sententiam probavere S. Cyrillus, aliique ex Græcis (15).

℣. 28. HOC NEMO SCIVIT DISCUMBENTIUM, nisi unus fortasse Joannes (16), cui Christus in aurem insusurravit, Judam fore proditorem. At forte etiam satis non intelligebat, quid sibi vellet his verbis Christus (17), cum ea verba varias interpretationes paterentur.

℣. 29. EME EA QUÆ OPUS SUNT NOBIS. Apostoli, quibus visus est Christus hoc dicere Judæ, prorsus norant, Paschatis diem ex iis non esse, quibus mercimonia publice prostarent Ierusolymis. Hoc igitur ipsa Paschatis nocte non contigit; ex communi enim sententia, quæ paschalem legitimamque cœnam a Christo suprema ante mortem die cum Discipulis habitam esse ait, a vesperis elapsæ diei jam Festum inceperat. Nobis tamen ex toto Ioannis contextu videtur, Paschale Festum incepisse, postquam expiravit Iesus: mactandarumque in Templo Paschalium victimarum initium factum fuisse eo ipso tempore, quo Christus in cruce animam egit. Credidisse igitur videntur Apostoli, Iudam discessisse comparatum victimam paschalem, & cætera quibus opus erat ad victum in vesperas Paschati præcedentes, ipsumque Paschatis diem mox consequentem.

℣. 30. CUM ACCEPISSET BUCCELLAM, EXIVIT. Veteres quidam (18) credidere, Iudam accepisse quidem Christi Corpus, eo porrigente, at minime comedisse; quippe qui, inquiunt, panem servavit, Sacerdotibus ostensurus, ipsumque accusaturus, quod Discipulos doceret, eum panem suum ipsius Corpus esse. At Sanguinem vel invitus bibit, inquit Theophylactus, quod illum, perinde ac panem, abscondere non posset.

Hæc opinio perspicue fabulosa est, eamque nullus, quem noverim, magni nominis interpres sequitur. At ea, quæ Judam e convivio abiisse docet, antequam Christus Corporis & Sanguinis sui Sacramentum institueret, adeoque mysteria gustasse negat, notissima est Antiquitati, & quamplurimis utriusque Communionis Theologis doctissimis probata, veluti Turriano, Salmeroni, Barradio, Viringio, Keblitio, Volfango Musculo, Zanchio, Henrico Altingio, Bezæ, Socino, aliisque permultis (19). Contrariam tamen sententiam vulgo amplexæ sunt Ecclesiæ Græca & Latina, ex iis etiam, qui se Evangelicos nuncupant; eaque cum Evangelistarum narratione aptius constare nobis videtur (20).

ERAT AUTEM NOX. Græci Codices nonnulli ferunt (21): *Erat autem nox, cum exiit*. Alii: *Erat autem nox. Cum autem exisset, dixit Jesus*, &c. Quæ lectio cum Vulgata. Æthiopica, Origene, Nonno convenit. Nocturnum tempus fuisse, animadvertit Evangelista, ut significet, Judam secreto & nocte intempesta adiisse Sacerdotes, rem peracturum; ut scilicet Jesum caperent eo tempore, quo solus a consueta multitudine inveniretur (22): *Ut traderet illum sine turbis*.

℣. 31. NUNC CLARIFICATUS EST FILIUS HOMINIS.

(6) Origen. hic; Cyrill. Alex. in cap. XI. Joan. Anastas. Sinaita, orat. de Sinaxi; Nonn. hic; alii, quos vide ad Matth. XXVI. 23. (7) Grot. hic, Capell. M. Ant. de Dominis, Bynæus, alii. Vide & Origen. hic, & Ambr. Ferrar. (8) Aug. in Joan. tract. 62. Jul. Pap. Decret. dist. 2. de consecrat. c. 7. Hildeb. Cenoman. Ep. 64. Petr. Lombard. sent. 4. dist. 8. (9) Nonn. Paraphr. hic . . . Ὧ χερὶ ψωμὸν
Ὅσσον ῥεθόμενον δεδευμένον ἄρτον ὀπάσσω
Αὐτός ἐμὲ προδίδωσι, &c.

(10) Vide Heins. Aristarch. sacr. lib. 2. c. 12. Vide & Petr. Arcud. de Concord. lib. 3. cap. 56. Allat. Dissert. 1. de lib. Græc. (11) Julius Papa in decreto, dist. 2. de consecr. c. 7. (12) Joan. XIII. 2. Luc. XXII. 3. (13) Leo Mag. serm. 7. de Passione. (14) Chrysost. Ammon Theophyl. hic. (15) Cyrill. lib. 2. in Joan. c. 17. (16) Hammon. Bynæ. Piscat. (17) Chrysost. Theophyl. Grot. alii. (18) Vide Origen. hic, & Theophyl. (19) Vide Selden. lib 1. de Synedr. c. 8. & Bynæum de morte Christi lib. 1. c. 3. n. 33. (20) Vide nostram Harmoniam quatuor Evangeliorum, & Commentarium in Matth. XXVII. ℣. 23. (21) Ἦν δὲ νὺξ, ὅτε ἐξῆλθε. Alii. Ἦν δὲ νύξ. Ὅτε οὖν ἐξῆλθε.
(22) Luc. XXII. 6. Vide Grot. hic.

rinis. Adeſt hora, qua per Paſſionem meam paranda eſt Patri meo gloria. Inſtat jam meæ ipſius gloriæ tempus; meam quippe mortem conſecutura eſt reſurrectio, & ſuper omnes Cœlos Aſcenſio. Me jam prodit Judas: En horam Principis tenebrarum. Quemadmodum athleta, certus de victoria, proximo certaminis tempore gaudet; ita Chriſtus paſſionis ac mortis ſuæ tempus, veluti gloriæ & triumphi exiſtimat (22).

℣. 32. Si Deus clarificatus est in eo, &c. Deus Pater me cumulaturus eſt gloria, mihique daturus nomen cæteris nominibus longe nobilius; meque evecturus ſuper omnia, quæ in Cœlo, terraque & inferis ſunt; ita ut creatæ res omnes genu flexuræ ſint coram me, demiſſionis meæ cauſa, & gloriæ quam morte mea Patri comparavero; ac denique fidei, qua illius juſſa ad ſupremum uſque ſpiritum explevero.

℣. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Vitæ meæ finis imminet. Me prodit Judas, breviſque paucarum horarum mora vobiſcum mihi ſupereſt. Futurum eſt brevi, ut diſpergamini, atque a me ſejungamini. Iter ingredior, quod mecum ſequi non licet. *Quæretis me*: dies aliquot abſentiæ meæ cauſa triſtes eritis ac dolebitis: at cum reſurrexero, me iterum invenietis, meque ultro vobis exhibebo. Prædico, uti aliis temporibus prædixi Judæis (23), vos venire non poſſe, quo ego abeo: grandi tamen diſcrimine; Judæi enim quærent me, & peccatis ſuis obvoluti morientur Jo: 8. 21. 24. at vos me aliquando ſequemini, & in Cœlum, quo ego proficiſcor, venietis. Vitam mei cauſa poſituri eſtis, quemadmodum ego veſtri gratia ſum poſiturus (24): utque me Pater, ita vos gloria cumulaturus eſt, prout merita poſtulaverint.

℣. 34. Mandatum novum, &c. Præceptum de proximorum charitate novum non erat Apoſtolis, qui illud ex Moyſis Lege (25) didicerant, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. At latum a ſe de charitate præceptum Jeſus novum nuncupat, quod ita proximum amari velit, ut ipſe nos amavit. Porro nedum uti ſeipſum nos amavit Chriſtus, verum etiam pluſquam ſe, cum ſuam ipſe vitam noſtri cauſa prodegerit, ſeſe in ſervi forma exhibuerit, noſtraque omnium peccata in ſe ſuſceperit. Ita, ex Patrum ſententia (26), novum eſt de charitate præceptum. Cenſent alii (27), novum a Chriſto dici, quia eximium. Iterum fero præceptum de mutua charitate, tamquam novum, perfectum, graviſſimum, præſtantiſſimum. Hoc ſenſu apud Hebræos dicuntur novum carmen, nova terra, Cœli novi, novum vinum, cor novum, ut iſta præteritis præſtantiora ſignificentur. Ait Deus, ſe novas res facturum in terris; ſcilicet, omnia in terris reſtauraturum, & meliora redditurum quam olim eſſent.

Alii denique (28): *Mandatum novum do vobis*: latum olim a Moyſe de charitate præceptum, nunc ex hominum memoria pene deletum, inſtauro. Illud peſſime interpretati ſunt Scribæ & Pharisæi, multoque pejus ſervavere. Ego ita ſervari a vobis jubeo, uti ego erga vos præſtiti: *Sicut dilexi vos*. Hoc vobis relinquo hæreditatis nomine: hoc vobis legat teſtamento Pater, mortem mox ſubiturus, ut familiam ipſoſque inimicos tueatur.

℣. 35. In hoc cognoscent omnes, &c. Ex mutua charitate agnoſcent cæteri, vos meos eſſe Diſcipulos. Hæc meæ Religionis nota. Chriſtianum facit Charitas, non eruditio, non vaticinii donum, non eloquentia, non prodigiorum facultas (29). Suprema Judicii die quamplures dicent: Domine, nonne tuo nomine vaticinia effudimus, & prodigia patravimus? At reſpondebo: Vos ego ignoro (30). *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, ajebat Apoſtolus 1. Cor. 13. 1.

Eo ſanctiores ſumus, eoque verius Chriſti Diſcipuli dicimur, quo propius ad illius charitatem accedimus: *Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Uno hoc indicio, mutua ſcilicet charitate, naſcentis Eccleſiæ alumni agnoſcebantur. *Erat cor unum, & anima una* Act. 4. 33. bona & fortunæ omnibus communes (31). Privatim pauperes, æque divites publice. Mutuus hic amor innumeras Chriſtianæ Religioni calumnias peperit; ignotam enim ſibi charitatem, ſuſpectam habebant Gentiles. *Sed hujuſmodi dilectionis operatio nobis notam inurit apud quoſdam. Vide, inquiunt, ut ſe diligant; ipſi enim* (Gentiles) *invicem oderant; & ut pro alterutro mori parati ſunt* (32).

℣. 36. Domine, quo vadis? Mox dixiſti, nos venire non poſſe, quo ipſe abis, ℣. 33. Quærere audeam, quo diſcedis, & cur te ſequi non poſſumus? Si abiturus es in mortem, vincula, carcerem, ſupplicium, cur tecum venturi non ſumus? Putabat fortaſſe Petrus, idcirco dixiſſe Chriſtum, non poſſe Apoſtolos ipſum ſequi, ut periclitaretur, quantopere ipſum amarent, ac parati eſſent una proficiſci. Quamobrem ait, paratum ſe eſſe, ut nunquam ab ipſo diſcedat. At reſpondit Jeſus: *Quo ego vado, non potes me modo ſequi; ſequeris autem poſtea*. Conſtanti ſatis fide non es, ut vitam mei cauſa contemnas: at aliquando conſtantior efficieris, mihique teſtimonium ſanguine & vita exhibebis (33).

℣. 37. Animam meam pro te ponam. Omnia gloriæ tuæ cauſa ſpernere, teque uſque in mortem ſequi paratus ſum. Animi ſui alacritatem ſequebatur Petrus, ſuaſque vires nondum conſuluerat. Chriſtum ille tenerrimo, at nondum conſtanti amore ac fide proſequebatur (34).

℣. 38. Non cantabit gallus. Ultimum gallicinium intellige; Petrus enim abnegare Chriſtum cœpit antequam caneret gallus; & ante ultimum gallicinium ter abnegaverat. Non unum eſſe ſingulis noctibus gallicinium, nemo ignorat. Ultimum ſub auroram eſt.

(22) Vide Origen. t. 32. Chryſoſt. Cyrill. Theod. Heracl. & Mopſ. Theophyl. Leont. Euthym. Auguſt. Rupert. alios. (23) Joan. VII. 34. 36. VIII. 21. (24) Vide Aug. Bedam, Chryſoſt. Leont. Theophyl. Euthym. (25) Levit. XIX. 18. *Diliges amicum tuum, ſicut teipſum*. (26) Chryſ. Cyrill. Theod. uterque, Leont. Theoph. Euthym. Rupert. (27) Mald. Gerhard. alii. (28) Janſ. Menoch. (29) Vide Chryſoſt. Theoph. Euthym. (30) Matth. VII. 22. 23. Vide Chryſoſt. hic, homil. 71. Aug. tract. 63. Gregor. in Job. XXX. lib. 20. c. 7. & homil. 6. in Ezech. lib. 2. (31) Act. II. 44. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*. (32) Tertull. Apologetic. (33) Theodor. Mopſ. Cyrill. Aug. Beda, Rupert. Mald. Brug. Grot. alii. (34) Vide Bern. ſerm. 4. in Cant. n. 4. 5.

C A-

CAPUT XIV.

Apostolos solatur Jesus. Ait, se viam esse, veritatem ac vitam: spondet, illos majora prodigia edituros, quam ipse patraverit; missumque iri a se Spiritum Sanctum. Asserit, suam illis pacem se relinquere; atque e re illorum esse, ut ipse discedat.

℣. 1. NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. 4. Et quo ego vado, scitis, & viam scitis. 5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus, quo vadis: & quomodo possumus viam scire? 6. Dicit ei Jesus: Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. 9. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum: & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. 11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15. Si diligitis me, mandata mea servate. 16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. 19. Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos vivetis. 20. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. 22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? 23. Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris. 25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis, quia ego dixi vobis; Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. 29. Et nunc dixi vobis prius, quam fiat: ut eum factum fuerit, credatis. 30. Jam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. 31. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

℣. 1. NON TURBETUR COR VESTRUM. Petri quæstione absoluta, Jesus iterum orationem ad Apostolos vertit, veraique animo perturbari, quod sese discedere prædixerit (1). Græci & Latini Codices multi (2) Caput hoc his verbis exordiuntur: *Dixit Jesus Discipulis suis; Non turbetur cor vestrum:* Quæ fortasse addita sunt, ut innuant hoc ipsum quod diximus, ista nimirum non ad Petrum dumtaxat, sed ad omnes simul apostolos pertinere.

Græcis Patribus (3) videtur hoc loco Christus confirmare Apostolos, quos terruerat Christi oratio

[1] August. Beda, Maldon. Grot. Brug. Menoc. alii. [2] Ita Græc. Steph. Cantab. Velef. Ald. Fab. Colin. Sax. Ita & Latini August. Bed. Rupert. Glos. Ord. Thom. Lyr. [3] Chrysost. Euthym. Leont. Theophyl. Theodor. uterque Heracl. & Mopf.

tio ad Petrum habita, futurum minitans, ut Petrus Jesum abnegaret. Si is, qui maxime omnium alacer & constans est, illum est abnegaturus, quid nobis accidet? Intimum illorum tumultum videns Jesus, minime vereri jubet: *Creditis in Deum, & in me credite*. Credite iis quæ dixi, ac mementote me dicere futurum, ut neminem ex iis, quos mihi dedit Pater, amitterem (4). Si Dei promissis fidem habetis, quippe quem aut falli aut fallere nescium arbitramini; parem quoque verbis meis fidem habetote; meque monente ne formidetis, nihil esse vobis metuendum credite. Æque certa est meorum, quam Patris dictorum fides; Deus enim ego sum, ut ille est (5).

℣. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Cum dixi, me eo discedere, quod vos mecum venire non potestis, ne comminiscamini, vos e Regno Patris excludi, meaque semper præsentia & consuetudine privari; quasi apud Patrem una tantum sit sedes, quam ubi ipse implevero, vos in terris mansuri sitis, hostium furori atque insidiis relicti. Aliter sese res habet. Patria mei domus ea non est, quæ uno tantum cœnaculo constet, sed amplissima ædes, innumerorum capax. Decreta mihi sedes nonnisi a me implenda est; aliæ tamen amicis paratæ. Præcedo paratum omnia, sedesque distributurus: statim redibo (6). Vulgaris loquendi modus: at memento rude Discipulorum ingenium. Cœlos septem aut octo inducit S. Ambrosius, Beatorum sedes, per quos ad supremum perventuri, transeunt. Nedum plures sunt apud Patrem meum sedes, varii etiam gloriæ gradus: ex meritorum varietate (7). Deum vident singuli ex Beatis, eo fruuntur, æternaque ac minime fluxa beatitudine gaudent; at non eodem omnes modo. Prædestinatis omnibus *est quidem denarius æqualis* Matth. 20. 10. *idest vita æterna, quæ ad æternitatem pertinet, sed sunt diversæ meritorum dignitates*, ait S. Augustinus hic.

Si quominus, dixissem vobis: quia (8) vado, &c. Si nulla vobis Regni mei spes esset, vosque ego æternum desererem, monuissem certe, neque ad hoc usque tempus inani futuræ felicitatis spe vos lactassem (9). At omnino ita res est, uti ajo: constitutæ vobis sunt in domo Patris mei sedes: has paraturus præeo. Opus est, ut morte mea illatum aditum vobis reserem, earumque possessionem vobis ipse promerear. Nemo ante me illuc ingredietur. Vide Heb. xi. 39. 40.

Ex alia legendi ratione, reddi potest (10): Secus, *dixissem vobis: Vado parare vobis locum*. Nisi multæ essent apud Patrem meum sedes, neque certus vobis locus foret, monuissem: Illuc eo, ut certas vobis sedes occupem, ad vos deinde rediturus ℣. 3. ut vos in illatum possessionem immittam. At nihil tale dico; multæ enim sunt in Cœlo sedes, vestræque vos certo manent (11).

℣. 3. Et si abiero ... iterum veniam, &c. Sententiæ hujus explicatio e superiori pendet. Cum a vobis tamdiu abiero, quamdiu vobis locum parem, redibo, vosque mecum in gloriam reducam. Duplex hisce verbis subesse potest sententia. Mea ipsius morte Cœli fores aperiam tum vobis, tum cæteris qui hactenus pie obierunt; post resurrectionem autem ad vos revertar, certaque futuræ vestræ felicitatis argumenta exhibebo. Gratiam fidemque, infuso Spiritu Sancto, in vobis confirmabo. Sive: Cum singulis vestrum mortis tempus adfuerit, ad vos veniam, vosque in Patris mei Regnum inducam.

℣. 4. Quo ego vado, scitis, et viam scitis. Intelligens Jesus, Discipulorum animos tumultu aliquo perturbari, ait: Procul dubio nostis, me ad Patrem, ac nonnisi per mortem, proficisci. Satis multa dixi, ut probe percipiatis (12). Provocare videtur, ut aliquid postulent.

℣. 5. Domine, nescimus quo vadas. Quo erga Præceptorem tenebantur, amor, metusque ne ab eo desererentur, prohibuit, quin probe tenerent, quæ ab eo dicebantur. Quæ fieri non vis, iis ægre fidem habes. Thomas igitur Christo dicit, neque se neque cæteros Apostolos scire, quo is abeat, neque etiam viam nosse. Cæteros de sua natura fingit Thomas. Hoc iter Christi, variasque in Regno Patris sedes nonnisi obscure percipiebant. Fortasse aut remotam regionem, aut amplas ædes imaginabantur (13). Ac dicente Christo, *Quo ego vado scitis, & viam scitis*, tantumdem erat ac si diceret: Nostis certe aut nosse debetis, quo ego abeam.

℣. 6. Ego sum via, veritas et vita. Via sum ad Patrem ducens, veritas, docens quo pacto is cognoscatur; vita, qua illum quærentes amantesque animantur. Vel brevius ac luculentius: *Ego sum via, veritas & vita*: Vera sum via, ad vitam ducens (14). Quamobrem, Thoma, si nosti me, nosti etiam quo ego abeo, & abeuntis viam. Ad vitam, ad Deum, ad Patrem pergo: Ego & Pater unum sumus. Igitur qui me novit, mei quoque itineris finem novit. Per me domtaxat ad Deum & ad vitam itur; atque adeo qui me noverit, ille etiam sciet qua via ego ad Patrem proficiscar. Denique per me ipse ad Patrem mihi æqualem eo. En responsionis mysterium.

℣. 7. Si cognovissetis me, et Patrem meum, &c. Si me probe cognosceretis, notus utique esset & Pater; una quippe substantia ego & Pater sumus. Cum igitur anxie quæratis, quo ego pergam, & quis Pater iste sit, de quo loquor, hoc ipsum argumento est, me nonnisi male notum vobis esse (15). Cæterum brevi *cognoscetis Patrem, & vidistis eum*. Vidistis nimirum fidei lumine, cum videretis me & agnosceretis uti Deum, multoque luculentius cognoscetis, cum de Divinitate mea majus aliquid didiceritis, vosque Spiritus Sanctus e Cœlo lapsus impleverit (16). Apostoli, ex Chrysostomo, Deum noverant, at non qua Patrem. Talem denique agnovere, post Sancti Spiritus lapsum.

℣. 8. Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Quæstionem totam eo redigit Philippus, ut videat Patrem. Te quidem conspicimus, & adoramus: satis intelligimus, te unum viam esse, qua ad Patrem itur: at felicitati nostræ cumulus accedet, si Patrem conspexerimus. Ita Moyses Dominum sedulo rogavit, ut os suum sibi patefaceret Exod. 28. 18. Eodem fortasse errore Moyses & Philippus laborabant; putabantque, corporeis oculis conspici Patrem posse. Aliqua erat Philippo excusatio, quippe qui Christum ipso in corpore intueretur; credereique, cum Pater idem esset ac Christus, eodem modo esse oculis obnoxium.

℣. 9. Philippe (17), qui videt me, &c. Qui me uti Deum videt, meque ex Divinitate cognoscit, & videt & novit Patrem; unica enim utrique

[4] Joan. vi. 39. xvii. 55. 16. x. 28. [5] August. Brug. Maldon. alii. [6] Vide Maldonat. Brug. Grot. Est. Menoc. & Ambros. in Psalm. xxxviii. num. 17. [7] Gregor. Magn. lib. 4. Moral. cap. 31. & lib. 33. cap. 24. & lib. 4. Dialog. cap. 34. Cyrill. Leont. Tertull. in Scorpiaco, &c. [8] Quia, ὅτι, desideratur in Græco; at illud ferunt Syrus, Arabs, Nonnus, Græcique Codices nonnulli. [9] Toler. Grot. [10] Εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. [11] Ita August. Beda, Rupert. Latini fere omnes, & Græci plerique, ut Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Theodor. Mops. [12] Brug. Grot. Menoch. Tir. [13] Euthym. Brug. Maldon. [14] Maldon. Grot. Brug. Ligfoot. Gerard. Ham. Le Clerc, alii plures. [15] Maldon. Brug. Tir. Grot. alii. [16] Augustin. Rupert. alii. [17] Veteres plerique jungunt, *Philippe*, cum superioribus: *Et non cognovisti me, Philippe?*

que essentia & virtus est. Duplicem hic naturam, divinam & humanam, in se uno collectam, perspicue distinguit (18). Humana ex natura me nostis, non ex divina. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* An ignoratis, me in Patre esse, & in me Patrem, utrumque vero unam esse naturam? ℣. 10. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?*

℣. 10. Verba quæ ego loquor vobis, &c. Ne putetis verba gestaque mea ex me uno esse. Pater mecum semper & agit & loquitur. Præter humanitatem, quam exterius videtis atque percipitis, divina in me natura est, eadem in Patre & in me, mecumque indivisim & agens & loquens. Aliter: Et verba & gesta suadent, me in Patre esse, & in me Patrem (19). Doctrina mea & prodigia Divinitatis meæ argumentum sunt. Si merus homo essem, me pro Deo obtrudens, ista ne aut agerem aut loquerer? Sacrilegium meum prodigiis probaret Deus, meaque doctrina talis esset, qualem ipsi auditis? Si ea quæ ex me conspicitis, non evincunt, me Deum esse, suadeant prodigia. ℣. 11. *Alioquin propter opera ipsa credite.*

℣. 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet. En aliud Divinitatis meæ argumentum: prodigia nimirum, quæ mihi credentes edent. Fallere multitudinem potest impostor aut falsis prodigiis, aut interdum veris; at prodigiorum virtutem transferre in alium non potest. Ipse quidem prodigia mea unius virtute gero: nunquam ab iis cesso, & absoluta potestate illa edo. Illud etiam efficio, ut qui mihi credunt, his paria & majora etiam meo nomine exhibeant. Hoc autem præsto, ut me Deum esse demonstrem. Sum igitur Deus; fieri enim nequit, ut impostori & gloriæ suæ inimico Deus authoritatem prodigiis conciliet, qualem mihi conciliat & meis & Discipulorum miraculis.

At ubi miracula, ab Apostolis post Christi Ascensionem gesta, iis majora quæ edidit Christus? Hos majora edidisse, asserunt Patres, veluti cum una Petri umbra quodlibet morborum genus curaret Act. 5. 15. 11. cum Petrus nedum mortuos revocavit in vitam, verum etiam viventes verbo interfecit; veluti cum Ananias & Saphira coram illo exanimes corruerunt Act. 5. 5. Pari potestate Paulus cæcum reddidit Elymam Act. 13. 11. Præterea Jesus nonnisi intra Judææ fines prodigiis claruit; per omnes terrarum plagas Apostoli: Jesus nonnisi vernaculo patriæ sermone usus est: Apostoli omnibus omnium gentium linguis: Jesus prodigia non edidit, nisi per prædicationis triennium; Apostoli toto eo tempore, quo sacrum ministerium obiere. Mitto prodigia, post Apostolos gesta in Ecclesia, quod illorum monumenta non æquent sacrorum voluminum authoritatem, ex quibus ista de Apostolis hausimus. Hæc porro Jesu Christi omnipotentiam & divinitatem invicte demonstrant; quippe, re probe perpensa, Apostolorum Discipulorumque prodigia eadem Jesu Christi sunt, utpote illius nomine & virtute patrata.

Prodigiorum a Discipulis edendorum causam hanc profert Christus: ℣. 13. *Quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Hactenus in terris ea tantum prodigia edidi, quibus opus esse videbatur, ut traditas a me institutiones, meamque a Patre legationem confirmarem. Cum autem his accederent sermo meus ac præsentia, quæque nunciabam, accommodata essent ingenio illorum, quos alloquebar, majori prodigiorum numero opus esse non censui. Nunc autem proficiscens ad Patrem, vosque in terris relinquens Ethnicorum furori, & nequitiæ Judæorum obnoxios, utrisque nunciaturos ea, quibus illi quavis arte repugnaturi sunt, ut illos evincere queatis, vos & argumentorum robore Matt. 10. 19. & virtute prodigiorum instruam, quibus illi minime resistunt (20). Auxilia omnia, quibus necesse vobis fuerit, præbebo, *& quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio*; Patrisque nomen per Filium perque vos Apostolos meos apud omnes terrarum populos commendetur.

℣. 15. Si diligitis me, mandata mea servate. Meo ad Patrem discessu mœrere non debetis; sed, si me amatis, exhibenda sunt perspicua vestri erga me amoris argumenta, religioso mearum sanctionum obsequio. Optima hæc fuerit amoris vestri exhibitio; exteriora doloris indicia non quæro (21).

℣. 16. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. Si in constanti erga me amore, mearumque sanctionum obsequio perseveraveritis, Patrem rogabo, ut pro me alium consolatorem ad vos mittat, qui doceat, consoletur, defendat, qualem ego me vobis exhibui. *Paraclitus* vox est ex Græco, advocatum significans, defensorem, consolatorem, mediatorem. Jesus Christus, teste Joanne (22), *paracletus* noster est, advocatus, sequester apud Patrem. Ipse post Ascensionem Spiritum Sanctum in Discipulos misit, defensorem ipsis, consolatorem, lumen & robur inter vitæ hujus ærumnas & pugnas (23). Neque hunc Apostolis dedit dumtaxat dum illi viverent; Ecclesiæ quoque universæ, omnibusque Fidelibus, ad exitum usque sæculorum, largitus est: *Ut maneat vobiscum in æternum*. Ipse intra Fidelium corda gemitu inenarrabili clamat Rom. 8. 26. ipse nos omnem veritatem docet Matt. 10. 19. legitimisque cœtibus, in Ecclesia Dei nomine habitis, præest (24).

℣. 17. Quam mundus non potest accipere. Veritatis Spiritus est Spiritus Sanctus, omnem nos veritatem docens, ut alibi ait Christus (25); opponiturque Spiritui nequam, erroris, mendacii, per falsos Prophetas (26) & impostores loquenti. Spiritum veritatis accipere nequit mundus, quod mendacium, errorem, infidelitatem, peccatum amet. Mundo carnales homines significantur, quibus cœlestia non sapiunt, invisæque sunt veritas & justitia; qui terrenam dumtaxat sapientiam, & carnis prudentiam amant & magni faciunt. Qui falsum mundi Spiritum amat, Dei Spiritum excludit; quem accipere nequis, dum plenus es illo. *Spiritus veritatis* usurpari etiam potest pro Spiritu minime fugaci ac manente, qui numquam Apostolos deserit (27); opponiturque inconstanti Spiritui, & nunquam stabili, incertis sedibus vaganti. *Veritatis* nomen Hebræi non raro hoc sensu usurpant (28). S. Chrysostomus interpretatur Evangelii spiritum, Legis umbris ac figuris oppositum.

℣. 18. Non relinquam vos orphanos. Discipuli apud Hebræos Præceptorem loco Patris habebant; Discipulos Christus nuncupat filios (29): *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum*. Eo abeunte,

---

[18] Ita Patres, & Interpp. hic passim. [19] Cyrill. Leone Theodor. Mopſ. Mald. [20] Vide Theodor. Mopſ. Cyrill. Leont. Maldon. [21] Chrysostom. Maldon. Grot. [22] 1. Joan. 11. 1. Παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. [23] Vide Rom. VIII. 26. 27. 34. & Matth. x. 19. 20. Luc. XII. 11. 12. Joan. XVI. 8. [24] Matth. XVIII. 20. Act. XV. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. [25] Matth. x. 20. & Joan. XVI. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. [26] 3. Reg. XXII. 22. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum*. Ezech. XIII. 6. 8. 9. Zach. x. 2. &c. Isai. XXX. 10. Ephes. IV. 14. 1. Timoth. IV. 1. [27] Chrysost. Maldon. Gerhard. [28] Vide Isai. LXI. 8. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis*, & XXXIX. 8. *Fiat pax, & veritas in diebus meis*. [29] Joan. XIII. 33. Vide August. Bed. Chrysost. Theophyl. Euthym.

tæ, orphani quodammodo fiunt. At pollicetur Christus, se abeuntem minime illos relicturum, quippe qui iterum victurus moritur. Vitæ restituar, & ad vos veniam (30). Vel: Non relinquam vos ope & auxilio destitutos: Spiritum Sanctum ad vos mittam, consolatorem & Patrem (31). Denique, ex aliis (32), ad vos in secundo adventu, & in mundi exitu revertar. Mihi tamen magis arridet de Christi resurrectione interpretatio. Hæc quippe mora futura erat brevis; at supremus in fine mundi adventus erat remotissimus, neque Apostolis modo, verum etiam omnibus hominibus futurus. Hanc interpretationem postulat proxime sequens sententia.

℣. 19. Adhuc modicum, &c. Brevia aliquot horarum vita mihi superest; mox oculis hominum subducar. Corpus meum sepulcro condetur, neque homines deinceps non videbunt. At ubi resurrexero, iterum me videbitis, *quia ego vivo*, novum vitæ genus vivam, *& vos vivetis*. Resurgens ego incolumes vos inveniam. Ne putetis velle me, ut mecum moriamini, meamque passionem, de qua tam sæpe locutus sum, vobis æque ac mihi parari (33). Novam ego vitam vivam; vos naturalem.

℣. 20. In illo die vos cognoscetis, &c. Post Resurrectionem (34) omnino intelligetis, me in Patre esse; Deum illi parem, unamque cum illo substantiam; meque in vobis esse gratia & auxilio, quo vobis adsum, quemadmodum vos in me estis fide & obedientia (35). Tunc certe percipietis, vos a me relictos non fuisse, meque a vobis nunquam esse sejunctum; utque vos mihi membra estis, ita me vobis Caput, animans simul ac protegens.

℣. 21. Qui habet mandata mea, &c. Eamdem ferme sententiam dixit supra ℣. 15. Constanti sanctionum mearum obsequio, non lacrymis, facturi estis fidem vestræ erga me benevolentiæ (36). Mementote quæ dixi; vestros mores ad ea corrigite; ac pro certo habetote, me discedente nihil vobis incommodum fore. Si me ita dilexeritis, *diligemini a Patre meo, & ego diligam vos, & manifestabo vobis me ipsum*; post resurrectionem me vobis exhibebo (37). Noluit Christus videndum se Judæis incredulis, Pharisæis, ac Sacerdotibus odii ac necis suæ reis præbere, eo quippe munere indignis, ac rem visam præstigias esse facile criminaturis. Discipulis dumtaxat, & iis qui per fidem, amorem, & constans obsequium eo beneficio se dignos effecerant, se spectandum dedit.

℣. 22. Dicit illi Judas, &c. Judas, alio nomine Thaddæus, minime intellexerat, quid sibi vellet Christus, cum de se amicis exhibendo, exclusis mundi sectatoribus, loqueretur. Igitur ne imperium tuum terram universam non complectetur, neque te omnes gentes agnoscent? Judas & Israel Regno tuo excludentur? An modico amicorum numero adventus in mundum tui fructum impertieris (38)?

℣. 23. Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus. Quæsiverat Judas, cur Jesus amicis dumtaxat, ac fidelibus jussionum suarum cultoribus se esset exhibiturus. Respondet Christus, & dicta confirmat, luculentius docens, venturum se cum Patre ad animum hominis, qui ipsum amaverit, una ambos in eo moraturos, ipsumque beneficiis ac muneribus cumulaturos (39). Futurum denique, ut post Resurrectionem iis dumtaxat se spectandum præbeat, in quibus ipse per gratiam manserit; seque videndi beneficium iis tantummodo conferatur, qui sibi fidem servaverint. Cæterum, se ad eos venturum, constanterque apud illos permansurum: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Solus non veniat, sed cum Patre; ut id, quod enixis adeo votis postulaverant, ut scilicet Patrem viderent & agnoscerent, denique assequerentur. Ego & Pater moram in vobis faciemus: vos utrumque agnoscetis, nulloque discrimine utrumque possidebitis.

℣. 24. Sermonem quem audistis, non est meus; non mei unius est (40), verum etiam Patris (41); ego quippe nonnisi in eo, cum eo, ut ille, per illum & loquor & ago. Cum de se agit Christus, ubique illud inculcat, se ejusdem cum Patre naturæ esse, suamque Divinitatem commendare non negligit.

℣. 26. Paraclitus autem Spiritus Sanctus. Si quid obscurum in iis quæ dixi atque implexum vobis est, dubitationes submovebit Spiritus *Paracletus*, consolator, defensor, atque omnia vos docebit. Ne igitur doleatis, quod abeam, quasi ignoretis, quis vobis in rebus dubiis sit consulendus. Præsens semper vobis erit consultor præceptorque Spiritus Sanctus, quem ad vos mittet Pater.

Mittet Pater in nomine meo, mei causa, me rogante (42), mei loco, ut quæ ego cœpi, ille perficiat compleatque (43). Illum sine me non mittet, neque sejunctim a me; per me (44) & meo nomine mittet.

Suggeret vobis omnia. Monet frequenter Scriptura (45), Apostolos non animadvertisse expletam vaticiniorum fidem, eo ipso tempore quo explebatur. Non satis cernebant, Servatoris gesta quam multum cum Veteris Testamenti figuris congruerent. At ipso demum Spiritu Sancto, apertis illorum oculis cordibusque, Scripturas cum rebus a Christo gestis composuere.

℣. 27. Pacem relinquo vobis. Abiturus valedicit (46): bonorum omnium fortunarumque cumulum Apostolis imprecatur; Hebræi enim pacis appellatione quælibet bona designant, cumque seu venientes seu abeuntes salutem dicunt, hac formula utuntur: *Pax vobiscum esto*. Monet Apostolos Christus, sese ita illis pacem non imprecari, uti mundus solet; qui scilicet non semper ex animo, aut si quidem ex animo imprecetur, eam quam comparare illam nequit, nec facere potest, ne illa turbetur. Pacem dat Christus, comparat, tuetur, confirmat; author pacis, defensor & propugnator.

℣. 28. Vado, et venio ad vos. Morte ad Patrem proficiscor, resurrectione ad vos redeo. Quamobrem me abeunte ne doleatis. *Si diligeretis me*, uti opus esset, benevolentia nimirum, uti tenera, ita constanti, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem* (47). Amici felicitate & gloria mœrere amicus non debet, tametsi propter illam aliquamdiu eo cariturus. Quæ vera amicitia est, amici commoda voluptati suæ præfert.

Quia Pater major me est. Hac Jesu Christi con-

[30] Ita Theodor. uterque Heracl. & Mopf. Chrysost. Theoph. Euthym. Menoc. Grot. [31] Cyrill. Rupert. [32] August. Beda, Leont. Maldon. [33] Grot. Brug. [34] Crysost. Theod. Mopf. Theoph. Euthym. Brug. Vat. Menoc. [35] Grot. Brug. Tir. alii. [36] Chrysost. Theophylact. Euthym. [37] Chrysostom. Theodor. Mopf. Cyrill. Theophyl. Euthym. Grot. Brug. alii. [38] Theodor. Heracl. Leont. Grot. Brug. Men. Gerh. alii. [39] August. Cyrill. Beda, Theodor. uterque, Chrysost. Leont. Theoph. Euthym. [40] Theodor. Mopf. Maldon. Brug. alii. [41] Confer Joan. VII. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* [42] Brug. Menoch. Tir. Gian. [43] Theoph. Euthym. Maldon. Brug. Tir. [44] Cyrillus Alexand. hic. [45] Joan. II. 22. & XII. 16. 22. 9. Matth. XXVI. 54. Marc. XV. 28. Luc. XXIV. 27. [46] Maldon. Grot. Brug. Menoch. alii. [47] Græcus fert: *Gauderetis utique, quia dixi, Vado ad Patrem.* Ἐχάρητε ἂν ὅτι εἶπον, πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα. At illud, *dixi*, desideratur in Vulgata, Syr. Arab. Æthiop. Pers. Cophr. Goth. Origen. & Chrysostom. Nonnullisque Codicibus.

confessione, qua is Patrem se majorem prædicat, olim abutebantur Ariani. Deus igitur non est Christus, inquiebant; Deo enim majus esse nihil potest, pluresque simul Dii esse nequeunt. At posito duplicis naturæ in una Christi persona discrimine, difficultas tollitur. Qua homo est Christus, minor est Patre; at qua Deus, æqualis illi est (48). Respondent alii (49), Christum esse minorem Patre, ex falsa hominum, ipsorumque Apostolorum opinione, qui Christum uti prophetam dumtaxat, hominemque virtute ac meritis eximium suspiciebant. Denique objici Arianis potest. Patris dignitatem, ex humana intelligendi ratione, sublimius aliquid ac majus præseferre, quam Filii; quo sensu Pater major est Christo, minime vero ipsa re (50). Hæc autem appellatio, quamquam verissima, rei naturam non indicat; Christus quippe se Patri æqualem, in Patre esse, atque unum cum Patre, passim docuit.

Itaque opus est, Apostolos eo gaudere, quod Filius ad Patrem redeat, quia *Pater major est Filio*, uti homine; atque idem hic reditus initium est gloriæ ac dignitatis Filii, ex humanitate spectati, uti diximus. Hoc ipsum sentire debent Apostoli, si purus est ac liberalis ipsorum erga Magistrum amor.

℣. 29. Et nunc dico vobis, priusquam fiat. Certiores vos de meo ad Deum Patrem reditu quam maturrime facio, quo æquius hanc discessionem feratis, & *ut cum factum fuerit*, constantius mihi *credatis*: vereor enim, ne passio & mors mea vobis offensioni sint: quamobrem animos vestros hac de re occupare studui.

℣. 30. Venit enim Princeps mundi hujus ... et in me non habet quidquam, scilicet, quemquam nihil in me est, quod ad illum attineat (51). Mundi Princeps est Diabolus (52). Nihil ille in Christo habet, quippe nullius criminis reo (53). Cum autem Christus scelera nostra in se suscipere, seque Patri pro nobis reum exhibere voluerit (54), se ipse tenebrarum potestati Luc. 22. 53. & Satanæ ministris sponte dedidit ℣. 31. *Ut cognoscat mundus, quia diligit Patrem, & sicut mandatum dedit illi Pater, sic facit.* Dixerat ille ab initio: *Paratus sum facere quæ vis, Pater: Lex tua menti meæ inscripta est.* Psal. 39. 8.

Græci Codices multi, & Patres Latini quidam legunt (55): *Et in me non inveniet quidquam*: nullam in me, in animum meum potestatem exercebit: negari enim non potest, quin potestatem aliquam in Jesu Christi Corpus habuerit, ac quantum ipsi Christo visum est. Christus ipse decrevit horam, ejusque diuturnitatem & modum definiit. Passus est quia voluit, & quantum voluit, ut Patris voluntati & justitiæ satisfaceret. ℣. 31.

℣. 31. Surgite, eamus hinc. Ita Christus e mensa surgens, orationem clausit. Tum dicto gratiarum actionis hymno (56), urbe domoque discedentes, ad hortum olivarum se contulere.

---

[48] Basil. August. Eucherius, alii. [49] Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. [50] Athanas. Hilar. Epiph. Nazianz. Cyrill. alii apud Maldon. hic. [51] Vide Maldon. Brug. alios. [52] Joan. xii. 31. xvi. 11. Ephes. vi. 12. [53] 1. Petr. ii. 22. Joan. viii. 46. Vide August. Chrysostom. Bedam, Theophyl. [54] 2. Cor. v. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* [55] *Καὶ ἐν ἐμοὶ οὐχ εὑρήσει οὐδέν.* Ita Syr. Goth. Æth. Armen. Nyssen. Athan. Basil. alii. Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 4 & Gregor. Magn. homil. 39. in Evang. [56] Matth. xxvi. 30. Marc. xiv. 26.

C A P U T XV.

Jesus Christus est vitis; palmites, Discipuli. Ipse Apostolos elegit, ut bonos fructus ferrent. Hos adversus odia hominum munit. Judæi in peccato inexcusabiles.

℣. 1. Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. 3. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. 4. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. 7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. 14. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. 15. Jam non dicam vos servos; quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. 18. Si mundus vos

vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis,
mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi
vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem
ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos
persequentur; si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. 21. Sed hæc
omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. 22.
Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excu-
sationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit, & Patrem meum odit.
24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:
nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. 25. Sed ut adim-
pleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. 26.
Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis,
qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: 27. Et vos testimonium
perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

℣. 1. EGO SUM VITIS VERA, ET PATER MEUS AGRICOLA EST. Hæc in itinere dixit Jesus, cum e domo, in qua cœnaverat, ad hortum olivarum pergeret. Nox ferme dimidia erat, lunaque fere plena, cum dies lunæ xv. ageretur. Similis est agricolæ Pater, ego viti, vos palmitibus. *Vitis vera* (1), ingenuæ stirpis & bonæ. Ecclesia passim cum vinea comparatur (2). Fideles sunt palmites, vitis Christus.

℣. 2. OMNEM PALMITEM IN ME NON FERENTEM FRUCTUM, TOLLET EUM. Qui, ut Judas, fructum aut nullum aut malum ferunt, abscindentur. Ex his futuri sunt Judæi increduli, meorumque Discipulorum ii, qui me deseruerint, & quibus passio & crux mea offensioni fuerit. Mali denique Christiani, qui adhærescunt viti per fidem, at bonis operibus carent, qui ex Jesu Christi spiritu non vivunt, quos non animat charitas, abscindentur, æternum in ignem conjiciendi (3). Inutiles palmites sunt, foliis tantum luxuriantes, non fructu graves.

ET OMNEM QUI FERT FRUCTUM, PURGABIT EUM, abscissis inutilibus, UT FRUCTUM PLUS AFFERAT. Ita sedulus agricola solet. Inutiles palmites a vite abscindit, quo uberius alantur ii qui fructum ferunt, succoque majore nutriantur. Quo autem pacto spiritalem vitem purgat Pater? Laboribus nimirum, ærumnis, tentationibus (4). Aufert ille, quicquid spiritali profectui nocet; docet, illuminat, beneficiis cumulat. Simile quid vide apud Ezechielem xv. v. 2. 3. &c. ubi Deus populum suum cum inutili vite, igni tantum opportuna, comparat.

℣. 3. JAM VOS MUNDI ESTIS. Vos quidem palmites estis nec inutiles, neque scissione purgandi. Ex quo vos elegi, nunquam a vobis removere cessavi quicquid in vobis superfluum aut impurum esset. Unus abscissione dignus Judas, perditionis filius, a vobis abiit, atque e vestris non est.

℣. 4. MANETE IN ME; ET EGO IN VOBIS. Mihi adhærescite, uti palmites viti; & ego vobis hærebo, uti palmiti vitis. Vos ego enutriam gratia, illustrationibus, doctrina; vosque auxilia omnia, sanctitati quærendæ necessaria, ex me accipietis. Fidem & charitatem habetote: ita vos in me manebitis, ego in vobis ero (5).

SICUT PALMES NON POTEST FERRE FRUCTUM A SEMETIPSO, si a vite abiit; SIC NEC VOS, NISI IN ME MANSERITIS. Vestri ego non egeo: vos me carere non potestis. *Præcisu palmite, potest de viva radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere*, inquit S. Augustinus (6). Quamobrem quod vitis adhærescat palmiti, & palmes viti, utrumque utile est palmiti: *Utrumque prodest non ipsi, sed illis*.

℣. 5. SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE, vel a me sejuncti (7). Non dicit: Sine me quidquam nonnisi ægre facere potestis; sed penitus nihil (8); nihil gerere potestis æternitate dignum, nisi ego semper ope gratiæ meæ vobis adsim: *Sive ergo parum, sive multum sine illius gratia præveniente, adjuvante, cooperante, fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*, ait hic S. Augustinus. *Ut in omnibus actibus caussisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus sit Deus*, scribit S. Cœlestinus Papa I. Ep. ad Galliar. Episcopos, *nullumque interveniat tempus, quo ejus non egeamus auxilio*. Neque tamen ita omnia tribuimus gratiæ, ut libertati hominis quidquam auferamus. Nihil certe homo absque gratia facere potest: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo, nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo*, ait S. Augustinus.

℣. 6. SIQUIS IN ME NON MANSERIT, MITTETUR FORAS (9); gratia mea destituetur, meique fœderis promissionibus commodisque spoliabitur; ex Ecclesiæ corpore abscindetur anathemate, schismate, vel hæresi, ac denique infernos in ignes projicietur. Neque tamen putaveris, omnes qui Jesu Christo per gratiam & charitatem non adhærescunt, fide etiam semper ab eo sejungi, aut semper eo usque prolabi, ut vel schismate vel hæresi separentur. Varii sunt abscissionis modi, variique sejunctionis gradus. Quælibet tamen abscissio inferni suppliciis clauditur, nisi per pœnitentiam iterum efficiaris particeps vitæ, quam, a Jesu per lethale peccatum discedens, amiseras. Confer Matth. xiii. 41. 42.

℣. 8. IN HOC CLARIFICATUS EST PATER MEUS, UT ... EFFICIAMINI MEI DISCIPULI (10). Agricolæ laus est bene culta vitis, & fructu onusta. Patris mei gloria est, ut ceteri vos fide, charitate, bonisque operibus plenos, aliorumque conversioni non inutilem operam navantes videant. Ita homines res bene a vobis gestas, vestrarumque inter populos concionum fructum intuiti, gloriam

(1) August. Beda, Rupert. Grot. alii. (2) Psal. lxxix. 9. Isai. v. 1. & Deut. xxxii. 32. &c. (3) Euthym. Leont. Mald. Grot. (4) Chrysost. Cyrill. Theoph. Euthym. Pacian. Ep. 3. contra Novatian. Greg. Magn. Regist. lib. 7. cap. 32. Grot. alii. (5) Cyrill. Leont. Mald. (6) August. in Joan. hic, & Concil. Arausic. II. Can. 24. Vide & Chrysost. homil. 75. (7) Χωρὶς ἐμοῦ, *Extra me, separatim a me, sine me*. (8) Concil. African. An. 418. Can. 6. *De fructibus mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed: Sine me nihil potestis facere*. (9) Græc. Ἐβλήθη ἔξω ... & ἐξηράνθη; *projectus est foras, aruit*. Hic tamen præteritum pro futuro usurpatur.
(10) Græce: *Et efficiemini mei Discipuli*, Καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί. Codices tamen multi assentiuntur Vulgatæ: Καὶ γένησθε, &c.

in Cœlestem Patrem, bonorum hujusmodi authorem, referent (11).

℣. 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Quod bonum est agite, per fidem cum charitate conjunctam. Bona opera & charitas vestra argumentum simul & indicium sunt amoris, quo vos prosequitur Deus, & pietatis, qua vos & me & Deum colitis. Me vos minime amaretis, nisi vos ego prior diligerem (12). Aliter: Vos ego semper tam effuse dilexi, uti me amavit Pater: pergite igitur, & quam mihi semper exhibuistis benevolentiam, constanter servate (13). Duplicem hanc explicationem fulciunt Patres & Interpretes eruditissimi.

℣. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Hoc ego argumento intelligam, me a vobis amari, si præceptis meis obtemperaveritis. Quemadmodum ego hoc ipsum mei erga Patrem amoris speciman exhibui, ita vos eadem hac ratione vestrum erga me amorem testabimini (14). Aliter: Si optatis, ut meus erga vos amor perseveret, qualis hactenus fuit, præcepta mea servate, quemadmodum ego Patris mei mandata sanctissime colui (15).

℣. 11. Ut gaudium meum in vobis sit. Moneo, sanctiones meas, meique amorem integerrime colatis, ut perfectum absolutumque vobis gaudium sit (16). Nihil aut vobis utilius, aut jucundius mihi facietis, quam si constantissime amorem mei tueamini. Aliter: Id efficite, *ut gaudium meum in vobis sit*, me uno gaudeatis, unumque vobis gaudium sim ego (17). Prior interpretatio probabilior.

℣. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. En Patris voces, supremum vale filiis dicentis. Unum enixe postulo, ut mutuam pacem concordiamque colatis, vosque ametis invicem, uti ego vos amavi. Sanctus Evangelista, qui hæc Domini verba literis tradidit, alta mente inscripta gerebat; cum enim in ultima senectute vix inter Discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit* (18).

Cur autem de charitate præceptum Christus suum nuncupat, quasi alia non tulerit? Paulo antea, cum adhuc domi ad mansam accumberet, mandatum novum dixit Jo: 13. 34. *tamquam non fuerit ante tale mandatum; hic tamquam non sit aliud ejus mandatum*, ut animadvertit hic S. Augustinus. Nimirum, ait S. Gregorius Magnus (19), *quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi rami ex una radice prodeunt; sic multæ virtutes ex una charitate generantur.* Charitas, quæ in Evangelio præcipitur, perfectior, purior, ac præstantior est, quam quæ in Moysis Lege imperatur. Acrius hic commendatur, causæque multo nobilissimæ, ac præmia multo amplissima, quam in lege servitutis proponuntur (20).

℣. 13. Majorem hac dilectione nemo habet (21), ut animam, &c. Hoc ego vestri causa periturus sum, ut vos quoque mei gratia vitam prodigatis. Certius hoc amoris mei argumentum exhibere nequeo. Quamobrem si illud exigo, ut mutuam erga vos charitatem colatis, meque ametis ita, ut ego vos amavi, nihil nisi æquissimum postulo, cujus exemplum ipse prior exhibui, nobilissimo absolutæ charitatis monumento. Nequeratis, quatenus progredi debeat vester in me amor: quid vestri causa susceperim, inspicite: unus hic amandi modus esto. Amicos aliquot jactant historiæ, qui vitam pro amicis neglexere. Nihil hac in re præstantius gerere potest homo: nihil quippe vita charius.

℣. 14. Vos amici mei estis, &c. Si ego prodigus vitæ sum, ut mei erga vos amoris documenta proferam, vos certe potestis fidem & obsequium præceptis meis servare, ut quoddam compensationis genus exhibeatis. Minora postulo, quam do. Vestra ex fide, meorumque præceptorum obsequio intelligam, vos mihi amicos esse.

℣. 15. Jam non dicam vos servos. Me talem vobis non præbebo, uti dominus servo (22), sed ut amicus amico. Hactenus per ambages & figuras locutus sum (23). Et quamquam vos e multudine secrevi, privatis sermonum meorum explicationibus (24); meis tamen in orationibus multa adhuc obscura sunt, non facile solvenda. Deinceps aliter plane vobiscum agam: arcana quælibet detegam, nullo involucro aut ænigmate, uti amicus amicis. Profecto post resurrectionem Christus nullis comparationibus aut parabolis usus est cum Apostolis, eosque intelligendi facultate instruxit, ut sacrorum voluminum sententias explicarent Luc. 14. 45. Spiritum Sanctum in illos misit, a quo veritatem omnem edocti sunt (25), & rerum, quas antea obscure tradidit, sensum percepere. Denique, quamquam illos hactenus veluti amicos habuit, quæque ex Patre didicerat, illis aperuit, luculentiora tamen benevolentiæ & amicitiæ argumenta post resurrectionem illis exhibuit.

Hæc verba, *Vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, non absolute intelligenda sunt; hactenus enim Apostoli pares non fuerant discendis iis, quæ dicenda erant (26); ipsamque post resurrectionem intelligere non potuerunt omnia, quam late patebant, quæ ipse ex Patre infinita & incomprehensibili scientia didicerat. Sed omnia ea illis dixit, quæ nosse illos decebat, quæ utiliter percipere poterant, quæ ad ipsorum salutem ac ministerium attinebant (27).

℣. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Altera amoris & benevolentiæ causa (28). Vos ego e mediis mundi turbis elegi, nullo vestro merito; ad Evangelii ministerium destinavi, Ecclesiæ meæ Principes constitui, *ut eatis*, Evangelium omnibus terrarum plagis nunciantes, *& fructum afferatis, & fructus vester maneat*. S. Augustinus, ejusque asseclæ (29) interpretantur de prædestinatione ad gloriam, ad quam Deus gratuito prorsus decreto Apostolos elegit, antequam ipsi de Deo cogitarent, aut quidquam mererentur. Auxilia illis paravit a tota æternitate, quorum ope illi salutem certissime essent assecuturi. Prior tamen interpretatio aptius literæ servit.

℣. 18. Si mundus vos odit, &c. Novum Apostolis solatium. Iniquissima odia, quibus vos mundus exagitat, vos ne terreant: me nimirum illo prius-

(11) Vide Matth. v. 16. *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est*. Vide August. hic. (12) August. Beda, Cyrill. Mald. Brug. Men. (13) Chrysost. Leont. Theophyl. August. Beda, Rupert. Grot. Mald. (14) Chrysost. Leont. Theoph. Rupert. Grot. (15) Cyrill. August. Beda, alii ex Recentiorib. (16) Vide August. Bedam, Rupert. Brug. Menoc. Tir. Mald. (17) Cyrill. Leontius. (18) Hieron. lib. 3. c. 6. Comment. Epist. ad Galat. (19) Gregor. Magn. homil. 27. in Evang. Rupert. hic. (20) Vide Grot. & Tolet. (21) Latina Exemplaria permulta legunt: *Quam ut animam suam, &c.* Male. (22) Joan. xiii. 13. *Vos vocatis me, Magister, & Domine.* (23) Infra xvi. 25. *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, &c. (24) Matt. xiii. 10. 11. 13. Luc. viii. 10. (25) Joan. xiv. 17. xv. 26. xvi. 13. (26) Joan. xvi. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.* (27) Theodor. Mopsv. Chrysost. Theoph. Euthym. Mald. Grot. Menoc. (28) Chrysost. Theophyl. Euth. Rupert. (29) August. hic, & lib. x. de Prædestin. SS. cap. 17. & alibi, Prosper lib. contra Collatorem; Beda hic; Latini passim.

priusquam vos odit, atque odit idcirco, quod illius instituta moresque damnaverim. Amaret vos mundus, si e mundo essetis, illique obtemperaretis. Cavete autem, ne talem dominum aut ametis aut colatis. Sunt qui locum hunc ita vertant (1): *Si mundus vos odit, scitote quod me præstantiorem vobis odio habuit.*

℣. 20. MEMENTOTE SERMONIS MEI, QUEM EGO DIXI VOBIS supra XIII. 16. *Non est servus major domino suo.* Si vos odit mundus & exagitat, laqueos vobis parat, eadem erga me gessit.

SI SERMONEM MEUM SERVAVERUNT, ET VESTRUM SERVABUNT. Vel: Cum me audire, meaque præcepta servare noluerint, nihilo majus obsequium vestris sermonibus præstolamini (2). Aliam explicationem admittit Græcus (3): *Si sermonem meum exploraverunt, & vestrum explorabunt*, observabunt, scrutabuntur, ut malam in partem torqueant; quemadmodum me in verbis capere conati sunt Matt. 22. 15. *Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone.* Aptissima est explicatio, at quæ difficultate non caret, cum nullus Novi Testamenti locus hoc sensu ferat verbum *terein*; quamquam *paraterein*, ex eo ortum, interdum pro *explorare* usurpatur (4).

℣. 21. PROPTER NOMEN MEUM, mei nominis, meique ipsius causa; quia nimirum Discipuli & Apostoli mei estis. Me profiteri & agnoscere, satis causæ futurum est, ut vos insectentur.

NESCIUNT EUM QUI MISIT ME. Si Patrem meum, Deum scilicet suum, nossent, ignotus adeo illis non essem: omnes Messiæ, Filii Dei, ac Divinitatis intus residentis notas in me perspicerent.

℣. 22. SI NON VENISSEM, ET LOCUTUS FUISSEM EIS, PECCATUM NON HABERENT; aliqua esset pertinaciæ illorum excusatio. Si Jesu Christi institutiones e vulgo fuissent, consueta is edidisset miracula, iis similia, quæ cæteri Prophetæ patraverant, fuisset excusationi locus, nisi crederent (5): dicerent, eum esse debere Messiam, qui Prophetas omnes & doctrinæ præstantia, & magnitudine prodigiorum, & virtutis omnipotentia longe antecelleret. Cum vero Christus luculentissima missionis ac Divinitatis suæ argumenta exhibuerit, nulla jam supererat pervicaciæ Judæorum excusatio. Ii, ad quos non venit Christus, quos allocutus non est neque per se neque per Apostolos, Infideles videlicet, quibus nulla fuit prædicationis illius cognitio, aliquam certe excusationem habent, si minime credant, inquit S. Augustinus, nullam vero de cæteris, quæ peccavere. Nonnulla horum peccata excusare potest ignorantia, sed non omnia (6): *Habent excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt . . . Possunt habere excusationem, sed non ideo possunt effugere damnationem: Quicumque enim sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt.* Non sunt equidem rei criminis de non præbitis fidei auribus; ejusdem scilicet criminis quod Christus Judæis exprobravit; sed nullam prætendere excusationem possunt, itaut nullius se sceleris reos dicant, atque a damnatione eximantur, tantum enim pœnarum sibi promeruerunt, tum ex infidelitate sua, tum ex aliis quæ commiserant peccatis.

℣. 23. QUI ME ODIT, ET PATREM MEUM ODIT; ego enim & Pater Deus unus sumus. Odium, quo me insectantur Judæi, ne excutere studio Legis Patris mei, quam a me violari criminantur. Si Patrem vere amarent, me quoque diligerent; meque oderunt idcirco, quod Patrem non amant (7).

℣. 24. SI OPERA NON FECISSEM IN EIS, QUÆ NEMO ALIUS FECIT, PECCATUM NON HABERENT, quod certe habent. Eadem hic argumentatio est, quæ ℣. 22. Quæritur, qui verum sit, ea gessisse Christum prodigia, quæ nemo alius gesserit. Elias quippe & Elisæus revocavere in vitam mortuos, ægros curavere, ignem e Cœlo elicuerunt. Neque usquam legimus, Christum prodigia patrasse ita illustria, uti Moysen in Ægypto, in transitu Erythræi, ad Horeb & Cades; neque uti Josue ad Jordanem, ad Jerichuntem, ad Gabaonem, ubi solem & lunam stare jussit, neque simile illi, quo conversus est solis cursus sub Ezechia. Nihil in rebus a Jesu Christo gestis occurrit, quod majorem virtutem præferat, quam prodigia quæ mox enumeravimus.

His respondetur, I. quemlibet sanctorum Veteris Testamenti hominum superatum esse a Christo prodigiorum numero, ne Moyse quidem excepto, præsertim si brevem annorum numerum, quibus Jesus prædicationem obiit, Patrisque gloriam prodigiis commendavit, conferas cum diuturna Moysis vita, ut hunc inter ceteros eligamus. Quatuor tantum annos docendi munus exercuit Christus, Moyses populum annis quadraginta moderatus est. II. Cur Christi prodigia ita illustria non fuerint, illud in causa fuit, quod ille iis patrandis ægrorum incolumitatem, ac felicitatem multitudinis sibi proposuerit: quo certe indicio, ex Prophetarum oraculis (8), Messiæ prodigia distingui debebant. Veterum Prophetarum miracula interdum ob exercendam in impios Dei vindictam gerebantur. III. Facilitas ipsa & authoritas, qua Christus prodigia exhibuit, dignitatem illorum longe nobilissimam certissimo veluti argumento demonstrabat. IV. Illud etiam Christi prodigia a Veterum miraculis distinguebat, quod ipse iis ostendere conaretur, se a Deo missum, ac Deum esse, & Liberatorem Israelis, cum Prophetæ miracula ediderint tamquam Domini Administri, vocesque quibus Messias nunciaretur.

V. edidere quidem prodigia Veteres; at eam potestatem in cæteros transfundere sua ipsi authoritate non potuerunt. Christus potestatem Apostolis fecit, ut miracula ederent, & plura etiam ac majora quam ipse edidisset: cujus potestatis fidem Judæis præstitit, cum Apostolos misit in omnia loca, quo erat ipse venturus (9). Prætereo prodigiorum omnium, quæ gesta unquam fuerint, maximum, a Jesu prædictum, ipsius nempe Resurrectionem; cum enim hæc eo tempore nondum contigisset, recenseri nnn potuit inter ea, quibus Judæorum pervicacia vinci posset. VI. Enumerat S. Augustinus prodigia de panibus quinque multiplicatis, quibus quinque hominum millia satiavit; tum alterum de panibus septem, qui quatuor hominum millibus suffecerunt. Recensentur etiam cæcus ab ortu curatus, aqua in vinum conversa ad Canam, Lazarus in vitam revocatus, iter a Christo habitum super aquas, dataque Petro pariter gradiendi facultas. Quæ omnino ea sunt, quæ alius nemo patravit.

℣. 25. SED UT IMPLEATUR SERMO, QUI IN LEGE EORUM SCRIPTUS EST, videlicet in Scripturis absolute (10); hic enim locus est e Psalmo XXXIV. 19. & LXVIII. 5. ODIO HABUERUNT ME GRATIS. Conjunctio *ut* hoc loco non rei causam, sed eventum, quemadmodum alibi sæpe, significat. Odii, pervicaciæ, malitiæ illorum prædictio nullam illis necessitatem inferebat. Libere illi ac sponte in hujusmodi scelera delati sunt.

℣. 26. CUM VENERIT PARACLITUS . . . . ILLE TESTIMONIUM PERHIBEBIT DE ME. Paracletus, Advo-

(1) [illegible] Vide Brug. Erasm. Camer. Gerhard. Vide & Theodor. Mopf. (2) Mald. Grot. Brug. Menoc. Pisc. Gesh. (3) Fers, Gataker. Colomiez, Cnarebull. (4) Vide Luc. XIV. 1. XX. 20. [illegible] usurpari etiam potest interdum apud LXX. pro *explorare*; veluti Genes. III. 15. Eccl. XI. 4. Psal. LV. 7. LXX. 11. &c. Et apud Marc. III. 2. Et ipsi observabant eum: [illegible] (5) August. Beda hic; Bernard. Ep. 77. (6) August. Tract. 89. in Joan. (7) Theodor. Mopf. Theoph. Chrysost. (8) Isai. XXXIV. 3. XXXV. 5. &c. (9) Vide August. Bedam, Mald. Grot. hic. (10) Joan. IX. 5. XIII. 18.

catus, Defensor, Consolator, Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis unam eamdemque rem sonant, tertiam scilicet Trinitatis Personam, quam Christus in Apostolos misit, ut ab ea docerentur, ac solatium opemque in angustis rebus acciperent, quemadmodum ipse missus a Patre fuerat, ut universum hominum genus institueret ac solaretur. Addit: *Qui a Patre procedit*; quam loquendi formam deinde usurpavit Ecclesia, ut æternum ac substantialem Spiritus Sancti, a Patre Filioque procedentis, fluxum significaret.

Cur vero non dicit Christus, *Qui a Patre & a me procedit*, sed, *Qui a Patre procedit?* Diu enim in Ecclesia disceptatum est de Spiritus Sancti processione, utrum scilicet ex Filio uti ex Patre procedat (11). Responderi solet, Dei Filium, cum inter Apostolos versaretur, modeste de se locutum (12); utque illorum ingenio sese accommodaret, de se egisse tamquam in terris posito, de Patre vero tamquam sedente in Cœlis, unde Spiritus Sanctus erat descensurus. Tenebras illorum menti offunderet, si Spiritum Sanctum a se, quemadmodum a Patre, procedere assereret. Rei veritatem satis confirmaverat iis argumentis, quibus suam ipsius Divinitatem docuerat; spondensque, missum iri a se Spiritum Sanctum, satis aperte innuebat, Spiritum Sanctum tum sibi tum Patri peræqua proportione illud esse, quod Filius ipse esset Patri; illum videlicet ex utroque manare modo ipsius proprio ac prorsus ineffabili, & omnibus ignoto, præterquam iis, quos Spiritus Sanctus lumine suo illustraverit. Vide & ℣. 14. Capitis consequentis.

Sunt (13) qui censeant, τὸ *procedit*, non æternam Sancti Spiritus processionem, sed illius missionem in terras significare. Vertunt autem (14): *Spiritus qui a Patre egreditur*, a Patre proficiscitur, missus a Filio. At ipse loquendi modus, quo utitur Christus, tempus quo idem loquitur, inductum ab eo discrimen Patris ex quo procedit Spiritus, & Filii a quo mittitur, nequid dicam de Ecclesiæ consuetudine ac traditione, quæ locum hunc de æterna & substantiali Spiritus Sancti processione nunquam non interpretata est, nos eo impellunt, ut hæc verba eodem sensu intelligamus.

Ita autem conficitur Christi collectio. Nulla plane est pervicaciæ Judæorum excusatio. Institutionibus meis, quamquam sanctissimis ac divinis, minime credunt: neque credunt Patri, a quo missus sum, tam multa licet prodigia illius nomine patraverim, ut missionem meam confirmarem. Ut effugium omne illis auferatur, superest mittam *Spiritum Sanctum, qui testimonium perhibebit de me*. Illos hic injustitiæ, infidelitatis & peccati accusabit (15). Quo autem modo testimonium mihi adversus Judæos feret? Per vos nimirum, vestro ore, ac prodigiis quæ ipsi gesseritis. Ignotas vobis linguas loquemini; discetis mysteria, quæ hominum nemo vos docere potuerit; ea intelligetis, quæ unis humanæ mentis viribus non percipiuntur. ℣. 27. *Vos igitur ipsi testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis*. Per vos manifestum fiet, quis ego sim, transfigurationis meæ prodigia, vobis unis nota, vulgabitis: nunciabitis denique ea quæ promisi, expletamque promissorum fidem, perspicuis indiciis Spiritus Sancti præsentiæ in vobis cæterisque prædicationi vestræ credituris, ostendetis.

---

(11) Vide Theophyl. Euthym. hic. Ita sentiunt & Græci recentiores. (12) Maldon. hic, Grot. Gerhard. Brug. Vide & Augustin. (13) Beza, le Clerc, alii quidam. (14) Παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. (15) Joan. xvi. 8. 9. 10.

CAPUT XVI.

Anathemate ejicientur Apostoli, infestisque odiis exagitabuntur. Illos confirmat Christus; ac pollicetur, missum iri a se Spiritum Sanctum, cum ipse discesserit. Spiritus Sanctus mundum arguit crimine, injustitia, judicio. Veritatem omnem docebit Apostolos. Vitæ hujus mala. Quidquid nomine Filii rogaverint Apostoli, largietur Pater.

℣. 1. HÆc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis: ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. 9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: 10. De justitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. 11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. 13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. 14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 15. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 16. Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus

ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me:
& iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? 18. Dicebant ergo:
Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus, quid loquitur. 19. Cognovit autem
Jesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia
dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. 20. A-
men, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos
autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier, cum pa-
rit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non
meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. 22. Et vos
igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor ve-
strum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. 23. Et in illo die me non roga-
bitis quidquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo,
dabit vobis. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, &
accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. 25. Hæc in proverbiis locutus sum vo-
bis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre an-
nuntiabo vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia
ego rogabo Patrem de vobis: 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis,
& credidistis, quia ego a Deo exivi. 28. Exivi a Patre, & veni in mundum: ite-
rum relinquo mundum, & vado ad Patrem. 29. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce
nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. 30. Nunc scimus, quia scis
omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia a Deo
existi. 31. Respondit eis Jesus: Modo creditis? 32. Ecce venit hora, & jam ve-
nit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum
solus, quia Pater mecum est. 33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habea-
tis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.

ꝟ. 1. HÆc locutus sum vobis. Vel potius: Prædixi quidquid molesti vobis eventurum sit (1), ut siquid acciderit, *non scandalizemini*, videlicet ne labamini, velut is qui obvium lapidem aut lignum offendens, ruit. Occupare vos studeo, ut parati sitis, cum ista contigerint (2). Aliter: Spiritum Sanctum consolatorem ac defensorem vobis promisi (3), ut cum mundus infestis odiis vos exagitaverit, firmum vobis præsto sit præsidium, quo adversus illius conatus confirmemini; Spiritu nimirum consolatore, in vos lapsuro, cum ego ad Patrem rediero ꝟ. 7.

ꝟ. 2. Absque Synagogis facient vos, e cœtu ejicient, anathemate ferient (4). Hoc uti malum ingens non prædicit Apostolis Christus, qui dixerat Luc. 6. 22. beatos fore, cum ipsius nominis causa odiis exagitati pulsique synagogis fuerint. Significatur his verbis summum Judæorum odium in Apostolos, non secus atque iis quæ subdidit statim: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*; vel, ex Græco (5), videatur cultum exhibere Deo, & sacrificium offerre.

ꝟ. 3. Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Me non novere quis sim, Dei Filium, Messiam, neque norunt Patrem, uti meæ missionis authorem; ejusque voluntatem circa me ignorant. At eam nosse debuere, cum tam multa inter eos dixerim ac præstiterim. Ipsi sibi causa fuere, cur ignorarent Deum ac Patrem uti mei adventus authorem.

ꝟ. 4. Sed hæc locutus sum vobis. Prædixi quæ vobis ex Judæis imminent, ut, ubi contigerint, memineritis me prædicere, iisque non perturbemini. Mala omnia vobis eventura prævidi, validoque vos præsidio instruam, quo inter ærumnas confirmemini; Spiritu nimirum consolatore, in vos lapsuro, cum ego ad Patrem rediero ꝟ. 7.

ꝟ. 5. Hæc ab initio non dixi. Futura odia vobis perferenda sero nunciavi, quamquam non penitus ea celaverim (6): at ita luculenter, uti nunc, hactenus non descripsi: cum enim vobiscum essem, opus erat aut adversus præsentia mala vos confirmarem, aut liberarem prementibus, aut imminentia prævetterem, & antequam contingerent, removerem (7). Futura, quibus post mortem meam agitandi estis, mature satis monere decreveram (8), non ut fugiatis, sed ut animos adversus illa comparetis. Ne autem hac prædictione terreamini, roboris & solatii Spiritum vobis polliceor, quo leniantur mala omnia, quibus futuri estis obnoxii (9).

Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Animis mœrore occupatis, nemo ex vobis quærit, quo proficiscar. Iter meum æternæ absentiæ loco habetis, meque ceu nunquam revisuri relinquitis: cum revera iter meum & breve futurum sit, mihi felix & gloriosum, vobisque utilissimum. Id si persuasum vobis esset, quæreretis omnino, quamdiu abfuturus sim, in itinere quid acturus, qua profecturus via, quæ rogare amicum proficiscentem solet (10). At mœror dumtaxat ac præsens dolor animos occupat.

Cum aliquid de discessu meo innuere inciperem, aliquam quærendi solicitudinem prætulistis (11): me autem ita luculenter non respondente, ut quæstioni plane satisfacerem, meumque iter nihil præter mortem meam esse significante, vos occupavit mœror, nihilque jam de meo discessu interrogatis (12).

ꝟ. 7. Expedit vobis ut ego vadam, &c. Respon-

[1] Vide supra xv. 17. 18. 19. 20. 21. 23. 25. xiii. 33. 36. xiv. 1. 2. [2] Theodor. Mops. & Heracl. Cyrill. Leont. Theophyl. Grot. Brug. [3] August. Beda, Euthym. [4] Vide ix. 22. xii. 42. Maldon. Vatab. Grat. Gerhard. Ligfoot. [5] Δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. [6] Matth. x. 17. 18. 19. xxiv. 9. Luc. xii. 11. Vide Grat. Brug. hic. [7] Joan. xvii. 12. *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* [8] Chrysost. Theodor. uterque Heracl. & Mops. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. [9] August. Beda, Rupert. [10] Brug. Menoch. Tir. alii. [11] Joan. xiii. 36. *Domine, quo vadis?* xiv. 5. *Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* [12] Vide Theodor. Heracl. & Mops. Leont. Theophyl.

ponderent : Tu mane , aliumqne Consolatorem non postulamus. Alibi tamen (13) fatis illos docuerat , opus omnino esse , ut ipse ob hominum salutem moreretur . Id hoc loco non repetit , ac solum ait, Spiritum Sanctum minime illapsurum, nisi ipse discesserit . Porro absque Sancti Spiritus ope , ullam muneris vestri partem explere , aut ea quæ obscure tradidi , intelligere , aut resistere inimicis, aut odia in vos sævitura superare nequibitis . Me igitur abire necesse est . Ita vult , ita sanxit Pater, ita omnia ille disposuit, adventum meum , prædicationem , mortem , resurrectionem , regressum ad Patrem , Sancti Spiritus lapsum . Ordinem porro sapientissimum turbare nefas (14). Mea morte meoque cruore purgandi estis & comparandi , ut Spiritum Sanctum excipiatis (15).

℣. 8. Cum venerit ille , arguet mundum de peccato , et de justitia , et de judicio. Spiritus Sanctus ceu advocatus est, ad agendam Jesu Christi caulam , tuendosque Discipulos veniens . Duplex Jesu Christi adversarius, Mundus ac Diabolus . Mundum , sive Judæos arcusat convincitque *Paracletas* ; Judæos enim præsertim sub mundi appellatione designat (16) : illos peccati & injustitiæ arguit, damnatque mundi Principem, Diabolum, & damnat judicio usurpati juris, quod uni Omnipotenti debetur : iniquum illius imperium abolet ac evertit : *Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Numinum superstitionem ubique Apostolorum opera & Crucis virtute profligat.

Arguet etiam mundum *de peccato, quia non crediderant in Christum* (17). Hæc certe accusatio nonnisi in Judæos incredulos competit (18). Horum peccatum fuit, quod Jesu Christo non crediderint , post innumera illius prodigia coram patrata , post vaticinia luculentissime in ipso expleta, post miracula, quæ eo moriente ac resurgente, postremo post resurrectionem contigere. Præsertim vero arguuntur perspicua Spiritus Sancti virtute in Apostolis micante , dono prodigiorum Linguarumque , & scientiæ prorsus divinæ , quo is nedum Apostolos, verum etiam primos Fideles instruxit . His argumentis Spiritus consolator ac defensor *arguet mundum de peccato* , nimirum incredulitatis, quæ & parit peccata omnia & complectitur.

Spiritus Sanctus arguet etiam mundum *de justitia, quia*, inquit Jesus, *ad Patrem vado , & jam non videbitis me* . Falsas in Christum calumnias confinxit mundus , impiumque , impostorem , veneficum , a Dæmone occupatum , Legis eversorem nuncupavit . Testatus est Christus , nolle se ipsum ulcisci, neque se idcirco venisse, ut mundum judicio postularet (19) . In cœlum abiit , suæque ipsius causæ defensionem , ac reparationem injuriarum Spiritui Sancto reliquit , futuro ipsius advocato ac defensori . Illum Spiritus apud homines universos purgaturus est (20), ac demonstraturus, illum sua ipsius natura ipsam esse justitiam, veritatem, sanctitatem , omnisque justitiæ authorem (21) . Quo autem id pacto ? Apostolorum prædicatione ac prodigiis , illos ubique consequutis . Sola dogmatum Jesu Christi , vitæque ac prodigiorum enarratio, expleta in eo veterum oraculorum fides , prodigia ab Apostolis gesta validissimum erant apud Ethnicos argumentum , probrosissimum Judæis , qui Prophetam certissime a Deo missum. Liberatorem notis omnibus Divinitatis distinctum rejecissent.

Dici etiam Spiritus Sanctus eo arguere mundum *de justitia*, quod Judæis Ethnicisque ostendit, nullam esse nisi in Jesu Christo justitiam . Hanc se nacturos in legitimis ritibus, arbitrabantur Judæi; Ethnici in regulis morum, infirmisque naturæ conatibus, ut ex rationis Legibus viverent . At Spiritus Sanctus docuit , inania esse profanæ Philosophiæ studia , Judaicisque ritibus nihil ad perfectum adduci (22). Apostoli, Divino Spiritu illustrati atque instructi , ista penitus perspicua effecere, eviceruntque, solam veramque justitiam esse Christum, ipsoque uno gratos effici homines Deo; omnis denique justitiæ fontem esse fidem in Christum (23).

Postremo Spiritus Sanctus *arguet mundum de judicio*. Reum aget gravissimi omnium sceleris, profanæ scilicet superstitionis. Arguet , quod res vilissimas atque indignissimas divinis honoribus prosecutus fuerit. Quo autem pacto? Everso nimirum Dæmonis imperio , deletaque superstitione per Evangelii prædicationem, uti animadvertimus.

Ut Jesu Christi sententiam probe teneas, junge cum superioribus. Imminentia vobis mala , atque odia in vos sævitura per antecessum prædico , ut animos ad ista comparetis , ne , ubi evenerint , vos imparatos occupent. Citius non monui , quia cum vobiscum essem , tuebar ego vos , vestrisque in laboribus vos consolabar . Cum autem nunc abiturus sim , ista prædico , moneoque , daturum me vobis mei loco Spiritum Sanctum , præsidium ac solatium , qui tueatur inter ærumnas , atque ab hostibus osoribusque defendat . Neque tamen illud vobis animo fingite , Spiritum Sanctum idcirco dumtaxat venturum , ut præsidio vobis sit : veniet quippe , ut me purget , mundumque ac præsertim Judæos arguat incredulitatis , injustitiæ ac superstitionis : incredulitatis quidem , quod in media prodigiorum meorum luce mihi credere noluerint; injustitiæ, seu spretæ justitiæ, quod me rejecerint, falsaque mihi crimina objecerint, meæque purgationis tempus denique advenerit : postremo judicii, quia Dæmon mundi Princeps damnatus est, ejusque regnum proximum est ruinæ.

Nonnulli ex Criticis (24) animadvertunt , tria fuisse apud Judæos genera judiciorum, ad quæ alludere hic videtur Christus . Primum *de peccato* (25), cum scilicet quis in Deum peccasset, veluti falso vaticinio, populi deceptione, aliisque ad Religionem spectantibus , quæ graviora essent & nefaria. Alterum *de justitia* (26), cum vir bonus injuste accusatus ex æquo & bono defenderetur , omisso fori strepitu. Tertium *de judicio* (27), veluti in privatis causis de furto , talione , aliisque similibus. Fateor tamen, me non videre, quo pacto bis Jesu Christi verbis spectentur tria ista judiciorum genera , quorum ipsa vel fundamenta neque in Scripturis , neque in civili Hebræorum administratione invenio. Simplicius certe ita explicaveris : Spiritus Sanctus arguet mundum *de peccato* admisso, *de justitia* spreta , *de judicio* neglecto . Vel : Mundum arguet *de peccato* , quod Jesu Christi *justitiam* & *judicium* spreverit.

℣. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere , &c. Nonne dixerat supra Joan. 15. 13. se aperuisse illis omnia, quæ ipse ex Patre didicerat? Omnino: at superior sententia circumscriptius usurpanda est,

[13] Matth. xx. 19. xxvi. 2. xvii. 21. Marc. 12. 30 2. 33. Luc. ix. 44. xviii. 32. [14] Euthym. Maldon. Est. Brug. Grot. alii. [15] Vide Theodor. Mops. Leont. Theophyl. [16] Vide Joan. vii. 7. xv. 18. 19. xvi. 2. Vide Cyrill. August. Maldon. Pisc. Tir alios. [17] Græcus: *Quia non credebant in me*. Ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. Plures tamen Codices cum Vulgata consentiunt. [18] August. Beda, Chrysost. Theophyl. Euthym. alii plerique. [19] Joan. iii. 17. viii. 15. 50. xii. 47. [20] Vide supra xv. 22. [21] Chrysost. Leont. Theoph. Euth. Brug. Menoch. Ligfoot. Hamm. alii. [22] Hebr. vii. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex*. [23] Rom. iii. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes , & super omnes qui credunt in eum*. Vide Augustin. Bedam , Rupert. Cyrill. Theodor. utrumque Heracl. & Mopf. &c. [24] Grot. Hammond. [25] חטאת *Peccatum*. [26] צדקה *Justitia*. [27] משפט *Judicium*.

est, hæc explicanda. Aperuit quidem Apostolis Christus quidquid ipse ex Patre didicit, quidquid illos nosse oporrebat, quidquid illi assequi poterant: at multa adhuc supererant, quibus illi pares non erant (28). Expectanda erat resurrectio, qua resignanda erant Prophetarum oracula, aperiendumque mysterium, quod Judæi nunquam assequi potuerunt, conjunctio scilicet Divinæ humanæque in Jesu Christo naturæ, illius regnum in tempore & æternitate, ejus denique conditio, qua demissus erat simul & gloriosus, potens atque infirmus, victima pro mundi peccatis & homo peccati expers. Una illius Resurrectione & Ascensione explicantur omnia, quæ in Scripturis invicem pugnare videntur.

Expectandus erat Spiritus Sancti illapsus, ut hæ tollerentur ambages, atque hæ pugnæ componerentur. Porro ista sunt, quæ nondum ferre poterant Apostoli: *sed non potestis portare modo*. Cum autem Spiritus Sanctus advenerit, *docebit vos omnem veritatem*; nobilissimorum mysteriorum capaces efficiet; nihil vobis abditum relinquet; vaticiniorum ad me spectantium sensus aperiet ac resignabit. ℣. 13. *Docebit vos omnem veritatem*; sive uti legunt Græci (29), & ex Latinis nonnulli: *Deducet vos in omnem veritatem*, vel, in omni veritate.

℣. 13. Non enim loquetur a semetipso. Ne Apostoli ex proxime dictis, futurum scilicet ut Spiritus Sanctus veritatem omnem ipsos doceret, colligerent, Spiritum Sanctum Filio esse majorem, aut aliud esse cognoscendi & intelligendi principium, a Patre Filioque distinctum, addit Christus, Spiritum Paracletum nihil ex se locuturum, hausturumque dicenda eodem ex fonte, ex quo hausit Filius (30); denique quidquid ipse dicturus sit, dicturos una Patrem & Filium: neque triplex, sed unicum Principium illos allocuturum.

Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Vaticinii Spiritu cumulabimini. Nedum explanabit Spiritus ea quæ ipse vobis obscure tradidi Joan. 14. 26. detegetque mysteria, quibus nondum estis pares (31); verum etiam futura denudabit, vosque instruet uberrime scientia qua vobis opus fuerit, ut ministerii vestri munus expleatis.

℣. 14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Spiritus Sanctus ex Filio uti ex Patre procedit, quemadmodum docet Ecclesia. Hoc sensu, Spiritus quidquid habet, aut est, a Filio accipit (32). Alii ita explicant (33): Gloriam mihi comparabit Spiritus Sanctus prodigiis, quæ per Apostolos patraverit: mundo palam ostendet, me verum esse Dei Filium, verumque Messiam: Divinitatem meam luculentissime approbabit, id quod mihi in terris versanti homines non credidere, ob carnis infirmitatem, qua ipse me cinxi, & conditionis obscuritatem, qua me occului. *De meo accipiet*; mea ille authoritate instruetur, uti meus interpres, legatus, meæque voluntatis administer (34). Literas quodammodo ex me ferret, easque per prodigia exhibebit. Quæ vobis dixi, & mysteria, quæ vobis tradere animus est, probe callebit.

℣. 15. Quæcumque habet Pater, mea sunt. Quemadmodum de me ipse loquens asserui, me nihil dicere, quod ex Patre non acceperim (35); ita Spiritus Paraclitus nihil loquetur, quod ex me & ex Patre non didicerit; omnia enim quæ habet Pater, mea sunt, nihilque ab alterutro accipere Spiritus potest, quin ab altero etiam referat. Intelligi etiam hæc possunt, uti superius membrum, vel de Spiritus Sancti processione, ex Filio non secus ac ex Patre manantis, vel de ejusdem missione, quem uterque miserunt; vel de divina scientia, quam Spiritus ex Patre Filioque refert, utpote qui una est cum utroque divinitas atque essentia.

℣. 16. Modicum, et jam non videbitis me. Brevi a vobis recedam, in hostium potestatem necique tradendus; at paucos post dies redivivus vos iterum videbo (36). Aliter: Modicum post tempus me jam non videbitis, quia per Ascensionem proficiscor ad Patrem; deinde post aliquod tempus iterum me intuebimini in altero adventu, cum vivos mortuosque judicaturus descendero (37). Longa sæculorum series, a Christi Ascensione ad supremum usque Judicium præteritura, brevissima sunt Deo temporis momenta: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit*. Psalm. 89. 4. Tempus universum quod labitur, Apostolus momentum ac breve tempus nuncupat (38). Prior interpretatio verior.

℣. 20. Amen dico vobis. Apostoli mœrore occupati minime assequebantur, quid rei esset modicum istud, quo elapso Jesus esset rediturus. Ænigma erat ipsis obscurissimum. Horum angustias intuens Christus, ait, mundum esse gavisurum, ipsos autem in mœrore futuros, mœrorem vero quamprimum versum iri in gaudium; at mundi lætitiam in rabiem furoremque desituram. Gaudio insanient Judæi, ubi me in vincula datum damnaverint, & crucis supplicio affecerint: at perbreve futurum est illorum gaudium (39). Redivivus prodibo, iterumque vos aspiciens, gaudio constanti ac solidissimo vos cumulabo, quod nemo vobis est ablaturus. Hoc porro gaudium solatio vobis futurum est inter ærumnas, æterno quippe fundamento nixum, vestræ scilicet resurrectionis spe, certaque gloriæ immortalis fiducia.

Cum igitur ajo futurum, ut post modicum tempus vos non videam, iterumque paulo post videam, cavete ne vos ista perturbent. Molesta vobis & acerba futura est absentia mea & discessio: at brevis erit mœror. Tertium intra diem ad vos revertar, vestræque mentes gaudio nunquam deinde turbando fruentur.

℣. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet. Doloris, malorum ac mortis tempori occurrimus, quod parturitionem dixeris; id tamen brevi cessabit; mea quippe Resurrectio me gloria, vos gaudio cumulabit (40).

℣. 22. Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Resurrectionis meæ gaudium nunquam turbabitur, quippe in statum immortalitatis ingredior, eoque ipso certam resurrectionis atque immortalitatis vestræ spem ac fiduciam vobis exhibeo. Cum vos ego laborum, ignominiæ, ac dolorum socios habuerim, meam quoque gloriam, resurrectionem, immortalitatem vobiscum communicabo. En imperturbati gaudii vestri causæ & fundamenta (41).

℣. 23. In illo die me non rogabitis quidquam. nihil interrogabitis (42). *Modicum* istud quid sit, lique-

(28) August. Beda, Rupert. Chrysost. Theodor. uterque, Cyrill. Theoph. Euthym. alii. (29) Græc. Ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν. Quid. Codd. apud August. *Deducet vos in omni veritate*. Quid. Græci. Ὁδηγήσει ἐν τῇ ἀληθείᾳ πάσῃ. (30) Joan. VII. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. XIV. 10. *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor*. Vide Cyrill. Chrysostom. Theophylact. Euthym. alios. (31) Supra. ℣. 12. (32) Ita plerique. Vide Patres apud Maldon. hic, in fine Artic. Brug. Tolet. (33) Theodor. Heracl. & Mopf. Cyrill. Leont. Theoph. Euth. alii. (34) Grot. Mald. (35) Joan. VII. 28. XIV. 10. &c. (36) Ita Græc. Chrysost. Theodor. uterque, Cyrill. Theoph. Euthym. Augustin. Maldon. Tolet. Brug. Menoc. Grot. alii passim. (37) August. Beda, Maldon. (38) 1. Cor. VII. 29. *Tempus breve est*. 2. Cor. IV. 17. *Momentaneum, & leve tribulationis nostræ*. (39) Ita Græci omnes. Chrysost. Theodor. uterque, Cyrill. Leont. Theoph. Euth. Ita & August. Beda, Rupert. Grot. Brug. alii. (40) Ita Patres Græci, & Latini, & Interpp. plerique. (41) Ita Chrysost. Cyrill. Theodor. Heracl. & Mopf. Theoph. alii. (42) Ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν, *Me non interrogabitis quidquam*: vel, *non postulabitis quidquam*. Nam ἐρωτᾶν apud Lucam & Joannem usurpatur pro *postulare*, & *interrogare*.

ſiquabit. Intelligetis quid ſignificet modicum hoc doloris tempus, & modicum alterum, quo elapſo me viſuri eſtis; quæ in præſentia vobis negotium faciunt. Utrumque vobis perſpicuum erit, quin explicationem quæratis. Divinus ipſe Spiritus myſterium deteget (1). Alii (2) *ni rogabitis me* uſurpant pro, orabitis, poſtulabitis; quam pariter explicationem admittit Græcus: Ubi reſurrexero, nihil me flagitabitis: opus non erit, ut apud me vota preceſque adhibeatis: exaudiet Pater, ſtatim ac meo nomine poſtulaveritis: *Amen amen dico vobis: Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Nihil erit, cur poſt Aſcenſionem præſantiam meam optetis. Docebit vos Spiritus Sanctus, conſolabitur, defendet: Pater exaudiet, & quidquid rogaveritis, largietur. Utraque interpretatio probabilis, ſimplicior tamen prima.

℣. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Hactenus rogaſtis me, cum aliquid optaretis: cum vero diſceſſurus a vobis ſim, atque ad Patrem reverſurus, moneo deinceps illi meo nomine ſupplicetis; audiet quippe, & poſtulata faciet. Aliter: Patram hactenus per ipſius bonitatem & miſericordiam rogaſtis, nondum meo nomine (3); me quippe uti ſequeſtrum inter Deum hominesque (4) nondum agnoviſtis: at nunc ad Patrem rediens, hujus muneris exercitationem aggredior. Illum jam meo nomine, per me, tamquam Diſcipuli mei & amici, rogabitis, voſque audiet; ut *gaudium veſtrum ſit plenum*, nullaque re deinde turbetur. Ac profecto quid vobis metuendum eſt, ſi vos tuetur & audit Pater? Quæ deinde nubes vobis obfutura eſt, ſi certo noveritis vos impetraturos omnia, quæ meo nomine poſtulaveritis (5).

℣. 25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. *Proverbia* ſeu *parabolas* nuncupant Hebræi quodlibet orationis genus tropicum & obſcurum. Hoc ſenſu ait Chriſtus, ſe hæc dixiſſe Apoſtolis per parabolas, multa enim obſcura, ſaltem Apoſtolis, hac oratione tradidit, raras vero parabolas. Hactenus, inquit, obſcuris tropiciſque ſermonibus apud vos uſus ſum: deinceps vero, poſt Reſurrectionem (6), luculentiſſime de Patre meo vobiſcum agam, meque ab eo egreſſum eſſe, perſpicue ac præter figuras docebo. Siquid autem dubitationis aut ambiguitatis ſupererit, Spiritus Sanctus penitus removebit (7).

℣. 26. In illo die in nomine meo petetis. Poſt Aſcenſionem rogabitis. Patrem nomine meo, & annuet Pater. Neque jam dico *quia ego rogabo Patrem de vobis*; ipſi enim noſtis, me minime relicturum vos, veſtraſque res mihi ſemper cordi futuras. Tametſi autem nihil ego moveam, ut poſtulata impetretis, veſter in me amor & conſtans fides ſatis erunt, ut votorum omnium finem Pater vobis largiatur (8).

℣. 29. Nunc palam loqueris, citra parabolas, figuras, & ænigmata. His ſpectantur in primis poſtrema illa ℣. 28. *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Exivi a Patre* æterna generatione; *veni in mundum* naſcens in tempore; *iterum relinquo mundum* per mortem, *& vado ad Patrem* per Aſcenſionem. Quatuor hiſce capitibus totus humanæ redemptionis ordo, noſtræque fidei ſumma continetur. Nihil hic ambiguum erat, atque hinc aditus patebat ad ea percipienda, quæ hactenus dixerat, præſertim ℣. 16. maxime omnium implexo: *Modicum, & non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me*.

℣. 30. Nunc scimus quia scis omnia, neque, ut mentium arcana pervadas, indigere te ut quis te interroget, aut cauſas dubitandi proponat. Omnia pervides, & explicatione prævertis. Hoc ipſum mox experti fuerant Apoſtoli, cum interrogaturos occupavit Chriſtus ℣. 29. Hinc autem colligunt, ipſum revera a Deo exiſſe: *in hoc credimus, quia a Deo exiſti*. Conſtantiori, quam antea, fide credimus, te eſſe Meſſiam, Dei Filium, ac vere Deum, qui ſecretiſſima animorum arcana pervadis.

℣. 31. Modo creditis? Vos mihi credere aſſeritis; at veſtras ipſi mentes non ſatis cognoſcitis. Brevi tempus aderit, quo conſtantiæ ac fidei veſtræ argumenta mihi exhibeatis; & eos, quos creditis, vos non eſſe experiemini (9). ℣. 32. *Venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis*. His ne argumentis oſtenditis, credere vos, me Dei Filium eſſe? *Modo creditis?* Aliter, ablata interrogationis nota: *Modo creditis*, vel, ſatis vos in fide conſtantes eſſe arbitramini, cum omnia in tranquillo ſunt, nullumque diſcrimen videtis; at brevi experiemini, quanti facienda ſint iſta quæ dicitis (10). Adeſt jam tempus, cum relicturi eſtis me, & pro viribus elapſuri.

℣. 32. Et non sum solus. Vos fugam arrepturos idcirco non moneo, quod veſtri egeam, aut me tute ſolum putem. Nunquam non præſto adeſt Pater, a quo nunquam deſeror; quamobrem ſolus non ſum, quippe per Divinitatem unum quid cum Deo.

℣. 33. Ut in me pacem habeatis. Quod dixi, vos a me abituros, illud vos ne terreat aut labefactet. Futura prædico, ut ea me noſſe intelligatis, neque tamen idcirco fide minus certa polliceri futurum, ut vos iterum videam, conſoler, gaudio cumulem, ſanctumque Spiritum ad vos mittam. Pacem atque amicitiam animo gerens diſcedo. Fuga veſtra breviſque imbecillitas minime prohibebunt, quin veterem erga vos benevolentiam ſervem, pacem imprecer, ac ſupremum vale animo concordiæ & charitatis pleno dicam. Illud ſolummodo in primis curate, ut monitis meis proficiatis, & vel fugientes me conſtantiſſime ametis (11).

Aliter: Iſta non dixi, ut exprobrarem, ſed ut ad conſtantiam meæque opis fiduciam hortarer (12): *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum*. Paſſionis meæ ignominia, atque abſolutiſſima omnium deſtitutio, quam me patientem ſpectabitis, vos ne terreat; mea quippe imbecillitas in victoriam, ignominia in gloriam convertetur; & victoria, quam de me tuliſſe Mundus ac Dæmon videbuntur, ipſis exitium, mihi triumphus futura eſt.

(1) Ita Patres, & Interpp. paſſim. (2) Chryſoſt. Theodor. Mopſ. & Heracl. & Theoph. (3) Cyrill. Rupert. Euthym. Brug. Menoch. Maldonat. (4) Rom. VIII. 34. *Qui etiam interpellat pro nobis*. 1. Timot. II, 5. *Mediator Dei & hominum*. (5) Cyrill. Euthym. Maldon. Brug. (6) Chryſoſtom. Theophyl. Euthym. Vide Act. 1. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. (7) Aug. Beda, Theodor. Heracl. Maldon. (8) Cyrill. Leont. Mald. Tolet. Brug. Menoch. Jac. Capell. alii. (9) Ita Patres Græci, Chryſoſt. Cyrill. Leont. Theodor. Heracl. & Mopſ. Theoph. Euth. (10) Maldon. Grot. Lud. de Dieu. (11) Theodor. Mopſ. Leont. (12) Vide Mald. Grot. Brug. Men. Tolet.

C A-

CAPUT XVII.

Jesu Christi Oratio, antequam in hortum olivarum veniat. Gloriam sibi a Patre comparari postulat, ut Pater ipse illustrior fiat. Orat, ut sui clarificentur, unum quid inter se sint, unumque cum se ipso in gloria, denique ut a Patre diligantur.

℣. 1. HÆc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, ve-
nit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te: 2. Sicut
dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æter-
nam. 3. Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te solum Deum verum, &
quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificavi super terram: opus consum-
mavi, quod dedisti mihi, ut faciam: 5. Et nunc clarifica me tu Pater apud te-
metipsum, claritate, quam habui, prius quam mundus esset, apud te. 6. Ma-
nifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mi-
hi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt. 7. Nunc cognoverunt, quia om-
nia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: 8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis,
& ipsi acceperunt, & cognoverunt vere, quia a te exivi, & crediderunt, quia
tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his, quos
dedisti mihi: quia tui sunt: 10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: &
clarificatus sum in eis. 11. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt,
& ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi:
ut sint unum, sicut & nos. 12. Cum essem cum eis, ego servabam eos in no-
mine tuo: quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perdi-
tionis: ut Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in
mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 14. Ego dedi eis ser-
monem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego
non sum de mundo. 15. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos
a malo. 16. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. 17. San-
ctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu me misisti in mun-
dum, & ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut
sint & ipsi sanctificati in veritate. 20. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro
eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: 21. Ut omnes unum sint, sicut
tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus,
quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint u-
num, sicut & nos unum sumus. 23. Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati
in unum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me di-
lexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut
videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem
mundi. 25. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi, & hi co-
gnoverunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum fa-
ciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

℣. 1. HÆc locutus est Jesus, &c. Putat Grotius, orationem hanc a Christo pronunciatam in conspectu Templi, cum istac transiret Christus, trans torrentem Cedron proficiscens. Videtur aliis (1) ab eo prolata, cum is adhuc in cœnaculo versaretur; idque suaderi primo capitis consequentis versiculo: *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron.* Ruperto Abbati eadem esse creditur, quam in horto olivarum habuit, a cæteris Evangelistis brevius descriptam. Nobis omnino persuasum est, Christum illam recitasse in itinere, antequam torrentem Cedron transiret, atque olivarum hortum ingrederetur.

PATER, VENIT HORA, CLARIFICA FILIUM TUUM, &c. Partes tres distinguit Christus in præsenti oratione, qua sermonem ad Discipulos habitum claudit. Prima orationis parte Patrem rogat, ut se clarificet, efficiat nempe, ut homines Deum se, verumque Messiam, & hominum Liberatorem agnoscant: altera, ut Apostolos, sibi ab exordio fideles, beneficiis cumulet; tertia, ut claros & sanctos faciat omnes, tota deinde sæculorum serie sibi credituros. ℣℣. 20. 21. &c.

PATER, CLARIFICA FILIUM TUUM. Omnes terrarum gentes debitam Filio gloriam & honorem deferant, eumque agnoscant, *ut Filius tuus clarificet te*, conversione gentium, quæ tibi obsequium cultumque sunt exhibituræ: Totidem tibi veros cultores reddet (2), quot fideles Discipulos habuerit. Christi gloriam de ipsius passione interpretatur S. Chrysostomus; S. Augustinus, de resurrectione. Confer Joan. XII. 23. 28. XIII. 32.

℣. 2. SICUT DEDISTI EI POTESTATEM OMNIS CARNIS.

(1) Cleric. ad Hamm. hic. (2) Joan. XV. 25.

nis. Pater omnes terrarum populos in hæreditatem Filio dedit, nemine excepto (3); Filius pro omnibus mortuus est, nullo Judæorum externorumque discrimine (4). Quod in ipso est, omnes ille homines servare vult (5): at non omnes tamen homines salutem assequuntur, ac dici potest, eos dumtaxat assequi salutem, quos *Pater dedit Filio* peculiari quadam ratione, quos traxit Pater (6), quibus gratiam vocationis, justificationis & perseverantiæ largitus est (7). At qui salutem non assequuntur, sua ipsi culpa pereunt. Christus ipsorum gratia plus præstitit, quam opus est, ut nulla illis excusatio relinquatur.

℣. 3. HÆC EST AUTEM VITA ÆTERNA, &c. Primus ad æternam vitam gradus homini est Deum agnoscere per lumen fidei. Rogat igitur hic Patrem Christus, ut iis quos sibi dedit vitam æternam largiatur; fide illos instruat, ut Patris & Filii Divinitatem agnoscant: *Ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Dei veri appellatio non solum ad Patrem refertur, ut ajebant Ariani, verum etiam ad Filium, uti docent Patres (8). Sive *Deus verus* hic ponitur, ut Deorum simulacra excludantur (9). Omnes terrarum populi agnoscant, te unum esse verum Deum cum Jesu Christo Filio suo, nullumque præter te Deum esse: nihil esse Idolum. Cum dicitur in eo consistere *vita æterna, ut cognoscant Deum*, id non de sola sterili contemplatione intelligendum est, sed de cognitione activa, quam charitas & bona opera comitantur; quæ si absint, mortua est & inutilis fides. Jacob. 2. 20. 26.

℣. 4. EGO TE CLARIFICAVI SUPER TERRAM, Jussiones tuas explevi (10). Quam potui, obedientia & prædicatione gloriam tibi comparavi. *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*; quo opere clarificandus es toto orbe terrarum; quippe per omnium populorum fidem in omnibus mundi plagis agnoscendus es, amandus, & in spiritu ac veritate adorandus. Ita loquitur Christus, tamquam ex hac vita egressus, expletoque nostræ redemptionis opere, cujus nimirum operis finis instabat: postremo loquitur uti homo (11).

℣. 5. ET NUNC CLARIFICA ME. Cum omnibus vitæ meæ articulis in illud unum incubuerim, ut te clarificarem, Pater, tuæque voluntati obtemperarem, meas nunc voces excipe, meæque humanitati eam gloriam largire, quam in re per Divinitatem ab exordio totaque æternitate habui (12). Divinitatis gloria in humanitatem manet per Resurrectionem, Ascensionem, & sedem, quam in dextera tua supra cæteras creatas res sum occupaturus (13). Ita interpretantur Patres. Me clarum apud te in Cœlo effice, uti ego te inter homines in terris reddidi.

℣. 6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM HOMINIBUS, QUOS DEDISTI MIHI, illos e mundo seligens per vocationem & electionem. Homines universi Christo traditi sunt (14) per hoc, quod illos ipse sanguine ac morte redemerit: Christiani per vocationem ad fidem, secretionem ab Infidelibus (15), perque baptismi gratiam; Sancti ac prædestinati per sejunctionem a reprobis, & prædestinationem ad gloriam; Apostoli denique per electionem ad Evangelicum munus, primasque Ecclesiæ dignitates. Porro de Apostolis præter cæteros intelligendus est hic locus, uti ex consequentibus constat (16): *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt*.

℣. 7. NUNC COGNOVERUNT, &c. Perspicuum illis feci, me nihil docere, quod a te non didicerim: hoc ego frequenter inculcavi, ut idcirco te illi clarificent: ℣. 8. *Verba quæ dedisti mihi dedi eis*; perfecere illi, *ipsi acceperunt, & cognoverunt vere quia a te exivi, & crediderunt quia tu me misisti*. Rara fides, quæ paucos habuit imitatores ex Judæis, quorum plerique tradita a me dogmata sprevere, meque Messiam Filiumque tuum agnoscere noluerunt. Hic etiam ex humanitate loquitur Christus.

℣. 9. EGO PRO EIS ROGO, NON PRO MUNDO. Horum dumtaxat, non mundi causa te rogo, Pater. Non ob Judæos incredulos, aut etiam ob Ethnicos, mihi aliquando credituros: de his orabo mox ℣. 20. De meis tantum Apostolis nunc supplex venio (17): primas illi animi mei curas merentur, *quia tui sunt, & mihi eos dedisti*. Hæc verba, *Ego pro eis rogo, non pro mundo*, plerique absolute usurpant, non quod Christus mortis & orationis suæ meritum unis tantum electis prodesse voluerit; quippe quem omnium causa & mortem obiisse & orasse constat; sed quod Sanguinis & precum illius merita efficaciter iis applicata non fuerint, quos non traxit Pater, quique ad finem usque in fide bonorumque operum exercitatione non perseverarunt. Hoc sensu neque orat pro reprobis, qui nunquam crediderе, neque pro iis, qui a fide, quam olim secuti sunt, descivere, neque donum perseverantiæ in finem usque acceperunt. Reprobi, quorum causa Christus efficaces hasce preces non fundit, aliquandiu fortasse viti hæserunt, uti palmites vivi, at denique tamquam mortui sterilesque abscindentur Joan. XV. 6.

℣. 10. QUIA TUI SUNT . . . ET CLARIFICATUS SUM IN EIS. Digni sunt, quorum causa ego apud te supplex fiam; primum quod & tui & mei sunt, omnia quippe tibi ac mihi sunt communia; deinde, quia *clarificatus sum in eis*, illi gloriam mihi comparavere, meis tuisque sanctionibus obtemperantes. Animadvertere licet, *clarificare Deum*, apud Joannem Evangelistam, idem esse ac Divinis jussionibus parere. Vide supra XII. 28. & hic ℣. 4.

℣. 11. ET JAM NON SUM IN MUNDO. Ita loquitur, tamquam mortem jam obierit, quippe Apostolos brevi relicturus. Alia causa est, cur te horum causa rogem, quod nimirum e terris abeo, atque illos malitiæ odiisque inimicorum obnoxios desero. *Serva eos, ut sint unum, sicut & nos*. Illos sejungi, illorumque charitatem corrumpi ne patiare. Ipsorum certe conjunctio ita absoluta esse nequit, uti nostra: at nostram imitetur pro viribus, eamque loco exempli sibi proponat: ea sit illorum conjunctio, ut parem inter homines non habeat: cor unum sint, anima una, una voluntas (18): *Ipsi in natura sua sint unum, sicut & nos in nostra unum sumus*.

℣. 12. CUM ESSEM CUM EIS, EGO SERVABAM EOS. Hactenus una cum eis versans, cum eos tuerer, nihil pro eis postulavi, atque ipse per me illos tueri ac defendere studui. Cum autem nunc abeam, tibi eos credo. Gravissimo nunc discrimini fides illorum objicienda est. Discrimen prædico

(3) Psalm. II. 8. Vide Chrysost. Heracl. hic. (4) 2. Cor. V. 14. Rom. V. 7. (5) I. Timot. II. 4. Vide August. serm. 85. num. 15. & 155. num. 1. nov. edit. & in Joan. tract. 12. (6) Joan. VI. 44. (7) Rom. VIII. 30. (8) Hilar. lib. 9 de Trinit. Ambros. lib. 5. de fide; Aug. Beda hic. (9) Ita Græci plerique, Cyrill. Chrysost. Leont. Theodor. Mops. Theoph. Euth. alii. (10) Confer. Joan. VIII. 38. 38. præcipue vero XII. 28. ubi *Clarifica nomen tuum*, sonat idem ac, Fiat voluntas tua. (11) Aug. Beda. Chrysost. Cyrill. alii. (12) Vide Aug. in hunc locum; & Chrysost. hic; & Hilar. in Psal. II. & de Trinit. lib. 12. & 2. (13) Philipp. II. 8. 9. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen*. (14) Psal. II. 8. (15) Ita August. Beda, Theodor. Heracl. Chrysost. Theoph. Euthym. (16) Brug. Tolet. alii. (17) Vide Brug. Cornel. a Lapide, Le Clerc. (18) Vide August. hic; Ambros. lib. 4. de Fide; Hilar. L. 2. de Trinit. Epiphan. alios.

dico Josn. 16. 4. at omne illius periculum ipsi non sentiunt. Illos tuere, Pater sancte, mutua charitate conjunctos, neu patiare, ut illos dispergat inimicus ac perdat. Uti homo loquitur Christus, ubi ait: *Servabam eos in nomine tuo* (19), illos enim qua Deus suo ipsius nomine & authoritate una cum Patre servabat.

QUOS DEDISTI MIHI, CUSTODIVI, ET NEMO EX EIS PERIIT, præter Judam proditorem, qui sua ipse malitia, contemptuque auxiliorum, quæ ex præsentia mea, meisque institutionibus ac prodigiis ad confirmandam in fide & charitate constantiam haurire poterat, quemadmodum cæteri Apostoli iis usi sunt, sponte in exitium ruit. Noveras, illum rejectum esse ad perditionem æternamque calamitatem; at rejectum esse, quia servari noluit (20). Converti poterat vel post expletum scelus, uti S. Augustinus (21), & S. Leo (22) animadvertunt. Filius perditionis idcirco est, quia dignus fuit, qui ob avaritiam, perfidiam, pervicaciam, desperationem damnaretur.

Græci Codices (23) Versionesque quamplures ferunt: *Cum essem cum eis in mundo, servabam eos in nomine tuo. quo dedisti eos mihi. Custodivi, & nemo ex eis periit, &c.* Dei nomen frequenter pro Deo ipso usurpatur. Tuo illos nomine, tua ope, per te ipsum tutatus sum, quemadmodum illos mihi dederas nomine tuo, per tuum nomen, electionem, gratuitamque misericordiam.

UT IMPLEATUR SCRIPTURA. *Ut* non Dei voluntatem in Judæ exitium significat, sed miserrimum Judæ exitum, ex fide vaticiniorum, non illorum causa (24). Judæ proditionem luculentissime figuraverat Achitophelis perfidia, & seditio Absalomi in Davidem (25). De Juda explicat Petrus Act. 1. 20. sententiam Psalmi CVIII. 8. &c.

℣. 13. UT HABEANT GAUDIUM MEUM IMPLETUM. Perge illos me absente defendere, ne dolore & mœrore opprimantur, ac potius in ope tua gaudium illud ac solatium inveniant, quod me præsente, & inter eos vivente experiebantur (26).

℣. 14. EGO DEDI EIS SERMONEM TUUM. Docui quid ipse velles, sermonem tuum explicavi: exceperunt illi, & credunt: quam ob rem & illos & me odit mundus. Horum fides, & odium impiorum benevolentiam ac patrocinium tuum illis comparent, tui enim causa obnoxii sunt insectationibus inimicorum. Si ex mundo essent, illos amaret mundus Jo. 15. 18. Aliter: *Ego dedi eis sermonem tuum*. Evangelii nunciandi provinciam illis credidi (27): arcana voluntatis tuæ, tuique fœderis mysterium illos edocui: id quod mundi odia & insectationes illis paritururn est.

℣. 15. NON ROGO UT TOLLAS EOS DE MUNDO, &c. Illud non postulo, ut eos ex hominum cœtu auferas, neque ut laborum & ærumnarum expertes sint, sed ut iis vinci ne patiaris (28). Sive: Non rogo, ut ex impiorum consortio removeantur, sed ut ne animis aut fide cadant, mundique corruptionem sequantur; denique a Dæmone malorum omnium authore ne superentur (29): *Ut serves eos a malo*.

℣. 17. SANCTIFICA EOS IN VERITATE. SERMO TUUS VERITAS EST. Nihil veritate sanctius validiusque. Invicta est & omnipotens. Si illos effeceris sanctos, & veritate ac verbo tuo sustentaveris, nihil illis insuperabile futurum est, nullo discrimine terrebuntur. Patres (30) veritatem hoc loco Spiritum Sanctum interpretantur. Sanctos effice, Spiritu veritatis cumulans, tuo scilicet Spiritu, illustrationibus, donis & hilaritate illos complectere. Simplicior placet aliis explicatio (31): *Sanctifica eos*, ad verba tua, tuaque dogmata prædicanda compara eos. *Sanctificare* apud Hebræos frequenter sonat comparare, aptum reddere, ad aliquam Religionis actionem instruere. Favent huic explicationi ℣℣. 18. & 19. Alii magis ad verbum (32): *Sanctifica eos in veritate*. Fac vere sancti & mundi sint per veritatem Evangelii, per certam verbi tui fidem, per voluntatis tuæ obsequium, per Sancti Spiritus infusionem.

℣. 18. SICUT TU ME MISISTI IN MUNDUM. Quemadmodum tu me in terras missum Jo. 1. 14. gratia & veritate complevisti, hoc ipsum effice erga Apostolos, quos ad veritatem & Evangelium tuum nunciandum mitto. *Sanctifica eos in veritate*, quemadmodum me sanctum effecisti. Ea porro vera est ad Evangelicum munus præparatio, ut in veritate tua sint constantissimi. Mosaicæ Legis Sacerdotes sacrificiis & mundæ aquæ lustrationibus purgantur: mox ego meo ipsius cruore purgabor (33): *Per propriam sanguinem introivit in Sancta*, ut Apostolis meis aliud sanctitatis genus promerear: *Sanctificabo eos in veritate*. Hanc illos docui, ejusque amorem & existimationem animis illorum indidi; hanc illi menti altæ insculptam gerunt. Ea instructi, quamlibet terrarum partem peragrare prædicando possunt, alia præparatione non egent. ℣. 19. *Pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate*. Tuum duntaxat patrocinium tuamque opem pro iis postulo.

℣. 20. NON PRO EIS ROGO TANTUM, &c. Transit Christus ad tertiam orationis partem. Pro Apostolis precatus, orat hic pro iis, qui tota deinde sæculorum serie sibi sunt credituri (34). Quid vero illis rogat? Bonorum scilicet optimum, concordiam, pacem, charitatem. ℣. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te*. Hoc Christi votum latissime impletum est in primis Ecclesiæ Fidelibus Act. 4. 32. *quorum erat cor unum & anima una*, expleturque adhuc in Catholica Ecclesia, apud quam Fideles in rebus ab Ecclesia constitutis uno consensu conveniunt: denique inter Fideles hæc animorum mentiumque concordia magis minusve absoluta conspicitur, ut major minorve est illorum sanctitas. Suam cum Patre conjunctionem proponit Christus, uti exemplum concordiæ Christianorum; ut scilicet arctissima sit, absolutissima & maxima, qua major intelligi ab hominibus nequeat. Ita Matth. 5. 48. monet Christus, ita perfecti simus, uti Cœlestis Pater perfectus est.

℣. 21. UT CREDAT MUNDUS QUIA TU ME MISISTI. ut ii qui nondum credunt, mutuam Discipulorum meorum primorumque Fidelium concordiam absolutissimam intuentes, fidem amplecti (35), meæque missioni ac Divinitati testimonium ferre cogantur. Genuina Ecclesiæ nota nullo non tempore concordia fuit; & siquas in illa turbas ortas

(19) Cyrill. Mald. alii. Vide August. hic. (20) August. serm. 125. n. 5. (21) Aug. in Psal. CXLVI. n. 20. & serm. 352. n. 8. Vide & in Psal. CVIII. (22) Leo Magn. serm. 1. 3. 5. de Passione Domini. (23) Ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, ᾧ δέδωκάς μοι. Ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν, &c. Ita legunt Steph. omnes Codd. alii plurimi apud Mill hic, Copht. Pers. Arab. Syr. Aeth. Cyrill. Theophyl. Euth. ut liquet ex eorum Comment. impressis, οὓς δέδωκάς μοι, ἐφύλαξα. (24) Aug. lib. de unitate Eccl. c. 9. n. 25. *Quis enim dubitaverit, quod Judas Christum, si voluisset, non utique tradidisset? sed ideo fuit de isto certa prædictio, quia & ipsius etiam futuras prævidit voluntates*. (25) 2. Reg. XV. XVI. XVII.
(26) Cyrill. Mald. Brug. Grot. Men. (27) Theodor. Mopf. Leon. Rupert. (28) Aug. Beda, Rupert. Cyrill. Leont. Mald. alii. (29) Leont. Brug. Menoc. Mald. Gr. Ἐκ τοῦ πονηροῦ.
(30) Ita Chrysost. Cyrill. Theodor. uterque Heract. & Mopf. Leont. alii. Græci. Ita & Aug. Beda, Rupert.
(31) Brug. Menoc. (32) Mald. alii quidam. (33) Heb. IX. 12. 14. Vide Mald. Brug. Toler.
(34) Theodor. Mopf. & Heracl. Leont. Euthym. Grot. &c. (35) Chrysost. Theophyl. Euthym. Mald. Brug. Grot. Toler. alii.

oriri patitur Deus, idcirco fit, ut lolium a frumento secernatur, membrorumque bene valentium conjunctio perfectior fiat eorum abscissione, quæ vitium & noxam secum ferunt. Firmior redditur pax, cum pacis hostes ejiciuntur (36).

℣. 22. Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis. Potestate gerendi prodigia illos instruxi, uti tu me; ut gloriæ tuæ causa, atque ob fidei incrementum eadem prodigia, & majora etiam inter homines edant Jo. 14. 12. cujus rei propositum est, ut concordia, & charitate conjuncti sint, uti nos sumus: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Hæc tamen explicatio, tametsi vulgo probata, satis non facit, quippe quæ Christum ponit Apostolos hic alloquentem; cum ille de omnibus, sibi ad exitum usque sæculorum credituris, agat, quemadmodum ℣℣. 20. & 21. ipse diserte ait.

Nos igitur ita interpretamur; Gloriam, quam mihi dedisti, cum omnibus mihi credituris communicavi, nobilissimam scilicet Filiorum Dei conditionem; atque idcirco communicavi, ut omnes in Patris filios adoptati (37), mutua charitate, arctissimaque conjunctione consentiant, tamquam familiæ unius filii, uti nos invicem conjungimur. Explicant alii (38) de conjunctione Fidelium cum Christo per Eucharistiæ Sacramentum, quo unum efficiuntur cum eo, cujus Carne vescuntur, & Sanguinem bibunt. Aptius tamen conjunctio hujusmodi & gloria de adoptione in Divini Patris filios explicatur.

℣. 23. Ego in eis, et tu in me. Conjunctionis suæ exemplum illis præbeo mutuam inter nos conjunctionem, ut perfectissime & arctissime, quam intelligi queat, conjungantur. Hoc nimirum indicio *cognoscet mundus quia tu me misisti*, Vera pietas ac Religio in ea conjunctione agnoscentur. Messiam, & humani generis Liberatorem me esse, omnes intelligent. *Cognoscent mundus quia dilexisti eos, sicut & me dilexisti*. Dicent: En genus electum 1. Petr. 2. 9. gens sancta, Regale Sacerdotium, dilecta natio. Horum concordiam mirabuntur populi, ejusque authorem commendabunt Act. 5. 52.

℣. 24. Pater, quos dedisti mihi, &c. Postulatis in meorum fidelium commodum iis, quibus illi maxime in terris egent, rogo, Pater, ut æternam denique in Cœlis gloriam ac beatitudinem illis largiaris. Eumdem certe Christus gloriæ gradum Apostolis non rogat, quo ipse est fruiturus, sed ut omnes in Cœlo sint, uti ipse futurus est. Ex humanitate hic loquitur. De se agit, tamquam ad Patris dexteram jam considente, quemadmodum post Ascensionem sedit. Præmium hoc Discipolis alibi (39) promiserat: *Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit*. In Cœlo *videbunt claritatem meam quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi*. Ibi parata sibi gloria, meoque Sanguine comparata fruentur. *Videre, intueri*, hoc loco sonant frui, possidere.

℣. 25. Pater juste, mundus te non cognovit. Gloriam quam meis rogo, mundo item non postulo: qui nempe ea indignum & incredulitate & infidelitate se exhibuit. Te nosse, audire institutiones tuas, jussionibus obtemperare detrectavit. Ego quidem te, Pater, agnovi, tibi parui, meque tu gloria quibuslibet honoribus majore cumulasti. Futurum spero, ut eos, qui me uti Filium ac Messiam tuum excepere, eodem præmio prosequaris, uti illorum fides, servandisque præceptis meis constantia meruerit (40).

℣. 26. Et notum feci eis nomen tuum. Dei nomen Deus ipse est. Christus Jesus Dei Patris nomen Judæis notum fecit, quamdiu in terris docuit; idem præstiturus per Apostolos post Resurrectionem (41): at perpauci credidere. Pro his igitur hic orat Christus. Postulat, *ut dilectio, qua Pater dilexit Filium, in ipsis sit*. Hos ama, Pater, uti me amasti (42); ut illis per fidem & charitatem mihi conjunctis, *ego in ipsis* sim per gratiam. Ita Christus preces pro Ecclesia exhibitas claudit.

(36) Chrysost. Theophyl. Euthym. (37) Joan. 1. 12. 2. Petr. 1. 4. Rom. viii. 16. 17. Vide Tirin. (38) Tolet. Brug. Menoc. alii. (39) Luc. xxiii. 43. & Joan. xii. 26. (40) Chrysost. Theodor. Mopsuest. Theophyl. Euthm. Mald. (41) Leont. Mald. Grot. (42) Aug. Cyrill. Bed. Mald. Brug. alii.

CAPUT XVIII.

Jesus a Judæorum Satellitibus capitur; quos ille verbo prosternit. Petrus Malchum cædit. Fugiunt Apostoli. Jesus apud Caipham. Illum abnegat Petrus. Prima quæstio de Jesu habita. Piluto traditur Jesus; quem dimittere conatur Pilatus; at Judæi Barabbam postulant.

℣. 1. HÆC cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus. 2. Sciebat autem, & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset cohortem, & a Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum lanternis, & facibus, & armis. 4. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? 5. Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. 8. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: & percussit pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte

Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum. 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant autem servi, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus. 20. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici? 23. Respondit Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum. 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus, & statim gallus cantavit. 28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo ei Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. 32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans, qua morte esset moriturus. 33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum? 34. Respondit Jesus: a temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? 36. Respondit Jesus: regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dixit eis: Ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

℣. 1. HÆC CUM DIXISSET IESUS, trans torrentem Cedron profectus est. Orationem Capite superiori descriptam recitavit Jesus in itinere, cum ad hortum olivarum, in monte ejusdem nominis ad orientem Jerosolymæ situm, pergeret. Montem ab Urbe Temploque disterminabat angusta vallis, quam torrens Cedron interfluit (1). Jesus igitur absoluta oratione statim torrentem transiit, & in hortum olivarum venit. Torrens *Cedron* amnis est angustissimus, sex vel septem pedum latitudine, maxima anni parte arens, præterquam per pluvios dies (2), quemadmodum cæteri ejus regionis torrentes. Hujus nomen in Veteri Testamento legitur (3); videturque Joannes data opera torrentis hujus meminisse, ut lectorem revocet ad Davidem, qui a filio Absalomo pulsus Jerosolymis, torrentem Cedron una cum sociis fugæ pede trajecit (4). Quæ luculentissima fuit Christi figura, ab uno ex Discipulis prodendi.

De torrente Cedron lis est inter Criticos. Alii (5) ita dictus creditur a cedris, in utraque ripa satis, inquiunt. Græca syntaxis (6) favere huic sententiæ videtur; docentque Rabbini quidam, genus esse cedri, quod Hebraice dicitur *cedros*. At majori numero alii (7) asserunt, *Cedron* pu-

[1] Joseph. de Bello lib. 5. cap. 8. in Græco; seu lib. 6. cap. 1. in Latino. [2] Doubdan cap. 27. pag. 253. 254. [3] 2. Reg. xv. 23. 3. Reg. xv. 13. 4. Reg. xxiii. 3. [4] Vide 2. Reg. xv. 23. & sequent. [5] Vide Grot. Erasm. [6] Græc. impress. Πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων. Sed Cant. & Alex. & Veles. Coph. Τοῦ Κέδρου. [7] Stunica contra Erasm. Bez. Drus. Castal. Zegar. Camerar. Casaub. Pisc. Schmid. Bynæus, alii.

enim putamque Hebraicum esse vocabulum, quod *obscuritatem* (8), non *cedros* significat: ita vero appellari vel a torrentis profunditate, vel ab aquarum nigredine. Neque certum est, veteres Hebræos appellationem *cedros* (9) cedris dedisse; multoque incertius illud quod additur, utramque torrentis ripam fuisse consitam cedris, silentibus profanis sacrisque Scriptoribus. Græci etiam Codices dissident, cum alii *torrentem cedrorum*, alii *torrentem Cedron* ferant. Postremam hanc appellationem amplectitur S. Hieronymus, cui & nos adstipulamur; cum probabile non sit, Davidis, Asæ & Josiæ ætate *cedros* Jerosolymis sub ea appellatione innotuisse. Eas arbores Scriptura passim nuncupat *arazim*; torrentem vero *Cedron* sub Regibus invenimus. Si *Cedron* ea ætate cedros significabat, dicendum erat, torrens *Cedronim*, non, torrens *Cedron*.

Ubi erat hortus. Ex Matthæo (10) & Marco, venit Jesus in prædium, nomine *Gethsemani*, ubi erat hortus, quo secedere solebat Jesus, cum Jerosolymam adventaret. Per solemnes anni dies, quo tempore omnes e provincia & finitimis etiam regionibus confluebant, universa multitudo nonnisi ægre intra urbem excipi poterat; sed ob mitem cœli temperiem, in agro & circa urbem pernoctari poterat. *Gethsemani* Hebraice (11) est vallis pinguis, vel olei, sive ab oleis quibus abundabat, sive ab ubertate. Hortus olivarum, quo secessit Jesus, prædii pars erat, ad radices montis olivarum.

℣. 2. Sciebat autem et Judas locum. Cum nosset Judas, solere Jesum extra urbem pernoctare Luc. xxi. 37. minime dubitavit, quin eum in hortum secessisset, noctem orando traducturus. Cæteris noctibus interdum Bethaniam divertebat (12); sed tunc solummodo cum non cœnasset. Cum autem ea nocte cœnam in urbe fecisset, certo collegit Judas, illum ultra hortum, quo solebat secedere, non progressurum. Monitis ea de Sacerdotibus ac Pharisæis, satellites ex iis accepit, quorum ministerio Jesus caperetur.

℣. 3. Cum accepisset cohortem, et .... ministros. Gemina hæc satellitum manus sedulo distinguenda est: illa enim Romanorum militum erat (13); hæc ministrorum Templi, sive satellitum sub Synedrii authoritate. Qui nomine Romanorum provinciam moderabatur, armatam militum cohortem Sacerdotibus Magistratibusque permittebat, qua defenderetur urbis tranquillitas, ac tumultus populares, in rebus hujusmodi facillime gliscentes, coercerentur (14). Cohortis hujus partem misere Magistratus, addita a Sacerdotibus ac Pharisæis servorum manu, militibus auxiliatia. Hi porro satellites erant (15) sive apparitores, Synedrio servientes, seu Centurioni Templi cujus erat eos vincire, qui turbas in populo cierent (16).

Venit illuc cum laternis et facibus et armis. Tametsi micaret luna, quippe decimaquarta erat dies lunæ mensis Nisan, faces tamen detulere, quo certius rem agerent, illumque vel in specubus, vel intra prædii ædes perquirerent, si quidem fugere conaretur. Laternas etiam habuere, occultandi ignis causa, ne illius indicio longe agnoscerentur, facesque fortasse extinctas, accensuri tamen, ubi opus esset. Venere pariter armis instructi, ut vim inferrent ac feriient, si Jesus & Apostoli repugnarent.

℣. 5. Jesum Nazarenum. Hoc dixere, postquam accessit ad Jesum Judas, eumque osculatus est, quo de signo cum militibus convenerat, ut illo quis capiendus esset innueretur (17). Opus est igitur, cæcitate quadam multatos fuisse apparitores (18), qui perspicuo indicio, facibus laternisque ardentibus, cœlo minime obscuro, obvium ultro Jesum non agnoverint.

℣. 6. Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Infinitæ potestatis suæ specimen exhibere hic voluit Christus (19), ac docere, nisi ipse capi vellet, se posse omnes illorum conatus nullo negotio evertere ac dissipare. Unicum Jesu verbum fulminis instar illos stravit; ac perspicuam reddidit vaticinii cujusdam fidem, impios uno Dei spiritu sterni (20).

℣. 8. Sinite hos abire. Authoritate utitur, & vel inimicis imperat. Ipse me ultro capiendum trado, at discipulos dimitti volo (21). Pastor bonus sum, vitamque ovium causa prodigo Jo. x. 11. Neminem ex iis, quos mihi dedit Pater, amitto: *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo* (22). Testium & Apostolorum, quos mihi dedit Pater, numerum minui non patiar. Sunt qui censeant, mortem animæ Discipulorum his verbis a Christo significari: Non perdam, non sinam eos obnoxios esse discrimini, ut me abnegato in exitium ruant. Alii de corporis morte interpretantur (23): Hos ego a Judæis capi non patiar, certe necaturis: servare illos volo, ut Patris æterni consiliis & Evangelicæ prædicationi serviant. Plerique jungunt utramque (24); ac putant, voluisse Christum, morte animæ & corporis Apostolos liberare. Videntur tamen Christi verba corporis vitam significare, quam ille tueri cellet.

℣. 10. Abscidit auriculam dexteram cuidam ex Pontificis satellitibus. Jesus paulo ante quam egrederetur e domo, in qua cœnaverat, monuerat Luc. xxii. 36. Apostolos, siquis ensem non haberet, venderet tunicam, atque ensem sibi compararet; ac Discipulis respondentibus, gladios præsto esse duos, ille satis esse dixit. His igitur fortasse Christi verbis freti, arma capere, ac Magistro vincula imminere cernentes, defensionem parare ausi sunt. Petrus animo omnium acerrimo, educto ense, Pontificis Caiphæ servum cecidit. Narrat Lucas xxii. 49. Apostolos, Ferirent ne, a Christo quæsivisse. At Petrus, responso minime expectato, uno ictu auriculam Malcho abscidit. Cæteri Evangelistæ & servi & Petri nomen silent, sapientissimo fortasse consilio, quod eo tempore scriberent, quo uterque superstes erat. Joanni vero, cum diu post utriusque obitum rem literis mandaret, nihil cavendum fuit. *Malchus* nomen est Syriacum, vel Hebraicum, *Regem* sonans, & commune apud Syros erat, teste Holstenio in vita Porphyrii (25).

℣. 11. Non bibam illum? Non patiar quod jubet Pater? *Calix* hoc sensu passim in Veteris Novique Testamenti Libris usurpatur (26). Eadem loquendi forma interdum utuntur Profani (27).

Fa-

[8] קדרון Kidron, [9] ארזים Cedri. [10] Matth. xxvi. 36. Ἔρχεται εἰς χωρίον λεγόμενον γεθσημανῆ. Marc. xiv. 32. [11] גיא שמנים *Vallis olei*, vel *olearum*. [12] Matth. xxi. 17. Marc. xi. 11. & 19. [13] Λαβὼν τὴν σπεῖραν. Confer Matth. xxvii. 27. Τότε οἱ στρατιῶται τοῦ ἡγεμόνος . . . συνήγαγον ἐπ' αὐτὸν ὅλην τὴν σπεῖραν. August. tract. cxii. in Joan. Ita Brug. Tir. Grot. hic. Vide & Matth xxvi. 47. [14] Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 4. & lib. 2. cap. 15. de Bello. [15] Ὑπηρέται. Vide Matth. v. 25. Joan. vii. 32. Act. v. 22. 22. [16] Act. v. 22. 26. Vide Bynæ. de morte Christi lib. 2. cap. 3. num. 5. 6. [17] Matth. xxvi. 48. 49. Marc. xiv. 44. 45. [18] Chrysost. hom. 84. Brug. Grot. Byn. [19] Ita Patres, Interpp. passim. [20] Dan. x. 9. sub ev. v [21] Chrysost. Theoph. [22] Joan. vi. 39. xvii. 12. [23] Dicere videtur S. Chrysostomus, significatam quidem a Christo animæ mortem; corporis vero intellectam ab Evangelista. [24] Rupert. Brug. Tolet. alii. [25] Vide Holsten. vita Porphyr. Grot. hic, & Cleric. ad Hammond. [26] Vide Psalm. x. 6. LXXIV. 9. Isai. LI. 17. Jerem. xxv. 15. 16. 17. Ezech. xxiii. 31. 32. Matth. xx. 22. xxvi. 39. Apoc. xiv. 10. xvi. 19. xviii. 6. [27] Aristoph. Equit. Οὐ γὰρ ἐκ ταὐτοῦ μεθ' ἡμῶν πίεται ποτηρίου. Plaut. Casi. Act. 5. Scen. 2. *Ut saneat hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberes.*

Faciam bibat ex eodem poculo, quo ego bibi: ita cum illo agam, uti erga me actum est. Hoc porro dicendi genus ortum est ex ejus temporis consuetudine, quo tempore convivii Rex eligebatur, convivarum unicuique decernens, quot cyathos biberet; vel ex more Judæorum, qui solemnibus in conviviis transmittebant ordine per convivas calicem, ex quo paterfamilias hauserat, & singuli bibere cogebantur.

℣. 12. Cohors et Tribunus (28) comprehensum Jesum vinxere, cum ipse vinciri voluit. Satis multa omnipotentiæ suæ argumenta exhibuerat Christus: I. verbi unius vi omnes sternens: II. auriculam Malcho restituens; ut discerent, se ab iis comprehendi, quod constitutum sibi tempus adesset, idque ipsum sibi placeret. *Cohors* e quingentis vel sexcentis militibus coalescebat; Tribunus dux erat Legionis unius, e sexcentis supra sex millia militum compositæ; vel tantum dux Cohortis. At probabile non est, ingentem adeo militum manum ductam fuisse, ut comprehenderetur Christus; ac fortasse pars duntaxat Cohortis selecta est, Tribunus vero hujus manus ductor erat.

℣. 13. Ad Annam primum, socerum Caiphæ, herum domus, in qua gener Caiphas habitabat (29), cœtusque Sacerdotum ac Seniorum habitus est adversus Jesum. Annas, tamquam herus ædium, primum ad se vinctum arcessivit. Cæterum maxima erat Annæ inter Judæos authoritas, quippe qui Pontificatum diu tenuit, & inaudito inter Judæos felicitatis exemplo, quinque liberos habuit, Pontificatu potitos (30); ipsoque hoc tempore generum suprema ea dignitate fulgentem intuebatur. Fortasse is tunc temporis Synedrio præerat; cujus muneris authoritate, reum ad se arcessere poterat. Quidquid sit, pluribus habitis ad Jesum de ipsius Discipulis doctrinaque quæstionibus, illum remisit ad Caipham, apud quem Sacerdotes multi convenerant, exitum moliminis & sitineris satellitum expectantes.

Sunt qui censeant (31), Jesum a Juda cæterisque satellitibus ductum fuisse primum ad Annam idcirco, quod hic argenteos triginta, pactam proditionis mercedem, Judæ promiserat; Judam vero, accepta pecunia, prosequi ulterius Christum neglexisse. Neque certum, neque probabile.

Erat Pontifex anni illius. Ut Jo. xi. 49. vidimus, Pontifices ea ætate, non, uti olim, ad totum vitæ spatium creabantur; sed illos Præses pro arbitrio exauthorabat.

℣. 14. Erat autem Caiphas, qui censuerat, expedire, hominem unum pro populo universo mactari, supra 11. 49. 50. Quamobrem a sententia ferenda in Christi causa erat excludendus: præest tamen judicio, ac mortis sententiam in Jesum pronunciat. Diserte non tradit Joannes, Jesum ab Anna ductum esse ad Caipham, plerique tamen Interpretes ajunt, statim ac Christus oblatus est Annæ, ductum fuisse ad Caipham, ubi ea contigere, quæ leguntur in consequentibus. Nonnulli etiam (32) putavere, sententiæ hujus loci deesse aliquid; quamobrem supplent ista, quæ a S. Cyrillo recitantur (33): *Miserunt igitur eum vinctum ad Caipham Pontificem*. Hæc tamen additio aliis (34) neque necessaria videtur, neque unius Cyrilli authoritate satis probata, ut, repugnantibus cæteris Textibus Versionibusque, hoc loco excipiatur. Cæterum alienum non est, quod Annas Jesum, antequam ad Caipham mitteret, nonnulla de ipsius doctrina Discipulisque interrogaverit.

℣. 15. Alius Discipulus. S. Hieronymo (35), S. Chrysostomo (36), ac deinde Theophylacto aliisque (37), alius hic Discipulus Joannes ipse creditur. Consentiunt Recentiores quidam (38), eo præsertim freti, quod unus hoc narrat Joannes, ipseque de se ceu de alio agere soleat; denique quod Græcus ferat (39): *Ille alius Discipulus*, veluti Joannem significet, qui fere semper alibi Petro comes legitur. Pontifici notum putat S. Hieronymus, ob familiæ nobilitatem; Nonnus, ob piscatoriam; alii apud Lyranum, ob Legis peritiam. Inanes conjecturæ.

Interpretum optimorum plerique (40) ajunt, vertendum esse Græcum ad Vulgatæ mentem: *Alius Discipulus*, non, *Ille alius Discipulus*; ubi enim sese innuit Joannes, utitur eo adjuncto, *Quem diligebat Jesus*; id quod hic omittit. Grotio valde probatur conjectura existimantium, hunc esse eum, in cujus domo Christus paulo ante cœnaverat. Negat S. Augustinus Tract. 113. in iis, de quibus nihil Scriptura, quidqam esse temere pronunciandum. Quo nihil verius in hujusmodi quæstionibus dici potuit.

℣. 16. Dixit ostiariæ. Hanc Cæsarius 9. 177. *Ballilam* appellat. Janitrices, præsertim anus, tota Antiquitate noscuntur. Ancillam Isbosetho janitricem tribuunt Septuaginta 2. Reg. 4. 5. *Sekis* ab Aristophane in Vespis dicitur janitrix. Harum meminere Homerus (41) & Euripides (42); apud quem Hecuba plorat, quod quæ regina fuerat, janitrix aut nutrix fieri deberet. Plautus Curcul. Act. 1. Scen. 1.

Anus hic solet cubitare custos janitrix.

℣. 17. Numquid et tu, &c. Hoc per antecessum describitur, quippe quod tunc denique contigit, cum ingressus Petrus, & ad ignem accedens, a cæteris agnitus est.

℣. 18. Ad prunas. Græcus ad verbum (43): *Congestis prunis*. Marcus legit (44): *Calefaciens se ad lucem*; nitidum scilicet ignem; id quod satis aperte apud Lucam habetur (45). Id gestum est medio in atrio, ubi apparitores Synedrii, & privati Sacerdotum servi versabantur. Hos plane distinguit Textus (46); militum deinceps non meminit; quos fortasse, ducto ad Annam Jesu, dimisere.

Quia frigus erat. Qui fieri poterat, cum eo tempore messis hordei in Palæstina ageretur, & maturitati proximum frumentum esset? Bidulphus, iis regionibus peragratis, narrat, sese circa Paschatis festum frigora nihilo majora ibi expertum, quam media æstate in Anglia. Idem tamen experimento didicit, posse ibi esse multum frigoris, præsertim sub noctis finem, ut igne opus sit, ob uberes roris imbres, quibus aer maxime refrigeratur. Docet ex Rabbinis Ligfootus (47), gelu in-

[28] Ἡ δὲ σπεῖρα, καὶ ὁ Χιλίαρχος, *Cohors*, & *Chiliarchus*, seu *Dux millium*. [29] Casaub. Toynard. Vide August. & Grot. [30] Joseph. Antiq. lib. 20. cap. 8. [31] Cyrill. Alex. Cornel. a Lapide hic, Tolet. Erasm. [32] Beza, Erasm. Schmid. hic; Nansius ad Nonni Paraphr. in Joan. xviii. 13. [33] Ἀπέστειλαν οὖν αὐτὸν δεδεμένον, πρὸς Καϊάφαν ἀρχιερέα. [34] Brug. Grot. Cocc. Lud. de Dieu. Vide, si lubet, Bynæum lib. 2. cap. 4. num. 8. 9. [35] Hieron. Epitaph. Marcellæ. [36] Chrysostom. homil. 83. Ita & Theophyl. hic. [37] Nonnus, & Lyr. & alii quidam. [38] Erasm. Shmid. Pisc. Menoch. [39] Καὶ ὁ ἄλλος μαθητής. [40] Grot. Brug. Tir. alii.
[41] Homer. Odyss. Ψ. Ἀπαγγεῖλαι ὁ πεῖσ' ὠραιο θύρας φυλάσσε θυλάμοιο.
[42] Euripid. Troad. v. 197. . . . Ἡ τὰν

Παρὰ προθύροις φυλακὰν κατέχουσα,
Ἢ παίδων θρέπτειρα.

[43] Ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, ὅτι ψυχρὸς ἦν. [44] Θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. Marc. xiv. 54.
[45] Luc. xxii. 55. Ἁψάντων δὲ πῦρ. [46] Οἱ δοῦλοι, καὶ οἱ ὑπηρέται. [47] Ligfoot. Hor. Hebr. in Joan. xviii. 18.

interdum & nives circa Paschatis festum esse posse in Palæstina.

℣. 19. De Discipulis et de doctrina ejus. Generatim tradunt Rabbini, judiciale nihil posse noctu exerceri. Causæ de pecunia interdiu aguntur, noctu definiri eas licet: de crimine vero neque iniri neque definiri nisi per diem possunt. Si absolutoria est sententia, eo ipso die pronunciatur; altero, si damnat; quamobrem judicia hujusmodi neque pridie Sabbathi, neque magni alicujus Festi exerceri fas est. Hæ judiciorum Leges, ex Thalmudistis (44). Jesus tamen noctu ad Pontificem rapitur, judiciali forma interrogatur, damnaturque per noctem, ipsamque Festi Paschalis noctem, ex plerisque Interpretibus, vel saltem pridie Paschatis & magnæ diei Sabbathi. Vides qui juris contemptus in Christi causa fuerit.

Veteres quidam (45) putavere, interrogatum fuisse Jesum in Annæ ædibus; id quod cum Joannis textu maxime congruit; quamquam Interpretes plerique interrogatum asserunt apud Caipham, qui de Pontificis appellatione hic designatur: tametsi hæc appellatio nihilo minus Annę quam Caiphæ conveniebat. Quæstio igitur ex Jesu habita est *de Discipulis suis & de doctrina ejus*: qua authoritate Discipulos collegerit, novam sectam instituerit, mores Legemque corrigere, novaque dogmata spargere ausus fuerit. Ista ad Pontificem pertinebant; quippe cujus erat de Doctrina, rebusque ad Religionem spectantibus cognoscere.

℣. 20. Palam locutus sum mundo, Judæis; Ethnicos enim minime docuerat. Palam tamen in Synagogis, in Templo, in triviis, in urbibus oppidisque, in agro verba fecerat, ex obviis quibusque rebus opportunitatem capiens, ut Regnum Dei nunciaret. Quamobrem si quid noxium docuisset, tot fuissent adversus illum testes, quot erant in universa regione Judæi. Nemo autem hactenus doctrinam illius reprehenderat, tametsi illum numquam non Pharisæi Legisque Doctores, undique insidiantes, obsiderent. Ex Discipulis timendum erat nihil, quippe qui se pacificos semper exhibuissent, nullius tumultus, aut levissimæ seditionis vel turbarum reos. Magistri exemplo docuerant, omnibus benefici: aliter plane quam sectarum vel seditionum authores, vel falsi Prophetæ, qui libertatem, seditionem, malamve Doctrinam suadebant, cogebantque multitudinem, ut illam deciperent.

℣. 21. Interroga eos qui audierunt. Si pro me dixero, non audies: affer testes, & loquantur: accusent aut defendant; æqua mihi aut iniqua proferant: consuetas juris leges tene: a testibus incipe (46), quorum numerus certe parvus non est, cum semper media in multitudine docuerim. Constantius aut luculentius ostendi non poterat Jesu Christi innocentia.

℣. 22. Unus ministrorum (47), apparitorum, satellitum, alapa Jesum feriit, veluti acri adversus Jesum ira, magnoque erga Pontificem obsequio. Putant Seldenus (48) & Marshamus (49), apparitorem hunc nihil in gentis suæ leges peccasse, quippe quibus facultas fit, ut injuriam Deo, Templo, genti, Pontifici publice irrogatam unusquisque statim ulciscatur: idque judicio zeli.

℣. 23. Si male locutus sum, &c. Scio scriptum esse (50): *Principi populi tui non maledices*; scio me obsequium debere Dei viventis Pontifici: at doce, me defuisse obsequio, aut male esse loquutum. Alteram genam non præbet Christus, quamquam id gerendum docuerit Discipulos Matt. v. 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Id tamen animi præparatione servavit, inquit S. Augustinus; præbuit enim *non solum alteram maxillam percussuro, sed totum corpus figendum præparavit in ligno*. Si tunc tacuisset, habitum esset silentium tamquam sceleris non admissi confessio. Magnopere autem & suæ & Paternæ dignitatis intererat, ut ipsius innocentia defenderetur. Accusatio homini, quamquam criminis reo, Judicis fides adversus alienam vim asylum esse debet.

℣. 24. Et misit eum Annas. Miserat illum Annas. Ita explicant Interpretes plerique, tametsi Textus ad verbum fert (51). *Misit eum Annas*. Vel, ex aliis Codicibus: *Misit autem eum Annas*; sive, *Misit igitur illum Annas*. Multi etiam, uti prædiximus, credunt (52), quæstionem primam subiisse Jesum apud Annam, missum deinde ad Caipham. Omnes tamen ferme Interpretes consentiunt, gesta esse apud Caipham, quæ superioribus membris leguntur; atque hunc versiculum hic insertum esse per parenthesim, ut suo loco omissa suppleantur. Nobis vero contraria probatur opinio, tamquam textui magis conveniens.

℣. 25. Negavit. Hic ponendus est primus vel alter Petri lapsus; quæ enim narrata sunt ℣. 17. per antecessum recitantur. Vide Harmoniam quatuor Evangeliorum.

℣. 27. Gallus cantavit iterum; antea enim cantaverat semel, uti ex Marco xv. 68. vidimus. Secundum hoc gallicinium a quatuor Evangelistis narratur (53), utpote illud, quo fides verborum Christi expleta est Matt. 26. 34.

℣. 28. Adducunt Jesum a Caipha in Prætorium, in Pilati ædes, quæ *Prætorium* dicebantur, ex Romanorum consuetudine; quibus *Prætoria* nuncupantur Præsidum provinciarum domus (54). Gesta apud Caipham omnia omisit Joannes; criminationes & falsa in Jesum testimonia; dictam a Caipham sententiam; contumelias Jesu a familia Pontificis irrogatas; cœtum Synedrii mane collectum, ubi iterum Jesus mortis reus pronunciatus est. Hæc, inquam, omnia omisit Evangelista, utpote a superioribus Evangelistis descripta. Jesum igitur ad Pilatum duxit universus Judæorum Senatus (55), *Synedrium* scilicet, suprema & frequentissima Judicum ejus gentis collectio. Potuere quidem hi dignum morte Jesum pronunciare; at morte illum afficere non licuit: quamobrem ad Pilatum devenere.

Erat autem mane. Jesum damnaturi, summo mane convenerant (56): neque diu duravit concilium; Jesu enim aperte confitente, se Dei Filium esse, nihil amplius quæsivere, ducto statim Jesu ad Pilatum: damnationem illius omnino persecuturi.

Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Ethnici Judæis impura gens habebantur, quicquid tangerent inquinantes. Inde orta Judæorum consuetudo, ut a foro aliove loco, in quo Ethnicus seu quivis impurus tangi potuisset, lavarentur Marc. 7. 3. Jam ab Asmonæorum ætate, sive etiam antea, definierant Sapientes: Ethnicum quemlibet, seu virum seu fœminam, haben-

dos

(44) Talmud. Cod. Sanhedr. cap. 4. §. 1. דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום .... דיני נפשות גומרין בו ביום לזכות וביום שלאחריו לחובה (45) Non. hic, & Ammon. in Harmon. Theophyl. Toynard. Harmon. (46) Grot. Lightfoot. (47) Εἷς τῶν ὑπηρετῶν. (48) Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 4. cap. 5. (49) Marsham. Canon. Ægypt. Vide & Grot. Brug. Menoch. hic. (50) Exod. xxii. 28. in Græc. Act. xxiii. 5. Οὐκ ἐρεῖς κακῶς, &c. (51) Ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας. Alii: Ἀπέστειλεν οὖν αὐτόν. Alii: Ἀπέστειλε δὲ αὐτόν. Vide Mill. hic. (52) Theophyl. hic, & alii ex antiquis. Vide & Toynard. hic, Harmon. pag. 117. Vide sup. ad ℣. 19. (53) Matth. xxvi. 74. Marc. xiv. 72. Luc. xxii. 60. (54) Cicero in Verrem, Act. v. Vide Perizon. Dissert. de Prætorio. (55) Matth. xxvii. 1. 2. Marc. xv. 1. 2. Luc. xxii. 22. 27. xxiii. 1. 2. (56) Matth. xxvii. 1. Πρωΐας δὲ γενομένης. Marc. xv. 1. Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωΐ.

dos esse, hanc quidem tanquam menstruis, illum vero seminis fluxu semper laborantes (57): In Prætorium igitur ingredi noluere Senatores ac Sacerdotes, nequem Ethnicum, militem, stationarium, servum, apparitorem, aliumve contingerent, labem ad vesperam usque relaturi (58), qua vetarentur comedere agnum Paschalem, secunda vel tertia ejus diei hora post meridiem immolandum, ac vespere comedendum.

Huic explicationi objici solet, Paschatis nomine hoc loco non modo agnum Paschalem, verum alias etiam victimas, quæ ipso Paschatis die mactabantur, significari. Si Paschalem duntaxat agnum significabat Evangelista, frustra monuit, Judæos in Prætorium ingredi noluisse, *ut non contaminarentur, & manducarent Pascha*; cum enim Paschalis agnus nonnisi vespere comederetur, labes per diem relata, vespere elui poterat balneo (59); quo servato, minime prohibiti fuissent, quin cum cæteris Pascha comederent. Id luculentissime docet Maimonides, ubi jubet (60), homines die XIV. Nisan contacto reptili immundo inquinatos [quæ labes eadem est atque ex contactu Gentili orta] vespere ablui. His etiam Pascha mactatur, illudque post solis occasum comedunt.

Alias igitur victimas ab Joanne innui necesse est, quas per diem comedere non possent, si inquinarentur. Porro *Paschatis* nomine donantur in scripturis victimæ quædam, pridie Paschatis, vel ipso Paschatis die, vel per ejus Festi octavam immolatæ; de quibus hic sermo esse videtur (61). Victimæ hujusmodi Hebræis dicebantur (62) *Chagigah*, & pridie Paschatis (63), & ipso Paschatis die (64), scilicet XIV. & XV. Nisan, mactabantur. Profecto Moyses disertis verbis ait (65): *Immolabis Phase Domino Deo tuo*, nempe *oves & boves*. Homini autem impuro iis victimis vesci nefas erat: has igitur comedere volebant Judæi, quamobrem labem sedulo vitabant.

His tamen tria reponuntur. I. Hujusmodi victimæ puriores agno paschali non erant; contactoque Gentili adhiberi poterat vespere lustratio, post quam nihil ab earum comestione prohibebat. II. Lege nulla cogebantur Judæi, victimas hasce, *Chagigah* appellatas, comedere; cum enim spontaneæ ac privatæ religionis essent, a quibuslibet immolabantur. III. Victimæ, quas Moyses *Pascha* nuncupat in Deuteronomio, eædem fortasse atque illæ apud Numeros 28. 19. 23. quæ singulis diebus octavæ Paschatis mactabantur, holocausta erant, quibus vesci nefas puris æque atque impuris erat. Quamobrem nihil ex iis colligi in hujus loci favorem potest. Neque ego inficior, hostias quoque pacificas per eos festos dies mactari consuevisse; quot quisque vellet, mactare licebat: nihil tamen circa illas certum erat, non dies, non tempus, non numerus; unoquoque privatæ religionis ac pietatis ductum sequente. Cum igitur hæc ita se habeant, credibile non est, Judæos, tam acriter exitium Jesu Christi persequentes, sese cohibituros fuisse, ut ea die comederent victimas, quas vel alia qualibet die, vel nullas gustare liceret.

Quamobrem videtur omnino Joannes hic agere de Paschali victima proprie dicta, eo ipso die in Templo mactanda, quo tempore Christus erat in cruce exspiraturus; iisque verbis, *Ut manducarent Pascha*, agni mactationem, oblationem, comestionemque significare, quæ nonnisi a puris præstari poterant. Illud etiam accedit, quod cum multi ea in multitudine Sacerdotes essent, multo magis necesse erat, hos a Prætorio abstinere, quippe qui eo ipso die solemnes muneris sui functiones in Templo essent obituri. Quamobrem favere videtur hic locus iis, qui supremum vitæ suæ Pascha a Christo celebratum fuisse negant.

℣. 29. Exivit Pilatus ad eos foras. Cum nefas illis esset, in Prætorium ingredi, Pilatus ipse prodiit, verba facturus. Romani liberam Legis ac Religionis suæ exercitationem Judæis reliquerant; cavebantque, nequid moribus suis contrarium illos præstare cogerent.

℣. 30. Si non esset hic malefactor (66), non tibi tradidissemus eum. Nisi certo liqueret, hunc reum esse, non adduceremus. Facere conantur Pilatum *executorem sententiæ, non arbitrum causæ*, inquit S. Leo (67).

℣. 31. Accipite eum vos, &c. Sunt (68) qui hæc ironice dicta censeant: Cum liquere asseratis reum esse, & iniquum putetis postulare, quo hic crimine arguatur, vos ipsi accipite, & ferte sententiam: damnate, interficite. Vulgo tamen (69) fuisse creditur indigna Pilati erga Judæos indulgentia. Cum enim de re ad Judaicas leges spectante agi existimaret, causam illis relinquendam esse censuit. Diserte non dixit: Sententiam ferte, damnate: interficite; sed ita intellexere Judæi, cum responderint: *Nobis non licet interficere quemquam*. Quid autem metuebant, permittente Pilato? Nempe invidiam multitudinis; nolebantque Jesu Christi damnationem ac mortem sibi imputari.

Quæritur hic, quo pacto verum sit, nullum tunc tempore jus vitæ necisque fuisse Judæis? Plerique Interpretes (70), Rabbinis freti (71), arbitrantur, adempta illis fuisse capitalia judicia XL. annis ante Jerosolymorum casum, eodem scilicet anno, quo occisus est Christus, anno quippe post illud parricidium quadragesimo cecidere Jerosolyma. Repugnat huic Rabbinorum sententiæ Scaliger (72), putatque id contigisse anno primo & sexagesimo ante excidium Templi, Archelao Rege Judæorum Viennam relegato, redactaque in provinciam Judæa. Scaligeri opinionem Eruditi quamplures amplexi sunt (73).

Profecto Rabbinorum opinio ex eo suspecta redditur, quod si causam ademptæ capitalium judiciorum potestatis quæras, ridiculam plane rationem reddunt (74), crescente scilicet in dies homicidiorum numero, ob impotentem latronum licentiam, cum Synedrium ea qua pollebat authoritate sævienti malo modum imponere non posset, Præsidumque vi reos ad se postulantium, sententiam ferre prohiberetur, decrevisse, loco, in quo Synedrium in Templo cogebatur, relicto, sedes alibi constituere, ne leges impune violatas cernere cogeretur.

Inde Seldenus aliique (75) collegerunt, capitalia judicia revera Judæis adempta non fuisse, sed ob causas, quas prædiximus, ab iis exercendia cessasse. Cur vero ajunt Judæi: *Nobis non licet*

(57) Vide Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 5. Maimonid. החכמים גזרו על כל הגוים הזכרים והנקבות שיהיו כזבים תמיד בין ראו בין לא ראו (58) Levit. XV. 10. 11. 19. 20. (59) Levit. XV. 10. 11. & 19. 20. (60) Maimon. de Pascha, cap. 6. sect. 1. (61) Vide Baron. Annal. ad an. cap. 34. Tolet. hic; Boch. de animal. par. 1. lib. 2. cap. 2. (62) חגיגה (63) Vide Boch. loc. cit. (64) Ligfoot. Hor. Hebr. in hunc loc. (65) Deut. XVI. 2. וזבחת זבח ליהוה אלהיך צאן ובקר (66) Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιός. (67) Leo Magn. serm. 8. in Passione. (68) Scalig. Brug. Ligfoot. (69) Vide Tolet. Brug. ex Euthym. & alios. (70) Ligfoot. Drus. Scult. hic, Casaub. in Baron. exercit. 16. Buxtorf. Lex. Talmud. pag. 514. 515. Constant. Lemper. in Rempub. Bertram. (71) Talmud. Jerosol. lib. Sanhedr. cap. 7. Talm. Babyl. Sanhedr. fol. 41. Abodah Sara, fol. 8. Maimon. in Sanhedr. c. 14. &c. (72) Scalig. Emend. in Euseb. num. 2016. (73) Drus. & Beza hic; Huet. Origenian. pag. 30. (74) Vide Selden. de Synedriis lib. 2. cap. 15. num. 10. 11. Ligfoot. Hor. Hebr. in Matth. XXVI. 3. (75) Selden. loc. cit. Cartvig. Mellific. Hebr. lib. 2. cap. 6. Ligfoot. Hor. Heb. in Matth. XXVI. 3. Lamy Concord. Evang. Apparat. Chronol. pag. 11. cap. 5.

cet interficere quemquam? Scilicet hoc tempore jus illud eadem libertate, autboritate ae fortuna, qua olim, non exercebant, tum ob Præsidnm vires, tum ob sceleftorum licentiam & multitudinem. Hæe illi, probato Rabbinorum testimonio.

Alii (76) responsionem Judæorum ita interpretantur: *Nobis nan licet interficere quemquam* crucis supplicio; ajunt enim, qnamqnam falso (77), genus illud supplicii fuisse Judæis inusitatum. Vel (78): Nobis non licet interficere quemquam die adeo solemni, nimirum in Paschate; vulgo enim hæc ipso Paschatis die contigisse creduntur; compertumque est, neminem per festos dies morte affici consuevisse (79), ex Legibus moribusque Judæorum. Denique Bynæus absolute ceafet, nefas fuisse Judæis Christum necare, qnod is majestatis reus haberetur; cujusmodi causæ ad Romanos pertinebant.

Jns vitæ necisque Judæis eo tempore fuisse, demonstrari creditnr Levitæ Stephani exemplo, extra urbem a Judæis interfecti Act. 7. r. 58. Parum absnit qnin Jesus bis in Templo lapidibus obrueretur (80). Paulus ad Cæsarem provocat, nt insensornm sibi Jndæorum vim effugiat (81). Judæorum Senatus necem Apostolornm decrevit, rem executurus, nisi Gamaliel obstitisset (82). Panlns cæterique Apostoli sæpe virgis cæsi sunt in Synagogis. Act.5. 33.

Nobis tamen cum eruditissimis (83) hæc exempla nihil probare videntnr, quippe quæ tnmultus dumtaxat popularis sunt, sive Judicii, quod Judæi Scriptores nnncupant *zeli*, cum sprета judiciornm forma, multitudo Legis violatorem subito impetu opprimebat. In hujusmodi causis Lex seu consnetudo violentos hosce impetus dissimulabat. Vel meræ sunt in hominia exitium conspirationes, accusaro eo apud legitimos Judices, & ad necem postulato. Seu denique animadversiones in reos, quæ vel flagris vel virgis absolvebantur, qnæ animadversionum genera in violatæ Legis reos ab Jndæis exerceri, non vetabant Romani (84).

Quod ad tempus ademptorum capitalium judiciorum, a Rabbinis traditum, ejnsqne rei causam attinet, ntrumque falsum existimamus. Ratio adimendi ea judicia revera hæc fuit, quod Judæa in Romanorum provinciam redacta, Romani Præsides capitales causas ad se avocavera, ob eas causas, quas nemo non divinavarit. Teste Josepho (85), Ananns Jacobum frattem seu consanguineum Jesn Cbristi, aliosqne morte damnavit: at eam idcirco temporis opportuniratem arripuit, quo tempore Judæa Præside vacabat; eo scilicet spatio, quod inter obitum Festi, & Albini adventum in Provinciam fluxit. Prærerea Josephus animadvertit, diem Anano dictum fuisse ob eam rem apud Præsidem, Regemque Agrippam, quippe quæ patriis legibus moribusque repugnaret.

℣. 32. Ut sermo Jesu impleretur. *Ut* fortasse hic usurpatnr pro, *adeo ut*; indicatque non causam, sed eventum (86). Permisit Deus, adimerentur Judæis capitalia judicia, ut ex Romanis Legibns, quæ seditionia reum in crucem agebant, cruce afficeretur Jesus, quemadmodum ipse prædixerat (87): *Cum exaltatus fuero a terra, omnia trabam ad me ipsum*. Et Matt. 20. 18. *Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum*.

℣. 33. Introivit ergo iterum in Prætorium. *Iterum* non significat, Pilatum semel antea in Prætorium introisse, sed eo rediisse, eum egressus esset Judæos allocuturus. Parriculam hanc, tamquam supervacaneam, omittunt Syrus, Græcique Codices nonnulli.

Tu es Rex Judæorum? Minime tradidit Joannes, objectum fuisse Christo crimen, quod se Regem Judæorum diceret; Lucas vero 23. 2. diserte scribit, ducto ad Pilatum Jesu, Judæos illum seditionis accusasse, ac dedisse crimini, quod tributum Cæsari exhibendum esse negaret, seque Christum Judæorum Regem diceret. Criminationia hujus causa, Pilatua Jesnm rogavit, Rex Judæorum esset, nec ne.

℣. 34. A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Ut istud quæras, mera ne suspicio & curiositas, an inimicorum accusationes te impulere? Hoc non interrogar Christus, quod ignoret. Decreverat ipse veritati quidem testimonium exhibere; at simul inanes curiosasqne quæstiones negligere. Paulatim eo Pilatum ducit, ut locum det responsioni, quam est deinde dicturus.

℣. 35. Numquid ego Judæus sum? Libera Jesu Christi responsione indignatur Pilatus. An Judæus sum, aut novi, te Regnum gentis tuæ affectare? Compertum ne mibi est, te genus e vetustis Regibus ducere? Denique, an scio, qua ratione te Regem Judæorum obtrudas? Ego ne sum Judæus? Pontifices tui te affectati Regni accusant. *Quid fecisti?* Quid peccasti? Cur te Ponrifices Proceresque gentis tuæ hoc crimine argunnt?

℣. 36. Regnum meum non est de hoc mundo. Omnino, Rex sum, & palam profiteor, neque tamen sum majestatis teus. Regnum meum tale non est, qualia mundi hujus Imperia. Neqne Cæsar, neque tu, naque gentis meæ Proceres quidquam suspicemini. Ditio mea, subditi, Regnum in Cœlo sunt: nullam in terris, nisi in animos mentesque, authotitatem exerceo. Si terrenum mihi Regnnm esset, exercitum ducerem, meamque ditionem aut defenderem, aut invasoribua eriperem. Absit tamen metus: Romanot Imperio pellere non conor. Messiam sub magni Regis imagine descripserant Prophetæ; talemque Judæi præstolabantur. Sperabant illi futurum, ut Davidis solium restitueret; atque ad verbum usurpabant ea, quæ nonnisi de spirituali Regnn usurpanda erant. Consanguinei Jesu Christi (88) Domitiano Principe rogati, ut de Christo & Regno ejus, quodnam esset, & quando quove loco existerei, rationam redderent, dixere, illud non mundanum & terrestre esse, sed cœleste & angelicum.

℣. 37. Tu dicis quia Rex sum ego. Omnino, sum Rex: vere loqueris: at ita sum, uti prædixi. Regios ortus habui, atque in terras veni, ut regnarem. Hoc ego veritati testimonium debeo; & qui veritarem amat, novir me id loqui quod est assertissimum. In Patria sinu tota æternitate regnavi, atque idcirco in tertas veni, ut spiritale Regnnm, per veritatem quam doceo, exerceam. Subditos habeo veritatis Discipulos & amatores (89): *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*.

℣. 38. Quid est veritas? Neque expectata Christi responsione, exiit Pilatus. Non veritatia amore Præses de veritate interrogat. Censent pleriqne (90), id a Pilato more illudentis quæri, ac si dicat: Quid ista est veritas? Ulla ne inter homines invenitur? Profecto ea ætate ingens erat Græ-

(76) Edmund. Merill. Not. Philolog. ad Passionem Christi; Visembarh, & Muscul. hic. Ita & Theophyl. & Cyrill. Chrysost. hom. 82. (72) Vide August. hic;
(77) Vide nostr. Dissert. de Suppliciis Hebræor. (79) Ita Maimon. & alii.
Gloss. ordin. hic. Clopembur. Epist. ad Ludov. de Dieu pag. 97. (52) Matth. 2. 57. xxvi. 34. 2. Cor. 21.
(80) Joan. viii. 59. x. 31. (81) Act. xxv. 8. 10. (83) Grot. de jure belli
24. Vide Bynæum de morte Christi lib. 5. cap. 1. num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. (84) Grot. ad Joan. xviii. 31.
& pacis lib. 2. cap. 20. §. 9. & in Act. vii. 57. Beza hic t alii.
(85) Joseph. Antiq. lib. 2. cap. 7. 2. (86) Paul. lib. 5. Sentent. tit. 12. Vide Theophylact. hic.
(87) Joan. xii. 32. iii. 14. vii. 21. (88) Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 10. (59) Chrysost. hic.
(90) Beza, Schmid. Coccei. Camerar. Bynæus, Brug. Tirin.

Græcos inter & Romanos de veritate diffidium: ac Philosophorum plerisque ceu res ab hominibus remotissima, nec nostrarum virium esse putabatur. Vel fortasse censuit Pilatus, Jesu Christi Regnum tale esse, quale Stoicus Sapiens sibi fingebat (91), in sola imaginatione consistens; ajebant enim Stoici, Sapientem solum beatum esse, Regem, eruditum (92). Quamobrem non urget Pilatus, utpote in re causæ aliena.

Nullam causam, nullum crimen: Luculentissimam audis absolutissimamque Jesu Christi defensionem. Non video verum esse crimen Regni affectati, quod huic tribuitis. Perperam intellexistis. Denique, nihil hic ad rem est; nihilque ab hisce competitoribus sibi metuit Cæsar.

℣. 39. Est autem consuetudo vobis, &c. De hac consuetudine ejusque origine egimus in Matthæum xxvii. 15. Innuit Lucas (93), necesse fuisse Præsidi, ut unum aliquem reum dimitteret. Putant Syrus, Arabs, & Interpretes nonnulli (94) morem fuisse, ut singuli rei singulis majoribus Festis Paschatis, Pentecostes, ac Tabernaculorum dimitterentur. Communior tamen opinio proprium hoc unius Paschatis decus arbitratur (95). Conjectura creditur, id monumento reparatæ ex Ægypto libertatis servatum: certaque adeo erat consuetudo, ut legis loco haberetur. Hinc Lucas 23. 17. quemadmodum animadvertimus: *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum.*

Quæritur, utrum consuetudo hæc ex Judæis orta fuerit, an a Romanis inducta. Grotius, cui eruditi quidam adstipulantur, illam e Romanis petit. Lex Mosis, inquit ille, erat absque misericordia Hebr. x. 28. nec cuiquam homini dabat ignoscendi potestatem, non Regi, non Synedrio, non populo universo. Rex Sedecias, apud Jeremiam, agnoscit, se contra Synedrii sententiam nihil posse. Apud Romanos vinctis demebantur vincula iis diebus, quibus preces publice habebantur. Imperatores mandatis Procuratorum describi jubebant, quas illi gratias concederent; nihil enim Procuratores privata authoritate concedere poterant. Quamobrem ut rem Judæis gratam facerent, permisere, ut Paschatis die, apud illos maxime omnium solemni, vincti unius vitam ac libertatem postularent. Nullum certe consuetudinis hujus vestigium apud Scripturam Judæosque historicos cernitur: utrum apud Rabbinos, nescio. Certissima tamen est, quippe ab Evangelistis quatuor disertissime tradita.

Ajunt alii (96), facultatis hujus originem penes Hebræos esse, a Romanis victoribus deinde servatæ. Ipsa Joannis verba in hanc sententiam impellunt: *Est consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha.* Porro non satis intelligitur, quid causæ esse posset Romanis, ut gratiam, quæ in ipsa urbe Roma cæterisque Provinciis minime servari solebat, ultro Judæis facerent. Quod enim scribit Grotius de vinctis solemni publicarum precum die e carcere dimissis, id omnino fortuitum erat, nulliusque diei religioni addictum. Præterea quis eam gratiam uni Paschatis diei addicere potuit, præter Judæos? Ignoscendi facultatem nemini a Lege dari, id quidem ea parte verum est; nulla enim Legis sententia occurrit, quæ eam facultatem faciat: nulla tamen prohibet, quin reo ignoscatur. Exemplo Sedeciæ illud dumtaxat ostenditur, illum animo fuisse maxime imbecilli, immodicamque Senatus eo regnante authoritatem. Idcirco autem nihil ea de re apud Historicos legitur, quod tanti momenti res visa non fuerit, ut publicis monumentis traderetur; cujus narrandæ opportunitas nisi in Jesu Christi Passione sese offerret, prætermisissent Evangelistæ.

℣. 40. Erat autem Barabbas latro, vinctus una cum sociis seditionis, inquit Marcus (97), quippe qui homicidium in tumultu fecerant. *Barabbas* est *filius patris*; nomen in Rabbinorum scriptis commune. Nedum igitur latro, verum etiam seditionis & homicidii reus. Hunc scilicet Jesu Christo prætulere. Grotio videtur *latro* hic idem significare, quod *homicida*, sicarius. Profecto ea ætate innumeris latronibus infestabatur Judæa, cruentis nimirum hominibus (98) sicariis, seditiosis. Ista explicatio Evangelistas conciliat.

---

(91) Vide Grot. hic. (92) Horat. lib. 1. Satyr. 3.

Si dives qui sapiens est,
Et sutor bonus, & solus formosus, & est Rex.
. . . .
Rumperis, & latras, magnorum maxime Regum.

Idem lib. 1. Epist. 1.

Ad summum sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

(93) Luc. xxiii. 17. Ἀνάγκην δὲ εἶχεν. (94) Beda, Schmid. Coccei. ad Matth. xxii. 15. Casaub. advers. Baron. exercit. 16. (95) Ita Interpp. plerique. Grot. ad Matth. xxvii. 15. Capell. Ep. ad Clopenb. Clopenburg. Ep. ad Lud. de Dieu; Joan. Gerard. Harmon. Evang. Ligfoot. Hor. Hebr. in Joan. alii.
(96) Tir. Bosse. in Luc. xxiii. tom. 2, Bibl. Græc. & alii non pauci. Vide Bynæ. de Christi Pass. lib. 3. cap. 5. 210. a. (97) Marc. xv. 7. H'ν δὲ μετὰ τῶν συστασιαστῶν δεδεμένος, οἵτινες ἐν τῇ στάσει φόνον πεποιήκεισαν.
(98) Vide Joseph. lib. 2. de Bello cap. 2. 22. 23.

CAPUT XIX.

Flagris cæditur Jesus; coronatur spinis; producitur ad Judæos, atque a Pilato damnatur. Crucem humeris gestat, geminosque inter latrones crucifigitur. Matrem Joanni commendat; exspirat. Crura latronibus franguntur, non item Jesu. Sanguis & aqua ex mortui latere prosiliunt. Josephus Arimathæus petit corpus Jesu, unguentis condit, & sepelit.

℣. 1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum: & dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Jesus

Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum) Et dicit eis: Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum, & dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt. 17. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha: 18. Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Jesum. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. 20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine. 21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. 22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. 25. Stabant autem juxta crucem Jesu, Mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. 26. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. 29. Vas ergo erat positum, aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. 31. Judæi ergo (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbatho, (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. 32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: 34. Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit: ut & vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. 37. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt. 38. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu. 39. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. 41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

℣. 1. Pi-

℣. 1. PILATUS JESUM FLAGELLAVIT, Romanorum more, scilicet durissime; Hebræi enim novem solummodo ac triginta virgarum ictibus cædebant reos, Legis obsequio, quæ lacerari hominem verberibus vetabat (1). Flagellavit autem Jesum Pilatus, ut aliquid iræ Judæorum daret, aut criminis confessionem ab eo extorqueret. Beda in Marc. 15. religiosius quam par est, verba Evangelistæ servans, ait, Jesum Pilati ipsius manu fuisse flagellatum. *Flagellavit*, scilicet, flagellari jussit. Ad columnam vinctus fuisse creditur, Romano more (2). Verberum numerus apud pios aliquot Divinarum rerum Contemplatores legitur: at certam hi fidem in Ecclesia non faciunt. Quamobrem a Scripturæ silentio non discedimus.

Putavere nonnulli (3), Pilatum, cum Jesum Judæis crucifigendum tradere decrevisset, prius damnasse flagellis, ex Romanorum Græcorumque consuetudine, qui crucifigendos prius flagellabant. Solemnis judicii formula erat: I. Lictor, colliga hominem, spolia, verbera vel intra pomœrium vel extra pomœrium, arbori infelici suspendito. Multo tamen probabilius est, Jesum a Pilato fuisse flagellis cæsum; ut Judæorum furor aliqua ratione exsatiaretur, ut idem Pilatus apud Lucam innuit (4): *Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam*. Præterea ex Joannis narratione colligitur, nonnihil temporis inter Christi flagra & damnationem cessisse. Matthæus certe & Marcus flagellatum narrant Jesum statim ante quam damnatum scribant (5): at rem omissam prætermissamque eo loco summatim colligunt.

℣. 2. MILITES PLECTENTES CORONAM DE SPINIS. Postquam in Corpus Christi sæviere flagellis milites, solutis vinculis, cum illum Regni affectati insimulatum nossent, dum rediret Pilatus, qui rem sibi male suspectam qualibet arte producere conabatur, ludos illum facere decreverunt, spinea corona, purpureoque amictu cinctum, ut quæsito Regno illuderent. Sedulo distinguendus est impius hic militum ludus ab altero, quem paulo post in eumdem a Pilato damnatum, sibique ad Crucem traditum, exercuere. Vide Matthæum XXVII. 27. & Marcum XV. 16.

Frustra quærere laborant Interpretes, quo spinarum genere contexta fuerit Christi corona. Alii nigra spina, alii alba; hi rubo, illi junco marino sentibus horrenti existimant. Thomas Bartholinus (6) peculiarem hac de re Dissertationem scripsit, quam, si curiosus es, vide: cæterum nihil certi hac in re est.

℣. 5. ECCE HOMO. Jesum ad Judæos producit ita fœde laceratum, & ait: En hominem, quem Regnum affectare, & cum Romanis de provinciæ hujus imperio contendere criminamini. En hominem, quem ad me rapuistis, tamquam Cæsaris inimicum, pestem Reipublicæ, seditiones serentem: hominem certe metuendum! Jam nullus esto ab eo metus.

℣. 6. ACCIPITE EUM VOS, ET CRUCIFIGITE, si fas esse putatis, innoxium necare. Nihil ego in eo reperio, ea morte dignum. Vestro id periculo facite. Enorme flagitium a me repello.

℣. 7. NOS LEGEM HABEMUS, &c. Capitalium judiciorum potestas apud Judæos non erat, uti prædiximus (7): adhuc tamen ex patriis legibus vivebant, cogebantque Præsides, ut ex legum patriarum severitate in reos animadverterent. Lege autem Mosaica blasphemi homines morte damnabantur. Levit. 24. 14.

℣. 8. MAGIS TIMUIT. Dum objecta Jesu audiit seditionis & Regni affectati crimina, fieri posse censuit, ut ex Judæorum manibus ille eriperetur; ista enim ad Provinciæ regimen & quietem spectabant; de quibus in alterutram partem decernere, penes illum erat. Hic tamen extraordinario prorsus crimine accusatur, de patria scilicet Lege, quam ipse ignorabat, de qua Senatus & concitatæ multitudinis voces repellere, periculosum erat. Nihil non illi timendum; seditio, vis, delatio ad Cæsarem. Tunc denique intellexit, Judæorum furorem nonnisi morte innocentis placatum iri, remque ad extrema quæque deventuram.

Fortasse etiam veritus est, nequem Deum, aut Deorum Filium, in terras lapsum, quales erant innumeri ab Ethnicis inter Deos habiti, imprudens occideret (8). Ita Act. 14. Lycaones, visis prodigiis, quæ a Paulo & Barnaba gerebantur, accessere cum victimis, Deos in terram conspicuos descendisse dictitantes: Barnabam autem Jovem, Paulum vero Mercurium appellabant. Nabuchodonosor pariter, cum adolescentes tres in fornace, mediumque illorum alterum augustiori forma conspiceret Dan. 3. 24. quempiam Deorum Filium videre se ratus est.

℣. 9. UNDE ES TU? Qui tibi pater? quæ mater? quod genus? quæ origo? E Diis ne, an ex hominibus, vel semideus aliquis? Regio ne genere, atque ex priscis provinciæ hujus Regibus satus? Cum vero Pilati mens par non esset percipiendis iis, quæ respondenda erant, siluit Jesus. Assequi non poterat Ethnicus divinæ generationis mysterium (9). Præterea noverat Jesus iniquum Pilati animum, sese Judæis tradere paratum. Inutile fore noverat quicquid ipse responderet aut diceret.

℣. 11. NON HABERES POTESTATEM ADVERSUM ME ULLAM, nisi tibi me tradi permitteret Deus. Quamobrem ne viribus tuis glorieris, aut minis tuis me terreri existimes. In tua Judæorumque potestate sum, quia & ipsi mihi, & Cœlesti Patri libitum est. Gravissime quidem peccas, dum authoritate abutens aut innocentem damnas, aut causæ illius æquitatem ab injuria non defendis: multo tamen gravissime peccavere Judæi, tradito me tibi (10), & Judas, qui me Judæis prodidit. Tu mihi judex, illi accusatores, at & illis & tibi Judex invisibilis est, judicando formidabilis. Aliqua ignorantiæ tuæ excusatio est; furori illorum nulla.

℣. 12. QUÆREBAT DIMITTERE EUM. Nihil non movit Pilatus, ut Jesum potestati Judæorum subduceret. Quinquies in id conatum narrant Evangelistæ (11). At injustitiæ in finem usque non restitit. Cum audiit, se Cæsaris amicum non esse, si hominem dimitteret, utpote seditiosum, Regnique affectati reum, tum vero manus dedit. Veritus est, ne ipse proditionis insimularetur, ac seditiosis turbulentisque favere diceretur. Noverat ingenium Tiberii; suspicax maxime & meticulosum; intelligebatque, eo imperante, minima quæque in crimen majestatis venire levissimis suspicionibus, pœnasque de iis severissimas exigi (12).

℣. 13. SEDIT PRO TRIBUNALI, &c. *Lithostrotos* Græca vox est, sonans *pavimentum ex lapide*, proprie

(1) Deut. XXV. 3. *Ne fœde laceratus ante oculos tuos frater tuus abeat.*
(2) Prudent. Diptych. XLI. *Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ*
Adnexus tergum dedit, ut servile, flagellis.
(3) Hieron. in Matth. XXVII. *Sciendum est, Romanis eum legibus ministrasse, quibus sancitum est, ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur.* Ita Varab. Drus. hic; Bynæus, de morte Christi lib. 3. cap. 4. num. 5.
(4) Luc. XXIII. 16. & 22. Vide Hammond. ad Luc. XXIII. 10. Grot. hic. (5) Matth. XXVII. 26. [illegible]. Ita Marc. XV. 15. (6) Barthol. Hypomn. 3. de Corona Christi spinea. (7) Sup. XVIII. 31. (8) Grot. Brug. Bynæus. (9) Grot. Brug. (10) Grot. Brug. alii. (11) Luc. XXIII. 4. 15. 20. 22. Joan. XIX. 4. 12. (12) Grot. Brug. Vide Tacit. Annal. lib. 1. c. 72. 73. 74. Sueton. in Tiber. c. 58. Senec. de Benef. lib. 3. c. 26.

prie tamen marmore nobili, arte dispofito; denique opere mufivo (13). *Gabbatha* Syriace (eam quippe linguam Novi Teftamenti Scriptores Hebraicam appellant) eft editus locus; fortaffe quod locus, in quo Pilatus tribunal extra domum erigi juffit, editus effet, ac lapide ftratus. Ideirco autem hic erigi tribunal juffit, ut Judæorum Religioni aliquid indulgeret, aulam ingredi renuentium, ne inquinarentur; ibique fedit, ut fententiam judiciali forma in Chriftum pronunciaret (14); aliter enim non folebant Judices, prætertim ubi de crimine aut gravi re ageretur.

Critici quidam, veluti Cafaubonus (15), Seldenus (16), & Ligfootus (17) conjectavere, *Lithoftroton* effe aulam ipfam, in qua Synedrium cogebatur, intra Jerofolymitani Templi fepta; renuentibufque Judæis in Pilati prætorium ingredi, Præfidem ipfum fe contuliffe in aulam, quam Judæi Scriptores *aulam lapidis cæfi* nuncupant (18). Narrant profecto Rabbini quidam (19), hanc in aulam rediiffe Sacerdotes, ut capitalem fententiam in Jefum dicerent. Animadvertunt iidem, ovatam fuiffe ejus aulæ formam, ut dimidia illius pars intra Templum, altera extra illud porrigeretur. Intra pofteriorem hunc fediffe Pilatum putant.

Hæc tamen opinio nullam veritatis fpeciem præfert. Rabbinicis hi fententiis plus nimio deferunt, Judaicæque eruditioni immodice indulgent. Quis credat, Pilatum, Ethnicum hominem, hac in aula fediffe, ut fententiam pronunciaret? Nonne diferte Joannes teftatur, Pilatum, ducto in Prætorium Jefu, fediffe pro tribunali, at in quodam ædium fuarum loco, *Gabbatha* Hebraice appellato? Si in aula Synedrii fediffet Pilatus, non diceret Joannes, illam Hebraice nuncupari *Lafchetbagazith*, quemadmodum Rabbinis placet? Quis Rabbinorum eam *Gabbatha* nominavit? Rem animadverfione ita dignam, Pilatum nempe ex ædibus in Templum migraffe, eoque ductum Jefum, ut capitalem fententiam audiret, neglexerint Evangeliftæ, qui vel minimos Paffionis eventus accuratiffime defcripfere?

℣. 14. Erat autem Parasceve Paschæ. *Parafceve* Græce eft *Præparatio*. Defignabatur eo nomine feria fexta, quod ea die cibi pararentur in Sabbathum, qua die cibos parari vetabat Lex Exod. 16. 5. Hæc plerumque abfolute dicitur parafceve, feu parafceve Sabbathi: hic autem *parafceve Pafchæ* appellatur, quod hoc anno in Pafchatis pervigilium competeret (20). Qui Chriftum ipfo Pafchatis die necatum arbitrantur, ajunt, *parafceven Pafchæ* effe feriam fextam, quæ in ipfum Pafchatis diem, vel intra illius octavam incidit. Quæ tamen explicatio contrariæ fententiæ affertoribus coacta videtur, eoque tantum fulta, quod Chriftus legitimum Pafcha cum Judæis cæteris pridie mortis fuæ comediffe credatur: quam quidem fententiam multis impugnatam, ægre defendi illi exiftimant.

Hora erat quasi sexta diei, circiter nempe meridiem. Græci Codices nonnulli legunt, *hora tertia*, uti habet Marcus 16. 25. Hoc ipfum prætuliffe ajunt autographum Joannis, Ephefi ad quartum fæculum ufque fervatum. Quæ fi vera fint, jam conciliandi utriufque Evangeliftæ labor auferetur, quam in rem noftras ad Matthæum 27. 45. conjecturas dedimus. Accipe hic alteram, Criticis nonnullis (21) probatam. Evincunt hi, diem apud Romanos a nocte dimidia incipere confueviffe (22). Fortaffe igitur Joannes, Chriftum hora fexta damnatum tradens, Romanam diei incipiendæ rationem, Hebraicam, qua dies ab ortu folis inibatur, fequutus eft Marcus, ubi hora tertia id contigiffe defcribit. Hæc tamen fententia defendi nequit, duplici ex caufa: I. quod Romani, Evangeliftarum ætate, eum morem non fequerentur, noftrique Evangeliftæ horas nunquam non ex Judæorum confuetudine ufurpent: II. quod, ea, licet admiffa, diffidium horarum Joannem inter & Marcum minime auferatur; fexta enim Joannis hora cum fexta apud nos matutina, tertia vero Marci cum nona apud nos item matutina congruent.

Ecce rex vester: uti videtur, εἰρωνικῶς. En hominem, quem verebamini tamquam peftem Imperii. En Regem Judæorum, quem, citra Cæfaris offenfionem, dimittere non licuit (23). Congeftas ab illis accufationes in ludibrium torquet, illud enixe conatus, ut Jefum liberet.

℣. 15. Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Inconfiderata, & mali ominis verba, quibus fe ipfe damnavit populus, qui nullum fibi Regem effe, præter Deum, feque nulli unquam ferviiffe gloriabatur (24): *Nemini fervivimus unquam*.

℣. 16. Tradidit eis illum, ut crucifigeretur (25), lotis antea manibus, ut innueret, Chrifti mortem fibi non effe adfcribendam. Vide Matthæum XXVII. 24. Manuum lotionem, & contumelias injuriafque, quibus milites Jefum fibi traditum a Pilato ad fupplicium affecere, prætermittit Joannes. Vide Matthæum XXVII. 26. 27. &c. & Marcum XV. 16. 17. &c.

℣. 17. Exivit bajulans sibi crucem. Silet Joannes, quid in itinere contigerit, cum Jefus cruciatibus feffus, ac ferendæ cruci impar, vel totam vel ejus partem tradere coactus eft Simoni Cyrenæo, ut eo opem ferente geftaret. Vide Matthæum XXVII. 3. & Marcum XV. 21. Calvaria mons eft ad occidentem Jerofolymæ. *Golgotha* Syriace calvariam fonat. Ut alibi animadvertimus, apud Romanos plerumque a militibus rei fupplicio afficiebantur. Compertum eft etiam, reorum fupplicia apud Hebræos extra urbis pomœria exigi confueviffe. Denique ex Romanorum more mortis fuæ inftrumenta reus ipfe geftabat. Singula hæc exemplis comprobantur (26).

℣. 18. Ibi crucifixerunt eum. Bafilides Alexandrinus, Hæreticus, qui fæculi fecundi initio floruit, feque auditorem Glauciæ, Interpretis Petri Apoftoli, fuiffe gloriabatur, negabat cruci affixum fuiffe Jefum, fed illius loco Simonem Cyrenæum, qui opem ferendæ cruci contulerat; mutatifque a Jefu utriufque formis, Simonem a Romanis pro Jefu exiftimatum, fuiffe in cruce fufpenfum (27); fpectante interim Jefu ac ridente illorum quidem errorem, hujus vero cruciatum; ac denique in Cœlum profecto. S. Epiphanii ætate, ipfo tefte, nonnulli adhuc erant Bafilidis affeclæ. Idem ferme tradit Muhammedes (28); ne-

(13) Plin. lib. 36. c. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithoftrota expulere eam* . . . Idem: *Lithoftrota cœptavere fub Sylla, parvulis arte crufiis*. (14) Grot. hic; Meryll. Not. Philol. in Paffion. Chrifti n. XV. in Joan. Bynæ. de Paff. l. 3. c. 4. n. 50. (15) Cafaub. in Sueton. Jul. Cæfar. c. 45. (16) Selden. de Synedr. l. 2. c. 13. § 4. (17) Ligfoot. Hor. Heb. hic. (18) לשכת הגזית (19) Tezipha, Gem. Babyl. tit. Sanhedr. c. 4. fol. 32. (20) Apud Rabbinos fingulis majoribus Feftis fuum eft pervigilium, feu parafceve. Vide Bynæ. de morte Chrifti lib. 3. c. 4. art. 35. (21) Cleric. ad Hammond hic; Lud. de Dieu, ad Marc. XV. 25. (22) Aul. Gell. noct. attic. lib. 3. c. 2. Cenfor. de die natali c. 23. (23) Theophyl. hic, Tolet. Brug. Camerar. (24) Joan. VIII. 33. Vide Grot. hic. (25) Græci Codices hic diffident: alii enim ferunt: *Tradidit eis illum ut crucifigeretur. Sufceperunt autem Jefum, & eduxerunt*. Nonnulli addunt: *Eduxerunt ad crucifigendum*. Addunt alii: *In Prætorium*. Ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ πραιτώριον. Alii, ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ Πραιτώριον. Hujufmodi tamen additiones meræ funt gloffemata. (26) Hæc fufius vide apud Bynæum, de Chrifti Paffione l. 3. c. 5. art. 3. 4. 5. 6. & fequ. (27) Iren. lib. 1. contra hæref. c. 23. Tertull. de Præfcript. c. 46. Epiphan. hæref. 24. (28) Alcoran. Azoara 2.

negantque Muhammedani, Christum revera Crucis supplicio interfectum, & vix in imagine crucifixum fatentur. Solus tamen hic Joannis locus eam sententiam satis evertit.

CUM EO ALIOS DUOS. Latrones ab Evangelistis dicuntur (29), ejusdem farinæ ac Barabbas, seditiosi, sicarii, obvios quoslibet spoliantes cædentesque. Horum medius suspensus est Jesus, tamquam nequissimus, uti quidem milites existimabant; sive ludibrii causa, utpote qui ambitiose Regnum affectasset: medius enim locus apud Romanos honestissimus.

℣. 19. SCRIPSIT ET TITULUM, quem fastigio crucis imposuit, ex Romanorum Græcorumque consuetudine; apud quos vel reus ipse tabulam damnationis suæ gestabat, vel tabula furcæ affigebatur, vel denique præcedens præco mortis causam vulgabat (30). Cum Pilatus Christum damnasset invitus, inscriptione ipsa iram ostendit; noverat enim Judæos ægre laturos, quod Jesus Judæorum Rex diceretur: at hoc ipsum volebat Præses, eorumque expostulationes neglexit. Inscribi volebant Judæi: *Jesus, qui se Regem Judæorum dicit*; vel, *Jesus falso habitus Rex Judæorum*. ℣. 21. At mutare noluit Pilatus, responditque: *Quod scripsi, scripsi*. ℣. 22. Quod scripsi, ratum esto. Cautum est lege, ne sententiæ semel pronunciatæ manus iterum inferatur (31): illa autem inscriptio ceu tabula erat sententiæ in Jesum dictæ (32). Nihil tamen prohibebat, quin levis aliqua saltem verborum mutatio fieret, si vellet Præses (33). Pilatum describit Philo hominem in decreto pertinacem, durum, inflexibilem, sententiæ tenacissimum (34).

℣. 23. ACCEPERUNT VESTIMENTA EJUS, ET FECERUNT QUATUOR PARTES. Rei supplicio affecti vestes ministris supplicii cedebant. Pallium ac tunicam habebat Christus. Pallio quatuor in partes scisso, dataque singulis parte, quæ non inutilis esse poterat, cum pallium pannus esset quadratus, & satis amplus; tunicam, uno contextu elaboratam, scindere noluerunt, quippe cujus partes usui nulli essent futuræ. Quamobrem sortiti sunt, quis illam haberet. Ita Christus nudus omnino in Cruce pependit (35). Ita communior docet opinio, quamquam altera patronis non caret, uti vidimus in Matthæum.

TUNICA INCONSUTILIS, cum nulla sutura jungeretur, scissa non est. Quæ tunicæ hujus texendæ ratio fuerit, id negotium Interpretibus fecit. Credidere quamplures (36), manicatam tunicam uno contextu elaborari non posse. Illam Salmasius acu consutam censuit, at carentem fibulis, quibus in utroque humero adstringeretur; cujusmodi fibulis instructum erat quoddam veterum tunicarum genus, quas scissiles nominabant. Salmasio subscripsit Gerardus Joannes Vossius (37). Creditur aliis (38) eo artificio consuta, ut sutura minime perciperetur. S. Chrysostomus (39), Theophylactus hic, Theophanes (40) compositam existimans e panno duplici simul juncto, non sutura, sed textura, quali ferme tibialia nostra texuntur. Duplicis autem panni oræ laneo filo ita jungebantur, ut unico textu constare viderentur. Chrysostomum totidem verbis exscribit Theophylactus, ut solet. Illud solummodo addit, veteres in eam rem usos *συνεχοντων*, quodam nimirum latentis suturæ genere, quo geminæ panni oræ invicem admotæ ita continuantur, ut sutura non appareat. Ita idem Salmasius in Notis ad Achillem Tatium interpretatur (41).

Ajunt alii (42) contextam reticulatim acubus grandioribus, uti apud nos tibialia laneique pileoli. Ita usurpasse videntur Euthymius hic & S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 74. quorum postremus tradit, inopes in Galilæa, ipsius ætate, uti consuevisse quodam interulæ genere, a summo ad imum opere continuo contextæ.

At Braunius de vestitu Sac. Hebr. l. 1. c. 16. aliique contendunt, Jesu Christi tunicam neque vulgari neque latente sutura junctam, neque acubus confectam, sed ad textrinam fuisse elaboratam. Docent hi, Veteres calluisse artem conficiendi ad textrinam vestes, quavis magnitudine ac forma. Nonnullas a superiori parte texere incipiebant; cujusmodi erat Christi tunica, *desuper contexta per totum*. Hæ Priscis *tunicæ rectæ* appellabantur. Plinius l. 8. cap. 48. *Caja Cæcilia*, Prisci Tarquinii Regis uxor, *prima texuit rectam tunicam*; ita fortasse dictam, quod a stantibus texeretur. S. Isidorus Orig. l. 19. c. 22. *Recta vestis, quam sursum versum stantes texunt*. Hujus generis tunica erat Pontificis, a Moyse, Josepho, Philone descripta (43). Suturarum expers, corpus totum velabat, in superiori tantum parte veluti ore quodam patens, qua caput insereretur. Illam Moyses diserte *opus textoris* nuncupat.

Braunius, qui omnia ad hanc rem spectantia penitus excussit, asserit, apud Orientales nonnullos adhuc servari artem, qua tunicæ ad textrinam opere continuo elaborantur. Batavos aliquot amicos enumerat, apud quos ejusmodi tunicæ visebantur; quarum unam ipse etiam curiose emit. Præterea textrinam earum vestium fabricari jussit, ad quam elaboratæ sunt tunicæ manuleatæ, atque omnino similes illi, qua uti potuit Christus: ut post luculentam adeo enucleationem nullus dubio locus sit, an ita usurpari debeat hic locus.

Vetusta traditione receptum est, Jesu Christi tunicam ab ipsa Virgine illius parente fuisse contextam. Olim profecto fœminæ telas vestesque tum in suos ipsarum, tum in viri natorumque usus conficiebant. Id mulieris fortis exemplo didicimus Prov. 31. 13. Alexander Magnus veste utebatur, a matre ac sororibus elaborata (44). Augustus (45) & Carolus Magnus (46) vestes ferebant, ab uxore filiabusque confectas. Anna, Samuelis mater, suis ipsa manibus filii tunicam texuit 1. Reg. 2. 18. Queritur S. Chrysostomus, quod mulierum suæ ætatis deliciæ vestium texendarum ac telæ artem ad viros transtulerint (47). Vulgo fertur, Jesu Christi tunicam eadem semper fuisse, quam Virgo mater puero texuit, cum eo simul aucta, nec unquam detrita, quemadmodum Hebræorum vestes in solitudine. Nullo fundamento nixa credulitas.

℣. 25. MARIA CLEOPHÆ. Cleopham patrem fuisse

(29) Matt. xxvii. 38. Marc. xv. 27. (30) Vide Bynæ. de Passione lib. 3. c. 6. num. 12. 17. 18. (31) Digest. lib. 42. tit. 1. de re judicata; lib. 45. Acta; & ibid. lib. 51. Judex. (32) Apulej. Florid. lib. 1. *Proconsulis Tabella sententia est, quæ semel lecta, neque augeri littera una, neque minui potest; sed utcumque recitata, ita provinciæ instrumento refertur.* (33) Merill. Not. in Pass. Christi n. 29. in Joan. Bynæ. l. 3. c. 8. art. 21. Niquet. hist. tituli S. Crucis lib. 1. 2. 22. alii. (34) Philo, Legat. ad Cajum. (35) Ambros. lib. x. in Luc. Hesych. homil. de S. Andrea; August. de Civit. Dei lib. 12. cap. 2. & contra Faust. lib. 12. c. 23. Bonav. Meditat. de vita Christi; Salmas. de Cruce; Ger. Joan. Voss. Harm. Evang. Brug. hic; Casaub. Bynæus, alii. (36) Salmas. in Vopisc. vit. Aureliani c. 46. Casaub. exercit. in Baron. xvi. num. 117. (37) Ger. Joan. Voss. Harm. Evang. l. 2. c. 8. § 2. (38) Merus in not. ad Jes. LIII. p. 153. 154. (39) Chrysost. in Joan. homil. 85. (40) Theophan. Cerameus, homil. in Pass. Domini. (41) Salmas. in Achill. Tat. p. 833. 834. (42) Casaub. contra Baron. exercit. 16. Ferrar. de re vest. p. 2. lib. 3. c. 18. Grot. hic. Heins. Arist. 5. (43) Vide Exod. xxxix. 27. Joseph. Antiq. lib. 3. c. 8. Philo serm. 2. de Monarchia. (44) Qu. Curt. lib. 5. (45) Sueton. cap. 73. (46) Eginhard. vita Caroli Magni. (47) Chrysost. homil. 34. in prior. ad Corinth.

Mariæ Cleophæ, Veteres ferme omnes consentiunt. S. Epiphanius hær. 78. cujus opinionem tuentur Græci, ait, fratres fuisse Josephum Deiparæ virum, & Cleopham. Cleophas Mariam, quæ hic tamquam illius filia scribitur, generavit. Aliam hac de re traditionem reliquit Theophylactus in Matt. 13. 56. Cleopha Josephi fratre absque liberis defuncto, viduam illius uxorem a Josepho ductam, ex qua ille quatuor liberos, Domini fratres in Evangelio nuncupatos, & filias duas tulit, Salomen, & Mariam filiam Cleophæ; quippe filiam Cleophæ ex Lege, quamquam a Josepho generatam. Censent alii, & mihi quidem probabilius, Cleophant virum fuisse Mariæ, Sororis Deiparæ, Jacobi Minoris patrem. Vide nos in Lucam xxiv. 13. Toynardo (48) Joachim pater Deiparæ, & Cleophas fratres fuisse, & filii Mathat existimantur. Joachim Mariam Deiparam, Cleophas Mariam Alphæi uxorem tulit (49). Meræ in hac re conjecturæ.

℣. 26. Mulier, ecce filius tuus. Matrem Jesus absolute *mulierem* nuncupat, non contemptus causa, sed obsequii, vel amoris gratia (50). Apud Hebræos *mulier* frequenter idem sonat ac apud nos *Domina*. Compellat autem

. . . . . *Matrem sine nomine matris,*

Ne materna pium crucient viscera natum (51).

Interpretes plerique ex eo, quod Jesus matrem Discipulo commendet, Josephum tunc in vivis non fuisse colligunt: quæ opinio generatim apud omnes ferme obtinuit. At S. Ambrosius in c. 28. Lucæ & Scriptor vetus quidam (52) Josephum tunc superstitem ponunt.

℣. 27. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua (53). Mariam Joannes uti matrem coluit, enutriit, domi suæ habuit, dum in Palæstina moratus est; eamque una Ephesum duxit, ubi illa sanctissimam animam egit, ex Patrum Ephesinorum sententia (54). Alii Mariam Jerosolymis sepultam asserunt (55). Aptus non est quæstioni huic locus: satis esto animadvertisse, communi sententia illam existimari, reliquum vitæ apud Joannem Evangelistam egisse, quamquam aliter visum est S. Epiphanio hær. 78.

℣. 28. Ut impleretur Scriptura, dixit: Sitio. Messiam se esse, nedum ex generalibus vaticiniis, verum etiam ex peculiaribus docere voluit Jesus. Neque ea tantum explevit, quæ disertissime ac proprie ad Messiam spectabant, sed & ea, quibus ad verbum & ex historiæ fide magnus aliquis Veteris Testamenti vir, & Messias, tamquam is in quem vaticinia omnia collimabant, respiceretur. Nulla unquam nimia Divinitatis suæ argumenta proferre poterat, neque nimis probare, se esse Messiam. Dixerat Author Psalmi lxviii. 19. sese a furentibus inimicis felle & aceto potatum. Prævidens igitur Christus futurum, ut gustandum sibi acetum porrigerent, se sitire clamavit; statimque per fustem ex hyssopo oblata illi est spongia aceto madens, quo illius sitis recrearetur. Sitim effecerant labor, dolor, vires exhaustæ, diei æstus, sanguinis effusio. Patientia, qua cæteros cruciatus tulit, luculento satis argumento est, ipsum non sitis impatientia potum postulasse, sed desiderio explendi vaticinia, docendique, sese extrema omnia in corpore experiri.

℣. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum, fortasse ob potionem militum, qui acto in crucem Christo custodias agebant, ne a quoquam demitteretur. Consueta militum Romanorum potio acetum erat (56), uti neminem latet; neque ullus dubio est locus, quin milites cibos potumque in montem detulerint, cum tota illic die manendum intelligerent. Vide nos in Matthæum xxvii. 48.

Hyssopo circumponentes. Matthæus 27. 48. diserte notat, spongiam fusti seu calamo cujusdam plantæ impositam. Hyssopum fuisse, tradit hic Joannes (57). Hyssopus fortasse altius in Judæa proveniebat: ac profecto si ex nonnullis ejus regionis leguminibus atque arbusculis capienda est conjectura, mirum non videbitur, si hyssopus ad aliquot proceritatis pedes pervenisse dicatur. Si fides Arabum Scriptoribus sit, montana hyssopus in Arabia ad arbusculæ altitudinem crescit. Hanc certe Scriptura inter arbores enumerat, ubi ait 3. Reg. 4. 33. Salomonem de omnibus arborum generibus disputasse, a cedro usque ad hyssopum. Septem hyssopi genera agnoscunt Hebræi; ex quibus unum in ciborum & ignis usum cæditur (58), aptumque est, quo frondentia tentoria per solemnes Tabernaculorum dies operiantur (59). Kimchi *origanum* inter hyssopi species recenset. Origanum porro in Palæstina interdum ad arbusculam satis editam provenit. Sinapi, teste Evangelio (60), ad arboris altitudinem crescit; idque exempla ex Josepho & Rabbinis confirmant. Vide nos in Matthæum xiii. 31.

Rei in crucem acti, non ita sublimes a terra tollebantur, uti vulgo existimatur (61). Plerumque nonnisi duos vel tres pedes ab humo aberant; ut justæ proceritatis homo, porrecto brachio calamum pedis unius ac semis ori pendentis admoveret. Frustra igitur Critici quidam Joannis textum corrigere ausi sunt, & pro *hyssopo* legunt *hysson*, pilum, uti Camerarius (62); vel *aisypon*, lanam sponte fluentem ex ovibus, qua leniebantur vulnera, ut Heinsius (63), vel *hyssoton*, venabulum, hastile, pilum, ut idem Heinsius: seu denique perperam dixere cum Bocharto (64), Gerardo Joanne Vossio (65), Ludovico de Dieu (66) aliisque, calamo impositam spongiam cum hyssopo, sive hyssopo vinxerint spongiam, sive junxerint hyssopum spongiæ, ut languentis animus revocaretur. Has tamen emendationes, nullius Codicis authoritate firmatas, inventasque idcirco dumtaxat, ut difficultas minime vera tollatur, abjicimus; quibus etiam rejectis optime conciliantur Evangelistæ, & explicantur.

℣. 30. Cum accepisset acetum, gustasset, bibisset, dixit: Consummatum est. Explevi omnia quæ imperavit Pater (67), satis justitiæ illius feci; quidquid Prophetæ prædixere, meique muneris fuit, absolvi. Vide apud cæteros Evangelistas reliqua ad Christi obitum spectantia, quæ siluit Joannes, ne ab aliis descripta repeteret.

℣. 31. Ut non remanerent in cruce corpora sabbatho. Sanxerat Moyses, ut interfectorum corpora e cruce detraherentur ante vesperum

(48) Toynard. Notis in Harm. p. 155. (49) Filia Cleophæ. Ita Arab. Grot. Lud. de Dieu. (50) Cocce]. hic, Buxtorf. Lexic. in [illegible] (51) Joan. Bapt. Mantuan. (52) Author de Passione Domini, inter opera Cyprian. (53) Ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς εἰς τὰ ἴδια. Syr. Castal. *apud se*, Bez. Pisc. *In domum suam*. Ita Grot. Fuller. alii. Nonnus: Εἰς δόμον οἰκεῖον. (54) Concil. Eph. 1. Ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης καὶ ἡ παρθένος ἡ ἁγία Μαρία. (55) Baron. anno 48. Vide Tillemont, Note 14. sur la sainte Vierge. (56) Vide Merill. Not. Philol. in Passione Christi; Vissembach Not. Nomic. Philol. in Passion. Christi; Bynæum de Pass. Christi lib. 3. c. 8. n. 7. 8. (57) Ita Orig. in Matt. Salmas. de Cruce p. 311. 321. &c. Idem de Homonym. Hyles Iatricæ cap. 19. Grot. ad Matt. xxvii. 45. Boclovic. Ep. ad Thom. Barthol. Joan. Gerhard. Harm. Evang. c. 17. Bynæ. de Pass. Christi p. 3. cap. 8. art. 17. (58) Parah, Halac 7. (59) Succah, fol. 13. 1. (60) Marc. iv. 32. Matt. xiii. 31. (61) Vide Lips. de Cruce. (62) Camer. hic: ὑσσῷ. Ita Sylburg. Not. in Nonnum; Boisius Collat. Veter. Interp. cum Beza hic; Ferrar. Ep. 88. alii. (63) Heins. Arist. p. 95. (64) Boch. de animal. sacr. part. 1. lib. 2. c. 50. (65) Harm. Evang. lib. 2. c. 8. (66) Lud. de Dieu. in Joan. 19. Vide Tolet. Menoc. Tir. (67) Joan. xvii. 4. *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.*

ram Deut. xxi. 22. Aliter solebant Romani, quibus solemne erat, reos in cruce spirantes relinquere, dum sponte morerentur, mortuosque non detrahere, nisi cum visum esset. Interdum miseri illi vitam ad totam amplius diem in cruce producebant (8); ac frequenter diu post mortem cadavera detrahebantur. At Judæi plerumque reos in crucem non agebant, nisi elisis faucibus, aut lapidibus confectos; neque una amplius die pendere patiebantur. Dum inhumatum est corpus, vota pro defuncto facere non licet, publicis in precibus illius meminisse, ejusve nomen in mortuorum catalogo describere.

Videntur Judæi passuri fuisse, ut Romani morem suum erga Christum sociosque supplicii servarent, neque illorum corpora detrahi curaturi, nisi Pascha & Sabbathum, in alterum diem incidens, intercessisset. Quamobrem rogavere Pilatum, ne tantæ diei hilaritas sanctitasque spectaculo crucifixorum funestaretur. Ipsimet Romani festos Cæsarum dies hoc obsequio prosequebantur, ut corpora e crucibus detraherent, & necessariis redderent.. Flaccum arguit Philo in Flacc. nedum huic erga Cæsarem obsequio defuisse, verum etiam iis diebus supplicio affecisse Judæos Alexandrinos, neglecta eorum dierum celebritate & hilaritate.

Erat enim magnus dies ille Sabbathi, ob Paschatis Festum, quod hoc anno in eum diem competebat. Vide nostram Dissertationem de Paschate.

Ut frangerentur eorum crura, quo citius illi exspirarent, atque e cruce detraherentur; lata enim in illos sententia ferebat, ut in cruce animam agerent. Crurifragium aliud erat a cruce supplicium; quo plerumque servi hominesque e vulgi fæce afficiebantur (9). Cum vero crucifixi mors acceleranda esset, Romanorum more crura frangebantur: *Necessarium carnifices non putaverunt ossa ejus suffringere, sicut eorum mos ferebat*, inquit Lactantius (10).

℣. 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit (11). Crura Jesu non fregere, quippe jam mortuo: *sed unus militum lancea latus ejus aperuit*, illum confecturus, si adhuc spiraret; sive periculum facere volens, animo ne defecisset (12). Fabulæ quamplures hac in re confictæ sunt. Militem, qui Christi latus feriit, plerumque pingunt equo insidentem, atque ingenti lancea instructum. *Longinum* vero nuncupant, quod fortasse *lonche* Græce sit lancea, ex quo Longinus, sive Lonchinus. Illum, visis prodigiis Christo moriente gestis, ad fidem conversum asserunt, ac nobile illud de Jesu testimonium pronunciasse Matth. 27. 54. *Vere Filius Dei erat iste*. Ajunt, hunc Christi fidem amplexum, in Cappadociam secessisse, ubi Christi fidem docens, martyrium subiit. Suus est Græcis, suus Latinis Longinus, multaque de illius vita & obitu ab utrisque narrantur. At Eruditi fatentur (13), fide indignissima esse illorum Acta; illudque fortasse voluisse Ecclesiam, ut sub Longini appellatione publicum exhiberet cultum Centurioni, Christum confesso: minime tamen ea probasse, quæ nullius nominis Scriptores de rebus gestis atque obitu Longini commenti sunt.

Miles, quisquis ille sit, qui Christi latus aperuit, ex numero peditum erat. Lancea nihil nisi pilum erat, quo teli genere pedites Romani utebantur, quos inter pedites in singulis cohortibus numerus militum erat pilis instructorum. Hic latus Christi feriit, periculum facturus, utrum is mortuus revera esset. Dextrum ne an lævum latus ferierit, disputatur; ipsique met Pictores sibi non constant. Si numerum sequare, plures pro dextero latere invenies (14). Qui vero pro lævo stant, ex eo factum tuentur, quod cor & pericardium magis in lævum, quam in dextrum latus inclinentur; cumque sanguis & aqua e Christi vulnere prosilierint, credibile sit, lanceam ad cor pervenisse, & lacerasse pericardium. Hæc tamen ratio certa non est, cum cor in media pectoris regione sedeat, atque undique pericardio, tamquam sacculo, obvolvatur. Nihil igitur asserti hac in re afferri potest. Vesuntinum ac Taurinense sudaria (15) vulnus in dextro latere præseferunt. S. Franciscus Assisias (16) stigmata Christi in pedibus manibusque ac dextro latere accepit. Prudentius (17) non semel canit, pectus Christi per latus utrumque fuisse perfossum: Quamobrem latus utrumque patuisse necesse est.

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem Christus agit

Putat vero, ex altero aquam, sanguinem ex altero prosiliisse:

Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera.

Nobilis Pictor, Lucas Cranachius, a quo picta Crucifixi Domini imago Augustæ Vindelicorum visitur, nullum in ea vulnus seu lævi seu dextri lateris pinxit, causamque percunctantibus, respondit: Docete prius, utrum latus perfossum fuerat (18). Thomas Bartholinus, edita Dissertatione de latere Christi aperto, ait, litem esse, separatim ne aqua & sanguis, an eodem e vulnere simul juncta prodierint (19). Communiori sententia creduntur sanguis e corde prodiisse, aqua ex pericardio (20), cor obvolvente, quo aqua nunquam non continetur, homine mortuo semper uberior, quam eo vivente. Casparis patris sui sententiam, qui aquam prosiliisse credit e thoracis alveo, tuetur Bartholinus.

Quidquid sit de modo & origine humoris utriusque, ℣. 35. *Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus*. Quamobrem dubio locus esse non potuit, quin Jesus revera mortuus esset. Sunt (21) quibus aqua prodigiosa videntur, non naturalia; atque idcirco testari Joannes, eam sibi visam, seque testem ejus rei esse. Mysterium aquæ & sanguinis varia ratione explicantur. Nonnulli Eucharistiam in sanguine, baptismum in aqua rimantur (22); alii baptismum aquæ, & baptismum sanguinis, sive martyrium; alii denique Vetus Novumque Testamentum. Hinc orta Ecclesiæ consuetudo, ut in Mysteriorum celebratione aquam vino misceatur.

℣. 36. Os non comminuetis ex eo. Sancitum hoc fuerat de Agno Paschali Exod. 12. 46. nequa illius ossa frangerentur, medullæ eximendæ causa; fortasse ut intelligeres, quam cito comedendus esset, utpote ab iis, quibus præceps fuga ineunda esset. Dei Filium in Cruce pendentem Paschalis Agnus significabat; suumque in Cruce sacrificium perfecit Christus eo ipso tempore, quo Sacerdotes in Templo Paschalem Agnum ea die mactabant (23). Grotius & Spencerus (24) spe-

(8) Vide Lipsium de Cruce lib. 2. (9) Lips. lib. 2. de Cruce c. 14. (10) Lactant. lib. 4. c. 26. & alii apud Grotium hic. (11) *Aperuit.* Græc. Ἔνυξε, *transfodit*. S. Chrysostomus aliique, Ἤνοιξε, *Aperuit*, uti Vulgata. (12) Cyrill. Brug. Erasm. Grot. (13) Vide Tillemont tom. 1. Notre Seigneur art. 21. & Note 38. sur J. C. & Bolland. 15. Mart. & Baron. anno 34. (14) Bynæ, lib. 3. c. 5. art. 16. de Pass. Christi. (15) Chiflet. de linteis sepulcral. Christi c. 31. (16) Bonaventura in vita S. Francisci. (17) Prudent. de Passione Christi; & Peri Steph hym. 8. & Cathemerin. hymn. 9. Vide & author. sub nomine Cypri. de Passione Domini: *De latere suo, o Christe, divisis limitibus aqua & sanguis emanant.* (18) Erasm. Schmid. ad Joan. 34. (19) Thom. Barthol. de latere Christi aperto c. 14. (20) Grot. Ham. Tirin. Pisc. alii. (21) Ambros. in Luc. xxiii. Euthym. Theophyl. Brug. Ligfoot. Cornel. a Lapide. (22) Ambros. in Luc. xxiii. Aug. tract. 120. in Joan. Chrysost. alii passim. (23) Vide Patres laudatos in Dissertatione de Paschate. (24) Spencer. de Legib. Hebr. Ritual. lib. 2. cap. 4. sect. 2.

spectatum fortasse credunt ab Evangelista locum Psalmi 33. 20. *Custodit Dominus omnia ossa Justorum: unum ex his non conteretur.*

℣. 37. Videbunt in quem transfixerunt. Zachariæ locus (25), ab Evangelista laudatus, ad verbum fert, ex Hebræo: *Aspicient ad me, quem clavis transfixerunt.* At Septuaginta reddunt (26): *Aspicient ad me, propterea quod insultaverunt.*

℣. 38. Joseph ab Arimathæa. Vide Matthæum xxvii. 58. Josephus Arimathæus nondum fortasse Jesum aliquid magno Propheta maius esse existimabat; neque sperabat futurum, ut is tertia die redivivus prodiret (27). Fides illi adhuc erat infirma. Illum inter Discipulos duos & septuaginta fuisse, suspicatur S. Chrysostomus.

℣. 39. Nicodemus; ex iis notus, quæ supra narrantur, iii. 1. &c. Hic per festos Paschatis dies Jesum noctu convenerat, negaveratque, tanta patrari ab eo posse prodigia, nisi illi adesset Deus.

Ferens misturam myrrhæ et aloes, ut Jesu Christi corpus ungeret. Aromatibus hisce illitum est Divinum Corpus, & large perfusum, madidisque aromatum liquore linteis obvolutum est. Hinc opus fuit centum libris aromatum. Myrrha & aloe amarissima sunt, arcendæque a corpore putredini maxime opportuna. Aloe, de quo hic, liquor est ex arbore aromatica fluens, ferme uti myrrha, aliud plane ab aloe, quo utuntur pharmacopolæ, ex planta quadam arte.

Et ligaverunt illud linteis. Si conferas loca, in quibus mentio fit de linteis sepeliendo Corpori Jesu adhibitis, sindonem mundam invenies Matth. 27. 59. *Involvit illud in sindone munda*; ac præterea institas (28), quibus obvolvi corpora solebant, uti vidimus, cum de Lazari resurrectione ageremus (29); ac denique sudarium (30), seu brevius linteum, Christi caput obvolvens, de quo in Capite consequenti, ℣. 6. & 7. Hic mentio fit de institis, quibus *ligatum est* corpus Jesu; quo modo Judæi mortuorum suorum corpora sepeliebant.

℣. 41. Erat in horto monumentum novum, in rupe excisum, in quo nondum quisquam positus erat; nequis criminaretur, alium quempiam a Jesu resurrexisse, aut Jesum alterius virtute in vitam fuisse revocatum.

℣. 42. Ibi ergo propter parasceven. His verbis innuitur, voluisse illos Jesum nobiliori sepulcro condere, aut elapso Paschatis Festo peculiare illi aliud construere; vel saltem alio sepulcro fuisse condituros, si per tempus licuisset (31). Putat S. Chrysostomus, sapientissimo Dei consilio factum esse, ut Christi sepulcrum prope urbem esset, quo notior fieret omnibus, præsertim vero Apostolis, illius resurrectio.

(25) Zach. xii. 10. והביטו אלי את אשר דקרו (26) 70. Ibidem: Ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. (27) Chrysost. hic. (28) Joan. hic: Ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις. (29) Joan. 11. 44. Δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. (30) Joan. xx. 6. 7. Θεωρεῖ τὰ ὀθόνια κείμενα, καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. (31) Euthym. Cornel. a Lapide.

CAPUT XX.

Magdalene ad sepulcrum venit. Monet Apostolos, Christi corpus in sepulcro non inveniri. Jesus spectandum se exhibet Magdalenæ; deinde Apostolis, quibus Spiritum Sanctum largitur; ac Thomæ pertinaciam arguit. Ingens prodigiorum Christi numerus.

℣. 1. Una autem sabbathi, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum a monumento.
2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Jesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, 7. Et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit: 9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum. 12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. 13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & nescio ubi posuerunt eum. 14. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem: & non sciebat, quia Jesus est. 15. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum; & ego eum tollam. 16. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.) 17. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic

& dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum
vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum,
& hæc dixit mihi. 19. Cum ergo sero esset die illo, una sabbathorum, & fores
essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jesus,
& stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. 20. Et cum hoc dixisset, ostendit ei
manus, & latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21. Dixit ergo eis ite-
rum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. 22. Hæc cum dixisset,
insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: 23. Quorum remiseritis peccata,
remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. 24. Thomas autem unus ex
duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. 25. Dixe-
runt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in
manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non cre-
dam. 26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis.
Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. 27. Deinde dicit
Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, &
mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas,
& dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. 29. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me
Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. 30. Multa quidem, &
alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt, scripta in li-
bro hoc. 31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius
Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.


℣. 1. UNA SABBATHI, prima hebdomadis die, MARIA MAGDALENA, &c. Die Dominica, summo mane, postridie Paschatis & Sabbathi, piæ fœminæ, quæ Christo comites in itineribus fuerant, summo mane (1), *cum adhuc tenebræ essent* (2), ad sepulcrum venerunt. Cum Christus festinato opere sepultus fuisset, hæ alia aromata emerant (3), ut iterum ac studiosius linirent, quam Nicodemo & Josepho Arimathæo licuerat. Magdalenæ unius meminit Joannes, quod rem ab ea gestam fusius esset descripturus. Reliqui vero Evangelistæ fœminas tres narrant simul ad sepulcrum accessisse (4), Mariam Magdalenen, Mariam Jacobi matrem, & Salomen.

VIDIT LAPIDEM SUBLATUM, qui lapis os sepulcri claudebat, signatusque fuerat Sacerdotum ac Senatorum annulo Matth. 27. 66. id quod maxime commodum fœminis accidit, quippe quæ fluctuarent, quis lapidem esset ablaturus (5). At multo acrius doluere, Christi corpore non invento.

℣. 2. VENIT AD SIMONEM PETRUM; spectatis tamen Angelis, a quibus Jesum vivere didicerat Luc. 24. 4. Petrum, Joannem, cæterosque Discipulos monuit Magdalene Matth. 28. 8. at Petrus tantum & Joannes ad sepulcrum accessere, ut rei nunciatæ veritatem perciperent.

TULERUNT DOMINUM. Visos sibi Angelos silet; tamque sollicita est, ut res dimidiatas narret. Illum resurrexisse ægre credebat, quod hoc ipsum vehementissime optaret. Quamobrem ablatum fuisse dicit.

℣. 5. NON TAMEN INTROIVIT. Primus ad sepulcrum pervenit Joannes; at ingredi ausus non est sive metu sive Petri obsequio. Quamobrem inclinato dumtaxat intra os sepulcri capite, institas humi jacentes, vacuum vero sepulcrum intuitus est; atque his tantum visis inhorruit. Speluncæ os, qua sepulcrum continebatur, humillimum erat.



℣. 7. LINTEAMINA POSITA, ET SUDARIUM. Græcus (6) magis significat institas, quibus cadaver obvolvebatur, & linteum capiti impositum. His porro argumentis satis intelligebatur, furto ablatum Corpus non esse; neque enim fures corpus solvere, institasque & sudarium relinquere cogitassent.

℣. 8. ET VIDIT, ET CREDIDIT. Verum esse vidit, quod Maria nunciaverat, ejusque verbis fidem habuit, cadaver nempe non apparere: at illum resurrexisse non credidit. ℣. 9. *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*. Hac de re frequenter egerat Christus, docueratque sese resurrecturum; at illi nondum intellexerant. Messiæ Resurrectionem Scriptura luculentissime tradit iis Psalmi XV. 9. verbis: *Non derelinques animam meam in inferno*, in sepulcro, *nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Jonæ historia hujus resurrectionis & figura erat & pignus.

℣. 10. ABIERUNT ERGO AD SEMETIPSOS. Petrus & Joannes, vacuum Christi sepulcrum intuiti, neque scientes quo evasisset Christi cadaver, Jerosolymam rediere, in eam domum, qua ceu peregrini excepti fuerant; nemo enim ex Apostolis domicilium Jerosolymis habebat. Maria vero, Apostolis constantior, in horto stetit; suisque curis agitata, in-

(1) Luc. xxiv. 1. Ὄρθρου βαθέος. (2) Joan. hic: Σκοτίας ἔτι οὔσης. (3) Marc. xvi. Luc. xxiv. 1.
(4) Marc. xvi. 1. Matth. xxviii. 1. (5) Marc. xvi. 2. 3. 4. (6) Θεωρεῖ τὰ ὀθόνια κείμενα, καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς,

inclinato corpore, ut inspiceret intra sepulcri specum, cujus os humillimum erat, uti animadvertimus, Angelos duos vidit, alterum ad sepulcri caput, ad pedes alterum considentes. Vide schema sepulcri, ut hæc penitus assequare.

℣. 13. Tulerunt Dominum meum, &c. Ablatum credidit, tametsi ab Angelis rem edocta, una cum cæteris fœminis Luc. 24. 4. antequam ad Apostolos reverteretur, Christi Corpus non apparere nuncians. Animadversum est in ℣. 42. Capitis superioris, Christi Corpus eo loco ceu deposito conditum, dum in aptiorem nobilioremque locum transferretur. Lintea, institæ, sudarium humi jacentia suadere poterant, Discipulos accessisse noctu, & Corpus alio abstulisse.

℣. 14. Non sciebat quia Jesus est. Sensit, aliquem a tergo esse; conversoque ore, hominem intuita, re non satis expensa, olitorem esse censuit, custodem horti, in quo sepulcrum erat, dixitque, ℣: 15. *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Si Corpus hoc in sepulcro manere non vis, & alio transtulisti, moneto ubi illud sit, ut auferam, vel ab alio auferri jubeam, ne tanti viri Corpus injuriis inimicorum obnoxium jaceat. Putat S. Chrysostomus (7), Mariam, eum formidinem aliquam in Angelis animadverteret, ore converso quæsivisse, quæ causa esset formidinis; visoque Jesu rogasse, utrum ipse Corpus Magistri abstulisset: iterum deinde ad Angelos versam, ut formidinis causam interrogaret?

℣. 16. Dicit: Maria; statimque illum a nota voce cognovit; sive collecta animi attentione, Jesum adesse vidit. Salutavit consueta appellatione *Rabboni*, Magistri scilicet mei; statimque ad illius pedes provoluta, complecti voluit.

℣. 17. Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem. Nondum abeo: ne tangere me festines: commodius facere licebit. Aliquandiu inter vos ero, antequam in Cœlum ascendam: ito, ac Discipulos moneto, me a mortuis surrexisse: iterum me intueberis. Ita Recentiores plerique (8) locum hunc interpretantur. Censent alii (9), existimasse Magdalenen, Christum ita in vitam rediisse, uti Lazarum, in terris vitam acturum, quemadmodum hactenus egerat. Errorem detergit Jesus, atque ait: Me ne tangas uti mortalem: nondum ad Patrem ascendi: at brevi sum ascensurus. In cœlis regnantem adorabis, eoque ad me desideria & amoris vota mittes.

Obsequia nunc, uti prius, mihi ne exhibeas, neque mortalium more benevolentiam mihi testetis. Fide ac spiritalibus obsequiis amplecti debes (10). Ad breve tempus in terris versor, ad fidem vestram roborandam: cum ad Patrem ascendero, fide & charitate amplecteris. Postremam hanc explicationem probare videtur S. Leo (11). *Noli me tangere*, inquit, *nolo ut ad me corporaliter venias, nec me sensu carnis aspicias: ad sublimiora te differo. Cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod tangis, & creditura quæ non cernis.*

Vade ad fratres meos. Apostolos fratrum appellatione designat, ut eos recreet, animisque confirmet. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*: meum natura, vestrum gratia & adoptione, inquit S. Augustinus. Mox migraturus sum ad Patrem, quemadmodum illos monui; missurus inde consolantem Spiritum, vestrum, me absente, docem, doctorem, defensorem. Hæc prima est Christi apparitio post Resurrectionem Marc. 16. 19.

℣. 18. Vidi Dominum. Teste Marco 16. 11. Apostoli mœrore occupati, fidem habere Mariæ verbis nequivere; censueruntque, id esse fœminæ fausta imaginantis somnium.

℣. 19. Cum sero esset, eadem die, qua Christus redivivus stetit, Discipulis una collectis se spectandum exhibuit, intactis foribus ingressus illuc, ubi erant Apostoli, nec ipsis quidem intelligentibus, qua parte esset ingressus (12). Modum, quo penetravit, disquirere, Philosophorum non est, qui de natura & naturalibus corporis affectionibus, dum suo in statu est, disputant. Gloriosum erat Christi Corpus, tenue, spiritui simile; cui obstare non poterant aut fores aut corpora quælibet crassiora, ne intro penetraret. Hujusmodi rerum naturalis ratio, aut naturalia exempla quærenda non sunt; quarum omnis ratio, potentia conditoris est. *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur non posse intelligere. In talibus rebus tota ratio facti est potentia Creatoris*, inquit S. Augustinus Ep. 137. c. 2. n. 8. nov. edit.

Interpretes nonnulli (13) scripsere, ingressum esse Christum, nemine fores recludente, cum eas ipse recluserit; sive intrasse domum multa jam nocte, quo tempore fores jam clausæ erant. Ita interpretantur, *Cum fores essent clausæ*; quo tempore nemo amplius expectabatur, omnesque domum secesserant. At I. jam monuerat Evangelista, Christum noctu venisse: *Cum sero jam esset*: quamobrem hoc loco id frustra repeteret. II. si Christus ipse fores aperuisset, non diceret Apostolus, intrasse illum *januis clausis*; contraria enim essent verba sententiæ. III. Locum hunc Patres omnes & Interpretes ad hanc usque ætatem ita usurpavere: Ingressus est foribus minime reclusis. Ea igitur vera est explicatio. Neque aliam commenti fuissent Heterodoxi, nisi negotium facerent Catholici, veram Christi præsentiam in Eucharistia docentes, qui penetrari corpora hoc exemplo probant. Invictum certe non est argumentum ex verbis hisce desumptum: at eo usi sunt Catholici; quod ut vitarent Heterodoxi, coactas explicationes, quas diximus, excogitavere. IV. denique ipsemet Evangelista evertit hanc explicationem, usurpantem hæc verba, *Cum fores essent clausæ*, tamquam idem sonarent ac, Multa jam nocte, cum omnes jam domum se recepissent: monet enim id factum esse *propter metum Judæorum*.

Omittit Evangelista, Christum cæteris piis fœminis e sepulcro redeuntibus Matt. 28. 9. Discipulisque duobus proficiscentibus Emmaum Luc. 24. 13. spectandum se præbuisse; quod utrumque hac ipsa prima Resurrectionis die contigit.

℣. 20. Ostendit eis manus et latus. Manuum igitur & lateris stigmata servavit Christus, ut Corporis sui ac Resurrectionis veritatem demonstraret (14). Inane spectrum carne & ossibus caret: aliud quodlibet corpus cicatrices iis in locis non habuisset. Negat Clericus (15), vulnerum cicatrices in pedibus, quemadmodum in manibus ac latere, Christum servasse; clavis enim, inquit, fixi pedes non fuere. At illum diserte damnat Lucas 24. 39. scribens, Christum manus pedesque ostendisse. Toti enim Christianæ Antiquitati repugnat, apud quam nunquam dubitatum est, quin Christi pedes clavis transfixi fuerint. Disputatum est duntaxat, singuli ne pedes singulos clavos habuerint, an uterque pes clavo uno perfossus sit. Hæc una lis fuit Veteres inter ac Recentiores.

℣. 21. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Patris mei consilia executus sum; missioni meæ manum supremam imposui: vestrum est, Evan-

(7) Chrysost. homil. 85. (8) Ita Vat. Sa, Titin. Cornel. a Lapide, Beza, alii. (9) Toler. Brug. Est. (10) Vide Grot. hic; & Justin. Quæst. ad Orthodox. qu. 45. (11) Leo Magn. serm. 2. de Ascensione. (12) Ita Patres Græci, & Latini passim, & Interpretes. Vide Mald. hic, &c. (13) Calvin. Gomar. Heins. Le Clerc. (14) Vide Aug. Epist. 102. qu. 1. n. 7. Cyrill. Leont. alii. (15) Le Clerc, Not. in hunc locum ℣. 25.

Evangelium in universas terrarum plagas deferre, quæque a vobis Deus exigit, summa alacritate & fide complere. Mitto ego vos, uti me misit Pater, morbos curandi, docendi populos, peccata dimittendi, ac prodigia patrandi potestate instructos. Eamdem ob causam vos mitto, omnium scilicet gentium vocationem ad fidem, ac veritatis cognitionem. Authoritatem potentiamque meam vobiscum communico: vicarios legatosque meos vos nuncupo (16).

℣. 22. INSUFFLAVIT, ET DIXIT: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM. Hinc colligunt Patres nonnulli (17), Spiritum Sanctum unius esse ejusdemque cum Filio substantiæ, atque a Filio, quemadmodum a Patre, procedere. Quemadmodum, inquiunt alii (18), rerum initio Deus vitam Adamo indidit, Spiritu in os illius misso: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* Gen. 2. 7. ita Christus in Apostolos spirans, vitam Spiritus & gratiæ, divinam penitus ac supra naturam, illis largitur. Aliis denique (19) videtur, spiritus iste pignus fuisse ac figura Sancti Spiritus, quo implendi erant Apostoli sacra Pentecostes die. Patres denique uno consensu credunt, Christum Apostolis hic impertiri peccata dimittendi potestatem.

At mera ne hic haberi potest figura, mittendique Spiritus Sancti promissio? Nequaquam. Aliquid simul dedit Christus, & aliud promisit. Tribuit peccata dimittendi potestatem ℣. 23. atque alia divina ornamenta, die Pentecostes deinde cumulatissime completa (20). Teste enim Apostolo 1. Cor. 12. 4. multa sunt Sancti Spiritus dona, eaque non omnes pari perfectionis & ubertatis modo accipiunt. S. Augustinus, & S. Chrysostomus, in Caput VII. 39. disertissime ajunt, Apostolos hoc tempore verissime Spiritu Sancto fuisse donatos. Hoc ipsum hic etiam repetunt; consentitque S. Ambrosius in Lucam lib. 10. num. 180.

℣. 23. QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS. Patres, Concilia, omnesque Catholici Interpretes ista explicant de vera potestate Apostolis facta, ac per Apostolos omnibus deinde illorum in vera Ecclesia successoribus, ut per Pœnitentiæ Sacramentum peccata dimittant, sive retineant, juxta Christianæ prudentiæ & charitatis leges (21). Peccata dimittite postulantibus veniam, paratisque ad Deum reverti vera sinceraque animi conversione, fide, & scelerum execratione. Potestatem vestram spernentibus, aut veniam animo ut oportet comparato non postulantibus, nullumque sinceræ conversionis indicium præ se ferentibus, retinete. Respondet hic locus alteri, quo Christus ait Matth. 18. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

Heterodoxi quidam Interpretes (22) ajunt, usurpari hæc verba posse de pellendorum morborum potestate, reorumque corporalis suppliciis plectendorum; arcendi contumaces ab Ecclesiæ communione, ac resipiscentes per reconciliationem excipiendi. Minime ego negaverim, potestatem hanc a Christo Apostolis datam: compertumque est, illam & olim ab Apostolis, & adhuc ab Ecclesia usurpari, peccantibus vel ejectis a communione, vel reconciliatis: interdum etiam, fateor, cum ægrotos curaret Christus, ajebat (23): *Remittuntur tibi peccata tua.* Hujus tamen loci sententiam ad unam hanc rem adigere non possumus, quin Christi verba pessime distorqueamus. Christus quidem corpora curans, animos quoque sanabat: utrumque etiam sæpe præstiterunt Apostoli; at non semper. Altera potestas alteram non excludit. Morbos Scriptura ceu criminum pœnas describit: at nullus occurrit Scripturæ locus, quo potestas curandi morbos potestate dimittendi peccata significetur.

℣. 24. THOMAS NON ERAT CUM EIS. S. Chrysostomus (24) ejusque asseclæ arbitrantur, Apostolos fuga elapsos, cum Jesu in horto comprehenderetur, paulatim una convenisse, ut pavor cessabat: Dominico autem die, altero post obitum Jesu, nondum reversum fuisse Thomam. Ajunt alii (25), Thomam paulo antea discessisse a reliquis, auditis iis, quæ Discipuli duo ab Emmaus reduces narraverant. Levem horum credulitatem indignatus Thomas, ipsorumque narrationem, quemadmodum & mulierum, loco fabularum habens, recessit, atque alio abiit. Cur abfuerit Thomas, ægre divinaveris. At seu casu, seu meditate, certe aberat. Sed absens licet, Spiritu Sancto reliquis Apostolis dato non caruit; quemadmodum Paulus aliquo ab hinc tempore ad Christum conversus; & Moysis ætate, Eldad & Medad, tametsi a cœtu reliquorum aberant, Spiritu Sancto cumulati fuere Num. 11. 26. Beneficium a Dei Filio in Apostolos collatum, non ita addictum erat præsentibus, ut eo quoque absentes non fruerentur (26).

℣. 25. DIXERUNT EI ALII DISCIPULI. Qua die Thomas ad cœtum redierit, satis distincte non novimus: at ubi adfuit, quæ gesta fuerant, a reliquis audiens, *dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam.* Oculis falli se posse rebatur: manu rem explorare volebat. Interdum oculi decipiuntur; & quæ non vides, ea te videre existimas. Ægre autem subrepit error, ubi tactus accedat. Jesu Christi Divinitatem nondum credebat Thomas; eumque sua unius virtute in vitam revocatum esse, sibi persuadere non poterat. Incredulus præter modum fuit; neque peccati expers habendus est. Contumaciam, superbiam, arrogantiam incredulitati miscuit. Cæterum Thomæ incredulitas inutilis Ecclesiæ non fuit; hujus quippe ingenii homo facile credulus esse non poterat. *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides Discipulorum profuit*, inquit S. Gregorius Magnus (27): *quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.*

℣. 26. POST DIES OCTO. Cum adhuc Jerosolymis morarentur Discipuli (28), foresque, quemadmodum octavo antea die, clausæ essent, fortasse Judæorum metu, iterum venit Jesus, mediusque illorum stetit. Primum omnium Thomam convenit, ut nihil se latere, quæque in absente gererentur nosse, demonstraret. Jussit digitos in manuum vulnera, manum vero in lateris hiatum inferre, atque ab incredulitate resipiscere.

Quæritur, utrum Thomas revera Christi vulnera palpaverit? Dubitavere nonnulli (29), negavit Euthymius; asseruut Patres & Interpretes plerique (30): nactusque in Christi vulneribus fidei

suæ

[16] Vide Chrysost. Cyrill. Theophyl. Rupert. alios. [17] August. tract. 121. in Joan. Cyrill. Beda, Leont. Vide & August. tract. 99. num. 7. [18] Cyrill. Leont. Euthym. Basil. lib. de Spiritu S. pag. 16. Ambros. in Psalm. CXVIII. serm. 10. [19] Menoch. Cornel. Grot. Hamm. [20] Menoch. Brug. Tolet. alii. [21] Vide Concil. Trid. sess. 14. can. 3. & Patres apud Bellarm. lib. 3. de Pœnitent. cap. 2. Cornel. Menoch. Brug. alii. Vide Cyprian. Epist. 73. Grot. hic. [22] Vide Grot. Ligfoot. Clerc. [23] Matth. IX. 2. Luc. V. 20. [24] Chrysost. Theoph. Euthym. Brug. Ligfoot. [25] August. Beda, Lyr. D. Thom. Cajet. Tolet. Riber. Cornel. [26] Cyrill. hic, Maldon. Brug. Ligfoot. alii. [27] Gregor. Magn. hom. 26. in Evang. Vide & August. serm. olim CLXI. in Evang. Bern. hom. 2. in *Missus est*. [28] Hieron. in Matth. XXVIII. 16. Rupertus & Ribera hic censent, visum hoc in Galilæa contigisse. [29] Glossa ordinaria. Vide & August. & Bedam hic. [30] August. hic, & serm. 158. Tertull. advers. Praxeam; Bern. 5. in Cant. Greg. Magn. Cyrill. Theophyl. Beda, alii.

ſuæ firmamentum, luculentiſſimam pleniſſimamque reſtatus eſt, clamans: *Dominus meus & Deus meus*. Crediderat hactenus, poſſe illum ſe præbere ſpectandum, quemadmodum mortuorum umbræ interdum ſpectantur, ait Origenes l. 2. contra Celſ. at ſibi perſuadere nequiverat, tractabili cum corpore reſurrexiſſe. Tradit S. Ignatius Martyr in Ep. ad Smyrn. Jeſum, cum ſeſe ſpectandum Apoſtolis præbuiſſet, imperaſſe Petro cæteriſque ut ſeſe tangerent, ac dixiſſe: *Videte, quod non ſum Dæmonium incorporale*. Id vero in priori ne an in altera apparitione, non ſcribit.

℣. 28. DOMINUS MEUS ET DEUS MEUS. Te nunc Dominum Deumque meum agnoſco, talemque te adoro & colo, uti debeo. Nunc primum Dei appellatio Jeſu Chriſto attributa in Evangelio legitur. Dictum eſt ſupra, Verbum eſſe Deum, ipſumque Verbum factum eſſe carnem; ex quo luculentiſſime colligitur, Deum eſſe Jeſum, cum Jeſus ipſe ſit Verbum caro factum. Hæc tamen confeſſio luculentiſſima eſt omnium, quæ in Evangelio leguntur. Concilium Oecumenicum V. Conſtantinopoli habitum, anathemate inuſſit Theodorum Mopſueſtenum, hæc Thomæ verba ita interpretantem, ut Apoſtoli exclamatio ſint, prodigio territi, & alloquentis non Chriſtum, ſed Patrem, ut debitam illi gloriam redderet: Papæ! prodigium! Dominus meus, & Deus meus! Quam mira es potentia!

℣. 29. QUIA VIDISTI ME, THOMA (31), CREDIDISTI. BEATI QUI NON VIDERUNT, ET CREDIDERUNT. Vel, Beati, qui nihil videntes credent: qui fidem mihi habebunt, quin videant ac palpent. Thomam contumaciæ clam arguit, commendatque humilem, at prudentem eorum docilitatem, qui auditis Apoſtolorum exhortationibus, ſpectatiſque prodigiis, deinceps ſunt credituri. Honorem Deo non reddis, dum temere leviterque credis: at Deo diſplices, dum idoneæ authoritati, juſtæ perſuaſioni, probabili teſtimonio non credis. Thomæ fides ex eo tantum laudem meretur, quod ſupra rem ſenſibus perſpicuam attollitur. Corpus, hominemque redivivum ſpectans, inde colligit: Dominus iſte meus ac Deus meus. Aliud videt, aliud credit: *Tangebat hominem, & Deum confitebatur*, ait S. Gregorius Magnus (32).

℣. 30. MULTA QUIDEM ET ALIA SIGNA. Plurima patravit, dum inter homines fuit, populo Diſcipuliſque ſpectantibus, at multo etiam plura poſt Reſurrectionem apud Diſcipulos edidit. Nonnulla ex his narravi, ait Evangeliſta; veluti cum ipſe ſe ſpectandum Mariæ præbuit, aut conclave Apoſtolorum clauſis foribus ingreſſus eſt. Hæc ſatis perſuadere poterunt, Chriſtum Jeſum eſſe Dei Filium; æternamque vobis vitam comparatura ſunt, ſi conſtantem in illum fidem, & charitati conjunctam habueritis: *Ut vitam habeatis in nomine ejus*, mentem fidei ſubjicientes, voſque illius Diſcipulos profeſſi, fiducia in ope ipſius, ejuſque nominis robore, in ipſo denique collocata; cum unus ipſe ſit, per quem ſalutem in hac vita ſperare homini licet: *Non eſt in aliquo alio ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* Actor. IV. 11. 12.

Putat Grotius, poſtrema duo hæc membra finem eſſe Evangelii Joannis; proximum vero Caput ab Eccleſiis Aſiæ additum, ut oſtenderetur impletum, quod de longævitate ac non violenta morte Joannis Dominus prædixerat. Ut conjecturam hanc reſpuamus, ſatis valido argumento eſt, quod rationum monumentis careat, totique repugnet Chriſtianæ Antiquitati, quæ uti partem Evangelii Joannis, proximum caput ſemper excepit.

(31) Hæc vox, *Thoma*, in quamplurimis Græcis Codicibus deſideratur. Vide Aug. tract. 121. in Joan. Hilar. lib. de Trinit.

(32) Greg. Magn. homil. 26. in Evang.

C A P U T XXI.

Prodigioſa Apoſtolorum piſcatio. Jeſus cum Apoſtolis cibum ſumit. Petrum, an ſe amet, interrogat: jubet paſcere oves ſuas, ac ſe ſequi. Martyrium illi prædicit. Quærit Petrus, quid dilecto diſcipulo eventurum ſit. Innumera Chriſti geſta, ſcriptis non tradita.

℣. 1. POſtea manifeſtavit ſe iterum Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis. Manifeſtavit autem ſic. 2. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex diſcipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto ſtetit Jeſus in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli, quia Jeſus eſt. 5. Dixit ergo eis Jeſus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo: & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. 7. Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. 8. Alii autem diſcipuli navigio venerunt, (non enim longe erant a terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium. 9. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. 10. Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. 11. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. 12. Dicit eis Jeſus: Venite, prandete. Et nemo

aude-

audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est. 13. Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter. 14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit eis: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas. 18. Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. 19. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. 20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid? 22. Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: Non moritur, sed: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium ejus. 25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

℣. 1. MANIFESTAVIT SE ITERUM (1) JESUS. Exhibito sæpius sui spectaculo piis fœminis & Apostolis Jerosolymæ & ad sepulcrum, jussit Christus in Galilæam reverti, pollicitus fore, ut sese iterum illis in Galilæa exhiberet. Ac revera cum Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus & Joannes, aliique ex Discipulis duo piscatum ivissent in mari Galilææ, stetit Jesus in litore, quemadmodum hic legimus. Septima hic narratur Christi apparitio post Resurrectionem. Quæ toto hoc Capite describuntur, penes unum Joannem sunt; ceteris omnino silentibus.

℣. 2. ERANT SIMUL SIMON PETRUS, ET THOMAS. Commune utrique domicilium erat. Deficiente post Christi obitum piarum mulierum liberalitate, qua enutriti hactenus fuerant, & Christi præsentia, qui omnia vitæ necessaria abunde suffecerat, victum labore quærere coacti sunt. Petrus, ne cui gravis esset, ad piscatoriam artem rediit, antea intermissam, ut Christum sequeretur. Apostolos labore non interdixerat Christus: innoxium artis genus erat piscatoria: quamobrem cum nihil melius occurreret, cui operam darent, neque adhuc scirent, qua re occupari eos vellet Christus, dum ipse in terris versabatur (2), piscatum socios proponit Petrus; illique septem numero junguntur.

NATHANAEL, quem plerique Bartholomæum esse censuerunt. Vide supra I. 45. &c.

℣. 3. ILLA NOCTE NIHIL PREHENDERUNT. Permisit Deus, ut tempore piscatui maxime opportuno nihil caperent; quo intelligerent, inanes esse hominum conatus, nisi faveat Deus. Voluit Christus, ut potentiam suam, prædamque prodigiosam mox eo auspice ducendam luculentius animadverterent.

℣. 4. STETIT JESUS IN LITORE, a Discipulis non agnitus; sive quod illi fortasse nimis a litore abessent, sive quod nondum satis luceret dies; iis enim indiciis conspicuus erat Jesus, ut de illo quærere nemini opus fuerit. ℣. 12.

℣. 5. PUERI, NUMQUID PULMENTARIUM HABETIS? Discipulos alloquitur uti alienus, qui pisces emptum venerit. Fortasse ipsa Christi species & vox post Resurrectionem mutatæ fuerant, cum Discipuli satis proximi neque ab ore neque a voce cognoverint. *Pulmentarium* pro quolibet opsonio usurpatur. Idem sonat Græcus (3).

℣. 6. MITTITE IN DEXTERAM NAVIGII RETE. Ignoto paruerunt, cupere sese ostendentes, ut res pro illius voto cederet. Utilis fuit obedientia; uberrimo enim & prodigioso piscatu ditati sunt, quo innuebatur ingens eorum multitudo, qui docentibus Apostolis erant credituri.

℣. 7. DIXIT PETRO: DOMINUS EST. Jesum agnovit ex præstito mox prodigio; quo monente studiosius animadvertit, & curiosius inspexit (4). Castitas, innocentia, amor lynceum reddidere (5).

PETRUS TUNICA SUCCINXIT SE: ERAT ENIM NUDUS. Omnino nudus, inquiunt nonnulli (6), lumbos dumtaxat zona latiore succinctus, qua pudenda velaret. Femoralia induit, quo honestius coram Domino staret. Aliis (7) nudus dici putatur, quod male vestitus, utpote piscator operi intentus, tunica tantum, seu *camisia*, & femoralibus indutus. Viso Domino, superiorem vestem sumpsit (8), pallii genus nempe, quo *præcinxit se*; deinde in aquas descendit, ut ad Jesum citius quam navi perveniret. Utrum natans (9), an per aquas gradiens (10), quippe non multum remotus a litore, incertum. Nisi retis pondere lentior fuisset navis, frustra sese aquis commisisset Petrus.

℣. 8. TRAHENTES RETE. Impatienti videndi Jesu desiderio, rete non exoneravere, plenum piscibus, uti erat, ad litus trahentes.

℣. 9. VIDERUNT PRUNAS POSITAS, ET PISCEM ... ET PANEM. Unde ista? Statim ne creata (11); an delata ab Angelis; aut invisibili modo per Christi potentiam eo accita (12); vel denique ex aere aliave materia compacta, quemadmodum panes, quibus multa hominum millia pavit (13)? Affer-

tum

(1) Πάλιν, *iterum*, non legitur in Codicibus multis. (2) Vide Greg. hom. 24. Aug. hic; alios. (3) Gr. Προσφάγιον, Opsonium. (4) Brug. Grot. alii. (5) Hieron. advers. errores Joan. Jerosoly. ad Pammach. *Virginitas virginale corpus agnoscit*. Vide Cyrill. Chrysost. (6) Vide Lud. de Dieu hic. (7) Grot. Fuller. Cornel. alii. (8) Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Hebraicum מעיל *pallium* LXX. interdum reddidere ἐπενδύτην. (9) Chrysost. Leon. Theophyl. Tolet. (10) Beda, Mald. (11) Ita Chrysost. hic, Brug. Menoch. Grot. Hamm. (12) Cyrill. in hunc locum; Le Clerc. (13) Leont. Theophyl. Euth. Tolet, Mald.

tum nihil hac de re dici potest, silente Scriptura. Unum illud certum est, adfuisse prodigium, ut ut ista exstiterint.

℣. 11. Ascendit Simon Petrus. Petrus in litore cum Jesu stans, ut vidit socios ægre educentes ex aquis rete, oneris ac prædæ causa; iterum se commisit aquis (14), sociamque illis operam consulit, ut rete ex aquis educerent, plenum quippe ad litus usque traxerant. *Ascendit*, scilicet, accucurrit.

℣. 12. Venite, prandete (15). Ante meridiem & consuetam prandii horam erat: piscatoribus tamen, qui noctem totam piscando consumpserant, prandii tempus venerat. Cæterum, teste Homero (16), Veteres interdum a summo mane prandium parabant; idque adhuc servatur cum agricolis, quibus longe a villa dies totus labore impendendus est; vel qui magnam noctis partem labori operam dederunt.

Nemo audebat discumbentium (17), una sedentium ac vescentium, interrogare eum: Tu quis es? Obsequium quo illum prosequebantur, specie multo augustiore conspicuum, quam ante Resurrectionem esset (18), illos deterruit. Cæterum omnino ausi non fuissent postulare, is ne esset; quippe citra contumeliam dubitari non poterat.

℣. 14. Hoc jam tertio sese Discipulis exhibuit Jesus, multis una collectis; si enim singulas apparitiones numeraveris, hæc septima erit. 1. Mariæ Magdalenæ spectandum se præbuit (19); 2. piis fœminis e sepulcro redeuntibus Matt. 28. 9. 3. Discipulis duobus in Emmaus proficiscentibus Luc. 24. 13.; 4. uni Petro Luc. 24. 34.; 5. Discipulis simul collectis noctu, clausis foribus, & absente Thoma (20); 6. iisdem, eodemque loco, octavum post diem, præsente Thoma Joan. 20. 26.; 7. denique ad mare Galilææ, quod hic describitur.

℣. 15. Simon Joannis, diligis me plus his? Magistrum ter abnegaverat Petrus; quamobrem ut culpam trina confessione corrigat, ter illum interrogat Jesus: *Diligis me plus quam hi? Tertio confitetur per amorem, qui ter negaverat per timorem*, inquit S. Augustinus (21). Non quemlibet amorem a gregis sui Pastoribus exigit Christus, sed perfectissimum, triplicem. Spernant illi necesse est omnem sui amorem, ambitionem, commodum. Deus unus, & creditæ oves, sive, Dei grex Pastorum deliciæ & amor esse debent (22), Pro, *Simon fili Joannis*, Græci Codices multi ferunt hic, *fili Jona*, uti apud Matt. XVI. 17.

Tu scis, Domine, quia amo te. Petri humilitas & modestia post lapsum aucta est (23). Dicere non audet, Magistrum magis a se amari, quam a cæteris; sed, Amo. Damnum arrogantiæ sensit, cum fidens nimium viribus suis jactaverat, se Magistri causa vel in mortem iturum, neque ab illo discessurum, tametsi cæteri discederent Matth. 26. 33. 35.

Pasce agnos meos. Petrum Ecclesiæ & gregis sui Caput ac Principem creat; confirmatque quod olim dixerat Matt. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Se ipse Christus bono Pastori similem dixerat Joan. X. 1. seque exemplum præbuerat omnibus, Ecclesiam suam deinde moderaturis. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, ajebat diu post Petrus in 1. ep. 5. 2. *providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Agni & oves Christi, Fideles sunt, omnesque Ecclesiam componentes, nullo Judæi atque Ethnici discrimine. Frustra mysterium aut diversitas inter agnos & oves quæritur: duo quippe ista nomina unum idemque significant. Totius Ecclesiæ gregisque cura Petro ceu Apostolorum Principi tribuitur. Pastor nedum ovium est Petrus, verum etiam quodammodo Pastorum (24): *Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti sunt: uni unus: nec modo ovium, sed Pastorum, tu unus omnium Pastor.*

℣. 17. Contristatus est Petrus. Veritus est, inquit S. Chrysostomus (25), nequid in animo suo a Christo cerneretur, quod ipse non animadverteret. Tantum de se tunc timebat, quantum antea de suis viribus sibi arrogaverat. Verebatur, nequid sibi contingeret, quale in Passione contigerat; neve post multas amicitiæ confessiones, prædiceret Christus, ipsum amicitiæ & obsequio defuturum, ubi discrimen immineret (26).

℣. 18. Cum esses junior, ipse te cingebas; tollebasque vestem, ut iter ingredereris. At aliquot ab hinc annis, cum senior fueris, *extendes manus tuas, & alius te cinget*, tamquam imbecillum senem, qui deficiente brachiorum usu cingi se sinit, & quovis duci. Hæc porro innuebant mortis genus, quo Petrus *clarificaturus esset Deum*; martyrium scilicet ab eo subeundum anno post hæc quarto ac trigesimo. In vincula datus est Petrus, atque ad supplicium ductus, uti prædixit Christus. Manus porrexit catenis primum, deinde cruci; quippe in cruce obiit, communi veterum testimonio (27).

℣. 19. Qua morte clarificaturus esset Deum; Describitur Martyrium non uti supplicium, sed ut instrumentum, quo gloriam Deo, immortalem nobis ipsi coronam comparamus. Nihil opportunius homini est, quo gloriam Deo ferat, quam martyrium, per quod suam ipse vitam, qua nihil carius est, prodigit. Nullum illustrius veritati ac Divinitati exhibere testimonium potest, quam quod suo cruore signavit. Adeo se beatum censuit Petrus, si supplicia ob Christum ferret, ut rogaverit carnifices, capite in terram obverso se statuerent (28), indignum se existimans, qui eodem, quo Magister, corporis statu exspiraret (29). Prædixit Christus: *Alius te ducet quo tu non vis*; non quod invitus & ægro animo martyrium subierit Petrus, quippe cujus in potestate esset aut abnegare Christum, aut fuga elabi, atque ita necem vitare. Mortem constantissime oppetiit, minime tamen doloris expers: homo cum esset, mortem non amabat: Dei tamen sui amorem vitæ præferebat (30).

Sequere me; statimque surrexit Jesus, ac secutus est Petrus: quo facto innuit Christus futurum, ut Petrus sese ad crucis supplicium sequeretur (31).

℣. 20.

(14) Bug. Menoch. (15) Ἀριστήσατε. (16) Homer. apud Grot. Ἄριστον ἅμ᾽ ἠοῖ φαινομένηφι. (17) Οὐδεὶς δὲ ἐτόλμα τῶν μαθητῶν, *Nemo ex Discipulis*. Alii: Τῶν ἀνακειμένων, *Discumbentium*, uti Vulgata. Jans. Sal. Toletus malunt *discentium*, pro, *discumbentium*. (18) Grot Bug. (19) Joan. XX. 11. 16. Marc. XVI. 9. (20) Joan. XX. 19. Luc. XXIV. 37. (21) Cyrill. hic; August. hic, serm. 355. Leont. Theophyl. Beda, alii. (22) Vide August. hic, tract. 123. & serm. 355. (23) August. serm. 147. olim 24. de Sanctis. (24) Bernard. lib. 2. de Consider. ad Eugen. (25) Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. (26) Vide Mald. Bug. Grot. alios passim. (27) Lactant. de morte persecut. Chrysost. in princip. Apostol. Clem. Alex. lib. 7. Strom. Prudent. περὶ στεφ. lib. 12. alii. Euseb. lib. 3. c. 1. hist. Eccl. ex Origene. (28) Eusab. Opusc. 4. a Sirmund. edit. Paris. 1643. Prudent. Aster. Chrysost. August. serm. olim 28. nunc 203. Appendic. (29) Theodoret. orat. de charit. Maxim. serm. 1. de Natal. Apost. Ambros. in Psal. CXVIII. (30) Vide August. serm. 299. in Natal. Apostol. antea ineditum. (31) Ita Chrysost. Cyrill. Tolet. Mald. alii.

℣. 20. Vidit illum Discipulum. Animadvertens Petrus, Joannem pone sequi, rogavit: *Domine, hic autem quid?* Optime intellexit Petrus, iis quæ mox dixerat Christus, futuram sui mortem prædici. Quamobrem nosse cupiebat, eadem ne ad Discipulum dilectum spectarent, qui & sibi dicta usurpasse videretur ea verba: *Sequere me.* An & iste in vincula dabitur, teque ad crucem sequetur?

℣. 22. Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? Celeberrimus est duplici nomine hic locus. I. quod ex eo collegerint cæteri, Joannem non esse moriturum: quæ opinio multos olim ac diu patronos numeravit. Hanc peculiari Dissertatione excutiemus. II. ob lectionum varietatem, in Græcis Latinisque Codicibus occurrentem. Græci inter se consentiunt, ac generatim legunt (32): *Si eum volo manere donec venio, quid ad te?*

Latini dissident. Ajunt nonnulli, positum esse *sic* pro *si eum*, &c. *Sic*, inquiunt, mendum est librarii. Corrigenda est versio ad Græcam fidem: cum autem Græcus constantissime ferat *si*, eodem modo legendum est in Latino. Neque dixeris, *sic* ex alia Textus lectione deductum esse (33); cum nullus omnino codex aut manu exaratus, aut editus typis assertæ huic lectioni faveat; οὕτως, *sic*, ab ἐὰν, *si*, quam ut alterum pro altero usurpari potuisse credatur. Latini Codices vetusti quamplures legunt (34): *Si eum volo manere*. Denique Bessarion Cardinalis lectionem hanc dato ad Summum Pontificem libro defendit; cui subscripsere Interpretes doctissimi, Jansenius Gandavensis, Coningstein, Magdallius, Toletus, Maldonatus, Cajetanus, Estius, Martianæus in nova S. Hieronymi Editione; quibus placet: *Si eum volo manere*, &c.

Qui alteram lectionem, *Sic eum volo manere*, tuentur, his Latini Patres omnes, Codicesque Latini ferme omnes (35), & authoritas Vulgatæ Tridentino Concilio confirmatæ favet. Gregorius Trapezuntius scriptum hac de re librum Summo Pontifici exhibuit, quo defendit legendum: *Sic eum volo manere*. Lectionem hanc servat Latina omnis Ecclesia; eique optima subest sententia.

Alii neque Græcam, *Si eum volo manere*, neque Latinam, *Sic eum volo manere*, sequuntur, sed scribunt: *Si sic eum volo manere*. Præcipui hujus opinionis patroni Zegerus, Lindanus, Lucas Brugensis. Zegerus ita legisse Hieronymum (36), vetus Correctorium Latinum, & pervetustum exemplar Bibliothecæ Cusanæ animadvertit. Biblia manu exarata Caroli Calvi apud Regiam Bibliothecam, legit ℣. 22. *Si sic eum volo manere*; & ℣. 23. *Si eum*. Vetus Codex notatus 3569. fert ℣. 22. *Sic eum*; & ℣. 23. *Si eum*, &c. Teste Victorio Mariano, vetus Codex Græcus, ab Episcopo Claromontano ad Tridentinam Synodum delatus, anno 1546. ferebat (37): *Si eum volo manere sic*, &c. Eamdem lectionem recitat Gagnæus ex Græco quodam Commentario in Ioannem. Aureus Codex Evangeliorum Abbatiæ Hamvillariensis, annorum saltem octingentorum, legit: *Si sic eum volo manere*. Codex alius item vetustissimus Abbatiæ Mosomensis, & vetustissima Biblia Metensis Metropolitanæ consentiunt. Hæc pro singulis hisce opinionibus argumenta: inter quas maxime omnium nobis probatur illa: *Si eum volo manere*.

Quod ad literalem hujusmodi verborum sonum attinet, nonnulli, uti diximus, hinc collegere, Joannem Evangelistam minime moriturum: quorum opinionem alibi excutiemus. Alii hoc dumtaxat Christum voluisse ajunt, Joannem in vivis futurum usque ad Jerosolymæ excidium, quod sub adventus Domini appellatione significatur (38). In hujus opinionis præsidium animadvertunt, hoc ipsum a Christo spectatum, cum diceret Matt. 16. 28. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant adventum Filii hominis*. Petrus certe vita functus est anno Christi septimo ac sexagesimo, xxxiv. post obitum Christi, sexto circiter ante Jerosolymæ excidium. At Ioannes obiit anno Christi circiter xcix. (39), ferme trigesimo post ejus urbis ruinam.

S. Augustinus aliique nonnulli (40) simplicius usurpavere: Volo illum in terris esse, donec illum naturali morte abstulero: quid ad te? Tu me sequere, atque in illud incumbe, ut mei exemplo in cruce moriaris. Hæc tibi pars esto: de Ioanne ne laboraveris. Ioannem violenta morte non obiisse constat; bibisse tamen Domini Calicem, uti Christus prædixerat Matt. 20. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Is quippe a Domitiano in Pathmos insulam relegatus est, & in dolium serventis olei demissus, unde vegetior prodiit (41).

℣. 23. Exiit sermo inter fratres, &c. Ex verbis Christi ad Petrum multi collegerant, Ioannem minime futurum morti obnoxium, vel saltem nonnisi in mundi exitu moriturum. Favebat huic sententiæ multa Ioannis senectus, cum is Evangelium scriberet. Ipse tamen hac de re sibi minime blandiebatur; sperabatque in Cœlo dumtaxat immortalitatem, ac tempus adventus Domini nunquam non expectabat. Itaque ut falsam immortalitatis suæ opinionem aboleret, rem narravit, uti gesta est; subjecitque animadversionem: *Et non dixit Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te?*

℣. 24. Hic est Discipulus ille. Modeste, ut solet, Ioannes hic de se tamquam de alio agit. Quæ descripsit, suo ipsius testimonio confirmat, cum unus Apostolorum omnium superstes esset, ex quo rem gestam, falsæque de ipsius immortalitate opinionis originem homines discerent. Addit, verum esse testimonium suum. Sua ipsius sinceritate, vitæ innocentia & sanctitate fretus, mendacii & fraudis suspicionem non timet. MS. Codex quatuor Evangeliorum argenteis literis ornatus vetustatem referens, annorum saltem 800. fert; *si sic eum volo manere*. Codex alter Ecclesiæ Metensis ejusdem antiquitatis haud aliter legit, alius ejusdem Ecclesiæ prima manu ferebat *sic eum volo manere*, quod altera manus recentior ita reformavit: *si sic eum volo manere*: Alter Abbatiæ Mosomensis ultra octingentos annos antiquior gemina præfert: *si sic eum* &c. Vetustissimus Corbejensis: *si eum sic volo manere*. Vide dissertat. Mitteroachii.

Eruditis quibusdam (42) videtur, totum hoc supremum Caput, una cum duobus postremis e Capite superiori (43), opus esse Ephesinæ Ecclesiæ, Evangelii hujus veritatem, & Scriptoris sanctitatem asserentis. At nullum licet discrimen video, si hæc opinio admittatur, cum supremum, exempli gratia, Deuteronomii Caput ab alio quam a Moyse adjectum asseratur, a communi tamen sententia citra necessitatem non discedo. Hic autem

(32) Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε. Et hic ℣. 25. (33) Quasi legerit Author Vulgatæ: Οὕτως αὐτὸν θέλω μένειν, &c. Quam lectionem nulli Codices fulciunt. (34) Vide Est. hic, & notam in hunc loc. nov. edit. Hieron. (35) August. hic, & aliis in locis; Ambros. lib. 7. in Luc. n. 4. in Psal. xcv. n. 11. & in cxviii. serm. 20. n. 12. Bernard. serm. de Innocentib. Beda, Rupert. Albert. Thom. Liran. Vide la Haye hic. At S. Ambrosius lib. 1. in obitu Satyr. n. 4. legit: *Eum volo sic manere*. (36) Hieron. lib. 1. in Jovinian. *Si eum sic volo esse, quid ad te?* (37) Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν οὕτως ἕως ἔρχομαι, &c. (38) Matt. xvi. 28. xxiv. 29. 30. 34. (39) Ita Theophyl. D. Thom. Ribera, Vatab. Grot. Ligf. alii. (40) August. Beda, Rupert. Thom. Mald. Heinf. (41) Tertull. Præscript. c. 36. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. c. 14. (42) Grot. sup. xx. ult. (43) Hamm. Le Clerc.

tem nulla apparet necessitas; cum ista de se narrare potuerit Ioannes, nullo modestiæ ac veritatis dispendio. Ea illi ætas, authoritas, sanctitas, ut aliquid in altero non probandum illi non denegaretur. Cui mirum accidit, Paulum suas ipsius laudes narrare, commendare se ipsum, Divina in se beneficia describere, ac dicere 2. Cor. 13. 3. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Vel 1. Cor. 7. 4. *Puto quod & ego Spiritum Dei habeam.*

℣. 25. Nec ipsum arbitror mundum capere possa, &c. Hyperbole. Si prodigia a Christo gesta tam fuse describenda sint, quam res postulat, tam multi exarandi sunt libri, ut orbem universum compleant. Sunt (43) qui ita usurpent: Si narrentur omnia quæ gessit ac docuit Iesus, non omnes caperent, arbitror, ista homines, neque illorum sublimitatem assequerentur. Alii (44): Mundus non crederet. Gesta a Christo prodigia mira sunt adeo, tantoque intervallo humanam capacitatem superant, ut rejecturi sint homines tamquam incredibilia, si omnia describantur. Prior tamen explicatio pronior est, & cum Græco sextu magis consentanea (45). Similes his hyperbolas Sacri Profanique Scriptores ferunt.

Amen legitur ad Calcem hujus Capitis in Græcis Codicibus editis: minime vero in Vulgata, Cophtica, Syriaca, Persica, Arabica, Armenica Versione, Græcisque Codicibus vetustissimis (46).

Finis Commentarii in Evangelium Joannis.

IN ACTA APOSTOLORUM PROLEGOMENON.

POST supremam manum Evangelio, historiæ nempe rerum gestarum Jesu Christi ejusque Parentis, qua familiarissime usus est, impositam, id sibi proposuit Lucas, ut in Actis Apostolorum Evangelium scriberet S. Spiritus, juxta Oecumenii in Acta phrasim, vel Resurrectionis J. C. juxta Chrysostomum in Acta homil. 1. sive tandem rerum gestarum a primis illis Apostolis, & nascentis Ecclesiæ historiam. Nec sane post descriptam vitam & doctrinam J. C. dignius aliud argumentum tractandum ab illo fuerat, nullum utilius, nullum majoris ad Ecclesiam momenti, sive exempla spectes ad dirigendos mores, sive institutiones ad doctrinam formandam. Impleta exhibet plura Filii Dei oracula, uti de illapsu S. Spiritus, ac de mutatis ingenio, atque indole Apostolorum, ejusdem S. Spiritus opera; specimen præbet Christianæ illius perfectionis, cujus fastigium implet primorum Fidelium vita pariter & disciplina; tradit insignia virtutum exempla, quæ sub Apostolis data sunt; prodigia S. Spiritus in redigendis ad Fidem gentibus; maximumque omnium prodigiorum, constitutam nempe Ecclesiam Christianam, & Regnum Dei, cujus Regni promissiones frequentissimæ in Scripturis spectantur.

Inscriptum est a Luca Opus, *Acta Apostolorum*; quo, ait S. Chrysostomus tom. 5. hom. 1a. doceremur, non tam prodigia in eo quærenda, quam morum exempla, & documenta virtutum. Cum, ait S. Hieronymus Ep. 103. nonnisi nudam & simplicem Ecclesiæ nascentis historiam narrare videtur sapiens iste Medicus, Evangelii laude universo Orbe celeberrimus, reipsa tamen promit tot remedia curandæ animarum nostrarum valetudini præsentissima, quot verba profert formandis moribus utilissima.

Id autem habuisse potissimum consilii creditur, ut confictis aliorum fraude Apostolicis Actis, veram hanc & genuinam rerum ab Apostolis Petro & Paulo gestarum historiam opponeret. In eam vero contulit quidquid maxime necessarium duxit ad credentium fidem; cujus rei merito tantam sibi gratiam apud Ecclesiam universam comparavit, ut ejus solum Opere admisso, cætera omnia rejicerentur (1). Verum si fide Operis sui Lucas cæteris omnibus de eo argumento Libris ante se scriptis fidem detraxit, minime tamen fecit, ne post ipsum alia procuderentur. Nota sunt posterioribus sæculis Acta a Manichæis, cæterisque Hæreticis supposita, de quibus nobis fusius infra agendum est. Sed eorum tenebras sanctissimus Scriptor luce Operis sui ita dissipavit, ut nihil sive ante ipsum sive post ipsum scriptis mandatum de eo argumento admissum. Suspicatur Sanctius in Acta Proleg. num. 13. Judæos, Apostoli Pauli famæ invidiam creaturos, plures in vulgus adversus illum calumnias sparsisse, quibus confutandis evincendisque Lucas Opus illud veluti apologiam opposuit.

Quærit S. Chrysostomus in Acta homil. 1. cur Lucas utrumque Opus eidem Theophilo inscribens, non in eumdem pariter Librum contulerit Acta simul & Evangelium, sed in duos dispescere

[43] Augustin. Beda, Rupert. D. Thom. Lyran. Vide Origen. Philocalia; Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 99.
[44] Hieron. in Matth. xxi. Nicephor. lib. 1. cap. 24. Histor. Ecclesf. Ribera, Hein. [45] Οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. [46] Alexand. Cantabrig. Colb. 8.
[1] August. de Consen. Evangelist. lib. 4. cap. 8.

ſcere maluerit. Reſpondet, id ab eo præſtitum; I. Majoris claritatis gratia; II. In legentium commodum; III. Ut rerum, de quibus agebat, naturæ ſerviret; diſcrimen enim poſcunt. Primo autem ſcriptum eſt ab eo Evangelium, deinde Acta (2), ſed quo potiſſimum tempore ad utrumque ſeſe contulerit, incertum. Tradunt Veteres, digeſtum ab ipſo Evangelium in Achaja; idemque opus ſpectari ab Apoſtolo (3): *Miſimus cum Tito fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*. Sed his admiſſis, fateamur oportet, diu ante ſcriptum Actorum Librum, prodiiſſe Evangelium; Epiſtola enim ad Corinthios data eſt anno Jeſu Chriſti LVII. cum ſcribendis Actis non antea operam dare potuerit, quam poſt exactum Romæ una cum Apoſtolo Paulo biennium, nempe poſt annum LXII. vel LXIII. Jeſu Chriſti. Nec abs re ſuſpicamur, ſcripta fuiſſe Acta Romæ, quo tempore in captivitate detento Apoſtolo, Lucas uſque ad reſtitutam ejus libertatem adhæſit.

Græcis literis exaratum fuiſſe, ambigit nemo; cultior eſt autem & elegantior, quam cæteri Novi Fœderis Libri (4). Laudantur in eo plerumque teſtimonia Scripturæ ex Verſione Septuaginta; quod facile Scriptor Hebraice ignoraret (5); cum etiam Paulus verba frequentiſſime Gentibus faciens, mallet Sacros Libros ex vulgato tritoque omnium manibus Textu laudare, quam ex Hebræo longe pluribus ignoto. S. Epiphanius hær. 30. cap. 3. 6. author eſt, e Græco in Hebræum, Chaldæum nempe, vel Syriacum, quo tamquam vernaculo Palæſtini Judæi utebantur, translatum fuiſſe. Idem Opus Hebraice verterant Ebionitæ; ſed pluribus memoriæ Apoſtolorum plane injurioſis inſertum corruptumque. Tradit S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſiaſt. Presbyterum quemdam Aſiæ genuinis Apoſtolorum Actis adjeciſſe Itinera Pauli, ac Theclæ, & commentitiam baptizati leonis (belluæ nempe) a S. Thecla luſtrali aqua tincti hiſtoriam. Ejus doli reum tenuit eumdem Presbyterum Joannes Evangeliſta, ait Tertullianus, coegitque fateri, amore Pauli hæc commenta ſe procudiſſe. D. Grabe, qui vitam S. Theclæ veterem dedit antehac parum, monet hanc fabellam leonis ibidem non legi.

Canonica huic Libro authoritas nunquam defuit in Eccleſia. Canonicum tamen negarunt Hæretici Marcionitæ (6) & Manichæi (7). Genuinum Opus rejicientes Nicolaitæ, & Gnoſtici, apocrypha alia Scripta ſubſtituerunt (8). Id autem ab illis præſtitum eſt (9), quod luculenter nimis in eo Opere illapſus S. Spiritus ex Oraculo Jeſu Chriſti, paucis poſt Aſcenſionem diebus, tradatur; quod incommodum Manichæis accidebat, jactitantibus, illud de S. Spiritu oraculum in Manete hæreſeos authore impletum. S. Auguſtinus ita de hoc Libro pronunciat (10): *Actus Apoſtolorum Liber eſt de Canone Scripturarum: ipſe Liber incipit legi a Dominico Paſchæ, ſicut ſe conſuetudo habet Eccleſiæ*. Acta Apoſtolorum non ſemper eundem in ſerie canonicorum librorum locum ſive in editis ſive in Mſ. Codicibus ſervarunt. Biblia impreſſa plura occurrerunt mihi Acta iſta collocantia inter epiſtolam ad Hebræos & Apocalypſim, ceu Biblia Venetiis impreſſa anno 1478. & alia 1517. In aliis vero medium tenent locum inter epiſtolam ad Hebræos & Canonicas, ut in Lugdunenſius Joannis Criſpini anni 1539. & in aliis Jacobi Sacon ann. 1515. ſicut & Pariſienſibus anni 1511. Item & Lugdunenſibus Jacobi Mareſchal anni 1525. aliis ibidem 1512. & aliis denique 1523. Item in Baſileenſibus anni 1473. Norembergenſibus 1479. Venetiis 1484. tum & 1481. 1486. 1509. Eundem ordinem ſervat vetuſtiſſimus Mſ. Codex Eccleſiæ majoris Metenſis. Vide Fabricium apocryph. N. T. pag. 750.

Queritur S. Chryſoſtomus hom. 1. in Acta neglectam temporibus ſuis Actorum lectionem, ut pluribus ne nomine quidem Opus noſceretur. Ipſe vero illius dignitatem commendat, Eccleſiæ perinde ac Evangelium utile eſſe profeſſus. Eraſmus in Acta Præfat. in ſua editione N. T. meditabatur Evangelium Lucæ Actis jungere, ne unius ejuſdemque Auctoris, uni eidemque nuncupata Viro, Opera disjungerentur; ab eo tamen conſilio abſterritus eſt, ne graviter ferretur varius Evangeliorum ordo. Quamquam, ut vera fateamur, Acta ipſa Evangelii portio non infima cenſeri poſſunt. Si enim Evangelium ſemen terræ creditum narrat; natum germen & matura jam meſſis exhibetur in Actis.

Inter ſcripta N. T. non idem ſemper locus Actis Apoſtolorum manſit. Medium tenent inter quatuor Evangelia & Apocalypſim, in pluribus vetuſtis Mſſ. quorum unum ſervatur in Abbatia Medii Monaſterii; nec alium plerumque obtinuiſſe innuunt S. Auguſtinus, Caſſiodorus, & Theodulphus Aurelianenſis. Sed alia quædam Exemplaria conſtituunt poſt Epiſtolas S. Pauli, & ante ſeptem Canonicas; uti ſpectare etiam licet in vetuſtis nonnullis Editionibus. In veteri Mſ. S. Germani Pratenſis, & in Bibliis S. Mariæ Muſſiponti hic ordo ſervatur: Evangelia, Acta, ſeptem Epiſtolæ Canonicæ, Epiſtolæ S. Pauli; qui & recurrit in Mſſ. Syriacis, & in Verſione Moſcha, ſeu Ruthenica. Acta ſeptem Canonicis continuari tradit S. Philaſtrius. Interdum poſt Apocalypſim rejecta ſunt. Ea tandem in re maxime variant tum Mſſ. tum vetuſtæ Editiones (11).

Variantia plurima, nec levis momenti, in eodem Libro deprehenduntur; quæ facile gloſſemata ſunt a librariis adjecta; ſive oræ libri inſcripta, perſpicuitatis gratia, deinde in Textum illata. Quæ ex iis additionibus majoris momenti videbantur, eas in Commentariis adnotare viſum eſt. Legitur in Synopſi, S. Athanaſii nomine inſcripta, Librum Actorum ab Apoſtolo Petro

[2] Act. 1. 1. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & docere.*
[3] 2. Cor. VIII. 18. Vide Origen. Ambroſ. Hieron. Chryſoſt. alios. [4] Hieronym. in Iſai. VI.
[5] Hieron. tradit. Hebr. in Gen. XLVI. [6] Tertullian. cont. Marcion. lib. 5. cap. 1. 2. [7] Auguſt. de utilit. credendi cap. 3. [8] Philaſtr. hæreſ. 87. [9] Auguſt. Epiſt. olim 253. nunc 237. num. 2. & lib. de utilit. credendi num. 7. [10] De Prædeſt. SS. cap. 2. num. 4. vide & in Joan. tract. 6. num. 18. & ſerm. 315. novæ Edit. n. 1. [11] Vide Fabric. not. in Fragm. Apoſtolic. apocryph. p. 750.

fuisse dictatum, uti ab Apostolo Paulo Evangelium Lucæ: utrumque incertum. Neque enim aliquid de Evangelio Lucæ, Apostoli Pauli dictantis ore excepto, constat; Actis vero dirigendis aliquid vel minimum contulisse Petrum, vix ac ne vix quidem credimus. Ejus Apostoli mentio occurrit in primis tantum Operis capitibus; deinde a capite XIII. totum narrandis Pauli gestis impenditur; nec sane a Paulo recessisse amplius, Lucas creditur, ex quo Troade in Phrygia illi comes, non itinerum tantum, sed laborum omnium & malorum accessit. Quare nonnisi oculis explorata in eo libro refert. De Luca summa cum laude agit Apostolus 2. Cor. VIII. 18. 19. *Misimus etiam cum Tito fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam* (nempe colligendis Fidelium eleemosynis). Suspicantur etiam plures inter Veteres, *Lucium* illum, de quo alibi Paulus Rom. XVI. 21. quem necessarium suum nuncupat, ipsum esse Lucam Actorum Scriptorem.

Utriusque itineris Pauli Apostoli Romam socius accessit Lucas; cumque solum inter Veteres Discipulos, quibuscum ad Urbem venerat, lateri suo adhærentem habebat idem Apostolus, quo tempore secundam ad Timotheum Epistolam dabat; nempe paulo ante Martyrii sui consummationem (12); ut proinde ad exitum usque vitæ fidum hunc comitem expertus sit. Mirari subit, cur historiam Martyrii ejusdem Apostoli scriptis mandare neglexerit, cum nemo melius posset; quippe qui suis ipse oculis ejus obitum viderat, & diu post eam ætatem vitam produxit. Sunt qui putaverint (13), consilium agitasse Lucam novam scribendi historiam ab adventu Pauli Romam, usque ad ejus obitum; quod ne executioni mandaret, in causa fuisse fortassis itinera, & cæteras Apostolicas sollicitudines, quas præferendas scriptioni arbitratus sit. Apostoli & hominis Apostolici est, pauca scribere, multa moliri (14). Porro Martyrium Pauli satis aliunde notum est; nec sane aliter expectari par erat de re tanti momenti in celeberrimæ Urbis Romæ, adeoque universi orbis theatro, in ipsis Fidelium omnium oculis gesta: sed itinera & cætera vitæ ejusdem Apostoli facta poterant facile e mentibus hominum excidere; quod sane detrimento fuisset Ecclesiæ, nisi illorum memoriam scriptis perennare Lucas instituisset.

Continet idem opus historiam Ecclesiæ ab Ascensione Domini ad usque restitutam Paulo Apostolo libertatem, biennio post quam is Romam venit. Intervallum est autem XXX. annorum, quot scilicet ab anno XXXIV, usque LXIV. Jesu Christi, sive a XX. Tiberii usque ad IX. Neronis excurrerunt.

Pauca modo de falsis *Actis Apostolorum*. Ebionitarum fraude genuinum Lucæ Opus corruptum est, pluribus ingestis memoriæ Jacobi, Petri, & Pauli maxime injuriosis. Legebantur ibi (15) *Ascensus*, sive *Scalæ Jacobi*, quibus referebatur visio quædam ejusdem Apostoli de eversione Jerosolymæ, & Templi.

Acta Petri pluribus sub nominibus noscuntur, veluti *Periodi Petri*, qui Liber superest. *Recognitiones Clementis*, *Prædicatio*, sive *doctrina Petri*. Legitur etiam Opus inscriptum: *Apocalypsis Petri*, sive *Judicium Petri*. De singulis hisce Operibus pauca. *Itinerarium Petri*, nomine *Recognitionum Clementis* notum, pluribus modo, quam prioribus sæculis, fabellis intextum est, atque e schola Ebionitarum prodijt. Photius Bibl. Cod. 124. ficta illa Apostolorum Acta, sive *Itinerarium Apostolorum*, inter quæ primas tenebant Recognitiones Petri, fabricata fuisse, vel saltem plurima fabularum accessione locupletata a Charino magni nominis Ebionita. Probabilius tamen credimus, Opus illud primo ab aliquo ejusdem Apostoli Discipulo absque dolo malo descriptum fuisse, quod deinde nacti Ebionitæ corruperint; eaque illorum accessione factum esset, ut inter Apocrypha rejiceretur. Meminit S. Augustinus contra Adimant. cap. 17. quorumdam Actorum Petri, in usum Manichæorum, in quibus duæ potissimum historiæ legebantur; altera nempe de filia Petri Apostoli, patris precibus paralysi correpta; alia vero de filia cujusdam ultoris, precibus ejusdem Apostoli subita nece oppressa.

Prædicatio Petri legitur apud S. Clementem Alexandrinum, Origenem, Eusebium Hist. Eccl. lib. 3. cap. 3. S. Hieronymum Catalog. voce, Petrus. Scripta erat ab aliquo Petri Discipulo, Magistri studiosissimo. Duo ex eodem Libro posteritati transmissa sunt, illud nempe de Christo, qui discedenti ex Urbe Apostolo Petro occurrens, dixit; *Vado Romam iterum crucifigi* (16); quibus verbis vaticinium imminentis obitus sui Apostolus intellexit. Et aliud dictum Apostoli Petri ad uxorem, quæ ad martyrium rapiebatur: *Memento Domini* (17).

Apocalypsis Petri, paulo post obitum ejusdem Apostoli facile scripta, refert oracula illius de excidio Jerosolymæ, futuroque Ecclesiæ statu; oracula, inquam, si qua alia, obscura & ænigmatica. Longum ejus fragmentum servatur apud Lactantium Divin. Instit. lib 4. cap. 21. in quo revelatio quædam Jesu Christi ad Apostolos Petrum & Paulum, & ab illis ad Romanos pro concione exposita; revelatio, inquam, futuri adversus Judæos belli, & malorum, quæ miseræ genti imminerent. Sozomeni ætate (18) adhuc legebatur Apocalypsis Petri in nonnullis Palæstinæ Ecclesiis, die Parasceves solemni.

Judicium Petri, de quo S. Hieronymus & Rufinus, describit terribile illud, quod Judæos manebat a Deo, judicium. Opus est facile cum Apocalypsi confundendum.

Acta Pauli, non diu post ejusdem Apostoli obitum prodierunt, quasi in supplementum eorum,

[12] 2. Timoth. IV. 11. *Lucas est mecum solus*. [13] Vide Fromond. ad Acta, cap. ult. pag. 705. [14] Vide Chrysostom. homil. 1. Acta pag. 3. [15] Epiphan. hæresi 30. §. 16. [16] Origen. in Joan. pag. 295. Ἄνωθεν μέλλω σταυροῦσθαι. [17] Clem. Alexand. Strom. lib. 7. pag. 736. Μέμνησο, ὦ αὕτη, τοῦ Κυρίου. [18] Sozom. Histor. Eccles. lib. 7. cap. 19.

rum, quæ Lucas omisit. Continent autem gesta & miracula ejusdem Apostoli postremo ejus vitæ quinquennio, nempe ab anno secundo adventus ipsius Romam, ubi Liber Actorum Lucæ definit. Duplo prolixior erat Liber, quam Acta Apostolorum Canonica (19). Eusebius hist. Eccles. lib. 3. c. 25. cui ignotum non erat, de illo tamquam apocrypho & supposititio agit. Fragmentum ex illo laudat Origenes (20): *Quia hic est verbum animal vivens;* quæ facile sententia ex prava interpretatione illius ad Hebræos derivata est: *Vivus est sermo Dei, & efficax*.

Acta Joannis Evangelistæ, in S. Epiphanio hæref. 47. & S. Augustino (21) nota, commentum erant Gnostici cujusdam, eademque facile Pseudo-Abdias lib. 5. hist. inseruit. Historiolæ plures supra fidem, & ridendæ quædam fabellæ ibidem leguntur: rejicit vero Scriptor nuptias, & usum imaginum ac simulacrorum. Videsis Photium Bibl. Cod. 114. in excerptis Actorum, quæ Lucius quidam sive procudit, sive corrupit. Sunt autem Acta illa idem facile Opus ac Itinerarium Joannis apud Pseudo-Athanasium in Synopsi, dignum quo Encratitæ, Manichæi, & Priscillianistæ uterentur.

Acta Andreæ, Manichæis probata, nuptias aversabantur, quemadmodum apud S. Augustinum de Fide contra Manich. cap. 38. duobus ex eo libro testimoniis intelligimus. Adversarius Legis, & Prophetarum, ab eodem Doctore refutatus (22), non semel sententias ex eodem Opere laudaverat.

Acta Thomæ, Manichæis, teste S. Augustino (23), erant in pretio. Sub tanti nominis obtentu suppositum fuisse Evangelium, jam animadvertimus. Quædam in suum Opus ex illis transtulerat Pseudo-Abdias; testatus insuper, referri in eodem Libro iter Apostoli Thomæ ad Indos, quæqua in ea regione mala, & labores ille toleraverit. Fabellam hominis, in quem dira imprecatus fuerat Thomas Apostolus, quod ab ipso alapa percussus esset, ex eodem Libro refert S. Augustinus.

Acta Philippi, una cum Evangelio sub ejusdem Apostoli nomine, probabant Gnostici (24). Ejus Operis secundam partem, historiam Martyrii S. Andreæ complectentem, vidisse se in Bibliotheca quadam Anglica, Millius (25) testatur.

Apocalypsis Pauli (26), ab Encratitis, tamquam promus condus mysteriorum suorum, fabricatum Opus. Tituli illius mysterium derivabant ex illo 2. Cor. 12. 4. *Scio hominem raptum usque ad tertium Cœlum, & vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. De illo tamquam fabulis referto, & nullam in Ecclesia authoritatem obtinente, agit S. Augustinus in Joan. Tract. 98. num. 8. Equidem si Paulus demonstrata sibi supra hominis captum mysteria prodit, quid tantum sibi vindicant Hæretici, ut possint ea mysteria differere?

---

[19] Legitur in veteri Mf. laudato a Cotelerio in Adnotationibus ad S. Barnabam, hæc Acta continere 4560. versus cum Acta Canonica in eodem Mf. nonnisi 2500. contineant. [20] Origen. lib. 1. Περὶ ἀρχῶν, Forse idem cum Hebr. 4. 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. [21] De Fide cap. 4. & 40. & in Adversar. Leg. & Prophet. lib. 1. cap. 20. [22] Augustin. lib. 1. cap. 20. cont. Adversar. Leg. & Proph. [23] Cont. Adimant. cap. 17. & cont. Faust. lib. 22. [24] Leont. de Sectis. [25] Inter Codd. Baroccian. apud Millium, Proleg. in N. T. G. [26] Epiph. hæresi 38. §. 2. Ἀναβατικὸν τοῦ Παύλου.

TABULA CHRONOLOGICA

In Acta Apostolorum.

A. M. 4037. Æræ Vulg. 33. Tiberii 20. J. C. 34. AScensio Jesu Christi, feria quinta, 14. Maii.
Pentecoste, & Spiritus S. illapsus, die Dominica, 24. Maii.
Electio septem Diaconorum.
Martyrium Stephani.
Prima Ecclesiæ persecutio post obitum Stephani. Fideles longe lateque disperguntur.
Philippus Diaconus Samariæ fidem nunciat.
Eo veniunt Petrus & Joannes, recens ad fidem conversis Spiritum S. collaturi. Simon Magus pecuniam illis offert.

34. Paulus in itinere Damasceno ad fidem convertitur. In Arabiam secedit.
Petrus Lyddæ Æneam valetudini restituit; Tabitham Joppe ad vitam revocat; Cornelium Centurionem baptizat.

37. *Tiberio defuncto, Caligula succedit.*
Paulus Damasco sese subducens, Jerosolymam primum, deinde Tharsum venit.

41. *Cajus moritur. Claudius regnat.*

43. Paulus, Tharso relicta, Antiochiam concedit, ubi Discipulis tum primum data Christianorum appellatio.

44. Paulus & Barnabas, Antiochia digredientes, Jerosolymam veniunt.
Herodis Agrippæ jussu, Jacobus Major interficitur; Petrus carceri traditur, unde ab Angelo liberatur.
Herodes Agrippa Judææ Rex moritur. Judæa in potestatem Romanorum veniens, in Provinciam redacitur.
Paulus & Barnabas initiantur Antiochiæ in Apostolos Gentium.
Paulus in Cypro Evangelium nunciat, atque Sergio Paulo persuadet.

Paulus Pamphiliam, Pisidiam & Lycaoniam peragrat.
45. Ex Asia Antiochiam redit.
51. Concilium Apostolorum Jerosolymis, ubi jugo legis levandos Fideles, ex Gentibus ad Sacra Christianorum traductos, decernitur.
Petrus Antiochiam veniens, a Paulo arguitur.
Paulus & Barnabas occasione Joannis Marci mutuo secedunt.
Barnabas in Cyprum una cum Joanne Marco contendit.
Paulus una cum Sila Asiam minorem petit. Timotheum, circumcisione prius initiatum, itineris comitem assumit.
52. Paulus in Macedoniam proficiscitur. Philippus Evangelium nunciat, ubi una cum Sila flagris cæditur.
Tendit inde Thessalonicam, Berœam, & Athenas, ubi Dionysium ad fidem traducit.
Corinthum veniens, moram ubi XVIII. mensibus trahit.
53. Priorem Epistolam ad Thessalonicenses, & paulo post secundam ad eosdem scribit.
Coram Gallione Proconsule Achajæ sistitur.
54. Corinthum deserens, Ephesum, deinde Jerosolymam, ac tandem Antiochiam concedit. Peragrata Galatia & Phrygia, Ephesum in exitu anni restituitur, ubi triennio manet, annis nempe 54. 55. 56. Quo tempore, Apollo Ephesum, ac deinde Corinthum proficiscitur.
Claudius Imperator vita defungitur. Nero imperat.
55. Seditio in Paulum Ephesi cietur.
Epistolam mittit Paulus ad Galatas, a Judæis in seditiones commotos.
56. Timotheum in Macedoniam & Corinthum mittit. Prima Pauli ad Corinthios Epistola.
57. Demetrius Ephesi turbas ciet in Apostolum.
Ephesum deserens Paulus, venit Troadem; inde in Macedoniam proficiscitur.
Altera Epistola ad Corinthios per Titum missa.
Paulus Corinthum & Achajam petit, ubi tres postremos hujus anni menses agit.
58. Epistola ad Romanos Corinthi data.
Græciam deserens, Jerosolymam contendit; inde Philippis proficiscens, festum ibi Paschatis celebrat. Tum Troade & Mileto pertransiens, Jerosolymam occasione Festi Pentecostes se confert.
A Judæis in Templo detinetur; e quorum manibus subductum Lysias Tribunus apud se tenet, ac biduo post ad Felicem Judææ Præsidem Cæsaream mittit. Biennio ibi in carcere detinetur. Act. XXIV. 27.
60. Festus in Judææ Præfectura Felici successor datus.
Paulus manibus Judæorum traditum iri se a Præside intelligens, Neronem appellat.
Navim conscendens Cæsareæ, Myram Lyciæ appellitur. Naufragium patitur ad Insulam Melitam, Octobri exeunte.
61. Romam pervenit mense Februarii, ubi usque ad annum 63. biennio nempe, subsistit.
Onesimum ad fidem convertit, & ad Philemonem scribit.
Epistolæ ad Philippenses & Colossenses.
63. Epistola ad Hebræos.
64. Prima ad Timotheum.
65. Secunda ad Timotheum.
Epistola ad Ephesios.
Petrus & Paulus Romæ martyrium consummant, anno duodecimo Neronis, Jesu Christi 66.

DISSERTATIO

DE EPIGRAPHE ARÆ ATHENIENSIS:

Ignoto Deo. Actorum XVII. 22.

ATHENAS urbem ingressus Apostolus, totamque Idololatriæ superstitionibus implicitam nactus, a lacrymis vix se continuit. Nulla non die ad Synagogas Judæorum, sive ad publicum Urbis forum se conferens, qua disputationibus, qua argumentis Judæos & Philosophos vincebat. Doctrinæ novitate commoti Philosophi, viro denunciarunt, ut coram Areopago se sistens, doctrinæ suæ veritatem viris illis doctissimis approbaret. In medio igitur amplissimi cœtus ita concionatus est Apostolus: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim videns simulacra vestra, inveni & Aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*

Quod ignotum hoc Numen; quæ Ara; qui Inscriptionis sensus, qua occasione & quonam Authore apposita, disquiritur. S. Hieronymus (1), quem ducem sequuntur plures ex Interpretibus (2), ita scribit: *Inscriptio Aræ non ita erat, ut Paulus asseruit, sed ita: DIIS ASIÆ ET EUROPÆ ET AFRICÆ. DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS Verum quia Paulus non pluribus indigebat Diis ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret, illum suum esse Deum, quem Athenienses in Aræ titulo prænotassent.*

Malunt alii, designari vetustissimum quoddam Altare Athenis dedicatum, authore Epimenide Philosopho, occasione pestis tota Urbe grassantis. Consultum enim ea de re Oraculum declaraverat,

---

[1] In Epistol. ad Tit. cap. 1.
[2] Erasm. Lud. de Dieu.

rat, ad cohibendam luem expiari oportere atque lustrari Urbem (3). Accitus ea de causa e Creta Epimenides clari nominis Philosophus vel Magus, qui DC. circiter annis ante Christum florebat, actutum Athenas se conferens, oves albas nigrasque aliquas in superiorem Urbis partem, ubi situs est Areopagus, deduxit. Hic solutas dimisit, mandatis onerans quosdam viros, ut errantes palantesque sequerentur; & cum sponte sua quiescerent, immolarent Deo loci vicinioris, sive Deo cui maxime oporteret. His peractis, statim lues cessavit. Factum inde, ait Diogenes Laertius, ut nostra adhuc ætate, [nempe diu post, secundo Ecclesiæ sæculo incepto] in agro vicisque Atticæ erecta quædam Altaria occurrant, in memoriam hujus expiationis, Dei nullius nomine inscripta. Ferunt itaque, altaribus hisce nullam peculiarem inscriptionem apponi consuevisse; vel si quam forte addebant, hæc tantum Deum quemcumque præseferebat, qui ejus morbi Author extiterit, sive Deum, qualiscumque ille esset, cui ea expiatione litaretur. Huc igitur spectasse Apostolus creditur (4).

Aram ignoti Dei deprehendisse, sibi aliqui blandiuntur (5) in Pausania, Philostrato & Luciano. Nam Pausanias & Philostratus authores sunt, coli Athenis Aras inscriptas: *Diis ignotis* (6); idest, ait Grotius, plura erant hujus generis Altaria, quorum singulis addi poterat singularis epigraphe: *Ignoto Deo*. Et Lucianus, sive quis alius Author Dialogi Philopatridis, jurat per *Deum ignotum Athenarum* (7). Addit insuper: *Cum Athenas venissemus, Deum ignotum nacti, cultu & gratiarum actionibus porrectis in Cœlum manibus venerati sumus*.

Non abs re suspicamur, *Deum ignotum*, de quo Paulus, eumdem esse, qui apud Scriptores legitur. Scripturæ textum reddunt Syrus & Arabs: *Deo occulto*; Deo nempe, cujus nomen latet. Ad Aras a Dionysio Laertio memoratas quod spectat; cum nullam præseferrent epigraphem, uti ab eodem Scriptore traditum est, aliæ plane esse debuerunt, ac Altaria illa ab Apostolo descripta. Si vero aliam habebant, quam quæ ab eodem Apostolo traditur, *Ignoto Deo*, nihil est, cur eædem ab Apostolo significatæ existimentur. Ad hæc, Epimenidis Altaria in agro & in locis, ubi palantes oves quieverant, erecta sunt; cum Aram, de qua modo, urbs ipsa Athenarum intra suum ambitum contineret. Aræ illæ dicatæ, juxta Hieronymum in Ep. ad Tit. 1. 12. *Diis Asiæ, Europæ, & Africæ, Diis ignotis & Peregrinis*, inscriptionem habebant plane aliam, quam quæ ab Apostolo refertur; ut proinde Altaria illa designari a Paulo, vix nosse possent Areopagitæ. Paulo aliter hanc inscriptionem reddunt Oecumenius & Theophylactus in Acta: *Diis Asiæ, Europæ, & Africæ, Deo ignoto, & Peregrino*, in singulari; quod magis ad Apostoli sensum accedit. Sed pronior est inscriptio a S. Hieronymo tradita. Volebant ea religione Athenienses suppleri iis, quæ forte imprudentes in cultu singulorum Numinum omisissent. Quare Divinos simul honores pendebant Numinibus, per universas terrarum orbis regiones cultis, omnibus in unam Altaris & dedicationis religionem collatis. Quæ si ita essent, quomodo Apostolus verba ad Areopagitas faciens, venisse se nuncium jactaret illius Dei, cui hactenus divinos honores inscii detulerant? Non de uno agebatur Deo, sed de Numinibus per universum omnibus.

Quod, rogo, Numen istud ignotum, cui Athenienses altaria dedicaverant? Numquid divini honores pendebantur ignoto? Nonne mysterium aliquod in eo silentio vel ignorantia Numinis latet? Suspicantur quidam ex Interpretibus (8), sub ejus inscriptionis ambagibus latere Deum Cœli universi Authorem. Non obscure id Apostolus Athenienses alloquens insinuat Act. 18. 22. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic Cœli, & Terræ cum sit Dominus, non in manufactis Templis habitat*. Moris erat apud Judæos, nullo peculiari nomine Deum suum designare; cum Gentiles nomine, origine, sexu, Imperio & nominibus distinguerent. Deum Hebræorum *Dei Cœli* nomine designabant alieni (9), Dei ineffabilis, invisibilis (10), altissimi, æterni. Judæi pariter nomen ineffabile *Jehova* vel pronunciare abstinebant, vel non sine magna reverentiæ significatione augustissimum illud nomen proferebant. Samaritani, quibus idem erat ac Judæis Deus, Antiocho Epiphani declararunt (11), erectum a Patribus suis in Monte Garizin Templum ignoto & sine nomine Deo, cui ad eam usque ætatem thura & divinos honores impendissent; esse tamen se paratos exinde, ut jussionibus illius obtemperarent, Græcum Jovem in eodem Templo dedicare. Deum Judæorum incertum appellat Lucanus Phars. l. 2.

. . . . *Et dedita Sacris*
Incerti Judæa Dei.

Non abs re igitur suspicamur, Athenienses populos, si quos alios, superstitiosissimos, qui hospitium in Urbe sua, ut eorum phrasi utamur (12), nemini Deorum negandum sibi arbitrabantur; id pariter voluisse, ut Hebræorum Numini suum assignarent locum; quod Numen gentem omnibus imbutam doctrinis, & curiosa omnia sectantem, latuisse vix credimus.

S. Chrysostomus in Acta censuit, Deum illum Atheniensium incognitum, ipsissimum fuisse Jesum Christum. Athenienses enim, qua tenebantur superstitione, post collectum fere ex omnibus mundi Numinibus collegium, veriti, ne quod Numen sedulitatem atque diligentiam suam fugeret, cui cultus & honores pro merito impenderentur, huic, si quod esset, Aram excitarunt, hac adjecta epigraphe: *Ignoto Deo*. Paulus, quem novi Numinis cultum in Urbem invehere tentantem, reum violatarum legum accusabant, ab ea se accusatione defendit, obtendens, nihil novi se nunciare, quippe qui Deum prædicaret, cui ignorantes antea supplicabant; Deum nempe Creatorem Cœli & Terræ, ex quo salus in omnes homines provenisset. Huc sane Paulus collimabat: numquid vero eadem sentiebant Athenienses?

Historia Scholastica, liber nullius fidei, & apocryphis refertus, narrat, S. Dionysium Areopagitam aliquot ante conversionem suam annis, cum literis vacaret in Ægypto, spectasse præter consuetas naturæ leges eclypsim solis & lunæ, quæ in obitu Jesu Christi contigit, atque id apud se reputasse, ignotum aliquem Deum mala tolerare; quare Athenas restitutum, ut ignoto illi Numini suus maneret cultus, in Urbis foro Aram hanc excitasse, de qua Apostolus Paulus verba deinde in Areopago fecerit. Hæc, invita licet Minerva, ab Authore tradita, approbatore & quidem frequenti non carent (13).

Nec magis moramur duas vel tres alias fabellas a Theophylacto & Oecumenio relatas. Cum Athe-

[3] Diog. Laert. lib. 1. in Epimenide. [4] Grot. Voss. Beza hic. Brodæ. Miscell. lib. 2. cap. 2. Casaub. ad Laert. Selden. de Syned. lib. 3. cap. 13. Hammond. alii. [5] Vide Grot. [6] Pausan. Attic. Philostrat. lib. 6. cap. 2. [7] Lucian. seu quis alius Dialog. Philopatr. [8] Vide Sanct. Cornel. Lorin. Menoch. Baron. [9] Jon. 1. 9. Dan. 11. 15. & v. 25. Judith. v. 9. [10] Dio Cass. A'γνωστο, & ἀειδῆ. [11] Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 7. pag. 410. [12] Vide Act. xvii. 22. Joseph. lib. 2. cont. Appion. Sophocles, alii apud Grot. in Act. xvii. 22. [13] Vide Sanct. Hugonem, Salmeronem.

Athenienses bellum quoddam suscepissent, ingenti prælio victi, animis desponderant: eum subito quodam spectro moniti fuere, sinistræ hujus fortunæ causam fuisse, quod nullo ipsum honore colerent; & dum nullum esset Numen, quod suis ludis Athenis careret, ipse unus negligeretur. Evanuit illico spectrum, ne nomine quidem suo indicato. Hæc Atheniensibus erigendi Templum ignoto Deo ratio succurrit.

Aliter rem narrat Oecumenius. Violento quodam morbi genere correpti Athenienses, morbido calore adeo torrebantur, ut ne tenuem quidem corporis amictum paterentur (14). Frustra Deos, quoscumque urbs Athenarum colebat, supplicationibus fatigabant. Cum vana omnia intelligerent, suspicati in tantum se venisse malorum ex indignatione Numinis cujusdam, quod se neglectum ægre ferret, Aram ignoto Deo excitarunt. Ejus altaris epocham alii constituunt tempore belli Persarum in Græcos. Ea occasione Athenienses suppetias rogaturi, Philippos ad Lacedæmonios miserunt. Legatis obviam factus Deus Pan in monte Parthenio, atque acriter Athenienses arguit, quod solus inter Numina ab illis negligeretur; scirent autem, se, siquidem debito apud illos honore non fraudaretur, ope illos sua juvaturum. Post devictos Persas, Ara huic Numini excitata est, cui inscriptionem hanc subjecere: *Ignoto Deo*; ne alterius Dei, cujus imprudentes cultum neglexissent, indignationem posthac subire cogerentur. Sed fabellis hisce fides ab alio non magis, quam ab iisdem ipsis Authoribus, detrahitur; nullum enim illis in antiquitate, nec in genuina aliqua historia fundamentum.

Veram erigendæ hujus Aræ ignoto Deo causam docuit facile S. Chrysostomus. Athenienses, qui cæteros superstitione vincebant, ne quem Deum neglectum a se unquam arguerentur, ignotis etiam & incertis divinos honores ferebant. Neque id genti singulare. Incertis Numinibus Aræ Romæ pariter dedicabantur. *Invenio plane ignotis Deis Aras prostitutas, sed Attica Idololatria est; item incertis Deis, sed Romana superstitio est*, ait Tertullianus contra Marcion. c. 9. Strabo pariter asserit lib. 3. Celtas anonymum quoddam, vel incogniti nominis Deum coluisse, Theologia Gentilium docet, loca quædam, nemora, & arva ab incognitis Diis habitari.

Quis Deus, incertum est: habitat Deus.

Ovidius post narratam mundi creati historiam, de Deo ejus authore, tamquam de ignoto quodam Numine, agit Metamorph. lib. 1.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit.

Macrobius Saturnal. l. 3. c. 9. observat, custodes Urbium Deos plerumque in occulto manere, ne in obsidionibus invocarentur. Genuinum Urbis Romæ, & Genii illius nomen hodie usque latet. Quare cum obsessæ Urbis Numina invocarentur, hæc erat precandi formula: *Si Deus, si Dea est, cui Populus CivitasqueCarthaginensis est in tutela, &c.* Cum terræ aliquis motus contigisset, solebant veteres Romani ferias aliquas indicere, placando Numini hujus prodigii authori. *Sed Dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere, & edicere quiescebant; tum ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent; tum quia & qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, incertum esset.* Gell. lib. 2. c. 28.

Sed his ita constitutis, si Atheniensium Deus Numen erat extraneum, incertum, ambiguum, incognitum, cui Populus ille cultum redderet impium & superstitiosum, qui edicere potuit Apostolus, ipsum esse Cœli terræque authorem, vel æternum ejus Filium, mundi *Servatorem*? Si Deum Hebræorum Athenienses norant, cur non aperta religione Aram illi dedicarunt, sed inscribere maluerunt: *Ignoto Deo*? Quomodo tandem nosse potuerunt Jesu Christi divinitatem, quam soli tunc noverant ejus Discipuli, negabant vero Judæi? Invisa erat tunc temporis Judæorum religio apud Ethnicos; nec sane conciliandæ illorum Numini apud Athenienses reverentiæ plurimum conferebant ea, quæ de ipso Hebræorum Deo, atque ratione ejus colendi in Templo Jerosolymitano ferebantur. Sparserant enim in vulgus, coli ab ea gente asinum, vel suem, vel caput asini aut hominis, seu nubes & Cœlum. Juvenal. Sat. 14.

Nil præter nubes & Cœli Numen adorant.

Hisce omnibus reponendum est, numquam reipsa Apostolum voluisse, Deum Cœli sive ejus Filium æternum, qui pro mundi salute hominis exuvias induit, ab Atheniensibus divinis honoribus cultum demonstrare, sed illud reputasse tantum, ut vagum incertumque eorum cultum firmaret, nunciato Deo, quem ipsi ad id usque temporis ignorassent, digno alloqui, quem unice venerarentur. Deum colitis ignotum: ego vobis nuncio Numen aliud ignotum & dignum, in quod obsequia omnia vestra & honores transferatis. Cætera omnia, quæ sub generica hac epigraphe Deorum ignotorum, cujuscumque sint nominis, gentis, & regionis, colenda vobis proponitis, neque Dei nomen jure meritoque sibi vindicare possunt, & multum illi singulari veroque Deo concedunt, cui honor & obsequia hominum, tamquam debitum vectigal, pendenda sunt.

S. Augustinus Contr. Crescent. lib. 1. cap. 29. non ambigit, quin Athenienses sub obtentu ignoti Numinis verum Deum coluerint: ponit insuper tamquam certum, notitiam aliquam vagam & confusam veri Numinis gentis illius mentibus insedisse; quare eorum cultum comparat cultui, quem Schismatici extra Ecclesiam Deo rependunt. Volebat igitur Apostolus, ut eumdem Deum, *quem præter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter & salubriter colerent.* Sed hæc Augustini comparatio inter cultum Atheniensium & Schismaticorum in eo tantum versari credenda est, quod utriusque gentis cultui nulla esset utilitas. Schismatici enim profecto Dei, quem colunt, absolutam habent notitiam: cum Athenienses & verum Deum penitus ignorarent, & referre illi divinos honores minime studerent. Metu tantum adducti, ne quem Deum negligerent, Aram ignoto Deo excitarunt, ne cogitantes quidem Deum Hebræorum, cujus facile nomen nondum audierant. Apostolus vero familiari sibi sermonis figura, ea occasione ignoti & incerti Dei, loquendi opportunitatem arripuit, & annunciandi Deum, quem ipsi ignorarent, in quem porro præstita aliis omnibus obsequia transferenda essent.

[14] Fromondus conjectat eamdem esse luem, de qua Thucydides, hist. lib. 2.

DISSERTATIO

De Baptismo JESU CHRISTI nomine collato.

BAPTISMI conferendi formulam satis aperte Apostolis suis Jesus Christus tradiderat iis verbis Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Hujus Textus evidentia persuasi Christiani omnes olim, & nunc etiam, semper Baptismum in ea verba administrarunt, atque administrandum docuerunt. Quamvis enim in cæteris ejus Sacramenti ritibus & cæremoniis nonnihil apud diffitas nationes varietur; nomen SS. Triadis ab omnibus idem religiosissime servatum est. Apud Græcos & Orientales omnes, exceptis Cophtis, in hæc verba Sacramentum administrabatur: *Baptizatur hic in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Cophtæ ita usurpant. *Ego te baptizo in nomine Patris, amen. Ego te baptizo in nomine Filii, amen. Ego te baptizo in nomine S. Spiritus, amen*. Ritus Jacobiticus Severi Antiocheni habet: *Baptizatur hic in nomine Patris, amen; Filii, amen, S. Spiritus, amen*. In alio Rituali legitur: *Ego baptizo hunc agnum gregis Jesu Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad vitam æternam*. Hæ solemnes apud Orientales formulæ (15).

In Ecclesia Latina ubique servatum est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. In vetustis quibusdam Ritualibus legitur (16): *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam*. In aliis: *Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam in sæcula sæculorum*. In aliis: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam habentium substantiam, ut habeas vitam æternam, & partem cum Sanctis*.

Præterea formulas superstitiosas seu vitiatas, rejectas ab Ecclesia, de quibus nonnihil infra afferemus. Solum hic immoramur in Baptismo, nomina Jesu Christi tantum collato: cujus occasione duo in examen revocanda sunt. I. An ea Sacramenti formula unquam obtinuerit. II. An legitima authoritate permissa sit olim, & nunc etiam saltem ad Sacramentum valeat.

Lucas in Actis 2. 38. non raro meminit Baptismi nomine Jesu Christi: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*. Et 8. 12. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*. Et 8. 16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat Spiritus Sanctus, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu*. Tandem Petrus baptizavit Cornelium Act. 10. 48. *Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Et rursus Act. 19. 5. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu*. Factum hoc non semel, non per transcursum, non data occasione, non ambiguis res prodita est vocibus. Nec luculentius unquam nec apertius tradi potuit, quid præstitum sit a Fidelibus, institutione edoctis, & Baptismo initiatis ab ipsis Apostolis, vel sub eorum oculis: aperte enim asseritur, Baptismo illos nomine Domini Jesu initiatos fuisse.

Plures ex Patribus, pluraque Concilia in ea fuerunt persuasione, collatum ab Apostolis fuisse Baptismum nomine Jesu Christi, nullo reliquarum Triadis Personarum nomine expresso. S. Hilarius (17) alte edicit, neque prævaricationis accusandos Apostolos, neque damnandas tamquam sibi ipsis contrarias Scripturas, si interdum prodant, Apostolos jussos fuisse Baptismo initiare fideles nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ipsos vero Apostolos hoc Sacramentum nomine Jesu Christi conferre satius duxisse. Agnoscit ergo S. Doctor aliquam pugnæ speciem inter Evangelium & Acta, in eo scilicet, quod Christus aliter conferendum jusserit, aliter vero Apostoli reipsa Baptisma contulerint; quam tamen Apostolorum, si ita loqui fas est, transgressionem nequaquam damnandam, neque tamquam sibi minus constantes rejiciendas esse Scripturas.

Vetus Author, qui Baptismi reiterationem adversus S. Cyprianum negat, fusius demonstrandum suscipit (18), eos, qui extra Ecclesiam Baptismate nomine Jesu Christi collato tincti sunt, nequaquam iterato Sacramento, sed impositione manuum, ut Spiritum Sanctum recipiant, in Ecclesiam admitti oportere; Baptismum sine Spiritu Sancto non sufficere; denique illud Jesu Christi in Evangelio, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, minime repugnare iis, quæ de Baptismo nomine Jesu Christi collato narrantur. Quamquam enim, ait, Ecclesiæ moribus receptum est, ut Sacramentum istud nomen SS. Triadis præseferat; invocatio tamen nominis Jesu Christi non inutilis habenda est, quod sanctissimum illud nomen tanta polleat virtute miraculorum, ut nec infidelium ore prolatum vacuum sit prodigiis. Innuere videtur hic Scriptor, apud quosdam Hæreticos Sacramentum Baptismi nomine tantum Jesu Christi conceptum fuisse; quo initiatos recipiendos statuit in Ecclesiam, una tantum suppleta manuum impositione, ad Spiritum Sanctum, quo extra Ecclesiam nemo donatur, conferendum.

Observat S. Ambrosius De Spiritu Sancto lib. 1. cap. 3. nu. 41. 42. eos, qui Baptismo tantum Joannis Baptistæ initiati fuerant, novo iterum Baptismate tingi Apostolos jussisse, quippe qui Spiritum Sanctum ne nomine quidem nossent. Baptizatos autem illos dicit nomine Jesu Christi, quod non secundus erat baptismus post alium Joannis Baptistæ collatus, sed primus omnino; neque enim baptisma Joannis verum erat baptisma. *Baptizati sunt itaque, ait, in nomine Jesu Christi, nec iteratum est in his Baptisma, sed novatum. Unum enim Baptisma*. Addit insuper: *Plenum est autem* [Baptismatis Sacramentum] *si Patrem, & Fi-*

(15) Renaudot tom. 4. Perpetuit. Fidei lib. 2. cap. 5. (16) Martene, de Antiquis Eccles. Ritib. p. 166.
(17) De Synodis num. 85. *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti jussi, tantum in nomine Jesu baptizaverunt*. (18) Tom. 1. Conc. pag. 770. *Post illum, qui foris quidem, sed in nomine Jesu Christi Dominicum acceperunt Baptisma . . . an iteratum Baptisma his necessarium esset, ac si nunquam baptizati in nomine Jesu Christi fuerint*. Et pag. 773. *Nisi quoque in illo superiore tractatu circa eos, qui tantummodo in nomine Christi Jesu baptizati fuerant, stetmus etiam sine Spiritu Sancto posse salvos fieri*. Et pag. 775. *Nec æstimes huic tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: Ite, docete gentes; tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quia cum hic verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit; tamen considerari oportet, quod invocatio nominis Jesu non debet a nobis futilis videri*.

& Filium, Spiritumque Sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum sermone comprehendas aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum .... plenum erit fidei Sacramentum. Constat igitur, juxta mentem S. Doctoris, Baptisma, sive nomine totius SS. Trinitatis, sive unius tantum Personæ concipiatur, plenum esse ac validum.

Hac S. Ambrosii authoritate utitur Nicolaus I. ad Bulgaros scribens (19), demonstrans, eos qui Baptismate initiati sunt extra Ecclesiam, sive nomine SS. Trinitatis, sive Jesu Christi tantum, cum ad Ecclesiam venerint, novo collato Baptismate recipiendos non esse: *Hi profecto si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt*, [*unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius*] *constat eos non esse denuo baptizandos*. Quæ Pontificis verba duo probant: I. In eum sensum exponendam esse authoritatem S. Ambrosii, alioqui ambiguam; II. Pontificia sanctione, Baptismum nomine Jesu Christi collatum ratum assertumque habendum.

Eamdem sententiam in eo confirmare visus est S. Ambrosius (20), quod asserto semel Baptismo nomine tantum Jesu Christi collato, recta inde consecutione deducit, ratum etiam haberi oportere Baptismum nomine S. Spiritus, ac tandem perinde judicandum de Sacramento, nomine alterius cujusque in Trinitate Personæ: *Quia*, ait, *qui unum dixerit, Trinitatem signavit*. Laudat in eam rem illud Actorum 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*.

Beda Venerabilis in Acta, post laudatam S. Ambrosii authoritatem, hunc illi sensum vindicat, certumque constituit, Baptismum solo Jesu Christi nomine collatum nihil habere vitii; qua in re subscribere se sententiæ S. Ambrosii testatur.

In eamdem sententiam non obscure descendit Concilium Forojuliense (21). Postquam enim sibi Patres illius Concilii opposuerunt: *Cur Magister in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Discipuli in nomine tantum Jesu præcipiunt baptizari? Numquid aliud Veritas per semetipsam docuit, & aliud Discipuli Veritatis; vel aliam formam doctrinæ Ecclesiis tradiderunt?* Respondent: *absit hoc. Sacramentum Sanctæ Trinitatis, quam Magister & Dominus tribus enumeratis Personis in uno tamen nomine voluit demonstrare; hoc ejusdem veritatis Discipuli in una de Trinitate persona, id est Filii, totam sanctamque Trinitatem essentialiter, Sancto sibi revelante Spiritu, intelligere meruerunt*.

Consultus (22) S. Bernardus, num retinendus esset Baptismus a Laico collatus *in nomine Dei, & veræ ac Sanctæ Crucis*; respondet, ratum quidem haberi, eadem, quam supra ex S. Ambrosio duximus, ratione; sub Dei nempe invocati nomine totam ab eo homine comprehendi Trinitatem; quemadmodum sub appellatione Sanctæ & veræ Crucis totum revelari meritum Passionis Jesu Christi. *Legimus*, addit, *in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos*. Quid apertius pro ista sententia?

Concilium Nemausense, anno 1284. ratum pronunciat Baptismum in hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi*. Paria edicit in suis Constitutionibus Synodalibus Elias Episcopus Uticensis. Favet huic sententiæ Hugo de S. Victore in 4. Sent. dist. 3. cap. Sed quod, &c. S. Bernardo coævus; favet Magister Sententiarum l. 1. de Sacram. c. 13. Petrus Pictaviensis lib. 5. Sentent. cap. 5. qui quingentis ab hinc annis scribebat, quærit, an formula illa, *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi*, rata tenenda sit. Affirmat ille, quamquam enim, ait, legitima & consueta ministrandi Sacramenti formula illa habetur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; satis tamen superque tres Personæ in uno eodemque Jesu Christi nomine continentur. Pater qui unctionem donat, Filius qui recipit, & Spiritus Sanctus per quem unctio producitur.

Alexander Alensis S. Thomæ Magister part. 4. q. 53. ad 8. & ipse S. Thomas 3. part. qu. 66. art. 6. ministratum fuisse ab Apostolis Baptisma nomine solius J. C. negare non audent; quamquam factum id quidem defendunt exceptione quadam, in honorem nominis J. C. iis temporibus necessarium. Joannes de Ragusio Ordinis Prædicatorum, in sua Oratione de Communione sub utraque specie in Concilio Basileensi, observat, præscribi quidem a Christo Discipulis ministrandi Baptismatis formulam in ea verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; sed verere ista ab Apostolis omissa, ait, alia invecta est, cœpto ministrari Baptismate ab Apostolis paulo post Pentecosten sub una nominis Jesu Christi invocatione. Cajetanus Cardinalis (23) & ministratum ab Apostolis Baptismum nomine unius e Trinitate Personæ, & ratum habendum esse, si nunc pariter conferretur, defendit. Hæc quidem sententia expuncta est in secunda Operum illius editione Romæ adornata, sed in priori diserte legebatur: quemadmodum non obscuris verbis adstruitur in Operibus Adriani VI. Pontificis, Romæ, eo rerum potiente, cusis anno 1522. Factum id pariter concedunt Scholastici non infrequenti numero, rati, Baptismum quidem olim sub una nominis Jesu Christi invocatione ministratum fuisse.

Negant alii, nisi sub expressa trium SS. Trinitatis Personarum invocatione, Baptismum ab Apostolis ministratum. Frustra vero pro adversa sententia laudari dicunt verba illa Actorum, 11. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, sicut & alia supra a nobis relata. Nihil enim illis innui volunt, nisi Baptismum nomine Jesu Christi institutum, ejus nomine annunciatum, ac tandem ejus authoritate assertum fuisse; vel, si mavis, initiari jubentur Baptismate Fideles, post invocatum nomen Jesu Christi, idest post confessionem ejusdem nominis, quod perinde est, ac si profiteri juberentur Jesum Christum Deum esse: qua prævia confessione, deinde Baptismate abluerentur (24).

Ita reddunt verba Sacræ Scripturæ recentiores plerique Interpretes (25); nam Baptismate initiare nomine Jesu Christi, usurpatum est per oppositionem ad Baptismum Joannis Baptistæ, sive Pharisæorum. Fateamur tamen oportet, Theophylactum, Dionysium Carthusianum, Hugonem Cardinalem, verba illa, *In nomine Jesu Christi*, ad literam interpretari. Ita vero mentem suam explicat Dionysius Carthusianus. Docuerit licet, inquit ille, Jesus Christus Apostolos Baptismum in hæc verba ministrandum, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: visum est tamen Apostolis, cæterisque sub ipsa Ecclesiæ crepundia Discipulis, non sine Spiritus Sancti impulsu, aliam baptizandi formulam habere so-

lem-

[19] Nicol. 1. in Respons. ad Consulta Bulgar. cap. 104. in collect. Concil. ad an. 858. [20] Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. num. 44. *Nunc consideremus, utrum, quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum, ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit.* [21] Concil. Forojul. ann. 791. tom. 7. Concil. Labb. pag. 901. [22] Epist. 403. nov. edit. ad Henric. Aurelianen. [23] Parte 3. qu. 36. ad 6. Vide, si lubet, & Thom. de Argentina lib. 4. dist. 3. art. 2. [24] Vide Harduin. de Bapt. in nomine Christi. [25] Vide Sanct. ad Act. 11. 38. & ad cap. xix. 5. & Cornel. ibidem, Fromond. Titin. Vat. Grot. alios.

lemnem, in hæc verba conceptam: *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi*: quod ab illis ea præstitum est ratione, ut veneratio & honor sanctissimo nomini apud Gentes magis magisque conciliaretur, qua in re nil detrahebatur pristinæ Baptismi formolæ; tota enim Trinitas sub una Jesu Christi invocatione censebatur. Paria ferme habet Theophylactus in Acta 2. 38. Hæc, ait, Apostoli Petri verba alteri ex Evangelio authoritati non repugnant. Apostolus injungit: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*: & Christus: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. At Ecclesia nullam in Trinitate divisionem agnoscit; qoare ministratum sub invocatione nominis Jesu Christi Sacramentum, sub ipsius pariter Sanctissimæ Trinitatis invocatione censendum est; neque enim inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum divisum est quidquam, & discretum in partes.

Ex hucusque deductis recta consecutione statuitur, I. Actorum Textum, quo ministratum nomine Jesu Christi Sacramentum habemus, non ita necessario explicandum esse, quasi sub invocatione nominis Jesu Christi tantum olim constiterit Baptismus. Illud enim quod in Scriptura legimus, *In nomine Jesu Christi*, commode exponi potest de Baptismo a Jesu Christo instituto, ejus jussu ministrando, ac juxta formulam ab illo præscriptam, nempe sub Patria, Filii, & Spiritus Sancti invocatione. II. Patres, Concilis, Theologi e Schola, & Interpretes supra a nobis laudati, in ea fuisse videntur sententia, collatum reapse in primitiva Ecclesia Sacramentum nomine Jesu Christi tantum: cum autem in re facti simul, cujus rei nullum afferunt documentum, nisi textos cujusdam obscuri, & ambigui authoritatem; cum, inqoam, de facto qoodam agendam sit, vix alioqui persuadendo, [quis enim credat Discipulos aliter præstitisse in re tanti momenti, quam quod Jesus Christus suis ipse verbis docuit?] inde facile intelligimus, falli potuisse Patres, tum in facto ipso asserendo, tum in ducendis, eo posito, consecutionibus.

Porro exploratum est, disertissimo teste Matthæo 28. 19. Jesum Christum præcepisse Apostolis, ut quascumque initiarent Gentes, illas sub invocatione Patria, Filii, & Spiritus Sancti tingerent. Persuasum id moribusque receptum est omnibus pariter sæculis, & apud omnes æque Ecclesias. Certum id statuunt summoque consensu dncent Patres, Concilia, Interpretes Scripturæ, Theologi e Schola, quin & ipsi contrariæ sententiæ assertores, qui collatum olim Baptisma nomine Jesu Christi defendunt; id enim defendendum non suscipiunt, nisi eo constituto, tres Trinitatis Personas sub una Jesu Christi invocatione censeri. Verum, juxta Patrum & Conciliorum doctrinam, non satis est tacite & quodam veluti compendio Personas Sanctissimæ Trinitatis innuere: luculenta, & expressa illatum confessio requiritur. Quare Baptismus, si forte unquam sub una Jesu Christi invocatione ministratus est, inanis fuit, & a Sacramenti dignitate excidit; quod pariter statuendum esset, si forte ab aliquo nostra hac ætate eodem ritu conferretur; nisi Divina aliqua exceptione, & peculiari Dei revelantis monito alicui concessum esset, ut a præscripta Sacramenti formula singularem aliquam ob causam recederet. Quod enim Sacramento rite administrando deesset, suprema id authoritate repararetur; ac proinde in communam regulam recideretur, cum maxime ab illa discessum esset. Quod autem in præsanti quæstionis statu id certum ponstur, Apostolos speciali hujus revelationis impulsu præscriptam a J. Christo formulam immutasse, id tamquam nullo assertum argumento, vix ac ne vix quidem conceditur.

Quod adversæ opinioni persuadendæ plurimum contulit, illud fuisse reputamus, quod hujus opinionis assertor se præbuerit S. Ambrosius, cujus authoritate dictum suum confirmant Nicolaus I. in Epistola ad Bulgaros, Beda, S. Bernardus, Concilia Forojuliense & Nemausense, aliique plures Theologi e Schola. An vero S. Ambrosius id asseruerit, quod illis persuasum est, nimirum Baptismum sub Jesu Christi invocatione tantum ministratum fuisse; id maxime ambiguum & incertum est: quare, si aliam fuisse S. Doctori mentem demonstraverimus, cur opinio ista asseratur, nihil erit. His autem persuademur, nunquam S. Doctorem in hanc sententiam concessisse.

I. Docet ille non semel, Baptisnti meritum nullum essa, nisi sub expressa Personarum Sanctissimæ Trinitaris, & aperta ejusdem Trinitatis confessione ministretur (1). Fidn equidem Jesu Christi instructus est Cathecumenus, cujus se nomine in fronte obsignat; sed veniam criminum nullam obtinebit, nisi Baptismo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti initietur. Docet alibi, Sacramenta *perfidorum*, id est Hæreticorum, qui nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non tingunt, nec abluere, nec languorem sanare, sed inquinare initiatos; quod cum Patrum doctrina (2), docentium Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes novo tingendos esse Baptismate, congruit.

II. S. Ambrosius in libro laudato ducem secutus est, juxta familiarem sibi morem, S. Basilium (3) in libro de Spiritu Sancto. Porro S. Basilius trium Personarum SS. Trinitatis invocationem necessariam esse docuit, asseruitque; fusius enim demonstrat, oportere Sancti Spiritus Personam exprimi, ut Divinæ Christi jussioni fiat satis, jubentis ministrari Baptismum nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Addit, nemini mirum esse debere, si Apostolus de Baptismo agens non raro omissa Patris, & Spiritus Sancti mentione, solius Filii meminerit; ut in illo Galat. 3. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; & Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus*. Nam, ait cap. 12. sub una nominis Jesu Christi invocatione totius pariter SS. Trinitatis Fidem profitemur; innuitur enim Pater qui unxit, Filius qui unctus est, & unctio ipsa Spiritus Sanctus. Hæc S. Doctor ex S. Irenæo adoptaverat (4): *In nomine Christi comprehenditur & ipse qui unxit, & ipse qui unctus est, & ipsa unctio in qua unctus est.*

Observat deinde S. Basilius ibidem in aliis Scripturæ locis unius tantum Spiritus Sancti mentionem occurrere; ut in illo 1. Cor. 12. 13. *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus in uno Spiritu.* Et Act. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*. Et Joan. 1. 33. Matth. 111. 11. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*. Non est autem reputandum, ait S. Doctor, Baptismum sub una Sancti Spiritus invocatione præcipi; ratum est enim habendum, quod traditione recepimus. Qui nos sanguine suo redemit, id nobis concessit, ut Sacramento renovationis excipiendo pares essemus, quo nempe Sacramento mira, & salutaria præstantur; Ita tamen, ut neque adimendum illi quicquam sit, nec addendum, citra æternæ vitæ discrimen. Quare si Sanctum Spiritum a Patre Filioque sejungere perniciosum est baptizanti, & baptizato inutile, nemo id sibi licitum putabit, ut tres invicem dissociet.

III. Sed in examen revocemus locum S. Ambrosii,

---

[1] Ambros. de Myster. cap. 4. num. 20. *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.* Vide & in Luc. lib. 8. n. 67. & Auctor. Lib. de Sacram. lib. 2. cap. 5. & 7. [2] August. passim in Donatist. Optat. Milevit. Facund. Hermian. Alii. Arelat. Concil. cap. 8. [3] Basil. de Spir. S. cap. 10. 11. 12. & lib. 5. cont. Eunom. c. 3. [4] Iren. lib. 3. cap. 20. seu cap. 18. nov. edit. Paris.

fii, in quo totius controversiæ cardo vertitur. Observat ille, tinctos Baptismo Joannis, Sacramentum Baptismi nullum recepisse; neque enim sub invocatione nominis Jesu Christi, nec in fide pariter Sancti Spiritus initiati fuerant. Novo sunt igitur, ait ille, Baptismate abluti nomine Jesu Christi, quamquam iterato Sacramentum non receperunt: primus quippe Baptismus perinde habetur, ac si nullus fuisset, unum enim tantum, & singularem excepit Ecclesia. Ubi autem Baptismus perfectus non est, perinde habetur, ac si nullus esset. *Plenum autem est*, ait, *Sacramentum, si Patrem, & Filium, Spiritum Sanctum fatearis*. Non hic agitur de invocatione trium Personarum a Ministro Baptismi facta, sed de professione Fidei, quam Baptismate initiandus præmittit. Addit deinde S. Doctor, eum, qui unam Trinitatis Personam negat, Mysterium evertere; & vicissim qui verbis unam tantum exprimit, non tamen negat Patris, Filii, & Spiritus Sancti veritatem, plenum, & perfectum recipere Baptismi Sacramentum: *ita*, subdit, *quamvis Patrem, & Filium, & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne Mysterium*.

Sermonem hic esse S. Doctori non de Ministro Sacramentum conferente, sed de susceptore ejusdem Sacramenti, nec de verbis a baptizante pronunciandis, sed de fide baptizati, apertissime constat. Præpostere itaque ex illa S. Doctoris authoritate nonnulli colligunt, Baptismum sub invocatione tantum unius e Trinitate olim valuisse, & nunc etiam, si forte ministretur, ratum assertumque asse tenendum; quod scilicet uterque, minister nempe & susceptor, sub unius Personæ nomine totius SS. Trinitatis essentiam profiteantur.

Ambigua sunt, quæ ex Authore Operis adversus reiterantes Baptismum laudantur. Adstruit ille quidem luculenter, Sacramentum ministrari oportere, juxta inviolabilem Ecclesiæ Disciplinam, nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sed non ita apertis verbis demonstrat, an extra Ecclesiam Hæretici uno Jesu Christi nomine baptizarent. Profecto si in eâ fuis persuasione, Sacramentum ita collatum ratum haberi debuisse & asserum, falli Scriptorem illum ultro profitebimur.

S. Hilarius id tantum observat, aliquid esse pugnans inter verba Jesu Christi: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & illud Actorum: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Quæ postrema verba, si ad literam usurpentur, innuere fatetur, Apostolos aliter ministrasse Sacramentum, quam quo modo Jesus Christus præscripserat. Nunquam tamen prodit S. Doctor, ea se teneri persuasione, neque an crederet aliam instisui posse rationem, quam quæ indicatur, pugnantibus hisce Textibus conciliandis.

Cum tandem neque textus Actorum apertissime prodat, ministratum ab Apostolis Baptismum expressa tantummodo Jesu Christi invocatione; cum S. Ambrosii authoritati alius fuerit, quam qui a pluribus credebatur, sensus: cum Scriptorum & Conciliorum opinio, quæ valere dicit Baptismum sub unius tantum Personæ SS. Trinitatis invocatione, errore facti innisatur, & præpostere accepta S. Ambrosii authoritate, illud jure meritoque nobis est statuendum cum S. Joanne Damasceno de fide Orthod. lib. 4. cap. 10. *In nomine Christi baptizari nihil aliud indicat, quam in eum credendo salutifera aqua tingi. Fieri autem non potest, ut in Christum credamus, nisi Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confessione imbuti atque instituti fuimus*. Inde etiam consequitur, Baptismum nomine Jesu Christi nec fidem trium Personarum SS. Trinitatis, nec expressam trium illarum per ministrum Sacramenti invocationem excludere. Baptismus itaque nomine tantum Jesu Christi collatus non spurius modo, sed malus & inutilis statuendus est; quemadmodum ex consensu Doctissimorum omnium, qui de hoc argumento scripserunt, apertissime constat (1).

DISSERTATIO

DE ELECTIONE PER SORTES.

SOrtium usum probare videtur illud Salomonis Prov. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur*. Cum certum inde voluntatis Divinæ indicium capi putaretur, dasum sibi omnes arbitrabantur, ut quoties alia discernendæ veritatis ratio non succurreres, ad fortes confugerent. Ita Domini jussu sortium arbitrio commissa est electio primi Regis Israelitarum 1. Reg. x. 20. Quamquam Josue Dei Spiritu duceretur, quamquam Jacob Gen. 49. & post ipsum Moyses Deut. 33. non obscure designassent certum locum singulis Israelis Tribubus assignandum; per sortes tamen totius regionis in Tribus divisio facta est, ut litium & seditionum occasio solleretur. Prover. xviii. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque judicat*. Cum David redigendum ordinem Familiarum Sacerdotalium, & munerum a singulis in Templo præstandorum suscepisset, ne quid invidiæ & murmuris in tanto rerum molimine oriretur, quem singulæ inter se locum tenerent, per sortes determinatum est 1. Par. xxiv. 5. 7. 31. Idem servatum in dirigendis classibus Levitarum, Musicorum, & Janitorum 1. Par. 25. 8. 9. Cum tandem hebdomada ineunte classes Sacerdotum, & Levitarum ex constituto familiarum ordine ad Templum ministraturæ venirent, sortito eligebatur, qui in Altari aureo thymiama adoleret; qui sacrificium offerret diurnum; qui tandem cætera Templi officia præstaret 1. Par. 26. 13. Zachariæ patri Joannis Baptistæ sortito contigit, ut adoleret incensum coram Domino, quod munus in Sancto exercenti Angelus Domini obviam factus est. Luc. 1. 9.

Ex hac itaque solemni Synagogæ & Sacerdotii legalis disciplina, creduntur Apostoli in electione Matthiæ sortes adhibuisse. Act. 1. 26. *Ne Apostolis electio a mandato discrepare Legis veteris videretur*, ait S. Ambrosius in Luc. 1. n. 23. & alii post ipsum. In postrema Urbis obsidione Zelotæ, teste Josepho de Bello lib. 4. cap. 5. Summi Sacerdotii dignitatem Phanniæ cuidam per sortes contulerunt; quem constituendi Pontifices morem vetustissimum in gente sua fuisse veditabant. Sed falli illos constat; nullum enim exstat exemplum Sa-

(1) Bellarm. de Sacram. Bapt. lib. 1. cap. 3. Est. in 4. Sent. dist. 3. §. 5. Natal. Alexand. sæc. 1. Dissert. 13. Not. 6. in nov. Edit. Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 4. Harduin. de Bapt. in nomine Christi; Martene de antiqu. Eccl. Ritib. Mabillon, Not. in Ep. Bern. 403. novæ edit.

Sacerdotum Hebræorum, quorum electio a sortibus petita sit. Aaron expressa Dei voluntate selectus est, ut Sacerdotio fungeretur; cui pariter dignitas divino prodigio in seditione Core asserta est Num. 17. 8. Post ipsum, Summum Sacerdotium nunquam aliunde petitum, quam ex familia ejusdem Aaronis, servatumque id continua successione ex patre in filium, usque ad Antiochum Epiphanem (1); translatumque deinde in familiam Asmonæorum, tamdiu apud illos mansit, quamdiu eo ordine successionis per Herodem Magnum immutato, arbitrarium & pro Regis voluntate datum receptumque Sacerdotium efficeretur. Post Herodem usque ad Urbis & Templi eversionem per Romanos, conferendi Sacerdotii authoritas penes Romanorum Præfectos, sive gentis Principes fuit. Unus inter postremos Pontifices Phannias a Zelotis sortito electus est.

Non est itaque reputandum, in electione Matthiæ Apostolos exemplum sibi præstituisse Sacerdotum Hebræorum, quorum electio a sortibus penderet; nisi forte secutos illos dixerimus Templi morem, ubi sortito munera distribuebantur. Beda Venerabilis (2) putat, veram, qua ducerentur Apostoli, rationem esse, quod illi nondum Sancto Spiritu pleni datum sibi reputarint, ut Legem ad literam sequerentur. Porro ille persuasione S. Ambrosii tenebatur, autumantis Sacerdotes Templi Jerusalem sortito electos; quod cum veritate non ita penitus congruere demonstravimus. Si vero innuere volebat, Apostolos nondum Spiritus S. illustratione persusos, satis sibi non esse luminis reputasse, ut dignum aliquem virum discernerent, qui in Apostolum eligeretur, quemadmodum S. Chrysostomus (3) philosophabatur; id sane probabilius ab illo diceretur. Tanti res erat momenti, ut nemo satis sibi prudens videri posset; quare consultius duxerunt, si totam Deo reservarent eligendi dignissimi viri rationem.

Pseudo-Dionysius Areopagita de Ecclef. Hier. cap. 5. sortium nomen singulari plane sensu usurpat; habet enim persuasum, Matthiam divino quodam signo indicatum fuisse Apostolis, eum nimirum esse virum, qui a Deo in censum Apostolorum referretur. Quod maxime fuerit signum illud, non indicat Scriptor; sed ejus silentium supplentes Interpretes, alii radium quemdam caput ipsius subito ferientem suspicantur (4); alii lubiso quodam fulgore scriptum ejus nomen emicuisse (5); alii columbam capiti ipsius insidentem, alii virgam statim florescentem, quemadmodum cum Aarone olim præstitum Num. 17. ac tandem alii prophetico spiritu afflatum illico virum credunt.

Sed qua, rogo, necessitate hanc sortium significationem adoptemus? Nihil frequentius apud Hebræos, quam de sortibus vel religiosissimi quique inter eos uterentur. Crimen Achan sortibus exploravit Josue cap. 7. 16. Jonathan paternæ legis transgressorem, qui mellis parum contra Regis edictum gustaverat, ipse ejus pater Saul sortibus deprehensum reum tenuit 1. Reg. 14. 42. Qui in eodem cum Jona navigio ferebantur nautæ, veram causam subito ingruentis procellæ per sortes scrutati sunt Jonæ 1. 7. Nihil majoris momenti apud Persas & Chaldæos agebatur, quin prius sortes consulerentur, quemadmodum exemplo Amani Esth. III. 7. & Nabuchodonosoris Ezech. XXI. 21. docemur. Huic retinendæ consuetudini non parum contulit secundus a Deo sortibus concessus eventus. Quare Deus illis præsidere credebatur, Proverb. XVI. 33. ejusque explorandæ voluntatis si ratio alioqui nulla succurreret, expeditior hæc via habita est. Non est igitur, cur vehementer miremur, si Apostoli pariter electionem hanc sortibus permiserunt; more illis patrio præeunte, cui favere leges videbantur, nec parum tribuerant authoritatis Sanctorum virorum exempla, atque Dei ipsius approbatio.

Gagnæus aliique (6), quibus persuasum est, Apostolos secretis suffragiis Matthiam in suum cœtum adlegisse, quæ suffragia Lucas sortium nomine designaverit, illi sane pronam hujus vocis notionem evertunt; ecquis enim unquam electionem suffragiis factam ita describeret, ut diceret, jactas inter duos sortes, in favorem alterius cecidisse?

Asserenda est igitur genuina vocis hujus significatio. Apostoli duos ex omnibus viros amplissimos constituerunt medios: quorum nomina duabus schedis sive lapillis inscripta, in vas aliquod, sive in vestis sinum, sive in pileum conjecerunt; eductusque deinde alter in Apostolum electus est. Vel, si mavis, in unum aliquod vas conjecta sunt duorum virorum nomina, quibus respondebant in urna alia geminæ schedæ, quarum una inscriptam ferebat hanc vocem *Apostolus*. Extractus igitur e priori urn Matthias, cui ex altera respondit scheda Apostoli nomine inscripta; quod a toto cœtu satis superque reputatum est, ut Matthias in Apostolum renunciaretur. Hæc nobis indita est de electione per sortes opinio, vel saltem id servari in sortibus constat; quamquam alias esse eligendi per sortes rationes neque ignoramus, neque, semel constituta Matthiæ electione per sortes, contentiosum funem trahere volumus, si quis forte alias rationes in electione ejusdem Apostoli servatas defenderit.

An electio ista per sortes diu servata sit in Ecclesia, an legitima haberetur, & qua præstaretur ratione, disquiritur. Extra controversiam positum est, electionem per sortes nunquam communi usu ab Ecclesia probatam fuisse, neque id sibi licitum, vel necessario præstandum Apostolorum exemplo, Fideles reputasse. Ipsi pariter Apostoli aliam servarunt in electione Diaconorum rationem Act. VI. 4. 6. Ab universo cœtu viri præstantissimi electi sunt, prout quisque Spiritu Sancto afflatus reputabatur. Eadem ratione in Episcopum Jerosolymitanum renunciatus est S. Jacobus (7), eadem primi quique singularum Urbium vel Provinciarum Episcopi. Electionem per sortes adhibuisse Apostolos in deligendis Episcopis, sive aliis Ecclesiæ Ministris, nuspiam post Pentecostem legimus. S. Paulus non semel scribit (8): *Nos forte vocati sumus*, ad Fidem nempe & gratiam Evangelii; quibus tamen verbis nihil aliud significavit, quam gratuito prorsus largientis Dei beneficio nos vocari (9).

Cæterum sive Apostolorum ætate, sive prioribus Ecclesiæ sæculis, pro merito singulorum, arbitrio populi & Episcoporum, factas electiones nunquam non legimus. Populus una & Clerus certum virtutis ejus, qui Episcopis proponebatur, testimonium ferebant; atque ipsi demum Episcopi, libratis omnibus, quos maxime probassent, eligebant initiabantque. Tunc autem veluti de ipsius Dei judicio facta electio censebatur: *Post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum*, ait S. Cyprianus lib. I. ep. 3. Apostoli, cæterique Domini Discipuli, post obitum Jacobi Episcopi Jerosolymitani, ad eligendum successorem coeuntes, Simeonem filium Cleophæ assumpserunt (10). Narcissus Episcopus Jerosolymitanus relictam Urbis illius cathedram permisit Dio, quem illi successorem cæteri Episcopi statuerunt (11). Rediit diu post Narcissus, atque jure postliminii in suam Ecclesiam restitutus est; donec

CXVI.

(1) Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 8. pag. 720. (2) Beda in Acta cap. 1. *Donec veritas compleretur figuram licuit exercere. Inde est, quod Matthias, qui ante Pentecostem ordinatur, forte quæritur.* (3) Chrysostom. in Acta, homil. 3. pag. 21. (4) Natal. Alex. tom. 1. Hist. Eccles. cap. 2. (5) Sanct. in Acta 1. 26. num. 61. (6) Salmer. Sanct. (7) Eusebr. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 4. (8) Ephes. 1. 11. Coloss. 1. 12. &c. (9) August. in Psalm. XXXI num. 13. (10) Eusebr. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 11. (11) Ibid. lib. 6. cap. 11.

CXVI. annorum ætate grandævus, quod muneribus Episcopalibus præstandis impar esset, Coadjutorem sibi ab Episcopis datum admisit Alexandrum, Episcopum antea in Cappadocia. Denique nulla uspiam seu vetus seu nova Ecclesia Episcopos consueto more per sortes datos agnoscit.

Cum de Pastore aliquo Ecclesiæ, & Ministro Jesu Christi eligendo res esset, nemo cautionis satis attulisse se putabat: & quamvis una esset omnium persuasio, nihil in mundo nisi summo Dei consilio agi, sortes pariter aliqua Dei gubernantis providentia regi; arbitrabantur tamen, illis indiscriminatim & nulla necessitate uti, perinde esse ac si Deus tentaretur, dataque ea via, superstitiones plures criminosas in mundum invehi. Experientia insuper edocti sunt, Deum, ut audaciam eorum, qui talibus immiscentur, puniat, permittere non raro, ut sortes aliter quam pro eorum opinione agant. Quare erroribus hisce tollendis, Ecclesia omnem sortium usum abolevit. Cum, ait Honorius III. Papa, certiores facti fuerimus, destituta Pastore Ecclesia vestra, vos quemdam per sortes elegisse, qui vestro nomine tres alios elegerit, ac tandem ipsos tres vestra authoritate quartum alium in Episcopum statuisse, post diligens hujus rei examen, damnandam electionem statuimus, quod sortium interventu facta sit (1). Ratum nihilominus haberi volumus nostra authoritate, quod a vobis perperam factum est; seu *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*.

Hæc ipsa Pontificis sanctio argumento est, in quibusdam eventibus sortium usum fuisse usitatum. In Concilio Barcinonensi Anno 599. canone III. statutum est, ut si quando contigerit, populi & Cleri suffragia in duos aliquos consentire, quos pariter Metropolitanis & Coepiscopis exhibuerint; ipsi post jejunium & preces ad explorandam Domini voluntatem, sortes jaciant, eumque, *quem sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis accumulet*.

Narrat Sulpicius Severus in Vit. S. Mart. l. 1. c. 7. populos una cum Episcopis ad eligendum Turonensem Episcopum convenisse, & cum maxima electorum pars in S. Martinum non inclinaret tantum, sed ingenti raperetur desiderio, minor tamen portio cum paucis Episcopis resistebat. Cum autem confertum populum perrumpere non posset Lector, eorum, qui forte aderant, quispiam ex Psalterio temere aperto legit: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum & defensorem*. Defensoris nomen audiens Populus, quo nomine Episcopus electioni S. Martini resistens, appellabatur, obstupescere primum; tum ratus non sine Dei voluntate id accidisse, ingenti undique elato clamore, in electionem S. Martini ita consensit, ut contraria factio dissiparetur.

In singularibus nonnullis eventibus usus sortium in Ecclesiis Orientalibus non respuebatur, quamquam magna cautione, omnium cæteris modis tentatis, & cum de eligendis dissidium esset. Hæc disciplina Nestorianorum erat in electione Catholici, sive Patriarchæ (2). Trium nomina, in quos major eligentium pars consentiebat, schedis quibusdam sive calculis inscribebantur, quibus quartum adjungebant, quod erat *Jesu Christi Summi Pastoris*. Schedis sub Altari positis, celebrataque in eo Altari Liturgia, poscendæ a Domino divinæ voluntatis significationi nomina in vas aliquod conjecta, a puero nondum corruptis ætate motibus extrahebantur. Cujus nomen omnium primum efferebatur, ille statim proclamantibus populis in Catholicum salutabatur. Si primum obvenisset nomen Jesu Christi, certum ex eo argumentum capiebatur, trium illorum electionem Dei non placere; quare ad nova suffragia revocabatur electio.

Mos idem in electionibus litigiosis obtinebat pariter Alexandriæ apud Cophtos sive Jacobitas. Appellabatur ea electio *fors Sanctuarii*, cujus hic erat ritus (3). Centum Monachorum nomina adlegebantur, e quibus selecta prius quinquaginta, dein XXV. numero deinceps usque ad tres diminuto. Trium igitur nomina totidem schedis committebantur, quibus adjungebatur altera inscripta Jesu Christi nomine. Post Liturgiam in eodem Altari celebratam, in quo Candidatorum nomina posita erant, ex urna, puero doli experte sortes ducente, nomina extrahebantur. Qui primus obvenisset, in Præsulem statim renunciabatur. Si vero Jesu Christi nomen omnium primum extraheretur, infecta omnia, & ex integro repetenda. Si forte ante nominum extractionem unus e tribus acclamatione salutaretur, toto pariter in illum cœtu assentiente, rite ejus electio facta censebatur.

En vetusta satis & communia insignium Ecclesiarum Orientis exempla, quas nemo certe damnaverit, tamquam Canonicas leges corruperint. S. Augustinus pariter Epist. 180. sortium usum singularibus in eventibus probat, cum scilicet in persecutionibus dissident Sacerdotes, cui in Urbe ad solatium Fidelium remanendum sit, cui recedendum, commodiori tempore utilem Ecclesiæ operam navaturo. Cum enim in iis temporum angustiis difficile sit judicium illius, qui zelo, charitate, atque amore martyrii cæteris præstet, melius Deus in iis ambagibus, quam homines, judicat. *Res quidem*, addit Augustinus, *fiet minus usitata, si fiat ista sortio; sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit?*

Idem ex proportione de electionibus reputandum est: ad sortis judicium nunquam confugiendum, nisi ubi alia nulla voluntatis divinæ explorandæ ratio suppetit. *Sors enim*, ait S. Augustinus in Ps. XXX. Enarrat. 3. num. 13. *non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*. Profecto si malum aliquid sortes essent, nunquam id commisissent Apostoli, ut Matthiam sortito eligerent. Tunc *electi sunt duo judicio Divino*. Nec tamen exemplo Apostolorum excusantur ii, qui gravem citra necessitatem sortes admovent; sive qui segnitie explorandi atque secernendi digniorem, ad judicium divinum per sortes omnem electionem deferunt. Apostolorum dignitas communem in ea re legem non facit, ut ait S. Hieronymus in Jov. 1. *Cum privilegia singulorum non possint legem facere communem*.

Solemne erat apud Christianos quosdam in Africa, ut in rebus etiam vulgaribus Librum Evangeliorum per sortes consulerent, sinistrum vel prosperum inde omen capturi, prout casu sese legenda offerebat sententia, qua favor vel secus sponderetur. S. Augustinus Epist. 55. nov. Edit. num. 37. superstitionem hanc suffragio suo probandam nunquam censuit, quamquam minus criminosam judicaret altera, Magos & Dæmones consulendi. De hac pariter ratione consulendi sacros Libros sermo est apud S. Gregorium Turonensem in Hist. Franc. l. 5. c. 37. feruntque id pariter in moribus positum habuisse S. Franciscum Assisiatem, ut in rebus agendis consilium ex aperto Libro Scripturæ quæreret (4). Obtinebat pariter, ut post electionem novi alicujus Episcopi, ex aperto Libro Evangeliorum omen futuræ illius administrationis caperetur.

Id pariter in electionibus servatum, exemplo S. Aniani Episcopi Aurelianensis docemur. Cum decessor illius vir sanctissimus intelligeret, populum

(1) Decretal. Honorii III. l. 5. Decret. tom. 2. de Sortileg. c. Ecclesia.
(2) Renaudot. Perpetuité de la foi tom. 4. ch. 7. pag. 56.
(3) Ibid. tom. 4. liv. 1. ch. 9. pag. 76.
(4) Bonavent. Vita S. Francisc. c. 13.

sum pro electione successoris in diversa abire studia, quæsivit ab illis, num vellent ad judicium Dei omnia deferre, cujus voluntate statim eligendum Anianum noscerent. Indictum illico trium dierum jejunium, quo absoluto, coactoque populo, schedæ super Aram impositæ sunt; statimque accitus loqui adhuc nescius per ætatem infantulus, vix manum ad apprehendendam ex Altari schedam extenderat, cum subito soluto linguæ vinculo Anianum Episcopum clara voce pronunciavit: quibus dictis, iterum ad pristinam rediit imbecillitatem. Ut autem nullus esset ambigendi locus, aperto Psalterio, occurrit sententia illa: *Beatus quem elegisti*; tum ex libro Epistolarum subjectum oculis illud: *Nemo potest fundamentum aliud ponere*; tum ex Libro Evangeliorum: *Et super hanc petram fundabo Ecclesiam*. Ita communi assensu renunciatus in Aurelianensem Episcopum Anianus. Sed pietati dandum est, quod negatur consuetudini; nunquam enim communi lege talia admissa scimus; quæ pariter sapientissimi Ecclesiæ Pastores improbanda censuerunt, atque cultioribus sæculis abrogata sunt.

Profecto in electionibus magis quam in cæteris reprobanda fuerant, quod scilicet de re maximi momenti ageretur; Deus enim nunquam adfuturum se promisit electioni, quæ per sortes fieret; ut proinde ea eligendi ratio nunquam servetur citra tentationem ipsius Dei, atque voluntarium discrimen erroris. Si forte in singularibus quibusdam eventibus id accideret, ut suffragia eligentium & meritum inter duos aliquos paria essent, nec alia coeundi inter partes suppeteret ratio, tuto quidem tunc ad Apostolorum exemplum confugeretur, sortibus admissis; prius tamen Dei manus imploranda esset jejuniis & precibus, quorum merito purgaretur quidquid illegitimum pravumque in ea eligendi ratione subreperet. Illud insuper a Deo precibus impetrandum esset, ut apertam adeo voluntatis suæ daret significationem, quo lites omnes inter electores componerentur. Hæc veterum recentiorumque Interpretum in hunc Scripturæ locum doctrina (5).

Igitur ut Dissertationi modum imponamus, statuendum est, nullum electionis Summorum Sacerdotum apud Hebræos exemplum proposuisse sibi Apostolos in electione Matthiæ, quippe quorum electio aliter quam per sortes agebatur. Favere tamen poterant eorum consilio sortes, quarum judicio munera inter Sacerdotes in Templo distribuebantur. Cum autem nullo adhuc affulgente divini Spiritus lumine illustrarentur Apostoli; ideo postquam prudentiæ suæ partes expleverant, inter selectos duos ex universo cœtu viros præstantissimos sortes miserunt, ut electio in alterum ex illis caderet. Reputandum est tandem, sortium usum, quamvis rite ea occasione ab Apostolis, & rite pariter in singularibus quibusdam eventibus ab Ecclesiis nonnullis adhibitum, & in paribus rerum articulis modo etiam consulto admittendum; generatim tamen in electionibus, quibus Ecclesiæ Præsules statuuntur, abjici prorsus & tamquam perniciosum interdici.

DISSERTATIO

DE SIMONE MAGO.

MIRARI utique subit, cur tanti nominis vir, Simon Magus, sectæ numero hominum florentissimæ author, hominibus ad cultum usque venerabilis, quem statuæ honore & divinitate Imperator ipse ac Senatus in tanta sæculorum luce dignum habuisse dicuntur; qui inter plurimas gentes gestorum suorum gloria claruit; variis Scriptis Operibus illustris; qui se veluti Numen, universum ipsum moderans, obtrusit; vir, ut iterum dicam, talis tantusque Profanos Scriptores, quorum scripta supersunt, vel latuerit, vel si non latuit, contemptui habitus sit, ut ne mentione quidem dignus in eorum Libris duceretur (6).

Profanorum tamen Scriptorum silentium abunde supplet Christianorum sive numerus, sive accurata in describendis ejus gestis, dogmatibus, præstigiis, & mortis genere diligentia. Post authorem Actorum Apostolicorum, qui subdolam ejus ad Fidem conversionem describit, S. Justinus Martyr, S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, S. Epiphanius, cæterique de hæresibus scribentes, fuse admodum dogmata gestaque illius potissima prosequuntur. Alterum post alterum afferemus in medium, lucem affundentes iis, quæ sive obscure sive ambigue dicta reputabuntur.

Post consummatum a Stephano omnium primo martyrium, motam in Ecclesiam persecutionem evitaturi Discipuli Jesu Christi, Jerosolymis secedentes, in varia regionis loca dispersi sunt, Evangelium nunciantes tum Judæis, tum Samaritanis, non enim ad Ethnicos adhuc salus pervenerat. Philippus e septem Diaconis unus, venit tunc Samariam Act. 8. 1. 5. ubi plures ad Christiana sacra convertit; inter quos manus victas dare fidei visus est Simon ille, de quo modo disserendum suscepimus (7). Is incola erat (8) urbis Gitthicæ sive Gittonis in Samaritide; *Samaritanus* enim dictus est (9): nec dubitari potest, in Samaritide illum tunc egisse, cum Philippus in eam regionem venit. Viri quidam docti contendunt (10), Simonem hunc Magum alium non esse a Simone illo Mago Cyprio, de quo Josephus narrat, Felice Judææ Præside ducere in uxorem Drusillam meditante, Simonem quemdam Cyprium Magum ab eo missum ad Drusillam, ut deserere virum suum Azizum suaderet (11). Porro viri isti Eruditi pro *Gitthica* legendum censent *Citticam*, urbem Cypri, eumque inde accersunt. Desunt huic conjecturæ argumenta; nec Josephus Simonem hunc Citthica oriundum unquam prodit. Patrem nostri hujus Simonis quidam appellant Antonium, matrem Rachelem. Jactitabat autem insignis ille impostor, æternum esse se, measse vero per Rachelem, ut ad homines veniret.

Cum ergo Philippus & institutione & Baptismate Christianis sacris imbuisset Samaritanos, qui

(5) Vide Bedam hic, D. Thom. ad Hebr. viii. Section. 2. Fromond. a Lapide hic, Natal. Alexand. tom. 1. Histor. Eccles. Dissertat. 6. sæculi 1. (6) Expendemus infra quæ habent Dio & Suetonius de viro, qui volatum coram Nerone tentavit; quod vulgo de Simone dictum creditur. (7) Act. viii. 14. *Tunc Simon & ipse credidit*. (8) Constitut. Apostol. l. 6. c. 7. Recognit. l. 2. c. 12. Justin. M. Epiphan. alii. (9) Ita Authores supra cit. Abdias in Petro, alii. (10) Basnage, Ex. pag. 104. 105. Le Moine. (11) Antiquit. l. 20. c. 5. pag. 693.

victas manus fidei dederunt (12), munere suo functus, quod Spiritum Sanctum initiatis conferre nequaquam valeret, ad Apostolos Jerosolymæ versantes selectos homines misit, monens, ad perficiendum opus venirent. Contulerunt se illico Samariam Petrus, & Joannes; oblatisque pro Neophytis precibus, impetrarunt illis Spiritum Sanctum, cujus præsentiæ argumentum luculentissimum exhibebant collata illis linguarum, & charismatum dona.

Tunc Simon, qui specie tantum, juxta Patrum opinionem (13), nomen dederat inter Fideles, quique prodigia a Philippo patrata Magiæ, non Deo tribuebat; Diacono tandem sanctissimo totum se dedit in clientelam (14), nihil omittens sive de piorum operum exercitio, sive de jejunio & oratione (15), animo tamen semper ad priora studia & magiam converso, huic unice studebat, ut magis magisque nominis sui gloriam augeret (16). Sperabat impius assecuturum se tandem a Philippo insignium illorum miraculorum patrandorum artem; sed visis Spiritus Sancti donis, quæ manuum Apostolicarum impositione conferebantur, pecunia tentare viros aggressus est, in aures submurmurans Act. 8. 18. *Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Respondens Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.* Hæc tantum Scriptura de Simone Mago.

Fatemur tamen, Apostolum identidem in epistolis suis declamare adversus Pseudo-Apostolos, inter quos potissimo haberi loco Simonis Magi Discipulos suspicantur; *Mali homines & seductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Tum & ℣. 8. *Resistunt veritati homines corrupti mente, reprobi circa fidem, quemadmodum Jamnes & Mambres restiterunt Mosi. Sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* De illo pariter (Simone Mago) interpretantur illud 1. Thess. 11. 8. 9 10. *Revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum. Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacium.*

De illo pariter ejusque Discipulis dictum reputari potest illud secundæ ad Timotheum III. 1. *Scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, Et hos devita.*

Judas in Epistola ℣. 4. eosdem pariter Hæreticos cæterosque priorum sæculorum suggillat: *Subintroierunt quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Nec nisi Simonianos præ oculis habere creditur Jacobus Apostolus, proborum operum ad salutem necessitatem defendens in Ep. 2. 14. nulla enim de re sibi fidendum Hæretici illi ducebant, præter quam de gratia Simonis; de bonis vero operibus nihil (17), quod scilicet gesta a nobis omnia indifferentia esse crederent, & inter prava & improba discrimen ab Angelis constitutum esse eo consilio, ut sibi homines subjicerent: ea superstitione resolutos, qui in Simonem & Helenam sperarent, libera frui agendi pro arbitrio facultate. Contraria hisce statuens Jacobus, docet, sine bonis operibus fidem prorsus frigescere; nec Abrahamum justitiam ex sola fide sine bonis operibus obtinuisse; denique, adipisci homines justitiam per bona opera, non per fidem tantum.

Atris profecto coloribus Simonem cæterosque ejus ætatis hæreticos pingit Petrus in secunda Epistola II, 1. &c. *Fuerunt vero Pseudo Prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentes eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur; & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, & perditio etiam non dormitat.*

Scitum est, quanta licentia debaccharentur Simon ejusque Sectatores. Impius enim ille comitem sibi adsciscens Helenam suam, nihil ad crimina reliquum sibi faciebat (18). Hanc fœminam appellabat intelligentiam primam, & rerum omnium parentem (19). Magistri scelera non exprimebant modo, sed superabant etiam Discipuli; ipsi enim suis in Libris ultro fatebantur, eos, qui primum mysteria Simoniani dogmatis audirent, ad nefanda scelera obstupere (20). Nec diu hæresim illam & crimina impunita reliquisse Deum, infra ostendemus, demonstrantes ideo scelestos illos extulisse, ut gravius ruerent.

Pergit Apostolus Petrus in 2. Ep. 2. 13. & seqq. in hæc verba: *Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem, existimantes diei delicias; coinquinationes & maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti, Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii; derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit . . . . Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideria carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur.*

Quadrant hæc omnia in Simonem, virum omnium, quotquot unquam fuerint, corruptissimum, & immodice avarum, impium, sacrilegum, effrænem: qui pariter affirmabat, Helenam suam, prostitutis moribus fœminam, emptam Tyri (21), ipsam esse Helenam, belli Trojani olim incendium: primam esse intelligentiam, per quam creare Angelos Summus Pater decrevisset, sed hoc ejus consilium subodoratam Helenam, ad inferiorem regionem delapsam, Angelos peperisse, quibus illa nullam Patris cognitionem indidit. Ab his Spiritibus addebat creatos deinde mundum & homines; sed cum illi metuerent, ne ipsorum origo ab Helena manifestaretur, ipsam eamdem intelligentiam apud se veluti captivam & indigna plurima passam retinuisse, reditu ad Patrem præcluso; immisisse tandem illam in varia mulierum corpora, inter quæ locum habet Helena Menelai uxor, ac tandem post varias rerum vicissitudines in muliere illa, quam secum ducebat, constitisse. Hæc deliriorum ejus Hæretici pars aliqua: modo de impiis ejus dogmatibus nonnulla.

Mes-

(12) Vide Abdiam in Petro: Recognit. Clem. lib. 2.
(13) Irenæ. l. 2. c. 20. August. Hom. 614. in Joan. Epiphan. hæres. Simon.
(14) Act. VIII. 13. *Cum baptizatus esset adhærebat Philippo.*
(15) Constitut. Apost. l. 6. c. 7.
(16) Chrysost. in Acta hom. 18. Aug. in Joan. hom. 6.
(17) Iren. lib. 1. cap. 20.
(18) Justin. Apolog. 2. Iren. l. 1. c. 20.
(19) Iren. lib. 1. c. 20.
(20) Euseb. hist. Eccles. lib. 2. c. 13.
(21) Epiph. hæres. 21. Iren. l. 1. c. 20.

Messiam se jactitabat, e Cœlo ad libertatem Helenæ restituendam lapsum; cum veniret autem, varia peragrantem loca, dominantis in illis intelligentiæ formam induisse, ne agnitus detineretur. Denique terram assequutus, ajebat, hominis speciem tantum, non rem adoptavi; atque a Judæis in crucem actus, hac supplicii specie viros credulos fefelli. Gloriabatur pariter, se venisse tamquam Patrem Samaritanis, tamquam Filium Judæis, tamquam Spiritum Sanctum Gentibus. E Simonis Libris hæc profert S. Hieronymus: *Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego omnipotens, ego Paracletus, ego via Dei.*

Nec alium forte quam Simonem, ejusque sectatores spectant illa Apostoli ad Colossenses II. 8. &c. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum . . . . Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum . . . . Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.* Simoniacos eo loco suggillasse Apostolum, credunt Estius & Petavius (1).

Vix fieri posse persuaderemur, Hæreticos illos cultum aliquem Angelis impendisse, a quibus pessime tractata est Helena eorum mater, nisi arte & dolo, ut illi quidem narrabant, ab eorum se manibus subduxisset. S. Epiphanius hær. 21. c. 4. luculenter asserit, perinde habitos a Simonianis Angelos, uti acerrimos Dei hostes, & sinistras Potestates extra Pleroma constitutas. Docebant autem, mundum ab Angelis creatum, Prophetas inspiratos, iisdemque Authoribus obtrusum Vetus Testamentum universum, cujus Libri singuli a singulis Angelis scripti essent. Hisce persuasi docebant, minas omnes & Oracula Prophetarum contemnendas; Legi nedum non parendum, sed & ejus observationem in discrimen mortis & damnationis inducere.

Alieno licet ab Angelis animo Simoniani, cultum tamen Angelis superstitiosum impendebant (2), frustra salutem sperari posse asserentes, nisi nefandis sacrificiis Patri per Potestates, & Principatus singulorum Cœlorum oblatis. Coli ergo Angelos jubebat Simon, non auxilii ex illis obtinendi gratia, sed ut placarentur, ne hominum consiliis in hac vita adversarentur; & post mortem malum illis aliquod ne molirentur. Eo facile spectat illud Apostoli: *In humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.*

Sed in hoc Pauli Textu quædam occurrunt suspicandi argumenta, num alio quam ad Simonianos spectarit Apostolus. Illi enim, quos suggillat, imponere nitebantur Colossensibus *secundum traditionem hominem in cibo, aut in potu, aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum;* quibus non obscure significantur vel Judæi vel Samaritani (3). Spretas enim fuisse scimus Mosaicas Leges a Simone, impietatis accusatas, quibus abolendis se venisse, earumque dicto obsequentibus damnationem & mortem imminere dictitaret. Reponi tamen potest, Apostolum in eo Textu rem habere non de Simonianis tantum, qui cultum Angelis superstitiosum impendebant, sed de cæteris pariter Hæreticis, legalem disciplinam cum Evangelii observatione invehere adnitentibus.

Estius aliique nonnulli ajunt, Epistolam ad Ephesios respicere potissimum Simonem Magum ejusque Discipulos, ex Judæis plerumque & Samaritanis collectos, licentiam qua verbis qua factis commendantes; absurdam insuper jactitantes scientiam, sub ignoti sermonis specie indoctos & rudes fallere nitentes (4). Nec immerito etiam idem arbitratur, eumdem sibi finem constituisse Apostolum in Epistolis ad Titum, & Timotheum; quæ si propius dispiciantur, statim intelligemus, Apostolum refutandos suscepisse Hæreticum illum ejusque sectatores, quorum infandos mores & crimina tetris coloribus pingit.

Narrat S. Justinus, obivisse Simonem varias gentium Provincias, erroris sui dogmata spargentem, fallentemque falsis præstigiis suis viros e vulgo indoctissimos, seque veluti Christum obtrudentem (5). Varios ipse per se Libros scripserat (6); alterum addiderunt ejus Discipuli inscriptum: *Prædicatio S. Pauli* (7). Constitutiones, & Timotheus Presbyter (8) Constantinopolitanus referunt, Simonem & Cleobium perniciosa quædam Scripta ad Fidelium deceptionem Jesu Christi & Apostolorum nomine supposuisse: meminit etiam Præfatio Canonum Arabicorum Concilii Nicæni, Evangelii cujusdam a Simonianis confecti, quod in quatuor partes seu tomos, singulis mundi cardinibus inscriptos, dividebant. Author Operis de Divinis nominibus c. 6. plura adversus fidem scripsisse Simonem asserit, sub titulo *Antiorreticbon* sive Contradictoriorum. Sed opportuno sane consilio Scripta oblivione digna ita suppressit Antiquitas, ut ne unum quidem supersit.

Cum Tyri versaretur Simon, prostitutis moribus fœminam emit Helenam, quam & Selenen, nempe Lunam, appellatam novimus. Hanc, uti supra adnotatum est, intelligentiam primam nuncupabat, quæ post creatos Angelos variasque rerum vicissitudines in corpus fœmineum venisset. Corruptissima erat fœmina, cum qua nullo se commercio misceri simulabat; re tamen ipsa clam omnibus ita agebat cum illa, quomodo effrænis viri licentia ferebat (9). Cum ipsa arcana mentis suæ & scelera communicabat, fidissima pariter promovendæ hæreseos adjutrice usus.

Appellabat interdum *Helenam*, vel *Selenen*, idest *Lunam*, seu *Minervam*; interdum etiam *Barbelo*, nempe filiam Baal; tandem *Prunicam*, forte *Pornicam*, ac si diceret *impudicam*, *corruptam*. E radice Græca vocem illam derivari notat S. Epiphanius hær. 25. l. 2. quæ radix sonat, puellam vitiare. Hesychius reddit *Prunicum* pro bajulo (10). Petavius datam a S. Epiphanio expositionem non satis probat: nec sane congruum videtur, Simonem invidiosum nomen indidisse mulieri, quam aliis numinibus consecraverat. Nec est cur suspicemur, corruptum esse S. Epiphanii Textum, cum sæpius eamdem interpretationem repetat, neque semel notet verbum illud, unde vocis etymon ducit.

Cum cæterorum fere omnium nominum, quorum est mentio in hæresi Simonianorum & Gnosticorum, vis repetatur ex Hebræo vel Syriaco sermone, fieri utique potest, ut ea vox *Prunicos* ex Hebræo פרה *Para*, germinare, fructificare, florere, & נקה *Nacah*, purum esse & innocentem, vel נקת *Nacoth*, thymiama, derivetur. Quidquid sit, jactitabant Gnostici, per *Prunicam* colligere se vim corporum maris & fœminæ; via autem ista Gnosticis significabat fluxum humoris, quem aperto nomine exprimere vetat pudor.

Jubebat Simon statuas sibi dedicari sub Jovis figura, Helenæ vero sub Minervæ; nec Dei figuram tantum, sed & cultum sibi ac uxori utriusque Numinis adsciscebat. Appellabat Helenam

(1) Est. in Coloss. 12. Petav. in Epiphan. hæres. 21. c. 4. Theodoret. Hæretic. fabul. lib. 5. c. 9. (2) Tertull. Præscript. cap. 33. Epiph. hær. 21. (3) Tillemont Note 4. sur Simon le Magicien. (4) Estius Præfat. in Ep. ad Eph. (5) Apolog. 2. p. 69. Theodoret. de hæres. lib. 1. cap. 1. (6) Hieron. in Matth. xxiv. (7) Cyprian. de Baptismo. (8) Timoth. Presb. C. P. de libel. de his qui ad Eccles. accedunt. Vide & Constitut. l. 6. c. 8. (9) Epiph. hæres. 21. n. 2. (10) Hesych. Προύνικος, οἱ μισθοῦ κομίζοντες τὰ ὤνια ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς.

suam modo rerum omnium matrem, modo S. Spiritum; hanc esse dicebat palantem ovem, ad quam reducendam e Cœlo se venisse (11); hanc e Cœlo in Cœlum dilapsam in terras descendisse, & hominum figuram induisse. Se vero addebat nihil minus esse, quam cujus exhiberet figuram, nempe hominem (12), se Messiam jactabat, cujus nominis obtentu plures sibi adsciverat Discipulos, quos Christianorum appellatione decorabat; tandem in eacantationibus suis Christi nomen ingeminans, incantos & prodigiorum suorum præstigiis seductos plures fallebat.

Nolebat autem Jesu Christi personam in se agnosci, nec Jesum Christum haberi tamquam Dei Filium (13), quod scilicet odio illum prosequeretur; conatus insuper veris ejus prodigiis falsas præstigias ita opponere, ut parem cum illo nominis famam apud homines sibi conciliaret. Magni quidem fuisset negotii, Jesum Christum, virum moribus sanctissimis, & datæ cœlitus doctrinæ Magistrum, cum Simone corruptissimo viro, & vecordi confundere; sed magni pariter fuerat negotii inter genuina illius miracula & præstigia Simonis distinguere. Fateor tamen, non satis assequi me, cur Simon doceret, se nonnisi specie tolerasse crucis supplicium, si personam Christi induere recusabat. Sed frustra constans aliquid in systemate adeo male compacto quæras.

Vir ille impius, teste S. Irenæo (14), delapsum se cœlitus jactabat, nedum in salutem Helenæ suæ, palantis illius oviculæ, sed ad restituendum Universi Ordinem, Angelorum principatum affectantium ambitione turbatum: venisse pariter in salutem hominum, quibus summum fuerat malorum, quod se (idest Simonem) non cognoscerent, ac Angelorum jugum sustinerent: Angelorum, inquam, discrimen inter bona & prava opera eo consilio invehentium, ut homines in depressione & servitute tenerent.

Nihil corporibus sperandum manere sive de salute sive de resurrectione dicebat, sed animæ esse omnia; nihil fidendum hominibus in probis operibus, cum sola spes libertatis a servitute & jugo per Angelos inducto, in ipso se & Helena sua esset. Magistri doctrinæ plus nimio inhæserunt Discipuli, æternam in Christianum nomen nefandissimis criminibus suis invidiam creantes (15).

Ajebat se posse Prophetas ab Inferis liberare (16); transgressoque volatu aere medium se in ignem ita constituisse dicebat (17), ut in unum cum illo corpus, illæsus tamen, coalesceret; statuas anima donasse se & motu; lapides transmutasse in panem, sistere se videndum, & invisibilem pariter cui maxime vellet; penetrare montes & petras, nullo sibi obice resistente; dare se præcipitem e montibus, nihil sinistri metuentem; extricare se vinculis, quibus forte teneretur; novas subito arbores exhibere, metamorphosim sibi inducere, & mutare oris faciem, ut a nemine agnosceretur. Narrabat, missum se olim a Rachele matre sua ad colligendam messem, falci præcepisse, ut sese in illam immitteret; quæ ita mandata complesset, ut opus quantum decem messores, ageret. Ferebatur de illo, proposuisse olim Neroni, ut clam capite minui se juberet, pollicitum, intra triduum se iterum rediturum ad vitam. Rem præstitit Nero; verum Magus ille substitutum pro se arietem obtruncandum obtulit (18); post triduum spectandum se præbens Simon, speciem quasi iterum ad vitam rediisset, exhibuit. Author Constitutionum Apostolicarum l. 2. c. 8. & Recognitionum l. 1. 2. 3. ac Pseudo Abdias in Petro docent, Simonem Cæsareæ in Palæstina versantem disceptasse cum Apostolo Petro, recepisse se deinde Tripolim in Phœnicia, ac tandem Romam, quo Petrus euntem prosecutus est. Rerum Romæ gestarum a Simone, & disceptationum cum Apostolo coram Nerone, historiam legas apud Pseudo-Abdiam, & alios, seu non dissimilia fursuris Historicos, si per otium licet.

Major est habenda fides testimonio veterum Patrum (19), agentium de priore Simonis itinere Romam sub Claudio, quo rerum potiente Romani statuam Simoni erexerunt cum epigraphe: *Simoni Deo Sancto*. Sua adhuc ætate se spectasse illam tradit S. Justinus; asserens pariter, non defuisse inter Samaritanos cæterosque ejus Discipulos, qui inter Numina primum illi locum afferrent (20). Idem confirmat S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 2. Idem S. Irenæus contra hær. lib. 1. c. 20. De statua Simonis agunt pariter S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 6. Tertullianus (21), Eusebius, & Theodoretus. Publica authoritate erectam asserit S. Augustinus de hær. 1. In loco intra duos pontes Tiberis, vel in insula ejus amnis constitutam designat S. Justinus. En historiam apertis adeo documentis assertam, ut convelli nunquam posse videatur. Traditur enim a multis coætaneis ferme & magni nominis Scriptoribus, quorum aliqui suis ipsi oculis spectavere, rem sua ætate pro certa habitam asserentes. Si S. Justinus, qui omnium primus simulacri illius meminit, levitatis & ignorantiæ suspicionem præberet, si obiter, & per conjecturas rem attigisset, tolerari utique posset, ut aliquis daretur de ejus rei veritate ambigendi locus; nullus tamen reipsa datur, cum asserentem habeat virum amplissimum, judicio ingenioque gravem, Ethnicæ Religionis peritum, Romæ scribentem, tenentem primas in Ecclesia; denique rem illam inserentem supplici libello coram Imperatore & Senatu exhibendo; quæ nisi veritati cohæreret, impostoris & nugatoris invidiam in Scriptorem apud vilissimos etiam creasset. Quibus tunc sannis non exponeretur, odio jam & contemptui habita, Ecclesia? An neglexissent Pagani putidum illud mendacium objicere? Quieta fuerunt omnia: nulla ergo data est movendi causa.

E re sua pariter censuissent Christiani, locum hunc Apologiæ vel supprimere, vel utcumque excusare; siquidem S. Justinus crasso profectu errore pro *Semoni Deo Sanco*, quam epigraphen simulacro inscriptam tenent aliqui, legisset *Simoni Deo Sancto*. Cur erroneam hanc lectionem servarunt S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, S. Augustinus, viri nempe omnium in Ecclesia ætate singuli sua sapientissimi? An Tertullianus, an Augustinus, quis esset *Semo Sancus*, vel ignorabant vel ignorare poterant, si de illo quæsivissent? vel saltem soli inter homines Christiani non viderunt, erectum Romæ simulacrum Semoni ne an Simoni dicaretur? *Sanci* vel *Sancti*, Numinis Sabinorum, meminit S. Augustinus de Civit. l. 18. c. 50. Nihil e Theologia Profanorum latebat Tertullianum; uterque tamen S. Justini lectionem servat: quin & S. Augustinus de hæres. 1. dedicatum pariter Helenæ Simonis uxori statuam testatur. Ex ære conflatum Simonis simulacrum asserit, nec utique a S. Justino edoctus, Theodoretus, vir tantæ doctrinæ & sapientiæ in hæret. fabul. l. 1. c. 1.

Nec sane inficiamur, multum esse affinitatis inter illud, *Semoni Deo Sanco*, & aliud *Simoni Deo Sancto*. Quæ tamen in Inscriptione Romæ mox inventa leguntur, toto plane Cœlo aberrant ab iis,

(11) Iren. lib. 1. c. 20. (12) Epiph. loc. citat. August. de hæres. (13) Orig. cont. Celsum l. 5. (14) Iren. lib. 1. c. 20. August. de hæres. Epiph. hæres. 21. c. 4. (15) Euseb. hist. Eccl. l. 2. c. 13. (16) Tertull. de Anima c. 57. (17) Abdias in Petro; & Clement. Recogn. lib 1. (18) Pseudo-Marcellus in Actis Petri & Pauli. (19) Justin. Apolog. 2. p. 69. & 91. ΣΙΜΩΝΙ ΔΕΩ ΣΑΓΚΤΩ. (20) Idem Dialog. cum Tryph. p. 349. Florebat Justinus circa ann. 150. (21) Apologet. c. 13. Euseb. hist. Eccles. lib. 2. cap. 14. Theodoret. hæretic. fabul. lib. 1.

iit, quæ Justinus oculatus spectavit. I. Visum a Justino simulacrum publico & Imperatoris & Senatus decreto dedicatum fuisse, idem testatur (22), cum Simoni privato cujusdam consilio erectum fuerit. II. In Romana *Sanci* legitur, *Semoni Deo Sanco Fidio*; quæ sane verba universum S. Justini systema evertunt; norat autem ille, *Deum Fidium* vetustissimum esse Romanorum fidei in jurejurando præstandæ Numen. III. Unicum Simoni erectum Romæ simulacrum videtur, cum *Semoni Sanco* tam multa olim consecrata censenda sint, ut duo hodie usque supersint. Fidem S. Justino adstruunt, præter Veteres omnes supra a nobis laudatos, posteriorum sæculorum omnes usque ad Baronium; & post illum, ac præter illum (23), in eamdem sententiam concesserunt Guillelmus Spencerus (24), Hammondus (25), Tillemontius (26), P. Halloix in Justin. Grotius Operum l. 5. Fleury, & alii sexcenti.

Hi tamen omnibus nequaquam absterriti viri plures doctissimi, recitatæ a S. Justino historiæ fidem addicere noluerunt. Visam quidem a S. Justino Romæ inscriptionem, non admodum ab ea, quam recitat, discrepantem, ita agnoscunt, ut reipsa tamen nonnihil diversam fuisse putent: spectasse pariter ad aliud quam ad Simonem Magum, virum apud Sectæ suæ homines, tum & apud Samaritanos divinis honoribus parem, sed nunquam in Romanorum Numina vel receptum vel recipiendum, cum ea res esset, quæ multo rerum apparatu, tum & Senatus peculiari decreto indigeret (27). Profecto tanti moliminis rem non siluissent ejus ætatis Scriptores; nec, si apud vulgum indoctum rudemque aliquid obtinuisset præstigiis Simon, nunquam tamen adeo apud viros amplissimos conscriptosque Patres in tanta temporum luce valuisset.

Si quid humani viris illis sapientissimis accidit, in decernendo scilicet divino honore viris nonnullis mortalibus, id illis non error, sed metus, assentatio, & mala cupiditas extorsit. His omnibus nihil valebat Simon, vir obscurus, nec generis, nec Patriæ, nec nominis celebritate, sed præstigiis, quæ nedum parvi habebantur a Romanis, sed & Magi legum & pœnarum severitate damnabantur.

Quis unquam in animum induxerit, Imperatorem & Senatum divinis honoribus cultum voluisse hominem, cujus & genus, & patriam, & res gestas, quin & omnia vitæ incommoda norant? Consecrasse quidem Romanos fateor Cajum, & Domitianum; sed metu extorta illorum Divinitas nullos habuit cultores satis sinceros. Simonis apotheosim nihil tale promovisset. Divinis honoribus, quin & mactatione victimarum colere Paulum & Barnabam præsto erant Lystrenses: sed incautos persuasit opinio, quod sub illorum specie delapsa cœlo Numina apparuissent; ex quo enim meros purosque homines agnoverunt, lapidibus perimere illos aggressi sunt Act. 14. 16. 12. 13.

Tandem neque superstitem, neque post mortem consecratum a Romanis Simonem, par est ut credamus. Dum viveret, nunquam dogmatum suorum fidem Impostor ille Romanis persuasit, vel saltem persuasisse nemo unquam ex Patribus, etiam historiæ illi faventibus, asseruit. Quomodo autem Numen sibi proposuere, cujus dogmata non probabant? Post obitum, una cum ejus lapsu coram Nerone & Romanis, viri etiam fama concidit; ut proinde in censum Deorum etiam a Claudio relatus, post creatam æternam illam ejus nomini invidiam ab honore prorsus excideret. Interim S. Justinus cæterique Patres velut certum constituunt, post elapsum a Claudio & Nerone sæculum, nihil tamen de viri illius cultu decessisse.

Omnium ejus rei vetustissimus testis est S. Justinus Martyr, ex quo cæteri derivarunt, aliique deinde rem aliorum narratione acceptam asseruerunt. Vir autem Sanctus, quod citra invidiam scientiæ & sanctitatis illius dictum volo, credula nimis facilitate fidem addicebat pluribus nostra demum ætate, ne quid gravius dicam, suspectis. Narrat, spectasse se Alexandriæ Cellulas, Septuaginta Interpretibus Scripturarum Versioni laborantibus addictas; qua de re plura etiam addit fidei levissimæ in Exhortat. ad Gent. Judæos accusat in Dialog. cum Tryph. de vitiatis Sacris Libris, expunctisque in odium Crucis Christi e sententia illa Psalmi XCX. 10. *Dominus regnavit a ligno*, vocibus *a ligno*. Non ergo erat ab illo alienum, ut epigraphen *Semoni Sanco* per errorem legeret *Simoni Sancto*, Sabinorum Numine in Magum transformato. Anno 1574. defossum est Romæ in Insula Tiberina, quem locum designavit S. Justinus, marmor ita inscriptum:

SAMONI SANCO.
DEO. FIDIO.
SACRUM.
SEX. POMPEIUS. S P. F.
COL. MUSSIANUS.
DECUR.
BIDENTALIS.
DONUM DEDIT.

In monte Quirinali posita altera non dissimilis legebatur. En integram apud Gruter. lib. 1. pag. 96. ex Fulvio Ursino.

SANCTO SANCO.
SEMONI DEO FIDIO.
SACRUM DECURIA.
SACERDOTUM.
BIDENTALIUM.
RECIPERATIS.
VECTIGALIBUS.

Tandem Reate in Italia, veteri Sabinorum regione, ubi potissimus hujus Numinis cultus, hanc inscriptionem positam legerunt viri docti apud Gruter. tom. 1. pag. 96. num. 7. ex Apiano, & Fulvio, aliisque.

SANCO. FIDIO. SEMO. PATRI.

De decuma . Victor . Tibei . Lucius . Mumius . Donum .
Moribus . Antiqueis . Pro . Usura . Hoc . Dare . Semper .
Visum . Animo . Suo . Perfecit . Tua . Ope . Rogans . Te .
Cogendei . Dissolvendei . Tu . Ut . Facilia . Faxseis .
Perficiasque . Decumam . Ut . Faciat . Verae . Rationis .
Proque . Hoc . Atque . Alieis . Donis . Des . Digna . Merenti .

Appellabatur indiscriminatim Numen illud *Semo*, *Sancus*, *Sanctus*, vel *Fidius*, ut Ovidius Fast. l. 6. v. 213.

Quærebam nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi, Semo Pater.

Veteres autem generatim nomine *Semonum*, (quasi semihominum) designabant inferioris ordinis Numina. Ita *Semo* dictus est Mercurius (28), Her-

(22) Apolog. 2. *Sub Claudio Cæsare Simon Magus Senatum populumque Romanum in tantum admiratione sui stupefecit, ut haberetur pro Deo, & receptus in Deorum numerum honoraretur, dicata sibi statua.* (23) Baron. ad an. 44. n. 55. (24) Adnot. in Origen. contr. Cels. lib. 1. pag. 44. (25) Dissert. 5. de Episcop. jure. (26) Tillemont Note 2. sur S. Justin. (27) Tertull. Apologet. c. 5. (28) Auson. c. 19.

Hercules (30), Vertumnus, & Priapus (31); nec alius ab Hercule videtur *Semo* ille in Quirinali cultus: Ovidius Fast. lib. 6.

Hanc igitur (Semonem) *veteres donarunt æde Sabini,*
Inque Quirinali constituere jugo.

Sed ne talibus immoremur, satis est nobis demonstrasse, cultum olim Romæ Semonem Sancum, cujus & statua cum epigraphe eo loco posita spectabatur, ubi olim S. Justinus Simonis Magi simulacrum & epigraphen in eadem fere verba conceptam viderat; ex quo plane intelligimus, decipi facile potuisse hominem alienigenam, parum Latinis literis instructum, totumque opinione Simonis, quem norat olim præstigiis suis fefellisse Romanos, occupatum. Hanc sententiam acriter propugnant frequentes Theologi & Critici magni nominis utriusque communionis, uti Valesius, in notis ad librum 2. & 3. Eusebii, Salmasius in Spartianum; P. Pagi, Critica in Baronium, ann. 42. num. 6. Ciaconius Opusculo præfixo expositioni columnæ Trajani; Mabillon. tomo 1. Musei Italici pag. 87. Antonius Vandalus de Oraculis; Reinesius Dissertatione de Sybillinis; Ittigius Dissertatione de Hæresiarchis; Salomon Deylingius, Observationum Sacrarum tomo 1. capite 36. Joannes Albertus Fabricius, notis in Pseudo-Abdiam pag. 419. de Apocryphis N. T. Author Dissertationis impressæ in Ephemeridibus Reip. Litter. an. 1685. mense Augusti pag. 844 aliique plures, quorum rationes dubiam saltem reddunt fidem illorum, quæ de inscriptione Simonis Magi a S. Justino feruntur.

Cum Simon Romam sub Claudio venisset circa an. 41. J. C. sibique plures adscivisset Discipulos (32), Petrus Apostolus, qui gravis instabat viro, præstigiis ejus dissipandis, brevi totam ejus famam subverrit. Interiisse illum circa hæc tempora, & innuere videtur Eusebius, & credit post Metaphrastem Valesius (33); quamquam recepta magis opinio obitum illum consignat sub Nerone, circa annum Jesu Christi 65. quod suffragio suo confirmant Sulpicius Severus, S. Augustinus, Arnobius, Philastrius, S. Ambrosius, S. Maximus Taurinensis, Theodoretus, S. Cyrillus Jerosolymitanus, S. Isidorus Pelusiota, Baronius, cæterique fere omnes Historici. Mirari subit, cur nihil habeat Eusebius de lapsu Simonis, Cœlum petentis volatu, tanta scilicet re & memoria posterorum dignissima. Silent etiam vetustissimi ex Patribus, rerum Simonis non incuriosi indagatores, uti S. Justinus, S. Irenæus, Origenes, Tertullianus.

Reliqui Patres jam laudati conveniunt, Simonem Romæ versantem sub Nerone, per aera volantem, quasi ad Cœlum ascenderet, cum precum Apostolorum Petri & Pauli (34) vim non sustineret, corruisse præcipitem, & ex lapsu repagulis disruptis vitæ interiisse. Hæc satis constanter apud illos omnes Scriptores; sed qua ratione aera petierit Simon, aut vita excesserit, non satis convenit inter illos.

Hegesippus & Pseudo-Abdias e summa Capitolii arce aeri se commisisse scribunt. Volanti acclamabant Romani, nihil tale a Jesu Christo tentatum unquam. Vim suam adversus impium ut exereret Jesus, precibus impetravit Apostolus Petrus, simulque malis Spiritibus, quibus vehentibus ferebatur in aera, præcepit, fugerent actutum. Nec mora; subducentibus se Dæmonibus, corruit Simon, implicatus alis, quas sibi aptaverat, & ex lapsu mox interiit.

Pseudo-Marcellus in Actis Petri narrat, Simonem erigi sibi turrim postulasse in Campo Martio; qua postea lauro coronatum conscensa, universo spectante populo, ad Cœlum scandere tentasse; sed corruisse statim ac Petrus oravit. Valafridus Strabo, seu Author Carminis de S. Petro apud Canis. tom. 6. Lection. Antiq. pag. 659. ejus turris meminit. Igneo curru, velut Eliam olim, sublatum in Cœlum, habet Arnobius lib. 2. sed nomine Jesu Christi per Petrum invocato dissipatis præstigiis, dilapsisque Dæmonibus vectoribus, proprio pondere in terram adactum, cruribus e lapsu confractis, aliorum manibus translatum fuisse Brundam; ubi dolorem vulneris, & probrum non ferens, ex ædibus sese præcipitem egit. Narrant ex Patribus multi (35), geminos Dæmones Magi excantationibus coactos ad officium præstandum venisse; recessisse vero statim ac precibus Petri & Pauli sese impares senserunt. His subductis, statim in terram Magus. Locus ejus lapsus designant *viam sacram* Acta Græca Cotelerii.

Sunt qui credant, *Brundam*, quo delatus est post lapsum Simon, esse Brundusium ad extremas Italiæ oras, Græciam versus; veluti insigni ille Præstigiator illatam nomini suo notam tegere affectans, ex Italia in Orientem fugere tentarit. Censent vero alii, Brundam nomen esse certi in Urbe loci; nec sane dissident Veteres, uno omnes consensu asserentes (36), obiisse illum Romæ, & in Urbe media, uti notat S. Epiphanius; ac nemo ullus satis aperte docet, locum ejus obitus fuisse sive Brundusium, sive alium quemcumque extra Urbem. Variantia cætera minoris momenti libenter prætereo, veluti quod Petrus ad certamen illud Simonem provocaverit; id quod innuere videtur Theodoretus Hæretic. fabul. l. 1. c. 1. contra fidem Libri Constitutionum l. 6. c. 9. non obscure asserentis, a Simone Apostolum fuisse invitatum.

Certamen illud fuse prosequitur Author Constitutionum Apostolicarum loco cit. narrans, Simonem Romæ versantem & plures fallentem, venisse aliquando pleno meridie ad theatrum, authoremque fuisse populo, ut ad spectaculum (petiturum enim se aeris sublimia jactitabat) Petrum acciret. Cum venisset Apostolus, volatum aggressus est Magus: acclamarunt veluti Numini spectatores; sed versus in preces Apostolus, porrectisque in Cœlum manibus, & oculis ad Simonem conversis, ita locutus est: Ego sum vir Dei, & verus J. C. Apostolus, non sicut tu deceptor; quare ejus nomine infernis Potestatibus in aere te sustinentibus impero, ut recedentes actutum ruinæ te, æternoque expositum opprobrio permittant. Nec mora: corruit magno impetu Magus, confractis lapsu cruribus & pedum extremis. Acclamare ad hæc populus, unicum esse, quem Petrus nunciabat, Deum. Plures exinde Simonem deseruere, sed alii nonnulli pervicacius adhuc illi inhæserunt.

Referunt ad hanc Historiam illud, quod legitur apud Dionem Chrysostomum Orat. 21. Neronem scilicet apud se detinuisse virum, qui volatu se aera petiturum jactitabat, & illud Suetonii in Nerone cap. 12. virum scilicet quemdam in publicis ludis coram Nerone volatum tentasse; sed post primos conatus corruisse præcipitem, resiliente miseri cruore usque ad spectantis Principis papilionem. Ut Simonem Magum hac narratione spectari non negamus; ita nihil certi suppetit, cur de Simone ab utroque isto Scriptore agi credamus. Ita vero de volatu Simonis loquuntur Patres, & Ecclesiastici Scriptores, ut res gesta videatur a Simone, universo populo spectante

& in

[30] Ovid. Fast. lib. 6. [31] Fulgent. de vocibus antiquis. [32] Euseb. Hist. Eccl. l. 1. c. 15. [33] Not. in lib. 2. cap. 15. pag. 53. [34] In Constitutionibus Apostolicis nonnisi Petrus orans inducitur lib. 6. cap. 9. [35] Vide Arnob. loc. cit. Cyrill. Jerosolymit. Catech. 6. Ambros. Hexaem. lib. 4. cap. 8. Sulpit. Sever. lib. 2. hist. Eccles. Isidor. Pelusiot. lib. 1. Epist. 13. Theodoret. Hæret. fabul. lib. 1. cap. 1. [36] Philast. de hæres. cap. 29. August. de hæres. 1. Epiph. hæres. 21.

& in Urbis foro, non in theatro, & coram Principe; neque meditato antea consilio; sed magicis viribus fretus Simon, consilium statim inivisse, statimque Apostolum provocasse ad certamen. Narrat quidem Philastrius, Magum coram Nerone in aera sublatum; sed de Nerone nemo ante illum quicquam.

Jejunium servari solitum Romæ singulis Sabbatis, Romanorum nonnullos retulisse scribit S. Augustinus Epist. 86. ad Casulan. ad institutum eadem die a Petro jejunium, ut divinam sibi opem impetraret in certamine die proxime consequenti cum Simone ineundo; qui mos ut servaretur deinceps, fecit certaminis illius felicissimus exitus. Claudit denique Augustinus: *Est quidem & hæc opinio plurimorum; quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani.*

Si quis magis accurate allatas in medium optaret Veterum discrepantes sententias, ad historiam certaminis Petri cum Simone quod attinet, illius certe votum explebit Cotelerius in annotationibus ad sextum librum Constitutionum Apostolicarum, ubi rem totam excutit; ac tandem concludit, in historia tam dubia & parum assertis rebus plenissima, tutius esse judicium suspendere, nihil certi sive pro ejus veritate sive contra illam definiendo; quod sapientissimum esse in re præsenti censemus.

DISSERTATIO

DE ACTIS PILATI

Ad Tiberium Imperatorem missis, in causa mortis JESU CHRISTI.

TAnta fuit in ipsis Ecclesiæ Christianæ crepundiis Apocryphorum & pravorum Librorum obtrudendorum libido atque licentia, ut mirum non sit, si tot occurrant viri suspiciosi, plurimum caventes, nequem omnino eorum admittant Ecclesiæ authoritate non receptum, quamquam alioqui ætate illa satis vulgatum. Nec sane, unis exceptis Canonicis Scripturis, plures occurrunt, sive non interpolati, sive non ad libitum conficti. Quot falsa Evangelia, Acta Apostolorum, Apocalypses, Oracula Prophetarum, Martyrum & Sanctorum gesta, in ipso Ecclesiæ nascentis exordio supposita? Manus etiam injectæ ab Hæreticis in Evangelia, & genuinas Apostolorum Epistolas, fœde illas detruncando, addendo, vitiando. Quid laboris impensum sit in restituendis integritati suæ interpolatissimis S. Ignatii Epistolis, sat omnibus notum. Quot Martyrum Acta corruptores isti non perdiderunt? Tot in Ecclesiasticam eruditionem mala invexit præposterum studium, minus cauta simplicitas, opinionis alicujus singularis urgendæ amor, ac tandem in erroribus asserendis pervicacia.

Acta a Pilato ad Tiberium missa in causa necis Jesu Christi, ejusque resurrectionis, viros nostræ ætatis doctissimos in utramque partem exercent. Sanior illorum pars missa censet reipsa; an vero Acta illa ipsissima censenda sint, quæ Patres laudant, an integra ad nos usque pervenerint, seu potius longa sæculorum oblivione vel interierint, vel in eo fluxu temporis fœcis plurimum contraxerint, res est inter eruditos agitata.

Provinciarum Romanarum Præsidibus solemne fuisse, omnia majoris momenti ad Principem referre, docet abunde Plinius, ad Trajanum scribens quid ipse cum Christianis in Asia egerit (15). Morem illum, monendi nempe Imperatores, si quid novi in Provincia accidisset, ne quid illos lateret, a vetustissimis receptum in Imperio temporibus, observat Eusebius lib. 2. c. 2. Hist. Eccl. Idem vel agnoscit, vel innuit Tertullianus (16), referens, Tiberium de rebus in Palæstina actis certiorem factum, de Jesu in censum Deorum cooptando ad Senatum retulisse; non assensisse tamen Patres, qui consecrandi Numina jus totum sibi arrogantes, propositum ab Imperatore Numen ægre probabant.

S. Justinus Martyr in Apologia pro Christianis secunda (17) hæc excerpit ex Actis a Pilato ad Tiberium missis: *Et cum in Crucem egissent eum, aleam super vestitum ejus injecerunt, & inter se partiti sunt illum, qui crucifigendi supplicium peregerunt.* Tum ad Profanos addit: *Atque hæc ita gesta esse, cognoscere ex Actis, quæ sub Pilato sunt conscripta, potestis.* Et infra (18): *Quod insuper Christum curaturum fuisse morbos omnes, & defunctos excitaturum prædictum sit, verba vaticinii audite .... Et quod ista fecerit, ex eis, qui sub Pontio Pilato conscripti sunt, commentariis cognoscere potestis.* Fusius profecto digesta erant Acta illa, quantum ex duobus hisce textibus intelligimus.

De Actis a Pilato ad Tiberium missis sermo incidit pariter in Historia Martyrii S. Ignatii Antiocheni. Legitur enim in illis, datas fuisse ad Trajanum literas, quibus ille fieret certior, Ignatium Theophorum homines docuisse, ut divinis honoribus colerent Jesum Christum, supplicio crucis damnatum a Pilato, *ut ejus Acta docent*. Sed tota hæc periodus non legitur in Actis sinceris & selectis Martyrum Theodorici Ruinart, & adscititiam esse censent viri nostra ætate doctissimi.

Quid ferent Acta illa, habet non obscure Tertullianus in Apologet. c. 21. Tradebant igitur, Jesum infestantes corpora Dæmones pellere; valetudinem restituere cæcis, leprosis, paralyticis, vitam defunctis; elementa & tempestates coercere imperio; super aquas gradi, argumentis exhibere luculentissimis se Filium esse Dei, & rerum omnium authorem. Doctrinæ illius fulgore perstrictos Judæorum Optimates, populique favorem in illum ægre ferentes, renuentem reluctantemque veluti coegisse Pilatum, ut virum in crucem ad suas ipsorum preces ageret; quod supplicii genus ipse sibi Jesus & veteres de illo Prophetæ prædixerint. Actum in crucem magis magisque potentiam suam exeruisse, quod scilicet non expectato carnificis ministerio spiritum suum posuerit,

---

[15] Plin. lib. 10. Epist. 102. Tertull. Apologet. cap. 2. [16] Tertullian. Apologet. cap. 5. Euseb. lib. 2. cap. 2. [17] Justin. Apolog. 2. pro Christian. pag. 76. [18] Ibid. pag. 84.

rit, cum illi visum est. Eodem tempore solem in medio diei cursu obscuratum; Judæos depositum e cruce condidisse sepulcro, commissis ad ejus custodiam militibus, ne Discipulis Præceptoris cadaver surripientibus, prolato ab ipso Jesu de resurrectione sua intra triduum oraculo fidem mendacio adstruerent. Verum tertia ab obitu die subito tremore concussa terra, sublatum lapidem ab ostio sepulcri, milites inopinato terrore in fugam actos; & Discipulis omnibus licet absentibus, nihil tamen nisi mortui insititas in sepulcro apparuisse: sparsisse in vulgus rumorem Judæos Optimates, sublatum a Discipulis cadaver; sed Jesum post actos plures dies in Galilæa Palæstinæ regione, docentem Discipulos suos quæ alios ipsi docerent, tandem jussis iisdem Discipulis orbem universum prædicando percurrere, nube vehente in Cœlum evanuisse.

Claudit denique Tertullianus: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nuntiavit*. Addit: *Sed & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Cæsares*. Ex his Tertulliani verbis intelligimus, Epistolam Pilati ad Tiberium veluti summam complecti Evangelii, scribente ad Imperatorem Pilato, quidquid de rebus gestis Jesu Christi ab exordio ejus prædicationis ad Ascensionem usque noverat. Consecutiones ex his infra ducemus; illud tantum in præsenti animadvertisse contenti, nihil esse quod miremur, si Tertullianus de Pilato asseruit, *pro sua illum conscientia Christianum* fuisse; nemo enim Christianus melius rebus Jesu Christi scribendo, nemo accuratius consuluisset. Et Tiberium de his monitum, statim de referendo inter Deos Jesu Christo, quem sane Numinibus profanorum multo esse præstantiorem noverat, deliberasse.

Tandem Eusebius Cæsariensis, qui Tertulliani Apologeticum utique legerat, Epistolæ Pilati ad Tiberium bis meminit. Narrat enim in Chronico ad an. Mundi ɪɪ. sub Consulibus anni J.C. xxxvi. Pilatum certiorem per literas fecisse Tiberium de Jesu Christo ejusque doctrina; Tiberium vero de recipienda fide Christiana egisse in Senatu; sed Patres renuisse. Addit in sua versione ejusdem Chronici S. Hieronymus: *Verum cum ex consulto Patrum Christianos eliminare Urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem*.

Idem Eusebius in hist. eccl. l.2.c.2. hæc habet: *Interea tam per omnem jam locum de resurrectione & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad Cœlum felix fama loqueretur, ac per omnium aures beati rumoris volveretur opinio; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, si quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidisset, vel Principi vel Senatui nunciarent, ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid videretur: de resurrectione a mortuis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem locum fuerat pervulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus, ut post mortem cum resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius quæ compererat, retulit ad Senatum; Senatus autem sprevisse dicitur. Tamen fertur Tiberium tam eam, quam prius animo combiberat, opinionem firme tenuisse, tum nihil absurdi contra Christi doctrinam ne cogitatione quidem molitum esse*. Laudat post hæc e Tertulliani Apologetico locum supra recitatum.

S. Epiphanius hæres. 54. n. 1. agens de *Quartadecimanis*, contendentibus Pascha celebrari oportere ipsa die, qua illud Jesus Christus anno obitus sui celebravit (tunc erat dies 14. Lunæ) in quamcumque tandem diem Lunæ incideret, S. Epiphanius, inquam, asserit, Hæreticos istos opinionis suæ potissimum fundamentum habuisse Acta Pilati, diem obitus Jesu Christi consignantia ad diem viii. Kalendas Aprilis, idest xxv. Martii; itaque Pascha eadem die celebrabant, spreta Lunæ conversione. Frequentabant illi potissimum Cappadociam, eodemque die omnes Pascha celebrabant.

Verum, addit S. Epiphanius, Actorum ejusmodi Exemplaria variant; legimus enim in nonnullis xv. Kal. Aprilis pro viii. Kal. Scimus autem certo, ait, Jesum Christum obiisse xiii. Kal. Aprilis idest 20. Martii licet non desint qui male revocent ad x. Kal. Aprilis, idest 23. Martii.

Nihil aliud discriminis observat S. Epiphanius iis in Actis, nisi in adscriptione diei Paschalis; quod argumento est apertissimo, in reliquis omnibus & Epiphanii, & Quartadecimanorum Exemplaria consensisse, & pro assertis habita.

Auctor homiliæ septimæ de Paschate Chrysostomus, seu quis alius tom. 5. p. 942. Edit. Savilii scriptæ anno 672. habet pariter: *Neque ignoratur tempus, quo Servator noster passus est; nam Commentarii sub Pilato compositi tempus Paschatis definiunt. Constat itaque ex his, quod* viii. *Kal. Aprilis* (idest 25. Martii) *passus fuit Servator*. Eadem temporis adscriptio legitur in calce Evangelii Nicodemi, quod aliqui ipsissima Pilati Acta esse censuerunt, de quo Evangelio infra.

Epistola Pilati ad Tiberium, in Martyrologio Florentini, data est iv. Nonas Aprilis, idest secunda ejusdem mensis die. Quæ in Hegesippo legitur, vulgata a Sixto Senensi, nullam habet temporis adscriptionem; nec altera in Apocryphis N. T. apud Fabricium. Cum autem accuratissimæ astronomicæ supputationes obitum Christi consignent ad diem iii. Aprilis anni xxxiii. Æræ Vulgaris, sequitur inde, neque Acta Pilati apud S. Epiphanium, neque cætera nobis cognita genuina reputari.

Paulus Orosius, Discipulus S. Augustini, hæc habet in Hist. lib. 7. cap. 4. *Postquam passus est Dominus Jesus Christus, atque a mortuis resurrexit, & Discipulos suos ad prædicandum dum dimisit, Pilatus Præses Palæstinæ provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per Discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo quod certatim crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit: edictoque constituit, exterminandos esse ab Urbe Christianos: præcipue cum & Sejanus Præfectus Tiberii suscipiendæ Religioni obstinatissime contradiceret*.

Integrum hoc fragmentum exscribere visum est, ut fæces ejus opinionis inter fluendum contractæ, quo magis a fonte abest, demonstrentur. Nonnulla enim recitatæ a Tertulliano historiæ, unde suam derivavit, Orosius addidit, ut illud de Sejano, & alia. Quæ vero de Senatus edicto, quo exilium ab Urbe Roma Christianis decernebatur, hæc versione Latina Chronici Eusebiani per Hieronymum deducta satis constat.

S. Gregorius Turonensis in hist. Franc. l. 1. c. 20. *Apprehensus autem & Joseph, qui* (Dominum) *aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellulam includitur, & ab ipsis Sacerdotum Principibus custoditur, majorem in eum habentes sævitiam, ut gesta Pilati ad Tiberium Imperatorem missa referunt, quam in ipsum Dominum, ut, cum ille a militibus, hic ab ipsis Sacerdotibus custodiretur: sed resurgente Domino, custodibus visione Angelica territis, cum non inveniretur in tumulo, nocte parietes de cellula, in qua Joseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse vero de custodia absolvente Angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cumque Pontifices custodibus exprobrarent, & sanctum corpus ab iisdem instanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Joseph, & nos reddimus Christum*.

Hæc

Hæc ipsa leguntur hodie in Pseudo-Evangelio Nicodemi, ex quo (nisi ex apocrypho alio malueris) desumpsit facile S. Gregorius hæc, quæ ex illo recitavimus. Scriptum profecto illud nihil minus refert quam missæ ad Tiberium Epistolæ similitudinem; est enim prolixum sane Opus, impolito ac pedestri, tum barbaro latino sermone scriptum, in quo puerilia multa & levia, &, quod caput est, nonnisi sero notum. Sunt qui procusum ab ipso eodem S. Gregorio suspicentur, illis ejus verbis ducti (19): *Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit? & ei tam de virtutibus Christi, quam de Passione, & Resurrectione ejus insinuat. Quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta*. Sed num his verbis Author Operis Gregorius probatur? Altum est de illo apud Veteres silentium, prodiitque primum impressum in Orthodoxographis Basileæ, anno 1555. Fabricius, qui solerter omnium de hoc Scripto agentium testimonia collegit (20), neminem profert vetustiorem Authore Synaxarii Græcorum, qui ea aliis tantum audita refert; inter Latinos omnium primum affert Grynæum in Præfatione ad Orthodoxographos.

Pseudo-Hegesippus, Scriptor quarti vel quinti sæculi (21), omnium primus Pilati ad Tiberium Epistolam recitavit. Habet igitur ista: „ Quamvis Pilatus manus laverit, nequaquam tamen minus extitit reus, qui gloriam Dominicæ agnoscens Resurrectionis, prædicare invitus studuit, sed credere perfidus contempsit; sicut testatur ejusdem Epistola, Cæsari in hunc modum directa: Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, & quod ipse probavi, Judæos per invidiam se suosque posteros crudeli condemnatione punisse. Denique cum promissum haberent Patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de Cœlo Sanctum suum, qui eorum Rex merito diceretur, & hunc se promiserit per Virginem missurum ad terras: Istum itaque, me Præside, in Judæam Deus Hebræorum cum misisset, & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, Dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus super undas maris, & multa alia fecisse; cum omnis populus Judæorum eum Filium Dei esse diceret, invidiam contra eum passi sunt Principes Judæorum, & tenuerunt eum, mihique tradiderunt, & alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum Magum esse, & contra Legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem, militibus meis custodientibus, tertio die resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Judæorum, ut darent pecuniam custodibus, & dicerent: Dicite quia Discipuli ejus corpus ipsius rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt. Nam & illum surrexisse testati sunt, se vidisse, & se a Judæis pecuniam accepisse. Hactenus Epistola apud Hegesippum. Sixtus Senensis (22), qui eamdem in nonnullis levioris momenti variatam recitat, addit, hanc periodum tamquam ex eadem Epistola, cum Hegesippus tamquam suis verbis illam ferat, nec *vale* in fine ejusdem Epistolæ apponat: *Hæc idea ingessi, ne quis aliter mentiatur, & æstimet credendum mendaciis Judæorum*.

En alteram melioris notæ, & magis ad ingenium antiquitatis, a Florentinio vulgatam (23). „ Pilatus Tiberio Cæsari salutem: De Jesu Christo, quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem populi acerbum, me quasi invito & subticente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium ac syncerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura est. Sed mirus extitit ipsius populi conatus, omniumque Scribarum & Seniorum consensus, suis Prophetis, & more nostro Sibyllis præmonentibus, hunc veritatis legatum crucifixere; signis etiam super naturam apparentibus, dum penderet, & orbi universo Philosophorum judicio lapsum minantibus. Vigent illius Discipuli, opere & vitæ continentia Magistrum non mentientes; imo in ejus nomine beneficentissimi. Nisi ego seditionem populi prope æstuantem pertimuissem, forsasse adhuc nobilis ille vir viveret. Etsi tuæ magis dignitatis fide compulsus, quam voluntate mea adductus, pro viribus non restiterim, sanguinem justum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famem (ut Scripturæ interpretantur) exitium pati, & venundari. Vale. Quarto Non. April.

Hæc Epistola supposita multis argumentis demonstratur. I. Datas antea a Pilato ad Tiberium alias de Christo literas constituit; quod quidem nuspiam legimus apud Veteres; non siluissent autem, si in Actis, quæ laudant, aliquid ejusmodi legissent. II. Ita de Jesu (Jesum Christum appellat) agit, ut nihil præclarius ex Christiano Scriptore desideretur. III. Scribas & Seniores in Christi necem animatos habet, silet autem Sacerdotes, quos tamen scimus mortis illius authores præcipuos. IV. Prædictum Sibyllino oraculo Christi supplicium comminiscitur; neque enim Sibyllarum carmina ea de re in medium allata sunt, nisi diu post Pilatum, & post obtrusa scripta quædam Sibyllina, omnium confessione spuria. V. Frigida prorsus causatione factum suum de supplicio in Jesum decreto excusat Pilatus, damnasse scilicet se virum popularis seditionis metu; tum etiam quod Judæorum Scripturæ ferrent, unum hominem pro totius gentis salute interiturum. Regiæ quidem dignitatis affectatæ, tum & seditionis in populo, atque in Cæsarem reum illum agebant Judæi; quæ si satis certe comprobata sunt, nulla opus excusatione fuit; si falsa erant, quod Imperatoris dignitati discrimen? Ad hæc, Judæi ad mortem illum poscebant, secundum Legis sanctionem: *Secundum Legem debet mori*; statimque rationem subdunt: *Quia Filium Dei se facit* (24). Quæ tamen accusatio non multum valuisse apud Judicem videtur.

Historiam Jesu Christi missam, uti quidem scribitur, a Pilato ad Tiberium, & in Jerosolymitano tabulario sub Theodoro inventam, recitant Bollandistæ ad diem 4. Febr. p. 450. sed omnium confessione apocryphum est commentum. Laudat etiam Cotelerius ex Codice Regio 2431. Græcam quamdam Relationem Pilati ad Tiberium de rebus ante & post obitum J. C. sed viri illius docti judicio futilem adeo, ut legere pigeret.

Fabricius alteram e Colbertino Codice vulgavit (25), cujus hæc summa: *Relatio Pilati Præfecti de Jesu Christo Domino nostro, missa ad Tiberium Imperatorem versantem Romæ. Potentissimo, Augustissimo & invicto Imperatori Tiberio, Pilatus Præfectus Orientis. Cogor hisce litteris tibi, potentissime Imperator, significare, metu licet plenus ac terrore, quod nuperi temporis impetus tulerit, & jam colligo inde quid deinceps postea futurum sit*. Postea ad rem

[19] Hist. Franc. l. 1. cap. 53. Vide, si iubet, D. Ruinart. Præfat. in Gregor. Turon. n. 76. [20] Apocryph. N. T. pag. 223. &c. [21] De Excid. Urbis Jerosol. Anacephalæosis tom. 1. Biblioth. PP. p. 1211. [22] Sixt. Senens. Biblioth. sanct. lib. 2. pag. 100. Vide & eamdem Epistolam apud Pseudo-Marcellum Petri Apostoli Discipulum, Lege Notas Fabricii in hanc Epistolam, Apocryph. N. T. [23] Florentin. Martyrol. Vet. pag. 113. [24] Joan. xix. 7. [25] Addenda ad Apocryph. N. T. num. 1. pag. 972. &c. ex Cod. Colbert. num. 2493.

rem accedens narrat, Herodem, Archelaum, Philippum, Annam, Caipham cum Judæis cæteris in manus suas tradidisse Jesum, quem plurimorum criminum reum agebant; sed de nullo prorsus convictum, quin potius complurium miraculorum, quæ enumerat, insignem patratorem. Meminit inter cætera Lazari e mortuis revocati, Hemorrhoissæ tactu fimbriæ Jesu Christi ad valetudinem restitutæ. Profitetur deinde, coactum se hominem cruce perimendum Judæis permittere, quamvis nullius criminis reum cognosceret. In ejus obitu mira plurima; dehiscente terra e mortuis surrexisse Abrahamum, Isaacum, Jacobum, duodecim Patriarchas, Moysem, & Joannem, qui spectandos se multis præbuerunt. Prima hebdomadæ die (Dominica) in ipso noctis silentio aerem miro fragore sonuisse. Cœlum septuplo clariori lumine micuisse, & tertia noctis hora micuisse Solem; visos pariter magno numero Angelos clamantes *Christus crucifixus resurrexit*. Noctem totam eo lumine illustratam; patuisse terram usque ad abyssos, mortuos rediisse ad vitam, & Angelos illis occurrisse. Judæorum plurimos eo terræ hiatu absorptos; Synagogas Jerosolymæ eversas, actos in fugam milites ad custodiam sepulcri Jesu Christi constitutos; quibus objectos subito Angelos terrorem incussisse. *Hæc sunt*, adddit, *quæ præsenti tempore gesta comperi, & ad Potestatem tuam referens quæcumque cum Jesu Judæi egerunt, Numini tuo, Domine, misi.* Addit demum Author, hanc Epistolam missam ad Urbem tantam in Pilatum creasse invidiam, ut Tiberius actutum, missis apparitoribus, adduci Vitum catenis vinctum jusserit.

Frustra hic notas omnes falsitatis hujus epistolæ expenderimus; patent enim per se. Exaggerat præpollere Author miracula Jesu Christi, adjectis circumstantiis pluribus in Evangelio incognitis. Notis & assertis nova plurima addit. Tandem stilum inepte inflat, conatus majestatem addere rebus, quæ majestate sua plurimum Authoris phrases superant. Ad Imperatorem inusitato per eam ætatem more loquitur, compellans illum elogio *majestatis*, *divinitatis*, *Altissimi*, *potentissimi*, *augustissimi*, & *invicti*: se tandem præpostero titulo *Præfecti Orientis* jactitat.

Reliquum est tandem, ut de Actis Pilati Ethnicorum fraude procusis agamus. Maximinus Imperator, teste Eusebio Histor. Eccles. l. 9. c. 5. vulgari curavit quarto Ecclesiæ sæculo Acta quædam Jesu Christi, sub Pilati nomine scripta. Impia in illis & blasphema adversus Jesum Christum plurima, e quibus in Christianos odium haurirent in Schola pueri, seque in dato a Magistris penso exercerent. Hæc per universas late Imperii Provincias legi in Scholis & vulgari, qua in Urbibus qua in agris, jussit Imperator eodem teste lib. 9. c. 7. ut nihil tunc frequentius occurreret, quam pueri cantantes recitantesque Christianorum & Jesu Christi opprobria. Sed in Opere indignissimo procudendo tam parum studii tegendo mendacio adhibitum est, ut data consignaretur Epistola sub quarto Consulatu Tiberii ut notat idem Eusebius ibid. l. 1. c. 9. nempe anno Imperii septimo; quod apertissimum prodebat mendacium: teste enim Josepho Antiqu. l. 18. c. 3. missus in Palæstinam eum potestate Pilatus nonnisi anno XII. Tiberii venit.

Ut totam hanc Dissertationem claudamus, statuendum arbitramur, fieri utique potuisse, ut Pilatus pro more cæterorum Provinciæ Præsidum de rebus omnibus ad obitum & resurrectionem Jesu Christi spectantibus Imperatorem faceret certiorem; quod vetustissimis & gravissimis Authoribus, S. Justino Martyre, Tertulliano, Eusebio Cæsariensi asserentibus, non inviti credimus.

II. Certum etiam statuimus, ex omnibus quos supra recitavimus, ea de re Scriptoribus neminem, nisi S. Justinum, Tertullianum, & facile Eusebium comperta scripsisse: cæteros nonnisi vel priores illos exscripsisse, vel redegisse in compendium. Facile, inquam, & Eusebius Cæsariensis; ille enim nonnisi ex Tertulliani testimonio rem narrat; & animadversione quidem dignum est, Eusebium Acta illa Pilati nequaquam recitare, quamquam summi ad historiam momenti; cum alioqui ejusmodi scripta non incuriosus prætereat. Ex quo suspicioni locus datur, sive nulla tunc Acta extitisse, sive ex iis, quæ per eam ætatem ferebantur, Eusebii judicio genuina nulla fuisse.

III. Constat pariter, ex Actis Pilati, nostra ætate servatis, ne unum quidem superesse non apocryphum. Quæ refert Hegesippus, Pseudo-Marcellus, Martinus Polonus in Chronic. lib. 4. Yvo Carnotensis in excerptis Chronol. Sixtus Senensis, aliique Recentiores plures, & rebus omnia, & suppositionis nota conveniunt. Quartadecimanorum apud S. Epiphanium suspecta sunt plurimum, sin minus alio, certe temporum adscriptione; qua in re Exemplaria sibi non constabant. Cum autem S. Epiphanius alia non recitaverit, certius & magis assertum de illis ferre judicium non licet. Acta Florentinii supra rejecimus. Nihil moramur Pseudo-Evangelium Nicodemi, Narrationes Bollandistarum, Cotelerii, & Fabricii.

IV. Si qua Acta aliquo in pretio habenda sunt, hoc facile asserendum est Actis, quorum fragmentum servat Tertullianus. Sed plura in illis occurrunt, quæ suspicionem de sinceritate movent, vel saltem an ectypa fuerint, relinquunt incertum. Ubique Tertulliani stylus, in phrasibus illis duris, asperis & Africanis ingeritur. *Cum ille verbo Dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret .... Paralyticos restringeret .... elementa ipsa famulares compescens procellas, & freta ingrediens ... Parum hoc, si non & Prophetæ retro etiam. Tamen suffixus, multa mortis illius propria ostendit insignia ... Nihilominus tamen primores, quorum timerent & scelus divulgare, & populum vectigalem & popularem sibi ad fidem revocare, &c.* Quilibet in lectione hujus Scriptoris vel parum exercitatus, statim Tertullianum sentiet. Præterea additiones illas, a Tertulliano in sua relatione appositas, quæ sane Pilato non conveniunt, ut illud: *Ostendens sese Verbum Dei, id est Logon, illud primordiale primogenitum, virtute & ratione comitatum, & spiritu instructum, eumdem qui verbo omnia & faceret & fecisset.*

Acta illa Tertulliani revocant gesta omnia, & potissima Jesu Christi prodigia; quod factum esse a Pilato minime credimus, ut ejus viri laudes prosequeretur, quem infami supplicio damnaverat. Licet autem fusius omnia describant, nuspiam tamen occurrit quod in Actis Pilati S. Justinus legerat, nimirum in vestes J. C. sortes missas fuisse. Ad hæc, Acta illa Tertulliani nonnisi post Ascensionem vel etiam post Pentecostem missa leguntur: vix autem persuademur, vel tamdiu distulisse Pilatum, ut Imperatorem de omnibus faceret certiorem, vel hominem Profanum tam exacte scire omnia potuisse.

V. Non inviti credimus, Epistolam a Pilato ad Principem missam, quam maturrime vitiatam fuisse, & primos illos viros, cum quibus genuina Epistola ab Imperatoris domesticis communicata fuit, nonnulla adjecisse in gratiam Christianæ Religionis; quibus interpolationibus deinde animadversis, invidiam in scriptum illud creatam, factumque successu temporis, ut neglectum penitus interiret: quare Eusebius nullam Epistolam satis assertam, & genuinam posteritatis memoria satis dignam novisse videtur. Post eam ætatem contingere facile potuit, ut vir aliquis simile scripti genus procuderet, opponendum forte suppositis illis Actis Pilati, Maximini jussu vulgatis.

Si quis velit Authores de hoc argumento scribentes consulere, adeat Baronium, Tillemon-

tium

habitantibus Jeru-
falem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc eft, ager fan-
gui-



supra recitavimus, ...
nem, nisi S. Justinum, Tertullianum, & facile ... tium

tium (1), cæterosque Ecclesiasticos Historicos, Basnagium in suis Exercitationibus in Baronium, Antonium Vandalium in singulari Dissertatione de hoc argumento in calce Tractatus de Oraculis, Editionis secundæ, quod scriptum, magno futurum adjumento, videre mihi non licuit; Tanaquillum Fabrum *l. 2. Ep.* 13. Casaubonum *Exercit. in Baron.* 16. *num.* 154. Ouvenium *l.* 3. *Theolog. c.* 4. Isaacium Vossium *de Oraculis Sibyllinis c.* 11. Le Moine *Varia Sacra pag.* 146. Fabricium *Not. in Acta Pilati pag.* 214. *&c.* & 972. *Cod. Apocryph. N. T.*

(1) Note sur S. Pierre, xix. pag. 516.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN ACTA
APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

Prologus Lucæ in Acta. Jesus Christus in Cœlum ascendit. Apostoli Jerosolymam revertuntur. Matthias in locum Judæ sufficitur.

℣. 1. PRimum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus
facere, & docere, 2. Usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiri-
tum sanctum, quos elegit, assumptus est: 3. Quibus & præbuit seipsum vivum
post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & lo-
quens de regno Dei. 4. Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent,
sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: 5. Quia
Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post
multos hos dies. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine,
si in tempore hoc restitues regnum Israel. 7. Dixit autem eis: Non est vestrum
nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: 8. Sed accipietis
virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, &
in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ. 9. Et cum hæc dixisset,
videntibus illis, elevatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10. Cumque
intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus
albis, 11. Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Je-
sus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum
euntem in cœlum. 12. Tunc reversi sunt Jerosolymam, a monte, qui vocatur Oli-
veti, qui est juxta Jerusalem, sabbathi habens iter. 13. Et cum introissent in cœ-
naculum, ascenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, Phi-
lippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelo-
tes, & Judas Jacobi. 14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum
mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus ejus. 15. In diebus illis exurgens
Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum vi-
ginti). 16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus San-
ctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: 17.
Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. 18. Et hic
quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & dif-
fusa sunt omnia viscera ejus. 19. Et notum factum est omnibus habitantibus Jeru-
salem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager san-
gui-

guinis. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui inhabitet in ea: & episcopatum ejus accipiat alter. 21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, 22. Incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. 23. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Matthiam. 24. Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, 25. Accipere locum ministerii hujus, & apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. 26. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.

℣. 1. PRIMUM QUIDEM: in priori scilicet meo Libro, sive Opere, Evangelio meo, &c. Scripto a se Evangelio Lucas plura docuit eorum, quæ ad pueritiam & res gestas Jesu Christi pertinebant, reliquis Evangelistis penitus intacta. Narravit autem non ea solum quæ Jesus gessit, sed & ea quæ docuit, recitavit. Verba illa, *facere & docere*, totius Evangelii veluti summam complectuntur. Hic autem describenda suscipit *Acta Apostolorum*, idest itinerum & prædicationum illorum historiam. In ipsi Operis exordio de omnibus simul Apostolis eorumque gestis Jerosolymę, antequam dispergerentur, sermonem instituit. Enarranda autem primum suscipit gesta Petri; donec orationem late per omnes spatiantem intra historiam Pauli ita cogat, ut a Capite XIII. & deinceps nunquam fere eos fines pretergrediatur.

Librum inscribit Theophilo, idque nominis ceu commune & appellativum plures accipiunt (1); est enim *Theophilus, vir Deo amicus*, vel *Deum amans*; ac si ad Fideles quoscumque fide & charitate ferventes Opus suum Author direxerit. Sed communior & verior opinio (2) Theophilum hunc pro viro quodam genere vel dignitate illustri agnoscit, cui Lucas Evangelium suum & Acta Apostolorum dicaverit. Epitheton illud *optime*, Græce κράτιστε, quo ipsum in exordio Evangelii distinguit, illustrem viri conditionem satis indicat. Sunt autem qui Antiochenum illum constituunt, eadem patria satum, qua Lucam; ad fidem autem conversum sive Lucæ sive Pauli prædicationibus, optasse, ut sibi scripta narratio daretur eorum, quæ de gestis Jesu Christi & Apostolorum Lucas norat. Ex Achaja illum accersendum ideo reputat Grotius, quod eo loco Lucas utrumque Opus scripsisse credatur. Sanctio vero persuasum est (3), Theophilum hunc ipsissimum esse Theophilum Antiochiæ civem, cujus meminit Liber Recognitionum (4); quem virum Petrus ad fidem convertit, traditamque ab illo domum in Ecclesiam consecravit, & in Sedem sibi Episcopalem Antiochiæ constituit. Hunc Theophilum Oecumenius Præfectum Urbis, seu Provincię suæ constituit.

℣. 2. USQUE IN DIEM, QUA PRÆCIPIENS APOSTOLIS PER SPIRITUM SANCTUM, QUOS ELEGIT, ASSUMPTUS EST; ab exordio usque ad diem, qua ascendit in Cœlum, post edoctos ministerio Spiritus Sancti Apostolos, quos elegerat; vel potius, post tradita mandata sua Apostolis, quos elegerat per Spiritum Sanctum (5): quæ posterior interpretatio cum Græco magis cohæret (6). Denique reddi potest: Ascendit in Cœlum, præmonitis Apostolis de Sancto Spiritu; idest, ut opperirentur adventum Sancti Spiritus (7), quem missurus erat ad illos, quos sibi destinaverat in Apostolos. Hisce omnibus interpretationibus sua est fides. Filius Dei docuit Apostolos per S. Spiritum; ministerio S. Spiritus illos delegit, ejusdemque Spiritus spem illis fecit; ut ejus adventum opperirentur mandavit. Denique, ascendens in Cœlum, mandatis illos oneravit, ut late per Orbem Evangelium prædicarent Marc. 16. 15. initiarent baptismate gentes nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; quæ omnia nonnisi post adventum S. Spiritus executioni mandanda fuerant.

℣. 3. QUIBUS ET PRÆBUIT SE IPSUM VIVUM . . . IN MULTIS ARGUMENTIS. Dicuntur hæc per epilogum omnium eorum, quæ fuse narrata sunt in Evangelio de Jesu Christo, qui sæpius, & varie se post resurrectionem suam spectandum exhibuerat. Totis quadraginta diebus cum Apostolis perseverans, intuendum se per intervalla præbebat, docens quæ ad Ecclesiæ constitutionem necessaria essent: *Loquens de Regno Dei*. Ac primo quidem prodidit, quam falsa & ipsi & reliqui Judæi sentirent de Regno temporali Messiæ: Dei Regnum plane spiritale esse, nec regnaturum Jesum Christum in terra, nisi in Ecclesia sua, & in mentibus Fidelium per fidem, & charitatem. Cæterum parare se illis dixit in Cœlo Regnum æternum, gloriam & felicitatem plane superiorem iis omnibus, quæ Mundus dare poterat, maximis & jucundis.

℣. 4. ET CONVESCENS PRÆCEPIT EIS AB JEROSOLYMIS NE DISCEDERENT; sed ut ibi Sanctum Spiritum expectarent. Græci quidam Codices ferunt (8): *Vivens*, seu *conversans cum illis*. Sed prior lectio melior. Sæpius exhibens se Jesus Apostolis spectandum, cibum cum illis potumque gustavit. Sed qua die ascendit in Cœlum, discumbentibus illis & ipse pariter una discubuit (9), mandavitque, ut hic traditur, irent, totumque late per Orbem Evangelium spargerent, & S. Spiritus adventum Jerosolymis opperirentur. Vide infra ℣. 9.

PROMISSIONEM PATRIS, QUAM AUDISTIS PER OS MEUM. Pater Æternus meo ore vobis S. Spiritum spopondit Jo. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum* (vel Advocatum) *dabit vobis*. Et Jo. 14. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Et apud Ezechielem 36. 25. Deus: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum; & Spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.*

℣. 5. QUIA JOANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA; VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO (10). Joan-

(1) Origen. Ambros. in cap. 1. Evang. Lucæ; Epiph. hæres. 51. (2) Chrysost. Theophyl. Oecum. Euthym. hic; Tolet. in Luc. 1. Brug. Erasm. Cornel. alii. (3) Sanct. in Acta hic. (4) Recognit. Clement. lib. 2. cap. ult. (5) Ita Syr. Arab. Æthiop. August. alii plures. (6) Ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήφθη. (7) Vatab. a Lapide. (8) Καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς. Alii, συναυλιζόμενος. Ita Mss. plures apud Mill. hic. August. *Conversatus*. Alii, *conversans*. Alii, *congregans*. Erasm. Arias, Calv. (9) Marc. XVI. 14. Act. X. 41. & Luc. XXIV. 4. (10) Quid. Codd. Latini apud August. *Incipietis baptizari*. Vide August. lib. 1. c. 4. contra Felic. Manich. & Ep. olim 108. nunc 265. num. 3.

Joannes author fuit baptismatis aquæ, quo abluti ad pœnitentiam, & pœnitendo ad veniam peccatorum impetrandam comparabantur. Jesus Christus author est baptismatis S. Spiritus, quod in sanctimoniam & innocentiam reformabat. Joannes quidem vos, sicut & cæteros eo se conferentes, baptismate tinxit; sed mihi vos estis abluendi novo quodam lavacri genere, baptismate nempe S. Spiritus. Ille enim Spiritus Paraclitus in vos ex alto labetur, ceu amnis quidam ignis & lucis, quo perfundemini; ac veluti mergemini beato hoc torrente aquarum viventium, vosque totos ignis iste vivificans penetrabit. Interpretatio ista, quam plures ex Patribus tradunt (12), certum statuit, Apostolos in Pentecoste nondum baptismate Jesu Christi initiatos fuisse, ac Sacramentum hoc primitus institutum fuisse post resurrectionem Jesu Christi iis verbis ad Apostolos: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (13).

Sed quæ modo obtinet in Ecclesia opinio docet (14), Apostolos baptismate initiatos fuisse ipsius Jesu Christi, sive fratrum suorum manibus in Jordane (15), cum ipse Jesus Ministros Sacramenti hujus illos constituit, atque ad illum major populi concursus factus est, quam qui ad Joannem Baptistam convenerat (16). In ipso missionis suæ exordio tanti Sacramenti necessitatem exposuerat Nicodemo Jo. 3. 3. docens, nemini reserari Cœlorum fores posse, nisi spiritali innovatione per Baptismum renato. Profecto Apostoli alio baptismate nullo, quam Jesu Christi, tingebant; nec facile credimus ipsos sibi denegasse, quod aliis largiebantur. Quis credat, Jesum Christum Corporis & Sanguinis sui Sacramentum gustandum tradidisse nondum baptismate initiatis? Cum igitur spem illis facit Jesus futurum, ut Sancto Spiritu baptizentur, promissionibus hisce designat affusionem, uberem benedictionem, & inundationem S. Spiritus, quo affatim perfunderentur, quique gratiæ firmitati, ac scientiæ, qua præditi erant, supremam manum imponeret.

℣. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel. Illi scilicet, quibus convescentibus ipsa Ascensionis die (17) Jesus Christus apparuit, seu potius totus cœtus simul coeuntium Discipulorum, ut ejus Ascensionem suis ipsi oculis spectarent. Erat autem cœtus hominum viginti supra centenos, ut infra ℣. 15. Discipuli igitur isti continere se non potuerunt, quin sciscitarentur, dies ne adesset Regni Israelitici restituendi; nam ad ipsam usque Pentecostes diem persuasione firmum tenuerunt Apostoli, Regnum temporale constituendum fore a Jesu Christo in terris (18); & cum e mortuis vitæ restitutum spectarunt, continuo expectationis suæ, quæ & apud Judæos omnes late obtinebat, exitum se visuros reputarunt.

℣. 7. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta (19), quæ Pater posuit in sua potestate. Sciscitationi Apostolorum nonnisi ex obliquo Jesus Christus respondet. Quo post dies decem afflandi erant, Spiritus Sanctus dubitationes illorum omnes submoturus erat, & nova luce tenebras illorum depulsurus. Satis nunc habet coercere inane illud rerum quærendarum studium, docens plura esse, quæ Pater Cœlestis sibi uni agnoscenda reservavit, neque cum mortalibus censuit communicanda.

In censu arcanorum hujusmodi referunt Judæi tempus, restitutioni Regni in Domo Davidica destinatum. Constat utique, sub Messia hæc implenda expectari, ac re ipsa id implevit Jesus Christus, Ecclesiam suam condens, quæ Regnum est pacis, justitiæ, fidei, & charitatis. Jesus Christus genuinus est David, Prophetarum oraculis prænunciatus (20).

℣. 8. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos. Interrogationi vestræ nihil repono; id enim quæritis, quod Pater Cœlestis latere mortales voluit.

In Jerusalem et in omni Judæa et Samaria usque ad ultimum terræ. Exprimitur hisce Gentium & Samaritanorum ad Evangelium vocatio. Ita & apud Matthæum mittit illos Jesus non ad Judæos solum, sed ad Gentes pariter: *Euntes docete omnes gentes* Matth. 28. 18. Exorsi sunt tamen semper a Judæis, & ab ovibus, quæ e grege Israelitico aberraverant. In veteri quodam Scripto, Petri nomine supposito, hæc præmonuisse Apostolos suos Jesus Christus legitur (21): *Si quis velit ex Israel duci pœnitentia, & per nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in Mundum, ne quis dicat: Non audivimus*. Hæc verba recitat Eusebius ex Clemente Alexandrino, ac si mandatum exprimant a Jesu Christo injunctum Apostolis, ne Jerosolyma egrediantur ante annos ab Ascensione duodecim. Quod tamen illos religiose servasse, nemo asseruerit, sicut nec tuto affirmaverit, a Judæa & Jerosolyma ante annum duodecimum omnes penitus excessisse.

℣. 9. Cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est. In Evangelio Lucas c. 24. 51. narravit, Jesum Christum in cœtu Discipulorum verba fecisse; tum illis extra Jerosolymam, Bethaniam versus, adductis, in Oliveti collem ascendisse, sublatisque manibus benedixisse illis, deinde sensim attollendo se in Cœlum, ex oculis spectantium evanuisse. Ascendit ille in Cœlum, non Angelorum ministerio vectus, sed insita sibi virtute; atque ita ascendit, ut paulatim attolleret se in aera euntem, prosequentibus intuitu Apostolis, quoad lucidæ nubis incursu aspectibus intuentium ablatus fuit. Non statim ille quidem evanuit, ut in similibus rerum eventibus alias accidisse constat, & uti sæpe ab Angelis servatur, cum forte se per visum spectandos exhibent.

Ita vero rem narrat Lucas, ut innuat, Jesum Christum petiisse Cœlum statim a cibo cum Apostolis degustato; cum enim narrasset ℣. 4. Jesum Christum vescentem cum Apostolis mandata sua eis tradidisse, subdit deinde ℣. 9. *Et cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est*. Ac re ipsa quidem vetusta Ecclesiæ traditione creditur ascendisse in Cœlum feria quinta ad meridiem, ut ex S. Augustino S. Prosper affirmat (22). Idem tacite innuit Eusebius (23), scribens, Jesum Christum arcana mysteria communicasse cum Discipulis in specu quodam Oliveti; quibus verbis facile designat ultimum illud convivium cum Discipulis, & postrema verba, quibus eos alloquutus fuit. Verum si conferantur ea, quæ Lucas scripsit in Evangelio, vero propius reputabimus, convi-

(12) Vide Tertull. de Baptismo c. 11. 12. Chrysost. Theophyl. Euthym. in Joan. Hieronym. contra Lucifer. (13) Matth. xxviii. 18. 19. Marc. xvi. 14. 15. 16. (14) Aug. Ep. olim 108. nunc 265. & alibi sæpius; Greg. lib. 9. Regist. Ep. 31. Beda hic; D. Thom. 3. part qu. 66. art. 2. (15) Fœminam nullam, præter matrem, nullumque virum baptismo tinxisse dicitur Christus, præter Petrum; a quo deinde tincti sunt Andreas, Jacobus & Joannes; ab his denique cæteri Apostoli. (16) Joan. iii. 22. & iv. 1. 2. (17) Vide Marc. xvi. 14. & sup. Act. (18) Matth. xx. 21. Luc. xxiv. 21. & passim. (19) Græc. χρόνους ἢ καιρούς, *Tempora & momenta*, seu *tempora & articulos*, vel *tempora, & opportunitates*, sive absolute *tempora certo constituta*. (20) Isai. 12. 7. xxviii. 5. lv. 3. Jerem. xxiii. 5. xxx. 9. xxxviii. 11. Ezech. xxxiv. 13. xxxvii. 14. Osee iii. 5. Zach. xii. 8. (21) Vide Clem. Alex. lib. 6. Strom. p. 636. & Euseb. lib. 5. cap. 18. Hist. Eccl. (22) Prosper, Sentent. 303. (23) Euseb. vita Constantini lib. 3. c. 43.

vivium illud celebratum fuisse Jerosolymis, Discipulosque extra Urbem eductos, ut Ascensionem in Cœlum suis ipsi oculis intuerentur.

Interpretum quidam putarunt (24), nubem, quæ Dominum obvolvit, nihil fuisse præter lucem, qua Jesu Christi corpus micabat, quæque ascendente Jesu viam quamdam lucis, diu multumque ab Apostolis perspectam, signabat. Tostato (25) est solium quoddam, cui insidens Jesus in sublime ferebatur, seu vestis, quam in aerem sublatus induit; nulla enim veste usum esse jam inde a Resurrectione Dominum censet: loco autem vestis, lucis ex ipso ejus corpore micantis amictu protectum sese exhibuisse; nudumque, ac tantummodo nube illa velatum, Cœlum petiisse docet.

Sed Commentariorum Scriptoribus plerisque certa sedet opinio (26), & vestibus tectum, sicut ante, ita & post Resurrectionem Dominum prodiisse, vestitumque ascendisse in Cœlum, necumbraculum nubis nisi vestitum subiisse. Hanc vestem alii candidam, alii purpuream assignant. Sed quis vadem se talium exhibeat?

Ϋ. 10. Duo viri in vestibus albis. Duo Angeli virilibus exuviis induti, albisque vestibus, in ipso monte, quo potissimum loco Dominus in Cœlum ascenderat, spectandos se præbuerunt. Plerumque Angeli albis ac fulgentibus indumentis sese mortalium obtutibus offerebant.

Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum. Veniet extrema die, idem præferens corpus, in eamdem compositus majestatem, ut jus æquum defunctis ac superstitibus dicat. Idem non semel in Evangelio spoponderat (27) Christus, ubi sermonem habuit de ultione, quam ipse in Jerosolymam destinaverat. Veterum plures (28) censuerunt futurum, ut Deus toto divinitatis apparatu palam se exhibeat in vertice Oliveti, ut Mundum judicet, coram circumfusa ad montis radices in valle Josaphati mortalium turba. Quin & Chaldæus in Canticum docet, in ipso Oliveti monte ad vitam restiturum iri Israelitas.

Ϋ. 12. A monte Oliveti. In Evangelio Lucæ (29) diserte exprimitur, coram eductis a se Bethaniam Discipulis Jesum Christum Cœlum petiisse: *Eduxit eos foras in Bethaniam, & recessit ab eis.* Primo igitur contulisse se creditur cum Discipulis Bethaniam, supremum vale dicturus Lazaro, Marthæ ac Mariæ, secumque illos ducturus, ut Ascensionis suæ spectaculo adessent: conscenso autem Oliveti clivo, cujus devexa, vel radices Bethania tenet, benedixit illis, extulitque sese sublimem in Cœlum (30). Hæc omnia necessario admittenda sunt, ne Lucas cum Joanne committatur. Ait enim Lucas, rediisse Discipulos e monte Oliveti, tanto viæ spatio a Jerosolymis distito, quantum iter est die Sabbathi permissum; idest, ad summum, septem vel octo stadiis aut passibus mille: Joannes vero aperte asserit, Bethaniam abesse a Jerosolyma stadiis quindecim, nempe passibus bis mille circiter Joan. xi. 18. Josepho Antiqu. l. 20. c. 6. mons Olivarum jacere dicitur stadiis non amplius quinque seu passibus sexcentis & viginti quinque a Jerosolyma. Denique locus, unde Jesus Cœlum petiit, notatur in montis vertice, multo quam Bethania Jerosolymæ propior. Igitur Christus ad Cœlum regressurus, Bethaniam deserens, Jerosolymæ vicinior accessit.

Certum ponit Eusebius in vita Constantini lib. 3. c. 41. 43. Jesum ab ipso montis vertice Cœlum conscendisse: ibique sacrorum pedum vestigia impressa mansisse, affirmant Sulpitius Severus l. 2. c. 8. Hist. Eccl. S. Paulinus Ep. xi. & Author Locorum in Actis (31). Eadem vestigia ætate sua institutis in Judæam sacris itineribus visitari consuevisse, tradit S. Augustinus in Joan. hom. 47. eademque religio sæculo octavo, Beda teste, adhuc perseverabat. Helena Imperatrix, Constantini mater in loco, unde Jesus Cœlum petiit, Templum erexit; sed frustra tentatum fuisse pavimento tegere solum, ubi sacra illa vestigia cernebantur, terra ultro rejiciente marmor impositum, Eusebius est author (32). Author Locorum in Actis, de quo supra, affirmat, nulla arte concameratum fornicem vel tectum loco illi imponi potuisse, ita ut semper sub dio manserit; quamvis autem longe lateque per orbem dissiparetur terra vel pulvis soli ejusdem, sacrorum pedum vel contactu vel vestigiis religiosi, integra tamen semper vestigiorum forma, & pristinus soli status perseverasse fertur (33).

Quadragesima post Resurrectionem die Jesus terram cum Cœlo commutavit, die Sabbathi, si quid valet conjectura S. Chrysostomi in Acta hom. 3. cui tamen obstat vetus traditio & consuetudo Ecclesiæ, festum illud feria quinta celebrantis; quod jam inde a veteri ætate receptum fuisse, ex Constitutionibus Apostolicis l. 5. c. 19. idem statuentibus discimus. S. Augustinus non semel ita de illo agit, ac de Festo undique per Ecclesiam quadragesima post Resurrectionem die celebrari consueto.

Sabbathi habens iter: Itineris parum Judæi Sabbatho sibi permittebant; quo spectans Jesus Christus, monebat Matt. 24. 20. *Orate, ut non fiat fuga vestra in Sabbatho.* Spatium illud itineris definiunt Judæi ad cubitos bis mille; tantum enim fuisse intervalli Arcam inter & populum in transitu Jordanis, observant (34). Cubiti autem bis mille accuratæ mensuræ, quæ cubitis singulis pollices quatuor & viginti assignat, ad nostram mensuram supputati, referunt perticas novem & sexaginta supra quingentas, addito pede uno, pollicibus octo, & $\frac{68}{89}$, sive, juxta Hebræos, passus mille. Verum ætate S. Hieronymi, spatium illud ad bis mille pedes prorogabatur (35). Syrus ponit hic pro itinere, Sabbathi religione permisso, *septem stadia*: Æthyups *spatium cursus viri*. Porro septem stadia passus adamussim mille, quæ mensura est a Rabbinis definita, non æquant (36); mille enim passus stadia octo reddunt. Suspicantur quidam, Hebraicum stadium majus fuisse Græco, quod centum viginti quinque passibus constat: quorum tamen opinio probabilis non est.

Mens fuit Evangelistæ, uti facile credimus, designare iter Sabbatho permissum, non ita quidem accuratum, sed illi proximum. Porro iter Sabbathi definiri solebat ad mille passus, at non adeo religiose, quin plus aliquid minusque viæ confici liceret. Mons Olivarum nonnisi stadiis quinque, juxta Josephum, vel sex, juxta eumdem (37), a Jerosolyma distat. Spatium illud facile ducit hic ab ipsa montis radice usque ad Urbis mœnia, cum Lucas duxerit a vertice montis, unde Dominus Cœlum petiit, usque ad Urbem. Ita faci-

(24) Cajet. hic; Medina 3. part. qu. 58. art. 4. (25) Tostat. Paradox. 5. c. 9. & 34.
(26) Vide Cornel. a Lapide hic. (27) Matth. xxiv. 30. xxvi. 64. Marc. xiii. 26. 1. Thess. iv. 16. &c.
(28) Vide Hieron. in Joel. iii. 2. Chald. in Joel. iii. 2. & alios. Grot. hic. S. Hilarius in Matth. xxiv. putat, id Jerosolymis vel in Calvario monte eventurum. (29) Luc. xxiv. 50. (30) Vide Sanct. & Cornel. hic. (31) Author Locor. in Actis i. 5. Oper. Antiqu. edit. Oper. S. Hieronym.
(32) Euseb. Vita Constant. lib. 3. c. 43. Hieronym. tract. Locor. in Actis; Beda de Locis sanctis.
(33) Vide Hieron. seu alium Author. Locorum in Actis. (34) Josue iii. 4. *Sit inter vos & arcam spatium cubitorum duum millium.* (35) Hieron. ad Algasiam: *Rabbini*, inquit, *Akiban, & Simeon, & Hillel magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in sabbatho.* (36) Ita Baal-Aruch; ita & Origen. Suid. Oecumen. Beda Lyr. Toler. Salmer. Ribera, alii. Vide Sanct. hic. (37) Joseph. Antiq. lib. xx. c. 6. sed Chrysost. & Theophyl. hic legunt, Ewra, septem pro wevte, quinque; & Joseph. lib. 6. de Bello cap. 2. seu lib. 5. c. 8. sex stadia.

facila omnia sibi constant, & conciliantur.

Ex interpretibus plures (37) reputant, sacram hanc itineris mensuram non adeo religiose ad mille passus definiri, quin aliquanto excedi non posset. Prorogant ad dimidiam leucam Lyranus & Dionysius Carthusianus. Tostatus ad passus bis mille; ut mille passus procedendo metiri, totidemque remetiri redeundo fas esset. Cajetano sunt stadia duodecim, nempe passus mille & quingenti. Sed constat apertissime, statam certamque mensuram ad mille passus plus minusve definitam fuisse: nobis autem leucæ sunt passuum trium millium. Igitur Sabbathi iter tertiam leucæ partem æquabat. Notat Sanctius, S. Epiphanium hær. 80. constituisse loca orationis Sichemitarum, nempe Samaritanorum, apud quos sanctissima est Sabbathi religio, ad bis mille passus circiter a Sichem. Porro Oratoria hæc extra Urbes sita, die Sabbathi adiri potuisse, ex Philone de vita Mosis l. 3. discimus; unde colligas, passus bis mille eundo, totidem redeundo confici die sacra potuisse.

Philippis apud Macedonas versans Paulus Act. 16. 12. exiit Sabbatho ab urbe, contulitque se ad oratorium, quod flumini adjacebat. Sacro itineri bis mille ulnas Origenes lib. 4. c. 2. Periarchon assignat. Docent Rabbini (38), Moysis ætate iter Sabbathi ad duodecim millia passuum excurrisse; sequiori vero ætate visum fuisse Sapientibus, ut intra cubitos bis mille coerceretur. Fas est tamen Hebræis, per Urbes, quantumvis late patentes, huc illucque discurrere: egredientibus tamen ex urbe nefas est longius quam ad cubitos bis mille, nempe ad mille passus, iter protrahere. Docent etiam, siquis in agro versetur, & in loco, cujus distantia non adeo sit explorata, huic fas esse die Sabbathi conficere itineris passus bis mille vulgares & consuetos, vel bis mille mediocres.

℣. 13. Ascenderunt in coenaculum. Animadversum est ab aliis (39), superiora ædium conclavia perinde fuisse ac domestica sacraria, Legis lectioni rebusque religiosis destinata. Cœnaculum, in quod Apostoli coiverunt, merito haberi potest ceu nascentis Ecclesiæ Christianæ incunabula; Ecclesiæ, inquam, quæ tam cito & feliciter totum impletura Orbem crevit, & dilatata est. Ita solet Deus Omnipotens summa quæque consilia executioni mandare minus opportunis, ac plana ad res, quas molitur, ineptis instrumentis utens, ne sibi gloriam impletæ rei vindicent mortales, totamque in ipsum unum eventuum omnium authorem referant.

In cujus viri ædes Apostoli & Discipuli convenerint, quæritur. Sunt qui (40) in Joannis Evangelistæ domum censeant: alii (41), Simonis Leprosi, sive Josephi ab Arimathia (42), sive Nicodemi, vel Mariæ matris Joannis, cognomento Marci (43). Postrema hæc sententia, incerta utique, sed probabilior reputanda est. Illud tantummodo exploratum, Petrum e carcere subductum, contulisse sese ad ædes matris Joannis Marci, quo Apostoli convenerant Act. xii. 12.

Quæ olim domus Apostolos collectos tenuit, sive ut expectarent, sive ut acciperent Spiritum Sanctum, deinde in Templum consecrata, per plura sæcula mansit. Ecclesiam superiorem vel Apostolorum, hanc appellat S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 16. Sita erat in monte Sion (44), ibique Levita Stephanus initiatus fuisse creditur (45). Erat ibi pariter sæculo Ecclesiæ quarto columna, cui alligatus fuisse Jesus Christus, cum flagris cæsus est, ferebatur (46). Hanc vero domum in urbis excidio ex Romanis, evasisse incolumem censet S. Epiphanius (47); sed commune cum cæteris fato eversam, deinde reparatam stetisse iterum, vero propius reputamus.

Ubi manebant Petrus, &c. Petrus nuspiam non primus occurrit, utpote qui a Jesu Christo visibile Ecclesiæ suæ Caput constitutus fuit (48). Nec alius sententiam primus rogat (49), proponitque Apostolis, ut in locum Judæ proditoris alter substituatur.

℣. 14. Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus (50). Animorum consensu, precandi ardore & perseverantia Apostoli ad excipiendum Spiritum Sanctum se comparabant. Mulieres cum Apostolis tunc versantes, quæque facile Jesum Christum coram se raptum in Cœlum spectaverant, sunt omnium prima Virgo Maria, deinde reliquæ illæ fœminæ, quæ perpetuæ itinerum comites Jesu Christo adhæserant; & facile etiam Maria & Martha non procul a Ierosolymis habitantes.

E verbis illis, *Erant perseverantes unanimiter in oratione*, facile intelligimus, Apostolos piasque illas mulieres clausos sese domi continuisse, metuentes forte (51) insectationem Iudæorum, pessime semper in Discipulos Iesu Christi animatorum. Attamen Lucas in Evangelio 24. 52. narrat, illos Ierosolymam post Ascensionem reversos perseverasse jugiter in Templo, laudantes & benedicentes Deum (52). Hanc sententiarum discrepantiam conciliavimus in Commentario ad Lucam, rati Evangelistam describere occupationem novorum Fidelium post illapsum Spiritus Sancti.

℣. 15. In diebus illis exurgens Petrus. Tempore Ascensionem inter & Pentacosten medio. Petrus tamquam Apostolici Collegii Princeps, partium esse suarum duxit, ut de substituendo successore in locum Iudæ proditoris cogitaret; memor dictum sibi fuisse a Iesu Christo, cum de futuro suo lapsu præmoneretur (53); *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*.

Erat autem turba hominum fere centum viginti. Græcus (54), & Latini quidam Codices (55) pro *turba hominum* legunt, *turba nominum*. Quæ locutio est Græcis (56) familiarissima, usurpantibus *pauca nomina* vel *plura nomina* pro majori vel minori hominum turba. Quin & in Scriptura *nomen Dei* semper perinde sonat ac Deus, & credere, prædicare, baptizare in nomine Iesu Christi, est Christo credere, Evangelium ejus promulgare, baptismate abluere.

Numerus hominum centum viginti e solis facile viris colligebatur; neque enim fœminæ in censum venire solebant. Aderant undecim Apostoli, & dein supra septuaginta Discipuli, ac præter illos Discipuli alii, quos amor & diuturna familiaritas Iesu Christo magis conjunxerat. Forte vero in domum illam nonnisi exteri convenerant; qui enim ex Discipulis domicilium Ierosolymæ habe-

(37) Salmeron, Arias Mont. Vat. hic; Mald. in Matth. xxi. (38) Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l. 3. c. 9. qui de hoc argum. fuse disputat. (39) Vide Vitring. l. 1. par. 1. c. 6. (40) Niceph. l. 2. hist. c. 28. (41) Theophyl. in Matth. xxvi. (42) Euthym. in Matth. xxvi. (43) Ita Baron. Cornel. a Lapide hic; Alexander. in vita S. Barnabæ apud Sur. 11. Jun. (44) Hieronym. Ep. 27. (45) Luci. de S. Stephano c. 2. (46) Hieron. Ep. 27. (47) Epiphan. de Ponder. & Mensur. c. 14. (48) Chrysost. Oecumen. Theophyl. Grot. Cornel. a Lapide, alii passim. (49) Infra, ℣. 15. 16. (50) Verus Codex Græco-Latinus Cantabrigiensis legit: Τῶν γυναιξὶ καὶ τέκνοις, *Cum uxoribus & liberis*. (51) Aug. serm. olim 267. (52) Vide Theophyl. & Jansen. &c. in Luc. Fromond. in Acta. (53) Luc. xxii. 32. Vide Chrysostomum, Oecumen. & alios. (54) Ἦν δὲ ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ, &c. (55) Vide Brug. hic. (56) Apoc. iii. 4. *Habes pauca nomina in Sardis*. Et 11. 13. *Occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia*. Num. 1. 2. 12. &c. Æschin. Τὸ Θηβαίων ὄνομα, *Thebani*. Ovid. Amor. lib. 2. El. 1. *Heroum clara valete nomina*. Stat. Theb. lib. 2. *Fidissima Phœbo nomina*. Castalio vertit, *Turba capitum, &c.*

bant, privatis facile in domibus cum familiis suis versabantur, idem agentes apud se, quod Apostoli una cum cæteris in Cœnaculo.

℣. 16. QUI FUIT DUX (57) EORUM, QUI COMPREHENDERUNT JESUM. Qui scilicet deduxit milites in hortum olivarum, & osculi indicio illis Jesum prodidit.

℣. 17. SORTITUS EST SORTEM MINISTERII HUJUS; qui scilicet appellatus fuit ad munera hujus ministerii. Ad literam (58): *Adeptus fuit sorte ministerium hoc*; vel *consecutus fuit sortem hujus ministerii*. Non quod munus Apostolicum sorte illis datum fuerit; sed hic sors usurpatur pro re quacumque Dei beneficio data (59). Nullo merito suo Apostoli ad tantum munus vocati sunt, nullo præcedentium operum præmio, sed mera Dei miserentis largitione. *Sors* usurpatur pro quacumque re quæ cuique contingit, quacumque tandem ratione obveniat; quemadmodum familiari sermone dicimus, aliquem sorte sua contentum esse, sortem alicujus dolere, optare sortem alterius, &c.

℣. 18. POSSEDIT AGRUM DE MERCEDE INIQUITATIS. Agrum sibi quidem nullum Judas emit, sed illi emendo pretium dedit. Cum enim supplicio damnatum Præceptorem suum cerneret, exhibitum sibi ex proditione pretium triginta argenteorum restituit, quibus empta est ager in sepulturam peregrinorum Matth. 27. 6. Sæpe factum a nobis dicitur, quod ex re a nobis præstita provenit, quamquam nobis imprudentibus, vel nolentibus. Ita usurpamus: Mortem suam quæsivit; malum hoc in se provocavit, caro emit pœnitere, &c.

ET SUSPENSUS CREPUIT MEDIUS, ET DIFFUSA SUNT OMNIA VISCERA EJUS. In hoc Textu dissidium est sententiarum, quas nos discussimus ad Matthæum 27. 5. Quæ probabilior nobis est opinio, tenet, desperatione adactum suspendio sibi vitam ademisse, projectumque in agrum cadaver, pro more, cujus meminit Josephus de Bello l. 3. c. 25. inhumata abjiciendi cadavera eorum, qui sibi necem conscivissent, computrescens, sive canibus discerptum, disruptum fuisse medium, ac tota se viscera in terram diffudisse (60).

℣. 19. HACELDAMA, HOC EST, AGER SANGUINIS, sive hæreditas sanguinis. *Hakeldama* (61) Syriacum, non Hebraicum vocabulum est. Hebræus sermo antiquatus jam fuerat in Palæstina. Ex Matthæo 27. 7. discimus, agrum figuli emptum fuisse in sepulcretum peregrinorum. Olim apud Hebræos singulis familiis sua erant sepulcra, cognatis omnibus communia. Quisque sibi locum sepulturæ parabat sive in monte, sive in agro, sive in horto.

Attamen ex Libris Regum (62) discimus, Josiam cremasse Idolum Deæ nemorum, cineresque adusti simulacri *projecisse super sepulcra vulgi*. Locus is erat ad torrentem Cedron in valle Tophet, sive Ennom. Ibi pariter in valle ad meridiem Jerosolymæ emptus fuit ager in sepulturam peregrinorum, contiguus facile veteri populi sepulcreto. Putasse videtur Sanctius, nomen *agri figuli* inditum fuisse loco illi, quod adjaceret *portæ fictili*, de qua Jeremias 19. 2. sive quod eo projicerentur e tota Urbe testaceorum fragmenta. Deinde nomen obtinuit *agri sanguinis*, quod pretium fuerit sanguinis Jesu Christi, a Juda venditi ac proditi. Matth. 23. 5.

℣. 20. FIAT COMMORATIO EORUM DESERTA. Diræ sunt istæ in adversarios Dei latæ. Judæis minitabatur Christus futuram domus eorum desolationem: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; quibus verbis innuebatur futura Templi ruina & eversio. Hanc ipsam sententiam accommodat Petrus Judæ, qui desperatione ad suspendium adactus, vacuum inter Apostolos locum alteri occupandum reliquit.

ET EPISCOPATUM EJUS ACCIPIAT ALTER. Apostolicum munus, vigilantiæ plurimum & curæ postulans, merito designatur nomine *Episcopatus*, quod a Græco *Episcope* (1) derivatum, ejusdem est significationis ac Hebræum *Pekudath*, quo exprimitur Ducis copiarum in exercitum, Principis in populum, pastoris in gregem cura & sollicitudo; ac denique Præfecti alicujus de gravi aliquo sibi commisso munere atque expeditione sedulitas ac diligentia. Animadvertere juvat, Petrum plures hic sententias e variis Scripturæ locis excerptas in unam sermonis seriem digerere, pro more Scriptorum Novi Testamenti familiarissimo; quo nihil ad robur & nervum orationis aptius. Est autem Scriptura universa unius ejusdemque Authoris Spiritus Sancti opus.

℣. 21. IN OMNI TEMPORE, QUO INTRAVIT, ET EXIVIT INTER NOS DOMINUS JESUS; quo inter nos egit. Intrare, & exire apud Hebræos sonat vitales quascumque actiones præstare. *Non possum ultra ingredi & egredi*, ajebat Moyses Deut. 31. 2. ad Israelitas; id est, vos moderari & deducere non valeo. Salomon 2. Par. 1. 10. *Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo*, ut illos agam & gubernem ceu Rex & pastor.

℣. 22. INCIPIENS A BAPTISMATE JOANNIS, exordio ministerii ac prædicationis Jesu Christi. Decet Apostolum rerum a Jesu Christo gestarum, ac præsertim Resurrectionis ejus testem esse: *Testem resurrectionis ejus nobiscum fieri*. Dogmatum ejus veritatem alte impressam menti gerere par est, miraculorum ejus certum de visu assertorem exhibere sese, paratumque esse testimonium dicere de omnibus, quæ ad res gestas & doctrinam Præceptoris sui pertinent, ac denique præsto ad confirmandam sanguine sinceritatem eorum, quæ palam nunciat. Meminit hic tantummodo Resurrectionis: *Testem Resurrectionis*; quod prodigium reliqua quodammodo complectitur, ac supra cætera difficillimum est quod credatur. Est enim vitæ & prædicationis Jesu Christi sigillum, ac vaticiniorum omnium complementum.

℣. 23. STATUERUNT (2) DUOS, JOSEPH ET MATTHIAM. Petrus una cum cæteris Apostolis, cœtu duorum & viginti supra centenos Discipulos simul hic collectos, selegit duos, quos aptissimos ut in locum Judæ substituerentur, censebat: deinde, ne quid ex arbitrio suo agerent, Deum precati sunt, ut quem acceptissimum haberet, illum sortium indicio designaret. Hujus per sortem electionis argumentum peculiari Dissertatione versavimus.

Delecti sunt autem ex omnibus *Josephus* cognomento *Barsabas & Justus*; & *Matthias*, in quem sors incidit.

Josephus Barsabas vir est toto penitus Evangelio ignotus: quamquam hic discimus, illum ab ipso tempore abluti baptismate Jesu Christi comitem se illi adjecisse. Quamobrem & probabile arbitramur, illum cum cæteris adfuisse nuptiis Canæ, atque unum extitisse e septuaginta Discipulis; quæ Veterum recepta opinio fuit (3). Porro Barsabam & Matthiam inter septuaginta socios virtute excelluisse necesse est, cum ab Apostolis dignissimi habiti fuerint, qui vacuum Judæ locum occuparent. Barsabæ singulare illud factum nar-

[57] Ὁδηγὸς, *Dux viæ*. [58] Ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. [59] Vide Ephes. 1. 1. Coloss. 1. 12. & Cornel. a Lapide hic. [60] Vide Dissertationem Gronovii de morte Judæ proditoris. [61] Syr. חקל דמא Hebr. חלק הדם *Possessio, portio, ager sanguinis*. [62] 4. Reg. xxiii. Vide & Jerem. xix. 11. [1] Psalm. cviii. 8. Καὶ τὴν Ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος. Hebr. פקדתו יקח אחר [2] August. lib. 1. de Actis cum Felice Manich. cap. 4. *Et statuit*. [3] Euseb. lib. 1. cap. 12. hist. Eccles. Clem. Alex. Epiph. de Christo cap. 4. Beda Retract. in Acta.

narrat Papias apud Euseb. hist. Eccl. l. 3. c. 39. quod post veneni virus servante Domino evaserit. Chronicon Alexandrinum docet, Josephum Barsabam unum esse eumdemque ac Justum, qui Ecclesiæ Jerosolymitanæ tertius Episcopus præfuit circa annum CVII. vix tamen credimus, vitam eo usque illum produxisse. Vetus Codex Græco-Latinus Cantabrigiensis, ac Æthiops legunt *Barnabas* pro *Barsabas*; exploratumque est, Barnabam socium peregrinationum Pauli appellatum fuisse pariter & Josem, sive Josephum (4); unde facilis oritur conjectura, de ipso facile eodemque viro sermonem a Luca fieri. Verum is quæ infra §v. 36. subdit, demonstrat, nusquam antea de illo sermonem a se factum fuisse, agit enim de illo tamquam de viro, cujus tunc primum meminerit. Multorum sententia tenuit, Josephum Barsabam unum esse aliquem e fratribus sive necessariis Domini (5), idemque Pseudo-Dorotheo est Episcopus Eleutheropolitanus. Nomen *Justi* purum putumque cognomen est, quod ad adstruendam sive negandam viri sanctitatem nihil valet.

Matthias unus erat inter primos Jesu Christi Discipulos, atque in cœtu septuaginta Discipulorum merito virtutis eminebat. Hanc ejus sententiam recitat Clemens Alexandrinus Strom. l. 3. *Cum carne pugnandum est, & illi ægre faciendum, nihil impudicum largiendo ad voluptatem. Augenda autem anima per fidem, & cognitionem*. Aliud quid etiam laudat idem Clemens lib. 2. ex Traditionibus Matthiæ, quod apochyphum plane opus fuisse non dubito, ubi legebatur: *Admirare præsentia*. Ejus etiam nomine Evangelium quoddam apocryphum obtruditur.

Acta quædam Matthiæ ex Hebræo versa ab Authore sæculi duodecimi ferunt, illum ex illustri Tribu Juda, & ex Urbe Bethlehem originem duxisse, eidemque post Pentecosten in sortem obtigisse Palæstinam; Ananum vero juniorem, necato Jerosolymis Jacobo Minore, comprehendendum curasse Matthiam, atque lapidibus damnasse in eadem Urbe; cujus jussionibus statim expletis, deinde capite diminutum fuisse. Sed lucubrationis hujus fides Viris eruditis subjecta est (6). Recentiores Græci asserunt, promulgatum ab illo fuisse Evangelium in Colchide. Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. docet, Matthiam cum Zachæo a nonnullis confundi; sed epocha conversi ad fidem Zachæi cum conversione Matthiæ non satis congruit; hic enim ab ipso ejus exordio Christo adhæsit; Zachæus vero nonnisi ante decem, vel duodecim a passione dies illum sequi incepit.

℣. 25. UT ABIRET IN LOCUM SUUM. Judam perditionis filium ipse Jesus Christus appellavit (7): perditionis autem locus est Infernus (8): in locum igitur suum miser abiit, criminis sui pondere in Infernum deturbatus; in æternæ calamitatis locum raptus fuit, qui sane locus melius illi congruebat, quam quem ad id usque occupaverat Apostolatus (9). Alii aliter interpretati (10), dicta hæc de Matthia accipiunt: Ut possessionem muneris sui acciperet, Apostolatus nempe illius, de quo prævaricatus est Judas, & proditoris hujus locum teneret: *Ut abiret in locum suum; scilicet Apostolatum sibi debitum*. Hunc sensum commode admittit Græcus (11); sed prior expositio planior videtur.

℣. 26. CECIDIT SORS SUPER MATTHIAM. Agendi per sortes multiplex est ratio; nec quam selegerint Apostoli in electione Matthiæ, exploratum est. Constat utique, sortito, non rogatis suffragiis electum fuisse: id autem tamquam certum Divinæ voluntatis argumentum acceptum fuit: *Et annumeratus est cum undecim Apostolis*.

---

[4] Act. IV. 36. [5] Lyran. Cornel. ex Matth. XXVII. 56. [6] Vide Boll. 24. Febr. Combefis Auctuar. Tillemont tom. 1. vie de S. Mathias. [7] Joan. XVII. 12. *Nemo ex eis periit nisi filius perditionis*. [8] Apoc. IX. 11. *Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon*. [9] Grot. Menoch. Cornel. Sanct. Pisc. Pric. alii passim. [10] Oecum. Theophyl. Isidor. Clarius, Cnatchbull. Hamm. [11] Ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω, λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ Ἀποστολῆς, ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. Cod. Alex. Τὸν δίκαιον.

C A P U T II.

Illapsus S. Spiritus in Apostolos die Pentecostes. Variis linguis loquuntur. Ebrietatis accusantur. Petrus denunciat populo pœnitudinem, docetque Jesu Christi ex mortuis resurrectionem, tribus millibus ad fidem perductis.

℣. 1. ET cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco:
2. Et factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis Spiritus ve-
hementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. 3. Et apparuerunt illis
dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: 4. Et repleti sunt
omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus da-
bat eloqui illis. 5. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex
omni natione, quæ sub cœlo est. 6. Facta autem hac voce, convenit multitudo,
& mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. 7.
Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui lo-
quuntur, Galilæi sunt. 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram,
in qua nati sumus? 9. Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopota-
miam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, 10. Phrygiam, & Pamphy-
liam, Ægyptum, & partes Lydiæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani, 11.
Judæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes nostris lin-
guis magnalia Dei. 12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicen-

 tes:

tes: Quidnam vult hoc esse? 13. Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. 14. Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Judæi, & qui habitatis Jerusalem universi: hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. 15. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. 16. Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joel. 17. Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. 18. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: 19. Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. 20. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus. 21. Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 22. Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: 23. Hunc definito consilio, & præsentia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis: 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear: 26. Propter hoc lætatum est cor meum: & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. 27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. 28. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua. 29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. 30. Propheta igitur cum esset, & sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: 31. Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. 32. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. 33. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. 34. Non enim David ascendit in cœlum: dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, 35. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. 36. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. 37. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? 38. Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. 39. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster: 40. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione ista prava. 41. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. 42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. 43. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, & metus erat magnus in universis. 44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. 45. Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, 47. Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum.

℣. 1. CUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES. Pentecoste post quinquaginta a Paschate dies agebatur (1). A die XVI. Nisan, quæ secunda erat Paschalis, numerabantur dies quinquaginta, usque ad Festum Pentecostes, in memoriam Legis ea die in Sinai latæ institutum Exod. 19. 11. atque ideo apud Judæos *Festum Legis* appellatum (2). Jesus Mundi reparationem ope-

[1] Levit. XXIII. 15. *Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem Hebdomadas plenas, usque ad alterum diem expletionis Hebdomadæ septimæ, idest, quinquaginta dies.*
[2] שמחת תורה

operatus die Paschatis. Legem & Spiritum Sanctum sacra Pentecostes die largiri voluit. Sicut autem eductio Judæorum e servitute Ægyptiaca, hominum e servitute manumissionem per mortem Christi figurabat; ita & tonitru, quod aures inopinas perculit, & lux quæ in vertice Sinai micuit, dum ad ferendam Israelitis Legem Deus descendit, symbolum erat lucis illius & gratiæ, quæ mentibus Apostolorum affulsit, atque animos excitavit die sacra Pentecostes, exactis ab ejus Passione diebus quinquaginta. Non ideo venerat Christus ut veterem Legem antiquaret, sed perficeret. Opus igitur non erat, ut Legem novam procuderet. Mosaicam correxit, purgatis vitiis, quibus ejus interpretationem & exercitium Judæi Doctores corruperant. De reliquo, Spiritum Sanctum ad Apostolos misit, erudiendos de sensu Legis genuino, excitandosque, ut summo studio ejus mandatis obsequerentur.

Dies Pentecostes non designant hic septem illos dies, quibus festum illud, quemadmodum & Paschale, celebrabatur, sed quinquagenos, qui a Paschate usque ad Pentecosten effluxerant. Qui ajunt, Judæorum Pascha anno Christi emortuali in feriam sextam incidisse, illos pariter Sabbathi die Pentecosten consignare necesse est. Cum autem omnibus retro sæculis Ecclesia sacram Pentecostes diem Dominicæ assignaverit, mutationis hujus causas alii alias assignant.

Sunt qui suspicentur (3), dierum quinquaginta Paschalium periodum anni illius non quidem ab altera die Paschatis Judaici ductam fuisse, sed a tertia Paschatis die, quod Sabbathum in secundam festi diem incidens prohiberet, quominus fieret oblatio spicarum hordei; Sabbatho enim quies religiosa imperabatur. Fors igitur tulit, ut ceremonia illa ad alteram diem translata, exordium pariter dierum quinquaginta in alteram diem differret. Sed compertum est ex Rabbinis atque optimis quibusque Interpretibus, Sabbathi religione nec messem nec oblationem recentium manipulorum prohiberi. Quo nutante fundamento totum pariter, quod superstruitur ædificium corruat necesse est.

Aliis vero succurrit (4), Pentecosten, de qua Lucas, vel diem a Paschate quinquagesimam, ductam fuisse non ab altera die, sed ab ipso Christianorum Paschate; id est, a die Resurrectionis Jesu Christi, quem ipsa Dominica die surrexisse nemo ignorat. Sed opinio illa ne speciem quidem veri exhibet; tunc enim nec Pascha, nec Pentecoste Christiana adhuc instituta fuerant, adeoque Lucas ignoto plane sermone usus fuisset, si pro Festis Judaicis Christianorum Festa obtrusisset.

Sed salva sunt omnia, si reputemus juxta eam, quam in Commentario ad Evangelia innuimus, hypothesim, Jesum Christum non celebrasse hoc anno Pascha Judaicum, quod tunc non in ipsam emortualem ejus diem, feriam scilicet sextam, sed in proxime succedens Sabbathum incidit. Ita dies Paschatis Christiani, & Domini e mortuis resurrectio, quæ die Dominica accidit, concurrebat cum secunda azymorum die, lunæ Martii decima sexta, unde & periodus quinquaginta dierum Pentecostes inibat. In Tabulis anni illius Pentecoste die sexta Sivan, & Maji 24. die Dominica consignatur (5).

ERANT OMNES PARITER IN EODEM LOCO; sive ex Græco (6): *Erant omnes unanimiter in eodem, &c.* Nempe centum & viginti illi Discipuli, de quibus supra (7); inter quos & Virgo Deipara cum piis mulieribus, de quibus eodem Capite, ℣. 14. Singulis illis superfusus est Spiritus Sanctus (8) pro mensura gratiarum & luminis, quibus indigebant, ut destinatum sibi a Deo munus obirent. Mulieres profecto prædicationi Evangelii non destinabantur; ideoque donum linguarum non necessario exigebant; sed æquum fuit, illas, quemadmodum & Apostolos, ferre pro viribus testimonium veritati; quarum narratione ipsi pariter Apostoli primum certum indicium Resurrectionis Jesu Christi obtinuerunt. Reputarunt nonnulli (9), duodecim tantummodo Apostolos Spiritu Sancto donatos fuisse, quod infra ℣. 7. legatur, eos omnes, qui variis loquebantur linguis, Galilæos fuisse: at cum Discipulorum plerique, omnesque Apostoli Galilæi essent, hæc plane ratio evanescit. Præterea tametsi solis Apostolis datum fuisset, ut variis linguis tunc loquerentur, hinc non recte colligeres, Discipulos dono Sancti Spiritus caruisse. Non omnibus simul loquendum fuit; alioqui confusio Babelicæ similis turbasset rem potius quam composuisset. Cum sermo ad populum habendus fuit, Petrus unus pro omnibus loquutus est.

℣. 2. FACTUS EST REPENTE DE CŒLO SONUS TAMQUAM ADVENIENTIS SPIRITUS VEHEMENTIS; fragor ingens, ceu subitæ ventorum procellæ, aures feriit; seu potius, ingens veluti tonitru cum ventorum procella, terrore omnes corripuit, & tremor quidam religiosus totum cœtum corripuit disposuitque, ut pia animi demissione, & religionis fervore ad cœleste donum excipiendum sese compararent. Censent quidam (10), fragoris hujus strepitum per totam late Urbem Jerosolymam insonuisse, statimque factum fuisse hominum concursum ad domum, ut causam rei subitæ discerent. Huic opinioni favet ℣. 6. narrans, concurrisse ad strepitum consertam hominum turbam, ad quam Petrus sermonem habuit ℣℣. 14. 15. &c. descriptum. Fragor iste & procella præsentiam Numinis exprimebant; quemadmodum & olim in Sinai tonitrua, fulgura, nubes opaca, & mons fumans Majestatem Numinis indicabant. Tota late domus repleta illis fuit, ut significaretur, Spiritum Sanctum, cujus illapsus in Apostolos aperto tunc argumento monstrabatur, totam late Ecclesiam Christi impleturum. S. Spiritus descendisse creditur hora tertia diei (11); id est nona circiter matutina.

℣. 3. APPARUERUNT ILLIS DISPERTITÆ LINGUÆ TAMQUAM IGNIS. Linguarum nomen aptatur omnibus, quæ in cuspidem desinunt. *Lingua terræ* (12) est promontorium, quod intra mare excurrit; *lingua maris* (13) est sinus aliquis maris intra continentem provectus: *linguas ignis* (14) est flamma in cuspidem desinens, instar linguæ; *lingua aurea* (15) est auri lamina. Hebræis pariter nomine *flammæ* designatur cuspis ensis a forma (16). Igitur linguæ ignis hic sunt scintillæ, seu potius flammulæ, quæ per omnes, quotquot ibi versabantur, distributæ sunt.

Ignis erat iste non materialis & elementaris, sed fulgor persimilis igni, symbolum lucis, & ardoris, quo Spiritus Sanctus Apostolos intime corripuit. Designabat etiam donum linguarum singulis tribuendum, nec abs re suspicamur, Deum quodammodo allusisse ad confusionem illam Babelicam linguarum, quæ dispersionem hominum per universam Mundi faciem peperit. Atque ita factum est, ut Apostoli post adventum Spiritus Sancti quocumque linguarum genere loque-

[3] Baron. an. 34. Sa, hic; Bellarm. Vide Fromond. [4] August. in Psalm. CL. & lib. 18. de Civit. cap. 54. Beda, in Acta; Cajet. Vat. Ligfoot. [5] Toynard. Harm. pag. 140. [6] Ὁμοθυμαδὸν. [7] Sup. Act. I. 15. [8] Chrysost. Oecum. hic; August. tract. 2. in Epist. Joan. Interpp. plerique. [9] Bartholom. Petr. & alii nonnulli. [10] Cornel. Men. Fromond. Vide ℣. 6. [11] Infra ℣. 15. [12] Josue XV. 2. Vide Cæsar. lib. 3. de bello Gallico. [13] Josue XV. 5. XVIII. 10. Isai. XI. 5. [14] Isai. V. 24. לשון אש [15] Josue VII. 21. 24. לשון זהב Vulg. *Regulam auream*. [16] Judic. III. 22. & I. Reg. XVII. 7. Job XXXIX. 23. Nahum III. 3.

querentur, & ad Evangelium promulgandum per omnes terrarum Orbis gentes sese diffunderent. Quæ tamen illorum prædicatio non homines dividere ac dispergere, sed gentes in Ecclesiam Jesu Christi colligere conabatur. Lex ignea, quam Dominus manu gerit, & quam Hebræis dedit (16), ipsa est, quæ hodie omnibus absolvitur numeris per infusionem Sancti Spiritus, qui tenebras omnes nebulasque depellit, qui typos omnes implet, & genuinum ejus sensum detegit.

Seditque (17) supra singulos eorum. Singularis quorumdam opinio ait, linguarum donum tamdiu mansisse Apostolis, quamdiu linguæ capitibus eorum insederunt: eas vero linguas in binas pluresque cuspides desiisse, pro numero linguarum, quæ singulis Apostolis conferebantur. Si linguarum dono nunquam caruissent Apostoli, ait Salmasius, quid opus fuisset interprete? quo in munere operam Petro navasse Marcum, totius Antiquitatis testimonio compertum est. Sed prona est objectioni responsio, non enim singuli Apostoli omnes omnium gentium linguas norant (18); vel non semper cœlesti eo lumine perfundebantur; quemadmodum non semper, nec ad omnia prophetiæ spiritus Prophetis adest. Hinc necessitas Apostolis, in quibusdam rebus, Interpretes adhibendi. Sed nodus iste in sequenti articulo solvetur.

℣. 4. Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. S. Chrysostomo (19) id olim succurisse videtur, non alias calluisse linguas Apostolos, quam earum Gentium, ad quas eo indicio destinabantur. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 44. ambigit, num Apostoli reipsa plures loquerentur linguas, an in eo tota prodigii ratio staret, quod vernacule loquentium voces auribus audientium propriam singulorum linguam sonarent: quod perinde erat ac si omnibus linguis loquerentur: eo tamen commodi adjecto, quod cum in cœtu plurium diversarum gentium verba illis facienda essent, perciperentur ab omnibus. Sed huic opinioni Textus minime favet. S. Augustinus, quem Interpretum plerique sequuntur (20), censuit, omnium, quotquot sunt, linguarum scientiam inditam illis fuisse, quamquam forte non semper, non omnium simul, nec in omni rerum eventu, uti animadvertimus.

Donum linguarum, cujus jam olim Christus apud Marcum (21) spem fecerat, quodque Apostolis die Pentecostes contulit, diu perseveravit in Ecclesia. Tantumque in ipsis Ecclesiæ crepundiis invaluit, ut data ad Corinthios Epistola (22) multus fuerit Apostolus in dirigendo ejus usu, & vitiis, quæ irrepserant, removendis. Meminit hujus pariter in Epistola ad Romanos 12. 3. S. Irenæi ætate, ipso teste (23), divina prodigiorum dona adhuc vigebant; ac præsertim linguarum donum commune erat (24): *Perfectus dicit* (Apostolus) *eos qui perceperant Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur; quemadmodum multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata, & per Spiritum universis linguis loquentes.* Sua adhuc ætate plures utriusque sexus Spiritus Sancti donis affluxisse, tradit S. Justinus Martyr (25). Author Constitutionum Apostolicarum l. 8. cap. 1. paria ferme asserit, cum Tertulliano in Scorpiac. & S. Hilario in Psalm. 64. ℣. 2. Sed illud admirandum & pene incredibile est, largitiones hasce divinas ne exolevisse quidem in Ecclesia ætate Eusebii Cæsariensis; id quod ipse in Psalm. 56. testatur.

Fateor utique, non commemorari ab his diserte linguarum donum, præter S. Irenæum, qui anno CCII. vel CCIII. diem clausit. Sed exprimunt donum miraculorum, prophetiæ, ac denique totum quidquid est gratiarum externarum, quibus Spiritus Sanctus beatos possessores suos affatim ditabat. S. Augustinus ita loquitur, quasi ea miracula ipsius ætate desierint: & S. Chrysostomus in Thessal. 3. 6. jam diu in Ecclesia cessasse asserit. Divino consilio provisum est, ut prædicato per Orbem universum Evangelio, & omnibus omnium Gentium linguis loqui nomen Jesu Christi edocto, donum linguarum ab hominibus subduceretur. Scite autem animadvertit S. Augustinus Serm. olim 9. de Verb. Apost. nunc 175. num. 3. *Loquebatur tunc unus homo omnibus linguis, quia locutura erat unitas Ecclesiæ in omnibus linguis.* Et (26): *Modo in Ecclesia ipsa unitas tamquam unus loquitur.*

℣. 5. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub Cœlo est. Incidens tunc Festum Pentecostes Judæos exteros ex universo late orbe undique Jerosolymam acciverat. Unum erat e tribus illis majoribus Festis, quibus viri omnes sistere se coram Deo jubebantur (27). Textus Græcus Latinusque (28) innuere videtur, Judæos hosce ex omnibus terrarum Gentibus sedem fixisse Jerosolymis; planeque credibile judicamus, exterorum plurimos eo migrasse. At vero propius arbitramur, designari a Luca concursum exterorum Jerosolymam occasione Festi; quam nostram opinionem ipsa narrationis series confirmat.

Judæi isti religiosi (1) viri erant pietatis eximiæ, ex omnibus promiscue gentibus, qui ad Festum solemne ex Oriente, ipsoque pariter Occidente, uti statim animadvertemus, confluxerant. Commode etiam Judæorum nomine censeri hic (2) possunt proselyti ad Judæorum sacra translati, qui religionis gratia Jerosolymam convenerint. Vide ℣℣. 10. & 11. Norat Josephus contra Appion. lib. 2. ubique terrarum Judæos nomen sibi adscivisse a loco domicilii, ut qui Alexandriæ Alexandrini, qui Antiochiæ Antiocheni, eodemque modo singuli, dicerentur.

℣. 6. Facta autem hac voce; idest, sparso rei hujus rumore; seu potius (3), post fragorem illum, quo domus tota contremuit. Vide ℣. 2. Convenit multitudo, et mente confusa est: cohorruerunt omnes, metu confusi, simulque attoniti, quod singuli materna lingua loquentes illos audirent. Seu potius (4), coiverunt omnes tumultuarie & confuse, ut in rebus hisce subitis usu venit; hæseruntque stupentes, quod homines in Judæa vel Galilæa natos, gnaros exteri sermonis, longe a Galilæo vel Judaico diversi, nanciscerentur. Discipulorum quisque vernacula illius, quem forte obvium habuerat, lingua sermonem miscebat; Græce cum Græco, Persice cum Persa, Ægyptiace cum Ægyptio loquentes.

℣. 9. Parthi. Parthorum nomen tunc erat inclytum, eoque censebantur gentes fere omnes trans Euphratem & Tigrim. Per omnes hasce Orientis

[16] Deut. xxxiii. 2. *In dextera ejus ignea Lex.* [17] Cantabr. Καὶ ἐκάθισεν, *Et sederunt.* Ita Syr. Arab. Copht. Æth. Cyrill. [18] Vide Chrysostom. tom. 5. homil. 40. [19] Loco supra citato. [20] August. in Psalm. xvii. exposit. 2. & in serm. olim 188. nunc Appendicis 183. & alibi sæpius. Theodoret. in 1. Cor. xiv. 2. [21] Marc. xvi. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis.* [22] 1. Cor. iv. 7. xii. 10. 28. 30. xiv. 2. [23] Iren. lib. 2. cap 32. & 57. & apud Euseb. hist. lib. 5. cap. 7. [24] Iren lib. 5. cap. 6 pag. 299. [25] Justin. Dialog. cum Tryph. pag. 315. & Apolog. 2. [26] August. serm. olim 19. de verbis Domini, nunc 87. de verbis Evang. Matth. num. 9. Item serm. alias 187. nunc 271. [27] Exod. xxiii. 14. Deut. xvi. 6. [28] Κατοικοῦντες, *habitantes.* Idem sonat ac Hebræum גור *Peregrinari, commorari.* [1] Ἰουδαῖοι εὐλαβεῖς. [2] Vide Ludov. de Dieu. [3] Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης. [4] Καὶ συνεχύθη, *Et confusa est.* Deest, mente. Syr. Arab. Ludov. de Dieu, *Commoti sunt.*

tis regiones frequentissimi erant Israelitæ, eo subinde translati a Teglathphalassaro, Salmanasaro, & Nabuchodonosore. Sed definiendum hic Parthorum nomen videtur ad Parthos proprie dictos, inter Caramaniam ad meridiem, & Hyrcaniam ad septemtrionem.

MEDI AT ÆLAMITÆ; quæ utraque gens trans Tigrim degit, vicinasque sedes habet. Sunt autem Medi Ælamitis septemtrionales. Neque hic immorandum censemus in certis limitibus earum gentium statuendis, qui variarunt plurimum, nosque multum in Commentario ad Caput x. Geneseos detinuerunt. Omnibus hisce trans Tigrim Gentibus suus erat sermo peculiaris, qui tamen ab una & communi primitiva lingua nonnisi Dialecti discrimine distinguebatur. Prodigii tota ratio in eo versabatur, ut percipi omnes, omnesque iis linguis loqui indiscriminatim possent.

JUDÆAM ET CAPPADOCIAM; Judæam scilicet, uti a Galilæa distinctam. S. Augustinus (5) legit: *Armeniam & Cappadociam*. Judæa certe hic non bene poni videtur. Judæi in proximo versiculo recurrunt: *Judæi quoque & Proselyti*. Nec opus erat miraculo, ut Judæi Jerosolymitani Galilæos loquentes perciperent; cum uno communi sermone, variato tantum nonnihil sono, uterentur.

PONTUM ET ASIAM. Pontus regio est ad Pontum Euxinum, inter Cappadociam & ejus nominis mare. Asia Provincia continet Æoliam, Ioniam, Cariam, Phrygiam.

℣. 10. PHRYGIAM ET PAMPHYLIAM, geminas Asiæ Provincias, plurimum inter se dissitas. In omnibus hisce Provinciis Græcus vernacule obtinebat; sed propria singularum dialecto adeo diversus, ut non nisi meditatione studioque facile percipi posset. Non igitur nisi divino prodigio factum est, ut Apostoli, qui forte ne Græcum quidem norant, subito linguas hasce omnes ita callerent, ut perciperentur ab omnibus, qui facile ne inter se quidem sermonem miscere poterant.

PARTES LIBYÆ, QUÆ EST CIRCA CYRENEN. In omnibus hisce Provinciis frequentes erant Judæi, eo translati a Regibus Ægypti (6). Honestissimi quique Græce loquebantur; plebs autem priscum Ægyptium amabat; Judæi, gens morum & sermonis sui tenacissima, Hebræum corruptum retinuerant.

ADVENÆ ROMANI (7). Judæi Romani, qui forte in Provincia locisve proximis aderant, quique religionis gratia Jerosolymam ad Festum concurrerant. Morisque erat Judæis, ut eos e suis, qui Romæ versabantur, *Romanos*; qui Antiochiæ, *Antiochenos*; qui Alexandriæ, *Alexandrinos* appellarent (8).

℣. 11. JUDÆI QUOQUE ET PROSELYTI. Jungenda sunt hæc cum superioribus. Qui Roma venerant, sive Judæi origine sive proselyti, vel Romani ad Judæos conversi. Ingens erat Romæ Judæorum turba; creverantque plurimum ex libertis, quibus illorum sacra placuerant (9). Latine omnes loquebantur.

CRETES ET ARABES. Cretes Græco utebantur, sed a vulgari admodum diverso, ut ex voculis nonnullis, a Veteribus ad nos transmissis, constat. Judæi frequentes erant apud illos. Arabibus proprius erat sermo, paucis tunc notus, deinde vero post victorias Muhammedanorum vulgaris. Est autem ex Hebraico veluti e radice surculus.

℣. 13. MUSTO PLENI SUNT, vino novo, vel potius vino dulci (10) madent; neque enim vindemiæ tunc aderant, ut musto ebrii fierent. Artem norant Veteres ita vinum parandi, ut dulcem potum anno toto præberet, amabantque illum mane ante cibum. Horatius:

> ...... *Quoniam vacuis committere venis*
> *Nil nisi dulce decet, leni præcordia mulso*
> *Prolueris melius.*

Appellabatur autem non *mustum*, sed *defrutum*; parabaturque ex *musto* cocto, & ad certam quantitatem evaporatione redacto. Vel liquor erat ex uva dulcissima, & sole adusta, cujus expressus succus aqua & melle admiscebatur; vel denique vinum erat, quod ne ebulliret prohibitum, nativam dulcedinem retinebat. Vide Plinium l. 14. c. ix.

℣. 14. STANS PETRUS CUM UNDECIM, tamquam Caput & Princeps. Omnes illi, quibus insederat S. Spiritus, numero centum viginti, prodierunt; sed omnium primi sese obtulerunt Apostoli, tamquam cæterorum principes, ut rem gestam exponerent iis, qui præ foribus domus illius adstiterant. Petrus omnium nomine solusque peroravit, materna facile lingua, Syriaca scilicet vel Hebraica corrupta: at nonnisi postquam reliqui variis linguis cum iis, quos forte obvios habuerunt, collocuti sunt.

℣. 15. CUM SIT HORA DIEI TERTIA. Mos erat Judæis cibum capere, sed renuem, more jentaculi, ad meridiem. In vesperis cœnabant. Docet Josephus in lib. de Vita sua, die Sabbathi & Festis prandendi horam esse meridianam. Apud Danielem 13. 7. recipiunt se omnes domum, ut meridie prandeant, nec alia diei hora Josephus Patriarcha fratres convivio excipit Gen. 43. 16. Tertia diei hora pro more ætatis illius in nonam matutinam nostri horologii incidebat. Fuisset autem hominis plane intemperantis & irreligiosi, siquis crapulæ & ebrietati ea hora indulsisset, die præsertim illa solemni, cum matutinum tempus rei sacræ & orationi totum addicendum esset.

℣. 17. ERIT IN NOVISSIMIS DIEBUS, EFFUNDAM DE SPIRITU MEO SUPER OMNEM CARNEM. Hebræus Joelis hic laudati fert (11): *Et erit post hæc, effundam de Spiritu meo, &c.* Huc usque paucis me exhibui: raros Prophetas selegi, cum quibus agerem familiarius: deinceps vero beatos Spiritus mei thesauros reserans, omnes cujuscumque sexus & conditionis affatim ditabo. Crebri surgent in populo meo viri ac fœminæ prophetantes. Joel ibi sermonem habebat de tempore post solutam captivitatem, deque ultione Divina in adversarios populi sui (12). Porro toto eo tempore, a captivitate soluta usque ad Jesum Christum, oraculi hujus aperta & literalis veritas nunquam se prodidit, cum rarissimus tunc, si alias unquam, prophetiæ spiritus in Israele obtinuerit. Igitur executionem ejus ad tempus hic a Petto definitum referamus necesse est; largius enim tunc, quam alias factum sit, beatus hic imber decidit, & viros æque ac mulieres perfudit; atque intime adeo illos penetravit, ut semel imbutos nunquam postea destituerit: ac denique cœlesti hoc igne non sibi tantum incaluerunt, sed cum aliis etiam plerisque, qui ad Christiana sacra transierunt, sese ardor communicavit. Nam & infusionis hujus aliquid tertio pariter sæculo superfuisse, ex Eusebio in Ps. 44. 4. & S. Hilario in Psal. 46. 12. discimus; & signa exteriora præsentiæ S. Spiritus, dona miraculorum, linguarum, & prophetiæ nunquam penitus cessarunt, nisi postquam Ecclesia firmissime jam stabilita, lateque propagata, his carere præsidiis tuto potuit.

VISIONES VIDEBUNT, ET SOMNIA SOMNIABUNT; somnia scilicet prophetica. Deus illis mysteria aperiet, futurosque pandet eventus, rerum illarum spe-

---

[5] August. advers. Felicem Manich. lib. 5. in editis ante nov. edit. in qua restitutum est, *Judæam, & Cappadociam*, ex MSS. [6] Hecatæus apud Joseph. contra Appion. l. 2. [7] August. lib. 1. contra Felic. Manich. *Et qui advenerunt Romani*. Καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι. [8] Vide Philo. ad Cajum; Joseph. lib. 2. contra Appion. Act. xi. 19. 20. xviii. 24. [9] Tibull. Ovid. Philo. Vide Grot.
[10] *Musto pleni sunt*, Γλεύκους μεμεστωμένοι. [11] Joel. ii. 28. והיה אחרי כן Septuag. Καὶ ἔσται μετὰ ταῦτα. Vulg. *Et erit post hæc*. [12] Vida not in Joel. ii. 28.

ſpecie ſive per viſum ſive per quietem noctis illis objecta. Variæ erant apud Hebræos, quemadmodum apud cæteras gentes, genera vaticinandi. Vide Prolegomenon noſtrum in Prophetas.

℣. 18. Et super servos meos. Hebræus legit tantummodo (13): *Et ſuper ſervos, & ſuper ancillas*, ſuper utriuſque ſexus mancipia. Axiomate certum tenent Hebræi, Spiritum Sanctum pauperi non inſidere; cujus regulæ, quam certam ſtatuebant, exceptionem hic habes. Servos enim & ancillas, ait Deus, Spiritu meo perfundam; largitioneſque meas nulli hominum conditioni denegabo.

℣. 19. Sanguinem et ignem et vaporem fumi, ſive, ut legit Hebræus (14), *columnam fumi*. Sed quando hæc contigerunt? Plerique (15) præceſſura hæc opinantur ſupremi diem Judicii, juxta illud ℣. 20. *Antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus*. Alii (16) exprimi his cenſent prodigia, quæ in obitu Jeſu Chriſti mortales terruerunt; eclypſim nempe, terræ motus, monumentorum ſubitos hiatus, &c. Sed melius, mea opinione, dicta hæc accipiuntur de prodigiis, imminentis Jeroſolymæ ac Templo excidii prænunciis. Teſte enim Joſepho de Bello l. 7. c. 12. plura tunc in aere, in Templo, & in Urbe prodigia coruſcavere. Nec id generis vaticinia ad literam ſemper urgenda ſunt, ut eorum executio ad ſingulas eorum partes & ad verba ſingula expendatur. Gentis enim hujus indoles, conſuetudo, ſtylus id amant, ut in minis, invectivis, laudibus hyperbolicum, turgidum, patheticum nonnihil affectet.

℣. 20. Sol convertetur in tenebras, et Luna in sanguinem. Gemina hæc aſtra eclypſim patientur. Luna in eclypſi ſanguineo colore inficitur. *Apocal.* VI. 12. Teriis hiſce coloribus nihil exprimitur præter luctum illum mœroremque, quo Dei adverſarii corripientur. Tanta eos deſperatio apprehendet, ut ſolem credant nigra caligine obduci, Lunam deliquium pati; aſtra reliqua a recto exorbitare; totumque naturæ ordinem perverti.

Antequam veniat dies Domini magnus; dies nempe ultionis. Jeſus Chriſtus in Evangelio (17) exhibuit non raro imaginem excidii Jeroſolymæ, & Judæorum, ſub emblemate diei adventus ſui magnæ & manifeſtæ. Sed pleraque, quibus diem illam deſignavit, extremæ illi univerſalis Judicii diei pariter congruunt. Hebræus Joelis fert (18): *Dies Domini magnus ac terribilis*.

℣. 21. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Sententiam hanc ſi quis obvia ſignificatione accipiat, illi certe his limitibus appoſitis coarctanda erit: Quicumque invocaverit nomen Domini ex fide, ſpe, & charitate, vitamque ad recti Legiſque Divinæ regulam inſtituerit, illi ſalus in promptu erit. Aliter, nihil proderit Divini nominis invocatio: nihil profeſſio illa: Matth. 7. 22. *Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Reſpondebit Deus: *Nunquam novi vos*. Conceptis verbis admonet Jeſus Matth. 7. 21. *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in Regnum Cælorum*.

Sed phraſis Græca & Hebraica (19) exprimere potius videtur: Quicumque nomine populi Domini vel Filiorum Dei cenſebuntur, illos nihil ejuſmodi malorum tanget, me tuente: mala enim iſta nonniſi populi mei hoſtes atque inſectatores afficient.

℣. 22. Jesum Nazarenum virum approbatum (20) a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis. Græcus: Virum conſpicuum inter vos, declaratum a Deo, exhibitum, ſpectabilem prodigiis. Vetuſtus Codex Cantabrigienſis (21) ferebat olim uti Vulgata, Patreſque vetuſtiſſimi: *A Deo approbatum in vobis, virtutibus & prodigiis*. Jeſus Chriſtus tot tantiſque inter vos prodigiis coruſcavit, ut virum eſſe a Deo miſſum, nulla vobis juſta ſuperſit dubitatio. Miſſionis ſuæ veritatem ſignis prodigiiſque copioſiſſimis demonſtravit. De Jeſu Chriſto agit hic Petrus ceu de viro Propheta proboque, a Deo plane miſſo atque probato; neque enim ſtatim promendam cenſuit Divinam ejus naturam, ne ſcandalo eſſet puſillis, nondum tantæ veritati idoneis.

℣. 23. Hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis. Imprudentes vos Dei conſiliis decretiſque, de Jeſu Chriſto implendis, veſtram operam contuliſtis. Statuerat enim Deus, Mundum nece Chriſti reparare; ideoque ille impiorum manibus tradendus erat. Huic conſilio implendo vos manus admoviſtis: ſed malo veſtro; neque enim decreto Dei iniquitas veſtra excuſatur. In tantum ſcelus non Deus vos pertraxit, ſed vos prudentes volenteſque illud commiſiſtis: Deo id permittente in gloriæ ſuæ argumentum. Igitur Chriſti mors non caſu, non Deo imprudente, non illo dumtaxat permittente, ſive tantum non prohibente accidit: æterno conſilio definita, agnita, & præſtituta erat (22). Veſtræ ille crudelitati, non vi, non infirmitate ſuccubuit, ſed ceſſit, voluntati Patris ſui obſequens.

Sunt qui Græcum ita reddant (23): *Hunc decreto conſilio ac præſcientia Dei exhibitum* ceu donum *accipientes, per manus exlegum crucifigentes interemiſtis*. Qua eſt munificentia Deus, veſtræ illum felicitati largitus fuerat: at vos Romanis traditum peremiſtis. Sed Græcus multo frequentius accipi ſolet in eam ſententiam, quam primo adſcripſimus (24): *Traditus vobis fuit expreſſo divinæ voluntatis conſilio*, ſeu *divinæ præſcientiæ decreto*.

℣. 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni (25), remotis inferni doloribus, vel ereptum ex inferni ſeu ſepulcri doloribus. Cave credas cum Calvino (26), Jeſum Chriſtum ita ad tartarum penetraſſe, ut damnatorum pœnas ſubierit; ſive beatam ejus animam mœſtos traxiſſe dies, quod viduatam ſe corpore doleret, qui nonnullorum error fuit (27). Dolores inferni deſignare hic cenſet S. Auguſtinus Ep. olim 95. non pœnas ibi a Ieſu toleratas, ſed illas, a quibus exemptus fuit; veluti cum fera venatorum laqueis ſoluta dicitur, quos aliquis, antequam ea capiatur, fregit. Deſcendit ille in tartarum, ſed cruciatus ac doloris expers. In libro vero 12. de Gen. ad lit. c. 33. dictum exponit non de doloribus, quos Jeſus pertulit ſuperavitque, ſed de iis, quibus Sanctorum Patriarcharum animas exemit. Ut enim notat Beda (28), quietos licet animæ illæ dies agerent, dulci futurorum bonorum ſpe lactatæ, neſcio quid tamen moleſti patiebantur, atque una ſimul abſentiam ejus, quod optabant, boni tolerabant.

Græci legunt (29): *Quem Deus ſuſcitavit, ſolvens*

(13) וגם על העבדים 30. Καὶ γε ἐπὶ τοὺς δούλους μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου. (14) ותמרות עשן Septuag. Ἀτμίδα καπνοῦ. (15) Ita Interpp. plerique hic, & in Amos II. 28. 29. (16) Hieron. Carthuſ. Theophyl. Camerar. Ligf. alii. (17) Matt. XXIV. 30. 14. 37. &c. Marc. XIII. 26. XIV. 62. Luc. XVII. XXI. 27. (18) לפני בוא יום יהוה הגדול והנורא Septuag. Τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. (19) והיה כל אשר יקרא בשם יהוה ימלט Septuag. Πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται. Vide Act. IX. 14. 21. & XIV. Hamm. ad 1. Cor. 1. 2. (20) Ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς. (21) Cantab. Δεδοκιμασμένον. Sed hæc caſu puſuerunt, Ἀποδεδειγμένον. Syr. Iren. Ambr. Auguſt. Vulg. *Approbatum*. Tertull. *Deſtinatum*. (22) Vide Act. IV. 27. 28. (23) Τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες, διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε. (24) Vide Grot. Price. hic. (25) Ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Plures: Ὠδῖνας ᾅδου. Vide Mill. (26) Calvin. contra quem vide Bellarm. lib. 4. de Chriſti anima. (27) Cajet. hic; & 3. part. qu. 52. art. 4. (28) Beda, Retractat. in Acta. Vide & Carthuſ. & Fromond. (29) Vide ſup.

vens dolores mortis, pro *dolores inferni*: id quod S. Chrysostomus & Oecumenius ita exponunt, ut mors veluti fœta Jesu Christo, enitendi doloribus ab ipso obitu Jesu Chrilli correpta, nonnisi in ejus Resurrectione iis soluta sit. Sed hæc interpretatio prona non est, nec naturalis. Spectavit hic Apostolus illud Psalmi (30): *Circumdederunt me dolores mortis .... dolores inferni circumdederunt me*; quam sententiam Hebræus ita legit: *Cinxerunt me funes mortis: rudentes sepulcri circumdederunt me*. Quem modo exponimus versiculum ita recitat Syrus: *Solutis mortis funibus*. Funibus hisce inferni, mortis sepulcri designantur institæ, quibus cadavera in sepulcro vinciebantur (31). Jesus vinculis mortis exsolutus, e sepulcro liber & vivens exiit. Deus vincula ejus fregit dissipavitque. Vide historiam Resurrectionis Joan. 20. 5. Institas hasce a sindone, qua cadavera obvolvebantur, Joannes non obscure distinguit; earumque pariter in resurrectione Lazari meminit Joan. xi. 44.

℣. 25. A DEXTRIS EST MIHI, NE COMMOVEAR. Dexteræ meæ adsistens, regit, tuetur, mecum ac pro me certat. Allegoria est ex more militum ducta, quorum unus alteri latus premit, ut se mutuo defendant & regant.

℣. 26. CARO MEA REQUIESCET IN SPE. Opperiar sustinens definitum illud resurrectionis meæ tempus. Justi omnes moriuntur, & in sepulcro quiescunt, spemque novæ vitæ fovent; sed non omnibus, ut Jesu Christo, dies resurrectionis suæ nota est. Hebræus legit (32): *Certe caro mea habitabit in spe*. Adversus mortis terrores animo sum securo; corpus meum post obitum secure quiescet; vel in ipso sepulcro sperabo.

℣. 27. NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO, NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM. Minime patieris, ut anima mea, quæ Patriarcharum animas liberatura ad inferna descendit, ibi perpetuo maneat, neque corpus in sepulcro conditum contabescat. Sed accipi hic potest *anima* pro cadavere, vel pro ipso homine (33), & infernus pro sepulcro. Non permittes, ut perpetuo jaceam in sepulcro, aut corporis mei compago ibi dissolvatur. Me revocatum iri a te in vitam tam certo teneo, ut nihil æque sciam.

℣. 28. NOTAS MIHI FECISTI VIAS VITÆ, REPLEBIS ME JUCUNDITATE CUM FACIE TUA. Novam mihi viam aperuisti, ut mea virtute a morte ad vitam resurgendo transeam; meque cumulabis lætitia in Cœlu, cum lateri tuo assidebo, anima instructus & corpore, atque oculis hisce meis te coram intuebor. Hæc ad humanam Jesu Chrilli naturam pertinent.

℣. 29. SEPULCRUM EJUS EST APUD NOS. Conditus fuit David in ipsa urbe Jerosolyma (1); ejusque sepulcrum adhuc ætate Petri supererat: atque in Itinerariis sepulcra Regum Jerosolymæ constituta, ceu artis & industriæ humanæ miracula, nunc pariter celebrantur. Hac de re, & de thesauris in tumulo Davidis conditis, alibi fusius egimus (2). Chaldæi, capta Jerosolyma, sepulcra Regum violarunt (3), ossibus illorum soli & imbrium injuriis expositis; sed profanas manus Deus facile a sepulcro Davidis avertit, prohibuitque ne quid impium in ossa viri sanctissimi auderent. Credibile est etiam, Davidem vel unum non fuisse e multis, qui in obitu Domini e sepulcro ad vitæ auras revocati sunt Matth. 27. 53. vel saltem non diu post iterum occubuisse. S. Hieronymi ætate peregrinationes factæ ad sepulcrum Davidis, quemadmodum ad reliqua Jerosolymæ religiosa loca instituebantur (4).

℣. 30. DE FRUCTU LUMBI EJUS SEDERE SUPER SEDEM EJUS. Successorem hunc Davidis, sæpe adeo a Prophetis prænunciatum (5), Judæi adhuc expectant. Nemo ex Davidis successoribus totam oraculorum veritatem implevit; ac postremi etiam Prophetarum (6), qui spoliata Regno familia Davidis floruerunt, idem pariter ac majores sui cecinerunt. Cum autem post captivitatem nemo unquam e Davidis familia ad solium ascenderit; hinc illatum est, vaticinia omnia vetera & recentiora suam tandem fidem habitura in Mellia, qui propediem expectabatur. Petrus hic certo affirmat, Jesum Christum germen hoc esse, eumdemque Davidis filium, paterno in solio sessurum, factasque olim spes & oracula in eum collimare. Cum autem perpetua sit Scriptura in regno illi asserendo; hinc Apostolum surrecturum illum e mortuis collegit. Quæ necessaria erat præmissorum consecutio: licet enim Regnum non temporale illi destinaretur, nunquam tamen in Ecclesia sua vere regnare, neque in fide & charitate nos confirmare (nec enim aliter in nobis proprie regnat) potuisset, nisi e mortuis resurgeret. Resurrectio illius universæ prædicationis & prodigiorum omnium sigillum est & consummatio.

℣. 32. CUJUS NOS TESTES SUMUS. Non rei futuræ dubius sum Vates; nec veritatis caligine obsitæ radium indico: rem narro præsentem, quam meis ipse oculis vidi. Non aliorum narratione comperta, sed a nobis explorata & inspecta narramus. Jesum Christum e mortuis surrexisse, certo novimus; sicut & revocatum ad vitam, mensæ socium interdum habuimus. Hoc vero prodigium vestros ante oculos patratum, quodque vos huc accivit, ex iteratis ejus promissionibus & omnipotenti virtute derivatum est. Persuasum equidem nobis est, invidiam nostro nomini, vexationes & mortem creare nos ex hoc, quod reddimus veritati, testimonio: at nihil terret.

℣. 33. DEXTERA DEI EXALTATUS, ET PROMISSIONE SPIRITUS SANCTI ACCEPTA A PATRE, EFFUDIT HUNC, QUEM VOS VIDETIS ET AUDITIS; evectus potenti Dei virtute, accepit complementum promissionum, quas Pater ipsi per Spiritum Sanctum fecit, effuditque Spiritum hunc Sanctum, quem vos nunc & videtis & auditis. Jesus Christus in Cœlum conscendens, omnibus creaturis sublimior factus est; tantamque adeptus est gloriam, ut cæterorum dignitatem plurimum superet; coactis omnibus qui in Cœlo, in Terra, apud Inferos versantur, se coram demitti (7). Verbis illis, *Dextera Dei exaltatus*, ad illud Psalmi CXVII. spectatur: *Dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, sed vivam*, &c. Dei Filius rogaturum se dixerat Patrem, ut alium Paraclitum & Consolatorem ad Apostolos mitteret Joan. XIV. 16. Petrus pro concione dixit, Jesum Christum impetratum a Patre, juxta datam ab illo fidem, Spiritum Sanctum effudisse die illa in Apostolos; in eo vero Spiritus illapsu fragorem ac procellam venti insonuisse, quæ animos illorum perculerat; præsentisque tandem Numinis argumentum esse varium linguarum donum, quo rudes hactenus indoctique homines instructi fuerunt.

℣. 34. NON ENIM DAVID ASCENDIT IN CŒLUM; adeoque nec de illo dictum existimari potuit: *Dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam*, &c. De Jesu Christo accipienda sunt, qui ne-

[30] Psalm. XVII. 5. אפפוני חבלי מות ... חבלי שאל סבבוני [31] Martianæus, Notæ in N. T. [32] אף בשרי ישכן לבטח [33] נפש *Anima*, pro *persona*, Ezech. XII. 15. Amos VI. 8. *Pro cadavere*, Levit. XXI. 25. XXI. 1. 11. Num. V. 2. XX. 10. Vide & Psalm. LXXXVIII. 49. [1] 3. Reg. II. 10. *Dormivit David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David*. [2] Vide nos in 3. Reg. II. 10. Vide & 4. Macch XXI. & nos ibi. Joseph. Antiqu. lib. 7. cap. ultimo. [3] Jerem. VIII. 1. 2. Baruc. II. 24. [4] Hieronym. Epist. 17. ad Marcellam. [5] Psalm. LXXXVIII. 50. CXXXI. 11. Isai. IX. 7. XXXVIII. 5. Jerem. XXVII. 25. & alibi passim. [6] Zachar. III. 8. VI. 12. IX. 9. XII. 7. 8. XIII. 1. Agg. II. 7. 8. Malach. III. 1. 2. 3. [7] Philipp. II. 10.

nedum e mortuis resurrexit, verum etiam Cœlo conscenso, in dextera Patris assidet; neque enim de alio quocumque affirmari potuit a Davide: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ista David de alio quam de se affirmat: de Jesu Christo igitur, qui nobis præsentibus ad Cœlum conscendit, postquam nobis testibus e mortuis resurrexit. Duplici Psalmorum testimonio Apostolus Ascensionem Christi probat, illo nempe Psalm. 117. 16. ad quod versiculo superiore respicit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me;* altero vero petito ex Psalm. cix. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Ascensionem ejus a sessione ad dexteram Patris colligit. Hinc pariter Jesus Christus argumentum in Pharisæos pro asserenda divinitate sua deduxit. Matth. 27. 45.

℣. 36. QUIA ET DOMINUM EUM ET CHRISTUM FACIT HUNC JESUM, QUEM VOS CRUCIFIXISTIS. Asserta jam argumentis Resurrectione, Ascensione, sessione Jesu Christi ad Patris dexteram, atque illapsu S. Spiritus, Prophetarum ipsiusque pariter Jesu Christi oraculis prænunciato, recta consecutione colligit Apostolus, Jesum Christum Messiam esse, a Patre *Dominum & Christum* constitutum, idest Dominum non Judæorum modo, sed & orbis universi, summumque Liberatorem, votis diu ante & oraculis Prophetarum sollicitatum, unctum Divinitate cum humanitate hypostatice sociata, & affusione S. Spiritus (8), quo abundavit.

℣. 37. COMPUNCTI SUNT pœnitudine commissi criminis, sublato Jesu Christo in patibulum. Scelus illud ceu veniæ incapax habebant: Quid nobis præstandum erit ad delicti hujus expiationem? Duo illis Petrus ℣. 38. præscribit, ut scilicet pœnitentiam agant, tinganturque baptismate, nomine Jesu Christi. His si acquieverint, spem facit certam, ut veniam commissi delicti & donum S. Spiritus obtineant. Infra viii. 16. disputabimus, utrum baptisma unius Christi Crucifixi nomine collatum, minime expressa trium personarum SS. Trinitatis invocatione, valuerit.

Hic tantummodo animadvertendum esse ducimus, baptismum nomine Jesu Christi perinde accipi ac baptismum a Jesu Christo institutum, ut oppositum baptismo Joannis Baptistæ, constitutumque authoritate Jesu Christi, & ab ejus Discipulis Magistri nomine præstitum, per quem Christiani efficimur, & meritis Jesu Christi peccatorum veniam impetramus, ejusque Ecclesiæ adjungimur. Christus Joan. 14. dixit Patrem missurum Spiritum Sanctum *in nomine suo*, Joan. 16. suos Discipulos oraturos Patrem *in nomine suo*. Mandatum fuit Act. 18 Apostolis Jesu Christi, ne quid *in ejus nomine* loquerentur. In his locutionibus nomen Jesu Christi nihil aliud sonat, nisi Christum ipsum, ejus authoritatem, merita, Evangelium: loqui, prædicare, baptizare ejus jussu, & ad normam doctrinæ atque institutionis ejus.

Non obscure Apostolus tribuit baptismati Jesu Christi peccatorum remissionem: exigit tamen, ut huic baptismo præcedat pœnitentia, luctus & mentis conversio. Habitudines istæ nullam conferunt baptismo efficaciam, & remittendorum criminum virtutem, sed meræ sunt dispositiones, quæ nisi adfuerint, iners & vacuum sacramentum erit. Cor male comparatum, quod minime tangitur dolore criminum, nec gratia quidquam vel parum afficitur, amore Dei, qui totius justitiæ fons est, non incalescit, nec fidei lumine illustratur, neque timore Dei movetur, nec trahitur spe, justificari in Sacramento baptismatis non potest (9). Obstacula sunt ista, quibus virtus Sacramenti impeditur.

℣. 38. ET ACCIPIETIS DONUM SPIRITUS SANCTI; gratiam scilicet justificantem, qua per lavacrum regenerationis corda hominum perluuntur (10). Accipiuntur hæc pariter (11) de donis exterioribus S. Spiritus, uti de dono linguarum, miraculorum, prophetiæ, quod Fideles baptismate tincti, statim a Sacramento, non semel recipiebant in ipsa manuum impositione, & Confirmatione, quæ Baptismati statim adjungebantur. Sed dona hæc S. Spiritus a Confirmatione potius quam a baptismate collata fuisse, ex Scriptura discimus (12).

℣. 39. VOBIS ENIM EST REPROMISSIO, ET FILIIS VESTRIS, ET OMNIBUS QUI LONGE SUNT. Promissiones salutis per Messiam afferendæ omnibus late hominibus factæ sunt; ita tamen ut Judæis primum, deinde Gentibus, antea domesticis tum exteris faveant. *Quoscumque advocaverit Dominus*, illi pariter in earum pollicitationum spem admittentur, modo viva fide mentem illuminent, Legibus ejus pareant, & in amore ac fide stabiles perseverent. Nihil in tota Scriptura sæpius & disertius inculcatur, quam vocatio Gentium, & necessitas vocationis Dei, gratiæ ejus prævenientis, fidei, charitatis, & morum sanctimoniæ.

His vocibus, *Omnibus qui longe sunt*, designari censent quidam (13) Judæos, qui evolutas ætatibus fidei victas manus traditurí sunt. Alii (14) exprimi malunt illos, qui prava mentis & cordis habitudine longe remoti sunt a fide, morum conversione, salute; qui in umbra mortis jacent. Hoc potissimum nomine in Scriptura Ethnici censentur. Non ignorabat utique Apostolus, Gentiles vocandos fore ad fidem, quippe quorum vocatio non obscure expressa esset in Prophetis & in Evangelio: sed ex historia conversi ad fidem Cornelii Actor. 10. 28. discimus, nec certum conversionis hujus tempus nec rationem satis compertam illi fuisse.

℣. 40. SALVAMINI A GENERATIONE ISTA PRAVA. Subducite vos e cœtu Judæorum incredulorum & pervicacium, qui dona Dei de ridiculo traducunt, sermonesque nostros perinde ac stulta ebriorum deliria aspernantur.

℣. 41. BAPTIZATI SUNT per manus Apostolorum in nomine Trinitatis. Acta hæc non credimus die prima Pentecostes, cum Judæi plus nimio religiosi essent de quiete eo die servanda. Insuper jam in multam diem sol processerat; quod autem reliquum erat diei, in aliis festi hujus peculiaribus exercitationibus impendendum manebat. Baptismate igitur facile tincti sunt aliis succedentibus diebus, postquam probe instructi atque in fide confirmati, certam fecerunt spem, quantum tempus patiebatur, de conversionis sinceritate. Attamen e Schola Theologi (15) communi ferme assensu asserunt, eadem die omnes initiatos fuisse baptismate: & cum trium millium multitudo major esset, quam ut res facile præstari posset, censent aspersione tantummodo baptizatos fuisse; idest hominum illorum cœtum ramo arboris aliave re aspersum fuisse aqua; atque ita singulos satis aquæ contigit, ut in parte aliqua non minima corporis abluti censerentur.

Sed affirmari merito potest, *baptismi* nomine Hebræos longe aliud intelligere, quam ritum hunc aspersionis, quem hujusmodi in eventibus obtinuisse apud Judæos, numquam legimus. *Baptizare* est apud illos, totum corpus aqua mergere. Si vero Pictoribus nostris succurrit, ut Joannem Baptistam pingerent, aquam supra caput Jesu Christi fundentem vel manu vel concha, specimen hac in re, sicut in aliis sæpe, ignorantiæ suæ præbent. Asper-

[8] Act. x. 38. *Quomodo Deus unxit eum Spiritu Sancto, & virtute*, &c. Vide & Luc. iv. 18. & Act. iv. 27.
[9] Vide Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. [10] Tit. iii. 6. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. [11] Act. x. 45. Marc. xvi. 17. Ham. Fromond. Sanct. [12] Act. viii. 15. 18. 17. & xix. 5. 6. [13] Beza hic. [14] Fromond. a Lapide, Menoch. Grot. Lud. de Dieu, alii passim. [15] D. Thom. 3. par. qu. 68. art. 7. & alii post eum plurimi.

Aspersionem designaturus Moyses, abstinet a voce abluendi, lavandi, vel mergendi, id quod verbo *baptizare* exprimitur; utiturque aliis, exprimentibus actum ipsum spargendi vel leviter affundendi aquam. *Spargens rore levi*.

Ecclesia Orientalis universa hodie pariter triplici in aquam mersione baptizat (16); quem sane ritum luculenter exprimunt Canones Apostolici (17), summo in pretio apud illos habiti. Asserunt hunc morem omnia Officia baptismalia, omnesque Theologi & Canonistæ Melchitarum, Nestorianorum, & Jacobitarum. Grandem dicam Græci impingunt Latinis, nedum quod nullam in suo baptismate immersionem, sed quod trinam non servent. Olim in Ecclesia Latina nullus familiarior Baptismatis ritus obtinebat, quam per immersionem; quem satis diu apud illos perseverasse, ex vetustis libris Ritualibus discimus. Rejiciebant tinctos simplici aspersione (18); eosque ad sacros Ordines minime promovebant. Denique hic baptismi ritus tantummodo in Ecclesia tolerabatur. Nemo tamen unquam adeo effrictæ frontis fuit, qui baptismum per aspersionem irritum declararet. Græci pariter & Orientales, quamquam oppositi ritus tenacissimi, Sacramentum ita collatum validum agnoscunt (19).

Ut ad propositum regrediamur, probabile est, universam hanc trium millium multitudinem toto corpore aqua mersam fuisse; ita enim Verbum *baptizare* Hebræis, Chaldæis, Syris omnibusque Orientalibus usurpatur. Profecto ingens licet hominum multitudo cito baptizatur, si plures eidem simul rei operam navent; nec operosius aliquid requiritur, quam ut semel vel ter mergantur aqua homines, amne ad collum usque jam mersi, & continuato ordine alter post alterum se offerentes manibus illius, qui sacro operatur, & formam pronunciat. Ut autem res ageretur, facile ad Jordanem, vel ad ingens aliquod aquæ receptaculum accessere. Lucas plurium dierum historiam simul hic cogit. Conversio trium millium statim accidit: reliqua suo tempore executioni mandata sunt.

℣. 42. Erant perseverantes in doctrina, et communicatione fractionis panis. Assidui erant & constantes in audiendis Apostolis, ut dogmata Evangelii docerentur. Adhærebant constanter sanctissimis institutionibus, adversus odia Judæorum & injurias immoti. Denique coibant in unum, vescebanturque pane Eucharistico, Corpore & Sanguine Domini, ut explicant plerique verba illa (20): *Et communicatione fractionis panis*. Syrus vertit: *In fractione Eucharistiæ*. Apostolus 1. Cor. 10. 15. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Vernaculus etiam Ecclesiæ sermo *communionis* vocabulum retinuit ad designandam potissimum Corporis & Sanguinis Domini comestionem.

Quibusdam tamen Interpretibus visum est (21) dicta hæc accipere de communibus cibis; cum apud primos illos Fideles obtineret, ut cibum reliquumque convictum haberent communem. Græcus (22): *Erant perseverantes in communicatione & fractione panis*; quod aliqui explicant de bonis in commune commodum permissis, deque communibus conviviis; sive de communione cibi, quæ sumptione Eucharistiæ (23) claudebatur: quod genus *agapen* vel mensam charitatis appellabant.

℣. 43. Fiebat omni animæ timor. Prodigia sive quæ in Ascensione J. C. & illapsu S. Spiritus edita, sive quæ post hæc spectata sunt, quæque gentis universæ Jerosolymam collectæ oculos perstrinxerunt; constantia, qua Apostoli Jesum e mortuis resurrexisse ajebant, confirmabantque prodigiis; turba ingens testium, qui intuitos se Dominum e mortuis restitutum sancte audacterque affirmabant, sive minas sive injurias hostium non metuentes; hæc simul omnia terrorem incutiebant mentibus, acribusque stimulis pungebant conscientiam Judæorum, qui authores se mortis Jesu Christi constituerant. Sed cur nec terrores isti salutares, nec conscientiæ stimuli illos ad resipiscendum excitavere? Unde factum est, ut incredulitati & pervicaciæ suæ insisterent? Profecto ipsorum culpa: sive enim oblata sibi a Deo auxilia respuerunt; sive indignos se præbuerunt, qui tantum acciperent, quantum opus esset ad obstinationem nequitiamque frangendam.

℣. 44. Erant pariter, et habebant omnia communia. Uno erant animo, una mente, ac mutuo communicabant facultates, & ut omnibus prodessent, erant singulorum (24). Idem vitæ institutum servarunt Esseni, de quibus Josephus de Bello l. 2. c. 12. & primorum sæculorum Fideles, de quibus Tertullianus in Apologet. Omnia erant illis in medio & communia, præter uxores. Rerum illarum dispensatores Apostoli; & Fideles venditi patrimonii pretium ad Apostolos deferebant Act. 2. 45. & 4. 35. eorum curæ distribuendum pro singulorum indigentia relinquentes. Verba illa, *Erant pariter*, accipienda non sunt de communi omnibus domicilio, cum plures essent quam ut simul degere possent; sed conveniebant omnes in Templum communemque orationem (25), sive in unum locum quantum fieri poterat, ut Dei verbum audirent, divinisque mysteriis interessent (26).

℣. 45. Possessiones vendebant, et dividebant illa omnibus. Hæc pretii distributio curæ erat Apostolorum, qui luxum, delicias, pravamque cupiditatem execrati, ad unius charitatis leges pro singulorum indigentia rem moderabantur. Providorum instar patrum familias Apostoli reliquis Fidelibus tamquam filiis, & viscerum suorum partibus consulebant. Omnes ex eodem fonte indigentiam levabant. E communi penu omnes accipiebant, communes habebant sedes, res communes. Ex hoc sancto cœtu tristia illa meum & tuum exulabant.

℣. 46. In Templo. Quamquam in obitu Jesu Christi ritus & Sacrificia cessarunt, fœdusque novum in locum veteris successit; attamen nolebat Deus, ut fideles statim se a reliquis Judæis segregarent, legemque penitus abjicerent. Parebant igitur Legis mandatis, quantum utilitas Ecclesiæ poscebat, sed longe aliter ac Judaico spiritu legalia servabant (27). Sedulo cavebant, ne offendiculo essent imbecillibus, eorumque animos a Doctrina Evangelii abalienarent; comparabantque illos paulatim, ut in sanctiorem purioremque cultum transferrentur.

Frangentes circa domos panem. Hæc loquendi phrasis, *Frangentes panem*, desumpta est ex pane, cujus usus erat in ea regione familiaris, tenui admodum & sicco, qui melius frangeretur manu, quam scinderetur. Designat hic Lucas frugales illas communesque agapas, quas fideles domi e Templo reduces agebant (28).

℣. 47. Habentes gratiam ad omnem plebem, ob morum sanctimoniam & vitæ probitatem, ac deni-

(16) Renaudot tome 5. Perpétuité de la Foi liv. 2. chap. 4. pag. 109. (17) Canon. Apostol. 50. (18) Vide Cornel. Pap. apud Euseb. hist. Eccles. lib. 6. cap. 43. & Ferrand. Diacon. Epist. ad S. Fulgent. Cyprian. ad Magnum Ep. 76. Vide Martenne de antiqu. Ritib. lib. 1. c. 1. art. 14. n. 7. 8. 9. 10. (19) Vide Renaudot lib. cit. pag. 110. (20) Cornel. Fromond. Sanct. Mont. Gagn. Ligf. Med. Pisc. in Synops. alii. (21) Vide Chrysost. Oecumen. Bea. Grot. (22) Καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Plures MSS. Κοινωνίᾳ τῇ κλάσει, omisso Καὶ. (23) Grotius hic. (24) Chrysost. Sanct. alii. (25) Infra ℣. 46. (26) Vide Cornel. Men. Vide & Chrysost. hic. (27) Chrysost. in Acta, homil. 7. (28) Vide Chrysost. & Oecumen. hic, & ad ℣. 42.

denique ob largitiones, quas abunde sufficiebat vita frugi, simplex, modesta, ac nemini onerosa. Hammondus reddit (29): *Habebant charitatem*, liberalitatem, *ad omnem plebem*. Sed hæc versio vim apertissimam Textui infert.

Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie. Deus per gratiam suam fidelium numerum quotidie augebat. Nova in dies populorum accessione Deus Ecclesiam suam prorogabat. De numero incredulorum & obstinatorum decerpebantur quotidie plores ex prædestinatis ad vitam & ad salutem, recepta Dei munere fida, spe, charitate, & auxiliis necessariis ad perseverandum in bono, & salutem obtinendam.

In idipsum, quod legitur in fine Capitis apud Latinos, melius constituitur in exordio Capitis sequentis, juxta Græcum (30): *Sub idem tempus*, sive, *Eodem tempore*.

(29) Ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν. (30) Ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ Πέτρος, &c. Cantab. Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις, &c.

C A P U T III.

Petrus & Joannes in Templum pergentes, claudum sanant. Petrus pro concione populum alloquens, ad pœnitudinem & fidem in Jesum Christum hortatur.

℣. 1. Petrus autem, & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.
2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem
ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam
ab introeuntibus in templum. 3. Is cum vidisset Petrum, & Joannem incipientes
introire in templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet. 4. Intuens autem in eum
Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. 5. At ille intendebat in eos, sperans se
aliquid accepturum ab eis. 6. Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non est
mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, &
ambula. 7. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ
sunt bases ejus, & plantæ. 8. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit
cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. 9. Et vidit omnis
populus eum ambulantem, & laudantem Deum. 10. Cognoscebant autem illum,
quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti
sunt stupore, & extasi, in eo, quod contigerat illi. 11. Cum teneret autem Petrum,
& Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum, quæ appellatur
Salomonis, stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ,
quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate
fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob,
Deus patrum nostrorum, glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis,
& negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. 14. Vos autem sanctum,
& justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis. 15. Auctorem
vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.
16. Et in fide nominis ejus, hunc quem vos vidistis, & nostis, confirmavit nomen
ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium
vestrum. 17. Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut &
principes vestri. 18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum,
pati Christum suum, sic implevit. 19. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur
peccata vestra: 20. Ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini,
& miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, 21. Quem oportet
quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus
per os Sanctorum suorum a sæculo prophetarum. 22. Moyses quidem dixit: quoniam
Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam
me, ipsum audietis juxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem:
omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et
omnes Prophetæ a Samuel, & deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.
25. Vos estis filii prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros,
dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.
26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis; ut
convertat se unusquisque a nequitia sua.

℣. 1. Pe-

℣. 1. PETRUS AUTEM ET JOANNES ASCENDEBANT IN TEMPLUM, AD HORAM ORATIONIS NONAM, quæ ferme recidit in tertiam horam pomeridianam. Qua potissimum die hæc acciderint, ignoratur. Asserit quidem Lucas (1), contigisse *eodem tempore*, & forte eadem die ac ea quæ supra narrata sunt, uti demonstrat ingens ille populi concursus, qui ad Petrum & Joannem subito factus est, & turba illa quinque millium, quibus Petrus fidem persuasit. Tres orationis horæ solemnes erant Iudæis, mane, meridies, & vesperæ, juxta illud Psalmi 54. 18. *Vespere, mane, & meridie narrabo, & annuntiabo* (meditabor). Censent Rabbini, Abrahamum matutinas preces instituisse, meridianas Isaacum, Jacobum vespertinas. Post reditum e captivitate, ait Maimonides, Esdras duodeviginti precationum formulas instituit, a singulis Iudæis quotidie recitandas; statuitque, ut semel noctu, bis interdiu quisque precaretur, idest quoties Domino perpetuum sacrificium immolabatur, vespere nempe, & mane. Duabus hisce precandi horis accessit deinde oratio Tertiæ, quæ fere convenit in nonam matutinam nostro more: sed fas erat pensum illud reddere a nona hora usque ad meridiem, a Tertia usque ad Sextam; sicut & orationem Nonæ compleri fas erat a tertia hora pomeridiana usque ad solis occasum (2). Esurialibus vero diebus addebatur quarta precatio; quatuor autem istæ precum horæ in Nehemia diserte traditæ habentur 2. Esdr. 9. 3.

Solemnes illæ tres horæ sese offerunt in Daniele; is enim Babylone agens (3) *contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat*. Notat idem IX. 21. horam Sacrificii vespertini tamquam horam precibus destinatam. Mos est igitur vetustissimi usus apud Iudæos, quamquam temere prorsus ejus origo ex Abrahamo, Isaaco, Iacobo repetitur. Ergo ascenderunt in Templum Petrus & Ioannes, ut pensum redderent vespertinæ precationis ad horam diei Nonam, id est tertiam post meridiem circiter. Consuetudini huic ter quotidie precandi inhærendum censuit Ecclesia Christiana (4); & quamquam præcepto nihil sanciendum duxerit, religioni tamen huic institit aliàs, & nunc pariter insistit. Filios ad preces matutinas, meridianas & vespertinas hortatur.

℣. 2. CLAUDUS AB UTERO MATRIS SUÆ. Ex consequentibus intelligimus, usu crurum caruisse, ut gressum figere nequiret; deferebatur enim quotidie ad portam Templi, stipem ab introeuntibus petiturus. Vox Græca (5) usurpatur pro claudo, & membris vitiato. Adnotanda hæc censuit Lucas, ut prodigii magnitudo magis magisque claresceret.

AD PORTAM QUÆ DICITUR SPECIOSA. Interpretum (6) plerique censent, portam hanc speciosam Orientalem fuisse atrii Israelis; nec distinguendam ducunt a porta, quam Iosephus de Bello l. 6. c. 6. describit tectam ære Corinthio, quę proinde pluris æstimaretur, quam reliquæ novem portæ, quamvis auro argentoque dívites. Sed ex Iosepho ibidem intelligere videmur, portam hanc Speciosam ære Corinthio tectam patuisse exterius, aditumque præbuisse in atrium mulierum; cum porta illi superior, e regione posita, ad plagam Orientalem, quæque exponebat in atrium virorum, major esset amplitudine ac divitiis, quippe quæ altitudine cubitos referret quinquaginta, & postes haberet quadraginta cubitorum laminis aureis argenteisque maxime compactis, & magnificentissimi operis ornatos. Cum tamen Iosephi Textus subobscurior sit, recedendum non duxerim a communi opinione, quæ Speciosam hanc portam interpretatur de porta ære tecta.

Claudus iste deponebatur ante portam Templi eo consilio, ut stipem quæreret; favebantque pauperibus stipem hic rogantibus & concursus populi, & ingressus in locum Sanctum, ubi Dei auxilium implorabatur. Censent quidam (7), egenos vitiatosque corpore abstinuisse ab ingressu Templi, ut proverbio, cui recepta consuetudo locum fecerat, obtineret apud Iudæos: *Cæcus & claudus non intrabunt in Templum* 2. Reg. 5. 8. Sed unde, siquidem hæc vera sint, cæci illi & claudi, quos a Iesu Christo in Templo sanatos ex Matthæo discimus (8)? Quonam Legis Textu docemur, vetitum fuisse miseris sanctæ domus aditum? Locum illum Regum multo propius ad literam aliter exponendum esse, in Commentario demonstravimus.

℣. 4. INTUENS IN EUM PETRUS CUM IOANNE. Intimo quodam Spiritus Sancti impulsu ferri se ad sanitatem illi conferendam senserunt, jusseruntque, in faciem suam aspiceret, ut illius attentione huc revocata, quæ gerenda erant melius animadverteret.

℣. 6. QUOD HABEO, HOC TIBI DO: IN NOMINE IESU CHRISTI NAZARENI SURGE ET AMBULA. Tantum est mihi virtutis, ut nomine Iesu Christi morbos depellam: juvare igitur hac mea virtute, gressumque pone in nomine Iesu Christi, quem primum authorem restitutæ tibi valetudinis agnoscere jubeo; ejus enim virtute, & authoritate ego te valetudini restituo. Gloriam igitur alteri ne referas; nos enim ministros ejus agimus, ejusque nomine rem gerimus. Non orat Apostolus, antequam ægrotum hunc curet, sed imperat morbo. Imperium tamen nomine Iesu Christi factum, genus est orationis. Spiritus ille sanctus, quo afflabantur Apostoli, rogabat in ipsis *gemitibus inenarrabilibus* Rom. 8. 26.

℣. 7. CONSOLIDATÆ SUNT BASES EJUS ET PLANTÆ. Græcus (9): *Confirmati sunt tali ejus & plantæ*. Pedes habebat tortos, & os cruris cum osse pedis male cohærebat. Statim correcta est ossium coagmentatio, & vigor pedibus rediit.

℣. 11. CUM TENERET PETRUM ET JOANNEM; Excessu gaudii, & subito grati animi motu apprehendit tenaciter amborum Apostolorum seu manus, seu vestes, clamansque tenere se benefactores suos, a quibus valetudinem nomine Iesu Christi accepisset, profitebatur; ita enim res tota intelligenda est, quæ a Luca nonnisi subobscure traditur. Porta illa, de qua mentio facta est, sita erat in porticu, quæ Salomonis appellabatur. Eo igitur concursus undique factus est ad Apostolos: & cum hora esset precum, dicto citius ad quinque vel sex millia hominum coiverunt.

IN PORTICU SALOMONIS. Censent quidam (10), unam hanc esse e porticibus a Salomone positis, quæ intacta adhuc perseveraverit post ruinam & incendium Templi per Chaldæos, & postquam Herodes Magnus vetus ædificium submovit, ut magnificentius construeret. Censent etiam, porticum hanc respondisse atrio gentium, ut ex ingenti turba hominum eo convenientium colligunt. Constat utique ex Iosepho Antiqu. l. 20. c. 8. & l. 15. c. 14. fundamenta atrii orientalis a Salomone locata extitisse adhuc sub secundo Templo, & porticum illam Orientalem exterius patuisse. Ex his fundamentis ætate Iesu Christi adhuc stantibus porticui nomen Salomonis mansit.

(1) Ἐπὶ τὸ αὐτό. (2) Vide Maim. Kimchi, Capell. Grot. Drus. hic. (3) Dan. VI. 10. *Contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat*. (4) Clem. Alex. Constit. lib. 7. c. 24. Tertull. de jejuniis. (5) Χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ. (6) Baron. Vatab. Menoch. Grot. Cornel. Sanct. alii passim. (7) Vide Sanct. hic. (8) Matth. XXI. 14. *Accesserunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & sanavit eos*. (9) Αἱ βάσεις, καὶ τὰ σφυρά. (10) Oecumen. Sanct. Menoch. Cornel. a Lapide.

℣. 12. Quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare. Græci quidam Codices legunt (11): *Quasi propria virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare*. Totam prodigii hujus laudem modeste in Deum & Iesum Christum refert.

℣. 13. Glorificavit Filium suum (12). Deus gloriæ Filii sui consuluit prodigiis ab illo editis, cæterisque a nobis, nec nisi nomine ejus patratis. Quemadmodum Iesus Christus morte sua, & prodigiis paternæ gloriæ augendæ plurimum contulit; ita & Pater filii gloriam Resurrectione ejus & prodigiis per Apostolos editis auxit. Animadvertere juvat in sermone, quem modo instituit Petrus, idem ferme propositum ac in altero, quo apud populum præ foribus domus, ubi Spiritus Sanctus descenderat, collectum peroravit. Potentiam Dei etiam atque etiam commendat, auditoresque in cognitionem Iesu Christi deducit. Detegit Iudæis commissi ab illis criminis in supplicio de Iesu Christo exacto immanitatem; eosque ad pœnitentiam hortatur. Animadverte hic, quemadmodum in oratione præcedenti, Oratoris prudentiam modestiamque in arguendis Iudæis, ut haud non irritet, & in dispensandis ad eorum captum veritatibus.

Negastis ante faciem Pilati. Injuste illum in Senatu vestro damnastis, suppliciumque puniendum Pilato tradidistis: quin & optantem illum libere dimittere coegistis ut damnaret, rogantique num igitur ista permitteretis in Regem vestrum, respondistis renunciare vos ejus Imperio, nec alium a Cæsare Regem agnoscere.

℣. 14. Petistis virum homicidam donari vobis: (℣. 15.) authorem vero vitæ interfecistis. Sententia est magnifica, mira gravitate & vi immanitatem criminis Iudæorum exprimens. Barabbam grassatorem, seditiosum, homicidam prætulistis Iesu hominum innocentissimo, & vitæ authori. Græcus ad literam (13): *Principem vitæ interfecistis*, qui nobis in itinere vitæ hujus præit, vel ejus aditum pandit. Ipse Iesus Christus profitetur Io: 14. 6. se viam esse, veritatem, & vitam; nec ab alio vitam mundo donari Io: 6. 33. Donat autem Resurrectione. Reserat Cœlum, vel ipsis Iustis hactenus clausum. Isaias 9. 6. Messiam futurum prædixerat *Patrem futuri sæculi*, sive authorem vitæ novæ in æternitate.

℣. 15. Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Testimonio Petri cæterorumque Apostolorum in re præsenti nihil efficacius ad probandum. Ingenti hoc prodigio nomine Iesu Christi edito, sancte affirmant, exploratum habere se, Iesum Christum e mortuis resurrexisse, seque testes exhibent paratos vel ipso sanguine veritatem testari. His argumentis quis manus victas non dederit?

℣. 16. In fide nominis ejus. Fiducia virtutis ejus, per quem tantum prodigium vestros ante oculos edimus. Prodigiosam hanc valetudinem non nostris nos meritis nostraque virtute, sed Iesus Christus nostro ministerio effecit.

℣. 17. Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et Principes vestri. Ne auditores in ultimam desperationem adigat aut irritet, Apostolus severitatem redargutionis leniens, probe se intelligere ait, ignorantes imprudentesque ad supplicium Dei Filium, Messiam suum & Regem, Authoremque vitæ depoposcisse. Hac arte animos pellicit, ut ad Deum redeant, agantque pœnitentiam, crimen ab illis commissum non penitus veniæ incapax esse asserens, quod scilicet ignorantibus & quodammodo nolentibus obrepserit. Neque enim norant Judæi, Jesum Christum & Messiam esse & Regem Israelis. Excusatione minus digni erant Sacerdotes & Principes: verissime tamen de illis affirmatur, nunquam illos in Crucem acturos fuisse Regem gloriæ, si agnovissent. Pravi cordis affectus excæcabant illos, ne miracula agnoscerent. Quam præferebat ille, conditionis humilitas offensioni ipsis erat & contemptui. Quod traditiones eorum plerasque ille contemneret, quod ita Legis præcepta & servaret, & servanda doceret, ut ab opinione moribusque Judæorum discreparet plurimum, animos Judæorum a se abalienabat; & semel in eum commoti, eo rapti sunt, ut vim ultimam in insontem exequerentur.

℣. 18. Per os omnium Prophetarum, pati Christum suum. Juvat hic admirari alacritatem animique securitatem, qua Petrus adversus eam, quæ apud Judæos invaluerat (14), opinionem asserit, subeundam fuisse a Messia mortem, eamdemque veritatem in omnibus Prophetis luculenter exprimi. Porro illud *omnium* usurpari potest morali quadam exceptione pro majori parte, sive pro omnibus, nemine excepto. Difficile admodum demonstratur, Prophetas generatim omnes conceptis verbis expressisse necem Messiæ: neminem esse tamen scimus, qui subobscure saltem vel actione, vel locutione, vel symbolo, oblique seu directe eo non feratur (15).; omnia enim in Prophetis prophetica sunt & ænigmatica.

℣. 19. Poenitemini et convertimini. Jam tandem ergo resipiscite, intimum doloris sensum excitate, revertimini ad Deum sincera pœnitentia & conversione mentis; quæ nisi adfuerit, nulla salutis spes superest: *Ut deleantur peccata vestra*. De baptismate ab illis recipiendo siluit, quod Sacerdotes & Ministri Templi loquentem interceperint.

℣. 20. Cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit Jesum Christum. Tempus refrigerii idem est quod versiculo consequenti *tempus restitutionis omnium*. Accipitur autem a plerisque (16) pro tempore Resurrectionis & supremi Judicii, quo Deus rependet famulis suis requiem, felicitatem, refrigerium & par laboribus præmium. Tunc pariter ab illo omnia restituentur, debitumque servitutis suæ obsequium majestati & potentiæ ejus omnes per orbem gentes præstabunt. Novissimæ hujus diei adventum designat Iesus Christus iis Evangelii verbis Matt. 17. 11. *Elias venturus est, & restituet omnia*.

Commode tamen utrumque explicant de tempore ultionis Divinæ in Iudæos, cum ex vaticinio Iesu Christi Matth. 24. Romani Urbem Templumque everterunt. Tunc Iusti, Fideles, Discipuli Iesu Christi quietem & refrigerium nacti sunt (17). Vexationes, quas Iudæi nunquam in Ecclesiam exorientem intermiserant, cessarunt; resque omnes Fidelium accisæ, in pacem ac tranquillitatem restitutæ sunt. Præterit hic Apostolus vexationes, quibus lacessenda erat Ecclesia a Gentibus; quia cum sermonem haberet ad Iudæos, de Gentibus agere ad rem non erat.

Et miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum. Christus venturus est in fine sæculorum, ut in vivos & mortuos judicium exerceat. Sed terribile hoc Iudicium & severitatem ultionis suæ in impios per typum expressit in eo, quod adversus Judæos exercuit, judicio, cum Romanorum armis capta Urbs est, eversum Templum, & gens tota dissipata. Sæpe in Evangelio Christus (18) de extrema hac Iudæorum calamitate ceu de die supremi adventus sui agit.

℣. 21.

(11) Ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ. Alii, ἐξουσίᾳ. Ita Syr. Velez. Latini aliquot; *Nostra virtute*, aut *pietate*. Zeger. (12) Τὸν παῖδα αὐτοῦ. Piscat. *Servum ejus*. Ut Isai. xlii. 1. Alii omnes melius; *Filium*. Vide Grot. hic. (13) Ἀρχηγὸν ζωῆς, *Ducem vitæ*. (14) Joan. xii. 34. *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum*. (15) Carthus. Sanct. Vide Chrysost. hic. (16) Vide Sanct. Cornel. Fromond. Heins. Vatab. Lud. de Dieu, alios ex Chrysost. (17) Oecum. Sanct. Grot. Hamm. Le Clerc, a Lapide, alii. (18) Matt. xxiv. 14. 30. & seq. xii. 27. 28. Luc. ix. 26. xiii. 20. xxi. 6. & seq.

℣. 21. Qoam oportet quinem Coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium. Par est, convenit Iesum Christum, post aliquot annorum moram in terris in Cœlis morari, nec spectandum deinceps se præbere mortalibus usque ad supremam illam diem, cum iterum ad judicium vivenrium & mortuorum aderit. Sed & antea veniet severitate cinctus & majestate ad Ierosolymam puniendam. Non utique tunc sensibus subjectum corpus exhibebit intuentibus; sed præsentiam ejus satis sentient impii in severitate animadversionis, qua puniet ille sævissimos insectatores, qui sive ipsum sive ejus membra vexaverint. Appellat sempus hoc *restitutionis omnium*, eo quod animadversio ejus in Indæos injuriam Deo ab illis irrogatam reparatura esset. Restituet ordinem, quem illi sævitia in Fideles turbaverint. Restitnet tranquillitatem Ecclesiæ, quam calamisates obnubilaverant. At restitutio multo major sentietur in novissima Judicii die; tunc enim justitia, pax, & veritas tedibunt, non certo tempore, nec angusta in regione, sive unica in gente regnaturæ; sed imperio per universum late Orbem totamque æternitatem prorogato. Tunc Cœlum redibit novum, Terra nova (18), & omnis caro flexo genu coram Jesu Christo, sedentem illum in dexrera Patris adorabit (19).

Per os Sanctorum suorum a sæculo. Prophetæ a primo ad novissimum omnes ad unum communa propositum collimant, ad Messiam scilicet, ad ejus adventum, mortem, Resurrectionem, regnum, Ecclesiam. Enoch, ab Adamo septimus, de mundi exitu, adventuque Jesu Christi in judicium mortuorum & viventium vaticinatus est (20); cujus oraculi fragmentum in Epistola Judæ servatur.

℣. 22. Moyses quinem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus. Desumpsit hæc Apostolus ex Deuteronomio 18. 15. & in epitomen contraxit. En locus integer: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies; ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi*. Non successorem Moysis tantummodo daturum se populo Deus pollicetur; neque enim id tunc agebatur, cum Moyses quadraginta adhuc annis circiter rebus præfuerit; sed Legislatorem alterum spondet, cui Deus verbum suum credet, qui erudiet populum, cui idem populus ut obsequatur Deus ipse mandat. Ætatis Jesu Christi Judæos de Messia hæc dicta accepisse constat, cum frequenter ab Authoribus novi Testamenti Christo accommodentur (21).

℣. 23. Exterminabitur de plebe, nece tradetur. Moyses in loco mox recitato Deuteronomii fert tantummodo: *Ego ultor existam*. Explcari autem potest de ultione sive quæ exacta fuit de Judæis Jerosolymitanis post quadragesimum ab obitu Jesu Christi annum, sive quæ expetenda erit de impiis, infidelibus, incredulis novissima supremi Judicii die.

℣. 24. A Samuel et deinceps. Non quod Samuel horum aliquid definito oracnlo prædixerit; neque enim aliqua Samuelis lucubratio, ab historia Regum diversa, uspiam suppetit; sed quæ gesta sunt Heli Summo Sacerdote, & regnante Saule, cum Heli Arcam Domini in manus Philistæorum incidisse vidit 1. Reg. 4. 10. & Dei jussu denunciati sibi a Samuele audiit, futurum ut Sacerdotium summum e familia sua in alienam transiret 1. Reg. 3. 14. hæc utique omnia, sicut & Saulis rejectio substituto Davide 1. Reg. 13. 14. figuræ erant, quibus res tempore Jesu Christi eventuræ portendebantur. Qui vero Samuelem consequuti sunt Prophetæ, pro se quisque adventum, mortem, gloriam Messiæ præsagierunt (22), ut jam animadvertimus.

℣. 25. Vos estis filii Prophetarum. Vos qui Prophetarum dogmata tenere (23), & autem fidemque oraculis eorum præbere vos gloriamini: Qui prognatos vos jactatis a Patriarchis, qui veri erant Prophetæ (24); vos igitur reverenter excipite & audite illum, quem Prophetæ prædixerunt. Jesus omnes in se uno Messiæ notas exhibet; oraculorum omnium veritas in eo impleta est: hæc omnia ultro se vobis offerent intuentibus. Igitur nisi hunc receperitis Regem, nullam causationem obtendere poteritis.

Et Testamenti. Hæredes promissionum quæ Abrahæ factæ sunt. Vos posteri estis Abrahami, quocum Dominus fœdus iniit iis verbis Gen. 12. 3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*. In vobis igitur benedictio gentibus omnibus impartita est: per vos hodie Cœli benedictionem illæ excipiunt, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui illis nunciatur, in quo eredunt, & per quem salutem consequuntur. Si igitur alieni per vos benedictione donantur, vos ea benedictiune carebitis? Commode etiam in hanc sententiam, quæ literæ propior est, Textus exponitur: Hæredes estis fœderis & promissionis, quibus Deus fidem suam Abrahamo obstrinxit, pollicitus: Ego te benedictionibus tam multis cumulabo, ut integræ genses sibi invicem imprecentur: Ita tibi propitius sit Deus, ut soboli Abrahami. Vestrum est tam multa, quæ a Domino spondentur, bona non frustrari, vosque degeneres a virtute majorum non exhibere.

℣. 26. Vobis igitur Deus suscitans Filium suum. Quandoquidem filii estis Prophetarum & fœderis, vosque tangunt promissiones de adventu Messiæ; ideo vobis primum sese Dei Filius obtulit: medius vestrum a Deo positus fuit, verbumque salutis ad vos directum est. Jesus Christus largitionibus suis vos affatim ditaturus venit: *Benedicentem vobis*. Benedicere est hic cumulare beneficiis (25). Donis hisce suis ut seria cordis conversione respondeatis, expectat: *Ut convertat se unusquisque a nequitia sua*. Nisi hæc præstiteritis, studium ejus in vos inane feretur (26). Commode etiam aliùs Græco sensus datur (27): Pater *vobis primum misit Filium suum*, ut vobis *benedicat & convertat*, ut a peccatis retrahat (28).

[18] 2. Petr. III. 13. [19] Philipp. II. 11. [20] Judæ ℣. 14. 15. [21] Vide infra VII. 37. Luc. VII. 16. Joan. VI. 14. VII. 40. [22] 1. Petr. I. 10. Vide & Joan. I. 45. Luc. XXIV. 27. 44. [23] 4. Reg. II. 3. 5. 7. 15. IV. 38. V. 20. VI. 1. [24] Psalm. CIV. 15. [25] Ita Cornel. Men. Tir. Grot. alii passim. [26] Vide Chrysost. Oecum. Erasm. Vat. Mont. [27] Ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν. [28] Gagnej. Erasm. Cornel. Men. alii.

CAPUT IV.

Apostoli in carcerem aguntur. Ad orationem Petri, recitatam Capite superiori, quinque millia hominum adjungunt se Fidelibus. Sanhedrium Judæorum vetat Apostolis prædicationem Jesu Christi; sed illi in incepto perseverant. Discipuli rebus suis se abdicant. Barnabas vendita hæreditatis suæ pretium ad Apostolos defert.

℣. 1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi. 2. Dolentes quod docerent populum, & annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis: 3. Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera. 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia. 5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, & seniores, & Scribæ in Jerusalem: 6. Et Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali. 7. Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? 8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite: 9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, 10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: 12. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. 13. Videntes autem Petri constantiam, & Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant: 14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. 15. Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad invicem, 16. Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, & non possumus negare. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. 18. Et vocantes eos, denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. 19. Petrus vero, & Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. 20. Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui. 21. At illi comminantes dimiserunt eos: non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat. 22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis. 23. Dimissi autem venerunt ad suos: & annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum, & seniores dixissent. 24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: 25. Qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? 26. Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus? 27. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel, 28. Facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri. 29. Et nunc, Domine, respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, 30. In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu. 31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis. 34.

Ne-

Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, 35. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. 36. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis) Levites, Cyprius genere, 37. Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

℣. 1. SUPERVENERUNT SACERDOTES, ET MAGISTRATUS TEMPLI, ET SADDUCÆI: Cum hæc omnia agerentur in Templo, nec sine tumultu, in tali præsertim re & temporis hora, Sacerdotes, Tribunus Templi, & Sadducæi statim accurrerunt ad conventum illum dissipandum. Sacerdotes æmulatione mala delati facile venerunt; Saducæi vero quod sermonem de Christo in vitam revocato haberi audirent, quo dogmata eorum subvertebantur, quippe qui mortuorum resurrectionem negarent; denique Magistratus Templi ad motus omnes, quos facile metuebant, supprimendos.

Quinam vero *Templi Magistratus*? Censent quidam (1) designari eo nomine Sacerdotes seu Levitas, qui Levitis reliquis, excubias præ foribus Templi agentibus, præerant. Excubiis hisce, si qua Rabbinis fides est, Præfecti impositi erant duo, quorum alter diurnas custodias, nocturnas alter curabat. Malunt alii (2) *Magistratus Templi* accipere de ducibus Romanarum copiarum, Templo advigilantium, nequid motus & seditionis accideret. Frequentissime enim id contingebat in populo tumultuoso, præsertim diebus solemnibus, in ingenti illo advenarum concursu.

Utrumque id genus Magistratuum Templi sese offert in Evangelio (3); Judas enim convenit Principes Sacerdotum & Magistratus, paciscens, *quemadmodum illum* (Jesum) *traderet eis*. Magistratus isti erant utique ex Judæis. Cum Jesus in horto olivarum comprehensus fuit (4), *dixit ad Principes Sacerdotum & Magistratus Templi, & Seniores: quasi ad latronem existis*, &c. Sunt hi facile cohortis Romanæ duces, qui cum delectis militibus ad capiendum Jesum venerant, uti discimus ex Joanne (5), qui diserte Romanorum cohortem distinguit a ministris Sacerdotum & Pharisæorum, qui sese illis tunc adjunxerant.

Mihi tamen probatur opinio explicans *Magistratus Templi* de Præfectis Romanæ cohortis (6), qui confestim accurrerunt ad dissipandum populi concursum circa Apostolos, assidue auctum confluxu eorum, qui Templum adibant, & quos studium videndi claudum mox curatum detinebat. Manus hæc Romanorum eo loco ad id constituta erat, Præfecti seu Duces Levitarum janitorum Templi id tantum habebant muneris, ut portis invigilarent, prohiberentque seu ethnicos seu legali aliqua sorde pollutos in sacrum locum ingressu.

℣. 2. RESURRECTIONEM EX MORTUIS. Uni inter omnes Saducæi hanc negabant; sed eorum numerus & famæ multum tunc creverat, quod sectam eorum Caiphas summus Sacerdos, & plures gentis Optimates profiterentur Act. 5. 17.

℣. 3. POSUERUNT EOS IN CUSTODIAM IN CRASTINUM: ERAT ENIM JAM VESPERA. Inclinato in vesperam die prohibiti sunt, ne cogerent Sanhedrium, satisque habuerunt tradere utrumque Apostolum custodiæ in ipso facile Templo, & sub militibus Romanis, seu Levitis Templi janitoribus. Traditus est pariter claudus ille sanatus, ut mane alterius diei judicio omnes sisterentur ℣. 10.

℣. 4. FACTUS EST NUMERUS VIRORUM QUINQUE MILLIA. Græcus (7): *Quasi quinque millia*. Familiare est sacris Scriptoribus addere particulas illas, *quasi*, *fere*, quas apponunt non tamquam dubitent, aut ea quæ narrant, non probe norint; sed communem loquendi phrasem retinent, qua designatur, Sancto Spiritui visum non esse certiorem numerum exprimere, quod res nihil accuratius postularet. Numerus iste quinque millium ad sermonem Petri conversorum demonstrat ubertatem gratiæ, & vim veritatis ex ore Apostolorum profluentis. Animadversum est (8), sacrum Scriptorem conceptis verbis exprimere *quinque millia virorum*; quod persuadet, non continere eo numero mulieres & pueros, quorum turba longe major quam virorum erat. Itaque brevi paucorum dierum & forte unius diei periodo, Ecclesiæ facta est accessio hominum plusquam octo millium (9).

℣. 5. PRINCIPES, ET SENIORES, ET SCRIBÆ. Mane alterius diei coiverunt illi, id est totum Sanhedrium, ut causam Apostolorum cognoscerent. Porro Sanhedrium constabat e viris in tota gente amplissimis, tum ordinis Sacerdotalis, tum e reliquo populo (posteriores hi proprie Senatores appellabantur); denique *e Scribis* sive Legis Doctoribus. Rumor sparsus de valetudine claudo collata, deque tot hominum millibus ad fidem conversis, ac favor qui Apostolis conciliabatur, persuaserunt Judæis, e re sua esse maxime, si incrementum nascentis hujus religionis, qua veteris abolitio inducebatur, pro viribus impedirent; si enim Jesus Messias agnoscebatur, statim submota Lege & Sacerdotio Aaronico, Evangelium in ejus locum sufficiendum erat.

℣. 6. ANNAS PRINCEPS SACERDOTUM. Summum quidem Sacerdotium tunc non gerebat Annas, sed ejus dignitatis diutius possessæ titulum semper retinuit. Ipse est celebris Annas, seu Ananus, de quo Josephus Antiqu. l. 20. c. 8. qui post gestam summam dignitatem annis undecim, hanc gloriæ accessionem habuit, quam nemo alius ante ipsum, ut quinque filios videret in sacro Principatu successores. Caiphas tunc summum Sacerdotem agebat; idque muneris gerens, ante sex hebdomadas Jesum Christum damnaverat; Anani autem filiam uxorem duxerat Joan. 18. 13.

Joannes, de quo hic, filius erat facile Anani, cujus meminit Josephus de Bello l. 2. c. 25. quique Provincias Acrabatenen, & Gophniticam administravit. Nomen ejus non lego inter Pontifices Anani successores, nisi forte ipse sit Jonathas, qui post Caipham rebus sacris præfuit (10).

Alexander, forte Alexander Lysimachus, pater Tiberii Alexandri (11). Tiberius iste Alexander, desertis Judæorum sacris, præfectura Judææ post Fadum potitus fuit; sed Alexander Lysimachus, de quo agi hic credimus, vir fuit Judæorum sui temporis locupletissimus; ingentibus munerì-

[1] Hebræi, Drus. Fromond. Arias, Salmeron, Cornel. hic. Sigon. lib. 7. de Rep. Heb. cap. 13. [2] Sanct. Ligfoot. Vide Act. 221. [3] Luc. xxii. 4. Συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τὸ πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς. [4] Luc. xxii. 52. Στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ. [5] Joan. xviii. 3. *Cum accepisset Cohortem, & a Pontificibus, & a Pharisæis ministros.* [6] Vide Joseph. Antiq. lib. 20. cap. 4. [7] Ὡσεὶ χιλιάδες πέντε. [8] Fromond. Cornel. Men. [9] Vide Hieron. in cap. xl. Isai. August. tract. 19. in Joan. Chrysost. hic. [10] Vide nostram Dissertationem de successione Pontificum Judæorum, ad Librum Judith. [11] Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 3. pag. 690. & lib. xix. cap. 4. p. 673. & lib. xviii. cap. 8. pag. 630.

neribus Templum ditavit, & Agrippæ Regi amicissimus fuit. Vulgo appellatur Alabarcha, sive Salinarum Alexandriæ Curator.

℣. 7. Interrogabant: In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos? Num vestra seu virtute, seu authoritate morbum hunc expulistis, an alterius ope, & nomine id præstitistis? Scrutari volebant, utrum genuinum id esset miraculum, an potius arcanum aliquod magicum, seu invocati Dæmonia magicæve excantationis præstigium. Ejusmodi causæ cognoscendæ illis remittebantur; eratque muneris illorum inquirere in artes Pseudo-prophetarum, impostorum, magorum. Sed facile illis usuvenisset, Apostolos ab hac suspicione immunes agnoscere. Sola rei gestæ narratio satis valuisset ad omnem invidiam ab illis amoliendam. Veteres Prophetæ nomine Domini veniebant, ægrotosque ejus authoritate curabant; vos autem cujus nomine venitis, & qua authoritate valetudines hasce curatis?

℣. 8. Repletus Spiritu Sancto Petrus. Longe diversum se hic exhibet Petrus atque in atrio Caiphæ, ubi ad vilissimæ ancillulæ vocem Magistro, & Domino suo nuncium remisit. Impletam hic animadvertimus fidem promissionum Jesu Christi Matt. 10. 18. *Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*

℣. 10. In nomine Domini Jesu Christi, quem vos crucifixistis, miser iste, qui præsens adstat, convaluit. Vir adest; res patet; superest nunc, cujus nomine & authoritate hæc patrata sint, quæramus. Petrus palam edicit, referri hæc ad nomen & virtutem Jesu Christi oportere. Addit, hunc ipsum esse Christum Jesum, quem Sacerdotes & Senatores, quos tunc alloquebatur, manibus Romanorum in supplicium agendum curarunt, quique e mortuis resurrexit. Mirari subit libertatem Apostoli in medio cœtu; neque enim timet palam loqui veritatem invisam, quam tamen sermonem suum prosequens opportune temperat, Senatores ad pœnitudinem & salutem invitans: *Nec enim aliud est nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.*

℣. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est: reprobastis enim Jesum Christum, cum illum insectati estis usque ad crucis supplicium. Sed nequitiam vestram ludificans Deus, permisit, ut lapis iste in angulo ædificii constitueretur, Filius nempe Dei e mortuis resurgat, efficiaturque novæ Ecclesiæ Caput, & novæ gentis Pater. Senatores & Sacerdotes appellat hic *ædificantes*, quod in Synagoga destinati essent ad ædificationem & conservationem spiritualis ædificii, erudiendo populos, atque a scandalis & prava doctrina illos tuendo.

Lapis qui reprobatus est ab ædificantibus, factus est in caput anguli. Sententia est deducta ex Psalmo 117. 22. quo & Jesus Christus in Evangelio spectat Matt. 21. 42. Facile proverbii loco tunc apud Judæos obtinebat, ad designandum hominem, qui inter suos contemptui & nihili habitus, deinde cæteris aliis attolleretur. Lapis constitutus in caput anguli, lapis est collocatus in vertice & in angulo ædificii, utriusque parietis latera jungens. In Palæstina, ubi domus non tegebantur testaceis tegulis pro nostro more, sed pavimentis, lapidem angularem in fastigio locandum latum esse oportebat, solidum, pulcrum, dolatum, aptum ad conjungendum utrumque parietem, addendumque ædificio pondus, firmitatem, elegantiam.

℣. 12. Non est in alio aliquo salus. Jesus Christus unicus est verusque humani generis Servator ac Liberator; unicus inter Deum hominesque Conciliator (12). Per illum unum salutem consecuti sunt, & deinceps consequentur omnes quotquot futuri sunt ac fuerunt mortales, ab ipso Mundi exordio, usque ad exitum illius. Per fidem in Divinum hunc pacis Conciliatorem Patriarchæ & Prophetæ Veteris Testamenti æternam felicitatem meruerunt. Per ipsum quotquot in Ecclesia Christiana salutem nanciscentur, sanctitatem obtinebunt & salutem (13) *Non aliud nomen*, nemo alius homo, *datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Nomen sæpe pro homine usurpari, jam animadvertimus (14). Intercessio Jesu Christi intercessionem cæterorum Dei amicorum non excludit; sed omnes in se una per excellentiam continet & superat. Per Jesum Christum Angelis & Sanctis ad Patrem accessus patet, nec ab alio quam a Jesu Christo vis additur & meritum precibus tum nostris tum aliorum, quæ pro nobis porriguntur. Tantum illæ valent, quantum intercessionibus Jesu Christi conjunguntur.

℣. 13. Videntes Petri constantiam; seu potius *loquendo libertatem* (15), ut habet Græcus. Eo majori admiratione affecti sunt, quo magis norant, hominem esse illiteratum, e fœce populi, quique Discipulum se Jesu Christo præbuerat. Atque hinc majora admirationis argumenta; quomodo homines plane rudes gravem adeo sermonem & liberum struere possent, & tam apta e Scripturis proferre testimonia? Quomodo Discipuli Jesu Christi illius, quem supplicio peremptum noverant, prodigiis licet & favore populi pollentem, tantum auderent, ut se proderent, Discipulosque se & præcones illius profiterentur? Cur sibi par & gravius etiam supplicium non metuerent?

℣. 16. Quid faciemus hominibus istis? Cernere hic licet Sacerdotum & Senatorum istorum nequitiam. Convicti rei evidentia, quam negare non poterant, & præsentia claudi sanati, cum posita cunctatione omni victas veritati manus præbere deberent, in consultationem revocant, quomodo sese illi opponant, claudantque ora illorum, qui palam illam promulgabant. Ita olim inter se consultavere, quomodo Jesum ingentia miracula patrantem perderent (16): *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Nisi statim providerimus, iste omnes post se trahet, nosque vel soli manebimus, vel coacti a multitudine, ad illum pertrahemur.

℣. 17. Ne ultra loquantur in nomine hoc; nec ultra loquantur nomine Jesu, seu potius de Jesu; cessent a dogmatibus ejus & resurrectione promulgandis. *Comminemur eis*. Græcus vi majore (17): *Minaciter comminemur* eis; severissimis minis ad silentium illos adigamus.

℣. 19. Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Prudentia quidem humana, & rerum nostrarum commoda poscunt, ut vobis obsequamur; at num coram Deo pro veritate & justitia fas nobis est silere? Assumptum est certum, ipsis etiam Profanis compertum (18). Probandum erat, Dei precepto ad loquendum ipsos induci. Porro Jesus Christus hoc illis præceperat, & Spiritus, quo afflabantur, non permittebat, ut de voluntate Dei hac in re ambigerent. In his rerum articulis silere perinde esset, ac rerum se proditæ veritatis constituere. Interdum tacere, prævaricari est.

Deus nos testes suos constituit: nefas est, testimonium illi non exhibere. Justitiam lædit, qui innocenti testimonium denegat; multo ergo iniquius Deo ipsi id a nobis exigenti negabimus. Itaque (℣. 20.) *non possumus quæ vidimus & audi-*

(12) 1. Timoth. II. 5. Hebr. VIII. 6. IX. 15. &c. (13) Vide August. serm. 294. nov. edit. n. 4. 5. & in Psalm. XIX. enarrat. 2. num. 2. & lib. de peccato origin. contra Pelag. & Celest. cap. 24. & 26. & seq. & alibi passim. Ita & alii PP. (14) Act. 1. 15. (15) Τὴν τοῦ Πέτρου παῤῥησίαν. (16) Joan. XI. 47. (17) Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα. (18) Vide Grot. hic, & de jure belli, & pacis lib. 2. c. 26. art. 3.

divimus non loqui. Deus e nobis rationem exiget veritatum, quas nobis credidit, quarum nos testes atque custodes sumus. Has nobis conditas si servaverimus, rei sumus injustitiæ in Deum, e quo illas accepimus, & in homines, pro quibus accepimus. *Si evangelizavero, non est mihi gloria*, ait Apostolus 1. Cor. 9. 16. *necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.*

℣. 23. Venerunt ad suos, ad Apostolos fratresque, qui una convenerant, quique facile orantes exitum primæ hujus vexationis opperiebantur; neque enim ignorabant, detrusos fuisse illos in carcerem, norantque quam male animati essent Senatores & Sacerdotes in illos, qui Jesu Christo adhæserant.

℣. 25. Qui Spiritu sancto per os Patris nostri David dixisti. In Græco impresso (19) non legitur *Spiritu Sancto*; sed extat in optimis pluribus manuscriptis Codicibus, apud Syrum, Arabem, S. Irenæum, S. Ambrosium, Luciferum Calaritanum, & Vulgatam. Spiritus Sanctus vere est primus Author vaticiniorum istorum, quibus non obscure prædixit gentium ac Judæorum odia adversus Ecclesiam in secundo Psalmo: *Quare fremuerunt gentes, & populi* (Judæi) *meditati sunt inania?*

℣. 26. Principes convenerunt in unum; Judæorum Optimates, Principes Sanhedrii, summi Sacerdotes Judæorum contulerunt inter se consilia, ut opponerent se Deo, Christumque ejus neci traderent, & adversarios se præberent eorum, qui in ipsum crederent, ejusque resurrectionem & Evangelium nunciarent. Herodes & Pilatus cum universo Sanhedrio & plerisque e populo, primo quidem Jesum Christum aversati sunt; nec eb infectando cessarunt, donec egerent in Crucem. Nequitiam & odium in nos pariter urgent. Sed omnia illorum molimine nonnisi consiliis tuis implendis valuerunt, (℣. 28.) *Facere quæ manus tua & consilium tuum decreverant fieri*. Neque hæc nequitiam illorum excusant, sed infinitam Sapientiam tuam commendant magis, quippe quæ ex ipso malo bonum exprimit, & cui obstat nihil. Tu hæc omnia prævidisti & permisisti; sed odium & nequitiam adversariorum in Filium tuum neque probasti, neque imperasti. Æterno consilio tuo statuisti, ut Filius tuus manibus illorum traderetur; non sanxisti, ut illi sese iniquos impiosque præberent.

℣. 30. In eo quod manum tuam extendas ad sanitates et signa. Ingere nobis animi firmitatem ad minas eorum contemnendas, ac virtutem confer morbos curandi, ut probro obruantur nominis tui adversarii, & nobis via planior struetur incepto itineri libere & sine timore veritates tuas nunciandi. Hic verus est fructus miraculorum, ut Fidelium roboretur fides, infidelibus pateat veritas, & sacrorum fidei Præconum dicta majori polleant authoritate. Hæc locutio, *Manum tuam extende*, exprimit aliquod majoris authoritatis, & non ordinariæ potentiæ opus: *In manu extenta, & brachio excelso*.

℣. 31. Motus est locus, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Insolitus ille motus argumentum erat præsentiæ Numinis, preces eorum excipientis (20), labentisque S. Spiritus, qui illorum animos se implevisse indicavit, addito novo pietatis ardore, novisque gratiæ & scientiæ largitionibus. Quamquam enim Apostoli die Pentecostes gratiis, piisque moribus affatim ditati fuerant, novis tamen indigebant gratiæ auxiliis, quibus regerentur, atque altius veritates penetrarent, prohiberenturque, ne proprio pondere in cogitationes, & desideria concupiscentiæ pertraherentur. Gratia S. Spiritus ignis est, quem perpetuo ali, atque accendi in nostris cordibus necesse est postulatione continua novarum gratiarum, fideli cooperatione, & diligenti in custodiam cordis nostri vigilantia (21).

℣. 32. Multitudinis credentium erat cor unum (22). Animo, voluntate, consiliis unanimes erant, atque in eamdem consentiebant fidem, charitatem, desiderium mortis pro Christo subeundæ, ejusque relegendi vestigia, ut pro viribus eamdem cum ipso perfectæ vitæ sanctimoniam assequerentur. Ita denique exitum suum obtinuerunt preces illæ e Jesu Christo oblatæ Patri Jo. 17. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint*. Et Joan. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Nec quisquam aliquid suum esse dicebat. Meum & tuum, frigidum illud & fatale verbum, unde tot adversa & bella in mundum, ait S. Chrysostomus in hom. de S. Philogon. t. 1. ab illis exulabat. Omnes sese unius familiæ filios reputabant; ac proinde omnia habebant communia. Pater Cœlestis, magnus ille Pater familias, seu communium bonorum, quæ Discipuli conferebant, dispensator agnoscebatur. Itaque nemo inter illos egenus, nemo dives; curæ omnes, ambitio, mala æmulatio, murmur aberant. Gratia & charitate affatim divites, suos in eo thesauros suamque voluptatem ponebant. Quod autem mirari maxime subit, illud est, hanc rerum omnium abdicationem spontaneam fuisse, & liberam; nemini enim non libere erat facultas retinendi sibi res suas, atque adhibendi in usus a Religione non vetitos (23). Hac vero libertate qui utecentur, rari erant. Rerum omnium abdicatio magnam illis ab omni metu securitatem peribebat; nihil metuebant, non vexationes, non bonorum amissionem, non egestatis incommoda; quos ad scopulos plerumque vel optimi quique perielitantur.

℣. 33. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium de Jesu Christi Resurrectione, multa scilicet libertate, & constantia, maximisque prodigiis (24), quorum magna vis erat ad animos mentesque audientium pertrahendas.

Gratia magna erat in omnibus illis. Largum gratiarum imbrem superfuderat illis Deus, qui in prodigia & miracula effluebat. Prodebat se pariter gratiæ in hominum ore, gestu, verbis. Reddi etiam potest Græcus (25): Diligebantur ab omnibus; magni æstimabantur (26).

℣. 34. Quotquot enim possessores agrorum ..... vendentes. Quotquot scilicet sponte patrimonia vendere volebant; nemo enim cogebatur: sed rari erant Fideles, qui exemplum hoc virorum sanctissimorum & studio Legis flagrantium non sequerentur. Pretium venditi patrimonii deferebant *ante pedes Apostolorum*, ut eo veluti indicio demonstrarent, relinquere se ille in eorum potestate, ut dispensarent veluti Patres familiæ Jesu Christi & Fidelium, atque constituti dispensatores voluntatis singulorum.

℣. 36. Joseph qui cognominatus est Barnabas (quod est interpretatum filius consolationis) seu *Filius Prophetiæ*, seu *Filius sermonis fluentis*. Id facile cognomen inditum viro est, ut distingue-

---

[19] Græc. Ὁ διὰ στόματος Δαβὶδ τοῦ παιδός σου. Alii: Ὁ διὰ πνεύματος ἁγίου. Alii: Ἐν πνεύματι ἁγίῳ, &c.
[20] Chrysost. & alii hic. [21] Vide Chrysost. hic. August. passim. Fromond. Cornel. alios.
[22] Græci Codices nonnulli addunt: *Et non erat in eis discrimen*, seu *divisio*. Cantabrig. G. L. Καὶ οὐκ ἦν ἐν αὐτοῖς διάκρισις. Laud. 3. Καὶ οὐκ ἦν χωρισμὸς ἐν αὐτοῖς τις. Beda Retract. in Acta: *Et non erat in illis separatio ulla*. Ita legisse Græcorum Libros asserit. Laudat Cyprianum lib. 3. ad Quirin. legentem: *Nec fuit inter illos discrimen ullum*. Ut habet Cantabrigiensis. [23] Infra Act. v. 4. [24] Μεγάλῃ δυνάμει. Vide Luc. v. 17. Rom. xv. 19. Vat. Pric. Cornel. Menoch. Fromond. [25] Χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς.
[26] Vide Grot. Sanct. Cornel. Menoch.

gueretur ab altero Josepho, cognomento *Barsaba*, & *Justo Barnabas* & *Barsabas* nomina Syriaca sunt. Græcus pro Joseph legit *Joses*; & Codices quidam pro *Barnabas* legunt *Barsabas* (27); unde suborta nonnullis suspicio est, Barnabam virum inclytum fida Pauli Apostoli societate, quem nos in decursu hujus historiæ sæpius commemorabimus, ipsissimum esse Barsabam, qui una cum Matthia de Apostolatu venit in sortes.

Barnabas e tribu Levi originem referebat, quamquam natus e familia Cypria: frequentes in Cypro degisse Judæos discimus ex Dione, qui lib. 68. seditiones ejus gentis in ea Insula narrat. Veterum plerisque (28) unus est e Septuaginta Discipulis Jesu Christi, qui satis cito illi adhæsit. Græci in Menologio p. 118. primas illi tribuunt inter Septuaginta Discipulos. Renunciavit simul omnibus, patriæ, rebus, & sibi ipsi, Apostolorum exemplo Matt. 19. 27. & post Ascensionem vendito prædio quod supererat in Cypro, juxta nonnullos, sive prope Jerosolymam juxta alios (29), pretium ad Apostolos tulit, Condiscipulus Pauli creditur, ut ambo sub Gamaliele studuerint (30). Eidem Apostolo indivisus exiit socius, donec ab illo discessit occasione Joannis Marci, ut inferius xv. 36. 39. patebit.

Ad reliquos Palæstinæ Fideles quod attinet; probabile est, bonorum abdicationem illis persuasisse quod revelatione didicissent futurum, ut Judæa brevi manibus hostium traderetur, ipsi vero cogerentur ad fugam, ut se a vexationibus tum domesticorum cum exterorum præriperent (31).

---

[27] Vide Var. Lect. Mill. hic.
[28] Clem. Alex. Strom. lib. 2. pag. 410. Euseb. hist. Eccles. lib. 1. cap. 12. lib. 2. cap. 1. Epiph. hær. 20. cap. 4. Vide Tillemont Note 5. sur S. Barnabe.
[29] Surius 11. Jun. pag. 170.
[30] Surius ibidem.
[31] D. Thom. ad Galat. 11. Lect. 2. Fromond. hic; Ligfoot. Grot. ad ℣. 32.

C A P U T V.

Ananias & Saphira subito exanimati concidunt, mendacii pœnam luentes. Miracula Apostolorum. In carcerem acti a Judæis, ab Angelo eruuntur. Petrus causam apud Judices dicit. Gamaliel eosdem Judices a sententia mortis in Apostolos dicenda avertit. Ad flagella damnati, aliquid pro Jesu passi gaudent.

℣. 1. VIR autem quidam, nomine Ananias, cum Saphira uxore sua vendidit agrum, 2. Et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? 4. Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. 6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. 8. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidisti? At illa dixit: Etiam tanti. 9. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te. 10. Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum. 11. Et factus est timor magnus in universa ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc. 12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. 13. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis; sed magnificabat eos populus. 14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, 15. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. 16. Cucurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. 17. Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo: 18. Et injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: 20. Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. 21. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt concilium, & omnes seniores filiorum Israel; & miserunt ad carcerem, ut adducerentur. 22. Dum autem venissent ministri, & aperto carcere

non

non inveniffent illos, reverfi nuntiaverunt, 23. Dicentes: Carcerem quidem invenimus claufum cum omni diligentia, & cuftodes ftantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus. 24. Ut autem audierunt hos fermones magiftratus templi, & principes facerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis: Quia ecce viri, quos pofuiftis in carcerem, funt in templo ftantes, & docentes populum. 26. Tunc abiit magiftratus cum miniftris, & adduxit illos fine vi; timebant enim populum ne lapidarentur. 27. Et cum adduxiffent illos, ftatuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps facerdotum, 28. Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine ifto; & ecce repleftis Jerufalem doctrina veftra; & vultis inducere fuper nos fanguinem hominis iftius. 29. Refpondens autem Petrus, & Apoftoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. 30. Deus patrum noftrorum fufcitavit Jefum, quem vos interemiftis, fufpendentes in ligno. 31. Hunc principem, & falvatorem Deus exaltavit dextera fua, ad dandam pœnitentiam Ifraeli, & remiffionem peccatorum. 32. Et nos fumus teftes horum verborum, & Spiritus fanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus fibi. 33. Hæc cum audiffent, diffecabantur, & cogitabant interficere illos. 34. Surgens autem quidam in concilio Pharifæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis univerfæ plebi, juffit foras ad breve homines fieri. 35. Dixitque ad illos: Viri Ifraelitæ, attendite vobis fuper hominibus iftis, quid acturi fitis. 36. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens fe effe aliquem, cui confenfit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occifus eft; & omnes, qui credebant ei, diffipati funt, & redacti ad nihilum. 37. Poft hunc extitit Judas Galilæus in diebus profeffionis, & avertit populum poft fe, & ipfe periit; & omnes quotquot confenferunt ei, difperfi funt. 38. Et nunc itaque dico vobis, difcedite ab hominibus iftis, & finite illos; quoniam fi eft ex hominibus confilium hoc, aut opus, diffolvetur: 39. Si vero ex Deo eft, non poteritis diffolvere illud, ne forte, & Deo repugnare inveniamini. Confenferunt autem illi. 40. Et convocantes Apoftolos, cæfis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jefu, & dimiferunt eos. 41. Et illi quidem ibant gaudentes a confpectu concilii, quoniam digni habiti funt pro nomine Jefu contumeliam pati. 42. Omni autem die non ceffabant, in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Chriftum Jefum.

℣. 1. ANANIAS CUM SAPHIRA UXORE SUA VENDIDIT AGRUM; fed futuras rei familiaris anguftias metuentes, pretii partem infciis Apoftolis retinuerunt. Exemplum hoc Ananiæ & Saphiræ, ut oppofitum exemplo Barnabæ, cujus meminit fupra, Lucas ftatuit. Confilium iftud Fidelium proferendi ante Apoftolos pretium venditi patrimonii continuiffe in fe tacitum faltem votum nihil fibi refervandi, & omnia in commune Fidelium ufum conferendi (1); ejufque violatæ religionis reos Ananias & Saphira fe conftituiffe creduntur. Hinc apud Patres facrilegii & rei facræ violationis accufantur.

℣. 3. CUR TENTAVIT SATANAS COR TUUM, MENTIRI TE SPIRITUI SANCTO? Cur apud te adeo valuit Dæmonis mala fuggeftio, ut ad mentiendum in Spiritum Sanctum, tegendamque veritatem inducereris; mihi fcilicet, quem Spiritu Sancto afflati probe nofti? Vel: Cur Satanas tentavit animum tuum, ut Spiritui Sancto mentireris? Græcus (2): *Cur Satan replevit cor tuum?* Cur Satanæ aditum in cor tuum præbuifti? Cur te illi permififti? Sollicitare ille affenfum tuum poterat, non extorquere: tentare homines poteft, feducere nolentes non poteft (3). Reddunt nonnulli (4): *Cur Satanas obduravit cor tuum?* Cur tantam peccandi temeritatem Satanas tibi infpiravit? Ita pariter in cor Judæ irrepfit (5), occupavitque adeo, ut fine metu & confcientiæ fenfu peccaret.

Mentiri Spiritui Sancto, perinde hic eft ac decipere Apoftolos Spiritu Sancto afflatos (6); vel periculum illorum facere, cum vere illo afflarentur, atque ita fe gerere, ac fi ea de re ambigerent (7); vel turpi mendacio fimulare (8), fe Spiritu Sancto, pietate ac religione agi, cum intus in corde nonnifi ambitio, vanitas, mala cupido fint: vel denique fidem Deo & S. Spiritui obftrictam adulterare (9). Violaftis votum a vobis nuncupatum, omne veftrum patrimonium in ufum Ecclefiæ & Fidelium conferendi.

℣. 4. NONNE MANENS TIBI MANEBAT? Integrum tibi erat five ut patrimonium tuum, five ut ejus pretium tibi retineres, five tandem ut pretii illius partem tantummodo voveres, nemo te coegit feu vendere, feu venditionis pretium huc ferre; fed quæ ratio tibi nos fallendi, moliendæque deceptionis, veritatem occultando, dimidiamque tantum partem pretii referendo? Qui patrimonium fuum fibi retinebant, de fuo victitabant, bonorum communium, quotidianarumque largitionum minime participes. Ananias & Saphira imitari religiofiffimos affectabant (10); fed avaritiæ fpiritus

(1) Hieronym. Epift. 8. Bafil. ferm. 1. de inftit. Monach. Chryfoft. hic; Oecumen. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. Auguft. ferm. olim 10. de diverf. nunc 148. num. 2. Greg. lib. 1. Regiftri, Epift. 31. nunc 34. Ita & Sanct. Grot. Cornel. Tir. alii paffim. (2) Διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σου. Alii: Διατί ἐπείρασε. Ita Velez. Vulg. Athan. Beda; fed Epiphan. & Auguft. utroque modo. (3) Vide Bedam, From. Eft. alios. (4) Vide Syr. Grot. Hamm. Med. Lud. de Dieu. (5) Luc. xxii. 3. Joan. xiii. 27. (6) Vide Grot. Pifc. (7) Vide infra ℣. 9. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?* (8) Erafm. Vat. Cajet. (9) Cornel. Men. Med. Ham. Fromond. Sanct. (10) Bafil. ferm. 1. de inftitut. Monach.

tus illos seduxit. *Obtulerunt bene, sed male diviserunt* (11).

Non es mentitus hominibus, sed Deo. Deo ipsi intulistis injuriam, decipere illum moliti, ea quæ spopondistis retinendo. Fallere hominem est violare leges charitatis, veritatis, sinceritatis; fallere Deum nemo potest; atque id conari, dementia est omnium stultissima. Qui decipere Deum aggreditur, se ipse fallit; simul autem grandem Deo notam infert, cum sapientiæ ejus, scientiæ, potentiæ, veritati, justitiæ & naturæ injuriam irroget.

℣. 5. Cecidit, et exspiravit. Hac Apostoli increpatione ceu fulmine correptus Ananias, exanimis ante pedes ejus continuo cecidit; quod Origenes in Matth. improviso terrori & confusioni tribuit. Diodorus Dialecticus pudore actutum obiit, lusoria quæstione non protinus ad interrogationes Stilbonis dissoluta (12). Malunt alii (13) lethali intimo vulnere ictum fuisse a Deo, loquente Apostolo. Usum in ejus necem Deum Angeli ministerio, quidam suspicantur (14). Christianorum hostis Porphyrius (15) Petrum accusabat sævitiæ, quod necem Ananiæ a Domino precibus impetrasset: sed hæc viri impii calumnia est; neque enim id rogasse Apostolum legimus. S. Gregorius Magnus (16) vi Apostolicorum verborum id totum tribuit.

De salute æterna Ananiæ inter Patres & Interpretes dissidium est. In crimine suo mortuum quidam censent: aliis vero sedet opinio, temporalem illius mortem & puniendo hic crimini & expiando valuisse. Nec desunt qui doloris & contritionis vehementia extinctum credant. Origenes in Matth. & S. Augustinus (17) omnium uni inter Veteres æquissime de Anania & Saphira senserunt: *Credendum est autem, quod post hanc vitam eis pepercerit Deus; magna est enim ejus misericordia .... Correpti sunt mortis flagello, ne supplicio punirentur æterno*. Quam sententiam, multo propiorem nostræ de infinita Dei misericordia opinioni S. Hieronymus ad Demetriadem, S. Petrus Damiani lib. de contemptu Sæc. cap. 3. & Recentiorum quidam (18) probarunt.

Verum S. Chrysostomus hic, S. Basilius (19) aliique plures plane oppositum senserunt. Nullum quidem Ananiæ & Saphiræ doloris & pœnitentiæ argumentum se prodit: crimen patrarunt grande, sacrilegium, furtum, voti violationem. Nullum inter commissum crimen & pœnam intercessit spatium; nullum inter Petri increpationem & interitum utriusque. Solemne est Deo, in ipsis legum crepundiis severissime in illos animadvertere, qui jussiones suas seu ministrorum suorum temnunt. Scitum est, quid inflixerit in Adamum transgressionis reum; quid in impios aurei vituli cultores; quid in miserum illum, qui omnium primus Sabbathi religionem violavit; explorata est animadversio ejus in primum ex Hebræis Regibus, primosque e Sacerdotibus, qui communi & profano igne suffitum dare ausi fuerunt. In his omnibus Deus ideo peccatum puniit, ut ne quid pravi ex illo deinceps consequeretur. Prima peccata maximi semper momenti censenda sunt ad futuri temporis exemplum (20).

℣. 6. Juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt, extra Urbem in loco sepulturæ destinato. Cito sepulturæ mandabantur cadavera in ferventi ea regione, ubi facile corrumpi ea possent, & domos Urbesque inficere. Græcus autem commode alium hunc sensum admittit (21): *Syndone, vel fasciis* (22) *obvolverunt, & extulerunt, ut sepelirent*.

℣. 9. Tentare spiritum Domini; ad explorandum, num re ipsa omnia Deo comperta sint; seu potius ad explorandum, num veritas verborum vestrorum nobis pateat, vel num re ipsa Dei spiritu afflemur. Præcipuum illorum propositum aliud erat utique, quam ut periculum ejus rei facerent; sed ita se gerebant, ac si id meditarentur.

Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium. Divinitus id norat Apostolus, quemadmodum exploraverat omnia, quæ in ea venditione acta fuerant. Vide persimile vaticinium in quarto Regum vi. 32. cum scilicet Achab sicarium ad necandum Elisæum misit, quem Propheta prohiberi aditu domus suæ jussit: *Ecce enim*, ait, *sonitus pedum domini ejus post eum est*.

℣. 12. Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cur in hac porticu? ideo facile, quod amplior esset, & ab atrio Sacerdotum remotior. Ex Josepho Act. 3. 2. animadvertimus, respondisse illam atrio gentium, id est, areæ latæ, quæ circa Templum regnabat, cujus aditus indiscriminatim omnibus Judæis ac Gentibus, mundis immundisque patebat. Cum atrium illud latissime porrigeretur, eo se conferebant Apostoli, verba ad populum facturi; quod ne auderent in interioribus Templi, vetabat metus, ne a Sacerdotibus prohiberentur, & variis artibus ad silentium adigerentur. Sed in porticu Salomonis, & in atrio gentium, veluti extra Templum versari videbantur.

℣. 13. Cæterorum nemo audebat se conjungere illis. Judæorum Gens tunc in plures sectas, de pluribus Fidei articulis dissidentes, dispescebatur. Apostoli nullam adoptaverant, & e sectis illis nemo jungere se ipsis audebat, non Pharisæi, non Saducæi, non Herodiani, quos Judæ Galilæi sectatores fuisse credimus. Fulgor virtutis & miraculorum, ac vis illa S. Spiritus, qui se illorum ore promebat, adversarios omnes obtundebat. Nemo se committere cum illis, manusque veluti conserere audebat. Populus alacris in eorum laudes totus effundebatur, nec alios audire amplius sustinebat. Alte id sauciavit Sacerdotes ac Magistratus, veteres Jesu Christi adversarios. Hi justitia causæ deficiente, potentiam in Apostolos, & vim adhibuerunt.

℣. 15. Ita ut in plateas ejicerent infirmos. Ducere hinc licet argumentum de fide populi, & de excellentia doni miraculorum, qua Deus Principem Apostolorum insigniverat. Atque ita plena fides constabat verbis illis Jesu Christi Joan. 14. 12. *Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*, saltem si agendi ratio spectetur (23); neque enim legitur unquam Christus tanta facilitate, tantaque admiratione ægrotos sanasse. Veteres quidam (24) uni Petro asseruisse virtutem hanc curandi ægrotos sola corporis umbra videntur; verum S. Augustinus in Joan. hom. 44. & S. Cyrillus Alexandrinus in Julian. lib. 6. omnes Apostolos pari virtute præstitisse agnoscunt. Asserit etiam S. Augustinus in Psal. 130. v. 1. mortuum quemdam umbra Petri ad vitam esse revocatum. Miracula hæc ex umbra corporis Petri comparat S. Ambro-

(11) Vide Genes. iv. 7. juxta 70. (12) Plin. lib. 7. cap. 53. (13) Cornel. Menoch. (14) Carthus. Salmeron. Vide Aster. homil. 8. (15) Hieron. ad Hedib. qu. 1. (16) Gregor. Mag. lib. 1. Registri Ep. 24. & l. 2. Dialog. cap. 30. Ita & Chrysost. & Author de mirabilib. Sacr. Script. sub nomine August. lib. 3. cap. ult. (17) August. serm. olim 10. de divers. nunc 148. & in Parmen. l. 3. c. 1. Vide & S. Bened. Reg. c. 57. (18) Sanct. Salmeron, Dionys. Carth. Cornel. a Lapide. (19) Basil. serm. 1. de instit. Monach. & orat. de humilit. & orat. de jejunio. Beda hic. (20) Vide August. lib. 3. contra Parmen. Cassian. Collat. 6. c. 1. Isidor. Pelus. lib. 1. Ep. 151. &c. (21) Συστείλαντες αὐτὸν, & ἐξενέγκαντες ἔθαψαν. (22) Syr. Arab. Grot. Casaub. Lud. de Dieu, Faller. &c. Putant, συστείλαντες, idem esse ac περιστείλαντες. (23) August. in Joan. homil. 44. Chrysost. hic. Aster. homil. 8. alii. (24) Arator lib. 1. cap. 12. Aster. homil. 8. p. 136.

brosius Epist. 54. miraculis, quæ per lineas vestes, ex contactis Martyrum lypsanis sacras, gerebantur. Vetus quidam Author (25) hoc Apostoli exemplo ad virtutem sacratum Reliquiarum probandam utitur. *Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potest in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerant attrahere salubritatis sacris impressa membris vincula passionis?*

℣. 17. PRINCEPS SACERDOTUM . . . QUÆ EST HÆRESIS SADUCÆORUM. Animadversum est supra v. 13. neminem ex Pharisæis Saducæisque jungere se Apostolis ausum fuisse; populum vero Apostolorum sermonibus irretitum nemini præterquam illis aures accommodasse. Ex improviso Caiphas Summus Sacerdos, ejusque asseclæ Saducæi (26) in Apostolos succensi, per apparitores comprehendi illos atque in vincula dari jusserunt. Optimatum plerosque Saducæis accessisse, quorum dogmata ab Epicuræis parum abludebant, docet Josephus Antiqu. l. 18. c. 2. Sectæ hujus asseclæ eo iniquiores erant in Apostolos, quod hi palam assererent, Jesum Christum e mortuis surrexisse, docerentque vitam alteram, pœnas ac præmia post mortem æterna; quod utique Saducæos ex ipsis fundamentis subvertebat.

Interpretum quidam Græcum ita reddunt, ut Summum Sacerdotem e secta Saducæorum subducant (27): *Pontifex, & omnes qui cum eo*, [&] *quæ est hæresis Saducæorum*. Sed accessio hæc particulæ & nullius veteris Codicis authoritate fulcitur. Si pro libito addere ista liceat, nihil erit quod in Textu sacro non legas. Consulantur itaque genuina Sacri Codicis verba, statimque sese offeret sensus, quem modo dedimus.

REPLETI SUNT ZELO; bona vel mala æmulatione; Græcum enim *zelos*, & Latinum *zelus* in utramque partem usurpatur. Summus Sacerdos cum asseclis provocati sunt quodam Sectæ suæ studio, & propagationis Christianæ Religionis invidia, sive odio in Apostolos, a quibus inique ferebant authoritatem minasque suas temni adeo, ut vel in ipso Templi vestibulo Jesum Christum, quem Sacerdotes & Magistratus infami cruce sustulerant, Messiam agnoscerent & prædicarent.

℣. 19. ANGELUS DOMINI PER NOCTEM APERIENS JANUAS CARCERIS. Fores aperuit, clausitque deinde tacite, ut custodes nihil sentirent, cum mane alterius diei milites missi ad deducendos vinctos ad Sanhedrium, clausas fores deprehenderint, & custodes furtivum illorum egressum ignorarent, ℣℣. 22. 23. Interpretum quidam (28) contendunt, per intactas obseratasque fores Apostolos Angelorum ministerio exiisse, transversum claustrum penetrantes, ne ipsos quidem sentientes, qui exitum habere se per apertas fores, quamquam revera clausas, putabant. Quorsum vero inutilis hæc prodigiorum multiplicatio? Nonne satis monstri fuit egressus iste Apostolorum per januas carceris, quæ mane alterius diei probe obstructæ, nemine claudente, repertæ fuerunt?

℣. 20. OMNIA VERBA VITÆ HUJUS; omnia verba hujus doctrinæ vitæ; seu omnia hæc verba vitæ, seu id totum quod ad hoc vitæ genus pertinet. *Verba* pro rebus sæpe usurpantur. *Res hujus vitæ*; idest totum novi Fœderis ordinem, novæ hujus Religionis instituta, novas istas Christianæ professionis leges, hujus instituti rationem (29).

℣. 21. CONVOCAVERUNT CONCILIUM. Summo mane coiverunt in Templum, cognituri de causa Apostolorum, quos carcere detineri adhuc rebantur. Rem tanti momenti tractaturi, Sanhedrium totum convocant.

℣. 23. CUSTODES STANTES ante fores, excubiasque diligenter agentes. Illos sive consopiverat Angelus, vel brevi cæcitate affecerat, donec Apostoli e carcere subducerantur.

℣. 24. AMBIGEBANT, ignorantes, magicis ne artibus Apostoli, an vero prodigio, an corruptis custodibus, sive illata vi foribus, in libertatem sese asseruissent (30).

℣. 26. SINE VI. Hortati sunt, ut sponte se Sanhedrio sisterent. Neque enim trahere per apparitores tutum videbatur, quod sese lapidibus a populo confectum iri metuerent.

℣. 28. IN NOMINE ISTO. In nomine Jesu Christi, dicere non sustinuerunt ex contemptu. Nonne imperavimus, ut ne hiscere quidem de nomine, rebus & doctrina hominis istius auderetis? At Resurrectionem ejus palam promulgare, & injustitiæ ob illatam illi necem nos accusare non cessatis. *Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius*. Multitudini persuadere vultis, reos esse nos necis illius. Erat id utique invidiæ plenissimum, quod scilicet supplicium induxissent in caput adeo innoxium, & in se provocassent pœnam effusi ejus sanguinis; professi enim fuerant Pilato: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. Matth. 27. 25.

℣. 31. HUNC PRINCIPEM, ET SALVATOREM DEUS EXALTAVIT DEXTERA SUA. De Jesu Christo perinde hic loquitur Apostolus ac de mero homine, quem Deus e mortuis suscitaverit. Neque enim Sacerdotum & Senatorum mens apta erat, ut de illo sublimius aliquid conciperet. Defendit autem, illum esse Messiam, & Israelis Servatorem; per summam injustitiam neci traditum fuisse, e mortuis surrexisse. Hoc argumenti tunc versabatur.

AD DANDAM POENITENTIAM ISRAELI. Mitigat increpationem de supplicio in virum innoxium procurato. De vobis actum plane non est; prona enim est vobis pœnitudo, qua commissi criminis veniam impetretis.

℣. 32. SUMUS TESTES HORUM VERBORUM; sermonis nostri, verborum, seu rerum illarum. Geminis testimoniis veritatem dictorum nostrorum confirmamus. I. scilicet, nihil asseri a nobis testamur; nisi quod certa scientia comperimus, vel quod capitis periculo defendere nequeamus. II. exhibemus præsentiam S. Spiritus, sese in nobis cæterisque credentibus prodentis ex dono linguarum & scientiæ, atque ex prodigiis per nos jugiter editis.

℣. 33. DISSECABANTUR, furebant. Græcus ad literam (31): *Serra secabantur*; lento sævissimoque supplicio.

℣. 34. PHARISÆUS NOMINE GAMALIEL; vir probitate & scientia clarus, quem Præceptorem audiverat Paulus Apostolus Act. 22. 3. imo & Barnabas, & Stephanus, ex veterum quorumdam opinione (32). Apud Scriptores Judæos memoratur Gamaliel quidam, qui florebat ipsa Servatoris ætate, & deinceps, decessitque anno Æræ communis 52. ab eversione Templi circiter decennio. Patrem habuit Simeonem, & avum Hillelem, virum fama nominis celebrem. Hunc Simeonem quidam confundunt cum viro illo, qui oblatum in Templo Dominum manibus excepit Luc. 2. Gamaliel filium genuit Simeonem alterum, alterius Gamalielis patrem, quem primum Judæorum Patriarcham fuisse, Pezronius opinatur (33). Magnus Gamaliel, de quo hic, munus obiisse fertur *Nasi*, seu Principis Judæorum annis duobus & triginta; asseruntque Rabbini, virum modestissimum sepulturæ mandari voluisse obvolutum lineo, non serico, ex more; idque molestissime totam ejus familiam tulisse. Meminit Josephus in l. de

(25) In Appendice tom. serm. 205. n. 4. 5. olim 29. de Sanctis. (26) Grot. Menoch. (27) Ὁ ἀρχιερεὺς καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ, ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων. Quasi diceret. Οἱ σὺν αὐτῷ, & ἡ αἵρεσις, &c. Vide Sanct. hic. (28) Beda, Arator, Carthus. Est. Rupert. Gagn. alii. (29) Vide Menoch. Grot. Hamm. Fromond. alios. (30) Vide Cornel. Menoch. (31) Διεπρίοντο. (32) Alexand. apud Sur. 1. Jun. (33) Pezron, defense de l'Antiquité des Tems c. 2. §. 2.

Vita sua Simeonis cujusdam, filii Gamalielis, Jerosolyma oriundi, & inclyti generis, secta Pharisæi, qui plurimi apud Gentem suam æstimabatur. Hæc ex Libris Judæorum de Gamaliele.

Sed non omnia congruunt cum iis, quæ a Christianis Authoribus traduntur; docent enim, Gamalielem (4) jam tum inter Christianos fuisse, cum peroravit in consessu Senatorum; at occultata Apostolis authoribus Religione, perseverasse in Sanhedrio, ut Ecclesiæ commodis melius serviret. Equidem in re præsenti tam sapienter animos Senatorum tractavit, ut Apostolos summo discrimine liberaverit, S. Chrysostomus in Acta hom. 19. censet, illum ad Christiana Sacra ante Paulum transisse. Historia Inventionis Reliquiarum S. Stephani (5) docet, Gamalielem martyrio Stephani permotum, authorem fuisse Christianis, ut per noctis silentium raperent sanctum Corpus, curru suo in eum usum, & sumptibus adcurandum funus oblatis; ac deinde sacrum cadaver retulisse in sepulcrum novum, sibi & familiæ destinatum, ad *Caphar Gamala*, seu agrum Gamalielis, sex vel septem leucis a Jerosolyma. Historia hæc statuit, illum Christianis nondum eo tempore accessisse, sed optasse hoc in defunctum officio consortem se fieri fidei Stephani, cujus sanctitatem venerabatur. Creditur Nicodemus ille Joan. 3. 1. notus nepos, vel patruelis Gamalielis fuisse (6). Hic autem Gamaliel baptismate tinctus fertur a Discipulis Jesu Christi, quin & ab ipso Petro, & Joanne, juxta nonnullos. Liberos habuit geminos; Abibam, qui fide & baptismo Jesu Christi initiatus fuit; & Sedemiam, vel Seleoniam, qui in Judaismo perseveravit (7).

℣. 36. Extitit Theodas, dicens esse se aliquem (8), qui jactitabat magnum se esse Prophetam, venditabatque prodigia, cum re ipsa impostor esset, & Pseudo-propheta. Apud Josephum Antiqu. l. xx. c. 2. occurrit Theodas quidam, vel Theudas, qui sub Fado Præfecto, & Claudio Imperatore ingentem hominum turbam post se traxit, spondens se illis straturum iter per Jordanis aquas, ut olim a Josue præstitum fuerat. Cuspius Fadus immissis militibus dissipavit seditiosos, captum Theudam capite damnavit, recisumque caput Jerosolymam in triumphum attulit. Hunc Theudam quidam cum nostro hoc confundunt; sed male: vir enim, cujus meminit Josephus Antiqu. l. 18. c. 1. sub Præfecto Fado turbas ciebat, & Judas ille Gaulonites, de quo statim sermo instituitur, quemque post Theudam surrexisse asserit Gamaliel, diu ante prodiit, Augusto Imperatore & Quirino Syriæ Præside, ut ipse pariter Lucas ℣. 37. asserit. Denique quomodo Gamaliel, sub Imperio Tiberii vivens, producere in medium poterat ea, quæ nonnisi diu post sub Imperio Claudii acciderunt?

Verum hisce reponitur, Gamalieli per errorem excidisse ea, quæ de ætate Theudæ asseruit. Non enim dicendum erat, Theudam surrexisse post Judam Gaulonitem, sed Judam ante Theudam prodiisse. Affirmant pariter, Josephum Historicum erasse in ætate Theudæ (9). Quin & Scriptoribus quibusdam succurrit, Authores Sacros interdum memoria labi potuisse, quam tamen opinionem ne adoptemus, cavendum est. Præstat igitur reputari, Theudam, de quo hic Lucas, alium esse a Theuda Josephi, omissumque fuisse a Scriptore Judæo, quod nonnisi quadringentos homines secum trahens, minor esset, quam ut veniret in memoriam posteritatis; quam opinionem potior Scriptorum pars sequitur (10).

℣. 37. Post hunc (11) Judas Galilæus. Recurrit hic idem census, de quo Lucas in Evangelio (12), a Quirino Præfecto institutus ultimo Augusti anno, decennio post obitum Herodis, Archelao in exilium acto. Longe diversus est a censu, cujus occasione Josephus & Maria Virgo contulerunt sese Bethlehemum, ubi Jesus Christus natus est. Quem primum censum in ortu Jesu Christi Lucas in Evangelio distinguit ab altero, sub quo turbas exeivit Judas Galilæus, hic a Gamaliele commemoratus. Judas iste e Gamala urbe Galilææ transjordanicæ in Gaulanitide, contendebat, tributum a Romanis decretum, & a Quirino exactum, argumentum esse non obscurum servitutis; ingenuis autem Israelitis vel ipso sanguine asserendam esse libertatem. Quibus sermonibus adeo commotus fuit populus, ut alio in aliam arma capiente, seditio ingens excitaretur, quæ Jerosolymæ Templique eversionem secum tulit, ut Josephus ipse Antiqu. l. 18. c. 1. animadvertit.

Narrat hic Gamaliel de Juda: *Avertit populum post se, & ipse periit, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt*. Repugnare hæc videntur iis, quæ a nobis ex Josepho allata sunt hic & alibi, cum ageremus de secta Herodianorum, quos Judæ Gaulonitæ successores statuimus. Adhuc utique secta illa perseverabat, & Judæ factio stabat. Ipso incentore seditio illa exarsit, quæ aliam flammam belli Romani in regionem induxit. Reputandum est igitur, Gamalielem de rebus censentem, uti tunc sese habebant, cum factio Judæ Galilæi coaluit cum secta Pharisæorum, quorum dogmata omnia tenebant (13), & satis tranquillos nactum sub Pilato Præside, non satis animadvertisse, ignem illum latere tunc sub cineribus, exarsurum deinde in flammas Judæam populaturas, tum scilicet cum populus Præsidum vexationibus stimulatus, ac male animatus seditiosis sermonibus sectæ illius, in apertam adversus Romanos seditionem erumpens, armatus illos invasit.

℣. 39. Si ex Deo est, non poteritis dissolvere illud. Absoluta Dei voluntas nulla nequitia hominumque molimine impediri potest: *Voluntati ejus quis resistit?* Rom. 9. 19. Igitur si Deus hanc hominum sectam, & prædicatam a Gentibus hisce Religionem tuetur, frustra nobis molientibus stabit. At si hominum molimen hoc est, cujus patrocinium a se Deus abjecit, dissipabitur statim, nihil etiam nobis conantibus. In eamdem fere sententiam loquebatur Joas, pater Gedeonis, ad illos, qui tradi sibi ejus filium ad ignem postulabant, quod lucum & Altare Baalis evertisset: *Numquid ultores estis Baal? Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus*. Judic. 6. 29.

Sed hoc argumento Joas & Gamalielis pessime quis abuteretur, Ex hoc enim colligas, nec Magistratibus, nec Principibus jus esse impios & sacrilegos puniendi, non hæreses coercendi, non impias novitates, non abusiones, & prava scelestorum in Religionem molimina; unde aditus pateret

(4) Recognit. lib. c. 65. & 66. Vide Bedam in Acta. (5) Lucian. de revel. S. Steph. c. 5.
(6) Phot. Cod. 171. (7) Vide Lucian. de Invent. S. Steph. Append. tom. 10. nov. edit. S. Aug. & Tillemont tom. 2. p. 28. & Basnage, hist. des Juifs t. 2. liv. 3. ch. 1. vel ex editione Parisiensi t. 2. l. 4. c. 3. art. 11. & suiv. (8) Λέγων εἶναί τινα ἑαυτόν. Alii plurali: Τινα ἑαυτὸν μέγαν. Ita Syr. Arab. Aeth. Origen. & editiones 2. priores R. Steph. & alii M. Vide Mill. ca Act. viii. 9. (9) Vide Baron From hic.
(10) Sanct. Cornel. Men. Tir. Drus. Grot. Scalig. Camer. Lig. Ham. alii passim. (11) Græcum Μετὰ τοῦτον nonnulli reddunt, *Præter eum*. Præter Theodam extitit Judas, &c. Alii jungunt Μετὰ τοῦτον cum antecedentibus: *Redactis ad nihilum post hunc*, Theodam. 39. *Extitit Judas Galilæus in diebus professionis*, seu census, &c. Ita conantur Lucam cum Josepho conciliare, vel ex Evangelista eruere, Theodam, de quo hic, recensitum fuisse Juda Gaulonite, atque adeo alium a Theoda, de quo Josephus. (12) Luc. 11. 2. Αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο. Idest, *facta est priusquam illa fieret, quæ facta est Quirinio Præside Syriæ*. (13) Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 2. ad finem.

teret vitio & licentiæ in Ecclesiam & Rempublicam. Hac ratiocinatione sic prave abutentibus reponunt Interpretes nonnulli (14); I. quam recitat hic Lucas orationem, Gamalielis esse, non S. Spiritus; descriptamque esse in Scriptura, non tamen divinitus inspiratam.

II. Gamalielem asserris verbis non docuisse, resistendum non esse Apostolorum prædicationi; sed in eo rerum statu, sub exterorum dominatione, cum nullum populo jus esset vitæ necisque, abstinendas esse a præsenti causa manus, totumque relinquendum Præsidibus Romanis, quorum erat impios, & novarum rerum authores coercere: providi esse Numinis id curare, ne vetus Religio penitus tolleretur, exciraris adversariis, qui novam sectam in incunabulis suffocarent.

III. denique, nihil hactenus Apostolos molitos fuisse in Legem, & veteres Gentis mores; vitam egisse inculpatam, doctrina fuisse optima, apertisque prodigiis claruisse; populum universum in eorum admirationem conversum fuisse, raptum pio eorum studio, concordia, lenitate, charitate. His omnibus nulla, inquiebat, subesse male de illis suspicandi causa. Prædicant adventum Messiæ, & Iesu Christi resurrectionem. Impleta in illo Veterum oracula demonstrant. Res est ista maturi examinis. Nihil præcipitanter in re tanta statuendum; tempus veritatem docebit. Prodigia, quibus prædicationem fulciunt, tenebrarum opera esse quidem possunt; sed Deus nunquam nos diu in errore permittet. Brevi fiet, ut dolus, si quis est, prodeat. Ita philosophatus fuisse Gamaliel censendus est, ut in rectam viam ejus oratio revocetur, removeanturque pessimæ ex ejus principiis consecuriones.

℣. 40. Cæsis denuntiaverunt. Unum supererat Iudæis jus animadvertendi flagris in cœtibus suis adversus Legum morumque suorum refractarios. Ita pessime excipiendos fore sui causa Discipulos, Iesus Christus prædixerar Matth. 10. 17. & 23. 44. terque id expertum fuisse in se, tradit Apostolus 2. Cor. 11. 24. Ictibus novem & triginta reus cædebatur in obsequium jussionis Mosaicę, qua cautum erat, ne modus in flagrorum animadversione excederetur Deut. 25. 3.

℣. 41. Ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Gaudium Apostolorum inter injurias & vexationes, maximum est omnium Novi Testamenti prodigiorum. Nemo in Veteri Testamento occurrit, qui pro veritate & justitia dira passus, gaudio exultraverit, uti S. Chrysostomus in Act. hom. 14. animadvertit. Privilegium est hoc Discipulorum Iesu Christi, & gratia solis Dei amicis servata: *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* Philipp. 1. 29.

℣. 42. In Templo et circa domos; publice, & privatim; in ædibus fidelium, sive in Templo, sive domi suæ. Conferebant se prædicaturi in Templo, erudiebantque domi illos, qui eo confluebant. Sunt qui ita explicent (15): *In Templo, & in Synagogis*, in quibus velut in scholis Legem audiebant. Frequentes erant tunc Ierosolymis Synagogæ, ut ad quadringentas & sexaginta ascendisse ferantur.

(14) Vide Estium hic, & Fromond. & Cornel. a Lapide.

(15) Cloppenburg. in Collat. critic.

CAPUT VI.

Murmur Judæorum Græcanicorum, quod viduæ ipsorum despicerentur. Septem Diaconorum lectio. In Stephanum disputationes. Ad judicium trahitur Stephanus. Ore veluti Angelico se offert intuentibus.

℣. 1. IN diebus autem illis, crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. 3. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; & orantes imposuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. 8. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. 9. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinornm, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant a Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano: 10. Et non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. 11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum. 12. Commoverunt itaque plebem, & seniores, & scribas; & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium. 13. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem. 14. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus

nus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.
15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.

℣. 1. FACTUM EST MURMUR GRÆCORUM ADVERSUS HEBRÆOS. Injuriis, & vexationibus externis augebatur Ecclesia: sed parum abfuit, quin intestinis seditionibus perderetur. Ingens illa hominum multitudo, qui simul unius vitæ sanctioris communione convenerant, dissidiorum scintillam inter Græcos Hebræosque ad fidem conversos admisit; inter Judæos, inquam, Hebraice loquentes, cæterosque qui Græco tantum vernaculo utebantur; puta inter Ægyptios incolas Insularum Græciæ & Asiæ minoris, qui nonnisi Græce norant, & Judæus Palæstinus, Galilæos, Syrus, ac transeuphratæos, Chaldaico vel Syriaco, quale tunc Hebraicum appellabatur, assuetos. *Græci*, ex nonnullis (1), designant hic Ethnicos, qui Judæis prius, deinde Christianis accesserant, *Hebræi* vero ipsi sunt, qui originem ex Hebræis ferebant. Constat utique, proselytos tunc quosdam Ethnicos ad Ecclesiam transisse, cum Nicolaus unus e septem Diaconis proselytus esset Antiochenus (2). Sed prior sententia & probabilior est, & communior (3). In ipsa Urbe Jerosolyma plures erant origine Judæi, qui Hebræum ignorabant, traditurque, in eadem Urbe Synagogam fuisse destinatam Judæis, qui nonnisi Græco uterentur. In Provinciis, ubi Græcum obtinebat, qui Hebræum nossent Judæi, rari erant; Sacrumque Codicem ex Versione Septuaginta legebant. Nullum ex Ethnicis adhuc eo tempore in Ecclesiam receptum fuisse constat. Græcorum nomine interdum Ethnici censentur (4); sed ea vox hanc significationem hic admittere non potest.

EO QUOD DESPICERENTUR IN MINISTERIO QUOTIDIANO VIDUÆ EORUM: quod scilicet in quotidianis distributionibus viduæ eorum minus curarentur. Ne animum in plura distraherent Apostoli, curam distribuendæ annonæ rerumque necessariarum transtulerant in fideles quosdam ex Judæis, & facile etiam in aliquos ex Discipulis, qui superstiti adhuc Jesu adhæserant. Sapientissime illi quidem delectum instituerant; verumtamen cum Judæorum plures ex Provinciis Græco utentibus, vel ex eis qui Jerosolymæ morabantur, adjecissent sese fidelibus, resque suas in medium contulissent, eorum viduæ querebantur, quod in distributione rerum vitæ necessariarum negligerentur, & præponerentur viduæ eorum, qui Hebraice loquebantur (5). Græcorum murmur Apostolorum aures ferit. *Despicere* hic usurpatur ut oppositum verbo *honorare*, quod apud Scripturam sæpe valet, commoda alicujus curare, res vitæ necessarias præbere (6).

Sunt qui (7) ita verba hæc reddant: *Eo quod despicerentur viduæ eorum in ministeriis quotidianis*, quod vilissima quæque & incommoda illis demandarentur; vel quod rarissime illarum opera assumeretur; vel denique quod in distributione munerum, his neglectis, viduæ Hebræorum præferrentur. Viduarum destinatio in obsequia pauperum, & peregrinorum, vetustissima est in Ecclesia. Vide 1. Timoth. v. 12. 13. 14. 15. *Ministerium* usurpatur sæpe pro rei cibariæ distributione, & pro ministerio mensæ præstito (8). Vide versiculum sequentem.

℣. 2. NON EST ÆQUUM, NOS DERELINQUERE VERBUM DEI. Potissima Apostoli, vel Episcopi cura esse debet Verbi Dei prædicatio. Ministerium mensæ, idest cura rerum temporalium, vel ipsæ pariter piæ largitiones, & sedula invigilatio in distribuendis Ecclesiæ rebus, cura est secundaria. Vel ipsum Baptismi ritum raro per se præstabat Apostolus Paulus 1. Cor. 1. 17. quod missum se diceret *non baptizare, sed evangelizare*. Docti plures Interpretes (9) censent, sermonem hic esse non de ministerio in mensis tantummodo communibus agendo, deque mera putaque cibariorum distributione, sed & de Eucharistia pariter administranda. Sacrum licet ac divinum munus illud fuerit, prædicationi tamen posthabendum Apostoli judicarunt, indignum rati aliis demandare prædicandi curam, quam Spiritus Sanctus ipsis credidisset. Ceterum curas hasce in viros notæ fidei & probitatis exonerarunt.

℣. 3. CONSIDERATE ERGO, FRATRES, VIROS EX VOBIS BONI TESTIMONII SEPTEM, ... QUOS CONSTITUAMUS SUPER HOC OPUS; qui curent rem cibariam, præbentque singulis necessaria, murmur omne & querimonias impediant. Per se quidem Apostoli præfectos hosce eligere potuissent; sed totius concilii delectui id permittendum arbitrati sunt, ut res ab omnibus probaretur, nec ipsis vitio verteretur, si electio minus felix quam pro expectatione succederet. Jubent autem deligi, I. viros notæ probitatis, *Probi testimonii*, ut merito & virtuti eorum nemo refragetur, II. Viros *plenos Spiritu Sancto*, divina gratia intrinsecus exteriusque ornatos, ut creditum sibi munus digne & integre obeant. III. viros *plenos sapientia*; neque enim exiguæ erat prudentiæ & ingenii, pure, sancte ac fideliter res istas communes ita administrare, ut omnibus satisfieret. IV. Septem deligi volunt Apostoli, quot forte pro re præsenti satis habebantur. Est vero in Scriptura sacer numerus iste septenarius. Septem enim commemorantur Spiritus, ad nutum Domini ante conspectum ejus præsentes (10). In majoribus Ecclesiis numerus septem Diaconorum servatus fuit (11); tot enim Romæ erant Cornelio Pontifice (12), & cum S. Laurentius martyr obiit (13); totidem Cæsaraugustæ, S. Vincentii ætate (14); nec plures quam septem Diaconos vel in majoribus urbibus initiari, Concilium Neocæsariense præscribit c. 14. seu 15. in Græco.

℣. 4. ORATIONI ET MINISTERIO VERBI. Publicas collectæ Ecclesiæ preces Apostoli moderabantur. Sacris operabantur, quæ sacra hic nomine precum publicarum designantur; vacabantque privatæ orationi; tum & populo erudiendo, ac prædicationi studebant. Nec duo ista, inter se nunquam sejungenda, orationem & prædicationem, dissociabant. His tamen intenti, non negligebant curam Diaconorum, vel eorum, quos annonæ cæterisque in usus Fidelium necessariis præfecerant.

℣. 5. ELEGERUNT STEPHANUM, VIRUM PLENUM FIDE ET SPIRITU SANCTO. Brevis hæc sententia totum viri sanctissimi elogium complectitur. Plenus fide constanti ac viva, charitate flagranti, actuosa, prudenti, quam pius ardor & proborum ope-

(1) Salmas. Camer. Bez. Zeger. (2) Infra, ℣. 5. (3) Vatab. Drus. Grot. Tirin. Cornel. Sanct. Ligf. Lud. de Dieu, Fromond. alii passim. (4) Ita passim apud D. Paul. Rom. 1. 16. 11. 9. 10. x. 12. Galat. III. 28. Act. XVIII. 4. (5) Est. Men. From. Cornel. Sanct. Grot. Ligf. (6) 1. Timoth. v. 3. *Viduas honora*. Et ℣. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*. Et Exod. xx. 12. *Honora patrem tuum, & matrem*. (7) Vide Chrysost. Bedam, Raban. Erasm. Cornel. a Lapide, alios.
(8) Vide Genes. XL. 13. Luc. x. 40. Act. XI. 29. Luc. IV. 39. VIII. 3. Joan. XII. 2. Rom. xv. 25. Hebr. VI. 10.
(9) Vide Cornel. a Lapide, Menoch. Sanct. Et ita PP. plerique. Vide infra, ℣. 5. (10) Apoc. 1. 5. Tob. XII. 15. (11) Vide Cornel. a Lap. hic; & Bedam ad ℣. 6. (12) Euseb. hist. Eccl. lib. 6. c. 43.
(13) Prudent. de Coron. Mart. Hymn. 2. (14) Idem, Hymn. 5.

operum studium commendabat. Donis S. Spiritus cumulabatur, donis scilicet scientiæ, miraculorum, cæterorumque, quæ Sanctus Spiritus larga tunc manu spargebat. Persuasum multis est, Stephanum ex necessariis Pauli Apostoli fuisse, unaque simul ambos Gamalielem docentem audivisse; atque inter septuaginta duos Discipulos eumdem Stephanum accensent (15). Sed melius eum S. Augustino Serm. 316. olim 94. de diversis reputamus, ignorari de ipso cæterisque Diaconis, illi ne ab ipso exordio Discipulos sa Jesu Christo adjecerint, an fidem nonnisi post Pentecostem admiserint. Stephanus, ex Augustini sententia, primus inter Diaconos recensetur, quemadmodum Petrus inter Apostolos (16). Apud Veteres interdum (17) *Archidiaconi*, seu Principis Diaconorum titulo insignitur; laudaturque a scientia, eloquentia (18), constantia. Martyrii ejus historia infra dabitur.

Philippus. Hoc nomen, sicut & cætera reliquorum Diaconorum, merum putumque Græcum est, unde colligas, delectos illos fuisse e cœtu Græcorum, eorumque, quorum viduæ negligi se in ministeriis mensæ rerumque cæterarum querebantur. Philippus Evangelista seu Diaconus, ab Apostolo longe diversus, Cæsaream in Palæstina patriam agnovisse, tradit S. Isidorus Pelusiota lib. 2. ep. 449. Filias habuit quatuor Prophetides, de quibus Capite XXI. 9. agetur. Post decessum Stephani, Samariam, Evangelium promulgaturus, peragravit (19), ubi & ingenti miraculorum gloria, & populorum conversione claruit, quos populos baptismate Jesu Christi initiavit. Sed merus putusque Diaconus, a conferendo Spiritu Sancto per manus impositionem abstinuit. Id enim Apostolici fuisse muneris, accurato examine evincetur infra ad Caput VIII.

Prochorus, vir est parum admodum notus. Primus Nicomediæ Episcopus a Græcis (20) statuitur. Martyrium Antiochiæ consummasse die nona Augusti, post partam celebrem miraculis famam, tradit Ado (21). Sub Prochori nomine obtruditur historia quædam Joannis Evangelistæ, quæ recentior est fabella, ineptiis inferta, & sanctissimo Diacono Prochoro indigna.

Nicanor. Tradunt Græci (22), virum hunc sanctum igne absumptum fuisse, cum bis mille aliis, sævitia Judæorum, eadem ipsa die, qua Stephanus Martyr occubuit; sed commentis hisce non immoramur. Mortem ejus consignat Ado (23) ad diem X. Januarii in Insula Cypro, ubi virtutis & fidei specimina exhibuerat. Ita se committunt Græci Latinique, ubi de plerisque Sanctis primorum sæculorum res est.

Timon, appellatus Timotheus in nonnullis Codicibus (24), est Græcis primus Bostrensis in Arabia Episcopus, suppliciumque ignis ab impiis sustinuit. Latinis vero creditur prædicasse diutius Berœæ, atque inde Corinthum petiisse, ibique a Judæis atque Ethnicis igne damnatum; cum vero illæsus ignem evaserit, actum fuisse in crucem die XIX. Aprilis: Pseudo Dorotheus modo Episcopum Bostrensem, modo Tyri & Sidonis facit, multaque apocrypha de illo venditat.

Parmenas præcedentibus ignotior est. Dormiisse illum coram Apostolis, tradunt Græci; Ado martyrem obiisse docet Philippis in Macedonia, die XXIII. Januarii. Mors ejus in Martyrologio Romano sub Trajano constituitur.

Nicolaus advena Antiochenus. Igitur Ethnicus erat origine; sed Judæis deinde, postea Christianis sese adjunxit, ac inter Christianos excelluisse credendus est pietatis amore, fide, probitate, cum e septem Diaconis unus electus fuerit. Inter septuaginta Discipulos a S. Epiphanio aliisque recensetur (25); quod tamen de viro proselyto & Antiocheno non credimus, cum ex Judæis tantummodo Apostolos & Discipulos Jesus Christus elegerit. Nicolai nomen celebre in Ecclesiastica Historia est; quamquam decus inde viro non sane maximum accedit. Convenit inter Veteres (26), uxorem illi fuisse forma eximiam, quam tradit S. Epiphanius e suo contubernio illum removisse, exemplo Fidelium illorum, qui sanctiori disciplinæ sese addixissent. Cum vero sanctissimum illud consilium diu servare non valeret, inconstantiæ hujus & incontinentiæ causationes prætexere studuit. Revocavit igitur uxorem, nec diu abfuit, quin in mala longe graviora ruens, authorem se præberet sectæ Nicolaitarum, Gnosticorum, aliorumque, ex quibus gravi in Christianum nomen invidia ab ipsis ejus exordiis conflata est. Hæc de Nicolao Veteres plerique.

Verum S. Clemens Alexandrinus longe aliter rem narrat (27). Increpantibus illum Apostolis eo nomine, quod de eximia uxoris suæ forma plus nimio sollicitus esset, coram Fidelium cœtu eam statuens, potestatem sa cuilibet facere illam ducendi professus est. Verbum, quod imprudenti excidit, exceptum est avide; eodemque postea abusi veteratores quidam, in eam explicarunt sententiam, quæ a mente authoris sui longissime aberat. Vir enim erat frugi & continentissimus; de quo comperisse se a nonnullis asserit idem S. Clemens, nullam aliam fœminam, præter suam, novisse, patrisque continentiam servasse filios filiasque, qui in diuturnam senectam vitam produxerunt. Minime tamen id effecit, quominus Nicolaitarum nomen manserit iis, qui eo prætextu licentiam suam defendebant. Alia pariter Nicolai sententia in pravum detorta circumfertur. Abutendum esse ait carne, designans, coercendos esse voluptatis motus, impetus pravorum affectuum & carnis; eo vero pertracta sunt illius verba, quasi salacissima quæque permitteret. De Nicolaitis fusius agemus ad Apocalypsim II. 6.

℣. 6. IMPOSUERUNT EIS MANUS. Precibus & manuum impositione illos initiarunt in Sacræ Mensæ ministros. Ita pariter Ecclesia deinceps servavit in Diaconis initiandis. Eo ritu conferebatur Spiritus Sanctus, & gratia ad rite obeundum ministerium necessaria. Ex Patribus multi docuerunt conceptis verbis, septem illos Diaconos destinatos fuisse adjuvandis Apostolis in sacro ministerio. S. Justinus Martyr Apol. 2. tradit, detulisse illos Eucharistiam ad eos, qui Dominicis diebus cœtui Fidelium non adfuerant. S. Polycarpus ep. ad Philipp. appellat Diaconos non servos hominum, sed ministros Dei & Jesu Christi. S. Ignatius Martyr ep. ad Trallian. & ad Magnes. monet, par esse, ut Diaconi gratos se Deo præbeant, utpote Mysteriorum Dei ministros: *Non enim* (ait) *ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei Ministri*. Persimiles phrases in plerisque Patribus sequentium sæculorum occurrunt: sed nec dissimulaverim, S. Chrysostomum (28), Oecumenium, S. Hieronymum, Bedam, Marianam, Cajetanum, aliosque nonnullos censuisse, septem illos Diaconos ministeriis tantummodo mensæ destinatos fuisse, adeoque longe diversus esse a Diaconis Aræ servitiis addictis, qui al-

[15] Epiphan. de Christo cap. 4. [16] Iren. lib. 3. 12. August. serm. 316. num. 1. nov. Edit.
[17] Lucian. de Invent. S. Steph. cap. 8. 9. [18] Hieron. in Isai. XLVI. ℣. 12. [19] Act. VIII. 6. 9.
[20] Menæ. pag. 281. [21] Ado, Tract. de Festivit. Apostol. Addit. ad Martyrol. Baron.
[22] Menæ. pag. 281. 283. [23] Loco citato. [24] Codd. Veter. aliqui, teste Zegero.
[25] Epiphan. de Christo cap. 4. & Chronic. Alex. pag. 532. [26] Epiphan. hæres. 25. & alii plures apud Coteler. Not. pag. 267. [27] Clem. Alexand. lib. 3. Strom. pag. 436. Vide Tillemont hist. Eccles. tom. 2. p. 45. 46. & suiv. [28] Chrysost. Oecum. Hieron. Ep. 85. Beda, Mari. Cajet. hic, Vide, si lubet, Sanct. Cornel. hic, & Concil. in Trullo.

alteram a Sacerdotibus classem in Hierarchia tenent. Sed opposita huic sententia sola ferme obtinet in Ecclesia, fulciturque Patrum & Ecclesiasticorum Scriptorum suffragiis.

Prioribus illis sæculis, post refectum cibo corpus, & post agapas illas inter omnes simul Fideles, succedebat plerumque Eucharistia, exemplo Jesu Christi, qui sanctissimum mysterium post cœnam instituit. Disciplinæ hujus non obscurum vestigium apparet in Apostolo (29). Igitur Diaconi, qui primas illas mensas curantes, dapes inter convivas distribuebant, ministrabant illis & panem vitæ, quem de Episcopi manu excipiebant. Itaque ministros sacræ mensæ & profanæ una simul sese exhibebant. Deinde adjutores illi dati sunt Subdiaconi; & in Ecclesiis Ethnicorum baptismo initiatorum; in quibus non eu erat rerum communio, quæ Jerosolymis, potissimum eorum munus erat Episcopo in oblatione Sancti Sacrificii & Sacræ Mensæ adsistere.

℣. 7. Multa turba Sacerdotum obediebat fidei. Post concionem novissimam Apostolorum, tantamque miraculorum copiam, ingens fidelium accessio facta est, qui ad Apostolorum nutum stabant. *Obedire fidei* opponitur hic obedientiæ Legis (30). Codices quidam pro, *Multa turba Sacerdotum*, legunt (31): *Multa turba Judæorum*: sed Ministrorum Templi, & Sacerdotum ingens adeo numerus erat Jerosolymis, ut *multa turba* hic facile admitti queat.

℣. 8. Plenus gratia et fortitudine. Plenus gratia, Deo & hominibus gratus; cumulatus donis & gratiis Sancti Spiritus; vel potius ore facili, grato, venerabili. *Plenus fortitudine*, animi virtute, pio ardore, constantia, cujus rei specimina infra exhibebit. Græcus in nonnullis Codicibus (32): *Plenus fide & potentia*. *Plenus fide*, elogium est jam supra Stephano datum ℣. 5. *Et potentia*; eloquio & operibus potens. Clarus enim erat apud populos prodigiosa plurium morborum expulsione, quod & aliis multis Jesu Christi Discipulis commune erat: *Faciebat prodigia & signa magna in populo*.

℣. 9. De Synagoga quæ appellatur Libertinorum. Interpretum quidam (33) conjectavere, pro *Libertinorum* legendum esse *Lybistinorum*: I. quod *Libertinos* Græca vox non sit; II. quod *Cyrenenses & Alexandrini*, qui statim postea subduntur, populi sint Lybiæ finitimi; III. quod non satis percipiatur, quid sit *Synagoga Libertinorum*; cum vicissim *Synagoga Lybistinorum* facile esse potuerit Jerosolymis, cum Synagoga Alexandrinorum & Cyrenensium. Sed hæc conjectura, speciosa licet, nulla manuscripti Codicis seu versionis authoritate fulcitur.

Reputarunt alii, hos fuisse Judæos ex iis, quos Pompejus & Sosius captivos e Palæstina deduxerant. Hi ab heris manumissi, Romæ sedem constituerunt, ubi ingenti numero degebant sub Tiberio (34), qui externorum superstitiones exacturus ab Urbe & ab Italis, quatuor millia libertinorum relegavit in Sardiniam, cæterosque Italia expulit. Hi vero exintres acti, facile Judæum repetierunt, & forte etiam constituerant sibi Jerosolymis Synagogam eo tempore, de quo nunc agitur.

Tradit Philo de Legat. ad Cajum, libertinos Judæos plures sub Augusto trans Tiberim sedes habuisse, ab eodem Principe assignatas. Hos vero abductos fuisse dicit ex Judæa in Italiam, manumissosque ab heris, ac permissos sacra avita retinere. Erant illis Romæ Proseuchæ seu loca orationis, ut Philo ibidem affirmat; restitutique Jerosolymam, Synagoga sua utique non caruerunt. Ex Rabbinis supra animadvertimus, in ea Urbe ad quadringentas octoginta Synagogas, præter Templum, fuisse.

Hæc probabilissima sunt quæ de hoc argumento disputantur; quæ tamen minus probantur recentiori cuidam erudito (35). Contendit ille, Jerosolymis duas tantum Synagogas extitisse; alteram nempe Judæorum, alteram *Libertinorum*; asseritque Judæorum nomen proprie accipiendum esse de iis, qui Judæam sive Palæstinam incolebant: *Libertinos* vero dictos cæteros Hebræos, Judææ Meridionales & Septemtrionales. Septemtrionales Cilices & Asiaticos; Meridionales Alexandrinos. Addit, Lucam nonnisi Libertinos designare iis verbis: *Synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant a Cilicia & Asia*. Nomen *Libertini* derivat ex Hebræo (36) *Leiber & Teni*, quis est ad duo latera, quod scilicet gentes illæ utrumque Judææ latus, lævum & dexterum, Septemtrionale & Meridianum, obsiderent. Affirmat tandem, Synagogam Assidæorum, de qua in Libris Macchabæorum (37), plane eamdem esse cum Synagoga Libertinorum. Distant hæc plurimum a recepta Ecclesiasticorum Scriptorum opinione, eorumque judicium integrum eruditis Lectoribus permittimus.

Et Cyrenensium. Frequentissimi erant Judæi in Cyrenaica. Vide supra 11. 10. Synagogam vel Collegium suum Jerosolymæ habebant (38), quemadmodum & Judæi Alexandrini, Cilices & Asiatici. Probabile est, de Urbe Jerosolyma eadem reputari oportere ac de Parisiensi nostra, ubi Collegia sunt varia pro variis Regionibus, Urbibus, Provinciis, tam intra quam extra Regnum positis. Ita pariter & Jerosolyma suas habebat distinctas Synagogas, quæ perinde habebantur ac Scholæ, quo Judæi ad studium ex omnibus Orbis Provinciis confluebant. Porro Judæi frequentissimi erant Alexandriæ, in Asia minori, & in Cilicia. S. Paulus Cilix erat genere; nec immerito reputamus, frequentasse illum aliquam e scholis hisce vel Synagogis, quæ Provinciæ suæ addictæ erant. Quin & suspicantur quidam, unum fuisse ex illis, qui adversus Stephanum disputabant.

℣. 10. Non poterant resistere Sapientiæ et Spiritui qui loquebatur in illo (39), sapientiæ & scientiæ quibus abundabat, & validæ illi Spiritus Sancti impressioni, quo is ad loquendum incitabatur. *Non enim vos estis qui loquimini*, ait Jesus Christus Matth. x. 20. *sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Invictis argumentis demonstrabat, Christum Messiam esse, in quo oraculorum omnium veritas patuerit. Codices quidam Græci in fine hujus versiculi addunt (40): *Cum argueret illos omni constantia; ut non possent resistere veritati*.

℣. 11. Tunc summiserunt viros. Hæc disceptatio facile ad nonnullos dies producta est; & Ju-

[29] Vide 1. Cor. xi. 18. & sequ. & Act. xx. 7. . . . 11. Vide August. Ep. 118. Baron. an. 54. Pearson. An. Paulin. pag. 51. 54. [30] Galat. 1. 23. Rom. 1. 5. [31] Gr. Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει, Syr. Barb. 1. Τῶν Ἰουδαίων. Arab. omittit ἱερέων. Alii legunt: Τῶν ἱερῶν. [32] Græc. Πλήρης πίστεως, & δυνάμεως. Alii plures: Πλήρης χάριτος, καὶ δυνάμεως. [33] Vide Cornel. Drus. Mill. hic.
[34] Tacit. Annal. lib. 2. *Actum & de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis, factumque Patrum consultum, ut quatuor millia Libertini generis . . . in insulam Sardiniam veherentur . . . cæteri cederent Italia*. Vide & Joseph. Antiqu. lib. 18. cap. 1. & Sueton. lib. 3. cap. 36. [35] Harduinus Dissert. in hunc locum. Journal de Trévoux, année 1703. [36] לעבר *Leiber*, ad Latus. Et תני pro שני *Duo*, vel *secundus*. [37] 1. Macc. 11. 42. & 1. 13. 2. Macc. xiv. 6. [38] Chrysost. in Acta hom. 15. & alii. [39] Græc. Ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ, καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει. Alii quid. Ὃ ἐλάλει. [40] Διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτοῦ, μετὰ πάσης παῤῥησίας, μὴ δυνάμενοι οὖν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ. Vide Mill. hic.

& Judæi intelligentes, ferre se non posse vim argumentorum Stephani, calumniam illi blasphemiæ struere moliti sunt. Id namque optimum & expeditum videbatur, ut æmulum perderent. Causa enim judiciali lege acta nimis in longum rem protrahebat. Romanorum authoritas, quibus unis reservatum erat jus necis, impetum furoremque eorum coercebat. Reum illum de blasphemia agere, statimque lapidibus conficere *judicio zeli*, quod appellabant, ratio erat maxime prona & expedita.

Verba blasphemiæ in Moysem et in Deum. Sinistra loqui de Moyse, docere futurum, ut leges ejus & ritus abrogentur; Moysem imposuisse jugum non ferandum Hebræis; Jesum Christum filium Dei esse, & Messiam: hęc omnia Judęorum opinione blasphemię habebantur.

℣℣. 13. 14. Falsos testes. Testes isti reipsa quidem inttasse nil nisi verum asserebant (41), affirmantes, Jesum e Nazareth prędixisse futurum, ut Templum everteretur, Legisque Mosaicæ ritus abolerentur. Sed falsi erant, cum testarentur, ab ipso per se Jesu Christo Templum evatsum iri. Loquens enim ille de corpore suo, dixerat futurum, ut si Templum illud destrueretur, repararetur a se intra triduum Jo. 2. 19. sed nihil ille de Templo Jerosolymitano. Prędixerat etiam ruinam Urbis, & Loci Sancti profanationem Matt. 24. 2. sed ruinam illam a se procuratum iri non dixit. Ad Leges Mosaicas quod attinet, tam longe aberat ut affirmaret, a se mutandas sive penitus abrogandas, ut se venisse potius diceret ad perficiendas & implendas. Matt. 5. 17.

℣. 15. Faciem ejus tamquam faciem Angeli. Ore nitenti, ad majestatem terroremque composito, quale Angeli dixeris. Lux illa, & gratia, quibus illius animus ornabatur, in ore oculisque viri splendebant; quemadmodum olim facies Moysi insolita luce resplenduit, ex consuetudine cum Deo. Exod. 34. 29.

[41] Vide Chrysost. hic, homil. 15. & August. homil. 111. nov. edit.

CAPUT VII.

Oratio Stephani ad Sanhedrium, qua se purgat, demonstrans, nihil se oblocutum esse in Moysem & in Templum; Judæos vero nunquam se non contrarios Deo & Prophetis præbuisse. Lapidibus conficitur. Saulus vestes carnificum custodit. Stephanus orat pro iis, a quibus perimitur.

℣. 1. Dixit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent? 2. Qui ait: Viri
fratres, & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum
esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, 3. Et dixit ad illum: Exi
de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.
4. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam
mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.
5. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi
eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cum non haberet filium. 6. Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos
subjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis; 7. Et gentem, cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco
isto. 8. Et dedit illi testamentum circumcisionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit
eum die octavo; & Isaac, Jacob; & Jacob, duodecim Patriarchas. 9. Et Patriarchæ
æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo: 10. Et eripuit eum
ex omnibus tribulationibus ejus, & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem
domum suam. 11. Venit autem fames in universam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna; & non inveniebant cibos patres nostri. 12. Dum audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum; 13. Et in secundo
cognitus est Joseph a fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus ejus. 14.
Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam
in animabus septuagintaquinque. 15. Et descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus
est ipse, & patres nostri. 16. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem: 17. Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit
populus, & multiplicatus est in Ægypto. 18. Quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph. 19. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres
nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur. 20. Eodem tempore natus
est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.
21. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum sibi in filium.

22. Et

22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis. 23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus, ut visitaret fratres suos filios Israel. 24. Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio. 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt. 26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus; & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? 27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem, & judicem super nos? 28. Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? 29. Fugit autem Moyses in verbo isto; & factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos. 30. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. 31. Moyses autem videns, admiratus est visum, & accedente illo, ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens: 32. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. 33. Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo stas, terra sancta est. 34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum. 35. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem, & judicem? hunc Deus principem, & redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. 36. Hic eduxit illos faciens prodigia, & signa in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta. 37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis.* 38. Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis. 39. Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, 40. Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus, quid factum sit ei. 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum. 42. Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem. 44. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat. 45. Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David, 46. Qui invenit gratiam ante Deum, & petiit, ut inveniret tabernaculum Deo Jacob. 47. Salomon autem ædificavit illi domum. 48. Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit: 49. Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est? 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia? 51. Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos. 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis. 53. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. 54. Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. 55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei. 56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. 57. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. 58. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. 59. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

ỳ. 1. Di-

℣. 1. DIXIT AUTEM PRINCEPS SACERDOTUM: SI HÆC ITA SE HABENT. Stephano ad Sanhedrium rapto, Summus Sacerdos Caiphas audivit testes, eadem ferme asserentes, quæ olim in Jesum dicta, reum mortis constituerant; nimirum Jesum Messiam esse, & Dei Filium, a quo lex abolenda, Templum Domini evertendum. Interroganti Caiphæ quid ad hæc reponeret, Stephanus causam suam in eam sententiam, quam mox recitabimus, dixit. Tota ejus oratio eo tendit, ut demonstret, se nullius blasphemiæ reum esse, nec injurium in Moysem, Legem, ac Templum; quin potius culpam horum criminum in accusatores suos cæterosque Judæos regerens, accusat illos, quod jam olim ab exordio Moysem rejecerint atque contempserint, legesque ejus nunquam non violaverint. Citra blasphemiam asseri posse demonstrat, Templum eversum iri, cum gens tota Templo usque ad Davidem caruerit: Deum vero nihil sollicitum esse de materialibus Templis, quippe qui ædes hominum manu ædificatas non habitet. Denique Jesum esse ait Prophetam illum a Moyse prædictum, lacessitum, damnatum, necique traditum ab Judæis. Hæc tota Stephani defensio est, ejusque orationis partes huc, quamquam non directe omnes, collimant. Sunt enim quædam veluti ornamenta & orationis nexus.

℣. 2. DEUS GLORIÆ APPARUIT ABRAHÆ. Deus unus Deus gloriæ est, Rex gloriæ Psalm. 23. 7. gloriæ veræ & minime fucatæ fons & origo. In illo & per illum datur mortalibus, ut ad summum bonum perfectamque beatitudinem tendant. ait hic Stephanus, Deum apparuisse Abrahæ in Mesopotamia; id quod in Genesi non legitur (1). Sed in hac oratione plura docet, quæ frustra quæramus in sacro Textu, nec ille aliunde quam ex traditione vel privata revelatione didicit.

CUM ESSET IN MESOPOTAMIA, PRIUSQUAM MORARETUR IN CHARAN. Affirmat Moyses, Ur, unde Abraham cum Thare movit, Urbem fuisse Chaldææ; sed Chaldæa intra Mesopotamiam excurrebat. Itaque Stephanus Moysi non adversatur. Ammiano Marcellino Ur in Mesopotamia constituitur, inter Nisibim & Tigrim. *Charan* Urbs est inclyta *Charræ*, ad confluentem Chaboræ & Euphratis. Hic autem vada erant Euphratis venientibus e Mesopotamia in Syriam & Palæstinam. Ea urbs celebris ex cæde Crassi evasit: Lucan. lib. de bello civili.

Assyrias Latio maculavit sanguine Charras.

℣. 3. EXI DE TERRA TUA ET DE COGNATIONE TUA. Hæc apud Moysem non legi, jam animadvertimus. Eadem repetiit Dominus Abrahamo, cum mortuo Thare ex Urbe Charris illum evocavit Gen. 12. 1. Vide nos in Gen. xi. 26. xii. 1. xv. 7.

℣. 4. POSTQUAM MORTUUS EST PATER EJUS, TRANSTULIT ILLUM IN TERRAM ISTAM. Thare pater Abrahami, egressus ex Ur cum universa familia, dederat se in viam, ut una cum Abrahamo veniret in Chanaanitidem. Aliquandiu moratus Charris Mesopotamiæ, fato cessit, ducentorum quinque annorum ætate grandævus Gen. xi. 32. Filius ejus Abraham iterum jussus a Deo per visum, Charras deserere, ætatem agens annorum quinque & septuaginta, discessit Gen. xii. 4. Salebræ quædam in Chronologia hic occurrunt; at omnia explanantur, si posuerimus, Abrahamum ortum fuisse anno cxxx. Thare, simulque juniorem esse duobus fratribus Naahore & Aramo.

℣. 5. NON DEDIT ILLI HÆREDITATEM IN EA NEC PASSUM PEDIS (2): ne tantillum quidem, ubi pedem poneret. Sive ne spatio quidem pedis, ne pedem quidem terræ. Vixit tamquam advena in hac regione, nihil in ea proprium possidens. Si speluncam habuit in sepulcrum Saræ, pecunia emit (3). Deus, qui regionis hujus possessionem illi spopondit, promissiones hasce diu distulit, nec nisi in posteris ejus implevit. Abraham vero qui liberis tunc carebat, nec facile in posterum filios sibi futuros sperabat, hisce Dei promissionibus credidit.

℣. 6. ACCOLA IN TERRA ALIENA ANNIS QUADRINGENTIS. Periodus ista annorum desumpta est ex Genesi xv. 13. ubi non obscure notatur, continetque totum illud temporis spatium, quod ab introitu Abrahami in Chanaanitidem usque ad exitum Israelitarum ab Ægypto fluxit. Annos omnino triginta & quadringentos complectitur (4); at Stephanus numerum integrum retinens, triginta annos neglexit. Ducuntur autem anni isti ab exitu Abrahami ex Aran usque ad exitum Hebræorum ab Ægypto. Reipsa quidem Israelitæ annis tantummodo quindenis & ducentis in Ægypto manserunt. Si quis autem accuratam epocham exposcat exordii quadringentorum annorum peregrinationis, illi pronum est ut eam statuat quadriennio ante natum Isaacum, quadringentis adamussim annis ante exitum ab Ægypto.

℣. 7. JUDICABO EGO: gentem, quæ posteritatem tuam servituti subjiciet, judicabo. Puniam omni justitiæ meæ severitate Ægyptios. Profecto Deus in Ægyptum animadvertit decem plagis, & primorum natu cæde; denique illos Erythræi undis mersit.

℣. 8. DEDIT ILLI TESTAMENTUM CIRCUMCISIONIS; fœdus circumcisionis, seu potius circumcisionem, veluti sigillum & indicium fœderis cum illo compositi: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos*. Gen. 17. 11.

ET SIC GENUIT (5) ISAAC, ET CIRCUMCIDIT EUM DIE OCTAVO. Causa fœderis hujus inter Deum & Abrahamum, puer Isaac octava nativitatis die circumcisione initiatus fuit, ut demonstraretur genuinus Abrahæ filius, qui promissiones posteritati ejus factas sustineret.

℣. 10. DEDIT EI GRATIAM ET SAPIENTIAM IN CONSPECTU PHARAONIS. Amicitiam Regis Ægypti comparavit sibi Josephus sive prudentia, sive scientia, humana plane superiori, sive peritia conjectandi; Rex vero familiarissime eo usus est, constituitque Regiæ domus œconomum, & in universo Imperio Præfectum.

℣. 14. IN ANIMABUS SEPTUAGINTA QUINQUE. Septuaginta pariter legunt *septuagintaquinque*, cum addant septuagenis quædam nomina, quæ ipsi pariter legunt in Gen. XLVI. 26. quamquam in Hebræo desunt; sunt autem *Machis*, *Galaad*, *Sutalam*, *Taam*, *Edon*. Vide nos in Genes. XLVI. 26. Disputans Stephanus in Hellenistas Alexandrinos, Cyrenenses, Cilices, & Asiaticos, ipse pariter Hellenista, mirum non est, si testimonia ex Scriptura juxta Septuaginta vel coram Sanhedrio proferat. Versio ista communis erat Jerosolymæ, & vulgo a Judæis admittebatur.

℣. 16. TRANSLATI SUNT IN SICHEM, ET POSITI SUNT IN SEPULCRO, QUOD EMIT ABRAHAM PRETIO ARGENTI A FILIIS HEMOR FILII SICHEM. Mendum librarii hic irrepsisse videtur (6), ut pro *Abrahamo*, *Jacob* legendus sit; seu potius abradendum nomen Abrahami, & supplendum nomen Jacobi, quod versiculo superiori expressum est. Legimus quidem Gen. 33. 19. Jacobum e Mesopotamia reducem, soluto pretio emisse ex filiis Hemor patris Sichem partem agri illius, quem tentoriis occupaverat. Legitur in Hebræo, emptionem illam stetisse *centum Kesitha*, quod nonnulli exponunt *centum argenteis*, alii centum agnis. Erat in eo

agro

[1] Genes. xi. 31. Moyses scribit dumtaxat, Thare profectum esse ex Ur Chaldææ cum liberis, ut in Chanaanitidem veniret. [2] Cicero, Philippic. *Quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres? Et: Vestigium ubi imprimam non habes.* [3] Genes. xxiii. 17. [4] Exod. xii. 40. Galat. iii. 16. 17. [5] Græc. Καὶ οὕτως ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Alii plures: Καὶ αὐτὸς, Et ipse genuit. Vide Mill. [6] Mas. in Josua; Jacob. Capell. Bochart. de animal. sacr. pag. 1. lib. 2. cap. 43. Pisr, Le Clerc. hic.

agro sepulcrum, quod Josue condendis ossibus Patriarchæ Josephi (7), sociandis facile cum ossibus cæterorum Patriarcharum filiorum Jacobi, selegit. Quod enim ad Abrahamum Genes. 25. 9. & Jacobum Gen. L. 13. attinet, constat, eos sepulturæ mandatos fuisse in spelunca Mambre, quam Abraham solutis quingentis argenti siclis, a filiis Heth in sepulturam Saræ emit Gen. 23. Duæ istæ emptiones tam accurate descriptæ sunt, ut in unam confundi vix possint. Suspicati sunt nonnulli (8), Stephanum memoriæ lapsu alterum pro altero nomen substituisse. Sed maluerim ego potius totam mendi culpam in librarios rejicere, quam in Sanctum Doctorem, qui, ut diserte asserit Lucas, verba pro concione faciens, Spiritu Sancto afflabatur (9).

Censent alii (10), nomen *Abrahami* pro Abrahami stirpe, Jacobo scilicet ejus filio, hic poni. Id quidem cum præcedentibus reipsa convenit; statuitur enim, sermonem hic esse de empto per Jacobum agro Hemor. Sed nomen *Abrahami* poni hic pro filiis Abrahami, novum mihi & plane insolitatum accidit, contra morem Scripturæ, præsertim in oratione soluta, & in simplici narratione. Sunt qui Græcum in hanc sententiam vertant (11): *Descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, qui translati sunt in Sichem, & positi sunt a filiis Hemor patris Sichem in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti*. De hac emptione agri per Abrahamum nihil legitur apud Moysem. Didicit hæc forte Stephanus sive ex revelatione, sive ex traditione, ex qua & comperaerat, duodecim Patriarchas sepulturæ mandatos fuisse in Sichem; cujus traditionis meminere S. Hieronymus (12) & Talmud; quamquam Josephus Antiqu. lib. 2. cap. 24. non obscure docet, conditos fuisse Hebrone: ex quo intelligimus, rem hanc non satis exploratam ejus ætate fuisse. Ex his omnibus, responsio, quæ prior allata est, nobis proclivis maxime & commoda videtur.

℣. 17. Cum appropinquaret tempus promissionis. Fidem suam Deus obligaverat Abrahamo, post absolutos annos quadringentos traditurum se ejus posteritati Chananaitidem. Ut rea implerentur, permisit Abrahami stirpem augeri plurimum in Ægypto, ac *Regem alium* (13), Regem scilicet externum, Imperium regionis illius capessere, qui cum ignoraret quantis nominibus Abrahami posteris obstricta esset Ægyptus, vexare illos cœpit, ac paulatim extinguere molitus est.

℣. 19. Ut exponerent infantes suos. Obstetricibus imperavit, nequem marem Hebræorum vivum relinquerent Exod. 1. 16. & cum obstetrices, Deum veritæ, innocentes perimere non sustinerent, Pharao mandavit Hebræis, ut mares, quotquot ex eis nascerentur, aquis mergerent. Quin & Stephanus innuere videtur, miseros parentes a Rege coactos fuisse, filios suir ipsos manibus exponere; cujus tamen sententia ita exponenda est, ac si diceret, severitate regii edicti impositam fuisse duram parentibus necessitatem, ut filios periculo exponerent. Quamobrem cum prohiberentur liberos educare ac celare, tolerabilius duxerunt, casui filios exponere, ut saltem vivos servarent.

℣. 20. Natus est Moyses, et fuit gratus Deo. Ortus est Moyses in ipso exordio vexationis Pharaonitæ in Hebræos. Frater ejus Aaron triennio major erat, ac nemine prohibente educatus fuerat. Græcus legit (14): *Moyses fuit venustus Deo*; venustate fuit eximia & fere divina. Solemne est Hebræis *Divinum* addere rebus, quas a magnitudine, pulcritudine, excellentia laudant (15): *Civitas magna Dei*, amplissima; *lucta Dei* (16): *cedri Dei* (17), certamen ingens, cedri proceræ. Eximia venustate Moysem donavit Deus, ut illius venustas pelliceret filiam Regis ad liberandum naufragio miserum, ac pro filio nutriendum. Principem hanc fœminam Josephus *Thermuthim* appellat.

℣. 22. Eruditus est Moyses omni Sapientia Ægyptiorum. Prisci Ægyptii scientiæ ac sapientiæ laude clarebant (18); quas duas voces indiscriminatim Veteres sæpe usurpabant. Tradit Philo de Vita Moys. Moysem didicisse Arithmeticam, Geometriam, Rhythmicam, vel scientiam orationis numeris adstrictæ, literas Assyrias & Astronomiam. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. tradit, edoctum fuisse Arithmeticam, Geometriam, Rhythmicam, Harmonicam, Medicinam, Musicam, & scientiam Jeroglyphicorum; laudatque Philonem, qui didicisse illum asserit ex Græcis artes Græcanicas, ex Chaldæis Astronomiam. Vide nos in Exod. 11. 10.

Potens in verbis et in operibus; apto ad persuadendum sermone: cæterum scimus (19), impeditiori fuisse sermone, linguæ gravi & difficili. At orationi vis inerat, gravitas, robur; cujus rei argumenta præbent ab eo scripta volumina. Imitationem omnem superat, sive historiam narrans, sive leges scribens, sive carmina vel orationes pangens. In omnibus hisce scribendi generibus excellit, purus, perspicuus, sublimis, vehemens, pressus, diffusus, rapidus, pro rei natura & ingenio. Simul etiam *potens* erat *in operibus*; numquam enim non prudentem sese exhibuit, probum, modestum, ingeniosum, tum in bello cum in pace; traditur enim peritissimum se ducem præbuisse, antequam Hebræorum copiis præesset.

℣. 23. Quadraginta annorum tempus. Ætas hæc non legitur in Libris Mosaicis: sed ita ferre Hebræorum traditionem, docent libri, qui hodie supersunt ab illis scripti (20). Certior factus Moyses, Hebræam se originem referre, quam pariter illi insinuabat nomen, quo appellabatur, exactis quadraginta ætatis annis in Aula, duram humilemque in populo suo vitam molli & delicatæ apud Regem vitæ prætulit (21). Recusavit, filium haberi se filiæ Pharaonis, perque fidem celsiorum sibi honorum bonorumque viam patere intellexit: *Fide negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.*

℣. 24. Vindicavit illum, percusso Ægyptio. Interfecit illum celavitque in arena, ut ipse de se asserit in Exodo II. 11. Urbs Tanis, Regiæ tunc sedes, multum aberat a regione Gessen, quam Hebræi incolebant. Moysem tunc fratres ejus minime norant; vel saltem nondum habebatur ceu destinatus servitutis illorum vindex, ut animadvertitur hic ℣. 25. Innuere videtur Stephanus, Moysem jam tunc vocatum fuisse a Deo defensorem fratrum suorum, quos jugo servitutis Ægyptiacæ liberaret; negantibus autem hanc ejus destinationem agnoscere Hebræis, coactum fuisse abstinere totis quadraginta annis; ac deinde novis iterum mandatis a Deo oneratum fuisse, ut fratres suos visitaturus atque erepturus e captivitate veniret.

Quæ si vera statuantur, facile erit Moysem purgare crimine necis tunc commissæ. Constitutus enim erat a Deo ultor gentis suæ iniquissime oppressæ. S. Augustinus, qui olim Moysem damnaverat, contra Faustum lib. xx. cap. 70. scribens, sta-

[7] Josua xxiv. 32. [8] Beda, Rab. Can. lib. 3. de locis, cap. ult. Vide Grot. hic ad ℣. 5. [9] Act. vi. 15. & vi. 10. [10] Sanct. Cornel. Drus. Gloss. Bach. Vide Synops. [11] Ludov. de Dieu, Cnatchbul. [12] Hieron. Epitaph. Paulæ. [13] Vulgat. Alius Rex. Græc. Βασιλεὺς ἕτερος. Hebr. מלך חדש Exod. 1. 8. [14] Ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ. [15] Jonæ iii. 3. [16] Genes. xxx. 8. [17] Psalm. lxxix. 11. [18] Apulej. Metamorph. xi. *Priscaque doctrina pollentes Ægyptii*. Et lib. 1. *Ægyptios eruditos, & Judæos superstitiosos*. [19] Exod. iv. 10. vi. 12. [20] Midrach Rabba Beresch. & Tanchum ad Exod. ii. [21] Hebr. xi. 25.

ſtatuens Moyſem nulla legitima anthoritate hominem illum interfeciſſe, deinde abſolvit (22), aſſerens Moyſem tunc peculiari quodam Dei inſtinctu in necem Ægyptii ruiſſe. Ex Heterodoxis quidam (23) ſcripſerunt, Moyſi Hebræoque homini, quem vexabat Ægyptius, cum nullum habere poſſent judicem in Ægypto, penes quem cauſam agerent, in eo quod tunc fervebat publico gentis odio, integrum fuiſſe ſuum per ſe jus proſequi. Cum ad extremum tyrannidis ventum eſt, juraque omnia ſilent, ſublatis ſocietatis fundamentis, res ad priſtinum naturale jus redit, in quo fas eſt omnibus ultorem ſe præbere ſui & amicorum contra hoſtium vim, Legum & Judicum ope neglecta, nec implorata.

Hæc omnia veluti certum ſtatuunt, tunc ſæviſſe adhuc perſecutionem, de qua ℣. 19. quod tamen ægre admittimus. Si enim totis quadraginta annis, ab ortu Moyſis ad id uſque temporis, calamitas illa perſeveravit, unde tam prodigioſus Iſraelitarum numerus, qui poſt quadraginta annos ab Ægypto egreſſi ſunt? Igitur ad Moyſem abſolvendum, reputandum eſt cum S. Auguſtino, veniſſe illum a Deo miſſum ultorem fratrum ſuorum, & peculiari Spiritus Sancti inſtinctu ad id incitatum fuiſſe; vel cum pleriſque Theologorum ſtatuendum, jure meritoque defendiſſe fratrem ſuum, necato aggreſſore, legibus tamen moderatæ juſtæque defenſionis ſervatis. Vide nos in Exodum 21. 12.

℣. 25. Existimabat intelligere fratres, deſtinatum ſe fuiſſe a Deo libertatis ipſorum, mox imminentis, aſſertorem. Id tamen noſſe niſi ex re præſenti non poterant. Anni ſervitutis quadringenti, Abrahamo prænunciati, jam decurreſant Geneſ. 15. 13. Sed Divinæ deſtinationis ſuæ nullum adhuc argumentum Moyſes exhibuerat. Narrat Joſephus Antiqu. lib. 2. cap. 9. quoddam apud Ægyptios genus oraculi increbuiſſe, orriturum prænuncians puerum Hebræum, qui Ægyptios peſſime, Hebræos vero egregie eſſet affecturus. Certior de eo factus Rex, lato edicto juſſit necari mares omnes quotquot Iſraelitis naſcerentur. Deus vero, ait, reſeravit Amramo patri Moyſis, ipſius filium fore virum illum, quem oriturum adeo metuebant Ægyptii. Hanc forte vetuſtam Hebræorum traditionem Stephanus hic ſpectabat.

℣. 27. Quis te constituit Principem et judicem super nos? Stephanus ita de Moyſe agit, ceu do viro, quem plurimi æſtimat & obſervat, purgans ſe irrogato crimine, quod in Legiſlatorem iniquior fuerit. Simul autem in accuſatores delictum retorquet, demonſtrans veteres Hebræos fœde & indigne ſemper debacchatos in virum ſanctiſſimum, ab ipſo illius exordio uſque ad exitum.

℣. 28. Quemadmodum interfecisti Ægyptium? His auditis, ſe attonitum hæſiſſe affirmat Moyſes in Exodo 2. 14. quippe qui putaret, id quod pridie egerat, latuiſſe omnes; & Hebræum quem defenderat, Ægyptio interfecto, quippe cujus magnopere intererat rem ſilentio tegi, illam non propalaſſe.

℣. 29. In terra Madian, ad Erythræum (24), longe diverſa ab altera regione Madian, quæ mari mortuo eſt Orientalis (25). Hæc enim frequentabatur a Poſteris Madian filii Abrahami, & Ceturæ; illam vero tenebant Cuſchitæ, poſteri Cham & Chus. Hinc Aaron & Maria *Chuſitidem*, nempe e ſtirpe Chus n. 12. 1. appellabant Sephoram Moyſis uxorem. Forte etiam Madianitis nomine *Chus* deſignata eſt, quod confuſa eſſet cum regione Cuſchim ad Erythræum. Ita & Habacuc jungit Chus cum Madian, ad montem Sinai (26).

℣. 30. Apparuit illi Angelus in igne flammæ rubi. Agebat tunc Moyſes ætatis annos octoginta, anno poſt fugam quadrageſimo. Scribit autem in Exodo 3. 2. verba ſibi a Domino e rubo facta fuiſſe; unde priſcis Patribus plurimis ſuccurrit (1), Angelum hunc, qui Domini appellationem obtinet, alium non eſſe a Jeſu Chriſto, deſignato a Prophetis ſub appellatione *magni conſilii Angeli* (2). Verum S. Auguſtinus (3), & poſt illum plerique, purum putumque Angelum eſſe, qui e rubo loquebatur, ſenſerunt; neque enim ex narratione Moſaica apparet, perſpicua ſub imagine ſeſe illum obtuliſſe; ſed tantum ardentis rubi ſpeciem fuiſſe, unde vox, Moyſi imperans, emittebatur.

℣. 32. Solve calceamentum pedum tuorum. Pedibus ſe nudis alicubi ſiſtere, inſignis obſequii ſignificatio eſt apud Orientales. Mahometani nunquam calceati in Moſcheas ingrediuntur, Hebræique Sacerdotes nudis erant pedibus in Templo. Qui ſe obtulit Joſue Angelus eadem, quæ hic Moyſi, imperavit: *Solve calceamentum de pedibus tuis*. Joſue 5. 15.

℣. 35. Hunc Moysem quem negaverunt .... Deus Principem et Redemptorem misit. Idem ipſum Moyſem, cui exprobraverant, *Quis te conſtituit Principem & Judicem?* deſtinatus a Deo eſt in vindicem libertatis ex Ægyptiaca ſervitute. Ita & Jeſus Chriſtus, quem *negaſtis* ante Pilatum, noluiſtis ſcilicet in Chriſtum Regemque veſtrum agnoſcere, ipſe tamen eſt, non alius, conſtitutus Mundi ſervator, & viventium ac mortuorum Judex. Sicut autem majores veſtri rejectum a ſe Moyſem denique in Legiſlatorem & Principem exceperunt; ita & vobis erubeſcendum non eſt, ſi laceſſitum antea & inique exagitatum, necique traditum Jeſum Chriſtum agnoſcatis, ad ejus clementiam confugientes.

Cum manu Angeli qui apparuit illi in rubo, Angelo ſcilicet illo duce. Id officii præſtitum creditur a Michaele Principe & Patrono gentis Judaicæ, qui ſub imagine nubis præcedens, iter per deſertum ſignavit. Nunquam non Domini appellatione a Moyſe donatur Angelus, cum Dei majeſtatem nomenque præferret. Moyſes Hebræos ex Ægypto deduxit (4) *cum manu Angeli*, ejus ope, conſilio, juſſu, & ductu. Illo adjutore tot patravit miracula; agente illo, excepit deditque leges Hebræis.

℣. 37. Prophetam suscitabit vobis. Propheta iſte Meſſias eſt (5), cujus adventum in ipſo Jeſu Chriſto vobis nuncio. A Moyſe ad noſtram uſque ætatem num vel unum Prophetam exhibebitis, cui decora omnia Meſſiæ, præter unicum Jeſum Chriſtum, congruant? Blaſphemiæ igitur in Moyſem arguendus ſum, qui nunciem illum, quem ipſe pariter Moyſes tot ante ſæcula vobis prænunciavit?

℣. 38. Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo. Hic eſt Moyſes, qui verſantibus majoribus noſtris in deſerto, cum Angelo conſuetudinem habebat in monte. Ultro ego vobiſcum ſentiens, Moyſem in Legiſlatorem gentis veſtræ agnoſco; ipſe eſt autem Moyſes, qui conſuetudinem cum Angelo, Domini vices nomenque ſuſtinente, totis quadraginta diebus in monte detinuit. Ab illo excepit Legem, in quam iniquiores vos præbuiſtis; *Legem igneam* Deut. 33. 2. *Legem vitæ* (6), ignis ſcilicet abſumentis prævaricantes; vitæ autem, quam cum additamento beatitu-

(22) Auguſt. quæſt. 2. in Exod. (23) Vide Le Clerc hic, & Grot. de jure belli & pacis lib. 2. c. 1. Act. VII. VIII. XXI. X. (24) Joſeph. Antiq. lib. 11. c. 11. Euſeb. & Hieron. in locis Hebr. (25) Vide eoſdem Euſeb. & Hieron. in locis. (26) Habac. III. 7. (1) Chryſoſt. hic; Theodoret. qu. 5. in Exod. Juſtin. contra Tryphonem; Tertull. lib. 2. contra Marcion. Hilar. lib. 4. & 12. de Trinit. &c.
(2) Iſai. IX. 7. ex 70. Interpp. (3) Auguſt. lib. 3. de Trinit. c. 11. (4) Ἐν χειρὶ Ἀγγέλου.
(5) Vide Deut. XVIII. 15. & Act. III. 22. (6) Hic: *Accepit verba vitæ*. Vide & Deut. XXXII. 7.

titudinis largitur iis, qui fideles se illi præbent. Repetit frequenter Stephanus in hoc sermone Legem datam esse Angelorum ministerio; Moysem colloquia cum Angelis habuisse; ut Judæorum superbiam coerceat, quippe qui intolerabili audacia Legem supra doctrinam Jesu Christi efferrent, dicerentque: *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit*. Jo: 9. 28. Author Epistolæ ad Hebræos totus est in efferendo Jesu Christo supra Moysem (7), demonstrando, Deum Veteris Testamenti Legem nonnisi Angelorum ministerio tradidisse; Novam vero Legem per Filium, Angelis longe superiorem, tulisse.

℣. 39. Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum. Stephani intererat ostendere, Judæos ab exordio contumaces se Deo & Legislatori præbuisse. Hinc enim recte colligeres, nec Legis amore, nec eo, quo Moysem prosequerentur, obsequio inductos fuisse, ut in Discipulos Jesu Christi sese armarent; quin potius odio & invidia percitos insanisse.

℣. 40. Fac nobis Deos, qui præcedant nos; monstrosas scilicet Deorum imagines, quales vidimus in Ægypto, quæ agmen præcedant seu vectæ quadrigis, sive humeris hominum, ut mos erat in pompis Ægyptiorum (8). Dii Ægyptiorum erant hominum simulacra, canis, felis, accipitris, lupi, arietis, leonis, vel alterius belluæ capite præfixa, ut in vetustis Ægyptiis monumentis cernere adhuc licet.

℣. 41. Vitulum fecerunt; idest, simulacrum vitulino capite. Ita sæpe Apim, quem Deorum suorum Principem habebant Ægyptii, exprimebant; atque ita hæc explicant ex priscis Patribus multi (9). Alii vero conflatum fuisse censent integrum ex auro vitulum, rati ita expressum ab illis fuisse Apim. Vide nos in Exodum xxxii. 4.

℣. 42. Tradidit eos servire militiæ Cœli. In Ethnicas superstitiones illos quidem non induxit Deus, pravo consilio inspirato; sed permisit, ut eo caperentur pravis affectionibus, quibus coercendis gratias minime merentibus negavit. Venerati sunt igitur *militiam Cœli*, idest Solem, Lunam, Stellas, quæ sapientissimis motus sui Legibus, rectoque inter se ordine majestatem ac pulcritudinem instructi exercitus imitantur. Suspicari merito licet, superstite adhuc Moyse atque in ipso itinere per desertum, nequidquam invigilante vel severe minitante Legislatore, cultum præstitisse illos Soli, Lunæ, & Stellis, quemadmodum non obscure docet Stephanus sequenti versiculo, ubi laudat veteres Prophetas id illis exprobrantes. At ista deinde multo longius provexerunt, totaque eorum historia veluti continuata series est Idololatriæ, ab ipsis fere semper Soli, Lunæ, & Stellis impensæ.

In libro Prophetarum: Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta? Scripta sunt hæc in Libris duodecim Prophetarum, apud Amos ℣. 26. Nec Amos, nec illum laudans Stephanus plane negant, Hebræos sacrificia quædam Domino in deserto obtulisse; id enim disertius a Moyse traditur, quam ut in dubium revocari queat: sed nec tam multa obtulerunt quam debebant, nec ea animi habitudine, qua par erat offerri. Denique non uni Deo obtulerunt: in partem enim cultus sui, sacrorum, & mentis vocaverunt id, quod Dei oculis execrabile erat. Iter per desertum habentes, sui velut arbitrii erant, ut ipse pariter Moyses adnotavit Deut. 12. 8. monuit enim Israelitas, ubi venirent in terram promissionis: *Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur*. Status ille rerum inconstans, & perpetua ferme agitatio movendis collocandisque castris, non permittebant, ut satis uniformes constantesque leges in exteriori Dei cultu servarent. Sed hæc nihil ad crimen Idololatriæ excusandum. Vide nostram Dissertationem de Idololatria Israelitarum in deserto, duodecim minoribus Prophetis præfixam.

℣. 43. Suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham (10), figuras, quas fecistis, adorare eas. Deus iste Rempham crucem figit omnibus Interpretibus; quid enim sit, ignoratur. Plerique de Saturno explicant. Consule dicta in Dissertatione jam laudata, & Spencerum. Hebræus in Textu Amos nihil habet de Rempham (11): *Et portastis tentorium Regis vestri* (Moloch Dei), *& basim imaginum* (simulacrorum) *vestrarum, sidus Deorum vestrorum, quos vobis fecistis*. Ad hunc Textum semper deveniendum est. Septuaginta, quorum versionem sequutus est Stephanus, decipi facile potuerunt in ratione legendi nomen *Chevan*, ut pro illo *Rephan* posuerint. Nisi forte qui illas exscripsere, oscitanter eam lectionem substituerint, quæ vano conatu Interpretes fatigat; nam forte & Hebræo, & facile etiam autographo septuaginta Interpretum repugnat. S. Hieronymus pariter in sua versione, quam Concilium Tridentinum Canonicam declaravit, ita legit: *Portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum, sidus Dei vestri quæ fecistis vobis*.

Transtuli vos in Babylonem. Hebræus in Amos, & Codices nonnulli Græci legunt: *Trans Damascum*.

℣. 44. Tabernaculum testimonii ... secundum formam. Tabernaculum testimonii illud erat, in quo deposita fuit Arca fœderis, conditas tenens Leges Dei digito scriptas. Hujus specimen exhibuit Deus Moysi in monte, addens Exod. xxv. ult. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Revocat hic Stephanus in mentem exordium Tabernaculi, uti versiculo consequenti exordium Templi; ex his collecturus, genuinam religionem carere utroque posse; cum Patriarchæ ante erectionem Tabernaculi, & Hebræi a Moyse usque ad Salomonem ante conditum Templum fuerint; adeoque citra blasphemiam affirmari, Templum eversum iri, veramque Religionem, quæ nimirum Jesu Christi est, everso licet Templo staturam.

℣. 46. Petiit, ut inveniret Tabernaculum Deo Jacob. Vide Libros Regum (12). Consilium ceperat David, Templum Domino excitandi; consultusque ea de re Nathan statim respondit, futurum id Domino gratum. Nihilo tamen secius Dominus certiorem illum fecit, ædificii hujus honorem servari non Davidi, sed Salomoni. Equidem Salomon id præstitit, atque ita præstitit, uti omnibus compertum est.

℣. 48. Non excelsus in manufactis habitat. Agnovit id pariter Salomon in solemni prece ad Deum, in ipsa Templi dedicatione 3. Reg. 8. 27. *Ergo ne putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* Apostolus Act. 17. 24. *Non in manufactis Templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo*. Igitur non Deo magis quam commodis nostris Templa ædificamus; quorum condendorum facultatem mero misericordiæ suæ beneficio facit Deus. Id enim nobis permittit, ut officia illi nostra reddamus, porrigamus vota precesque in locis peculiari religione consecratis, ubi Numinis præsentia magis sentitur.

℣. 49.

(7) Heb. I. 1. 2. 3. & sequ. (8) Herodot. lib. 2. c. 63. Vide & Clem. Alex. Stromat. lib. 6. Vide Isai. xlvi. 7. Baruc vi. 3. 25. (9) Lactant. lib. 4. c. 10. Tertull. advers. Judæos c. 1. Hieron. in Osee iv. August. in Psalm. lxi. Ambros. Ep. ad Remul. Optat. Milevit. lib. 3. (10) Græc. Ῥεμφάν. Alii: Ῥεφάν. Ῥεμφάμ. Ῥεμφάν. Ῥομφάν. Ῥεφάν. Ῥαφάν. Ῥεφᾶ. Ῥεφάς.
(11) Amos v. 26. ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם
(12) 2. Reg. vii. 2. 3. & sequentib. Vide & Psal. cxxxi. 1. 2. 3.

℣. 49. Quam Domum aedificabitis mihi, si aedem Numinis magnitudini & immensitati parem moliendam susceperitis? Majestate mea Cœlum terramque impleo; Cœlo pro solio, terra pro pedum scabello utor. Facilitatem igitur meam admiramini, qua me vestris indigentiis ita accommodo, ut ædem mihi in materia structam ædificari patiar. Congruunt hæc omnia cum Stephani oratione, eo tendente ut doceat, Templum perpetuo mansurum non esse, & genuinum Dei cultum consistere absque illo optime posse.

℣. 51. Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus. Stephanus Divino Spiritu afflatus, ardensque pio religionis igne, in accusatores suos hic insurgit; ac probe intelligens, duras illorum mentes minime verbis hisce pervadi, nequitiam & pervicaciam illorum aggreditur. Qua oratione probe demonstrat, nihil se permoveri mortis periculo, eoque dumtaxat affici, quod Judæos in nequitia adeo obfirmatos cernat. Hæc intelligens, pietate & charitate fervet, dum irascentis speciem ore & lingua præfert (13). Ait igitur, *incircumcisis* esse illos *cordibus & auribus*, vernacula Hebræorum locutione, qua usurpatur *præputium cordis* (14) & aurium ad designandam pravam & iniquam animi habitudinem. Corde & auribus incircumcisum esse, designat, mentem & aures a sermone loquentis avertere, nec amare, nec exequi quæ proponuntur commoda & utilia.

Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Gratiæ interiori resistere hominem posse, dogma est a Concilio Tridentino definitum (15), id autem passim usuvenire, quotidiano experimento discimus. Simul autem verissime docuit S. Augustinus, de gratia efficaci loquens (16): *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Sed hanc cordis pervicaciam ita extundit, ut nullam vim afferat libertati; quam & perficit, & ornat; viva enim quadam micantique luce mentem illustrat, ac blandam fortemque lenitatem cordi insinuat; simul autem dulci potentique pellectu cor trahit, ut illud amet quod ceu amabile optimumque præ cæteris quæ antea dilexerat, ab ea exhibetur.

Hic tamen designari potius a Stephano videtur (17) Judæorum pervicacia, qua & Prophetarum oracula, & lucem Legum divinarum, minas, adhortationes, pollicitationes Prophetarum, beneficia a Deo sibi impensa per ipsius Legatos retuderunt; designari, inquam, hanc potius censemus, quam oppositionem, qua interiori gratiæ S. Spiritus viam occluserunt. Fatemur equidem, non semel contigisse, ut Judæi intimam hanc gratiam temnerent, rejicerent, negligerent; rejicerent autem ipsa perversi cordis nequitia. Hic tamen planior est expositio, si dicta accipiantur de rejecta gratia illa exteriori, cujus jam meminimus.

℣. 52. De adventu Justi; Messiæ scilicet, quem Prophetæ *Justi & Justitiæ* nomine designarunt. *Nubes pluant Justum* Isai. 45. 8. *Prope est Justus meus* Isai. 51. 5. *In scientia sua justificabit ipse Justus servus meus multos* Isai. 53. 11. *Donec egrediatur ut splendor Justus ejus* Isai. 62. 1. . . . *Et videbunt gentes Justum tuum*, &c. Reos se proditionis necisque Jesu Christi constituerunt Judæi, quippe qui proditoris Judæ crimen probarunt, auctoresque illi fuerunt criminis hujus in Dominum suum, tradideruntque Justum manibus Romanorum, ut supplicio perimeretur.

℣. 53. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum; Angelorum scilicet ministerio. Dixerat (18), Moysem accepisse in monte Sinai Legem, traditam ab Angelo, qui Dei nomine loquebatur. Id autem confirmatur illis Apostoli verbis (19): *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. Frequentes illæ Judæorum a Religione secessiones, & una veluti serie diu continuata licentia, magis compertæ sunt, quam ut iterum hic commemorentur. Græcus legit (20): *Accepistis Legem in dispositione Angelorum*, seu *de Angelorum mandato*. Ex Patribus plures (21) censent, Angelorum nomine Moysem, Aaronem, Josue designari. Oecumenius sic explicat: Accepistis Legem, qua velut in Angelos transformemini, siquidem morem illi gesseritis: qua tamen expositione potior est prima.

℣. 55. Intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei. Versabatur tunc Stephanus in Sanhedrio, quod in tecta facile ædium parte situm erat. Forte igitur Stephanus oculis ad fenestram conversis, Cœlum aspexit, intuentique obversatus est splendor quidam Divinus, qui menti exhibuit cœlestem illam gloriam, qua Jesu Christi Corpus ornabatur. Hanc gloriam ille unus aspexit (22); sed tanta perspicuitate tantoque lumine mens ejus perfusa fuit, ut palam in medio hostium cœtu exclamaverit: *Ecce video Cœlos apertos, & Filium Hominis stantem a dextris Dei*; quamquam norat futurum, hoc uno verbo blasphemiæ calumniam conflari, ac lapidum supplicium provocari in se posse. Sed ne dicenda pensaret attentius, premeretque silentio, prohibuit subitum illud, quo tota perfundebatur, gaudium. Quidam ex ipsis pariter Veteribus (23) reputarunt, Stephano tunc ipsam Dei Essentiam, ipsamque Triadem Augustissimam occurrisse. Alii hiscens Cœlum, Jesumque ad dexteram Patris stantem oculis tantummodo mentis aspexisse illum censent. Denique corporis oculis intuitum hæc fuisse, plures contendunt, ratí, corporis sensus in eam virtutem divinitus erectos, virumque sanctum ad Cœlum usque Empyreum quodammodo fuisse translatum. Quæ illorum opinio fere convenit in sententiam, quæ visa hæc unis mentis illius oculis objecta statuit.

℣. 56. Continuerunt aures suas. Aures sibi obstruxere, ne illas polluerent, quia blasphemias loqui Stephanum rebantur, cum videre se Jesum stantem a dextris Dei affirmaret. Si Jesus Christus purus putusque homo fuisset, seu Propheta aliquis, nonnisi per summam blasphemiam stare, vel sedere ad Patris dexteram asseri potuisset. Locus est enim unico Dei Filio, Messiæ, ipsi denique Numini destinatus. Prospicere se autem dixit Stephanus *Jesum stantem*, veluti paratum militem suum defendere & excipere. Ipse de se loquens Jesus Christus, ire se dixit sessum in dextera Patris, ut innueret potentiam suam, majestatem, quietem, qua tamquam homo in Cœlo apud Patrem fruiturus erat; re vera enim Patri Cœlesti nec læva est, nec dextera.

Impetum fecerunt in eum. Minime expectata Sanhedrii sententia, extra Urbem Stephanum rapuere, lapidibus conficiendum. Hæc reos puniendi ratio exlex penitus erat, & florente Republica, una tantum in causa, de qua in Deuteronomio

(13) August. serm. 316. & 317. & Chrysost. hom. 18. (14) Jerem. IV. 4. *Auferte præputia cordium vestrorum*. Idem cap. VI. *Ecce incircumcisæ aures eorum, audire non possunt*. (15) Concil. Trid. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti . . . . neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit*. (16) August. de Prædestin. SS. c. 8. Vide Fromond. hic, & Barth. Petrum. (17) Fromond. Est. Grot. Sanct. alii. (18) Sup. ℣. 38. (19) Galat. III. 19. Vide & Hebr. II. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus*, &c. (20) Ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων. (21) Chrysost. Ambrosiaster, Euthym. Theophyl. D. Thom. in Galat. III. 19. (22) August. serm. 317. nov. edit. (23) Nyssen. orat. S. Stephan. & Author sub nomine August. serm. olim 96. de divers. nunc 216. Append.

tatem Samariæ, prædicabat illis Christum. 6. Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes signa, quæ faciebat. 7. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt. 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: 10. Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. 13. Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. 14. Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. 15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. 18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. Dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. 24. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis. 25. Et illi quidem testificati, & locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam: hæc est deserta. 27. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem. 28. Et revertebatur sedens super currum suum: legensque Isaiam prophetam. 29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum. 30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quæ legis? 31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut ascenderet, & sederet secum. 32. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tamquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum: 33. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit: quoniam tolletur de terra vita ejus? 34. Respondens autem eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum. 38. Et jussit stare currum: & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. 40. Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

℣. 1. FACTA EST PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA, QUÆ ERAT JEROSOLYMIS. Stephani morte nedum Judæorum furor pacatus non fuit, verum etiam exarsit magis. Inito enim consilio, Christianum nomen delere, Discipulosque omnes Jesu Christi disperdere statuerunt. Hinc factum est, ut fidelium plerique ex Urbe sese subduxerint vel authoribus vel saltem consilium probantibus Apostolis; qui tamen in Urbe intrepidi permansere, totum uni adversariorum impetum sustinentes. Dei tamen ope servati sunt illæsi, ut nemo unus ex eis in manus adversariorum inciderit, Discipuli vero sese in varias Orbis provincias diffuderunt. Docet hic Lucas Act. XI. 19. ex illis nonnullos in Phœniciam, atque insulam Cyprum, & Antiochiam petrexisse. Alii receperunt se Damascum Act. 9. 2. alii Samariticas regiones prætulerunt Act. 8. 5.

Opinati sunt quidam (1), Fideles dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, ad quos Petrus priorem epistolam suam dedit (2), ipsos esse primitivos illos fideles, qui ex Urbe Jerosolyma se subduxerant. Censet Baronius, Apostolum Galatis peculiariter in mentem revocasse, quod Christum cruci affixum suis ipsi oculis spectaverint, adeoque innuere, e numero fuisse illos primorum fidelium, qui eo venerant Jerosolymis. En verba Apostoli ad Galat. 3. 1. *Ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus*. Sed conjecturæ istæ, quibus nullum assertum Scripturæ testimonium favet, non facile admittendæ sunt.

Pseudo Dorotheus affirmat, qua die mortuus est Stephanus, duo millia Christianorum neci tradita fuisse, una cum Nicanore Diacono inter septem primos. Constat utique, sæviente ea persecutione plures ex fidelibus martyrium consummasse, id quod ipsius Apostoli testimonio Act. 26. 10. discimus: *Adversus nomen Jesu Nazareni multa contraria egi Jerosolymis, & multos Sanctorum ego in carceribus inclusi, a Principibus Sacerdotum potestate accepta, & cum occiderentur, detuli sententiam*. Sed persecutio ista & dispersio primorum Fidelium lumen fidei latius per Orbem diffudit, non extinxit. Nequitia & odio Judæorum in ipsos authores usus est Deus. Fideles, qui pio fidei ardore sponte se rebus suis omnibus exuerunt ante pedes Apostolorum, non ægre nec inviti urbem dimiserunt homicidii ream, & veritatis inimicam, ut Evangelium longe lateque propagarent. Sanctissimi isti fugitivi velut incensæ faces ignem ubique S. Spiritus inferebant, ut qua ipsi ardebant fide, omnia incenderentur (3).

℣. 2. CURAVERUNT STEPHANUM VIRI TIMORATI, ET FECERUNT PLANCTUM MAGNUM SUPER EUM. In Historia Inventionis S. Stephani, vetere scripto doctisque probato, hæc narratur (4). Gamaliel ita Lucianum alloquitur: *Stephanus, qui a Judæis Jerosolymis lapidatus est, & die noctuque foris portam quæ est ad aquilonem jacuit, in via euntibus in regionem Cedar, jussu impiorum Sacerdotum projectus, ut a bestiis & avibus devoraretur, & tamen nec bestiæ eum, nec aves tangere præsumpserunt. Ego vero Gamaliel cum scirem sanctitatem Viri, & fidem & devotionem ejus, credens me partem cum eo in resurrectione habere, misi ad religiosos viros & fideles, mandans & dicens: Nullum formidantes colligite corpus Sancti Stephani, & deferte ad possessionem meam, quam nomine meo appellavi Caphar Gamala* [domum Gamalielis], *& deponite eum in monumento meo novo, & facite consueta solemnia per dies quadraginta* (Veteres Editiones legebant *Septuaginta*; Beda quadraginta quinque; sed Manuscripta ferunt quadraginta) *in ipsa possessione, quæ est in vigesimo secundo lapide* (vel septem leucis circiter a Jerosolyma). *Et quæcumque in expensis solemnibus erogata fuerint, de meo præberi faciam*.

Græcus hujus Textus (5) varie redditur. Vertunt quidam (6): *Tulerunt in terram*, vel collegerunt corpus Stephani, uti colliguntur manipuli in aream deferendi. Alii (7): Obvolverunt illum fasciis, & linteis pro more Judæorum, & justa illi persolverunt. Hasce omnes significationes Græca vox admittit. Olim in Ecclesia (8) sui erant Ministri ad efferenda cadavera, & funera celebranda destinati; appellabanturque *fossores*, seu *laborantes*. Cæterum luctus, quo curatum est Stephani funus, plane alius erat a luctu, quo cæterorum mors defletur; miser enim illorum, vel incertus status lugetur, rogaturque Dominus, ut requiem defunctis indulgeat. At compertum erat, Stephani mortem coram Domino pretiosam esse: atque, ut ait S. Augustinus Serm. 17. de verbis Apost. *injuria futura erat pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus adjuvari*. Merum igitur id fuit honoris officium, quo mos erat prosequi viros amplissimos fato functos. Lugebantur, solemni elogio & apparatu funera celebrabantur; sed luctus iste minus dolebat vices mortuorum, quam superstitum, qui præsentia & auxilio summorum illorum virorum destituebantur.

℣. 3. SAULUS DEVASTABAT ECCLESIAM, & infectabatur fideles, qui Jerosolymis substiterant, extractosque ex ædibus in carcerem agebat. Quam in rem usus est Summorum Sacerdotum potestate & imperio, ut ipse testatur Capite XXVI. 20. De Saulo fusius hic agere supervacaneum ducimus; nemo enim ignorat, ipsum eumdem esse virum, qui sub nomine Pauli in consequentibus celebrabitur. Jus necis ademptum tunc erat Sanhedrio, cui tantummodo permittebatur facultas detinendi, & in carcerem detrudendi patriæ legis violatores. Discimus quidem ex Apostolo Act. 26. 10. neci traditos fuisse quosdam; sed accidisse hæc constat in popularibus quibusdam motibus, & judicio quod vocabant *zeli*, sive jussu Prætidis Romani, deferentibus & infectantibus Judæis.

℣. 5. PHILIPPUS AUTEM DESCENDENS IN CIVITATEM SAMARIÆ, PRÆDICABAT ILLIS CHRISTUM. Narratis a Sacro Scriptore iis, quæ Jerosolymæ acciderant, describenda modo suscipit gesta Discipulorum, per varias Provincias errantium. Philippus Diaconus inter septem, & Stephani socius (9), infra Act. 21. 8. appellatus *Philippus Evangelista*, Jerosolymis cum cæteris recedens, furorem Judæorum evitaturus, in Samariticam Regionem perrexit, ibique Evangelium nunciavit: ratus, nihil se præstare, quod consilio Jesu Christi repugnaret, quem norat Evangelium in Urbe Sichar nunciasse, multisque Samaritanorum persuasisse. Legimus utique Act. XI. 19. Discipulos dispersos ubique prædicasse, sed unis Judæis: *Nemini loquentes verbum nisi solis Judæis*; sed cum Samaritani Messiam non secus ac Judæi opperirentur, circumcisione initiati essent, Scripturas legerent, sequi posteros Abrahami & Jacobi assererent, atque in cœtu suo multos haberent e veteribus Israelitis, eodem jure fœderis una cum Judæis comprehensi censebantur (10). Quare Philippus e consilio Domini esse censuit, si & Samaritanis Jesum Christum nunciaret. Solos ex omnibus Ethnicos Apostoli excludebant, cum illis Evangelii fores nondum paterent.

℣℣. 9. 10. VIR AUTEM QUIDAM, NOMINE SIMON, QUI ANTE FUERAT IN CIVITATE MAGUS, quique Samaritanos adeo dementaverat, ut omnes post se traheret, illique de ipso palam prædicarent: *Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna*. Vir erat Simon, teste S. Epiphanio (11), e vico Gittone in Provincia Samariæ, qui magicis præstigiis, effictisque ad ludibrium prodigiis, eam de se opinionem indiderat Samaritanis, ut reputaretur *virtus Dei magna*, id est Pater super omnia editus, juxta S. Irenæum, aliosque Veteres (12), vel Messias juxta alios (13). Hæc per summam im-

(1) Baron. ad an. 33. Sanct. hic. (2) 1. Petr. I. 1. (3) Aug. serm. 316. nov. edit. p. 574. & ser. 318. c. 4. Vide Chrysost. homil. 18. in Acta, & Hieronym. in Matth. x. (4) Lucian. Epist. de revel. corporis S. Steph. ad calcem t. 7. nov. edit. S. Aug. (5) Συγκομίσαντες δὲ τὸν Στέφανον ἄνδρες εὐλαβεῖς. Antiq. Ital. *Comportarunt*. Ita Cantab. (6) Heins. Hamm. Pagn. Mont. Beza, Pisc. alii. (7) Lud. de Dieu. Vide & Sanct. hic, & Lexicograph. (8) Pseudo-Ignat. Ep. ad Antioch. Κοπιάται. Vide Epiphan. Compend. Doctr. ad finem. Sanct. hic. (9) Act. vi. 5. Tertull. de Baptis. cap. 18. & Const. Apostol. lib. 6. c. 7. Philippum Apostolum nuncupant. (10) Vide Justin. Apolog. 2. p. 81. Chrysost. hom. 24. in Acta; Sanct. Fromond. hic, alii. (11) Epiphan. hæres. 21. Justin. Apolog. 2. p. 69. (12) Iren. lib. 1. c. 20. Ita & Justin. Apolog. & Tertull. seu quisquis Author Addit. ad lib. præscription. Grot. hic, Fromond. (13) Epiphan. Hieronym. Aug. de hæres. cap. 1. Theodoret. hæretic. Cornel. a Lap. Capel. Lud. de Dieu.

impudentiam jactasse de se illum, narrat S. Hieronymus: *Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus* (14), *ego Paracletus, ego Omnipotens, ego Omnia Dei*. Gloriabatur se tradidisse Legem Moysi in monte Sinai in Patris Persona; apparuisse hominibus, imperante Tiberio, sub forma Filii; deinde illapsum in Apostolos sub linguarum ignearum imagine, tamquam Spiritum Sanctum; subdebat autem, Christum nunquam venisse, nec a Judæis quidquam pertulisse, sed omnia specie tenus, & oculorum ludibrio contigisse. Leguntur hæc in vetustis Editionibus S. Augustini (15), sed absunt a Codicibus manuscriptis, & a novissima Editione, in qua tradit tantummodo S. Doctor, se obtrusisse illum pro Messia, & pro Jove Ethnicorum; at pro Minerva seu prima Mente, vel Sancto Spiritu venditasse fœminam quamdam Helenam appellatam, quam sibi habebat familiarem. Alia pariter docebat tradebatque, a nostro instituto aliena (16); sed errores hosce nonnisi post ejuratam Christianam Fidem sparsit, uti ea modo dicendis constabit.

℣. 12. In nomine Jesu Christi baptizabantur; baptismate scilicet a Jesu Christo instituto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. In Græco traditur (17): *Cum credidissent Philippo evangelizanti Regnum Dei, & nomen Jesu Christi, baptizabantur viri & mulieres*. In veteri Lege viri tantummodo obsignabantur circumcisione, sigillo nempe fœderis inter Dominum & posteros Abrahami. In nova Lege Jesus Christus sancivit, ut viri æque ac mulieres initientur Baptismate, quod fons est justificationis, & remissionis peccatorum. Nullus sexus, conditio nulla a Regno Dei excluditur, & cum nemo unus sit a peccato immunis, gratia Dei nemo non indiget: *Omnes peccaverunt; & egent gloria Dei* Rom. 3. 24.

℣. 13. Simon et ipse credidit, & baptismate initiatus fuit. Credidisse illum non sincere, sed simulate, plures ex Patribus docuerunt (18). Impius erat hypocrita, qui prodigiorum Philippi vim ferre non valens, credere se in Jesum Christum, & Evangelistæ assentiri simulavit, ratus futurum, ut denique assequeretur artem prodigia illa patrandi; id enim totum magicis præstigiis tribuebat, habebatque Philippum ceu purum putumque Magum, doctiorem tamen quam se & præstantiorem (19), quem deterere destinaverat, statim ac occultam ejus artem suffurari sibi datum esset.

Alii vero nomen Fidei sincere dedisse illum arbitrantur (20); sed Fidei quæ tantummodo in contemplatione consisteret, nec animum & voluntatem emoveret; ceu virum, qui rei evidentia convictus manus dat, sed invitus, & reluctans, molestaque hac veritate sese expediturus, in omnem partem se versat, sive quæstia dubia proponens, sive contra apertam veritatem nequissime pugnans. Ita Dæmones credunt Jacob. 2. 19. *Dæmones credunt, & contremiscunt*; ita & mali Christiani Jesum Christum credunt, non amant. Intolerabili superbia & audacia plenus Simon (21), ait S. Augustinus in Ps. 30. n. 14. *desideravit istam non gratiam, sed potentiam* patrandorum miraculorum; *non unde liberaretur, sed unde extolleretur*.

℣. 14. Miserunt ad eos Petrum et Joannem, ut manuum impositione Spiritum Sanctum illis impertirent, neque enim id præstare poterat Philippus, utpote Diaconus, cum munus esset solis Apostolis, eorumque successoribus creditum (22). Cum vero hic legimus, Petrum a cæteris Apostolis eo missum fuisse, non ita reputandum est, ac si illis inferior esset Petrus, neque pro imperio, tamquam cum inferiori, reliqui cum illo agerent. Scitum est enim, semper & ubique in Ecclesia Petrum veluti Principem Apostolici Senatus agnitum fuisse; nunquam enim non in capite omnium Apostolorum exhibetur; pro illis verba facit; denique Principem Apostolorum nunquam non agit. Mittitur Petrus, uti sæpe in Civitate seu in hominum Communitate ad res gravissimas eligitur legaturque vir princeps, & amplissimus. Rogatur, ut hanc provinciam suscipiat, suamque præstare velit operam illis, qui ipsi tamquam Capiti pareat (23). Ita Ecclesia Antiochena misit Jerosolymam Paulum & Barnabam ad consulendos Apostolos de rebus gravissimis Act. 15. 2. & Judæi Jerosolymitani Romam legavere Ismaelem summum Sacerdotem cum viris totius gentis amplissimis, ut Agrippam & Festum reos apud Neronem accusarent (24).

℣. 15. Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Petrus, & Joannes Apostoli ad conferendum Confirmationis Sacramentum se se precibus compararunt. Deum omnino rogavere, ut S. Spiritum hominibus non ad Fidem conversis impertiri non recusaret. Orantibus Apostolis orasse pariter Neophytos, minime ambigimus; agebatur enim de re summa, quæque illorum magnopere intererat. Divina vis Sacramentis insita præparationes in Ministris, & initiandis non excludit, sed exigit; vires Sacramenta a præparationibus hisce non trahunt; sed istæ si abfuerint, illa potissimum effectu suo sæpe carent.

Spiritus ille Sanctus, quem Apostoli manuum impositione Samaritanis Neophytis impartiti fuerunt, alius plane erat a spiritu gratiæ, justitiæ, & sanctitatis in baptismate collato. Spiritus erat ille fortitudinis, quo libere & audacter fateri nomen Jesu Christi dabatur; erant & superna quædam munera & virtutes, quas tunc Deus elargiri solebat iis, qui per baptismum & confirmationem sese fidelibus adjungebant. Hujusmodi (25) erant dona linguarum, curandorum morborum, miracula, vaticinandi facultas; sæpe etiam Deus ex his donis illud singulis conferebat, quod sibi quisque in baptismate poscebat.

℣. 16. Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Dissident Scholastici in sensu hujus sententiæ, aliarumque, in quibus de baptismo Jesu Christi nomine tradito, contendentibus aliis, baptismum collatum uno Jesu Christi nomine, non expressis cæteris e Trinitate Personis, legitimum ac ratum esse; aliis, naturam Sacramenti exposcere trium Personarum pronunciationem, ratis, hæc si defuerit, inane esse Sacramentum. Cum autem argumentum illud feriam exigat disputationem, rem totam ad Dissertationem remittimus.

℣. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Manuum impositio ritus est mysticus, quo Ecclesia in duplici re gravissima utitur. Primo enim cum per manus Apostolorum, & qui illis successerunt, Episcoporum, Confirmationis Sacramentum impartit; secundo in Sacramento Ordinis. Baptismate Episcopus confert baptizatis gratiam & robur, quin &

(14) Alludit ad locum Psalmi xliv. 3. qui locus tunc temporis de Messia vulgo intelligebatur: *Speciosus forma præ filiis hominum*. (15) Vide nov. Edit. de hæresib. c. 1. Ex Irenæo lib. 1. c. 20. (16) Vide Tillemont, Art. de Simon le Magicien tom. 2. p. 37. (17) Εὐαγγελιζομένῳ τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐβαπτίζοντο ἄνδρες, καὶ γυναῖκες. (18) Iren. adv. hæres. lib. 1. c. 20. Euseb. hist. Eccl. lib. 2. c. 1. Beda hic. Vide Aug. tract. 6. in Joan. Hieron. in Ezech. xvi. Ambros. lib. 2. pœnit. c. 4. Cyrill. Jerosol. Cathech. 3. Ita & alii plures. (19) Chrysost. homil. 18. in Acta. (20) Grot. Bez. From. alii. (21) Aug. in Psal. cxxx. 2. 5. *Volebat Simon ambulare in mirabilibus super se. Et ideo eum plus delectabat potentia Apostolorum, quam justitia Christianorum*. (22) Chrysost. homil. 18. Epiphan. hæres. 21. Isid. Pelus. lib. 1. p. 450. (23) Vide Baron. Bellarm. Sanct. Fromond. alios. (24) Joseph. Antiq. lib. 20. c. 7. (25) Chrysost. homil. 18. in Acta; Aug. in Psalm. 130. ℣. 2. Grot. alii.

& Christianæ professionis perfectionem, ut Patrum verbis utar (28). Confirmatione potestatem tradit solemnibus in Ecclesia muneribus fungendi, additis interioribus gratiæ auxiliis, quibus opus est, ut ea cum fructu exerceatur. Hic autem de Confirmatione agitur a Deo collata neophytis, ut confirmetur illorum fides & gratia, iisque conferantur dona supernaturalia Sancti Spiritus, de quibus supra.

Quæstionem hic agitant Interpretes, utrum Apostoli Sacramentum illud contulerint sola manuum impositione, additis precibus & forma Sacramenti; an his accesserit Sacrum Chrisma vel unctio, ex more qui nunc in Ecclesia obtinet. Sola manuum impositio occurrit hic apud Sacrum Scriptorem, & nullibi in Scriptura legimus assertis verbis, olim ab initio Confirmationem sacra olei unctione peractam fuisse. In vetustis Ritualibus libris nulla de unctione mentio; ut non obscure appareat, prioribus Ecclesiæ Sæculis Latinos Episcopos una manuum impositione confirmasse.

Fatendum est tamen, in Ecclesia Orientali a longa jam ætate Episcopos & Sacerdotes solo Chrismate Sacramentum illud contulisse; quod & adhuc servant. In Ecclesia Latina pariter Sacerdotes, quibus olim datum fuit, ut Sacramentum illud conficerent, sacra unctione usi sunt; deinde vero & Episcopi, ordinarii Sacramenti hujus ministri, manuum impositioni chrisma junxerunt; quem hodie morem late servari in Ecclesia Latina constat. Sed Theologicum Tractatum non scribo, adeoque & fusius hanc quæstionem non agito. Vide qui de hoc argumento scripserunt.

℣. 18. Cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus; cum scilicet animadverteret, Sacramento illo initiatos in alios homines mutari, ut fierent repente eruditi, Sapientes, Prophetæ, miraculorum patratores, ignotis periti linguis, singuli dono suo prædIti; particeps esse cœlestium hujusmodi donorum optavit; neque difficile impetrasset, si animo sincero & vera fide ductus accessisset: sed illud potius cupiebat, ut manuum impositione eadem aliis ipse conferret. Duplex optandi causa fuit; prima scilicet superbia & mala cupiditas, ut inter suos clarior fieret, integramque servaret famam, quam magicis præstigiis sibi pepererat, atque Philippo, cui nihil tale concessum fuerat, præstantior videretur. Secunda, mala erat habendi cupiditas: sperabat enim fore, ut si donaretur virtute conferendi aliis Spiritum Sanctum, & donum miraculorum, vim immensam opum compararet, ac per ora hominum celebraretur (29). Id autem reputabat, uti animadvertimus, hanc Apostolorum potestatem a rerum magicarum scientia, & Dæmonis potestate validiori, quam quæ sibi aderat, esse repetendam (30).

℣. 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Avertat me Deus ab hac mala cupiditate, vel ne unquam id recipiam: pecuniam tuam malo tuo tibi habeto. Est id imprecantis malum, sed hac tacita conditione: Nisi resipueris. Vel potius est prædicentis id (31), quod homini imminebat, nisi resipisceret.

Donum Dei existimasti pecunia possideri. Hoc potissimum dogma est hæresis Simonis & Simonianorum. Reputant illi, Dei & S. Spiritus dona, divina munera, quæ Deus liberali tantummodo clementiæ suæ beneficio confert, officia ac Dignitates Ecclesiasticas, Sacramenta & sanctissima quæque, reputant, inquam, ac referunt in censum rerum vilissimarum pecunia comparandarum, quas indigna negotiatione emas ac vendas. Negotiatio ista peccatum est in Spiritum Sanctum, quippe quæ injuria & contemptu tertiam in Divinitate Personam ejusque dona afficit (32). Apostolos hic tentat Simon (33); illos enim ad peccatum sollicitat, pecunia oblata pro re, quæ nec pretio emitur, nec illorum dominio & potestati, sed tantum ministerio & custodiæ subest.

℣. 21. Non est tibi pars in sermone isto (34). Sermo ponitur hic pro re; non est tibi pars in re ista: consors non eris gratiæ interioris a Spiritu Sancto collatæ, neque exteriorum donorum, quæ conferuntur Fidelibus manuum nostrarum impositione: nec denique potestatis nobis concessæ largiendi Spiritum Sanctum iis qui credunt & baptizantur. Beneficia sunt hæc plane gratuita, quorum in partem admitti non debes.

℣. 22. Pœnitentiam age, et roga Deum, si forte remittatur tibi. Misericordiæ fores penitus non claudit Apostolus; sed obtinendæ veniæ difficultatem expendit, addens: *Si forte remittatur tibi*. Norat ille quæ Christus docuerat de peccatis in Spiritum Sanctum, quæ neque in præsenti hoc sæculo, neque in futuro remittuntur (35). Ejusmodi autem erat commissum a Simone peccatum, quo ad magicas superstitiones referebat prodigia, quæ ab Apostolis exhibebantur, ac pretio emere tentavit potestatem & sibi & aliis tantumdem præstandi; quasi scilicet ex hominum industria vel e Diaboli virtute id repeteretur.

℣. 23. In felle amaritudinis, et in obligatione iniquitatis. Alludit hic Apostolus ad illud Deuteronomii (36): *Ne forte sit inter vos, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo vestro, ut vadat & serviat Diis illarum gentium; & sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*. Radix es tu perversa, quæ venenato humore manas, ac toxici lethalis fructus promis. Similem te dixerim plantis illis veneniferis, quas frustra corrigas, quarum succus perniciem affert sumentibus. *In obligatione iniquitatis video te esse*. Servus es peccati (37), venditus in malum (38); licentiæ fræna omnia laxasti, & quodammodo emendationis incapax, avarus, hypocrita, superbus, &c.

℣. 24. Precamini vos pro me. Cum Apostoli monitis obtemperare deberet Simon, & seriam pœnitentiam amplecti, dolorem simulat commissorum, rogatque pro se precentur, non ut Deus moveat sibi animum, & spiritum pœnitentiæ indulgeat, sed ut e capite suo avertat mala sibi ab Apostolo denunciata (39). Habemus hic exemplum falsæ pœnitentiæ, quæ peccatum non execrata, peccati tantummodo pœnam metuit. Ita & Pharao cum animi rigor emolliendus esset, Moysem rogabat, ut a plagis, quibus ab eo afficiebatur, cessaret, quæ si cessassent, nec vota sua, nec fidem datam liberaret. Ms. Cantabrigiense & secundum Roberti Stephani cum Tertulliano ferunt (40), Simonem plurimo fletu, obnixisque precibus id expostulasse.

Apostoli monitu nedum non profecit Simon, verum etiam magis magisque in nequitia cor obfirmavit; impensius enim studia Magiæ coluit (41), omnique nisu Evangelii incrementis obstitit. Samariam deserens, varias Orbis Regiones peragravit, loca quærens, in quibus adhuc ignotum

(28) Cyprian. Epist. ad Jubajan. *Signaculum Dominicum quo Christiani consummantur*. Cornel. apud Fabian. apud Euseb. lib. 6. cap. 35. &c. (29) Vide August. in Psalm. xxv. & cxxx. (30) Chrysost. hom. 18. in Acta. (31) Beda, Gloss. Carthus. (32) Vide August. Comment. Inchoato in Epist. ad Rom. (33) Clement. Constit. lib. 5. cap 7. & Oecum. hic. (34) Constit. Apost. lib. 6. cap 7. Οὐκ ἔστι σοι μερὶς ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῇ πίστει ταύτῃ. Ita fere Syr. & Ambros. (35) Matth. XII. 31. (36) Deut. XXIX. 18. (37) Rom. VI. 6. 12. 17. 19. 20. Isai. LVIII. 6. (38) Rom. VII. 14. Venumdatus sub peccato. 3. Reg. XXI. 20. *Eo quod venumdatus sis ut faceres malum*, &c. (39) Vide Tertull. de anima cap. 34. & Chrysost. hom. 18. in Acta. (40) Cant. & Steph. B. Καὶ πολλὰ κλαίων οὐ διελίμπανεν. Tertull. de anima. (41) Vide Iren. lib. 1. cap. 20.

tum esset nomen J. C. ut incautos deciperet (42).

Tyrum Phœniciæ cum venisset (43), Helenam, vel Selenen fœminam prostitutam sibi emptam sociam peregrinationum adhibuit, quacum nefanda plura commisit. Dictitabat autem, hanc esse celebrem Helenam, Menelai uxorem; sed & Minervam interdum appellabat. Hanc primam esse mentem ajebat, rerum omnium matrem, nec abstinuit, quin illi nomen Sancti Spiritus inderet. De se vero prædicabat, magnam esse Dei virtutem, & Messiam; ejusque Discipuli sub communi Christianorum nomine censebantur ab Ethnicis; id quod nomini illi plurimam invidiam apud gentes creavit.

Peragratis jam variis Orbis Provinciis, seducta-que præstigiis ingenti hominum turba, Orientem deseruit, ut Romam sub Claudio veniret. Ibi vero divinis illi honoribus a Senatu decretis, & statua cum epigraphe Dei & Sancti, cultum fuisse, ex Patribus intelligimus (44). Quæ tamen historia multis implexa difficultatibus, utpote a nostro instituto aliena, integra per nos ad Criticos remittitur. Tandem per aera sublimis in Cœlum ferre se tentans, Apostolis Petro & Paulo orantibus, præceps corruit; repagulisque animæ ex lapsu confractis, paulo post interiit.

Ỳ. 25. Testificati, et locuti verbum Dei. Prædicationem Philippi verbis & miraculis veluti dicto testimonio confirmarunt; sidemque dictis ab illo addiderunt, ac impium Simonem, perniciosum Evangelii corruptorem, magis magisque confuderunt.

Ỳ. 26. Vade contra meridianum (45) ad viam quæ descendit ab Jerusalem in Gazam: hæc est deserta. Samariæ adhuc facile versantem Philippum apparens per visum Angelus monuit, ut in plagam meridianam Juda, Hebronem versus, ad viam quæ Jerosolyma Gazam desertam ducebat, concederet. Idcirco hic exprimitur Gaza deserta, quod præter veterem, eo tempore desertam, altera tunc esset Gaza mari vicinior, incolis opibusque florentissima. Vetus illa in colle sedens a mari distabat stadiis, juxta Arrianum l. 2. de Exped. Alex. viginti, juxta Strabonem lib. 16. septem. Ab Alexandro Magno eversa, non eodem quo prius loco, sed inferius aliquanto restituta fuit, uti Hieronymus, qui ruinas veteris Gazæ sibi visas docet, est author. De altera igitur Gaza accipienda sunt, quæ Polybius in Excerpt. Vales. p. 86. affirmat, Antiochum nempe Gazam expugnasse; quæque leguntur apud Macchabæos (46), & Josephum Antiqu. l. 13. c. 21. ita de Gaza agentes, uti de urbe valida & florenti diu post Alexandrum, & ante illud tempus, de quo hic agitur. Hodie pariter ex urbe Jerosolyma in Ægyptum contendentibus iter per meridiana Juda & Gazam agendum est. S. Chrysostomus, Oecumenius, aliique nonnulli vocem *deserta*, non ad Urbem Gazæ, sed ad viam eo deducentem referunt. Sed quæ prior, hæc optima interpretatio est. Gallandus a Relando (47) laudatus, censet, desertam urbem esse hic urbem non muniam, patentem omnibus, nullo custoditam præsidio: sed cur invalidam adeo urbem armis cepere Macchabæi & Alexander Jannæus?

Ỳ. 27. Vir Æthiops; Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum. Eunuchi nomen vel de Eunucho re ipsa tali accipiendum est, vel positum est, uti sæpe alias, pro Præfecto Aulæ Candacis. Quamquam Græca phrasis designat potius verum Eunuchum ex Optimatibus Regni, sive Aulæ Reginæ Candacis (48). Sunt autem hic Æthiopes gens Insulæ vel Peninsulæ Meroes, supra & ad meridiem Ægypti. Regnum ibi tunc fœminæ moderabantur, & ex his plures sub eodem Candacis nomine innotescunt. Communem hanc fuisse mulierum ibi regnantium appellationem, Plinius aliique nonnulli (49) docuisse videntur; unde nata quorumdam opinio, Candacis nomen esse genericum, supremam authoritatem designans. Sunt qui *Candacis* nomen Eunucho male tribuerint (50).

Venerat adorare in Jerusalem. Eunuchus iste facile nomen dederat inter Proselytos, ac Dominum norat, cum longinquum adeo iter susciperet, ur obsequia sua Domino Jerosolymis præstaret, & Isaiam Prophetam legeret; quæ omnia a profano homine abhorrent. Frequentissimi erant olim in Ægypto ac Æthiopia Judæi, ut & Proselytos Deum colentes ac Legem servantes facere ibi potuerint. Eusebius, S. Basilius, S. Thomas aliique nonnulli Ethnicum fuisse hominem, & primum, qui inter Ethnicos Christum agnoverit, docuerunt (51). Venisse ad Festum Pentecostes, Grotius suspicatur, ratus necem Stephani & Fidelium dispersionem non diu post Festum illud accidisse; quod parum credibile reputamus, cum septem Diaconorum electio nonnisi aliquandiu post, ad sedandas querelas Judæorum Hellenistarum & exterorum obmurmurantium, quod in ministerio mensæ viduæ eorum negligerentur, contigerit. Contulisse se ad Pascha celebrandum, S. Chrysostomus apud Baronium affirmat: verum S. Doctor non obscure docet, nullum tunc Festum in eidisse; unde argumentum capit fidei & religionis Eunuchi magis magisque commendandæ (52).

Ỳ. 29. Dixit autem Spiritus, &c. Spiritus iste non alius est ab Angelo, qui in viam Gazæ divertere Philippum jusserat (53). Ex Interpretibus tamen plures (54) designari hic censent Sanctum Spiritum, Spiritum propheticum, intime impellentem, ut Eunuchum conveniret.

Ỳ. 30. Legentem Isaiam. Clara voce & forte Græce legebat, erat enim Græcus sermo in universa Ægypto viciniisque Provinciis familiare; ac versio Septuaginta omnium prope manibus versabatur. Quæ infra laudatur sententia, ex ea Versione expressa est.

Ỳ. 31. Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Alienus plane erat a sententia illorum, quibus Scripturæ omnia aperta videntur & explorata, ut intimos ejus recessus pervadere se posse, nemine referante (55), certumque ejus sensum tenere, nulla superiori authoritate tradente, censeant.

Ỳ. 32. Tamquam ovis ad occisionem ductus est ..... Ỳ. 33. In humilitate judicium ejus sublatum est, in dejectione sua e morte ereptus fuit, Locus hic sese offert in Isaia LIII. 7. in Versione Septuaginta. Hebræus ita legit (56): St-

(42) Theodoret. hist. lib. 1. cap. 1. (43) Iren. & Theodor. loc. cit. Tertull. de anima cap. 34.

(44) Justin. Apolog. 2. Iren. l. 1. cap. 20. Tertull. de anima; Euseb. Theodoret. August. alii. Vide Tillemont, tom. 2. titre Simon le Magicien, & Note 1.

(45) Græc. Κατὰ μεσημβρίαν. Arab. Æth. in Lud. de Dieu; *Tempore meridiei*, circa meridiem.

(46) 1. Macch. 11. 61. XIII. 43. 44.

(47) Reland. Palæst. tom. 3. pag. 788.

(48) Ἀνὴρ Αἰθίοψ Εὐνοῦχος δυνάστης Κανδάκης, &c.

(49) Strabo lib. 17. Plin. lib. 6. cap. 29. *Ædificia oppidi* [Meroes] *pauca; regnare fœminam Candacen; quod nomen multis jam annis ad Reginas transiit.*

(50) Menolog. Basil. Nazianz. orat. in S. Baptisma; Anastas. Sinaita lib. 6. Euthym. in Psalm. 67.

(51) Euseb. Histor. Eccl. lib. 2. cap. 1. D. Thom. in Joan. cap. 12. Bed. Hug. Cajet. Lorin. Sanct. alii.

(52) Chrysost. homil. 19. Ἑορτὴ οὐκ ἦν.

(53) Supra Ỳ. 26. Ita Chrysost. Hieron. Sanct. Lorin. Cornel. Tirin. Fromond.

(54) Beda, Menoch. Pisc. Hamm. alii.

(55) Grot. hic: *Non putabat tam perspicuam ubique esse Scripturam, & expositum omnibus habere sensum, ut nunc faciunt non sellularii tantum, sed & fœminæ, qui rectius facerent, si duce sibi opus esse agnoscerent.* Vide & Calvin. hic.

(56) Isai. LIII. 7. כשה לטבח יובל וכרחל לפני גוזיה נאלמה ולא יפתח פיו : מעצר וממשפט לקח ודורו מי ישוחח כי נגזר מארץ חיים

Sicut ovis ad lanienam ductus est ; & sicut agnus coram tondente se obmutuit : non aperuit os suum . Ex carcere & judicio raptus est : & vitam (generationem) *ejus quis enarrabit ? quoniam succisus est de terra viventium* . Pingitur his coloribus Christus, qui silens, minimeque repugnans in necem raptus fuit. Quod additur, *ex carcere & judicio raptus est* , ita commode explicatur : Catenis onerabitur , custodiendus militibus tradetur, damnatus deinde ad supplicium rapietur . Vel : Educetur e carcere sepulcri & morte Crucis per Resurrectionem. *Generationem ejus quis enarrabit?* Exponi hæc possunt sive de generatione ejus æterna, sive de temporali ex Virgine matre, vel de Resurrectione, quæ prodigiosæ nativitatis instar habenda est. Vel denique reddi potest : ortum, vitam, & mortem ejus quis enarrabit ? Quis de illo sæculis futuris loquetur , cum fœdo reorum supplicio sublatus sit ; & peremptorum sontium memoria apud homines sit execrabilis? Ut ut accipiatur, cum Jesu Christo optime quadrat. Vide nos in Isaiam.

℣. 33. In humilitate judicium ejus sublatum est. Post dejectionem, quam sponte in passione subiit , e morte & sepulcro liber restitutus fuit, sententia damnationis ejus per gloriam Resurrectionis deleta. Hunc sensum facile tribuas Textui Septuaginta: quæ sit autem Hebræi sententia , in superiori versiculo expendimus.

℣. 35. Incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. Demonstravit in ipso Jesu impletam nedum vaticinii hujus, verum & omnium aliorum fidem. Itaque sermonem diu protraxisse oportet. Porro sive Scripturas norat optime Eunuchus , sive saltem secum deferebat Codicem Prophetarum, ex quo Philippus, quæ argumento suo conducerent, seligebat.

℣. 36. Venerunt ad quamdam aquam, ad fontem seu ad rivum S. Hieronymus in Locis , & post illum Ado in Martyrologio, ac Recentiorum plures (57) tradunt , pervenisse illos ad fontem vicies mille passibus vel septem leucis a Jerosolyma, ad Hebronem , prope *Betsor* , vel *Betsur* . Fons est e radice montis scatens , nec diu post terræ iterum sese insinuans ; quam tamen traditionem ea quæ ℣. 38. sequuntur , suspectam efficiunt.

℣. 37. Si credis ex toto corde , licet . Tantum docilitatis, fidei, pii studii , & intelligentiæ nactus est in Eunucho Philippus, ut nullo diuturniori experimento se indigere , quo illum initiaret baptismate, censuerit. Docuerat illum utique necessitatem & virtutem baptismatis , & quibus animus ad illud compararetur , exposuerat . Historiam hanc compendiosissime absolvit Lucas ; quare minime ambigimus , quin *impleta* fuerint *omnia , quæ licet taceantur in Scripturis brevitatis gratia , tamen serie traditionis scimus implenda* (58). Deest versiculus iste in Græcis & Latinis nonnullis Codicibus manu exaratis ; in aliis variantia quædam occurrunt ; ex quo suspicamur , suppletum hic esse versiculum aliunde , ut ex Epistola ad Romanos x. 9.

℣. 38. Descenderunt uterque in aquam , & Philippus Eunuchum aqua mersit ; neque enim tunc alius baptizandi ritus obtinebat . Id autem præstari vix poterat in fonte Betsur , de quo S. Hieronymus, sed e Jerosolyma Gazam non unum torrentem occurrere , docent Itineraria . Ex his aliquis aquas ad baptismum Eunuchi præbuit.

℣. 39. Spiritus Domini rapuit Philippum , et amplius non vidit eum Eunuchus . Sublimis in aerem raptus fuit ab Angelo (59), uti olim Habacuc Dan. ult. 35. qui capillis apprehensus, e Judæa Babylonem sublatus fuit . Sive ille , quo is afflabatur , Spiritus tantam Philippo celeritatem indidit , ut repente elapsus , paulo post Azotum pervenerit ; quemadmodum ferme accidit Eliæ , qui currum Achabi præcedens, Jezraelem præcucurrit 3. Reg. 18. 46. Filii Prophetarum , post translatum igneo curru Eliam, quid de illo actum esset ignorantes, viros quinquaginta ad eum quæsitandum miserunt : *Ne forte* , inquiebant 3. Reg. 2. 16. *tulerit eum Spiritus Domini , & projecerit eum in unum montium , aut in unam vallium*. Abdias, vir Deum metuens, obvius Eliæ factus, jussus ab eo 3. Reg. 18 11. *Vade , & dic domino tuo : Adest Elias :* respondit : *Spiritus Domini asportabit te in locum quem ignoro ; & Achab interficiet me* . Ita pariter, juxta plerosque Interpretes, Jesus Christus in desertum, in pinnaculum Templi, & celsi verticem montis sublatus fuit.

Codices quidam Græci (60), & Latinorum Patrum nonnulli (61) legebant hic: *Spiritus Sanctus cecidit super Eunuchum , & Angelus Domini rapuit Philippum* . Quibus verbis exprimitur, Eunuchum absque manuum impositione obtinuisse Spiritum Sanctum , privilegio plane singulari , uti deinde accidit Cornelio ejusque domesticis , nondum baptismate initiatis (62) . Est utique Deus donorum suorum arbiter absolutus , ut communibus legibus neglectis, illa ad arbitrium largiatur.

Eunuchus , cujus conversionem & baptismum modo legimus , Apostolum gentis suæ & Catechistam egit (63). Missus enim a Spiritu Sancto & ab institutore suo (64) Philippo , doctrinam quam didicit , gentilibus suis prædicavit . Hodie pariter Abyssini , eo tradente Christianam fidem se recepisse gloriantes , in ritu conferendi baptismatis hanc historiam legere feruntur . Inter Sanctos idem a Græcis colitur . Sunt qui tradant , Evangelium promulgasse illum in Arabia Felici & in Insula Taprobane ; quod tamen dubium esse maxime & incertum , fatemur.

℣. 40. Inventus est in Azoto, urbe Philistæorum celebri , novem vel decem leucis a Gaza ad septemtrionem . Hinc excurrens Philippus fidem circum spargebat , donec tandem contulit sese Cæsaream Palæstinæ , triginta leucis circiter ab Azoto. Hic sedem fixisse videtur (65), cum Paulus Apostolus aliquot post annos eo veniens , una cum sociis apud illum aliquandiu commoratus fuerit Act. 21. 8. Ibi pariter degebant filiæ ejus quatuor , prophetiæ dono illustres Act. 21. 9. Ædes Philippi & quatuor filiarum conclavia S. Hieronymi ætate Cæsareæ Palæstinæ monstrabantur, quas S. Paula religiose invisit (66).

(57) Pearson. Grot. Fuller. Fromond. alii. (58) August. de fide , & operib. cap. 9. *Intelligi volunt impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis brevitatis gratia, tamen serie traditionis scimus implenda.*
(59) Chrysost. homil. 19. Ambros. in Symbol. cap. 32. in Isai. lxiii. & Hieron. contra Lucifer. Sanct. Lorin. Cornel. Grot. Fromond (60) Πνεῦμα ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν Εὐνοῦχον , Ἄγγελος δὲ Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον. Ita Cod. Alex. Vechel. Genev. alii, apud Mill. (61) Hieron. Dialog. Orthodox. & Luciferiani cap. 3. 4. August. serm. 226. pag. 1216. 9. Raban. in Gloss. ord. traductum ex Act. x. 44. vel xi. 15. Vide Erasm. Bez. Mill. (62) Act. x. 44. (63) Hieron. in Isai. liii. & Epist. 103. Euseb. lib. 2. cap. 1. Iren. lib. 3. cap. 12. (64) Cyrill. Catechef. 17. (65) Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 449.
(66) Hieronym. Epist. 27.

CAPUT IX.

Paulus ad fidem convertitur, & baptismate initiatur. Damasci Evangelium nunciat; sed præripere se per mœnia cogitur. Jerosolymam a Barnaba deducitur. Recipit se Tharsum. Petrus paralyticum sanat, ac mulierem mortuam ad vitam revocat.

℣. 1. SAulus autem adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum. 2. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas; ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. 3. Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco; & subito circumfulsit eum lux de cœlo. 4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? 5. Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. 6. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? 7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. 9. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. 11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem; ecce enim orat. 12. (Et vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat). 13. Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jerusalem; 14. Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. 15. Dixit autem ad eum Dominus. Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. 16. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati. 17. Et abiit Ananias, & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu sancto. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est. 19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. Et continuo in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. 21. Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? 22. Saulus autem multo magis convalescebat, & confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent. 24. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die, ac nocte, ut eum interficerent. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. 26. Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus. 27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu. 28. Et erat cum illis intrans, & exiens in Jerusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini. 29. Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. 30. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum. 31. Ecclesia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur. 32. Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ. 33. Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. 34. Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: Surge, & sterne tibi. Et continuo sur-

surrexit. 35. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: qui conversi sunt ad Dominum. 36. In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat. 37. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. 38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes, quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos. 39. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. 40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, & conversus ad corpus dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: & viso Petro, resedit. 41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, & viduas, assignavit eam vivam. 42. Notum autem factum est per universam Joppen: & crediderunt multi in Domino. 43. Factum est autem, ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

℣. 1. SAULUS ADHUC SPIRANS MINARUM. Quæ hactenus Paulus egerat, minora erant quam ut furorem ejus in Christianos satiarent. Igitur lustratis undique locis omnibus, Christianisque Jerosolymæ vexatis Act. 8. 3. exiit urbe, cæde adhuc spirans, æstuansque minis atque furore. Nimio scilicet avitarum Legum studio agebatur (1). Acta sunt hæc aliquandiu post necem Stephani, & altero ab obitu Jesu Christi anno. Sunt (2), qui Pauli conversionem septimo anno post Passionem Christi collocent, spatio utique diuturniori quam quod exigatur implendis iis, quæ in Actis narrata sunt.

ACCESSIT AD PRINCIPEM SACERDOTUM, ET PETIIT AB EO EPISTOLAS IN DAMASCUM AD SYNAGOGAS. Caipham Summum Sacerdotem cæterosque Sanhedrinos Principes (3) conveniens, literas impetravit, quibus copia sibi fieret, ut quos deprehenderet Christianam sectam professos, Jerosolymam traheret, a Sanhedrio judicandos. Hinc discimus, Sanhedrium Jerosolymitanum potestatem obtinuisse amplissimam in omnes late etiam extra Judæam Synagogas; & licet Judæi jus in vitam & necem nullibi tunc obtinerent, Magno tamen Sanhedrio jus fuisse vinctos capiendi patriæ Legis violatores, reosque cæterorum in Religionem criminum; quos captos judicabant, damnabant, puniendosque ultimo supplicio, si culpa exposceret, Romano Præsidi tradebant. Si vero morte dignos non deprehenderent, ipsi in carcerem dabant, cædebant flagris, & citra necem cruciabant. Rex Damasci liberam Judæis potestatem ex Lege agendi, parendique Sanhedrio, permittebat.

HUJUS VIÆ VIROS (4). Hebraica locutio, pro, hujus instituti, hujus sectæ. Vide infra XIX. 9. XXII. 4. XXIV. 22. Christiana Religio appellatur etiam *via Dei* infra XVIII. 26. Lucæ XX. 21. Hebr. XXVIII. X. 20. Jacobi V. 20. & 2. Petri II. 15. &c.

℣. 3. UT APPROPINQUARET DAMASCO; ET SUBITO CIRCUMFULSIT EUM LUX DE CŒLO. Versio Æthiopica addit, accidisse hoc sub meridiem, quod ex Capite XXVI. 13. deductum est. Locum, ubi Paulus dejectus cecidit, tribus a Damasco leucis ad meridiem adhuc monstrari, docent Itineraria; suaque ætate Ecclesiam ibi stetisse, ubi Apostolus ad fidem vocatus fuit, S. Augustinus Serm. 278. c. 5. innuit. Ex toto hujus historiæ, ter in Actis repetitæ (5), contextu nullibi apparet, Paulum & socios equo tunc vectos fuisse, contra atque a nostris Pictoribus exhibentur. Lux illa, qua perfusus fuit Apostolus, præsentis Numinis indicium erat; nec immerito suspicamur, ex nimio lucis illius fulgore affectos ejus oculos facultate videndi per aliquot dies caruisse; id enim vitii sæpe referri ex validiori lumine, satis constat. Anania quidem vitiatos oculos tangente, cecidisse veluti squammas legimus Act. 9. 18. sed coalescere illæ potuerunt eo intervallo, quod ab hoc tempore usque ad diem, quo sanatus est, intercessit. Eo fulgore nihil incommodi allatum fuit sociis Pauli: ex quo intelligimus, sive multo validiori luce oculos Apostoli perstrictos fuisse, seu nonnisi divino prodigio inductam fuisse cæcitatem.

An simul ac dejectus vocem ad se factam audivit, continuo pariter Jesum Christum spectaverit, quæstio est anceps. S. Chrysostomus in Act. hom. 20. & S. Asterius Orat. 18. non vidisse quidem, sed præsentiam tantummodo Jesu Christi sensisse illum censent; quemadmodum Moyses olim Angeli vocem ex ardenti rubo audiit, corporeum nihil vidit. Malunt alii (6), visum a Paulo reipsa Jesum Christum; id quod nos multo certius existimamus. Ananias enim infra ℣. 17. non obscure id illi in mentem revocat: *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via*. S. Barnabas, deducto Paulo ad Apostolos, narravit, quo pacto illi per visum in itinere Dominus apparuerit. Ex capite XXII. 14. Ananias illum sic affatur: *Deus præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres Justum* (Jesum Christum), *& audires vocem ex ore ejus*.

℣. 4. SAULE, SAULE, QUID ME PERSEQUERIS? Cur Discipulos, fratres, amicos meos insectaris? Sibi illatum, sive bonum sive malum, accipit Jesus, quod suis irrogatur (7).

℣. 5. QUIS ES, DOMINE? ET ILLE: EGO SUM JESUS. Igitur e medio circumfusæ lucis sese illi obtulit Jesus, sed ambigens Apostolus, essetne Angelus an alius quispiam, hæc interrogavit.

DURUM EST TIBI CONTRA STIMULUM CALCITRARE. Manuscripti Codices plures (8) verba hæc totumque proximum versiculum omittentes, legunt: *Ego sum Jesus quem tu persequeris. Sed surge, ingredere Civitatem*. Quæ hic adduntur, suppleta sunt ex Capite XXII. 10. & XXVI. 14. Illud, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, desumptum est ex bubus jugo & vomere junctis, qui acuto stimulo incitati, quo magis recalcitrant, eo altius penetrante cuspide vulnerantur. Dei consiliis resistebat Saulus, Ecclesiam, quam Jesus Christus stabiliverat, evertere molitur: sed contra stimulum calcitrabat; stulta nitebatur. Quo validius enim con-

(1) Vide Galat. 1. 13. Act. XXVI. 11. (2) Glycas 3. parte Annal. ex Hippolyt. Theb. Item Nicephor. lib. 2. cap. 3. ex Evodio. (3) Infra cap. XXII. 5. XXV. 12. (4) Τῆς ὁδοῦ ὄντας. (5) Hic XXII. & XXVI. (6) Hilar. de Trinit. lib. 3. August. serm. 279. & alii plures. (7) Matth. XXV. 40. August. in Psalm. XXX. *Caput pro membris clamabat, & membra in se transfigurabat*. (8) Ita MSS. Stephani omnes, Alex. Laud. 2. 3. Alii plures apud Mill. Copht. Syr. Chrysost.

concutiebat Ecclesiam, eo validius confirmabat; & quo rigidiori erat adversus manum Omnipotentis cervice, ne se subderet, eo magis consiliis ejus serviebat. Non ignotum est etiam Profanis proverbium. Terentius (9): *Nam quæ inscitia est, adversus stimulum calces.* Notum est pariter Euripidi (10), Æschylo (11), Pindaro (12). Huc etiam Moyses alludit Deut. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.*

℣. 6. QUID ME VIS FACERE? Domitus terrore Apostolus in agnum repente ex lupo transivit. Gratia elaborante, insectator conversus est in Apostolum (13). Solet plerumque gratia opus conversionis exordiri ex metu; deinde amore inchoato rem prosequitur; quam perfecta charitate demum absolvit. Primo quidem Deus gratiam largitur, qua mentem illuminet, & cor disponat, ac emolliat. Omnia paulatim & per gradus. Hinc vero uno velut impetu cor Pauli aggreditur & vincit; simulque menti lumen plane divinum affundit, & cor potenti impulsu ita trahit, ut in alterum plane hominem mutet. Maximum est hoc gratiæ miraculum, & specimen potentiæ ejus, omnium in Scriptura maxime insigne (14). *Medicus magnus*, ait S. Augustinus Serm. 299. nov. edit. *ad regionem veniens languidorum, unde medicina ejus diffamaretur, talem sibi curandum elegit, de quo multum desperabatur.*

℣. 7. IBI DICETUR TIBI, QUID TE OPORTEAT FACERE. Nec per se, nec Angelorum ministerio, quod commode poterat, erudit illum Christus; sed remittit ad Ananiam, ut simul honori Ministrorum Sacerdotumque suorum consulat, doceatque Paulum, quantam animi demissionem ab iis exigat, quos sacro muneri destinat (15).

AUDIENTES QUIDEM VOCEM, NEMINEM AUTEM VIDENTES. In Capite XXII. 9. legitur: *Lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur.* Quod duplici ratione conciliari potest; prima quidem (16), audivisse illos vocem Pauli Jesu Christo respondentis; sed loquentis Jesu vocem nullam percepisse; altera vero (17), insonuisse auribus illorum tonitru quoddam, obstrepentemque clamorem, sed confusum: *Audientes quidem vocem*, ut hic legitur, sed conceptas voces nullas assequentes: *Vocem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*, ut scribitur in Capite XXII. Ita & apud Joannem 12. 28. animadvertitur, data e Cœlo voce inclamante, *Et glorificavi, & iterum glorificabo*, præsentium plures tonitru datum e Cœlo reputasse; alios vero affirmasse, Angelum alloquutum fuisse; neminem vero concepta verba facile assequutum. Socios Pauli ad fidem tunc minime resipuisse, censet S. Chrysostomus hom. 19. quorum proinde testimonio prodigii veritas magis magisque confirmabatur.

℣. 9. ERAT IBI TRIBUS DIEBUS, NON VIDENS, ET NON MANDUCAVIT NEQUE BIBIT. Hoc tridui intervallo Paulum raptum fuisse ad tertium Cœlum, ibique mysteria quæ effari non decet hominem (18), didicisse, Interpretum plures censent (19). Alii pariter eodem triduo (20) edoctum fuisse putant Evangelium, quod post receptam fidem promulgaturus erat; quod tenere se non ab hominibus, sed a Deo revelante fatetur Galat. 1. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. S. Chrysostomus in Acta hom. 19. & S. Augustinus Serm. 169. toto illo tempore orationi vacasse malunt, veniæ præteritorum impetrandæ, parandoque animo, ut majori studio & pietate gratiam reciperet. Scriptura hic nonnisi precantem adducit: *Ecce enim orat* ℣. 11.

℣. 10. DISCIPULUS NOMINE ANANIAS. Ananias iste est nonnullis (21) unus aliquis ex septuaginta duobus Discipulis Jesu Christi, qui Damascenis Episcopus datus fuit. Addunt, martyrium consummasse; ejusque Festum Græci prima Octobris die celebrant. Hujus viri ædes in Templum mutatas fuisse ajunt, quod hodie pariter, licet in Moschæam a Turcis profanatum, ab illis tamen & a cæteris colitur. Aliis vero (22) Ananias vir est Judæus ad fidem conversus; eodemque Paulo teste Act. 22. 12. morum sanctimonia præstabat adeo, ut laudem viri probi a Judæis omnibus meruerit. Sacerdotem fuisse ideo censet S. Augustin. quæst. lib. 2. c. 40. quod credat, Paulum ad eum missum, ut ab illo acciperet Sacramentum, quod Dominus Sacerdotibus suis dispensandum commisit. Oecumenius Diaconum reputat (23). Liber Constitutionum S. Clementis nomine inscriptus, & Bellarminus laicum malunt.

℣. 11. IN DOMO JUDÆ. Judas iste quisnam fuerit, ignoratur. Judæus erat utique, Paulo facile notus, & vetus ejus hospes. Ædes illius in Templum transiisse, memoriæ proditum est; quas deinde ædes pro domo Ananiæ, eo translato ejusdem Ananiæ corpore (24), quidam suspicantur.

℣. 12. ET VIDIT VIRUM ANANIAM NOMINE. Hæc verba parenthesi claudenda esse, plerique censent (25). Sunt autem Sacri Scriptoris, narrantis ea quæ per visum spectabat Paulus, quo tempore Dominus Ananiam alloquebatur. Alii tamen (26) continuant hæc verbis Domini, qui Ananiam certiorem facit de iis, quæ tunc temporis Saulo accidebant. Ex Codicibus plures legunt (27): *Vidit in visu.*

℣. 14. A PRINCIPIBUS SACERDOTUM; a Summo Sacerdote (℣. 1.), aliisque viris e Sanhedrio, in quo plerique e classe Sacerdotum, principibus. Copiam illi fecerant detinendi trahendique Jerosolymam omnes, quotquot *invocabant nomen* Jesu Christi, illum Dei Filium & Messiam agnoscentes. Plinius de Christianis scribens ad Trajanum, ait, consuevisse illos, *statuto die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.*

℣. 15. VAS ELECTIONIS (28) EST MIHI ISTE, UT PORTET, &c. instrumentum quod elegi. *Vas electionis* apud Hebræos res est magni pretii, ex aliis multis delecta. Vasis nomen latissime usurpatur pro instrumento quocumque bellico, musico, colonico, &c. *Vas electionis* plane opponitur vasi reprobato, rejecto, abjecto; vasi iræ, ignominiæ, & iniquitatis, de quo non raro in Scriptura.

Cum Jesus Christus profitetur, electum a se Paulum in vas electionis, *ut portet nomen suum coram Gentibus*, non ideo Judæos excludit. Constat equidem, indiscriminatim omnibus Evangelium annunciasse Paulum, Hebræis, Ethnicis; sæpe etiam illorum Synagogas frequentavit; & donec Judæos nactus fuit, illis semper allaboravit, antequam converteretur ad Gentes, ut ipse palam professus fuit Act. 13. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus . . . At illi,*

(9) Terent. Phormio, act. 5. scen. 2. (10) Euripid. in Bacchis. (11) Æschy. Agamemn. (12) Pindar. Pyt. Ode 2. (13) August. serm. 278. nov. edit. num. 1. & 295. num. 6. (14) Vide August. quæst. ad Simplician. & serm. 165. nov. edit. &c. (15) Vide August. quæst. Evang. l. 2. c. 40. & Prolog. lib. Doctr. Christiana. (16) Theophyl. Vat. Zeger. Sanct. Fromond. alii plures. (17) Eucher. in Acta pag. 370. Grot. Capell. Camer. Pisc. Ligfoot. Hamm. (18) 2. Cor. 12. 2. (19) Thom. Beda, Carthus. Lyran. (20) Cornel. Tirin. Sanct. Beda, Hugo, Histor. Scholast. (21) Baron. an. 33. Ita Græci Recentiores. Vide Bolland. 25. Januar. (22) Vide Fromond. in Acta hic. (23) Ita & Cornel. & Tirin. (24) Bolland. 25. Januarii pag. 615. (25) Cornel. Fromond. Men. (26) Bernard. Syr. Grot. Pisc. alii. (27) Καὶ εἶδεν ἐν ὁράματι. Ita Græc. impressi: sed omittunt ἐν ὁράματι, Alexandr. Velez. Copht. Vulg. Æthiop. (28) Σκεῦος ἐκλογῆς.

illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. At quo tempore Deus Ananiam alloquebatur, nondum satis perspicue mentem suam de vocatione Gentium aperuerat; nec ullum ex Discipulis ad id muneris destinaverat. Huc usque Apostoli solis Judæis Proselytisque fidem nunciaverant. Sed postquam hæc Christus edixit, Paulus omnibus audire volentibus coram prædicavit; quibus ejus laboribus favit adeo Deus, ut ubique se Gentium Apostolum profiteatur (29), palamque (30) commissam sibi a Deo Gentium prædicationem, sicut Judæorum Petro, agnoscat.

V. 16. OSTENDAM ILLI, QUANTA OPORTEAT EUM PRO NOMINE MEO PATI, utpote scilicet Discipulus meus, in meam & Ecclesiæ meæ gloriam. Hæc est carissimorum Discipulorum hæreditas, & eorum, quos Jesus amicos habet inter paucos: dura scilicet & ardua plura exantlare, Prædestinationis argumentum non est, aspera utcumque ferre; sed ferre justitiæ causa, idque tranquille & cum gaudio: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Matth. v. 10. Paulum ita Deus elaboraverat, ut summa omnia haberet, animum, indolem, constantiam cum æquitate conjunctam, pium ardorem, mentem omnium capacem. His armis primo ille quidem in authorem Deumque suum pugnavit. Sed qui jam inde ab æternitate illum prædestinaverat in firmissimam Ecclesiæ suæ columnam, raras hasce dotes in usum suum transtulit; & ex ipsis erroribus vitiisque suis id commodi Apostolus retulit, ut memoriam illorum æternam servaret, ne quid de se nisi humile sentiret, & errantium misereretur.

V. 17. IMPONENS EI MANUS, DIXIT: SAULE FRATER, DOMINUS MISIT ME JESUS .... UT VIDEAS ET IMPLEARIS SPIRITU SANCTO. Certior, Deo revelante, factus fuerat Ananias de omnibus, quæ Paulo acciderant (1); solet enim Lucas, qui res gestas breviter perstringit, minora hæc interdum omittere. Manuum hæc impositio ritus est plane diversus ab ea, qua Clerici initiabantur, uti & ab ea, qua statim a baptismo Fideles gratiam confirmationis in fide sanctumque Spiritum accipiebant. Valuit hæc tantummodo, ut amissum oculorum lumen Saulo restitueretur; quem in usum, conferendæ scilicet ægris valetudinis, Jesus Christus & Apostoli illam frequenter adhibuerunt (2). Si Paulo id obtigit, ut simul cum illa Sancto Spiritu perfunderetur, divino hoc prodigio & singulari prorsus beneficio datum illi fuit. Persimile quid supra animadvertere licuit (3) in Eunucho Æthiope, qui absque Apostolicæ manus impositione Spiritum Sanctum obtinuit; & infra exemplum aliud recurret Act. x. 44. in Cornelio Centurione, qui ante baptismum, ut hic Apostolus, eodem Spiritu donatus est. Ex quibus colligas, Deum dona sua pro arbitrio dispensare, nec præscriptis sibi in eorum distributione legibus semper servire. Interpretum quidam (4) inversionem ordinis hic intercedere suspicatur, ratus Paulum nonnisi post baptismum Spiritu Sancto donatum fuisse: sed opposita his opinio communior.

V. 18. TAMQUAM SQUAMÆ. Veluti concretiones quædam, quæ in oculis efformatæ prohibebant, ne lucis usura frueretur. Concretiones istę coaluerunt, postquam lux illa validior oculorum Pauli aciem ferierat. Vitium erat extrinseco impedimento partum, quo tamen nihil noxæ necessariis ad visum organis illatum est.

SURGENS, BAPTIZATUS EST. Baptismate illum tinxit Ananias, sive in balneo domestico ædium Judæ, sive in amne Damasceno, qui trifariam divisam Urbem circumluit ac perluit. Hodie pariter Damasci fons, ubi Paulus baptismate tinctus fuit, monstratur (5); sed harum traditionum parum asserta est fides. Ex Theologis quidam censent, Paulum justificante, quam vocant, gratia in baptismo dumtaxat fuisse donatum. Alii vero (6) justitia prius quam baptismo instructum, per intimam cordis pœnitentiam & charitatem, opinantur. Fieri equidem poterat, ut Dei munere absolutam adeo charitatem obtineret, ut gratiam, qua justus fieret (7) promereretur; sed quid ille quantumque receperit, quis definiat? Spiritus ille Sanctus, quo ante baptismum afflatus fuit, valido argumento demonstrat, nihil illi defuisse, quin justus esset.

V. 19. FUIT CUM DISCIPULIS, QUI ERANT DAMASCI, PER DIES ALIQUOT. Quamdiu ibi manserit, ignoratur, sed tempus illud totum impendit nunciando Jesu Christo in Synagogis, summa tum sermonis vi, cum loquendi libertate, ut in consequentibus versiculis legimus. In Epistola ad Galatas 1. 7. ipse de se scribit, post annunciatum aliquandiu Evangelium Damasci, perrexisse in Arabiam, in vicinam scilicet Damasco partem Arabiæ desertæ, Syriæ finitimam. Damascus tunc parebat Aretæ in Arabia Regis. Quid egerit in Arabia Paulus, ignotum, & cum profectionem illam Lucas siluerit, conjecturæ locus est, substitisse parum, & nihil ferme fructus retulisse. Illatam tunc ab eo fidem in loca fidei hactenus inaccessa S. Augustinus in Ep. ad Galat. & S. Chrysostomus in eamdem Epist. opinantur. Sed alii (8) secessisse illum credunt, ut prædicationi in ea quiete se compararet. Ex Arabia Damascum iterum reversus Galat. 1. 7. totum a conversione triennium ibidem mansit, juxta communem Interpretum sententiam.

V. 23. CUM IMPLERENTUR DIES MULTI, Judæi de inferenda illi nece consultavere. Tertio post Pauli conversionem anno, Judæi religionem crescere ex Pauli prædicatione, ingentemque Judæorum ac Gentilium turbam Jesu Christo nomen dare, moleste ferentes, Paulum interficere decreverunt. Quamobrem subornavere Præfectos Aretæ Regis, qui bellum tunc gerens cum Herode Tetrarcha Romanis armis freto, urbem diligenter clausam custodiri curabat, ne quis transfuga evaderet, neve explorator aliquis subreperet. Credibile est, Judæos accusationem parasse in Paulum de favore clam præstito Romanis: quę tunc calumnia aptissima erat, ut illum vel innoxium perderent.

V. 25. ACCIPIENTES EUM DISCIPULI NOCTE, PER MURUM DEMISERUNT EUM, SUBMITTENTES IN SPORTA; demiserunt scilicet per fenestram, quæ subjectis urbi agris imminebat 2. Cor. XI. 32. Apprehenderunt invitum, coegeruntque per murum se præripere (9); neque enim terrere fortem virum potuerunt sive odium Judæorum, sive mortis discrimen; nam Damasco egrediens, recta se contulit Jerosolymam (10), paratus ferre omnia, quę infestissimi hostes essent illaturi. Fiduciæ in Deum tunc defuisse Paulus accusari non potest (11). Audaciæ potius temerariæ fuisset, si Deum ita tentasset, ut cum posset fuga se e discrimine subripere, ultro se illi, in urbe subsistens, intulisset. Prudentia illa Christiana, & genuina charitas, quæ pericula constantissime adiri interdum jubent, vitari illa pariter non raro suadent (12). Ipse

etiam

(29) 1. Timot. II. 11. *Positus sum ego prædicator, & Apostolus Doctor Gentium in fide*. Et Rom. XI. 13. *Quamdiu ego sum Gentium Apostolus*. (30) Galat. II. 7. *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis*. (1) Vide supra VV. 10. 11. 12. (2) Matth. IX. 18. Marc. V. 23. VI. 5. VII. 32. VIII. 23. 25. Luc. IV. 40. XIII. 13. (3) Act. VIII. 39. Vide Commentarium. (4) Vide Cornel. Sanct. & Ligfoot. Tillemont, Note 8. sur S. Paul. (5) Fromond. hic. (6) Fromond. Cornel. (7) Vide Concil. Trid. sess. XIV. cap. 4. (8) Usser. Pearson, Ann. Paulin. &c. (9) Vide Chrysost. hic, homil. 20. (10) Vide Galat. I. 18. Act. IX. 26. (11) Aug. lib. XXII. c. 36. contra Faust. (12) Greg. lib. 32. Moral. c. 14. Athan. de fuga in persecut.

etiam Iesus Christus, quæsitis non semel latebris, hostes suos frustratus est (13). Strenuæ virtutis & impavidi animi documenta sæpe adeo Paulus exhibuit (14), ut omnem imbecillitatis in re præsenti suspicionem amoliatur.

℣. 26. CUM VENISSET IERUSALEM (15), ut videret nosceretque de facie Petrum Galat. 1. 16. quem fama jam norat, ac merito ceu columnam Ecclesiæ solidissimam, & Apostolorum Principem habebat (16). Evitabant illum sedulo Discipuli Iesu Christi, nec consuetudinem habere cum illo familiarem audebant, metuentes, ne detegere res eorum tentaret, ut Sanhedrio tunc, quemadmodum ante aliquot annos factum ab illo norant, reos proderet. Hinc discimus, primos illos Fideles, post motam in obitu Stephani persequutionem, occultos se tenuisse, ut nonnisi notis hominibus se crederent. Conversionem vero Pauli non satis tunc innotuisse Ierosolymis oportet, cum plerosque ex Discipulis lateret. Id autem persuadet nonnullis (17), Paulum diutius quam vulgo creditur, in Arabia locisque Damasco vicinis substitisse; non enim Ierosolyma Damasco amplius quinque & septuaginta leucis distabat, & familiare inter utramque commercium intercedebat. Sed alii (18) interruptum tunc commercium omne animadvertunt ex bello Aretæ Regis Arabiæ cum Herode Tetrarcha, quod triennio duravit.

℣. 27. BARNABAS AUTEM APPREHENSUM ILLUM DUXIT AD APOSTOLOS; agnoscendumque illis tradidit. Fertur Barnabas (19) inter veteres Pauli amicos fuisse, cum ambo sub Gamaliele doctore studiis operam navaverint. S. Chrysostomus hom. 21. in Acta putat, illum non diu antea venisse Antiochiam, ibique conversionem & agendi rationem Pauli didicisse; adeoque & vadem se pro illo exhibuisse, atque introduxisse ad Apostolos Petrum & Iacobum, neque enim alios tunc sibi visos, Paulus affirmat Galat. 1. 18.

NARRAVIT ILLIS, quæ Paulo Damascum petenti in via acciderant. Vim ille quidem modestiæ Apostoli intulit; vix enim a se ille impetrare potuisset, ut rem sibi adeo gloriosam narraret (20).

℣. 28. ERAT CUM ILLIS INTRANS ET EXIENS; cum illis vitam agebat. *Intrans & exiens*, phrasis est, totam agendi rationem & vitæ munera omnia designans. Substitit ibidem dies non amplius quindecim Galat. 1. 17. nec novi quidquam didicit, cum ab ipso Iesu edoctus, quod ex hominibus disceret, haberet nihil.

FIDUCIALITER AGENS IN NOMINE DOMINI. Ope Dei fultus, ejusque nomini & patrocinio fisus, audacter & libere loquebatur, Dei nomen nuncians.

℣. 29. LOQUEBATUR QUOQUE GENTIBUS. Græcus editus, & Codices manu exarati non ferunt, Paulum *gentibus* prædicasse. Hoc ipsum deest in Orientalibus Versionibus, præter Æthiopicam, vetustissimisque Latinorum Libris (21); quamobrem addita videtur ea vox a librariis, vel merum glossema, ut intelligas id quod statim subditur, Paulum cum Græcis disceptasse; Græcorum enim nomine, ut Judæis opposito, vulgo gentes intelliguntur. At Græcorum, sive *Hellenistarum* (22) appellatione hoc loco significari creduntur Judæi advenæ, Græce loquentes (23), nomine Hellenistarum noti, ut a Palæstinis Judæis secernantur. Vide supra VI. 1. Advenas hosce optime norat Paulus, utpote qui ex eorum numero olim fuerat. Vide Act. VI. 9.

QUÆREBANT OCCIDERE EUM, sive per insidias, sive Judicio zeli, ut antea Stephanum; vel denique rapere illum ad Sanhedrium, sententia judiciali damnandum. Sed eorum manus evasit ope fratrum Jerosolymitanorum, quemadmodum molimina struentium sibi necem Damasci, ope Fidelium ibi commorantium fefellit.

℣. 30. DEDUXERUNT EUM CÆSAREAM, ET DIMISERUNT THARSUM. Sunt qui Cæsaream hanc de Urbe Palæstinæ, cui antea nomen *Turris Stratonis*, mari adjacente, leucisque quinque & viginti circiter a Jerosolymis absente, intelligant. Hinc Tharsum Ciliciæ patriam suam, sive terrestri sive maritimo itinere mallet, contendere potuit. Si Cæsareæ mari se commisit, ut putat S. Chrysostomus hom. 21. maritimum iter Tharsum usque non continuavit; cum in Epistola ad Galatas 1. 21. asserat, Jerosolymis in Syriam & in Ciliciam se perrexisse. Syria vero media est inter Ciliciam & Cæsaream. Contendunt alii (24), deductum a fratribus Cæsaream Philippi venisse, urbem in extremis septemtrionalibus finibus Palæstinæ ad fontes Jordanis: inde per Syriam Tharsum Ciliciæ perrexisse; idque rectissimum Apostoli iter fuisse censent. Mihi tamen sedet opinio, Cæsaream Palæstinæ semper, nunquam Cæsaream Philippi designari, quoties in Novo Testamento Cæsareæ nomen sine addito legitur. Quæ enim Philippi erat, nunquam sine Philippi nomine in profanis sacrisque Scriptoribus occurrit. Paulum Ephesi prædicasse, ideo negat Origenes in Matth. quod ex Prophetis nemo in patria sua acceptus fuerit; sed multo probabilius contrariam huic opinionem S. Chrysostomus in Acta hom. 21. tuetur.

℣. 31. ECCLESIA (1) QUIDEM PER TOTAM JUDÆAM, ET GALILÆAM, ET SAMARIAM HABEBAT PACEM; id est, per totum Terræ Sanctæ vel Palæstinæ tractum, qui cis Jordanem in Judæam, Samariam & Galilæam distinguebatur. *Judæa* meridiem, *Samaria* mediam longitudinem inter Judæam & meridiem, Galilæa septemtrionalia occupabat: quæ tamen posterior regio trans Jordanem etiam porrigebatur. Mota in obitu Stephani persecutio brevi quievit; id agente Numinis providentia, ut in ipsis crepundiis Ecclesia agitaretur, quo Fideles se late dispergerent; deinde pacante omnia, ut Evangelii propagationi consuleret. Hæc igitur post Pauli discessum Jerosolyma rejicienda non sunt; cum per epilogum hic a Sacro Scriptore repetantur.

ÆDIFICABATUR, augebatur, confirmabatur, positis fundamentis. *Ædificare*, cum de familia dicitur, est augere, propagare (2).

℣. 32. PETRUS DUM PERTRANSIRET UNIVERSOS, DEVENIT AD SANCTOS, QUI HABITABANT LYDDÆ. Toto persecutionis tempore Petrus Jerosolymis cum mansisset, pace Ecclesiæ reddita, statim exiit, Ecclesias invisurus, ceu solers copiarum Imperator, exercitum lustrans, & an rectam disciplinam servet, explorans (3). Venit autem Lyddam, urbem leucis a Jerosolyma decem ad septemtrionem, deinde sub *Diospolis* nomine celebrem. Invisit ibi *Sanctos*, idest Fideles & Christianos, quibus id nominis sanctitas professionis & morum conciliabat. Hoc nomen pariter Judæi usurpabant (4), ut sese a Gentibus incircumcisis & profanis plane diversos proderent.

℣. 33. HOMINEM, NOMINE ÆNEAM. Cum in Palæstina Græcum simul cum Hebræo vel Syriaco ver-

(13) Joan. VIII. 59. & XII. 36. (14) Rom. VIII. 35. 36. Act. 22. 23. XXI. 13. (15) Græcus typis editus: Παραγενόμενος δὲ ὁ Σαῦλος εἰς Ἱερουσαλήμ. At *Saulus* non legitur in Vulg. Syr. Copht. Æthiop. Ms. Alex. aliisque. *Paulum* nonnulli legunt pro *Saulo*. Ita Laud. 3. Mont. Lin. apud Millium. Ita & ferebat Græcus Codex Bedæ, ipso teste. (16) Vide Hieronym. & Chrysost. in cap. 1. ad Galat. (17) Fromond. hic, Capell. (18) Baron. Usser. Ligfoot. Tillamont. (19) Vide vit. Barnab. XI. Jun. apud Surium. Ita Cornel. Menoch. Grot. alii. (20) Chrysost. hic hom. 21. (21) Vide Bedam, Erasm. Fromond. (22) Ἑλληνιστὰς καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. (23) From. Grot. Camer. Cornel. Lud. de Dieu, alii. (24) Fromond. Lud. de Dieu. (1) Græc. Ἐκκλησίαι. Ecclesiæ. (2) Genes. XVI. 2. XXX. 3. Exod. 1. 21. &c. (3) Chrysost. homil. 21. in Acta. (4) Dan. VII. 18. 21. 22. 25. 27. VIII. 24. XII. 7. 1. Macc. 1. 49. VII. 17. &c.

vernacule obtineret, geminum plerique nomen sibi adsciscebant, Græcum alterum, alterum Hebræum. Nomen Petri Hebræum erat *Cepha*, Græcum *Petros*; Pauli Hebraicum *Saulus*, Græcum *Paulos*; *Tabithæ* Græcum *Dorcas*, Hebraicum *Tabitha*; Æneæ, de quo hic, Græcum nomen *Æneas*, Hebraicum erat facile *Hanaia* vel forte *Hillel*. Lyddæ incola erat, & paralysi ab annis octo laborabat. Judaismum adhuc profitebatur, cum a Petro valetudini restitutus fuit (5); quamquam id nullo satis valido argumento dicitur. Legimus quidem apud Lucam, Urbis illius cives post miraculum illud credidisse; Æneam vero post receptam valetudinem primo credidisse non legimus.

℣. 34. SURGE, STERNE TIBI. Sunt qui (6) de sternendo convivali lecto dicta hæc interpretentur in hanc sententiam: Surge, para tibi locum in mensa. Sed plerique ita planius explicant: Surge, & in argumentum valetudinis recuperatæ lectum tibi sterne. Hactenus ab aliis e lecto deponebaris; alii tibi lectum sternebant; nunc per te omnia præstes, impero. Interdum Jesus paralyticis extra domum suam curatis mandavit, ut valetudinis restitutæ specimen, lectulos suos humeris tollentes, exhiberent (7).

℣. 35. QUI HABITABANT LYDDÆ ET SARONÆ. Lydda, uti animadvertimus, urbs est, quæ alio vocabulo *Diospolis*, Hebraice *Lud* vel *Lod* appellatur. Non nisi post captivitatem innotuit; sed in Paralipomenis & in Esdra frequenter occurrit. Sarona regio est secus Mediterraneum, ad boream Diospolis, Cæsaream versus ascendentibus; quam a Cæsarea Joppen porrigi, Eusebius in Locis affirmat. Præter hanc, tres aliæ regiones Saron celebrantur (8), quarum est una trans Jordanem in Batanæa; altera in valle Jezrael; tertia ab Ecdippo ad Ptolemaidem. Urbem etiam *Saronam* habes apud Geographos quosdam (9), nullo Veterum testimonio, cum Textus Scripturæ (10) hic non urbem, sed regionem aperte designet. Codices plures legunt *Assaron* vel *Hassaron*.

Sermo est apud Rabbinos de vino *Assaronis* vel Saronis, generoso adeo, ut duabus tertiis aquæ partibus diluendum esset ad potum. Rosam vel lilium Saronis Sponsa in Cantico 2. 1. laudat. Igitur nedum cives Lyddæ, verum etiam Saronam universam a Lydda usque Cæsaream, prodigium admiratos, Christo credidisse, Lucas verbis hisce designat.

℣. 36. TABITHA . . . DORCAS. Tabitha Syriace (11), & Græce *Dorcas* (12) sylvestrem capram designat. Postrema hæc vox ex radice oritur, quæ sonat acute cernere. Animadversum est supra ad ℣. 33. vulgo tunc ibi locorum obtinuisse, ut duplex singuli, Græcum nempe & Syriacum, nomen gererent. Pecudum nomina Hebræis mulieribus dari solita constat: *Rachel* ovis, *Ægla* juvenca, Tabitha sylvestris capra.

℣. 37. QUAM CUM LAVISSENT (13). Lavandorum cadaverum mos Græcis, Romanis, Hebræis ac plerisque aliis probatus fuit. Idem manet in Monasteriis; ubi non sine certo ritu olim præstabatur. S. Chrysostomus hom. 84. in Joan. lotum asserit cadaver Jesu Christi, antequam aromatibus conditetur, & inferretur sepulcro. Apud Homerum Patrocli, & apud Virgilium Miseni cadavera lavantur: Æneid. IV.

. . . . . *Corpusque lavant frigentis & ungunt*.

Eadem quoque officia reddita defunctis apud Christianos, Tertullianus in Apologet. c. 42. est author. Ita venerabantur illi Dei imaginem in creaturis impressam, & characterem Jesu Christi, quem Fideles præ se tulerunt. Hoc denique exhibebant documentum spei, quam de futura resurrectione certam fovebant.

℣. 38. CUM PROPE ESSET LYDDA AD JOPPEN. Distabant invicem leucis quatuor circiter; Lydda ad orientem Joppes; Joppe ad Mediterraneum. Tabitha Joppe decesserat, statimque ad Petrum Lyddæ versantem accersendum viri duo missi venerunt. Græci plures Codices omisso, *duos viros*, legunt, *miserunt ad eum*.

℣. 39. TUNICAS ET VESTES (14), superiores nempe & inferiores vestes, cujusmodi vestibus tunc mulieres æque ac viri utebantur. Viduæ istæ sperabant futurum, ut qui Æneam Lyddæ curaverat Petrus, Tabitham pariter Joppe revocaret e mortuis; nec dubitavit Petrus, quin piæ largitiones & opera religiosa, junctis tot pauperum lacrymis, impetrare a Deo prodigium longe illustrius, quam quod Lyddæ patratum fuerat, possent (15). Tabitha, & viduæ istæ omnes, & viri ad Petrum accersendum missi, Christianam Religionem profitebantur.

℣. 40. EJECTIS OMNIBUS. Qui tot antea ægrotos sola corporis umbra sanaverat Petrus Act. V. 15. flexis hic genibus supplex rogat, enixe & sine arbitris, quo acrius oret; ex quo discimus, viris quibuslibet vel sanctissimis non semper ad nutum præsto esse prodigia; sed postulanda esse ab illis interdum, ut subditos ac imbeciles, non arbitros, se melius sentiant. Precibus & animi demissione fides illis sæpe, & pius ardor est excitandus.

℣. 43. APUD SIMONEM CORIARIUM, extra urbem ad mare habitantem Act. 10. 6. Coriariis enim, ne pessimo odore officerent, loca erant extra Urbem constituta.

[5] Chrysost. From. Grot. alii. [6] Hamm. [7] Marc. 11. 9. Joan. V. 8. [8] Vide nos in Dissertatione de Geographia Terræ Sanctæ ad Josue. [9] Adrichom. Bonfrer. Lubin. [10] Καὶ τὸν Σάρωνα. [11] Syr. טביתא Hebr. צבי *Tzebi*. [12] Δορκάς, ex δέρκομαι. [13] Latini Codices nonnulli habebant: *Cum lavissent unguentis*. Raban. Gloss. ordin. [14] Χιτῶνας, καὶ ἱμάτια. [15] Cyprian. de Eleemos.

CAPUT X.

Cornelius ad accersendum Petrum mittit. Petrus demissum e Cælo linteum impuris quibusque animalibus plenum intuitus, illa a Deo sanctificata esse audit; simulque intelligit, Gentiles in Ecclesiam esse excipiendos. Nunciat Jesum Cornelio, quem & baptizat; & S. Spiritus in illum cæterosque domesticos illabitur.

℣. 1. VIR autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis,
quæ dicitur Italica, 2. Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua,
faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. 3. Is vidit in visu
mani-

manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quis es, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. 6. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere. 7. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant. 8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen. 9. Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. 10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: 11. Et vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram. 12. In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. 13. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca. 14. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum. 15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. 16. Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cœlum. 17. Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam. 18. Et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. 19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. 20. Surge itaque, descende, & vade cum eis, nihil dubitans: quia ego misi illos. 21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis? 22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir justus, & timens Deum, & testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, & audire verba abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ex Joppe comitati sunt eum. 24. Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis, & necessariis amicis. 25. Et factum est, cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus, adoravit. 26. Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. 27. Et loquens cum illo intravit, & invenit multos, qui convenerant: 28 Dixitque ad illos: Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judæo, conjungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem. 29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? 30. Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait: 31. Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. 32. Mitte ergo in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare. 33. Confestim ergo misi ad te: & tu benefecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia, quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. 34. Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: 35. Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus). 37. Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum, quod prædicavit Joannes, 38. Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. 39. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. 40. Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, 41. Non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes,

omnes, qui credunt in eum. 44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? 48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.

℣. 1. VIR ERAT IN CÆSAREA, NOMINE CORNELIUS. Cornelius, vir Romanus, vel saltem Latinus origine, Religione Gentilis, nec Judæus nec circumcisus erat, sed *proselytus januæ*, idest, cui notus erat Deus ex commercio Judæorum Cæsariensium, & Sacrorum Librorum lectione, abjecta privatim absque solemni ritu superstitione: Deo se totum dicavit exercitatione proborum operum, & cultu sincero & interiori, ritibus tamen Legis minime serviens. Docent Judæi (1), istud hominum genus in Gentilium censum semper rejectos fuisse, cum quibus nullum Judæis commercium permitteretur. Sed lex ista cessaverat, ex quo Romani, Judæa in Provinciam redacta, supremum ejus imperium Judæis ademerant. Ab eo enim tempore Judæi proselytos quoscumque non tolerabant modo, sed & in liberam consuetudinem admittebant; fatebanturque, partem illis in altero sæculo futuram. Proselytis januæ sola imperabantur Noachidarum præcepta, de quibus nos Gen. 10. 12. Inter istos censendi sunt Naaman, Aulæ Syrorum Præfectus 4. Reg. v. 1. Candacis Reginæ Eunuchus, Act. 8. 27. *Græci timentes Deum*, de quibus infra (2), ac denique Cornelius Centurio, de quo hic.

CENTURIO COHORTIS, QUÆ DICITUR ITALICA. Cohors apud Romanos peditibus quingentis constabat; ex decem cohortibus legio. *Italica* legio apud Romanæ Historiæ Scriptores, & in Inscriptionibus (3) notissima est. Ejusmodi nomina singulis cohortibus non dabantur; sed illis ex legione nomen erat. Itaque dicendum erat: *Cornelius Centurio cohortis e legione Italica*. Cohorti Centuriones præesse duo solebant. Græca vox, qua Lucas utitur (4), proprie de legione usurpatur; sed a Scriptoribus Novi Testamenti plerumque de simplici cohorte accipitur (5).

℣. 2. RELIGIOSUS AC TIMENS DEUM CUM OMNI DOMO SUA. Legem naturalem & præcipua Judaicarum Legum moralia præcepta religiose servabat. Deum metuebat, abjecerat idola, Judaicæ licet Religionis publica professione nequaquam admissa. Iis tantummodo domesticis utebatur, qui heri pietatem æmulati, Deum timerent, & Profanas superstitiones rejicerent. Pietatis etiam cultores milites quosdam habuisse, infra constabit Act. x. 7.

℣. 3. VIDIT IN VISU MANIFESTE, QUASI HORA DIEI NONA; vidit scilicet oculis corporis, dum vigilaret (6), *Angelum Dei*, qui sese offerens videndum, pro consueto inter homines more colloquia secum miscuit: hæc enim acta non sunt per quietem noctis & in somno, vel mente a sensibus per extasim abalienata. Angelum facile ex ea, qua undiqua fulgebat, luce, & insolito sese coram sistendi more, & ex alloquio agnovit. Horam nonam, seu tertiam post meridiem precibus destinatam fuisse, supra animadvertimus Act. 3. 1. cui facile penso reddendo Cornelius in cubiculum secesserat. Græcus (7) aperte docet, Cornelium nona hora, cum Angelum habuit obvium, jejunium nondum solvisse. SS. Augustinus & Prosper inter religiosa Cornelii opera jejunium recensent.

Quæstio est celebris, utrum ante visum Angelum, & Petri adventum, Cornelius justitia potitus fuerit; an potius Angelus eo venerit ad illam viro religioso procurandam per baptismum, quo a Petro initiandus erat. Opinio est triplex. Prior quidem ante Angeli adventum fuisse justum defendit; altera, tunc primo justum factum esse, cum Spiritus Sanctus in illum cæterosque domesticos illapsus est: tertia denique, non nisi per baptismum plenæ justitiæ compotem factum. Prior tamen sententia probatissima omnium videtur.

Profecto exploratum est, Cornelium, antequam Angelum spectaret, supernaturali fide unicum coluisse Numen, quam ob fidem & precibus vacabat assidue, & reliqua bona opera, de quibus hic (8), præstabat. Neque enim sine fide ea obire valuisset, quæ Deo grata essent & accepta (9): *Sine fide impossibile est placere Deo*. Fide pariter saltem, ut ajunt, implicita, juxta S. Thomam (10), credebat supremum libertatis Assertorem & Messiam, votumque saltem oblique ad baptismum tendens fovebat. Ad hæc enim omnia valebat firmum illud voluntatis propositum credendi quæcumque divina revelatione nosset, & implendi quæcumque sibi Dei jussu mandati intelligerat. Hæc igitur fides, hoc voluntatis propositum, cum proborum operum accessione, justificationis gratiam Cornelio promeruerunt.

S. Augustinus non semel (11) docet, Cornelium eleemosynis, piis operibus, & fide veluti purgatum fuisse, nihilque illi superfuisse, præterquam ut per baptismum reliquo Ecclesiæ corpori adjungeretur. Addit vero alibi (12), precibus licet optata impetrarit, eleemosynis Deo se gratum præbuerit, Spiritu Sancto perfusus fuerit, hæc omnia, si baptismum neglexisset, ad salutem illi minime fuisse profutura: *Si etiam Spiritu Sancto jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret*. Magna ejus fides erat & gratia; sed minor, quam ut illi vitam æternam promereretur, si Fidelium corpori accedere detrectasset. Denique in lib. de Prædest. c. 7. tradit: *Si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apostolus Petrus*.

Itaque justus licet apud Deum fuerit Cornelius, suprema tamen manus justitiæ ejus admovenda erat expressa in Jesum Christum fide, accedente baptismo, quibus reliquo Ecclesiæ ædificio conjungeretur. Qui si genitis Jesu Christo ejusque Evangelio, fidem addicere neglexisset, & baptismum detre-

[1] Vide, si placet, Selden. de jure N. & G. l. 2. c. 3. p. 157. 158. [2] Act. xiii. 16. 43. xvii. 4. [3] Gruter. p. 434. Tacit. hist. lib. 1. & alibi; Grot. hic. [4] Ἑκατοντάρχης ἐκ σπείρης τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς. [5] Matt. xxvii. Marc. xv. 16. Joan. xviii. 3. 12. [6] Erum. Cornel. alii. [7] ℣. 30. Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων. [8] Concil. Arausic. Can. ult. August. de prædestin. SS. c. 7. [9] Hebr. xi. 6. [10] D. Thom. 2. 2 qu. 10. art. 3. ad 3. & 3. parte qu. 69. art. 4. ad 2. [11] August. serm. 149 nov. edit. n. 7. Olim serm. 54. de divers. *Hujus eleemosynæ acceptæ mundaverunt eum ad quemdam modum; restabat ut tamquam cibus mundus incorporaretur Ecclesiæ*. Idem lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 8. [12] August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 21. Vide & l. 1. qu. 2. ad Simplician. *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum Regnum Cælorum; sicut in Cathecumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ*.

detrectasset, sua in Deum fide ac præcedentibus bonis operibus nihil profecisset. Si vero satis cessisset antequam Petrum alloqueretur, aut quidquam de Jesu Christo audiret; quis reputaret, tantam ejus fidem, pietatem, probitatemque æternis gehennæ flammis devoveri debuisse? Quam proponimus sententiam, Patrum ac Interpretum plerique sequuntur (13).

℣. 4. ORATIONES TUÆ, ET ELEEMOSYNÆ TUÆ ASCENDERUNT IN MEMORIAM IN CONSPECTU DEI (14). Locutio hæc, *ascendere in memoriam*, in Libris Veteris Testamenti usurpatur ad significandum suffitum, ac nidorem victimarum, quæ in Altari Domini cremabantur. Ideo enim hæc fiebant, ut *revocaretur in memoriam Domini* ille, qui preces, hostiamque, seu oblationem offerebat (15). In Apocalypsi Angelus sistit Domino orationes Sanctorum, instar *odoramenti* (16). Eodem pacto eleemosynæ & pie a Cornelio gesta coram Domino ascenderant.

℣. 5. MITTE VIROS IN JOPPEN. Innuitur hisce, Cornelium enixis precibus rogasse Deum, ut quid a se vellet, perspicue sibi aperiret (17). Nec voto defuit Deus. Quæ præcessit in illo ex Dei munere fides, crevit adolevitque per eam, quam Petrus illi nunciavit, Fidem Jesu Christi; & præcedentia ejus opera viro justo promeruerunt gratiam baptismi, illamque, quam, induens Jesum Christum, obtinuit, justitiam plenam & absolutam.

℣. 6. CUJUS EST DOMUS JUXTA MARE, & extra urbem, utpote coriarii. Vide cap. IX. v. 43. *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere* (18). Hic Angelus Cornelium ad Petrum remittit; Jesus Christus Paulum ad Ananiam misit Act. 9. 11. Angelus Philippum ad Eunuchum Æthiopem duxit 8. 26. Consilia sua Deus hominibus per homines pandit, ne miracula præter necessitatem accumulet, hominesque inter se vinculo charitatis & subjectionis conjungat; ac denique quia ea, quæ per homines ministratur, doctrina, deceptioni minus quam quæ ab Angelis provenit, obnoxia videtur. Pronum est enim Dæmoni, sese in Angelum lucis transformare; sed scelestus homo non ita facile viri probi personam induere potest.

℣. 7. MILITEM METUENTEM DOMINUM EX HIS, QUI ILLI PARERANT; seu potius, ex Græco (19): *Ex his, qui serviebant ei*, qui præsto semper illi aderant, vel qui illum sequebantur. Servitiis Centurionis certus quidam Militum numerus addictus erat; quem in usum virum sibi moribus persimilem Cornelius vir probus elegerat.

℣. 8. POSTERA DIE ILLIS APPROPINQUANTIBUS CIVITATI, circa sextam horam matutinam, idest circa meridiem. Joppe Cæsaream iter est duodecim vel quindecim leucarum circiter. Hi Cæsarea maturius proficisci non potuerunt, quam hora decima, idest altera ante occasum. Itaque ut altera die circa meridiem pervenirent Joppen, noctis pars in itinere exigenda illis fuit.

℣. 9. ASCENDIT PETRUS IN SUPERIORA, vel in summam aream domus (20), quæ de regionis more pro tecto erat (21). Aptissimus erat ad orandum locus in quiete & silentio. Judith c. 8. 5. Sara filia Raguelis Tob. 3. 18. & Daniel 6. 10. in superiori domus cœnaculo precibus vacabant.

℣. 10. VOLUIT GUSTARE. Valet hoc sæpe pro *vesci*; sed hic designare videtur prandium, quod parcissimum erat apud Veteres; qui semel tantum proprie vescebantur vespere. Eorum prandium melius jentaculum dixeris. Ingressus Italiam Plato, quod ibi quotidie bis cibus caperetur, admiratus fuit (22). Alexander Magnus leve prandium cœnæ condimentum esse ajebat. In Evangelio Jesus Christus nonnisi semel & vesperis plerumque vescitur. Nemo nisi ad cœnam invitatur. Occurrit quidem in Gen. 43. 16. prandium aliquod meridianum, ut Josephi cum fratribus in Ægypto: at tunc minime cœnabant, ut puto. De avunculo narrat Plinius, illum cibi quidem aliquid, sed parum, more Veterum interdiu sumere, noctu vero bene cœnare consuevisse. Prandii certam horam, nonam scilicet, idest tertiam pomeridianam, Martialis assignat:

Imperat extructos frangere nona thoros.

Servius in Æneid. 4. diserte asserit, ignorasse Veteres integrum prandium; idemque Cassiodorus (23), S. Isidorus Orig. l. 2. c. 20. & Recentiorum plures (24) agnoscunt. Veteres Orientales Monachi qualibet die semel vescebantur; idque ponebant discriminis inter dies esuriales cæterosque, quod illis prandium usque post tertiam horam pomeridianam differrent; his vero cibos ad meridiem caperent. Communibus diebus bis cibum capi permittit S. Benedictus in Regula c. 39. 40. 41. sed tunc justum prandium erat in meridie; vespere enim tertiam partem libræ panis, e prandio demptam, cum paucis leguminibus permittebat. Pro panis mensura & vinum distribuebatur. Esurialibus diebus unicam comestionem definit, addictam horæ pomeridianæ, præter quadragesimam, in qua cibus ad vesperam differebatur. Ut ad Petrum Apostolum regrediamur, volebat is meridie levem aliquem cibum capere, non prandere pro more nostro.

CECIDIT SUPER EUM MENTIS EXCESSUS. Græcus (25) *Ecstasis*. Mente sursum erecta, extra se factus, sensibus abalienatus fuit. Vigilans licet apertisque oculis, rebus coram positis nihil afficiebatur. Ita sæpe usuveniebat Prophetis, ut extra se raperentur; ac Paulo, cum ad tertium Cœlum raptus, multa quæ tradi mortalibus non possent, didicit 2. Cor. 12. 2.

DESCENDENS VAS QUODDAM, linteum e cœlo capitibus quatuor demissum. Plenum erat animalibus quibusque (26) apud Hebræos immundis, quippe quibus impurum dicitur id, quo vesci per Legem non licet, idest quadrupes quodlibet non ruminans, piscis squamis carens, avis carnivora, & alia, de quibus in Levitico c. XI.

℣. 12. SERPENTIA TERRÆ. Sub hoc nomine censentur apud Hebræos pisces (27), & quicquid est nec volatile nec quadrupes.

℣. 13. OCCIDE ET MANDUCA ex his animalibus indiscriminatim puris impurisque. Impura designabant Gentiles, populum corruptum, quocum consuetudinis nihil sive in rebus Religionis, sive in civilibus Hebræi admittebant, ut nec domicilii, nec potus cibique, nec negotiationis participes paterentur: quin, si Maimonidæ est fides (28), nec transitum per terras suas illis permittebant.

[13] Greg. Magn. homil. 9. & 19. in Ezech. Beda hic; Magister in 3. Dist. 25. Albert. Bonav. Thom. ibid Vide Dionys. Carthus. Cornel. & Fromond. hic, ad ℣. 2. [14] Ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. [15] Levit. II. 2. 9. 16. הקטיר הכהן את אזכרתה Et VI. 15. ריח ניחח אזכרתה ליהוה [16] Apoc. V. 8. VIII. 3. 4. [17] Gregor. homil. 9. in Ezech. Fromond. hic. [18] Desunt ista in pluribus MSS. Græcis. Vide Millium. Desumpta videntur ex Actis XI. 14. XXII. 10. [19] Τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ. Grot. & Vat. *Qui apparebant ei*. Ita reddidisse veterem Interpretem, putat Grotius. [20] Ἐπὶ τὸ δῶμα. [21] Hieron. Ep. 135. ad Sunniam, & Fretell. *In Palæstina, & Ægypto, & ubi scripti sunt divini Libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria, vel Meniana vocant.* [22] Tull. quæst. Tuscul. lib. 5. [23] Cassiodor. in Psal. 22V. *Antiquis mos erat semel cibum sumere.* [24] Vide Guid. Pancirol. Rerum mirabil. parte 1. tit. 51. [25] Ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὸν ἔκστασις. [26] Vide infra ℣. 14. Justin. quæst. 89. ad Orthodox. Sanct. Fromond. alii. [27] Vide Genes. 1. 20. Psal. CIII. 25. Levit. XI. 10. כל שרץ המים Græcus hic legit solum τὰ ἑρπετά, *serpentia*, non *serpentia terræ*. [28] Maimonid. Halac Aboda Zara c. 10. & Halac Melakim cap. 8.

Sed, uti animadvertimus supra ỷ. 1. ista neglexere extra Terram sanctam, ubi velut exules sibi videbant; ipsaque in Palæstina minus accurate servabantur, cum hæc in Romanorum potestatem & administrationem transivisset. Removebant se tamen pro viribus a consuetudine Gentilium, nec vesci cum illis, nec eorum dapibus uti audentes, & discrimen animalium mundorum ab immundis, a Moyse institutum, sancte retinebant. Igitur monetur Petrus, ut mactet & comedat ea omnibus illis indiscriminatim; ut intelligat, in posterum a Gentilium consuetudine sibi cavendum non esse, sed illos ad Deum trahendos, docendosque Evangelium. Apostolus Barnabas in Epistola, S. Clemens Alexandrinus lib. 2. & 5. Strom. Origenes contra Celsum, & ipsi pariter Rabbini agnoscunt, sub immundorum animalium figura Gentiles in Lege designari.

ỷ. 14. NUNQUAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE (29). Commune appellabant Judæi (30) quidquid communi gentium usui serviens, Judæis interdictum erat. Lepus & sus dapes erant Romanis familiares, a quibus tamen ut impuris Hebræi abstinebant.

ỷ. 15. QUOD DEUS PURIFICAVIT, TU COMMUNE NE DIXERIS. Græcus ad literam (31): *Ne polluas quod Deus purificavit*. Hebræi sæpe id fieri ab aliquo dicunt, quod ab illo tantummodo declaratur. Ita *sanctificare*, *mundare*, *reum efficere*, *justificare*, *immundum efficere*, valet sæpe sanctum, mundum, reum, innocentem, pollutum pronunciare. Jesus Christus morte sua septum inter Judæos Ethnicosque medium dejecit Eph. 2. 14. revocavit in ovile suum oves quascumque, ut in unum gregem omnes uno sub Pastore coalescerent Joan. 10. 16. sanguine suo homines generatim omnes cum Patre suo conciliavit 2. Cor. 5. 18. Ita munda effecta sunt omnia; vel saltem homines quicumque mortales, quibus jus erat in meritum Sanguinis Filii Dei, jus pariter obtinebant in veritates Evangelii, & Sacramenta, quibus merita Jesu Christi nobis dantur.

ỷ. 16. PER TER. Cum immissum a se somnium ad aliquid significandum designare vult Deus, sæpius plerumque illud repetit. Daniel (32) variis & diverse effigiatis per quietem noctis imaginibus, quatuor Imperiorum vices spectavit. Ea quæ imminebant Ægypto, primo quidem sub imagine spicarum septem, deinde boum totidem Pharaoni per somnium oblata sunt; quæ duo somnia mutuo confirmari Josephus docuit Gen. 41. 1. *Quod autem vidisti secundo ad camdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est*. Imperii sui fatum suo imaginem ingentis statuæ, & arboris proceræ Nabuchodonosor didicit (33). Hic Deus Petro ter linteum idem e Cœlo ter demissum exhibet, ut rem altius menti inserat, nec illam Petrus ut inane spectrum contemnat (34). Non tamen continuo mysterium illi reseravit; sed brevi quid rei portenderetur, in Cornelio Centurione aperuit.

ỷ. 19. DIXIT SPIRITUS EI: ECCE VIRI TRES QUÆRUNT TE. Spiritus Sanctus intrinsecus monuit Petrum (35), ut descenderet; adesse enim in limine qui ipsum quærerent. Facile etiam significavit, ex his viris intellecturum, quid ab ipso Deus exigeret per eam, quam immiserat, visionem. Censent quidam (36), Spiritum hunc Petro loquentem, Angelum esse aliquem, eumdem facile, qui jam per visum Cornelio apparuerat, quippe qui custodiæ viri destinatus, de ejus salute erat sollicitus.

ỷ. 21. ECCE EGO SUM QUEM QUÆRITIS. A nemine domesticorum admonitus Petrus, viros hosce præveniens, ipsum esse se dixit, quem illi quærerent. Manifestationes istæ tam opportune Cornelio & Petro in locis inter se adeo dissitis factæ, utrumque confirmabant in ea, quæ menti sedebat, sententia, Deum scilicet esse, qui rem dirigeret, nihilque esse in re sibi reserata ludibrii. Id pariter confirmabat domesticos Cornelii, & cæteros nuper ex Judaicis ad Christiana sacra translatos, quibus proclive fuisset tacitam conventionem aliquam inter Petrum & Cornelium suspicari. Id autem præcavendum erat, ne offenderentur Judæi, apud quos summa erat in gentes invidia. Nec tantum sibi adrogare poterat authoritatis Petrus, ut rem adeo novam per se susciperet, excipiendi nempe Gentiles in societatem fœderis non initiatos prius circumcisione, nec ritibus Legis subjectos (37).

ỷ. 22. CORNELIUS CENTURIO, VIR JUSTUS ET TIMENS DEUM, cujus nomen celebre erat a probitate inter omnes Judæos Cæsareæ; plane similis alteri Centurioni Capharnaum, de quo in Evangelio Luc. 7. 4. Vir tantus utique parum aberat a regno Dei; sed validis hisce testibus opus habebat Petrus, ut precibus illius acquiesceret. Adducunt, Cornelium ex Angelo intellexisse, ediscenda ipsi ex Petro ea, quæ ad promerendam salutem præstanda sibi essent.

ỷ. 23. RECEPIT HOSPITIO, assentiente Simone Coriario, penes quem morabatur: mane autem alterius diei profectus est una cum illis Cæsaream. Hi ad Petrum post meridiem pervenerant, sed cum viæ plurimum tota illa die & nocte superiore confecissent, in diem posterum apud se illos detinuit. Mane igitur alterius diei simul omnes viæ se commiserunt, & altera die pervenerunt Cæsaream, quæ leucis quindecim circiter a Joppe distabat.

QUIDAM EX FRATRIBUS AB JOPPE COMITATI SUNT EUM, quidam scilicet ex Judæis ad Christiana sacra translatis, sex numero Act. xi. 12. Permittente Numine factum est, ut illi accederent Petro, testaturi gratiam Ethnicis concessam, & quanto assensu vocationi illorum ad fidem Deus faveret (1).

ỷ. 25. PROCIDENS AD PEDES EJUS, ADORAVIT; ratus facile sive Angelum (2) esse, sive hominem plane divinum; Angelus enim quem spectaverat (3), quærere virum illum jusserat, addens futurum, ut ex illo disceret quæ Deus ea se requireret. Igitur pedibus ejus advolutus, adoravit, non cultu quidem latriæ, qui Deo uni debetur, sed *duliæ*, quem Angelis & Sanctis impendimus. Vetus Codex Græco Latinus Cantabrigiensis ita legit: *Cum appropinquaret autem Petrus in Cæsaream, procurrens unus ex servis, nuntiavit venisse eum: Cornelius autem exiliens & obvius factus est ei, procidens ad pedes ejus adoravit*.

ỷ. 26. EGO IPSE HOMO SUM. Intelligens Petrus, haberi se a Cornelio aliquid supra hominem, illum stare jussit, & honores sibi ab eo impensos recusavit. Ita pariter & Angelus erexit Danielem, qui coram se ceciderat (4); & Angelus alter admonuit Joannem in Apocalypsi (5): *Vide ne feceris; conservus tuus sum & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu. Deum adora*. Et iterum (6): *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui servant verba Prophetiæ Libri hujus. Deum ado-*

[29] Κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον. [30] Marc. vii. 2. Κοιναῖς χερσί, *Communibus manibus*; idest, *pollutis*. Rom. xiv. 14. Οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ. *Nihil per se commune*. Hebr. x. 29. Κοινὸν ἡγησάμενος ἐν ᾧ ἡγιάσθη. Matth. xv. 11. Κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, *Communicat*, seu *impurum reddit hominem*. Vide & 18. 20. ex Marc. vii. 15. 18. 20. 23. Act. xi. 8. 9. xxi. 28. Apocal. xxi. 27. [31] Ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου. [32] Dan. vii. viii. x. xi. [33] Dan. 2. 31. & iv. [34] Cyrill. lib. 7. in Levit. Grot. Cornel. [35] Chrysost. Ambros. lib. 2. de Spiritu S. Gregor. lib. 28. Moral. c. 2. Grot. Cornel. alii. [36] Dionys. Glossa ord. Sanct. Fromond. [37] Vide Chrysost. in Acta homil. 22. [1] Sanct. Fromond. alii. [2] Grot. Fromond. Lyr. Men. Cornel. Le Clerc. [3] Act. x. 3. 4. [4] Dan. viii. 18. [5] Apocal. xix. 10. [6] Apoc. xxii. 8. 9.

adora. Lystrenses divinos sibi honores impensuros Paulus & Barnabas (7), in consertam turbam scissis vestibus irruentes, rogabant: *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit Cœlum & terram*. Si qua ex recepto Ecclesiæ more authoritas accessit significationibus quibusdam obsequii erga sacros Præsules, quæ adorationis aliquid præseferunt, hæ utique ad eum referuntur, cujus vicibus Antistites illi in terris funguntur. Nec alia mens esse debet sive obsequia illa reddentibus, sive accipientibus. Perperam itaque & immerito severiores quidam ista, per se utique non mala, carpunt & reprehendunt.

℣. 28. Abominatum sit viro Judæo conjungi, &c. Ex his quædam jam libavimus ad versiculos 2. & 13. Docent Rabbini, nefas esse Judæo consuetudinis aliquid cum Gentili detinere, emere ab illo quidquam, illi vendere, cibum cum illo vel potum capere, agros domumque illi locare. Denique Ethnicos omnes perinde habent Judæi, ut homines pollutos, qui omnes ad se accedentes contaminant (8). Idcirco conversi ex Judæis Christiani paulo asperius interrogavere Petrum Act. xi. 3. *Quare intrasti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Hinc pariter Judæi in pervigilio Paschatis continuerunt sese ab ingressu Prætorii Joan. 18. 28. ne maculam referentes, ab esu Paschatis prohiberentur. Mirabatur Samaritana Joan. 4. 9. Jesum virum Judæum ex se, quæ Samaritana esset, potum quærere. Marcus 7. 3. docet Judæos nunquam e foro sive e via regredi, quin pura se lavent & lustrent, nequo forte Ethnico contacto maculam retulerint.

Hinc denique nata occasio struendæ ab Ethnicis in Judæos accusationis (9), gentem esse hominum inimicam, minime sociabilem, quacum nulla consuetudo intercedere posset. Ut ab his criminationibus gentem suam defendat Josephus l. 2. contra Appion. fatetur Moysem cavisse, ne Judæi exteros in exercitium Religionis & solemnitatum suarum admitterent; non vetuisse tamen impendi illis quod hominum natura jubet, nec vetat Religio, ignem nempe, aquam, escas, viam monstrare, insepultum non præterire. Neque hæc iis quæ diximus repugnant; quæ enim Moyses veranda non censuit, scholarum Hebraicarum Magistris interdicere visum est; & si sequiori Hebræorum ætate remissum est aliquid de ejus instituti severitate, sive in propria Hebræorum sive in alienis regionibus; hoc idcirco evenit, quod non satis sui essent juris, ut Sapientum suorum traditionibus omnino obtemperarent. Divino igitur prodigio & peculiari revelatione opus erat, ut Christianis ex Judaismo conversis dubium omne hac in re auferretur, & Petro communicandi citra offensionem cum Gentibus, ac vescendi cum illis facultas assereretur.

Mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. Data sibi per Spiritum Sanctum luce agnovit Petrus, visum illud sibi objectum lintei, animalibus quibusque impuris referti, designare, nihil sibi discriminis statuendum esse inter Judæum & Gentilem, quoad labem illam externam, ea diversitate rituum & nationum provenientem. Agit ille pro authoritate sua, reserans fores Regni Cœlestis, & Gentiles perinde ac Judæos in Ecclesiam inducens. Denique exemplo & verbo declarat, apud Deum neminem immundum & vitiatum haberi, quod ad prædicationem Evangelii, receptionem baptismi, & fidei Christianæ professionem attinet.

℣. 30. A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea. Græcus (10): *A nudiusquarta die usque ad hanc horam eram jejunans, & nona hora orans in domo mea*. Animadvertere juvat, vocem hanc, *jejunans*, non legi in Codicibus quibusdam Græcis, quemadmodum nec in Vulgata nec in Æthiopica; sed occurrere in editis, & in plerisque Codicibus manu exaratis. Legitur pariter in Textu S. Chrysostomi hom. 23. in Acta; qui tamen jejunii in Commentario non meminit, SS. Epiphanius hær. 28. c. 3. Augustinus in Psal. 96. 1. part. & Prosper in ep. ad Ruffini inter reliqua bene pieque gesta Cornelii jejunium recensent. Cæsaream pervenit Petrus eadem ferme hora, qua Cornelius ante quartum diem Angelum spectavit, circa tertiam horam pomeridianam.

In veste candida. Ita fere Angeli spectandos se præbere solent (11). Candor iste nitor erat ceu nivis vel lucis potius quam albedo vestibus insita.

℣. 33. In conspectu tuo adsumus. Locutio sonans, In tuo sumus arbitrio; pro voluntate de nobis decerne (12). Græcus legit: *Nunc ergo omnes nos coram Deo adsumus*. Parati sumus exequi omnia, quæ Dei nomine nobis præceperis. Sed lectionem Vulgatæ tuentur Syrus, Æthiops, Veteres Codices Cantabrigiensis & Velezianus. Re tamen in unum sensum conveniunt.

℣. 34. Non est personarum acceptor Deus. Expertus novi, quod antea contemplatione dumtaxat intellexeram, Deum non esse personarum acceptorem, qui in donorum suorum distributione nec Judæum Ethnico, nec Ethnicum Judæo præferi. Fidei & Regni fores pandit omnibus, a Patre, ut illud ingrediantur, prædestinatis. Omnibus æque hominibus gratiæ suæ, veritatis, & fidei dona præparat: *Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi*.

Nec hujus vitii reum se præbet Deus, sive cum primam, quam vocant, sive cum secundam gratiam distribuit. Gratia, quæ prima est, nemini debetur, cum homines universi ex æquo Dei justitiæ obnoxii sint, quippe omnes ex æquo in Adamo peccaverint: *In quo omnes peccaverunt*. Non est igitur cur ab illis postulari Deus possit reus in justitiam distributivam, nec acceptionis personarum accusari (13); neque enim proprie ibi est personarum acceptio, ubi nulla intercedit injustitia, ex S. Augustino (14); sicuti nec injustitia est, cum e geminis debitoribus æque solvendo imparibus alteri quidem debitum dimittitur, ab altero exigitur. Neque acceptor personarum dicetur Deus, in distributione secundæ gratiæ, quæ debetur nemini; nec in danda gloria, quam Deus non hominibus, sed operibus & fideli servorum suorum servituti elargitur. Hæc si adfuerint, nihil curat, Judæus ne an Ethnicus dives an pauper fueris: virtutem & bona opera quærit.

℣. 35. Sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Non quod homo suis unius viribus, absque gratiæ ope, gratum se Deo per filialem timorem & piorum operum exercitium præstare possit (15). Sed Deus, sive

[7] Act. xiv. 2. 3. [8] Maimon. Halac Isuribia cap. 4. Misna tit. Nidda cap. 4. *Sapientes decrevere omnimodos Gentiles, tam masculos, quam feminas, pro iis qui perpetuo sanguinis profluvio laborant, habendos, quoties de mundiria, & immunditia quæstio fit*. Vide Selden. de jure nat & gent. l. 2. cap. 5. [9] Justin. lib. 36. Tacit. lib. 5. Molon. apud Joseph. contra Appion. lib. 2. [10] Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος. [11] Vide Act. 1. 10. Joan. xx. 12.
[12] Confer Genes. xiii. 9. *Universa terra coram te est*. 20. 14. *Terra coram vobis est*. xxiv. 51. *En Rebecca coram te est*, &c. [13] D. Thom. 2. par. 2. qu. 63. art. 1. [14] August. lib. 2. contra duas Epist. Pelagg. cap. 7. *Nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est . . . Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur*. Vide, si placet, Fromond. hic. [15] Vide Bartholom. Petri, & Fromond. hic.

sive Judæos sia sive Gentilis, non curat, cum te prævenire gratia; & dignum exhibere, ut a se ameris, piis affectionibus indiitis, statuit. Dei obtutum non invitat sive naturæ sive originis nobilitas: Judæus, ut Judæus, penes illum Ethnico non præstat; nec plus juris est illi ad Dei dona, quam isti. Solam respicit pietatem, fidelitatem, fidem, charitatem Deus, dignitates in Regno suo, sedesque distributurus. Disputavimus in ℣. 3. utrum Cornelius justitia jam tunc potiretur, an illam post Baptismum primum acceperit. *Timere Deum* usurpatur hic pro omnibus quæ ad Dei cultum pertinent; & *operari justitiam* significat proprie totum se misericordiæ operibus addicere. Eodem elogio Cornelius donatus supra ℣. 1. Ethnicus licet, adhuc tamen *timebat Deum*, & *faciebat eleemosynas multas plebi*. Justitia sæpe pro eleemosyna usurpatur (16).

℣. 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum; hic est omnium Dominus. Pesrus Jesum Christum Cornelio nunciaturus, in ipso orationis limine Deum esse illum prædicat: *Hic est omniam Dominas*: at verba faciens ad Judæos, Messiam illum tantummodo & Liberatorem Israelis pronunciavit. Reputavit facile, Cornelii fidem sive majorem esse, sive nitidiorem; vel denique docilior erat Ethnicus ille quam Judæi. Addit, Jesum Christum pacem hominibus Dei nomine nunciasse, vel Deum annunciasse pacem hominibus per Jesum Christum; idest, venisse Jesum in terras, ut homines cum Patre conciliares, iisque pacem & omne bonorum genus promereretur. Ita in ortu Jesu Christi Angeli gloriam Deo & hominibus pacem dixere Luc. 2. 14. & Paulus docet Eph. 2. 14. Jesum Christum pacem nostram esse; nos vero, justitiam adeptos per fidem, pacem cum Deo, eo conciliante, composuisse (17). Denique Jesus Christus dare se Discipulis suis pacem ait, sed pacem longe aliam ab ea, quæ a Mundo præstatur (18).

Vertunt quidam: *Deus misit Verbum suum filiis Israel, annuncians illis pacem*. Sed plerique prior explicatio arridet. Græca syntaxis adeo incerta est, ut non unus ex illa sensus elici queat. Ita e. g. (19): *Scitis verbum, quod misit Deus filiis Israel, annuncians illis pacem*, quam obtineant *per Jesum Christum: hic est omnium Dominus*. (℣. 37.) *Vos scitis*, inquam, *quod factum est verbum per universam Judæam*, &c. Aliter: *Quod ad verbum, quod Deus fecit filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum; hic est omnium Dominus: vos scitis quod factum est per universam Judæam*, &c.

℣. 37. Quod factum est verbum per universam Judæam. Verbum hic pro re usurpatur. Commode etiam accipitur de verbo, quod Jesus Christus per Judæam nunciavit, a Galilæa exorsus, postquam a Joanne tinctus est. Ista nemo tunc ignorabat. Memoria Jesu Christi, & prodigiorum ejus, utpote recens, nondum in ea Regione obsoleverat. Ex his Petrus docere Cornelium aggreditur. Nostis quid acciderit Jesu, qui Provinciam universam prædicando peragrans, alta ubique vestigia potentiæ & misericordiæ suæ impressit. Hunc igitur Jesum vobis nuncio, & eam, quam optatis, salutem ab ipso opperiri jubeo.

Incipiens a Galilæa. Jesus baptismate Joannis sinctus, statim se contulit in desertum, ubi diebus quadraginta perseveravit. Hinc rediit ad Joannem, qui tunc Bethaniæ, vel Bethabaræ baptismum exercebat. Ibi discipulos aliquot, Andream, Bartholomæum, Petrum, & Philippum, sibi adscivit. Tum nuptiis Canæ Galilææ interfuit, ubi primum miraculum edidit; successitque deinde Capharnaum ejusdem regionis urbem ad mare Galilææ, ibique miracula continuavit. Hoc est prædicationis, & manifestationis Jesu Christi exordium.

℣. 38. Quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto. Jesus Christus, ut homo, unctus fuit virtute Spiritus Sancti, ejusque gratiarum cumulo, tantam donorum cœlestium non modo interiorum copiam assequutus, ut & perfectus & Deo gratus efficeretur; verum etiam exteriorum gratiarum ubertatem, qua apud homines maxime commendaretur; ac denique Verbi Divinitas cum humana ejus natura hypostatice conjuncta, ad dignitatem longe humana superiorem illum erexit, ut verus sit & genuinus Deus, Dei Filius, Servator, Messias, & libertatis humanæ Assertor. Unctio Spiritus Sancti, de qua hic Petrus, significat potissimum dignitatem Messiæ, vel Regis Cœli Terræque, quam Pater Filio contulit. Vide Isaiam LXI. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*; & Lucam IV. 18. ubi sententiam hanc Isaiæ ipse sibi Jesus accommodat. Cornelius, utpote veræ Religionis non ignarus, nosse utique debuit, unicum illum esse salutis authorem, & spei Israelis finem. Hunc Domini Unctum ipsum esse Jesum Christum, Petrus Cornelio non affirmat tantum, sed & probat ex miraculis per universam Judæam ab illo editis, quæ palam vulgata Cornelium utique non latebant: *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a Diabolo, quoniam Deus erat cum illo*.

℣. 40. Deus suscitavit eum a mortuis. Orationem suam ad auditorum captum mire Apostolus temperat. Verba enim ad Judæos faciens, e Scripturarum testimonio, & impletorum oraculorum fide Jesum Christum Messiam esse demonstravit. At cum Ethnico agens, prodigia tantummodo & resurrectionem profert; sufficere hæc ratus, ut evincat, Jesum Christum a Deo missum esse in salutem Mundi, nec ex alio veritatem ac salutis viam esse discendam. Angelus qui Cornelio per visum oblatus spem fecerat, auditurum illum a Petro, quæ sibi præstanda essent, novum veritatis pondus addebat verbis Apostoli, ac necessitatem illi adimebat, ut ad asserendam Jesu Christi missionem documenta congereret. Statim igitur ad ipsum argumenti caput descendis. Deus Jesum Christum Spiritu suo plenissime perfudit; prodigiorum copia Jesus claruit, e mortuis surrexit; res omnibus compertas loquor, quas nos certa fide tenemus, & oculis ipsi nostris spectavimus.

℣. 41. Non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo. Miracula Jesu Christi coram omnibus patrata sunt; sed revocatum illum e mortuis certus tantummodo testium numerus vidit, sufficiens tamen ad extorquendam rei fidem ex iis, quorum animus rectus est, & mens docilis. Tametsi resurrectio Christi adeo explorata fuisset & cognita, uti passio & miracula, numnam propterea continuissent sese Pharisæi, quin magicis præstigiis, us olim miracula, ita & resurrectionem adscriberent? continuissent ne se pariter Hæretici, quin resurrexisse illum specie tantummodo, ut de morte & passione asseruerunt, comminiscerentur? Religioni plane universæ penes alios atque alios sua est lux, sunt & tenebræ; lucem habet fidelibus & morigeris, qua credant; impiis vero tenebras, quibus se perdant, atque in errore infidelitatis & criminis perseverent (20).

Qui manducavimus, et bibimus cum illo. Resurrexisse illum e mortuis vere, non per fictam tantummodo speciem, ex eo constat nobis, quod ci-

[16] Psalm. CXI. 6. Vide & 70. in Deut. VI. 25. 1. Reg. XII. 7. Psalm. XXIII. 6. XXXV. 11. 5. 16. Prov. X. 2. XI. 4. &c. [17] Rom. V. 1. *Justificati ergo fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum*. [18] Joan. XIV. 27. [19] Τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ· οὗτός ἐστι πάντων Κύριος. 37. Ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα, &c. [20] Marc. IV. 12. *Ut videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant; nequando convertantur*, &c.

cibum potumque cum illo sumpsimus. Hoc certe argumentum, si unicum esset, difficultate non careret, cum Angeli cum illi, qui per visum Abrahamo apparuere, tum ille, qui ducem itineris sese adolescentulo Tobiæ præbuit, cibum potumque, exteriori saltem specie, admiserint; idemque præstare potuerit Jesus Christus, etiamsi e mortuis non resurrexisset, cujus & revocatum ad vitam corpus nulla cibi necessitate tenebatur. Inde ergo nihil colligas in utramque argumenti hujus partem. Attamen Jesus Christus Luc. 24. 33. cibi aliquid quæsivit, & re ipsa coram Apostolis comedit, ut resurrectionem suam ad sensum illis demonstraret. Reputandum est igitur, verba illa, *manducavimus & bibimus*, pro omnibus vitæ functionibus hic usurpari. Nos igitur cum illo in vitam restituto verba fecimus, interroganti respondimus, manu tetigimus, & nobis spectantibus ille manducavit; denique argumenta omnia exhibuit, quibus vere se surrexisse ostenderet. Id nisi certum dixerimus, nihil erit inter homines certum. Singuli sensus alter post alterum decepti fuissent, & ipse Jesus Christus seducere, ac in errorem pertrahere nos voluisset; id quod citra impietatem vel mente ipsa concipi nequit.

℣. 42. IPSE EST QUI CONSTITUTUS EST A DEO JUDEX VIVORUM ET MORTUORUM. Munus hoc Filii Dei sæpe in Scripturis exprimitur (21); idemque pariter Jesus Christus sæpe admonuit, judicaturum se omnes æque homines, bonos & malos (22), *vivos*, idest electos, & *mortuos*; idest reprobos (23); seu potius *vivos*, qui in secundo ejus adventu superstites adhuc fuerint; & *mortuos*; qui nempe ab ipso mundi exordio ad eam usque diem decesserint. Hæc illi potestas ut Filio Hominis demandata est, ideo scilicet, quod naturam gerat humanam cum Divinitate hypostatice conjunctam. Denique cum dicitur *judicaturus vivos*, non ita reputandum est, quasi viventes homines ad illius tribunal rapiendi sint; sed illos, qui forte adhuc in exitu mundi vixerint, interituros, statimque in judicio coram Filio Dei adfuturos (24).

℣. 43. HUIC OMNES PROPHETÆ TESTIMONIUM PERHIBENT; spondent scilicet futurum, ut quicumque in illum crediderit fide, quæ per charitatem vivit, & per bona opera agit, *accipiat remissionem peccatorum per nomen ejus*; scilicet per ejus merita, per fidem in ejus nomen, per ipsum Jesum, doctrinam ejus profitendo, & documenta sectando. Omnes Veteris Testamenti Prophetæ Jesum Christum prænunciarunt, & ab eodem impetraturos nos criminum veniam spoponderunt; alii quidem diserte, alii subobscure; hi verbis, illi gestis, vel symbolis aut figuris. Vide supra, III. 18. *Deus quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum, pati Christum*; & Lucam XXIV. 27. &c.

℣. 44. ADHUC LOQUENTE PETRO, CECIDIT SPIRITUS SANCTUS SUPER OMNES, QUI AUDIEBANT VERBUM; in domesticos scilicet & amicos Cornelii, qui Petrum audituri, in ejus domum convenerant. Manifesto illapsu Spiritus Sanctus illos afflavit, facile sub imagine flammæ, ut olim die Pentecostes descenderat in Apostolos. Statim omnes variis linguis loqui (25), & Dei laudes concrepare cœperunt. Rei novitate obstupuere Christiani ex Judæis, qui Petrum Joppe Cæsaream comitati fuerant. Supremus donorum suorum arbiter Spiritus Sanctus, voluit tunc se ipsum per se, non manuum Apostolicarum ministerio, tradere atque elargiri (26). Profecto Christiani ex Judæis adeo ægre ferebant, gratiam Evangelii Ethnicis dari, quin jugo Legis subjicerentur, ut minori prodigio, quam quod tunc a Deo editum fuit, vinci non possent (27). Petrum in eam rem jam comparaverat idem Jesus Christus, tum iis quæ ipse de futura Gentium vocatione prædixerat, tum exhibito in domo Simonis Coriarii spectaculo; sed inclinatum jam in hanc sententiam animum confirmavit Sanctus Spiritus, qui & orationes, & baptismum, & manuum impositionem prævertit; Argumentum id erat Divinæ voluntatis manifestius, quam ut quis resisteret.

℣. 45. QUIA ET IN NATIONES GRATIA SPIRITUS SANCTI EFFUSA EST. Utique non obstupuissent, si Spiritus Sanctus afflasset gentiles ad Judaica, & ex illis ad Christiana mysteria translatos. Admiratio illorum in eo posita erat, quod Gentiles non initiati circumcisione, nec Mosaicis Sacris imbuti, afflarentur Sancto Spiritu, & Justitiæ gratia intrinsecus, ac effusione donorum Sancti Spiritus exterius perfunderentur.

℣. 47. NUMQUID AQUAM QUIS PROHIBERE POTEST UT NON BAPTIZENTUR HI, QUI SPIRITUM SANCTUM ACCEPERUNT? Segnem hæsitationem sibi quodammodo exprobrat Petrus, simulque refellit opinionem Judæorum circumcisorum, qui ambigui adhuc hærebant, utrum baptismo donandi essent homines, qui Spiritu Sancto tunc afflabantur. Numnam certiora Voluntatis Divinæ argumenta expectamus? Qui baptismum negare audebimus iis, quos Deus dignos habuit Spiritu suo, qui baptismi suprema perfectio est?

℣. 48. ET JUSSIT EOS BAPTIZARI IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI (28). Baptismate abluendos esse censuit; præcepitque iis, quos secum comites Joppe adduxerat, ut eo Sacramento illos initiarent. Forte etiam ipse per se quosdam tinxit, ac secum ministros adhibuit Discipulos, quos secum duxerat; facile Sacerdotes, vel Diaconos. Hoc est exordium Ecclesiæ Christianæ, ex Gentilibus ad Fidem Jesu Christi vocatis compositæ.

Antequam alio divertamus, proferre in medium juvat ea, quæ de Cornelio memoriæ prodita sunt. Usuardo & Latinis est Cæsareæ Episcopus; ejusque Festum die secunda Februarii celebratur. Ex Græcis recentioribus alii Episcopum *Ilii*, alii *Scepsis*, quæ vicina est Urbs, faciunt; inter Martyres recensent; ejusque memoriæ diem XXIII. Septembris consecrant. In ejus tamen Actis violenta morte sublatus fuisse non legitur; habent enim illa dumtaxat, datum fuisse in vincula, ac tranquille obiisse. In Constitutionibus Apostolicis l. 7. c. 46. occurrit Cornelius quidam Episcopus Cæsareæ post Zachæum; verum an ipse sit Cornelius a Petro baptizatus, nec author dicit, nec, si diceret, fidem ex nobis sola authoritate sua extorqueret, cum præsertim testimonio ejus refragetur silentium Eusebii, ejusdem Cæsariensis Ecclesiæ Episcopi, qui de dignitate Ecclesiæ suæ sollicitus, si Episcopatum ejusdem gessisset Cornelius iste, profecto non tacuisset. Cornelii domum deinde in Ecclesiam conversam S. Paula religiosissime invisit anno 385.

Utrum Cornelius omnium Gentilium primus Christi fidem acceperit, in utramque partem ambigitur. Censet S. Augustinus (29), Ethnicos quosdam Christianis adjunxisse sese ante Cornelium, ut quo tempore ille ad fidem transivit, quæstio jam pridem cœpta agitaretur in Ecclesia, utrum Ethnici, circumcisione non signati, bapti-

[21] Matth. XXV. 31. Joan. V. 27. 28. Act. I. 11. 2. Timot. IV. 1. 8. 1. Petri IV. V. &c. [22] Joan. V. 27. *Filio dedit potestatem judicium facere, quia Filius hominis est*. [23] Chrysost. hom. 1. de Symbol. August. Enchirid. cap. 51. [24] Vide Cornel. & Fromond. hic. [25] Infra ℣. 46. [26] Vide August. serm. 266. num. 7. [27] Vide Chrysost. homil. 24. in Acta; August. serm. 66. Grot. hic. [28] Græci Codices editi legunt dumtaxat: *Jussit eos baptizari in nomine Domini*: Προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. Alii: Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ita Vulg. Æth. Syr. Copht. Chrysost. Alex. alii plures. [29] August. serm. 99. cap. 12. & 266. num. 6.

ptismate tingendi essent. Ex Patribus & nostratibus Scriptoribus (30) plures defendunt. Eunuchum Reginæ Candacis Ethnicum fuisse, & omnium gentilium primum ad Christianos transisse. Sunt etiam qui putent, ab ipso pariter Jesu Christo Ethnicos plures exceptos fuisse inter suos, puta Centurionem Capharnai, cujus filium curavit Luc. 7. 1. & Regium illum Ministrum, cujus meminit Joannes 4. 46. & Zachæum, quem Jerichunte versantem vocavit; quem virum Tertullianus l. 4. c. 37. in Marcionem, S. Chrysostomus homil. de Zachæo, Beda in Luc. aliique nonnulli Ethnicum fuisse putant. Legitur in Vulgata, Capite ix. 29. Paulum, cum Jerosolymam post quatuor a conversione annos venisset, sermonem habuisse cum Ethnicis, atque in Græcos, sive Hellenistas disputasse. Conversio autem Pauli accidit ante iter Petri Cæsaream, & ante baptismum Cornelii.

Sed opinio, quæ Cornelium omnium gentilium primum Christianum nomen assumpsisse docet, probabilior est. Id asserit disertis verbis Origenes in Num. hom. xi. & S. Augustinus ipse in Psal. 96. n. 13. agnoscit, neminem ex Ethnicis ante Cornelium & baptismum excepisse, & Jesu Christo credidisse. Conversionis & baptismi ejus historia ita narratur in Actis, ut argumentum præbeat apertissimum ad probandum, neminem ante illum Sancto Spiritu, ac baptismo donatum fuisse. Jesus Christus Matt. x. 5. monuerat Apostolos, *in viam gentium ne abirent*. Qui post necem Stephani dispersi erant sese, *nemini locuti sunt verbum, nisi solis Judæis* Act. xi. 19. Cum Petrus ejusque socii afflatos Sancto Spiritu Cornelium cæterosque noverunt, admirati invicem sciscitabantur, *si & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. Act. 10. 45. Denique Petrum Jerosolymam reducem interrogarunt fratres Act. xi. 3. *Quare introisti ad viros præputium habentes; & manducasti cum illis?* Ex his satis demonstrari arbitror, Evangelii fores non patuisse Gentibus, nisi post Cornelii conversionem. Quod attinet ad locum ex nono Capite Actorum; hic in nullo Græco Codice legitur.

[30] Euseb. lib. 2. cap 1. Hist. Eccl. Nicephor. lib. 2. cap. 6. Beda in Acta; D. Th. in cap. 12. Joan. lect. 14. Gloss. ordinar. Hugo, Cajet. Salmer. Maldon. in Act. viii. Tolet. Maldon. in Joan. xii. Jansen. Concord. c. 1. Sanct. in Acta, Tract. 1. de prædic. S. Jacobi in Hispania cap. 5.

CAPUT XI.

Judæi arguunt Petrum, quod consuetudinem habuerit cum Gentibus. Antiochiæ plures in Jesum credunt. Barnabas eo missus venit cum Saulo. Discipuli ibi primum Christiani appellantur. Prophetæ Christiani famem ingentem prædicunt. Eleemosynæ ad Fideles Judææ mittuntur.

℣. 1. Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione. 3. Dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens: 5. Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo, & venit usque ad me. 6. In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cœli. 7. Audivi autem & vocem dicentem mihi: Surge, Petre, occide, & manduca. 8. Dixi autem: Nequaquam, Domine: quia commune, aut immundum numquam introivit in os meum. 9. Respondit autem vox secundo de cœlo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris. 10. Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cœlum. 11. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi a Cæsarea ad me. 12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri. 13. Narravit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua, stantem, & dicentem sibi: Mitte in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. 14. Qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. 15. Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. 16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto: 17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? 18. His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 19. Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. 20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii,

& Cy-

& Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. 21. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. 22. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. 23. Qui cum pervenisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: 24. Qui erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et apposita est multa turba Domino. 25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam. 26. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. 27. In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam. 28. Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. 29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus. 30. Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli.

℣. 1. FRATRES QUI ERANT IN JUDÆA. Judæa hic ponitur, ut opposita Cæsareæ, quæ, licet Palæstinæ Urbs, inter Græcas tamen habebatur, quod civium plerosque Ethnicos, Græcos, vel Syros haberet. Apostolis, & fratribus Jerosolymæ versantibus primo quidem ingratum acciderat, quod Petrus cum Gentilibus egisset, illisque dedisset gratiam Evangelii & baptismatis, quamquam non initiatis circumcisione, nec Legem Judaicam amplexis. Quinam ex Apostolis tunc Jerosolymæ versarentur, ignotum. Quin & S. Chrysostomus hom. 4. in Acta & S. Gregorius l. 9. Ep. 239. murmuris in Petrum participes Apostolos ibi agentes se præbuisse negant. Seditionis hujus auctorem Cerinthum, hæresis deinde principem & authorem, fuisse S. Epiphanius tradit hær. 28. c. 2. Principis Apostolorum authoritas continere illum in officio non valuit, nimiumque ejus studium erga cæremonias Legis eo illum adduxit, ut vel ipsum Apostolum argueret. Potuisset quidem Petrus ea, qua pollebat, authoritate silentium illi imponere, utpote quod ovis non esset pastorem damnare (1); sed maluit factum purgare, narratis omnibus quæ sibi contigerant, testibusque productis sex illis fratribus, quos socios adduxerat Cæsaream, quosque secum Jerosolymam transtulerat Act. XI. 12.

Vetus Codex Græco-Latinus Cantabrigiensis addit hic nonnulla: *Auditum factum est apostolis & fratribus, qui erant in Judæa. Petrus enim post multum temporis voluit proficisci Jerosolymam, & allocutus fratres, eos confirmavit, multo sermone ad eos habito: per regiones docens eos, ad quos deveniebat, & evangelizabat eis gratiam Dei*, gentilibus factam. *Qui autem ex circumcisione* erant *fratres, disputabant adversus illum, dicentes: Quare, &c.*

℣. 3. QUARE INTROISTI AD VIROS PRÆPUTIUM HABENTES, ET MANDUCASTI CUM ILLIS? Non queruntur, cur Evangelium illis nunciaverit, cur tinxerit baptismo Ethnicos (2): id enim cessisset in contemptum Jesu Christi, qui disertis verbis mandaverat Apostolis, ut Evangelium per omnes gentes spargerent, omnesque baptismo lavarent: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Matth. 28. 19. Exprobrant tantummodo consuetudinem cum gentilibus, quos etiam socios mensæ adhibuerit, adversus præcepta Sapientum, ut animadvertimus cap. X. 5. 13. 28. Exhibent hæc omnia ingenium Judæorum, & sollicitum erga traditiones studium.

℣. 4. INCIPIENS AUTEM PETRUS, EXPONEBAT ILLIS ORDINEM; ordine singula persecutus est. Dominatum in fidem fratrum suorum sibi non adrogat (3), non utitur authoritate, quam suprema illi dignitas conciliabat. Id agit, quod in prima Epistola 3. 15. docuerat: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, rationem reddere de ea, quæ in vobis est, spe.* Primi illi fideles non satis adhuc norant inutilitatem cæremoniarum ad salutem obtinendam, earumque per Legem Christi abrogationem. Neque etiam veritati huic intelligendæ pares adhuc erant, eorumque hanc in se imbecillitati sese Apostoli accommodavere. Prudentia ipsa postulat supprimi interdum & ad certum tempus veritates, quarum cognitio ultimæ necessitatis esse minime censetur. Nec ipse pariter Jesus Christus Divinitatem suam semper aperte docuit; sicut nec Virgineam Matris suæ pudicitiam palam asseruit.

℣. 5. ERAM IN CIVITATE JOPPE. Repetit hic historiam superiori capite recitatam, ubi nostram explicationem Lector habet.

℣. 11. TRES VIRI. S. Epiphanius & Vetus Codex Cantabrigiensis, ℣. 17. Capitis superioris, duos legunt.

℣. 12. SEX FRATRES, comitati me euntem Joppe Cæsaream, & Cæsarea Jerosolymam; hi suis oculis spectavere prodigia, quibus Deus rem a me gestam approbavit.

℣. 14. IN QUIBUS SALVUS ERIS. Post adventum Jesu Christi nulla est salutis via, nisi per fidem in ejus nomen, & mandatis ejus obedientiam (4). Expressum quidem a Deo præceptum baptizandi Cornelium, quin initiaret circumcisione, Petro datum non fuerat; neque promissum fuerat Cornelio, ipsum ad fidem Christianam absque hac conditione admissum iri. At cum mandatum est Petro, ut occideret & manducaret animalium quodcumque genus, purum impurumque, perinde fuit, ac si moneretur, ne vereretur circumcisionem, nec Legis cæremonias; idcirco enim Gentiles impuri habebantur, quod circumcisione carerent. Ad hoc, Spiritus Sanctus Cornelium cæterosque afflans, antequam illis quidquam significaretur de amplectenda circumcisione, statimque ac illis annunciatus fuit Jesus Christus, satis probabat, fidem Jesu Christi, accedente baptismo & charitate, conjuncta cum bonis operibus, solam per se ad salutem valere. Itaque Petrus nihil ultra ex illis poscendum censuit.

℣. 16. JOANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA; VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO. Idem pariter spoponderat Jesus Christus Apostolis, in ipso Ascensionis in Cœlum limine Act. 1. 5. Oraculum Magistri accommodat Petrus iis, quæ Cornelio

(1) Gregor. l. 9. Ep. 39. Chrysost. homil. 24. (2) Chrysost. Cornel. Fromond. (3) 2. Cor. 1. 24. *Non quia dominamur fidei vestræ.* (4) Act. IV. 12. *Non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

nelio contigerunt. Ut inter Iudæos quis recenseretur, baptismate abluendus erat, initiandus circumcisione, ac solemni ritu ad Legis obsequium adigendus. Tria hæc necessaria erant ad *Proselytum justitiæ* constituendum (5). Pro tribus hisce abunde fuit Sanctus Spiritus in Cornelium illapsus; is enim baptismate illum abluit longe perfectiori & efficaciori, quam aquæ baptismo per homines ablui posset. Characterem vero imprimit animæ Sanctus Spiritus longe nobiliorem & magis divinum, quam quo circumcisi obsignabantur, & ea quæ in baptismo Christiani promittimus, multo præstantissima sunt, quam ea, quibus Proselyti in Iudaismo sese obstringunt.

℣. 17. Ego quis eram, qui possem prohibere Deum? qui ejus voluntati resisterem? Fas ne mihi erat baptismum denegare iis, quibus seipse Spiritus impartiens, baptismi quodammodo & manuum impositionis effectum præverterat?

℣. 18. Ergo et Gentibus poenitentiam dedit Deus. Pœnitentia hic pro remissione peccatorum, causa pro effectu, ponitur. Christiani ex Iudæis mirati sunt, Deum eamdem gratiam concessisse Gentibus, quam solis Hebræis, delectæ scilicet genti, reservatam putabant. Non quod claudere prorsus Gentilibus salutis januas vellent, sed circumcisione prius & legalibus mysteriis initiatos, deinde baptismo donarent. Nunc vero Cornelius cæterique statim ex Ethnicis ad Christianos transierunt. Deus illis baptismum, animi dolorem, criminum veniam largitus fuit, nec Legis jugo subjectos voluit; quod ignotum hactenus, & plane novum accidebat.

℣. 19. Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, per varias late regiones vagati, palam ubique Jesum Christum, unis tamen Iudæis, nunciabant, neque enim satis exploratum habebant, in decretis Dei positum esse, ut gentibus pariter Evangelii fores reserarentur. Exponere hic voluit Lucas causam, quæ Iudæos Ierosolymitanos induxit, ut Petrum arguerent de consuetudine cum gentibus; id quod ante illum nemo ausus fuerat. *Nemini loquti fuerant verbum nisi solis Judæis*; quamquam latius se diffuderant usque in Phœniciam, vicinasque Tyro & Sidoni regiones, insulam Cyprum, multis celebrem nominibus, quam & Judæi frequentes incolebant; denique usque Antiochiam Urbem maximam, & Orientalium omnium florentissimam.

℣. 20. Erant quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, ortu scilicet, quamquam origine & religione Judæi. Hi vero Antiochiam usque venientes, Evangelium ibi nunciarunt. *Cyrenæi* Judæi fuere orti in Cyrenaica, Ægypto vicina, Judæisque pluribus frequenti. Erant autem fideles primi per Petrum Baptismo initiati, qui pariter cum ceteris in obitu Stephani aufugerant. Hæc autem non prius acciderunt, quam post quinque vel sex ab obitu Stephani annos.

Loquebantur ad Græcos, id est, *ad Hellenistas* (6), ad Judæos Antiochenos, græco sermone loquentes. Idcirco autem appellabantur *Hellenistæ*, ut distinguerentur a Judæis Palæstinæ, apud quos passim Hebraicus vel Syriacus obtinebat. Ita ex Interpretibus plures (7). Plerisque tamen (8) videtur, agi hic de Græcis Ethnicis, quibus Fideles Cyprii & Cyrenæi Iesum Christum nunciavere sub idem fere tempus, quo Petrus Cornelium allocutus, baptismate illum tinxit. Huc sane tota sermonis series ducit. Lucas enim, recitatis iis, quæ Cornelio Cæsareæ contigerunt, tum denique subtexit rem illi affinem, conversionem nempe ad fidem plurium ex Ethnicis Antiochenis. Rei hujus rumor Ierosolymam delatus paulo post compertum Cornelii baptismum, Fideles in ea sententia confirmavit, Deum statuisse, ut Ecclesia ex gentibus pariter coalesceret: idque maximum adjecit momentum iis, quæ ea de re Petrus disputaverat. *Græcus* usurpatur interdum pro Judæo græce loquente, & extra Palæstinam degente, ut supra VI. 1. sæpius tamen sonat Gentilem a Sacris Hebræorum alienum. Ita usurpandum est hic & alibi sæpe, atque ita Paulus in epistolis usurpat (9).

℣. 21. Et erat manus Domini cum eis, exhibitione scilicet miraculorum, & fructu, quem laboribus eorum uberem impertiebat, animos auditorum tangens, mentesque gratia illustrans. Manus Domini usurpatur sæpe pro ejus potentia, qua nova & mira facit.

℣. 22. Miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. De Barnaba jam supra IV. 36. dictum est. Delegatus fuit Antiochiam, ut absolveret id, quod feliciter jam a Discipulis Cypriis & Cyrenæis inchoatum fuerat. Deligendi autem ejus viri causa erat duplex. Prima, quod perfamiliaris illi esset Græcus sermo, in insula Cypro non secus ac Antiochiæ obtinens; altera vero, quod gratissimus fore credebatur Discipulis, qui in ea Urbe prædicaverant, utpote pariter Cypriis. Præterea nota erant pius viri ardor, prudentia, sapientia, quæ illum huic muneri parem efficiebant.

℣. 23. Cum vidisset gratiam Dei; gratiæ scilicet effectus in fide, charitate, concordia fidelium, & in miris Sancti Spiritus donis, quibus affatim donati erant; ac denique in fidei illorum puritate. Id autem eo gratius illi accidit, quod novum esset ac plane insuetum spectaculum, Gentiles cernere statim Christianos.

Hortabatur in proposito cordis permanere in domino. Græcus ad verbum (10); *Hortabatur omnes permanere Domino in proposito cordis*; ut perseverarent in ejus obsequio & in charitate. Nihil addendum occurrit eorum fidei & doctrinæ qua instituti fuerant; ac dumtaxat hortatus est, ut in incepto perseverarent.

℣. 24. Apposita est multa turba Domino. Ingentem mox conversorum turbam adjecit, prorogavitque novæ Ecclesiæ pomeria prædicationibus & prodigiis, quæ Antiochiæ patravit: *Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu Sancto & fide.*

℣. 25. Profectus est Tharsum, ut quæreret Saulum, secumque Antiochiam duceret, Paulum jam diu noverat, eumque ipse Jerosolymis coram Apostolis statuerat. Uterque simul sub Gamaliele operam studiis navasse dicuntur. Porro Paulus ante aliquod tempus receperat se Tharsum, postquam necem sibi moliri Judæos Jerosolymitanos intellexit Act. 9. 29. Tamdiu ibi fuit, donec a Barnaba vocatus, Antiochiam una cum illo venit. Vetus Cantabrigiensis Codex sic legit Versiculos 25. & 26. *Audiens* Barnabas, *quoniam Paulus est Tharsi, exiit inquirens eum; & cum invenisset, hortatus est eum ut veniret Antiochiam. Qui permanserunt simul annum totum, congregare multitudinem copiosam in Ecclesia, & tunc primum nominare Antiochiæ discipulos Christianos.* Porro Antiochia & Tharsus Ciliciæ maritimo itinere parum distabant.

℣. 26. Ut cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli, Christiani. Quis id nominis Fidelibus indidit? Paulus ne an Barnabas? an ipsi per se Discipuli? an Ethnicus aliquis? Silet Scri-

(5) Gemar. Babyl. ad tit. Jamiboth c. 4. & tit. Reviroth c. 2. Maimon. Halac Isuribia. Vide Selden. de jus. nat. & gent. l. 2. c. 2. (6) Ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. Ms. Alex. Syr. Arab. Æth. Vulg. ad Græcos Πρὸς τοὺς Ἕλληνας. (7) Ligfoot. Pisc. Hamm. Vat. Erasm. From. (8) Lyran. Aug. Cajet. Sanct. Cornel. Menoch. Tir. Bez. Drus. Grot. Capell. Le Clerc, alii. (9) Vide Act. xiv. 1. xviii. 4. xix. 10. xx. 21. Rom. 1. 16. ii. 9. iii. 9. x. 12. 1. Cor. i. 24. &c. Galat. iii. 28. (10) Παρεκάλει πάντας τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ

Scriptura; sed vetus Codex, ex quo versiculum superiorem recitavimus, Patresque quamplures (10) arbitrati sunt, ex ipsismet Apostolis appellationem illam impositam fuisse credentibus, qua distinguerentur a Sectis Judæorum, Pharisæis scilicet, Saducæis, Esseniis, Discipulisque Judæ Gaulonitæ. Alii (11) ex Ethnicis, imitantibus morem Philosophorum, quorum variæ erant Sectæ, ex nomine Authorum vel Principum suorum distinctæ, ut Platonicorum, Pythagoræorum, Epicuræorum, &c. provenisse malunt, ut Jesu Christi Discipuli Christiani nuncuparentur.

Ante id tempus appellabantur dumtaxat *Fratres*, *Sancti*, *Discipuli*, vel *Credentes*, aut *Fideles*; quæ sane nomina in Scriptis Apostolorum & Virorum Apostolicorum diu etiam postea perseverarunt. Petrus in prima Epistola (12), quæ paulo post hæc Antiochiæ gesta scripta creditur, *Christianorum* nomen adhibet; quod tamen in nulla ex Pauli Epistolis occurrit. Sed brevi longe lateque appellationem hanc vulgatam fuisse, ex eo constat, quod Agrippa junior post annos ab hinc sexdecim Paulo dixerit Act. 26. 28. *In modico suades me Christianum fieri*. Et sub Claudio pulsos Roma fuisse Judæos, quod tumultus occasione *Chresti* cujusdam excitarent, narrat Suetonius in Claudio: *Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulit*. Ita vero Christum Ethnici appellabant; cum enim causam nominis *Christi* ignorarent, & ex Christianorum sermocinationibus intelligerent, virum fuisse mitem atque benignum, *Chrestum*, quod Græce est mitis, bonus, nuncupari existimarunt: *Christus non proprium nomen est; sed nuncupatio potestatis & regni; sic enim Judæi Reges suos appellabant*, ait Lactantius de vera Sap. l. 4. c. 7. *Sed immutata litera, Chrestum solent dicere*. *Christianus*, ait Tertullianus in Apologet. *de unctione dicitur*: *Sed cum perperam Christianus pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate vel benignitate compositum est*.

Christiani nominis osores, & Judæi infideles perversique nomen illis dabant *Galilæorum*, quod Jesus Christus in Galilæa sese prodiderit; sicut & Nazaræorum, quod in Nazareth annos vitæ suæ plerosque egerit, ibique innotuerit sub nomine Jesu a Nazareth. Verum denominationes istæ, uti & altera *Chrestianorum*, probrosæ habebantur, quod nonnisi ex odio & contemptu ab Ethnicis usurparentur.

℣. 27. In his diebus supervenerunt ab Jerosolymis Prophetæ. Quemadmodum olim Synagogæ sui fuerunt Prophetæ, ita & in Ecclesiæ exordiis sui non deerant. Prophetiæ donum adeo tunc familiare erat, ut raræ essent Ecclesiæ sine Prophetis (13). Tunc autem potissimum sua fides stetit oraculo Joelis 2. 28. de Spiritu Prophetiæ, super omnem carnem effundendo. Infra capite xxi. sese offerent quatuor filiæ Philippi Diaconi, Prophetides. Apocalypsis Joannis propheticum est opus. Docet Lucas infra cap. 13. 1. fuisse Antiochiæ Doctores & Prophetas, inter quos eminebant Barnabas, Simon Niger, Lucius Cyrenæus, Manahen, & Saulus. Omnes Novi Testamenti Scriptores Prophetæ sunt; raraque decurrerunt sæcula, quibus saltem per intervalla Deus non dederit Prophetiæ Spiritum iis, quos eximia virtus, & morum sanctimonia distinguebat.

℣. 28. Agabus significabat per Spiritum, famem magnam futuram in universo Orbe terrarum. Agabus vir est ferme ignotus. A nonnullis pictoribus, exprimentibus imaginem nuptiarum Beatæ Virginis, exhibetur frangens baculum ex indignatione, quod præferri sibi cernat Josephum, atque ad Carmelitarum cucullum transiens. Græcis unus est e septuaginta duobus Discipulis, martyrium Antiochiæ obiisse creditur, ejusque festum die octava Martii celebratur. Latini noni sæculi memoriæ ejus diem xiii. Februarii consecrabant. Legimus infra c. 21. 10. Agabum convenisse Paulum Cæsareæ, ac prænunciasse futurum, ut gentibus traderetur. Quam hic prædicit, fames accidit anno quarto Claudii, Æræ communis quarto & quadragesimo. Scriptoribus etiam profanis nota est, eaque occasione de Claudio scribit Suetonius (14): *A turba conviciis ac simul fragminibus panis ita infestatus est, ut ægre, nec nisi postico evadere in Palatium valuerit*. Totam vero late terram inundasse famem hanc, tradit Lucas: *In universo orbe terrarum*, idest toto Orbe Romano; quamquam non ex æquo ubique; sævit enim in Judæa crudelius.

℣. 29. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt mittere habitantibus in Judæa, Jerosolymæ. Versantes Antiochiæ Fideles, certiores facti de extrema rerum omnium inopia, quæ Christianos Jerosolymitanos tenebat, plerique enim illorum res suas omnes in communem usum ante Apostolorum pedes attulerant, dignum charitate sua consilium inierunt, mittendi scilicet pias largitiones in Judæam, ut fratrum necessitati subvenirent. Ad ferendas illas Paulus ac Barnabas electi sunt. Narrat Josephus Antiqu. lib. 20. cap. 2. Helenam Adiabenorum Reginam, audita rerum inopia, quæ Jerosolymam angebat, itaut homines in ea plures fame enecarentur, misisse actutum, qui emptas Alexandriæ fruges, & ficuum caricas in Insula Cypri, per Urbem gratis spargerent; id quod multitudini plane innumerabili saluti fuit. Filius ejus Izates misit pariter in eam rem pecuniæ vim maximam ad Magistratus Jerosolymitanos, ad subsidium eorum, qui maxime indigebant.

℣. 30. Mittentes ad Seniores; ad Presbyteros. Presbyterorum mentio hic prima in Novo Testamento occurrit. Quem vero gradum ac dignitatem hic teneant, dissidium est inter Scriptores. Sunt (15) qui designari hisce Apostolos censeant. Sed alii dispersos tunc fuisse per Orbem Apostolos contendunt, præter Jacobum Minorem, Jerosolymorum Episcopum. Quod autem hanc opinionem confirmat, illud est, nimirum ne verbum quidem facere Apostolum de hac profectione sua in Epistola ad Galatas; quod utique non neglexisset, siquem ex Apostolis nactus ibi fuisset. Igitur putant alii (16), seniores hosce facile designare Diaconos, quibus cura eleemosynas distribuendi demandata erat. Alii denique stant pro Sacerdotibus, secundum ab Apostolis ordinem tenentibus, qui illis absentibus Fideles regebant ac moderabantur.

Credibile est, si quid aliud, maxime, primam Ecclesiæ Christianæ formam, quod ad exteriorem regiminis ordinem, ad exemplar Synagogæ curatam fuisse. Inter Judæos vero tunc in singulis Synagogis (nos Ecclesias appellamus) *Princeps Synagogæ erat*, qui Episcopo apud nos respondet; ejusque dexteram lævamque tegebat certus Assessorum numerus, quos *Seniores* appellabant. Alterum ab his locum tenebant *Discipuli Scribarum*, Legis studio vacantes. Denique populus in plano sedebat, quemadmodum apud nos in eo, quod vocamus, pronao Ecclesiarum (17).

Cum Moyses Jethronis monitis obsecututus Num. xi. 16. in partem curarum regendi populum Israelis alios selectos viros assumere constituit, *septuaginta duos Senes Israelis* designavit, propheti-

(10) Vide Gregor. Nyssen. de profess. Christ. cap. 3. pag. 295. Athanas. Apolog. advers. Arianos.
(11) Histor. Scholastica. Vide & Fromond. (12) 1. Petr. iv. 16. *Si autem ut Christianus, &c.*
(13) Vide 1. Cor. xi. 10. (14) Sueton. in Claudio cap. 18. Vide & Joseph. Antiq. lib. xx. cap. 2. Euseb. hist. Eccl. lib. 2. cap. 8. (15) Oecumen. hic. (16) Cornel. Menoch. Fromond. (17) Simon, Supplement aux cérémonies des Juifs, ch. 6.

co sc̄tutum Spiritu afflatos. Præter illos ad civilia & militaria munera creavit Principes populi, Centuriones, Pentacontarchos, & Decuriones Exod. 18. 25. Denique accedebant his Sacerdotes & Judices, alii aliis inferiores (18), per urbes & in ipsa Metropoli dispositi. Secundos a Summo Sacerdote gradus vario ordine tenebant Sacerdotes & Levitæ plures, quorum alii aliis parebant. Hæc veteris Hebræorum regiminis forma sub Moyse.

Sedit pluribus opinio, in ipso Ecclesiæ Christianæ exordio duos tantummodo ordines obtinuisse, Apostolorum scilicet ac Diaconorum. Apostolis successerunt Episcopi, qui sæpe & *Presbyterorum* nomine appellati occurrunt. Paulus mandat Tito, ut *Presbyteros* in singulis Cretæ urbibus constituat (19); quod Interpretes de Episcopis explicant (20). Idem pariter Apostolus revocat in mentem Timothei gratiam Episcopatus, quæ *data est tibi*, ait, *per impositionem manuum Presbyterii*, Ecclesiastici Senatus, vel *Presbyterorum*; id est Episcoporum (21). Petrus (22) sub nomine Presbyterorum agit de Episcopis, qui Ecclesiis a Judæis distitis præsidebant. Ignatius Martyr in Epistola ad Philadelphios appellat Apostolos *Presbyterium Ecclesiæ* (23) vel Presbyteros Ecclesiæ. Clemens Papa Epist. 1. ad Cor. tradit, Apostolos per orbem universum dispersos ad prædicandam fidem, constituisse Episcopos & Diaconos, ut præessent iis qui fidei accessuri erant. Notat S. Epiphanius hær. 75. in exordio Ecclesiæ Apostolos, quod raros nanciscerentur viros his muneribus pares, abstinuisse a deligendis Presbyteris singularum Ecclesiarum, juxta eam, quæ modo obtinet, disciplinam; at satis habuisse, ut singulis Episcopum & Diaconum præficerent. Equidem Paulus agens de ministris in singulis Ecclesiis constituendis (24), nonnisi Episcopos & Diaconos recenset.

Ingenue tamen fatendum est, in ipsis Apostolorum Scriptis quædam occurrere, vix aliter accipienda quam de Presbyteris, Episcopo inferioribus, Diacono superioribus. Paulus monet Timotheum in 1. ad eum Ep. ne Presbyterum asperius objurget, neve accusationem in Presbyterum admittat; quæ utique designare videntur in Timotheo authoritatem veluti Episcopalem in secundi ordinis Presbyteros. Deinde attexit idem Apostolus 1. Timot. 5. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*. Jacobus Apostolus in sua Ep. v. 14. hortatur, ut cum aliquis e Christianis ægrotaverit, vocet Presbyteros Ecclesiæ, qui pro ægro preces offerant, eumque ungant in nomine Domini. Constat autem, nonnisi singulos singularum Ecclesiarum Episcopos fuisse. Igitur Presbyteros hosce secundi ordinis Presbyteros habeamus oportet. Denique certum est, ætate S. Ignatii Martyris, S. Polycarpi, S. Irenæi, & Papiæ, sub Presbyterorum nomine non Episcopos modo, sed & Presbyteros inferiores censeri consuevisse. Petrus & Joannes adsciscunt sibi interdum nomina *Presbyterorum* (25), vel *Seniorum*; & S. Polycarpus *Presbyter* vel senex *Apostolicus* appellatus est (26). Probabile est tamen, in locis hisce, cum præsertim de Joanne & Polycarpo agitur, dignitatem eorum ac ordinem minus quam ætatem designari.

Ut ad sententiam, de qua hic sermo, regrediamur, dicendum est, Paulum & Barnabam missos fuisse Jerosolymam, ut Presbyteris seu viris principibus Ecclesiæ traderent eas, quas secum deferebant, pias largitiones, sive Presbyteri isti fuerint Apostoli, sive Episcopi, Sacerdotes aut Diaconi. Siqui forte ibi versabantur Apostoli vel Episcopi, illis utique collecta ista pecunia tradita fuit. Canon quadragesimus primus Apostolicus sancit, ut proventus Ecclesiæ potestati & arbitrio Episcoporum permittantur, ab iis per manus Sacerdotum & Diaconorum inter egenos distribuendi. Vix credimus, Apostolos Ecclesiam adeo florentem, ut Jerosolymitanam, ita destituisse, ut nullum illi Episcopum vel Presbyterum, a quibus, ipsis absentibus, regeretur, præficerent. In primo Jerosolymitano Concilio (27) offerunt sese nedum Apostoli, sed & *Presbyteri* vel Seniores, qui definiunt, & nomine Spiritus Sancti ad omnes Ecclesias scriptam Epistolam mittunt. Post aliquot annos Paulus iterum rediit Jerosolymam, ut Jacobum minorem Jerosolymorum Episcopum, & Presbyteros ejus Ecclesiæ consuleret. Act. 21. 18.

Nec ignoro, apud nonnullos (28) sub hoc *seniorum* vel Presbyterorum nomine intelligi Episcopos vicinarum Jerosolymis Ecclesiarum, qui pro rebus Ecclesiæ gravissimis eo conveniebant. Sed vero propius arbitrantur, sub hoc nomine designari universum Ecclesiæ Senatum, ex ministris ejusdem Ecclesiæ, cæterisque summas in ea dignitates gerentibus, compositum, sive Apostoli illi, sive Episcopi, Sacerdotes vel Diaconi fuerint. Cum Apostoli successores sibi in regimine Ecclesiarum Episcopos delegerint, credibile est pariter constituisse Presbyteros, exemplo septuaginta duorum Discipulorum, quos ipse etiam Jesus Christus inferiores Apostolis designaverat. Sed Presbyterorum illorum plerique in Episcopalem quoque ordinem adlecti fuere, ut ad regimen Ecclesiarum in dies nascentium admoverentur. Nulli autem erant distincti ab Episcopis Presbyteri, nisi in majoribus Ecclesiis, quibus administrandis cum Episcopus unicus esset impar, muneris sui adjutores Presbyterium & Presbyteros habebat. Cum ergo traditur, primitivæ Ecclesiæ unos fuisse Episcopos & Diaconos, dicta hæc accipi oportere de minoribus Ecclesiis arbitror; cum in urbibus majoribus semper & Episcopi, & Presbyteri, & ministri noti fuerint.

(18) Deut. xvii. 8. 9. (19) Tit. 1. 5. Πρεσβυτέρους κατὰ πόλιν. (20) Vide Scholiast. & Theodoret. Argum. in eamd. Epist. & Theophyl. ibid. (21) 1. Timoth. iv. 14. Vide Theodoret. & Chrysostom. Theophyl. & Oecumen. in eumd. locum. (22) 1. Petr. v. 1. Πρεσβυτέρους ἐν ὑμῖν. (23) Πρεσβυτέριον Ἐκκλησίας. (24) 1. Timot. iii. 2. 8. & 1. Tit. 1. 7. 11. (25) 1 Petr. v. 1. & Joan. initio 2. & 3. Epist. (26) Irenæ. Epist. ad Florin. (27) Act. xv. 2. *Statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas ad Apostolos, & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione*. Vide & ℣. 5. 6. 7. 23. xvi. 4. (28) Vide Hamm. in Acta hic.

C A-

C A P U T XII.

Jacobus Herodis jussu interficitur. Petrus in carcerem detrusus, ab Angelo educitur. Herodes pro concione populum alloquens, divinos sibi bonores, soli Deo debitos, impendi passus, statim punitur, & a vermibus vivens voratus moritur.

℣. 1. EOdem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. 2. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. 3. Videns autem quia placeret Judæis, appofuit, ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum. 4. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. 5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. 6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. 7. Et ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. 8. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. 9. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. 10. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: & continuo discessit Angelus ab eo. 11. Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum. 12. Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes. 13. Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode. 14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam. 15. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est. 16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt. 17. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit, quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Jacobo, & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum. 18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 19. Herodes autem cum requisisset eum, & non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci: descendensque a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est. 20. Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. 21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. 22. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. 23. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus a vermibus expiravit. 24. Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur. 25. Barnabas autem, & Saulus reversi sunt ab Jerosolymis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.

℣. 1. EOdem tempore Herodes. Acta sunt hæc eodem anno Jesu Christi XLIV. & Claudii Imperatoris quarto, quo Paulus & Barnabas Antiochia Jerosolymam detulerunt eleemosynas, ad levandam Fidelium famem, in universo Imperio sævientem. *Herodes*, de quo hic, multo notior sub Agrippæ nomine est. Patrem habuit Aristobolum, avum Herodem Magnum, fratres Herodem, qui deinde regnavit in Chalcide, & Aristobolum; sorores Herodiadem, nece Joannis Baptistæ celebrem, ac denique sororem alteram, Berenicen, ut creditur, appellatam. Agrippa nutritus fuit Romæ apud Drusum Tiberii filium; deinde secutus Cajum, qui Imperio potitus, Tetrarchiam illi eamdem, quam Philippus patruus ejus tenuerat, asseruit. Regnavit septennio, & postremo Regni anno Ecclesiæ bellum indixit. Sed obstitit Deus, quominus executioni mandaret pessimum consilium, quod inierat Judæorum gratia, quibus felix Ecclesiæ Christianæ incrementum ingratissimum erat.

Misit manus, ut affligerat quosdam de Ecclesia; Fideles vexare aggressus est. Illos autem absque judiciali ritu detinuit, atque neci destinavit suprema Ecclesiæ illius Capita. Insectatos est Petrum & Jacobum fratrem Joannis, veluti duo Ecclesiæ fundamenta; satis intelligens, horum lapsu totam Christianæ Religionis molem ruituram.

Agrippam Legia Mosaicæ studiosissimum fuisse, notat Josephus Antiqu. lib. 19. cap. 4. monetque Lucas, in sæva isthæc consilia amora Judæorum devenisse.

Ỷ. 2. Occinit Jacoaum fratram Joannis glaoio. Vix potitus Imperio Claudius Imperator, studium sibi ab Agrippa impensum repensurus, Judæam illi & Samariam largitus est (1). Quo ille auctus imperio Ecclesiam insectari cœpit, necamqua pro authoritata suprema dacravit iis, quos Judæi adversarios Legis Mosaicæ accusabant. Ante illum jura dabant Jarosolymis & per totam Judæam Romani Præsidaa, a quibus Judæorum impetus aoarcabantur. Jacobus frattar Joannis, cognomento Major, parentas habnis Zebedæum & Salomen, ac fratram Joannem Evangelistam. Ortus Bethsaidæ craditur. Antequam ad Apostolatum vocaranitur, pisaatoriam exarcebant. Singulari amora illos samper prosecutus est Jasus; quibus & cognoman indidit Filiorum tonitru.

Manologium Basilii (2) martyrium Jacobi Apostoli Cæsareæ constituit; sed vero propius reputamus, obiisse Jarosolymis, ubi Agrippa festum Paschatis agit. Ex recapta inter Fidales opinione narrat Clemena Alaxandrinus (3), virum illum, qui Jacobum apprehaoderat rapueratque ad Judicas, val forte ipsum ajus tortoram, admiratum animi constantiam, qua is Jesnm Christum confitebatur, eaqua parmotum, Christianum sa essa dixista, statimqua santentia Judicum capita damnatum. Cum igitur una cum Jacobo raperetnr ad supplicium, vaniam ab illo petiit. Hæsit nonnihil Apostolus daliberans; at deinda supplicam amplexus, ait: Pax tecum. Idcirco facila hæsitavit, quod illa Baptismaia ablutus non esset. Sed, agansa Deo, brevi intellaxit, aruòra Martyrii aquæ vicas supplari. Acta suns hæc anno post obitum Jesu Christi undecimo, paulo anta Pascha, uti tota narrationis sarias indicat. Igitur Iacobus omnium Apostolorum primus martyrium obiit: suaque fidas stetis verbis ad illum factis a Iasu Christo Matth. xx. 23. futurum scilicet, ut calicam a se haustum & ipse biberat.

Contendunt Hispani, a Iacobo Majori fidai Evangalicæ lucem in Hispanias delatam fuista. Bartholomæus Laurantius, Franciscus a Iesu Carmelita, Caspar Sanctius Iesuita (4), aliique scriptis libris ragionis suæ traditionem asseruerunt; quam convallera Baronius, Natalis Alaxandar, & Tillamontius adnisi sunt (5). Laudatur pro santantia affirmante Psaudo-Isidorus *in Tractatu de Vita & Morte Sanctorum*; scriptum quoddam Iuliano Tolatano labentis septimi sæculi Scriptori tributum; collectanaa Bedæ, opus tanto Patre indignum; Epistolæ Callixti II. qui duodecimo sæculo florebat, Breviarium Toletanum; & scriptum quoddam, Archiapiscopi Turpini nomen falso præferans. Verum tastes hi omnes invalidiores aa recentiores sunt, quam ut veritatam tantæ rei adstruant; quin & dubiæ sunt fidei, & ab accusationa falsi non immunes. Apud Græcos ignota est hæc Iacobi Apostoli in Hispanias profectio. S. Sophronius in versione Libri S. Hieronymi da Scriptoribus Ecclasiasticis c. 5. tradir, fidam nunciasse illum duodecim Tribubus Iudæorum e dispersione. Ex Hispanis atism quidam negarunt missionam Apostoli Iacobi in suas regionas. Rodericus, doctissimus Archiepiscopus Toletanus, in Concilio Lateranansi anno 1215. advarsus Arahiepiscopum Compostellanum contandit, nullo argumanto probari, Apostolum Iacobum in Hispanias unquam vanista.

Ỷ. 3. Viuens quia placeret Judæis, apposuit ut appraeuandeaat et Pataum. Necis in Apostolos dacretæ causam facila prætexuit Agrippa, quod nova in raligionam inveherent, discipulosque suos a Lege abalianarant. Re taman studebat savere Judæis, quos novos subditos Claudius Imperator ipsi subjecerat, ut jam animadvartimus.

Eaant autam dies azymoaum. Petrus, cæterique ex Apostolis, quibus pronum erat conferre se Jarosolymam ad fastum Paschatis, obsequio huic in Legam non dearant, cum ajus cæramoniaa adhuc servarent. Igitur tunc eo venerunt Petrus & Jacobus, aamqua perdendi illos opportunitatem Judæi, jam diu id meditantes, non prętariarunt. Jacobus captus fuit ac supplicio peramptus paucis ante Pascha diabus. Petrus captus fuit facila in pervigilio ejus fasti, idast dia 14. Nisan, in cujus vesperis incipiens ritus panum nzymorum, usqua ad diem 21. ajusdem mansis producabatur. Incidans vero Pascha moram injacit pravo Agrippæ cunsilio, ut ax proximo versiculo discimus.

Ỷ. 4. Taanans quatuoa quataanioniaus militum cusvouiendum. Tradidir illum custodiæ sexdecim militum, e quibus quatarni vicissim axcubias agebant. Duo samper ax illis aderant latari ajus; gamini stabant præ foribus carceris. Vida Ỷ. 6. Præteraa catanis vinciabatur duabus, ut effugium plana nullum illi essat. Sunt etiam qui putent, geminos autlodas devinctos fuisse aadem catena, qua raus tanabatur (6), quamadmodum apud Romanos usu obtinabas (7). Suspicnti sunt atiam nonnulli (8), *Quaternones* nomen esse dignitatis militaris apud Romanos; quorum santantiam si quid aliunda probabilitaris habeat, abunde satis vocibus Græcis (9) falsi convinaitur.

Volens post Pascha paoouceae eum populo (10); neci palam tradara, val palam producere in spectaculum Judæis. Agrippa insano amore in spectacula ferebatur (11), ut vitio illi tribuatur, qnod in spactaculo neci semel exposuarit gladiatores mille & quadringantos. Igitur post Festum Paschatis statnerar novum quoddam munus edere ad voluptatam populi, & Petrum in theatrum producara.

Sad cur post Pascha? Idcirco facila quod diebus Fasto huia addictis nefas asser violanta morta hominem tollere. Reorum supplicia post Pascha differebantur. Quibus parsnasum est, Jesum Christum in Crucem actum fuissa ipso Paschatis dia, aum nagocium sibi fiari hoc axamplo intelligant, varias inaunt rationes explicandi causam hujus dilationis, sicut & axausandi Judæos, qui nacem Jesu Christi dia inter omnas maxime solemni urserunt (12). Sed plana videntur omnia, ubi dixaris, Jasum Christum in crucam actum fuisse non ipsn quidam dia, sed pridia Paschatis; cumque mux Fastnm tempus in limine esset, idcirco Judæi nacem illius maturavere, urseruntqua, naquid subeunte Fasto accideret, quod prava illorum consilia impadiret. Vide quæ de hoc argumento in Dissertationa de novissimo Jasu Christi Paschate disputavimus.

Ỷ. 5. Oratio autem fiaaat sine intermissiona aa Ecclesia ao Deum pao eo. Ecclesia omnia Jerosolymitana assiduis precibus vacabat apud Dominum, ut Patrum carcera liberaret. Totis octo diebus Paschatis habitæ sunt precas. Græcus (13) ex-

(1) Joseph. Antiqu. lib. 19. c. 4. (2) Florentin. Not. in Martyrolog. p. 122. (3) Clem. Alex. apud Euseb. lib. 2 c. 9. hist. Eccl. Ο᾽ εἰσαγαγὼν αὐτὸν εἰς δικαστήριον. Suid. in Jacob. Ο᾽ κατήγορος αὐτοῦ. Vide Tillemont Note 3. sur saint Jacque le Majeur. (4) Vide Sanct. ad calcem Comment. in Acta. (5) Vide Baron. Not. in Martyr. Rom. Natal. Alex. t. 1. p. 522. hist. Eccles. Tillemont Note 6. sur S. Jacque le Majeur. (6) Chrysost. homil. 9. in Matth. 12. Sanct. hic; Menoch. Ligfoot. (7) Infra Act. xxviii. 16. Senec. Epist. 5. & lib. de tranquillit. vitæ, initio. (8) Beda, Cajet. Lir. alii. (9) Τέσσαρσι τετραδίοις. (10) Βουλόμενος μετὰ τὸ Πάσχα ἀναγαγεῖν αὐτὸν τῷ λαῷ. (11) Joseph. Antiq. lib. 19. c. 4. (12) Vide Sanct. hic Ỷ. 3. n. 9. 10. &c. (13) Προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενής.

exprimere potest orationem assiduam, continuam, perseverantem, seu vehementem, acrem, instantem.

℣. 6. CUM PRODUCTURUS EUM ESSET HERODES; die prima post evolutos octo dies paschales, quam diem Herodes destinaverat spectaculo multitudini exhibendo, producendoque in theatrum Petro, illum sublaturus eo mortis genere, quod populus, ut in hisce rebus fieri solebat, esset postulaturus.

ERAT PETRUS DORMIENS INTER DUOS MILITES, eadem ac ille catena vinctos, ne fugeret (14). Quaterni milites excubias tribus horis agebant, quos deinde ad æquales vigilias quaterni alteri excipiebant. *Vinctus catenis duabus*; utraque manu singulis catenis vinciebatur, quæ & singulis adnectebant singulos milites utrinque adsistentes. Pedibus vinctum fuisse, minime reor. Vide ℣. 7. Cautiones istas omnes ad prodigii magnitudinem magis magisque commendandam valuisse, S. Chrysostomus scite animadvertit (15). In extremo hoc rerum suarum discrimine Petrus securus dormiebat, quasi de alterius capite ageretur; omnem quippe fiduciam in Domino collocaverat.

℣. 7. ANGELUS DOMINI ASTITIT; forte Angelus custos Petri, qui videndum se præbens, qua undique coruscabat, luce carcerem illuminavit; simulque Petrum tamquam excitans tetigit, jubens surgere. Continuo manuum catenæ sponte ceciderunt, ne sentientibus quidem militibus, tum quod alto sopore tenerentur, cum etiam quod non ita vicini Petro essent, ut surgere nisi illis vexatis excitatisque non posset. Longiores enim erant catenæ, quibus rei carceribus detenti militibus custodibus suis colligabantur (16). Insuper credibile est, Petrum summo studio cavisse, ne surgendo obstreperet.

Catenas, quibus Petrus oneratus fuit jussu Agrippæ, quæque ad vocem Angeli deciderunt, summa semper religione Ecclesia venerata est. Festam Petro in vinculis diem primam Augusti Latini dedicarunt. S. Augustinus Serm. 205. Append. n. 5. tradit, horum vinculorum ferrum auro pretiosius in Ecclesiis Jesu Christi haberi; tantoque obsequio erga illa tenebatur S. Chrysostomus hom. 8. in Ephes. ut longum obire iter ad ea invisenda optaret. Earum catenarum altera haberi Romæ sexto sæculo censebatur (17); & jam inde saltem a sæculo quinto Templum ibi S. Petro in vinculis dedicatum erat (18). Mos obtinuit mittendi erasum e catenis Petri & Pauli pulverem, in Crucibus vel clavibus aureis repositum; quibus non raro Deus ad ingentia prodigia usus fuit. Ipse per se Pontifex summus pulverem hunc e sacris catenis eradebat. Justinianus Imperator Pontificem Hormisdam rogavit, ut aliquid sibi concederet, si fieri posset, e Catenis Petri (19). S. Gregorius Magnus (20) nonnihil ex hoc pulvere mittens ad Regem Childebertum, prodigia simul, quæ per pulverem illum Deus edebat, commemoravit.

Apud Græcos (21) dies XVI. Januarii sacra est uni ex catenis, quibus Petrus Jerosolymæ ab Agrippa oneratus fuit. Colebatur Constantinopoli in ædicula S. Petri, condita intra Templum S. Sophiæ; eademque die confluentibus ad id populis solemni ritu monstrabatur. Legimus in Breviario Romano, Eudoxiam Augustam, uxorem Theodosii Junioris, cum Jerosolymam venisset anno 439. secum retulisse geminas catenas Petri, & ex iis alteram in Templo Constantinopolitano collocasse, alteram vero ad filiam Eudoxiam, uxorem Valentiniani III. misisse; quæ deinde in Templo Romæ ab Eudoxia condito in monte Exquilino consecrata fuit. Additur, catenam Constantinopoli relatam, alteri Romæ servatæ (ipsa eadem erat, qua Petrus Romæ sub Nerone vinctus fuit) admotam, ita cum illa coaluisse, ut ex duabus una redderetur. Huic historiæ asserendæ ægre admodum argumenta producerentur (22).

℣. 8. PRÆCINGERE, ET CALCEA TE CALIGAS TUAS. Pallium, cingulum & sandalia deposuerat Petrus, ut somnum caperet. Jussit Angelus primum quidem cingulo tunicam adstringere, calceos sumere, ac deinde pallio humeros tegere: *Circumda tibi vestimentum tuum* (23). Hæ vestes erant Hebræorum, ut alibi animadvertimus: nullus illis usus erat femoralium, nullus tibialium.

℣. 9. NESCIEBAT QUIA VERUM EST. Ad rem novam & inusitatam somnium sibi videre videbatur. Ita & Jacob, certior factus, Josephum suum adhuc in vivis agere, impetrare a se non poterat, ut dictis crederet, ratus ludibrium sibi veluti dormienti fieri: *Quasi de somno evigilans, tamen non credebat eis*. Gen. 45. 25. Israelitæ captivitate Babylonica liberati, jucundo spectro illudi sibi rebantur (24).

℣. 10. TRANSEUNTES PRIMAM ET SECUNDAM CUSTODIAM, VENERUNT AD PORTAM FERREAM, QUÆ DUCIT AD CIVITATEM. Igitur carcer vel extra Urbem, vel saltem in ambitu mœnium Urbis situs erat. Cum enim per intervalla variis accessionibus Urbs aucta fuerit, porta ferrea in ambitu muri interioris facile patere potuit; atque ita carcer intra Urbem, quamquam extra portam ferream, esse potuit. Quo constituto, omnis removetur difficultas de duplici militum custodia, per quam Petrus, antequam perveniret ad portam ferream, evasit. Prima enim custodia facile præ foribus carceris, altera vero ante portam ferream, *quæ ducebat ad Civitatem*, excubavit; quod enim ultra portam illam constitutum erat, nonnisi suburbium habebatur.

℣. 11. PETRUS AD SE REVERSUS. Nam hactenus veluti a sensibus abalienatus hæserat, reputans omnia hæc sibi per somnum obrepere. Cum vero Angelus ab ejus oculis evanuit, libertati redditum se vere agnovit ac sensit; statimque in media Jerosolyma, & extra adversariorum suorum manus se versari admiratus est.

℣. 12. VENIT AD DOMUM MARIÆ MATRIS JOANNIS, QUI COGNOMINATUS EST MARCUS; longe alterius a Joanne Apostolo, & Marco Evangelista. Joannes Marcus consobrinus erat Barnabæ (25), de quo sermo infra a nobis fiet, cum de itineribus, quæ cum Paulo & Barnaba, quibus adhæsit, agemus. Domus Mariæ, matris Joannis Marci, hospitium erat familiare Apostolorum, cum Jerosolymis versarentur (26). Eo se receperunt post Ascensionem Domini, ibi elegerunt Matthiam, & Spiritus Sancti illapsu perfusi sunt; nec desunt qui credant, in his ædibus hospitium habuisse Dominum, cum Jerosolymis moraretur (27). Deinde consecrata fuit domus in Ecclesiam, sub nomine Ecclesiæ montis Sion, ab Auctoribus quinti & sexti sæculi celebratam (28).

℣. 13. PULSANTE EO OSTIUM JANUÆ. Græcus (29): *Pulsante eo ostium portæ*, seu *vestibulum portæ*. Sunt qui pulsasse credant ostium parvi atrii

(14) Vide Chrysost. in Matth. 11. homil. 9. initio. Fromond. hic; Lips. excursu 1. ad lib. 3. Taciti. (15) Chrysost. in Act. homil. 26. (16) August. in Psal. CXXVIII. *Ligantur duo, & mittuntur ad judicem, latro & colligatus; ille sceleratus, iste innocens: una catena ligantur, & longe sunt a sese.* (17) Arator l. 2. p. 690. (18) Florentin. Not. in Martyrolog. p. 713. (19) Tom. 4. Concil. p. 1515. D. (20) Gregor. lib. 5. Ep. 6. Vide & l. 5. Ep. 30. & lib. 6. Ep. 23. & lib. 9. Ep. 49. (21) Ughell. t. 6. p. 1189. Bolland. 16. Januar. Menæa. (22) Vide Tillemont Note 46. sur saint Pierre. (23) Περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου. (24) Psalm. CXXV. 1. *Facti sumus sicut consolati*; Hebr. *Sicut somniantes*. (25) Coloss. IV. 10. (26) Vide Cornel. & Fromond. hic. (27) Alexand. Menoch. apud Sur. XI. Jun. (28) Vide Alexand. loc. cit. Hieron. Ep. 27. (29) Τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος.

ante ingressum domus (30). Commode etiam sumitur de porta, cæterisque ejus appendicibus.

PROCESSIT PUELLA AD AUDIENDUM, NOMINE RHODE: seu potius ancilla (31). Græcus (32): *Processit puella subausculture*. Syrus, Arabs, & Ludovicus de Dieu: *Processit ut responderet ei*, quis esset, interrogatura. Locuta equidem fuit, nec siluit Petrus, cum vocem ejus puella agnoverit. Sollicitudo fidelium, & aperta insectatio, qua a Principibus vexabantur, metuere illos suadebat. Timebant, ne forte proditio aliqua subesset, & Agrippa, sive Principes Judæorum apparitores misissent, ut collectos in unam domum omnes raperent.

℣. 15. ANGELUS EJUS EST. Certum tenebant Hebræi, singulis hominibus singulos Angelos custodes, & patronos adesse. Quam Judæorum opinionem a Jesu Christo in Evangelio Matth. 18. 10. confirmatam, Ecclesia deinde adoptavit. Collecti in unum Fideles putavere, Angelum bonum Petri, figura illius assumpta, pulsasse fores, ut aliquid ejus nomine nunciaret. Recentiores quidam Interpretes (33) censent, Græcum significare: *Nuncius est ab eo missus*. At si revera homo erat aliquis a Petro missus, cur ancilla audisse se vocem Apostoli renunciavit? Insuper phrasis Græca (34) non exprimit proprie, *Homo est ab eo missus*; sed *Angelus*, vel *nuncius ejus est*; ac si Petro in carcere detento famulus fuerit conductitius.

℣. 17. ANNUENS EIS MANU UT TACERENT. Quo statim correpti fuerunt, gaudium cogebat, ut plures obsequii significationes certatim illi impenderent; quibus efficiebatur, ne vox ejus audiretur. Igitur manu silentium indixit: *Voce manuque murmura compescit*. Nutanti manu (35) silentium imperavit. Tunc rem gestam ordine persecutus est, mandavitque, ut certior de illa fieret Jacobus Minor, Jerosolymorum Episcopus, qui tunc aberat, forte in latebris ex metu Judæorum delitescens. Simul ad hæc ipse pariter Petrus alio sese recepit, ne Deum tentaret, neve præter necessitatem novum discrimen adiret. Pronum illi fuit sive in domo aliqua Jerosolymis latere, sive ex Urbe in aliam Provinciam facessere; sed quo perrexerit, incertum est; quique illum Cæsaream, Antiochiam, in Asiam minorem vel alio profectum fuisse asserunt, nullum dicti argumentum afferunt (36). Agapetus Pontifex tradit, Ecclesias varias, pluresque per Orientem Episcopos illum instituisse (37). Compertum est, illum plus quam semel Romam ventitasse; sed itinerum ejus certum tempus definiri, silentibus Scriptura & gravissimis quibusque Scriptoribus, nonnisi temere potest.

℣. 19. HERODES JUSSIT EOS DUCI (38); frustra perquisito Petro, jussit milites ejus custodes duci ad supplicium. Ex custodibus facile eos interfecit, qui tunc excubias agebant, cum Petrus e carcere evasit. S. Petrus Alexandrinus legebat (39): *Jussit strangulari*.

DESCENDENS A JUDÆA IN CÆSAREAM, IBI COMMORATUS EST. Supra Act. xi. 1. animadvertimus, Lucam distinguere Cæsaream a Judæa, ac si urbs esset extra Judæam sita. Sed in distributione regionum Palæstinæ, Cæsarea inter urbes, quæ proprie Judæa appellabantur, non recensebatur; sed una erat ex urbibus Palæstinæ secus Mediterraneum excurrentis. Vetus erat regio Philisthæorum. Statim a Festo Paschatis Agrippa Cæsaream se contulit, ubi & substitit aliquandiu: *Ibi commoratus est*. Sed quamdiu, disputatur. Alii (40) toto biennio ibi versatum asserunt, a secundo usque ad quartum Claudii annum; annum unum alii, quidam unicum mensem definiunt. Tradit Eusebius hist. Eccl. l. 2. c. 10. diem clausisse illum statim post susceptum facinus in Apostolos Jerosolymæ. Non diu post id contigisse, significat Lucas; nam statim post narratum ejus adventum, mortis ejus historiam attexit. Si per mensem circiter ibi perseverasse statuatur, facile, quantum arbitror, difficultates omnes auferuntur. Discimus ex Josepho Antiqu. l. 19. c. 7. Agrippam non nisi septem annis regnasse; adeoque nec superasse annum Jesum Christi 44. & Claudii Imperatoris quartum.

℣. 20. ERAT AUTEM IRATUS TYRIIS ET SIDONIIS. Quid Agrippæ iram in Tyrios & Sidonios moverit, ignoratur; nihil enim ea de re Josephus, de hoc itinere Agrippæ Cæsaream agens. Tyrii ergo & Sidonii accesserunt *pacem postulantes*. Nullum erat quidem apertum bellum; adeoque non pacem proprie, sed excusationem a Rege postulabant, ut in pristinam amicitiam reciperentur. Nomen pacis usurpatur sæpe in Scriptura pro iterata amoris conciliatione, amicitia, &c. Ut animum Principis sibi compararent, Blastum virum a cubiculis Regis in suas partes traxerunt.

EO QUOD ALERENTUR CIVITATES EORUM AB ILLO; necessarias res e ditione ejus Regis Judæa, Samaria & Galilæa traherent. Regio Tyriorum & Sidoniorum nimis in arctum mari cogebatur. Proventus omnes e commercio hauriebant. Salomonis ætate 3. Reg. 5. 9. ex Judæa res ad vitam necessarias, vinum, frumentum, oleum referebat, cum ejus incolæ agriculturæ non vacarent. Eo tempore, de quo nunc sermo, fames, cujus Act. xi. 2. meminimus, adhuc grassabatur; nam pluribus annis sæviisse, Historici affirmant (41).

℣. 21. STATUTO DIE. Ludos in honorem Claudii magnificos Agrippa Cæsareæ dedit (42). Eo viri quique amplissimi se contulerant; atque inter cæteros adfuerunt Tyrii & Sidonii, ut quiddam, quod Regi ingratum ex ipsis acciderat, purgarent. Certam illis diem indixit Agrippa, ut palam in theatro audirentur. Dies erat ludorum altera: qua exorta, summo mane sedit in solio conspicuus regia veste, ex argento miro opere intexta. Exorientis solis radii argento repercussi acrem adeo lucem undique spargebant, ut aspicientium oculos perstringerent.

℣. 22. POPULUS AUTEM ACCLAMABAT: DEI VOCES, ET NON HOMINIS. Rem sic narrat Josephus Antiqu. lib. 19. cap. 7. Adulatores alii aliunde acclamare, Deum appellantes, dicentesque: Propitius nobis esto; & licet hactenus te veluti hominem reveriti sumus, in posterum te mortali sorte majorem profitebimur. At Rex neque illos objurgavit, neque impiam eorum adulationem rejecit. Post paululum vero oculis in altum sublatis, supra caput bubonem funiculo cuidam insidentem conspexit, & statim hunc malorum esse nuncium intellexit; quippe qui Romæ prædictum sibi meminisset, quinque dumtaxat vitæ dies ipsi superfuturos, ubi eam avem cerneret: moxque cordicitus dolebat. Accesserunt autem ventris cruciatus, etiam a principio vehementissimi. Conversis itaque ad amicos oculis, Ecce, inquit, Deus ego vester cogor nunc e vita discedere; fati necessitate voces mihi improbe affictas falsi protinus coarguente; & qui immortalis appellabar a vobis,

jam

---

(30) Matth. xxvi. 7. Luc. xvi. 20. Act. x. 17. ubi πυλὼν usurpatur pro vestibulo: at sæpe etiam sumitur pro *janua*, seu postibus & limine. Vide Act. xiv. 13. & Apoc. xxi. 12. 15. 21. 25. (31) Παιδίσκη ὀνόματι Ῥόδη. (32) Προσῆλθε ὑπακοῦσαι. (33) Beza, Hamm. Ligf. Camero. (34) Ὁ Ἄγγελος αὐτοῦ ἐστι, non, Ἄγγελος ἐκ αὐτοῦ. (35) Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾷν. (36) Metaphrastes apud Sur. 19. Jan. (37) Concil. t. 5. p. 40. (38) Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι, *Jussit abduci*. Senec. de ira lib. 1. c. 16. *Conscendit tribunal furens Piso, & jubet duci utrumque*. Hesych. Ἀπάγεσθαι, εἰς θάνατον ἄγεσθαι. (39) Ἐκέλευσεν ἀπαγχθῆναι. Fragment. de Pasch. (40) Baron. Fromond. alii. (41) Joseph. Antiq. lib. 20. c. 5. p. 680. (42) Joseph. Antiq. lib. 19. c. 7.

jam rapior ad mortem. Sed ferenda est fati conditio, quandoquidem sic Deo visum est. His dictis, ocyus in palatium delatus est, crescente cruciatu; statim autem plebs omnis, lethalem esse Regis morbum intelligens, cum uxoribus & liberis, stratis ciliciis more patrio sedens, Deum pro salute Regis obsecrabat; atque omnia ejulatu & lamentis plena erant. Hos prospiciens ex edito Agrippa, ne ipse quidem temperavit a lacrymis. Tandem continuis per quinque dies ventris doloribus confectus, vitam finivit.

Docet hic Lucas: *Percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus a vermibus expiravit*. Quibus verbis indicat, morbum ejus ab ipso Deo inflictum fuisse, ac viscerum tormina parta esse a vermibus, qui late totum ejus corpus depascentes, vivum abroserunt; id quod a Josepho omissum est. Docet idem Josephus, Herodem Magnum, Agrippæ avum, persimili morbo absumptum obiisse (43). Interpretes quidam (44) censent, Agrippam pediculari morbo interiisse; sed Scriptura conceptis verbis a vermibus erosum affirmat (45); idque morbi genus medicos non latet.

℣. 25. Assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus. Paulus, & Barnabas convenerunt Jerosolymam, facile ad idem illud Festum Paschatis, quo Petrus in carcerem detrusus, & ab Angelo erutus fuit. Ibi autem fuere usque post obitum Agrippæ, ut eleemosynas fidei suæ traditas distribuerent. Tum rediere Antiochiam, una ducentes Joannem Marcum Mariæ filium, apud quem Apostoli Jerosolymis convenire solebant. Hunc virum Barnabæ discipulum adstruit S. Hieronymus de viris Illust. c. 6. ac de eodem sermo fieri creditur apud Paulum Coloss. 4. 10. ubi viri cujusdam, Barnabæ consobrini, meminit. Comes & minister accessit Paulo & Barnabæ, dum Antiochiam ac deinde Cyprum perrexerunt; sed cum venissent Pergen Pamphyliæ, illos operosius iter suscepturos intelligens, iis dimissis Jerosolymam reversus est. Act. 13. 13.

(43) Antiq. lib. 17. cap. 9. & de Bello lib. 1. cap. 21. in Lat. p. 772. 771. (44) Erasm. Camerar.
(45) Γενόμενος σκωληκόβρωτος. Cantabrig. legit: Καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ βήματος γενόμενος σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, ἐ οὕτως ἐξέψυξε.

CAPUT XIII.

Paulus & Barnabas ad Gentes mittuntur. Paulus Magum sibi resistentem oculorum lumine privat. Sergius Paulus Proconsul ad fidem convertitur. Paulus Antiochiæ Pisidiæ prædicat; sed resistentes nactus Judæos, ad Gentes sese convertit.

℣. 1. ERant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collectaneus, & Saulus. 2. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. 3. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos: 4. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam: & inde navigaverunt Cyprum. 5. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. Habebant autem & Joannem in ministerio. 6. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Barjesu, 7. Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic, accersitis Barnaba, & Saulo, desiderabat audire verbum Dei. 8. Resistebat autem Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem a fide. 9. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto intuens in eum, 10. Dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. 11. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. 12. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. 13. Et cum a Papho navigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam. 14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ; & ingressi synagogam die sabbathorum, sederunt. 15. Post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. 16. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: 17. Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea: 18. Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram

ram eorum, 20. Quasi post quadringentos, & quinquaginta annos: & post hæc de-
dit judices usque ad Samuel Prophetam. 21. Et exinde postulaverunt regem, & de-
dit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta. 22.
Et amoto illo, suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens, dixit: Inve-
ni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.
23. Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Jesum,
24. Prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni popu-
lo Israel. 25. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbi-
tramini esse? non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calcea-
menta pedum solvere. 26. Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis ti-
ment Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. 27. Qui enim habitabant Je-
rusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne
sabbathum leguntur, judicantes impleverunt: 28. Et nullam causam mortis inve-
nientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. 29. Cumque consummassent
omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in mo-
numento. 30. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies
multos his, 31. Qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque
nunc sunt testes ejus ad plebem. 32. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad pa-
tres nostros repromissio facta est: 33. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris,
resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego
hodie genui te. 34. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non rever-
surum in corruptionem, ita dixit, quia dabo vobis sancta David fidelia. 35. Ideo-
que & alias dicit: Non dabis, Sanctum tuum videre corruptionem. 36. David enim
in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit: & appositus est ad
patres suos, & vidit corruptionem. 37. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non
vidit corruptionem. 38. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis
remissio peccatorum annuntiabitur: & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi
justificari. 39. In hoc omnis, qui credit, justificatur. 40. Videte ergo, ne super-
veniat vobis, quod dictum est in Prophetis: 41. Videte contemptores, & admira-
mini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus, quod non cre-
detis, si quis enarraverit vobis. 42. Exeuntibus autem illis, rogabant, ut sequenti
sabbatho loquerentur sibi verba hæc. 43. Cumque dimissa esset synagoga, secuti
sunt multi Judæorum, & colentium advenarum, Paulum, & Barnabam: qui loquen-
tes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei. 44. Sequenti vero sabbatho pene
universa civitas convenit audire verbum Dei. 45. Videntes autem turbas Judæi,
repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes.
46. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui
verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ec-
ce convertimur ad Gentes, 47. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lu-
cem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. 48. Audientes autem
Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt, quotquot erant
præordinati ad vitam æternam. 49. Disseminabatur autem verbum Domini per uni-
versam regionem. 50. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, & honestas,
& primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum, & Barnabam: & eje-
cerunt eos de finibus suis. 51. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Ico-
nium. 52. Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.

℣. 1. Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et Doctores. Prophetæ sunt hic viri vaticinandi spiritu afflati, qui & futura prænunciabant, & Scripturas interpretabantur. Donum Prophetiæ tunc familiarius in Ecclesia fuisse, alibi animadvertimus (1). *Doctores* (2) erant Fideles Religionis periti, qui populum publicis in cœtibus, privatisque in ædibus docebant, Scripturas interpretabantur, & Cathecumenos ad baptismum comparabant. Id muneris egerunt Alexandriæ Pantænus, S. Clemens, Origenes, qui Scholis inclytæ illius Urbis præfuerunt. Hi respondebant illis, quos Judæi Rabbinos, vel Præceptores in Synagogis appellabant. In præcipuis Urbium vicia Scholas Religionis moderabantur. Alii erant quidem ab Episcopis, sed Episcoporum loco docebant, ubi Episcopi adesse non poterant.

Multorum sententia (3) nomen Prophetarum & Doctorum hic unum idemque significat; ac prorsus probabile est, illos, qui docebant Fideles,

(1) Act. xi. 28. 1. Cor. xiv. (2) Διδάσκαλοι. 1. Cor. xii. 28. 29. Ephes. iv. 11. Apostolus se ipse nuncupat Doctorem gentium. 1. Timot. ii. 7. & 2. Timot. 1. 11. (3) Lorin. From. Sanct.

les, Scripturasque interpretabantur. Propheticæ etiam spiritu afflatos fuisse. Censet Turrianus (4), *Prophetas* hic Episcopos, *Doctores* Presbyteros esse. Grotio vero (5) *Prophetæ* sunt homines Sancto Spiritu afflati, ut Agabus, qui futura prænunciabat; *Doctores* vero Episcopi, quos disceptationibus Ecclesiæ Antiochenæ præsedisse credit; putat enim, quemadmodum Judæi in majoribus Urbibus varias habebant Synagogas, ita pariter & Christianis varios fuisse variis in locis cœtus, quibus singuli Episcopi vel Doctores præsiderent.

Simon, qui vocabatur Niger. Propheta erat & Doctor, ac ex illis unus, qui manus imposuere Saulo & Barnabæ in ministerium, cui a Spiritu Sancto destinabantur. Censent quidam (6), ipsissimum esse Simonem Cyrenæum, qui Crucem Jesu Christi tulit: sed huic opinioni nihil favet, nisi nominum similitudo, neque etiam plena; nam Lucas constanter *Simonem* Cyrenæum, Nigrum vero *Simeonem* appellat. S. Epiphanius hær. 20. c. 4. *Nigrum* inter septuaginta Discipulos recenset. Simonis Nigri sive in Officio sive in Martyrologiis Ecclesiæ mentio nulla occurrit.

Lucius Cyrenensis; Cyrene Ægypto proxima oriundus. Hunc virum ab Apostolis consecratum fuisse primum Episcopum Cyrenensium, Usuardus & Ado notarunt. In Ecclesia Latina die sexta Maii colitur. Ipse pariter septuaginta Discipulis accensetur. Res gestæ & tempus mortis ex æquo latent. Meminisse ejus Paulum ad Romanos 16. 21. quidam credunt; at sermo ibi esse de Luca, multo probabilius creditur.

Manahen, Herodis Tetrarchæ collactaneus (7), vir forte genere illustris, qui grandia sperare potuisset. Nomen dedisse inter septuaginta Discipulos creditur. A Latinis Antiochiæ decessisse traditur, coliturque die 24. Maii (8). A Judæis (9) memoratur Manahen quidam, Princeps secundus seu vices gerens Principis Sanhedrii sub Hillele, quam dignitatem abdicavit, ut Herodis Magni servituti se dederet. Ejus viri filius Manahenus iste non immerito haberi potest.

℣. 2. Ministrantibus illis Domino. Λειτουργούντων αὐτῶν τῷ Κυρίῳ Franciscus Veron vertit, *celebrantibus ipsis missam Domino*. Accipienda sunt hæc de muneribus ministerii eorum, vel de prædicatione (10), vel de oratione (11), vel de jejunio, vel de his omnibus simul. Cum Prophetæ ex æquo essent ac Doctores, munus gerebant vaticinandi, explicandi Scripturas, Dei laudes canendi, denique docendi. Græca vox (12), usurpata sæpe de Officio Sacrificii, & universe de Liturgia, Catholicos Interpretes (13), ut hoc sensu illam acciperent, induxit. Pro comperto habendum esse videtur, tres hosce Doctores, Lucium, Simeonem, Manahenum, Episcopos fuisse, quippe qui Saulo & Barnabæ manus imposuerunt, ut ministros ad Evangelii prædicationem constituerent. Quid autem peculiarius Episcopo, quam tremendum Domino Sacrificium quotidie offerre (14)? *Omnis Sacerdos præsto est quotidie ministrans*, ait Paulus.

Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, ad prædicandum Gentilibus Evangelium (15); huic enim muneri Saulum & Barnabam Deus destinaverat, quod summo studio ac diligentia illos obiisse, ex consequentibus constabit. *Segregate mihi*, phrasis est desumpta ex Moyse, quæ adhiberi solet de rebus ex profano usu segregatis, ut Domino uni reserventur. Ita segregantur illi majora natu tum ex hominibus, tum ex belluis (16); segregantur ex fructibus terræ primitiæ. Jubet pariter Deus segregari sibi e medio Filiorum Israelis Sacerdotes & Levitas (17), æternæ servituti Templi & Tabernaculi obligandos. Deus Ananiæ de Saulo prodidit, delectum esse illum sibi instrumentum, ut nomen suum ad gentes exteras & filios Israelis ferret (18); atque ipse de se Apostolus profitetur, segregatum se fuisse & destinatum ex ipso matris utero in sanctum & maximum verbi ministerium (19). Hucusque Lucas generalem primorum annorum Ecclesiæ historiam persequutus est; nunc autem peculiarem gestorum Pauli narrationem exordiens, usque ad Christi annum 61. ante martyrium ejus Apostoli sextum, prosequitur.

℣. 3. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus. Singulos initiandorum Apostolorum ritus considera. Primo nonnisi jussu & afflatu Spiritus Sancti initiantur: *Dixit eis Spiritus Sanctus*; tunc enim, ait S. Chrysostomus (20), nihil humano modo in rebus istius momenti agebatur. Nec Timotheus aliter quam ex aperta Dei revelatione in Episcopum consecratus fuit 1. Timot. 4. 15. Secundo, Prophetæ isti & Doctores Ecclesiæ Antiochenæ non prius manum imponunt, quam post impetratam jejunio & oratione gratiam initiandis, ut muneri ministerii sui sancte & digne vacent. Ista porro manuum impositio non alia facile reputanda est, quam ea, quæ Episcopatum confert (21); præsentemque hunc ritum Ecclesia sibi in exemplum proposuit cæterorum, qui deinceps in Episcopis initiandis servati sunt. Ordini huic ministrando accipiendoque jejunium & oratio præmittuntur; idemque ordo nonnisi in Officio Sacrificii confertur.

Sunt qui in Apostolos tunc proprie consecratos fuisse credant: aliis opinio sedet, non initiandi ritum proprie hic describi, sed destinationem vel missionem (22) ad Evangelium Gentibus annunciandum. Historiæ Scholasticæ Author tradit, Paulum & Barnabam, vix segregatos jussu Spiritus Sancti, confestim Jerosolyma profectos, ab Apostolis initiatos. Gemina pariter de accepta ex Apostolis manuum impositione, apud S. Leonem legas; idque a Petro præstitum, tradit Arator. Sed ista huic loco aperte repugnare videntur. Qui nullam hic Sacri Ordinis collationem agnoscunt, in rem suam afferunt illud Pauli ad Galat. 1. 1. ubi is profitetur, Apostolum se constitutum fuisse *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem*. Addit ibid. v. 11. 12. Evangelium nunciare se, quod *non ex hominibus accepit, neque didicit, sed per revelationem Jesu Christi*. At numnam non etiam in re præsenti ipse per se Jesus Christus & Deus Pater Paulum ad Apostolatum & prædicationem Evangelii appellant? Divinarum jussionum executores tantummodo & ministri sunt Doctores & Prophetæ Antiocheni.

Censent alii (23), verbum, quod nos reddimus, *imponentes eis manus*, exponendum esse, *eligentes communibus totius cœtus suffragiis*. Verum Seldenus fuse demonstrat, familiari Hebræorum locutione, seu potius Græcorum, qui Scripturas verterunt, quin & apud Profanos pariter & Christia-

---

[4] Turrian. de Hierarch. ordinat. lib. 1. cap. 20. [5] Grot. hic. [6] Apud Cornel. a Lap in Matt. [7] Herodes Tetrarcha Joannem Baptistam necavit; atque ad eumdem missus est a Pilato Christus in Passione. [8] Usuard. Ado, Bolland. 24. Maii. [9] Liber Juchasim fol. 19. apud Ligf. [10] Chrysost. Oecum. Erasm. Vat. Cajet. [11] Syr. Arab. Ligf. Gint. [12] Λειτουργούντων αὐτῶν τῷ Κυρίῳ. [13] Sanct. Cornel. alii. [14] Hebr. x. 11. Πᾶς μὲν ἱερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν. [15] Sanct. Cornel. Menoch. Titin. alii. [16] Exod. xiii. 12. xxxiv. 5. [17] Num. viii. 14. [18] Act. ix. 15. [19] Rom. 1. 1. Galat. 1. 15. [20] Chrysost. hic. [21] Vide Chrysost. & Oecumen. hic; & S. Leon. Ep. xi. ad Dioscor. Alex. Salmeron. Sanct. Cornel. Fromond. alios. [22] Cajet. hic, Arias, & Estius; Suarez 3. tom. 1. in 3. partem disp. 74. q. 1. Legion. in Gal. 1. alii. [23] Erasm. in Act. xiv. 22. & Anglica, Tigur. Beza, Gallica reform. Belgica, aliæ apud Selden. lib. 1. de Synedr. c. 14. p. 313. 314. edit. Amstel. 1679.

ſtianos Scriptores, verbum Græcum *cheirotonein* deſignare proprie conſecrare, conſtituere, muneri cuipiam vel dignitati addicere, has vero deſtinationes apud Hebræos fieri manibus illi impoſitis qui deſtinabatur (24). Chriſtianorum religio ab exordio perinde habebatur ac reformatio Judaiſmi, totaque illius diſciplina ex Apoſtolis inter Judæos natis coaluit (25): quamobrem apud Hebræos, non apud Profanos, quærenda eſt origo genuina plurimorum rituum, qui apud nos obtinent, & ſignificatio plurimarum vocum, in diſciplina, & ordine Hierarchico uſu conſecratarum.

Sub idem facile tempus (26) Paulus ad tertium Cœlum raptus, audivit myſteria, quæ narrare mortalibus nefas eſt 2. Cor. 12. 2. Ignorare ſe ait, in corpore ne, an extra corpus eo ſublatus fuerit; id eſt, utrum anima e corpore ſejuncta brevem veluti mortem obierit (27); an ſenſibus abalienatus, mentem in ſuperna ſuſpenſam ab iis, quæ circa ſe agebantur, abſtractam expertus fuerit. Tunc vero factum eſt, ut menti ejus magnæ illæ veritates propinarentur, quibus imbutus, Epiſtolas omnes perfudit; ac præſertim myſterium vocationis gentium ebibit, quod revelatione ſe didiciſſe teſtatur Epheſ. 33.

℣. 4. Abierunt Seleuciam, urbem Syriæ ad Mediterraneum, cum portu, & e regione Cypri poſitam, atque Antiochia leucis decem circiter remotam. Hinc ſolventes, ad Inſulam Cypri venerunt, unde Barnabas originem trahebat Act. iv. 36. Frequentiſſimi ibi Judæi incolebant. Paulus & Barnabas Sancto Spiritu afflati, ſuoque arbitrio relicti, eo ferebantur, quo impetus ſpiritus illos rapiebat.

℣. 5. Cum venissent Salaminam. Tota late Inſula ab oriente in occidentem peragrata, pervenerunt Paphum, urbem totius Inſulæ principem, poſt Salaminam. Salamina Inſulæ metropolis erat, deinde *Conſtantiæ*, hodie *Famaguſtæ* nomine nota.

Prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum. Prædicationis exordium apud Hebræos, ſi qui erant, fieri ab illis pro conſueto more ſolebat; ne illi contempti, pervicaciores redderentur. Simul tamen inſtitutionem Gentilium, ſi præberetur occaſio, non negligebant; præſertim cum Judæi verbum ſalutis rejicere viderentur.

Habentes in ministerio Joannem, nempe Joannem Marcum, de quo ſupra Act. xii. 25. In rebus corpori neceſſariis, ejus miniſterio utebantur, quo commodius & ſecurius Evangelii prædicationi vacarent. Curabat igitur Marcus res domeſticas, cæteraſque in uſum vitæ neceſſarias. Pro ſuo etiam ingenio operam dabat facile inſtituendis rudibus, ſupplebatque iis, quæ Paulus & Barnabas, aliis rebus occupati, per ſe non poſſent (28).

℣. 6. Usque Paphum, urbem in extrema ora occidentali Inſulæ, oppoſitam Salaminæ, quæ in orientali jacebat. Totam igitur Inſulam decurrerunt.

Invenerunt quemdam virum magum Pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Bar-Jesu; vel juxta nonnullos Codices (29), *Bar jeu*. Syrus habet *Barshuma* (30); Æthiops *Tariєſa*; Lucifer Calaritanus *Bar jeſuba*, Codex Græcus, quo Beda utebatur, aliique nonnulli, *Bar jeſus*, *ideſt Elymas*. Erat Judæo huic nomen *filio Jebu*, ſeu *filio Joſue*, id enim ſignificat *Bar jeu*, ſeu *Bar jeſus*. *Elymas* profeſſionis, cui addicebatur, nomen eſt; ſonat enim Arabice *Magum*; unde licet ſuſpicari, Judæum hunc advenam fuiſſe, non indigenam Cypri, quo facile ex Arabia migraverit. Magi nomen tunc invidiæ minus referebat. Ut enim id genus hominum expeteretur, faciebant mira illa, quæ excantationibus patrabant, ſive morbis curandis, ſive energumenis adjurandis, ſive rebus amiſſis reperiendis. Ingens magorum numerus tunc a Dæmone invectus eſt, ut minueretur fama prodigiorum, quæ a Jeſu Chriſto & Apoſtolis patrabantur. Exorciſtas e gente ſua nonnullos Joſephus Antiqu. lib. 8. c. 2. memorat; quos tamen meros putoſque magos dixeris, quamquam Salomonis nomen, tamquam artis ſuæ authoris, prætexebant.

℣. 7. Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo, qui a Claudio Imperatore Cypri Præfecturam obtinuerat. Nomen Proconſulis mero Cypri Gubernatori non congruit; ſed Græci in titulis honorum indulgentiores ſunt, nec de exceſſu admodum curant. Præterea nonnulli ex Proconconſulibus Ciliciæ, Inſulæ hujus regimen tenuerant; ex quibus forte titulus ad ſucceſſores tranſmiſſus eſt. Proconſul iſte, vel Prætor, ſive Præfectus, ut illum appellare libuerit, vir penitus ignotus eſt. A Sacro Scriptore commendatur elogio *viri prudentis, qui deſiderabat audire verbum Dei* ex ore Pauli & Barnabæ, quorum fama ex miraculis & prædicationibus totam per Inſulam increbuerat. Loquentes illos audiit, invivito licet *Bar jeſu*, & credidit; nec plura de illo novimus. Sunt qui Epiſcopum Narbonenſium primum fuiſſe illum memorent; ſed critici peritiſſimi Sergium Narbonenſium primum Epiſcopum Proconſule hoc binis ſæculis recentiorem eſſe arbitrantur (31).

℣. 8. Resistebat autem illis Elymas, ideſt, Bar-jeſus, magus, qui Barnabæ ac Paulo reſiſtebat, metuens ne ex ea authoritate, qua Proconſulem Præſtigiis ſuis agebat, excideret. *Elymas* Arabice ſonat magum (32). Sunt qui ex Elymaide, vel regione Ælam, vel ex Perſide, ubi viri Sapientes *Magi* appellantur (33), virum hunc acceſſant. Ludovicus de Dieu conſiderans, magicas artes aſſertis verbis Judæis interdici, atque hunc virum Religionem Judaicam profiteri, nomen *Elymas* derivandum cenſet ex Hebræo (34) vel Chaldæo *Chaluma*, ſanator morborum; quod non plane abludit a nomine Bar-jeſu, filio ſalutis, vel ſanitatis. Sed prius etymon utique melius.

℣. 9. Saulus, qui et Paulus. Animadverſione dignum eſt, Lucam hactenus viro nomen Saulo dediſſe; deinceps vero per totam Hiſtoriam nunquam non Paulum appellare. Hujus rei cauſa inquiritur (35). Sunt qui aſſumptum ab illo Pauli nomen ex converſo ad Fidem Sergio Paulo, Cypri Præfecto, putent. Tanti enim momenti rem illam cenſuit, ut perpetuam ejus memoriam, retento viri nomine, ſervandam duxerit; ita propemodum uti olim Romanorum Imperatores ſubactarum a ſe Provinciarum nomina ſibi adrogabant. Alii ipſummet Sergium Paulum nomen ſuum indidiſſe Apoſtolo, amoris & æſtimationis argumentum, putant (36).

S. Chryſoſtomus (37) opinatur, mutatum ab illo

(24) Maimonid. tract. Sanhedr. cap. 4. (25) Grot. ad Act. vi. 3. xi. 30. xiv. 12. xx. 28. & in Ep. ad Tit. 1. 5. Selden. de Synedr. plurib. locis, & aliis. (26) Fromond. hic. Tillemont. S. Paul. Act. 9. Pearſ. Baron. (27) Auguſt. de Geneſ. ad Litter. lib. 12. cap. 27. (28) Fromond. Grot. alii. (29) Ita Edit. Six. V. & Mogunt. Colonienſ. Nuremberg. aliæ antiquiores. Ita & Hieron. lib. de nominibus Hebr. Beda. Vide Sanct. Brugenſ. & Mill. (30) Ludovicus de Dieu hoc vocabulum interpretatur, *filium tumoris*, ſive *filium hulcerum*. Alii, *filium nominis*, hominem notiſſimum. (31) Bolland. 22. Martii. (32) עלמא Magus. In Arabica Pentateuchi Verſione uſurpatur עלמא pro Hebraico חרטים Geneſ. xli. 8. Exod. vii. 19. Duci poteſt ex Hebr. עלם *abſcondere* quod arcanas magices artes profiteretur. (33) Beza hic. (34) Ludov. de Dieu. חלימא ex חלם Sanare. (35) Hieron. in Epiſtolam ad Philemon. Auguſt. Confeſſ. l. 8. c. 4. Beda retract. in Acta. Ita plures e recentior. (36) Baron. an. 36. §. 11. 12. (37) Chryſoſtom. homil. 28. in Acta. Ita Theophyl. Oecumeo. & Theodoret. in Rom. 1. ℣. 1.

illo nomen fuiſſe, cum Antiochiæ conſecraretur; quemadmodum Apoſtolus alius ex *Cepha* Petrus dictus eſt, cum a Jeſu Chriſto ad Apoſtolicum munus vocaretur. S. Aſterio (37) tunc mutatum ab illo nomen, cum opinio mutata fuit (nempe in converſione) videtur. Alii ſane plures (38) defendunt, nomen Pauli, quod Latinum eſt, non prius aſſumptum peculiariter ab eo fuiſſe, nec depoſitam Hebraicam Sauli appellationem, quam poſt ceptam prædicationem ad Gentes, præſertim ad Romanos, quorum tunc natio toto ferme orbe cognito dominabatur. Denique (39) aliis ſedet opinio, duo ſemper, dum vixit, viro fuiſſe nomina, ex more apud Judæos plures recepto, qui Syriaco vel Hebraico nomini Græcum alterum, vel Græco Latinum aliud addebant; ſed nomen Sauli plane neglexiſſe, ex quo cum Gentilibus agere cepit familiarius. Nomen Pauli aſſinitatis habet plurimum cum Saulo; ut Jaſon accedit ad Jeſum; Joanna ad Jannm; Jakim ad Alcimum; Hanania ad Æneam; Silas ad Silvanum; & ſic de cæteris. S. Auguſtinus (40) non ſemel docuit, ex humilis animi demiſſione Paulum id nominis, quod *parvum* ſignificat, ſelegiſſe. Sed hoc morale potius quam hiſtoricum habendum eſt. Quæ ſententia tenet, vetus Sauli nomen in novam Pauli appellationem transformatam tunc fuiſſe, cum primum Gentibus exteriſque populis prædicavit, hæc præter cæteras probatur.

℣. 10. Plena omni dolo et omni fallacia. Ita Spiritus Sanctus agendum Paulo inſpiravit cum peccatoribus, audacia & pervicacia nequiſſimis. Salutari ignominia Elymam obruit, ut is ſe colligat. Exprobrat: *Non deſinis ſubvertere vias Domini rectas*; ideſt, conſiliis ejus te opponere, verbiſque ſubdolis artibuſque eos ſubvertere, qui vias Domini quærunt. Nihil Evangelio in ipſis ejus crepundiis plus nocuit, quam præſtigiæ, & fucata miracula Pſeudo-Chriſtorum, & Pſeudo-Prophetarum, ac denique obſcæna Hæreticorum Chriſtiano ſe nomine cælantium flagitia. Bar-jeſus primam ejus fœcis hominum claſſem tenebat. *Pervertebat vias Domini*, ſcandala ſpargens ad ſimplicium rudiumque offendiculum. Græcus interrogandi notam addit (41): *Non ceſſabis pervertens vias Domini rectas?*

℣. 11. Eris cæcus usque ad tempus; ſtatimque cæcus fuit, ut ductorem quærere cogeretur. Quæ illi pœna ad certum tempus proroganda erat, ac tantummodo ad emolliendum animum ac pœnitentiam ſuadendam. Reſipuiſſe quidem creditur a nonnullis (42); alii tamen (43) vel perſeveraſſe in crimine, vel brevi ad priſtina ſtudia rediiſſe cenſent, cum Pſeudo-Dionyſius Areopagita de div. Nom. c. 8. recitet quædam ex Elyma mago adverſus ſecundam Epiſtolam Pauli ad Timotheum. Sed Opus iſtud, Elymæ mago ſuppoſitum, Originem & S. Chryſoſtomum latuit. Author vero Libri de Divinis Nominibus parum adeo accuratus eſt, ut rejici ejus teſtimonium abſque hæſitatione poſſit, cum alia majoris authoritatis, Origenis nempe & S. Chryſoſtomi, habeantur in promptu; quorum uterque converſionem Elymæ, non vero apoſtaſiam, memorant. Idem pariter Lucæ contextus converſionem ejus viri innuit. Nec ſane temporaria cæcitate puniendus videbatur, ſi nunquam mentis oculos ad Fidem erat reſeraturus.

℣. 13. Venerunt Pergen Pamphyliæ. Solventes Papho in Inſula Cypri, directoque ad occidentem curſu, oras Pamphyliæ in Aſia Minori, non procul ab Inſula Cypro, tenuerunt. Hinc facile per amnem Ceſtrum contrario flumine aſcendentes, pervenerunt *Pergen*; neque enim maritima eſt Urbs, ut mari adeunda eſſet (44). Niſi forte putaveris, Attaliam veniſſe, relictoque mari, pedeſtri itinere ad vicinam Pergen ſeſe contuliſſe. Eſt autem Perge inſigni Dianæ Templo, proximo in monte conſidente, celebris (45).

Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam, feſſus laboribus & periculis (46), quibus longiora itinera, & prædicatio Evangelii apud Judæos pervicaces & Gentes idololatriæ ſtudioſas nunquam non infeſtantur. Igitur Pamphyliam cum veniſſet, a Paulo & Barnaba diſcedens, Jeroſolymam apud matrem ſeſe reſtituit (47). Inconſtantiam hanc & animi infirmitatem Paulus minus probans, ſocium deinde alterius itineris Joannem recuſavit. Act. 15. 38.

℣. 14. Venerunt Antiochiam Pisidiæ. Antiochiæ nomine plures in Aſia urbes diſtinguebantur, ferme duodecim. Hæc autem jacebat in Piſidia, Aſiæ Minoris Provincia, & Pamphyliæ vicina, cujus ſeptemtrionalia Phrygia, meridionalia eadem Pamphylia terminabat. Uterque Apoſtolus ulterius ſemper intra continentem penetrabant.

Ingressi Synagogam die Sabbathorum (48). Sunt qui diem Sabbathorum de Dominica interpretentur (49); ſed pleri que explicant de Sabbatho (50), qua die Antiochiam Piſidiæ venerint. Licet enim Judæi ter quotidie pro conſueto more convenirent in Synagogas ad orationem, id tamen ſponte, non lege coacti præſtabant; nec ibi tunc ulla Sacrorum Voluminum lectio publica, nulla prædicatio, nec ulla rituum, de quibus hic, ſolemnitas. Hanc noſtram explicationem confirmant ℣℣. 43. & 44. in quibus dicuntur rogati Paulus & Barnabas, ut conſequenti Sabbatho verba iterum pro concione habere vellent.

℣. 15. Post lectionem Legis et Prophetarum, miserunt Principes Synagogæ; oravere ſcilicet, ut verba ad cœtum facerent. Apud Judæos veteri & vulgato more obtinebat, ut Lex & Prophetæ ſingulis Sabbathis in Synagogis legerentur (51). Optimates autem & Seniores, quibus jus erat pro concione loquendi docendique cæteros, id honoris advenis, quos eſſe literatos norant, deferebant, ut ad verba palam facienda illos accerſerent; quemadmodum & apud nos Epiſcopi honorem pro concione loquendi in Eccleſia alii aliis permittebant. Rogabatur ille qui aliunde venerat, ut verba & ſacrum facere dignaretur. Cum igitur Paulus & Barnabas ante dies aliquot eo veniſſent, & doctiſſimi in ſcientia Legis haberentur, hoc officio illos proſequi viſum eſt.

℣. 16. Viri Israelitæ, et qui timetis Deum. Iſraelitæ genere & religione, voſque Proſelyti ad Judaica ſacra tranſlati, Proſelyti *januæ* vel domicilii; id eſt, vos qui nulla ſervandæ Legis neceſſitate, Deum, abjecta Idolorum ſuperſtitione, colitis, & Legi naturali obſequimini, ut olim Naaman 4. Reg. v. 17. & Cornelius Centurio Actor. x. 2. xiii. 16. & 17. 4. Hujus generis Proſelyti

[37] Aſter. homil. 8. pag. 157. Vide & Ambroſ. ſerm. 31. [38] Auguſt. ſerm. 315. cap. 5. Fromond. Grot. hic. [39] Bez. Diuſ. Ita Origen. ſeu potius Rufin. in Ep. ad Rom. pag 455. [40] Auguſt. de Spiritu, & Litt. cap. 7. & ſerm. 315. pag. 420. & in Pſalm. lxxii. [41] Οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας. [42] Origen. in Exod. ex edit. Huet. pag. 22. 23. Chryſoſt. in Acta homil. 28. Iſidor. Grot. alii. [43] Baron. ad an. 46. Sanct. & From. & Cornel. hic. [44] Strabo lib. 14. Pergen 60. ſtadiis vel duabus circiter leucis a mari collocat. [45] Strabo ibidem. [46] Chryſoſt. Grot. M[illegible] Fromond. alii. [47] Vide Act. xii. 12. [48] Τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων. [49] [illegible], Notæ in hunc locum. [50] Sanct. Cornel. Fromond. alii paſſim. In 1. Macch. ii. 32. 34. 41. ix. 34. 43. Dies ſabbathorum ſignificat omnino ſabbathum. Vide & Matth. xii. 2. Quod non licet facere ſabbathis. Ita & ℣. 5. 10. 11. 12. & paſſim. [51] Act. xiii. 27. *Ignorantes voces Prophetarum, quæ per omne ſabbathum leguntur.* Vide Philon. de vita Moſ. lib. 3. & Legat. ad Cajum.

lyti Synagogis non excludebantur, admissi ad Sacrorum voluminum lectionem; quemquam nec in Paschatis, nec in maximarum solemnitatum Israelis consortium admittebantur.

℣. 18. PER QUADRAGINTA ANNORUM TEMPUS MORES EORUM SUSTINUIT IN DESERTO. Sustinuit, non probavit: non penitus illos abjecit, nec omnes simul pro merito punivit; sustinuit illos patienter annis quadraginta, pervicaciam eorum, murmur, & petulantiam tolerans. Græcus typis editus hanc sententiam exprimit (52); sed optimi Codices legunt (53): *Aluit per quadraginta annos*. Beneficiis illos ceu pater & nutricius educavit. Quod e Deuteronom. 1. 31. derivatum est, ac sententiam meliorem exhibet.

℣. 19. DESTRUENS GENTES SEPTEM IN TERRA CHANAAN, earum regionem illis distribuit. Hebræos in ditionem Chananæorum inducens Josue, gentes ibi septem delevit, *Chananæos*, *Hethæos*, *Gergesæos*, *Amorrhæos*, *Hevæos*, *Pherezæos*, & *Jebusæos*. Alibi in Scriptura gentes undecim Chananitidis recensentur, quarum regiones Deus Hebræis promiserat. Sed nonnullæ superfuerunt, a Josue non debellatæ; aliæ vero fuga dilapsæ sunt, vel cum aliis in unam gentem coaluerunt, ut *Aradii*, *Aracæi*, *Gergesæi*, *Sinæi*, *Amathæi*, & *Samaræi*. Gen. x. 15.

℣. 20. QUASI POST QUADRINGENTOS ET QUINQUAGINTA ANNOS. Continuanda sunt hæc cum præcedentibus: *Deus plebis Israel elegit patres nostros* in Abrahamo, cui spopondit Chananitidem, & post hanc promissionem natumque Isaacum filium, & promissionum istarum hæredem, anno quadringentesimo & quinquagesimo possessionem illis tradidit regionis, cujus spem ante tot sæcula illis fecerat. Natalem Isaaci annum componit Usserius cum A. M. 2108. & ingressum in Terram promissionis cum anno 2553. Ita optimi Interpretes nodum hunc solvunt (54).

℣. 21. DEDIT ILLIS SAUL ANNIS QUADRAGINTA; ab unctione vel consecratione in Regem per Samuelem, usque ad illius obitum. Quo temporis intervallo Samuel rerum publicarum cura non modice occupatus, & David in Regem ab illo consecratus fuit. Verum Apostolus jura Davidis, & Saulis ejectionem in medio relinquens, asserit, Saulem annis quadraginta regnasse; ab anno scilicet Mundi 2909. ad 2940. Vide nos in 1. Reg. xiii. 1.

℣. 22. DAVID, VIRUM SECUNDUM COR MEUM; virum mihi carum, & qualem desidero pro munere, cui a me destinatur. Spectat hic Apostolus illud 1. Reg. xiii. 14. *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, & præcepit ei ut esset Dux super populum suum*; & illud Psal. 88. 20. *Exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum*. Ex tanto Domini beneficio excidit aliquandiu David, postquam Regni jure potitus, in crimen incidit; sed pœnitentia & animi demissione factum est, ut titulus illi gloriosus *Viri secundum cor Dei* ex integro assereretur (55).

℣. 23. HUJUS DEUS EX SEMINE EDUXIT SALVATOREM JESUM (56). Ad Jesum Christum, veluti ad terminum, tanta verborum circuitione Apostolus tendebat. Demonstrandum enim suscepit Judæis, unum Jesum esse Servatorem Israelis & Messiam; eamque in rem consentire Scripturæ testimonia, quæ salutem e stirpe Davidis proditoram spondent. Ex hac enim radice orriturum fuisse dicit *Germen*, de quo sæpe adeo locuti sunt Prophetæ (57), cujus fructus futura esset salus & populi Dei felicitas.

℣. 24. PRÆDICANTE JOANNE, ut populi animos ad eum excipiendum compararet. Joannis nomen celebre erat per omnes late Judæos etiam remotos, veluti Judæos Pisidiæ, ad quos tunc Apostolus verba faciebat. Israelis universi opinione inter maxima lumina Joannes habitus fuerat, ut ejus testimonium maximi ad illos persuadendos momenti esse debuerit. Illud autem certissimum erat, nunquam eum habitum fuisse pro Messia, ipsumque legationem ad se missam, Messias ne esset, abjecisse. Alte & non semel professus fuerat, non aliud esse a Jesu Christo communis expectationis argumentum. Quo Joannis Baptistæ testimonio opportune utitur hic Apostolus, ut Judæos Antiochiæ Pisidiæ convincat.

℣. 25. CUM IMPLERET CURSUM SUUM, DICEBAT: QUEM ME ARBITRAMINI ESSE, NON SUM EGO; cum absolveret ministerii vitæ suæ cursum (58), ajebat, &c. Messiam esse me putatis: non sum; sed alium postea venturum opperiri vos jubeo, qui spem expectationemque vestram est impleturus. De Jesu Christo loquor, cujus lorum calcei solvere indignum me profiteor. Ipsa eadem sunt verba, quæ in Evangelio leguntur (59), indicantque, Joannem ceu minimum Jesu Christi famulum se reputasse. Nec ambiguos illos reliquit de homine, quem verbis significabat; digito enim intento indicavit illum turbis, quas confertas coram ad Jordanem habebat, atque ad illum Discipulorum suorum principes misit Joan. 1. 38. ut prodigia illius intuerentur, virum nossent, illum sequerentur, ubi ipse fatis cessisset.

℣. 26. VOBIS VERBUM SALUTIS HUJUS MISSUM EST. Majoribus nostris fides obstricta est, vobis soluta. De Messiæ adventu Prophetæ vaticinati sunt: illum Joannes Baptista nunciavit, designavit, & digito indicavit. Felix hic nuncius vestras aures feriit; qua oblata felicitate opportune utamini suadeo. Nos Jesu Christi nomine venimus, ut Evangelium vobis nunciemus, salutisque ab illo cunctis hominibus comparatæ participes efficiamini: vestrum est, tanto beneficio vos comparare. Sunt qui (60) *verbum salutis* interpretentur de Filio Dei, de Verbo Incarnato, ad hominum salutem in Mundum lapso. Sed prior explicatio literæ magis convenit.

℣. 27. HUNC IGNORANTES, ET VOCES PROPHETARUM, QUÆ PER OMNE SABBATHUM LEGUNTUR, JUDICANTES IMPLEVERUNT; non agnoscentes ipsum esse Messiam & Mundi Servatorem; nec assecuti Prophetarum oracula, de illo tam multiplici ratione tantaque perspicuitate prolata, illa tamen ipsa vaticinia imprudentes invitique impleverunt, Christum morte damnantes. Profecto nisi Jesus Christus mortem subiisset, proditus, derelictus, accusatus, cæsus, spinis coronatus, cruci affixus fuisset, quo pacto expressum in illo agnosceremus hominem dolorum, saturatum opprobriis, manibus pedibusque perfossum, attritum ob scelera nostra, & tamquam agnum ad mactationem ductum? Qua ratione præbuisset ille se victimam, peccata mundi expiantem? Quomodo vitæ & gloriæ sese resti-

---

[52] Ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ. [53] Alex. Cant. G. L. Ἐτροφοφόρησεν αὐτούς. Lat. *Ac si nutrix aluit*. Ita & Syr. Arab. Æth. Hesych. Author Constit. Apost. lib. 7. cap. 32. Ἐτροποφόρησεν (lege ἐτροφοφόρησεν) αὐτοὺς ἐν ἐρήμῳ τεσσαράκοντα ἐνιαυτοῖς. Et ita Deut. 1. 31. Editiones 70. Rom. Venet. Cod. Alex. Syr. Calaur. Athan. Vide Mill. hic, & Ludov. de Dieu. [54] Beda, Sanct. Cornel. Fromond. Barth. Petri, Grot. Jun. Drus. Lud. Glass. alii. [55] August. quæst. 5. ad Dulcit. Fromond. hic. [56] Græc. Ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν, *Suscitavit Israeli servatorem Jesum*. Pleraque tamen Codices MSS. cum Vulgata consentiunt: Ἤγαγε, *Eduxit*. Ita plerique. Et pro σωτῆρα Ἰησοῦν, legunt multi σωτηρίαν Ἰησοῦ; vel absolute σωτηρίαν, omisso Ἰησοῦ, *Per genus Davidis eduxit Israeli salutem*. [57] Isai. xi. 1. Jerem. xxiii. 5. xxxiii. 15. Ezech. xxxiv. 29. Zach. iii. 8. vi. 12. ex Hebr. [58] Confer Act. xx. 24. *Dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, &c.* Et 2. Timot. iv. 7. *Cursum consummavi, fidem servavi, &c.*
[59] Joan. 1. 27. Matth. iii. 11. Marc. 1. 7. Luc. iii. 16. [60] Sy. Lyr. Menoch.

restituisset? Iste enim omnia, probe scilicet ejusque gloriam, oracula Prophetarum prænuntiarunt. Reddi etiam potest in hanc sententiam (a): *Qui habitabant Jerusalem, impleverunt, ignorantes, voces Prophetarum, damnantes illum;* ac referri illud *ignorantes* ad damnationem, non ad ipsum Jesum Christum (3).

℣. 29. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno. Tribuere Apostolus videtur iisdem Judæis, qui Jesum in Crucem egerunt, illius detractionem e patibulo, & sepulturam. Sed cum aliud agat, quam ut accuratam narrationem rei gestæ texat, satis habet, historiæ summam recitare, neglectis minutioribus. Satis illi erat, si demonstraret, Jesum Christum odio Judæorum in patibulum actum fuisse, exspirasse, & sepulturæ mandatum fuisse; virtute autem sua restituisse se in vitam, videndumque se præbuisse plurimis, qui una ad festum Paschatis e Galilæa Jerosolymam venerant.

℣. 31. Testes ejus sunt. Hodieque supersunt, testanturque, se illum vidisse, contrectasse, verba miscuisse, cibum potumque cum illo gustasse. Rem loquor non vetustam, non dubiam, nec ab ætate nostra remotam. Testes profero plurimos, vivos adhuc spirantesque. Nec Paulus nec Barnabas Jesum superstitem de facie noverant, neque post resurrectionem intuiti fuerant.

℣. 33. Deus adimplevit filiis nostris: expletam promissionum suarum fidem filiis nostris monstravit. Sive ex Græco (4): *Adimplevit nobis natis eorum*, &c. Vulgatæ sententiam si tenueris, designare volet Apostolus, in hominibus tunc viventibus unaque illorum filiis impleri quidem promissionum fidem cœpisse; sed natis majus accessisse commodum, quod plenam illarum executionem essent assecuturi. Revera Regnum Jesu Christi plenam in Ecclesia gloriam majestatemque non obtinuit, nisi post mortem Apostolorum, tertio, quarto, quinto, & sexto Ecclesiæ sæculis. Primum & secundum sæculum claruit virtute & sanctimonia eorum, ex quibus Ecclesia coalescebat; quæ deinde successerunt sæcula, gloriosa magis & illustria effecit numerus & dignitas eorum, qui Evangelii dogmata exceperunt.

Sicut in Psalmo secundo scriptum est. Codices plures legunt (5): *Sicut in Psalmo primo;* alii vero (6), *In Psalmo*, non addito numero, sive primo sive secundo, ut vitarentur ea de re lites, cum alii sententiam hanc ex primo Psalmo juxta Hebræum descriptam asserant (7); alii, juxta Græcam distributionem, secundo tribuant. Re tamen dissidium non est, sed verbis. In Commentario ad Psalmos ostendimus, non semper eamdem, quam nunc habemus, Psalmorum distributionem obtinuisse; sæpe enim unum eumdemque Psalmum in plures divisum, & plures in unum fuisse conjunctos. Ætate Kimchi (8), duodecimo nempe vel decimo tertio sæculo, de Psalmorum distributione inter ipsos Hebræorum Codices non satis constabat; cum ex iis plures Psalmos primum & secundum conjungerent. Sed quæ lectio fert, *Sicut in primo Psalmo*, optima & vetustissima videtur: quæ vero exhibet, *In Psalmo secundo*, recentioris manus esse videtur. Origenes, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Justinus, S. Hilarius, S. Hieronymus legebant: *In primo Psalmo.*

Filius meus es tu: ego hodie genui te. Constat utique, Apostolum sententiam hanc accommodare Resurrectioni Jesu Christi, quam perinde habet atque ortum in novam vitam. Diem, qua Regnum inierant, Orientis Reges olim perinde ac diem natalem celebrabant; eademque dies nomine natalis Regis distinguebatur (9). Jesu Christi Resurrectio ceu dies gloriosa Regni humanæ ejus naturæ cum divina conjunctæ reputatur & colitur; quo accepta sensu commode dies natalis ejus appellari potest. Quod attinet ad ipsam e Psalmo sententiam, vulgo Patres de æterna Verbi Dei generatione interpretentur (10); quamquam non desunt, qui pariter ad temporalem ejus nativitatem transferant (11). Sed ut ut accipiatur, Jesu Christo plane congruit. Æterna enim in generatione *hodie* generatur a Patre; *hodie* quippe totam æternitatem, in qua nihil est præteritum, nihil futurum, significet. In generatione vero vel temporali nativitate, *hodie* usurpatur pro die natali, qua prodiit in Mundum, & pro æternitate, in qua semper subsistit. Ita pariter de illius resurrectione *hodie* duo denotet, iteratum hominis Dei ortum, & Dei æternitatem. Natura humana Regnum in ea auspicatur, quod antea non viderat nec obtinuerat (12); Divina vero Imperium, quod nunquam intermiserat, prosequitur.

℣. 34. Dabo vobis sancta David fidelia: præstebo vobis cum fide promissa, quæ olim Davidi spopondi. Ad verbum (13): *Dabo illi sancta fidelia;* vel sanctuarium fidele & permanens, vel jusjurandum fidele certissime exequar; ea quæ juratus promisi. Versionem Septuaginta hic expressit Apostolus (14); sed Hebræus legit (15): *Dabo vobis misericordias David fideles;* idest, tenebitis executionem promissionum clementissimarum, quibus ego me Davidi obstrinxi, quæ sane manebunt intactæ, nec irritæ cadent. Quarumnam promissionum? nimirum (16), Benigno oculo illum semper aspiciam, quodque cum illo inivi fœdus, nunquam solvam: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cœli.* Profecto nisi Jesum Christum ad æternam vitam regnumque Deus revocasset, quomodo obstrictam Davidi pollicitationibus hisce fidem se præstitisse profiteretur? Quid actum fuisset de illo, quod spondet, Regno & solio æterno?

℣. 35. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sententiam hanc ex Psalmo xv. 10. derivatam, jam alias Petrus Act. 2. 31. ad probandam Christi Resurrectionem laudaverat. Porro cui alteri congrueret? Quis hominum post mortem corruptioni obnoxius non fuit? Neque ipse David immunem se ab illa sensit. ℣. 36.

℣. 38. Ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysi justificari. Plura erant crimina, quorum veniam Lex minime indulgebat, quæque nullo veteri sacrificio expiari poterant. Qua in classe illa omnia recensebantur, quæ pœnæ capitali Lex subdiderat, ut Idololatria, adulterium, perjurium, blasphemia, homicidium, & alia sex-

cen-

(a) Τοῦτον ἀγνοήσαντες, καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν ... κρίναντες ἐπλήρωσαν.
(3) Ita Syr. Arab. Ludov. de Dieu, Hamm. Cotelcbal.
(4) Ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν. At codices multi legunt, Τοῖς τέκνοις ὑμῶν. *Filiis nostris*, cum Vulgata. Ita Alex. Cantab. Barber. 1. Æth. Heb. Codex Bedæ, alii quidam apud Bez. Edit. Sixti V. *Filiis vestris*. Clem. VIII. *Filiis nostris*. Aliqua alia: *Filiis suis*, aut, *filiis Israel*. Vide Beng. hic.
(5) Cantab. Gr. Lat. Ald. Frob. Oecumen. Tertull. l. 4. contra Marcion. Cyprian. Hilar. Hieron. Vide Beng. & Mill. hic.
(6) Exemplar Gr. Bedæ. Codd. Latini aliquot apud Erasm. & Beng. &c.
(7) Vide Hieron. seu alium sub ejus nomine, in Psalm. 1. & 2. & Origen. Fragm. in nov. edit. Hexapl. ad caput 2. Psalmi.
(8) Kimchi in Psalmos. Vide & Origen. loco proxime citato.
(9) Vide Genes. xl. 20. Matt. xiv. 6. Osee vii. 5. Heins. exercit. sacr. p. 48.
(10) August. in Psal. ii. Chrysost. Theophyl. Oecumen. in Hebr. 1. Cyprian. lib. 2. Testimon. alii passim. Vide Sanct. & Cornel. hic, & alios in Psal. cix. 3.
(11) Hebr. 1. 5. Vide Interpp. ibidem.
(12) Matth. xxviii. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Vide Justin. Dialog. cum Tryphon.
(13) Δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά.
(14) Isai. lv. 3. Διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά.
(15) חסדי דוד הנאמנים
(16) Psal. lxxxviii. 29. 30. Vide Sanct. hic.

centa. Crimina vero omnia sanguine Jesu Christi eluuntur, si viva fides charitate instructa adfuerit, modo pœnitentia, Baptismo, vitæ innocentia & probitate dignos nos exhibeamus, quibus Jesu Christi merita applicentur.

℣. 40. In Prophetis. In Habacuc Propheta I. 5. Familiare est Lucæ Librum duodecim minorum Prophetarum sub generico Prophetarum, vel Libri Prophetarum nomine laudare (57).

℣. 41. Videte contemptores et admiramini; videte vos, qui verba mea contemnitis; admiramini, & contremiscite. Græcus (18): *Videte contemptores, & admiramini, & abscondite vos*. Septuaginta in Habacuc, unde sententia hæc descripta est (19): *Videte, contemptores, inspicite, admiramini admiratione, & evanescite*. Hebræus (20): *Videte in gentibus, considerate, & admiramini, obstupescite*. Minitatur hic Propheta Israelitis hostilem Chaldæorum adventum, Regionis Urbisque exitium: *Opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis*. Has minas Apostolus in Judæos incredulos torquet, nuncians futurum, si veritati dare manus recusaverint, ut in caput eorum excutiatur malorum procella, illi similis, qua Hebræi a Nabuchodonosore & Chaldæis oppressi sunt. Verba hæc a Jesu Christo prius expressa, iterum in ore Apostoli resonabant; eorumque veritatem eventus tunc probavit, cum Romani Jerosolymam aggressi, omnia ea in regionem mala, quæ omnibus exploratissima sunt, intulerunt.

℣. 42. Rogabant, ut sequenti Sabbatho loquerentur. Principes Synagogæ totusque cœtus verba Pauli adeo probavere, ut proximo Sabbatho redirent, & loqui pergerent, rogaverint. Græcus typis editus legit (21): *Gentes rogarunt, ut Sabbatho intermedio loquerentur*; quæ verba multum habent difficultatis. Primo enim, quamquam inficias non iverim, fieri potuisse, ut in cœtu Ethnicus aliquis adesset, quemadmodum non deerant Proselyti; non satis intelligo, cur Ethnici potius quam Judæi optaverint, ut ambo Apostoli eo reverterentur, cum Paulus verba ad illos nec directe nec ex obliquo fecerit. Secundo, plures manu exarati Codices Græci, Cophtica, Arabica, & Vulgata τὰ *Gentes* omittunt, leguntque: *Rogabant ut loquerentur*.

Sabbathum intermedium aliud est difficultatis argumentum. Contendunt quidam, mendum irrepsisse in Textum, quod si corrigatur, ita reddi oportere: *Rogarunt ut loquerentur iterum in diebus extnum ab ea die usque ad Sabbathum sequens*. Cœtus Religiosos ter quotidie in Synagogis habebebant Judæi, ut preces nonnullas recitarent (22); sed præsertim feria secunda & quinta conveniebant. His ergo diebus, inquiunt sententiæ hujus assertores, populus audire Paulum, idem argumentum versantem, optabat. Alii (23), intacto Textu, censent, ea hebdomada neomeniam seu Kalendas occurrisse, sive alium festum diem, quo die conventuri essent Judæi, & Paulum audire cuperent. Scitum est, festos dies a Judæis nomine Sabbathi omnes frequenter appellari. Eruditi plures Interpretes (24), vel e numero Protestantium, versionem Vulgatæ tuentes, proferunt e Græcis Scriptoribus non absimiles phrases, quibus significatur non id quod inter duo medium jacet, sed potius quod sequitur, vel quod succedit. Denique, quod litem dirimere videtur illud est, Lucam infra ℣. 44. diserte asserere, proximo Sabbatho totam ferme Civitatem ad audiendum Paulum convenisse.

℣. 43. Multi Judæorum et colentium advenarum. Priori oratione Apostolus ingentem Judæorum genuinorum, atque Ethnicorum, qui Judaismum professi fuerant, vel tantummodo Proselytorum januæ, ut explicatum est supra ℣. 16. turbam Christianis adjecit; quos Barnabas, & Paulus hortati sunt, *ut permanerent in gratia Dei*, in ea, quam acceperant, doctrina Evangelica, quam eis Dominus indulserat, ut mentem animumque haberent ad veritates audiendas amandasque comparatum. Sacrum hoc depositum sedulo servate, jactumque a Deo in animos vestros semen ita curate, ut fructum ferat (25). Hi omnes Cathecumenorum classem nondum excedebant; nam ad illos baptismate tingendos tempus opperiebatur Apostolus, quo & magis eruditi, & in fide stabiles magis redderentur.

℣. 44. Sequenti Sabbatho (26) tota ferme Civitas eo convenit, Judæi atque Ethnici indiscriminatim, acciti fama eloquentiæ Pauli, & doctrinæ illius novitate.

℣. 45. Videntes turbas Judæi, repleti sunt zelo. Iniquis oculis respiciebant Judæi tantam in Ethnicis solicitudinem Apostolos audiendi, ac si doctrina ab illis nunciata ad se unos pertineret. Offendebantur pariter, quod cernerent eosdem Ethnicos, tumultuarie & confuse cum strepitu & murmure cœtibus se suis immiscere. Altius tamen animum eorum sauciabat, quod facile Apostolus verba jam fecerat ad Gentes, spemque illis fecerat futurum, ut reserarentur januæ Evangelii & Fidei, nulla servandæ Legis Mosaicæ necessitate. Spes ista inflammaverat animos, rapueratque ad audiendum Apostolum, & odia Judæorum in illum incenderat.

Contradicebant blasphemantes. Jesum Christum Messiam esse pertinaciter negabant, deceptorumque ac Pseudo Prophetarum nota utrumque Apostolum traducebant; Jesum vero ceu impostorem sceleratumque ob crimina sua neci traditum habebant. Græcus legit (27): *Contradicebant dictis a Paulo, contradicentes, & blasphemantes*; id quod affectatam & pervicacem obstinationem contradicendo denotat.

℣. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Ita enim Dominus præceperat Discipulis Matth. 10. 6. *Ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Et XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, &c.* Denique post resurrectionem ire eos jussit ad prædicandum Evangelium *in omnes Gentes*; sed *incipientes ab Jerosolyma* (28), a Judæis. Profecto rei æquitas postulabat, ut filii promissionum, Prophetarum germen, fratres Jesu Christi ex carne, Abrahami & Davidis posteri, omnium primi Evangelii beneficio

(17) Vide Act. XIII. 42. *Scriptum est in libro Prophetarum* . . XV. 15. *Huic concinunt verba Prophetarum*, &c.
(18) Ἴδετε, οἱ καταφρονηταί, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἀφανίσθητε. Quid. Ἀπέσχετε, οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐμβλέψατε, καὶ ταπεινώθητε. Alii, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἐπιβλέψατε. (19) Ἴδετε, οἱ καταφρονηταί, καὶ ἐπιβλέψατε, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε. (20) ראו בגוים והביטו והתמהו תמהו (21) Παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι. Codices tamen plures omittunt, τὰ ἔθνη. Et pro εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, Codex Cantabrigiensis fert, εἰς τὸ ἑξῆς σάββατον. Alius: Εἰς τὸ ἑσπέριον. Scaliger, Casaub. Grot. Glass. legi malunt; Εἰς μεταξὺ σαββάτων, scilicet, medio tempore inter duo sabbatha. (22) Vide Ligf. hic, & Leon. Mutin. cærem. Jud. p. 1. c. 11. (23) Bessam. Lucubr. Frankendal. 7. (24) Montan. Capell. Erasm. Tigur. Æth. Ludov. de Dieu, alii. (25) Vide Hebr. XII. 15. *Contemplantes, nequis desit gratiæ Dei*. 1. Petr. V. 12. *Contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis*. Vide & Act. XIV. 3. XX. 24. 32.
(26) Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ. Alii melius: Τῷ τε, vel τῷ δὲ ἐχομένῳ σαββάτῳ. Ita Alex. Laud. 3. & alii: ἐχόμενος significat *sequens*. Vide infra XXI. 25. 26. Luc. XIII. 33. (27) Ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ τοῦ Παύλου λεγομένοις, ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες. At hæc vox ἀντιλέγοντες, in Codicibus multis desideratur.
(58) Luc. XXIV. 47. & Act. I. 8.

cio fruereotor; *sed*, pergit Apostolos, *quoniam repellitis illud* (verbum Dei), *& indignos vos judicatis æternæ vitæ* (3); quoniam recusando ac repugnando sententiam dicitis, provocatisque in vos condemnationem latam a Domino per Christum suum in eos, qui oculos luci, quam spargit, claudunt, animosque adversus monita obfirmant; idcirco *ecce convertimur ad Gentes*; *sic enim præcepit nobis Dominus* Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et Marc. 16. 15. *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Denique Luc. 24. 46. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam in omnes Gentes, incipientibus a Jerosolyma*.

℣. 47. Posui te in lucem gentium. Nullum producit Apostolus Jesu Christi mandatum de prædicando Gentibus Evangelio; prolatum enim ex eo testimonium Judæi flocci fecissent; sed laudat Isaiam, qui de Messia agens c. 49. 6. asserit futurum illum lucem Domini inter Gentes, servatorem, ac libertatis eorum Authorem, *usque ad extremum terræ*. His verbis vulnus Judæorum recrudnit, & Gentilium gaudium auctum est.

℣. 48. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam. Sunt qui verbis hisce designari putent certam prædestinationem ad gloriam, cœlestemque felicitatem. Omnes illi victas dederunt manus fidei, qui gratuita & efficaci prædestinatione ad gloriam electi fuerant (4). Deus illis tunc dona concessit & auxilia, quæ ipsis jam inde ab æternitate destinaverat atque paraverat, ac deinceps nunquam desiit largiri illis opem, ac perseverantiam plane necessariam, ut finem sibi a Deo destinatum assequerentur.

Malunt alii, sermonem hic esse directe & primo de prædestinatione & vocatione ad fidei & gratiæ vitam. Cum mortales hosce Deus ad fidem prædestinasset, gratiæ suæ donum illis indulsit, mentem animumque pie comparavit, inspiravitque ejus, quæ nunciabatur, veritatis desiderium pariter & amorem; denique indidit dulces simul validasque illecebras, quibus ad Evangelium traherentur.

Grotius, Tilenus, Hammondus, Medus, Clericus, aliique nonnulli (5) negant, agi hic de Divina sive ad Gloriam sive ad Fidem prædestinatione; sed tantummodo sermonem fieri de animi præparatione, quam ad audiendum Apostolum illi contulerant. Ex his quidam Judæi erant obstinati, Jesu Christi nomen blasphemiis proscindentes, vel Ethnici, qui Apostolos de ridiculo traducebant. Erant contra Judæi alii dociles, vel Gentiles Deum metuentes, cujusmodi hic appellantur *Præordinati ad vitam*, idest, ad verbum vitæ excipiendum, plane oppositi iis, qui contradicebant, quive deridebant, ac *indignos se judicabant æternæ vitæ*, ℣. 46. idest, sua se nequitia indignos tanto beneficio præbebant, micantique ante oculos veritati resistebant. Sed hac opinione gratiam prævenientem minime excludi, scite Grotius animadvertit, cum Scriptura sæpe id præstare homines dicat, quod nonnisi gratiæ auxilio præstant; idque a Jesu Christo in Evangelio significatur *tractione Patris*. Cæterorum, quos laudavimus, plerique nihil supra naturam agnoscere hic videntur; quod est utique alienissimum a mente Patrum, ac præsertim S. Chrysostomi, agnoscentis hic prædestinationem aliquam Dei, eos prævenientis qui in se ita credituri ac prædestinandi erant ad vitam, ut nullam tamen illis necessitatem imponeret. Vide *Homil.* 30. in *Acta* pag. 274.

Græcum aliter vertit Cnaschullus (6): *Quotquot erant ibi congregati* ad audiendum Paulum, *crediderunt in vitam æternam*. Quam vocem nos de prædestinatione dictam accipimus, usurpat ille de externa turbæ ibi coactæ habitudine, qua se ad audiendum aptavere. Sed in Novo Testamento (7) verbum *tasso*, sive *tattomai* valet semper *ordinare*, *constituere*, *præscribere*, quod ferme æquivalet verbo *orizo* (8), quod adhibetur prædestinationi ad fidem, ad gratiam, sive ad gloriam designandæ. Itaque cur hic recedamus a sententia Vulgatæ, & apud Ecclesiam recepta, nihil est.

℣. 50. Concitaverunt mulieres religiosas et honestas; proselytas, quas Dei timor, Legumque Mosaicarum professio honestabat; Matronas religiosas & locupletes (9); probas honestasque fœminas diceris. Ethnicæ mulieres quamplurea Judaicos ritus amplectebantur, nomenque inter proselytas dabant. Commodior sane illis erat quam viris ad Judaicam Religionem transitus, cum durum circumcisionis vectigal non solverent. Hæ plerumque susceptæ professioni insistere pertinacius, superstitiosius, ardentius solent, minusque quam viri, ubi de Religione agitur, adductas in contrarium rationes admittunt; notantque Patres, raras in Ecclesia hæreses & schismata surrexisse, quibus vel causam vel fomitem fœminæ dignitate divitiisque potentes non præbuerint. Mulieres, de quibus hic, urbis Optimates in Apostolos excitarunt, ut eos ex urbe, tamquam novi dogmatis authores, pellerent.

℣. 51. Excusso pulvere pedum; ex Jesu Christi mandato Matth. x. 14. ut innuerent, nolle se quidquam cum illis habere commune, (10) relinquere se illos cordis sui pravitati & pervicaciæ. Maledicti genus quoddam & anathematis symbolici in Judæos incredulos, in excussione pulveris S. Hilarius agnoscit. Notat Ligfootus, opinione Hebræorum urbes, terras, regionesque Ethnicorum perinde ac immundas & pollutas haberi. Pulverem igitur pedum excutientes Apostoli in Judæos Antiochiæ Pisidiæ, ænigmate quodam significarunt, e terris illorum & urbe ceu impuris pollutisque se fugere.

Iconium, Lycaoniæ urbem, leucis quinquagin-ginta circiter ab Antiochia Pisidiæ ad orientem. Urbem banc, inter florentissimas Provinciæ illius, Judæi frequentes incolebant.

(3) Nonnullos dicendi modos huic similes Pricæus collegit ex Græcis optimis & Latinis. (4) August. passim, Cajetanus, Carthusianus, Est. Fromond. (5) Vide Vasquez tom. 1. 3. part. disp. 33. c. 12. Stapleton. Antidot. in Acta; Less. de prædestinat. & reprobat. Angel. sect. 3. apud Sanct. hic. Vide & Cornel. Menoch. (6) Καὶ ἐπίστευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Codices Valesiani legunt, προτεταγμένοι, cum Vulgata. (7) Vide Matth. xxviii. 16. Luc. vii. 8. Act. xv. 2. xxii. 10. xxviii. 23. Rom. xiii. 1. (8) Ὁρίζω, seu προορίζω. Vide Act. xvii. 26. Ὁρίσας προτεταγμένους καιρούς. (9) Τὰς σεβομένας γυναῖκας, καὶ τὰς εὐσχήμονας. Apud Marcum xv. 43. Joseph Arimathæus dicitur Εὐσχήμων βουλευτής, *Nobilis decurio*. Et infra, Act. xvii. 12. Ἑλληνίδων γυναικῶν, καὶ τῶν εὐσχημόνων, mulierum ethnicarum & nobilium; sive proselytarum nobilium: fœminas religiosas & locupletes. (10) Vide Hieronym. Chrysost. Theophylact. in Matth. Aug. quæst. 7. in Matth.

CAPUT XIV.

Paulus & Barnabas Iconii versantur, ubi pluribus fidem persuadent; sed adversarios Judæos in se concitant. Paulus hominem ab ortu claudum Lystris sanat. Populus ad offerenda illis sacrificia, Deos esse ratus, concurrit: deinde lapidibus illos aggreditur. Illi recipiunt se in tutum, Ecclesiasque variis in locis condunt. Antiochiam Syriæ regressi, diu ibi morantur.

℣. 1. FActum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo. 2. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres. 3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa, & prodigia fieri per manus eorum. 4. Divisa est autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. 5. Cum autem factus esset impetus Gentilium, & Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos, 6. Intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben, & universam in circuitu regionem, & ibi evangelizantes erant. 7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat. 8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, ut salvus fieret, 9. Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat. 10. Turbæ autem cum vidissent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. 12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros, & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. 13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas, & Paulus conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes, 14. Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt: 15. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra. 17. Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent. 18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia, & Iconio Judæi: & persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. 19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. 20. Cumque evangelizassent civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, 21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 22. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. 23 Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam. 24. Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam: 25. Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus, quod compleverunt. 26. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei. 27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

℣. 1. FACTUM EST ICONII ...... UT CREDERET JUDÆORUM ET GRÆCORUM IMMENSA MULTITUDO. Pro more suo Apostoli Judæorum Synagogas ita frequentabant, ut intra solos Judęos sese minime continerent. Privatim quippe verba etiam ad Græcos (1), id est Gentiles, faciebant; nec parvam hominum Judæorum pariter & Græcorum turbam traduxerunt ad fidem. Communi Grecorum nomine censentur apud Lucam Asiæ Minoris Gentiles universi, quippe qui Græce omnes loquebantur; ac pro Hebræorum more Græcorum nomen Ethnicis omnibus conferebatur.

Vulgo creditur, in primo hoc vel forte in secundo adventu Pauli Iconium, Ecclesiæ accessisse S. Theclam, cujus celebre est nomen in Ecclesia, & inter Martyres fœminas primus honor (2). Cla-

[1] Vide Chrysost. homil. 30. in Acta. Fromond. hic. hist. lib. 3. cap. 8. Ita & Græci recentiores.

[2] Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 109. Evagr.

Claro genere virgo, & iis omnibus probe instituta, quæ ipsius conditionem decebant, creditur (3). Viro jam desponsa erat, quo tempore Paulus veniens Iconium, amorem in illa sanctæ virginitatis excitavit (4). Sanctum propositum adversus iteratas domesticorum sponsique aggressiones viriliter defendit; quin & ferunt, authore sponso, ad belluas damnatam fuisse (5), sed Leones nedum eam non læsere, verum etiam ante ejus pedes placidi se demiserunt. Addit S. Gregorius Nazianzenus Carm. 4. ignem pariter illæsam evasisse. Tradit S. Chrysostomus hom. 25. in Acta, Theclam pretio gemmarum aureorumque ornamentorum emisse sibi liberam potestatem conveniendi alloquendique Apostolum in carcere detentum. Gentilium superstitione tenebatur, quo tempore nomen dedit inter Christianos.

℣. 2. QUI VERO INCREDULI FUERUNT JUDÆI, SUSCITAVERUNT, ET AD IRACUNDIAM CONCITAVERUNT ANIMAS GENTIUM ADVERSUS FRATRES; adversus Neophytos, tum ex Gentilibus, tum ex Judæis. Celebris Codex Græcus Latinusque Cantabrigiensis legit: *Archisynagoga Judæorum, & Principes Synagogæ incitaverant persecutionem adversus justos, & concitaverunt animas gentium adversus fratres: Dominus autem dedit confestim pacem* (6). Quod additum videtur ob concilianda ea, quæ statim subduntur: *Multo tempore demorati sunt* (ambo Apostoli Iconii) *fiducialiter agentes*.

℣. 3. MULTO IGITUR TEMPORE DEMORATI SUNT ibidem. Invitis licet, reluctantibusque Judæis, ac insectantibus Ethnicis, ambo Apostoli tamdiu ibi substiterunt, donec res ad extrema devenit. Cum vero discrimen vitæ præsens se adire intellexere, ventumque est ad lapides, seditioni sese immiscentibus Ethnicis, subtrahendos se e periculo censuerunt. Mala se plurima Iconii tolerasse, Paulus in 2. ad Timotheum 3. 11. testatur.

TESTIMONIUM PERHIBENTE VERBO GRATIÆ SUÆ; idest, Evangelio, quod non semel in Actis (7) *verbum gratiæ* appellatur. Quæ Paulum verba facientem comitabantur prodigia, missum esse illum a Deo, atque veritatis doctrinam promulgare, satis luculento argumento demonstrabant. Prodigia ista singillatim non recensentur: satis tamen intelligimus, absque illis vix fieri potuisse, ut tam multis Apostolus persuaderet, conatibusque adversariorum tamdiu resisteret. Prodigiorum istorum veritatem Fideles tum ex Judæis cum ex Gentilibus conversi tuebantur: cum a Judæis incredulis, & ab Ethnicis, qui se illis adjunxerant, ceu præstigiæ, & sensuum ludibria traducerentur; atque ita ℣. 4. *Divisa est multitudo Civitatis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis*.

℣. 5. CUM FACTUS ESSET IMPETUS GENTILIUM ET JUDÆORUM CUM PRINCIPIBUS SUIS; idest, cum primoribus tum e Magistratibus Ethnicis, cum ex Principibus Synagogæ Judæorum. Hi omnes capiti utriusque Apostoli imminentes, exoneraturi jam erant nimbum injuriarum & lapidum; quamobrem illi temere se Deum tentaturos rati, si diutius in urbe permanerent, tam multis adversariorum insultibus expositi, receperunt sese in vicina loca, ex Domini præcepto Matth. 10. 23. *Cum persequentur vos in Civitate una, fugite in aliam*.

℣. 6. CONFUGERUNT AD CIVITATEM LYCAONIÆ LYSTRAM ET DERBEN. Provinciam quidem non deseruerunt, sed in urbes alias & in loca pariter circumjacentia se contulerunt: *Et universam in circuitu regionem*. Porro Lystra septemtrionalis, Derbe vero meridionalis est Iconio; utraque in Lycaonia. Plinio tamen l. 5. c. 32. Lystra urbs est in Galatia; Straboni (8) Derbe in Isauria. Provinciarum istarum limites pro tempore varii fuerunt. Græci quidam Codices (9) in fine hujus versiculi addunt, universum populum prædicatione Pauli permotum fuisse; utrumque vero Apostolum Lystris aliquandiu commoratum.

℣. 7. QUIDAM VIR LYSTRIS INFIRMUS PEDIBUS EX UTERO MATRIS SUÆ, adeoque morbo eo magis pertinaci laborans. Venerat hic ad audiendum Apostolum, accitus facile fama miraculorum quæ ille patrabat, & illectus spe valetudinis obtinendæ. Præsentem statim agnovit Apostolus, & in medio turbæ distinxit, sive monstrante interiori illa luce, qua arcanas animi ejus habitudines notat, sive indicante vultu hominis, fiduciam & sollicitudinem exprimente (10). Apostolus igitur, ℣. 8. *intuitus eum, & videns quia fidem haberet ut salvus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus; & exilivit, & ambulabat*. Græci quidam Codices legunt (11): *Dico tibi in nomine Domini Jesu Christi: Surge*; vel planius: *In nomine Domini, surge*; quod desumptum videtur ex Actis III. 6.

℣. 10. LYCAONICÆ. Græcus sermo per Asiam Minorem universam obtinebat; sed variis distinctus dialectis varia per loca usurpabatur, minusque purus in dissitis regionibus, uti plerumque accidit, fluebat. Designat igitur Lucas, gentes hasce Græcum quoddam corruptum locutas, longe diversum ab eo, qui in urbibus Græcis excultis & florentibus usurpabatur. Paulus Ernestus Jablonski eruditam dissertationem de Lingua Lycaonica adornavit, defenditque cum Grotio, Lycaonibus communem fuisse cum Cappadocibus sermonem; idioma vero Cappadocum admistum aliquid ex Syriaco continuisse. Quod probabilissime ab illo assertum est, cum Cappadocia, Syria & Mesopotamia provinciæ essent inter se vicinæ.

DII SIMILES FACTI HOMINIBUS. Veritatem experientia plurimisque confirmatam exemplis rei hujus tenere se Gentiles arbitrabantur, rati, sæpe Deos spectandos se exhibuisse mortalibus, eorumque urbes & provincias peragrasse, ut pœnam præmiumve pro meritis rependerent, sive ut opem precantibus ferrent (12); sive denique aliis ex caussis, quæ probro sunt Diis, quibus tribuuntur, & hominibus qui hæc Numinibus usuvenisse credunt. Nec incredibile censemus, Dæmones interdum sub hominum aspectu videndos se mortalibus vere præbuisse, sive intuentium oculis inani aliquo spectro illusisse, quo nimis creduli obvios habere se Deos rebantur. Probabile est enim, nunquam revera videnda se inania hæc Numina obtulisse, quippe quæ in abyssi carcere una cum Satana & Angelis ejus detinentur. Satis est tamen, persuasionem hanc apud homines increbuisse.

℣. 11. VOCABANT BARNABAM JOVEM; PAULUM VERO MERCURIUM. Barnabas forte vir erat eleganti vultu, statura procerus, & habitu corporis ad majestatem composito. Paulus eloquio scientiaque pollebat. Ethnicorum opinione Jupiter Princeps erat & maximus inter Deos; Mercurius Deorum nuncius, & eloquentiæ Numen habebatur.

(3) Method. Conviv. Virg. p. 94. (4) Aug. contra Faust. lib. 30. c. 4. Ambros. de Virgin. lib. 2.
(5) Vide Ambros. lib. 2. de Virgin. (6) Postrema hæc verba legebantur etiam in Codice Græco Bedæ; alioque in Codice Angelico habentur. (7) Act. xx. 24. 32. Vide & xiii. 43. & xviii. 23.
(8) Strabo lib. 12. p. 571. (9) Καὶ ἐκινήθη ὅλον τὸ πλῆθος ἐπὶ τῇ διδαχῇ. Ὁ δὲ Παῦλος, καὶ Βαρνάβας διέτριβον ἐν Λύστροις. Ita Cant. Gr. Lat. Codd. Gr. teste Beda; Laud. 5. Quid. Lat. teste Erasmo.
(10) Beda, Cornel. Fromond. Menoch. alii. (11) Ita plures MSS. apud Mill. ad ℣. 8. Vide & Bedam.
(12) Homer. apud Grot. hic:

Καί κε Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας.

Ovid. Metamorph. 1. *Et Deus humana lustro sub imagine terras*. Vide & Themist. orat. 9. apud Priceum hic,

Horat. lib. 1. Od. 10. *Mercuri, facunde nepos Atlantis . . . . .*

Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuntium: curvæque lyræ parentem.

Barnabas omnem Paulo relinquebat verbi curam, & silens illi assistebat. Nunquam ferme sine Mercurio prodibat Jupiter, ut ex Amphitryone Plauti (31) discimus. Vir disertus, Mercurius mortalibus indutus exuviis, sive alter Mercurius appellabatur.

Ipse se Paulus 2. Cor. x. 10. profitetur statura corporis fuisse humili, & aspectu minus grato; sed ipsorum adversariorum confessione, epistolas scribere graves, fortes, vehementes: *Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt & fortes; præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis*. Minus quidem nitida excultaque oratione, quam Græci Oratores, perorabat: *Sermo contemptibilis*. Vana hæc ornamenta negligebat, ratus extenuari hisce vim & majestatem veritatum, de quibus disserebat 1. Cor. 2. 5. *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*. Verum, si quid deerat sermonibus ejus cultus & elegantiæ, nihil tamen desiderandum soliditatis, gravitatis, scientiæ relinquebant (32): *Nam & si imperitus sermone, sed non scientia*. S. Hieronymus (33), qui asperum aliquid in oratione Pauli & minus purum in Græco cultissimo eloquio deprehendit, fatetur tamen (34), nunquam animum lectioni illius se adhibuisse, quin simul obstrepere sibi, quot verba, totidem tonitrua viderentur. S. Chrysostomo de Sacerd. l. 4. c. 7. teste, epistolæ Pauli admirationem vel ex Judæis atque Ethnicis extorquebant. Scite S. Augustinus l. 4. c. 6. de doctr. Christ. observat de sacris Scriptoribus, & præsertim de Apostolo: *Audeo dicere, omnes qui recte intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse*. Ipsa pariter obscuritas & simplicitas divinarum Scripturarum majestatem & eloquentiam præ se fert. Igitur non immerito Lystrenses admirati miraculum claudi pedibus sanati, & audito Pauli eloquio, Mercurii personam illi attribuerunt.

℣. 12. SACERDOS JOVIS, QUI ERAT ANTE CIVITATEM; id est, prope Civitatem. Satis enim constat, sermonem hic esse de Templo prope urbem Lystram sito. Antistitem igitur Sacerdotem invitarunt, ut victimas utrique Apostolo mactaret; atque ille *tauros & coronas ante januas attulit*, geminos facile tauros, pro Numinibus geminis; coronas vero pro victimis, cum victimæ coronatæ (35) auratisque cornibus offerri solerent (36): *Victimæ ad supplicium saginantur; hostiæ ad pœnam coronantur*. Corollis etiam decorabantur Numina (37), ornabantur Templorum fores; nec raro etiam ipsi sacrificuli, non secus ac victimæ, coronas gestabant (38). *Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere coronam, victimis simul coronatis*. Itaque corollæ istæ allatæ fuere sive pro Jove & Mercurio quos rebantur, sive pro victimis, sive pro Sacerdote, sive pro foribus ædium, quas Paulus & Barnabas incolebant.

Narrat Ovidius Met. l. 1. Jovi, cum olim videndum se in Lycaonia præbuisset, populum certatim attulisse victimas; quam eorum sollicitudinem cum derideret Rex, ac periculum facere vellet, utrum te ipsa Deus Jupiter apparuisset, ad cœnam invitato dapes ex humania carnibus paratas præbuisse. Quod ejus facinus graviter ferens Numen, in lupum convertit Regem; id quod miser intelligens, in nemora se proripuit, ut hominum aspectum fugeret. Lycaones, inter quos urbs Lystra sita erat, rei hujus memoriam servabant, metuentesque nequid simile incurrerent, Deos quos rebantur sollicite venerati sunt.

℣. 13. SCISSIS TUNICIS EXILIERUNT. Vestes olim scindebantur in luctu (39), in subitis gravibusque casibus, & cum blasphemia audiretur (40). Uterque Apostolus tanta cæcitate ac dementia gentis illius, quam e superstitione Idolorum retrahere nitebantur, graviter dolentes, tunicas, vestes nempe inferiores, a summo ad medium usque pectus sciderunt. Quæ enim a Lystrensibus agebantur, ceu facinus sacrilegum, blasphemum, impium, atque absurdissimum Idololatriæ scelus execrabantur. Hujus igitur horroris indignationisque significationem dederunt.

℣. 14. VIRI, QUID FACITIS? ET NOS MORTALES SUMUS, SIMILES VOBIS HOMINES. Græcus (41): *Et nos similiter patibiles sumus, sicut vos, homines*; nihil tale meremur, nullum cultum, aut latriam, quæ omnia uni debentur Omnipotenti (42):

Nec dea sum, dixit, nec sacri thuris honore
Humanum dignare Caput; ne nescius erres.

AB HIS VANIS CONVERTI AD DEUM VIVUM. Avertat ab hac mente nos Deus, ne accipiamus honores, quos uni Cœli Terræque Creatori servari docemus. Deus unus pro jure suo vestrum sibi cultum vindicat; idque usurpare nec nos nec mortalium quisquam præter sacrilegium possumus.

℣. 15. DIMISIT OMNES GENTES INGREDI VIAS SUAS. Cave, ne hæc verba ex mero sono accipias. Constat, Sanctos quamplures floruisse inter gentiles, qui ante legem Moysis vixerunt, nec ex Abrahami stirpe sati erant. Designat igitur Apostolus, Deum gentium Idololatriæ addictarum cœtum deseruisse, nullo Propheta ad eas erudiendas misso, nullo Legislatore ad eas dirigendas. Quin nec illis subjecit igniculos illos veritatis, quos inter Judæos excitavit; neque per Scripturas ignotarum veritatum cognitionem concessit. Tam multa illis beneficia, quibus dilectum sibi populum prodigus fovit, parcus denegavit. Sed numnam idcirco excusationem prætexere possunt? Insculptam in corde a Deo naturalem legem gerunt, quam consulere & sequi potuere. Naturali etiam lumine Deus illis ac mortalibus omnibus affulsit; judiciumque indidit & conscientiam, qua bonum probent, malum fugiant, ac denique ipse se Deus in miris naturæ prodigiis ac suis item creaturis manifestum reddidit: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*. Rom. 1. 20. Suo singulos arbitrio permisit, nullamque in malum necessitatem induxit (43), bonum malumque, virtutem & vitium novere, ac libera voluntatis electione alterum alteri prætulerunt: atque hæc satis ad causationes omnes præcidendas (44). In eo igitur reprehenduntur, quod accepto a Deo natu-

(31) Vide Aristid. de Demosthene, & Themist. orat. 1. apud Grot. hic. (32) 2. Cor. xi. 6. (33) Hieronym. ad Hedibiam quæst. 11. & ad Algasiam quæst. 10. (34) Idem, in Catalogo Scriptorum Eccles. & Apolog. ad Pammach. (35) Ovid. Metamorph. lib. 15.

Victima labe carens, & præstantissima forma,
Sistitur ante aras, vittis præsignis & auro.

(36) Minutius in Octavio. (37) Plin. lib. xvi. c. 4. Baruc vi. 9. (38) Plin. lib. xvi. c. 4. Æneid. 11.

Hic Helenus cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divum, vittasque resolvit
Sacrati capitis.

(39) 2. Reg. 1. 11. & iii. 31. Genes. xxxvii. 30. Levit. x. 6. xxi. 10. (40) Matth. xxvi. 65. Vide & Jerem. xxxvi. 24. (41) Καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι. (42) Ovid. Metamorphos. 14. Sybilla ad Æneam. (43) August. quæst. in Josue lib. 6. quæst. 18. & alibi sæpius. Vide in cap. 1. Epist. ad Rom. (44) Vide Sanct. Est. Fromond. Bartholom. Petri.

naturali lumine abusi, debitum Creatori cultum creaturæ impenderint, naturæ leges violaverint, & conscientiæ clamores, alte damnantes malum, cui se sponte addixere, suppresserint (45).

℣. 16. Et quidam non sine testimonio, nunquam desilt testasi, se Numen esse beneficum. Nunquam se Deus ab Ethnicis occulsavit; quem proinde culpa sua illi minime agnoverunt. Bonis illos cumulavit. Cur igitur, quem exigit grati animi virtus, cultum non rependunt? Cur oblato naturali lumine cæcutiunt? Quis prætes ipsos fuerit in culpa, si errantium cogitationum suarum ductum sequuti perierunt (46)?

Implens cibo et lætitia corda nostra; idest, cibos affatim suppeditans & vinum, quo (47) cos hominis hilaratur (48). Pasatus est sempes ad escam corporibus, lumeo opemque mensi exhibendum (49): *Nunquam Deus aut alendis hominum corporibus, aut docendis juvandisque eorum mentibus defuit*. Ex his vero huic plus, alteri minus largitur; sed tantum singulis, quantum satis est, nequid causationis obtendant: *Sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*.

℣. 18. Supervenerunt quidam ab Antiochia Pisidiæ. Acta sunt hæc eadem die, ac forte eodem tempore, quo Paulus & Basnabas instituendis Lystrensibus, amovendisque a se Divinis honoribus occupabantur. Judæi isti, ex eorum numero, qui utrumque Apostolum easorsem e Pisidia & Iconio egerant, certiores facti venisse illos Lystram, ibique prædicationem exercere, eo statim ad illos inde pariter ejiciendos se contulerunt. Affirmarunt autem, nedum homines nequissimos, impios, blasphemos, qui Dei & Messiæ nomen sribuebant homini cruce ob crimina damnato; sed impostores esse, qui præstigiis & inani miraculorum ludibrio rudes fallerent. Hinc factum, ut tota Lystrensium veneratio & favor subito in furorem convertesetus, & concursus undique fieret ad jaciendos lapides, præsertim in Paulum, quem miraculis & eloquio potentiorem agnoverant.

Lapidantes Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. Lapidibus illum aggressi, stravere, populusque mortuum ratus, illum traxit extra urbem (50), insama cadaves projecturus. Huc spectat Apostolus iis verbis 2. Cor. xi. 25. *Semel lapidatus sum*.

℣. 19. Circumdantibus autem eum Discipulis, quos Lystris sibi comparaverat, tum ex Judæis cum ex Gentilibus ad fidem conversis. Horum ope erectus, deductus fuit in urbem. Probabile est, Lystrenses continuisse sese, ne utrumque Apostolum conficerent, metu Magistratuum, qui necem ulcisci potuissent. Facile credimus, Barnabam e medio susentis populi furiim se proripuisse, ut in tutum evaderet. Paulus ictu lapidum dejectus, & veluti exanimis derelictus, brevi recepit sese ope fratrum, & clam reductus est in urbem, civibus sollicitam ejus perquisitionem negligentibus, cum furoris impetus jam resedisset, & Magistratibus populares illos motus, ne quid sinistri parerent, metuentibus. Interpretes plerique (51) censent, Apostolum statim e vulneribus non sine prodigio convaluisse, ita ut mane alterius diei itineri se committere, & Apostolicos labores persequi potueris. Sed forte ictu lapidum aliquorum obtusus fuit, nullo tamen lethali vulnere sauciatus, ut nec surgere, cum sese recepit e deliquio, nec regredi in urbem prohiberetur. Rem ita narrat Lucas, ut nullam miraculi suspicionem ingerat.

Profectus Derben, urbem ejusdem Provinciæ Lycaoniæ, sed Iconio meridionaliorem, ubi uterque Apostolus eadem ferme sibi timere poterans mala, quæ Iconii & Lystris, vicinis urbibus, toleravere.

℣. 20. Reversi sunt Lystram et Iconium et Antiochiam. Periculorum terror impavidos illorum animos non tangebat. Paulus lapidibus obrutus fuit Lystris; Iconio se proripuerat, ut simile discrimen sibi & Barnabæ imminens evitaret Act. 14. 5. uterque Antiochia Pisidiæ a factiosis Judæis pulsi fuerant Act. 13. 50. nihilo tamen secius iterum se iisdem urbibus & veluti iisdem periculis ac morti restituunt. Sunt hæc animi vere Christiani & Apostolici, qui a ministerio suo obeundo vel ipso mortis periculo non retrahitur (52): *Nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium Verbi, quod accepi a Domino Jesu*.

℣. 21. Confirmantes animas Discipulorum. Non satis est, semen Evangelici Verbi sparsisse: sigandum est, excolendum, ab injuriis procellarum, hyemis, belluarumque defendendum. Conversi nuper ad fidem illarum urbium Fideles in medio Judæorum & Gentilium, qui ipsis infestandis lacessendisque nihil reliqui faciebans, prompta ope & solatio indigebant. Porro Apostolus nihil illis in præsenti vita suavitatis, pacis, voluptatis, ac prosperitatis spondet; sed illorum fidem confirmat, ac verbis factisque demonstsat, malorum tolerantia & perpessione ad Dei Regnum contendi oportere. Veritatem hanc utraque Scripturarum pagina inculcat, & Apostolus sollicite Discipulis sæpe explicat (53). Hanc viam ipse Jesus Christus calcavit Luc. 24. 26. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Barnabas in Epistola sua verba hæc tamquam ex Jesu Christo laudat: *Qui volunt me videre, & ad regnum meum pervenire, debent per afflictiones & tormenta possidere me*.

℣. 22. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, adhibitis precibus & jejunio, pro consueto ritu, quo Paulus & Barnabas initiati fueruns Act. 13. 3. Græcus (54) exprimit manuum impositionem, quam Vulgata phrasi illa, *cum constituissent Presbyteros*, comprehendit. Nomine Presbyterorum Interpretes uno assensu hic, ut ubique ferme in Actis, Episcopos designari agnoscunt. Vide quæ de hac voce in Caput xi. 30. disputavimus. Nec alia potiori de causa, quam ut Episcopos in singulis a se conditis Ecclesiis constituesent, rediisse videntur tanto cum vitæ discrimine Lystram, Antiochiam, Iconium. Cum enim alio se appellari arcana Spiritus Sancti voce sentirens, nec per se curæ tot novarum Ecclesiarum incumbere se posse intelligerent, præficienda illis Capita & Episcopos censuerunt, ut illas inter tot discrimina & adversarios ducerent ac tuerentur.

℣. 24. Loquentes verbum Dei in Perge. Venerunt Derbe Lystram; Lystris Iconium; Iconio Antiochiam Pisidiæ; Antiochia Pergen Pamphyliæ; Perge Attaliam, ejusdem Provinciæ portum. Ita tres Asiæ Minoris provincias, Pamphyliam, Lycaoniam, Pisidiam, peragravere. Perge urbs est Asiæ Minoris, omnium prima, in qua Evangelium Apostoli nunciaverint. Vide supra xiii. 13.

In Attaliam; et inde navigaverunt Antiochiam Syriæ, unde biennio ante digressi fuerant. Attalia urbs est maritima Pamphyliæ. Uterque Apostolus contulerunt se ad Ecclesiam Antiochiæ, ex qua ordinationem suam & destinationem acce-

(45) August. Epist. olim xlix. nunc cii. quæst 2. Prosper. lib. 2. de vocat. Gentium cap. 4. 5. &c. Rom. 1. 21. 22. 23. *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, &c.
(46) Vide Prosper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 4. 5. Est. Fromond. hic. (47) Grot. Sanct. Fromond.
(48) Eccli. xxxi. 11. 35. 36. Psal. ciii. 1. (49) Prosper. de vocat. Gent. lib. 2. (50) Λιθάσαντες, *Cum lapidassent, traxerunt extra civitatem*. Gloss. Lyran. Carthus. Vatab. Sanct. alii. (51) Lyran. Fromond. Cornel. Menoch. Sanct. alii. (52) Act. xx. 24. (53) Rom. viii. 17. 2. Timoth. ii. 11. 12. iii. 12. &c. (54) Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ Ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν.

ceperant, ut ibi Apostolicorum laborum rationem redderent.

Traditi gratiæ Dei. Commissi fuerant gratiæ & auxilio Omnipotentis, eum ad nunciandum gentibus Evangelium missi fuerunt.

℣. 26. Quanta fecisset Deus cum illis; quam multa prodigia & conversiones per ipsos Deus præstitisset; quanto patrocinio illis favisset, quam miro auxilio illos juvisset, periculis undique instantibus. Totam prædicationis suæ gloriam in Deum retulerunt 1. Cor. 3. 7. *nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Et 1. Cor. 15. 10. *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Ad verbum, *Quanta fecisset Deus cum illis*, vel *in illis*, explicari etiam potest: Deus illos gloria auxit; ope & patrocinio suo rexit. Persimiles phrases sæpius in Veteri Testamento recurrunt; ut Deut. x. 21. *Deus fecit tibi hæc magnalia, quæ viderunt oculi tui*. Et Psalm. 125. 2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione: tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis*. Et Maria Luc. 1. 72. *Fecit mihi Dominus magna*, &c. mira Deus in me exhibuit. Ita locum hunc Grotius & Ludovicus de Dieu explicant. Eamdem locutionem habes infra xv. 4.

Et quia aperuisset Gentibus ostium fidei; nempe, prædicari illis Evangelium permisisset, dedisset scientiam & fidem; aperuisset mentem & animos, ut veritates salutis amplecterentur & amarent. Similem ferme locutionem habes 1. Corinr. xvi. 9. & 2. Cor. 11. 12. & Coloss. iv. 3. ubi Apostolus docet, Deum reclusisse ostium ad prædicationem Gentium; id est, missionem sibi in hanc rem commissam fuisse a Deo, qui removit ea quæ impedire poterant, ne Evangelium in Gentilibus germinaret. Concessit illis cor docile (55) vel cereum, & amovit cor lapideum (56). Exhibuit se iis, cum de illo non cogitarent (57), prævertitque misericordia, quo potissimum tempore ab illo abalienabantur.

℣. 27. Tempus non modicum. Quamdiu Antiochiæ substiterint, quidve egerint, ignoratur; cum Lucas ea omnia omiserit, quæ ab anno 46. Jesu Christi usque ad annum 51. quo Concilium Jerosolymitanum celebratum fuit, id est per integrum quinquennium, acciderunt. Hoc facile temporis intervallo Paulus Evangelium circumtulit in vicinas Antiochiæ Provincias, & usque ad Illyricum; quæ loca se peragrasse, ipse Apostolus testatur Rom. 15. 19. Constat utique, Lucam plura siluisse eorum, quæ ad res gestas & itinera Pauli pertinebant. Idem Apostolus ad Corinthios scribens gloriatur 2. Cor. xi. 23. plura se, quam mortalium quemlibet, exantlasse mala, vulnera subiisse, carceres sæpius tolerasse. Non raro se mortis discrimini expositum sensit in omnibus, in mari, apud grassatores viarum, apud Judæos, vel falsos fratres. Addit, quinquies se a Judæis undequadraginta flagrorum ictibus, bis a Romanis virgis cæsum fuisse; naufragium ter fecisse, atque noctem cum die continuasse in maris imo, seu in alto mari sine navi, facile tabulæ, vel ligneo fragmini incumbentem. Hæc autem omnia ante tulerat, quam scriberet secundam Epistolam ad Corinthios, id est, ante annum Jesu Christi 58.

[55] 2. Macc. 1. 4. *Adaperiat cor vestrum in lege sua*. 3. Reg. iii. 12. *Da servo tuo cor docile*.
[56] Ezech. xi. 19. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*.
[57] Isai. lxv. 1. 2. Rom. x. 20.

CAPUT XV.

Judæi ad fidem conversi, legalibus ritibus subdere Fideles ex Gentilibus student. Ea de re Apostolos consulturi Paulus & Barnabas, Jerosolymam veniunt.
Concilium Jerosolymitanum sententiam pro Gentilibus fert.
Paulus loca, in quibus prædicaverat, invisere optat.
Secedit a Barnaba, occasione Joannis Marci.

℣. 1. ET quidam descendentes de Judæa, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. 2. Facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos, & presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. 3. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conversionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. 4. Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & Apostolis, & senioribus, annuntiantes, quanta Deus fecisset cum illis. 5. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. 6. Conveneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc. 7. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere. 8. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, 9. Et nihil discrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. 10. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? 11. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. 12. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum, narrantes, quanta Deus fecisset signa, & prodigia

in

in Gentibus per eos. 13. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me. 14. Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo. 15. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: 16. Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: 17. Ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. 18. Notum a sæculo est Domino opus suum. 19. Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, 20. Sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. 21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbathum legitur. 22. Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus. 23. Scribentes per manus eorum: APOSTOLI, & seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, ex Gentibus salutem. 24. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: 25. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo, 26. Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. 27. Misimus ergo Judam, & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. 28. Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria: 29. Ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete. 30. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt Epistolam. 31. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione. 32. Judas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmaverunt. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos. 34. Visum est autem Silæ ibi remanere: Judas autem solus abiit Jerusalem. 35. Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36. Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. 37. Barnabas autem volebat secum assumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus. 38. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi. 39. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, & Barnabas quidem assumpto Marco, navigaret Cyprum: 40. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. 41. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum.

℣. 1. NISI CIRCUMCIDAMINI, NON POTESTIS SALVARI. Crescente novis in dies accessionibus Christianorum ex gentibus numero, Judæi ad fidem conversi ferre iniquius cœperunt non conversionem eorum ad fidem, sed quod illi circumcisionem non admitterent, nec subdi se ritibus Legis arbitrarentur. Mentem hac de re suam perspicue non explicaverat Christus, ac diu suspensi hæserant Apostoli, utrum Ethnicos incircumcisos, quamquam moribus probos, & Deum metuentes, ad Baptismum admitterent.

Apud ætatis illius Judæos duplex hac de re sententia obtinebat; negantibus aliis, spem ullam superesse salutis iis, qui nec circumcisioni se, nec ritibus legalibus subderent; cum alii defenderent, Dei fidem, & Legis naturalis obsequium ad beatitudinem consequendam sufficere. Narrat Josephus Antiqu. l. 20. Ananiam quemdam mercatorem, translato ipsius opera ad sacra Judaica Izate Adiabenorum Rege, pronunciasse, opus non esse, ut is circumcisione initiaretur, si Moysis leges servare vellet. Sed Judæus alter, nomine Eleazarus, aliquando occurrens Regi Mosaicos Libros legenti, libere illum admonuit, non satis ipsi fore, Leges evolvere, nisi easdem servaret, nec circumcisionem ab ipso negligi oportere; cui Rex actutum paruit. Idem ferme, quod Judæos, sententiarum dissidium Christianos inter se committebat. Sed benigniorem sententiam vicisse, infra patebit; cui Deus non semel miraculorum præjudicio faverat.

S. Epiphanius hær. 28. Philastrius hær. c. 36. aliique post ipsos affirmant, hujus seditionis vel dissidii authores fuisse sectatores Cerinthi, cujus deinde nomen hæresi excitata innotuit. Nam ante ejus adventum Jerosolyma Antiochiam Fideles dilatati Evangelii nuntium lætis auribus exceperant, atque hilari oculo gentes ad Ecclesiam collectas aspexerant. At Cerinthi sectatores supervenientes, turbis & dissidiis omnia confuderunt; iidemque contendebant Jerosolymis, cogendos esse Gentiles ad fidem conversos, circumcisionem & ritus legales admittere. Hanc hominum pervicaciam execrantes Apostoli, Cerinthum denique cum suis ab Ecclesia ejecerunt.

℣. 2. FACTA ERGO SEDITIONE NON MINIMA PAULO ET BARNABÆ ADVERSUS ILLOS; Paulo & Barnaba fortiter illis resistentibus. Græcus ad verbum

bum (1): *Facta ergo seditione & disceptatione non exigua Paulo & Barnabæ adversus illos*. In turbulentos illos Paulus & Barnabas insurgentes, declararunt, favere se Gentilibus ad fidem conversis, planeque adversari opinioni istorum, qui nuper venerant, quique jugum insuetum Gentilibus imponere nitebantur. Vetus Codex Cantabrigiensis paulo diffusior est quam Vulgata; habet enim: *Dixit enim Paulus, manere illas ita uti crediderunt*, nempe absque circumcisione, *affirmans: qui autem venerant a Jerusalem, hortati sunt ipsos Paulum & Barnabam, & quosdam alios, ut ascenderent ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem, ut disceptarent penes ipsos de quæstione hac*. Paulus Galat. 2. 2. 4. quædam addit, quæ hic non leguntur; idest, divina revelatione se didicisse, iter istud suscipiendum sibi, comitesque addidisse sibi Barnabam & Titum; id vero accidisse post annos quatuordecim a primo itinere, quod statim post conversionem obivit. Adeo vero bonam causam defendere se confidebat, ut neque comitem suum Titum circumcisione initiari voluerit.

Ad Apostolos et Presbyteros, idest, Seniores sive Sacerdotes. Vide supra xi. 30. Quæstio hic suboritur, utrum Apostoli omnes Concilio huic omnium in Ecclesia primo interfuerint. Omnes ad unum adfuisse, quidam censent (2), alii (3) nullum, præter Petrum, Jacobum, Joannem, Paulum & Barnabam. Horum tantummodo nomina hic recitantur, nec aliorum Paulus in Epistola ad Galatas 2. 9. meminit. Alios non defuisse, certum ponit S. Chrysostomus in Acta hom. 33. Acciti sunt & Presbyteri vel Seniores, & plures ex fratribus Ecclesiæ Jerosolymitanæ, quibus nullum jus erat suffragii in Concilio, sed veluti testes & approbatores aderant.

℣. 3. Illi ergo deducti ab Ecclesia; deducti scilicet ab Antiochenis Fidelibus, in honoris & amicitiæ significationem (4). Sed Jerosolymam uni ex omnibus tres venerunt Paulus, Barnabas, Titus, Phœniciam secus maris litus secantes, contenderunt Samariam; inde Jerosolymam, obviis ubique Gentilibus & Samaritanis ad fidem conversis, quibus res gestas & causam profectionis Jerosolymam narrabant. Nec incuriose audiebantur, cum de re sua agi quisque intelligeret, utrum nempe levandi, an jugo Legis opprimendi essent. De libertate omnium Ecclesiarum res erat.

℣. 4. Quanta Deus fecisset cum illis; vel quanta benignitate, quanto favore illos prosequutus fuisset; quantum illis gloriæ comparasset. Vide Caput xiv. 27.

℣. 5. Quidam de hæresi Pharisæorum, & e Cerinthi sectatoribus (5), contendentibus, legales ritus & circumcisionem præceptis Christianæ Legis sociari oportere. Versiculus hic cum superiore continuari potest in hanc sententiam: *Annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis*, per illos. [℣. 3.] *Sed*, addebant, *quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, surrexerunt* Antiochiæ, *dicentes: Quia oportet circumcidi eos*, nempe Gentiles. Suspicantur alii, narrari hic ℣. 5. quæ gesta sunt Jerosolymis per Cerinthum ejusque Discipulos, qui eamdem sententiam tuebantur ac cæteri, quos miserat Antiochiam, quique ibi responsum Apostolorum opperiebantur.

℣. 7. Cum magna conquisitio fieret. Matura expensis utriusque sententiæ momentis, & quid parere posset incommodi, sive libertas a legalium jugo, sive necessitas circumcisionis, quæ secum ferret legalium omnium observationem (6): auditis pariter iis quæ late exposuerant atque deduxerant Paulus & Barnabas, uti & Cerinthus cum sociis: Petrus mentem suam aperuit, cujus in sententiam cæteri Patres concesserunt. Præsentia S. Spiritus, & fides a Jesu Christo obstricta, futurum ut Ecclesiam suam nunquam ipse deserat, non prohibent, quin diligenter omnia expendenda sint, ne forte error subrepat. Cavendum est enim maxime, ne Deus tentetur. Nemo ambigit, quin Apostoli & Patrum illorum plerique Spiritu Sancto afflati fuerint: serio tamen illi curant omnia; eam studio ac diligentia maturant, quamquam Deus miraculorum præjudicio sententiam, quam Paulus defendebat, præferre se non obscure declaraverat. Eamdem regulam Ecclesia in Conciliis nunquam non servavit. Ad ferendam sententiam de dogmate, quantumvis certo & inconcusso, nunquam nisi post studium & examen devenit. Id obsequii veritas, id rerum Religionis gravitas exigit, & veluti extorquet.

Surgens Petrus, tamquam universi cœtus Princeps, sententiam dicit vel ante Jacobum præsentem, & Ecclesiæ Jerosolymitanæ Antistitem. Palam autem declaravit, *quoniam ab antiquis diebus Deus ipsum elegit, ut per os suum audirent gentes verbum Evangelii, & crederent*. Quæ ejus verba spectant potissimum ad conversionem & baptismum Cornelii, *ab antiquis diebus*, id est ante annos sex decem (7), opera sua gestum. Voluntatem tunc illi suam Deus aperuerat, primo quidem oblato per visum linteo, cujusvis generis animalibus puris impurisque referto; e quibus gustare Deus illum jussit; II. admonito divina revelatione Cornelio, ut mitteret, qui Joppe Apostolum accerserent. III. illapsu S. Spiritus in Cornelium ejusque domesticos vel nondum baptismate tinctos.

℣. 8. Qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum. Deus qui non exteriorem speciem, ut falli possit, sed intima cordis intuetur, testimonio suo favit Gentilibus, nostrumque judicium prævertens, S. Spiritum illis impertivit, circumcisione non initiatis, neque coactis colla legalibus subdere. Cum Deus eximendos hoc jugo censuerit, quis prohibet, quominus declaremus, necessaria illa non esse ad gratiam & salutem consequendam?

℣. 9. Nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum; illis enim perinde ac nobis S. Spiritum largitus fuit; illorum animos per fidem, non per Legalium cæremoniarum exercitium, purgans. Defectum Legis fide & charitate in illis supplevit. Quibus fides id promeruit, quod Lex conferre minime potuisset, idest justitiam & gratiam Sancti Spiritus: quæ duo beneficia Deus nec Judæis, ne ipsis quidem Apostolis, nisi post baptismum, concessit. Cum fidei meminit, charitatem non excludit, sine qua fides mortua est, nec bona moralia opera, quæ nisi adfuerint, fides nihil valet; sed de fide dumtaxat loquitur, quippe quæ primum justitiæ nostræ fundamentum est. Fides prima gratia est, per quam cæteras assequimur (8). Sanctius nomine fidei designari hic censet *Evangelium*, ut oppositum legalibus cæremoniis. Gentiles per fidem justi efficiuntur; per Christianæ Religionis professionem, per Christianarum virtutum exercitationem.

℣. 10. Quid tentatis Deum? Quid nova documenta potentiæ & voluntatis ejus exquiritis? ac si, quæ hactenus exhibuit, levia essent ad fidem extorquendam (9). Cur adhuc ambigitis, queat ne Deus homines per fidem ad salutem adducere? Israelitæ in deserto Deum tentabant, nova subinde & nova prodigia postulantes; quorum ferme auda-

(1) Γενομένης οὖν στάσεως, καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ, καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτούς. (2) Clem. Constit. lib. 6. c. 12. Lorin. subdubitat, Fromond. (3) Baron. ad an. 51. Vide Cornel. hic. (4) Fromond. Grot. Men. alii plerique. (5) Epiphan. hæresi 28. (6) Galat. v. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*. (7) Baptismus Cornelii ponitur anno J. C. 35. & Concilium Jerosolymitanum anno 51. (8) August. de prædestin. cap. 7. D. Thom. 2. 2. qu. 7. art. 2. Fromond. (9) Grot. Fromond. Cornel. Men.

audaciam æmulabantur ii, qui post exploratam sæpe adeo Dei erga Gentes voluntatem, adhuc tamen illas ad circumcisionem adigere conabantur.

IMPONERE JUGUM SUPER CERVICES DISCIPULORUM, QUOD NEQUE PATRES NOSTRI NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS? Circumcisionem & Legalia jugum intolerabile appellat hic Apostolus: non autem intolerabiles pariter dicit Leges morales & naturales, in Libris Mosaicis descriptas. Neque enim solis Judæis, sed omnibus æque hominibus positæ sunt; atque iis obsequi quisque, gratia Divina auxiliante, potest. Neque ad merum literarum sonum accipiendum est illud: *Quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus*; tulerunt enim illi grave jugum, sed non sine difficultate (10), ut vix fieri potuerit, quin aliquando laberentur, inviti licet, & caute se ondique observantes; vitio nimirum aliquo sive omissionis sive commissionis in Legem admisso, in iis præsertim, quæ ad sordes & lustrationes legales pertinebant. Recensent Judæi præcepta, quæ affirmativa nuncupant, duodeviginti & ducenta; negativa, quinque & sexaginta supra trecenta; quæ simul omnia ad quingenta octoginta tria perveniunt. Hanc summam alii ad tredecim supra sexcenta prorogant. Quomodo tam multa & tam minuta ad unum omnia impleantur?

℣. 11. PER GRATIAM DOMINI JESU CHRISTI CREDIMUS SALVARI, QUEMADMODUM ET ILLI; quemadmodum & Gentiles ad fidem conversi. Gratia sæpe pro Evangelio usurpatur. Per fidem Jesu Christi & præceptorum Evangelicorum obsequium salus nobis perinde ac Gentibus speranda est. Cæremoniarum accessio nec illis nec nobis ad salutem profutura erit; neque enim nisi in Evangelio & in gratia Jesu Christi fiducia omnis nostra collocanda est. Plenam cæremoniarum Judaicarum abolitionem insinuat. Verba illa, *quemadmodum & illi*, ad præteritos Judæorum majores S. Augustinus (11) referenda censet. Per unam Jesu Christi gratiam salutis spes nos & majores nostros manet. Vel potius: Quemadmodum patres nostri per solam Jesu Christi gratiam salutem adepti sunt, ita & ad Gentiles nulla nisi per hanc viam salutis spes venit.

℣. 13. POSTQUAM TACUERUNT, RESPONDIT JACOBUS, Jerosolymorum Episcopus. Pro ordine dignitatis suæ secundus a Petro loquitur, utpote quia Concilium in ejus Ecclesia agebatur (12). Censent quidam (13), post dictam a Petro omnium primo, utpote Apostolorum Principe, sententiam, quam potissimum deduxit ex prodigiis, quibus Deus causæ Gentilium favere visus est, & quorum testis ipse & veluti instrumentum fuerat; Jacobum, qui ordine succedebat, utpote Jerosolymorum Episcopus, opinionem suam alio planæ documento fulsisse, nempe oraculorum, quæ non obscure Gentium ad fidem vocationem prænunciaverant.

S. Chrysostomus in Acta hom. 33. admiratur sapientiam, lenitatem, præstantiam orationis, qua Jacobus tunc peroravit. Expendit, eos, quorum est summa authoritas, oportere aliis remittere dicenda quæ asperiora sunt, & minus amice excipiuntur, sibique gratiora, quæque animos magis alliciunt, eligere. Concilii sententia ex iis præsertim, quæ Jacobus disputavit, collecta est.

℣. 14. DEUS VISITAVIT SUMERE EX GENTIBUS POPULUM NOMINI SUO; Deus benigno oculo respicere cœpit (14) Gentes, ut ex illis populum nomini suo consecratum deligeret. Mentem ipse suam prodidit Dominus, leni oculo respiciens Gentiles, charitatis erga illos suæ documenta exhibens manifesta, quippe quos ad fidem per effusionem interioris gratiæ & Spiritus Sancti appellavit. Quod unum argumentum satis est ad causam illis adjudicandam. Sed & alterum æque validum in promptu est; oracula nempe Prophetarum, quæ & ipsa pariter Gentilibus favent: [℣. 15.] *Huic concordant verba Prophetarum.*

℣. 16. POST HÆC REVERTAR, ET REÆDIFICABO TABERNACULUM DAVID .... [℣. 17.] UT REQUIRANT CÆTERI HOMINUM DOMINUM, ET OMNES GENTES, SUPER QUAS INVOCATUM EST NOMEN MEUM. Excerpta sunt hæc ex Amos 9. 11. Porro Amos ad literam agit de prosperitate Regni Juda, rerum potiente sive Ezechia sive Josia, sive de reditu e captivitate, & Asmonæorum dominatione (15). Constat tamen, eo sensu oraculum nunquam plenam verborum fidem obtinuisse. Accipiendum est igitur eo sensu, quo hic sumitur a Jacobo, ut explicetur de conversione Gentium, *quæ requirunt Dominum, & super quas invocatum est nomen Domini*; quæ scilicet ad illum pertinent, & nomine populi Domini censentur: is enim sensus est illorum verborum: *Super quas invocatum est nomen meum* (16).

Hanc Prophetæ sententiam e Septuaginta expressam laudat hic Apostolus. Ita vero in Hebræo sonat: *Die illa excitabo tabernaculum Davidis collapsum ... ut possideat reliquias Edom* (17), *& omnes gentes, quæ de nomine meo vocatæ sunt*, Davidis posteri, sive *vocatæ sunt*, nimirum gentes; referri enim sive ad Gentiles sive ad posteros Davidis potest. Sed ut ut accipiatur, semper verum est, nunquam exteras gentes Davidis imperio vere paruisse, & sub populi Domini nomine agnitas, nisi sub Evangelio Jesu Christi, fuisse.

℣. 18. NOTUM A SÆCULO EST DOMINO OPUS SUUM. Gentium conversio, vocatio, fides, reditus ad Deum, opus est gratiæ supra naturam agentis. Ipse est Deus, qui errantem hominem revocat, mentem ejus illuminat, cor emollit, & valido suavique pellectu reducit ab errore, trahit ad veritatem. Neque opus hoc Dei mutatum ab illo consilium, sive ejus inconstantiam arguit. Si hactenus Gentes permisit, ut per vias suas errarent, nec verba illis faciens, nec ad se appellans; hodie tamen eas invitat, allicit ad veritatem, id exequitur quod ab ipsa æternitate decreverat: *Notum a sæculo est Domino opus suum*; semper voluit quod hodie tandem executioni mandat. Frustra igitur hisce ejus consiliis vos adversamini (18): potentissimus ille est & sapientissimus.

℣. 19. JUDICO NON INQUIETARI (19) EOS, QUI EX GENTIBUS CONVERTUNTUR AD DEUM, nec eos qui jam fidem agnoverunt, illis ad circumcisionem coactis. Cui bono impedimenta ista prædicationi Evangelii & felici laborum nostrorum fructui ponantur? nonne id esset Dei voluntati resistere?

℣. 20. UT ABSTINEANT SE A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM; idest, a carnibus quæ mactantur Idolis, ut explicatur infra ℣. 29. Ideo autem *contaminationes* appellat, quod impuris & execrandis Numinibus consecratæ fuerint, & quod animam contaminent eorum, qui iis vescuntur, conscientia per imbecillitatem reluctante; vel qui credunt, Idolum esse aliquid: vel denique qui aspicientibus malo exemplo sunt & offendiculo. Cæterum si quis occulte illis utatur absque scandalo, illi citra culpam uti iis licet, cum Idolum nihil sit, neque mundi sive immundi quidquam ea contrahant, quæ illi immolantur (20). Sed Apostoli e re esse censuerunt, id tunc absolute vetare, ut omne Ido-

(10) Grot. Fromond. Cornel. alii. (11) August. lib. 1. c. 21. ad Bonifacium. Vide & lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. c. 21. & Cornel. hic, & Pisc. (12) Chrysost. homil. 33. in Acta. (13) Chrysost. hic, & Sanct. ad ℣. 15. (14) Ἐπεσκέψατο λαβεῖν, *Inspexit ut acciperet*, vel *ut sumeret*. S. Iren. *Excogitavit*. Alii, Ἐξηγήσατο. Alii, Ἐξελέξατο, *Elegit*. (15) Vide nos in Amos. (16) Confer Gen. l. XLVIII. 16. Deut. XXVIII. 10. 2. Reg. VI. 2. Isai. LV. 1. &c. (17) יירשו את שארית אדום Septuaginta legebant אדם *Adam*, pro אדום *Edom*. Οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων. (18) Ham. Cornel. Menoch. Est. alii. (19) Μὴ παρενοχλεῖν, *Non vexari, non obturbari, non molestia affici oportere*, &c.
(20) Vide 1. Cor. VIII. 8. & 2. 25.

Idololatriæ discrimen tolleretur. Ethnicorum sacrificiis sua plerumque erant convivia, e dapibus immolatarum victimarum parata. Porro conviviis hisce adesse, & his carnibus vesci, aperta erat superstitionis professio, & sacrificii profani communio (20). Dapum igitur immolatarum usus non per se, sed ob suas, ut ita dicam, appendices prohibetur (21): neque enim hæc abstinentiæ aliud erat, nisi merus ritus illis persimilis, e quibus Gentiles hoc Concilii decreto eximebantur.

Et fornicatione. Ex Judæis Ethnicisque plures simplicem fornicationem naturali lege vetari negabant (22), asserebant alii. Ad dissidia ista tollenda, ne mentes hærerent in ambiguo, e re esse censuerunt Apostoli, decretum hoc edere, cautione Legis Mosaicæ hac in re probata confirmataque (23). Ad hoc, quæ apud Ethnicos vulgo exercebantur libidines, impedimento erant maximo, ne in unam hi societatem cum Judæis jungerentur. Judæi namque illos execrabantur, nec impetrare a se poterant, ut admitterent in societatem Gentes, quæ interdici sibi probra ista minime ducebant, nec interdicta norant nisi ex sanctione Legum Mosaicarum, e quibus tunc eximebantur. Nisi hanc exceptionem adjecissent Apostoli, non defuissent ex Gentilibus, qui rem hanc in medio positam esse arbitrarentur, non defuissent pariter ex Judæis, qui, Mosaica Lege abrogata, religioni sibi non ducerent, si ejus hac in re sanctionem violarent. Sapienti ergo consilio vetandam esse penitus fornicationem Jacobus censuit.

Interpretum quidam, non satis intelligentes, qua de causa cautio illa inter cæteras sanctiones, quæ ad disciplinam pertinent, hic addita fuerit, *fornicationem* varie exposuerunt; alii (24) nempe de idololatria, quæ sæpe in Scripturis fornicatio appellatur; alii de connubiis in gradibus a Lege prohibitis (25); alii (26) de oblationibus Deo factis ex mercede prostitutionis; cujusmodi oblationes lege Deuteronomii vetantur (27). Calvinus accipit de concubinatu, qui nefarius apud Ethnicos non habebatur. Sed frustra solutiones istæ emendicantur.

Ex suffocato et sanguine. Sanguinis crudi coctive, ac dapum cruore non exhaustarum usus Mosaicæ Legis interdicto prohibebatur (28). Tantus erat Judæorum horror in sanguinem, ut quæ illo vescerentur gentes, perinde ac pollutas legisque naturalis violatrices execrarentur. Profecto ab exordio Deus, ne quid sanguinis gustaret, Noemo interdixerat Gen. 9. 4. idque pariter in Lege verbis adeo assertis iterum vetuit Levit. 7. 26. ut gravius aliquid, quam merum legalem ritum, decernere videretur. Id ergo moris ab Ecclesia retineri consuluit Jacobus, ut vel ad Gentiles conversos extenderetur; atque ita pro viribus ratio facilis iniretur ad pacem inter Fideles Judæos Ethnicosque componendam (29); atque Ethnici ad Leges, quæ naturales & primitivæ videbantur, revocarentur (30). Perinde enim lex ista habebatur, ac appendix juris naturæ, que homines a cædibus & vi per injuriam inferenda retrahuntur; cum potissime cautionis hujus ratio ea fuerit, ut horror in sanguinem & homicidium mortalibus inderetur.

Cæterum sanctio ista per plura sæcula ceu lex ad disciplinam servandam utilis obtinuit; tenebatur enim ut pacis præsidium, & offensionibus Judæorum tollendis cauta provisio; ejusque abstinentiæ tenaces ad sanguinem usque Martyrum quidam se præbuerunt (31): *Inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admoventes; certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis.* Apologistæ etiam nostrates objecta in Christianos crimina de voratis cæsorum puerorum carnibus depulsuri, ne sanguine quidem animalium eos vesci demonstrant (32). In Constitutionibus Apostolicis pellendus a Sacerdotio vel Episcopatu decernitur, siquis Episcopus vel Sacerdos carnem cum sanguine, idest animal suffocatum, gustaverit; si laicus id perpetraverit, addunt, anathematis reus esto. Vetant id pariter Concilia Gangrense c. 2. Trullanum c. 68. Vormatiense sub Ludovico Pio c. 65. Zacharias Pontifex in Epistola ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, Adam Bremensis c. 20. & Pœnitentialia plura; ejusdemque moris exempla ad decimum & undecimum usque sæculum alicubi apparent; sed in Africa jam inde a S. Augustini ætate fere desierat (33). Apud Græcos hodie pariter nihil sanguinis e carne secreti paratique degustatur (34).

Vulgata & Græcus impressus (35) ceu duo inter se diversa, abstinentiam a *sanguine* & a suffocato, diserte exprimunt. Quam lectionem & discrimen Græci omnes Codices, excepto Cantabrigiensi, Græcique Patres fere omnes exhibent. Verum S. Irenæus l. 3. c. 12. Tertullianus (36), S. Cyprianus ad Quirin. l. 3. S. Augustinus (37), S. Pacianus (38), S. Hieronymus in c. v. Galat. Ambrosiaster in Galat. 2. præceptum tantummodo abstinendi a sanguine legunt; & illud *a suffocato* ceu glossema additum, ad explicandum illud *a sanguine*, S. Augustinus l. 32. c. 13. contra Faustum, & S. Gaudentius Serm. 15. agnoscunt. At Græcorum Latinorumque Codicum consensus magnæ est authoritatis, cumque hodie fere omnes legant, *a suffocato & sanguine*, nulla nobis occurrit ratio satis probabilis, cur lectionem istam rejiciamus.

Post verba illa, *A sanguine*, Græci plures Codices cum Latinis Patribus nonnullis (39) legunt: *Quæ vobismetipsis fieri non vultis, cæteris ne faciatis.* Verum satis intelligimus, semidocti alicujus additamentum esse, qui deesse glossema istud censuerit monito Jacobi, ut in plenam concordiam Judæos Ethnicosque componeret. *Sanguine* exprimere Apostolos voluisse putat S. Chrysostomus hom. 33. in Acta interdictum homicidii, quod pariter Tertullianus in Libro de Castitate probat. Nec rara erat nec nova hæc expositio apud Græcos (40); & S. Cyprianus testim. l. 3. & l. ad Quirin. legit hic: *A sanguinis effusione.* Sed quæ necessitas prohibendi in Concilio Jerosolymitano rem omnibus

---

[20] Tertull. de Idolola. *Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps Idololatriæ.* Vide Grot. hic. [21] Vide Origen. lib. 8. contra Celsum. [22] Vide nos in Genes. xxxviii. 16. & in Exod. xx. 14. Grotium in Act. xv. 20. & Matth. v. & Sanct. in ℣. 19. hujus Capitis. [23] Deut. xxiii. 17. 18. Vide & Exod. xxii. [24] Beza. [25] Ligfoot. Chron. pag. 99. Hamm. [26] Heinsius. [27] Deut. xxiii. 27. 15. [28] Genes. ix. 4. 5. Levit. iii. 17. vii. 26. 27. Deut. xii. 16. 23. xv. ultimo. [29] August. contra Faust. lib. 2. cap. 13. Fromond. Grot. alii. [30] Tertull. de monogamia: *In Christo omnia revocantur ad initium . . . & libertas ciborum, & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit.* Ita & lib. de jejunio. [31] Tertull. Apologet. [32] Euseb. Hist. Eccl. lib. 5. c. 1. Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν. Octav. apud Minut. *Tantum ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* [33] August. lib. 2. contra Faust. cap. 13. *Ubi Ecclesia Gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat? . . . & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris irridentur.* [34] Zonar. ad Gang. Canon. Αἷμα ἐξεστίαδες εἰσὶ ἐκεῖνοι, ἢ πνικτὸν. Ita & Balsamon. Vide Boch. de anim. sacr. part. 1. lib. 2. cap. 2. [35] Καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος. [36] Tertull. de monogam. cap. 5. & de pudicit. cap. 12. [37] August. contra Faust. lib. 32. cap. 13. & Epist. 82. nov. edit. [38] Pacian. apud Baron. an. 52. [39] Ita Cant. Gr. Lat. Stephan. 2. PP. & alii quidam; Æthiop. Iren. Cyprian. Raban. [40] Ambrosiaster in Galat. 52.

bus legibus, naturali & civili Romanorum jure vetitam, homicidium.

℣. 21. Moyses enim habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbathum legitur. Ne Judæi studio Legis addicti querantur, deleri Moysem, ejusque Legem aboleri, contra mentem Jesu Christi, qui palam professus est, non ad abrogandam Legem se, sed ad perficiendam venisse Matt. 5. 17. Moyses & Lex nunquam cessavere, nedum in synagogis Judæorum, ubi sacra ejus volumina singulis sabbathis leguntur, sed & in Ecclesiis Christianorum, ubi & leguntur & observantur, ceu Leges moribus componendis eximiæ, & historiam continentes ad erudiendum utilissimam, crebram typis & argumentis pro Messia; quæ omnia vitæ Patriarcharum, lata ab ipsis oracula, factæ illis promissiones, & leges de sacrificiis & diebus festis exhibent. Itaque libertas, quam Gentibus permittimus, Moysi nihil officit (41).

Sunt qui ita explicent (42): Hæc definitio scriptis mandanda est, & in omnibus Fidelium cœtibus legenda; ita ferme uti Moyses singulis diebus sabbathi in synagogis Judæorum legitur. Alii paraphrastice sic reddunt (43): Moysem suum celebrent Judæi, magno obsequio audiant in synagogis, ubi singulis Sabbathis legitur: nobis aliter agendum est, quibus ea tantum servanda sunt, quæ Jesus Christus docuit. S. Chrysostomus hic: nulla cogit necessitas, ut leges istæ Judæis conversis per nos innotescant; quippe quas satis norunt ex lectione Librorum Moysis, quæ singulis Sabbathis in Synagogis recurrit. Unis tantummodo Neophytis Gentilibus promulgandæ sunt.

Sed prior explicatio planior videtur. Unum est tantummodo, quod in illa negotium facessit, nempe Ecclesiam Christianam designari nomine synagogæ, atque innui, in Templum coire consuevisse Fideles singulis Sabbathis ad audiendam Legis lectionem. Sed Grotius demonstravit, diu perseverasse in Oriente consuetudinem, sacros cœtus die sabbathi perinde ac Dominica habendi, ibique legendi Scripturas Veteris Testamenti; quemadmodum hodieque Sabbathis Paschatis & Pentecostes apud nos servatur. Concilium Laodicenum (44) jubet, lectionem Evangelii lectioni librorum Veteris Testamenti diebus illis adjungi; cum ad illud usque tempus, ait Grotius, nulla Evangeliorum Librorumque Veteris Testamenti lectio obtinuisset.

℣. 22. Placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia. Apostoli, Episcopi, & Presbyteri, qui præsentes aderant, Concilii sententiam assensu suo composuere, quam populus & Ecclesia universa probavit & admisit (45); simul autem suffragio suo delegit quatuor legatos, qui Concilii definitionem Antiochiam deferrent. Hæc eadem disciplina in electione septem Diaconorum servata est Act. 6. 5. in illos enim deligendos populus cum Apostolis, saltem approbatione, convenit. Igitur destinati fuerunt *Judas*, cognomine *Barsabas*, & *Silas*, ut una cum Paulo & Barnaba Antiochiam irent. Paulus & Barnabas suspecti esse poterant sectatoribus Cerinthi, qui circumcisionis necessitatem defendebant. Sed Judas & Silas ad id usque hæserant in ea quæstione suspensi, neutri parti adhærentes. Creditur Judas, cognomine *Barsabas*, fratrem habuisse Josephum *Barsabam*, qui una cum Matthia dignus habitus fuit, qui in locum Judæ proditoris sufficeretur Act. 1. 23. *Silas*, alio nomine *Sylvanus*, idem esse fertur (46), cujus meminit Apostolus in prima & secunda Epistola ad Thessalonicenses (47). Huic pariter Petrus deferendam tradidit priorem Epistolam suam Romæ scriptam, in qua illum appellat *fidelem fratrem* (48). Duos hosce viros *primos in fratribus* vocat Lucas; unde e numero septuaginta Discipulorum fuisse, colligimus.

℣. 23. His qui sunt Antiochiæ et Syriæ et Ciliciæ. Antiochia metropolis erat Syriæ, Ciliciæ finitimæ. Frequentabant utramque regionem Gentiles conversi, quos ex sparsis a sectatoribus Cerinthi & Judæorum, literæ Legis tenacium, sermonibus, nutantes labantesque Apostolica authoritate confirmari ac regi necesse erat. Synodicam dare visum est nomine *Apostolorum & Presbyterorum*, vel Seniorum, *& fratrum* Jerosolymæ versantium, ut unanimis totius cœtus assensus exprimeretur. Sed Vulgata ad verbum & Græci plures Codices legunt (49): *Apostoli & Seniores fratres*; vel *Apostoli & Presbyteri fratres*; unde colligi potest, minorem Fidelium turbam Epistolæ hujus fronti inscriptam non fuisse. Nec equidem de Fidelibus vulgo accipi ea possunt, quæ ibidem scripta sunt: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*; quæ ab Apostolis tantummodo & Presbyteris recte usurpantur.

℣. 24. Audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, idest, ex sententia Veterum, Cerinthus ejusque fautores, qui Jerosolyma digressi, turbas per omnes Ecclesias conciverunt, docentes, Gentiles ad Fidem conversos circumcisionem subire oportere; id quod revocandis a recto pluribus, & Evangelii propagationi impediendæ valuit.

℣. 25. Cum charissimis nostris Barnaba et Paulo. Hoc elogio donantur, ad sinistram de puritate fidei illorum opinionem ex Judæorum animis, si quam forte illi conceperant, abolendam; ambo enim acriter semper propugnantes Neophytorum libertatem, Judæorum invidiam incurrerant.

℣. 28. Visum est Spiritui sancto, et nobis. Sententia est non humano judicio, sed ab ipsomet Spiritu Sancto pronunciata: debita ergo cum veneratione a vobis excipienda est. Cœtui nostro Divinus idem Spiritus præsedit, juxta oppignoratam nobis fidem a Jesu Christo, pollicito futurum, ut semper nobiscum ad exitum usque sæculorum per S. Spiritum adsit (50); missum iri a se Spiritum Sanctum, nos omnia docturum (51); se denique adfuturum cœtibus nomine suo coactis (52), illa, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, quidam (53), nec rari, sic accipiunt: Visum est nobis, qui Spiritu Sancto afflamur. Valent hæc de Apostolis, Episcopis, & Presbyteris, quibus jus poterat esse suffragii in Conciliis, non de reliquis fidelibus, qui tantum adsistere poterant; neque etiam intelligi hunc Spiritus Sancti afflatum necessario oportet de afflatu re ipsa & actu, qualis Apostolorum est & Prophetarum. Satis est enim, Spiritum Sanctum adesse, regere, dirigere Conciliorum Patres, & ne quid erroris in eorum sententiis irrepat, vigilare.

Nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria. Ritus legales appellant onera & sarcinas; quam appellationem traditionibus Pharisæorum tribuit Christus Matt. 23. 4. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere*. Circumcisionis autem & rituum legalium loco substituunt præcipiuntque a carnibus simulacro immolatis, & a mero sanguine crudo coctove, ac denique a carnibus suffocatorum animalium abstinentiam. Hæ unæ ex omnibus Legalibus cæte-

[41] Grot. Hamm. Le Clerc. [42] Vide Gloss. Interlin. Sanct. Zeger. [43] Cornel. Menoch. Tirin. [44] Circa an. 320. can. 19. [45] Cornel. Grot. Fromond. Menoch. [46] Hieron. Grot. Fromond. [47] 1. Thess. 1. 1. & 2. Thess. 1. 1. [48] 1. Petr. v. 12. [49] Græc. Vulg. Οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοί. Alii, οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Πρεσβύτεροι ἀδελφοί. Ita Alexand. Cantab. Barberin. 1. Colbert. 2. Iren. Paris. Athan. & Vulg. [50] Matth. xxviii. 20. [51] Joan. xiv. 26. xvi. 13. [52] Matth. xviii. 20. [53] Cornel. Grot. Pisc. alii.

moniis Gentibus ad fidem conversis præcipiuntur, Interdictum de vitanda fornicatione, res est alterius generis; cum potius renovatio quædam Legis naturalis & positivæ, inter Gentiles ferme abolitæ, habenda sit. Porro sanctiones istæ triplici ex causa necessariæ censebantur. I. Ne nimis abalienarentur animi conversorum ad fidem Judæorum, ex quibus impetrari vix poterat, ut in societatem Religionis admitterent Gentes, quæ sanguine & suffocatis vescerentur. II. Ad vitandum discrimen relabendi in Idololatriam, & imbecillium offensionem, inevitabilem penitus, si Gentiles ad fidem conversi idolothytorum usum admittere, & conviviis superstitiosis adesse permitterentur. III. Ut modus poneretur libidini fœdisque voluptatibus, quæ apud Ethnicos adeo vulgatæ erant & communes, ut mali naturam & nomen fere apud illos exuissent.

℣. 29. AB IMMOLATIS SIMULACRORUM; quę supra ℣. 20. *contaminationes simulacrorum* appellantur.

ET SANGUINE. Ut majorem cædium & homicidii horrorem mortalibus insinuaret, esum sanguinis Deus districte vetuerat Gen. 9. 4. Quod interdictum diu apud homines perseverasse, censet Grotius (1), donec Idololatria per Orbem late diffusa, in desuetudinem abiit, instaurandum censuit Deus in Lege; idque invaluit deinde in Palæstina apud Judæos, studiosos ejus præcepti custodes. Instauravere pariter, & nuper ad fidem conversis tradiderunt Apostoli; idemque per varia Orientis loca usque ad decimum vel undecimum sæculum servatum est; nec hodie pariter apud Græcos schismaticos cessasse, jam animadvertimus. Quin & novissimo hoc sæculo viri quidam docti præceptum illud retinendum esse in Ecclesia asseruerunt. Barbari, Scythæ, Sarmatæ, Bisaltæ, Geloni, Massagetæ, aliique usum bibendi sanguinis animalium vel meri vel lacte misti, frequentabant. Quin & positum in eorum moribus erat, ut icta equini cutis vena, sanguinem haurirent biberentque (2):

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes.

Nec hodie Americanæ gentes ab haustu sanguinis hominum & animalium abstinent. In mysteriis Bellonæ sanguine humano initiabantur, teste Minucio Felice. Interdum Scythæ plenis humano sanguine poculis fœdera sanciebant (3); quos forte barbaros mores, ut magis magisque a se amoverent nuper ad fidem conversi Gentiles, Apostolico præcepto a sanguine abstinere jussi sunt.

Prioris hujesce interdicti veluti appendix est alterum, de abstinendo ab esu suffocati. Vetatur igitur nedum usus sanguinis puri, secretique a corpore animalis, sed & contenti in carne animalis, nequis putaret, mortem quidem effusione sanguinis prohiberi, non vero eam quæ absque sanguinis effusione perpetratur; adeoque licitam sibi quispiam crederet injuriam quamcumque, modo citra sanguinis effusionem, inferre. In rem etiam præsentem animadvertitur, apud Græcos cæterasque Gentes persuasionem invaluisse, animalium carnes, sanguine non exhaustas, multo teneriores esse & delicatiores quam exsangues (4). Id autem cum Legi, omnem usum sanguinis interdicenti, repugnaret, opportunum censuerunt Apostoli, præceptum addere expressum de abstinendo a suffocato.

Non moror hic explicationem Rabbinorum, qui verba illa Geneseos 9. 4. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*, accipiunt de membro e vivo animali absciso, qualibus Ethnici in orgiis Bacchi vescebantur. Quæ expositio exquisitior est, nec a Josepho cæterisque priscis Judæis vel admissa vel excogitata (5). Vide nos in eum locum Geneseos.

A QUIBUS CUSTODIENTES VOS, BENE AGETIS (6). Non mera admonitione suadent, sed præcipiunt, ut satis demonstrat temporis & personarum circumstantia. Quamvis præceptum istud successu temporis, consuetudine, vel authoritate Pastorum Ecclesiæ moderandum permittebatur.

℣. 30. ILLI ERGO DIMISSI, DESCENDERUNT ANTIOCHIAM. Sed antequam discederet Paulus, (7) exponendam censuit Apostolis & Fidelibus doctrinam, quam hactenus gentes docuerat; cumque primoribus Fidelium, cum Barnaba pariter & Tito deliberavit de gravioribus nonnullis, quibus digerendis vulgares Fideles impares fuissent. Porro Apostolis nihil e doctrina illius corrigendum, nihil addendum succurrit, lætisque auribus exceperunt eam, quam Deus illi indiderat, sapientiam, agnoveruntque constitutum fuisse illum Gentium Apostolum, uti Petrum Judæorum: ac demum *dexteras dederunt* Paulo & Barnabæ in signum devinctissimæ conjunctionis; conventumque est inter omnes, Paulum & Barnabam fidem nunciaturos Gentilibus; reliquos vero Judæis. Postremo unum illis commendavere, sollicitam nempe egenorum curam, quo munere gnaviter Apostolus functus est. Hæc ipse de se Apostolus 1. Cor. 16. 1. narrat.

Aliud quid sibi contigisse in itinere tradit Paulus, nimirum Judæos ad fidem conversos (8), qui subdere Legi nitebantur partam hominibus a Jesu Christo libertatem, nihil prætermisisse intentatum, ut cogerent Apostolum ad initiandum circumcisione Titum Discipulum & itineris socium, Gentilem origine. Sed illis adnitentibus invicte restitit Apostolus; nec id ex illo exigendum reliqui Apostolorum censuerunt.

℣. 31. QUAM CUM LEGISSENT, GAVISI SUNT SUPER CONSOLATIONE. Paulus, Barnabas, Judas, & Silas, Antiochiam venientes, Apostolorum Epistolam reddiderunt, summoque gaudio affecerunt Gentiles neophytos, docentes, e re visum non fuisse jugo Legis illos subdere, ac privare ea, quam illis Christus pepererat, libertate.

℣. 32. PROPHETÆ, viri nempe afflati Sancto Spiritu, & aucti dono interpretationis Scripturarum, ac palam pro concione loquendi: hæc enim omnia Prophetæ nomen complectitur (9).

℣. 34. VISUM EST SILÆ IBI REMANERE. Integer iste versiculus deest in vetustis Græcis Latinisque Codicibus bene multis (10), in Arabica, Syriaca, Cophtica. Zegerus & Millius suspicantur, e descripta ad oram nota in Textum irrepsisse. Testatur Erasmus, occurrisse sibi tantummodo in unico e suis Codicibus, nec nisi in ora libri descriptum.

℣. 35. PAULUS ET BARNABAS DEMORABANTUR ANTIOCHIÆ. Hoc temporis intervallo creditur Petrus Antiochiam ad invisendos fratres venisse, ibique primo quidem consuetudinem & mensam cum Neophytis Gentilibus habuisse communem, discrimine mundorum immundorumque neglecto (11). Cum vero post dies aliquot nonnulli Judæorum Jerosolymis Antiochiam venissent, segregare se a consortio & mensa Gentilium cœpit; idque agens, suspicionem ingerebat mentibus de necessitate

(1) Grot. hic, ad ℣. 20. (2) Claudian. in Rufin. Vide & Virgil. Georg. lib. 3. Plin. l. 18. c. 20. Clem. Alex. l. 3. Pædagogi; Lucan. l. 3. Senec. Oedip. alii. (3) Herod. lib. 4. c. 70. (4) Athenæus, apud Grot. ad ℣. 20. (5) Joseph. Antiq. lib. 1. c. 4. Versiones LXX. Aquil. Sym. & Ananias Gamal. Fil. in Gemar. Babyl. tit. de Synedr. Vide Grot. hic. (6) Codex Cantabrigiensis addit: Φερόμενοι ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. Tertullianus: *Vectante vos Spiritu sancto*. Iren. *Ambulantes in Spiritu sancto*. (7) Vide Galat. 11. 2. 7. 9. 10. (8) Galat. 11. 3. 2. 5. (9) Vide Act. 111. 1. Cor. 211. 28. Grot. Cornel. Fromond. (10) Ms. Alexand. Laud. 3. Baroc. Cant. 2. Pet. 1. Hua. 1. Sin. Cov. 2. 3. Mens. Mag. & aliis. (11) Galat. 11. 11. 12. 13. 14. &c.

ſitate Legis; tantumdem quodammodo evertens, quantum prius ædificaverat. Judæi ad fidem conversi Petrum imitati sunt, & cæterorum mos Barnabam secum traxit. Pernicioſos ſimulationis hujus exitus prævidens Paulus, objurgavit, reſtititque coram Petro, demonſtrans, minus æque illum exemplo cogere Gentiles, ut vitam ad normam Legis Judaicæ inſtituerent. Diſceptatio hæc charitatis Apoſtolicæ vinculum inter illos non ſcidit, ſed Eccleſiæ ædificationi plurimum profuit. Fuſius id expendetur in 2. Caput Epiſt. ad Galatas.

ỳ. 36. POST ALIQUOT DIES. Quamdiu Antiochiæ Paulus & Barnabas fuerint, incertum eſt; ſed verba Lucæ ultra unum vel duos menſes prorogari minime patiuntur. Confirmata jam, & ſolatio affecta, quæ Antiochiæ erat, Eccleſia, Paulus propoſuit Barnabæ reditum ad inviſendas Eccleſias, quas ſuperiore anno in Cypro, Pamphylia, Piſidia, Lycaonia, Salaminæ, Paphi, Perge, Iconii, Lyſtris, Derbe, Antiochiæ Piſidiæ, & alibi inſtituerant. Neque enim requiem ullam ſollicitus ejus ardor patiebatur.

ỳ. 38. PAULUS AUTEM ROGABAT, &c. Intelligens Paulus, optare Barnabam, ut itineris ſocius Joannes Marcus, neceſſarius ſuus conſobrinus, adſciſceretur, adhibitis precibus blandiſque verbis avertere illum ab eo conſilio tentabat. Revocavit in mentem Joannis Marci inconſtantiam, cui nemo prudens fideret; facile accidere poſſe, ut is prima itineris die ſocios, uti antea, deſereret; ne denique has levitatis ſuæ pœnas ipſum metiri dicebat (12). Cum iſta Barnabam non moverent, hic perſtitit in conſilio, nec Paulus a ſententia deceſſit; itaque alter ab altero ſeceſſere. Contendit S. Chryſoſtomus, utrique pro ſuo jure rationem adfuiſſe, nec uter potior fuerit, decernendum nobis permittit.

ỳ. 39. FACTA AST DISSENSIO. Græcus (13) *Facta eſt irritatio*, animorum exacerbatio, commotio, quæ tamen eo uſque non proceſſit, ut charitati mutuæ, exiſtimationi & amicitiæ officeret (14). Diſſidium fuit ſententiarum, quod charitatem & amicitiam ſocias patitur. Paulus in cepto ſemel conſilio firmior, æquitatiſque tenacior erat. Barnabas aliquanto indulgentior, quo trahebat ſenſus humanitatis & teneri amoris, eo ſerebatur. Pauli ſeveritas in eo profuit Marco, quod firmiorem illum reddiderit, lenitas Barnabæ illum retinuit, ne ex errore in extremam deſperationem ageretur. Provido autem Dei conſilio factum eſt, ut quæ inter Paulum & Barnabam irrepſit opinionum diſſenſio, Evangelii propagationi & Eccleſiæ utilitati ſerviret; nam duo iſti Viri ſummi alter ab altero ſecedentes, longe majorem Orbis tractum percurrerunt, & Provincias longe plures illuminarunt.

Creditur Joannes Marcus deinde ad Paulum rediiſſe, deque illo ſcripſiſſe Apoſtolus in Epiſtola ad Coloſſenſes 4. 10. cum eos nomine Marci, Barnabæ conſobrini, ſalutat; eumdemque recenſet inter viros ſibi adſiſtentes, ſolatiumque in ſuis vinculis opportunum Romæ afferentes. Ejuſdem pariter meminit in Epiſtola ad Philemonem xi. 24. & 2. ad Timotheum 4. 11. Porro Joannes Marcus Evangelio plurimum adlaboravit; ac Græcis Latiniſque eſt Epiſcopus Biblidis in Phœnicia, atque die 27. ſeptembris colitur.

Hactenus de Barnaba; deinceps de illo nihil in Actis. Sed de reliquis ejus geſtis hæc memoriæ prodita ſunt. Antiochia cum Joanne Marco digreſſus, in Cyprum perrexit, unde originem trahebat; ibique facile Eccleſias, quas una cum Paulo fundaverat, viſitavit. Sunt qui tradant, veniſſe illum pariter Mediolanum & in Inſubriam; atque a Mediolanenſibus ceu Apoſtolus regionis ſuæ & primus Epiſcopus colitur; quamquam eorum traditio, & quæ illi aſſerendæ afferuntur argumenta, non tanti ſunt ponderis, quanti optantur (15). S. Chryſoſtomus (16), Theodoretus (17) aliique plures cenſent, Barnabam miſſum fuiſſe Corinthum cum Tito, anno 57. quamobrem poſt factum a Paulo divortium, cum illo iterum conveniſſe. Barnabæ, tamquam viri ſibi notiſſimi & devinctiſſimi, Paulus ad Corinthios meminit. Vulgata eſt epiſtola quædam Barnabæ nomine inſcripta, ex qua intelligimus, in vivis egiſſe illum poſt Jeroſolymorum everſionem, id eſt anno J. C. 70.

Tota eſt Barnabæ Epiſtola in demonſtranda Legis per Evangelium abolitione, & Legalium cæremoniarum inanitate. Adeo ſe demittit Author, ut infimum & veluti recrementum eorum, ad quos ſcribit, ſe appellet; ut pro ſe orent petit, filiorum charitatis & pacis nomine illis blandiens. In altera epiſtolæ parte utiliſſimas ad inſtituendos mores regulas præſcribit. Veterum plures (18) ſcriptum hoc non ſine elogio laudarunt, habueruntque veluti a Deo inſpiratum. Hodie utrum Barnabæ tribuendum ſit, ambigitur; ſed antiquitatis laudem nemo illi invidet. S. Hieronymus in Libro de nominibus Hebraicis explicationem nominum Hebraicorum hujus epiſtolæ poſt Apocalypſim addit. Alexander Monachus, qui geſta ejus, ſed minus accurate, ſcripſit, lapidibus oppreſſum a Judæis fuiſſe Salaminæ tradit; quod & a Græcis in Menæis ſcribitur. Ejus corpus in eadem inſula ſub Zenone, anno circiter 488. repertum (19), pectori impoſitum ferebat Evangelium Matthæi, quod Barnabas manu ſua deſcripſerat. Hæc ferme ſunt, quæ certiora de vita & obitu Barnabæ feruntur. A Græcis Latiniſque die xi. Junii colitur.

ỳ. 40. PAULUS, ELECTO SILA in locum Barnabæ, pedeſtri itinere peragravit loca, quæ antea prædicando obierat, ideſt, tranſgreſſus Syriam & Ciliciam, Derben Lycaoniæ venit. Actum eſt ſupra de Sila, alio nomine Sylvano, in Epiſtolis Pauli noto.

ỳ. 41. PRÆCIPIENS CUSTODIRE PRÆCEPTA APOSTOLORUM ET SENIORUM, ſeu Presbyterorum. Tota hæc periodus deeſt in Codicibus omnibus Græcis tum impreſſis cum manu exaratis; nec legitur apud Syrum & Codices Latinos nonnullos; neque laudatur a S. Hieronymo in Epiſtola ad S. Auguſtinum (20), ubi præcedentia & conſequentia verba deſcribit. Nullam ejus interpretationem S. Chryſoſtomus in Acta, nec Hugo Cardinalis exhibent. Denique probabile eſt, ſiquid aliud maxime, e Capite xvi. 4. ubi totidem verbis recitatur, huc translatam fuiſſe. Fatendum eſt tamen, aliquid ex ea legi in veteri Codice Cantabrigienſi (21), & in Codicibus Velezianis.

(12) Vide Chryſoſt. homil. 34. in Acta. (13) Ἐγένετο δὲ παροξυσμός. (14) Aug. in Pſal. 31. Hieron. adverſ. Rufin. lib. 3. c. 1. Chryſoſt. homil. 34. D. Thom. 2. 2. qu. 37. art. 1. ad lib. 3. Grot. Fromond. alii. (15) Vide Tillemont, Note 4. ſur ſaint Barnabé. (16) Chryſoſt. in 2. Cor. viii. homil. 8. (17) Theodoret. in 2. Cor. viii. 18. (18) Vide Euſeb. lib. 3. cap. 25. hiſt. Eccleſ. Hieronym. de Viris Illuſtr. c. 6. Origen. lib. 1. contra Celſ. Clem. Alex. alii. (19) Alex. Monach. apud Sur. 11. Jun. Theodor. Lector lib. 2. Cedr. t. 1. p. 353. (20) Hieronym. Auguſtin. Ep. 75. inter Auguſtin. p. 172. n. 9. (21) Cantab. Παραδιδοὺς τὰς ἐντολὰς τῶν πρεσβυτέρων. Velez. Παραγγέλλων τὰς ἐντολὰς τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων.

CAPUT XVI.

Paulus Timotheum circumcidit, A prædicando in Asia & Bythinia avertitur, & in Macedoniam invitatur. Venit Philippos, ubi flagris cæditur, & in carcerem una cum Sila detruditur. Carceris fores per quietem noctis recluduntur. Paulus carceris custodem ad fidem convertit. Liber a Magistratibus dimittitur.

℣. 1. PErvenit autem Derben, & Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili. 2. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant, & Iconio fratres. 3. Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quod pater ejus erat Gentilis. 4. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Jerosolymis. 5. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. 6. Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. 7. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Jesu. 8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. 9. Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos. 10. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis. 11. Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim: 12. Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. 13. Die autem sabbathorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. 14. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. 15. Cum autem baptizata esset, & domus ejus, deprecata est, dicens: Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos. 16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. 17. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. 18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. 19. Videntes autem domini ejus, quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam, perduxerunt in forum ad principes: 20. Et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi: 21. Et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. 22. Et cucurrit plebs adversus eos: & magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi: 23. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos. 24. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno. 25. Media autem nocte, Paulus, & Silas orantes, laudabant Deum, & audiebant eos qui in custodia erant. 26. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & universorum vincula soluta sunt. 27. Expergefactus autem custos carceris, & videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. 28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens, nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus. 29. Petitoque lumine, introgressus est; & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes: 30. Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? 31. At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum: & salvus eris tu, & domus tua. 32. Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus, qui erant in domo ejus. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo. 34. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni dumo sua credens Deo.

35. Et

35. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. 36. Nunciavit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus, ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace. 37. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt? Non ita: sed veniant, 38. Et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque, audito, quod Romani essent: 39. Et venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant, ut egrederentur de Urbe. 40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

℣. 1. PERVENIT DERBEN ET LYSTRAM, Lycaoniæ Urbes, in quibus aliquandiu antea una cum Barnaba prædicaverat. Act. 14. 6.

DISCIPULUS QUIDAM ERAT IBI, NOMINE TIMOTHEUS. Utrum Derbe an Lystris Timotheum natus fuerit, ambigitur. Origenes in Rom. 16. contigisse illi Derbe affirmat; at S. Chrysostomus in Rom. hom. 19. & in 2. Timot. hom. 8. Theodoretus in Rom. 16. 21. & Græci omnes post ipsos, cum Interpretibus aliis plerisque, Lystræ id contigisse censent; quam opinionem non obscure præferre videtur Lucas, narrans, Paulum venientem Derben, deinde Lystram, obvium habuisse Timotheum; & proximo versiculo addit, Lystrenses omnes virtuti Timothei testimonium reddidisse. Capite xx. 4. innuere videtur, fuisse illum Thessalonicensem. *Thessalonicensium vero Aristarchus & Secundus . . . & Timotheus*. Postremam hanc sententiam tuetur Grotius, censens, familiam Timothei genus e Thessalonica duxisse. Origenes in Rom. 16. 21. ex hoc loco perperam intellecto (1), Timotheum ex necessariis Apostoli esse collegit.

Timothei hujus mater *Eunice* (2) Judaicam religionem profitebatur; Pater vero Gentilis erat vel Græcus, juxta Textum Græcum (3). Animadvertit Grotius, vetitum fuisse Judæis, uxores ducere alienigenas, nisi quæ prius Legi se subjecissent; sed jus fuisse Judæis mulieribus nubere viro extero, dummodo pio & non Chananæo, notat Fromondus. Ita Esther Assuero nupsit. Igitur Timothei pater Gentilis quidem erat, sed Legi naturali obsequens, ut Cornelius Centurio. Infidelitatem ad obitum usque retinuisse, ex eo colligit S. Chrysostomus, quod nunquam mentionem de eo Paulus fecerit. Legimus in Græco (4), Timothei matrem *Judæam* fuisse & *fidelem*; sed Græci Codices nonnulli legunt: *Mulierem viduam Judæam*; alii *Judæam* omittunt, retinentes *mulierem viduam*. S. Hieronymus (5), S. Augustinus apud Mill. & plures Latini Codices (6) pro *Judææ*, substituunt *viduæ*. Sed mendum hoc esse vel correctionem Amanuensis, non sine maxima veri specie arbitramur.

℣. 2. HUIC TESTIMONIUM BONUM REDDEBANT QUI IN LYSTRIS ERANT ET ICONIO FRATRES, testantes, virum esse ab ipsis primordiis, cura matris & aviæ, inclytæ fidei mulierum, ad virtutem institutum 2. Tim. 1. 5. Timotheus tunc junior erat, cum cum post septem vel octo annos a Paulo Ephesiorum Episcopus constitutus, admonitus fuerit (7): *Nemo adolescentiam tuam contemnat*. Sacris Literis a puero eruditus fuit (8); ejusque virtutem jam tum claruisse plurimum, inde intelligimus, quod celebris ejus fama non Lystris modo patria sua, sed & Iconii vulgata esset.

℣. 3. HUNC VOLUIT PAULUS SECUM PROFICISCI; ET ASSUMENS CIRCUMCIDIT EUM PROPTER JUDÆOS. Paulus, qui itineris sui comitem habebat Silam, socium alterum adscivit Timotheum, quem & circumcisione initiavit, ut Judæis causationem omnem tolleret removendi se ab eo, ejusque consuetudinem & prædicationem fugiendi. Tanta enim erat hac in re Judæorum religio, ut commercium ullum habere cum incircumciso recusaturi fuissent, ac prohibituri, ne sermonem haberet palam in Synagogis, ab ipsisque Synagogis illum ejecturi. Ad captandos igitur animos illorum, & obstacula omnia submovenda, circumcisione obsignavit Timotheum idem ipse Paulus, qui antea Jerosolymis Titum circumcidere Galat. 2. 3. rogantibus licet atque urgentibus Judæis, recusaverat. Non sine Dei monitu & socium adscitum Timotheum ab Apostolo, & circumcisum fuisse, censet S. Chrysostomus hom. 5. in 1. Timoth. notatque S. Augustinus ad Hieron. Ep. 82. nov. edit. num. 12. ideo Paulum circumcisioni subdere Titum noluisse, ut nullam ejus ritus necessitatem esse doceret; Timotheum vero obsignasse, ut nihil in eo pravum esse significaret; sine crimine admitti posse, donec labente tempore paulatim periens penitus aboleretur. Fidei & Religionis commodum ab eo tunc id extorsit, quod ejusdem Fidei & Religionis utilitas, ne id alias præstaret, obstiterat (9). Judæum se cum Judæis exhibebat, ut in Legis servitute tollenda feliciori successu laboraret (10): circumcisione adversus circumcisionem usus est.

SCIEBANT OMNES QUOD PATER EJUS ERAT GENTILIS; adeoque octava ab ortu die circumcisione initiatus non fuerat, quamquam matre satus Judæa; ex doctrina enim Thalmudistarum matri nullum jus est circumcidendi filium, invito patre. Igitur calleret licet Timotheus sacras literas a puero, pietatemque coleret, semper tamen a Judæis uti Ethnicus habitus vitatusque fuisset.

℣. 4. TRADEBANT EIS CUSTODIRE DOGMATA, ab Apostolis in Concilio Jerosolymitano decreta, Act. xv. 20. tradebant autem hæc custodienda gentilibus Neophytis. Ex Neophytis hisce plures in ea regione, ubi tunc Paulus agebat, versabantur; in Lycaonia scilicet vicinisque Provinciis, quas Barnabas prædicando peragraverat. Celebris Codex Cantabrigiensis legit: *Prædicaverunt & tradiderunt eis cum omni constantia Dominum Jesum Christum; simul tradentes regulas, quæ &c.*

℣. 6. TRANSEUNTES PHRYGIAM ET GALATIÆ REGIONEM. Facile credimus, ipsum, uti consueverat, Provincias hasce peragrasse; vel saltem confirmasse ibi Discipulos, quos forte sibi ante aliquot annos, Evangelium spargens a Ponto usque ad Illyricum (11), comparavit. Constat utique, cum post aliquot annos in Galatiam & Phrygiam venit, nactum ibi fuisse Discipulos, quos in fide magis magisque confirmavit (12). Igitur ante id tempus Discipulos ibi collegerat. Porro in ea Pro-

[1] Rom. xvi. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus, Lucius, & Jason, & Sosipater cognati mei*. Hæ voces, *cognati mei*, necessario non referuntur ad Timotheum. [2] 2. Timot. 1. 5. [3] Πατρὸς δὲ Ἕλληνος. [4] Τῆς γυναικός τινος Ἰουδαίας πιστῆς. Quidam: Χήρας Ἰουδαίας. Veter. Χήρας, omisso Ἰουδαίας.
[5] Hieron. Epist. 75. inter August. num. 9. pag. 172. [6] Vide Zeger & Buken sup. *Lux de luce*.
[7] 1. Timot. iv. 12. [8] 2. Timot. iii. 15. [9] Greg. in Job lib. 25. cap. 2.
[10] 1. Cor. ix. 20. *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.* [11] Rom. xv. 19.
[12] Act. xviii. 23.

Provincia Apostolum prædicasse, argumento est scripta ad Galatas Epistola, in qua eximie commendantur fides piusque ardor Fidelium Galatarum, exceptusque dicitur Apostolus ab illis, veluti demissus e Cœlo Angelus, ipseque Jesus Christus; additurque, illos libenti animo vel oculos sibi eruturos fuisse, si possent, ut Apostolo traderent (13); quamquam, ait Apostolus, caro tunc mea tentatione & infirmitate detetebatur; adversa scilicet ac tormenta patiebatur (14). Galatia ad septemtrionem, Phrygia ad occidentem Lycaoniæ, utraque in Asia Minori, jacent.

Vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia; non in Asia quidem Minori, prout hoc nomen latius patens complectitur Galatiam, Phrygiam, Pisidiam, Lycaoniam & Pamphyliam, quas omnes Provincias Paulus lustraverat; sed in Asia Proconsulari, quæ Ioniam, Æoliam, & Lydiam continet. Lydiam dumtaxat intelligi vult Usserius; alii Ioniam, ubi Ephesus (15).

At enim cur Spiritus Sanctus Evangelii prædicationi, rei scilicet tam bonæ, ipse per se obstitit? An Deus mala in Dei gloriam æmulatione tangitur? Vel Asiæ Minoris incolæ tantam felicitatem, audiendi scilicet Divini Verbi, minus quam Galatæ & Lycaones, merebantur? Censet Origenes (16), Provincias illas minus adhuc comparatas fuisse divino semini excipiendo. Norat Sanctus Spiritus futurum, ut illi eo tempore oblatum sibi tantum beneficium minus curarent, eoque contemptu crimen suum gravius efficerent, ait S. Gregorius M. hom. 4. in Evang. Ita legimus infra 22. 18. Jesum Christum monuisse Apostolum, ut statim se Jerosolymam subduceret; non enim excepturos esse Judæos testimonium, quod sibi in ea Urbe esset redditurus. Fuisse etiam in Asia homines, qui id promerebantur, ut vitam in infidelitate absolvere a Deo permitterentur, ait S. Gregorius in Job lib. 28. cap. 6.

S. Leo de Vocat. Gent. lib. 2. cap. 3. docet, hanc quæstionem ejusdem cum aliis nonnullis naturæ esse: Cur Dei Filius non ante plura sæcula venerit in Mundum, & tam multa hominum millia in ignorantia & infidelitate mori passus sit: cur tam multæ adhuc gentes Evangelium non noverint: cur in eadem Urbe & familia alter credat & convertatur, alter in infidelitate & crimine perseveret. Altitudo hæc est judiciorum Dei, qui summus est arbiter initii & consummationis Fidei, quam nemini largiri tenetur, ex quo primi hominum parentis lapsu mortales omnes in tenebras ignorantiæ pertracti fuimus. Igitur lenitatem vel severitatem suam exercet, juste tamen semper, quando, & in quos, & quomodo visum fuerit. Eo tempore Macedonas Asiaticis præferri voluit; sed aliquandiu post permisit, ut Apostolus veniret Ephesum, ubi biennio commorans, non sine fructu verbum salutis nunciavit, Act. 19. 10.

℣. 7. Cum venissent in Mysiam. Transierunt e Phrygia in Mysiam, sitam inter Bythiniam ad boream, Phrygiam ad orientem, Æoliam ad meridiem, & Mediterraneum ad occidentem. *Volebant ire in Bythiniam*. Mysiæ septemtrionalem; *& non permisit eos Spiritus Jesu* iisdem de causis, quibus, ne venirent in Asiam proprie dictam, obstiterat. Divino Spiritui summum arbitrium consiliorum rerumque ab Evangelicis Præconibus incipiendarum relinquendum est; neque enim par est, sequi illos spiritum suum, sed Spiritum Jesu, Spiritum Sanctum, quem ipse ad Discipulos misit (17). Græcus typis editus legit tantummodo (18): *Non permisit eos Spiritus*. Sed plures optimi Codices cum Syriaca, Cophtica, Æthiopica, S. Cyrillo, S. Athanasio, S. Hieronymo, aliisque pluribus legunt cum Vulgata: *Spiritus Jesu*.

℣. 8. Cum pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. Relicta septemtrionali via ad Bythiniam ferente, deflexerunt in Troadem, quæ Phrygiæ Minoris est pars, ibique mari se commiserunt. Troas Provincia est, nomen desumens ex veteri Troja, ibi olim sita, tunc vero iterum, sed in gloriam longe minorem, restituta. Paulus cum sociis solverunt a portu Troadis, alio nomine *Alexandria Troade*, urbe condita ab Antigono ad Mediterraneum, inter Sygæum & Lectum promontorium, cui deinde nomen Alexandriæ, ex Alexandro Magno, accessit. Igitur provincia & Urbs Troadis sedulo distinguendæ sunt (19).

℣. 9. Vir Macedo. Angelus, viri Macedonis imagine assumpta, rogavit Paulum, ut Evangelium in Macedoniam deferret: *Transiens in Macedoniam, adjuva nos*. Primo quidem obvium hunc Angelum, qui Macedonem lingua & veste exprimebat, pro viro aliquo ejusdem regionis Apostolus accepit; neque incredibile est, interrogatum a Paulo, Macedonem se esse tantummodo respondisse. Sed interpretibus sedit opinio (20), Angelum fuisse ejusdem provinciæ custodem, qui Apostoli opem imploraret. Porro singulis provinciis ac regnis Angelum patronum veteres Patres tribuerunt: quæ Synagogæ opinio in Ecclesiam Christianam transivit. Vide Dissertationem nostram de Angelis. Hæc omnia quidem dormienti per quietem obrepserunt; sed Apostolus, quem Spiritus Sanctus docebat, facile intellexit, quid a se Deus postularet; ac somnia ab alto missa ab iis, quæ naturaliter obrepunt, distinguere novit.

℣. 10. Statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, eo se a Deo vocari pro comperto tenentes. Libri hujus Author Lucas hic primum se loquentem inducit; unde non temere colligimus, Lucam in Troade primum Paulo accessisse socium (21), quem deinceps nunquam deseruit (22).

Certi facti quod vocasset nos Deus. Certissime omnino id eos intellexisse, non exprimit Græcus (23); sed potius rem ex eventu vel re antecedente per conjecturam assecutos fuisse. E nocturno illo somnio Deum id destinasse intellexerunt; inde colligentes conjecturam & moralem quamdam veluti confidentiam, hæc a se Deum exposcere. Deliberantes inter se consenserunt, certum hoc esse Divinæ voluntatis argumentum.

℣. 11. Recto cursu venimus Samothraciam, Ægæi Maris insulam, e regione Troadis & Thraciæ. Ita per superiora Maria Ægæi ex Asia in Europam migravere. Ex omnibus Pauli maritimis itineribus, quanta esset veterum rei nauticæ imperitia intelligimus. Radunt litora, nec audent alto se pelago committere, adeoque & iter longe prolixius conficiunt.

Sequenti die Neapolim, Macedoniæ urbem, Thraciæ finibus satis proximam, nec procul ab ostio Strymonis in mare. Mane alterius diei pervenerunt Philippos, quæ Urbium Macedoniæ prima sese illis offerebat. A mari remotior est, & ad septemtrionem Neapoleos Thraciæ, a qua leucis quatuor circiter distat.

℣. 12. Quæ est prima partis Macedoniæ civitas,

[13] Galat. iv. 14. 15. 16. [14] Theodoret in Galat. iv. [15] Author de locis Actuum, post lib. Hieron de locis Hebr. alii plures. [16] Origen. homil. 9 in Levit. Vide & apud Cassian. Collation. Abb Moysi cap. ult. Sanct. hic, Beda, & Cornel. [17] Hieron. lib. 2. cap. 6. contra Pelag. Nota quod *Spiritus Jesu, Spiritus sanctus sit*. [18] Καὶ οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα. Alii, Καὶ οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ πνεῦμα Ἰησοῦ, vel τοῦ Ἰησοῦ. Ita Alex. Cant. Pet. alii plures. Vide Mill. [19] Vide Strab. l. 13. pag. 405. Plin. lib 5. cap. 30. Cellar. Geog. antiqu. lib. 3. cap. 5. pag. 54. 55. [20] Sanct. Grot. Cornel. Menoch. From. alii. [21] Iren. lib. 3. cap. 14. Ita Interpp. passim. [22] Hieronym. de Viris Illustr. cap. 7. [23] Συμβιβάζοντες, *Conjicientes*. Pagn. Bez. Camer. *Colligentes*, Illyric. Grot. Bez. Pisc. *Consentientes*, pariter *statuentes*. Lud. de Dieu.

TAS, COLONIA Romana. Philippi urbs nomen e Philippo Macedonum Rege accepit. Prima est Romanorum Colonia, quæ e Thracia in Macedoniam venientibus occurrat. Non ait primam urbem esse, cum antea *Neapolim* obviam habuerint, sed primam Coloniam. Romanarum Coloniarum genera erant duo. Aliæ quidem constitutæ in ea regione, in qua vel nulla antea urbs, vel, siqua olim, nulla tunc erat, a Romanis frequentabantur. Aliæ ductæ erant in urbibus, in quas milites aliique Romanorum subditi migrabant, acceptis domibus agrisque excolendis. Philippi ex altero hoc coloniarum genere erant; quam in dignitatem evexere per Julium Cæsarem, ac deinde per Augustum; ex quo factum est, ut in nummis sub Claudio cusis donarentur nomine *Coloniæ Augustæ Juliæ Philippensis* (24). Coloniis, quæcumque tandem essent, jus erat Civitatis Romanæ, ac Romanorum legibus regebantur. Paulus, qui Romana Civitate gaudebat, libenter hic substitit, ubi plus quam alibi locorum, privilegium illud vigebat, & in pretio habebatur.

ERAMUS IN HAC URBE DIEBUS ALIQUOT CONFERENTES. Græcus (25): *Eramus in hac urbe versantes*. Vox *conferentes* in Vulgata exprimere videtur, paucos hosce dies impendisse illos deliberando de modo, quo Evangelium Macedonibus prædicandum esset; vel colloquendo cum aliquot urbis illius civibus, ut ad veritates salutis excipiandas animos illorum compararent. Latini Codices nonnulli legunt (26): *Consistentes*.

℣. 13. DIE SABBATHORUM EGRESSI SUMUS PORTAM JUXTA FLUMEN, UBI VIDEBATUR ORATIO ESSE. In locis ubi nulla erat Judæis Synagoga, singulis Sabbathis egredientes illi recipiebant sese ad mare, vel ad ripam amnis seorsum, ut precibus & lectioni Legis in unum coacti cœtum vacarent. Ex verbis hisce discimus, nullum fuisse Judæis hujus urbis ædificium, Synagogæ usibus destinatum (27); sive quod rari essent, sive quod per Magistratus vetarentur. Locum tantummodo habebant delectum, in quo Religioni suæ facerent satis. Eo venit & Paulus, & nactus ibi mulieres, colloquutus est, donec cœtus formaretur; erat enim in aperto campo, non in sacro loco: *Egressi sumus foras portam*, ait (28), *juxta flumen, ubi videbatur oratio esse; & sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant*. Quod in Synagoga præstari ab eo minime permisissent. S. Epiphanius scribit in loco duobus mille passibus a Sichem in planitie extitisse proseucham quandam Samaritanorum in theatri morem ædificatam sine tecto; qua in re, addit idem scriptor, sicut & in cæteris omnibus Judæorum mores sectabantur. Judæorum proseuchæ claustra erant libero aeri patentia. Vide Josephum contra Appionem lib. 2. pag. 106. & Eusebium pag. 281.

Nihilo tamen secius Interpretes plerique (29) censent, locum hunc orationis Synagogam re ipsa fuisse. Græci Romanique Synagogas Judæorum appellabant *Proseuchas*, id est *precationes*, seu loca orationi destinata: Juvenal. Sat. 3.

Ede ubi consistas; in qua te quæro Proseucha.

In 3. Lib. Macchabæorum (30) legimus, Judæos Ægyptios ex imminenti discrimine liberatos, columnam & *Proseucham* prope Alexandriam erexisse. Affirmat Philo de Vita Mos. lib. 3. Judæis in singulis urbibus fuisse *Proseuchas* seu *Proseucteria*, vel loca orationis. Proseucharum meminit pariter Josephus non raro (31), traditque, vasta fuisse ædificia magnis cœtibus continendis apta. Erant autem loca sub dio instar theatri, facile cum sedilibus in amphitheatri morem dispositis (32).

Reddi igitur potest locus: *Egressi juxta flumen, ubi ferebatur Proseucha esse*; id illi sive ex Gentilibus, sive ex ipsis Judæis didicerant. Solemne erat Hebræis, Synagogas suas vel Proseuchas ad mare, vel ad amnes condere; quod in moribus positum fuisse apud Samaritanos, ex S. Epiphanio hær. 80. discimus. Sed loca ista ab urbibus parum distabant, ne religiosa Sabbathi quies violaretur. Vide quæ de itinere die illa permisso, supra 1. 12. disseruimus. Salmero & Toletus opinari videntur, ea loca non Judæorum, sed Gentilium religione sacra fuisse.

LOQUEBAMUR MULIERIBUS QUÆ CONVENERANT; opperientes interim ut conventus fieret in Synagogam, & populus colligeretur: in Synagogis enim viri a fœminis discreti erant, ut nec videre illas nec alloqui possent. Si vero Paulus pro concione universo cœtui locutus fuisset, aliter plane Lucas sententiam exposuisset.

℣. 14. ERAT QUÆDAM MULIER, NOMINE LYDIA, PURPURARIA, purpuræ mercatrix; quem sensum Græcus præfert (33). Lanas purpureosque pannos vendebat. Lorinus, Grotius, Camerarius Lydiam regionis vocabulum putant. Originem ducebat e Thyatyra, quam Stephanus Geographus Lydiæ tribuit. Lydiæ fœminæ eximio purpuræ artificio celebrabantur (34). Sunt qui *purpurariam* pro muliere purpuram nente usurpent. Sed Græcus conceptis verbis exprimit, nomen (35) fœminæ *Lydiæ* fuisse, patriam Thyatyram. Judæa erat, non genere quidem, sed ex Proselytis & Deum timentibus. Memoria ejus die III. Augusti in Martyrologio Romano colitur.

CUJUS DOMINUS APERUIT COR. Gratia sua Deus mentem illius illuminavit, & cor veritatis amore incendit. Frustra Concionator auribus corporis obstrepit, nisi Spiritus Sanctus gratia sua cordi intima loquatur, ad extundendam ejus duritiem & surditatem (36).

℣. 15. CUM AUTEM BAPTIZATA ESSET, rogavit nos, ut ejus hospitium eligeremus. Igitur mulier ista eadem facile die tingendam se baptismate præbuit, qua Apostolum audivit, statimque a baptismo beneficii loco poposcit: *Si judicastis me fidelem Domino esse*, ajebat, nisi indignam me judicatis beneficii quo me affecistis, sacrum baptisma conferentes, quæso, ne hospitium, quod apud me offero, recusetis. *Et coegit nos*. Habes hic egregium exercendæ hospitalitatis specimen.

℣. 16. EUNTIBUS NOBIS AD ORATIONEM, PUELLAM QUAMDAM HABENTEM SPIRITUM PYTHONEM OBVIARE NOBIS; euntibus scilicet nobis alia hebdomadæ die ad Proseucham, extra urbem, occurrit puella, quæ maligno afflata Spiritu, futura divinabat. Fatidici hujus Spiritus vis Apollini ab Ethnicis tribuitur; cujusmodi homines *ventriloqui*, seu e cavo stomacho loquentes ideo appellabantur, quod re ipsa sæpe Pythonissæ ex imo ventre, immotis ore, labiis, & lingua, voces ederent. Divinabant interdum agitatæ & plane furentes, arrecta coma, oculis, voce, vultu prorsus mutato. Æneid. VI.

Subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans: afflata est numine quando
Jam

---

[24] Vide Patin. pag. 99 & Spon. Miscell. pag. 171. Cellar. lib. 2. cap. 13. Le Clerc hic. [25] Ἦμεν ... διατρίβοντες. [26] Edit. Sixti V. & aliæ plurimæ Latinæ. [27] Le Clerc hic, Piscat. Drus. Heins. Vide infra XVII. 1. [28] Οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Cant. Ἐδόκει, *Videbatur*. Alii: Ἐνομίζομεν, *Putabamus*. [29] Vide Hamm. Lud. de Dieu, Cornel. a Lap. Sanct. Fromond. alios. [30] 3. Macc. cap. ult. Προσευχὴν καθιδρύσαντες. [31] Joseph. de vita sua pag. 120. cap. 2. & 1021. cap. 9. [32] Epiphan. hæres. 80 lib. 3. pag. 1068. [33] Πορφυρόπωλις. [34] Vide Plin. lib. 7. cap. 56. [35] Γυνὴ ὀνόματι Λυδία, πορφυρόπωλις, πόλεως Θυατείρων. [36] Fromond. Sanct. Cornel. Menoc. Tirin. August. de Grat. & lib. arbitr. cap. 21. *Manifestum est, operari Dominum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit*. Vide Barth. Petr. hic.

Jam propiore Dei . . . .
At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
. . . .
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens.

Tunc autem res plane sibi ignotas pronunciabant. In his omnibus veteratoriæ artis, & imaginationis erat plurimum; nec munus sæpe abstinebat Diabolus, fallendis rudibus & simplicibus intentus.

Inter Pythonissas celebre erat mulieris Templi Delphici nomen. In medio Templi hiatus erat profundus, unde erumpebat, inquiunt, aer concitus & vehemens, qui mentem alienabat Pythonissæ, in voraginis ore tripodi insidentis. Cum œstro Dæmonis agitabatur, fundebat ea, quæ appellabantur oracula, carminibus adstricta ambiguis, & in utramque sententiam versatilibus. *Python*, quod nomen Græci Apollini tribuebant, derivatur facile ex Hebræo *Pethen*, serpens, vel aspis. Apollo, ut in fabulis narratur, angnem *Pythonem* necaverat, unde illi cognomento *Pythio*, vel Pythoni; quod in eos pariter transivit, qui œstro, ut putabatur, Apollineo afflati divinabant.

Moyses Deut. 18. 10. Levit. 20. ult. & 19. 31. severissimis Legibus vetuerat, ne arioli & ventriloqui consulerentur; ex quo superstitionis hujus vetustatem intelligimus. Nihil plane antiquius, sive apud Ægyptios, sive apud Hebræos Græcosque occurrit, eamdemque perniciosam artem hodie pariter publice Orientales colunt. Casu, vel potius ex Dei providentia contigit, ut Pythonissa ista Paulo & Sociis occurreret, ut potentia Nominis Jesu Christi commendaretur. A dominis suis hæc forte per urbem ductabatur ad futuros hominum eventus divinandos, unde illi quæstum ad vitam tolerandam referebant.

℣. 17. Isti homines servi Dei excelsi sunt. Mirari subit, cur Dæmon, mendacii pater, infestissimus Pauli & sociorum adversarius, qui e re sua ducebat potissimum, eorum famam & prædicationes pro viribus atterere, quippe quos potentissimos Imperii sui eversores ubique norat, tanto laudum præconio illos commendaverit. Sed versutiam ejus facile tenemus. Si id obtinuisset, ut hominibus persuaderet, viros hosce ita probos esse, quales erant re ipsa, inde famam sibi conciliabat præsertim apud Judæos, qui Magos Divinosque contemnebant, & execrabantur. Si autem Ethnici laudes, quas ipse conferebat Apostolis, serio accepissent, hinc prædicationi eorum & miraculis officiebat plurimum; inde enim colligere licebat, conspirasse illos cum Dæmone, adeoque & prodigiis, quæ merum essent Magices ludibrium, & diabolica plane doctrina cæteros fallere. Si vero a Judæis fides illi minime præstaretur, ut augurari non inaniter licebat, impensæque laudes perinde ac maligni Spiritus mendacia despicerentur, sinistram tamen semper in eorum mentibus impressionem Dæmon relinquebat, ac suspicio apud illos creabatur vehemens in Paulum, quem malus Spiritus probabat laudabatque. Sin fieret, ut Pauli præcepto ad silentium adigeretur, non ambigebat Dæmon futurum, ut seditio vehemens excitaretur in illum, statimque ex urbe extorris ageretur, quæ votorum ejus summa erat. Denique illud saltem assequi conabatur, ut Apostolo inanis gloriolæ aliquid subreperet, ex quo semper lucrum aliquod referret Dæmon.

℣. 18. Conversus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu exire ab ea. Pythonissarum genera erant plura: aliæ quidem Pythonico Spiritu nonnisi interdum afflabantur, uti Delphica, quæ nonnisi e tripode dabat oracula. Aliarum vero ars tota erat in evocandis magica vi Manibus vel Dæmonibus, ut responsa interrogantibus darent. Denique erant, quæ familiaris Dæmonis consuetudinem tenebant, quo nunquam deserente perpetuo afflabantur, ut Pythonissa, de qua in præsenti. Imperante Paulo, Spiritus puellam destituit, statimque cessante afflatu, vox pacata & naturalis fluxit. Utrum Dæmon egressus sui vel secessus a puella signum aliquod exhibuerit insueta aliqua agitatione, illam vexando; an desertam se esse a Spiritu illa per se prodiderit; an denique id agnitum fuerit a cæteris ex vultu & sermone, silente Luca, ignoratur.

℣. 19. Apprehendentes Paulum, et Silam, traxerunt ad Magistratus urbis vel Coloniæ. Nulla hic mentio de Timotheo & Luca, quamquam Pauli sociis; quod forte nonnisi domestici, vel ministri utriusque Apostoli haberentur (1). Perduxerunt in *forum*, sive ad Magistratus ibi more Romano jura dantes.

℣. 20. Cum sint Judæi, annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere neque facere, cum simus Romani. Christianorum Religio in ipso sui exordio ceu secta quædam vel restitutio Judaismi apud Ethnicos habebatur. Norant, plerosque eorum, qui illam profitebantur & nunciabant, e Judæis profectos. Ipse Jesus Christus Judaicum genus ducens, in Judæa natus & enutritus fuit. Potissimas etiam Judæorum leges adoptaverant Christiani; eumdemque cum illis Deum, easdem Scripturas admittebant: atque hæc satis, ut Christiani cum Judæis miscerentur. Suetonius aliique plures Christianos Judæorum nomine appellant; ait enim de Claudio Suetonius c. 25. *Judæos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes, Roma expulit*. *Chresti* nomine Jesum Christum designat. Denique ipsi quoque Judæi primorum Christianorum virtutes in decus suum transferebant, uti constat de Jacobo Apostolo, Jerosolymorum Episcopo (2), & Therapeutis (3), qui ex Veterum sententia Judæi erant ad Christiana sacra translati.

Itaque Philippenses, ut Paulum & Silam invisos Magistratibus redderent, accusavere, Judæos esse, illos molientes novam in Colonia Religionem; id quod Romanis Legibus & Imperatorum menti adversabatur: *Deos aut novos aut alienigenas coli, confusionem habet Religionum*, ajebat Cicero (4). Vetus erat etiam Senatus Consultum (5): *Ne quis Deus consecraretur, nisi a Senatu probatus*. Mecœnas apud Dionem Cassium Augustum serio monuerat, ut veterem Religionem teneret, novamque inducere conantes districte puniret; id enim causam esse in Republica conjurationum, dissidiorum, factionum, unde malorum ingens propago.

Rationes illæ generatim sumptæ in re politica eximiæ sunt; & nisi Ethnicorum Religio manifeste adeo impia & corrupta fuisset, si Christiana minus evidenter cum veritate, ratione, æquitate, justitia congrueret; contra vero seditiones, dissidia, factiones in Republica excitaret; jure meritoque Principes huic exscindendæ, eliminandisque iis, qui palam illam nunciabant & profitebantur, operam dedissent. Sed si mentem parum advertere voluissent, agnovissent statim in illa veritatem, æquitatem, pacem, justitiam, subjectionem erga legitimos Principes; id quod omnium amorem & obsequium in eam conciliasset. Intellexissent, ex ea medelam afferri morbis plane innumeris, quos inviti boni Principes dissimulant: coerceri ab illa iniquas oppressiones, ambitionem, licentiam, morumque corruptionem; denique ad felicitatem Imperii & tranquillam Principis securitatem nihil Religione Christiana aptius esse & opportunius.

Insi-

(1) Ἑλκύσαντες εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας. (2) Joseph. Antiq. lib. 20. cap. 8. (3) Philo, de vita contemplativa. (4) Cicero lib. 2. de Legib. Vide & L. 30. §. Si quis, de pœn. Paul. recept. sent. 5. 21. (5) Tertull. Apolog.

Insinuabat ille sese in Rempublicam absque strepitu, turbis, violentia. Quæ cum ita se haberent, e re Principum erat, illam non insectari, sed tueri, & viribus omnibus promovere. Quæ vero Leges novam quamlibet Religionem damnant (6), tunc bonæ et justæ dicendæ sunt, cum petuntur ex certa & indubitata cognitione de veritate & sinceritate veteris præter cæteras Religiones. Ethnicorum autem superstitio potius, apertumque scelus rationi ac sanæ morum doctrinæ repugnans, quem vere Religio, habenda est.

ỹ. 22. Scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. Tunicas, vel interiores eorum vestes a collo ad lumbos, vel ad zonam usque sciderunt, ut humeros & dorsum virgis cæderent more Romano, cujus vestigia in vetustis Scriptoribus supersunt (7). Judæi etiam eorum, quos virgis cæsuri erant, tunicas non detrahebant, sed scindebant (8). Ter virgarum pœnam se subiisse Apostolus testatur (9), quamquam Lucas nonnisi hic semel virgis cæsum memorat.

ỹ. 23. Cum multas plagas eis imposuissent; multis jam ictibus cæsi, seu multis jam plagis vulnerati. Ex versiculo 33. discimus, proscissos fuisse ictibus et virgis usque ad sanguinem. Judæi quidem novem & triginta ictus non excedebant (10). Sed hanc sibi legem non ponentes Romani, pro Judicis arbitrio reos cædebant. Ad excessum flagra se tolerasse Paulus affirmat 2. Cor. xi. 23. *In plagis supra modum*.

ỹ. 24. Misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno. Ad tutiorem reorum custodiam non satis ducens carceris Præfectus, vulgeri illos carcere clausos detinere, in penitiorem carcerem eos conjecit; & ne forte arte vel casu sese inde proriperent, compedibus adstrinxit. Sunt autem compedes lignei asseres duo, qui se mutuo jungunt, variis distincti per intervella foraminibus, quibus reorum crura inseruntur, magis minusve divaricata, pro modo supplicii qui addicuntur. Ita ergo supini, crucibusque miserum in modum distractis, pedibusque compede adstrictis detinebantur (11). Instrumenta hæc supplicii interdum generico nomine *lignum*, sæpe *nervus*, *cippus*, *compedes* vel *numella* appellantur. Qui compedibus hisce vinciebatur, in Legibus dicitur (12) *ad malum mansionem extensus*, idest, juxta Scholiastem, pedes habens insertos foramini inter duos asseres paratos; cujusmodi Plautus nuncupat *ligneam custodiam*, Prudentius de S. Vincentio (13):

Lignoque plantas inserit,
Divaricatis cruribus.

ỹ. 26. Subito terræmotus factus est, indicium Numinis vel Angeli præsentis. Sinai totus cohorruit, cum Dominus Legem daturus Moysi, vertici ejus insedit (14): tremuit & terra, cum Angeli in resurrectione Jesu Christi e cœlo delapsi sunt (15). Simul autem descendens Angelus, carceris fores reclusit, ac vincula, quibus uterque Apostolus vinciebatur, infregit. Sed uti illos oblate sibi libertate fugiendi, noluit Deus. Satis habuit, illud potentiæ suæ specimen præbere, quo & gloriam Apostolorum suorum, & veritatem Evangelii sui commendaret.

ỹ. 27. Volebat se interficere, ratus, reos omnes carcere detentos, fuga se proripuisse, eamdemque evasionem sibi culpæ adscriptum iri. Solebant Commentariensee, si effugissent vincti, eamdem pati pœnam, quam vincti passuri fuerant, ait Grotius hic. Proni erant Ethnici in necem sibi inferendam, quod & a Philosophis plerisque probatum fuit, nec ab Idolorum Religione interdictum. Quin & problemate agitatum in utramque partem apud Hebræos, fas esset necem sibi consciscere necne, Grotius defendit (16).

ỹ. 28. Universi hic sumus. Eodem in carcere eliisque vicinis, vincti plures tenebantur. Terræ concussio ac vinculorum infractio tam subito ac inopinato acciderunt, ut nec spatium se colligendi, nec capiendi de fuga consilium vinctis reliquerint.

ỹ. 29. Procidit Paulo et Silæ; satis intelligens, virtuti illorum & innocentiæ id a Deo prodigii datum fuisse. Miratus igitur tantam virtutem & bonitatem, qui opportunitatem sibi consulendi neglexissent, quique animis despondentem confirmassent, prohibuissentque ne gladio se confoderet, antequam rerum suarum statum, & quid de vinctis cognosceret. Sunt qui credant (17), nonnisi divino miraculo factum fuisse, ut Paulus in secretiori abditus carcere superna perfusus luce videret carceris custodem exterius & in tenebris necem sibi inferentem. Sed ne miracula multiplicentur, credibile est, custodem illum re improvisa excitatum, statim accurrisse ad fores carceris, ejus præsertim, in quo Paulus & Silas vincti detinebantur; patentesque cernentem, improviso correptum terrore exclamasse, se statim in ensem ruiturum; quod Paulus prohibuit, clamans, parceret sibi, neminem enim carcere exiisse.

ỹ. 30. Producens eos foras; e penitissimo carcere eduxit illos sive in vestibulum carceris, sive in domum suam, carceri conjunctam. Porro ad custodem carceris pervenerat fortasse murmur de Religione, quam uterque Apostolus prædicabat, de miraculis & fructu prædicationis illorum, ac præsertim de eo quod utriusque detentioni occasionem præbuerat. Hæc simul omnia menti ejus tunc occurrentia impulerunt hominem, ut se totum iis traderet, quorum sanctitas rebus adeo miris efferia fuerat.

ỹ. 31. Crede in Dominum Jesum. Hoc epilogo claudunt omnes, quibus illum erudierunt, institutiones, ỹ. 32. Docuere quanta esset profanæ superstitionis inanitas, quanta veritate ipsi efferrent, unum Deum esse Cœli Terræque Conditorem; Jesum Christum, Æterni Patris Filium, humanas induisse exuvias, obiisse, atque ea mortuis surrexisse nostri causa: unum hunc esse mundi Servatorem; ad salutem obtinendam credendum esse Evangelio, vitam ad præcepta Jesu Christi componendam, perseverandum in fide & in charitate, expiande peccata per pœnitentiam, sincera cordis conversione redeundum ad Deum, excipiendum Baptisme, & Jesu Christi Religionem profitendam. Hæc omnia complectitur brevis ille periodus: *Crede in Dominum Jesum*.

ỹ. 33. Lavit plagas eorum, Pauli & Silæ, dire cæsorum, virgisque sulcatorum justu Magistratuum ỹ. 22. *Et baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo*. Brevi illo temporis spatio, quo a Paulo edocti sunt, tanto fidei munere illos donavit Deus, ut satis comparati censerentur ad excipiendum Baptisma, quod adultis conferri non solet nisi prius edoctis & probatis, juxta illud Jesu Christi Matt. 28. 19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Suspicati sunt quidam

(6) Servius in Æneid. 8. *Cautum fuerat & apud Athenienses & apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones. Unde & Socrates damnatus est, & Judæi & Chaldæi urbe pulsi.* (7) Vide Grot. hic. Dionys. Halyc. Τὰς ἐσθῆτας περιῤῥήξαντες αὐτῶν, τὸ σῶμα ξαίνειν. Plutarch. in Cicerone: Ἐσθῆτα περιερρήγνυον. In Camillo: Καταῤῥηγνύντα τὰ ἱμάτια. Valer. Max. *Veste scissa, spoliato corpore*. T. Liv. *Laceratisbus vestem lictoribus*. (8) Mischna, tract. Maccoth, per. 3. (9) 2. Cor. xi. 25. *Ter virgis cæsus sum*. (10) Vide 2. Cor. xi. 24. ex Deut. xxv. 3. (11) Vide Chrysost. 1. 2. homil. 80. p. 831. (12) L. Si hominem, D. Depositi. Scholiast. Ξύλον ἐστὶν ᾧ ἐμβάλλεται τοὺς πόδας. (13) Prudent. Hymn. 4. de S. Vincentio. Vide Grot. hic. (14) Exod. xix. 18. (15) Matt. xxviii. 2. (16) Vide Grot. de jure B. & P. lib. 2. cap. 19. art. 5. (17) Fromond. ad ỹ. 28. & 29.

dam (18), custodem hunc carceris ejusque familiam esse *Stephanum* vel *Stephanam*, de quo Paulus (19): *Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterum nescio si quem alium baptizavi*. Probabilius est tamen, Stephanam hunc non Philippensem, sed Corinthium fuisse.

℣. 34. Apposuit eis mensam (20), cibos afferri illis jussit. Solebant tunc convivæ in lectis discumbere, mensaque cibis referta apponebatur; ad singulas autem ciborum mutationes novæ pariter mensæ afferebantur. Affectus erat uterque Apostolus jejunio, vulneribus, effusione sanguinis. Nondum illuxerat dies, cum cibos degustarunt; statimque a mensa redierunt in carcerem, sciente nemine quid ea nocte in domo illa accidisset.

℣. 35. Miserunt Lictores; Græcus (21), *baculorum gestatores*. Lictores proprie vocabantur Ministri illi, qui securim, insertam fasci virgarum, ante Consules præferebant. Sed in provinciis singuli Magistratus contenti erant unico lictore cum baculo vel virga ad removendam turbam, ut locus transeunti daretur. Igitur lictores jussu Magistratuum renunciarunt carceris custodi, *ut dimitteret homines*. Sive quod pudoerit Magistratus rei perverse gestæ cum viris insontibus, sive quod amici Pauli & Silæ, forte Timotheus & Lucas, omnia moverint pro eorum libertate procuranda, & Magistratus sincera narratione de rei veritate certiores fecerint; sive quod miraculum, quod per quietem noctis acciderat, renunciatum illis fuerit; æquitatis esse & justitiæ duxerunt, illos e carcere dimitti.

℣. 37. Cæsos nos publice, &c. Quietus sustinuerat Apostolus se in carcerem detrudi, & virgis cædi. Nunc vero cum de restituenda sibi libertate res est, reclamat, & de Magistratuum iniquitate conquestus, denunciat, Civem se esse Romanum, nec exiturum nisi prius excusatione injuriæ accepta, & innocentia sua palam declarata. Quorsum ista? Nimirum ut simul & gloriam Evangelii, & veritatem, innocentiam famamque suam, ac Neophytorum suorum fidem tueatur. Dei honor & Evangelii gloria poscebat, ut electus ejus Præco justus & crimine vacuus agnosceretur. Fama nominis necessaria erat Apostolo ad promovendam Domini sui gloriam, & consulendum rebus Religionis (22). E re pariter erat Neophytorum, ut scirent, Præceptorem suum mala perpeti, non ut scelestum vel deceptorem, sed pro æquitate & Dei causa defendenda. Denique conducebat, ut Ethnici sentirent ignominiam suam, quam iniqua insectatione & oppressione meruerant.

Crito, cæterique Socratis amici, teste Platone, illum carceri traditum invisentes, hortati sunt, se fuga proriperet, operam pollicentes suam, si res posceret, ut vi & armis e mediis custodibus eriperetur. Rediit die altera Crito solus, & quam maxime potuit rationibus urgebat, ut tandem fugæ consilium caperet. Sed nunquam impetrari id potuit ex Socrate (23), quod iniquum esse diceret malum malo evitare; parendum sibi esse patriis legibus; nihil præferendum justitiæ, nec se posse ignominiæ suæ superstitem esse, si libertatem suam e carcere indignis bono viro & fœdis artibus procuraret. Una deerat Socrati fides veri Numinis, & causa melior; præclara sunt enim tanti viri dogmata.

Paulus Romanum hic civem se profitetur. Id sibi decus non semel asseruit (24); & opportune semper, non ut rebus suis, sed ut veritati & religioni consuleret. Loquitur hic generice: *Nos homines Romanos*; ac si id cum Sila haberet commune. Sed probata magis sententia (25) tenet, uni Paulo id privilegii fuisse. In similibus rebus plurali interdum pro singulari utimur, uti cum Matthæus 28. 44. scribit, latrones cum Jesu cruci affixos jurgia & probra in illum jecisse; quamquam unum tantummodo ex illis Christo insultasse, diserte exprimit Lucas 23. 39. Romani Civis decus erat tunc in honore, præsertim in Romanis Coloniis, inter quas Philippi. Cautum erat Legibus (26), ne cives virgis cæderentur, nisi morte damnati; adeoque potiori jure cædendi non erant indicta causa, & indemnati. *Facinus est*, ait Cicero in Verrem Orat. 5. *vinciri Civem Romanum; scelus verberari*. Claudius Imperator Rhodios paulo antea libertate privaverat, quod Cives Romanos nonnullos læsissent (27).

Sed unde hæc in Apostolo prærogativa? Scitum est, originem traxisse illum e Tribu Beniamin, annorumque suorum plerosque Jerosolymæ egisse. Sed oriundus erat Tharso Ciliciæ, quæ Urbs meruisse fertur titulum & privilegium Coloniæ Romanæ, ob egregiam fidem in Julium Cæsarem (28). Malunt alii, decretum illi tantummodo fuisse jus liberæ Civitatis, non Coloniæ Romanæ, nec urbis, quæ Civitate Romana donaretur. C. Crassus odio Cæsaris pessime in illam sæviens, privilegiis omnibus multavit; sed Triumviri Augustus, Antonius, & Lepidus vetera jura redintegrarunt (29). Nullum in nummis vestigium apparet tituli Coloniæ Romanæ Tharso collati ante Caracallam vel Helagabalum (30), unde suspicio ingeritur, jus Romani Civis non publice omnium urbis illius fuisse, sed privatum quorumdam, veluti patris Apostoli Pauli, quem certe illo potitum constat; quo tamen merito, ignotum.

Veterum nonnulli (31) Pauli originem traxerunt e Giscala, modica Galilææ urbe, quam regionem, inquiunt, vastantibus Romanis, Cives omnes, inter quos puer adhuc Paulus, Tharsum Ciliciæ translati fuerunt; ut proinde civis Romani privilegium ab ortu quidem traxerit Act. 26. 3. sed alio jure, quam quod ex Tharsensibus civibus fuerit. Photius Ep. 102. censuisse videtur, Apostolum Civitatem Romanam ideo obtinuisse, quod ad Tribum Beniamin pertineret; quam ille sententiam traxit e fabella veteris cujusdam Græci Scriptoris, qui Urbis Romæ populique Romani originem derivat e viro quodam nomine *Ros* Beniamite, qui ante Romam conditam in Italiam migraverat. Sed apage fabellas. Tametsi nondum certo exploratum esset, Tharsum jam tunc jure Coloniæ Romanæ gavisam fuisse, uti re ipsa nondum satis compertum est, commode dici potest, patrem vel avum Apostoli jus hoc ad augendam familiæ suæ nobilitatem sibi suisque soluto pretio emisse; atque ita Apostolum Civitatis Romanæ decus ab ipso ortu traxisse. Porro jus illud pretio emi consuevisse, patebit infra 22. 28.

℣. 38. Timuerunt, audito quod Romani essent. Romani, quorum Imperium per totum Orbem ea ætate celebre erat, injurias sæpe & mala Romanis illata civibus severissime ulciscebantur. Latæ apud illos Leges ulcisci majestatem populi Romani, in persona Civium suorum læsam, jubebant. V. Grot. Fromond.

℣. 39. Deprecati sunt eos; deprecati sunt injuriam. Vel (32): *Consolati sunt eos* (33), dolentes, quod indigne habiti fuerint, simulque rogantes ut

(18) Oecumen. hic; Gagn. (19) 1. Cor. 1. 16. (20) Παρέθηκε τράπεζαν. (21) Τοὺς ῥαβδούχους. (22) August. lib. de bono viduitatis c. 22. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis autem fama nostra*. (23) Vide Platon. in Critone. (24) Vide infra xxii. 25. 28. xxvii. 27. (25) Grot. Vide infra cap. xxii. 25. (26) Lege Porcia, & Sempronia, apud Cicer. pro Rabirio. (27) Dio lib. 60. (28) Dio Chrysost. orat. 34. Vide Spanh. l. 9. p. 785. de præstant. & usu numism. (29) Dio Cass. l. 47. p. 142. Vide & Appian. Civil. 5. (30) Vide Cellar. lib. 3. c. 6. Geogr. antiq. Vide & Grot. ad Act. xxii. 28. (31) Hieronym. in Ep. ad Philemon. & de Viris Illustr. cap. 5. (32) Παρεκάλεσαν αὐτούς, καὶ ἐξαγαγόντες ἠρώτων ἐξελθεῖν τῆς πόλεως. (33) Grot. Lud. de Dieu.

ut secederent ex urbe, ne populus jam tumultuans magis magisque concitaretur.

℣. 40. INTROIERUNT AD LYDIAM, hospitam suam, ubi Lucam, Timotheum & Neophytos nacti sunt. Paulus & Silas, narratis iis quæ sibi acciderunt, solati sunt mœstos, & hortati (34), ut in fide perseverarent; statimque digressi secesserunt, rati intempestivum esse, nulla necessitate novas in se turbas provocare. Post annos quinque vel sex iterum Philippos venit Apostolus, Jerosolymam pergens, & decimo post primum iter anno epistolam ad Philippenses dedit. Porro Philippenses nunquam a Pauli amicitia se sejunxerunt, quem & rebus suis non semel in angustis rebus juverunt. Versanti enim Thessalonicæ bis pecuniam suppeditarunt (35); iterumque cum is ageret Corinthi (36), & diu post, cum Romano carcere detinetur, *Philip.* 4. 9. 14. 18.

(34) Παρεκάλεσαν, sonat, *consolati*, vel *hortati sunt*. (35) Philipp. IV. 16. (36) 2. Cor. XI. 9.

C A P U T XVII.

Paulus Thessalonicam, deinde Berœam pergit. A Judæis vexatur. Venit Athenas, & in Areopago disputat. Dionysius Areopagita & alii convertuntur.

℣. 1. CUM autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, & per sabbatha tria disserebat eis de Scripturis, 3. Adaperiens, & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis: & quia hic est Jesus Christus, quem ego annuncio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. 5. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitaverunt civitatem: & assistentes domui Jasonis quærebant eos producere in populum. 6. Et cum invenissent eos, trahebant Jasonem, & quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui Urbem concitant, & huc venerunt, 7. Quos suscepit Jason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Jesum. 8. Concitaverunt autem plebem, & principes civitatis audientes hæc. 9. Et accepta satisfactione a Jasone, & a cæteris, dimiserunt eos. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum, & Silam in Berœam. Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierunt. 11. Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci. 13. Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia & Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt, & illuc commoventes, & turbantes multitudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem, & Timotheus remanserunt ibi. 15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt. 16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. 17. Disputabat igitur in synagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant. 18. Quidam autem Epicurei, & Stoici philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum, & resurrectionem annuntiabat eis. 19. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? 20. Nova enim quædam infers auribus nostris: volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse: 21. (Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi. 22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. 23. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inveni, & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, 25. Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: 26. Fecitque ex uno omne

genus

genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, 27. Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. 28. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim, & genus sumus. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum esse simile. 30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, 31. Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. 32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exivit de medio eorum. 34. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt; in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

℣. 1. CUM PERAMBULASSENT AMPHIPOLIM ET APOLLONIAM, VENERUNT THESSALONICAM. Philippis Apostolus & socii ad meridiem progredientes, in Macedoniam ulterius penetrarunt. Venerunt autem primo Amphipolim urbem ad mare, inter duos ramos, quibus amnis Strymon diffecto alveo in mare influit. Apollonia meridionalior est urbs, & a mari remotior, amnique Echedoro adjacens. In his urbibus substitisse Apostolum vix credo, quod forte Judæi ibi non agerent, a quibus pro consueto more prædicandi Evangelii exordium faciebat Act. 13. 46.

Thessalonica urbs est inclyta, Macedoniæ metropolis, ad sinum Thermaicum, quam ornatam auctamque a Philippo Macedonum Rege, & in monumentum relatæ de Thessalis victoriæ, Thessalonicam appellatam fuisse, Stephanus Byzantinus est author. Ante illud tempus *Thesma* appellabatur. Verum Strabo, Tzetzes, & Zonaras Thessalonicam dictam putant a nomine *Thessalonicæ* Philippi filiæ, & Cassandri uxoris. Judæos ibi frequentes fuisse, ea Synagoga, quam obtinebant, intelligimus.

℣. 2. SECUNDUM CONSUETUDINEM INTROIVIT AD EOS .... ET DISSEREBAT DE SCRIPTURIS. (℣. 3.) ADAPERIENS, &c. Pro more Synagogam ingressus Sabbatho, Scripturarum oracula de Messia explicabat, accommodabatque Jesu Christo, quem Servatorem esse tamdiu ab eis expectatum, demonstrabat. Plures non immerito suspicantur (1), illud *adaperiens* referendum esse ad vocem *Scripturis*, in hanc sententiam: Explicabat illis, ad verbum, *adaperiebat* locos Scripturarum, e quarum oraculis demonstrabat, id agendum tolerandumque a Messia esse, quod Jesus Christus egit reipsa & toleravit (2); atque ita Crucis scandalum, maximum Judæorum conversioni impedimentum, subducebat (3): *Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*.

℣. 4. DE COLENTIBUS, GENTILIBUSQUE MULTITUDO MAGNA; Proselytorum, qui forte adfuerunt in Synagoga, & Paulum verba facientem audierunt. Latinus habet: Multitudo magna *de colentibus Deum*; vel de timentibus, *Gentilibusque*; id quod a Codicibus Græcis permultis confirmatur (4). Sed Græcus typis editus legit: *Multitudo magna Græcorum*, vel *Gentilium timentium Deum*, vel Proselytorum, cujusmodi erant Cornelius aliique plures, de quibus in Capitibus superioribus (5). Gentiles erant, qui circumcisione licet non admissa, pietatem colebant, Idololatriam abjecerant, & Legi naturali parebant; id genus hominum appellabant Hebræi *Proselytos Januæ*, vel domicilii. Accesserant pariter fidei Matronæ plures clarissimæ. Illud generatim animadvertendum est, fœminas facilius quam viros Proselytorum legibus sese subdidisse; sexus est enim ille multo superstitiosior, timidior, & curiosarum rerum studiosior. Matronis plures erant ancillæ Judææ, ex quibus illæ cultum religionemque unici Numinis didicerant.

℣. 5. ZELANTES AUTEM JUDÆI, ASSUMENTESQUE DE VULGO VIROS QUOSDAM MALOS; Judæi ob animi ægritudinem iniquius illa ferentes, adsciverunt lixas & calones; ad verbum, *circumforaneos viros* (6), vel homines a foro otiosos, e fœce populi: *Sordidam plebem*, ut verbis Taciti utar, *circo & theatris assuetam*; vel ut Apulejus: *Trivialem popularium fæcem*. Pauciores erant numero Judæi, quam ut urbem commoverent; ideoque accitis hisce vilissimis, impetum cum illis fecerunt in domum Jasonis Judæi ad fidem conversi, ubi Paulus cum Sila morabatur. Jasonis hujus meminit Apostolus in Epist. ad Romanos ult. 21. eumdemque necessarium suum appellat. Quas objecerint calumnias turbulenti isti homines, ut invidiam crearent in Paulum, infra discemus.

Ipse de se Apostolus narrat (7), verba sua Deum miraculis, variisque potentiæ Sancti Spiritus argumentis confirmasse; multa sibi toleranda fuisse, multisque persuasisse, illosque verba sua ita excepisse, tamquam ab ipso Deo prolata, lætosque subiisse adversa, ut insigne essent Christianæ virtutis documentum cæteris Macedoniæ & Achajæ Fidelibus. Materna erga illos viscera gerebat Apostolus, eosque patris charitate diligebat; optassetque nedum Evangelii scientiam illis tradere, sed & vitam suam ob eorum salutem prodigere. Docuit eos multa (8), præsertim de Antichristo, ac de labore manuum, exemplo melius quam verbo, noctu diuque manibus laborans suis, ne cui esset oneri. Quin & semel atque iterum necessaria sibi comparari a Philippensibus passus est: adeo cautus erat, ne nisi gratis prædicaret.

℣. 6. HI SUNT QUI URBEM CONCITANT. Familiares sunt hæ seditiosorum & insectantium sermocinationes; imputant aliis turbas, quas ipsi concitant, & perduellionis accusant eos, quos vexationibus suis opprimunt. Græcus legit (9): *Qui totum Orbem*, vel *Terram habitatam subvertunt hi*, ut proinde in Latino pro *Urbem* legendum sit *Orbem*.

Qui Jerosolymis erant Judæi, post sublatum Christum, insectari Apostolos & Fideles, extorres agere, neci tradere, injuriis publice & calumniis vexare, maledictis in Synagogis incessere non contenti (10), viros delegerunt, quos in omnes

(1) Chrysost. hic, Grot. Pricæ. (2) Confer Luc. xxiv. 26. 27. (3) 1. Cor. 1. 23.
(4) Cant. Alexandr. Petr. 3. Colb. Vulg. Τῶν σεβομένων, καὶ Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. At Græcus typis editus: Τῶν σεβομένων Ἑλλήνων. (5) Vide Act. xiii. 42. 43. xvi. 14. xvii. 17. (6) Τῶν ἀγοραίων τινάς. Vide Grot. & Pricæ. hic. (7) 1. Thessal. 1. 5. & seqq. & 11. 11. 14. & seqq. (8) 2. Thessal. 11. 5. 111. 7. &c. (9) Οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες. (10) Justin. Dialog. Origen. in Jerem. homil. 18. Hieronym. in Isai. &c.

mnes terrarum plagas mitterent, insusurrantes ubique, novam surrexisse Sectam Christianorum, quæ Deorum contemptum inveheret, legesque subvertere omnes, cujus author Jesus criminum suorum pœnas in Cruce luisset; sed ejus Cadavere noctu sublato, Discipulos alte ubique proclamasse, surrexisse illum e mortuis; cæterum doctrinam spargere illos impiam, execrabilem, sacrilegam. Sparsus hic Judæorum opera rumor odia in Christianos innumera inflammavit; quæque ex his calumniis ebibêre hominum mentes, post ducentos amplius annos nondum penitus deleta fuerant (11). Quin & ferunt, apud Judæos Vormatienses ad Rhenum servari adhuc unam ex epistolis, tunc a Judæis adversus Jesum Christum ejusque Discipulos missis (12). Accusationem igitur facile struxerunt Thessalonicenses e rumoribus hisce & epistolis, quas Synagogæ Judæorum ubique sparserant; quo freti fundamento ajebant, Paulum & socios homines esse seditiosos, quippe qui novam doctrinam, novum Dominum, novum Regem prædicarent.

℣. 7. Contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Jesum. Impii isti Judæi veram odii in Apostolos causam dolo malo supprimunt, probe scientes, e re sua non futurum, si dissidium esse de Religione proderent; neque enim immiscere se iis Gentiles voluissent; quare agi de Republica mentiuntur. Ipsa Imperii fundamenta homines isti quatiunt, asserentes, Jesum esse Messiam, vel omnium hominum Regem; adeoque nec Cæsarem agnoscunt. Commenti hujus fraus ultro se prodebat; non enim difficile demonstrari poterat, Jesu Christi Regnum ab hoc Mundo diversum esse, ut proinde de Imperio Cæsaribus eripiendo minime cogitaret. Sed furens populus rationes hasce non audiebat. Concursu facto ad ædes Jasonis, omnes, quos in iis nacti sunt, tenuerunt.

℣. 9. Accepta satisfactione a Jasone et a cæteris, dimiserunt eos. Vulgata ad verbum fert, Jasonem cæterosque *satisfactionem* dedisse, idest, ex plurimis Interpretibus (13), tumultuantes pacasse, affirmantes, viros illos publicæ rei perturbatores non esse, Regnumque, de quo verba faciebant, esse spirituale, cum Jesus Christus temporale Regnum non quæsierit, quippe qui Deus esset regnans in Cœlis; ipsosque, quos accusabant, jussionibus Cæsarum esse obsequentissimos. Sed Doctissimi vertunt Græcum (14): *Acceptis fidejussoribus* (15): vades se pro illis exhibuerunt, spondentes futurum, ut ipsi homines istos producerent in medium, si res postularet. Quamquam id opus non fuit; eadem enim nocte Fratres Paulum & Silam ex urbe eduxerunt; amotisque illis, Judæi quieverunt. Jason idem facile erat, uti supra animadvertimus, cujus meminit Apostolus in Epistola ad Romanos XVI. 21. in qua & necessarium suum appellat.

℣. 10. In Beroeam, ubi Synagoga erat Judæorum. Jacebat Berœa ad eumdem Sinum quo Thessalonica, sed multo meridionalior.

℣. 11. Hi autem erant nobiliores, ingenua magis indole, quam Judæi Thessalonicenses. Græcus (16) generice usurpatur pro ingenuitate originis, indolis, animi; exprimit etiam generosi animi nobilitatem, bonitatem, magnitudinem, æquitatem, institutionem liberalem. Multo doctiores erant, cultiores, humaniores quam Thessalonicenses; adeoque salutis dogmati excipiendo dociliores. Exceperunt revera facilius, cum impedimenta minora attulerint, & melius comparatos illorum animos Dei gratia citius pervaserit. E primis hisce Fidelibus unus creditur Sosipater ille, necessarius Apostoli, de quo idem in Epistola ad Romanos XVI. 21. Ejus memoriam, una cum Jasonis hospitis Pauli Thessalonicæ, die 28. seu 29. Aprilis Græci colunt.

Quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. Contendebat Apostolus, Jesum Christum Messiam esse, a Prophetis promissum, & passim in Scripturis expressum: supererat, ut demonstraretur, locos e Scripturis laudatos Messiæ adventum respicere; eoque demonstrato, Jesu Christo deinde aptarentur. Judæis ad id usque generica quædam notio de Messiæ proprietatibus inerat, quæ vera licet, deceptionibus tamen obnoxia esse poterat, quod eorum plures ea pessime abuterentur. Concepta de amplitudine & potentia Messiæ opinio repugnabat imbecillitati, & malorum perpessioni, quas Scriptura Messiæ tribuit. Concilianda erant hæc inter se. Conveniebat Paulus Judæos; lectio Scripturarum absque dolo malo habebatur, conferebantur Scripturæ loci, sedulo distincta in Jesu Christo natura hominis & Dei, regno ejus æterno in Cœlis, & temporali Ecclesiæ in Terris, ortu, rebus gestis, morte, miraculis, resurrectione, & ascensione: ita demum nodus solutus est, quæque pugnare inter se videbantur, in unam rei seriem convenerunt. Itaque homines isti non cæco plane modo in fidem inducti sunt, & Apostolus, nunquam non sapientissimus, non divinas artes & prodigia adhibuit ad illos convincendos, sed ratione tantummodo & Scripturarum authoritate usus est, miraculis necessitati servatis.

℣. 12. Mulierum gentilium honestarum; mulierum Græcarum; seu potius, mulierum e numero Gentilium, Proselytarum, mulierum, quæ Judaismum licet non professæ, Deum tamen verebantur, probisque operibus sese exercebant.

℣. 14. Paulum dimiserunt fratres usque ad mare. Cum ad aures Judæorum Thessalonicensium venisset, quam celeriter Evangelium Berœæ proficeret, emissarios submisere, ut inde Paulum ejicerent; illum enim potissimum sibi constituerant lacessendum. Igitur Fratres sedulo curavere, illum per viam maris subducere, ut adversarii ignorantes quo is perrexisset, ratique se mari commisisse, illum infectari desinerent. Ne tamen nascentem hanc Ecclesiam desereret Apostolus, confirmandis in fide neophytis & instituendis Silam & Timotheum Berœæ reliquit.

℣. 15. Deducebant usque Athenas: pedestrine an maritimo itinere? incertum. S. Chrysostomus hom. 37. in Acta, aliique nonnulli (17) censent, per maris litus deductum fuisse, ut adversarii deciperentur. Reddi potest Græcus versiculi superioris (18): *Dimiserunt eum, velut iret usque ad mare*. Sed Theodoretus in Ep. ad Thessal. aliique plures (19) contendunt, navi delatum Athenas venisse; id quod nos vero propius existimamus: est enim terrestris via multo prolixior; nec legimus, in toto eo itinere Apostolum substitisse alicubi vel prædicasse, quamquam Berœam inter & Athenas spatium sit leucarum ferme octoginta. Difficile autem erat, Apostolum toto eo tempore a prædicatione & institutione abstinuisse. Celebris Codex Græco-Latinus Cantabrigiensis legit hic (20): *Transivit per Thessaliam, sed ne ibi prædicaret verbum, prohibitus fuit*. At in eo Codice frequentes sunt additiones, & nullius authoritatis glossemata. Id solum ex eo recte colligas, additamenti hujus Authorem accessisse opinioni

(11) Vide Origen. lib. 6. contra Cels. & Tertull. ad Nation. lib. 1. c. 4. & lib. 3. contra Marcion. c. 23.
(12) Grot. in Act. XXVIII. 21.
(13) Vide Sanct. From. Camerar. Vatab.
(14) Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς.
(15) Ita Budæus, Bez. Grot. Piscæus, Cornel. alii.
(16) Εὐγενέστεροι τῶν ἐν τῇ Θεσσαλονίκῃ, idest, ἐπιεικέστεροι. S. Chrysost. hic.
(17) Grot. Tillem. Cajet. &c.
(18) Πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Vulg. legit: Ἕως, Usque.
(19) Fromond. Cornel. Le Clerc.
(20) Παρῆλθε δὲ τὴν Θεσσαλίαν· ἐκωλύθη γὰρ εἰς αὐτοὺς κηρύξαι τὸν λόγον.

nioni illorum, qui terrestri itinere Berœa Athenas venisse Apostolum putant.

Athenæ Urbs omnium tunc florentissima gloria scientiarum, & Discipulorum Præceptorumque ex universi Orbis Romani Provinciis, adempto Imperij jure, rebusque bellicis & mercatoriis derelictis, totam se ad literas colendas convertit, bona adeo fortuna, ut famam, quam olim sibi pepererat bellica civium virtute, rebusque mari terraque strenue gestis, gloria literarum facile vicerit.. Celebrabatur veluti generalis omnium optimarum scientiarum Academia; nec augustius theatrum seligere poterat Apostolus, ubi nunciaret Evangelium, neque aptiorem locum, ubi nova quæque avidius exciperentur; ac denique ubi, quam tradebat, doctrina probaretur magis, citiusque se per Orbem diffunderet, ob concursum tot virorum illustrium hominumque, qui rerum curiosarum amore tenebantur.

Accepto mandato. Comites a Berœensibus dati Apostolo usque Athenas, statim redierunt, quos renunciare Silæ & Timotheo Berœæ adhuc perseverantibus jussit Apostolus, ut statim ad se venirent; Athenis enim auxilio eorum indigebat, nedum ut socios prædicationis haberet, sed ut, illis res necessarias curantibus, commodius ipse prædicationi vacaret.

℣. 16. Incitabatur spiritus ejus, & veluti irritabatur (1), stimulis pungebatur, angebatur, inter indignationem & miserationem fluctuans, pio flagrans ardore, quod cerneret florentem adeo doctamque Urbem in Idololatria & errore versari: *Videns Idololatriæ deditam*. Græca vox sonat (2) *Idololatriæ plenam*, vel locum magno Idolorum numero frequentatum, scatentem, superstitionibus effluentem; vel Urbem totam Idololatriæ permissam, Idolorum mancipium. Re vera apud veteres Scriptores Athenæ omnium Græcarum urbium superstitiosissimæ dicuntur. Notat Strabo l. 10. Athenienses humanissimos fuisse, maxime faciles erga exteros, & hospitalitatem amantes, non erga homines tantum, sed & erga cæterarum regionum Deos: hinc vitio illis apud Comicos Scriptores vertitur, quod externorum Deorum turbam admiserint. Pausanias (3) & Josephus historicus agnoscunt, Athenienses totius Græciæ religiosissimos habitos fuisse; quæ pariter illis laus a Sophocle asseritur (4). Tanta erat Athenis statuarum & Idolorum silva, ut commode illis aptari queat, quod olim de Roma Petronius scripsit: *Nostra regio tam præsentibus plena est Numinibus, ut facilius possis Deum quam hominem invenire*. Plus Idolorum Athenis collectum, quam reliqua in Græcia sparsum fuisse, Pausanias, & deinde S. Gregorius Nazianzenus asseruerunt (5).

℣. 17. Disputabat in Synagoga, prædicationem pro more suo exordiens a Judæis, ne negligi se ab Apostolo quererentur, ut Gentilibus convertendis operam daret. Sed post edoctos Judæos & Gentiles Deum timentes, quos forte in eorum Synagogis nanciscebatur, conferebat sese in forum, quo concursus ex omni hominum genere fiebat, ibique palam pro concione Evangelium nunciabat.

℣. 18. Epicuræi et Stoici. Philosophorum sectæ quatuor Athenis tunc principes erant. Academici, Peripatetici, Stoici, Epicuræi. Quarum duas posteriores dumtaxat commemorat Lucas, quod forte a Religione Christiana essent alieniores. Negabant Epicuræi, Mundum a Deo conditum esse, ejusque providentia regi, animam superstitem post obitum agere, pœnas vel præmia post hanc vitam manere. Denique nihil boni malique nisi in hac vita norant. Stoici libertatem arbitrii negantes, agi omnia fato & fatali necessitate docebant. Sapientem supra res cæteras suis unius viribus efferri: unum Jovem Sapiente viro esse majorem (6); atque eo tantum nomine, quod is diutius felicitate, bonitate, & potentia gauderet. Quin & Sapientem suum Stoici supra Deum quodammodo efferebant, cum Deus natura sua sapiens sit; homo virtute nisuque suo ad sapientiam perveniat (7). Hæc erant Philosophorum dogmata, quibuscum res agenda erat Apostolo. Ex tanto doctrinarum dissidio inter Apostolum & Philosophos facile intellexeris, quanta esset cum difficultate pugnandum, ut illos ad sententiam suam pertraheret. Nihil minus agendum illi erat, quam ut ipsa eorum opinionis fundamenta erueret.

Quid vult seminiverbius hic dicere? Græcus ad verbum (8): *Seminum collector*. Ex Grammaticorum sententia vox hæc proprie designat aviculam, quæ cibum quæritat carpens ex agro semina. Usurpatur autem proverbii more de nugatoribus, qui de omnibus jure injuriaque garriunt, temere atque inconsulto, quæ feruntur sermonibus, omnia colligunt, nec meliore judicio effundunt; deque iis, qui vitam non tolerant nisi rebus, quas in macello carpunt, colligentes sive quod casu deperditur, sive quod ibi per incuriam relinquitur, sive denique surripientes quod in Altari relictum est (9). Ignota adeo loquebatur illis Apostolus, ut monstri loco habendum non sit, si nebulonem existimaverint, & ipsi sibi ignota garrientem. Crucis enim doctrina *gentibus stultitia est*. 1. Cor. 1. 23.

Novorum Dæmonum videtur annuntiator esse, novorum Numinum; vel, juxta Græcum (10), *externorum Dæmonum*. Sed Græci Dæmonum nomine Deos, quos suo more effinxerant, intelligebant. Veteres Atheniensium Leges (11) interdixisse feruntur, ne quis novus externusque Deus in urbem induceretur. Sed lapsu temporis Athenienses religionis suæ partem in eo constituerant, ut Deorum nullum urbe sua prohiberent; & cum magno alicui viro statuam ponebant, simul illam Numini alicui consecrabant (12). Ita Mithridates erectam Platoni statuam Musis dedicavit; ut tot essent in urbe simulacra, quot Numina (13).

Cum audirent Athenienses Apostolum celebrantem Jesum Christum Filium Dei, qui Judæam universam in admirationem prodigiorum suorum ac doctrinæ rapuerat, quique e mortuis surrexerat ac regnabat in Cœlis, rati novo alicui Numini urbem postulari, deduxerunt illum in Areopagum, sive ut tamquam impius Legumque Regionis violator damnaretur, sive ut rationem redderet doctrinæ suæ, & ea quæ meditabatur, Judices edoceret. S. Chrysostomus (14) eo missum censet, ut damnationis sententiam subiret. Scitum est, quanti steterit Socrati contemptum erga Atheniensium Numina apertius prodidisse. Senten-

[1] Παρωξύνετο, &c. [2] Κατείδωλον οὖσαν. [3] Pausan. Attic. Joseph. lib. 2. contra Appion. Ἀθήνας τὰς Ἑλλήνων εὐσεβεστάτας πάντες λέγουσι. [4] Sophocl. Oedip. Col.

Ὁ δ' εἴ τις γῆ θεοὺς ἐπίσταται
Τιμαῖς σεβίζειν, ἥδε τῷδ' ὑπερφέρει.

[5] Nazianz. orat. funebr. S. Basilii. [6] Horat. *Sapiens uno minor est Jove*. [7] Senec. Epist. 73. Vide Grot. & Heins. & maxime Diogen. Laert. in Zenone, & Stanley. hist. Philosoph. tom. 2. p. 617. & seq. [8] Ὁ σπερμολόγος. Harpocration: Λέγεται τι μικρὸν ὀρνίθιον ... σπερμολόγος ... ἀπὸ τοῦ τὰ σπέρματα ἀναλέγειν. [9] Vide Eustat. & Ulpian. apud Grot. hic. Vide & Lud. de Dieu, & alios. [10] Ξένων δαιμονίων καταγγελεύς. [11] Serv. in Æneid. 8. Vide & Diogen. Laert. in Socrat. lib. 2. [12] Vide Casaubon. in Diogen. Laert. lib. 3. [13] Cicero in Verrem: *Apud omnes Græcos hic mos est, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujusmodi, nonnulla Religione Deorum consecrari arbitrentur*. [14] Chrysost. in Acta. Fromond. Batm. Cornel. alii.

tentia ei in hæc verba dicta fuit (16): *Jura violat Socrates, quos ex majorum instituto suscepit Civitas, Deos esse negans, alios vero novos Dæmones, vel Deos, inducens; contra jus & fas juvenes corrumpit. Pœna illi mors*. Reducem ab Ægypto Platonem, ne palam edissereret quæ de Dei natura didicerat, metu Areopagi absterritum fuisse, S. Justinus tradit (17). Tametsi summa erat Athenis libertas quoad cultum Deorum; Lege tamen vetitum erat, ne quis statuam dedicaret, Aram statueret, novamque superstitionem in urbem induceret, citra Areopagi authoritatem (18).

℣. 19. AD AREOPAGUM DUXERUNT. Areopagus tribunalia cætera Græciæ vetustate & fama superabat. Memoriæ proditum est, Martem ipsum & Neptunum causam dixisse apud Judices Areopagitas de cæde Halirrotii filii Neptuni, quem Mars neci tradiderat. Causa superior discessit Mars, sententia duodecim Deorum absolutus (19). Cephalus (20), Dædalus (21), & Orestes variis subinde temporibus judicium hujus Tribunalis subierunt: hinc vetustatem ejus disce. Solæ olim causæ de homicidio & cæde ad illud deferebantur; at deinde Solonis lege summa quæque ad illud translata sunt (22). Pauli Apostoli ætate cum de veteri Athenarum potentia plurimum decessisset, Areopago umbra dumtaxat veteris gloriæ & nominis superfuit. Nihilo tamen secius summum id erat Athenarum Tribunal, ejusque Judicea scientia & virtute suspiciebantur; ut Ciceronis ævo ipsi pariter Romani honori sibi ducerent, inter Areopagitas Judices recenseri.

Cœtus habebant in superiore urbis loco, prope Martis Templum. Sponius in Itinerario narrat, fundamenta ædificii illius, quo conveniebant Areopagitæ, semicirculum exhibere, constantem ex lapidibus miræ magnitudinis in vivo lapide excisis, in cuspidem desinentibus, quibus incumbit area centum quadraginta passibus circiter in longum porrecta. Tota ædificii hujus moles supra planam areæ superficiem non assurgit. Erigitur in medio Tribunal vivo excisum in lapide, sedes facile Principi Judicum destinata; ambiuntque illud circum sedilia ex eodem lapide; Senatoribus destinata. Itaque Areopagus non aula vel Templum erat, sed area patens, in quam Judices coibant. Fama est, cœtus haberi ab Areopagitis consuevisse noctu, ne ex reorum aspectu pietate aliqua vel miseratione tangerentur; vetitumque erat, ne Oratores eloquentiæ ornamenta adhiberent, ne occuparentur Judicum animi, & a nudæ veritatis aspectu prohiberentur. Hæc tamen omnia ætate Apostoli desierant.

℣. 21. ATHENIENSES AUTEM, &c. atque advenæ in urbe tunc versantes; qui rebus novis dicendis audiendisque dumtaxat occupabantur. Id porro maxime amabant cives. Cum Urbem frequentarent Auditores scientiarum, viri eruditionem profitentes, Philosophi, otiosi plures, confluerentque undique homines curiosa captantes, & advenæ, rerum novarum audiendarum amor multo validius quam alibi animos tenebat. Experientia compertum est, amplissimas Urbes hoc morbo laborare. Vitio id Romæ vertit S. Hieronymus, Alexandriæ Philo, Lutetiæ Parisiorum Lyranus. Athenienses accusat Demosthenes (23) eo nomine, quod rerum novarum essent avidissimi. Imaginem hominum, qui vanorum rumorum aucupio delectantur, Theophrastus pingit (24); quos ad sanam mentem reducere exprobrando Plutarchus conatur (25).

℣. 22. PER OMNIA QUASI SUPERSTITIOSIORES VOS VIDEO. Pietas & religio si modum excesserint, in impietatem & superstitionem dilabuntur. Veteres omnes animadverterunt insitam hanc Atheniensibus animi propensionem erga Religionem & cultum omnigenum Deorum. Qua de re etiam illos arguit Paulus, sed ita orationem moderatur, ne Judices sive Athenienses offendantur. Græca vox (26), quæ *superstitiores* reddita est, in utramque partem, sive de homine pio sive de superstitioso, usurpatur. Nactum se illos ait Apostolus religiosiores quam par est, & cultui Deorum addictiores. Si quid peccatis, nimia religione peccatis.

℣. 23. PRÆTERIENS, ET VIDENS SIMULACRA VESTRA, seu (27) vestri cultus argumenta, Aras, Templa, statuas. Græca vox hæc simul omnia denotat. INVENI ET ARAM, IN QUA SCRIPTUM ERAT: IGNOTO DEO. Alia utique mens fuerat Atheniensibus, quam ut Altare istud vero Deo consecrarent; sed hanc arripuit opportunitatem Apostolus, ut verum illis Deum, Israelis Deum plane ipsis incognitum, qui unus cultum & venerationem merebatur, nunciaret. Aram hanc Deo ignoto dicatam, peculiari Dissertatione consideravimus.

℣. 24. DEUS QUI FECIT MUNDUM ..... NON IN MANUFACTIS TEMPLIS HABITAT. Eorum, quos alloquitur, ingenio mire se Apostolus accommodat. Non hic agitur de convincendis Judæis, qui Deum existere ajebant, providum esse, & mundi conditorem, qui denique Liberatoris necessitatem agnoscebant; sed cum Ethnicis & Philosophis res est. In ipso statim exordio id proponit, de quo plerique consentiunt, mundum scilicet a Deo conditum, deinde infert, in Templis hominum manu factis illum non habitare: id perspicue & necessario ex eo principio ducebatur; quod enim continetur, minus esse eo quod continet, necesse est. Numen Templo clauditur: minus igitur Templo est. Profecto Mundi Creator ipso major est mundo; non ergo claudi Templo potest. Responderet Epicuræus, Mundum casui, non Deo deberi. Sed hæc Epicuræorum opinio vel apud ipsos Ethnicos adeo spernebatur, ut illi arguendæ immorandum Apostolo non fuerit. Sententiam huic contrariam velut certam ponit. Collectio, quam ducit, ipsos etiam Philosophos non latuit; quorum sapientissimi ultro agnoverunt, Templa non Diis sed hominibus posita, propriumque Dei Templum, esse hominis animum (28): *Non Templa illi congestis in altitudinem saxis struenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore*.

℣. 25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR; operibus scilicet hominum, Templis, Aris, simulacris, sacrificiis. Quid hæc ad Deum? (29) Neque enim ipse sive materia sive corpore constat, non adstringitur terminis, nec avidus est sanguinis, neque afficitur unguentorum odore, sive musica delinitur. Cultum, qui mente impenditur, unice postulat. Cui si nos corporea servitia præstamus, hoc idcirco fit, quo anima vix agere quidquam potest, nisi corporis ope, nec arcana mentis sensa testari aliter valemus.

[16] Diogen. Laert. lib. 2. in Socrate. [17] Justin. Parænet. ad Græcos. [18] Harpocration, & Suidas, in Ἐπιθέτους ἑορτάς. [19] Vide Pausan. lib 1. pag. 37. 52. Apollodor. lib. 3. pag. 197. Servius in Virgil. Georg. 1. [20] Apollodor. lib. 3. pag. 200. [21] Idem pag. 206. [22] Vide Plutarch. in Solone, & Marsham. Can. Ægypt. sæcul. 18. pag. 604. 605. [23] Demosth. orat. qua respondet Epist. Philip. Vide eumd. orat. Olynth. 2. & 3. [24] Theophrast. Character. Περὶ λογοποιΐας. Vide Casaub. notas. [25] Plutarch. Περὶ πολυπραγμοσύνης. φλέγοντες τὴν ἐγχείρησιν εἰς τὸ σῶμα, ἢ τὴν ἄγραν, περὶ τὰς λιμένας ὠθοῦντες. μὴ πάντα. [26] Κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Vide Grot. & Hammond. hic. [27] Τὰ σεβάσματα ὑμῶν. [28] Seneca Moral. Philosoph. apud Lactant. l. 6. c. 25. [29] Euripid. Hercul. furente, apud Grot. hic.

Δεῖται γὰρ ὁ Θεὸς, εἴπερ ἔστ' ὄντως Θεὸς,
Οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Textus ad verbum fert (30): *Deus non colitur manibus humanis*; vel *Deo ministerium non exhibetur manibus humanis*. Ac si Deus hominum famulum opus haberet, ab iis veheretur, eorum ministerio uteretur ad vestes induendas, ad capiendum cibum, ad sui defensionem, ad unctionem. Ethnici enim Diis suis Ministros in omnes vitæ usus dabant; quemadmodum alii convivia Diis in Templis parabant (31), alii uxores suas illis prostituebant (32). Vix hæc fidem extorquerent, nisi ab ipsis Ethnicis traderentur. Audi Senecam (33): *In Capitolium perveni: pudebit publicæ dementiæ ..... alius horas Jovi nunciat, alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant, longe a Templo, non tantum a simulacro stantes, digitos movent, ornantium modo. Sunt quæ speculum teneant; sunt qui ad vadimonia sua Deos advocent; sunt qui libellos offerant, & illos causam suam doceant. Doctus archimimus senex jam decrepitus quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi Dii libentes spectarent, quem homines desierant.*

℣. 26. Fecitque ex uno omne genus hominum. Græcus (34): *Fecit ex uno sanguine omne genus hominum*. Athenienses, ad quos tunc Apostolus verba faciebat, satos se e patrio solo, non ab alia extera gente originem suam se duxisse, jactabant: *Vetustate ea est*, ait Cicero pro Flacco, *ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur; & eorum eadem Terra parens, altrix, patria dicatur*. Inane istud commentum unico verbo explodit Apostolus, omne genus hominum satum dicens ex unico & communi omnium parente. Addit, Deum dedisse hominibus in sedem *universam faciem Terræ*; adeoque immerito Athenienses a reliquis sese hominibus invidioso plane discrimine distinguere (35), cum mortalium nemo, quocumque tandem in loco, peregrinus sit; ac totus quam late patet Orbis, traditus fuerit hominibus in sedem a supremo illo rerum Arbitro, qui de omnibus pro imperio decernit.

Idem ipse est, qui definit statuta tempora, et terminos habitationis eorum, idest, qui anni temporibus suas vices assignat, quique singulis gentibus certas sedes definit; vel qui ætatem, diuturnitatem, ac sedes ad habitandum singulis gentibus adscripsit (36). Ac si diceret: Frustra vetustate originis vestræ, pulcritudine urbis, & Reipublicæ antiquitate gloriamini: ista ab eo accepistis, quem nunc prædico. Ipse Creator vester est, idemque & illius, ex quo originem vestram ducitis: unum hunc habetis supremum regionis hujus Dominum; cujus beneficio imperium in ea tenetis.

℣. 27. Quærere Deum, si forte attrectent eum. Hoc sibi proposuit Deus, homines creans, vitam impertiens, certamque ad habitandum regionem tradens. Potissimam hanc esse voluit hominum occupationem & curam, ut ipsum quæramus, agnoscamus, amemus, illique serviamus. Tota hæc Pauli oratio ad artis præcepta & sapientiæ regulas accuratissime exacta est. Atheniensis refellit, & opiniones, quibus tenacius inhærebant, si fas est dicere, evertendas aggreditur, sed ea arte, ut illos minime exasperet vel offendat. Satis habet asseruisse, mortales omnes ex uno fluxisse, omnesque Deo largitori regionem, quam colunt, debere. Sedulo cavet, ne apertis verbis regnantem tunc opinionem petat. Admissis iis quæ ipse statuerat, præjudicatæ Atheniensium opiniones ruebant, ac sponte dissolvebantur.

Cum res illi esset cum viris doctrina & ingenio præstantibus, optima mentium illorum habitudine solerter ad veritatem insinuandam utitur. Crebri erant Athenis viri, qui vitam omnem traduxerant meditationibus & philosophia. Proponit illis, hanc esse primam, hanc summam hominis occupationem, ut noverit, idcirco homines in Mundo constitutos a Creatore, ut quærant Deum, *si forte attrectent*; idest, ut conentur Deum indagare, veluti manu tentando, & explorando. Quæ locutio mire exprimit studia & conatus Philosophorum, ut ad sinceram & solidam scientiam pervenirent. Sed, addit, Deus, quem inquirimus, *non longe est ab unoquoque nostrum*. Sæpe in ea inquisitione fallimur, sive quod non recte illum quæramus, sive quod non ibi quæramus, ubi est. Quid post hæc dicendum supererat Apostolo, nisi illud: Ipse ego, ubi is versetur, ostendam? Eo quidem auditores suos deducit. Curiositatem illorum movet, jucunde illos trahit, oblata spe detegendi viam expeditissimam eo perveniendi, quo studiis omnibus feruntur.

Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. (℣. 28.) In ipso enim vivimus, movemur et sumus. Probe ista norant nobiliores Philosophi, eaque vim intulisse maximam necesse est sapientissimis illis Judicum Areopagitarum mentibus, quæ præstantissima Philosophiæ axiomata imbiberant. Vetustissimum quoddam oraculum apud Porphyrium pronunciavit.

Omnia plena Deo, Deus est manifestus ubique. Seneca ep. 41. *Prope est a te Deus, tecum est, intus est*; quod ille didicerat ex Zenone Stoicorum Principe (37). In Deo & per Deum vivimus: Deus animam rationis compotem, motum, agendi potestatem, vitam, sensum largitur. Idem nos condidit, semperque servat; cujus beneficio fit, ut anima corpusque nostrum & existat & agat. Hæc plane intellexeris statim ac res conditas & Conditorem mutuo contuleris.

Sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus. Poetæ ceu profanæ Religionis Prophetæ habebantur, nec apud alios servatum est depositum Genealogiæ Numinum, & ejus quod in ritibus erat sanctissimum. Paulus laudat hic Aratum civem suum, utpote qui communem habebat e Cilicia originem. En integrum Arati locum (38): *A Jove sumendum est initium, quem nefas est præterire. Plena vero Jovis sunt omnia compita ac viæ, plena hominum fora, plenum mare, portus; omnes denique Jove pleni sumus*.

Alia fuit Pauli mens, quam ut Jovem hic & genuinum esse Deum agnosceret, & celebraret. Nomen ejus pro Dei nomine ita usurpat, uti usurpabatur apud Ethnicos, quos alloquebatur, & ex ipsa illorum doctrina argumentum in illos conficit. Si verum sit, Jovem, Deum scilicet, ubique versari, nosque illius ope & auxilio indigere, ut simus, vivamus, & subsistamus; corpore igitur non constat Deus, a nobis non abest, nec res nostras negligit. Si vero nos ita sumus erga Deum, uti censet Aratus, quid causæ erit cur illi obsequium, amorem, gratique animi significationem non impendamus? Lucanus paria ferme docuit Pharf. l. 9.

Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.
Et:

..... *Jovis omnia plena.*

Stoici & Platonici censuerunt, Mundi animam ipsum Deum esse, ex quo creaturis omnibus datur ut vivant, existant, & moveantur. Quæ Philosophorum opinio optimum sensum admittere po-

[30] Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται. [31] Dan. XIV. Aristophan. Plut. act. III. scen. 2. [32] Vide Joseph. Antiq. lib. 18. cap. 4. de Paulina Romana; & Herodot. lib. 1. cap. 181. [33] Senec. apud Augustin. lib. VI. cap. 10. de civit. Dei. [34] Ἐξ ἑνὸς αἵματος. Vox αἵματος in Codicibus multis deest. [35] Vide, si placet, Aristid. Panathenaic. apud Pricæum hic, ad ℣. 21. [36] Ita Sanct. Cornel. Grot. Fromond. alii. [37] Zeno, apud Laert. [illegible] [38] Arati Phænomen. apud Hieron. in Epist. ad Tit. I. & Tull. l. 2. de nat. Deorum.

potest, cum verissime affirmetur, Deum rerum omnium principium esse. Si vero ita accipiatur, ut Deus veluti per partes inter res quasque creatas divisus sit, quemadmodum sæpe illi mentem suam aperire videntur, id injuriam erit Deo & plane falsum. Virgilius Georgic. 4.

. . . . Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris Cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Exemplum Pauli, proferentis hic Profani Vatis testimonium, Scriptores illos tuetur, qui de rebus Religionis agentes, a testimonio Scriptorum, quos damnat Ecclesia, non abstinent. Puscit id interdum bonæ causæ patrocinium, ut veritatis adversarii suis ipsi armis conficiantur; quod a Paulo hic præstitum est. Ipsa interdum veritas in ore Ethnici vel Hæretici errori servire coacta, veluti e captivitate vindicatur, cum ex eorum scriptis eruta tamquam e carcere liberatur, & in errorem ipsum armatur. Tradit S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Paulum interdum monuisse, ut legerentur Libri Ethnicorum, ac præsertim Sybillæ, & Hystaspis; atque ejus hac de re orationem recitat. Probabile est tamen, S. Clementem, libria fidei parum assertæ aliquando credulum, e pravo aliquo fonte hæc hausisse; quin & mendaces Lucubrationum Sybillæ & Hystaspis consarcinatores hanc etiam Paulo orationem tribuisse, ut authoritatis aliquid Operi suo conciliarent.

℣. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro aut argento . . . Divinum esse similem. Si nos creantis Dei opus, &, ut verbis Poetæ vestri utar, genus dumtaxat ex Deo referentes, auro argentoque, ac figuris ex materia confectis, scite licet & docte, multo pluris æstimari volumus, quid de ipsa Dei natura sentiamus oportet? An per summam illius injuriam reputabimus, exprimi digne illum posse sub corporeæ imaginis figura, vel intra figuras hasce alligari, atque adstringi? Ethnicorum enim Sapientissimi non Idolum quidem materialem Deum esse, sed Dei tantum imaginem rebantur. Ovidius de Ponto lib. 2. Eleg. 8.

Felices illi qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deum coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars vultus effigiemque colo.
Sic homines novere Deos, quos arduus Æther
Occulit, & colitur pro Jove forma Jovis.

Arnob. lib. 6. *Simulacra hæc omnia superiorum sunt imagines numinum. Ergo & in Cœlo habitare dicendus est Deus talis, ad cujus formam & speciem simulacris hujus similitudo directa est.*

Rudi vulgo persuasum erat, Divinitatem in simulacris habitare, atque in illis cultum venerationemque totam sistebant. Communis quin etiam opinio pervaserat, Deos persimiles esse figuris, quibus expressi erant; adeoque & corpore concreti censebantur. Totum Pauli argumentum eo tendit, ut absurditatem Dei corporei detegat; demonstrare conatus Areopagitis, Deum, hominum conditorem, nec instrui corpore, neque obnoxiis sensui imaginibus exprimi posse. Num Deo corporeo deberi possit ratione utens, homo corpore concretus & spiritu, qui præstare se plurimum rebus quibusque pretiosissimis putat? Marmor, aurum, argentum, peritissimorum artificum manu elaborata, nunquam homines nisi dilutæ admodum imagine, & qua tantummodo parte rudior est, & illiberalior, exhibent: potiori igitur jure nunquam homo Deum sub corporeæ imaginis figura exhibebit.

℣. 30. Tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus (1): indignatus Deus in hæc tempora ignorantiæ. Hactenus Deus veluti negligens, minime curans atque despiciens, respexit tempora cœcitatis hujus & ignorantiæ, qua hominum genus ferme totum Idololatriæ superstitionibus deditum tenebatur. Permisit, ut vias quisque suas persequerentur (2), & eo traherentur, quo ab errantibus cogitationibus rapiebantur. Nunc vero oculos misericordiæ suæ in miseros convertens, nunciari illis pœnitentiam, moneri, ut ab errore resipiscentes converterentur ad Deum, curavit (3). Sunt qui (4) Græcum ita reddant: *Deus dissimulans tempora ignorantiæ hujus*; neglectis præteritis, errantes vos revocare ad se, & pœnitentiæ gratia donare non renui. Ludovicus de Dieu vertit: *Deus irascens*, &c. quam significationem Græca vox interdum in Scripturis tenet (5).

℣. 31. Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est. Jungenda sunt hæc præcedentibus. Irascens Deus in Idololatras, illos tamen hodie revocat ad pœnitentiam, terretque minis universalis Judicii, quo totius Mundi causas cogniturus est per Jesum Christum, omnium hominum Judicem constitutum. Demonstrata Idololatriæ vanitate, Apostolus Areopagitas quarit metu Judicii Divini, quemadmodum Actor. XXIV. 25. eamdem expendens veritatem, Felicem Præsidem terrore perculerat. Si eam teneamus interpretationem, quam exhibuimus præcedenti versiculo, Cum neglexisset, vel dissimulasset Deus vetusta hæc ignorantiæ tempora, &c. ita præsens locus exponendus est: Dissimulato diu gentium errore, Deus tandem illas ad pœnitudinem revocavit, cum severissimæ animadversioni eas subditurus sit die Judicii, dato ipsis Jesu Christo Filio suo in Judicem, &c. Terras vero invisens Judex, tanta usus est clementia, ut gentes ad pœnitentiam invitarit: tempus igitur est, ut serio de pœnitentia cogitent.

In viro, in quo statuit; quem destinavit Judicem; in Jesu Christu, seu per Jesum Christum, qui potestatem judicandi de Mundo ex Patre accepit, utpote qui filius hominis sit: *Dedit potestatem Filio judicium facere, quia filius hominis est.* Joan. 5. 27. Merum putumque hominis nomen Jesu Christu tribuit; neque enim auditores habebat ad agnoscendam Divinam ejus naturam idoneos (6). Noluit margaritas projicere ante porcos. Præterea Jesus Christus sub hominis forma, & tamquam Ecclesiæ Caput, ad Judicem sessurus est (7). Addit Apostolus, *Deum præbuisse fidem omnibus*, testimonium de iis quæ dixit, nempe de judicio per Jesum Christum exercendo, *dum suscitavit eum a mortuis*. Reipsa quidem argumentum e resurrectione Jesu Christi deductum omnia fidei nostræ dogmata, & universam Jesu Christi doctrinam probat. Si Jesus Christus e mortuis surrexit, igitur Messias est, idemque & Dei Filius, Deus ipse, ac Judex vivorum & mortuorum. Ista enim omnia ille revelavit, iisque confirmandis e mortuis surrexit.

℣. 32. Quidam irridebant. Utique Epicuræi, qui immortalitatem animæ negabant. Platonici, Stoici, cæterique Philosophi, quamquam de resurrectione aliter ac Hebræi statuebant, attamen minus illi adversabantur (8). Igitur Stoicis & Platonicis non immerito tribuuntur illa: *Audiemus te de hoc iterum.*

℣. 34. Dionysius Areopagita; unus e Judicibus vel

(1) Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδών. (2) Act. XIV. 15. *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* (3) Sanct. Cornel. Fromond. (4) Grot. Pric. Hamm. Erasm. Vatab. Sanct. Pisc. alii. (5) Vide Deut. III. 26. Psal. LXXVII. 52. (6) Fromond. Origen. Tract. 1. in Matth. (7) August. serm. 214. num. 9. in nov. edit. pag. 947. nunc primum edito. Vide & serm. 127. olim 64 de verbis Domini c. 7. n. 10. (8) Vide, si placet, Clem. Alex. lib. 5. Stromat. Origen. lib. 4. contra Cels. Diogen. Laert. in Theopompo; Grot. de verit. Rel. Christ. lib. 2. art. 10. & not.

vel Senatoribus, apud quos Paulus causam dixit. Sunt qui Areopagi Præsidem illum vel Principem dicant (9). Author Dialogorum sub nomine S. Cæsarii, fratris S. Gregorii Nazianzeni, qu. 114. censet, Thracem fuisse origine. Sed multo æquius cum S. Chrysostomo lib. 4. cap. 7. de Sacerdotio, Atheniensis constituitur. Omnium primus Ecclesiæ Atheniensi præfuit, ut e Dionysio Corinthio (10), qui circa annum J.C. 170. florebat, discimus; eamdemque dignitatem ab Apostolo Paulo illum obtinuisse, ex Constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 46. & Græcis Latinisque Martyrologiis constat. Glorioso Martyrio vitam absolvisse, ex testimonio Aristidis in Apologia, traditur in Martyrologiis Usuardi & Adonis. Ignis supplicium subiit, ex Græcis (11). Sub Domitiano passus creditur. Cum Dyonisio Parisiensi, occi tradito sub Decio, a Græcis recentioribus præpostere confunditur. Hilduinus Abbas S. Dionysii multa narrat miracula, pluresque orationes a Paulo Athenis habitas, de Dionysii conversione (12): sed hæc omnia incertæ sunt fidei.

Et mulier nomine Damaris, quam Dionysio uxorem S. Chrysostomus lib. 4. de Sacerd. cap. 7. & S. Asterius Orat. 8. tribuunt. Ex Grotii conjectura, non *Damaris*, sed *Damalis*, quod muliebre nomen est, *vitulam* significans, legendum est. Postrema hæc verba desiderantur in veteri Codice Cantabrigiensi.

[9] Asterius, orat. 8. Cornel. Menoch. [10] Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. 5. cap. 4. & lib. 4. c. 23. [11] Men. 3. Octobr. [12] Vide apud Sur. 9. Octob.

CAPUT XVIII.

Paulus Corinthi commorans, manuum suarum labore victitat. Judæos deserens, ad Gentiles transit. Ad Proconsulem producitur. In Syriam pergit, deinde Jerosolymam, ac denique in Galatiam & Phrygiam. Apollo a Priscilla & Aquila fidem docetur.

℣. 1. POST hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: 2. Et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma) accessit ad eos. 3. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem scenofactoriæ artis) 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbathum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis, & Græcis. 5. Cum venissent autem de Macedonia Silas, & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. 6. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam. 7. Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. 8. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. 9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas. 10. Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate. 11. Sedit autem ibi annum, & sex menses, docens apud eos verbum Dei. 12. Gallione autem proconsule Achajæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, 13. Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. 14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem. 15. Si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse. 16. Et minavit eos a tribunali. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat. 18. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum. 19. Devenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis. 20. Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret, non consensit, 21. Sed valefaciens & dicens, iterum revertar ad vos, Deo volente, profectus est ab Epheso. 22. Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutavit Ecclesiam, & descendit Antiochiam. 23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. 24 Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturis. 25. Hic erat edoctus viam Domini: & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu,

su, sciens tantum baptisma Joannis. 26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla, & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini. 27. Cum autem vellet ire Achajam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his, qui crediderant. 28. Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum.

℣. 1. EGRESSUS AB ATHENIS, VENIT CORINTHUM. Quamdiu Athenis manserit Apostolus, ignoratur; at certe tribus saltem mensibus: tantum enim temporis fluxisse necesse est, quanto opus erat, ut Thessalonicenses illi, quibus ducentibus eo venerat Paulus, redirent domum, Timotheus Thessalonica se conferret Athenas, iterumque restitueret se Thessalonicam, relicto sine sociis Apostolo (1), quod facile Silas eo venire non potuerit. Cum Apostolus verba sæpe fecisset ad Judæos & Philosophos Athenienses, intelligens frustra se cum iis laborare, nec Evangelium in ea urbe proficere, digressus inde Corinthum perrexit. Athenienses, teste S. Chrysostomo (2), rerum novarum de Religione, Theologia, & Philosophia audiendarum erant avidissimi. Quidquid erat novi & insueti, jucundum illis accidebat; sed alliciendis animis illorum ad fidem ista non valuerunt. Assueti de omnibus philosophari ac disputare, res etiam gravissimas Religionis perinde habebant ac leviora illa ex Philosophia, de quibus in utramque partem disputatur: *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*. 2. Timot. 3. 7.

Corinthus adjacebat Isthmo inter Peloponnesum & Atticam, eratque urbs Metropolis Achajæ vel Peloponnesi; ac duplici portu & duorum marium commercio superbiebat. Ionio enim cum mari communicabat per portum Lechæum, in Sinu Crissæo situm; & cum mari Ægeo per portum Cenchræum in Sinu Saronico (3). Achaico bello a Romanis eversa, restituta est a Julio Cæsare, ac brevi inter Græciæ urbes florentissimas crevit. Commercio potior erat Athenis, scientia inferior. Crebris tamen frequentabatur Oratoribus & Philosophis, ac voluptatibus & libidine reliquas Græciæ urbes superabat.

℣. 2. INVENIT JUDÆUM NOMINE AQUILAM, PONTICUM GENERE. Romam hic migraverat, ubi tentoriis conficiendis vitam tolerabat. Solum vertere coactus fuit, pulsus cum ceteris Judæis a Claudio, qui *Judæos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulit* (4). Hunc *Chrestum* ipsum esse Jesum Christum, minime ambigimus; sæpe enim Christo id nominis, quemadmodum Christianis *Chrestianorum*, Ethnici tribuerunt: nec ægre persuademur, Judæos pervicaces magnas excivisse turbas in urbe adversus fratres suos & Gentiles, qui ad fidem convertebantur. Hospitium Aquilæ deinde reliquit Apostolus, ut in ædes Justi, prope Synagogam, diverteret. Aquila Judæus erat ad Christum conversus; Justus Gentilis, itidem neophytus. Paulus Corinthi duodeviginti mensibus substitit; pergensque deinde Jerosolymam, itineris socios Aquilam & Priscillam, primos hospites suos, habuit infra ℣. 18. Venerunt omnes simul Ephesum, ubi ad Evangelii prædicationem, confirmandosque Fideles, quos ibi nactus fuit, utrumque socium reliquit. Porro illi utilissimam Apostolo operam ibi contulerunt, suo periculo vitam illi servare parati, ut idem Apostolus testatur Rom. 16. 4. Romam redierant, quo tempore Apostolus Epistolam ad Romanos dedit; utrumque enim egregie laudatum salutat c. 16. 3. Denique restituerant se in Asiam, cum Paulus altera Epistola ad Timotheum IV. 19. data salutari illos suo nomine jubeat. Ibi vero substitisse creduntur usque ad obitum, quem ibidem assignat Martyrologium Romanum ad diem octavam Julii. Priscilla interdum *Prisca* appellatur. Duorum illustrium conjugum gesta hic omnia complexi sumus, ne sæpius eo regredi compellamur.

℣. 3. QUIA EJUSDEM ERAT ARTIS, nempe scenofactoriæ, quam pariter artem Aquila profitente, ejus hospitium elegit. Non satis convenit inter Criticos, quam artem Paulus exerceret. Sunt qui tentoria vel papiliones in usum militum vel peregrinorum confecisse credant (5). Conficiebantur autem illa apud Veteres e pellibus vel lana. S. Chrysostomus ac Theodoretus corii sectorem appellant (6). Alias (7) est artifex aulæorum, nempe ingentium illorum peristromatum, quorum maximus erat usus in theatris. Solemne erat Judæis, vel iis pariter, qui literas profitebantur, artem aliquam discere, cujus lucro vitam tolerantes, nemini essent graves. Inter potissima patrisfamilias erga filios officia recensent Doctores curam erudiendi illos in artis alicujus exercitio: id si pater omiserit, ait Rabbi Judas, perinde reus erit, ac si filium doceat furari. Inter Judæorum Sapientes erant Pelliones, Coriarii, Sutores, Pistores, Librarii. Rabbi Jose coriariam exercebat; Rabbi Juda pistoriam; Rabbi Jochanan sutoriam. Artes istæ, turpes licet apud nos atque illiberales, erant illis in honore (8). Nec equidem contemptum illum, quem nobis ingerunt, aliunde trahunt, quam ex vanitate & hominum opinione; re enim ipsa nulla ars est turpis & illiberalis (9), nisi quæ virtuti, pudori, vel proximi utilitati adversatur. S. Augustinus (10) in ea est opinione, Paulum Apostolum scenofactoriam non didicisse, nisi postquam Apostolus renunciatus fuit, ne gravis esset iis, quibus Evangelium prædicabat. Et alibi (11) idem perinde loquitur, ac si ignoraverit, vel saltem prætereundam duxerit artem, quam Apostolus profitebatur; contentus docuisse, nihil ab illo præstitum, nisi quod utile esset ac bonum.

℣. 4. SUADEBAT JUDÆIS ET GRÆCIS; seu potius *Judæis, & Gentilibus*, vel Proselytis atque Ethnicis, qui cum Deum metuerent, Synagogæ intererant, ut salutis verbum audirent. Paulus omnium primus fidem Corinthi instituit (12); cujus prædicationem a Deo prodigiorum copia fotam fuisse & commendatam, idem Apostolus fatetur 2. Cor. 12. 12. Convertit ibi ad fidem Stephanam sive Stephanum cum universa familia, quos Achajæ primitias ipse nuncupat 1. Cor. 16. 15. Sacro fonte illos una cum Crispo & Cajo abluit 1. Cor. 1. 14. quamquam missum se non ad baptizandum, sed ad prædicandum affirmat.

℣. 5. CUM VENISSENT DE MACEDONIA SILAS ET TI-

[1] Vide 1. Thessal. III. 1. 2. 5. [2] Chrysost. in Acta, homil. 39. [3] Vide Strabon. l. 8 p. 262. [4] Sueton. lib. 5. c. 25. in Claudio. [5] Ἦσαν σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. *Conficere tabernacula*, seu *tentoria*. Vat. Grot. Erasm. Zeger. Ita PP. & alii passim. [6] Chrysost. in 2. Timot. homil. 4. Theodoret. Græc. affect. lib. 1. Σκυτοτόμους. [7] Vide Erasm. Camer. Vat. Est. *Conficiebat aulæa* [8] Vide Drus. Grot. Ligf. Rab. Abrah. Zachut, lib. Juchasim; Sanct. Cornel. Baron. [9] Hesiod. Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος. [10] August. tract. 122. in Joan. n. 3. [11] Idem, de opere Monach. c. 13 [12] 1. Cor. III. 6. 10.

Timotheus. Animadversum est supra, Silam ac Timotheum in Macedonia relictos fuisse ab Apostolo, cum præripere se fuga ex Judæorum insectationibus coactus fuit Act. 17. 9. Timotheus Athenas cum venisset, remissus est ab Apostolo Thessalonicam (13), utpote quem putaret Ecclesiæ illi magis necessarium, quam sibi experiretur, quamquam in eo rerum statu, in quo tunc versabatur, ejus ope indigebat. Denique Silas & Timotheus Thessalonica profecti Carthaginem, sese illi adjunxerunt. Lætissimus venientes illos excepit Apostolus, recreatus ex renunciato sibi ab illis statu Ecclesiæ Thessalonicensis, de quo maxime sollicitus erat. Paulo post reditum Timothei, priorem Epistolam ad Fideles ejus Ecclesiæ dedit, primam inter reliquas ab eo scriptas. Altera, ad eamdem Ecclesiam data, paulo post primam scripta fuit, Apostolo adhuc Corinthi versante. Utrique vero in fronte Silæ, Timothei, & Pauli nomina præfiguntur.

Deinceps de Sila nihil in Scriptura. Ejus memoria in Latinis Martyrologiis die XIII. Julii colitur. In Macedonia obiisse illum tradit Ado, qui & martyrio absumptum sentire videtur. Apud Græcos ad diem XXX. Julii festum ejus consignatur; apud quos pariter Apostoli nomine donatur. Eodem titulo exhibetur in Martyrologiis Usuardi & Adonis; & Apostoli cultum in nonnullis Galliarum Ecclesiis obtinet. Profecto Discipulorum nemo, post Barnabam, hoc sibi nomen æquius promeruit. Sunt qui ad Silam referant verba illa Apostoli 2. Cor. 8. 18. *Misimus fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* Sed communior opinio de Luca hæc dicta accipit.

Instabat verbo Paulus; docebat ardentius. Græcus (14): *Constringebatur spiritu Paulus*; Spiritus intus agentis impetu, cum coercere intra se, nec effundere exterius totum posset, angebatur, tamquam qui vehementi animi affectu apprehensus continere se, sibique satisfacere non potest. Pii ardoris flamma, & desiderium trahendi ad Deum fratres, viscera Apostoli depascebant. Simul autem mœrebat, intelligens, frustra se laborare, quod obfirmatos in malo animos & gratiæ verboque Dei resistentes nancisceretur.

℣. 6. Excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum. Non prius deseruit Judæos, quam cum de emendatione eorum desperavit. Vestes excussit in eos, hoc emblemate designans, omne se cum illis commercium abjicere, juxta illud Jesu Christi (15): *Quicumque non audierunt sermones vestros, exeuntes foras, excutite pulverem de pedibus vestris.* Addit Apostolus: *Sanguis vester super caput vestrum.* Si perieritis, vestræ culpæ id adscribite. Monui, docui, hortatus sum, imminere capiti vestro Dei ultoris gladium cerno; clamavi, signum tuba dedi, etiam atque etiam ut caveretis rogavi: nisi vobis prospexeritis, gladius in caput vestrum cadet: *Sanguis vester super caput vestrum erit* (16).

℣. 7. Migrans inde, e domo Aquilæ, ubi morabatur (17), ut diverteret ad ædes Neophyti cujusdam ex Gentilibus, nomine *Titi Justi, cujus domus erat conjuncta Synagogæ*, veluti demonstraturus, ægre se fratres suos relinquere, paratumque semper esse ad operam illis præstandam. Græcus typis editus *Justum* legit, *Titum* non legit, at Syrus *Titum* quidem, non vero *Justum* habet. Codices nonnulli, Coptica, Arabica cum Vulgata legunt *Titum Justum*, vel *Titum Justi* filium. Codex Cantabrigiensis in prima sui origine fert *Titi* vel *Titii*; aliena vero & recentiori manu *Justi* additum est. Millius censet, *Justum* glossema esse, quod ex ora in Textum irrepserit. S. Chrysostomus cum Tito hoc confundit Titum alterum, ad quem Paulus literas dedit (18). Consentit Grotius (19). Sed contraria opinio fere omnibus arridet. De gestis Titi hujus Corinthii nihil in historia.

℣. 8. Crispus autem Archisynagogus credidit Domino. Archisynagogus sacris cœtibus præerat, Legem interpretabatur, de rebus vetitis sive permissis sententiam ferebat, contumaces puniebat, rebelles anathemati subdebat, connubia celebrabat, declarabat divortia, ita ferme ut hodie apud Judæos *Chacham Rab*, Magister Sapiens, præstat (20). Crispum hunc destinatum fuisse a Paulo Episcopum Insulæ Æginæ prope Athenas ferunt Constitutiones Apost. l. 7. c. 46. ejusque Festum die IV. Octobris celebrabatur.

Multi Corinthiorum audientes credebant. Nota sunt nomina Stephanæ, Caji, Justi vel Titi; & forte etiam accessere Sosthenes & Epænetes inter eos, qui Corinthi fidem amplexi sunt. Hic tamen præ oculis habuisse potissimum Lucas videtur Gentiles, qui fidem admiserunt, postquam Paulus a Judæis secessit.

℣. 10. Nemo apponetur tibi, ut noceat te; nemo te lacesset. Græcus (21): *Nemo inferet manum (22) super te ad malefaciendum tibi*: vel, nemo se junget adversariis tuis in tuam perniciem; nequidquam enim illis in contrarium conantibus, *populus est mihi multus in hac Civitate.* Operam non perdes; permultos enim Corinthi mihi lucraberis.

℣. 11. Sedit ibi annum et sex menses, vel circiter, vix enim credimus, totum illud tempus prædicationi in ea urbe dedisse. Ecclesia erat collecta Cenchræis, portu Corinthi; quam Paulus, sive in hoc itinere, sive in aliis, ad ædes Phœbes, Ecclesiæ hujus Diaconissæ, divertit (23); & altera ad Corinthios Epistola ad ipsos Corinthios & ad omnes Achajæ Fideles directa est (24).

℣. 12. Gallione autem Proconsule Achajæ. Ad Gallionis tribunal raptus est Paulus a Judæis. Acta sunt hæc labente mense decimo octavo, quo Paulus Corinthi mansit, anno J. Ch. 53. Gallio Proconsul, sive Præfectus Achajæ, fratrem habuit Senecam Philosophum, Neronis Præceptorem. Primum ejus nomen fuit *M. Annæus Novatus*; sed per adoptionem adlectus in familiam Gallionis, sub Tiberio exulis, nomen *L. Junii Gallionis* adsciverat. Vir erat ingenio miti & suavi (25). Ad illum Seneca frater Librum de *Ira* scripsit. Fortunarum & exitii fraterni ex æquo socius fuit: utrumque enim Nero interfecit. Sedem Corinthi, utpote Achajæ Metropoli, constituit. Inique ferentes Judæi, desertos se esse ab Apostolo, multosque ex Gentilibus ad fidem ab illo traduci, ad tribunal Gallionis innoxium rapuere, accusantes: *Quia contra Legem hic persuadet hominibus colere Deum.* Non idem jus erat Hebræis in Provinciis, quod habebant in Judæa, puniendi scilicet gentiles suos, qui Leges violassent. Si quid enim juris ejusmodi obtinuissent Corinthi, utique Apostolum ad Synagogas suas pertractum puniissent.

℣. 13. Contra Legem. Imperatorum facultate integrum erat Judæis, ex instituto Legis Mosaicæ vivere; accusabatur autem Apostolus, quod nec Mosaicis nec Romanis Legibus obsequens, neque Judæus esset neque Gentilis; sibique similes Discipulos

[13] Thessal. III. 1. 2. 5. [14] Συνείχετο τῷ πνεύματι, *Coarctabatur*, *constringebatur*, *angebatur Spiritu*. [15] Matt. X. 14. Luc. X. 11. [16] Ezech. XXXIII. 3. 4. Vide & 2. Reg. I. 16. Matt. XXVII. 25. [17] Chrysost. homil. 39. in Acta. Fromond. alii. [18] Chrysost. in Ep. ad Tit. I. [19] Grot. in Epist. ad Tit. [20] Leon Modena parte I. cap. 5. [21] Οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. [22] Ita Arab. Grot. Pagn. Lud. de Dieu, alii. [23] Rom. XVI. 1. 2. [24] 2. Cor. I. 1. [25] Senec. lib. 4. nat. qu. & Tacit. annal. 15.

pulos ingenti numero colligeret. Judæum non dixeris, qui circumcisionem cæterosque Legis ritus non admittit. Sed neque Gentilem, cum Idololatriam execretur. Nullius igitur Legis authoritas Religionem ab eo traditam tuetur.

ý. 15. Si quæstiones sunt de Lege vestra, vos ipsi videritis. Non sum ego Judex his causis cognoscendis constitutus. Datum quidem est ab Imperatoribus, ut Judæi Legibus vestris pareatis; sed nec vetitum est, ne quisque Religionem suam profiteatur. Si reus ideo tantummodo est Paulus, quod Judæum se non exhibet; non idcirco Legibus damnatur. Reipsa quidem nullum adhuc in Christianos edictum latum fuerat; quæque novas Religiones damnabant Leges, varias ejusdem Religionis sectas non rejiciebant. Censebantur autem Christiani veluti restituta Judæorum Religio, & arboris illius surculus.

ý. 16. Minavit eos a Tribunali; jussit recipere se e Curia. Verbum *minare* pro ducere, vel adducere, raro licet apud puræ Latinitatis Scriptores occurrat, legitur tamen in Ausonio, Festo, & Apulejo; eoque persæpe utitur vetus Interpres Latinus Scripturarum (26). Græcus (27): *Et abegit*, jussit recedere, abire e Tribunali.

ý. 17. Apprehendentes omnes Sosthenem; qui forte Crispo Principi Synagogæ successerat. In hoc Textu ardua sunt plura. S. Chrysostomus (28), aliique nonnulli censent, Sosthenem ideo verbera ex Judæis tulisse, quod Christianam Religionem, & amicitiam Pauli profiteretur. Sunt qui credant, ipsum esse Sosthenem, cujus nomen una cum Paulo primæ ad Corinthios Epistulæ c. 1. inscribitur. Sed Græcus typis editus legit (29): *Apprehendentes omnes Græci Sosthenem Principem Synagogæ, percutiebant*, &c. Itidem legit S. Augustinus (30), qui hoc exemplo utitur ad demonstrandum, impios etiam, non secus ac bonos, vexationibus lacessiri posse.

Beda in Græco Codice suo Sosthenem ab Ethnicis verberatum legens, suspicatur, Ethnicos, cum viderent Gallionem male excepisse Judæos Pauli accusatores, ut injuriæ injurias adderent, Synagogæ Judaicæ Principem male multasse; sive id odio Judæorum, sive Pauli amicitia egerint. Ita pariter sentiunt S. Augustinus, Cajetanus, Lyranus, Grotius, aliique nonnulli. Denique censent alii (31), Gallione mandante, ut Judæi se inde reciperent, Judicis Ministros verberibus nonnullis Sosthenem, cæterosque Judæos, quo citius abirent, abegisse. Nos in sententiam S. Chrysostomi inclinati arbitramur, Sosthenem, Principem licet Synagogæ, amicum, vel forte etiam occultum Discipulum Pauli fuisse, ac propterea, cum Apostolo favere videretur, a Judæis verbera tulisse.

ý. 18. Dies multos. Quamdiu post hæc ibidem substiterit, ignoratur; producentibus singulis, sive corripientibus spatium illud, prout privatæ opinioni conducit. Illud constat, via duodeviginti mensibus Corinthi mansisse.

Navigavit in Syriam, Priscilla & Aquila comitantibus, venitque Jerosolymam; deinde profectus in Asiam, substitit Ephesi, ut infra proditur.

Sibi totonderat in Cenchris caput; habebat enim votum. Cenchrææ oppidum erant Corintho subditum, portuque ad mare Ægæum & Asiam patenti decorabantur. Hinc solvit Apostolus, ut in Syriam & in Palæstinam navigaret. Cum versaretur Corinthi, votum nuncupaverat, Nazaræorum voto simile (32), quo se obstringebant ad abstinendum a vino, cæterisque ebrietatem inducentibus, ne passis quidem uvis exceptis; addebantque comam toto voti spatio intonsam. Pro consueto more ad mensem hujusmodi votum producebatur (33): quo elapso, Nazaræus comam pro foribus Templi cædebat, offerebatque sacrificia in Lege præscripta. His ritibus tota ea religio Jerosolymis, locisque vicinis absolvebatur. Sed procul a Palæstina Apostolus voti tempore impleto, comam totondit in portu Corinthi, antequam mari se committeret, ac deinde solvit, sacrificia & reliquum voti pensum in Templo Jerosolymæ redditurus.

Non inviti credimus, documentum hoc exhibere voluisse Paulum Judæis, ut intelligerent, quam alieno esset animo ab evertenda Lege, ejusque abrogatione promulganda, quam tanta religione servabat. Viri quidam docti (34) censent, Apostolum Jerosolymam se contulisse, ut Paschatis Festum celebraret. Alii de Festo Pentecostes id statuunt (35). Lucas (36) ait tantummodo, Festum proximum ibi celebrare voluisse. Porro Festum Paschatis ea tempestate occurrebat, qua difficillimum erat iter maritimum Corintho Jerosolymam absque præsentissimo & crebro vitæ discrimine.

Alius est etiam nodus hic explicandus. Quæritur enim, Paulus ne an Aquila comam pro voto Nazaræatus Cenchræis deposuerint. Græcus tribuere id Aquilæ videtur, utpote cujus nomen magis proxime verbo *totondit* accedat; ac de industria Lucas adscripsisse videtur nomen Aquilæ post Priscillam ejus uxorem, ut ambiguitatem omnem, quam nominum pluralitas forte intulisset, adimeret. Jungit quantum potuit *Aquila* & *totondit*, ne quid erroris subrepat. S. Chrysostomus in Act. hom. 40. S. Isidorus Hispalensis (37) dicta hæc de Aquila acceperunt; quorum sententiam Grotius, Hammondus, Zegerus, Erasmus, Baronius, aliique nonnulli tuentur. Verum S. Hieronymus (38), S. Augustinus ep. 82. Beda in Acta hic, & Interpretum plerique censent, ipsummet Apostolum votum nuncupasse, comam deposuisse, profectumque Jerosolymam, ut Religionem suam impleret. Profecto Aquilam eo usque non perrexisse constat. Junctio nominis *Aquila* cum verbo *totondit*, ejusque nominis post *Priscillam* positio leviores sunt conjecturæ. Alibi enim occurrit nomen *Priscillæ* nomini Aquilæ antepositum, ex qua positione nihil colligi potest. Paulus totam hanc periodum regit, nec ad alterum ea quæ narrantur, referenda sunt. Veteres Codices Bedæ ætate, & hodie pariter Æthiopica versio legunt: *Rasa fuerunt capita eorum*. Optimæ recentiores editiones verba illa, *Et cum eo Priscilla & Aquila*, parenthesi sejungunt.

ý. 19. Devenit Ephesum. Ægæo mari penitus secato, venit primum Ephesum, Asiæ minoris metropolim. Eo se conferre alias tentaverat, sed a S. Spiritu hactenus prohibitus fuerat Act. 16. 1. Ephesus omnium Asiæ urbium florentissima tunc habebatur, frequentabaturque crebris Oratoribus & Philosophis, ac de Christiana Religione vix quidquam norat. Sunt qui credant, Apostolos Petrum & Joannem Evangelistam Ephesi ante hoc tempus fuisse: sed horum sententia incertissima est,

(26) Exod. iii. 1. 1. Reg. xxx. 20. 2. Reg. vi. 3. 4. Reg. iv. 24. Isai. xi. 6. xv. 4. Jerem. xxvi. 24. Thren. iii. 2. Jacob. iii. 4. (27) Ἀπήλασεν αὐτούς. Credidit Millius, legisse Interpretem, Ἠπείλησεν, minitatus est. Minavit, pro minatus est. At errorem agnovit. (28) Chrysost. in Acta, homil. 39. Oecum. Fromond. Sanct. Est. alii hic; Theodoret. in 1. Cor. 1. 1. (29) Ἐπιλαβόμενοι δὲ πάντες οἱ Ἕλληνες Σωσθένην τὸν Ἀρχισυνάγωγον. Plures tamen optimi Codices non legunt Ἕλληνες; & Anglicus Codex fert, *Judæi*. (30) August. Ep. xciii. n. 7. nov. edit. (31) Quid. apud Cornel. (32) Num. vi. 18. Ita August. Hieron. Grot. Fromond. alii passim. (33) Joseph. lib. 2. de bello c. 26. Maimon. apud Petit. Var. Lect. 13. (34) Grot. in Act. xviii. 21. Ita & Hamm. (35) Pearson. Tillemont. (36) Infra ý. 21. in Græco. (37) Isidor. lib. 2. div. offic. c. de tonsura. (38) Hieron. apud August. Ep. 75. num. 9. nov. edit.

est, & Ecclesiæ hujus primus author Paulus videtur: idque persuasum habuisse S. Irenæus l. 3. c. 3. ac Theodoretus in Ephes. 1. par. videri possunt. Statutum erat Apostolo, ne super posita ab aliis fundamenta ipse ædificaret Rom. 15. 20. neque ibi prædicaret, ubi alii munus prædicandi obiverant. Verum si Ecclesiam hanc condidit, id certe in priori hoc itinere non præstitit; neque enim ibi fuit nisi per transitum. Rediit deinde, ac triennio mansit.

℣. 21. Iterum revertar ad vos. Fidem datam exsolvit, eodem anno labente rediens. Græcus typis editus legit: *Valedixit eis, dicens: Oportet me omnino festam venientem facere in Jerosolymis: iterum autem revertar ad vos, &c.* Sed verba hæc in vetustis Codicibus bene multis desunt (6).

℣. 22. Descendens Cæsaream, Jerosolymam se contulit. Ephesi iterum mari se committens, navigavit Cæsaream Palæstinæ, leucis triginta circiter Jerosolymis distitam. Beda (7) aliique recentiores nonnulli (8) censuerunt, perrexisse illum Epheso Cæsaream Cappadociæ; Cæsarea vero Antiochiam Pisidiæ. S. Chrysostomus Epheso Cæsaream, inde Antiochiam Syriæ illum deducit. Celebris Codex Cantabrigiensis in exordio Capitis xix. Actorum fert, Apostolum ire Jerosolymam meditantem, jussu S. Spiritus in Asiam rediisse. Itaque tunc Jerosolymam non venisse ponit.

Novum hic & plane insuetum accidit, quod Lucas non satis perspicue expresserit, Apostolum venisse Jerosolymam, quod primum erat itineris propositum. His enim narrationem totam absolvit (9): *Descendens Cæsaream, ascendit & salutavit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.* Quo ascendit? Sunt qui de Ecclesia Cæsareæ Palæstinæ (10) interpretentur; vel planius, e navi ibi descendisse, & Fideles, quos forte nactus est, salutasse. Sed plerique (11) Cæsarea Jerosolymam perrexisse illum putant. Mentem suam satis jam explicaverat Lucas, Apostolo proficiscendum fuisse Jerosolymam scribens. Hic addit: *Ascendit*, profecto Jerosolymam. Solemne est Hebræis, uti verbis *ascendere, descendere*, ubi designandum est iter Cæsarea Jerosolymam, sive Jerusolyma Cæsaream. Verbum etiam *ascendere* sine addito usurpatur interdum pro, Jerosolymam pergere, dum quis in Palæstina versatur. Ut e. g. *ascendere ad diem festum. Ut ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum* Jo: vii. 8. Et Jo: 12. 20. *Erant quidam Gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent.* Paulus in Actis 24. 11. *Ascendi adorare in Jerusalem.*

Descendit Antiochiam Syriæ, ex communi sententia, uti supra animadversum est. *Antiochia* sine addito nunquam non in Scriptura Antiochiam Syriæ, sicut *Cæsarea* urbem Palæstinæ cognominem significat.

℣. 23. Perambulans ex ordine Galaticam regionem. Antiochia Syriæ in Galatiam & Phrygiam perrexit; maritimo ne an terrestri itinere, non exprimit Lucas; sed Galatiam primo loco referens, satis indicat, terrestrem viam tenuisse; cum Galatia primo occurrat, terrestri itinere e Syria per Ciliciam in Phrygiam venientibus. Discipulos ibi aliquot jam obtinebat Apostolus, uti supra xvi. 6. animadversum est.

℣. 24. Judæus autem quidam nomine Apollo, Alexandria Ephesum se contulit. Venit autem Paulo Jerosolymam profecto, nactusque est Aquilam & Priscillam, quos Paulus ibi reliquerat. Apollo iste Judæus erat, Alexandrinus genere, eloquentia & Scripturarum eruditione pollens. Jesum Christum agnoscebat, quem Messiam esse palam & constantissime prædicabat, doctrinam illius defendebat, ejusque Discipulum se profitebatur. Nihilo tamen secius Cathecumenorum classem non superabat, nec alium norat, nisi Baptismum Joannis Baptistæ, Baptismo Jesu Christi & dono S. Spiritus adhuc carens. Vel saltem Spiritum Sanctum per consuetam Sacramentorum viam nondum acceperat; censet enim S. Chrysostomus (12), beneficium illud sibi, uti olim Cornelium, bonis operibus & pia sollicitudine prædicandi Jesum Christum promeruisse Apollo.

Mirari subit, post annos a Jesu Christi resurrectione viginti, tot enim jam excurrerant, fuisse adhuc in Ægypto & in ipsa ejus Metropoli Alexandria, ex qua erat Apollo, doctos & studiosos fidei Jesu Christi Judæos, qui unum Baptisma Joannis nossent. Si Apollo callebat adeo doctrinam Jesu Christi, ut cæteris traderet, quomodo necessitatem Baptismi ejus ignorabat? Nondum Evangelia scriptis consignata fuerant, vel saltem non adeo vulgata, neque Apollo ab Apostolorum aliquo institutus fuerat. Occurret infra xix. 2. exemplum ejus rei insigne in Discipulis, quos Paulus Ephesi nactus fuit, solo Joannis baptismate ablutis, & vel ipsum Sancti Spiritus nomen ignorantibus.

℣. 26. Diligentius exposuerunt ei, &c. Aquila & Priscilla, qui diutius Paulum hospitem aluerant, ex ejus doctrina satis profecerant, ut Apollo docerent; idemque, doctus licet ac eruditus, adhuc tamen Dei viam accuratius ex illis discere non recusavit 1. Cor. 1. 27. Ita solet interdum Deus eligere imbecilliores & rudiores, ut fortissimos & sapientissimos confundat. Tunc autem facile credimus Apollo Baptismate Jesu Christi ablutum fuisse.

℣. 27. Exhortati fratres, confirmantesque illum in suscepto consilio migrandi in Achajam, idest Corinthum, unde paulo antea Aquila & Priscilla venerant, literas ad Discipulos ejus urbis dederunt, ut venientem pro merito benigne exciperent. Vetus Codex Cantabrigiensis fert (13): *Cum Ephesi moraretur quidam Corinthii, & ipsum audissent, hortati sunt, ut veniret secum in patriam ipsorum: assentiente autem ipso, Ephesii scripserunt ad Discipulos qui erant Corinthi, ut exciperent hominem: qui veniens in Achajam, multum contulit Ecclesiis.*

Contulit multum his qui crediderant; confirmavit illos in fide, quam Paulus prædicaverat, rigans quæ severat Apostolus 1. Cor. 3. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Paulum fama tantum & nomine, non facie norat Apollo. Græcus addit (14), contulisse illis multum *per gratiam* quæ illi aderat, per scientiam, pium studium & fidem; Deoque labores servi sui largo benedictionum imbre irrigante, gaudium copiosæ messis obtinuit: *Deus autem incrementum dedit.* Neque enim qui plantat rigatque, quidquam proficit; sed a Deo uno incrementum sperandum est (15).

Si Apollo Corinthum adveniens Fidelibus instituendis contulit plurimum; seditionis tamen cujusdam causa fuit & occasio; dictitantibus aliis: *Ego quidem sum Pauli*; aliis autem: *Ego Apollo.* Sed dissidium hoc amicitiam inter Paulum & Apollo non solvit. Certior factus Apollo, Paulum Ephesi versari, eo se contulit; atque ab eo Apostolus facile didicit, quid dissidii & murmuris Corinthios in varia studia distraheret. Illud saltem constat, Apollo Ephesi cum Paulo tunc egisse, quo tempore Apostolus primam Epistolam ad Corinthios dedit (16), qua illos de dissidio hoc arguit

(6) Vide Mill. hic, & Prolegom. 1201. (7) Beda in Act. xv. Iro & Raban. (8) Lyran. Gagnæ. (9) Καὶ κατελθὼν εἰς Καισάρειαν, ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος τὴν Ἐκκλησίαν, κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν. (10) Vide Camer. Lud. de Dieu, Æthiop. Med. lib. 9. Dissert. de Templis p. 410. (11) Cornel. Menoch. Fromond. Grot. Ham. alii passim. (12) Chrysost. homil. 40. (13) Vide Mill. hic. (14) Συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσι διὰ τῆς χάριτος. Quid. omittunt. Vide Mill. hic, & Proleg. 439. (15) 1. Cor. iii. 7. (16) 1. Cor. xvi. 12.

guit & castigat. Narrat in eadem Epistola, etiam atque etiam se rogasse Apollo, ut Corinthum reverteretur, nec tamen impetrasse, ut consiliis suis tunc acquiesceret; spopondisse tamen fore, ut oblata opportunitate eo proficisceretur. Censet S. Hieronymus (1), discessisse illum Corintho, quod dissidia Corinthiorum ægerrime tulerit. Igitur recepit se in Cretam cum Zena Legisperito, quem adjutorem habebat in promovendo spirituali Ecclesiæ ædificio; donec pacatis Epistola Pauli turbis, Corinthum se contulit. Addit Hieronymus, Apollo Corinthiorum Episcopum fuisse (2); sed Græcis (3) est Episcopus Dyrrachii; quamquam Menæa (4) secundum Episcopum Colophonis in Asia appellant. Apud Ferrarium, ex authoritate Petri de Natalibus, Episcopus Coni in Phrygia scribitur. Hæc de Apollo memoriæ prodita sunt.

(1) Hieron. ad Tit. III. (2) Hieron. ibid. (3) Menolog. Canis. t. 2. p. 929. (4) Menæa p. 134.

CAPUT XIX.

Paulus Ephesi versatur. Discipulos uno baptismate Joannis tinctos, baptizat. Morbos divinitus pellit. Judæi exorcistæ. Græci ad fidem conversi peccata sua fatentur, scriptosque de Magia libros comburunt. Auri opifices plebem Ephesinam in Apostolum concitant; quam magistratus sedant.

V. 1. FActum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam discipulos: 2. Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. 3. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. 4. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. 5. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. 7. Erant autem omnes viri fere duodecim. 8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. 9. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. 10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles. 11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: 12. Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. 13. Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. 14. Erant autem quidam Judæi Scevæ principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. 15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis? 16. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. 17. Hoc autem notum factum est omnibus Judæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu. 18. Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos. 19. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur. 21. His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia, & Achaja ire Jerosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. 22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum, & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. 23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: 25. Quos convocans, & eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio: 26. Et videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic sua-

suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. 27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, & orbis colit. 28. His auditis, repleti sunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. 29. Et impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo, & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. 30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. 31. Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes, ne se daret in theatrum: 32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: & plures nesciebant, qua ex causa convenissent. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. 34. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. 35. Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque prolis? 36. Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. 37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram. 38. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent invicem. 39. Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia poterit absolvi. 40. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

℣. 1. FACTUM EST CUM APOLLO ESSET CORINTHI, UT PAULUS PERAGRATIS SUPERIORIBUS PARTIBUS, VENIRET EPHESUM. Galatiam & Phrygiam, de quibus Capite superiori ℣. 23. & forte etiam Lycaoniam & Lydiam peragravit; denique omnia ea loca, in quibus antea prædicavit, quæque adjacent viæ Antiochia Ephesum, ascendendo a septemtrione usque ad Galatiam, & descendendo a meridie Ephesum, Cæsaresm usque Cappadociæ excurrisse, S. Chrysostomus censet (1). Provinciæ istæ omnes, cum Epheso urbibusque maritimis comparatæ, superiores appellantur; ex illis enim Ephesum venientes veluti descendere, & e mari adeuntes ascendere videntur. In Libris Macchabæorum (2) Provinciæ superiores illæ appellantur, quæ circa & trans Euphratem jacent. Animadversum est Capite superiore ℣. 12. Codicem Cantabrigiensem ferre hic (3), Apostolum tendere Jerosolymam meditantem, prohibitum fuisse a Spiritu Sancto, & in Asiam reverti jussum; atque ita peragratis superioribus Provinciis, Ephesum venisse.

℣. 2. SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS CREDENTES? id est, postquam fidem accepistis. Fideles illi forte erant ex Judæis Asiaticis, Epheso oriundis, qui Jerosolymis forte ante annos duos & viginti circiter agentes, baptismate Joannis tincti fuerant, atque in eo se continuerant, donec Apostolus Ephesum venit (4). Rogantur ergo ab Apostolo, an fidem amplexi, ipsum quoque Spiritum Sanctum acceperint? credebant enim in Jesum Christum, quem Joannes Baptista nunciaverat; sed intra baptisma Joannis se continuerant, cum nullos forte habuissent eruditiores Discipulos, ex quibus necessitatem baptismi Jesu Christi discerent. Sanctius putat, illos forte ablutos fuisse baptismate Joannis ab ipso eodem Apollo, qui initio aliud baptisma non norat. Intelligens Apostolus, Credentes hosce Christianam Religionem profiteri, conferendum illis baptisma sine hæsitatione censuit. Sed cum nemo esset Ephesi sive Apostolus sive Episcopus, quem nosset, interrogavit, an Sacramento Confirmationis, quod nonnisi ab Apostolis vel Episcopis conferebatur (5), initiati fuissent. Solebant Sacramentum hoc comitari gratiæ prorsus miræ & supra naturam, veluti pignora & symbola Sancti Spiritus, in hominem illabentis per manuum impositionem: quamobrem quæsivit: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* Sacramentum per effectus designavit.

NEQUE SI SPIRITUS SANCTUS EST, AUDIVIMUS. Cathecumeni erant. Mysterium Trinitatis nondum edocti, nec Baptismate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti obsignati; alioqui enim quid Spiritus Sanctus esset, non ignorassent. Quin nec re ipsa ignorare plane Spiritum Sanctum poterant, de quo frequens in Veteri Testamento mentio recurrit, cujus afflatu Prophetas vaticinatos fuisse, Judæi omnes norant. Illud novum accidit his, conferri in Ecclesia Sacramentum, quo Spiritus Sanctus dabatur. De Confirmatione, & collato ab illa Sancto Spiritu, deque donis supra naturam, quæ per manuum impositionem suppeditantur, ne verbum quidem huc usque audivimus.

℣. 3. IN QUO BAPTIZATI ESTIS? Græcus (6): *Propter quid?* quem in finem Baptismum accepistis? Quorsum hoc? ut Discipuli Joannis, an ut Jesu Christi evaderetis? Numnam abluti estis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; an solo baptismate pœnitentiæ, quo ad remissionem peccatorum comparemini? Illi paucis respondentes, ablutos se esse dicunt *Joannis Baptismate*; idest a Joanne ministrato, & ad finem ab ipso propositum, nempe ut per Messiam peccatorum remissio impetraretur (7), baptismum Sancti Spiritus, quem Joannes promiserat Act. 1. 5. Joan. 1. 33. expectantes. Præcursoris mentem non satis assecuti fuisse videntur; alacres enim baptismati se submiserunt, statim ac audierunt Apostolum docentem: *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.*

℣. 5. BAPTIZATI SUNT IN NOMINE JESU, sive manu

(1) Chrysostom. homil. 40. in Acta. (2) 1. Macc. III. 37. VI. 1. & 2. Macch. IX. 23. 25.
(3) Θέλοντος δὲ τοῦ Παύλου κατὰ τὴν ἰδίαν βουλὴν πορεύεσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα, εἶπεν αὐτῷ τὸ πνεῦμα ὑποστρέφειν εἰς τὴν Ἀσίαν. Διελθὼν δὲ τὰ ἀνωτερικά, &c. (4) Vide Fremond. hic. (5) From. Est. Cornel. Menoc. Tir. Sanct. (6) Εἰς τί ἐβαπτίσθητε. (7) Act. 15. 32. 2. 43.

nu ipsiusmet Pauli, sive aliorum Discipulorum; Apostolus enim secum duxerat Cajum (8), Aristarchum & Timotheum (9), Erastum & facile etiam Titum (10). Obsignati autem fuerunt Sacramento *in nomine Domini Jesu*; non quod unicum Jesu nomen in Sacramento conferendo recitatum fuerit, quemadmodum veteres nonnulli censuerunt; sed consueta baptizandi formula: *In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*; ut proinde verba illa, *in nomine Domini Jesu*, perinde sonent, ac initiatos fuisse baptismate a Jesu Christo instituto: quæ communis est nostrorum Theologorum sententia. Vide nostram de hoc argumento Dissertationem. Ex his omnibus intelligimus, baptismum Joannis vim habuisse ac verborum ritum e baptismate Jesu Christi plane diversum.

℣. 6. Cum imposuisset eis manus, ut conferret Sacramentum Confirmationis, tamquam Apostolus & Episcopus, quibus unis id muneris reservatur. *Spiritus Sanctus venit super eos*; non intimo dumtaxat & invisibili in animos illapso, novam infundens scientiam & animi robur, sed & visibili externoque effectu, & miris iis donis, quæ singulis distribuit; statimque *linguis loquebantur* variis, sibi antea ignotis, *& prophetabant*, futura prænunciantes, Scripturas interpretantes, ac subito gaudii & pii ardoris œstro ad laudes Domini solemni ritu canendas abrepti.

℣. 8. Introgressus Synagogam, pro more, exordium prædicandi Evangelium semper a Judæis faciens, neque unquam ad Gentiles se convertens, nisi renuentibus audire Judæis. Synagogas eorum totis mensibus tribus frequentavit, sed incredulos nactus, & proficere se parum cum illis intelligens, pervicaces deserens, cœtus suos seorsum cum Discipulis agere cœpit.

℣. 9. Disputans in Schola Tyranni cujusdam; viri scilicet, cui nomen Tyranno (11). Id nominis plures apud veteres gerebant. Meminit Suidas Tyranni cujusdam Rhetoris & Sophistæ. Græcus ad verbum (12): *Tyranni cujusdam*; quæ loquendi phrasis viros aliquos doctos (13) in eam opinionem induxit, Tyranni nomen appellativum hic esse, cum propriis nominibus pronomen *quidam* jungi non soleat. Censent igitur, Apostolum quotidianis disputationibus suis locum elegisse in eam rem aptum, a Principe vel Optimate aliquo urbis illius, a Tyranno, Principe, Viro summate concessum. Sed horum sententia ruinoso fundamento innititur. Nec novum est, nec insuetum, ut pronomen *quidam* nomini proprio viri, ignoti tamen vel parum cogniti, jungatur, ut, quidam Simon Cyrenæus, quidam Justus, Lazarus quidam, quidam Mnason Cyprius, Ananias quidam, Tertullus Rhetor quidam, &c. quæ omnia exempla Evangelium & Acta Apostolorum sufficiunt. Præterea nomen Tyranni nonnisi supremo Principi dabatur, quorum nullus tunc Ephesi agebat. Denique Tyranni appellatio jam tunc invidiæ magis patebat, quam ut Principi alioquin laudabili daretur. Codices Græci quidam legunt *Tyrannios*; in aliis vero (14) legitur, disputasse Paulum *a quinta usque ad decimam horam*; idest, a decima hora matutina circiter, usque ad horam ante occasum alteram.

℣. 10. Per biennium; per menses tres, quibus Judæorum Synagogam frequentaverat. Itaque Paulus diutius Ephesi quam alibi egit, cum plures ibi errores ac superstitiones tollendas nactus fuerit (15), & facile plusquam alibi profecerit. Ibi tunc forte adfuit Apollonius Thyanæus, præstigiator insignis, quem Diabolus Jesu Christo opponere voluisse videtur. Omnes post se magnus ille impostor vertebat (16), aliis viri scientiam, aliis elegantiam corporis, vestes, vitæ institutum admirantibus. Per Legatos amicitiam illi suam Civitates offerebant. Celebratissima quæque oracula laudes ejus vulgabant. Ephesios pro concione alloquens, hortabatur, ut abjectis cæteris, totos se Philosophiæ & seriis traderent; diffluebat enim tunc Ephesus luxu ac voluptatibus, & choreas amabat perdite. Credebatur divina instructus virtute naturæ arcana pervadere, ipsosque avium cantus percipere. Lue in urbe sæviente, ad eam expellendam accitus, spopondit, se ipsa eadem die rebus ægris salutem allaturum; statimque iter convertit ad theatrum, nactusque ibi senem pauperrimum pannosumque, lapidibus confici jussit. Ægre licet, tamen populus paruit; sed non multo post removeri lapides, quibus miser obrutus fuerat, jussit, ac pro viro canis extincti cadaver repertum est. Ita Apollonius urbem liberavit. Tanti nominis impostori coercendo opus erat viro tanto, cui ingens animi fervor inesset, quique plurimum verbo, plurimum opere polleret, Apostolo scilicet. Quæ Pauli miracula fuerint, mox discemus.

Ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini. Non ita reputandum est, quasi Paulus semper Ephesi substiterit: excurrebat enim semper ad vicinas urbes agrosque, & loca omnia, quæ opportuna videbantur, ad gloriam Domini, ac Judæorum seu Gentilium salutem procurandam; indiscriminatim enim omnibus Gentibus Judæisque prædicabat.

℣. 12. Ita ut deferrentur a corpore ejus sudaria (17), et semicinctia, quibus morbi pellebantur. *Sudaria* sunt, juxta optimos Interpretes (18), vittæ, quibus viri caput obnubebant, non dissimiles diademati seu vittæ, quam Reges in dignitatis insigne gestabant. Regiæ a vulgaribus materia & colore distinguebantur; at infimæ plebis homines pariter aliquid gessisse capiti obvolutum, alibi animadvertimus (19). Sudaria etiam erant lintea, quibus ora mortuorum velabantur. Joan. xi. 44. & xx. 7.

Semicinctia sunt cinguli, qualibus adhuc Orientales utuntur. Martialis de semicinctio (20):

Det tunicam dives; ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Hæc pariter vox usurpatur de linteo illo, quod ad ilia præcinctum, ad inferiora usque genua demittitur, qualibus opifices nostrates in officinis (21); & de tunicis brevioribus, ab humeris usque ad genua, quibus Veteres in agro versantes & seminudi utebantur. Theophylactus & Oecumenius (22) censent, *sudarium* genus esse vittæ capiti obvolutæ; & *semicinctia* lintea quædam, quæ ad manus erant, in usum abstergendarum lacrymarum, sudoris, & nasi pituitæ.

Mihi vero ea probatur opinio, quæ de latiora zona explicat, cui & latinum etymon favet, nec omnino repugnat descriptioni Teophylacti & Oecumenii. Martialis in loco recitato perspicue zonam significat. Petronius de homine quodam suspendium sibi moliente egens, ait, *semicinctium* ab eo paratum. S. Isidorus Hispalensis distinguit (23) *cinctum*, latissimum cingulum, cujus supre

Vuo me-

[8] Act. xix. 29. xv. 4. [9] Act. xix. 22. [10] 2. Cor. vii. 13. 14. [11] Ita Syr. Arab. Grot. Cornel. Zeger. From. Drus. Cornel. alii passim. [12] Τυράννου τινός. [13] Lyr. Erasm. Cajet. Gagn. Cnatchbul. &c. [14] Steph. B. Cantab. Græc. Lat. Ἀπὸ ὥρας πέμπτης ἕως δεκάτης. [15] Chrysost. homil. 42. [16] Philostrat. vita Apollon. lib. 4. cap. 1. [17] Ἀπὸ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια. Theodoret. in 1. Cor. xii. 9. Ὅτι χρὼς τῶν ἱματίων αὐτοῦ τὰς νόσους ἐξήλαυνε. [18] Theophylact. Oecumen. Dias. Sanct. Hamm. Vide Ludov. de Dieu hic. [19] Vide Ezech. xxiv. 17. & Dissertationem de vestibus Hebræorum. [20] Martialis lemma: *Semicinctium*. [21] Salmeron, Le Clerc. [22] Vide, si placet, Mill. not. in hunc locum. [23] Isidor. lib. 19. Etymol. *Cinctus est lata zona; & minus lata semicinctium; & utrinsque minima, cingulum.*

meminimus, nuda corporis a renibus usque ad genua protegens; *semicinctium*, cingulum paulo angustius, cujusmodi Orientales utuntur; ac denique *cingulum*, vulgatem zonam, Hesychio (26) pariter semicinctium est vitta, cingulum, zona.

Avida igitur arripiebantur linea seu vittæ capitis Pauli, ac cingula, illisque corporibus ægrotantium admotis, statim valetudo redibat. Raptim & eo inscio hæc sublata fuisse Apostolo, cum se illis exuisset, Sanctius arbitratur; sed Bartholomæus Petri censet, hæc a supplicibus turbis allata fuisse, ut ab Apostolo contacta vim pellendorum morborum raferrent. Ita sua fides constitit oraculo Jesu Christi, prædicentis Jo. xiv. 12. futurum, ut ab Apostolis suis tam grandia, quin & majora ederentur prodigia, quam ipse patraverat. S. Chrysostomus (27) non semel tradit, linea illa defunctos ad vitam revocasse, ipsamque Pauli umbram cujuslibet generis morbos, ipsamque mortem depulisse (28).

℣. 13. Tentaverunt quidam de circumeuntibus Judæis exorcistis. Aggressi sunt cogere energumenos nomine Jesu Christi, cui magnam inesse adversus Dæmones vim experientia intellexerant. Qui artem cogendi Dæmones profiterantur apud Judæos, ipsa Jesu Christi ætate non deerant; criminantibus enim Judæis, quod is Dæmones nomine Beelzebub expelleret, Jesus regessit Matth. xii. 27. *Filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri erunt*. Sermo est apud Josephum Antiqu. l. 8. c. 2. de Eleazaro quodam, Dæmones cogente, miserosque malis possessoribus liberante, virtute radicis cujusdam, a Salomone, uti ferebat, monstratæ, quam annulo inclusam naribus laborantium admovebat. Ejus enim odore affectus æger corruebat; statimque exorcistes, ne iterum in corpus redirent Dæmones, solemnibus quibusdam formulis a Salomone præscriptis, repetitoque ejusdem Principis nomine, adjurabat. Id coram Vespasiano ejusque filiis, se etiam præsente, aspicientibusque militibus & Ducibus frequenti numero, præstitum fuisse, Josephus ipse testatur. Meminit in l. de Bel. l. 7. c. 25. radicis cujusdam, nomine *baaras*, in Judæa provenientis, cui, si corporibus laborantium admoveretur, Dæmones pellendi vis inerat.

Denique S. Epiphanius hær. 30. agit de Magis & Excantatoribus, quorum numerus ingens, ipsius ætate, apud Judæos erat; quique artem profitebantur inspirandi amorem vel odium, ignis vim coercendi, elementisque imperandi. Scatebant hisce nedum Judæa, verum etiam reliquæ Provinciæ; urbesque peragrabant, philtra pollicentes, morborum curationes, Dæmonumque expulsiones per carmina. Cum autem veteratores illi non semel falsi fuissent, artes suas inanes reddi Crucis & nominis Jesu Christi virtute, hinc factum est, ut exorcistæ, de quibus hic Lucas, pellere Dæmonem aggressi fuerint nomine Jesu Christi, quibus tamen Dæmon parere recusavit; legimusque in Evangelio Luc. 9. 49. ipso adhuc Jesu Christo in vivis agente, non defuisse, qui ejus nomen in abigendis Dæmonibus adhiberent. Vetuera Apostoli ne id fieret; sed Jesus Christus prohibendum non censuit; nam, ait, *Qui non est adversum vos, pro vobis est*.

Neque hic quærimus, utrum Judæi Dæmones revera coegerint nomine *Jehova*, eæque adjurationes solemnes fuerint religionis puræ, ab omni superstitione secretæ. S. Thomas (29), & cum eo plures censent, precationes illas, si revera Salomonem authorem habuere, atque ab illo ante lapsum in Idololatriam institutæ sunt, ratas ac sanctas reputari oportere; sin minus, veluti magicas & illicitas superstitiones esse rejiciendas. Quæ autem damnare illas, ceu magicas præstigias & Dæmonis fraudes, suadent, plura sunt. Primo, in nullo Veteris Testamenti Libro probantur. Secundo, in Libris Sacris Salomonem magicas excantationes & carmina invexisse, nullibi legitur. Tertio, ejus generis precationes sacra Judæorum religio nunquam probavit. Excantationes, magicas artes, præstigias quaslibet Moyses damnat Deut. 18. 11. & si quis in Veteri Testamento Dæmoniacus occurrit, nunquam illi curando adjurationes adhibitas legimus. Quarto, Lucas narrat hic ℣. 19. eos, qui curiosa sectati fuerant, Libros suos in medium allatos palam cremasse; id quod maxime spectat ad exorcistas hosce, cæterosque, qui illos imitati, arcana magiæ ad fallendos simplices perquirebant.

℣. 14. Judæi Scevæ Principis Sacerdotum septem filii (30). *Sceva* iste facile Princeps familiæ Sacerdotalis erat: hoc enim Principis titulo donabantur etiam Capita quatuor & viginti familiarum Sacerdotalium (31). Sunt qui hunc Principem constituant Sacerdotum Judæorum Ephesi versantium: sed vero propius arbitramur, advenas fuisse, quippe quos peragrasse urbes, adjurationes suas ubique venditantes, Lucas ℣. 13. commemorat. Eodem etiam titulo Principis Sacerdotum Summi Sacerdotes exauthorati eorumque filii distinguebantur. Notus est Summus quidam Sacerdos Jesus filius Siah, qui nono vel decimo post Christum natum anno florebat (32). Meminit etiam Josephus de Bello l. 2. c. 25. Jesu filii *Sapha* Sacerdotis, qui novissimam Judæorum a Romanis defectionem sub Nerone sollicitavit ac fovit. Nomen *Seva* ex radice Hebraica, sonante *jusjurandum*, Grotius derivat.

℣. 15. Jesum novi ... vos autem qui estis? Nosco vim adjurationis, nomine Jesu Christi a Christiano factæ. Fidem adjurantium, & preces, quibus vim addit sacri nominis authoritas, metuo, sed vos neque timeo, neque adjurationes vestras curo; quamquam nomen Jesu (33), & Pauli ejus Discipuli veneror. Frequens est apud veteres Patres sermo de virtute Christianæ adjurationis. Tradit S. Justinus Apolog. pro Relig. Christ. trepidare Dæmones, audito nomine Jesu Christi, & virtuti adjurationum cedere. Addit Tertullianus in Apologet. resistere Dæmones coram Christianis non posse, coactosque fateri imbecillitatem suam, ubi nomina Christi urgentur; quare colligit: *Credite illis, cum verum de se loquantur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur*. Prudentius Apotheos. contra Jud.

> .... *Torquetur Apollo,*
> *Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi*
> *Ferre potest. Agitant miserum tot verbera linguæ,*
> *Quot laudata Dei resonant miracula Christi.*

℣. 16. Insiliens in eos, dominatus est amborum. Forte nonnisi duo e filiis *Scevæ* aderant, vel a septem duos elegit Dæmon, qui adjurare miserum nomine Jesu Christi susceperant. Notat Porphyrius de Sacrific. c. 3. eos, qui rebus magicis & excantationibus sese immiscent, sæpe a Dæmone male agi, quod immundis rebus non abstineant; monetque eos, qui a vexationibus hisce immunes esse volunt, ut a rebus, quibus vitium aliquod vel macula infertur, se contineant. Codices multi pro, *Dominatus est amborum*, legunt: *Dominatus est eorum* (34). Sed veteres Codices Alexandrinus & Cantabrigiensis, aliique plures, Vulgatæ

[26] Hesych. & Suidas: Σιμικίνθιον, φακιόλιον, ζωνάριον. [27] Chrysost. in Rom. homil. 8. in 1. Cor. homil. 6. & in 1. Timot. homil. 16. [28] Chrysost. tom. 5. homil. 6 pag. 99 [29] D. Thom. qu. 6. de potentia art. 10. ad 5. [30] Græc. Τοῦ Σκευᾶ Ἰουδαίου ἀρχιερέως ἑπτά. Cantabrig sic habet: Ἐν οἷς καὶ υἱοὶ Σκευᾶ τινος ἱερέως ἠθέλησαν τὸ αὐτὸ ποιῆσαι, ἔθος εἶχαν τοὺς τοιούτους ἐξορκίζειν, καὶ εἰσελθόντες πρὸς τὸν δαιμονιζόμενον, ἤρξαντο ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα, λέγοντες, &c. [31] Grot. Fromond. [32] Mill. Prolegom. 974. [33] Vide Chrysost. hic. [34] Κατακυριεύσας αὐτῶν, ἴσχυσε κατ' αὐτῶν. Alex. Cantab. Velez. Barber. 2. Steph. β, δ, ια; & alii non pauci: ἴσχυσε ἀμφοτέρων.

gatę consentientes, ferunt: *Dominatus est amborum*.

ỷ. 18. MULTI CREDENTIUM (3) VENIEBANT, CONFITENTES ET ANNUNTIANTES ACTUS SUOS; plures scilicet ex iis, qui jam crediderant, veniebant. Fideles illi baptismate jam tincti fuerant, & Jesu Christi fide imbuti; sed forte minus noverant, quid criminis esset magicas curiosasque artes, late adeo Ephesi regnantes, sectari. Casus filiorum Sceva, quos a Dæmone agitatus homo male excepit, cautiores illos fecit: intellexerunt illi criminis gravitatem; positaque mora, ad Paulum se conferentes, mala, quæ perniciosa artis hujus professione commiserant, fassi sunt. Sed quæ confessio illa? publica ne & generalis criminum suorum protestatio (4)? an Sacramentalis confessio, qua Neophyti singula peccata sua ante conversionem commissa exposuerunt (5)? Dissidium est sententiarum, cui tollendo Textus ambiguus nihil confert. Illud constat, expressam hic haberi certam assertamque peccatorum confessionem, singulosque fateri peccata sua debere, ut veniam assequantur, quemadmodum hic Grotius ipse post Patres Græcos (6) ingenue agnoscit & probat.

ỷ. 19. MULTI EX EIS, QUI FUERANT CURIOSA SECTATI, CONTULERUNT LIBROS, ET COMBUSSERUNT CORAM OMNIBUS. E numero Fidelium viros hosce fuisse, non dicit Sacer Historicus; sicut nec servatos ab illis hucusque magicarum artium Libros asserit. Probabile est, ex ordine Cathecumenorum, vel Gentilium, & Judæorum homines, territos exemplo filiorum Sceva, salubre consilium cœpisse resipiscendi, abjecta magicarum vanarumque artium professione (7). *Artium curiosarum* nomine censentur magia, astrologia divinatrix, fascinationes, præstigiæ, ars parandi amuleta & magicas illas imagines, quibus mala quæque averruncantur, vel propitia sors in ludo ceptisque omnibus asseritur.

Ex Veterum narratione discimus, occultas hasce artes celebre nomen Ephesio peperisse, ut *Litteræ Ephesiæ* in proverbium abierint. Eo nomine censebantur libri magicis quibusdam (8) & certe barbaris exarati characteribus, qui victoriam & malorum expulsionem conferre censebantur; quin & ad abigendum e corporibus Diabolum, recitari ea verba consuevisse ab iis, quos malus ille hospes infestabat, Plutarchus in Symposiac. lib. 7. qu. 5. affirmat. Voces fuisse barbaras & ænigmaticas, in pedibus, zona, & diademate Dianæ Ephesinæ descriptas, tradit Eustathius in Odyss. σ. easdemque habemus apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Strom. & Hesychium relatas. Sunt autem hujusmodi: *Ascion*, tenebræ, *catascion*, dies; *lix*, terra; *tetras*, quaternio, vel annus; *damnameneus*, sol, sive domitor; *aision*, veritas, seu felicitas. Harum vocum literarumque beneficio, præstare se reliquis gentibus tum in ludis publicis, cum in equorum cursibus, Ephesii gloriabantur.

DENARIORUM QUINQUAGINTA MILLIUM. Si accipiantur hæc de siclis, duorum & triginta solidorum ac denariorum quinque in singulos, summa conficietur librarum unius & octoginta millium, additis una & quadraginta nostri numismatis: si vero de Romanis denariis, decem solidorum Gallicorum, summa redditur librarum quinque & viginti millium.

ỷ. 20. CRESCEBAT VERBUM DEI, assiduis Pauli & sociorum prædicationibus, ac fama miraculorum, quæ ab iis patrabantur. Simul autem odium Judæorum & Gentilium in illos magis magisque provocabatur. Scribens ad Corinthios Apostolus 1. Cor. 16. 9. ostium magnum patuisse Evangelio, sed adversarios obstare multos, asserit; profiteturque, quotidiana se inter discrimina versari, nullaque non die imminentem intueri se mortem, juratus affirmat 1. Cor. 15. 30. *Quotidie morior*. Quin & addit aliquid, quod a Luca omissum est, nimirum expositum se belluis in amphitheatro fuisse (9), nec nisi peculiari Dei ope evasisse. Fusius hæc in primam ad Corinthios Epistolam discutimus. Ephesi versans, facile Epistolam ad Galatas dedit; id quod accuratius alibi expendetur.

ỷ. 21. PROPOSUIT, TRANSITA MACEDONIA ET ACHAJA, IRE JEROSOLYMAM, ut inde Romam pergeret. Eo enim pius ejus ardor, & ille, quo intus agebatur, Spiritus Sanctus tendebant. Id consilii cepit anno Jesu Christi 56. sed proximo dumtaxat explevit. Statuerat primo quidem Apostolus maritimo itinere transire in Macedoniam, inde cursum dirigere Corinthum, Achajæ Metropolim, ibique diu totaque facile hyeme 1. Cor. 16. 5. subsistere. Ephesio nonnisi post Pentecosten 1. Cor. 16. 8. anno Jesu Christi 57. solvit. Jam inde ante plures annos venire Romam optaverat Rom. 1. 10. & 16. 23. Deumque assiduis precibus sollicitabat, ut viam sibi aliquam eo pergendi aperiret, quippe qui ardebat desiderio Ecclesiæ hujus Fideles invisendi, ut aliquem ex illis fructum, quemadmodum e reliquis gentibus, colligeret. Divinitus præmonitum fuisse, itineri huic se destinari, censet S. Chrysostomus (10); sed ignorabat quid novi & insoliti moliretur Deus, ut quæ optabat assequeretur.

Eodam ferme tempore epistolam scripsit primam ad Corinthios, certior factus dissidii, quod Fideles illos inter se committebat, ajentibus aliis quidem esse se Petri, aliis vero Pauli, aliis autem Apollo. Narrantibus etiam Stephano, Fortunato & Achaico, qui Ephesi illum convenere 1. Cor. 16. 17. & 7. 1. dicit, vitia quædam in sacros cœtus, litesque inter Fideles irrepsisse; denique agere ibi Christianum, qui cum uxore patris sui incesto concubitu sese polluerat. His malis curandis primam epistolam ad Corinthios dedit, quam iidem Stephanas, Fortunatus & Achaicus detulerunt; atque Apollo rogaverat Apostolus, ut eo pariter se conferret, sed ille tunc morem gerere monenti recusavit 1. Cor. 16. 12.

ỷ. 22. MITTENS IN MACEDONIAM TIMOTHEUM, ET ERASTUM, aliquandiu ipse in Asia perseveravit. Facile autem ideo substitit, ut pias Fidelium largitiones pro Christianis Jerosolymitanis, re familiari laborantibus, colligeret. Mandaverat Timotheo, ut Corinthum iret 1. Cor. 4. 8. deinde Ephesum ad se reverteretur 1. Cor. 16. 11.

Erastus, de quo hic primum, ærario urbis Corinthi, & forte etiam Antiochiæ præerat. Paulus Corinthi agebat, cum illum *Ærarium Civitatis* appellavit (11). Verum si Erastus Ephesius erat, addere illi potuit Apostolus titulum muneris, quod olim in urbe sua gerebat. Recentiores Græci eamdem præfecturam Jerosolymis illum obiisse censent. Ut ut res habeat sese, Paulo adhæsit Erastus, relicto facile munere illo suo, ut totum se Deo traderet. Post iter in Macedoniam, de quo hic Lucas, utrum Ephesum cum Timotheo redierit, ignoratur: illud constat, proximo anno illum una cum Paulo ac Timotheo fuisse; utriusque enim nomine Romanos Paulus salutat Rom. 16. 21. Secutus fuit facile Apostolum in postrema ejus profectione Corinthum, dum Ro-

(3) Πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων. Quid. Πεπιστευκότων, *Qui crediderant*. Cantab. Πιστευόντων. Et ita Volg. *Credentium*. (4) Ita Erasm. Cajet. Vega lib. 13. de justif. c. 28. apud Sanct. hic; Lorin. Barth. Petr. Fromond. (5) Ita Oecumen. Salmeron, Baron. P. Soc. Gagn. Castro, Valent. Stapleton. in Acta; Bellarm. lib. 2. c. 4. controv. Sanct. Cornel. hic. (6) Vide Grot. hic. (7) Vide Sanct. & Cornel. Fromond. Vide & Chrysost. Oecum. Bed. hic. (8) Suid. Ἐφέσια γράμματα. (9) Chrysost. in 1. Cor. xv. & Theodoret. ibidem. (10) Chrysost. homil. 42. in Acta. From. hic. (11) 2. Timoth. iv. 20. *Ærarius civitatis*. Græc. Οἰκονόμος.

mam ad Martyrium obeundum se contulit. Erastum ibi reliquit Apostolus 2. Timot. 4. 20. ac deinceps de reliquis ejusdem Erasti gestis nihil memoriæ proditum legimus. Usuardus, Ado, & Martyrologium Romanum ferunt, relictum fuisse ab Apostolo in Macedonia, ibique Episcopum consecratum, ac denique Martyrem Philippis obiisse. Recentioribus Græcis est Episcopus Paneadis; iidemque tradunt, excurrisse illum per orbem, ut Evangelium nunciaret, ac denique in pace diem clausisse. Apostolus ab illis appellatur, atque in censu duorum & septuaginta Discipulorum adscribitur.

℣. 24. Demetrius argentarius faciens ædes argenteas (12) Dianæ. Dianæ Ephesiæ Templum inter orbis miracula referebatur. Operi absolvendo anni ducenti & viginti, sumptusque Asiæ Minoris universæ impensi sunt. Instruebatur columnis centum & viginti septem, quas singulas singuli Reges posuerant. Porrigebatur in longum pedes quadringentos & viginti quinque, ducentos & viginti in latum. Muneribus plane ditissimis, & eximii operis simulacris superbiebat, industriamque sapientissimorum geminæ ætatis artificum exercuerat (13). Igne illud perdidit Erostratus ipsa eadem nocte, qua Alexander Magnus in lucem editus fuit; sed e cineribus deinde surrexit. Idemque pariter Alexander Magnus, capta Epheso, in pristinam magnificentiam restituturum se illud spopondit, si in ædificii fronte nomen suum inscribi permitteretur: quod illi negatum est. Nero divitias ejus diripuit.

Loci sanctitas eo vocabat ex universo orbe peregrinos, quorum religio parvas Templi imagines (14), ædiculasque, in quibus Dea exprimebatur, avide emebat. Ex his imagunculis plurimæ in urbe vendebantur, qua in re potissimum negotiationem suam Demetrius constituerat. Paulus ubique Idololatriæ detrahebat, ejusque vanitatem sermonibus prodigiisque detegens, ingentem hominum turbam convertebat ad fidem. Gravissimum id accidit Demetrio, quo auctore seditio, de qua hic, in Apostolum excitata est. Suspicati sunt quidam (15), ædiculas hasce Dianæ argenteas numismata fuisse, Templum Dianæ Ephesiæ insculptum exhibentia. Ejusmodi quamplura nostra adhuc ætate supersunt, in quibus Templum illud, vel Deam cernas (16); sed numismata ista apud argentarios venalia fuisse, vix credimus; erant enim numismata in urbe cusa, quæ per totam provinciam obtinebant. Sed ædiculæ illæ, de quibus hic, publice venales habebantur. Malunt alii (17), arculas fuisse religiosas, Numen Dianæ continentes, quæ amuletorum loco collo suspensæ gestabantur.

℣. 27. In redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur; arti nostræ plurimum detrahi, &c. Ad verbum (18): *Hanc partem in contemptum venire*; lucrum hoc, artem, professionem nostram. Non negotiationi modo nostræ damnum imminet, sed & cultus Dianæ ne penitus aboleatur, timendum est. Demetrii animum sollicitum quidem non tenebat Deæ cultus & honor; sed lucri sola cupiditas illum agebat.

℣. 28. Magna Diana Ephesiorum. Simulacrum hoc Dianæ non exhibebatur cum arcu, sagittis, venatoria veste, & lunæ cornibus in fronte; sed Diana erat, cui cognomen *multimammiæ*, quæ alicubi perpetuis mammillis ab humeris usque ad pedes vestiebatur (19). Alibi vero sinum pectusque gerebat mammillatum, inferiora vero desinebant in basim, per intervalla ornatam capitibus canum, boum, cervisque dimidio corpore extantibus (20). Regebant hæc omnia pedes Numinis, qui nudi prodibant. Mammillarum frequentia fœcunditatem & uberiatem denotat (21): *Et ut ex ipsa quoque effigie mentirentur, omnium eam bestiarum & viventium esse nutricem*. Canes cervique emblema sunt Deæ, venatum & lucos amantis. Sæpe in nummis & imagunculis plura simul emblemata, varias Deæ dotes exprimentia, præfert. Sed hæc satis ad nostrum argumentum.

Cæterum in Theologia Gentilium Diana inter majora Numina censebatur: *Magna Diana Ephesiorum*. Erant enim Dii majores minoresque. Majores exhibet duplex iste Ennii versiculus:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Reliqui omnes *Dii minorum gentium* habebantur. Priores illos nemo Gentilium negligebat; reliquos nonnisi certæ regiones & urbes norant atque colebant.

℣. 29. In theatrum. Theatra in urbibus sane multis cœtibus civilibus cogendis destinabantur (22). Porro theatra ingentes erant areæ, in semicirculum constructæ, frequentissimæ multitudini continendæ aptæ. In urbibus, ubi commodior non suppetebat locus, theatra publicis cœtibus serviebant.

Rapto Gajo et Aristarcho, quos ministros & socios Pauli notant. Gajus, vel Cajus, vir erat facile Macedo, cui id honoris contigit, ut hospitem haberet Paulum Corinthi, ubi ædes habebat constitutas. Sunt qui credant (23), Cajum illum, ad quem Joannes tertiam Epistolam dedit, eumdem esse, de quo hic; sed distinguere alium ab alio malumus, rati Cajum, de quo Joannes, originem traxisse e Derbe, atque ipsum pariter Paulo adhæsisse (24). Idem est facile Cajus, quem Author Constitutionum Apostolicarum l. 7. c. 46. Episcopum Pergami in Asia constituit, cum alter Cajus Episcopum Thessalonicæ agere potuerit, juxta traditionem ab Origene recitatam (25).

Aristarchus alter erat vir Macedo Thessalonica oriundus, qui Paulum Ephesum comitatus, ibi cum illo toto biennio substitit, pericula cum illo & Apostolici muneris labores tolerans. In tumultu, de quo hic Lucas, vitæ discrimen subiit. Epheso cum Apostolo digressus, una cum illo venit in Græciam, inde in Asiam, postea in Judæam, & ex Judæa Romam. Adoni & Romano Martyrologio est Thessalonicensium Episcopus; sed a Græcis Apameæ in Syria Episcopus constituitur, quem & capite diminutum Romæ sub Nerone ferunt, statim post Paulum, cui constanti fide adhæsisse comitem asserunt. Nomen Aristarchi sæpius in Epistolis Apostoli recurrit.

℣. 30. Non permiserunt Discipuli, ne quo insultu afficeretur, appeteretürve lapidibus; neque enim in tumultuantis populi cœtu Legum & Justitiæ jura satis curantur.

℣. 31. Quidam de Asiæ Principibus, qui erant amici ejus, rogarunt, ne in theatrum prodiret. Asiarchas hosce Christianos fuisse, censat S. Chrysostomus (26); sed potiori jure Gentiles ab Interpretibus reputantur. Id enim non obscure designat Lucas, qui postquam narravit, Fi-

(12) Codices nonnulli in ora ferunt; *Τεύχη μικρά*. Fortasse *calices parvos*. S. Chrysostomus consentit. (13) Vide Plin. lib. 36. c. 14. Strabo lib. x. (14) Ita Sanct. Grot. Cornel. Men. Petr. Erasm. Camer. Casaub. alii. (15) Beza, Piscat. Fromond. (16) Duchoul pag. 25. 55. (17) Chrysost. Vatab. Vide & Sanct. (18) Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν. (19) Vide Hieronym. Prolog. Ep. ad Ephes. & Minut. Felic. in Octav. & Tostat. tom. 1. p. 552. & tom. 2. p. 526. (20) Duchoul, Relig. des Rom. p. 86. (21) Hieron. loco citato. (22) Vide, si placet, Grot. & Drus. hic. (23) Beda, in 3. Epist. Joan. Ado in Martyrol. (24) Vide Tillemont, S. Paul art. 25. & Nota 29. (25) Origen. in Rom. xvi. p. 632. (26) Chrysost. in Act. homil. 42. Vide & Bezam hic.

Fideles obstitisse Apostolo, in theatrum prodire volenti, addit, Asiarchas ipsos ejus amicos id vetuisse. Erant Asiarchæ Gentilium Asiæ Pontifices, honoris gratia delecti, ut privatis sumptibus ludos publicos & solemnes celebrarent (27); adeoque & ditissimi erant, & longe amplissimi urbis, quin etiam Provinciæ universæ.

Ṽ. 34. DE TURBA DETRAXERUNT ALEXANDRUM. Expedire se ex ingruenti turba, ope Judæorum, qui illum pepulerunt in theatri locum, unde videri & audiri ab omnibus poterat; meditantes forte, viri ejus pro concione loquentis oratione totam culpam ex Judæis amoliri, & in Christianos transferre (28); sæpe enim Christiani cum Judæis confundebantur; exploratumque erat, Judæos perinde ac Christianos Idolorum adversarios esse acerrimos. Creditur (29) Alexander iste idem esse, de quo Paulus ad Timotheum (30) narrat, artificem fuisse ærarium, quem nunquam non sibi resistentem Apostolus anathematis sententia punire coactus fuit. Sed hujus opinionis debiles sunt conjecturæ (31). Non satis exploratum est, utrum Apostolo amicus esset, an adversarius; utrum accusaturus, an excusaturus venisset. Si idem est Alexander, jam tunc Christianam Religionem professum fuisse necesse est; id quod tamen Textus non exprimit, quin & Judæum appellat; quamquam Fidelis esse ex Judæis potuit. Utrumque incertum.

Reddi potest Græcus (32): *Erudierunt Alexandrum, Judæis eum producentibus* in patronum suum. Oratorem illum ad causam suam agendam constituerunt (33). Sed qui primo offertur a Vulgata sensus, Interpretum plerorumque suffragio probatur. Si quis maluerit, Alexandrum a Judæis ad causam suam agendam fuisse constitutum, illi utique dicendum erit, Alexandrum Judæum & Judæorum fautorem fuisse; quo posito, ruet opinio, quæ Alexandrum hunc cum altero cognomine ærario opifice confundit.

Ṽ. 35. CUM SEDASSET SCRIBA TURBAS, DIXIT. Sunt qui multitudinem sedatam ab Alexandro loquente censeant (34); sed a Scriba id præstitum, non obscure ex Græco discimus. Scriba iste longe aliud creditur ac nostris auribus nominis hujus significatio sonat. Aliis enim est (35) urbis Præfectus; aliis militaris Minister, qui tesseram præberet militibus, quique munia singulis assignaret: vel Scriba, qui palam recitaret nomina & præmium victorum in publicis ludis. Vir fuisse non infimæ dignitatis videtur, quippe cui tanta erat authoritas, ut populum tumultuantem pacaret. Græci quidam Codices (36) pro; *Cum sedasset*, legunt: *Cum tremuisset*; vel potius, *impressa timore in animis populi*.

EPHESIORUM CIVITATEM CULTRICEM ESSE MAGNÆ DIANÆ, JOVISQUE PROLIS? Græcus (37): *Quis est homo qui non cognoscit, Ephesiorum civitatem ædituam* (Neocoron) *esse magnæ Deæ Dianæ, & statuæ Jovis delapsæ?* Nomen *Neocoros* frequens est in nummis vetustisque inscriptionibus, ad designandum honorem urbibus quibusdam concessum, erigendi aras, ludosque publicos in honorem Numinum quorumdam celebrandi. Id autem concedebatur illis sive Senatus consulto, sive Principum decreto, quo adeo urbes gloriabantur, ut inter maxime insignia decora in nummis & inscriptionibus adderent; cujusmodi exempla de urbibus presertim Asiæ quamplurima suppetunt. Græcum *Neocoros* reddi solet Latine *ædituus*, quod explicatur de iis quæ pertinent ad cultum, ornamentum, & conservationem Templorum; ad ludos, pompas, ceremonias, panegyrim, ornatumque Deorum (38). Porro Ephesii distinguebantur potissimum religione, qua Dianam prosequebantur, multumque titulo *Neocoron* gloriabantur.

Additur, Dianæ statuam e Cœlo delapsam fuisse; id enim populari opinione ferebatur, Dianam scilicet Ephesiam non hominum manu effictam, sed ex ipso plane Cœlo delatam. Quod idcirco invaluit, quia tantæ esset vetustatis, ut artifex & origo ignoraretur. Obtrudebant illam Sacerdotes ceu munus ab ipso Jove hominibus datum. Eadem fama increbuerat de Numine Pessinuntis, & de Diana Taurica (39), de Ancilibus sive clypeis sacris a Numa productis (40), de Palladio (41), de Cerere Æthnæa in Sicilia (42), Deoque Helagabalo (43).

S. Isidorus Pelusiota (44), docet, Ethnicos, ut dilapsa e Cœlo simulacra sua persuaderent, interdum simulacrorum artifices vel interfecisse, vel in regiones ignotas proscripsisse, ut rude vulgus authores ignorans, eam facilius persuasionem admitteret, cœlesti munere se Deos habere. In eam rem narrat, Regem quemdam Ægypti, cum aliquando collegisset peritissimos quamplures artifices, ut Dianæ simulacrum fingerent, eo peracto, vocasse illos ad cœnam in conclave, cujus pavimentum ea paratum erat arte, ut convivis vix sedentibus rueret. Atque ita factum est, ut sculptores omnes humo absorpti interirent. Id agi non ita occulte potuit, quin ejus fama in publicum prodiens, Regis consilium, Dianam suam velut e Cœlo datam obtrudendi, eluderet.

Ut ad Ephesiam Dianam regrediamur, Plinius (45), qui historico more rem tractat, non satis convenire de figura ejus docet. Dionysius Periegetes vetus Dianæ simulacrum, ab Amazonibus positum, rudem ulmi truncum fuisse statuit. Callimachus quernam; Vitruvius cedrinam maluit. Xenophon ex argento conflatam scribit (46). Sunt qui ex ebeno: alii vero, qui propius rem se inspexisse affirmant, e vite sculptam asserunt (47); adduntque, vetus adhuc & primum simulacrum mansisse, mutato licet Templo, ac septies restituto. Honorem sculpti operis Plinius Canetiæ tribuit, perforatamque fuisse ait imaginem multis foraminibus, per quæ nardus infusa ligni interiora aleret, & coagmentationes servaret. Nec est cur miremur, statuam illam e vite effictam scribi; crassissimas enim vites quasdam Plinius l. 14. c. 1. memorat; quin & in eodem Templo Ephesino ex imo Templo usque ad summum verticem deducebat scala ex unico vitis trunco expressa. Templum Jovis Metapontini columnis e vite fulciebatur; sicut & Jovis statua pulcherrima e vite Populoniæ spectabatur.

OPORTET VOS NIHIL TEMERE AGERE. Tullius lib. 1. num. 29. *Omnis actio vacare debet temeritate & negligentia; nec vero agere quicquam, cujus non possit causam probabilem reddere.*

Ṽ. 37. NEQUE BLASPHEMANTES DEAM VESTRAM.

(27) Vide, si placet, Grot. & Hamm. hic, & Salmas. (28.) Chrysost. homil. 42. Fromond. alii. (29) Ita Hugo, Baron. Grot. Bez. Hamm. alii. (30) 2. Timot. iv. 14. & 1. Timot. 1. 20. (31) Sanct. Cajet. Tir. (32) Προεβίβασαν Ἀλέξανδρον, προβαλόντων αὐτὸν τῶν Ἰουδαίων. Vulgata legit: Προεβίβασαν. (33) Vide Erasm. Hamm. Zeger. Syr. (34) Erasm. Baron. (35) Syr. arab. Drus. Lud. de Dieu. (36.) Cantab. Laud. 3. Κατασείσας τὸν ὄχλον. Græc. impress. Καταστείλας. Frequenter utitur Lucas verbo κατασείω pro, innuo, silentium manu indico: at hoc verbum cum Dativo construitur. Act. xii. 17. xiii. 16. xix. 33. xxi. 41. (37) Τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. Vulgatæ Author legisse videtur: Διὸς παιδὸς, filiæ Jovis. (38) Vide Tristan. Comment. histor. t. 1. p. 39. 40. 41. Hamm. Petit. Var. Lect. Erasm. &c. (39) Euripid. Ἀνδρ' ἄγαλμα Θεᾶς, ὅ φασιν ἐνθάδε εἰς τούσδε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο. (40) Plut. in Numa. (41) Plutarch. in Parallel. (42) Apud Ciceron. (43) Apud Herodian. (44) Isidor. Pelus. lib. 4. Ep. 207. (45) Plin. lib. xvi. c. 40. (46) Xenophon, de expedit. Cyri junioris. (47) Ita Mutianus ter Consul, apud Plin. ibid. & Theophyl. lib. 5. hist. c. 19.

Hic, utpote Ethnicus, religioni non ducebat mentiri (48). Non satis quæsivit, utrum Paulus & socii de Diana essent obloquuti, eamque damnassent ceu fictum Numen, cujus imagini nihil divinum ac veneratione dignum inesset. Id autem si fassus fuisset, nihil falsum Apostolo imputasset. Adstruit quod aptissimum esse tumultuanti populo pacando censet.

℣. 38. Conventus forenses aguntur; vel de rebus minoris momenti. Qui justam querendi causam sibi esse putant, illis proclive est ut Judices conveniant, sibique jus dici petant. Si de re agitur gravissima, *Proconsules sunt*, vel Præfectus Provinciæ, apud quem reo diem dicatis. Unicus erat in singulis Provinciis Proconsul, ut singularis numerus hic pro plurali usurpetur. Reddi potest Græcus (49): *Aguntur dies conventus*; vel, quibus jus dicitur; *sunt Proconsules*: quibus querelarum aliquid inest, ii procedant & jus postulent. Aliter (50): *Viri isti artifices sunt*. Demetrio & sociis tanta non est authoritas, ut populi cœtum indicant, id enim non nisi *Proconsulum est*.

℣. 39. Legitima Ecclesia, quæ singulis mensibus cogitur, ait S. Chrysostomus (51). Aliter: In cœtu legitime coacto, jussu Magistratuum (52), ubi res quiete tractantur. Singularum urbium Magistratus res politicas curabant.

℣. 40. Cum nullus obnoxius sit, de quo possimus reddere rationem concursus istius, cum nulla possit ratio afferri, ad tumultuarios hosce conventus excusandos. Quamquam enim generali lege vetitum est, ne injussu Pronennsulis vel Magistratuum conventus populi agantur, excipe tamen, ubi aliqua coeundi causa incidat, ut in subitis incendiis, hostium incursionibus, & similibus. Horum nihil nunc occurrit (53). Græcus accipi potest: Nemini cogendi populum jus est; vel (54), Civitatis hujus nemn tumultui huic occasionem præbere potuit, non proditor, nnn incendiarius, non blasphemus, &c.

(48) Chrysost. Fromond. Cornel. Menoch. (49) Ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσι. Vide Grot. Hamm. Pisc. Drus. hic, Casaub. in Theoph. Character. Περὶ ἀπονοίας. (50) Syr. Arab. Lud. de Dieu. (51) Chrysost. hic, Zeger. Fromond. (52) Grot. Erasm. Cornel. alii. (53) Erasm. Zeger. Grot. alii. (54) Μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος .... τῆς συστροφῆς ταύτης.

C A P U T XX.

Paulus Troadem venit, ubi hominem e tertio cœnaculo lapsum revocat ad vitam. Evangelium variis in regionibus nunciat, Asiam summo Fidelium mœrore deserit.

℣. 1. Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est, ut iret in Macedoniam. 2. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: 3. Ubi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam: habuitque consilium, ut reverteretur per Macedoniam. 4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Gajus Derbeus, & Timotheus: Asiani vero Tychicus, & Trophimus. 5. Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade: 6. Nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. 7. Una autem Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. 10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. 11. Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. 12. Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minime. 13. Nos autem ascendentes naves, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. 14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. 15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum. 16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis. 17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. 18. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis, a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, 19. Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: 20. Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, 21. Te-

Testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. 22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem: quæ in ea ventura sint mihi, ignorans. 23. Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent. 24. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. 25. Et nunc ecce scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. 26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. 27. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. 28. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. 29. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. 31. Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. 32. Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. 33. Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut 34. Ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere: 36. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. 37. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, 38. Dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

℣. 1. POSTQUAM CESSAVIT TUMULTUS, Paulus accitis Discipulis vale dixit. Qui tumultus Ephesi excitatus fuit, aurifice Demetrio auctore, Paulum sollicitavit, ut suum in Græciam iter acceleraret. Scripserat ad Corinthios 1. Cor. 16. se post Pentecosten abiturum; sed aliquot diebus citius exiisse per eam occasionem videtur. Lucas perspicue asserit, post seditionem pacatam continuo illum discessisse.

UT IRET IN MACEDONIAM, invisurus quas ibi constituerat Ecclesias, collectamque e piis largitionibus pecuniam pro Fidelibus Hierosolymitanis ibi sepositam recepturus. At navim non conscendit Ephesi, sed Troadem in Phrygia perrexit 2. Cor. 2. 12. ubi Fideles versabantur, quos invisere maxime volebat, antequam ex Asia secederet. Socium itineris habuit Timotheum, quocum venit in Græciam (1).

℣. 2. VENIT AD GRÆCIAM, idest in Achajam, sed non statim; divertisse enim prius in Macedoniam, superiore versiculo narratur. Ipse autem de se docet Apostolus 2. Cor. 7. 5. plura sibi toleranda fuisse tum ab Infidelibus mala, cum a Fidelium, nondum in virtute formatorum, vexationibus. Sed Titus eo adveniens & præsentia illum recreavit, & cumulavit gaudio, narrans optimum Ecclesiæ Corinthi statum. Non diu post in Macedonia adhuc commorans, Titum ad Corinthios remisit (2) cum altera ad eosdem Epistola (3). Quin & aliquandiu post ipse eo se contulit, datam ea de re fidem suam liberaturus (4); quæ tertia est Apostoli Corinthum profectio (5). Quid ibi egerit, satis exploratum non est; sed S. Augustinus Epist. 118. cap. 6. suspicatur, sanxisse ibi ea quæ ad sacrificium Eucharistiæ pertinent, ac præsertim statuisse, ut Corpus Jesu Christi Fideles jejunii susciperent, & non in consuetis cœnis, quemadmodum obtinebat eo tempore, quo is Epistolam primam ad Corinthios dedit.

℣. 3. MENSES TRES, tum Corinthi, cum Athenis itidem, & in Achaja. Hoc temporis intervallo Ecclesias omnes invisit, sepositasque e collecta stipe pecunias recepit. Eodem pariter tempore, antequam ex Achaja digrederetur, Epistolam ad Romanos misit. Hanc autem idcirco datam Corinthi suspicamur (6), quod ibi diutius quam alibi substiterit, pluresque, qui Romanos salutent, Fideles Corinthios nominet.

FACTÆ SUNT ILLI INSIDIÆ A JUDÆIS NAVIGATURO IN SYRIAM. Constituerat quidem Paulus maritimo itinere in Syriam & Jerosolymam, quod primum erat itineris propositum, proficisci; hæc autem via erat brevior: sed certior factus, strui sibi insidias ab Judæis, sive piratis corruptis, ut navim aggressi ipsum caperent, pecuniamque, quam deferebat ad egenos Jerosolymitanos, raperent; sive latronibus dispositis per urbes, quas in itinere pertransire illum necesse erat; hinc terrestri via, quantum fieri poterat, ire constituit. Itaque Macedoniam remensus, venit Troadem, ubi navi conscensa, Syriam & Jerosolymam versus solvit. Totum ejus iter in hoc Capite & consequentibus prosequemur. Proficiscentem Corintho Paulum usque Philippos Macedoniæ urbem Sopater vel Sosipater, Aristarchus, Secundus, Cajus, Timotheus, Tychicus, & Trophymus comitati sunt (7), quos Philippis Apostolus rogavit, ut sese prævertentes maritimo itinere Troadem pergerent, ibique adventum suum opperirentur. Ipse interim Philippis cum Luca aliisque nonnullis subsistens, Pascha cum illis celebravit, nec urbem illam, nisi post dies azymorum, idest post octavam Paschatis, reliquit.

℣. 4. SOPATER PYRRHI BERROENSIS filius. Græcus typis vulgatus legit planius (8): *Sopater Berroensis*. Codices plures ferunt: *Sosipater Berroensis*; itidemque plures: *Sopater filius Pyrrhi Berroensis*. Sosipater & Sopater unum idemque nomen sunt; sed

[1] 2. Cor. 1. 1. [2] 2. Cor. VIII. 15. 17. [3] Theodoret. Tillemont. [4] 1. Cor. XVI. 5. [5] 2. Cor. XII. 14. XIII. 1. [6] Origen. in Epist. ad Rom. Theodoret. ibid. Athan. Synops. [7] Rom. XVI. 21. [8] Σώπατρος Βεῤῥοιαῖος. Alii, Σωσίπατρος Βεῤῥοιαῖος. Alii, Πύῤῥου Βεῤῥοιαῖος.

ſed vero propios reputamus, nomeo Pyrrhi patris illius acceſſiſſe Textui jam inde a vetuſtiſſima ætate, manu priorum Fidelium, qui familiam Soſipatri norant. Si enim id nomiois ab exordio poſitum fuiſſet, quomodo nunc pariter in pluribus Codicibus deſideraretur? Cum de nominibus propriis res eſt, addi illis aliquid vel demi ſæpe contingit. Creditur idem eſſe Soſipater, quem Paulus neceſſarium ſuum appellans, ejus nomine Romanos ſalutat (9). Berœæ verſabatur, ideſt in urbe ejus nominis Macedoniæ, ubi Paulus prædicaverat. Græcus typis editus fert, Soſipatrum comitatum fuiſſe Paulum *uſque in Aſiam* (10); id tameo noo legitur neque in Arabica neque in Vulgata, neque in nonnullis Græcis Codicibus. Reipſa quidem Soſipatrum cæteroſque Apoſtoli comites in Aſiam cum illo veniſſe, dici nequis, quod illum Troadem præverterint. Probabile eſt igitur, verba hæc præpoſtore Græco acceſſiſſe.

Aaiſraacſua, de quo in Capite ſuperiori ℣. 29.

Timotheus, celebris Pauli Diſcipulus, de quo fuſe agendum erit in argumento Epiſtolæ Pauli ad ipſum datæ.

Tychicus, quem idem Apoſtolus chariſſimum fratrem ſuum (11), fidelem in Domino miniſtrum, & conſervum in Domino appellat. In provincia Aſiæ natus, intimus fuit Apoſtolo, cujus Epiſtolas ſæpe detulit, & ad intelligendum Eccleſiarum ſtatum miſſus. Quin & idem Apoſtolus mittere illum in Cretam cogitabat, ut Eccleſiam illam curaret, ac Titi vices ageret (12). Ejus feſtum in nonnullis Martyrologiis conſignatur Paphi in Cypro, die xiv. Aprilis. Græcis eſt Epiſcopus Colophonis in Provincia Aſiæ, atque inter duos & ſeptuaginta Diſcipulos recenſetur.

De Trophimo agam Capite xx. 29.

℣. 5. Sustinuaaunt nos Troada, quo Paulus adventum ſuum prævertere illos juſſerat. Articulum *nos* adhibens hic Lucas, ſatis innuit, ſe cum cæteris veniſſe. Eſt Troas, ut jam animadverſimus Act. 16. 8. urbs minoris Phrygiæ, in parva Troadis provincia.

℣. 6. Navigavimus post dies azymorum; ſcilicet poſt octavam Paſchatis. Quibus Lucæ verbis ſatis intelligimus, Apoſtolum retinuiſſe Judæorum morem, veſcendi pane azymo ſeptem diebus Paſchalibus. Solviſſe ſe ait *Philippis*, vela daturos in Aſiam, ut Troadem convenirent illos, quos Paulus præmiſerat.

℣. 7. Una sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem; die ſcilicet Dominica, ſive ad communes menſas (13), ſive potius ad celebrandam Euchariſtiam (14), quæ non raro ſub hac phraſi, *frangere panem*, deſignatur; ſive denique (15) ad agapas illas charitatis, quas pio conſueto more claudebat vel comitabatur Corporis & Sanguinis J. Chr. communio. Dies Dominica, hora veſpertina, Pauli prædicatio, incenſæ lampades, hæc ſimul omnia majus aliquid quam ſimplicem cœnam indicant.

Disputabat cum eis, protraxitque sermonem usque ad mediam noctam; ſeu potius (16), colloquebatur cum eis, &c. Quæſtiones illorum audiebat ſolvebatque; dubitationes ſubmovebat; ſiquid illis obſcurum & difficile accidebat in noſtris myſteriis, declarabat. Non præmeditatos habebat ſermones, ſed familiaria, ſeria, & utilia colloquia miſcebat.

℣. 8. Lampades copiosæ in cœnaculo; tum cauſa celebritatis conventus, ubi, ut jam animadvertimus, poſt cœnam Euchariſtia celebrata fuerat; tum ob honeſtatem amplioris loci, quo tam multa hominum turba utriuſque ſexus noctu convenerat; tum denique ad evitandas calumnias, quæ de conventibus illis & agapis priorum Chriſtianorum ſpargebantur.

℣. 9. Super fenestram apertam, ſive ut calor ſive ut nidor lucernarum & tædarum exhalaret. Adoleſcens iſte in feneſtra conſederat, forte ut loquentem commodius audiret, cum reliquum cœnaculum conferta turba occuparet. Porro ille corruens de *tertio cœnaculo deorſum, ſublatus eſt mortuus*. Cecidit in atrium, ſive in viam, & ex lapſu, quem ſomnus fecerat graviorem, toto corpore contractus eſt.

℣. 10. Incubuit super eum, uti olim Eliſæus ſuper filium hoſpitæ ſuæ Sunamitidis 4. Reg. 4. 32. veluti algentem foveret, ac vitales ſpiritus infunderet; ardentique prece Deum rogavit, ut defunctum in vitam revocaret. *Et complexus, dixit: Nolite turbari: anima enim ipſius in ipſo eſt*. Intellexit, Deum vitam illi reddidiſſe. Motus aliquos in illo deprehendit, ex quibus vitæ ſpem & argumentum cepit (17); vel denique, certus loquitur de eventu, quem ſtatim expectat. Ita ferme Jeſus Chriſtus in Evangelio Matth. 9. 24. de filia Jairi ait: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*; quod illam tam facile revocaturus eſſet ad vitam, quam e ſomno excitaret. Clericus (18) negat, adoleſcentem hunc e lapſu periiſſe: & cum Lucas ait, *Sublatus eſt mortuus*, vertit: *Sublatus eſt veluti mortuus*; & ℣. 12. ubi traditur, *Adduxerant puerum viventem*, explicat ille: *Adduxerant ſanum*. Quid eſt apertam Scripturis vim inferre, ſi hoc non eſt?

℣. 11. Frangens panem et gustans. Primo diluculo cibum ſumpſit, poſtquam totam fere noctem colloquendo tranſegerat, ut diſceſſui ſe compararet. *Guſtare* apud Lucam eſt jentari, vel primo per diem veſci. Vide ſupra x. 10. Putat Fromondus, celebraſſe illum ſecundo Euchariſtiam, exoriente aurora feriæ ſecundæ, poſtquam illam veſpere Dominicæ diei in eodem cœnaculo celebraverat. Sed vix mihi perſuaſerim, in uno eodemque conventu bis unquam ſacra Myſteria celebrata fuiſſe.

℣. 13. Ascendentes navam, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum, qui terreſtri itinere eo venerat. *Aſſon* (19), vel *Aſſos*, urbs erat maritima Myſiæ (20) vel Troadis (21); neque enim ſatis hac in re inter Geographos convenit. Alio nomine Apollonia appellabatur (22). Iter maritimum Troade Aſſon longe majus erat mari, quam terra, cum promontorium in mare excurrens circumeundum eſſet. Terreſtris via octo vel decem leucas non ſuperabat.

℣. 14. Venimus Mytilenen. Navim cum illis in Aſſo conſcendens Apoſtolus, Mitylenen in Inſula Leſbo navigarunt; idque facile iter una die conficere potuerunt.

℣. 15. Contra Chium, aliam Ægæi Inſulam, quam prætererunt. Sed mane alterius diei tenuerunt *Samum*; ſeu potius, ex Græco (23): Cum veniſſemus contra Samum, applicuimus Trogyllium, prope Samum. Latinus, & Græci Codices plures (24) omittunt Trogyllium. Hujus nominis promontorium erat in Ionia, quod tribus parvis Inſulis Samo proximis nomen ſuum dabat (25). Medium id erat inter Epheſum & Menandri oſtium. Probabile eſt, Apoſtolum & ſocios tenuiſſe parvam

[9] Rom. xvi. 21. Origen. Eſt. alii. [10] Συνείπετο αὐτῷ ἄχρι τῆς Ἀσίας Σώπατρος. [11] Epheſ. vi. 21. 22. & Coloſſ. iv. 7. [12] Vide Tit. iii. 12. [13] Gloſſa ordin. Lir. [14] Auguſt. Epiſt. olim 56. nunc 36. cap. 12. num. 28. Hieron. Epiſt. 15. Sanct. Syr. Cornel. Ham. Piſc. Arab. Æth.
[15] Fromond. Bez. [16] Διελέγετο αὐτοῖς . . . παρέτεινέ τε τὸν λόγον. [17] Sanct. Grot. Bez. alii.
[18] Le Clerc, Notes Françoiſes ſur le N. Teſt. [19] Gr. Ἄσσον; alii Νάσσον; alii Θάσον, vel Θάσσον.
[20] Strabo, Steph. [21] Plin. lib. 2. cap. 96. [22] Idem lib. 5. cap. 30. [23] Τῇ δὲ ἑτέρᾳ παρεβάλομεν εἰς Σάμον· καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, &c. [24] Omittunt Trogillium Alex. Laud. 3. Pet. 3. Copht. Æth. Hieron. Beda, alii. [25] Plin. lib. 5. cap. 12. Vide Strabon. lib. 14.

vam insulam Trogyllii potius, quam ejus nominis promontorium; neque enim promontoria apta sunt, quo naves accedant.

Venimus Miletum, celebrem urbem ad oras & in Provincia Cariæ, duodecim vel quindecim leucis ab Epheso.

℣. 17. Vocavit majores natu Ecclesiæ. Latinus quidem ad verbum fert: *Majores natu*; sed Græcus legit *Presbyteros*, quod non tantum ætate senes, sed etiam Sacerdotes, Episcopos, virosque dignitate conspicuos designat. Satis convenit, Seniores hosce vel Presbyteros eosdem esse ac quos infra ℣. 28. Episcopos nuncupat. S. Irenæus tradit (26), accivisse illum Episcopos & Presbyteros, non Ephesi modo, sed & vicinarum Ecclesiarum; id quod nobis arridet maxime. Timotheus Episcopus Ephesinus eo tempore cum Apostolo agebat (27). Itaque reputandum est, Episcopum alterum ejus loco substitutum fuisse, ut eo absente una cum Presbyteris res Ecclesiæ illius moderaretur; sicut & Episcopos vicinarum urbium eo pariter convenisse.

℣. 18. Qualiter vobiscum per omne tempus fuerim. Codex Cantabrigiensis fert (28): *Triennium & amplius qualiter vobiscum eram toto hoc tempore*. Salva modestia, pronum erat Apostolo Discipulis sese veluti virtutis exemplar proponere. Neque enim nisi afflatus Spiritu Dei loquebatur, nihilque a vanitate & ostentatione abhorrebat magis, quam vitæ ipsius apud illos actæ institutum. Quin & testes illos assumit demissionis animi, perpessionum & lacrymarum. Profecto hominum superbia horum ostentationem non amat, quippe quæ concupiscentiæ adversantur.

℣. 19. Tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum. Vox *tentationes* (29) designare potest sive adversa in illum excitata, sive pericula, quibus Deus virtutem ejus probavit, seu denique nisus Judæorum, tentantium removere illum a Jesu Christo, & a professione Evangelii, tum pollicitationibus, tum minis, tum vexationibus.

℣. 20. Nihil subtraxerim utilium. Nihil vobis invidi eorum, quæ ad salutem vestram conducere censui. Ut veritates, quas vobis utiles fore existimavi, vel dissimularem vel supprimerem, nihil ex me impetrare, non metus, non hominum authoritas potuit. Omnia institutioni vestræ posthabui (30). En optimi Pastoris specimen. Doctrina pioque ardore plenus, uberrime, sapienter, absque invidia & metu ea tradit, quibus ipsius animum Deus locupletavit, quæque charitas tradenda esse docuit. Bonitas pastoris est, ait S. Bernardus, panem nunquam non in pera gestare, canem loro ducere. Canis est pius animi illius fervor: ducendus est, constringendus, coercendus. Pera pane gravis est mens utilibus referta: paratum esse decet semper, cibum gregi præbere.

℣. 21. Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem. A Judæis exorsus totis mensibus tribus prædicavit Act. 19. 8. sed in nequitia obfirmatos intelligens, laborem suum ad gentes transtulit; non tamen Judæis penitus neglectis, paratus semper illos docere, si aurem præbere morigeram vellent: sed rarius quam solebat, eorum synagogam frequentavit. Utrique vero genti pœnitentiam prius nunciabat, deinde proponebat fidem Jesu Christi. Qui enim, idololatria abjecta, ad cultum veri Dei convertitur, ille quidem fidem in Deum admittit, sed non continuo & fidem in Jesum Christum. Judæi Deum credebant, Jesum Christum non credebant; ideoque hortandi erant, ut ad illum converterentur, & in ipsum crederent. Profanæ gentes Deum minime norant, & pessime vivebant, quare inducendæ erant, ut Idololatria abjecta per pœnitentiam resipiscerent, denique ut crederent in Jesum Christum, qui ex impio justum efficit (31) per fidem charitate animatam. In Evangelio (32) pariter hominibus primo quidem pœnitentia, deinde fides in Evangelium suadentur.

℣. 22. Alligatus ego Spiritu, vado in Jerusalem. Ceu vinctus catenisque vi Spiritus Sancti alligatus Jerosolymam ducor (33). Suavi violentia cogor, ac dulci simul validoque impulsu trahor, cui non resisto, nec, si velim, resistere mihi fas est; ipsi enim Dei voluntati agnitæ & compertæ repugnare me crederem. Aliter: Certus sum adeo de vinculis mihi Jerosolymæ destinatis, ut ceu jam vinctum me nunc habeam & reputem (34). Talem me jam mente fingo, qualis est homo infami supplicio jam damnatus, cujus mens futuri eventus terrore adeo afficitur, ut cruciatus jam animo sentiat.

℣. 23. Nisi quod Spiritus Sanctus, &c. Non satis compertum teneo, quid me Jerosolymis maneat; sed Spiritus Sanctus in omnibus, quas obeo, Civitatibus ore Vatum Christianorum, quos ipse afflat, admonet atque denunciat, nihil expectandum esse mihi nisi catenas, & adversariorum insectationes. Eorum, quæ hic a Paulo affirmantur, de Vatibus Christianis ubique prænunciantibus, vincula Jerosolymis illi parari, documentum Capite sequenti 21. 10. exhibetur.

℣. 24. Nec facio animam meam pretiosiorem quam me; discrimen mortis alacer adeo. Præsto sum de vita periclitari: ipse me in discrimen immitto, ut gloriæ Dei mei serviam. Reputat se Apostolus velut aliquid ab ipsa vita sua distinctum; eamque vitam rem omnium, quorum jactura fieri ab homine possit, pretiosissimam constituit. Igitur bonum illud, summum licet, nihil me afficit, ubi Deo meo serviendum est; volens lubensque hoc quodcumque est, pro illo prodigo. Græcus legit tantummodo (35): *Nec habeo animam meam*, seu vitam meam, *pretiosiorem*; tanti non æstimo, ut servandam censeam vel mei erga Deum officii periculo. Vernacula Hebræorum phrasi, *habere animam pretiosam* (36), est, studiose servare; non habere pretiosam, perinde est ac exponere discrimini, prodigere, &c. (37).

Consummem cursum. Græcus typis vulgatus addit (38): *Consummem cum gaudio*; quæ tamen aliunde accepta sunt, & frustra quæras in optimis Græcis Codicibus & antiquis versionibus.

℣. 25. Ego scio quia amplius non videbitis faciem meam. Ita quidem putabat Apostolus, ratus futurum, ut nunquam evaderet vincula & reliqua mala, quæ sibi Jerosolymis imminere, Sancto Spiritu undique nunciante, nec ullam spem dante libertatis, noret. Nihilo tamen secius ex pluribus Epistolarum ejus locis intelligimus, nedum illum redeundi in Asiam consilium agitasse, sed & rediisse (39); quæ doctissimorum Criticorum sententia est (40).

℣. 26. Mundus sum a sanguine omnium. Quantum in me, vestræ omnium saluti adlaboravi; nemo vestrum periit, vel peribit meo errore. Si quis

[26] Iren. lib. 3. cap. 14. Vide Chrysost. homil. 44. initio. Erasm. Vatab. [27] Vide Rom. xvi. 21. Ligfoot. Tillem. [28] Ὡς τριετίαν, ἢ πλεῖον ... τῶν μεθ' ὑμῶν ἦν παντὸς χρόνου. [29] Græc. Πειρασμῶν. [30] Erasm. Vat. Bez. [31] Rom. iv. 5. Vide Sanct. & From. hic. [32] Marc. 1. 15. *Pœnitemini, & credite Evangelio.* [33] Vide Cornel. From. Menoc. Tirin. alios. [34] Grot. Zeger. Hamm. Le Clerc. [35] Οὐδὲ ἔχω τιμίαν ψυχήν μου ἐμαυτῷ. [36] 1. Reg. xxvi. 21. Prov. vi. 26. Isai. xliii. 12. [37] Grot. Cornel. Camer. Vat. Syr. alii. [38] Τελειῶσαι τὸν δρόμον μου μετὰ χαρᾶς. Additum forte ex Hebr. xiii. 17. [39] Philipp. i. 25. 26. ii. 24. Philem. ℣. 22. Hebr. xiii. 23. [40] Capell. hist. Apost. Tillem. S. Paul, art. 35. Fromond. in Acta, hic; S. Chrysost. Theodoret. Pearson, Usser. Mauduit, Cornel. a Lapide, apud Tillemont, Note 74. sur S. Paul.

quis forte vestrum in crimen seu iofidelitatem inciderit, ne id mihi vitio detur; ego enim *non subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis*. Spectare videtur Ezechielis illud 33. 3. *Terra, cum induxero super eam gladium, & tulerit populus Terræ virum, & constituerit eum super se speculatorem*, ut advenientes hostes prospiciat, & *ille viderit gladium venientem super Terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo* malum imminens: *audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se observaverit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super eum erit . . . Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Vide pariter in Actis VIII. 6.

℣. 28. IN QUO SPIRITUS SANCTUS POSUIT VOS EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI. Variant hic Codices, quorum plerique legunt cum Vulgata (1) *Ecclesiam Dei*; alii plures: *Ecclesiam Domini*; Syrus, Theodoretus in Ep. ad Philipp. & Author Dialogi Athanasio attributi (2): *Ecclesiam Christi*; alii; *Ecclesiam Domini Dei*. Variantia hæc levia in se quidem videntur; sed gravissima sunt inspectis iis, quæ proxime consequuntur: *Quam acquisivit sanguine suo*. Si quis enim retinuerit illud, *Ecclesia Dei*, hinc recte colliget, Jesum Christum Deum esse. Huic facile veritati obscurandæ librarii quidam indocti & fallaces, Dei nomen mutarunt in *Domini*, vel *Christi* (3). Opportunitatem hanc expendendi variantia librorum non præterit Grotius, qui & pro *Ecclesia Dei* legendum contendit *Ecclesia Domini*, repugnante licet consensu Latinorum omnium, & plerorumque Græcorum Codicum, omniumque ferme Græcorum Latinorumque Patrum, uti Millius demonstrat (4). Veteres Divinitatem Jesu Christi firma persuasione tenentes, a commemorando sanguine Dei non abstinent (5); cum phrasis illa apud illos nulli pateret invidiæ.

Docet Apostolus, *Episcopos positos esse regere Ecclesiam Dei*; non quod Episcopis singulis universæ Ecclesiæ regimen commissum sit, sed quod singulis Ecclesiis singuli sint Episcopi constituti. Ecclesiis omnibus unicum est caput Jesus Christus, cujus vicibus in Terra, tamquam visibilia Capita, successores Petri in Ecclesia Romana funguntur. Ordinem Episcopalem Sanctus Spiritus instituit, totamque Ecclesiam Jesus Christus Sanguine suo ita comparavit ac redemit, uti Sponsus qui pretio sanguinis sui Sponsam emit. Alludere hic videtur Apostolus ad consuetum Hebræorum morem, uxores ementium, sive collata pecunia, sive præstita parentibus illarum servitute. Nihil est aptius excitando amori & studio Episcoporum erga Ecclesias, quam si id meditentur. Fideles omnes, ex quibus Ecclesia coalescit, Dei Sanguine redemptos esse, cujus Sanguinis profanationem vel neglectum supremus Judex Christus extrema Judicii die ex illis exquiret. Episcopi in hoc versiculo unum idemque sunt cum Majoribus natu vel Presbyteris versiculi 17. Quamquam discreta semper & distincta olim & nunc pariter sint munia Presbyterorum & Episcoporum; nomina tamen sæpe apud Veteres miscebantur. Vide Epistolam ad Philippenses Capite I. 1.

℣. 29. LUPI RAPACES. Græcus (6): *Lupi graves*. Lupi, quos opus erat vobis esse pastores, defensoresque, vos vorabunt. Ego vitam ita apud vos egi, ut nemini gravis fierem; succedent post me alii, qui vos devorent. Aliter, *Lupi graves*, Lupi perniciosi, sævi, truces, qui gregem non pascunt nec agunt, sed devorant. Oracula hæc Apostoli suam obtinuerunt fidem in ingenti illa Hæreticorum & pseudo-Christianorum colluvie, quæ prioribus sæculis Ecclesiam tanta ejus pernicie inundavit.

℣. 30. EX VOBIS IPSIS EXURGANT, &c. e Lupis hisce rapacibus, Hæreticis, & corruptæ doctrinæ hominibus. Ex horum numero fuerunt Nicolaitæ, ac cæteri Apostolorum personam simulantes, de quibus Joannes in Apocalypsi 2. 2. qui Ecclesiam Ephesi vexabant, ejus innocentiam vastare conantes. Erant & in Ecclesia Pergami Nicolaitæ & Pseudo-doctores, qui Balaami doctrinam sectabantur Apoc. 2. 14. Ecclesiæ Thyatiræ, utpote quæ decipi se dolo cujusdam Pseudo-prophetidis permiserat, Dei iram Joannes minitatur Apoc. 2. 20. Ecclesiæ istæ omnes ad Asiam minorem pertinebant, quarum plerasque Apostolus ipse fundaverat; & quæ hic suggeruntur monita, illarum omnium utilitati serviunt. Idem Apostolus meminit etiam in suis Epistolis Hymenæi & Alexandri 1. Tim. 1. ult. quos Satanæ tradidit, ut impia illorum dogmata coerceret; uti & Phigelli, Hermogenis, & Philetæ 2. Tim. 1. 15. quos desertores appellat.

UT ABDUCANT DISCIPULOS POST SE. En ingenium Hæreticorum: superbia, vanitas, cupiditas præstandi cæteris, gloriæ famæque amor, seditio, factio, atque in veteres sanctiones pugna.

℣. 31. PER TRIENNIUM, non tamen totum, aliquot nimirum mensibus minus. Subsistere ibi diutius non potuit, quam menses tres vel quatuor ultra biennium (7).

℣. 32. COMMENDO VOS DEO ET VERBO GRATIÆ IPSIUS. Ita Evangelium non uno in loco appellat (8). Quod vobis prædicavi verbum, Evangelium quod nunciavi, sanctam illam doctrinam qua vos alui, vobis utilitati, præsidio & solatio esse me absente, desidero. Ille qui unus *potens est ædificare*, idest, ædificium a nobis inceptum absolvere, spiritu vos & gratia sua compleat. Græcus legit (9): *Potens ædificare super fundamentum* a nobis positum, ille perficiat fidem, quam per nos nostrasque prædicationes vobis tradidit.

℣. 33. ARGENTUM NULLIUS CONCUPIVI. Revocat illis in mentem vacuum a lucri cupiditate animum, ut illos muniat contra falsos pastores seu potius lupos, gregi graves, de quibus in versiculo 29. Pastoris a Deo missi, ejusque spiritu pleni indicium illud est, si Dei gloriæ & gregis utilitati ita serviat, ut sua commoda minime quærat. Ita Samuel rogavit Israelitas 1. Reg. 12. 3. num toto eo tempore, quo ipse rebus præfuit, muneris aliquid efflagitarit, vel oblatum ab illis acceperit, num quid alienum vi rapuerit.

℣. 34. MINISTRAVERUNT MANUS ISTÆ (10). Exhibet Episcopis ac Presbyteris, quos erudiebat, exemplum vitæ laboriosæ, cupiditate vacuæ, & actuosæ. Labor manuum mearum mihi sociisque meis necessaria suffecit. Nemo igitur indecorum sibi putet, labore manuum suarum vitam tolerare. Quis serio magis & utilius, quam Apostolus, occupatur? cui potior inesse potest ratio a labore sese eximendi?

℣. 35. SIC LABORANTES OPORTET SUSCIPERE INFIRMOS. Græca vox (11) significat proprie labantem rege-

(1) Græc. impress. Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Alii: Τοῦ Κυρίου. Ita Alex. Cantab. Colb. &c. Ammonius in Catena; Iren. lib. 3. c. 14. Lucif. Calar. Didym. lib. 2. de Spir. Sancto, apud Mill hic. (2) Athanas. Dialog. 3. (3) Scholiast. Ms. in Colleg. novo apud Mill. hic: Πολλοὶ τῶν αἱρετικῶν, μᾶλλον δὲ τῶν σφόδρα πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐχθρῶν διακειμένων, διαβάλλουσι τοὺς λέγοντας σῶμα, αἷμα Θεοῦ, &c. (4) Mill. Var. Lect. hic, & Proleg. 1165. (5) Ignat. Mart. Epist. ad Ephes. initio. Μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ. (6) Λύκοι βαρεῖς. (7) Vide Act. XIX. 8. 10. (8) Act. XIV. 3. 25. XV. 40. XX. 24. (9) Τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι. Chrysost. Οὐκ εἶπεν, οἰκοδομῆσαι, ἀλλ' ἐποικοδομῆσαι, δεικνὺς ὅτι ἤδη ᾠκοδομήθησαν. (10) Αἱ χεῖρες αὗται. Cant. Syr. Æthiop. Χεῖρές μου. (11) Ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων.

regere. Est pastoris, optimis exemplis regera eos qui nutant in fide, ac removere quidquid offendiculo esse imbecillibus potest. Nibil est autem quod opinioni optimi pastoris officiat magis, quam si commodi, utilitatis & voluptatum suarum sollicitus deprehendatur. Non sibi, sed gregi vivere pastorem necesse est. Curas omnes intendat oportet, ut ovibus suis spiritualia omnia bona comparet, vel ipsis commodis rebusque suis neglectis.

Meminisse verbi Domini Jesu: Beatius est magis dare, quam accipere. Verba hæc frustra quæras in Evangelio; sed ea discere potuit Apostolus vel ex aliquo e Discipulis, qui Jesum viderant, vel ax peculiari revalatione, vel ex locis Evangelii colligere, quemadmodum ex eo quod ait Jesus Christus Luc. 14. 12. Præstare, pauperes quam divites ad convivium vocare; si quis enim pauperes juvet, meritum sibi ad Regnum Cœleste acquiret; divites vero si habeantur convivæ, præmium in hac vita relatum est. Sed multo probabilius credimus, sententiam hanc memoriæ priorum Fidelium creditam hæsisse; quæ pariter totidem verbis legitur in Constitutionibus Apostolicis lib. 4. c. 3. ubi hæc verba adduntur: *Væ iis, qui cum sibi possint suppetias afferre, ab aliis accipere volunt.*

Cæterum quocumque tandem tempore sententiam hanc Jesus Christus pronunciaverit, & unde unde illam acceperit Apostolus, semper verissime dicitur, & optimum sensum reddit. Si enim da rebus temporalibus, ut hic ab Apostolo, accipiatur, commodius est utique habera quod possis aliis dare, quam indigere ut ab aliis accipias. Illud argumentum ast copiæ; alterum inopiæ & paupertatis. Præterea qui liberaliter sua elargitur, amicos sibi in hac vita, & meritum præmii coronæque in altera comparat. Liberalitas & benignitas dotes divinæ sunt; nihilque magis Deo similem hominem efficit, quam utrinsque hujus virtutis exercitatio. Hanc Jesu Christi sententiam solida ratio fulcit, ejusque veritatem agnovere (12) Philosophi, quamquam non attigerunt penitioram ejus sensum, quod ad illa bona æterna quæ tunc parit liberalitas, cum a professoribus solidæ Religionis exercetur. Persæ, teste Thucydide lib. 2. dare magis quam accipere gaudebant; & apud illos turpius erat petita concedere non posse, quam non obtinere necessaria. *Gaudet magis Sapiens dato, quam alius accepto*, ait Seneca Epistola LXXXI.

℣. 36. Positis genibus suis oravit. Quod hic notant Interpretes (13) de veteri more orandi stantem, toto tempora inter Pascha & Pentecosten medio, quo tempore ista contigerunt, cujusmodi moris originem ab ipsa Apostolorum ætate repetunt; notant, inquam, hæc de precibus solemnibus, quæ in publicis cœtibus agebantur, accipienda esse; non vero de precibus privatis, & extraordinariis, uti nunc accidisse constat; tunc enim de genu orare fas semper fuit. Is autem orandi mos a primordio Ecclesiæ usqua ad nostra tempora perseverat.

℣. 37. Procumbentes supra collum Pauli, osculabantur eum. Significationes hasce teneri amoris, amici alter ab altero discessuri nulla non ætata exhibuerunt; cujusmodi exempla in Sacra Scriptura supersunt. Laban in montes Galaaditidis reversurus, filias suas, natosque ex iis nepotes tenero cum amplexu raliquit Gen. 30. 28. Reducem e Mesopotamia Jacobum fratrem obvium habens Esau, osculo eum lacrymis salutavit Gen. 33. 4. Idem sexcentis aliis exemplis probatur. Conjuratos obviam Julio Cæsari procedentes describens Plutarchus in Brutu, ex illis alios manum ejus, alios pectus, alios caput osculatos fuisse ait. Theodosius Imperator oculos, labra, pectoa, caput, & dexteram Meletii Episcopi Antiocheni osculatus est, in venerationis & obsequii argumentum, uti narrat Theodoretus.

(12) Arist. Nicomach. 3. apud Grot. hic: Plutarch. ex Epicuro: Ptolem. Lagi apud Ælian. Var. hist. lib. 13. cap. 13. Vide, si placet, Pricæum hic. (13) Vide Grot. Fromond. Cornel.

CAPUT XXI.

Paulus Miletum deserens, in Phœniciam, deinde Jerosolymam proficiscitur. Quæ illum maneant Jerosolymæ, Agabus prænunciat; quibus tamen oraculis a cœpto itinere non deterretur. Jacobus illum hortatur, ut votum Nazaræatus in Templo cum sociis quatuor solvat. A Judæis capitur, e quorum manibus a Tribuno ereptus, verba ad populum facit.

℣. 1. CUM autem factum esset, ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu veni-
mus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. 2. Et cum inve-
nissemus navem transfretantem in Phœnicen, ascendentes navigavimus. 3. Cum ap-
paruissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam,
& venimus Tyrum: ibi enim navis expositura erat onus. 4. Inventis autem disci-
pulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet
Jerosolymam. 5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum
uxoribus, & filiis usque foras civitatem: & positis genibus in littore, oravimus. 6.
Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem: illi autem redierunt in sua. 7.
Nos vero navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam: & salutatis fratri-
bus, mansimus die una apud illos. 8. Alia autem die profecti, venimus Cæsaræam.
Et intrantes domum Philippi evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud
eum. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. 10. Et cum mo-
raremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus.
11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes, & manus,
dixit:

dixit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum, cujus eſt zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem Judæi, & tradent in manus Gentium. 12. Quod cum audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Jeroſolymam. 13. Tunc reſpondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum propter nomen Domini Jeſu. 14. Et cum ei ſuadere non poſſemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. 15. Poſt dies autem iſtos præparati, aſcendebamus in Jeruſalem. 16. Venerunt autem & ex diſcipulis a Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur Mnaſonem quemdam Cyprium, antiquum diſcipulum. 17. Et cum veniſſemus Jeroſolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Jacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores. 19. Quos cum ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius. 20. At illi cum audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. 21. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas a Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt, Judæorum; dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. 22. Quid ergo eſt? Utique oportet convenire multitudinem: audient enim te ſuperveniſſe. 23. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. 24. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & impende in illis ut radant capita, & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. 25. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, judicantes ut abſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. 26. Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. 27. Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi, qui de Aſia erant Judæi, cum vidiſſent eum in templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus clamantes: 28. Viri Iſraelitæ, adjuvate: hic eſt homo, qui adverſus populum, & legem, & locum hunc, omnes ubique docens, inſuper & Gentiles induxit in templum, & violavit ſanctum locum iſtum. 29. Viderant enim Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo, quem æſtimaverunt, quoniam in templum introduxiſſet Paulus. 30. Commotaque eſt civitas tota, & facta eſt concurſio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & ſtatim clauſæ ſunt januæ. 31. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum eſt tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jeruſalem. 32. Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidiſſent tribunum, & milites, ceſſaverunt percutere Paulum. 33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & juſſit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet. 34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non poſſet certum cognoſcere præ tumultu, juſſit duci eum in caſtra. 35. Et cum veniſſet ad gradus, contigit, ut portaretur a militibus propter vim populi. 36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. 37. Et cum cœpiſſet induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce noſti? 38. Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum? 39. Et dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Judæus a Tarſo Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. 40. Et cum ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt lingua Hebræa, dicens:

℣. 1. VENIMUS COUM, Ægæi Inſulam, ad meridiem Mileti, unde diſceſſerant. Inde profecti ſunt Rhodum, Inſulam aliam Ægæi, Coloſſo celebrem; hinc *Pataram*, urbem Lyciæ maritimam. Loca hæc omnia notiora ſunt, quam ut certus eorum ſitus deſignetur. Vide Tabulam Geographicam itinerum Pauli, volumini huic præfixam.

℣. 2. IN PHŒNICEN, Tyrum Phœniciæ Metropolim.

℣. 3. CUM APPARUISSEMUS CYPRO. Detecta Cypro ad auſtrum, ejus urbis oras legimus, at non appulimus. Ea igitur ad ſiniſtram relicta. Patara Tyrum navigavimus. Græcus ad verbum Ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον. Alii, ἀναφανέντες. Alii, ἀναφανέντος τῆς Κύπρου. Vide Lud. de Dieu, Grot. Glaſſ. Ad Inſulæ Cypri proſpectum cum apparuiſſemus; vel cum Inſulam Cypri proſpexiſſemus. Proſpeximus illam longe, ſed alio proram convertimus.

℣. 4. DICEBANT PER SPIRITUM, NE ASCENDERET JEROSOLYMAM; vel dicebant Paulo ex afflatu S. Spiritus. Seu potius: Nunciabant Paulo, e S. Spiritu edocti, futurum, ut Jeroſolymæ detineretur; monebantque ex charitatis & mentis ſuæ impulſu, ne eo proficiſceretur. *Sic* Carthuſ. Sanct. Cornel. Tirin. Camer. *Si* enim S. Spiritus juſſu ab itinere illo prohibitus fuiſſet, num parere recuſaſſet?

faffet? Diftinguenda font igitur ea, quæ S. Spiritus per illos nunciabat, quæque illi de fuo addebant. Vel ita explicandum eft: Monebant, ne Jerofolymam iret, fi nollet vinculis alligari. Ita Grotius, ac Eftius. Vaticinia de captivitate ejus lata, conditionibus erant adftricta. Sed ille, quid confilii caperet, jamdiu deftinaverat. Vide fupra xx. 23.

℣. 5. Positis genibus in litore, ut Deo iter Pauli commendarent. Is erat mos Judæorum orandi in communi cœtu, de genu, in aperto loco, & præfertim ad litus maris: *Omiffis Templis, per omne litus quocumque in aperto aliquando jam preces ad Cælum mittunt*, ait Tertullianus l. de jejun. Preces iftas *orationes litorales* appellat adv. Nation. 1. apud Grot. hic. Vide & Philon. adv. Flacc.

℣. 6. Cum vale fecissemus. Græcus Καὶ ἀσπασάμενοι: *Cum falutaffemus invicem*; vel, *mutuo nos amplexati*. Invicem amplexi, ofculum fibi pacis dederunt, pro more Judæorum primorumque Chriftianorum.

℣. 7. Descendimus Ptolemaidam, alio nomine *Accon*, urbem maritimam, Carmelo monti feptemtrionalem, ad oftia modici amnis Beli; atque hic finis navigationis Pauli.

℣. 8. Venimus Cæsaream. Ptolemaida terreftri itinere, quamvis & maritimo poterat, venit Cæfaream. Idcirco fortaffe terra iter habuit, quod paratam navem, uti maxime optabat, nactus non fuit. Ipfa eft Cæfarea Palæftinæ, cui olim Turri Stratonis nomen. De hac frequens in noftro hoc Commentario mentio eft. Ptolemaida Cęfaream iter eft leucarum duodecim circiter, five unius diei.

Domum Philippi Evangelistæ. Philippus ifte unus eft e feptem Diaconis Act. 6. 5. qui Evangelium prædicavit Samaritanis Act. 8. 5. quique Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum Baptifmate tinxit Act. 8. 38. Idcirco autem *Evangelifta*, feu Evangelii præco appellatur, quod nullius forte Ecclefiæ fervitiis addictus, Spiritus S. ductum prædicando fequeretur. Vide Grot. hic. Erant in exordio Ecclefiæ ex Evangeliftis hifce, qui facile Sacerdotii vel forte ceu Corepifcoporum munere fungebantur. Evangeliftas Paulus poft Apoftolos & Prophetas recenfet Eph. 4. hortaturque Timotheum, ut Evangeliftæ munus impleat 2. Timot. iv. 5. & minifterii fui, nempe Epifcopatus, penfum reddat fideliter; ac fi diceret: Moneo ut tuum ardorem & fcientiam Evangeliftæ cum Epifcopi vigilantia conjungas.

℣. 9. Huic erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Quatuor iftæ filiæ Philippi virginitatis voto fefe obftrinxiffe, vel faltem religionis amore virgines perfeveraffe credunt Hieronymus l. 1. c. 24. contra Jovin. Fromondus & Grotius: quæ fancti propofiti virtus latuiffe Judæos videtur. Sufpicatus eft Eftius, Virgines illas, tamquam Prophetides, verba in facris cœtibus feciffe, & explanaffe Scripturas. Aliis prophetare perinde eft ac Dei laudes canere; aliis, futuros eventus prædicere. Merito caftitatis donum prophetiæ illas obtinuiffe, S. Hieronymus ep. 8. & 78. reputavit. Cæfaream veniens S. Paula anno 386. nihil habuit antiquius, quam ut parvam Philippi domum, & quatuor filiarum ejus cubicula, religiofe a Fidelibus frequentata, inviferet, uti tradit Hieronymus ep. 27. Epitaph. Paulæ. Martyrologiorum Scriptores cenfent, Philippum Diaconum trefque ejus filias diem claufiffe, ac fepultos Cæfareæ; quartam vero Ephefi deceffiffe. Vide Adon. & Martyrol. Rom. Ipfa eft facile Sancta Hermione, quam alii filiam Philippi Apoftoli conftituunt. Cajus vetus Theologus in difputatione cum Proclo Montaniftarum Principe circa annum 212. narrat ex eodem Proclo, Philippum & quatuor ejus filias Hierapoli in Phrygia degiffe, ibique patris & filiarum fepulcra adhuc monftrari. Vide Eufeb. hift. Eccl. l. 3. cap. 31. Probabile eft tamen, Proclum confudiffe Philippum Diaconum ejufque filias quatuor cum Philippo Apoftolo, cui una pariter vel altera filia erat, quemque fepulturæ mandatum fuiffe Hierapoli, certiffime conftat. Ibi conditum Philippum Apoftolum cum geminis filiabus, teftatur Polycrates Epifcopus Ephefinus apud Eufeb. loco cit.

℣. 10. Propheta, nomine Agabus; qui & famem fub Claudio Imperatore prænunciaverat. De illo eos fupra xi. 28.

℣. 11. Tulit zonam Pauli. Familiare erat Prophetis, futuros eventus actionum quarumdam emblemate, perinde ac verbis, vaticinari: interdum addebant verbis geftus quofdam fymbolicos, quibus rem fub oculis veluti anticipabant. Sedecias Pfeudo-propheta ferrea fibi præfigens cornua, ventilaturum fe ajebat, Regem Ifraelis alloquens, & diffipaturum Syros, uti taurus obvia quæque diffipat & profternit 3. Reg. 22. 10. Jeremias xiii. 4. in fpecu quodam ad Euphratem zonam, qua renes fuos cinxerat, abdens, Judæorum captivitatem fignificavit. Idem quoque Propheta totidem jugis fingulos diverforum Principum Legatos, qui ad Regem Juda venerant, donavit, in argumentum futuræ illorum fub Nabuchodonofore fervitutis, &c. Vide 18. 4. & 27. 2. Jerem. 8. 4. Ifai. 20. Ezech. 4. 12.

In manus gentium, Romanorum fcilicet; neque enim Judæis jus fanguinis erat, nec de capitalibus caufis cognofcebant Joan. 18. 31. Agabi oraculum apertam ex eventu fidem obtinuit. Act. 20. 33.

℣. 12. Rogabamus. Preces junxit fuas Lucas cum Fidelibus Cæfareæ, ut ab itinere Jerofolymitano Paulum deterreret. Interdum S. Spiritus finiftros incepti alicujus fucceffus aperit, non ut manus ab illo retrahantur, fed ne quis concidat animis, imo nova mentis intenfione in cœpto confilio confirmetur, prævifum periculum non metuens. Hac de caufa Dominus fæpe prædixit Apoftolis finiftra & adverfa, quæ in Evangelii promulgatione illis ferenda erant: id enim valuit, ut animos illis adderet, atque alacrius in difcrimen immitteret. Tela prævifa minus feriunt.

℣. 13. Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Græcus (1): *Flentes & comminuentes cor meum?* Cur me cruciatis, animumque meum plorando frangitis?

℣. 14. Domini voluntas fiat. Quandoquidem Deus fua tibi confilia aperit, certumque tibi fedet nunciatum periculum adire, *voluntas Dei fiat*. Reputandum eft, ejus impulfu te id confilii cepiffe, eoque incitante adire te difcrimen, quod tam fæpe tibi nunciari voluit. Ita & Jefus Chriftus, rogato Patre, ut calicem paffionis a fe removeret Matt. 26. 42. deinde arbitrio ejus, omnibufque fuppliciis fe dedidit.

℣. 15. Præparati, difcedere parati. Græcus (2): *Colligentes farcinas*; colligentes ea quæ Jerufolymam ferenda erant. Eleemofynas eo ferebat Apoftolus.

℣. 16. Mnasonem Cyprium, antiquum Discipulum. Latini Codices nonnulli legunt (3) *Jafonem*; Cantabrigienfis Codex *Nafonem*. Optima & genuina lectio eft *Mnafon*. Vir erat Judæus, ab ipfo Domino ad fidem converfus, & e Septuaginta duobus Difcipulis. In Martyrologiis Adonis, Ufuardi, & Romano *Jafon* appellatur, & in Cypro conftituitur. *Nafon* legitur in loco quodam Adonis, ficut & in Codicibus plurimis Ufuar-

(1) Κλαίοντες & συνθρύπτοντές με τὴν καρδίαν. Cant. Θορυβοῦντες. Tertull. & Hieron. Ep. ad Heliodor. *Conturbantes*. (2) Ἀποσκευασάμενοι ἀνεβαίνομεν εἰς Ἱερουσαλήμ. Alii, παρασκευασάμενοι. Cantabr. Gr. Ἀποταξάμενοι. Lat. *Refevimus nos*. Alii plures. Ἐπισκευασάμενοι. Vide Mill. hic. (3) Ita Edit. Lat. Sixti V. & Græc. Mff. Velez.

Usuardi (11). Longe alius est a Jasone, qui Paulum hospitem habuit Thessalonicæ, capite xvii. 5. memorato.

℣. 18. Introibat Paulus ad Jacobum, omnesque collecti sunt seniores. Jacobus Minor, filius Mariæ, Domini in carne consobrinus, & Jerosolymorum Episcopus, unus tunc sacile ex Apostolis ibi versabatur; cæteris ad prædicandam fidem per varias provincias dispersis. Ad illum divertit Apostolus, tum officii gratia, tum prædicationum suarum successum expositurus. Ambo enim Apostoli a tempore Concilii Jerosolymitani invicem abfuerant (12); tum denique ut illi traderet eleemosynas, quas pro egenis Ecclesiæ illius collegerat. Curæ erat Jacobi illas distribuere, quippe quo alius nemo singulorum indigentiam melius nosset. *Seniores*, Presbyteri ad illum convenerant, ut simul omnes Apostolum itinera sua & prædicationes narrantem audirent, illique progressum Evangelii gratularentur; neque enim fieri poterat, quin sparsus ea de re rumor ad illorum aures nonnulla saltem ex iis pertulisset. Presbyteri isti in partem Episcopalium curarum assumpti erant a Jacobo, utpote qui senatum Ecclesiæ, cui ipse ut Episcopus præerat, constituerent. De his sermo habitus est supra xi. 30. xiv. 22. xv. 2. 4.

℣. 20. Magnificabant Deum, totam rei gestæ gloriam in Deum referebant. Paulus, qui tanti operis minister & instrumentum fuerat, hic veluti negligitur. Sapientiæ & solidæ pietatis est, laudes, quæ bonis vel debentur, justa moderatione temperare; est enim ambitio laqueus, quem vitari charitas jubet.

Quot millia sunt in Judæis qui crediderunt. Græcus (13): *Quot dena millia sunt Judæorum credentium?* Judæorum credentium numerus multo major fuit, quam qui in Actis Apostolorum noscitur. Majori quippe studio Sacer Historicus Gentilium exterorumque conversionem, quam Judæorum expressit. Illi enim perinde habebantur ac nova quædam fidei possessio, quæ magis delectat, quam pristinæ hæreditatis conservatio. Porro Judæi isti omnes, vel ferme omnes Legales ritus cum Evangelio sociabant; absolutissimæ virtutis esse rati, si Legem Moysis sancte retinerent. Probaverat illam Jesus Christus, docens, se venisse ad Legem non evertendam, sed perficiendam Matth. v. 17. Cavebant autem Apostoli, ne illos a Legalibus averterent, satis habentes, si docerent, hæc minus necessaria esse ad salutem; neque per illa, sed per fidem potius in Jesum Christum ejusque gratiam, charitatem & baptismum, sperandam esse veniam peccatorum. *Illa Sacramenta nec tamquam necessaria debere appeti, nec tamquam sacrilega debere damnari*, ait S. Augustinus ep. 82. n. edit. addens: *Lex Moysis mortua erat, sed non mortifera*, præsertim Judæis, qui longa habitudine Legalia hæc velut in naturam transtulerant. Quod enim ad Gentiles attinet, non solum illis Legale jugum non imponebatur, sed & viriliter resistebatur Judæis, reclamantibus in contrarium, iisque Gentilibus, qui sponte illi subeundo sese offerebant. Vide Paulum ad Galatas.

℣. 21. Quia discessionem doceas a Moyse eorum. Accusatio illa manifesta erat in Paulum calumnia; neque enim ille unquam hortatus fuerat sive mandaverat Judæis in variis, quas peragrabat, regionibus, ut Legi & legalibus renunciarent, avitasque gentis consuetudines abjicerent. Patiebatur, ut suam quisque religionem sequeretur (14); contentus docuisse, frustra hæc & nullius esse momenti ad salutem. Contendebat, legalia, nisi hisce accedant fides, charitas, proborum operum exercitatio, pœnitentia & baptismus, nihil ad salutem obtinendam profutura Paulus ubique docebat. Non ignorare illos volebat, Legis jugum ab eorum cervice Jesum Christum abstulisse; sed volentibus sponte illud subire, integrum relinquebat. Docebat, legales ritus inanes esse, non tamen pravos & perniciosos, nisi iis tantummodo, qui ad salutem necessarios esse pervicaciter defenderent. Vide August. ep. 8. n. 9.

℣. 22. Oportet convenire multitudinem. E re tua est, ut sistas te coram Ecclesia ex Judæis fidelibus collecta, teque ab objectis criminibus purges. Quin & necessarium duco, ut nedum mentem tuam aperte illis exponas, verum etiam opere probes, nihil minus cogitare te, quam ut legalia damnes. Hunc locum ita nonnulli explicant (15): *Oportet convenire omnes*. Vix fiet, quin de tuo adventu certiores facti, statim conveniant, & publice te accusent apud nos, reumque impugnatæ Legis Mosaicæ deferant. Sed illos præverte, eorumque accusationem occupare, claude obtrectantium ora, alium plane quam putant, ab opere ipso te præstans.

℣. 23. Sunt nobis viri quatuor, habentes votum super se; votum scilicet Nazaræatus, quod brevi soluturi sunt, raso capite, & oblatis in Templo hostiis a Lege Num. 6. 13. præscriptis. ℣. 24. *His assumptis, sanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita*; sumptus necessarios præbe. Ut hæc lector assequatur, scire illum oportet, pietatis esse Judaicæ, si quis de suo conferat in sumptus oblationibus Nazaræorum necessarios, ut meritum voti illius cum ipsis communicetur. Ita ferme apud Christianos obtinet, ut qui non satis virtutis ac religionis se habere sentit, ut solemni votorum nuncupatione Deo se totum consecret, tam eximii operis religione aspersum se putet, si illustrem alterius cujuspiam pietatem rerum suarum collatione juvet. Herodis Agrippæ religionem commendaturus Josephus Antiqu. l. 10. c. 5. ait, operam contulisse in quamplurium Nazaræorum abrasionem. Ejus generis largitiones fuisse familiares apud Judæos, docet Maimonides (16). Qui in partem pietatis Nazaræorum venire optabat, conferens se in Templum, Sacerdotem monebat: Hoc vel illo tempore Nazaræatus sui votum hic aut ille exsolvet: ego de meo sumptus vel omnes vel partem ad tonsuram capitis, vel ad Nazaræatum ejus sufficiam. Singula hæc spectare licet in iis, quæ modo a Paulo præstantur. Se pariter cum Nazaræis expiat: *Sacrifica te cum illis*; quamquam enim Nazaræorum consecrationem non suscipit; tamen ad offerenda Sacrificia adstringitur; id quod peculiarem expiationem exigit. Censent quidam (17), Nazaræatus voto sese strinxisse Paulum, comamque præcidisse: at nihil apud Lucam legitur, quod eam opinionem juvet.

Impende in illis, ut radant capita (18). Cum abrasio capitis exprimitur, sub eo pariter nomine cæremoniæ illius ritus omnes censentur, veluti sistere se pro foribus Tabernaculi vel Templi (19), offerre agnum anniculum in holocausti victimam; anniculamque ovem sine macula in expiationem pro peccato, ac denique agnum purum in hostiam eucharisticam. Addebatur canistrum refertum azymis panibus, delibutis oleo; placentæ etiam azymæ, atque delibutæ, cum vino ad istorum omnium libationes. Præter hæc legis præscripta necessaria; pro modo facultatis suæ, Naza-

(11) Molan. Vide Tillemont Note 24. sur S. Paul. (12) Paulus post illud tempus Jerosolymam profectus fuerat, at non diu ibi mansit, neque aliud quidquam eo de itinere novimus. Vide Act. xviii. 22.
[13] Πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων. Alii plures: Ἐν τοῖς Ἰουδαίοις. Ita Vulg. Alex. Laud. Colb. Æthiop. Alii Ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. Ita Cantab. Syr. Hieron. [14] Vide Rom. vii. [15] Vide Fromond. [16] Apud Maim. in Num. vi. & Lxiir. Var. Lect. a. 2540. [17] Hieronym. in Epist. ad Galat. ii. Fromond. Dius Sanct. Concil. Var. Tir. alii. [18] Δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλήν. [19] Num. iii. 14.

zaræus quifque offerebat ea, quæ in voti fui nuncupatione Domino confecraverat. Tum Sacerdos victimas illas immolabat, quæ dum Altaris igne cremarentur, comam Nazaræi cædens imponebat igni, quo portiones victimæ pacificæ abfumebantur. Igitur hoftiarum illarum oblationumque fumptus, quot ad cæremoniam quatuor Nazaræorum neceffarii erant, fufficiendi ab Apoftolo fuerunt. Pecuniam in totum ne an in partem exhibuerit, non fatis exprimit facer Hiftoricus; nil enim erat, cur totam dare juberetur.

℣. 25. Nos scripsimus. Non ea eft nobis mens, ut cogamus Fideles ex Gentibus converfos legalia fervare; neque enim jugum illis novum per nos imponendum eft. Nofti, quid feptem ante annos Concilium Jerofolymitanum, cui adfuifti, ftatuerit; nec plura nos hodie poftulemus. Sed ægris Judæorum mentibus medendum eft, apertoque documento oftendendum, legalia te neque ut impia, neque ut illicita damnare. Cantabrigienfis Codex, & S. Auguftinus (21) illud *a fuffocato* hic non legunt; quod & in aliis pluribus Codicibus defiderari, in Caput xv. 20. 29. animadvertimus.

℣. 26. Paulus purificatus, &c. Templum ingreffus eft cum quatuor Nazaræis, & Sacerdoti indicavit diem, qua votum folvi, ac victimas eorum omnium nomine immolari oporteret. Hac de re nihil quidem apud Moyfem: fapientiffime tamen id inftitutum fuit, ut Sacerdotes noffent, an Nazaræi religiofe præftitiffent ea, quæ fpoponderant, five illis quidpiam accidiffet, quod fanctam impleri voti cæremoniam, & facri loci ingreffum impediret. Non fatis ex Luca conftat, utrum una eademque dies quatuor illis Nazaræis ad Sacrificia offerenda deftinata effet, vel utrum diverfo quifque tempore votum effet abfoluturus.

Juvat hic laudabilem Pauli docilitatem admirari. Reftiterat ille Petro, occafionem præbenti Gentilibus, ut Legalibus adftringi fefe arbitrarentur (22). Strenue pariter arguit Galatas, fubmittere fefe jugo Legalium volentes. Palam ubique inania effe illa ad falutem prædicabant, commendabatque Fidei, Charitatis, & moralium virtutum neceffitatem. Nunc vero certior a Jacobo & ecclefia Jerofolymitana factus, Judæos fratres fuos pravam de fe opinionem concepiffe, quod audirent deftrui a fe Legem, ac doceri, nefas effe Legalia fervare, fponte fe fubmittit iifdem ritibus ac cæremoniis, quas paffim evertere accufabatur. Accommodat fe omnibus; Judæus erat cum Judæis, Gentilis cum Gentilibus, ut omnes Chrifto lucrifaceret. 1. Cor. 9. 20.

℣. 27. Cum septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Judæi concitaverunt omnem populum. Quid feptem hi dies fint, difquiritur. Cenfet quidam (23), Apoftolum, cum provinciam fufcepiffet præbendi fumptus expiationis quatuor Nazaræorum, obftrinxiffe fe pariter ad feptem dierum Nazaræatum, ut una cum illis venire poffet in Templum; at diebus hifce exeuntibus, cum ea acciderunt, quæ hic narrantur, ab executione voti fui, & a præftandis fumptibus quatuor Nazaræorum impeditum fuiffe. Aliis (24) *feptem dies* funt dies Octavæ Pentecoftes, quibus Apoftolus Jerofolymæ in medio Judæorum manfit, nemine quidquam movente, donec feptima tandem die, Judæis Afiæ forte occurens, detentus ab illis fuit. Aliis (25) *feptem dies* funt hic feptem hebdomades inter Pafcha & Pentecoften mediæ; fed hæc opinio coactiffima eft. Probata maxime (26), & vero proxima fententia fert, Apoftolum, exeuntibus feptem diebus ab adventu fuo Jerofolymam, detentum fuiffe. Nos id ponimus, detentum fuiffe die quinta exeunte, qua fexta dies pro Judæorum more exordiebatur. Mane diei fextæ ante Sanhedrium ftetit; ac fequenti nocte Antipatridam deductus fuit. Die feptima Cæfaream pervenit, quo poft dies quinque (Act. xxiv. 1.) accufatores Pauli fe contulerunt. Duodecima ea dies erat ab adventu Pauli Jerofolymam. Act. xxiv. 11.

℣. 28. Adversus populum, et Legem, et locum hunc. Docet, Judææ genti nihil effe, quo præftet Gentilibus, ad Fidem Chriftianam quod attinet; Gentiles æque ac Judæos occupatos fuiffe gratia Dei, apud quem jura alterius populi præ altero potiora non funt. Hæc fane dogmata ubique in Epiftola ad Romanos, & ad Galatas leguntur. Verum non ea fuit Pauli mens, ut doceret, ante Chrifti adventum & Evangelii prædicationem Judæorum conditionem meliorem quam Gentium non fuiffe. Quin nemo alius ea in re privilegia Judæorum altius extulerat. Accufabant illum pariter, quod dogmata in Legem fpargeret, doceret nempe, nefas effe Legalia fervare; id quod per fummam calumniam ab illis affirmari, fupra animadvertimus. Tertio denique, quod obloqueretur in Templum, afferens, materiales ædes nullas habere Deum: Sanctorum quemlibet Templum effe Dei; ac denique Templum illud materiale everfum iri. Nam five id diceret, five nihil hujufmodi exciderit Apoftolo, omnia illi adfcribebantur, quæ a Jefu Chrifto prolata fuiffe compertum erat (57); certumque habebatur, Difcipulum ea in re, ut in aliis cæteris, Magiftri fui dogmata tenere. Accufatio ifta jam olim, nec fruftra, in Jefum Chriftum objecta, ac fimili fucceffu in Stephanum inftaurata Act. 6. 13. parem exitum & in Paulum fortitura, populumque in ejus necem excitatura cenfebatur.

Gentiles induxit in Templum. Judæi Ephefii & Afiatici, qui Jerofolymam ad Feftum Pentecoftes confluxerant, quique fe illi infeftiffimos præbuerant in regione fua adverfarios, nacti Paulum in urbe cum Trophimo, Gentili ad Fidem converfo, continuo eumdem Gentilem in Templum ab illo introductum fuiffe opinati funt; nec re maturius difcuffa, calumniam afferuerunt coram frequenti populo, qui in Templum Octava Pafchalis exeunte convenerat. Docet Jofephus Antiqu. l. 1. c. 6. extra Templum feptum quoddam fuiffe e minoribus lapideis columnis, vel loricam muri trium cubitorum, quam nefas effet Gentilibus prætergredi; quibus ea de re admonendis, per certa intervalla columnas difpofitas fuiffe, cum Græcis Latinifque Infcriptionibus, capitis periculum indicantibus iis, qui pedem ultra inferre auderent. Jofeph. Antiqu. l. 15. c. 14. Vide & Philonem Legat. ad Cajum.

℣. 29. Trophimum Ephesium, Fidelem e Gentilibus, quem utpote civem fuum viri illi norant. Hic Paulum Ephefo abeuntem in Græciam comitatus eft, atque una pariter cum illo in Afiam Act. 20. 4. anno 58. rediit; eodemque anno Jerofolymam cum Apoftolo repetiit, ubi agnitus a Judæis Ephefiis hic legitur. Tradunt quidam (58), Apoftolum prædicationis gratia proficifcentem in Hifpaniam, per Galliam tranfiffe, in cujus regionis urbe Arelate Trophimum Epifcopum conftituerit. Quæ fi vera funt, reputandum eft, Trophimum Epifcopatum fuum reliquiffe, ut ad Apoftolum in Afiam contenderet; fcribens enim ad Timotheum anno J. C. 65. Apoftolus; Trophimum Mileti infirmum a fe relictum afferit 2. Timot. 4. 20. Apud Græcos die 14. Aprilis colitur ut Martyr, capite multatus Romæ ftatim

[21] Auguft. Epift. 82. num. 9. & in Speculo. [22] Galat. 11. 13. 14. [23] Grot. Sanct. Cornel. Tir. Vat. [24] Beza. [25] Vide Bezam, Pifcator. [26] Chryfoft. Beda, Lyran. Vatab. Fromond. Tillemont. alii. [57] Matth. xxiv. & xxvi. 61. [58] Vide Baron. ann. 61. Bolland. 1. Februar.

post Paulum præceptorem suum (29), cui comes omnibus in itineribus una cum Pudente & Aristarcho fuerat.

℣. 30. Trahebant eum extra Templum; forte lapidibus conficiendum, judicio, ut ajunt, zeli, nulla judicii forma. Jus asyli, quod Templum obtinebat, tunc violatum a Judæis fuisse, rapto extra septum loci sacri Paulo, Fromondus arbitratur. Porro asyli jure tunc non caruisse Templum constat (30); eo tamen beneficio non gaudebant tum loci Sancti violatores, tum homicidæ, qui prudentes volentesque hominem peremerant, tum denique blasphemi. Moyses Exod. 21. 14. conceptis verbis abstrahi jubet ex altari Domini insidiatorem homicidam, & qui necem non casu sed sponte & ex industria intulit. Extrahi inde Joabum, negantemque exire, interfici Salomon imperavit 3. Reg. 2. 28. Judæi non semel lapides rapuerunt, Jesum Christum in ipso Templo perempturi, quem blasphemiæ in Deum prolatæ reum agebant Joan. 8. 59. & 10. 31. Paulum execrabantur tamquam Legis eversorem, Moysis adversarium, blasphemum in Deum, loci Sancti, inducto in illum viro profano, violatorem. Accusationes istæ per summam quidem impudentiam confictæ erant; sed pro veris habitæ, Apostolum jure asyli privabant; non enim asylum Leges statuerunt, nisi ad innocentium & miserorum, quos iniquæ vexationes lacessunt, præsidium.

Statim clausæ sunt januæ. Januas Templi Levitæ custodiebant. Igitur statim ac pedem e loco Sancto extulit Paulus, januæ clausæ sunt, ne crescente tumultu milites simul cum vulgo in Templum irrumperent, & profanatione vel sanguinis effusione aliqua loci sanctitatem violarent. Quæ exterius agebantur, a Romanis militibus in turri Antonia constitutis curanda erant.

℣. 31. Quærentibus eum occidere, nuntiatum est Tribuno cohortis. Judæi jure gladii privati, ultionem non raro absque judiciali strepitu exercebant, judicio, ut appellabant, zeli; idque a Romanis Præsidibus, ut inter illos fieret, tolerabatur. Ea mente necem Paulo inferre meditabantur, & olim S. Stephano intulerunt Act. 7. 56. Romani, quibus ingenium inquietum & turbidum Judæorum perspectum erat, militum præsidium constituerant in turri Antonia, quæ loco arcis Templo junctæ habebatur: ad coercendos tumultus, ibi præsertim in majoribus Festis frequentes (31). Porro diebus illis solemnibus milites armati porticus Templi obsidebant, ut tumultus in ipso ortu supprimerent. Quantum e Sacro Historico colligimus, cum hæc acciderunt, Tribunus ejusque milites præsentes non aderant; sed nec abfuisse longius constat, cum opportuni accurrerint, ne vis aliqua in Paulum fieret; ex quo intelligimus, diem illam festam non fuisse.

℣. 32. Militibus et Centurionibus. Centuriones militibus centenis imperabant, parebant Tribuno. Tribunum agebat Claudius Lysias, qui e turri Antonia ad componendos tumultuantes statim cum militibus accurrit. Tribuni militumque præsentia populi furorem compescuit; avulsumque e manibus trahentium ad necem Paulum idem Tribunus apprehendit.

℣. 33. Jussit eum alligari catenis duabus. Altera nempe catena manus, altera pedes vinciri jussit; vel planius, singulæ manus singulis catenis oneratæ, & binæ illæ catenæ binis militibus altera alteri alligatæ sunt, ut quibus ducebatur militibus, iisdem vinculis adstrictus necteretur. Id enim Romanis moribus obtinuisse (32), animadvertimus ad Caput xii. 6. agentes de Petro, qui duplici pariter catena duplici militi alligata vinctus fuit Act. 12. 6.

℣. 34. Jussit eum duci in castra (33); in arcem, turrim nempe Antoniam, quam Romanum præsidium tenuisse jam diximus (34).

℣. 35. Cum venisset ad gradus, qui e turri Antonia deferebant in Templum, subjectamque turri aream, ubi tunc Paulus versabatur; turris enim e prominentiori quam Templum loco assurgebat, ut ex hoc loco & ex alio ℣. 32. *Decurrit ad illos*, intelligimus.

℣. 36. Græce nosti? Lysias Romanam originem non trahebat, ut ipse satis indicat infra Act. 22. 28. ubi ingenti pretio jus Romanæ Civitatis emisse se dicit. Græcum fuisse, facile colligimus ex nomine. Hinc commodum illi accidebat, quod Paulus Græce loqueretur, ut causam excitati in ipsum tumultus ab eo disceret.

℣. 38. Nonne tu es Ægyptius? Narrat Josephus Antiqu. l. 20. c. 6. & de Bello l. 2. c. 12. Ægyptium hunc impostorem fuisse, qui Prophetam agebat, quique præstigiis populum ita dementaverat, ut ad triginta hominum millia secum traheret in desertum. Quater millenos tantummodo habet hic Lucas; sed Sicarios dumtaxat vel Latrones (35), idest latrones armatos, qui hunc stipabant, recenset. Asseclis ille suis spem fecerat, irrupturum se in Sanctam Urbem, ibique, pulsis Romanis, Imperii sedem constituturum. Casura autem spondebat mœnia urbis una verborum suorum virtute; ac denique turbam illam in montem Olivarum secum ductam, prodigium quoddam insigne spectaturam. Vix eo venerunt, cum subito Felicis Judææ Præsidis milites supervenientes, medios illos exceperunt, necaruntque ad quadringentos, captivos tenuerunt ducentos. Reliqua multitudine dissipata, Dux cum paucis suorum fuga evasit. Hæc ante annum vel biennium acciderant.

℣. 39. Judæus a Tharso. Tharsus metropolis erat Ciliciæ; unde mature satis digressus Paulus, Jerosolymam, literarum studiis vacaturus, se contulit. Vide supra xxi. 37. 38.

℣. 40. Annuit manu (36). Quamquam catena manus vinciebat, cum tamen longior esset, & altera sui parte a milite sustineretur, motum permittebat. Locutus est autem *lingua Hebræa*; idest regionis vernacula, Syriaca scilicet, vel ex Hebræa & Syriaca. Cantabrigiensis Codex (37): *Allocutus est lingua propria*.

---

[29] Menæa, ad 4. April. [30] Philon. de Legat. ad Cajum: Ἀσυλίας [illegible] τὸ ἱερόν. [31] Joseph. Antiqu. lib. 20. cap. 4. pag. 690. & lib. 7. pag. 697. & lib. 2. de Bello cap. 22. pag. 794. [32] Senec. Epist. 5. & lib. de tranquill. anim. cap. 1. [33] Εἰς τὴν παρεμβολήν. [34] Joseph. de Bello lib. 2. cap. 6. Grot. Sanct. From. alii. [35] Τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων. [18] Hæc non habentur in Codice S. Petavii, neque leguntur in Editione Euthalii. Mill. [37] Τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ.

C A-

CAPUT XXII.

Pauli ad populum oratio, in qua conversionis suæ & destinationis ad prædicandum Gentibus historiam narrat. Judæi tolli illum e vivis oportere censent. Tribuni jussu flagris damnatur. Civem se Romanum prodens Paulus, e vinculis eximitur a Tribuno, qui & optimates ad concilium convocat.

℣. 1. Viri fratres, & patres, audite, quam ad vos nunc reddo, rationem. 2. Cum audissent autem, quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. 3. Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, sicut & vos omnes estis hodie: 4. Qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans, & tradens in custodias viros, ac mulieres, 5. Sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes majores natu, a quibus & epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem, ut punirentur. 6. Factum est autem, eunte me, & appropinquante Damasco media die, subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa: 7. Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? 8. Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt; vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum. 10. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere. 11. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum. 12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis, 13. Veniens ad me, & astans dixit mihi: Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum. 14. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres justum, & audires vocem ex ore ejus: 15. Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum, quæ vidisti, & audisti. 16. Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius. 17. Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis. 18. Et videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me. 19. Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per synagogas eos, qui credebant in te: 20. Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum. 21. Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te. 22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, & levaverunt vocem suam dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere. 23. Vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem, 24. Jussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut sciret, propter quam causam sic acclamarent ei. 25. Et cum astrinxissent eum loris: dicit astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? 26. Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, & nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus est. 27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi, si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. 28. Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum. 29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia civis Romanus esset, & quia alligasset eum. 30. Postera autem die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur a Judæis, solvit eum, & jussit sacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum, statuit inter illos.

℣. 1. Viri fratres et patres. Ad collectum populum verba faciebat Apostolus, in quos juvenes erant & senes, plebeji, Sacerdotes, Magistratus. Supra vii. 2. persimile orationis exordium habes.

℣. 2. Magis præstiterunt silentium; notiorem enim multitudini linguam, quam Græcam, populo minime familiarem, usurpabat. Percommodum illis accidit, ut de rebus religionis suæ disserentem ignoto Romanis sermone audirent. Si causam dicenti Paulo visum fuisset urgere Hebræorum erga Gentiles contemptum, ipsiumque adver-

adversus illos odium; si, inquam, hæc tractans Apostolus usus fuisset lingua Tribuno militibusque cognita, additis verbis acerbis & invidia plenis, quo tunc animo hæc excepisset populus, quantaque in accusatorum & adversariorum animis commotio? Sed qua fuit prudentia & charitate, Hebraicas voces adhibuit, ut hoc veluti lenimine animis Judæorum in se exasperatis mederetur.

℣. 3. Secus pedes Gamalielis. Ex Philone discimus (1), Essenorum Judæorum pueros consuevisse ante Magistrorum pedes sedere in scholis; Magistros vero legem allegorice pro veterum Philosophorum consuetudine explicare. Ambrosiaster (2) tradit, Hebræorum Magistros in Scholis cathedras ad docendum ascendere consuevisse; provectiores Discipulos in scamnis sedere, tyrones vero humi in storeis. Docent Rabbini, excitari consuevisse adolescentes ad frequentandas Magistrorum Scholas hac paræmia (3): *Operite vos pulvere pedum eorum*. Ne segnes sitis in colligendo pulvere, illos audiendo. De Gamaliele egimus supra v. 34. Notat Strabo lib. 14. Tharsenses adeo sollicitos fuisse scientiarum, ut nedum in urbe sua illas colerent, verum etiam filios studiorum causa alio mitterent. Quæ Græcorum Poetarum sententiæ Epistolis Pauli inspersæ sunt, humanas literas didicisse Apostolum, S. Hieronymo in ep. ad Galat. 4. 24. persuadent. Porro Tharsenses Græce loquebantur, ibique Paulus eam linguam cum lacte biberat.

Eruditus in Legum nostrarum exercitio; idest, eruditus in secta Pharisæorum, quæ, teste Josepho de Bel. l. 1. c. 4. reliquas Judæorum sectas ea in re superabat. Ipse Paulus Act. 23. 6. Pharisæum se fuisse, diserte profitetur.

Æmulator Legis. Ipse sibi Paulus non semel testimonium istud reddit, non jactantiæ sed potius demissionis causa, utpote qui illo animi sui ardore arreptus adeo exorbitaverit, ut Jesu Christi Ecclesiam inique vexaret. Porro in ea oratione summi momenti erat id expendere, ut Judæis probaret, animum se contulisse ad Religionem Christianam & prædicandum Gentilibus Evangelium, non ex contemptu, tempore, & neglectu Legis, sed causis gravissimis, quibus resistere non posset; miraculo scilicet, nova & insolita vocatione, & expresso Dei jubentis mandato. Græcus impressus (4), Codices calamo exarati, Syrus, Arabs, Æthiops legunt: *Zelator Dei*, non vero ut est in Vulgata, *Æmulator Legis*; eadem omnes sententia, sollicitus de Dei gloria, ejusque Legibus & nomine.

℣. 5. Sicut Princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu. Non loquor inania, non ficta. Qui mea opera usi sunt ad insectandam Ecclesiam, adhuc supersunt. Compertum est, mandatis eorum & epistolis oneratum me venisse. Caiphas summus ille Sacerdos fuerat, a quo Paulus Damascum missus fuit. Ille quidem fato fortasse jam cesserat; sed plures adhuc superstites agebant ex Patribus Sanhedrii (5); gesta enim illa fuerant ante annos quatuor & viginti. Censet Sanctius, Paulum autographas adhuc literas, olim sibi traditas a summo Sacerdote, servasse.

℣. 7. Saule, Saule, quid me persequeris? Græci quidam Codices addunt hic: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Totam hanc historiam habes Capite ix. 2. 3. &c.

℣. 8. Ego sum Jesus Nazarenus, &c. Censent quidam (6), ipsum se Christum e Cœlo lapsum videndum præbuisse Apostolo, e cujus glorioso corpore lux illa micuerit, quæ Apostolum perstrinxit.

℣. 9. Vocem non audierunt. Insonuit quidem auribus illorum fragor quidam confusus instar tonitru, sed conceptas voces non audierunt. Vide supra ix. 7. Græcus impressus legit (7): *Lumen quidem spectabant, & expavefacti sunt, at vocem non audierunt, &c.*

℣. 10. Quæ te oporteat facere. Græcus (8): *Quæ constituta sunt tibi facere*. Summam tantummodo eorum, quæ sibi tunc acciderunt, hic Paulus complectitur. Vide Act. ix. 7. & xxvi. 16. 17. 28.

℣. 11. Cum non viderem præ claritate luminis. Ita plerumque accidit iis, quorum oculos acrior lucis vel ignis radius ferit. Docet alibi Paulus, suis tunc in oculis subcrevisse squammas, quæ, imponente sibi Anania manus, ceciderunt. Act. 9. 18.

℣. 14. Et videres Justum. Justi nomine per excellentiam Jesum Christum, Messiam, Justi nomine a Prophetia designatum (9), appellat. Græci quidam Codices legunt (10): *Et videres justitiam*, seu, *quod justum est*. Quid tui sit officii, quæ sincera Justitia sit; vel, quæ vera sit Justitia, nempe Jesus Christus, omnis Justitiæ author, Ananias docebit. Porro Jesus Christus eodem sensu dicitur hic Justitia, quo alibi salus, veritas, sanctitas, &c. Ex hac sententia, *Ut videres Justum, & audires vocem ex ore ejus*, colligunt quidam, Apostolo ipsum se Jesum Christum videndum præbuisse.

℣. 15. Ad omnes homines, tum Judæos cum Ethnicos, nullo discrimine. Desunt hæc in Cap. ix.

℣. 16. Ablue peccata tua, invocato nomine ipsius. Flexo genu adora, & roga illum, cui te hactenus infensum præbuisti, ejusque Baptismatis ablutione peccatorum tuorum maculas elue. Dolor intimus & charitas, quibus Paulus baptismum prævertit (11), suorum illi criminum remissionem promeruerunt (12); sed innocentiæ & puritati illius novum gradum baptismus adjecit. Vide quæ de Baptismo Cornelii supra x. 3. disseruimus. Baptismi effectum Divinus Spiritus gratia prævertit; sed Baptismum ipsum non exclusit. Quin & Baptismum jam acceperat Paulus in præparatione animi per obedientiam, qua paratum se ad omnia præbuerat; & nisi Baptismum, utpote sibi adhuc ignotum, expresso animi voto poposcit, certum tamen illi sedebat propositum præstandi quidquid sibi nomine Jesu Christi injungeretur.

℣. 17. Revertenti mihi in Jerusalem, et oranti in Templo, fieri me in stupore mentis. Historia hæc nusquam alibi legitur, nisi forte Apostolus huc spectaverit in 2. ad Corinthios xii. 2. ubi ait Divinas sibi revelationes factas fuisse,

---

[1] Philo de Essæis, lib. quod omnis probus liber. [2] Ambrosiaster in 1. Cor. [3] Pirke Avoth cap. 1. § 4. הוי מתאבק בעפר רגליהם [4] Ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ. Velez. τοῦ νόμου. [5] *Omnes majores natu*, Synhedrium universum. Vide Act. ix. 12. xxvi. 12. *Cum potestate, & permissu Principum Sacerdotum*. [6] Vide D. Thom. 3. par. quæst. 57. art. 6. ad 3. & 1. Cor. xv. 8 Fromond. hic, Sanct. ad ℣. 14. [7] Τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο, καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, &c. [8] Σοὶ λαληθήσεται περὶ πάντων ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι. Alii τί σε δεῖ ποιῆσαι. [9] Vide sup. Act. vii. 52. *Qui prænuntiabant de adventu Justi*. Et Act. iii. 14. 1. Joan. ii. 1. iii. 7. Isai. xli. 2. 10. xlv. 8. 11. 5. liii. 11. xlii. 1. 2. &c. [10] Græc. impress. Καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον. Sed Ald. Frob. Œcum. Æth. Cod. Lincol. Ἰδεῖν τὸ δίκαιον. Vide Erasm. Drus. [11] Vide Chrysost. homil. in Acta pag. 152. & tom. 5. homil. 13. pag. 175. 178. & in Acta homil. 1. p. 12. August. serm. 189. cap. 5. [12] Concil. Trid. Sess. 14. cap. 4. *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Vide August. serm. 149. nov. edit. num. 7. & lib. 1. de Baptismo contra Donat. cap. 8. & lib. 4. cap. 22. & alibi.

se, seque ad tertium usque Cœlum ascendisse. Quo tempore iter, de quo hic, egerit, dissidium est sententiarum. Censeur nonnulli (12), primum id fuisse iter Jerosolymitanum, tertio post conversionem anno (13): alii (14) secundum ejus iter malunt, cum eo venit (15) collectam a Fidelibus Antiochiæ pecuniam delaturus. Denique alii ad tertiam Jerosolymitanam profectionem rejiciunt, postquam solemni ritu gentium Apostolus renunciatus fuit Act. XV. quorum sententiam fulciunt verba illa Domini, in ea jussione profitentis: *Ego in nationes longe mittam te*. Sed mihi magis probatur quæ primo loco adducta est opinio, ad primam profectionem Pauli Jerosoymam tertio post conversionem anno referens. Eo enim nos ultro tota narrationis series ducit.

℣. 18. NON RECIPIENT TESTIMONIUM TUUM. Indociles animo sunt & voluntate perversi, magis quam per me ad pietatem emolliantur, ac dari sibi, post indignum adeo verbi vocationisque ac primæ gratiæ meæ contemptum, beneficium conversionis mereantur. Cum illis prædicaveris, non credent; eosdemque labores tuos in incrementum criminis & damnationis suæ converrent (16). Eodem modo factum est, ut Spiritus Sanctus Apostolum impedierit, ne in Bythinia fidem nunciaret Act. 16. 6.

℣. 19. DOMINE, IPSI SCIUNT, me nuper Ecclesiam tuam infestissime omnium vexasse. Me igitur id commisisse, ut resipiscens nomen darem inter Fideles, nisi gravissimis persuasum rationibus, non credent. Itaque audituros me attentissime facile censeo. Norunt enim, me nunquam in Evangelium animum inclinasse; mihique facile addicent fidem, cum mutati consilii rationes illis exposuero (17). Vel potius: Patere, Domine, ut reducere fratres meos ab errore, & a præjudicatis opinionibus coner. Compertum est illis, me omnium pervicacissime erroribus hisce adhæsisse, ac infestissime obstitisse Evangelio: minus igitur difficiles se mihi præbebunt. Mens erat Apostolo demonstrare Judæis, se non ea voluntatis suæ propensione, sed Dei jussu animum ad prædicandum Gentibus Evangelium contulisse (18).

℣. 20. SANGUIS STEPHANI TESTIS TUI. Græci Codices plures (19) legunt: *Protomartyris tui Stephani*; alii omittunt, *consentiebam*. Martyr græce est testis; sed Ecclesiæ consuetudine est homo, qui testimonium Evangelio reddit, quique vitam pro veritate, sive pro justitia prodigit.

℣. 21. IN NATIONES LONGE MITTAM TE. Consilium suum Christus Paulo per Ananiam jam significaverat Act. 9. 15. se scilicet illum destinasse ad nomen suum Gentilibus populis prædicandum. Destinationem hanc Apostolus menti insculptam nunquam non gessit. Toto vitæ suæ tempore Gentilium conversioni adlaboravit; licet enim pro consueto more primos omnium Judæos conveniret, nihilque illis convertendis negligeret, minorem tamen successum dare tunc Deus laboribus ejus videbatur, quam cum Gentilibus prædicabat. Hujus sententiæ oraculum, *In nationes longe mittam te*, fidem utique plenam obtinuit; prædicavit enim in Syria, Arabia, Judæa, Phœnicia, Cilicia, Pisidia, Lycaonia, Pamphylia, Galatia, Phrygia, Macedonia, Græcia, Asia, Italia, Ægæi Maris insulis; quin &, juxta nonnullos, in Hispania, ut merito cum S. Hieronymo affirmari queat (20), terras ferme universas ab Erythræo usque ad Oceanum prædicando emensum fuisse; quin & mundus plane universus tam pii ardoris magnitudini angustior erat.

℣. 22. AUDIEBANT EUM USQUE AD HOC VERBUM, quoad asserentem illum audierunt, se missum a Deo, ut Evangelium Gentilibus prædicaret. Non quod Judæi prædicari Gentibus, & Proselytos fieri prohiberent; cum potius Jesus Christus exprobret Pharisæis, cursitare illos terras & maria, ut Gentilem aliquem convertant Matth. 3. 15. sed contendebant, eos, qui nomen inter Judæos vel Christianos dabant, legalibus ritibus præceptisque subjici oportere. Id autem Apostolus ne Discipulis suis ex Ethnicis conversis injungeret, summopere cavens, nec ad circumcisionem, nec ad reliqua Legis obsequia cogebat. Alte sonabat partam nobis a Jesu Christo libertatem; servataque reverentia Judæis ad fidem conversis, qui legalium jugum subeundum sibi ducebant, Fideles e gentibus immunes ab eo pronunciabat. Judæorum animos id exacerbabat, eorumque opinione Paulus ceu Legis eversor habebatur.

TOLLE DE TERRA HUJUSMODI. Eorum sensu perinde agendum erat cum Paulo, ut ex Moysis præscripto Deut. 13. 5. agi oportebat cum populi seductore, qui novam Religionem inducere moliretur, nempe lapidibus conficiendum a populo. Equidem nisi Jesus Christus missionem suam certissimis argumentis demonstrasset, mentemque suam quoad abrogationem cæremoniarum palam exposuisset, nec ardor iste Judæorum, nec agendi ratio in eo articulo damnanda erat. Quicumque ante Jesum Christum sermones illos sparsisset, quos tunc Paulus spargebat, omni Legis severitate puniendus merito fuisset.

℣. 23. PROJICIENTIBUS VESTIMENTA SUA, ET PULVEREM JACTANTIBUS IN AEREM; tanquam multa rabie furentes, qui nec continere se, nec explere iracundiam possent, cum Paulus in Tribuni potestate esset, sub Romanorum & Judicis præsidio. Commotiones hasce violentas & seditiosas cernere sæpe licet in turba populi tumultuantis, quæ pulverem spargit in ventum, vestimenta in altum projicit, indignationis furorisque argumento (21). Efficiuntur hæc non sedatæ mentis consideratione, sed violento affectu, & commoti animi agitatione.

℣. 24. JUSSIT FLAGELLIS CÆDI, ET TORQUERI (22). Jussit haberi de illo quæstionem, flagrorum animadversione. Id moris apud Romanos obtinuisse docet Grotius, ut quæstiones haberentur de reis, illos cædendo non virgis, sed flagris vel loris. Tribunus, cui ignotus erat Hebræus sermo, ea quæ pro concione Paulus exposuerat, minime assequutus, ratusque ex tumultu illo populi iniquum aliquid ab eo in Legem vel in Gentem prolatum fuisse, discere ab eo rem totam tentavit. Igitur ligari vinculis & exui vestibus jussit ad flagra. Sed iniquum erat, miserum causa indicta, & ob solam populi seditionem ab illo non excitatam, flagrorum animadversione punire. Populi erat, qui in ea causa adversarii & accusatoris partes agebat, delictum prodere; ideoque & ex populo potius quam ex Paulo crimen indagandum fuit.

℣. 25. CUM ASTRINXISSENT EUM LORIS, DICIT ASTANTI CENTURIONI: SI HOMINEM ROMANUM, &c. Convertit se Paulus ad Centurionem, cui Tribunus ut flagris eum cæderet mandaverat. Est autem naturali omnium gentium lege interdictum, ne inauditus indemnatusque homo puniatur; sicut nec Romanum civem flagris cædi Romanorum leges permittebant. *Porcia Lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovet*, ait Cicero pro Rabirio. Et in Verrem 5. sermonem habens de Romano quodam cive, quem, obtendentem licet jus Romanæ civitatis, Verres proscidit

(12) Fromond. Sanct. Cornel. Chrysost. Hamm. (13) Galat. 1. 18. Act. IX. 25. 26. (14) Barth. Petr. (15) Act. 11. 30. XII. 2. (16) Vide Barthol. Petr. Fromond. hic; & Commentat. ad Act. XVI. 6. 7. (17) Grot. From. alii. (18) Cornel. Estius. (19) Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου. Alii, Τοῦ πρωτομάρτυρος, vel τοῦ πρώτου μάρτυρος. Vide Mill. hic. (20) Hieronym. in Amos V. (21) Lyran. Dionys. Price. (22) Εἰπὼν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτόν.

ſcidit flagris, exclamat: *O nomen dulce libertatis! O jus eximium noſtræ civitatis! O Lex Porcia, Legeſque Semproniæ!* Vide ſupra XVI. 37.

Pro illis, *Cum aſtrinxiſſent eum loris*, Græcus legit (22): *Cum extendiſſent eum loris*; quod ab aliis aliter explicatur. Sunt qui credant, Apoſtolum dimidio corpore exutum fuiſſe veſtibus, deinde vinctum manibus columnæ, tergum flagris exhibuiſſe (23). Malunt alii, vinctum fuiſſe manibus ad defixam humi ſudem, pede & femis vel ad ſummum duplici pede aliam; ut flexo corpore vultuque ad terram converſo patens tergum militibus daret (24). Alii denique (25) opinantur, milites caput & pedes aſtrinxiſſe loris, quibus extenſum corpus, prona in terram facies detineretur, ut nihil eſſet a flagris tutum. Mos iſte reos cædendi, Orientalibus Romaniſque pariter erat familiaris. Tiberius *exploratorem viæ ſtratum humi pene ad necem verberavit* (26). Quæ Romanæ Leges cædi flagris Romanum civem, eædem & vinciri vetant (27). At Paulus ſolutus vinculis fuiſſe non videtur.

℣. 28. EGO MULTA SUMMA CIVITATEM HANC CONSEQUUTUS SUM. Jus illud pecunia emebatur; quod ſub imperio Claudii abuſione quadam inveſtum fuiſſe, ſignificare Tacitus lib. 5. hiſt. videtur. Id autem Dio Chryſoſtomus luculentius exprimit: *Jus Romanæ civitatis*, inquit, *primum magno vendidit, deinde minimo*. Notat Salvianus l. 5. de Dei gubern. *Nomen Civium Romanorum aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed & magno emptum; nunc ultro repudiatur ac fugitur, nec tantum vile, ſed etiam abominabile pene habetur.*

EGO AUTEM ET NATUS SUM. Jus Romanæ Civitatis non eo quidem nomine obtinebat Paulus, quod Tharſenſis eſſet; nam Tharſus libera urbs in Coloniam Romanorum nonniſi diu poſt tranſivit, ut animadvertimus in Act. 16. 37. Ad hæc, ſi Tharſenſes omnes cives fuiſſent Romani, Tribunus, cui Tharſenſem originem ſuam Paulus jam ſupra ℣. 3. aperuerat, caviſſet, ne loris illum ad flagra adſtringeret. Sed pater ſeu avus Pauli jus illud ſibi hæredibuſque ſuis fortaſſe acquiſiverat opera egregie in bello præſtita ſub Auguſto in Brutum & Caſſium, ſive in Antonium. Illud conſtat, Paulum jus Romani Civis ex origine duxiſſe: quo & confirmatur opinio illorum, qui e clariſſima & locuplete familia ortum cenſent.

℣. 30. JUSSIT SACERDOTES CONVENIRE; ut ſciret, cujus criminis Paulus accuſaretur: Convocavit illos facile in turrim Antoniam, ubi reſidebat, ſive alibi, quo venire ipſe cum cæteris poſſet; cum enim religione eſſet Gentilis, excludebatur Templo, ubi Sacerdotum Concilium cogebatur a Sanhedrio, & ab aula Conſilii. Favet opinioni huic Græcus impreſſus (28): *Juſſit venire Principes Sacerdotum, & omnem conſeſſum*. Sed optimi Codices plures legunt cum Vulgata: *Juſſit Sacerdotes convenire*. Quocumque tandem convenerint; conſtat, adfuiſſe pariter Tribunum cum militibus, ut Paulum ex adverſariis eriperet.

---

(22) Ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν. (23) Cornel. Menoch. Piſc. (24) Lud. de Dieu. (25) Arab. Æthiop. Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis, ad Deuteronomium. (26) Sueton. in Tiberio. (27) Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 19. (28) Ἐκέλευσεν ἐλθεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον αὐτῶν. Alii; Ἐκέλευσε συνελθεῖν.

C A P U T XXIII.

Paulus cauſam ſuam in Concilio Sacerdotum tuetur. Alapa juſſu Summi Sacerdotis cæditur. Senatores inter ſe committit, Phariſæum ſe eſſe profeſſus. Conſpiratio in illius necem detegitur. Cæſaream ad Felicem Præſidem mittitur.

℣. 1. INtendens autem in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum, uſque in hodiernum diem. 2. Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os ejus. 3. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti? 4. Et qui aſtabant dixerunt: Summum ſacerdotem Dei maledicis? 5. Dixit autem Paulus: Neſciebam fratres, quia princeps eſt ſacerdotum: Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. 6. Sciens autem Paulus, quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego judicor. 7. Et cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos, & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo. 8. Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Phariſæi autem utraque confitentur. 9. Factus eſt autem clamor magnus. Et ſurgentes quidam Phariſæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine iſto: Quid ſi Spiritus locutus eſt ei, aut Angelus? 10. Et cum magna diſſenſio facta eſſet, timens tribunus, ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, juſſit milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra. 11. Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Jeruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. 12. Facta autem die collegerunt ſe quidam ex Judæis, & devoverunt ſe dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. 13. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerunt:

rant: 14. Qui accesserunt ad principes sacerdotum, & seniores, & dixerunt: Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. 15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cogituri de eo. Nos vero prius quam appropriet, parati sumus interficere illum. 16. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intravit in castra, nuntiavitque Paulo. 17. Vocans autem Paulus ad se unum ex Centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi: 18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogavit illum: Quid est, quod habes indicare mihi? 20. Ille autem dixit: Judæis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. 21. Tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati sunt expectantes promissum tuum. 22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset. 23. Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, a tertia hora noctis: 24. Et jumenta præparate, ut imponentes Paulum salvum perducerent ad Felicem præsidem. 25. (Timuit enim, ne forte raperent eum Judæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tamquam acceptürus pecuniam. 26. Scribens epistolam continentem hæc: CLAUDIUS Lysias optimo præsidi, Felici, salutem. 27. Virum hunc comprehensum a Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus est; 28. Volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. 29. Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte, aut vinculis habentem criminis. 30. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians, & accusatoribus, ut dicant apud te. Vale. 31. Milites ergo secundum præceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. 32. Et postera die dimissis equitibus, ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. 33. Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. 34. Cum legisset autem, & interrogasset, de qua provincia esset: & cognoscens quia de Cilicia, 35. Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio Herodis custodiri eum.

℣. 1. EGO OMNI CONSCIENTIA BONA CONVERSATUS SUM ANTE DEUM. Quamdiu pessime de Religione Jesu Christi cogitavi, nullum in illam lapidem non movi; agnita vero ejus veritate & sanctitate, totum me ad illam transtuli, & ad mortem usque defendi. Sinceritatem meam, rectique cordis æquitatem Deus novit. Judæum bonum me præbui, quamdiu eam professionem retinui: deinde ad Christianos transgressus, religionis illius studiosissimus effectus sum, cum ejus veritatem Deo docente cognoverim. Vide 1. *Timoth.* I. 13. & *Philipp.* III. 6. ubi ait, egisse se inter Judæos nullius noxæ reum, & Ecclesiam nonnisi per ignorantiam vexasse: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

℣. 2. PRINCEPS SACERDOTUM ANANIAS, &c. Ananias Nebedæi filius (1) summum Sacerdotem egit ab anno Mundi 4050. usque ad 4066. successoremque Ismaelem filium Phabæi habuit. Itaque sacris præfuit annis sexdecim. Quæ hic a Luca narrantur, gesta sunt anno vulgaris Æræ 58. Mundi 4061. vel 62. cum Æræ vulgaris exordium cum Anno Mundi 4003. triennio post veram epocham Nativitatis Jesu Christi, componatur. Summus hic Sacerdos alapa cædi Paulum jussit, quod forte illum in exordio sermonis non satis dignitatem suam observasse sibi videretur; sive forte quod professus fuerit in iis, quæ hactenus gesserat, nonnisi rectos mentis cordisque sui motus secutum se fuisse. Id autem perinde habuit Ananias, ac insultando sibi totique cætui dictum. Vel denique offensus fuit nomine *fratrum meorum*, quod nimis familiariter a reo ad Judices dictum videretur.

℣. 3. PERCUTIET TE DEUS, PARIES DEALBATA; ad verbum (2): *Paries obducte calce*; quod proverbii modo de hypocrita usurpatur. Pharisæos cum sepulcris albo inductis Jesus Christus comparat Matth. 23. 27. Eo nomine iniquitatem Judicis arguit Apostolus, a quo ante damnabatur, quam causam suam defenderet. Cur Judicum meorum subsellia occupas, si partes agis adversarii? Cur Principem te justi & æqui ostentas, dum iniqua committis? *Tu sedens judicas me secundum Legem, & contra Legem jubes me percuti?*

Jesu Christi monitum ad Discipulos Matth. 5. 39. tunc sibi servandum Apostolus non censuit: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*; uti neque ea, quæ 1. Cor. 4. 12. ipse docet: *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus.* Sed animum habebat paratam, non dum alteri maxillæ præbendæ, sed & crucintibus quibusque pro veritate subeundis, servata

(1) Pearson. Grot. Tillemont. &c. Joseph. Antiq. l. 2. c. 3.

(2) Τοῖχε κεκονιαμένε. Alii: Κεκονιαμένε.

vata semper erga adversarios charitate (3). Persona quam gerebat, causa quam defendebat, non patiebantur, ut honorem suum negligeret, & inique secum agi permitteret, quin saltem adversariis suis iniquitatem ipsorum ostenderet. Honor enim & bona nominis fama necessaria illi erant ad promovendum Evangelium, ejusque causa universæ Religioni erat communis. Modestum illud & mite responsum quod dedit, monitus, verba habere se ad summum Sacerdotem, satis demonstrat, charitate flagrasse intus, nec in verbis quidquam asperum, quidquam iracundum prætulisse.

Cæterum verba illa, *Percutiet te Deus, paries dealbate*, vaticinantis sunt, non malum aliquod imprecantis: *Minus intelligentibus convicium sonat; intelligentibus vero prophetia est*, ait S. Augustinus (4). Utitur hic Apostolus eo jure, quod S. Spiritus largitur Prophetis, ut pro authoritate & imperio vel ad ipsos Reges virosque principes loquantur, & libere eorum vitia corripiant, atque castigent. Juvat intueri, quanto imperio Elias & Elisæus Reges Israelis alloquantur; quam libere Isaias, Jeremias, Ezechiel Sacerdotibus, Principibus, & reliquo populo Juda vitia sua exprobrent. Ananiam in defectione Judæorum ab eorum manu, quibus filius ejus ducem se præbuerat, inter primos misere interfectum fuisse, Josephus est author in lib. 2. de Bello c. 32.

℣. 5. Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Mirum, summum Judæorum Sacerdotem ab Apostolo agnitum non fuisse, cum præsertim summam viri dignitatem indicare illi facile, quantum reor, potuerit locus, quem in Concilio tenebat, nisi enim locus Summum Sacerdotem, at saltem Sanhedrii Præsidem, cujus erat Tribunal inter reliqua augustissimum, prodebat. Illi excusando varii varia attulerunt. Reputavit Clericus, agnitum ab illo quidem Summum Sacerdotem: sed cum non satis percepisset, ex quo jussio illa cædendi se prodierit, ad illum, quicumque tandem esset, verba hæc direxisse. Censet Grotius, Apostolum excusare, quod sibi in istis malis constituto non satis in mentem venerit, quicum sibi res esset: Non satis animadverti, me cum Summo Sacerdote verba habere. Alii (5) ad ironiam ista convertunt: Nunquam ego furiosum hunc hominem pro Summo Sacerdote habuerim. Veniam date: in tanta furoris agitatione notam faciem non agnovi. Alii (6): Non hominem hunc pro Summo Sacerdote habui, est enim mihi Pontifex alius æternus, immortalis, Jesus Christus. Sacerdotium in Synagoga jam cessavit. At sensus iste spiritualis est potius, quam literalis.

Putant nonnulli (7), Ananiam re ipsa quidem legitimam Sacerdotii authoritatem non obtinuisse; cum potius intrusus fuisset in locum Josephi, vel Ismaelis; quin & indignum se præbuisse tanto nomine & honore, quem sibi pecunia comparaverat. Est autem, ex dogmate Gamalielis Pauli Præceptoris (8), Judex per pecuniam intrusus eo nomine & honore indignus, ut Judex re ipsa non sit. At ratiocinatio ista duplici ex parte peccat. Primo, quod Historiæ testimonio constet, Ananiam tunc Summum Sacerdotem legitime egisse. Secundo, quod ejus intrusio & vitium initii inauspicato Sacerdotii ignota sint penitus; & licet constarent, adhuc tamen non excusabant Apostolum, si quid obsequio in illum defuisset, ex ipsa ejusdem Apostoli doctrina Rom. 13. 1. Tit. 3. 2. Denique planior & probata magis opinio ait, Apostolum, qui ab annis quinque & viginti nunquam nisi paucorum dierum spatio Jerosolymis moram traxerat, quin & a triennio, vel forte quadriennio penitus abfuerat, ac denique nonnisi ante septem vel octo dies eo pervenerat, ignorare utique potuisse, quisnam tunc Summum Sacerdotium gereret, cum præsertim jamdiu ordo successionis inter Summos Pontifices cessasset, nec Pontificatus diuturnitas certa amplius esset, & ad statas leges directa. Hæc postrema opinio communior est & æquior (9).

Principem populi tui non maledices. Nomen Principis populi Rabbini vulgo de Principe Sanhedrii usurpant (10). Sed commode pariter explicatur de Rege, Judice, Principe, Summo Sacerdote, ac denique de quocumque vel supremam vel magnam authoritatem, alterius licet imperio subjectam, gerente. Quo sensu merito Apostolus Summo Sacerdoti illud accommodat.

℣. 6. Sciens quia una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum. Summum Sanhedrium e viris in tota gente amplissimis constabat. Pharisæorum & Saducæorum sectæ tunc regnabant. Probe norat Apostolus, quo animo Judices sui essent. Usus est autem laudabili arte (11), inter se committens Pharisæos Saducæusque, ut a se discrimen averteret, bonamque causam tueretur. Innoxio hoc artificio valuit Apostolus potentissimos adversarios suos, majoremque Judicum suorum partem sibi devincire, & commoda adeo ac opportuna causæ diversione usus est, ut, si res ea moderatione, qua per fuerat, procederet, absolutus dimitteretur. Sed nimia utriusque partis simultas metum incussit Lysiæ Tribuno, ne quid mali Paulo contingeret. Itaque e concilio statim illum subduxit. S. Gregorius Magnus l. 34. Moral. c. 4. & S. Thomas 2. 2. qu. 37. art. 2. ad 1. censent, in similibus rerum articulis citra crimen seri posse inter impios dissidia, cum iniquorum conjunctio Reipublicæ pariter & Ecclesiæ perinde officiat, uti bonorum dissensio utrique nocet. Nihil intentatum relinquendum est, ut pax in Ecclesia servetur; sæpe vero optimum est, ut pacis inimici nec rebus nec sententiis inter se cohæreant. Cavendum est tamen, ne dogma istud ultra modum urgeatur; fatendumque, in rei executione incommoda plurima sæpe occurrere.

Ego Pharisæus sum, et filius Pharisæorum. Græcus impressus (12): *Ego Pharisæus sum, & filius Pharisæi*. Sed optimi plures Codices Græci cum Vulgata consentiunt: *Filius Pharisæorum*; quod aliqui (13) accipiunt de filio disciplinæ per institutionem, de Discipulo Pharisæorum: quemadmodum in Scriptura Prophetarum Discipuli *Filii Prophetarum* appellantur 4. Reg. 2. 3. Sed plerique satum illum e Pharisæis parentibus censent.

De spe et resurrectione mortuorum ego judicor. Eam causæ suæ partem urget Apostolus, quam sibi maxime conducere intelligebat. Dei & charitatis amor non prohibet, quominus interdum rationes ineamus plane humanas, ac serpentis prudentiam adhibeamus. Quæ Paulum comprehenderat turba, supra xxi. 28. accusaverat, quod *adversus populum & Legem & locum sanctum* oblocutus fuisset; insuper & Gentiles *introduxisse in Templum*. Eo vis tota orationis dirigenda ab Apostolo videbatur, ut ab eo crimine se excusaret. Sed longius rem sibi petendam ratus, argumentum funditus excutiendum assumit. Asserit, eo nomine se damnari, quod alterius vitæ *spem & mor-*

(3) August. lib. de Mendacio cap. 15. & lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 19. 21. p. 191. nov. edit.
(4) August. lib. 1. de serm. Domini in monte c. 19. Vide Est. Grot. alios. Vide Respons. ad Orthodox. 125. & Chrysost. 2. 5. orat. 47.
(5) Chrysost. in Acta, homil. 48. August. Epist. 138. n. 13. Lorin. Camer. Calvin. Brent.
(6) Beda, Erasm. Clopenb. Epist. ad Capell. Vide & Cyprian. Ep. 55. & August. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 19.
(7) Quid. in Gatak. Ligs. Chronolog. Bez. in Synopsi.
(8) Talmud. tit. de Synedr.
(9) Chrysost. Lyran. Dionys. Caj. Sanct. Cornel. Menoch. Fromond. alii.
(10) Vide Seld. de Syned. lib. 2. c. 15. art. ult.
(11) Vide Chrysost. in Acta homil. 49. Grot. Sanct.
(12) Ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίου. Alii: Υἱὸς Φαρισαίων.
(13) Fromond. hic.

& mortuorum resurrectionem defendet. Illud equidem in tota Apostoli doctrina Saducæos gravius offenderat; idque unum Pauli causam apud illos evertisset. Jure igitur meritoque judicium illorum ac potentiam declinaturus, ait, hanc in se accusationem strui. Ad Pharisæos vero quod attinet, quamquam mortuorum resurrectionem credebant, pervicaciter tamen Jesum Christum e mortuis surrexisse negabant.

Omittit autem aliud accusationis caput, quod a Pharisæis æque ac Saducæis urgebatur, negari scilicet a se legalium cæremoniarum ad salutem obtinendam necessitatem. Pharisæorum erat & Saducæorum consilia hac in re jungere; deinde ad alteram accusationis partem descendere. Sed compertum erat Paulo, illos numquam eo evasuros, idque percommodum causæ ipsius erat. Primo, quod Tribuno patefaciebat, rem esse de articulis nonnullis in sola contemplatione versantibus, & in utramque partem agitandis, de quibus nec inter Judices ipsos conveniebat. Secundo, quod cum Pharisæorum pars in Sanhedrio superior esset, facile remitti posset absolutus, nullo alterius articuli examine, quo habito, non ita facile se apud utrosque Judices purgaret. Sed Numinis providentia factum est, ut res, prout processura videbatur, procederet; quod ex modo videndis patebit.

℣. 7. Soluta est multitudo; in varia se studia divisit. Ita sonat Græcus (14); sed Latinus innuere videtur, solvisse illam sese, ac dissipasse. Degeneravit in tumultum.

℣. 8. Non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Agnoscebant quidem Saducæi Deum invisibilem, & spiritualem, sed præter illum neminem, non Angelos, non Spiritus, non secretas e corpore animas; adeoque & corporum resurrectionem negabant. Pentateuchum, in quo sæpe Angeli per visum apparentes exhibentur, admittebant; sed Angelorum nomine designabant sive Deum ipsum, hominum obtutibus sese permittentem, sive spectra ab ipso Deo efficta, in quibus ille & ageret, & loqueretur; sive meras impressiones ab illo factas in sensibus sive mentibus hominum, quas homines pro secretis a corpore spiritibus, alii a Deo, admitterent (15). Animas quidem existere non negabant, singulisque animam & rationem inesse fatebantur: at animam una cum corpore mori, dissipari, extingui ajebant (16). Quin nec ab illis Deum ipsum omni secretum materia agnitum fuisse (17), præterea negatum Sanctum Spiritum, quidam arbitrantur; adeoque & rejectos Prophetas, qui S. Spiritu afflatos se profitebantur (18), necesse est. Vide Dissertationem nostram de Pharisæis & Saducæis.

Pharisæi utraque confitentur; Angelos scilicet, secretasque a corpore mentes, & mortuorum resurrectionem. Lucas duo tantummodo memorat, *utraque*; sed tamquam unicum Saducæorum errorem duo illa agnoscit, Angelorum scilicet & Spirituum rejectionem. Alter error erat negare mortuorum resurrectio (19).

℣. 9. Quidam Pharisæorum. Græcus (20): *Scribæ partis Pharisæorum*. Sed Codices alii legunt cum Vulgata: *Quidam Pharisæorum*. Alii: *Scribæ & Pharisæi*, vel, *quidam de Scribis partis Pharisæorum*. Scribæ viri sunt Legis consultissimi, & scientiarum professores. Non omnes qui Pharisæi, iidem & Scribæ erant; sed eorum sectam Scribæ quamplurimi profitebantur. Fere semper in Evangelio utrique simul Jesum Christum ejusque Apostolos insectantur.

Quid si spiritus locutus est ei? Græcus (21): *Si Spiritus locutus est ei, aut Angelus, ne repugnemus Deo*. Sed optimi Codices cum Cophto, Syro, Æthiope, Ammonio, S. Isidoro Pelusiota illud, *Ne repugnemus Deo*, omittunt. Fatebantur Pharisæi, fieri posse, ut S. Spiritus Paulo vel ad aures vel intus in corde loquutus esset; sive ut Angelus ipsi se videndum exhibuisset; sive denique, ut anima Christi ad ipsum venisset, & verba fecisset. Ut enim ad ℣. 8. animadvertimus, Lucas in eodem ordinis gradu *Spiritus & Angelos* constituere videtur. Igitur cur hæc de S. Spiritu accipiantur, nihil est. At secretæ a corpore animæ & Angelus, juxta probatam Pharisæis doctrinam, specie non differebant. Piorum enim animæ velut in Angelos; impiorum autem velut in Dæmones transformebantur (22). Vide Matthæum vers. 30. 31.

℣. 10. Jussit milites descendere ex arce, vel e turri Antonia, ubi stetisse illos credimus in armis ad nutum Tribuni, qui forte ea quæ revera accidere, prævidit. Concilium illud habitum fuit sive in ipsa arce, sive in aula arci proxima.

℣. 11. Assistens ei Dominus per quietem noctis ait . . . . . oportet te et Romæ testificari. Romanum iter diu antea meditatus fuerat Paulus, ut in ea urbe testimonium Jesu Christo redderet. Hoc enim propositum ante menses aliquot ad Romanos scribens aperuerat, sponsoremque per intimam cordis inspirationem habuerat Sanctum Spiritum Act. 19. 21. futurum ut iter illud exequeretur; sed qua ratione id moliretur Providentia, ignorabat.

℣. 14. Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum: diris caput nostrum devovimus, si quid cibi gustaverimus ante illatam Paulo necem. Græcus (23): *Anathemate devovimus nos*; dira ingentia in caput nostrum imprecati, interposita etiam jurisjurandi religione, obligavimus nos, ne quid cibi potusque gustemus, nisi prius adversario gentis nostræ Legisque interfecto. Exitium nobis imprecati sumus & anathema, a societate fratrum nostrorum sejunctionem, & necem, nisi hominem hunc e vivis sustulerimus. Familiaria erant Judæis id genus anathemata, quibus rerum quarumdam vel sacrarum vel communium usum sibi interdicebant (24). Exemplum ejus moris occurrit in Judæis e captivitate reversis, qui sponte se anathemati subdiderunt 1. Esd. 8. 16. 9. 29. si Dei Leges desererent; & in Essenis, qui atrocibus diris sectæ suæ ejusque præceptis servandis sese obstringebant (25). Qui si sponte e cœtu fratrum se segregarent, vel criminis aliquid committerent, quo pelli ex aliorum consortio mererentur, miseram plerumque mortem obibant, cum sacramentis dirisque obligassent sese, nequid cibi e cujuspiam manu caperent. Itaque cogebantur herbas bestiarum more carpere, & ad ultimas angustias brevi redigebantur: quo in statu accidebat interdum, ut fratres eorum misericordia moti, illos exciperent, ac reficerent cibo, rati satis pœnarum ad veniam promerendam illos dedisse.

Asserit Philo de legib. spec. non defuisse apud Judæos, qui jurejurando se adigerent sive ad homicidium sive ad aliud quodcumque crimen, sive ne vitam cum aliquo agerent, sive ne bonum efficeret

(14) Καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος. Velez. ἐλύθη τὸ πλῆθος. Ita Vulg. (15) Vide Grot. Est. Bez. Camerar. (16) Joseph. de Bello l. 2. c. 12. & Antiq. lib. 18. c. 2. (17) Arnob. lib. 3. p. 100. (18) Vide Scalter. Epiphan. hæres. 14. (19) Theophyl. hic. Grot. Fromond. Menoch. alii. Chrysost. hic. (20) Ἀναστάντες οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. Alii: Τινὲς τῶν Φαρισαίων. Alii: Τινὲς τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. Vide Mill. hic. (21) Εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος, μὴ θεομαχῶμεν. Vide Mill. hic, & Proleg. 918. (22) Joseph. de Bello l. 7. cap. 25. p. 985. Vide & Philonem sæpe, & nostram Dissertationem de bonis malisque Angelis. (23) Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτούς. (24) Vide Selden. de Synedr. l. 1. c. 7. (25) Joseph. de Bello l. 2. c. 7. in Lat. 12. in Gr.

cui præstarent; minime intelligentes, ejusmodi obligationes religioni jurisjurandi, Deique, qui illud permittit, & cujus nomine nuncupatur, menti repugnare. Hisce obligati devotionibus prohibebantur filii, ne debita parentibus auxilia præstarent Matt. 15. 5. neve debitores creditoribus suis satisfacerent (1), quemadmodum ad Matth. xv. 5. animadvertimus.

Ỷ. 15. Nunc ergo notum facite Tribuno. Quadraginta isti, qui se devoverant, diversi facile erant a Pharisæis, vel saltem ignorabant ea, quæ pridie decreta fuerant in concilio. Probabile est, e Saducæis fuisse, graviter ferentibus, quod in concilio Pharisæi Apostolo faverint (2).

Ỷ. 16. Filius sororis Pauli, de conspiratione Apostolum monuit. Quomodo adolescens ille Jerosolymam venerit, & conspirationem senserit, ignoratur; sed mirari juvat Providentiæ ordinem, quæ ex imminenti, certo, & inevitabili discrimine Paulum eripuit.

Ỷ. 17. Perduc ad Tribunum. Humana auxilia, quæ Dei bonitas sibi velut in manus præbebat, Paulus non negligit. Ejus enim in Deum fiducia expers erat arrogantiæ, ac sapientiæ & prudentiæ habebat plurimum. Negligere enim naturales & humanas opes, cum prælio occurrunt, perinde est ac Deum tentare, sicut nec citra Dei injuriam expectantur miracula, cum aliæ patent viæ, ut e discrimine fugiamus (3).

Ỷ. 19. Apprehendens manum illius, in amicitiæ & clementiæ significationem, putans, adolescentem hunc ideo venisse, ut pecunia oblata Pauli libertatem redimeret (4).

Ỷ. 23. Parate milites .... equites .... lancearios .... a tertia hora noctis; ab hora scilicet nona, vel decima vespertina. *Milites* sunt hic pedites, *Lancearios*. Postrema hæc vox differt in Græco (5), ubi sonat *stipatores*, milites scilicet, qui utrumque latus viri alicujus, summi Imperatoris, vel Principis tuentur. Codices alii legunt (6), *Lancearios*, milites armatos hastis, vel missilibus, quæ manu jaciuntur. Suspicatur Grotius, designari bis facile milites exteros, vel auxiliarios levis armaturæ. Pedites fuisse creduntur. Manus hæc militum ad tuendum Paulum missa fuit.

Ỷ. 24. Ad Felicem Præsidem. Claudius Felix, vel, ut a Tacito hist. l. 5. appellatur, *Antonius Felix*, ita dictus, quod libertus fuerit Claudii Imperatoris, & Antoniæ matris ejus, frater erat Pallantis, liberti favore Claudii potentissimi. Jonathas filius Annæ Summi Sacerdotis illum postulaverat, impetraveratque in Præsidem Judææ anno Christi 52. Provinciam administravit Regia authoritate, & audacia liberti, quem nec pudor nec metus coercent (7). Omnia licere fratri Pallantis arbitrabatur. Paulum biennio vinctum retinuit, agnita licet ejus innocentia, sperans pecuniæ aliquid se ab eo pretium libertatis obtenturum.

Ỷ. 25. Timens, ne forte raperent eum Judæi. Totus hic versiculus deest in Græco impresso, & libris manu exaratis; legiturque tantummodo in Codicibus Veleziania, qui ubique ad Vulgatam correcti censentur.

Continentem hæc. Græcus (8): *Continentem formam hanc*; epistolam hujus sententiæ.

Ỷ. 26. Optimo Præsidi Felici. Græcus (9): *Potentissimo Præsidi*. Titulus erat dignitatis.

Ỷ. 27. Cum exercitu, cum militum præsidio. Textus ad verbum (10): *Cum exercitu*, cum militibus quadringentis & septuaginta. Ỷ. 23. *Cognito quia Romanus est, eripui eum*. Veritatem hic Lysias dissimulat; cum enim Paulum e Judæorum manibus eripuit, civem Romanum esse ignorabat. Neque enim id antea comperit, quam cum vinculis adstrictum flagris cædi jussit. *Cap.* 22. 25.

Ỷ. 29. De quæstionibus Legis ipsorum. Tribunus iste, qui nec Judæus erat, nec literas profitebatur, non satis compertum habebat quod in congressu Pharisæorum & Sadducæorum disceptatum fuerat; intellexit tamen, de rebus Religionis scholasticisque disputationibus actum.

Ỷ. 31. Antipatridem, urbem ab Herode magno conditam in memoriam patris sui Antipatri, inter Joppen & Cæsaream, imminentem viæ, quæ Jerosolyma Cæsaream ducit. Porro urbs ista veteri nomine *Capharsaba* (11) appellabatur, locaturque a Josepho stadiis quinquaginta, leucis nempe septem circiter a Joppe. Venisse autem citato itinere milites necesse est, ut eo pervenire intra noctis & paulo majus spatium possent. Legimus enim hic, discessisse illos Jerosolymis tertia hora noctis post Pentecosten; ac mature adeo pervenisse Antipatridem, ut eadem simul die Jerosolymam reverti possent, & Paulus eadem pariter die Cæsaream deductus fuerit. Itaque Paulum confecisse opus est iter Jerosolymam Cæsarea, & milites bis viam Jerosolyma Antipatridem minori temporis spatio, quam unius noctis & pleræ diei. Id autem vix mente assequi possumus, cum Jerosolyma Cæsaream iter sit leucarum saltem undeviginti, ter mille passibus in singulas leucas assignatis (12).

Difficile licet, fieri tamen potest. Præsidii hujus pars equitibus constabat. Equos etiam paratos fuisse ad vehendum Paulum, ex Ỷ. 24. intelligimus. Qui milites Cæsaream illum deduxere, omnes erant in equis, quos & in via subinde mutare poterant. Res enim celeritatem exigebat; nec dubitamus, quin Lysias vinctum etiam atque etiam militibus commendarit, ne a Judæis raperetur neve iis traderetur. Suspicati sunt quidam (13), nec Paulum nec milites movisse Antipatride, nisi altera die ab adventu: sed horum opinio Textui Actorum repugnare videtur; idemque Apostolus asserit infra xxiv. 11. nonnisi ante duodecim dies Jerosolymam se pervenisse.

Ỷ. 32. Dimissis equitibus, ut cum eo irent; peditibus & hastariis Jerosolymam reversis. Minus erat periculi in via Antipatride Cæsaream: nec præsidio quadringentorum Paulus indigebat: manus equitum septuaginta abunde sufficiebat.

Ỷ. 34. In Prætorio Herodis custodiri. Prætorium appellat Lucas domum, ubi Felix Prætor morabatur; quemadmodum in Evangelio ædes Pilati Prætorium sine addito dicuntur. Vox est autem Latina, designans ædes alicujus e summis Romanorum Magistratibus. Prætorium Cæsareæ Herodis appellabatur, quod ædes essent magnificæ, ab Herode magno constructæ, quas Prælides in sedem suam elegerant. Ibi carcer erat, ubi Paulus detentus fuit.

---

[1] Origen. tom. xi. in Matt. p. 245. [2] Fromond. hic. [3] Vide August. lib. 2. contra Petilian. cap. 97. Chrysost. homil. 49. in Acta. [4] Fromond. Menoch. [5] Καὶ δεξιολάβους, Stipatores. Phavorin. Suid. Hinric. Steph. Hamm. Mont. Bez. Drus. [6] Δεξιοβόλους. Syr. Arab. Alexand. [7] Tacit. ibidem: *Felix per omnem sævitiam & libidinem jus regium servili ingenio exercuit.* [8] Περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον. [9] Κρατίστῳ ἡγεμόνι. [10] Σὺν τῷ στρατεύματι. [11] Joseph. Antiqu. lib. 13. c. 23. [12] Itinerar. Burdigal. Cornel. a Lapide. Tillemont, Nota 54. sur S. Paul. Cellar. lib. 3. cap. 13. p. 530. 531. [13] Vide Menoch. alios.

CA-

CAPUT XXIV.

Tertullus orator Judæorum Paulum coram Felice accusat. Paulus se defendit, & adversarium refellit. Sermonem habet de justitia, castitate, & suprema Judicii die; quibus verbis Præsidem terret. Porcius Festus Felicem excipit.

℣. 1. Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem adversus Paulum. 2. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam, 3. Semper, & ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. 4. Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia. 5. Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazaræorum: 6. Qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. 7. Superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, 8. Jubens, accusatores ejus ad te venire: a quo poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. 9. Adjecerunt autem & Judæi, dicentes hæc ita se habere. 10. Respondit autem Paulus (annuente sibi Præside dicere:) Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. 11. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mibi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem: 12. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis. 13. Neque in civitate: neque probare possunt tibi, de quibus nunc me accusant. 14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt: 15. Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum, & iniquorum. 16. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. 17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota. 18. In quibus invenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu. 19. Quidam autem ex Asia Judæis, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent adversum me: 20. Aut hi ipsi dicant, si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio. 21. Nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis. 22. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum Tribunus Lysias descenderit, audiam vos. 23. Jussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. 24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. 25. Disputante autem illo de justitia, & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te. 26. Simul & sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. 27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

℣. 1. Post quinque dies, Ananias summus Sacerdos, cæterique Paulo inimici convenere Lysiam Tribunum, rogantes vinctum produci, ut quadraginta conjurati ex improviso illum adorti necarent, quemadmodum data jurejurando fide polliciti fuerant. Sed inexpectatum illis accidit, quod discerent, translatum illum fuisse per quietem noctis ex urbe, totamque eorum conspirationem periisse. Conferre se igitur Cæsaream statuerunt, quo & pervenerunt quinta die post Pauli detentionem, & duodecima postquam is Jerosolymam venit, ut ipse infra ℣. 11. docet. Ita vero dies hosce apud Lucam indicatos digerimus. Ait ille Act. 21. 27. Apostolum comprehensum fuisse Jerosolymis, *dum septem dies consummarentur*, idest, exeunte quinta die ab illius accessu. Mane sextæ diei productus fuit ad Sanhedrium. Proxima nocte Antipatridem traslatus fuit. Mane diei septimæ Cæsaream venit. Post quinque dies, die scilicet duodecimo, postquam is Jerosolymam pervenit; Ananias cum sociis accusaturus illum apud Felicem accessit. Vide infra ℣. 11.

Quam pessimo essent animo Judæi in Paulum, hinc discere licet, quod summus Sacerdos & Seniorum vel Senatorum plurimi Cæsaream se conferentes, ejus condemnationem ipsi per se sullicitavere. Secum duxerant *Tertullum oratorem*, qui cau-

causam apud Felicem ageret. Causæ enim plerumque Latine agebantur (1): & in Provinciis Oratores erant Romani, sive exteri, qui Leges & formulas melius norant quam Provinciales, quique in agendis causis operam Provincialibus præstabant. Optimi tamen plures Interpretes (2) censent, Tertullum Græce, non secus ac Paulum, locutum fuisse. Græcus sermo in iis regionibus erat familiaris, ut nemo fere esset paulo honestior, qui Græce nesciret.

ADIERUNT PRÆSIDEM ADVERSUS PAULUM; contra Paulum steterunt. Hæc propria est interpretatio Græci (3); sed Latinus Interpres aliter accepisse videtur: *Adierunt Præsidem, ut Paulum accusarent.*

℣. 2. CUM IN MULTA PACE AGAMUS PER TE. Commodi aliquid Felix Judæis procuraverat; Eleazarum enim latronum Principem, qui ab annis viginti Provinciam vastaverant, comprehendit (4); itemque dissipavit Ægyptium, qui Prophetam ementitus triginta circiter hominum millia deceperat (5). Actum de illo est supra aas. 38. Hæc igitur egregie gesta laudavit Tertullus. Sed & multo potiori jure arguere poterat infinita propemodum mala in Provinciam ab eo illata; nemo enim impotentius, nemo crudelius authoritate abusus est. Sed Oratoris fuit in sermonis exordio Judicis sui benevolentiam captare, eumque in suas partes pertrahere.

ET MULTA CORRIGANTUR PER TUAM PROVIDENTIAM. Vix hæc aliter acceperis, quam de latrociniis, ejus diligentia, uti animadvertimus, coercitis. Græcus legit (6); *Egregia multa per tuam providentiam genti huic facta sunt*. Sed Vulgatæ sensus melior videtur, & communiori suffragio probatur; ita enim habent Syrus, Arabs, Codex Alexandrinus, aliique nonnulli.

℣. 5. AUCTOREM SEDITIONIS SECTÆ NAZARÆORUM (7). Tota hæc Tertulli oratio mendaciis texitur. Accusat Paulum, quasi ducem se præbuerit *sectæ*, quam *Nazaræorum* appellat. Christianorum, qui hoc nomine designantur, numerus major erat in ea regione, & fama nobilior, quam ut pervenire ad Præsidem non potuerit. Sed Tertullus hic duo plane falsa asserit; primo, Paulum sectæ Nazaræorum ducem esse; secundo, sectam hanc impudentissime seditiosam appellat. Neque enim Paulus dux erat, vel Princeps Apostolorum, nedum totius Religionis Christianæ, quæ unicum Principem & auctorem Jesum Christum agnoscit. Qui eam Religionem profitebantur, a seditione adeo abhorrebant, ut nihil ubique creparent, nisi pacem, & quietam malorum ac vexationum tolerantiam. Prætereo notam illam indignissimam *hominis pestiferi*, turbidi ac seditiosi, qua Paulum inurit. Nemo minus Apostolo talia unquam promeruit.

In exordio Ecclesiæ Christiani perinde habebantur ac una ex Judæorum sectis, quemadmodum Pharisæi ac Saducæi. Ubique ferme apud Ethnicos Christiani cum Judæis miscebantur. Apostoli, & primi Religionis hujus præcones ex Judæis erant, & Christianorum plures Mosaicis legibus parebant. Sacros Hebræorum Libros omnes admittebant. Auctor Christianorum Jesus Christus ex Judæis prodiit. Nonnisi post Jerosolymæ excidium primo factum est, ut Fidelium ex Ethnicis numerus Fideles ex Judæis superaret, & Christiani a Judæis distinguerentur. *Nazaræus*, quo nomine Christiani ab exordio appellati fuere, deinde uni Sectæ vel hæresi e Christianis natæ, quæ ab Ecclesia ob errores sejuncta est, deinde mansit.

℣. 6. TEMPLUM VIOLARE CONATUS EST. Prima hæc fuit calumnia in Paulum intorta, statim ac Jerosolymæ comprehensus fuit. Debilis conjecturæ fundamento is accusabatur, quod Ethnicos in Templum induxisset. Id si probaretur, utique Paulus ac Trophimus, qui introductus ab eo in Templum dicebatur, mortem promeruissent. Vide nos in Acta ar. 28. Testes ejus rei promendi erant, & statim peroratum fuisset. Versiculus iste cum toto sequenti, & octavi parte in pluribus Græcis Codicibus deest (8): sicuti nec legi in Latinis nonnullis, Beda testatur.

VOLUIMUS SECUNDUM LEGEM NOSTRAM JUDICARE. En alterum Tertulli mendacium. Comprehensum a se Paulum Judæi extra Templum rapturum, necem illaturi (9); mane vero alterius diei, cum ad Sanhedrium productus fuit, longe aliud venit in quæstionem, quam ut judiciali more damnaretur. Judices sese invicem commiserunt, reoque discerpendo præsto fuissent, nisi Tribunus statim illorum manibus eum eripuisset (10). Ita hic loquitur, ac si ipse Judæus esset: *Voluimus secundum Legem nostram judicare*; eo quod nomine Principum Sacerdotum verba faceret. Jus manebat adhuc Judæis, de causis violatæ graviter Legis ex eadem Lege cognoscere, ac reos capite damnare; at sententiam exequi, integrum illis non erat (11). Reum convictum sistere tenebantur Provinciæ Præsidi, vel ejus Præfectis, ut sententiam Sanhedrii confirmarent, & exequerentur. Ita cum Jesu Christo actum est; ita & agendum cum Paulo fuisset, si quid juris in ejus causæ cognitione servare voluissent.

℣. 8. POTERIS IPSE JUDICANS COGNOSCERE; tu ipse reum interrogans cognosces. Res est adeo explorata, ut vel reus ipse, judiciali more interrogatus, sit confessurus. Sed Græcus designare creditur (12): Veritatem ex illo facile exprimes tormentis, quæstione, minis.

℣. 9. ADJECERUNT ET JUDÆI, DICENTES, HÆC ITA SE HABERE. Sponsores se rerum ab Oratore dictarum præbuerunt. Sed cur, siquos habebant testes, non produxerunt? An partes simul testium & adversariorum gerere poterant? Græcus (13): *Consenserunt*, vera dixisse Tertullum professi sunt. Sed optimorum Codicum plerique Vulgatæ favent.

℣. 10. EX MULTIS ANNIS TE ESSE JUDICEM GENTI HUIC SCIENS (14). Cave hæc dicta a Paulo per assentationem credas; ait enim tantummodo, cum jam diu, nempe ab annis novem vel octo, Felix præsideret Provinciæ, maxime omnium noscere potuisse gentis mores & animum; id sibi fiduciam agendæ apud illum securius causæ suæ addere. Græcus impressus legit tantummodo cum Vulgata, Felicem *ex multis annis* Judicem vel Procuratorem Judæorum egisse. Sed optimi plures Græci Codices cum S. Chrysostomo & Theophylacto ferunt: *Justum Judicem*; quod indignæ esse assentationis videtur, cum Felix hominum nequissimus esset. Designatum his censet S. Chrysostomus hom. 50. in Acta optimum Felicis propositum, jus æquum dicendi Paulo, nisi ejus adversarii & accusatores authoritate & calumniis in sinistram partem illum inclinassent. Alii epitheton esse putant, ex communi more Judicibus additum; unde nihil pro ejus æquitate sive contra illam colligas,

[1] Vide Dion. lib. 57. & Suetun. in Tiberio cap. 71. & Torrent. & Beroald. in eum Suetonii locum, & Fromond. hic. Cornel. [2] Beda, Erasm. Gagnej. Bez. [3] Ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου. Grot. Le Clerc, Pric. [4] Antiqu. lib. xx. cap. 6. de Bello lib. 2. cap. 21. pag. 796. d. [5] Antiqu. lib. xx. cap 6. pag. 695. c. [6] Καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας. Plures Codd. Alexand. Barber. Colb. Laud. Syr. Arab. Διορθωμάτων, *Correctionum*. *Multa in melius restituta*. Grot.
[7] Græc. Πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, *Principem Nazaræorum hæresis*. Textus non habet *seditionis*.
[8] Vide Zeger. & Mill. not. in hunc locum. [9] Act. xxi. 30. 31. [10] Act. xxiii. 10. 11.
[11] Joan. xviii. 31. [12] Δυνήσῃ αὐτὸς ἀνακρίνας παρ' οὗ ἐπιγνῶναι. Vide Grot. Cornel.
[13] Συνέθεντο δὲ, &c. Alii plures: Συνεπέθεντο, *Adjecerunt*. Vide Mill. [14] Ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος. Sed alii plures, ὄντα σε κριτὴν δίκαιον τῷ ἔθνει, &c. Vide Mill. hic.

ligat. Eo enim tantummodo monentur Judices, quales sese exhibere illos oporteret. Familiari Hebræorum phrasi *judicare* perinde valet ac summo cum imperio moderari.

ℽ. 11. NON PLUS SUNT MIHI DIES QUAM DUODECIM. Supra, ad ℽ. 1. dies hosce duodecim ordinavimus. Extricat hic Apostolus ea quæ Tertullus implicaverat. Si quis Oratorem hunc audisset, perinde habuisset Paulum atque hominem rebus miscendis natum, qui Provinciam jam diu turbasset. Asserit igitur Paulus, Jerosolymam se non prius quam ante diem duodecimum pervenisse. Ex his quinque Cæsareæ egerat; biduo in Lysiæ potestate fuit. Quinque igitur dies supererant, quibus liber Jerosolymæ mansit; idque minus erat spatii, quam ut satis esset ad ingentem seditionem factionemque parandam in ea urbe, in qua nulla ipsi peculiaris consuetudo fuisset.

ℽ. 12. NEQUE IN TEMPLO, NEQUE IN SYNAGOGIS. Præter Templum, fuisse Jerosolymæ Synagogæ quadringentæ & sexaginta feruntur (15). Synagogæ autem veluti totidem Scholæ erant, ubi publice Lex docebatur, cœtusque habebantur publici, ad Sacrorum Voluminum lectionem & preces communes. Fas utique fuisset Apostolo, eo cum cæteris convenire, disputationesque pro more de Scripturarum sensu agitare; sed nec eo venerat, cum aliud negocii illi esset brevi illo temporis spatio, quo liber in urbe mansit.

ℽ. 13. NEQUE PROBARE POSSUNT, DE QUIBUS NUNC ME ACCUSANT. Accusationes omnes sola negatione Paulus diluit; cum enim adversarii nullum idoneum dictorum suorum testem adducerent, jus erat Apostolo sola negatione se purgare. *Actoris est probare*. Probare dicta ad accusatores pertinebat; Pauli vero erat, argumentis illorum respondere.

ℽ. 14. SECUNDUM SCIENTIAM, QUAM DICUNT HÆRESIM. Animadversum est supra, Hebræis Ethnicisque perinde tunc habitos fuisse Christianos ac sectam quamdam Judæorum. Græcus legit (16); *Secundum viam, quam dicunt hæresim*. Secundum Christianam Religionem, quam accusatoribus meis libet appellare Sectam vel hæresim, quamquam nihil minus est quam hæresis. Neque enim Christiani sive Moysem Legislatorem suum agnoscunt, sive datas ab eo Leges sectantur. Si Religionem illi suam Mosaicæ Legi veluti fundamento superstruxerunt, leges tantummodo morales exceperunt. *Secta* in sinistram plerumque partem accipitur; sed hic Interpres meliori sensu usurpavit, quod etiam sæpe Tertullianus & S. Cyprianus servarunt; atque hoc sensu Christiani jure meritoque *Secta* plane *divina* appellari possunt (17).

DESERVIO PATRI, ET DEO MEO; servio Deo, qui idem Pater meus est; vel servio Patri cœlesti, qui & Deus meus est. Hebræi non raro nomen *Patris* sine addito, vel *Patris cœlestis* Deo tribuunt. Græci Codices plerique legunt (18): *Patrio Deo*; quæ genuina lectio videtur. Latini Codices nonnulli ferunt (19): *Patrio Deo meo*. Alii omittunt *meo*.

ℽ. 15. QUAM ET HI EXSPECTANT, resurrectionem scilicet bonorum impiorumque. Quamquam inter Judæos tota Saducæorum Secta dogmati de resurrectione mortuorum adversabatur, gens tamen ipsa Judæorum illud probabat agnoscebatque. Saducæorum Secta erat infrequens (20).

ℽ. 16. IN HOC ET IPSE STUDEO SINE OFFENDICULO CONSCIENTIAM HABERE, &c. De veritate religionis meæ, & spe generalis resurrectionis probe persuasus, studia mea omnia in eo pono (21), ut conscientiam meam ab omni vitiorum nævo puram servem, vitamque Deo & hominibus gratam instituam. Eamdem sententiam habes 2. Cor. VIII. 21. & Rom. XII. 17. Cum sedet menti persuasio, gestorum nostrorum omnium ac mutuum cordis rationem Deo esse reddendam, fieri utique non potest, quin perpetua sollicitudine rebus nostris invigilemus, ac assidue vereamur, ne quid noxæ ante supremum Judicem afferamus. *Memorare novissima tua*, ait Sapiens Eccli. 7. 40. *& in æternum non peccabis*.

ℽ. 17. POST ANNOS PLURES. Toto quinquennio Paulus Jerosolymis abfuerat, quia & in supremo ejus adventu vix quidquam aliud egit quam ut fratres salutaret Act. 18. 22. & paulo post discessit.

OBLATIONES ET VOTA. Græcus legit tantummodo (22) *Oblationes*; *vota* autem omittit. Designare facile voluit Interpres oblationes illas, quas Apostolus pro Nazaræis offerendas assumpsit. Vide Act. XXI. 23. 24. Jerosolymam venit Apostulus, ut eo ferret pias Græcorum largitiones, & Sacrificia Deo in Templo offerret. Sed propositum ejus, quod prius quidem de oblationibus utcumque conceptum fuerat, Jacobus, urbis Episcopus, definiens, monuit, ut sumptus ad legalem Nazaræorum quorumdam expiationem sufficeret.

ℽ. 18. IN QUIBUS INVENERUNT ME PURIFICATUM IN TEMPLO; cum his occuparer, invenerunt me expiatum in Templo. Calumniam a Tertullo impudentissime assertam de profanato Templo (ℽ 6.) refellit. Fateor equidem, in Templo steti, ibique detentus sum; sed homo Judæus nulla lege a sacris liminibus arceor. Expiatus ad normam legis, eo me contuli, ut cultum debitum oblationesque Deo impenderem.

ℽ. 19. QUIDAM EX ASIA JUDÆI. Addendum est insuper, has in me calumnias sparsisse, ac me detinuisse in Templo, asserentes, sacris liminibus Profanos homines me intromisisse. Porro homines illos *oportebat apud te præsto esse*, ut in me dicerent testimonium; non ad accusandum me sine testibus & tabulis accedere. Quidam (23) sententiam hanc cum ℽ. 18. continuant: *Quidam ex Asia Judæi invenerunt me purificatum in Templo, non cum turba, neque cum tumultu, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare, si quid haberent adversum me*. Ita legerunt S. Chrysostomus, Erasmus, Cajetanus, & Græci plures Codices. Alii prorsus omittunt verba illa: *Quidam ex Asia Judæi*. Latini Codices nonnulli addunt: *Et apprehenderunt me clamantes & dicentes: Tolle inimicum nostrum*; quod ex Capite XXI. 36. deductum est. Sed cur ad hæc confugiamus, nihil est; satis enim perspicuus est Vulgatæ Textus, si illud suppleatur quod & supplendum ipsa per se Textus verba demonstrant: *Sunt hi* (24).

ℽ. 20. AUT HI IPSI DICANT, SI QUID INVENERUNT IN ME INIQUITATIS, CUM STEM IN CONCILIO; cum scilicet productus fui in Sanhedrium Jerosolymitanum, uti supra XXIII. narratum est. Ita sonat Græcus (25), atque ita postulare totius orationis contextus videtur. Ananias summus Sacerdos, cæterique Sanhedrini Patres, qui ad condemnationem meam urgendam huc venerunt, promant nunc si quod crimen meum in Sanhedrio deprehensum fuisse norunt. Profecto ex quo Paulus Pharisæum se esse professus fuit, & quæstionem de mortuorum resurrectione agitari significavit, totum Concilium in partes varias distraxit, nihilque gra-

[15] Vide nostram Dissertationem de Scholis Hebræorum. [16] Κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν.
[17] Tertull. de Pallio: *Divinam sectam*. [18] Τῷ πατρῴῳ Θεῷ, vel τῷ πατρῴῳ τῷ Θεῷ.
[19] Vide Zeger. Erasm. Mill. Bedam, Syr. Version. Italicam antiq. [20] Joseph. Antiq lib. 18. c. 2.
[21] Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ. [22] Καὶ προσφοράς. [23] Græc. impress. 19 Ἐν οἷς εὗρόν με ἡγνισμένον ἐν τῷ ἱερῷ, οὐ μετὰ ὄχλου, οὐδὲ μετὰ θορύβου. Τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι. Alii: Οὐδὲ μετὰ θορύβου τινὲς ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι. Euthal omittit & Mill. omittendum censet, Τινὲς δὲ ἀπὸ Ἀσίας Ἰουδαῖοι. Vide Mill. & Bezam, & Ludov. de Dieu. [24] Vide Erasm. Zeger. Vat. Ludov. de Dieu. [25] Ἤ τι εὗρον ἐν ἐμοὶ ἀδίκημα, στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου.

gravius in reum decretum fuit. Probabile est, Ananiam, cæterosque qui cum ipso venerant Cæsaream, Sadducæos fuisse, perinde ac Caipham, quo coram Apostoli paulo post Domini Ascensionem steterunt. Act. 5. 27.

℣. 21. Nisi de hac solummodo voce. Hoc duntaxat in oratione mea dignum reprehensione visum est: *De resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis*: imo Sadducæi solummodo mihi succensuere, cæteris Senatoribus mihi faventibus. Ironicum aliquid præ se fert Pauli oratio (26); neque enim apud Hebræos nefarium erat, Pharisæum se profitari, & mortuorum resurrectionem credere. Quasi diceret: Nihil in Synedrio mihi datum est crimini, nisi fortasse illud, quod mortuorum resurrectionem crederem. Clam innuit, eam ab Anania, cæterisque Senatoribus coram præsentibus negari.

℣. 22. Certissime sciens de via hac (27), cum certiora de hac secta cognovero, &c. In hanc sententiam Commentariorum Scriptores doctissimi verba hæc exponunt (28). Sed alii (29) sic accipiunt: Causæ hujus cognitionem distulit, exploratum habens, Christianorum sectam nihil minus esse quam cœtum hominum ferentium turbas & seditiones; Paulum vero ab iis criminibus, de quibus accusabatur, esse penitus immunem.

℣. 23. Jussit eum habere requiem; majorem quam alias libertatem illi permittens, nec prohibens, quominus uteretur familiarium suorum ministerio & visitatione. Postrema hæc vox non in Vulgata, sed in Græco legitur. Sunt (30) quibus *habere requiem* perinde sit, ac demere vincula. Quam significationem Græcus ita admittit, ut tamen non exigat. Utique Lucas cæterique Pauli comites Cæsaream venerunt, ubi eo deductum fuisse illum novere, ut victum ministrarent.

℣. 24. Cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa. Modico itinere ad vicina loca confecto, ac Cæsaream restituto, Felici audiendi Pauli voluntas subiit. Uxor ejus Drusilla, de qua hic, in scenam produci meretur. Fœmina erat omnium ætatis suæ flagitiosissima. Parentem habuit Agrippam I. de quo mentio supra (31) facta est, qui Jacobum neci, & Petrum carceri tradidit; qui denique Cæsareæ ad populum verba faciens, ictus a Deo interiit. Nata hoc patre Drusilla, sexennis adhuc oppignorata fuit Epiphani Comagenorum Regi, qui ejus connubii gratia transiturum se ad Judæorum sacra Agrippæ spoponderat. Sed cum stare promissis noluisset, sororem suam Drusillam nuptum illi tradere Agrippa junior (32) recusavit, ejusque loco, circa annum J. C. 53. Azizum Regem Emesæ, qui sese circumcisioni subdidit (33), substituit. Visam forte mulierem Felix perdite deperiens, ad virum deserendum, seque in totum adsciscendum, per Cyprium quemdam Magum Judæum, perduxit (34). Censent quidam, Drusillam cum Ethnico viro Ethnicam quoque religionem, Judaica rejecta, admisisse. Quamquam enim a Luca *Judæa* nuncupatur, hæc tamen appellatio originem æque ac Religionis professionem designare potest. Felicem Reginas, regias nempe fœminas, duxisse tres, tradit Suetonius (35). Harum prima fuit Drusilla, de qua modo, Agrippæ Regis filia; accessit Drusilla, Antonii & Cleopatræ neptis (36); tertia uxor ignoratur.

℣. 25. De justitia et castitate, et de judicio futuro. Sinistram sibi famam ex nequitia & libidine Felix pepererat. Maritus Drusillæ Azizus triennio antea circiter obierat (37); nec tamen propterea Drusillæ cum Felice connubium minus erat incestum. Felicis impie & crudeliter gesta posterorum execrationi Josephus & Tacitus servavere. Nunquam charitate non flagrans Paulus, Præsidis uxorisque ejus gratiam negligens, id seligit prædicandum, quod injiciendo illis terrori, iisque ad mentem revocandis opportunum agnoscit. Disputat enim de officiis justitiæ, & conjugali castimonia, ac repudiandis iis, quæ pudori adversantur. Expendit deinde dogma de supremo mortalium judicio, de mortuorum resurrectione, deque ratione, quam mortalium quisque Deo de singulis gestis cogitatisque exacturus est.

℣. 26. Sperans quod pecunia daretur ei. Norat enim, Paulum pias Fidelium largitiones Jerosolymam detulisse, ut Apostolus ipse fassus fuerat (38); norat, civis Romani filium esse, necessarios habere in Provincia, & perinde a Christianis haberi ac summum Religionis suæ propagatorem; proinde diu in vinculis minime relictum iri, sed oblata pecunia redemtum sperabat. Quin & clam id Paulo proposuisse Felicem, docet Tertullianus de Fuga in persecut. cap. 12.

℣. 27. Biennio expleto. Unde biennii hujus exordium repetendum sit, quæritur. Quidam ab initio Felicis præfectura ducunt, sed Felix Provinciam annis decem vel undecim administravit. Baronius ab exordio Neronis maluit; sed cum Lucas Neronis non meminerit, epocham hanc in ejus initiis illum constituisse vix credimus. Fromondus dictum accipit de biennio, quo Nero Præfecturam Felici prorogavit. At id tametsi ultro admiserimus, vix factum credimus, ut postremum biennium, nulla facta præcedentium annorum mentione, commemoratum sit. Igitur cum plerisque (39) tenendum est, Apostolum biennalem carcerem Cæsareæ subiisse, nec Festum successisse Felici, nisi post annum ab adventu Pauli in urbem secundum.

Accepit Festum. Felici in Præfectura Judææ successor Porcius Festus, Provinciam anno J. C. 60. Neronis sexto vel septimo, assumpsit. Quid egerit cum Paulo, Capita consequenti describitur. Curam posuit suam in Provincia a latronibus, omnia infestantibus, liberanda, tollendisque grassatoribus, qui palam armati incendiis in urbes infurabant (40). Impostorem etiam quemdam, populi turbam secum in desertum trahentem, militibus immissis perdidit; quæ omnia mala Judææ imminere, Jesus Christus non obscure prædixerat Matth. 24. 5. 6. 10.

Volens gratiam præstare Judæis. Felix dimissurus Provinciam, in qua *per omnem sævitiam*, ut ait Tacitus hist. lib. 5. ac *libidinem jus regium servili ingenio exercuit*, discessum suum commendare Judæis, gratum iis aliquid præstans, voluit. Probe igitur intelligens, quam pravo essent in Paulum animo, carcere detentum Festo reliquit. Nec tamen obtinuit, quominus Judæorum optimates Romam se conferrent, hominem coram Nerone accusaturi de Provincia crudeliter & inique administrata (41). Quorum criminum pœnam non evitasset, nisi ejus absolutionem dedisset Imperator Pallanti fratri Felicis, qui, sublato licet Claudio, apud quem pollebat plurimum, magnam tamen authoritatem apud Neronem obtinebat; cum Principis illius animum haberet obstrictum beneficiis, fortuna Agrippinæ, & ipsius pariter Neronis procurata.

[26] Fromond. Zeger. Bez. alii. [27] Vers. Italic. antiqu. *Sciens de via*, Compertum habens, vim illi inferri. [28] Grot. Bez. Frem. Hamm. Le Clerc. [29] Chrysost. Lyr. Hugo, Dionysius, Fromond. Cornel. alii. [30] Grot. Bez. Græc. Ἔχειν τε ἄνεσιν. Vide & Fromond. & le Clerc ad Act. xxvi. 29. [31] Act. xii. 1. 2. 3. 21. 22. 23. [32] Idem de quo infra xxv. 13. [33] Antiq. lib. xx. cap. 5. pag. 693. [34] Vide Joseph. loco citato. [35] Sueton. in Claudio cap. 28. [36] Tacit. hist. lib. 5. cap. 9. [37] Anno 54. J. C. 1. Neronis. Joseph. Antiqu. lib. xx. c. 5. ad fin. [38] Act. xxiv. 17. [39] Beda hic, Oecumen. Prolog. Gloss. Lyran. Carthus. Onuphr. Cornel. Pears. Vales. Salmer. Lighfoot. Chronol. alii. Vide Tillemont Note 56. sur S. Paul. [40] Vide Joseph. de Bello lib. 2. cap. 24. pag. 788. & lib. 7. cap. 30. & Antiq. lib. 20. cap. 7. [41] Joseph. Antiq. lib. xx. cap. 7.

CA-

C A P U T XXV.

Festus Jerosolymam venit; quo transferre Paulum recusat. Paulus iterum accusatus, iterum se purgat. Optio illi datur, utrum judicari Jerosolymæ velit. Cæsarem appellat. Verba coram Agrippa facit.

ỳ. 1. FEstus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Jerosolymam a Cæsarea. 2. Adieruntque eum principes sacerdotum, & primi Judæorum, adversus Paulum: & rogabant eum, 3. Postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via. 4. Festus autem respondit servari Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum. 5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. 6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut decem, descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci. 7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas, & graves causas objicientes, quas non poterant probare, 8. Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. 9. Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jerosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me? 10. Dixit autem Paulus: Ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari: Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. 12. Tunc Festus cum concilio locutus respondit, Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis. 13. Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex, & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. 14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus, 15. De quo cum essem Jerosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Judæorum, postulantes adversus illum damnationem. 16. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 17. Cum ergo convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum. 18. De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum. 19. Quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, & de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. 20. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Jerosolymam, & ibi judicari de istis. 21. Paulo autem appellante, ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. 22. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam, & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum. 23. Altera autem die, cum venisset Agrippa, & Bernice, cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum tribunis, & viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus. 24. Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis, petentes, & acclamantes non oportere eum vivere amplius. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere. 26. De quo, quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam, quid scribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas ejus non significare.

ỳ. 1. ASCENDIT JEROSOLYMAM. Primo quidem Festus Cæsaream tenuisse censendus est; vel saltem Tyro seu Ptolemaida Cæsaream se contulisse. Post tridui moram Cæsareæ, ubi decessor ejus Felix sedem constituerat, Jerosolymam contendit, ut de Metropolis totius Provinciæ statu cognosceret, ac Præfecturam auspicaretur.

ỳ. 2. ADIERUNT EUM PRINCIPES SACERDOTUM. In Græco idem recurrit verbum, quod nos in Caput XXIV. 1. expendentes, designare proprie (1) animadvertimus, sistere se in Judicio, ad accusatoris vel adversarii partes agendas. Ismael filius Pha-

[1] Ἐνεφάνισαν αὐτῷ.

Phabæi Ananiæ Summo Sacerdoti successerat.

℣. 3. POSTULANTES GRATIAM; ut adventum in Provinciam suum gratiæ hujus concessione commendaret, postulantes. Hæc petitio honesti speciem præseferebat. Jerosolymæ detentus fuerat Paulus, reusque violatarum Judaicarum Legum accusatus; Festus in ea regione plane novus, mores ibi obtinentes ignorabat; rogabaturque ut Paulus Jerosolymam revocaretur; ad ejus causam cognoscendam. Honestissime illi quidem in speciem. At Festus de re tota facile certior factus, Judæorum postulationes fefellit. Meditabantur illi insidias Paulo in via moliri. Sicariis & grassatoribus Provincia undique infestabatur. Pronum erat necem viro inferre, veris facinoris authoribus ne per suspicionem quidem proditis.

℣. 5. QUI IN VOBIS POTENTES SUNT; optimates vestri; seu juxta alios (2): Quibuscumque ex vobis commodum est venire Cæsaream, eo veniant, reum, si quid criminis est, accusaturi. Græcus legit tantummodo (3): *Si quid est in viro hoc*. Manuscripti Codices plures: *Si quid est absurdi*, &c. iniquum aliquid & rationi oppositum.

℣. 6. DIES NON AMPLIUS QUAM OCTO AUT DECEM. In hac dierum periodo Codicum dissidium est. S. Chrysostomus legit: *Dies decem*. Græcus impressus: *Dies plusquam decem*. Alii: *Dies plus quam octo*. Alii: *Plus quam octo vel decem*. Denique Syrus, Cophtus, Æthiops, Alexandrinus Codex, aliique plures Vulgatæ favent (4).

SEDIT PRO TRIBUNALI. Provinciarum Præsides isti juri dicundo destinati erant; sed & interdum bella gerebant. Porro Festus sedit pro tribunali; ita enim causæ gravitas postulabat. Nam, ut observat Grotius hic: *Erant quæ de plano fieri poterant; majora nonnisi pro tribunali. Hæc inter se opponuntur apud Suetonium, Paulum, & Papinianum*. Jam vero Paulus de capitali Legis violatione accusabatur.

℣. 7. MULTAS ET GRAVES CAUSAS OBJICIENTES (5). Veteribus novas superstruebant, accusantes illum facile perduellionis & seditionis, cum in versiculo consequenti pro se respondens Paulus, se nihil egisse neque in Legem neque in Cæsarem iniquum affirmet. Intelligebant utique, ad Præsidem emovendum longe alia afferri oportere, quam de Lege dissidia, sive Templi profanationes.

℣. 9. IBI JUDICARI APUD ME. Eo facile brevi rediturus erat Festus, ut sedem ibi constitueret. Cum judicialis illa causa in tempus jam longum protracta esset, & Judæi, Paulum accusantes, Cæsaream venirent inviti, rem illis gratam præstiturus Festus, judicaturum se Paulum Jerosolymæ pollicetur. Forte id etiam ludificatione quadam obtendit, ut ingratam sibi judicii hujus sarcinam ad Sanhedrium transferret.

℣. 10. AD TRIBUNAL CÆSARIS STO. Proposuerat illi Festus: *Vis Jerosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me?* Sed probe notat Paulus, hæc omnia eo tendere, ut Judæorum manibus ipse permitteretur. Igitur, Judicem, ait, agnosco nullum, præter Cæsarem, & missum ab eo Præsidem. Quandoquidem tu causam a te meam ablegas, Cæsarem appello. Ex receptis quidem jurisprudentiæ legibus appellatio nonnisi lata sententia interponitur: sed Apostolus utitur hic jure civium Romanorum, appellandi scilicet Imperatorem in rebus capitalibus, Judicis sententiam prævertendo, siquidem Judex id faceret contra Leges (6). Porro Festus in Leges aperte peccabat, Paulum civem Romanum a tribunali suo ad Judæos adversarios ejus infestissimos rejiciens. Igitur, *Ad tribunal Cæsaris sto*, ait Paulus; nullius authoritatem agnosco, præter tuam, nullius alterius tribunali sistendus sum; & quoniam ad Judæorum Sanhedrium a te remittor, *Cæsarem appello*.

℣. 11. NEMO POTEST ME ILLIS DONARE. CÆSAREM APPELLO. In Cæsaria fide sum; mortalium nemo vim mihi inferre potest. *Lege Julia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate præditus, civem Romanum ad Imperatorem appellantem necarit, necarive jusserit, torserit, verberaverit, condemnaverit, in publica vincula duci jusserit* (7). Id non ignorans Plinius Junior lib. x. ep. 97. ad Trajanum ita scribit: *Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi, in Urbem remittendos*.

Controversiarum Scriptores hoc Pauli facto torquentur. Is enim Apostolus, adeoque nulli sæculari authoritati, ipsiusmet Jesu Christi privilegio, subjectus, nonne Ecclesiasticæ libertati vim intulit apertissimam, Neroni Principi Ethnico sese submittens? Opinantur quidam (8), Ecclesiasticam libertatem & Clericorum privilegia quoad Christianos Principes Ecclesiæ subjectos, non item apud Ethnicos, adeoque apud Neronem valere; quamobrem ex appellatione hac Pauli nihil Ecclesiæ Ecclesiasticorumque juri derogatum fuit. Sententiam hanc, quam alioqui æquissimam censeo, primo quidem admittens Bellarminus; deinde repudiavit, ut in aliam concederet, communi aliorum Doctorum suffragio constitutam; censent autem, Apostolum, non ut judicem & Principem suum Neronem agnovisse; sed traxisse tantummodo ad ejus tribunal subjectos illi Judæos accusatores suos. Docuisse videtur S. Athanasius de fuga cap. 74. peculiari Dei mandato Apostolo id injunctum fuisse. S. Augustinus ep. 183. agnoscit in hac re, Apostolum non privata vitæ suæ, sed Ecclesiæ universæ commoda respexisse; qua in re, ait, animarum Pastoribus optimam dedit agendi regulam, quam sequantur in rebus difficilibus, cum Ecclesia infidelibus vel hæreticis Principibus opprimitur; ut scilicet sæcularium Principum opem adversus hostium Ecclesiæ infestationes quærant & admittant. Fecit, ait S. Chrysostomus hom. 51. in Acta, quod potuit, cæteris Providentiæ permissis.

℣. 12. CUM CONCILIO (9) LOCUTUS. S. Chrysostomus & Hammondus censent, deliberasse illum cum Judæis Sanhedrinis, qui forte aderant. Sed probata magis opinio fert, deliberasse illum cum Consiliariis vel Assessoribus, cum enim Provinciarum Præsides jurisprudentiam plerumque non satis callerent, adhibebant viros legum consultos, quorum scientia & consilio in rebus arduis juvarentur. Consiliarii isti retro post expansum inter ipsos & tribunal velum stabant (10).

CÆSAREM APPELLASTI, AD CÆSAREM IBIS. Cæsarem non absolute appellaverat Paulus; pronunciaverat tantummodo, appellare se Cæsarem, siquidem causam suam Præses remittere Jerosolymam voluisset. Festus cum toto consilio admittere se appellationem, & missurum illum ad Cæsarem spopondit. Percommodum sibi id accidisse censuit Festus, ut incommodam & difficilem causam a se amoveret.

℣. 13. AGRIPPA REX ET BERENICE venerunt Cæsaream, Festum salutaturi, ac de recenti ejus adventu in Provinciam gratulaturi. Agrippa parentem habuit Agrippam I. Judææ Regem, qui Jacobum neci tradidit, quique paria in Petrum meditaba-

(2) Gr. Οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν, συγκαταβάντες, &c. Ita Syr. Erasm. Vat. Grot. Pricæ. Lud. de Dieu, Bez.
(3) Gr. impress. Εἴ τι ἐστὶν ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ. Alii: Εἴ τι ἐστιν ἄτοπον ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ. (4) Vide Mill. not. in hunc ℣. (5) Πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιάματα. Plures MSS. Αἰτιώματα. Ita Steph. omnes. Alex. Laud. alii plures. (6) L. ante, D. De appellationibus suscipiendis. *Ante sententiam appellari potest in criminali negotio, si Judex contra Leges hoc faciat*. Vide Grot. hic. (7) Pauli recept. sent. lib. 5. t. 22.
(8) Barthol. Petr. hic, Lorin. Pigghi. Bellarm. (9) Alii melius: *Cum consilio*. Gr. Μετὰ τοῦ συμβουλίου.
(10) Vide Grot. hic, & ad Matth. xxvii. 19.

tabatur, nisi carcere detentum Deus non sine prodigio liberasset. Agrippa II. de quo modo, cum in obitu patris imbecillior esset ætate, quam ut Judææ Regnum regere valeret, Claudii Imperatoris concessione habuit Regnum Chalcidis, addito jure custodiendi Templi, Summosque Sacerdotes admittendi ac removendi. Sed pro Regno Chalcidis, ejusdem Imperatoris munere, anno J. C. 53. Trachonitidem obtinuit. Nova deinde accessio ditioni ejus per Neronem facta est. Nullum non movit lapidem Agrippa, ut Judæos a consilio defectionis in Romanos averteret; sed cum frustra se laborare intelligeret, arma cum Tito sociavit, junctisque copiis Jerosolymam cum illo obsedit. Vitam diu post urbis excidium prorogavit.

Soror ejus Berenice primo quidem Herodi Regi Chalcidis patruo suo nupsit: eo fatis functo, anno J. C. 48. apud Agrippam fratrem suum, de quo hic, sese recepit. Cum ibi egisset diutius, infamiam, qua sparsus de ejus licentia rumor ipsam fratremque (11) asperserat, evasura, Polemoni Regi Ponti, ad Judæorum facta conjugii illius causa translato, nupsit. Sed virum brevi deserens, sinistram de se suspicionem promovit (12). Porro hoc anno J. C. 60. apud fratrem agebat. Norat Josephus l. 2. de Bello c. 26. adfuisse illam Jerosolymis, quo ad solvendum genus quoddam Nazaræatus se contulerat. Ex his Agrippam & Berenicem agnoscas.

℣. 16. Damnare aliquem inauditum, Romanum non est. Quin & lex ipsa naturæ omnibus, modo non barbaris, gentibus communis id postulat. Sed Romani sanctius legem illam servabant (13). Versiculo superiore Græcus impressus legit tantummodo (14): *Postulantes adversus illum judicium*; sed manuscripti Codices plures habent *damnationem*; nec aliam fuisse eorum mentem, ex contextu intelligimus: quin & Græca vox sæpe pro condemnatione & punitione accipitur.

℣. 18. Nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum. Judæorum sollicitudinem, & causam longius protractam a Felice attendens Festus, crimine aliquo in Rempublicam teneri Paulum suspicabatur. Nec sane aliter quam sceleris gravissimi reus haberi poterat homo e Judæorum manibus bis avulsus, biennio ante Cæsaream translatus, bis constitutus ante Sanhedrium, & semel ante Præsidem Provinciæ, qui totos annos duos in vinculis hæserat, quem summus ipse Sacerdos virique totius gentis principes accusabant. Ita Festus censebat, judicium ex rei adjunctis ferens. Attamen ipse fatetur, causa expensa nihil criminis in homine se deprehendisse.

℣. 19. Quæstiones quasdam de sua superstitione. De Judæorum religione more hominis Ethnici Festus loquitur. Judæorum ritus perinde ac meram puramque superstitionem gentes quæque exteræ despicabantur. Agrippa quidem & Berenice Judaismum profitebantur, sed nihil id curans Festus, religionem illorum aspernatur, sive quod parum illorum dignitatem vereretur, se multo superiorem utroque putans; sive quod illos minus inique habituros crederet, si superstitionem appellaret dissidium inter Paulum & Pontifices; non raro enim Principes res religionis curant remissius. Satis superque est illis, si summam religionis teneant; accuratius rerum singularum examen Sacerdotibus & Theologis relinquunt, quos non semper plurimum observant.

℣. 20. Hæsitans. Decreverat Festus Paulum Judæis permittere judicandum, nisi Imperatorem appellasset Act. 24. 9. Minus igitur sincerum hac in re se exhibet.

℣. 21. Ad Augusti cognitionem; idest ad Neronis; est enim hic Augustus nomen non proprium, sed appellativum Imperatorum, ut Cæsar. Post Augustum sæpe id Romanis Imperatoribus tradi consuevit. Lucas utitur hic Græca voce *sebastos*, augustus, sacer, venerabilis; sed cum de Octavio Augusto loquitur, nomen *Augustos* adhibet Luc. 2. 1.

℣. 22. Volebat et ipse hominem audire. Pauli nomen longe lateque sparsum erat in regione, & Christianorum fama alte in Judæa sonabat. Idem pruritus pungit hic Agrippam, qui olim Herodem Tetrarcham, videndi scilicet Jesu (15).

℣. 23. In auditorium (16). Forensis vox est; designans locum, ubi Præfecti jus dicebant.

℣. 25. Nihil dignum morte. Cur igitur absolutum non dimittebat, cum nihil pœna dignum afferrent accusatores, nec ipse appellasset, nisi ut sese eorum manibus subtraheret?

℣. 26. Quid scribam Domino (17), Imperatori? Augustus & Tiberius nomen *Domini* a Romanis oblatum constanter recusarant. Quin & Augustus lata lege vetuit, id sibi nomen adscribi, a quo, ceu turpi nota, abhorrebat (18). Paria Tiberius præstitit (19), qui & dictitabat, dominum se esse servorum suorum, Imperatorem copiarum, Principem Senatus. Idcirco severissime vetuit, ne titulus Domini sibi adderetur. Intemperantior Nero & illum non rejecit, & ad successores transmisit (20).

(11) Juvenal. Satyr. 5. *Deinde adamas notissimus, & Berenices*
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori, &c.

(12) Vide Joseph. Antiqu. lib. 26. cap. 5. (13) Tull. in Verrem 3. Athenagor ad Anton. & Commod. Imper. *Si præsens Sthenius reus factus esset, si manifeste in maleficio teneretur. Tamen cum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret.* (14) ℣. 15. Gr. Αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. Alii plures: Κατ' αὐτοῦ καταδίκην, aut αἰτούμενοι καταδίκην. Omisso κατ' αὐτοῦ. (15) Luc. XXIII. 8. (16) Εἰς ἀκροατήριον. (17) Τῷ Κυρίῳ. (18) Sueton. lib 2. cap. 53. Xiphil. lib. 55. (19) Sueton. lib. 3. cap. 27. Dio lib. 57. (20) Vide Sueton. Plin. Epist. Martial. alios.

C A P U T XXVI.

Paulus coram Agrippa verba faciens, conversionis suæ historiam persequitur. Ex nimio literarum amore in amentiam prolapsus a Festo arguitur. Insons ab Agrippa agnoscitur.

℣. 1. AGrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu, cœpit rationem reddere, 2. De omnibus, quibus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, 3. Maxime te sciente omnia, & quæ apud Judæos sunt consuetudines, &

quæ-

quæſtiones : propter quod obſecro patienter me audias . 4. Et quidem vitam meam a juventute , quæ ab initio fuit in gente mea in Jeroſolymis , noverunt omnes Judæi : 5. Præſcientes me ab initio (ſi velint teſtimonium perhibere) quoniam ſecundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. *6.* Et nunc in ſpe , quæ ad patres noſtros remiſſionis facta eſt a Deo, ſto judicio ſubjectus, 7. In quam duodecim tribus noſtræ , nocte , ac die deſervientes , ſperant devenire. De qua ſpe accuſor a Judæis, rex. 8. Quid incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat? *9.* Et ego quidem exiſtimaveram, me adverſus nomen Jeſu Nazareni debere multa contraria agere. 10. Quod & feci Jeroſolymis , & multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, a principibus ſacerdotum poteſtate accepta : & cum occiderentur, detuli ſententiam. 11. Et per omnes ſynagogas frequenter puniens eos , compellebam blaſphemare : & amplius inſaniens in eos , perſequebar uſque in exteras civitates. 12. In quibus dum irem Damaſcum cum poteſtate , & permiſſu principum ſacerdotum, 13. Die media in via , vidi , rex , de cœlo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant. 14. Omneſque nos cum decidiſſemus in terram , audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. 15. Ego autem dixi : Quis es Domine ? Dominus autem dixit : Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris. 16. Sed exurge , & ſta ſuper pedes tuos : ad hoc enim apparui tibi , ut conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum , quæ vidiſti, & eorum , quibus apparebo tibi, 17. Eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te, 18. Aperire oculos eorum , ut convertantur a tenebris ad lucem , & de poteſtate ſatanæ ad Deum , ut accipiant remiſſionem peccatorum , & ſortem inter ſanctos , per fidem , quæ eſt in me. *19.* Unde , rex Agrippa , non fui incredulus cœleſti viſioni: *20.* Sed his , qui ſunt Damaſci primum , & Jeroſolymis , & in omnem regionem Judææ , & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. 21. Hac ex cauſa me Judæi, cum eſſem in templo, comprehenſum tentabant interficere. 22. Auxilio autem adjutus Dei , uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori , atque majori , nihil extra dicens, quam ea , quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe , & Moyſes, 23. Si paſſibilis Chriſtus , ſi primus ex reſurrectione mortuorum, lumen annunciaturus eſt populo, & Gentibus. 24. Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis , Paule: multæ te litteræ ad inſaniam convertunt. 25. Et Paulus : Non inſanio (inquit) optime Feſte, ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor. 26. Scit enim de his rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum geſtum eſt. 27. Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio , quia credis. 28. Agrippa autem ad Paulum : In modico ſuades me Chriſtianum fieri. *29.* Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his. 30. Et exurrexit rex, & præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis. 31. Et cum ſeceſſiſſent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte. 32. Agrippa autem Feſto dixit : Dimitti poterat homo hic , ſi non appellaſſet Cæſarem.

℣. 1. PAULUS EXTENTA MANU . Permiſſus cauſam ſuam agere Apoſtolus , dexteram manum pallio expediens porrexit, manente læva pallio obvoluta, & extremo pallii angulo, ne dexteram impediret, retro poſt lævum humerum rejecto. Familiare erat Oratoribus, manus inter loquendum ita componere, ut digitos minores duos inflecterent (1), tres reliquos porrigerent . Catenæ, quibus tunc vinciebatur (2), ſive lævam tantummodo impediebant , ſive utramque manum , ſed laxiori nexu ; nec forte graves erant adeo , ut motum & geſtum impedirent . Profecto captivi longioribus catenis vinciri ſolebant , habebantque iiſdem vinculis alligatum militem , comitem & cuſtodem perpetuum.

℣. 2. O REX AGRIPPA . Agrippa regnabat in Trachonitide, Palæſtinæ ſeptemtrionali , Jordani orientali, & meridionali Damaſco . Tota oratione ſua Paulus Agrippam compellat , ſive regiæ ejus dignitati obſequutus , ſive quod ex Feſto intellexiſſet, acceitum ſe eo fuiſſe , ut cauſas accuſationis ſuæ , totamque ſuam defenſionem Regi exponeret . Nec alia ſane Præſidis mens fuit.

℣. 3. TE SCIENTE OMNIA , QUÆ APUD JUDÆOS SUNT, CONSUETUDINES ET QUÆSTIONES. Judaicam religionem profeſſus Agrippa , mores omnes & ritus gentis illius norat . Reus agebatur Paulus de Templi violatione , de ſparſo dogmate reſurrectionis Jeſu Chriſti, quem & Meſſiam dicebat, ac denique de Chriſtiana Religione quam ſolam eſſe veram & genuinam docebat . Percommodum illi accidebat, quod loquendum ſibi eſſet coram viro , qui

[1] Apulej. Metam. lib. 2. [2] Act. xxvi. 29. 31.

qui jus æquum dicere de omnibus poterat, quæ in defensionem suam allaturus erat; ex quibus alia quidem ad mores & ritus, alia vero ad dogma, & ipsum veluti nucleum Religionis pertinebant.

℣. 4. AB INITIO (3). Ex quo Tharsum deserens, eo me contuli, ut studiis Legisque scientiæ vacarem. Quid tunc ageret ætatis, ignoratur.

℣. 5. SECUNDUM CERTISSIMAM SECTAM NOSTRÆ RELIGIONIS. Confirmat hic Paulus, quod jam alibi a nobis animadversum est, Christianam scilicet Religionem perinde ac aliquam Judaicæ restaurationem tunc habitam fuisse. Nunquam non Judæum se Apostolus agnoscit, ac de Judaica veluti de Religione sua nunquam non agit. De Pharisæorum vero Secta juxta receptam Judæorum opinionem loquitur; habebatur enim, teste Josepho l. 2. c. 4. de Bello, ex tribus, quæ tunc obtinebant, Sectis accuratissima & probatissima.

℣. 6. IN SPE, In pollicitatione, qua se Deus majoribus nostris obstrinxit, spondendo illis post hanc vitam resurrectionem novumque sæculum. Sermo est illi de mortuorum omnium, ac præsertim Jesu Christi resurrectione. De mortuorum resurrectione dogma inviolatum semper apud Hebræos mansit; ejusque vestigia non obscura in Prophetis Psalmisque cernuntur. Sed multo luculentius exhibetur in Libris post captivitatem scriptis, ut in Sapientia & Macchabæis. Pharisæi, Jesu Christi ætate, Justorum metempsychosim, quæ adumbratio est quædam resurrectionis, agnoscebant. Sed ea, quam Jesus Christus & Apostoli prædicabant, resurrectio ab ea longe distabat; docebant enim communem bonis malisque omnibus in vitam æternam resurrectionem.

Addit hic Apostolus: *In quam* (spem) *duodecim Tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire*; sperant scilicet promissionum illarum effectum. Statuit ergo, duodecim Tribus e captivitate reversas, & Judæis tunc in Religionis suæ professione viam ad salutem patere, quamquam Evangelii per Judæam promulgatio septem & viginti ante annos jam cœperat (4). Hactenus nondum plane eruditis Judæorum mentibus bona fides proderat ad salutem. Judaicorum rituum exercitatio primum cœpit officere, Legisque sanctiones plane abrogatæ, quoad exteriorem cultum, cessarunt, post Templi eversionem.

℣. 8. QUID INCREDIBILE JUDICATUR APUD VOS, SI DEUS MORTUOS SUSCITAT? Orationem convertit ad accusatores suos præsentes e numero Sadducæorum; post rem enim Jerosolymis in Sanhedrio gestam (5), Pharisæis ab infestatione Pauli cessantibus, Sadducæi soli supererant; ut ex duabus præcedentibus orationibus, altera coram Felice (6), altera coram Festo (7), intelligimus. Codices quidam ita legunt (8): *Quid? incredibile judicatur apud vos, quod Deus mortuos suscitat?*

℣. 10. CUM OCCIDERENTUR, DETULI SENTENTIAM. Græcus (9) innuere videtur, Paulum in Christianos sedisse Judicem, ac suffragium in eorum condemnationem tulisse. Sed Critici doctissimi (10) censent, designari his verbis meram approbationem vel assensum, cujusmodi Lucas semel iterumque aliàs luculentius expressit (11), tradens Paulum in necem Stephani consensisse, probasse nempe illam ex animo, & pro viribus illam seu egregium aliquod piumque factum ursisse.

℣. 11. COMPELLEBAM BLASPHEMARE, & nomini Jesu Christi renunciare; quin & ipse fœda multa indignaque in sanctum illud nomen eructavi. Ipse enim se Paulus blasphemum fuisse & *persecutorem* fatetur 1. Tim. 1. 13. Hæc autem omnia idcirco Paulus in medium producit, ut Agrippæ persuadeat, non temere se ad Christianos, quibus nemo alius fuerat infestior, transisse; ac denique eo se omnino vi miraculorum, & evidentia veritatis pertractum venisse.

℣. 12. CUM POTESTATE ET PERMISSU. Græcus (12): *Cum potestate, & permissu*; seu cum potestate & mandatis Principum Sacerdotum. Literas a Sanhedrio acceperat, ut quotquot Christianos deprehendisset, teneret, & in carcerem ageret Act. 9. 2. Nulla erat Sanhedrio potestas nisi in Judæos, ubi in Religionis causa deliquissent; neque etiam plus poterat, quam apprehendere & punire reos in Synagogis, ac privatis carceribus suis includere. Si quid ultra vellet, Principum seu Præsidum Provinciarum facultas petenda erat.

℣. 13. SUPRA SPLENDOREM SOLIS. Lux illa micuisse creditur e corpore glorioso Jesu Christi, qui tunc Paulo se spectandum præbuit. V. Matt. 18. 2.

℣. 14. HEBRAICA LINGUA, Jerosolymitana nempe, quæ mista erat ex Chaldaica, Hebraica, & Syriaca. Græce tunc ad Agrippam locutus Paulus videtur; erat enim Græcus sermo per plurimas Orientis Provincias in commercijs obtinens.

℣. 16. EORUM QUIBUS APPAREBO TIBI; & eorum, de quibus iterum apparens te docebo. Jesus Christus spondet Apostolo, se iterum deinceps illi per visum appariturum (13), vel saltem edocturum, quæ prædicatione esset expositurus (14); sive revelatio ista per quietem noctis, sive per extasim, seu per visum, sive aliter fieret. Hæc omnia desiderantur in Capitibus IX. & XXII. in quibus eadem historia narratur.

℣. 18. APERIRE OCULOS EORUM. Ad aperiendos oculos Judæorum & Profanorum, ut ambæ gentes in me credant, & fide, quam admiserint, e potestate Satanæ liberentur, criminumque suorum veniam obtineant. Eam linguam Agrippa familiarem habebat, & norat optime; sed Festus cæterique Profani non satis assequebantur. Judæis quidem tenebræ offusæ erant, quod impleta Prophetarum oracula in Jesu Christo non cernerent, tum & Messiam agnoscere recusarent. Sed & densior caligo tenebat Profanos, in infidelitate, crimine, & idololatria pererrantes. Amovendus ab eis error Idolorum fuit. Dei singularitas & veritas edocenda, necessitatem Liberatoris ut sentirent enitendum, denique ostendendum illis fuit, Jesum Christum Servatorem esse, qui unus libertatem sinceram, solidamque felicitatem parere illis posset. Expeditissima erat in hunc finem via prodigiorum, quam Paulus tenuit, cum intimarum gratiarum ubertate, quam pleniorem tunc exigebat necessitas major & difficultatis superandæ labor.

ACCIPIANT SORTEM INTER SANCTOS; ut hæreditatem inter Sanctos accipiant. Id nominis jam antea, nempe ℣. 10. Christianis dedit, idemque sæpius in Epistolis repetit. Ex quibus intelligimus, vulgo tunc eo nomine nuncupari illos in ea regione consuevisse. Curas eo suas intendebat Paulus, ut ad Ecclesiam Christi Judæos Ethnicosque colligeret, iisque omnibus procuraret in hac quidem vita fidei, in altera vero gloriæ hæreditatem: hæc est enim Sanctorum hæreditas.

℣. 19. NON FUI INCREDULUS COELESTI VISIONI. Hanc habui causam, cur ad Religionem Jesu Christi transirem. Hactenus veluti furore quodam in Sanctos insanieram: sed manifestis voluntatis Dei argumentis victus credidi.

℣. 20. DAMASCI PRIMUM ET JEROSOLYMIS. Prædicavit Damasci, & in regione Arabiæ desertæ circumjecta per triennium; deinde Jerosolymam se contulit Galat. 1. 17.

DIGNA POENITENTIÆ OPERA. Explicat hisce quæ paulo

(3) Ἀπ' ἀρχῆς. (4) Contigit hoc an. 60. J. C. (5) Act. XXIII. 6. 7. (6) Act. XXV. 14.
(7) Act. XXV. 2. 7. 8. 19. 20. (8) Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν. *Quid? Incredibile vobis videtur?*
(9) Κατήνεγκα ψῆφον, Detuli calculum. (10) Grot. Camesas. Brx. Pis. Lud. de Dieu, Fromond. alii.
(11) Act. VIII. 1. XXII. 20. Συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ. (12) Μετ' ἐξουσίας καὶ ἐπιτροπῆς. (13) Cornel. Men. Grot. Vide 2. Cor. XII. 2. Act. XVIII. 9. XXIII. 11. (14) Hammond.

paulo antea ℣. 18. innuerat, *ut per fidem accipiant remissionem peccatorum*. Ne quis forte credat, sermonem illi esse de fide sterili, & languida, sociat illam pœnitentiæ, jungitque reditum ad Deum, mœrorem, fructus pœnitudinis, vitæ mutationem, & opera virtutis.

℣. 21. HAC EX CAUSA; hac de causa Judæi necem meam moliti sunt. Omnes accusationes ad quatuor capita Paulus redigit; I. mortuorum resurrectionem; II. Resurrectionem Jesu Christi, quem Messiam esse prædicabat; III. propositam indiscriminatim omnibus Judæis Ethnicisque pœnitentiam. Immorandum non censet in amovenda calumnia de Templo ac Cæsare violatis Act. 25. 8. sive quod minus commodi per Festum habuerit, sive quod accusationes hasce negligendas duxerit, utpote ab adversariis ipsis, deficientibus probationibus, neglectas.

℣. 23. SI PASSIBILIS CHRISTUS. Si Christus mortem tulit. Hæc genuina est Textus interpretatio (15); est enim hic *passibilis* pro eo, *cui aliquid perferendum est*. Messiæ perpessiones & mortem non obscure Prophetarum oracula prænunciarunt; attamen Judæi, vel ex illis saltem plerique aliter dicta illa acceperunt; illisque ad fidem traducendis maxime omnium obstiterunt Jesu Christi demissiones, perpessiones, mors, ignobilitas, contemptus, ærumnæ. Arrecti enim in expectationem Messiæ triumphatoris, ultoris, gloriosi, potentis erant.

PRIMUS EX RESURRECTIONE MORTUORUM; omnium primus e mortuis excitandus in vitam immortalem esset. Elias quidem hospitæ suæ Sareptanæ filium revocavit ad vitam; in vitam rediit defunctus, cujus cadaver in Elisæi sepulcrum projectus fuit; Jesus Christus vivos stare jussit filium viduæ Naim, Lazarum, aliosque plures; singuli tamen illi iterum morituri vixerunt; sed Jesus Christus ita e mortuis surrexit, ut inter mortuos iterum non sit futurus. Messiæ resurrectionem æternumque Regnum prædicentes Prophetæ, nunciaverant pariter aperto satis oraculo futurum, ut is omnium primus ad vitam immortalem surrecturus esset.

LUMEN ANNUNTIATURUS. Spectasse videtur oracula illa Prophetarum, quibus Jesus Christus futurus gentium & Jerosolymæ lumen prænunciatur Isai. 60. 1. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum*. Et Isai. 49. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Locutiones istæ Agrippæ insuetæ non accidebant.

℣. 24. INSANIS, PAULE: MULTÆ TE LITERÆ AD INSANIAM CONVERTUNT. Ex Patribus quidam (16) suspicati sunt, Festum indigne ferentem ab Apostolo Agrippam per totam orationem compellari, se penitus neglecto, intercepisse loquentem, atque Insani more insana effutire exprobrasse. Ex aliis fortasse didicerat, Paulum virum esse literatissimum; neque enim in hac oratione eruditionis Græcæ Latinæve quidquam deprompsit. Vel potius, ex verbis Pauli intellexerat Festus, maxima illum mysteria, sibi tamen incognita, loqui: barbarum enim Romanis auribus sonabat mortuorum resurrectio; fidei & baptismatis ad criminum veniam obtinendam necessitas; e potestate Satanæ libertas; luminis prædicatio, &c. Ænigmata erant hæc Festo, qui & hominem, cui talia excidebant, ex nimia in studium contentione delirare censuit; opinione enim pervagatum, & experientia compertum est, id non semel accidere quibusdam, ut ex nimio studiorum labore mente deficiant (17). Authore Seneca de Tranquil. animi discimus: *Aristoteli* (18) *nullum magnum ingenium sine mistura dementiæ fuit*.

℣. 25. VERITATIS ET SOBRIETATIS VERBA; verba sunt hæc gravitatis & veritatis plenissima. Non per dementiam, non per ebrietatem excidisse hæc mihi credas. Græcus (19): *Veritatis & prudentiæ verba*.

℣. 26. LATERE EUM NIHIL HORUM ARBITROR. Agrippa, vir Judæus, ignorare utique non poterat, dogma de resurrectione mortuorum apud Hebræos pervagari. Norat, a Prophetis Messiam promitti, & a Christianis defendi, Jesum Christum ipsissimum esse, quem Prophetarum oracula pollicebantur. Nec ignorare poterat quæcumque in Judæa post ejus mortem & passionem acciderant; altius enim per Orbem hæc insonuerant, quam ut ejus aures non feriissent.

℣. 28. IN MODICO SUADES ME CHRISTIANUM FIERI. Gestu deridentis & contemnentis hæc loquitur. Ea abuteris oratione tua, ac si mihi persuadeas, ut nomen inter Christianos adscribam. Aliter: *Minimo tempore*, vel *negotio*, vel *paucis verbis persuaderes mihi ut Christianus fierem*. Has omnes interpretationes, optimas quidem & contextui congruas, Græcus admittit (20). Cyrillus Hierosolymitanus (21) & Chrysostomus (22) serio hæc dicta accipientes putavere. Agrippam verbis Apostoli permotum, fateri, parum abesse, quin ad Christianos transire persuadeatur.

℣. 29. OPTO APUD DEUM ET IN MODICO ET IN MAGNO. Utinam non parum modo, sed nihil abesset, quominus talis fieres, qualis ego, vinculis his exceptis! Est hic eadem, quæ versiculo superiore, lectionum varietas. Parum abest. Utinam nihil abesset! Vel: Minimo negocio velles. Optarem ut maximo. Vel denique, Paucis verbis, vel tempore persuaderes mihi. Utinam non modico tempore, sed perpetuo, non paucis verbis, sed omnibus meis viribus, &c.

EXCEPTIS VINCULIS. Qui putant (23), Felicem Paulo vincula ademisse Act. 24. 23. censent *vincula* hic designare statum Apostoli in custodia positi, sed non vincti catenis. Alii vero inducta iterum a Festo vincula arbitrantur. Nobis fixa est opinio, nunquam sine vinculis illum fuisse; & Capite XXIV. 23. indultum fuisse tantummodo a Felice, ut liberius adiri Apostolus posset. Suis ipse vinculis & carcere Paulus gloriabatur (24) quidem, sed Agrippæ, juxta insitam illi opinionem, loquitur. Quidam (25), sed nulla certa conjectura, Agrippa ad Christianos transisse opinantur.

℣. 30. QUI ASSIDEBANT. Festi Assessores (Vide supra XXV. 12.) seorsum secedentes, & cum Agrippa Festoque collocuti, nihil ab eo morte vel carcere dignum commissum fuisse agnoverunt.

℣. 32. DIMITTI POTERAT ... SI NON APPELLASSET CÆSAREM. Appellationi renunciare Apostolo licuisset: tunc autem jus erat Festo pro tribunali illum absolvere; sed stante appellatione, omnis Præsidis authoritas manebat suspensa, nec integrum erat illi reum vel damnare vel absolvere (26).

(15) Εἰ παθητὸς ὁ Χριστός. Vide Erasm. Ed. Menoc. Ludov. de Dieu, Bez. Grot. alios. (16) Chrysost. Oecumen. Vide Sanct. hic. (17) Theognetos Comic. in visis, apud Athen. lib. XV. cap. 8. p. 671. (18) Aristot. Problem. sect. 30. (19) Ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα. (20) Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι. (21) Cyril. Jerosol. Catechesi 17. (22) Chrysost. homil. 18. ad popul. Antioch. Vide & Oecumen. hic. Gagaej. Salmeron. (23) Grot. Bez. Le Clerc, From. hic, & ad Act. XXIV. 23. (24) Chrysost. homil. 52. in Acta. (25) Vide Chrysost. loco citato. Gagn. Salmeron. (26) Grotius: *Appellatione potestas judicis, a quo appellatum est, cessare incipit ad absolvendum, non minus quam ad condemnandum; crimina enim integra servanda sunt cognitioni superioris*.

CA-

CAPUT XXVII.

Paulus vinctus Romam mittitur. Cretam appellitur, unde navis solvit, eo nequidquam dissuadente. Subito coorta tempestas navim quatit, & dissolvit; sed navigantes omnes nando vel aliter servantur.

℣. 1. UT autem judicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio cohortis Augustæ. 2. Ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere. 4. Et cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. 5. Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ: 6. Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. 7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigamus Cretæ, juxta Salmonem: 8. Et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalassa. 9. Multo autem tempore peracto, & cum jam non esset tuta navigatio, eo quod & jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus, 10. Dicens eis: Viri, video, quoniam cum injuria, & multo damno, non solum oneris, & navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio. 11. Centurio autem gubernatori, & nauclero magis credebat, quam his, quæ a Paulo dicebantur. 12. Et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium navigare, inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicem, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum, & ad Corum. 13. Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. 14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euro-aquilo. 15. Cumque arrepta esset navis, & non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16. In insulam autem quamdam decurrenses, quæ vocatur Gauda, potuimus vix obtinere scapham. 17. Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes, ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur. 18. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt: 19. Et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt. 20. Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ. 21. Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc, & jacturam. 22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse, amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. 23. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio, 24. Dicens: Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. 25. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. 26. In insulam autem quamdam oportet nos devenire. 27. Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. 28. Qui & summittentes bolidem, invenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. 29. Timentes autem, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri: 30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, 31. Dixit Paulus centurioni, & militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. 32. Tunc abscinderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere. 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. 35. Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cœpit manducare. 36. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.

37. Era-

37. Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. 38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare. 39. Cum autem dies factus est, terram non agnoscebant: sinum vero quendam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. 40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum; & levato artemone secundum auræ flatum tendebant ad littus. 41. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. 42. Militum autem consilium fuit, ut custodias occiderent: ne quis, cum enatasset, effugeret. 43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, & evadere, & ad terram exire. 44. Et cæteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

℣. 1. NAVIGARE EUM CUM RELIQUIS CUSTODIIS; (1) cum reliquis vinctis. Græcus (2): *Ut judicatum est navigare nos*; eo quod Lucas comes una cum Aristarcho (3), de quo supra (4) actum est, accesserat. Paulus cæterique vincti, vel utramque vel alterutram manum gerebant adstrictam catena, quæ altera extremitate sinistram vel unius vel duorum militum custodum nectebat. An vero id servaretur in navi; ubi fugæ periculum cessabat, ambigo.

COHORTIS AUGUSTÆ. Nomen legionis *Augustæ* in veteri marmore Lipsius legit (5). Cohortes autem nomen a legione accipiebant. Julius cohortis hujus Centurio Paulum observabat plurimum.

℣. 2. NAVEM ADRUMETINAM. Adrumetum urbs erat Africæ, Provinciæ Byzacenæ metropolis. Sed cum navi, quam Paulus conscendit, iter esset in Asiam, teste Luca, atque oras Phœniciæ legeret, Adrumetum in Africa, cui terga verrebat, petiisse non videtur. Igitur pro *Adrumetinam*, legendum est, *Adramyttinam* quemadmodum & in Græco impresso legitur. Codicum manu scriptorum plerique lectionem exhibent, quæ ad Adramitrinam magis quam ad Adrumetinam accedit. (6). Primum quidem navis hujus Ductori propositum fuisse videtur navigandi Adramyttam; inde vero per Macedoniam directo cursu portum aliquem Adriatici, ac denique Italiam tenendi; sed deinde aliter statuit. Cum forte Myræ in Lycia incidisset in navim Italiam petentem, ea conscensa, Adramyttinam navim reliquit. Forte etiam priorem navim non elegerat, nisi ut rei præsenti consuleret, donec alia occurreret, quæ recta Italiam tenderet. Adramytta urbs est maritima Mysiæ in Asia Minori, e regione Lesbi.

℣. 3. AD AMICOS IRE, comitante milite eadem catena vincto. Christianos Sidonios visitavit Paulus, rogaturus ab illis res itineri necessarias.

℣. 4. SUBNAVIGAVIMUS CYPRUM, non supra Insulam navigavimus, sed a læva reliquimus, non ad dexteram. Oras illius inferiores circumlegimus, non proram Myram Lyciæ versus convertimus.

℣. 5. VENIMUS LYSTRAM, QUÆ EST LYCIÆ. Mendum irrepsisse in Textum videtur (7), Lystra enim Lycaoniæ, non Lyciæ, urbs est. Idcirco Græcus *Myram Lyciæ* legit (8), nec male, cum Myra in Lycia ad mare jaceat. Consule Tabulam Geographicam itinerum Pauli, Libro huic præfixam. Sed Grotio, cum remotior a mari Myra sit quam ut portuosa esse potuerit, neque Lystram neque Myram, sed *Lymiram*, quæ portuosa urbs erat, legendum probatur. Attamen Viri docti correctione, quam nullius Codicis authoritas fulcit, rejecta, Myræ nomen retinendum arbitramur. Urbs ista stadiis non amplius viginti (9), idest, bis mille & quingentis passibus a mari aberat; a quo proinde non adeo distabat, ut maritima haberi non posset. Quin & Lymira nihilo propinquior mari erat, teste Strabone lib. 14.

℣. 6. NAVEM ALEXANDRINAM, frumento onustam, Alexandria Romam vehendo, ut ex inferioribus ℣. 38. discimus. Scitum est, Romanos frumenti plurimum ex Ægypto retulisse.

℣. 7. CUM TARDE NAVIGAREMUS, &c. quod forte navim gravior sarcina retineret; vel potius vento adversante (10); sarcina enim nunquam navigium retinet secundo vento aspirante. *Contra Gnidum* venerunt, urbem vel promontorium Asiæ, e regione Cretæ, in angulo peninsulæ Cariæ. Grotius aliique nonnulli accipiunt de insula Cnido, inter Cretam & Promontorium, cujus nune meminimus. *Adnavigavimus Cretæ*, *juxta Salmonem*; idest, legimus extremam orientalem Insulæ hujus oram, juxta promontorium Salmonem, alio nomine Samnionem, vel Samonium, hodie Salomonem (11). Consule tabulam Geographicam.

℣. 8. BONI-PORTUS, CUI JUXTA ERAT CIVITAS THALASSA. Locus, cui nomen *Boni portus* (12), vel *Pulcher portus*, & apud Stephanum, *Bona ora* (13), jacebat in extrema Insulæ hujus ora septemtrionali. Certus tamen ejus situs ignoratur; neque notior est *Thalassa*, quæ statim in Textu subditur. Græcus pro Thalassa legit (14) *Lasæa*, vel, juxta nonnullos Codices, *Lasia*, seu *Lasea*, *Thessala*, *Alassa*. Ad extremam oppositam Insulæ oram nota est Urbs Lissos.

℣. 9. QUOD JEJUNIUM PRÆTERIISSET. Interpretum plerique (15) id accipiunt de jejunio solemnis expiationis, quod incidebat in diem mensis Tizri (16), id est, exeunte Septembri, vel Octobri ineunte. Porro id erat maximum & solemne Hebræorum jejunium, quod celebrabatur in exordio anni civilis, omnibus terræ fructibus collectis, quo tempore mediterranei navigatio maxime periculosa redditur. Historiam scribebat Lucas Christianis, quorum plerique cum ex Judæis essent, Judaicis phrasibus assueti erant; ac proinde non ignorabant epocham illam, *eum jejunium præteriisset*. Ab hoc tempore cur maria tranquillitas speraretur, nihil erat. Aliis tamen (17) jeju-

(1) Græc. Καί τινας ἑτέρους δεσμώτας. (2) Ἀποπλεῖν ἡμᾶς. (3) Infra ℣. 12. Coloss. iv. 10. Philemon. ℣. 23. 24. (4) Act. xix. 29. xx. 4. (5) Lipf. in Tacit. lib. 2. hist. (6) Græc. impressum: Εἰς πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ. Manuscripti, ἀδραμυτηνῷ, vel ἀδραμετηνῷ, vel Ἀδραμυτηνῷ, vel ἀτραμυτηνῷ, vel ἀδραμυττινῷ. (7) Isidor. Gloss. ordin. Hugo, Gagnej. Vatab. Salmer. Zeger. Baron. Fromond. Barth. Petr. Tillemont. Erasm. alii. (8) Εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. Alii: Σμύρναν τῆς Λυκίας. Velez. Vulg. Copht. Λύστραν τῆς Λυκίας. Alex. Λύστρα. Codd. aliqui: Λύστραν τῆς Κιλικίας. Æth. Λύστρα τῆς Ἀσίας. (9) Strabo lib. 14 pag. 666. (10) Syr. Grot. (11) Strabo, Mela, *Samonium*, Plin. *Sammonium*. Dionyf. ℣. 110. Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην Σαλμωνίδος ἄχρις ἀκρῆς. (12) Καλοὺς λιμένας. (13) Καλὴ ἀκτή. (14) Λασαία, vel λασέα, vel λασία, vel ἄλασσα. Auth. Gloss. ordin. Thessala. (15) From. Oecum. Sanct. Est. Zeger. Grotius, Hamm. Druf. alii plerique. (16) Levit. xvi. 29. xxiii. 27. (17) Bellarm. lib. 2. de bonis oper. cap. 19. Cornel. hic.

jejunium est quatuor temporum Decembris, ac si scilicet jejunium illud jam tum institutum esset, Baronio est jejunium decimi mensis Judæorum, in mensem Januarium incidens (17). Sed tunc non periculosam effici navigationem, sed impossibilem esse, Lucas scripsisset (18).

℣. 10. CUM INJURIA, ET MULTO DAMNO (19); molestissima & plena periculi. Prophetico quo utor spiritu (20), & naturalibus, quæ ex anni tempestate aerisque natura colligo, prognosticis novi futurum, ut numquam citra dispendium & periculum navigatio hæc absolvatur. Non, inquam, sine discrimine hominum, *cum injuria*, nec sine exitio navis & sarcinæ, *& cum multo damno*. Tempestatis injuriis marisque furori nos exponimus.

℣. 11. GUBERNATORI ET NAUCLERO. Gubernator ille est qui clavum tenet, nautasque dirigit. Nauclerus vero toti imperat navi, & sarcinæ præest.

℣. 12. DEVENIENTES PHŒNICEM, PORTUM CRETÆ, RESPICIENTEM AD AFRICUM ET AD CORUM. Urbs & portus Phœnicis ad meridiem insulæ Cretæ in opposita extrema ora Boni-portus & Lasææ jacebat. Portus iste patebat ventis *Lybico* vel *Africo*, & *Coro*; (21): quorum ille e Lybia & Africa in mari Ægeo flat, adeoque occidentalis est ventus. *Corus* vero, vel *Caurus*, Græce *Argestes* (22), ex occidente pariter, sed æstivo, inter septemtrionem & occidentem, atque ex utroque mistus flat. Certum horum locorum situm nosse oporteret, ut rationem, qua ambo hi venti portui huic dominarentur, assignaremus. Porro ad africum sive ad corum respiciebat. Vir quidam, rei nauticæ peritus, monuit me portum Phœnicis patere meridiei occidentali & septemtrionali occidentali, ventis scilicet occidentalibus hyemalibus & æstivis. Porro hiemalis ventus appellatur *Lybs* sive Afer, quod e plaga Africana flat, cum sol in ea plaga hiemis tempestate occidat. Ventus septemtrionalis occidentalis, sive Corus lineam transiens, & rediens versus tropicum Cancri excitat ventum septemtrionalem occidentalem, qui duo venti flamina æstiva appellabantur. Utrique huic vento portus Phœnicis exponebatur.

HIEMARE; ad agendam hiemem, vel potius juxta Græcum (23): Ut nos in tuto poneremus a tempestatis & maris injuria. Eadem Græca vox, quæ hiemem, significat etiam procellam.

℣. 13. ASPIRANTE AUSTRO ..... CUM SUSTULISSENT DE ASSON, cum scilicet ex Asson solvissent. Nota est in Insula Cretæ urbs Assos, vel Ason, vel *Asum*, cujus meminit Plinius (24); qui tamen inter Urbes continentis, non maritimas, recenset. Quare Interpretes quamplures (25) reddendum Græcum censent (26): Anchora sublata, *legebant Cretam*, ut venirent ad Bonos-portus Phœniciæ, quos tenere volebant.

℣. 14. VENTUS TYPHONICUS, QUI VOCATUR EURO-AQUILO, vel, juxta Græcum, *Euroclydon*. Typho Græce & Latine est proprie procella vel turbo, cum nubes altera in alteram ruens, perniciosum quemdam ventum parit, quo naves dejiciuntur franguntur que, ac si fulmine tactæ essent. Fulmini non absimilem typhonem agnoscit Aristoteles Meteor. l. 3. nisi quod ventus est, non ignis; quamquam & ignis impetum & vim tenet (27): *Typhon defert secum aliquid abruptum, nube gelida convolvens versansque, & locum ex loco mutans rapida vertigine: præcipua navigantium pestis, non antenas modo, verum ipsa navigia contorta frangens*. Ita ventum hunc Typhonem vel Typhonicum Plinius describit, nec sane alius est a Coro, qui Paulum impulit in septemtrionalia insulæ Melitæ, ubi naufragium fecit.

EURO-AQUILO ventus est flans ab oriente septemtrionali, qui hodie *Nord-est* appellatur. Navim autem Pauli in unam vel alteram e syrtibus ad meridiem Melitæ impegit ad naufragium. Græci Codices impressi legunt (28) *Euroclydona*, idest ventum procellosum, excitandæ aptum tempestati. Sed Vulgatæ lectio melior videtur, & cum Codices Alexandrino ac Æthiope convenit. Ventus ille, Typhonius sive Euro-Aquilo, appellatus aquilo meridionalis, arripuit navim S. Pauli, impulitque in littora septentrionalia Insulæ Melitensis.

℣. 16. IN INSULAM QUÆ VOCATUR CAUDA, Vel, ut est in Græco, *Claude* (29). Ptolemæo est *Claudos*, Plinio, Solino, Stephano, Procopio *Gauda*, jacetque in extrema ora meridionali & occidentali Cretæ.

OBTINERE SCAPHAM. Scapha maritimum est navigiolum, in usum magnarum navium, quarum lateri plerumque adnectitur. Ne vero impetu tempestatis in navim delata vel periret vel navi officeret, illam in navim statim receperunt.

℣. 17. ADJUTORIIS UTEBANTUR, ACCINGENTES NAVEM. Ne crebris fluctuum ictibus, lapidque ruinoso mergeretur navis, illam subligarunt, ad hoc enim subligantur naves, ne oneratæ nimium in altum evectæ fluctibus, cadendo merganrur. Igitur nautæ circumligarunt navim rudentibus in exteriori ambitu, ut, concussa licet, non frangeretur, ejusque asseres adstricti rudentibus, seu validis catenis, non ita facile hiscerent. Reddi etiam potest Græcus (30): Adhibuerunt adjutoria, nautas scilicet & opifices, qui forte erant in navi; vel funes, uncus, & reliqua instrumenta, quæ aptissima judicarunt ad impediendum naufragium. Superiora navis illigarunt resti, ne mergeretur. Id vero tunc contingere potuit eum illa nimietate sarcinæ gravaretur; norunt nautæ. Numquam vero id præstatur nisi cum decumanis fluctibus impetitur navis, & illa structuræ est validioris, nec altius in pelago mergitur, cum ex uno latere pulsa in aliud tota incumbit, adeout alioqni facilis esset ad lapsum. Hæc tamen cautio non liberat a discrimine navim, cum a vento in arenam impellitur. Animadvertisse juvat illud Scripturæ, *accingentes navem*, reponendum esse superius, nec jungendum inferioribus hisce verbis *timentes in syrtim inciderent*.

TIMENTES, NE IN SYRTIM INCIDERENT. Syrtis nomen hic accipi solet de arenoso illo maris tractu, qui secundum oras Africæ excurrens, major & minor Syrtis appellatur. Inde vero id nominis inditum est reliquis scopulis, arenosisque maris tractibus, quibus mare infestatur. Navis, qua Paulus ferebatur, acta aquilone orientali, periculum incurrebat imminens, ne in minorem majoremve syrtim incideret. Recta enim ad Africæ litora propellebatur.

SUMMISSO VASE. Summiserunt non principem quidem malum, sed malum carchesii, & malum superiorem, qui facile deponuntur; neque enim sterni potest malus major, cui ambo illi inserti sunt. Codices quidam ferunt (31): *Summissis velis*. Græcus, Latinusque liberiori phrasi, laxato vel misso vase; quod tamen plerique de malo, potissimo navis instrumento, accipiunt. Malo autem

[17] Baron. anno 58. [18] Vide Philon. Legat. ad Caj. Cæsar. lib. 5. apud Sanct. hic. [19] Μετὰ ὕβρεως, & πολλῆς ζημίας. [20] Chrysost. From. Cornel. alii. [21] Κατὰ λίβα, & κατὰ χῶρον.
[22] Χῶρος, vox est non Græca origine, sed Latina, *Corus*, vel *Caurus*; Græcis, Ἀργέστης. Grot. hic.
[23] Παραχειμάσαι. Est. ἀνάθετος πρὸς παραχειμασίαν. Vide Grot. Heins. [24] Plin. lib 4. cap. 12. Steph. Ἄσσος πολίχνιον. [25] Vide Bez. Grot. Lud. de Dieu, Camerar. From. Tillem. Note 81. sur S. Paul, &c.
[26] Ἄραντες Ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην. Omittunt Ἆσσον Syr. Arab. [27] Plin. lib. 2. cap. 48.
[28] Ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων. Alex. Εὐρακύλων. Vide Grot. Hamm. [29] Νῆσόν καλούμενον Κλαύδην.
[30] Βοηθείαις ἐχρῶντο, ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον. Vide Cajet. Grot. Heins. [31] Græco impress. Χαλάσαντες τὸ σκεῦος. Syr. Chrysost. & alii quid. apud Bed. & Mill. Τὰ ἱστία.

tem demisso, & vela pariter, & funes demitti necesse erat; us in hunc sensum sententiæ omnes & explicationes concilientur (32).

Submisso vase. Demiserunt malum. In majoribus navibus nunquam demittitur major malus, sed potius malus corbis, & malus altes (*de Perroquet*) qui ambo mobiles sunt, & alter super alterum erectus in majori malo. Sed in triremibus aliisque id generis, quæ remis impelluntur, nullo negocio malus tollitur, quemadmodum in nostsis navigiis minoribus & fluvialibus. Vix credo S. Pauli ætate obtinuisse majores illas naves nostrates, quæ velis cientus. Credo Veteres illos triremibus usos.

℣. 18. Jacturam fecerunt, ut pondere levata navis, mersionis periculum evaderet. In his discriminibus primo quidem projeiuntur merces, deinde sareinæ, & nauticus apparatus; denique annona, ut hic factum legimus.

℣. 19. Armamenta, quorum defectum tolerare poterant, ut arma superflua, annonas, & quæ in navi fervabantur ad usus opportunos, sed non plane in rem præsentem necessaria. Vertunt quidam Galliee *l'Equipage*; sed cum vox illa redigatur tantummodo ad homines, præfectos, milites, nautas, malumus vocem *Agrets*, instrumensa, quæ vox significationi Græcæ melius respondet (33). Vir idem e nauticæ doctus mihi asseruit armamenta hic aliter accipienda esse quam pro instrumentis ad ciendam navim; alioqui, ait, projeiciendæ fuissent in mare corbes, quæ plus spatii occupant in navi, quam reliqua armamenta simul omnia; nunquam tamen contigit, ut earum projectio fiat, vix enim damnum compensaretur. Mavult igitur *armamenta*, Græcus ad literam *instrumenta navis* exponenda esse de armis militum, quibus axoneranda esset navis, facta eorum projectione, ut ejusdem navis superiora libera remanerent.

℣. 20. Neque sole, neque sideribus; quod incommodum accidebat nautis, tum præsertim cum usus nauticæ acus ignorabatus, us dirigere cursum ad astra cogerentur.

℣. 21. Cum multa jejunatio fuisset. Turba omnis nautica consternata maxime, nec nisi naufragium mortemque expectans, nihil cogitabat minus, quam us se cibo secrearet; neque enim annona deerat, nec dies erat esurialis.

℣. 24. Donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. Deum igitur Paulus rogaverat, ut vitam largiretur iis, qui secum navigabant; missusque ad eum Angelus, voti compotem fore illum nunciavit. Profecto si Apostolus, mortali adhuc versans in corpore, tantum apud Deum valuit, us ducentis & sexaginta sex vitam deprecaretur, quid non impetraturum apud Deum speramus modo, cum gloriosus in Cœlo agit (34)? Hac Angeli exhibitione id egit Deus, us majorem inter locios navigationis existimationem illi conciliaret, eorumque animos compararet, ad ejus dicta studiose excipienda; nam eorum plerosque fidem admisisse, S. Chrysostomus innuit.

℣. 26. In Insulam quamdam. Insulæ nomen Angelus non apesuis, erat autem Melita, quo impetu tempestatis post aliquot dies projecti fuerunt.

℣. 27. Quartadecima nox; ab exordio tempestatis illius, post dies aliquot a discessu a Bonnportu inceptæ. Si contineantur ista cum superioribus, ℣. 9. *quod jejunium jam præteriisset*, non male colligetur, Apostolum Melitam pervenire non potuisse serius, quam Octobri labente; jejunium enim decimi mensis ejus anni ad 22. Septembris consignatur (35). Posito igitur, navim tempestate agi cœpisse circa dimidium Octobris, diebus 25. circiter post solemne jejunium, propelli Melitam exeunte eodem mense potuit.

Navigantibus nobis in Adria, per Adriaticum. Maris Adriatici nomen proprie, & juxta communem sensum, nonnisi Veneto mari aptatur; sed latiori acceptione usurpatur etiam de mari Siculo & Ionio (36); quo sensu hic sumitur. Navim propulerat ventus ab Insula *Cauda*, vel *Claude*, ad Occidentem, & Africæ litora; dein rapuit in septemtrionalia, & mare Adriaticum; tum jactavit ad Occidentem, donec ageret in septemtrionalia Melitæ; nam ab antiqua ætate receptum est, Paulum naufragium fecisse in loco vadoso, hodie pariter appellato *Calà di S. Paolo*; est autem lingua terræ, quam mare utrinque alludit, *Dithalassus locus* ℣. 41. Vide Tabulam Geographicam. Vir idem itinerum marisimorum peritus monuit tabulas nostras errare; Apostolum enim naufragasse in septentrionalibus Melitæ, & in occidentalibus littoribus, ejusdem insulæ lateralibus, in loco qui hodie appellatur *le cale de S. Paule*, ubi templum ejus nomini erectum visitur. Porro locus ille est in solo longius intra mare excurrente, cujus utrumque latus mari alluitur, & continenti jungitur. Insula Melita Africæ adscribitur. Incolæ hodie pariter, sicut & olim, Arabico idiomate utuntur. Olim Phœnicibus sive Hebræis frequentabatur.

Suspicabantur nautæ, apparere sibi aliquam regionem. Græcus (37): *Venire aliquam ad se regionem*; quæ loquendi phrasis est rei nauticæ studiosis & Poetis familiaris; accedere enim vel recedere terra dicitur, ut navis accedit vel recedit a litore. Æneid. 3.

Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.

Terram autem ideo accedere suspicati sunt, non quod illam viderint, cum nox dimidia esset, & tenebræ tenerent omnia; sed vel ex odore terræ, vel ex frigidiori aere, vel denique ex ventis.

℣. 28. Passus viginti. Græcus (38): *Orgias viginti*; sive ulnas viginti. Ulna sex pedibus constat; est autem mensura, utrumque extensum brachium seu hominis altitudinem æquans.

℣. 29. De puppi anchoras quatuor, ad sistendam navim, prohibendumque, ne in scopulos impelleretur. Ideirco e puppi vel a tergo navis, non e prora vel e navis capite, ut fieri solet, cum portus tenetur, anchoras projecerunt. Projectæ autem sunt quatuor, quo plus ponderis haberent.

℣. 30. Cum misissent scapham; quasi anchoras a prora jacturi. Quatuor jam e puppi projectæ fuerant; simularunt autem hi & e prora aliquas jacere velle, ubi ad terram propius accederent, vel saltem laxare rudentes, quibus anchoræ ab eo latere pendenses tenebantur, quasi scilicet breviores essent, & magis distenti, quam par esset, ut ad locum, quem tenere volebant, pervenirent.

℣. 31. Vos salvi fieri non potestis. Deus Paulo aperuerat, neminem ex iis, qui una ferebantur, periturum: non tamen propterea miracula promisit, ita ut salutem polliceretur, tametsi humanæ opes penitus deessent. Manere omnes in navi volebat, ut alter alteri opem præstaret, omnemque simul industriam & artem pro viribus adhiberent. Dei promissio eam tacitam conditionem ferebat, si nautæ muneri suo non deessent. V. Gregor. l. 5. c. 8. Dial. Sanct. From. hic.

℣. 33. Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. Non tamen hæc ad verbum accipienda sunt. Ille cibi nihil gustasse rectissime dicitur, qui parum sumpsit. Ita Interpretes passim. Minus quam pro consueto more se refecerant; nec certa vescendi hora in navi servata fuit, opperientibus singulis omni momento

(32) Vide Chrysost. Syr. Bez. Grot. Men. &c. (33) Τὴν σκευὴν, *Armamenta*, omne id quo navis erat instructa, ornata, onerata. (34) Hieron. contra Vigilant. (35) Bucher. Cycl. Tillemont, Note 60 sur S. Paul. (36) Strabo, Ptolem. Ovid. Star. Procop. Grot. Cornel. Boch. Chan. l. 1. c. 26. (37) Τ[illegible] προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν. (38) Ὀργυιὰς εἴκοσι.

to naufragium & mortem. Ut quis inediam totos quatuordecim dies proroget, fieri nequit. Plinius lib. XI. ult. *Homini non ante septimum diem lethalis inedia; durasse & ultra undecimum plerosque, certum est*. Attamen S. Chrysostomus hom. 43. in Acta ad merum literæ sonum hæc accipit.

℣. 34. NULLIUS VESTRUM CAPILLUS DE CAPITE PERIBIT. Hebraica locurio (4), designans: Nemo vestrum damnum ullum patietur, si tamen mihi auscultaveritis.

℣. 35. SUMENS PANEM, GRATIAS EGIT. Exemplo persuasit cibum capere, nec mortis periculum timere. Breve istud prandium longe aliud est ab Eucharistia (5). Gratias Deo agit, & panem frangit, pro consueto Judæorum more (6).

℣. 38. JACTANTES TRITICUM IN MARE, quod navi vehebatur. Navis solverat Alexandria, quæ ceu Romanorum horreum habebatur.

℣. 39. TERRAM NON AGNOSCEBANT. Nautæ illi facile nunquam Melitam venerant. Vel forte, tenere se Insulam intellexere, sed nomen portumque ignorabant.

SINUM HABENTES LITUS. Sunt enim sinus, quos prærupti scopuli obsidentes reddunt inaccessos. Erat autem litus arenosum (7), quo facile naves allideventur.

℣. 40. CUM ANCHORAS SUSTULISSENT. Animadversum est supra, anchoras e puppi quatuor jactas fuisse, & e prora pariter nonnullas. Receperunt autem illas, ut vento opportune uterentur, motumque, pondere anchorarum prohibitum, navi restituerent. Reddi potest Græcus (8): *Amputarunt anchoras*. Cum enim servare navim desperarent, recipere anchoras neglexerunt, quæ inutile pondus dedissent.

LAXANTES JUNCTURAS GUBERNACULORUM (9). Navium quarumdam utrumque latus ferrato crassiori assere muniebatur, cui perinde ac clavo puppis, idem gubernaculi nomen dabatur. Cum asseres illi demittebantur in aquam, prohibebant, ne naves tunc potissimum, ubi leviorem habebant sarcinam, a vento facile subverterentur. In minoribus navigiis persimile duplex armamentum (10) conspicitur. Bochartus de Animal. part. 2. lib. 4. c. 1. egregie probat, veteres navibus suis duplex istud gubernaculum aptasse.

LEVATO ARTEMONE. Artemo parvus est malus in extremo navis, cui vela minora suspenduntur. Neque enim majora vela dare furentibus ventis ausi sunt, ne violento nimis impetu in litus agerentur. Malus princeps jam demissus fuerat ℣. 17.

℣. 41. IN LOCUM DITHALASSUM; in promontorium, cujus utrumque latus mari alluebatur. Vox Græca *dithalassus* Latinæ *bimaris* respondet. Grotius accipit de lingua terræ parvo maris divortio a continenti secreta: sed fallitur; locus enim quo Paulus pulsus fuit, lingua est terræ intra mare procurrens.

PUPPIS SOLVEBATUR, quod sola exponeretur maris ventorumque violentiæ, qui proram in vado hærentem agitare non poterant. Itaque navis in arena defixa cum cedere fluctibus non posset, fatiscendi periculum imminens subibat.

℣. 42. UT CUSTODIAS OCCIDERENT; vinctos necarent, nequis natando evadens, capitis periculo Centurionem ejusque milites exponeret. In similibus rerum eventibus id servatum est interdum, ut ex bello captivi, si qui forte erant, in navi necarentur. Jam supra ℣. 1. animadvertimus *custodias* de vinctis usurpari; quod etiam cultissimæ Latinitatis Scriproribus insuetum non est (11).

℣. 43. VOLENS SERVARE PAULUM; sive quod Civis Romanus esset, sive quod ejus virtutem suspiceret & amaret. Nec tamen virum adeo plene norat, uti deinceps agnovit.

EOS QUI POSSENT NATARE, nautas, milites, cæterosque. Demsisse autem vinctis catenas oportet, ut saluti suæ perinde ac cæteri consulerent. Romanos milites natationi assuefacere mos erat (12), ut illa uterentur opportune, præsertim in navalibus præliis.

℣. 44. ALIOS IN TABULIS FEREBANT; aliis scilicet tabulas supponebant. Natandi periti utilem præstabant cæteris operam, supponentes tabulas regentesque illos quodammodo ducentes, tabulasque moderantes. Græcus fert tantummodo, Centurionem monuisse socios, ut saluti suæ, ut quisque posset, consuleret (13); *Hos quidem in tabulis, hos autem super quædam eorum quæ de navi*. Constat autem, fœminas, pueros, ægrotos ac timore fractos vix ullum earum rerum usum facere potuisse, nisi natandi periti illos regerent ac dirigerent ad litus.

Censent quidam (14), naufragium istud unum esse e tribus, quorum Paulus in 2. ad Corinthios XI. 25. meminit; quin & tres dies noctesque, vel ut habet Paulus, & ferebant manuscripti quidam Codices Sulpicii Severi, diem unam noctemque in fundo maris tunc egisse, idem Sulpicius Severus (15) opinatur. Hæc tamen sententia vix ac ne vix quidem sustinetur; qua enim id Apostolus affirmat, Epistola triennio circiter ante naufragium istud data fuit.

(4) 1. Reg. XIV. 45. 3. Reg. 1. 52. Matt. X. 30. Luc. XXI. 18. (5) Chrysost. hic; Hieron. l. 2. c. 4. contra Jovin. Fromond. alii. (6) Vide Matt. XV. 36 Marc. VIII. 6. Joan. VI. 11. &c. (7) Ἔχοντα αἰγιαλόν. Αἰγιαλὸς significat arenosum. (8) Τὰς ἀγκύρας περιελόντες. Syr. Ludov. de Dieu: *Amputarunt anchoras*. (9) Ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων. (10) Grot. Le Clerc hic. (11) Sueton. in Domitiano. Paul. in L. Carcer; & Venul. L. Ne quis, &c. (12) Vegetius. Vide Fromond. hic. (13) Οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν, οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου. (14) Lyran. alii quid. apud Fromond. (15) Sulpic. Sever. Ep. 2. p. 222. 225. Vide Tillemont, Note 62. sur S. Paul.

CAPUT XXVIII.

Paulus Melitam pervenit, ubi viperæ morsum illæsus sustinens, tamquam Deus a Barbaris suspicitur. Filium Principis Insulæ illius, & ægrotos alios sanitati restituit. Post trium mensium moram, Romam ituri solvunt. Veniunt Puteolos; inde Romam. Causam adventus sui Judæis pandit Apostolus, iisdemque Jesum Christum per biennium prædicat.

℣. 1. Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. 2. Accensenim

docet, rem hic de Melite Illyricane non esse; si enim illi hybernandum in Adriatico fuisset, Epidauri portum, queter mille passus a Melite illa, selegisset (1).

Melite est Insula inter Siciliam & Africam jecens; quam veteres quidam Geographi Africæ, quidam vero Siciliæ edjungunt. Sub Romanis Siciliæ subdebatur, & Insulæ illius Præsidi perebat. Quamquem & suum hebebat Præfectum, *Principem Insulæ* hic ℣. 7. & in veteri Inscriptione (3) appelletum.

Barbari vero præstabant non modicam humanitatam nobis. Melitenses, eb ipsa origine, Colonia erant Phœnicum, vel Carthaginiensium, quorum vernaculus sermo vetus erei Punicus, vel Africanus. Linguæ hujus vestigia hodieque superesse feruntur in vetustis Inscriptionibus, Punicis literis, & in Incolis, quos vocebula plura Arabice & Hebraice non latent (4). Censet Bochertus, Incolas hosce reliquies esse Arabum Africanorum, qui in ea Insula dominabentur ente Equites S. Joannis, e quibus hodie tenetur. Constat, Græcos Siculos & Africanos diu inter se disceptasse de illius Insulæ possessione, antequam in Romenorum potestatem veniret. Quæ ibi reperiuntur Græca numismate, & Inscriptiones probant, eam linguam diu ibi etiem post Romanorum invasionem obtinuisse.

Melitenses Incolæ hodie Barberiemam, id est Arebicam linguem ita habent familiarem, ut eliam quamcumque nesciant. Equidem & Italice loquuntur in Urbe Vellette, ubi Equites resident; sed agrestes Italice ignorant. Sunt etiam in urbe Vallette, quam vocant Victricem, Græcæ quædam Parœciæ, sed in Græcorum illorum usum, qui cum Equitibus e Rhodo venerunt, eorum fortunem sequuti. Quamquem autem Melitenses varia subinde imperia muterunt, semper temen in Catholica fide constentes perseveravere.

At enim quinam sunt Barbari illi, quorum Lucas meminit? Fortasse Africanorum vel Phœnicum reliquiæ in Insule residuæ, qui nec Latine nec Græce loqui docti, *Barbari* appellebantur; solemni Græcorum more, qui id nominis primo quidem omnibus Græcam ignorantibus, deinde Græcum Latinumque nescientibus tribuerunt. Paulum & socios e naufragio servatos primo quidem agrestes illi Insulares, qui hic *Barbari* appellantur, exceperunt; sed continuo Insulæ Præfectus, vir Romanus, aceivit illos in urbem, quam Græci facile ee Latini frequentabant.

℣. 2. Reficiebant nos omnes, fessos nos opisque indigos recrearunt. Græcus (5): *Acceperunt omnes nos*. Optimorum Interpretum quidam mendum aliquod in Latino esse rati, pro *reficiebant*, legendum *recipiebant* suspicentur.

Propter imbrem qui imminebat, vel qui cedebat, vel propter frigus rigens. Vix elapsis, madentibusque adhuc, & labore æstuque natandi solutis, imber supervenit.

℣. 3. Sarmentorum multitudinem. Græca vox (6) non de sermentis modo, sed de strue remorum cujusvis generis accipitur.

Vipera a calore cum processisset. Vipera ex nimia frigoris vi torpens, inter remos, quos Paulus collegit ad ignem, latebat. Sed flammæ admote incelescens, insiluit in menum Pauli, qui facile ligne rogo injecta componebat.

Invasit manum ejus. Spiris suis manum ejus embiit; quin & morsu illum fetiisse, ex Patribus plures (7) censent. Profecto nisi momordisset, nunquam expectassent Insulares, illum repente exenimem ruiturum; nec, veneni vim nullam sensisse admirati, obstupuissent. Simplex viperæ tactus nihil officit. Græcus quidem de hoc enguis morsu nihil habet, sed tantum invasisse manum ejus exhibet; & Bochertus (8) non momordisse contendit. Sed contraria opinio multo probabilior est, ejus veritatem testantibus reliquis historiæ hujus adjunctis. An credibile est, enguem calore irritatum manum Peuli ita invesisse, ut abstineret a morsu, seque excuti in flemmes permitteret, quin prius omni nisu se defenderit?

Anguis ille veneficus tunc erat maxime, ut incolæ testati sunt, opperientes Apostolum subito casu moriturum. Ferunt temen Apostolum diras pronunciasse in viperas cæteraque virulenta animantia, quæ tunc insulem infestabant; ex tunc vero viperes Melitenses viru caruisse, allatasque ex insule in Siciliam angues illos insitam nocendi vim resumere. Vicissim eutem è Sicilia Melitam translati veneno privantur. Angues lapidefacti frequentes ibi reperiuntur, quorum linguæ, oculi, viscera præsentissimum sunt emuletum contra morsus enguium, vel saltem remedium pro reddenda veletudine iis, qui eo morsu affecti sunt, siquidem appensæ collo teneantur. Alios vero juvat rasura lapidis ejus speluncæ, ubi Apostolus commoretus est. Hæc omnia me docuit vir ille ex ea Insula oriundus.

℣. 4. Ultio non sinit eum vivere. Barbaris hisce sedebat opinio, crimen e Deo impunitum non relinqui, ut tandem aliquando pœne scelerum exigatur. Porro illi ea in re parum admodum videbant; nec norant, Dei ultionem majorem in altera vita experti, ut sæpe majore criminis ad mortem usque impunita relinquantur. Græca vox (9) significat proprie justitiam; sed & pro divina ultione usurpatur. Consecraverant Ethnici Deam quamdam (10) filiam Jovis, vel ipsis Numinibus venerabilem, quæ illi Deorum & hominum Regi renunciabat injuries, a mortalibus sibi irrogatas, earumque ultionem urgebat. Familiariter illa cum hominibus egit per totem auri ætatem; sed incipientibus illis aratorios boves necare, terram relinquens, in Cœlum se recepit (11). Author Ecclesiastici 39. 35. viperam cum scorpionibus & dentibus belluarum carnivorarum inter furoris Dei instrumenta recenset; seditque Ægyptiis opinio (12), aspidem, quem Thermuthim appellant, bonis parcere, impios perimere.

℣. 5. Excutiens bestiam in ignem. Græci olim viperam, *therion*, bestiam appellabant; unde *theriace*, quæ ex viperæ carne conficitur. Prudentius (13) docet viperam ab Apostolo procul excussam:

Excussumque procul decutit aspidem:
Abjectus coluber verberat aera.

℣. 6. Existimabant eum in tumorem vertendum. Viperæ venenum omnium maxime pestiferum est & violentum. Horrendam sanguinis inflammationem & ebullitionem parit, ut qui viperæ morsu affecti sunt, toto tumescant corpore, doloribusque exurantur adeo acerbis, ut perinde ac si vivi ardeant, ejulent & vociferentur. Græcus fert (14), Barbaros expectasse, ut *Paulus ureretur, vel repente mortuus decideret*. Profecto de natura viperæ scribentes afferunt, ejus morsu horrende intumescere corpus, & misere aduri (15).

(1) Vide Boch. Chanaan lib. 2. c. 26. (3) Quintinus apud Boch. loco citato: A. KA. ΚΥΡ. ΙΠΠΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. (4) Joan. Quintin. Hæduus, Ep. ad Sophum scripta Melitæ an. 1531 apud Boch. Chanaan lib. 1. cap. 26. (5) Προσελάβοντο πάντας ἡμᾶς. Vide Bedam. (6) Φρυγάνων πλῆθος. (7) Syr. Arab. Tertull. Scorpiac. *Paulus morsum viperæ sprevit*. Ambros. Hexaemer. l. 6. cap. 2. Prudent. *Retrulit ad manum vibrato capite spicula dentium*. Arator lib. 2. hist. Apost. Oecum. alii. (8) Bochart. de animal. lib. 3. cap. 2. (9) Ἡ δίκη. (10) Hesiod. oper. & dies vers. 254. (11) Arati Phænomena. & Nazianz. car. 3. (12) Ælian. hist. anim. lib. 10. cap. 31. Vide Bochart. de anim. sacr. par. 2. lib. 3. cap. 2. (13) Prudent. Hamartigen. car. 1. (14) Αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν. (15) Nicander, Theriac. v. 240. Dioscorid. lib. 6. Paul. Æginet. Aetius; alii apud Boch. loco citato.

Non tamen semper mora statim sequitur. Idcirco suspensi hærebant Barbari, expectantes sive ut intumesceret, sive ut mortuus caderet. Verum nonnulli docent, viperarum alias repentinam statim mortem inducere, alias vero longiorem vitam permittere. Pendet id ex varia anguis habitudine, minus magisve sæviat, satura sit vel esuriat; ex humoribus etiam, ætate & temperamento illius, qui eo morsu afficitur.

Fama est (10), Melitam Africanam nulla infestari seu vipera, seu venenata bellua, quin nec vivere quidquam ex illis posse ibi præsertim, ubi Paulus a vipera ictus fuit. Est locus spelunca, ex qua quotidie frusta lapidis vel terræ erasa, in varias Orbis partes deferuntur, quorum mira virtus est ad exscindendas venenatas quascumque belluas, & adversus morsum anguium atque scorpionum. Id sane naturali soli illius virtuti non tribuas. Melitensium expectatio, viperam inhærentem manui Pauli cernentium, satis probat, angues ibi perinde atque alibi pestiferos fuisse. Igitur indita virtus illa creditur ex benedictione & precibus Apostoli, qui privilegium illud Insulæ impetravit. Itinerarii cujusdam Scriptor asserit, spectari ibi pueros, mira securitate scorpiones innoxie tractantes.

Scatet Insula viperis & anguibus in lapidem concretis, quorum linguæ, oculi, viscera amuletum sunt adversus venena præsentissimum; uti & in eam rem scobs e petra speluncæ S. Pauli plurimum valet. Delatæ interdum Melitam e Sicilia viperæ, venenum statim deposuerunt, quemadmodum Melitenses in Siciliam translatæ virus imbiberunt.

Esse Deum. Suspicati sunt, Deum esse, Herculem malorum depulsorem, sanctissimum Melitensium Numen (11). Facinorum Herculis primum est, quod angues vel in cunis suffocaverit. Ante aliquot annos Lystrenses Mercurii Numen in Apostolo agnoverant. Act. x. 19.

℣. 7. Erant prædia Principis Insulæ, nomine Publii. Non sine maxima veri specie Grotius & Bochartus arbitrantur, Publium hunc Insulæ præfecturam a Romanis traditam gessisse, nomenque *Principis Insulæ* titulum esse dignitatis. Vide quæ supra ℣. 1. disputavimus. Creditur Publius ille cum Insulatibus plerisque ad Christianos transiisse (12); quem Latinorum nonnulli cum Adone censuerunt, adhæsisse Paulo, & ab eo Episcopum renunciatum, missumque ad Evangelium promulgandum venisse Athenas, quam Ecclesiam & ut Episcopum gessisse, & ut Martyrem sanguine suo illustrasse. Sed opinio illa ruit, cum Publius Athenarum Episcopus circa ætatem M. Aurelii martyrium obierit (13).

℣. 8. Febribus et dissenteria; qui duo morbi in sene curationem reddunt difficilem, & valetudinem periculosam. Sanitati redditus fuit ab Apostolo facile eo triduo, quo Publius Julium Centurionem & socios hospites habuit. Porro opulentissimum fuisse & maxime liberalem Publium hunc oportet, ut duos & septuaginta supra ducentos alere triduo potuerit.

℣. 10. Multis honoribus nos honoraverunt: seu potius, pro acceptis beneficiis plurima nobis affatim rependerunt. Bonis omnibus nos cumulavere (14) pro valetudine, quam ægris Paulus contulit.

℣. 11. Post tres menses navigavimus. Si Melitam venisse exeunte Octobri statuantur, uti supra definivimus, Februario ineunte solvisse censendi erunt; matutius quam ferat maritima navigatio. Sed interdum Februarius mitissimus currit, & navigationi opportunus.

Cui erat insigne Castorum. Alexandrina hæc navis diversa erat ab ea, quam Myræ in Lycia conscenderant. Quam Melitæ nacti sunt, præferebat *insigne Castorum*; Castoris scilicet & Pollucis. Græcus (15): *Insigne Dioscurorum*, seu geminorum ex Jove & Leda, quorum Castor natu major, Pollux minor. Numina erant adversus tempestates propria, & nautis religiosissima. Olim majores naves insigne aliquod in prora præferebant; puppim vero imaginibus Deorum custodum vel præsidum consecrabant. Dioscuri sive Castor & Pollux in ipsa navigii fronte, in prora nempe, emicabant, totique navi nomen dabant (16). Est apud Virgilium Æneid. x. *Tigris* appellata, ex tigridis imagine in prora:

.... *Ærata Princeps secat æquora Tigri.*

Est & alia, *Centaurus* (17) & Chimæra, eamdem ob causam. Navis quæ Ganimedem rapuit, *Aquilæ*; quæ Europam, *Tauri* nomen obtinebat; atque hinc ortæ fabulæ Ganimedis ab Aquila, Europæ a Tauro raptæ.

Longe ab his diversi erant Dii navis præsides. Dicata erat illis puppis seu navigii tergum (18): *Ingentes de puppe Dii*: Ovidius lib. 1. Trist. el. 3.

...... *Puppique recurvæ*
Insilit, & pictos verberat unda Deos.

Virgilius navi eidem, quam Tigrim appellat, custodem Numen Apollinem tribuit:

.... *Aurato fulgebat Apolline puppis.*

Custodes istos navium Deos *Patæcos* appellari, ex Herodoto lib. 3. c. 37. discimus. Corollis redimebantur, in gratiarum actionem, ubi portum feliciter navis tenuisset. Virgilius.

Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

℣. 12. Cum venissemus Syracusam. E Melita in Italiam brevior est navigatio, secundum oras Siciliæ orientales, ut freto inter Siciliam & Italiam sese navis insinuet. Syracusis, urbe Siciliæ celeberrima, triduo steterunt; inde Rhegium venerunt in oris Italiæ, Calabriæ urbem, e regione Siciliæ. Vide Tabulam.

℣. 13. Flante austro venimus Puteolos. Ventus australis propitius illis flabat. Puteoli urbs est Campaniæ, octo passuum millibus Neapoli. Emporium erat Alexandrinis navibus frequentatum (19); ac Roma leucis quinquaginta circiter abest. S. Ignatius cum veniret (20) martyrium Romæ obiturus, optaverat Puteolos tenere, ut vestigia Pauli relegeret; at Deo non permittente ut voti compos fieret, felices dicebat Fideles illos, qui ibi sedem habebant.

℣. 14. Ubi inventis fratribus, Christianis, jam in Italia frequentibus, ut ex Epistola ad Romanos ante aliquot annos scripta constat. *Rogati sumus manere apud eos*. Reddi Græcus potest (21): *Solatium eorum nomine accepimus, septem diebus apud illos manentes*. Seu: Id habuimus solatii, ut septem dierum moram cum illis traheremus.

Sic venimus Romam (22); Romam profecti sumus; iter Romam versus capessivimus. Ita enim reddi debet Textus.

℣. 15. Occurrerunt nobis usque ad Appii forum, duo & quinquaginta passuum millia ab urbe. Hinc disce, quantum fuerit primis illis Christianis studium, quantus amor & veneratio erga Apostolos, ac præsertim Paulum, quem nonnisi fama & scripta ad se Epistola noverant. *Forum Appii* appellabatur locus ex statua Appii Claudii (23), qui lapidibus straverat viam Roma Capuam,

(10) Quintinus Ædaus; Baron. an. 58. Fromond. alii. (11) Grot. & Heinf. Bochart. (12) Vide Chrysost. hom. 54. in Acta; Gregor. in Job lib. 27. c. 11. & Recentiores plures. (13) Vide Tillemont, Nota 64. ius S. Paul. (14) Hamm. Fromond. Vide 1. Timot. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt.* (15) Παρασήμῳ Διοσκούροις. (16) Scaliger, Boch Chanaan, Grot. (17) Æn. v. *Ingenti mole Chimæram*. Et *Centauro invehitur magna*. (18) Perf. Sat. 6. (19) Grot. ad Act. xxvii. 6. Baron. ad an. 59. (20) Acta Martyr. Sincera pag. 705. 706. (21) Παρεκλήθημεν ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμεῖναι ἡμέρας ἑπτά. (22) Εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν. (23) Isidor. Pelus. Ep. 317. Sanct. Cornel.

puam, cui deinde nomen Appiæ mansit. Locus erat conspicuus ad mare, ubi frequens erat semper nautarum advenarumque confluxus (24).

TRES TABERNAS. Alter is erat locus celebris in via Appia, tribus ac triginta passuum millibus ab urbe. Igitur alii in occursum Pauli usque ad forum Appii, alii ad tres tabernas processerunt.

℣. 16. CUM VENISSEMUS ROMAM. Eo pervenisse Paulum exeunte Februario, censemus. Vetusta Martyrologia (25) adventum illum ad diem VI. Julii consignant. Arator (26), sexti sæculi Scriptor, ad mensem Martium refert. Græcus addit hic (27): *Centurio tradidit vinctos Præfecto Prætorii*. Id muneris agebat tunc *Afranius Burrus*, qui præfecturam illam a Claudio anno J. C. 51. acceperat. Utilem plurimamque operam in evehendo ad Imperium Nerone contulit; cumque authoritatis aliquid in illum retinuisset, pravum ejus ingenium nonnihil coercebat. Fato cessit anno J. C. 62. post adventum Pauli Romam secundo circiter. Ejus viri prudentia & lenitas apud Scriptores veteres celebratur, cujus egregiæ dotis argumentum esse videtur copia, quam Paulo fecit, ut *maneret sibimet cum custodiente se milite*.

MANERE SIBIMET CUM CUSTODIENTE SE MILITE. Libera illi facultas data fuit manendi in urbe extra carceris custodiam, semper tamen dexteram manum nectente catena, cujus altera ora ligabat sinistram militis, qui suo periculo illum custodiebat. Hujus moris non semel jam meminimus. Exemplum ejus videas apud Athenæum in Marino Aquilio, qui alligatus Bastarnæ, homini cubitis quinque, vel pedibus septem ac semis procero, eo inequitante trahebatur (28). Notat Josephus Antiqu. lib. 18. c. 8. concessum fuisse Agrippæ militem eadem secum catena vinctum; qua addita custodia, nec carcere clausus detineretur, nec amicorum visitationibus careret. Mortales omnes perinde ac vinctos militi suo alligatos reputat Seneca (29), addens: *Alligatique sunt etiam qui alligaverunt, nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas*. Militem hunc additum fuisse Apostolo, ad illius securitatem adversus Judæorum insidias potius quam ad impediendam fugam, S. Chrysostomus hom. 54. in Acta censet.

℣. 17. PRIMOS JUDÆORUM Romanorum, Principes Synagogæ, viros amplissimos. Animadversum est supra (30), Claudium urbe Judæos expulisse, occasione seditionis inter illos & Christianos motæ. Eo tamen fatis functo, quinquennio ante Pauli adventum in urbem, pristinas continuo sedes repetierunt. Quin & discimus ex Epistola ejusdem Apostoli ad Romanos, ante biennium data (31), jam tunc Judæos Christianosque frequentes Romæ egisse. Igitur Paulus rogavit Principes Judæorum, ut ad se venirent; nondum quippe potiebatur ea libertate, quam deinde obtinuit, discurrendi per urbem ad arbitrium cum milite custode, domumque sibi conducendi. Gesta enim sunt hæc triduo post adventum Romam, citius quam ut commodum fuerit Præfecto Prætorii cognoscere causam Pauli, virumque intime adeo noscere, ut tuto illum extra carceris custodiam permitteret. Utcumque res habeat sese, Paulus sollicitam posuit curam cito advocandi Judæos, antequam eorum animi adversum sese occuparentur, redditisque Judæorum Jerosolymitanorum literis suspicionem eorum incurreret.

Porro certiores illos fecit, se nullius in populum criminis, nullius in patrios mores peccati reum detentum fuisse, *& in manus Romanorum* traditum; idest, impotenter adeo in se debacchatos fuisse Judæos, ut metuentes Romani ne discerperetur, e furentium manibus illum eripuerint (32). Addit (℣. 18.), innocentiam suam palam agnitam a Romanis Præsidibus Felice & Festo, a quibus, præsertim a Festo, libertati restituendus erat, nisi ipse Imperatorem appellasset. *Addit*, *Judæos contradixisse* tam bene sibi affectis Præsidibus, ut invitus licet coactus fuerit externum tribunal appellare, postquam non semel illorum molimina in necem suam sustinuit, oneratusque fuit ingentibus criminibus, quorum testem exhibere nullum poterant. Summam hic tantummodo orationis Pauli ad Judæos exhibet Lucas; putamus enim latius illum ea omnia, quæ sibi Jerosolymis acciderunt, usque ad susceptam Cæsareæ navigationem, persequutum fuisse.

℣. 20. PROPTER SPEM ISRAEL CATENA HAC CIRCUMDATUS SUM. Hac vere de causa detentum me in carcerem detruserunt, quod scilicet prædico Messiam (33), spem Israelis in Jesu Christo venisse; sive potius, quod prædico e mortuis resurrectionem (34), quam unam in spem universus Dei populus arrectus est. Id equidem efferavit animos Principum Sacerdotum & Saducæorum in Paulum, ut alibi non semel animadvertimus (35).

℣. 21. NEQUE ALIQUIS FRATRUM NUNTIAVIT QUID DE TE MALUM. Nemo unus e Judæa frater advenit, nec quidquam mali per literas ad nos ab illis datas de te rescivimus. E Palæstina solverat Paulus anni tempestate jam ingravescente; & quamquam casus plures navigationem illam retardaverant, adhuc tamen mature satis Romam pervenerat, si venisse statuatur, uti supra constituimus, Februario mense. Vix alius e Palæstina Judæus eo venire citius potuisset. Hyemalis anni tempestas inepta est navigationi. Sed non immerito reputamus, non defuisse Judæos, quin quam citissime eo mitterent viros, ad suas in Paulum accusationes instaurandas.

℣. 22. ROGAMUS A TE AUDIRE QUÆ SENTIS . . . . DE SECTA HAC, qui ubique contradicitur. Revera nulla erat e Synagogis, quæ Christianam Religionem pro viribus non impugnaret; quique se Jesu Christi asseclas profitebantur, illos e suis cœtibus non arceret. Quin & ubique per Orbem missis literis Jesum Christum ejusque doctrinam damnaverant (36). Romæ agentes Judæi ignorabant forte epistolam, quam Paulus ante biennium miserat ad Fideles Romanos, id est ad Judæos, vel Ethnicos ad Fidem conversos. Neque enim palam in Synagoga lecta fuerat. Et si forte illam noverant, id tamen non obstabat, quin ipsum Apostolum audire cuperent. Aliter enim mentem exponimus viva voce & per otium, aliter scripta epistola, e longinquo ad homines ignotos data.

℣. 23. TESTIFICANS REGNUM DEI. Ita appellare solebant Judæi Regnum Messiæ ejusque adventum. Jesus Christus in Evangelio hac sæpe phrasi utitur, ut Evangelii prædicationem, gentium conversionem, Ecclesiæ suæ institutionem significet. Igitur conabatur Apostolus probare Judæis, Jesum Christum Messiam esse, ejusque Regnum constitutum iri per universam terram, Judæorum ac Gentium conversione. Omnia facile a se gesta produxit in medium, nec siluit prodigia, quibus prædicationem suam Deus commendavit, & ingen-

(24) Horat. lib. 1. Satyr. 5. . . . . *Inde forum Appi Differtum nautis, cauponibus atque malignis.* (25) Beda, Ado, Usuard. Vide Baron. (26) Arator: *Pullulat interea nitidi coma frondea veris, Qua juvenescit humus senio, fugiente pruina.* (27) Ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ. At ista non leguntur in Alexandrino, Syro, S. Chrysostomo, aliisque. Rejiciuntur ceu glossema a Zegero, Millio, atque aliis. (28) Athen. apud Grot. hic. (29) Senec. de tranquill. lib. 1. cap. 10. (30) Act. XVIII. 2. Vide Sueton. lib. 5. cap. 25 Contigit hoc circa annum 49. J. C. & 9. Claudii. (31) Anno 58. J. C. (32) Act. XXI. 31. & XXII. 22. 23. & XXIII. 10. &c. (33) Vat. Cornel. Men. Tir. alii. (34) Grot. Fromond. (35) Act. XXIII. 6. XXIV. 15. XXVI. 6. (36) Vide Justin. Dialog. pag. 234. 235. Origen. lib 6. cont. Cels. Euseb. & Hieron. in Isai. XVIII. 2.

gentem Ethnicorum turbam, quæ vitæ verbum admiserat. Probavit ex Scripturis, Messiam jam venisse, & oracula omnia de Liberatore Israelis lata in Jesu Christo congruere.

Ex Lege et Prophetis. Ita dividebant Judæi quidquid erat veteris Testamenti (37). *Legis* nomine quinque Moysis Libros; *Prophetarum* vero reliquos censebant.

A mane usque ad vesperam. Id autem non prima illa tantum die, sed pluribus aliis continuatis; hic enim congressus diu duravit, donec Paulus intelligens non convenire inter ipsos, & libidine quadam discordiæ ac repugnandi pruritu resistere iis, quæ a se dicebantur, palam declaravit futurum, ut recusantibus illis Deus veritates suas Gentibus panderet, ipseque ad illas meliore successu Evangelium promulgaret.

℣. 26. Aure audietis, et non intelligetis. Verba ista sæpe Judæis obduratis aptantur. De Judæis ætatis suæ ista dixerat Isaias 6. 10. & Jesus Christus ejusque Apostoli illis, ad quos verba faciebant, non immerito accommodarunt (38). Quin & congruere possent non modo nostræ ætatis Hebræis, sed Christianis quibusdam, qui sancta Religionis axiomata legunt & assequuntur; genuinum eorum sensum nec mente nec corde tenent. Hanc sententiam fusius alibi non semel explicavimus.

℣. 28. *Gentibus missum est hoc salutare*. Conditens animi sensus securius apertiusque, quam in Judæa præstiterat, Romæ pandit Apostolus, sub tutela videlicet Imperatoris, & in loco, ubi minima erat Judæorum auctoritas & vis (39). Quandoquidem vos Evangelium admittere recusatis, verto me ad Gentes, juxta spem illis ab antiquis Prophetis olim factam; easque multo quam vos dociliores me nacturum confido.

℣. 29. Multam habentes quæstionem; aliis Paulum defendentibus, aliis damnantibus. Huic hominum cœtui pii multi & religiosi Christiani aderant, qui doctrinam Pauli adversus Judæos incredulos ac pervicaces tuebantur. Versiculus iste in Græcis pluribus Codicibus, sicut & in Alexandrino, deest, desideraturque apud Copthum, Syrum, aliosque plures; adeoque suspectus est (40).

℣. 30. Mansit biennio toto in suo conducto, cujus conductionis pretium non ex alienis laboribus, sed ex suo labore, quantum præsens conditio permittebat, parta pecunia solvit, ait S. Chrysostomus homil. 55. in Acta. Ibi excipiebat quotquot ad se audiendum venirent; Evangelium alte prædicabat, ut vincula illa plurimum ad fidei propagationem contulerint Philipp. 1. 12. ejusque nomen celebre apud Neronem, ubi non infrequentes erant Christiani Philipp. iv. 22. efficeretur. Ibidem versans ille, consuetudinem cum Seneca Philosopho junxisse fertur; Vide Baron. ad an. 66. num. 11. quin & Epistolæ quædam mutuæ amborum vulgatæ sunt, quas agnovisse & probasse SS. Augustinus Ep. olim 54. nunc 153. & Hieronymus de Viris illustr. cap. 12. videntur; sed Docti omnes nostræ ætatis ceu spurias, & Apostolo ac Seneca indignas rejiciunt.

Fideles Philippenses, quorum semper fuit erga Apostolum amor & charitas eximia, ubi Romæ vinctum ob Jesu Christi nomen detineri audierunt, Apostolum sive Episcopum suum Epaphroditum miserunt cum necessario pecuniæ auxilio; qui Apostolo sedulam adeo navavit operam, ut propterea morbum sane periculosum incurrerit. Ubi convaluit, rediit Philippos, acceptam ex Paulo Epistolam ad Philippenses 1. 12. 11. 25. 1v. 15. &c. deferens, ex qua singula hæc gesta discimus. Ex Epistolæ hujus inscriptione intelligimus, Timotheum Romæ tunc cum Apostolo versatum, eumdemque Apostolum sperasse, brevi se liberum fore.

Dum biennio illo Romæ morabatur Paulus, Onesimum servum Philemonis amici sui ad fidem convertit. Porro ille furti in herum reus, Colossis Phrygiæ se subducens, Romam profugerat, ubi Paulo occurrens, agnito illi crimen suum detexit, eodemque suadente fidem amplexus est, ac illustre sibi nomen in Ecclesia fecit. Apostolo remittente, rediit ad herum cum Epistola ejusdem ad Philemonem, quæ adhuc superest, ac gestæ rei historiam servat. Adfuisse tunc Apostolo comites Epaphram, Aristarchum, Lucam, Demam, & Marcum, ex illa x1. 23. 24. constat.

Tanti amici gratia Philemon Onesimum excepit benevole, fugam furtumque condonans; nec diu post Romam iterum remisit, ut laboranti in vinculis Apostolo inserviret. Sed certior idem Paulus factus ex Epaphra, tum & per literas, quas Onesimus Laodicea detulerat, falsos quosdam Apostolos errores per Ecclesiam Colossensium spargere, Epistolam ad Fideles illos dedit, qua illos adversus gliscens malum muniret, & Tychicho fideli Dei ministro ac Onesimo, quem iterum Philemoni restituit, ferendam commisit. Hæc Epistola ad nos usque transmissa est.

Romæ adhuc, vel saltem in Italia versabatur, cum ad Hebræos Epistolam dedit. Non moramur hic ea quæ in illam objiciuntur, cum fusius singula in Præfatione ad Epistolæ illius Commentarium expendenda sint. Sub idem tempus, vel paulo antea, libertati restitutus fuit; qua tamen ratione, ignotum, cum nihil de illa sive Lucas sive ex Antiquis alius memoriæ prodiderit. Reliqua etiam ejus gesta ad obitum usque ignorantur. Sed compertum est, plura illum itinera obiisse, Evangelii lumen infinita pene in loca intulisse, novasque perpessum catenas, tormenta, certamina, carceres, insidias; tot egregios labores tandem capite diminutum Romæ anno J. C. 66. Neronis 13. gloriose coronasse.

(37) Matth. vii. 12. xxii. 40. Luc. xvi. 16. Act. xxiv. 14. (38) Matth. xiii. 14. 15. Marc. iv. 12. Luc. viii. 10. Joan. xii. 40. Rom. xi. 8. (39) Chrysostom. Fromond. (40) Vide Mill. hic, & Proleg. 951. Erasm.

FINIS ACTORUM APOSTOLORUM.

V A-

VARIÆ LECTIONES
QUATUOR EVANGELIORUM

Ex vetustis Codicibus.

EDitis Commentariis in Matthæum, exhibitus nobis est Codex vetustissimus Corbejensis Monasterii n. 195. sexto sæculo descriptus Romanis literis, in quo vocabula persæpe nullo discrimine sejunguntur, & recta scribendi regula parum servatur. Continet hic Codex quatuor Evangelia, qualia olim legebantur, antequam a S. Hieronymo corrigerentur, seu verterentur. Cum autem eo Codice uterentur in Ecclesia, ut ex eo Evangelium in Missa canerent, hinc persæpe fit, præsertim in Mattheo, ut interpolationes occurrant, quibus Codex simillimus efficeretur Vulgatæ ea Hieronymiana Versione. Eæ tamen correctiones nullo negotio dignoscuntur, tum ex attamento, tum ex literarum forma. Quatuor Evangelia alium plane ordinem in eo servant, atque in nostris Exemplaribus. I. Mattheus, ex quo priora undecim Capita perierunt; II. Joannes: III. Lucas, sive *Lucanus*, quemadmodum in eo nominatur; IV. Marcus. Præcipua lectionum discrimina ex eo Codice collegimus. Siquis omnia describere voluerit, Codicem totum exscribat necesse est, singulis enim prope versiculis occurrunt, si verborum ordinem & vim spectes.

Codicis hujus, & aliorum ope, quos in vetustis Bibliothecis invenire est, minime dubito, quin vetus Italica in Evangeliis restitui queat. Lucas Brugensis meminit vetusti Codicis e Malmundariensi Monasterio, veterem Vulgatam continentis. Martianæus, Monachus S. Benedicti, ex Congregatione S. Mauri, veterem Matthæi textum dedit, ex vetustis duobus Codicibus, altero S. Germani Pratensi, altero Corbejensi: at Corbejensis alius plane est & vetustate & literarum forma. Corbejensis Martianæi vetustior non est annis DCCC. literis Saxonicis, seu Merovingis exaratus. Noster Romanis literis, quadratis, majusculis descriptus est, ad sæculum sextum pertinens, eruditissimorum judicio. Martianæi Codex Mattheum dumtaxat fert ex Vetere Italica; noster quatuor Evangelia. Cum Codicem nostrum contulimus cum editione Matthæi per Martianæum, noster hic convenire magis videtur cum Codice S. Germani Pratensis, ex quo Martianæus varias lectiones eruit, in ora Editionis suæ adscriptas. Collatis hisce variantibus, verum omnino esse invenies, quod ait Hieronymus in Præfatione ad quatuor Evangelia: *Si Latinis exemplaribus fides sit adhibenda, respondeant, quibus? Tot enim sunt exemplaria pene, quot Codices.*

VARIÆ LECTIONES,

Ex vetusto Codice Corbejensi num. 195. quatuor Evangelia complectente.

Priora undecim Matthæi Capita desiderantur.

℣. CAPUT XII.

1 PEr *segetes sabbatis.. Servientes*, pro, *esurientes*.
8 Dominus est enim sabbati, Filius hominis.
24 Nisi in Belsebul.
27 Judices erunt vestri.
37 Unusquisque enim ex verbis suis condemnabitur.
41 Ninevitæ resurgent in judicium ... Ecce plus quam Jona.
42 Ab ultimis partibus terræ ... Ecce plus quam Salomon.
43 Et non inveniet.
45 Introeuntes habitant in eo .... Pejora magis quam priora.
46 Hæc eo loquente ad turbas ... Loqui cum eo.
47 Quærentes loqui tecum.
48 Mater mea, an fratres mei?

℣. CAPUT XIII.

1 EXiit Jesus & sedebat. *rec. m.* Exiit de domo.
In naviculam ascenderet sedere, & omnes turbæ stabant.
4 Volucres, & comederunt ea.
14 Implebitur in eis Prophetia Isaiæ.
22 Sollicitudo sæculi, & voluptas divitiarum. *recent. manu*, Fallacia.
30 Colligate ea fasciculos.
32 Majus fit omnibus holeribus.
33 In farinæ mensuris tribus.
35 Eructabo absconsa ante constitutionem mundi.
36 Parabolam tritici, & zizaniorum agri.
38 Filii sunt nequitiæ.
44 Quem cum invenit homo.
45 Homini negotianti, quærenti bonam margaritam.
47 Reti misso in mare, quod ex omni genere piscium collegit.
48 Cum autem esset impletum, eduxerunt id ad littus, & sedentes elegerunt optimos in vasis, malos autem projecerunt foras.
51 Dicunt ei utique.
55 Filius Joseph fabri? ... Judas, & Simon?

℣. CAPUT XIV.

3 FRatris sui Philippi.
5 Habebant eum.
6 In medio triclinii.
8 Dixit: Da mihi in disco caput Joannis Baptistæ.
9 Herodes propter juramentum, & propter simul recumbentes. *recent. manu:* Propter juramentum autem, &c.
10 Misitque, & decollavit eum, & allatum est caput, &c. Puella autem attulit matri suæ.
13 Quo audito, Jesus secessit inde in navicula.
14 Et vidit turbam multam misertus est illi. *recent. manu*. Exiens vidit, &c.
21 Exceptis pueris, & mulieribus.
22 Præcedere trans fretum.
23 Dimisit turbam, & ascendit.
24 Erat enim illis ventus contrarius.
27 Constantes estote, nolite timere, ego sum.
28 Super aquam.
32 Cum ascendisset.
33 Vere Filius Dei est.
36 Quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

℣. CAPUT XV. Ms. XLV.

2 CUM manducant panem.
6 Et non honorificavit patrem suum, &c. Irritum fecistis verbum Dei.
8 Plebs hæc me labiis honorat.
14 Cæci sunt duces cæcorum ... Si cæco ducatum dederit.
20 Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. (*Hæc non leguntur nisi rec. m.*) Egressa a finibus illis.
26 Non licet accipere panem filiorum, &c.
30 Claudos, cæcus, debiles, mutuos ... Et curavit eos omnes.
32 Quia triduum est jam quod perseverant mecum.
33 Et saturentur turbæ.
35 Præcepit turbæ discumbere in terra.
39 Magedam.

℣. CAPUT XVI.

2 RUbicundum est enim cum nubibus cœlum.
3 Tempestas erit; rubicundum est enim cum tristitia cœlum.
8 Quibus cogitantibus dixit Jesus.
10 Septem panum, & quatuor millia hominum.
12 Non dixit a fermento, sed a doctrina Pharisæorum. *rec. m.* A fermento panum, sed a doctrina.
13 Quem me dicunt homines esse Filium hominis?
18 Dico tibi, tu es Petrus ... Non prævalebunt ei.

ei. (vel *ejus*).
19 Quæcumque ligaveris . . . eruot ligata, &c.
20 Quod ipse esset Christus.
21 Post tertium diem resurgere.
22 Cœpit increpare, & dicere : Absit a te, propitius (esto) tibi; non erit illud.
23 Vade retro post me, Satana.. Rec. manu. *Quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*.
24 Post me vult venire, abneget se sibi ... Tollat crucem *meam*. Recent. manu. *Suam*.
26 Commutationem animæ suæ.
27 In majestate Patris sui.

ỷ. CAPUT XVII.

3 APparuit illis Moyses, & Helias cooloquentes cum eo.
5 Inumbrabit eos. *rec. manu*. Obumbrabit.
9 Dixeritis visum.
11 Veoturus est restituere omnia.
12 Fecerunt ei quanta voluerunt.
Sic & Filius hominis necesse habet pati ab eis.
14 Aliquotiens in aqoam.
16 Quousque patiar vos, quousque ero vobiscum?
21 Futurum est ut Filius hominis tradatur.
23 Qui didragma exigebant.
24 Ait, utique. Et intranti domum prevenit eum Jesus.

ỷ. CAPUT XVIII.

2 ET Jesus vocavit puerum, & statuit eum in medio.
3 Et efficiamini sicut pueri.
4 Sicut puer iste.
5 Unum puerum talem . . . me accepit.
7 Væ autem huic mundo . . . venire scandala.
8 Bonum est enim tibi in vitam venire.
9 Unum oculum habentem in vitam intrare.
13 Gaudebit in eam magis, quam in nonaginta, & novem.
15 Quod si peccaverit in te.
16 Adhibe tecum unum, vel duos.
17 Quod si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Rec. manu: *Si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, &c.*
19 Si duubus convenerit ex vobis supra terram.
21 Si peccaverit in me frater meus, quotiens remittam ei? usque septies?
23 Simile est habitum Regnum Cœlorum.
26 Patientiam habe, & omnia reddam. Misertus..
29 Patientiam habe in me, & reddam tibi.

ỷ. CAPUT XIX.

1 FActum est cum locutus esset Jesus sermones illos, transtulit se a Galilæa.
4 Qui fecit hominem, & feminam fecit eos. *recent. manu additur:* Ab initio.
6 Quod ergo Deus conjunxit in unn, homo.
7 Et dimittere oxorem.
Ibid. Qui dimissam duxerit, fornicatur.
10 Si ita est causa viri.
11 Sunt enim spadones.
Ibid. Castrati.
13 Oblati sunt ei pueri . . . & prohibebant.
14 Sinite infantes ... talium est Regnum Cœlorum.
15 Et imposuis illis manibus.
16 Et ecce unus accessit ad eum, & ait.
Ibid. Quid faciam. *rec. manu*. Quid boni faciam.
17 At Jesus dixit ei ... Sed si vis in vitam venire.
18 Non occides, nnn mœchaberis, non furtum facies.
20 Dicens illi. *recent. manu*. Dicit.
21 Vade, vende omnia bona tua, & da.
24 In Regno Cœlorum.
25 Auditis autem Discipuli his verbis mirabantur, & timebant valde dicentes : Et quis potest salvus fieri?
27 Et ecce nos reliquimus.
28 In generatione cum venerit.
29 Aut sorores, aut matrem, aut filios. *recent. manu*. Aut uxorem.
30 Multi autem sunt novissimi.

ỷ. CAPUT XX.

1 SImile est enim.
3 Egressus autem .... invenit alios.
6 Circa autem undecimam horaoi exiit.
11 Et accipientes murmuraverunt.
15 Aut non licet mihi facere quod volo?
17 Ascendens Jesus Jerosolymis . . . Discipulos, & ait illis.
18 Et condemnabunt me morte. *rec. manu*. Eum.
19 Gentibus ad dolendum.
21 Ipse autem dixit ei ... Ait & illa.
22 Respondens autem illis Jesus. Nescitis quid, &c.
24 Audientes Deum contristati sunt de duobus.
25 Potestatem habeot.
26 Inter vos autem non erit sic ... erit vester minister.
28 *Addit:* Vos autem quæritis de pusillo crescere, & de majore minores esse. Intrantes autem, & rogati ad cœnam, nolite recumbere eminentioribus locis, ne forte clarior te supervenia, & accedens qui te vocavit ad cœnam dicat tibi : adhuc deorsum accede, & confundaris. Si autem in loco inferiore recubueris, & supervenerit humilior te; dicit tibi qui se vocavit ad cœnam : accede adhuc superius, & erit hoc tibi utilius.
29 Quod Jesus transit.
31 Miserere nobis, Domine Fili David.
34 Miertus autem illis.

ỷ. CAPUT XXI.

1 IN montem Oliveti.
3 Dominus operam eorum desiderat, & confestim remittet eos.
5 Et pullum novellum subjugalem.
7 Et imposuerunt super eum vestimenta, & sedebat super eum Jesus.
8 Straverunt in via.
19 Videns arborem unam ficus secus viam, venit ad illam.
21 Tolle te, & jacta te in mare, fiet.
31 Dicont ei: novissimus.
32 Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis, post quod non credidistis.
34 Ut acciperent de fructibus suis.
37 Forsitan verebuntur, &c.
41 Male perdet eos, & vineam locabit illis colonis qui reddant fructus temporibus suis.
42 ADomino factus hic est mirabilis in oculis nostris.
ỷ. 44. *Deest in Mss. hunc supplevit recentior manus*.
46 Timuerunt populos.

ỷ. CAPUT XXII.

1 ET noluerunt venire.
4 Tauri & saginata mea occisa sunt.
5 Alii in villam, alii, &c.
7 Ille autem rex eum audisset, iratus est, & misit exercitum suum.
13 Tonc Rex dixit ministris : Tollite illum manibus, & pedibus, & mittite eum, &c.
15 Ut caperent eum in verbo.
18 Quid me tentatis? Ostendite, &c.
30 Neque nubent, neque nxorem ducent . . . Sicut Angeli in Cœlo.
34 Convenerunt ad eum.
37 In toto corde.
42 Cujus Filium dicunt David. *recent. manu*. Cujus filius est? Dicunt ei : David.

ỷ. CAPUT XXIII.

4 ONera gravia, & imponunt, &c. *Addit recentior manus*. Et importabilia.
5 Fimbrias vestimentorum suorum.
6 Primum discubitum in conviviis.
14 Occasione longa orantes, propter hoc accipietis amplius judicium.
16 Templi, debitor est.
18 Debitor est.
23 Hæc oportuerat facere.
24 Liquantes colicem, &c.
25 Plena sons rapina, & intemperantia.
33 Generatio viperarum.
38 Ecce relinquitur vobis domus vestra. *omittitur* Deserta.

ỷ. CAPUT XXIV.

1 STructuram Templi.
4 Vos seducat ullo modo.
6 Audieot enim prælia.
7 Et erunt fames, & terræ motus. *omisso*, pestilentiæ.

13 Qui

13 Qui autem permanserit usque ad finem.
15 Abominationem desolationis, quod dictum est a Daniele.
16 Fugiant in montibus.
21 Erit enim tribulatio magna. *omisso*, Tunc.
28 Ubicumque enim fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.
30 Plangent se.
32 Folia nascuntur.
35 Verbum autem hoc non præteribit.
36 Neque Filius. (*Additum.*)
38 Manducantes, & bibentes, & uxores ducentes, usque in eum diem.
ỳ. 41. *Omittitur omnino.*
42 Nescitis qua die.
43 Qua hora fur venit.
45 Quisnam est fidelis.
46 Quem veniens Dominus ejus inveniet ita facientem.

ỳ. CAPUT XXV.

1 SImile æstimabitur.. quæ acceperunt lampades suas,& prodierunt,& venerunt obviam sponso.
6 Surgire obviam ei.
14 Peregre profectus.
15 Profectus est. Continue autem qui quinque, &c.
16 Et operatus est in eis alia quinque.
17 Lucratus est in eis alia duo.
18 Qui unum accepit, fodit & abscondit pecuniam Domini sui.
21 *Omittit:* Quia in pauca fuisti fidelis.
26 Nequam, & piger.
27 *Omittit:* Cum usura; *sed addit rec. manus.*
29 Et quod habet auferetur ab eo.
36 *Omittit:* Nudus, & cooperuistis me.
40 Quandiu fecistis uni horum minimorum, & mihi fecistis.
41 Quem præparavit pater meus Diabolo. *Omittit*, & Angelis ejus.

ỳ. CAPUT XXVI.

5 NE in die festo tumultus fieret in populo.
9 Venundari, & dari. *Omittit* multo.
10 Quod ut cognovit Jesus dixit: quid molesti estis mulieri?
14 Judas Scarioth.
17 Prima autem Azymorum.
24 Bonum erat homini illi non nasci.
29 De hac creatura vitis.
33 Si omnes scandalizabuntur in te, ego nunquam scandalizabor.
36 Donec eo illuc orare.
38 Sustinete & vigilate mecum.
39 Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.
40 Sic non potuisti.
41 Ut non veniatis in tentationem.
42 Pater meus, si non potest hoc transire a me, nisi illud bibam, fiat voluntas tua.
44 *Omittit*, Tertio.
46 Ecce appropinquat.
50 Cui dixit Jesus: Ad quid venisti, amice?
52 Qui accipiunt gladium, & gladio utuntur, gladio peribunt.
53 Aut non putas me posse modo rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim millia Angelorum?
58 Ut videret exitum rei.
60 Et non invenerunt exitum. Et cum multi falsi testes accessissent, non invenerunt quicquam in eo.
65 Nunc audistis blasphemiam ejus.
67 *Omittit:* Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, *quod supplevit recentior manus.*
73 Nam & loquela tua similis est ei.
74 Tunc cœpit devotare, & jurare.
75 Rememoratus est ... egressus foras, amarissime ploravit.

ỳ. CAPUT XXVII.

1 COnsilium acceperunt.
4 Peccavi quod tradiderim sanguinem justum.
5 Secessit, & abiit, & laqueo se suspendit.
6 Non licet eos mittere in loculum.
7 Consilio autem accepto inter se.
8 Acheldemach.
19 *Omittit:* Per visum.
24 A sanguine hujus. *Omisso* Justi.
26 Jesum flagellis cæsum.
29 Et adgeniculantes se ante eum, deludebant eum.
32 Hominem Cyrenæum venientem obviam sibi, nomine Simonem.
35 *Omittit:* Ut impleretur quod dictum, *usque ad finem versus.*
40 Vah qui destruebat Templum Dei, & in triduum illud reædificabat! si Filius Dei es, descende nunc de cruce.
41 Cum Scribis, & Pharisæis dicebant.
43 Liberet eum, si vult eum.
46 Lama - sapthani.
49 Elias, & liberabit eum.
52 Sanctorum dormientium surrexerunt.
55 Multæ a longe videntes.
56 Maria Jacobi, & Joseph, & mater fil. Zebed.
63 Post tertium diem resurgam.
65 Habetis custodes, ite, custodite sicut scitis.

ỳ. CAPUT XXVIII. LXXIII.

1 QUæ lucessit in prima Sabbathorum.
3 Et vestimenta ejus candida sicut nix. A timore autem ejus commoti sunt qui custodiebant, & facti sunt sicut mortui.
7 Ecce dixi vobis.
12 Consilium acceperunt, & pecunias copiosas dederunt militibus.
19 Et Filii, & sancti Spiritus.

Matthæi Evangelium in Capita LXXIV. distribuitur in Codice.

In fine, Evangelium secundum Matthæum explicit; incipit secundum Joannem. Sequuntur Capitula Joannis numero XXXVI.

EVANGELIUM JOANNIS

ỳ. CAPUT I.

3 SIne illo factum est nihil. Quod factum est in ipso vita est.
9 Venientem in hunc mundum. (so.) In hoc mundo erat.
11 In sua propria venit.
14 Plenum gratiæ & veritatis.
21 Interrogaverunt eum iterum: Quid ergo? .... Ne ergo Propheta es tu?
26 Medius vestrum stat.
31 Ut manifestetur plebi Israhel.
34 Quia hic est electus Dei.
36 Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
43 Proficiscens invenit.
45 Joseph qui est a Nazareth.
48 Sub arbora ficus vidi te.
50 Sub arbore ficus.

ỳ. CAPUT II.

1 IBi invitata.
3 Et vinum non habebant, quoniam consummatum est vinum nuptiarum.
7 Et vocatis Jesus ministris dixit eis: Implete, &c.
8 Et fecerunt sicut dixit illis.
10 Cum inebriati fuerint, id quod deterius.
12 *Omittit*, Et Discipuli ejus.
15 Et fecit quasi flagellum de veste.

ỳ. CAPUT III.

6 QUod natum est de carne, caro est, quia de carne natum est; & quod natum est de spiritu spiritus est, quia Deus spiritus est.
8 Sic est omnis qui natus est ex aqua, & Spiritu.
16 Ut Filium suum unigenitum mitteret.
18 Qui non credit in ipsum jam judicatus est.
19 Hoc est autem judicium Dei, quia lux venit in hunc mundum.
20 Qui mala agit.
23 Et adveniebant ei, baptizabantur ab eo.
36 Qui autem non credit Filio.

℣. CAPUT IV.

1 JEsus autem fatigatus ex itinere sedebat super puteum. *r. m.* Sedebat *sic* super, &c.
12 Puteum hunc.
13 Ex hac aqua quam ego dabo ei.
18 Hoc verum dixisti.
21 Veniet hora, neque in monte hoc.
24 Et eos qui adorant, in spiritu, &c.
28 Et dixit hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit omnia.
32 Quem vos non scitis.
36 Congerit fructum, &c.
42 Hic est Salvator mundi. *Omisso*, vere.
45 Galilæi universi.
49 Descende prius quam moriatur puer.
50 Ait illi Jesus ... Et credidit ille homo.
52 Melius habuit.
53 Cognovit ergo Pater quia dixit ei Jesus, &c. *Omisso*: Quia illa hora erat, qua.

℣. CAPUT V.

2 EST autem Jerosolymis in inferiore parte natatoria piscina, quæ dicitur Hebraice Betzeta.
4 Angelus autem descendebat, & movebat aquam; & quicumque prior descendisset in natatoriam, sanus fiebat.
6 Quia jam multum. Tempus fecisset in languore.
7 Respondens ei languens .... mittat me in natatoriam.
9 Et surgens sublato grabato suo ambulabat.
13 Jesus autem declinavit.
23 Qui non honorificat Patrem, non honorificat Patrem qui misit Filium. *rec. manu*. Qui non honorificat Filium.
24 A morte in vitam æternam.
28 Dico enim vobis, nolite mirari hoc.
32 Alter est qui testimonium perhibet de me. *Omittit quod seq.* Et scio quod verum est testimonium quod perhibet de me.
33 Vos ipsi misistis ad me, & testimonium perhibuit Joannes de me.
37 Neque speciem ejus vidistis.
39 Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere.
41 Gloriam ab hominibus.
43 In nomine Patris mei veni, & non accepistis. Si alius venerit.
44 Quomodo potestis vos credere, gloriam ab invicem quærentes. Et gloriam quæ ab illo solo est Deo, &c.

℣. CAPUT VI.

1 TRans mare Galilææ, illius Tiberiadis. Sequebatur autem illum multitudo, quia, &c.... De his qui infirmabantur.
7 Ducentorum denariorum panes non sunt, ut unusquisque modicum accipiat.
9 Sed hæc quid sunt inter tantos homines?
10 *In illo loco*.
13 Ex illis quinque panibus.
15 Cum cognovisset quia incipiunt venire, & rapere, &c.
19 Stadia viginti, vel triginta.
21 Confestim navis facta est ad terram quam ibant.
22 Quia non introivit Jesus simul cum Discipulis suis in navem, sed soli Discipuli ejus.
23 Aliæ vero ... panem quem benedixerat Dominus.
30 Quid enim operaris?
32 Panem de cœlo illum verum. Dei enim panis est, qui de cœlo descendit, & dat vitam huic mundo,
39 Non perdam nihil ex eo.
43 Nolite murmurare invicem.
44 Adtraxerit eum.
45 Est scriptum enim in Prophetis.
50 Hic est autem panis qui de cœlo descendit.
51 De Cœlo descendit.
52 Hujus mundi vita ... hic panis quem ego dabo.
53 Carnem (*recent. manu.* suam.) Ad manducare.
54 Ut vobis ipsis.
55 Et biberit meum sanguinem.
57 *Post hunc versum addit*: Si acceperit homo Corpus Filii Hominis quemadmodum panem vitæ, habebit vitam in illo.
60 Docens *Sabbato* in Capharnaum.
62 Cognovit autem Jesus.
63 Quid ergo cum videritis.
64 Nam caro non prodest. Spiritus, & vita est.
65 Sciebat enim Jesus. *recent. manu*. Ab initio.
66 Nemo potest venire, nisi fuerit & datum desursum a Patre, *Additur*, ad me, *rec. manu*.
67 Et amplius cum illo non ambulabant.
68 Dixit ergo illis duodecim.
69 Verba vitæ æternæ Dominus habes.
70 Filius Dei vivi.
72 Incipiebat enim tradere eum unus, cum esset.

℣. CAPUT VII.

1 NOn enim habebat potestatem in Judæam ambulandi.
4 Nemo quid facit in occulto. Quid facit quærit ipse.
5 Neque enim tunc fratres ejus.
9 Hæc eum dixisset illis.
12 Seducit populum.
18 Gloriam suam propriam.
19 *Ret. manu ad marg.* Et nemo ex vobis facit legem.
26 Et nihil dicunt, numquid forte vere cognoverunt.
28 Clamabat autem in Templo Jesus dicens, *omittit*, Quem vos nescitis.
35 Dixerunt ad ipsos ... Numquid in dispersionem Græcorum incipit ire, & docere Græcos?
37 In novissimo autem die illo magno diei festi, stabat Jesus.
39 Quam incipiebant accipere credentes in eum.
Ibid. Quia Jesus nondum fuerat honorificatus.
46 Numquam sic locutus est quisquam homo.
51 Nisi audierit primum ab ipso, & cognoverit quid facit.
53 *Omittitur totus hic versus*.

℣. CAPUT VIII.

1 JEsus autem ascendit in montem Oliveti. (2.) Et mane eum factum esset, iterum venit in Templum ... & cum consedisset, docebat eos.
3 Mulierem in mœchatione deprehensam, quam eum statuissent in medio, dixerunt ad Jesum: (4) Magister, hæc mulier deprehensa est in mœchatione, (5.) in lege autem præcepit nobis Moyses, ut qui in adulterio deprehenditur, lapidetur; tu autem quid dicis de ea?
6 Hæc dicebant tentantes eum, ut haberent causam accusandi eum.
Ibid. Jesus autem inclinato capite digito scribebat in terram.
7 Cum autem interrogarent expectantes eum quid diceret, erexit se ... quisque vestrum sine delicto est, prior in eam lapidem jaciat.
8 Et iterum inclinans se digito scribebat in terram.
9 Illi igitur cum audissent, paulatim secedebant singuli, incipientes a senioribus omnes recesserunt, & relictus est solus Jesus. Et ecce mulier illa in medio erat.
10 Cumque erexisset se Jesus, dixit ad eam: Mulier, ubi sunt qui te perduxerunt? Nemo te lapidavit. Et illa respondens dixit: Nemo, Domine.
11 Nec ego te damnabo, vade, ex hoc jam noli peccare.
12 Iterum locutus est eis, &c.
20 Quia nondum erat hora ejus.
23 Ego de superioribus sum.
26 Hæc eloquor in hunc mundum.
28 Sicut docuit me Pater, hæc eloquor.
31 Si vos manseritis in verbo meo, vere Discipuli mei estis.
35 Filius manet in æternum.
40 Hominem qui veritatem locutus est vobis, quam audivit a Deo.
41 Nos ex prostitutione non sumus.
44 Ex suis propriis loquitur, quia mendax est sicut pater ejus.
45 Ego quia veritatem dico, non creditis mihi.
46 Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?
47 Propterea vos me non auditis, quia non estis ex Deo.
49 Inhonoratis me.
50 Non quæro claritatem meam.
51 Non videbit mortem in æternum.

52 Non

52 Non gustabit mortem, *omisso* in æternum, *quod supplevit recentior manus.*
53 Numquid tu major es quam Abraham, qui mortuus est?
54 Si ego clarificavero meipsum, claritas mea nihil est.
58 Ante Abraham ego sum.

℣. CAPUT IX.

4 QUando non potest operari.
5 Cum in hoc mundo sum, lux sum hujus mundi.
6 Et superunxit illud super oculos ejus.
8 Alii dicebant: Hic est. (9.) Alii autem dicebant, qua similis est ei.
11 Et abii, & lavi, & vidi.
15 Lutum posuit mihi super oculos. Et lavi, & ecce video.
16 Quomodo potest peccator hæc facere signa? Et schisma erat in eis.
18 Non credebant Judæi de illo quoniam cæcus fuit, & videt, donec evocarentur parentes ejus.
19 Et interrogaverunt eos: Hic est filius? &c. quomodo ergo videt modo?
22 Jam enim decreverunt ... extra synagogam esset.
24 Da honorem Deo.
25 Quia cæcus eram, & modo video.
32 A sæculo nunquam auditum est.
39 Ut qui non videt, videat.

℣. CAPUT X.

1 QUi non intrat per januam in cohortem ovium.
3 Et suas oves vocat nominatim, & producit illas. (4.) Cum autem oves suas omnes produxerit .... & oviculæ eum sequuntur.
6 Non cognoverunt quod loquebatur illis.
7 Ego sum janua ovium.
8 Non audierunt eum fures oves meas. (*vitiose*) *correxit*: non audierunt eos oves.
9 Ego sum janua ... Et introibit, & exiet.
10 Ut furetur, & occidat, & perdat. *omittit prior manus*: Et abundantius habeant.
13 Mercenarius autem fugit, quia conductus est.
15 Sicut cognoscit me Pater, & agnosco Patrem.
16 Et alias oviculas habeo ... & fiet unus Grex, & unus Pastor.
18 Potestatem habeo sumendi eam. Hoc præceptum accepi a Patre.
22 Facta est autem dedicatio in Jerosolymis.
23 In porticu Salamonis in Templo.
31 Sustulerunt lapides Judæi.
34 Nonne scriptum est in lege, quia ego dixi.
35 Ad quos sermo fiebat Dei.
38 Quod si facio, & non vultis mihi credere, operibus credite, & cognoscetis, quia in me est Pater, & ego in eo. Ubi erat Joannes prius baptizans, & manebat illic.

℣. CAPUT XI.

3. O*Missus totus. Supplevit recens manus ad marginem.*
4 Sed pro gloria Dei, ut clarificetur Filius Dei in ipso.
5 Diligebat Jesus Lazarum, & Mariam, & sororem ejus.
6 In eodem loco biduo.
11 Ut a somno suscitem eum.
17 Quatriduo in monumento habentem.
18 Fere a stadiis quindecim.
25 Licet moriatur, vivit.
29 Et veniebat ad eum.
32 Ut venit ubi erat Jesus, & vidit eum, &c... si esses hic, non esset.
39 Quatriduum enim habet.
40 Videbis claritatem Dei.
41 Jesus autem levavit oculos suos sursum, & dixit.
44 Et exiit ille mortuus ... Facies ejus orario conligatata erat.
45 Qui venerant ad Mariam, & qui viderant.
47 Quod hic homo talia signa facit? Si relinquimus eum sic.
49 Cum esset Princeps Sacerdotum anni illius.
50 Neque cogitatis quia expedit vobis.
51 Quod incipit Jesus moriens pro gente mori.

52 Qui sunt dispersi colligant in unum.
55 Propterea autem erat Pascha.
56 Quia non veniet ad diem festum.

℣. CAPUT XII.

3 LIbram unguenti pistici.
4 Judas Simonis Iscariotis, qui incipiebat eum tradere.
6 Non quod de pauperibus cura esset illi ... exportabat.
8 Non semper habetis.
9 Et turba multa ... audivit.
13 Flores palmarum.
18 Quia Lazarum vocavit.
19 Quia nihil profecit. Ecce unus populus sequitur post illum.
20 Et erant Græci quidam ex his qui ascenderant in die festo ut adorarent.
24 Nisi granum tritici, &c.
27 Pater, libera me ex hac hora.
29 Quæ stabat, dicebat: Tonitruum factuum est.
31 Nunc princeps mundi mittetur deorsum.
35 Adhuc modicum tempus, lux est in vobis.
37 Non credebant ei.
41 Quando vidit majestatem ejus.
42 Interim tamen ex principibus.
46 In hunc mundum veni.
47 *Omittit*: Sed ut salvificem mundum.
49 Ipse mihi præceptum dedit quid dicam.
50 Et scio quia præceptum ejus.
Sic eloquor.

℣. CAPUT XIII.

1 QUi erant in hoc mundo, usque in finem.
2 In cor Simonis Scariothi ut traderet eum Judas sciens.
7 Cognosces postea.
9 Non tantum pedes, sed etiam manus, & caput.
11 Qui traditurus erat eum.
14 Quanto magis & vos.
20 Qui accipit eum quem misero.
21 Turbatus est in spiritu.
23 Quem diligebat valde (24.) Innuit ergo ei Simon Petrus, & dixit ei: Interroga quis est? (25.) Recumbens autem ille.
28 Hoc autem nemo discumbentium scivit quid dixerit ei.
32 Et Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum. *Omittit*: Si Deus clarificatus est in eo.
34 Præceptum novum.

℣. CAPUT XIV.

3 ET aversio vos ad meipsum.
7 Si cognovistis me, & Patrem meum cognovistis, & amodo nostis eum, & vidistis eum.
9 Tantum temporis vobiscum sum.
10 Pater autem qui in me manet, ipse loquitur, & opera quæ facio ipse facit.
12 Propter opera credite mihi.
13 Ut clarificetur Pater in Filio.
14 Et si quid petieritis a Patre meo in nomine meo, ego faciam.
15 Præcepta mea custodite.
16 Ut vobiscum sit in æternum.
17 Vos autem nostis eum quia apud vos manet, & vobiscum est.
18 Venio ad vos.
21 Qui habet præcepta mea.
22 Non ille Scariothi, sed alius ... quia nobis incipis manifestare teipsum? Et non huic mundo?
26 Paraclitus ille Spiritus Sanctus .... quæcumque dixero. *Omisso*, vobis.
27 Pacem meam relinquo vobis ... non quomodo hic mundus dat.
28 Gauderetis, quoniam vado, &c.
30 Jam non vobis multa loquar.
31 Ut cognoscat hic mundus ... sicut præceptum dedit mihi:

℣. CAPUT XV.

2 OMnem qui adfert fructum ... ut fructum plurimum adferat.
4 Non potest ferre fructum a se, nisi manserit in vite; sic & qui in me non manet.

5 Hic adfert fructum copiosum.
6 Si quis in me non manserit, præcisus est sicut palmes, & missus est foras, & aruit.
7 Quodcumque volueritis, petite.
12 Ut diligatis invicem qua dilectione dilexit vos.
18 Quia me priorem odio habuit.
21 Sed hæc omnia faciunt circa vos.
22 Excusationem non habent de peccato (*Omisso*) suo.
24 Si opera non feci in illis.

℣. CAPUT XVI.

2 EXtra synagogas fecerunt vos
9 Quia non credunt in me.
11 Quia Princeps hujus mundi judicatus est.
13 Ille Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem.
Quæcumque audierit loquitur.
16 Quia eo ad Patrem.
18 Quid est hoc modicum.
19 Quia incipiebant eum interrogare ... quæritis ad invicem.
20 Quoniam vos flebitis, & lugebitis ... tristitia vestra in gaudium veniet.
21 Quia venit dies ejus.
22 Nemo auferet a vobis.
23 Me non interrogabitis quidquam.
24 Ut gaudium vestrum sit impletum.
27 Quia vos me amatis, & credistis ... a Deo Patre exivi, (28.) & veni in hunc mundum.
30 In hoc dixi vobis, quia a Deo exivi.
32 Unusquisque in sua.
33 In hoc autem mundo pressuram habebitis, sed gaudete quoniam ego vici mundum.

℣. CAPUT XVII.

3 DEum, & quem misisti, &c.
4 Opere consummato quod dedisti.
11. In hoc mundo .... *recent. manu*. Quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.
26 *Ab hoc versiculo usque ad nonum Cap. XVIII. Codex Ms. truncatus est.*

℣. CAPUT XVIII.

11 IN vaginam suam ... nonne bibam illum?
18 Ad carbones ... *recentiori manu*. Et calefaciebant se.
22 Unus adstans ex ministris dedit palmam Jesu dicens: Sic respondes Principi Sacerdotum?
28 Ad Caipham in Prætorium, ne polluerentur,
40 Rabbi Barabam?

℣. CAPUT XIX.

2 ET milites ornatam coronam de spinis imposuerunt.
3 Dabant ei palmas;
5 *Rec. manu*. Et dicit eis: Ecce homo.
14 Erat autem præparatio Paschæ, hora autem, hora quasi sexta.
15 At illi clamaverunt ... Principes Sacerdotum.
23 Unicuique militi partem. Tunica autem quæ erat contexta de superiori per totum, non erat consutilis.
24 Dixerunt ergo ad alterum .... ut Scriptura impleatur: partiti sunt, &c.
26 Et Discipulum adstantem quem diligebat.
29 Perticæ circumponentes.
31 Quoniam parasceve, cœnam paraverunt, ne remanerent, &c. Erat enim magnus dies illius sabbathi.
32 Et illius quidem primi fregerunt crura, & alterius simul, qui crucifixus erat, &c.
34 Latus ejus percussit.
36 Ossum non confringetis ab eo.
37 In quem compunxerunt.
38 Quia erat discipulus, &c. Occulte autem ..... Venerunt ergo & tulerunt eum.
39 Venit ergo Nicodemus.
40 Adligaverunt eum aromatibus ... sicut consuetudo.
42 Propter parasceven, quia, &c.

℣. CAPUT XX.

2 QUem diligebat Jesus.
3 Et veniebant.
5 Cum se inclinasset, & prospexisset, vidit.
9 Non enim sciebat ... quia oportet eum resurgere a mortuis.
10 Abierunt ergo apud se discipuli.
11 *Omittit*, foris.
Plorans, ut ergo ploravit.
16 Et conversa illa dicit Hebraice, Rabboni, quod interpretatur magister, Domine.
19 Et januæ essent clausæ, ubi erant Discipuli collecti.
22 Et gavisi sunt Discipuli.

℣. CAPUT XXI.

2 D*Eest folium a ℣. 23. excluso, usque ad ℣. 8. Capitis XXI.*
9 Vident carbones incensos, & piscem, & panem superpositum.
10 Quos nunc cepistis.
12 Nemo tamen audebat.
13 Quia ipse est Dominus.
15 *Omittit*: Plus his?
16 Quia diligo te ... oves meas.
17 Domine, omnia tu scis, tu nosti quia amo te.
18 Cum esset junior, præcingebat te ... te præcinget.
20 Quem diligebat Jesus, & qui recubuit .... & dixerat ei: Domine, qui est qui tradet te.
22 Si sic volo, & in manere donec venio, quid ad te.
23 Sic sermo apud fratres ... sed volo manere eum donec veniam, quid ad te.
25 Et alia autem multa fecit Jesus, quæ si scriberentur, nec ipsum arbitror mundum capere eos libros, qui scriberentur.

Evangelium secundum Joannem explicit.
Incipit Evangelium secundum Lucanum. Amen.
Capitula Evangelii Lucani sunt LXXVIII.
Capitula Evangelii Lucani explicit.

Incipit ejusdem Argumentum.

ESt quidem Lucas Antiochensis Syrus, arte Medicus, Discipulus Apostolorum, postea vero Paulum secutus est usque ad confessionem ejus, serviens Domino sine crimine. Uxorem numquam habuit, filios numquam procreavit, LXXIIII. anno obiit plenus sancto Spiritu. Igitur cum jam descripta essent Evangelia, per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum in Italia, sancto instigatus Spiritu in Achaiæ partibus, hoc descripsit Evangelium, significans per principium ante suum, alia esse descripta, sed & sibi maximam necessitatem incumbere, Græcis fidelibus cum summa diligentia omnem dispositionem narratione sua exponere.

Propterea ne Judaicis fabulis desiderio teneretur, neve hæreticis fabulis, & stultis .... sollicitationibus seducti excederent a veritate, (1) perquam necessariam statim in principio sumpsit a Joannis nativitate, quæ est initium Evangelii præmissus Domini nostri Jesu Christi, & fuit socius ad perfectionem populi, item inductionem baptismi atque passionis. Sed ejus profecto dispositionis exemplum meminit Malachiel (2) Propheta ultimus de duodecim.

Postmudum Johannes Apostolus scripsit Apocalypsim in insula Patmo, deinde Evangelium in Asia. Item Lucas scripsit Actus Apostolorum.

Explicit Argumentum.

---

(1) Legendum esset, *itaque perquam necessarium sumpsit principium Evangelii a nativitate Joannis, qui est præmissus, (seu præcursor) Domini nostri Jesu Christi, & qui fuit socius, &c.* (2) Alludere videtur ad illud Malachiæ III. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*

INCI-

INCIPIT EVANGELIUM SECUNDUM LUCANUM.

℣. CAPUT I.

1 QUoniam quidem multi conati sunt ordinare rerum narrationem, quæ in nobis completæ sunt.
5 Et uxor illi de filiabus.
10 Populi orabat foris.
13 Et ait illi Angelus Domini dicens: ne timeas ... quoniam ecce obsecratio tua audita est.
17 Et incredibiles ad pudentiam justorum.
19 Et dixit ei: Ego enim sum Angelus Gabriel qui adsto.
20 Propter hoc quod non credis verbis meis.
28 Ingressus ad eam Angelus, benedixit eam, & dixit illi; ... Inter mulieres.
29 Ipsa autem ut vidit eum mota est in introitu ejus, & erat cogitans quod sic benedixisset eam.
34 Ego enim nescio virum.
35 Spiritus sanctus superveniat te ... obumbrabit me, (*lege*) te. Quod nascetur, sanctum vocabitur.
36 Quæ vocabatur sterilis. (37.) Quia non est impossibile Deo omne verbum.
38 Contingat mihi secundum verbum suum, discessit ab illa Angelus.
39 In civitatem Judææ.
45 Quoniam perficientur omnia quæ dicta sunt tibi a Domino.
50 Misericordia ejus in progeniem, & progeniem.
51 Mente cordis ipsorum.
54 Puerum suum memorari misericordiæ. *Addit*, suæ, *recens manus*.
59 In die octava ut venirent circumcidere .... & vocaverunt eum in nomine patris ejus Zachariam.
61 Dixerunt ad illam, nemo est qui vocetur hoc nomine. *Addit recens manus*: In cognatione tua.
63 Et accepit pugillatum, & scripsit ... & mirati sunt omnes.
64 Et continuo resoluta est lingua ejus, & apertum est os ejus.
66 Quid utique erit puer iste.
70 Sicut locutus est per nos sanctorum Prophetarum qui ab ævo sunt.
71 Et liberavit nos ab inimicis nostris.
72 Et rememorari testamenti sancti sui.
77 Ad dandam scientiam plebis ejus.

℣. CAPUT II.

1 UT profiteretur universus orbis terræ. (2.) Hæc professio prima facta est a præside.
4 De domo, & patria David.
5 Cum Maria desponsata sibi uxore cum esset in utero habens.
7 Quia non eras locus in diversorio.
Majestas circumfulsit illos.
12 Et hujus hoc signum vobis.
22 Ut statuerent Domino.
24 Par turturum, & duos pullos, &c.
28 *Omittit*: In ulnas suas.
33 Et erat Joseph, & mater ejus.
34 Signum quod contradicetur.
35 Ut revelentur multorum cordium cogitationes.
38 Et hæc ipsa hora stans confitebatur Domino ... redemptionem Jerusalem.
43 Et non cognoverunt Jesus, (*lege* Joseph) & mater ejus.
44 Existimantes autem Jesum secum comitari.
48 Et viso illo expaverunt ... Quid fecisti nobis sic? Dolens & tristis quærebamus te.
49 Et ait ad illos .... Quia in Patris mei oportet me esse.

℣. CAPUT III.

7 GEneratio viperarum.
9 Omnis arbor non faciens fructum, excidetur.
11 Qui habet bonas escas faciat similiter.
16 Fortior me, cujus non sum dignus calceamenta portare.
21 Cum baptizatus esset omnis populus, & Jesu baptizato.
22 Filius meus es tu, ego hodie genui te. *recent. manu*. Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.
23 Quod putabatur, filius Joseph ... Heliæ, Matthiæ.
25 Anum, Sedi, Naggæ.
26 Oseba, Judæ.
28 *Addit* Jozes *inter* Her, & Jesu;

℣. CAPUT IV.

1 AGebatur in spiritu in desertum.
4 Non in solo pane vivet homo.
5 In montem altum.
11 Ne forte perdas ad lapidem.
18 *Omittit*: Sanare contritos corde.
19 Dimittere conquassatos in requiem, predicare annum Domini acceptum.
22 Filius Joseph Fabri.
27 Neman Syrus.
30 Ille autem per medium illorum, & ibat.
34 Scio te quis es, tu sanctus Dei.
38 In domum Simonis, & Andreæ.
39 Fabri, & rem sit eam.

℣. CAPUT V.

2 NAves stare secus stagnum.
3 Rogavit eum ut duceret a terra aliquantulum.
7 Ita ut mergerentur.
10 Homines vivificans. *rec. manu*. Capiens.
11 Ad terram naviculis.
12 Vir plenus lepra, & ipse procedens in faciem rogabat ...
14 Ut sit in testimonia hoc vobis.
17 Erant Pharisæi docentes.
20 Remissa sunt tibi peccata tua.
21 Quis potest dimittere peccatum.
23 Remissa sunt tibi peccata tua, aut dicere ...
30 Et murmuraverunt ... & peccatoribus manducat, & bibit.
39 *Omittitur; sed supplevit recentior manus.*

℣. CAPUT VI.

1 PEr semina sata.
2 Quid facitis sabbathis non licet.
9 Interrogabo vos.
10 Et circumspectis illis omnibus in ira.
11 Repleti sunt iniquitate ... quid facerent de Jesu.
16 Quid factus est proditor.
17 Et Jerusalem, & trans fretum, & maritima Tyri, & Sidonis.
20 Quoniam ipsorum est, &c.
21 Beati qui nunc esuriunt, & sitiunt, quia saturabuntur.
22 Et cum separabunt vos, & ejicient, & exprobrabunt nomen vestrum.
30 Et qui aufert a te quæ tua sunt, noli prohibere.
35 Mutuum date, nihil desperantes.
36 Estote misericordes. *Omisso*, ergo.
37 Nolite judicare, & de vobis non judicabitur. Nolite condemnare, ut non condemnemini.
38 Mensuram bonam, commodatam, confestam dabunt superfluentem in sinum vestrum.
40 Ut sit sicut magister.
42 Ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce in oculo suo trabes subjacet.
44 Neque legunt de spinis ficus, neque de rubo vindemiant uvam.
45 Os ejus loquitur.
48 Inlisit flumen domui illi.
49 Allisit flumen domui illi.

℣. CAPUT VII.

1 ET factum est cum implesset omnia verba in aures plebis.

7 *Omittit* : Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te ; *quod supplevit recens manus.*
9 In nullo tantum fidem inveni in Israel.
10 Invenerunt servum sanum.
16 Visitavit plebem suam in bono.
17 In omni confini regione.
24 Arundinem a vento moveri.
25 In veste pretiosa sunt, & in deliciis superabundant, in domibus Regum sunt.
28 Nam qui minor est in Regno Dei.
30 Non baptizati. (31.) Cui ego similes dicam.
33 Neque manducans, neque bibens, & dicitis.
44 Aquam pedibus mihi non dedisti.
46 Oleo non unxisti pedes meos, hæc autem unguento unxit.

℣. CAPUT VIII.

10 VObis datum est scire mysterium Dei.
14 Euntes simul suffocantur.
15 Et fructum afferant per patientiam.
17 Nec absconditum nisi cognoscatur.
18 Videte quomodo auditis.
22 Trans stagnum, & levaverunt.
Et complebatur fluctibus navicula, & periclitabantur.
26 Enavigaverunt autem ad.
29 Nam vinctus catenis, & compedibus custodiebatur, & ruptis vinculis agebatur in loco deserto.
32 Rogaverunt eum ut in illis irent, & permisit illis.
42 Comprimebatur ut suffocarent eum.
43 Mulier in profluvio sanguinis.
45 Turbæ te comprimunt tam magnæ, & dicis, &c.
46 Nam & ego cognovi virtutem exisse de me.
47 Quia non latuit illum, venit tremens.
53 Scientes eam mortuam esse.
55 Et convertit spiritum ejus.

℣. CAPUT IX.

3 NEque peram, neque calceamentum, neque panem.
4 Ibi manete, & inde proficiscimini.
5 Pulverem de pedibus vestris excutite.
7 Consternabatur eo quod diceretur.
9 Hic qui est de quo audio talia.
12 Ut eant circa castella, & villas, & reficiant se, & inveniant escas.
13 Nisi eamus, & emamus.
16 Benedixit super illos.
24 Salvabit illam.
25 Se autem perdat, aut detrimentum faciat.
29 Et dum orat, facta est species aspectus ejus altera, & vestitus ejus albus refulgens.
35 Hic est Filius meus electus.
36 Et dum vox fit.
37 Factum est autem per diem descendentibus.
44 Omnibusque mirantibus super omnia quæ faciebat, dixit ei Petrus : Domine, quare nos non potuimus ejicere illum? Quibus dixit : quoniam ejusmodi oratione ejicitur, & jejunio. Dixit autem ad Discipulos suos : ponite vos in auribus vestris.
45 Et erat occultum inter ipsos ut non sentirent, & timebant, &c.
48 Quicumque me receperit, non me recipit, sed eum qui me misit. *Deest folium in Ms. a ℣. 40. hujus Cap. usque ad ℣. 21. Cap. x.*

℣. CAPUT X.

21 EXultavit Jesus in Spiritu Sancto, & dixit: confitebor tibi Domine Pater Cœli . . . quia sic bona voluntas fuit ante te.
22 Nemo scit quis est Filius . . . & quis Pater, nisi Filius, &c.
27 Diliges Dominum tuum in toto corde tuo, &c. *Omittit*: Ex omni mente tua.
31 Sacerdos autem fortuito descendebat.
40 Satagebat circa ministerium.
41 *Omittit*: Sollicita es, & turbaris erga plurima.
42 Quæ non auferetur illi.

℣. CAPUT XI.

2 PAter sancte qui in Cœlis es, sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum.
4 Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.
6 Quia amicus venit meus de via ad me, & non habeo.
8 Propter autem importunitatem . . . dabit illi quantos desiderat.
11 A quo autem Patre ex vobis petet Filius ejus piscem.
13 Dabit bonum datum petentibus se.
14 Et erat dum ejicit dæmonium, & illud fuit mutum, & cum ejecisset mutum dæmonium, locutus est mutus, & omnes turbæ stupuerunt.
15 In Belsebul.
20 Sed si in digito Dei.
23 Qui non est mecum, adversum me est, & qui non colligit mecum, spargit.
24 Perambulat loca quæ non habent aquam.
26 Et regressi inhabitant, & fit hujusmodi hominis vita multo pejor priore.
28 At ille dixit ad eos : Beati qui audiunt verbum Dei, &c.
30 Ita erit, & Filius Hominis in generatione hac, & sicut Jonas in utero ceti fuit, sic & Filius hominis in corde terræ.
31 Et ecce Salomone plus hic.
32 Et ecce plus Jona hic.
34 Cum fuerit oculus tuus simplex.
35 Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ tuæ quantæ sunt?
36 *Totus versus omittitur.*
37 Et cum Jesus loqueretur turbæ, rogavit illum quidam Pharisæus ut cum illo pranderet.
38 Quare non prius baptizatus est prius quam manducaret.
41 Tamen quod superest date eleemosynam.
44 Quia estis monumenta quæ non parent.
45 *Ab hoc versu deest folium usque ad versum septimum Capitis* XII.

℣. CAPUT XII.

8 ET Filius Hominis confitebitur in illo cum Angelis.
9 Denegabitur & ipse coram Angelis Dei.
10 In Spiritu autem Sancto qui dixerit, non remittetur ei.
11 Nolite solliciti esse qualiter respondeatis, aut dicatis.
12 Spiritus enim . . . quid oporteat dicere.
16 Uberes fructus attulit possessio.
18 *Omittit*: Et bona mea.
19 Habes multa bona, epulare in annos multos.
20 Dixit autem.
21 Et non est in Deo dives.
24 Pluris estis avibus.
26 *Omittit*: Si ergo neque quod minimum est potestis.
27 Non laborant, non neunt, neque texunt. Ideo dico vobis Salomon.
28 Vos minimæ fidei.
29 Aut quid bibatis, nolite solliciti esse.
30 Hæc enim gentes hujus mundi inquirunt.
31 Quærite regnum Dei. *Omisso*, primum.
35 Sint autem lumbi vestri adcincti.
36 Confestim aperiatis ei.
37 Jubebit illos discumbere.
38 Si venerit vespertina vigilia, & ita invenerit. Beati sunt quia jubebit illos discumbere, & transiet, & ministrabit eis ; si secunda, & si tertia, beati sunt.
41 Hanc similitudinem.
42 Quis est fidelis dispensator.
45 Percutere pueros, & ancillas.
47 Et non preparavit secundum voluntatem ejus . . . *Omittit usque ad*, vapulabis paucis.
49 Nescitis quia ignem veni mittere, &c. quid volo si accendatur!
50 Baptisma habeo baptizari, & quomodo turbor usque dum perficiatur.
52 In una domo; & duo in tres dividentur.
58 Cum adversario tuo ad Magistratum . . . ne forte condemnet te apud judicem, & judex.
59 Novissimum quadrantem, &c.

CA-

℣. CAPUT XIII.

1 VEnerunt autem in ipso tempore quidam. Putatis quod suli ipsi debitores fuerunt.
5 Non dico vobis; si non pœnitueritis, similiter peribitis.
7 Terram evacuat.
8 Domine remitte illam ... & mittam cophinum stercoris.
13 Magnificabat Deum.
18 Gaudebat in præclaris quæ videbat fieri ab ipso.
21 Quod acceptum mulier abscondit in farinam, donec, &c.
24 Intrare per angustum ostium.
32 Et sequenti consummabor. (33) Ite quia non capit Prophetam, &c.
34 Sæpe volui congregare filios.

℣. CAPUT XIV.

8 CUM invitatus fuerit, quid ad nuptias, non discumbat in primo loco.
12 Dicebat autem & invitatori ... neque vicinos, neque divites.
17 Dicere invitatis: Venite, jam paratum est.
18 Et cœperunt omnes excusare se.
19 Eo probare illa, & ideo venire non possum.
23 Exi in vias, & circa sæpes.
28 Nonne prius sedens computavit, &c. Si habet ad consummandum.
29 Et non potuerit explicare, omnes qui videbunt dicent, hic homo cœpit ædificare, &c.
31 Nonne sedens prius cogitat si potuerit ... obviare ei ... venit adversum se?
32 Rogans pacem.
35 Neque in terra, neque in sterquilinio utile est.

℣. CAPUT XV.

1 ERant autem applicati illi omnes publicani.
2 Quod hic peccatores reciperet, & manducaret cum illis.
4 Nonaginta & novem in montibus, in deserto, & ibit ad illam quæ erravit, donec inveniat.
6 Congratulamini mecum, quia inventa est ovis mea.
7 In uno peccatore ... quam in nonaginta novem justis.
8 Si perdiderit unum, nonne accendet lucernam, & scopa mundabit domum suam, &c.
10 Gaudium erit coram Angelis, in uno peccatore ...
12 Et dixit adolescentior: Pater.
14 Facta est fames per regionem illam.
17 Quanti mercenarii patris mei.
22 Stolam illam primam.
23 Adducite vitulum illum saginatum.
26 Interrogavit quæ essent.
27 Occidit vitulum illum saginatum.
30 Devoravit substantiam tuam.
32 Æpulari autem nos, & gaudere oportet.

℣. CAPUT XVI.

3 QUia Dominus meus auferet a me.
4 Cognovi quid faciam.
6 Centum batos olei ... accipe litteras tuas.
8 Prudentiores sunt quam filii Lucis in hac generatione.
16 Omnes in illud vim faciunt.
22 Ut moreretur Lazarus mendicus.

℣. CAPUT XVII.

2 UTilius est autem illi ne nasceretur, aut lapis molæ, &c.
3 Si peccaverit frater tuus, increpa illum ... & si pœnitentiam habuerit, dimitte illi.
6 Diceretis huic arbori: eradicare, & transfretare in mare, & utique obaudisset vobis.
7 Aut oves pascentem.
9 Numquid gratias habet servo quod fecit quæ sibi imperaverat?
11 Dum vadit ... per mediam Samariam, & Galilæam, & Jericho.
14 Quod ut vidit ... dum vadunt, mundati sunt.
17 Dixit: Hi decem mundati sunt; novem ubi sunt ex illis? Non erat qui rediret, & gratias ageret Deo, nisi ...
24 Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, ita erit.
28 Similiter factum est in diebus Lot.
29 *Omittit*, & Sulphur.

℣. CAPUT XVIII.

4 SI Deum non timeo.
5 Ne in novissimo veniat, & constringat me.
9 Tamquam justi essent, & spernebant cæteros, similitudinem istam.
10 Unus Publicanus, & unus Pharisæus.
11 Vel etiam sicut hic Publicanus.
12 Omnium quæcumque possideo.
13 Domine Deus, propitiare mihi peccatori.
14 Dico vobis quia descendit hic Publicanus justificatus in domum suam, magis quam ille Pharisæus.
18 *Omittit*, Princeps.
20 Non adulterium committes.
28 Ecce nos relictis rebus nostris secuti sumus te.
30 Qui non recipiat septies tantum in hoc tempore. In seculo autem venturo vitam æternam possidebit.
31 Duodecim discipulos, & ait illis.
32 Et expuent in eum, & flagellatum occident illum.
34 Et erat verbum absconditum ab eis, ex his quæ dicebat.
35 Et unus cæcus sedebat.
37 Jesus *Nazorenus*, (sic passim).

℣. CAPUT XIX.

2 ET ipse dives erat.
4 Quia illa parte erat transiturus.
5 Et factum est dum transit Jesus, vidit illum sursum aspicimus. Quia in domo tua oportet me prandere hodie.
7 Omnes murmuraverunt quod ad hominem peccatorem divertit manere.
8 Et si quid alicui fraudavi.
9 Ait autem Jesus ad illos, quod hodie.
11 Hæc illis audientibus adjiciens dixit similitudinem, eo quod.
13 Et vocavit decem servos. & dedit illis.
22 Te judico, o infidelis serve, scribas, &c. homo austerus sum, tollo quod non posui, & meto.
26 *Omittit*, Et abundabit.
29 Cum appropinquasset Bethphage, & Bethaniæ.
34 Dominus operam ejus desiderat.
38 Dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictus Rex; pax in cœlo, & gloria in excelsis.
39 Magister increpa illos.
43 Inimici tui vallo, & circumibunt te & obsidebunt te vallo undique, (44) Et ad terram prosternent te.
Ibid. Non relinquent lapidem super lapidem in te universe.
45 *Addit*: Et mensas nummulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas evertit.
47 Scribæ, & principales plebis.

℣. CAPUT XX.

3 INterrogabo vos & ego, respondete mihi.
6 Certum est enim Joannem Prophetam fuisse.
8 Neque ego dico, in qua potestate, &c.
10 Coloni autem illum cæsum dimiserunt inanem.
11 Illi autem, & hunc quoque cæsum, & sine honore dimiserunt inanem.
12 Et addidit tertium mittere, & illum vulneratum ejecerunt.
13 Filium meum carissimum, forsitan hunc verebuntur.
20 Et cum recessissent, miserunt qui se justos esse simularent, ut apprehenderent sermones ejus ... potestati, & Magistratui præsidis.
℣. 30. *Omittitur*.
31 Et tertius accepit illam similiter, & omnes septem non reliquerunt filios. 32 Novissime, &c.
34 Filii hujus sæculi generantur, & generant.
35 At hi qui digni habentur sæculi illius, & resurrectionis ... neque nubunt, neque nubuntur, neque ducunt uxores.
36 Neque enim morientur, nam sunt similes Angelis Dei, quia resurrectionis filii sunt.
37 Quoniam vero resurgunt mortui, Moyses ostendit sicut dixit: Vidi in rubo Dominum Deum

Abraham.
40 Et amplius non ſunt auſi.
43 Inimicos tuos ſub pedibus tuis.
44 Si David in ſpiritu Dominum illum vocat, quomodo . . .
47 Qui fingentes longam orationem, & devorant panes viduarum.

℣. CAPUT XXI.

1 NOn relinquetur lapis ſuper lapidem hic in pariete qui non deſtruatur.
7 Et quod ſignum cum futura erunt.
9 Sed non ſtatim finis in illis.
11 Signa magna erunt, & tempeſtates.
12 Injicient in vos manus ſuas.
15 Cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri.
19 In patientia veſtra adquiretis animas veſtras.
21 Fugiant a facie ejus in montibus.
23 Væ his quæ in utero habent, & ubera dant
24 Dum impleantur tempora gentium.
26 Nam virtutes quæ in cœlo ſunt movebuntur.
28 Incipientibus fieri, reſpirabitis, & levabitis capite.
34 Et ebrietate, & cogitationibus ſæcularibus. .
37 Exiens avocabatur in monte qui vocatur Oliveti.

℣. CAPUT XXII.

4 PRincipibus Sacerdotum, & Scribis, quomodo illum tradent.
5 Et pacti ſunt ut pecuniam illi darent, & quærebant opportunitatem temporis ut traderet eum illis ſine turba.
7 Neceſſe erat immolari in Paſcha.
11 Et dicetis: Pater familias, dicit tibi Magiſter.
12 Vobis oſtendet in ſuperioribus locum ſtratum magnum, ibi parate.
15 Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam hoc patiar.
17 Accipite hoc, & dividite inter vos.
19 Hoc eſt Corpus meum verum, tamen ecce manus, &c. *Omittit:* Quod pro vobis tradetur, *& quod ſequitur uſque ad* ℣. 21. *excluſive*, veruntamen, &c.
23 Conquirebant inter ſe, quis eſſet hoc facturus.
24 Et qui poteſtatem habent benegerentes eorum, benigni vocantur.
27 Aut qui miniſtratur in gentibus quidem, qui recumbit, in vobis autem non ſic; ſed qui miniſtrat? Ego autem in medio veſtrum ſum, quaſi miniſter.
31 Expetivit ut vos ventilet ſicut triticum, rogavi pro te, &c.
32 Confirma fratres tuos, & rogate ne intretis in tentationem.
33 Dixit autem ei Petrus: Domine, &c.
35 Sine ſacello. (36.) Qui habet ſacellum.
36 Et qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium.
37 Oportet impleri in me, quod ut cum iniquis deputatus eſt: & de me quæ ſunt finem habent.
39 Et egreſſus inde, ibat ſecundum conſuetudinem ſuam, &c.
42 Dicens: Pater, non mea voluntas, ſed tua fiat: ſi vis, transfer hunc calicem a me.
47 Appropians oſculatus eſt Jeſum.
49 Quod eum viderint hi . . . quod ſciebar, dixerunt: Domine, ſi percutiemus in gladio!
51 Sine uſque hoc; & extendit manum ſuam Jeſus, & tetigit eum, & redintegrata eſt auris ejus.
52 Et ad eos qui ad ſe venerant, dixit Jeſus Principibus Sacerdotum, &c.
56 Intuens illum, dixit ei: Et hic de eis eſt qui cum ipſo erant ſemper.
58 Et tu cum illo eras ſemper, qui reſpondit: Non ſum ego.
59 Et intervallo facto horæ unius, alius quidam contendens dixit.

℣. CAPUT XXIII.

61 Ter me negabis hodie.
63 Et viri qui tenebant illum velaverunt eum, & percutiebant eum, & illudebant eum dicentes: prophetiza.
66 Et ut factus eſt dies, convenit presbyterium plebis.
2 SUbvertentem gentem noſtram, & ſolventem legem noſtram, & prophetias, & prohibentem tributa dare Cæſari.
6 Interrogavit, ſi a Galilæa homo eſſet.
11 Cum exercitibus ſuis.
21 Dicentes: Crucifige illum.
25 Voluntati eorum. Suſceperunt ergo Jeſum, & portans ſibi crucem ducebatur. (26.) Et cum ducerent eum.
27 Multitudo populi & mulierum.
28 Filiæ Iſrael, nolite flete me, ſed vos ipſas flete, & filios veſtros.
29 Et ubera quæ non nutrierunt.
31 Si in humido ligno hæc faciunt.
37 Si tu es Rex Judæorum, libera te.
38 Litteris Græcis, & Hebraicis. *Omittit*, & Latinis. Rex Judæorum hic eſt.
39 Unus autem de pendentibus latronibus . . . . Nonne tu es Chriſtus? libera te, & nos.
42 Domine, memor eſto mei, &c.
46 Hæc dicens, tradidit ſpiritum.
47 Centurio, & qui cum eo erant, quod fiebat, magnificabant Deum dicentes.
50 Qui erat Decurio juſtus & bonus.
54 Et dies erat cœna pura, & ſabbatum, &c.
55 Subſecutæ ſunt autem duæ mulieres.

℣. CAPUT XXIV.

1 POrtantes quæ paraverunt. *Non legit*, aromata.
3 Non invenerunt corpus. *Omiſſo*, Domini Jeſu.
4 Dum mente contriſtarentur de iſto . . . in veſte ſplendida.
5 Viventem cum mortuis. (6.) Rememoramini qualiter locutus ſit vobis. *Omittit*, Non eſt hic, ſed ſurrexit.
8 Rememoratæ ſunt verborum horum.
9 Et egreſſæ nuntiaverunt hæc omnia.
12 Et abiit apud ſemetipſum mirans factum. Et ecce, &c.
13 Quod aberat ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Ammaus, & Cleophas.
14 Et ipſi fabulabantur de his omnibus quæ acciderant.
15 Et factum eſt dum fabularentur, & ipſe Jeſus pervenit, & ibat cum illis.
17 Quos confertis ad invicem, & eſtis triſtes?
18 Tu ſolus peregrinus in Jeruſalem, non cognoviſti.
21 Nos autem ſperabamus quia ipſe incipit liberare Iſrael.
24 Ipſum vero non viderunt.
27 Et erat incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretans.
29 Quoniam ad veſperum jam jam declinavit dies.
31 Ipſe autem nuſquam comparuit ab eis.
34 Quod vere ſurrexit a mortuis Dominus, & viſus eſt a Simone.
36 Stetit in medio eorum. (37.) Conturbatique & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. (38.) Dixit autem ad illos: quid turbati eſtis?
41 Habetis hic aliquid manducare.
43 Et manducans coram ipſis, dixit ad eos.
45 Ut intelligerent quæ ſcripta ſunt.
47 Remiſſionem peccatorum in omni gente.
49 Mitto promiſſa patris mei in vos.
51 Receſſit ab eis. *Omittit*, Et ferebatur in Cœlum.
52 Et ipſi regreſſi ſunt. *Omittit*, Adorantes.
53 Laudantes Deum. *Omittit*, & benedicentes. *Non legit:* Amen.

Explicit Evangelium ſecundum Lucanum.
Incipiunt Capitula Evangelium ſecundum Marcum,
Sunt autem Capitula XLVII.

INCIPIT EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

℣. CAPUT I.

2 ECce mitto Angelum meum ante te, & ante faciem tuam, qui præparabit viam meam ante te.
5 Omnis regio Judææ, & omnes Jerosolymitæ.
10 Descendentem super illum, & manentem, & vox de cœlis, tu es Filius meus cariſſimus.
12 Et protinus ſpiritum tulit eum in deſerto.
13 *Omittit:* Et quadraginta noctibus.
14 Prædicans Evangelium Dei.
15 Quoniam adimpleta ſunt tempora, & appropiavit.
18 Protinus relictis omnibus.
19 Et ipſos in navicula aptantes retia.
24 Scio te quis ſcis ſanctus Dei.
27 Mirati ſunt omnes, & conquirebant quænam eſſet hæc doctrina poteſtatis, & quoniam ſpiritibus immundis imperat.
28 Et exiit rumor iſte in omnem regionem Galilææ.
29 Egreſſus autem de Synagoga Jeſus, venit in domum, &c.
30 Et retulerunt illi de illa.
32 Ad eum male habentes variis languoribus, & Dæmoniis apprehenſum. (33.) Et omnis civitas conveniebat.
34 Curabat multos male habentes variis languoribus, & qui dæmonia habebant, ejiciebat illa.
36 Et conſecuti ſunt illum Simon, &c.
39 Et in omnibus finibus Galilææ.
40 Leproſus deprecans eum, & dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare, & iratus extendens manum ſuam, & tangens eum, dixit: Vulo, &c.
43 Et ſtatim dimiſit illum.
44 Oſtende te Sacerdotibus.

℣. CAPUT II.

2 ITa ut non caperet uſque ad januam.
4 Nudaverunt tectum ubi erat Jeſus, & ſummiſerunt grabbatum in quo jacebat paralyticus.
12 Numquam taliter vidimus.
14 Vidit Jacobum Alphei.
15 Factum eſt diſcumbentibus illis in domo ejus ... multi qui & ſecuti erant eum.
16 Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat. *Omiſſo:* Magiſter veſter.
18 *Omittit:* Tui autem Diſcipuli non jejunant.
21 Nemo autem adſumentum novum panni adſuit veſtimento, &c.
22 Alioquin diſrumpit vinum utres, & vinum & utres peribunt.
23 Factum eſt autem iterum eum Sabbathis tranſire per ſegetem. Diſcipuli vero ejus cœperunt vellere ſpicas, & manducare.
24 Ecce quid faciunt Sabbathis Diſcipuli tui quod non licet illis.
25 Nec hoc legiſtis quid fecerit David.
26 Niſi Sacerdotibus. (28.) Dico autem vobis: Filius hominis Dominus eſt etiam Sabbathi.
27 *Omittitur.*

℣. CAPUT III.

3 CIrcumſpiciens eos cum indignatione contriſtatus eſt ſuper illum, & emortua illorum corda, dixit homini, &c.
5 Et reſtituta eſt manus ejus ſtatim.
6 Adverſus eum ut illum perderent.
9 Ne comprimeret eum multitudo.
12 Et comminabatur ecce, ne eum manifeſtarent, ſciebant enim eum.
15 Dedit eis poteſtatem curandi valetudines.
18 Et Lebbæum, *non* Taddeum.
19 Judam Scarioth.
20 Ita ut non poſſet manducare panem.
21 Et cum audiſſent de eo Scribæ, & Præterſ, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam exſentiat eos.
22 Quoniam Beelſebub habet Principem Dæmoniorum, & per eum ejicit Dæmonia.
26 Et ſi Satanas Satanam expellit, dividitur ſuper regnum ejus, non poteſt ſtare, ſed finem habet.
31 Ecce mater tua, & fratres tui, & ſorores tuæ foris quærunt te.

℣. CAPUT IV.

1 ITa ut in navem aſcendens ſederet proxime littus, & turba ſtabat in littore.
4 Dum ſeminat aliquid cecidit ſecus viam, & venerunt aves, & comederunt ea.
7 Et increſcentibus ſpinis, ſuffocatum eſt, & fructum non dedit.
8 Fructum aſcendentem, & creſcentem, unum triceſimum, & aliud ſexageſimum, aliud vero centeſimum.
9 Et dicebat: Qui habet aures audiat, & intelligens intelligat.
10 Interrogaverunt eum Diſcipuli ejus quæ eſſet hæc parabola.
11 Noſſe myſterium Dei. Illis autem qui foris ſunt, in parabolis dicitur.
15 Si autem qui ſunt circa viam, quibus ſeminatur verbum.
19 Et ſollicitudines victus; & delectationes mundi incedentes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficiuntur.
20 Unum triceſimum, & unum ſexageſimum, unum vero centeſimum.
21 Numquid accenditur lucerna.
22 Non enim eſt abſconditum, ſed ut manifeſtetur, neque factum eſt occultum, ſed ut in ſtolā veniat.
34 Seorſum autem Diſcipulis exolvebat ea re.
39 Comminatus ex vento, & mari, & dixit: Obmuteſce. Et ceſſavit.
41 Quiſnam hic eſt cui mare, & venti obaudiunt.

℣. CAPUT V.

7 JEſu, Fili Dei ſummi, adjuro te per Deum vivum.
10 Et deprecabantur eum ſpiritus immundi multum, ne expelleret eos de regione.
13 Et ſtatim Dominus Jeſus miſit illos in porcos.
15 Veſtitum, & ſanæ mentis ſobrium, & timuerunt.
19 Jeſus autem non permiſit ei.
21 Et cum tranſfretaſſet ultra iterum Jeſus, convenit ad illum turba multa circa mare.
22 Et venit quidam Archiſynagogus, & vidit eum, & procidit ad pedes ejus. *Omittit*, Nomine Jairus. Veniens tange eam de manibus tuis, ut ſalva ſit, & vivat.
28 Dicens intra ſe: Vel ſi veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.
32 Et circumſpiciebat Jeſus videre quæ hoc fecerat.
33 Et tremens, quod fecerat occulte ſciens factum, ipſa venit, & procidit.
38 Et vidit flentem turbam, & lamentantem multum.
40 Ipſe vero abjecta turba foras, adſumpto patre, & matre puellæ.

℣. CAPUT VI.

2 ET cœpit die ſabbathi docere in ſynagoga.
7 Miſit illos per binos, dans illis poteſtatem fugare ſpiritum immundorum.
8 Neque nummos in zonis. (9.) ſed calceatos galliculas, & ne induerentur binas tunicas.
14 Et ideo virtutes in illo efficiuntur.
15 Alii autem dicebant quod Helias venit, alii vero quod unus de Prophetis.
23 Et juravit illi multa, quia quodcumque petieris, &c.
26 Et contriſtatus eſt Rex ut audivit; propter jusjurandum autem.
28 Attulit caput ejus in lance.
31 Erant enim quidam euntes, & redeuntes, & nec manducandi ſpatium habebat.
33 Concurrerunt illuc, & venerunt illuc.
34 Et exiens, & vidit Jeſus turbas multas, miſertus eſt illis ſicut oves quibus non erat paſtor.

35 Et

35 Et hora jam multa est.
36 Emant sibi quod manducent.
37 Ememus panes ducentorum denariorum.
51 Erat enim cor eorum collusum.
53 *Omittit:* Et applicuerunt.
55 Et circumcurrentes universam regionem. Cœperunt in grabbatis ferre omnes male habentes, circumferebant autem eos ubicumque audiebant Jesum esse.

℣. CAPUT VII.

1 QUidam de Scribis ab Jerosolymis.
2 Manducare panem, vituperaverunt eos.
3 Judæi, nisi pugillo laverint manus, non manducant panem, &c.
4 Et a foro cum venerint, nisi baptizentur, cibum non accipiunt.
5 Quare Discipuli tui non sequuntur traditionem seniorum, sed non lotis manibus manducant panem.
6 De vobis hypocritis, dicens: Populus autem labiis ... cor autem eorum longe habetis a me.
7 Vane autem colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum, baptizantes urceos, & calices. (8.) & alia similia quæ multa facitis, derelinquentes præceptum Domini, tenentes traditionem hominum.
9 Ut traditionem vestram statuatis.
12 Jam non missum facitis illum quicquam facere ...
13 Per traditionem vestram stultam quam tradidistis.
15 Quod eum possit communicare.
24 *Omittit:* Et Sidonis.
26 Erat enim Græca, Syrophænissa genere.
31 Ad mare Galileę, ac inter medios fines decapolis.
35 Et loquebatur confidenter.
37 Et surdis præstat auditum, & mutis loqui.

℣. CAPUT VIII.

2 MIsereor super istam turbam, quoniam triduum est jam quod hic sunt, & non habent quod manducent. (3.) & dimittere eos jejunos in domum nolo, ne fatigentur in via, quoniam quidam ex eis de longinquo venerunt.
9 Ad quatuor millia hominum.
10 Venit in partes Magedam. (*Nihil* de Dalmanutha.)
15 Videte a fermento Pharisæorum.
16 Cogitabant ad alterutrum, quod panes non haberent.
17 Quid cogitatis in cordibus vestris quia panes non habetis? Nondum intelligitis nec perspicitis: sic obtusa sunt corda vestra.
Ibid. Nec mente habetis de quinque panibus quos fregi in quinque millia hominum, quot cophinos fragmentorum tulistis.
22 Et venerunt Bethania, & afferunt illi cæcum.
27 Et profectus est Jesus in Cæsarea Philippi.
32 Quem suscipiens Petrus cœpit objurgare eum.
34 Et convocata turba cum Discipulis suis ait: Si quis post me vult sequi, abneget se sibi, & tollet.
36 Et damnum faciat animæ suæ.
39 Sunt quidam hic circumstantium me.

℣. CAPUT IX.

1 IN montem altissimum secreto solus, & transfiguratus, &c.
4 Nos hic esse. Si vis faciam hic tria tabernacula, &c.
6 Et ecce vox exivit dicens.
14 Et gaudentes salutaverunt eum.
Deest medium folium a v. 16. usque ad 19. & iterum a ℣. 22. ad 24. & a ℣. 27. ad ℣. 33.
38 Et poterit male loqui de me.
41 De his pusillis modicis credentibus, bonum est illi.
40 Mitti in gehennam; ubi ignis inextinguibilis, ubi vermis illorum non morietur, & ignis non extinguetur.
48 Omnis enim victima sale salietur. *Omittit:* Omnis enim igne salietur.

℣. CAPUT X.

1 IN fines Judææ trans Jordanem, & convenit turba ad eum, sicut consueverat, & iterum docebat eos.
2 Et accedentes quidam interrogabant, &c. *Omittit*, Pharisæi.
4 Permisit nobis libellum repudii dare scriptum, & dimittere: ab initio autem masculum & fœminam fecit Deus, & dixit.
8 Propter hoc relinquet.
9 Quod Deus conjunxit, homo non disjungat.
12 Et si mulier exeat a viro, & alii nupserit, mœchatur super illum; & qui dimissam ducit, mœchatur.
16 Et convocans eos, imponebat manus super illos, &c.
17 Procurrens quidam, adgeniculans ante eum.
22 Ille autem contristatus est in hoc verbo, & recessit, & abiit tristis, erat enim habens multas possessiones, & pecunias.
23 In Regnum Dei introibunt? Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei.
24 Discipuli vero ejus pavebant.
25 *Omittitur, aut potius post ℣. 23. transponitur. Vide ℣. 23.*
27 Apud homines impossibile est; apud Deum autem possibile.
28 Ecce nos missum fecimus omnia, &c.
30 Nunc in hoc tempore. Qui autem reliquerit domum, & sorores, & fratres, & matrem, & filios cum persecutionibus, in venturo vitam æternam accipiet.
32 Præcedebat illos Jesus, & pavebant sequentes.
35 Ut quodcumque petierimus te, præstes nobis.
40 Non est meum dare: aliis paratum est.
41 Cœperunt indigne ferre de Jacobo, &c.
45 Nam & Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.
46 Filius Thimeæ, Bar-thimeas cæcus sedebat circa viam.
47 Quod Jesus Nazaræus est.

℣. CAPUT XI.

4 FOris in transitu, & solverunt eum.
9 *Omittit:* Dicentes hosanna.
13 Venit videre si quid esset in ea.
23 Sed crediderit futurum, fiet quodcumque dixerit. Credite quoniam accipietis, & erit vobis.
26 Dimittat delicta vestra.
30 De Cœlo erit, an ex hominibus?

℣. CAPUT XII.

1 ET fodit torcular ... & locavit eam colonis. Et misit ad colonos ... ut darent illi ex vinea fructum.
6 Quia forsitan filium meum, &c.
11 A Domino factus est hic, & est mirabilis in oculis nostris.
14 Et venientes Pharisæi interrogabant eum subdole, Magister.
15 Videns vero Jesus versutias eorum.
20 Fuerunt ergo apud nos septem fratres.
21 *Omittit*, Et tertius similiter.
23 Cui eorum manebit uxor?
26 In libro Moysi, in rubo, &c.
28 Quod est præceptum primum? (29.) Respondens autem Jesus dixit ad eum: Omnium primum mandatum hoc est.
29 Dominus Deus noster, Dominus unus est.
30 *Addit:* Ex omnibus viribus tuis.
38 Videte a Scribis, qui volunt.
40 Domos viduarum & orphanorum occasione longa orantes, hi accipient majus judicium.
41 Et cum sedisset Jesus contra gazophylacium, videbat quomodo turbæ mittebant pecuniam.
43 Plus omnibus misit in gazophylacium munus.

℣. CAPUT XIII.

1 ET quales structuræ Templi?
2 Hæc omnia magna ædificia ... qui non destruatur, & in triduo illud resuscitetur sine manibus.
3 Interrogaverunt eum secreto.
4 Cum hæc omnia consummabuntur.
6 Deinde vosmetipsos tradent in conciliis.
9 Cum autem perduxerint vos, nolite cogitare.
13 Qui autem toleravit usque in finem.
14 Stantem ubi non oportet ... qui in Judæa sunt, fu-

fugiant in montibus (15.). Et qui in superioribus, non descendant.
17 Væ autem peregrioantibus, & nutrientibus.
19 Quales non fuerunt ab initio, a creatura usque modo, neqne erunt post hæc.
20 Et nisi breviesset Deus dies propter electos suos.
29 Quoniam in proximo est in jannis.
34 Dans servis suis potestatem unicuique opus suum, & janitori præcipiat ut vigilet.
37 Ecce autem vobis dico, vigilate.

℣. CAPUT XIV.

1 ERat autem futurum Pascha post biduum.
2 Tumultus oriretur populi.
4 Discipuli autem ejus indigne ferebant.
14 Ubi est refectorium, ubi cum Discipulis meis manducem Pascha?
15 Demonstrabit stratum grande paratum. Illic parate nobis.
19 Dicere singuli: numquid ego? & alius, numquid ego?
22 Et dixit: Accipite, & edite: Hoc est Corpus meum.
23 Et accepit calicem, & benedixit, & dedit eis, & biberunt ex eo omnes.
24 *Omittit:* Novi Testamenti.
25 Non bibam de generatione vitis.
27 Omnes vos scaodalizari habetis, quia scriptum.
29 Et si omnes scandaliaati fuerint; sed ego non scandalizabor.
33 Pavere, & tædiari.
38 Surgite, & orate, ut transeat a vobis tentatio.
39 Et iterum abiit orare (40). Et veniens invenit eos dormientes.
41 Dormite jam & requiescite, adest enim consummatio, & venit hora.
42 Ecce promixat traditor meus.
43 Cum gladiis & fustibus e Principibus Sscerdotum missi.
44 Tenere eum, & ducite diligenter.
45 Ait illi: Rabbi. Et osculatus est eum.
47 Et unus de circumstantibus exempto glsdio percussit servum.
48 Cum gladiis, & fustibus.
51 Amictus sindone supra nudum corpus.
56 Et non erant convenientia testimonia (57.). Et alii exurgentes.
58 Ego destruam Templum Dei manufactum, & post triduum illud suscitabo non manufactum. Et non erant æqualia testimonia illorum.
61 Ille autem tacuit, & nihil respondit. Iterato ait: Tu es Christus Filius Dei benedicti?
65 Et ministri cum voluntate alapis eum cædebant.
68 Et exiit foras, & gallus cantavit.
71 Ille autem cœpit devotare, & jurare, quie non novi.
72 Prius quam gallus cantet, ter me negebis.

℣. CAPUT XV.

1 DUxerunt in atrium, & duxerunt Pilato.
4 Vide quanta te accusant.
7 Cum seditiosis clusus.
11 Principes autem Sacerdotum persuaserunt turbæ, & magis Berabbam dicerent.
13 At illi clamaverunt dicentes: Crucifige eum.
15 Pilatus autem dimisit illis Barabbam. *Omittit:* Volens populo satisfacere.
17 Imposuerunt ei factam spineam coronam.
19 Et percutiebant eum de arundine in caput.
21 Et angariaverunt Simonem Cyrenæum transeuntem . . . Patrem Alexandri, ut tolleret. *Omittit:* Et Rufi.
23 Murratum vinum.
24 Mittentes sortem. *Omisso:* Super eis, quis quid tolleret.
25 Erat autem hora diei tertia, & custodiebant eum.
26 Et erat superscriptio criminis scripta: Rex Judæorum.
34 Lama sapthani.
36 Circumposuit arundini, & dabat . . . si venit Helias, & deponit eum.
39 Cum autem videret Centurio, qui stabat contra eum, quod sic clamans emisit spiritum.
44 Et advocans Centurionem interrogavit, si jam defunctus.
47. Notaverunt locum ubi ponebatur.

℣. CAPUT XVI.

4 ET venerunt, & invenerunt revolutum lapidem.
5 Viderunt adolescentem amictum stolem candidam, & expaveruot.
6 Videte, ecce locum ejus ubi positus erat.
7 Sicut dixi vobis.
8 Et exeuntes illæ profugerunt e monumento.
10 Illa autem præcurrens nuntiavit.
(*Hic desunt aliquot versus in Ms.*)
18 Super languentes manus imponent, & bene se habebunt.
19 Receptus est in Cœlum.

Explicit Evangelium secundum Marcum.

VARIÆ LECTIONES

Ex duobus vetustis Codicibus, altero Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis, num. 8. altero Majoris Monasterii, num. 87. Primus a mille annis, alter ab octingentis descriptus creditur; uterque vero continere Veterem Italicam, quæ ante Hieronymianam ætatem usurpabatur. Varias hasce lectionea ad nos misit R. P. D. Len le Chevalier, Prior S. Mauri ad Ligerim. Codicem S. Gatiani hac nota significabimus. *Gat.* Majusmonasteriense, *Mm.* Veterem Italicam e Martianæo editam, *Vers. Ital.* Codicem Corbejensem ab eodem vulgatum, *Corb.*

Variæ Lectiones ex Evangelio S. Matthæi.

CAPUT I.

Gat. In nomine Dei summi. Amen.
Cap. I.
℣. 6 *Gat.* Salamonem.
7 Salamon ... Roboas. *Ita maj. M. & S. Germ. a Martianæo edit.*
Abiud . . . Asaph. *Mm.* Asa.
10 Amos.
15 Nathan.
16 Qui dicitur Christus. *Ita Gaudent. Brix. tract. 1. Lect. Evang.*
19 Cum esset homo justus. *Ita Mm. & S. Germ.*
20 Quod enim ex ea nascitur. *Mm.* Ex ea natum est. *S. Germ.* Ex ea nascetur. *Cypr. l. 1. testim.* Quod enim ex illa natum fuerit.
23 *Mm.* In utero concipiet. *Tertul. de carne Christi, cap. 21.* Concipiet in utero.
25 *Mm.* Vocabunt nomen ejus Jesum.

℣. CAPUT II.

2 *Mm.* Venimus cum muneribus adorare eum. *Cypr. lib. 2. testim. c. 22.* Cum muneribus adorare illum. *Ita & Codex S. Mauri, Fossat. & Missalia antiqua.*
5 *Gat.* In Betlem Juda, sic enim scriptum est: Et tu Betleem. *Mm.* In Betleem Juda, sic enim scriptum est per Prophetam dicentem: Et tu.
6 *Gat.* Exiet Rex (*Dux superscribitur*). *Mm.* Exiet Rex qui.
7 *Gat.* Tunc Herodis clam vocavit Magos diligenter exquisivit ab eis. *S. Germ. a Martianæo edit.* Occulte vocavit Magos, & diligenter exquisivit ab eis.
8 *Gat.* De pueto hoc, & cum inveneritis eum... ut ego veniam, & adorem. *Ita Mm.* Et cum inveneritis. *S. G.* Ut & ego veniam, & adorem.
12 *Gat.* Sed per aliam viam reversi sunt. *Ita Mm.*
13 *Gat.* Quærat puerum istum perdere. *Mm.* Puerum illum ad perdendum eum.
14 *Mm.* Et fugit. *S. Germ.* Et abiit. *Syr.* Fugit.
15 *Gat.* Usque ad mortem Herodis. *S. Germ.* Ad consummationem Herodis.
22 *Gat.* Timuit illuc ire. *Ita Mm. & S. Germ.*

23 *Gat.*

35 Et hora jam multa est.
36 Emant sibi quod manducent.
37 Ememus panes ducentorum denariorum.
51 Erat enim cor eorum collusum.
53 *Omittit:* Et applicuerunt.
55 Et eireumcurrentes universam regionem. Cœperunt in grabbatis ferre omnes male habentes, circumferebant autem eos nbicumque audiebant Jesum esse.

℣. CAPUT VII.

1 QUidam de Scribis ab Jerosolymia.
2 Manducare panem, vitupcraveruns eos.
3 Judæi, nisi pugillo laverint msnus, non manducant panem, &c.
4 Et a foto cum venerint, nisi baptizentur, eibum non accipiunt.
5 Quare Discipuli tui non sequuntur traditionem seniorum, sed non lotis manibus manducant panem.
6 De vobis hypocritis, dicens: Populus autem labiis ... cor autem eorum longe babetis a me.
7 Vane autem coluns me, docentes doctrinas, præcepta hominum, bsptizantes urceos, & calices. (8.) & alia similia quæ multa facitis, derelinquentes præceptum Domini, tenentes traditionem hominum.
9 Ut traditionem vestram statuatis.
12 Jam non missum facitis illum quicquam facere ...
13 Per traditionem vestram stultam quam tradidistis.
15 Quod eum possit communicare.
24 *Omittit:* Et Sidonis.
26 Erar enim Græca, Syrophænissa genere.
31 Ad mare Galilęę, ae inter medios fines decapolis.
35 Et loquebatur confidenter.
37 Et surdis præstat auditum, & mutis loqui.

℣. CAPUT VIII.

2 MIsereor super istam turbam, quoniam triduum est jam quod hie sunt, & non habent quod manducens. (3.) & dimittere eos jejunos in domum nolo, ne fatigentur in via, quoniam quidam ex eis de longinquu venerunt.
9 Ad quatuor millia hominum.
10 Venit in partes Magedam. (*Nihil* de Dslmanutha.)
15 Videte a fermento Pharisæurum.
16 Cogitabans ad alterutrum, quod panes non haberent.
17 Quid cogitatis in cordibus vestris quia panes non hsbetis? Nondum intelligitis nec perspicitis: sic obtuta sunt corda vestra.
Ibid. Nec mente habetis de quinque panibus quos fregi in quinque millia hominum, quot cophinos fragmentorum tulistis.
22 Et venerunt Bethania, & afferunt illi cæcum.
27 Et profectus est Jesus in Cæsarea Philippi.
32 Quem suscipiens Petrus cœpit objurgare eum.
34 Et convocata turba cum Discipulis suis ait: Si quis post me vult sequi, abneget se sibi, & tollet.
36 Et damnum faciat animæ suæ.
39 Sunt quidsm hic circumstantium me.

℣. CAPUT IX.

1 IN montem altissimum secreto solus, & trans figurstus, &c.
4 Nos hie esse. Si vis faciam hic tria tabernacula, &c.
6 Et ecce vox exivit dicens.
14 Et gaudentes salutaverunt eum.
Deest medium folium a v. 16. usque ad 19. & iterum a ℣. 22. ad 24. & a ℣. 27. ad ℣. 33.
38 Et poterit male loqui de me.
41 De his pusillis modicis credentibus, bonum est illi.
40 Mitti in gehennam; ubi ignis inextinguibilis, ubi vermis illorum non morietur, & ignis non extinguetur.
48 Omnis enim victima sale salietur. *Omittit:* Omnis enim igne salietur.

℣. CAPUT X.

1 IN fines Judææ trans Jordsnem, & convenit turba ad eum, sicut consueverat, & iterum docebat eos.
2 Et accedentes quidam interrogabant, &c. *Omittit*, Phsrisæi.
4 Permisit nobis libellum repudii dare scriptum, & dimittere: ab initio autem masculum & fœminam fecit Dens, & dixis.
8 Propter hoc relinquet.
9 Quod Deus conjunxit, homo non disjungat.
12 Et si mulier exeat a viro, & alii nupserit, mœchatur super illam; & qui dimissam ducit, mœchatur.
16 Et convocans eos, imponebat msnus super illos, &c.
17 Procurrens quidam, adgeniculans ante eum.
22 Ille autem contristatus est in hoc verbo, & recessit, & abiit tristis, erat enim habens multat possessiones, & pecunias.
23 In Regnum Dei introibunt? Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei.
24 Discipuli vero ejus pavebant.
25 *Omittitur, aut potius post ℣. 23. transponitur. Vide ℣. 23.*
27 Apud homines impossibile est; apud Deum autem possibile.
28 Ecce nos missum fecimus omnia, &c.
30 Nunc in hoc tempore. Qui autem reliquerit domum, & sorores, & frasres, & matrem, & filios cum persecutionibus, in ventuto vitam æternam accipiet.
32 Præcedebat illos Jesus, & pavebant sequentes.
35 Ut quodcumque petierimus te, præstes nobis.
40 Non est meum dare: aliis paratum est.
41 Cœperunt indigne ferre de Jacobo, &c.
45 Nam & Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.
46 Filius Thimeæ, Bar-thimæus cæcus sedebat circa viam.
47 Quod Jesus Nazaræus est.

℣. CAPUT XI.

4 FOris in transitu, & solverunt eum.
9 *Omittit:* Dicentes hosanna.
13 Venit videre si quid esses in ea.
23 Sed crediderit futurum, fiet quodcumque dixerit. Credite quoniam accipietis, & erit vobis.
26 Dimittat delicta vestra.
30 De Cœlo est, an ex hominibus?

℣. CAPUT XII.

1 ET fodit torcular ... & locavis eam colonis.
2 Et misit ad colonos ... ut darens illi ex vinea fructum.
6 Quia forsitan filium meum, &c.
11 A Domino factus est hic, & est mirabilia in oculis nostris.
14 Et venientes Pharisæi interrogabant eum subdole, Magister.
15 Videns vero Jesus versutias eorum.
20 Fuerunt ergo apud nos septem fratres.
21 *Omittit*, Et tertius similiter.
23 Cui eorum manebit uxor?
26 In libro Moysi, in rubo, &c.
28 Quod est præceptum primum? (29.) Respondens autem Jesus dixit ad eum: Omnium primum mandatum huc est.
29 Dominus Deus noster, Dominus unus est.
30 *Addit:* Ex omnibus viribus tuis.
38 Videte a Scribis, qui voluns.
40 Domos viduarum & orphanorum occasione longa orantes, hi accipient majus judicium.
41 Et cum sedisset Jesus contra gazophylacium, videbat quomodo turbæ mittebant pecuniam.
43 Plus omnibus misit in gazophylacium munus.

℣. CAPUT XIII.

1 ET quales structuræ Templi?
2 Hæc omnia magna ædificia ... qui non destruatur, & in triduo illud resuscitetur sine manibus.
3 Interrogaverunt eum secreto.
4 Cum hæc omnia consummabuntur.
6 Deinde vosmetipsos tradent in conciliis.
9 Cum autem perduxerint vos, nolite cogitare.
13 Qui autem toleravit usque in finem.
14 Stantem ubi non oportet ... qui in Judæa suns,

fu-

fugiant in montibus (15.). Et qui in superioribus, non descendant.
17 Væ autem peregrinantibus, & nutrientibus.
19 Quales non fuerunt ab initio, a creatura usque modo, neque erunt post hæc.
20 Et nisi brevisset Deus dies propter electos suos.
29 Quoniam in proximo est in januis.
34 Dans servis suis potestatem unicuique opus suum, & janitori præcipiat ut vigilet.
37 Ecce autem vobis dico, vigilate.

℣. CAPUT XIV.

1 ERat autem futurum Pascha post biduum.
2 Tumultus oriretur populi.
4 Discipuli autem ejus indigne ferebant.
14 Ubi est refectorium, ubi cum Discipulis meis manducem Pascha?
15 Demonstrabit stratum grande paratum. Illic parate nobis.
19 Dicere singuli: numquid ego? & alius, numquid ego?
22 Et dixit: Accipite, & edite: Hoc est Corpus meum.
23 Et accepit calicem, & benedixit, & dedit eis, & biberunt ex eo omnes.
24 *Omittit:* Novi Testamenti.
25 Non bibam de generatione vitis.
27 Omnes vos scandalizari habetis, quia scriptum.
29 Et si omnes scandalizati fuerint; sed ego non scandalizabor.
33 Pavere, & tædiari.
38 Surgite, & orate, ut transeat a vobis tentatio.
39 Et iterum abiit orare (40). Et veniens invenit eos dormientes.
41 Dormite jam & requiescite, adest enim consummatio, & venit hora.
42 Ecce propinquat traditor meus.
43 Cum gladiis & fustibus a Principibus Sacerdotum missi.
44 Tenete eum, & ducite diligenter.
45 Ait illi: Rabbi. Et osculatus est eum.
47 Et unus de circumstantibus exempto gladio percussit servum.
48 Cum gladiis, & fustibus.
51 Amictus sindone supra nudum corpus.
56 Et non erant convenientia testimonia (57.). Et alii exurgentes.
58 Ego destruam Templum Dei manufactum, & post triduum illud suscitabo non manufactum. Et non erant æqualia testimonia illorum.
61 Ille autem tacuit, & nihil respondit. Iterato ait: Tu es Christus Filius Dei benedicti?
65 Et ministri eum voluntate alapis eum cædebant.
68 Et exiit foras, & gallus cantavit.
71 Ille autem cœpit devotare, & jurare, quia non novi.
72 Prius quam gallus cantet, ter me negabis.

℣. CAPUT XV.

1 DUxerunt in atrium, & duxerunt Pilato. Vide quanta te accusant.
7 Cum seditiosis clusus.
11 Principes autem Sacerdotum persuaserunt turbæ, & magis Barabbam dicerent.
13 At illi clamaverunt dicentes: Crucifige eum.
15 Pilatus autem dimisit illis Barabbam. *Omittit:* Volens populo satisfacere.
17 Imposuerunt ei factam spineam coronam.
19 Et percutiebant eum de arundine in caput.
21 Et angariaverunt Simonem Cyrenæum transeuntem . . . Patrem Alexandri, ut tolleret. *Omittit:* Et Rufi.
23 Murratum vinum.
24 Mittentes sortem. *Omisso:* Super eis, quis quid tolleret.
25 Erat autem hora diei tertia, & custodiebant eum.
26 Et erat superscriptio criminis scripta: Rex Judæorum.
34 Lama sapthani.
36 Circumposuit arundini, & dabat . . . si venit Helias, & deponit eum.
39 Cum autem videret Centurio, qui stabat contra eum, quod sic clamans emisit spiritum.
44 Et advocans Centurionem interrogavit, si jam defunctus.
47. Notaverunt locum ubi ponebatur.

℣. CAPUT XVI.

4 ET venerunt, & invenerunt revolutum lapidem.
5 Viderunt adolescentem amictum stolam candidam, & expaverunt.
6 Videte, ecce locum ejus ubi positus erat.
7 Sicut dixi vobis.
8 Et exeuntes illæ profugerunt a monumento.
10 Illa autem præcurrens nuntiavit.
(*Hic desunt aliquot versus in Ms.*)
18 Super languentes manus imponent, & bene se habebunt.
19 Receptus est in Cœlum.

Explicit Evangelium secundum Marcum.

VARIÆ LECTIONES

Ex duobus vetustis Codicibus, altero Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis, num. 8. altero Majoris Monasterii, num. 87. Primus a mille annis, alter ab octingentis descriptus creditur; uterque vero continere Veterem Italicam, quæ ante Hieronymianam ætatem usurpabatur. Varias hasce lectiones ad nos misit R. P. D. Leo le Chevalier, Prior S. Mauri ad Ligerim. Codicem S. Gatiani hac nota significabimus. *Gat.* Majusmonasteriense, *Mm.* Veterem Italicam a Martianæo editam, *Vers. Ital.* Codicem Corbejensem ab eodem vulgatum, *Corb.*

Variæ Lectiones ex Evangelio S. Matthæi.

CAPUT I.

Gat. In nomine Dei summi. Amen.
Cap. I.
℣. 6 *Gat.* Salamonem.
7 Salamon ... Roboas. *Ita maj. M. & S. Germ. a Martianæo edit.*
Abiud . . . Asaph. *Mm.* Asa.
10 Amos.
15 Nathan.
16 Qui dicitur Christus. *Ita Gaudent. Brix. tract. 1. Lect. Evang.*
19 Cum esset homo justus. *Ita Mm. & S. Germ.*
20 Quod enim ex ea nascitur. *Mm.* Ex ea natum est. *S. Germ.* Ex ea nascetur. *Cypr. l. 1. testim.* Quod enim ex illa natum fuerit.
23 *Mm.* In utero concipiet. *Tertul. de carne Christi, cap. 21.* Concipiet in utero.
25 *Mm.* Vocabunt nomen ejus Jesum.

℣. CAPUT II.

2 *Mm.* Venimus cum muneribus adorare eum. *Cypr. lib. 2. testim. c. 12.* Cum muneribus adorare illum. *Ita & Codex S. Mauri, Bossat. & Missalia antiqua.*
5 *Gat.* In Betlem Juda, sic enim scriptum est: Et tu Betleem. *Mm.* In Betleem Juda, sic enim scriptum est per Prophetam dicentem: Et tu.
6 *Gat.* Exiet Rex (*Dux* superscribitur). *Mm.* Exiet Rex qui.
7 *Gat.* Tunc Herodis clam vocavit Magos diligenter exquisivit ab eis. *S. Germ. a Martianæo edit.* Occulte vocavit Magos, & diligenter exquisivit ab eis.
8 *Gat.* De puero hoc, & cum inveneritis eum... ut ego veniam, & adorem. *Ita Mm.* Et cum inveneritis. *S. G.* Ut & ego veniam, & adorem.
12 *Gat.* Sed per aliam viam reversi sunt. *Ita Mm.*
13 *Gat.* Quærat puerum istum perdere. *Mm.* Puerum istum ad perdendum eum.
14 *Mm.* Et fugit. *S. Germ.* Et abiit. *Syr.* Fugit.
15 *Gat.* Usque ad mortem Herodis. *S. Germ.* Ad consummationem Herodis.
22 *Gat.* Timuit illuc ire. *Ita Mm. & S. Germ.*

23 *Gat.* Quia dicitur Nazareth.

ỳ. CAPUT III.

1 *Gat.* In deserto Judæ. *Ita & Mm.*

3 *Gat.* Per Prophetam . . semitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humilrabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Ipse enim Joannes (*Additum videtur ex Luc.* 111. 5.)

7 *Mm. & S. Germ.* Ab ira futura.

9 *Gat.* Quia potest Deus. *Mm.* Quia potens est Deus.

10 *Gat.* Ad radices. *Ita S. Germ.*

11 *Mm.* In aqua, & pœnitentia.

16 *Gat.* Descendentem de Cœlo sicut columbam venientem super se. *Ita Mm.*

17 Mihi bene complacui. *Mm. & S. Germ.* In quo bene placui, ipsum audite. *Gaud. Brix. respons. ad Paul. Diac.* In quo bene complacui.

ỳ. CAPUT IV.

4 *Gat.* Scriptum est enim quia non in solo pane. *Ita Mm.*

6 *Mm.* De te, ut custodiant te, & in manibus.

10 *Mm.* Vade retro, Satanas. *Ita & Vers. Ital. a Martian. edit. & Ms. Cantabrig. Ita & Hilar. Dacias, alii Latim.*

12 *Mm.* Quia Joannes traditus est. *Ita Gaudent. ad Neophyt. serm.* 8.

15 *Gat. Mm. & Ital. Vers.* Galilææ gentium.

16 *Gat.* In regione, & in umbra mortis. *Ita Corb. a Martianæo edit. Ita Gaudentius & Syr.*

18 *Gat. & Mm.* Rete in mare.

20 *Gat. & Mm.* Retibus suis.

25 *Mm. addit:* Et Idumæa.

ỳ. CAPUT V.

1 *Gat.* Sedisset ibi, accesserunt.

2 *Mm. & S. Germ.* Aperuit os suum, & docebat.

5 *Gat.* Logent nunc, quoniam, &c. *Ita Æthiop.*

9 *Gat.* Quoniam ipsi Filii Dei.

11 Cum vos maledixerint homines. *Ita Gat. & Mm.*

12 *Mm.* Est; sic enim.

13 *Gat.* Nisi ut projiciatur foras. *Mm. & S. Germ.* Nihil valet, nisi, *omisso* ultra.

16 *Mm. & S. Germ.* Et magnificem Patrem.

22 *Mm. & Vers. Ital. a Martianæo edita:* Fratri suo sine causa. *Ita Cyprian. testim. l. 3. c. 8. Hilar. in hunc loc. Aug. de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 19. Hier. lib. 2. advers. Pelag. & lib. 2. in Matt.*

Gat. Qui dixerit fratri suo, fatue. *Ita & Corb. & Cypr. lib. 3. testim. num.* 8.

24 *Mm.* Et tu venies & offeres.

29 *Gat.* In gehennam ignis.

39 *Mm.* Resistere a malo.

40 *Gat.* In judicio contendere.

41 *Gat. & Mm.* Angarizaverit.

43 *Gat. Mm. & Ital. Vers.* Et odies.

46 *Gat. & Corb. a Martianæo edit.* Diligatis eos.

ỳ. CAPUT VI.

4 *Gat. Mm. S. Germ. Corb.* In absconso.

6 *Gat.* Cum orabis.

11 *Gat.* Quotidianum (*alias*, supersubstantialem, *eadem manu*). *Mm. & Ital. Vers.* Quotidianum.

13 *Gat.* Et ne patiaris nos induci in tentationem. *Ita Cypr. l. 3. testim. n. 40. & Ambros. l. 5. de sacram. c. 4. n. 29. & Aug. l. 2. de serm. Domini in monte c. 9. n. 30. Multi autem peccando ita dicunt: Ne nos patiaris induci in tentationem: exponentes videlicet quod dictum sit, inducas.*

Gat. & Mm. & Ital. Vers. omittunt Amen.

14 *Mm.* Peccata vestra.

15 *Gat.* Hominibus peccata eorum; nec Pater vester cœlestis dimittet.

16 *Gat. & Mm.* Demoliuntur enim facies. *Ita & Hieron. hic. Gat. Ambr. Ital. Vers.* Ut pareant hominibus.

18 *Gat.* Ab hominibus jejunans; sed Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi.

21 *Gat.* Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit. *Mm. & S. Germ.* Ubi est enim thes... ibi erit.

23 *Gat.* Quantæ sont.

25 *Gat.* Quid manducetis, aut quid bibatis, &c. Et corpus quam vestimentum. *Ita & Corb.*

Mm. Vestimenti.

26 *Gat.* Quomodo non ferunt. *Ita & Mm.*

29 *Mm.* Vestiebatur.

31 *Mm.* Qui operiemur.

ỳ. CAPUT VII.

19 *Gat.* A quo si petierit. *Mm.* A quo petit.

23 *Mm.* Jurabo illis. *Ita Hilar. lib. 9. de Trinit. num. 65. & Albert. Magn.*

25 *Gat.* Et impugerunt. *Ita & Mm. & Cypr. l. 3. testim. n. 96. & Lucifer Calarit.*

ỳ. CAPUT VIII.

9 *Gat.* Servo meo dico, fac hoc. *Ita Mm. & S. Germ.*

10 *Gat.* Apud nullum inveni.

12 *Gat.* Regni hujus ejicientur. *Ita Mm. & S. Ger.*

13 *Gat.* Puer ejus in illa hora.

16 *Gat. & Mm.* Ei omnes male habentes, & ejiciebat spiritus immundos verbo. *Ita & Hilar.* Spiritus immundos.

20 *Gat.* Nidos ubi requiescant. *Ita Mm. & Vers. Ital.*

24 *Gat.* Fluctibus: erat autem illis ventus contrarius. Ipse autem dormiebat.

28 *Mm.* Trans fretum maris.

29 *Gat.* Perdere nos.

30 *Gat.* Pascentium. *Ita Mm. & S. Germ.*

31 *Gat.* Nos, mitte. *Ita Mm. omisso*, hinc.

ỳ. CAPUT IX.

11 *Mm.* Manducat, & bibit Magister.

15 *Mm.* Jejunabunt in illis diebus.

16 *Mm.* Fortitudinem ejus. *Vulg.* Plenitudinem.

17 *Gat.* Rumpentur . . . effundetur, . . . peribit. *Ita Corb. & Vers. Ital.*

32 *Gat.* Mutum & surdum dæmonium. *Ita Mm. & S. Germ.*

34 *Gat.* Bellebub. *S. Germ.* In Belzebul.

35 *Gat.* Infirmitatem in plebe (*altera manu*). Et multi secuti sunt eum. Videns. *S. Germ.* Infirmitatem in populo, & multi secuti sunt. *Ita Gothic.*

38 Mittet (*alias*, ejiciat) operarios.

ỳ. CAPUT X.

3 *Gat.* Alphæi, & Judas Zelotes, Simon. *Ita S. Germ. & Mm.*

8 *Gat.* Ejicite. Quod gratis.

9 *Gat.* Neque pecuniam, neque æs in zonis.

10 *Mm.* In via, neque pecuniam, neque duas tunicas.

22 *Gat.* Omnibus hominibus propter. *Ita Mm. & S. Germ.*

23 *Gat.* In aliam, & cum in aliam persequentur vos, fugite in tertiam amen dico. *Ita Mm. sed Vers. Ital.* In aliam. Quod si in aliam persequentur vos, fugite in alteram.

25 *Gat.* Et servus sicut Dominus ejus . . . Belzebub. *Mm.* Belzebud. *Vers. Ital.* Belzebul.

26 *Gat.* Quod non revelabitur, & occultum quod non scietur.

29 *Gat.* Sine voluntate Patris vestri. *Ita Cypr. l. 3. testim. n. 6. & Vers. Ital*

37 *Gat.* Plus quam me. *Ita S. Germ.*

ỳ. CAPUT XI.

1 *Gat. & Mm.* Jesus omnia verba hæc, præcipiens.

3 *Gat.* Ait illis: Euntes dicite: Tu es *Mm.* Euntes dicite illi: Tu es.

8 *Gat.* Vestitum indumentis. Ecce qui mollibus. *Mm.* Vestitum in domibus, &c.

23 *Gat.* In te mansissent. *Gaudent. Brix. ad Neoph. tract. 3. de Lect. Exod.* Mansissent utique.

ỳ. CAPUT XII.

4 *Gat.* Quando intravit . . . quos manducare.

10 *Gat.* Homo erat manus habens. *Mm.* Homo erat ibi, manum habens.

20 *Gat.* Fumigans (*alias*, fumigantem). Donec ejiciatur ad judicium. *Mm.* Fumigantem.

22 *Gat.* Ei homo Dæmonium habens. *Ita Mm. & S. Germ. & Hilar.*

31 *Mm.* Blasphemiæ remittentur.

35 *Gat. & Mm.* De bono thesauro cordis sui. *Ita & Æthiop.*

37 *Gat.* Ex verbis tuis.

42 *Mm.* Cum vini generationis hujus.
45 *Mm.* Spiritus nequiores quam se.
48 *Mm.* Ipse ait.
49 *Mm.* Mater mea quicumque.

℣. CAPUT XIII.

1 *Gat.* Mare Galilææ.
3 *Corb.* Seminare semen suum.
8 *Gat.* Sexagesimum, aliud trigesimum. *Mm.* Sexagesimum, aliud tricentesimum.
11 *Mm. & S. Germ.* Mysterium regni.
12 *Gat. & Mm.* Etiam quod habet.
14 *Gat. & Mm.* Ut adimpleretur in:
17 *Gat.* Cupierunt videre quæ vos videtis. *Mm.* Voluerunt videre quæ vidistis.
23 *Gat.* Centesimum fructum, aliud sexagissimum, porro aliud trigentissimum. *Mm.* Trigentissimum.
30 *Gat.* Messoribus meis, colligite . . . & colligate ea fasciculos. *S. Germ.* Ea fascieulos. *Mm* Ea fasciculis.
34 *Gat.* Differe nobis parabolam tritici, & zizaniorum. *Corb.* Dissere nobis. *S. Germ.* Tritici & zizaniorum.
42 *Gat.* Et mittet eos .. Ignis. *Mm.* Ignis ardentia.
51 *Gat.* Etiam Domine. *S. Germ.* Utique Domine.
52 *Gat.* Iterum similis est homini. *Mm.* Iterum simile.
55 *Gat.* Fabri filius Joseph, & mater ejus . . Jacobus, & Joannis, & Joseph, Semeon, & Judas. *Mm.* Filius Fabri Ioseph, nonne matet ejus quæ dicitur Maria . . . Jacobus, & Joannis, & Joseph, Simon, & Judas. *Corb.* Filius Joseph Fabri.
58 *Gat. Mm. & S. Germ.* Et ideo non fecit.

℣. CAPUT XIV.

2 *Gat.* Nonne bie est Joannes Baptista quem ego de Mari. *Mm.* Numquid hic est. *Chrys.* Hic est Joannes quem ego de mari. *Corb.* Ego ipse de mari.
6 *Gat. & Mm.* Fratris sui Philippi.
9 *Gat. & Corb.* In medio convivio. *Mm. & S. Ger.* In medio triclinio. *Sicut & Bibl. Goth.*
8 *Gat. & Mm. Vers. Ital.* Inquit in disco caput.
9 *Gat.* Rex propter juramentum, & eos qui pariter recumbebant. *Mm.* Rex Herodes propter juramentum, & propter simul recumbentes. *S. Germ.* Propter simul recumbentes.
11 *Gat.* Et illa atollit *Mm.* Et illa tulit.
12 *Mm.* Illud in monumento.
21 *Gat.* Mulieribus & pueris. *Mm. & Vers. Ital.* Pueris & mulieribus.
22 Jussit Discipulos. *Mm. & S. Germ.* Jussit Jesus Discipulos. *Corb.* Discipulis.
29 *Gat.* Supra mare ut veniret ad Jesum. *Mm.* Supra mare . . ad Dominum.
32 *Gat.* Ascendisset Jesus in navicula. *Mm.* Ascendisset in navicula.
33 *Gat.* Adorabant. *Hilar.* Adorabant. *In Mm. deest folium integrum.*
35 *Corb.* Adoraverunt cum, & confestim miserunt.

℣. CAPUT XV.

4 *Gat.* Patrem tuum, & matrem tuam .. morietur. *Corb.* Morietur.
11 *Gat.* Sed ex ore procidit.
27 *Gat. & Corb.* Catuli. *Ita Ambros.*
30 *Gat. & Corb.* Ante pedes ejus.
31 *Gat.* Turbæ huic quia. *Corb.* Huic turbæ quoniam. *Ita Ambros.*
33 *Gat.* Panes tanti ut. *Mm.* In deserto ut saturentur turbæ tantæ. *Vers. Ital.* Ut saturentur turbæ.

℣. CAPUT XVI.

2 *Gat. Mm. S. Germ.* Erit cras, rubicundum est enim Cœlum cum nubibus.
4 *Gat.* Noctis judicare .. non potestis. *Mm.* Existimare. *S. Germ.* Estimare.
8 *Gat. Mm. S. Germ.* Inter vos.
22 *Mm. & S. Germ.* Increpare, & dicere.
25 *Gat.* Animam suam inveniet.
26 *Gat.* Proderit homini. *Cypr.* Proderit tibi.
27 *Gat.* Secundum opus ejus.

℣. CAPUT XVII.

1 *Gat.* Et educit *Mm. & S. G.* Et factum est post:
3 *Gat. & M. S. Germ.* Apparuit.
4 *Mm.* Nobis hic esse.
5 *Gat. & Mm.* Nubs lucida Idacius Clotus mihi complacuit.
13 *Gat. Mm. & Vers. Ital.* Dixit eis.
17 *Gat.* Increpavit ei.
19 *Gat.* Diceretis monti huic, transi hinc.
23 *Gat.* Exigebant. *Hilar.* Qui didracma exigebant. *Ita Origen. In Bibl.*

℣. CAPUT XVIII.

7 *Gat. & Vers. Ital.* Venire scandala.
8 *Gat.* Ad vitam debilem, vel clandom intrare quam .. in gebennam ignis. *Mm. & Vers. Ital.* Venire quam. *Corb.* In gehennam ignis. *Epiphan.* Expedit tibi intrare in Regnum Cælorum.
9 *Gat.* Uno oculo (habentem) ad vitam. *Vers. Ital.* Unum oculum habentem.
10 *Gat.* De posillis istis, qui in me. *Mm. S. Ger. & Corb.* De his pusillis credentibus in me. *Hilar.* Qui credunt.
12 *Gat.* In montibus & vadet . . quæ erraverit. *Mm.* In deserto & vadet . . . quæ erraverit. *Albert. Magn.* Relinquit in deserto.
14 *Gat.* Gaudebit super eam. *Mm. & Vers. Ital.* Gaudebit.
15 *Mm.* Et arguet eum. *Ita Hilar.*
17 *Gat.* Sicut Gentilis, & Publicanus.
19 *Mm.* Iterum amen dico vobis.
20 *Gat. Mm. & Vers. Ital.* Ibi, & ego sum.
24 *Mm.* Ponere cum servis suis.
25 *Gat.* Venundari uxorem . . . & reddere debitum. *Mm. & Vers. Ital.* Reddi debitum.
26 *Gat. & Mm.* Rogabat . . . in me Domine. *S. Germ.* Domine patientiam.
27 *Mm.* Misertus est autem . . & omne debitum. *S. Herm.* Omne debitum.
28 *Mm.* Servi illius.
31 *Gat. & Mm.* Nuntiaverunt.

℣. CAPUT XIX.

1 *Mm.* Jesus omnia verba hæc.
3 *Mm.* Suam nisi ob fornicationem, quacumque.
4 *Cat.* Qui fecit ab initio masculum, & fœminam, ab initio fecit eos. *Mm. & S. Germ.* Qui fecit ab initio. *Corb.* Qui fecit masculum, feminam fecit. *In Hieron. Fat. & Mm.* nomen illud, *hominem*, deest.
5 *Gat. Mm. & S. Germ.* Relinquet homo. *Corb.* Remittet.
7 *Cat.* Dimittere uxorem. *Mm.* Dimittere uxores.
8 *Mm.* Vestras dico.
9 *Gat.* Ob causam fornicationis . . duxerit, adulterium committit. *Mm.* Adulterium committit. *Sicut & Tertull. l. 4. adv. Marc.*
10 *Mm.* Causa viri. *Ita S. Germ.*
12 *Gat. & Mm.* Se ipsos enuchizaverunt. *Ita Bibl. Goth.*
14 *Gat. & Mm.* Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere.
18 *Mm.* Non homicidium facies, ut in Deuteronomio, non falsum testimonium dices, non furtum facies; honora.
23 *Gat.* Intrare in.
25 *Mm.* Mirabantur & timebunt. *Hilar.* Admirantur, & metuunt valde.
27 *Gat.* Nos qui reliquimus omnia. *Mm.* Nos dimisimus omnia. *Ita Aug.*

℣. CAPUT XX.

5 *Mm.* Abiit circa.
8 *Mm.* Mercedem suam . . . a novissimis usque.
15 *Mm.* Licet mihi in meis quod. *Corb.* Favere de re mea.
19 *Gat. Mm. & Vers. Ital.* Ad deludendum. *Ita S. Chrysost.*
25 *Mm.* Convocavit eos . . . scitis quod . . . . & contumaces.
27 *Gat.* In vobis esse primus.
30 *Mm.* Audientes . . . clamarent.

℣. CAPUT XXI.

1 *Gat. & Mm.* Appropinquasset Hierosolymis, ve-

veniſſet Bethſage ... Diſcipulos ſuos.
4 *Gat. & S. Germ.* Pullum ſubjugalem.
7 *Gat.* Et impoſuerunt ei. *Mm.* Poſuerunt ei.
9 *Gat.* Oſanna Filii David ... qui venturus es in Altiſſimis. *Mm.* Oſanna Filii David in excelſis. *S. Germ.* In excelſis. *Hilar.* Fili David.
15 *Gat. Mm. & Verſ. Ital.* Fecit Jeſus & ... Oſanna Fili.
17 *Mm.* Manſit & docebat eos de Regno Dei mane.
20 *Gat.* Aruit ficulnea.
21 *Gat.* Tolle te, & jactas te.
25 *Gat.* Baptiſmum Joannis. *Mm.* Baptiſmum Joannis unde fuit? De Cœlo erat an ... intra te.
28 *Gat.* Homo qui habebat ... dixit illi: Fili ... in vineam meam. *Mm.* Homo quidam qui habebat ... in vineam meam. *S. Germ.* In vineam meam.
31 *Gat.* Præcedunt vos in Regno Dei. *Mm.* Præcedunt vos.
33 *Mm.* Turrem in medio ejus.
37 *Mm.* Dicens, forſitan verebuntur.
38 *Mm.* Et habeamus.
39 *Mm.* Occiderunt, & ejecerunt extra vineam. *Ita Lucifer Calarit.*
40 *Gat.* Agriculis. *Corb.* Colonis illis.
42 *Gat.* Nunquam non legiſtis in ſcripturis, ſi lapidem. *Mm.* In ſcripturis in Pſalmo: lapidem.

℣. CAPUT XXII.

6 *Gat.* Contumelia adfectos. *Mm.* Afflictos. *Lucifer Calarit.* Contumelia.
10 *Mm.* Quotquot invenerunt. *Ita Lucifer Calarit.*
13 *Mm.* Alligate eum manibus, & pedibus, & mittite in.
16 *Gat. & S. Germ.* Perſonas. *Mm.* In perſonam.
24 *Mm.* Moyſes mandavit nobis ſi quis .. & non.
25 *Gat.* Mortuus eſt.
27 *Gat. Mm. & Corb.* Noviſſima.
32 *Gat. & S. Germ.* Sed Deus viventium.
33 *Gat. & Mm.* Audientes Scribæ.
36 *Gat.* Quod eſt primum mandatum magnum. & 37. *Gat.* In tota anima tua, & ex totis viribus tuis, Exin tota mente tua. *Origen.* Ex totis viribus tuis. *Mm.* tota anima tua.
38 *Mm.* Magnum &. *Hilar.* Hoc eſt magnum.
40 *Mm.* Pendet tota lex.
45 *Gat. & Mm.* David in ſpiritu v~eat.

℣. CAPUT XXIII.

5 *Gat.* Fimbrias veſtimenti ſui. *Mm.* Fimbriam veſtimenti ſui.
6 *Gat.* Primos diſcumbiros. *Mm.* Accubitas.
14 *Deeſt iſte verſus in manuſcript. Gat. Mm. & Verſ. Ital. nec in Hieron. legitur.*
15 *Gat.* Quia circumitis mare, & aridam ut faciatis unum proſilitum. *Mm.* Qui circumitis mare, & aridum, & cum.
16 *Gat.* In Templum ... debitor eſt. *Mm.* Debitor eſt.
18 *Gat.* In altario ... debitor eſt. *Mm.* In altare ... debitor eſt.
21 *Gat.* Qui jurat in. *Mm.* Qui juravit.
25 *Mm.* Pleni ſunt rapina.
26 *Gat.* Id quod intus eſt. *Mm.* Et id quod foris eſt.
27 *Gat.* Appareant.
28 *Gat.* Apparetis.
32 *Gat. & Mm.* Et vos impletis.
33 *Gat.* Effugetis.
34 *Gat. & Mm.* Et flagellabitis.
37 *Gat.* Sub halis ſuis &. *Mm.* Sub alas ſuas &. *Cypr.* Sub alas ſuas.

℣. CAPUT XXIV.

3 *Gat.* Conſummationem ſæculi.
4 *Mm.* Seducat ullo modo.
7 *Mm.* Regnum ſuper Regnum. *Ita Cypr.*
10 *Gat. & Mm.* Invicem ſe tradent.
12 *Gat. & Mm.* Abundabit. *Gat.* Refrigereſcet.
15 *Mm.* Abominationem, quæ dicta eſt a Daniele Propheta ... qui legit, & intelligat.
21 *Mm. & Corb.* Ab initio ſæculi.
23 *Gat. Mm. S. Germ. & Cypr.* Aut ecce illic.
27 *Gat. Mm. & Cajet.* Fulgor exiit.
29 *Mm. & Cypr.* Movebuntur.
30 *Gat. Mm. & Cypr.* Plangent ſe omnes ... cum virtute magna.
32 *Gat. & Mm.* Ficus ... æſtus.
37 *Gat. & Mm.* Sicut enim fuit in.
38 *Gat.* Bibentes, nubentes, & nuptum tradentes uſque ad diem. *Mm.* Bibentes, & uxores ducentes uſque in eum diem.
41 *Mm.* Relinquetur. Duo in lecto, unus aſſumetur, & unus relinquetur. Vigilate. *Corb.* Duo erunt in lecto jacentes, unus admittetur, & alter adſumetur. *Bibl. Goth.* In lecto unus aſſumetur.
42 *Gat.* Qua hora, vel qua die Dominus. *Mm.* Qua die, vel qua hora.
43 *Gat.* Perſodiri. *Mm.* Veniret ... perfodiri.
44 *Mm. & Corb.* Quia neſcitis qua hora.
49 *Gat. Mm. & Corb.* Cum ebriis.

℣. CAPUT XXV.

9 *Gat.* Dicentes non, ne forte non.
11 *Gat.* Noviſſime veniunt.
22 *Gat.* Acceſſit alter, & qui.
24 *Mm.* Scio homo durus es.
25 *Gat.* Et timens ego abii.
27 *Gat. Mm.* Mittere pecuniam ... cum uſuris quod meum eſſet. *Corb. & Mm. & Origen.* Cum uſuris.
30 *Mm.* Ibi erit.
34 *Gat.* Poſſidete regnum quod vobis preparatum eſt a conſtitutione mundi. *Mm. Corb. Origen. Lucifer Calarit.* Poſſidete paratum vobis regnum ab origine. *Niceph.* Poſſidete regnum quod.
36 *Gat.* In carcerem fui. *Cypr.* In carcere fui. *Gaudentius Brix.* Eram.
41 *Gat. & Mm.* A ſiniſtris ejus erunt.
43 *Gat. & Corb.* Et non veniſtis ad me.
46 *Mm.* Tunc ibunt hi.

℣. CAPUT XXVI.

3 *Gat.* Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores ... qui vocatur Chsipas. *Mm.* Qui dicitur Caiphas.
7 *Gat.* Ejus recumbentis. *Mm.* Ipſius recumbente ipſo.
9 *Gat. Mm. & Corb.* Pretio multo.
10 *Gat. & Verſ. Ital.* Opus bonum.
51 *Gat. Mm. & Corb.* Habebitis ... non ſemper habebitis.
13 *Gat.* In toto orbe. *Gat. & Mm.* Dicetur & quod fecit hæc in memoriam ipſius. *Mm.* Narrabitur.
14 *Gat. Mm. & Verſ. Ital.* Qui dicitur Judas Scarioth.
16 *Gat.* Traderur eis. *Mm.* Occaſionem ut eum morti traderet.
17 *Gat.* Azæmorum ... Domine ubi vis ... manducare Paſcha. *Mm.* Aziemorum. *Hilar. in Matth.* Paſcha manducare.
10 *Gat.* Sicut præcepit. *Mm.* Præpsraverunt.
20 *Gat.* Diſcubuit.
21 *Mm.* Comedentibus illis dixit Jeſus.
24 *Gat.* Traditur. *Mm.* Per quem tradetur. *Euthym.* Per quem proditur.
25 *Gat.* Qui traditurus erat eum, & dixit .. illi Jeſus. *Mm.* Traditurus eſt cum dixit .. illi Jeſus.
26 *Gat. & Mm.* Hoc eſt enim.
28 *Gat.* Effunditur.
29 *Gat. & Mm.* Vobis quia non bibam.
31 *Gat. & Mm.* Gregis ſui.
36 *Gat.* Gethſamini .. ſedete huc donec eam illuc orare. *Mm.* Gethzamani .. vadam & illuc oram. *Hilar. in Matth. c.* 31. Donec eam illuc orare.
39 *Mm.* Sicut tu vis. *Hilar. Ibid.* Sed ſicut tu vis.
40 *Gat.* Potuiſtis.
41 *Gat.* Ne intretis.
43 *Gat.* Iterum ad Diſcipulos ſuos, & .. gravati a ſumno. *Mm.* Gravati de ſumno. *S. Germ.* Gravari ſumno.
47 *Gat.* Et ſeniores populi.
50 *Gat.* Cui dixit Jeſus. Amice, ad quod veniſti fac tunc. *Mm. & Verſ. Ital.* Ad quod veniſti?
52 *Gat. & Mm.* in gladio.
53 *Gat.* Non poſſum modo rogare. *Mm.* Non poſſum ego rogare.
55 *Gat.* Jeſus ad turbas .. *Gat. & Mm.* Veniſtis eum.

56 *Gat.*

56 *Gat.* & *Mm.* Discipuli ejus omnes.
57 *Gat.* & *Mm.* Convenerunt.
58 *Gat.* & *Mm.* Finem rei. *Bibl. Goth.* Ut videret finem rei.
60 *Gat.* Venissent.
61 *Gat.* Templum Dei, & post triduum diem reædificare illud. *Mm.* Templum hoc Dei, & post tertium diem ressuscitare illud.
63 *Gat.* Filius Dei vivi.
64 *Gat.* Cum nubibus. *Mm.* & *Verf. Ital.* Virtutis, &c.
65 *Gat.* Hic blasphemavit.. audiftis blasphemiam ejus. *Mm.* Audivimus blasphemiam ejus.
66 *Gat.* Responderunt omnes, & dixerunt.
70 *Gat.* Coram hominibus dicens, nescio quid dicis neque intelligo. *Mm.* Coram hominibus.
72 *Mm.* Non novissem hominem.
73 *Gat.* & *Mm.* Qui ibi stabant. *Gat.* Re vera & tu.
74 *Mm.* Cœpit devotare, & jurare.
75 *Gat.* Ploravit amare.

℣. CAPUT XXVII.

5 *Gat.* Consilium fecerunt.
3 *Gat.* Quia damnatus est, pœnitentia ductus. *Mm.* Pœnitentiam motus.
5 *Gat.* & *Mm.* Secessit.
6 *Gat.* Tunc Principes Sacerdotum. *Gat.* & *S.Ger.* In corban. *Mm.* & *Corb.* In corbanam.
8 *Gat.* Propterea.. aget ille lingua eorum Haceldemach, quod est. *Mm.* *S.Germ.* & *Corb.* Acheldemach. *Mm.* Quod est.
9 *Gat.* Adimpletum.. erat per.. XXX. stateres. *Mm.* & *S. Germ.* Quod adpræriaverunt.
11 *Gat.* Enim Pilatus.
12 *Mm.* Nihil respondebat.
13 *Gat.* Quanta isti adversum te testimonia testificantur. *Mm.* Quanta adversum te testificantur, & dicunt testimonia.
14 *Gat.* Illi ullum verbum. *Verf. Ital.* Ei unum verbum.
16 *Gat.* Habebant autem tunc vinctum. *Mm.* Habebant autem anum vinctum. *Gat.* Barabas.
18 *Gat.* & *Toph.* Quod propter invidiam.
19 *Gat.* & *Mm.* Nihil sit tibi. *Hilar. in hunc loc.* Nihil tibi sit.
20 *Gat.* Populo ut.
22 *Mm.* Quid ipso faciemus de.
23 *Mm.* Pilatus.
24 *Mm.* Nihil proficere, sed magis tumultum fieri. *Mm.* & *Gat.* Manus suas coram omni populo. *Mm.* A sanguine ejus.
26 *Gat.* Illis ut eum crucifigerent. *Mm.* Ut crucifigeretur.
27 *Gat.* Duxerunt. Jesum in pretorium, & congregarent.
28 *Gat.* Et exeuntes eum, & vestierunt eum tonica porphorea, & clamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes. *Mm.* Ei, & vestem purpuream, & plectentes.
29 *Gat.* De spinis texuerunt, & posuerunt supra caput.. & genu posito illudebant dicentes. *Mm.* Illudebant dicentes.
30 *Gat.* Expuentes in faciem ejus.
32 *Gat.* Cyrineum venientem obviam sibi, nomine Simonem. *Mm.* In obviam illis.
37 *Gat.* & *Mm.* Hic est Rex Judæorum.
40 *Gat.* *Mm.* *Corb.* & *Hilar.* Destruebas.. reædificabas. *Gat.* Va qui... salva teipsum. *S. Germ.* Destruit.. reædificat.
41 *Gat.* Diludentes cum Scribis, & Pharisæis. *Mm.* & *Verf. Ital.* Illudentes eum cum Scribis, & Senioribus.
43 Confidat in Deo. *Mm.* In Domino.
46 *Gat.* Heli, Heli Lamazabathehoii. *Mm.* Heloi, Heloi Lamathzabacthani. *Verf. Ital.* Heli, Heli, Lamazabathani.
48 *Gat.* Imposuit inarundinem.
49 *Gat.* An veniat Helias liberare eum: alius autem accepta lancea pepungit, & aperuit latus ejus, & exivit sanguis, & aqua. Jesus autem. *Mm.* Si veniat Helias liberare eum, alius autem accepta pepungit latus ejus, & exivit aqua, & sanguis.
52 *Gat.* Sanctorum dormientium resurrexerunt, qui exeuntes. *Mm.* Qui dormierunt. *Gaudent. ser.* 10. *de lect. Exod.* Et multa eorpora Sanctorum dormientium surrexerunt, & exeuntes.
55 *Gat.* Fuerant. *Mm.* A longe videntes quæ secutæ fuerant.
56 *Gat.* Et Joseph, & mater.
57 *Gat.* Ab Arimathia.. fuerat. *Mm.* Fuerat.
58 *Gat.* & *Mm.* Dari corpus.
63 *Gat.* & *Mm.* Post tertium diem.
65 *Gat.* Habetis milites, ite.
66 *Mm.* Cum custodibus, & discesserunt.

℣. CAPUT XXVIII.

3 *Gat.* & *Mm.* Sicut Fulgor, vestimenta ejus candida sicut nix.
5 *Gat.* Jesum Christum qui. *Mm.* Angelus Domini dixit.. Jesum Christum.
7 *Gat.* Surrexit a mortuis, ecce præcedet vos.. & ecce dixi vobis. *Mm.* Ecce precedit vos. *Corb.* Dixi vobis. *Cajetanus.* Quia surrexit a mortuis.
8 *Mm.* Et exierunt mulieres cito.
10 *Gat.* & *Mm.* Sed ite.
15 *Gat.* Erant instructi, & devulgatum est. *Mm.* & *Verf. Ital.* Erant docti.
19 *Gat.* & *Mm.* Ergo nunc docete. *Hilar. lib. de Trinit.* Euntes nunc docete.
20 *Gat.* Observare.. Amen. *Mm.* Observare.. ecce vobiscum.. sæculi. *S. Germ.* Ecce vobiscum.

Explicit Evangelium secundum Matthæum.

VARIANTES LECTIONES
EX MARCI EVANGELIO.

Gat. *Item incipit Ævangelium secundum Marcum.* Mm. *Item nunc orditur Ævangelium* Jesu Christi.

℣. CAPUT I.

1 *Gat.* & *Mm.* Evangelii Domini nostri Jesu Chr.
3 *Mm.* Semitas Dei nostri.
5 *Mm.* Ad illum omnis Judæa, &c.
6 *Gat.* & *Mm.* Circa lumbos suos.
8 *Gat.* & *Mm.* Vos in aqua... Vos in Spiritu Sancto.
10 *Mm.* Ascendit.
12 *Gat.* Emisit eum in deserto. *Mm.* Expulit.
14 *Gat.* Regni &.
21 *Gat.* Sabbatho ingressus. *rec. man.* Sabbathis. *Mm.* Introgressus.
22 *Gat.* Scribæ, & Pharisæi.
23 *Mm.* In Synagoga Judæorum.
24 *Mm.* Scio te qui sis.
25 *Gat.* & *Mm.* Exi ab homine spiritus immunde, &.
27 *Gat.* & *Mm.* Quæ est.. Quia in potestate & spiritibus.
29 *Gat.* & *Mm.* Egrediens.. venit.
32 *Gat.* Cum occubuisset sol... male habentes, & erat.
34 *Gat.* Doloribus. *recent. man.* langoribus. *Mm.* Langoribus.
36 *Gat.* & *Mm.* Subsequutus est.
39 *Gat.* Et in omni Galilena. *rec. man.* per omnem. *Mm.* Et omnis Galilæa.
40 *Gat.* Leprosus quidam, & deprecans eum genu flexo, dixit si. *Mm.* Dixit: Domine, si.
44 *Gat.* Principibus.
45 *Gat.* & *Mm.* Esse.

℣. CAPUT II.

2 *Mm.* Caphatnaum post dies &.

2 *Gat.* & *Mm.* Caperet domus, neque.
8 *Gat.* Spiritu Sancto, quia.
10 *Gat.* Tunc ait.
12 *Mm.* Coram omnibus tulit ita ut.
14 *Gat.* & *Mm.* Levin Alphei.
15 *Mm.* Multitudo, qui.
17 *Mm.* Peccatores in pœnitentiam, &.
18 *Gat.* & *Mm.* Cur Diſcipuli.
20 *Gat.* Veniunt.
21 *Gat.* Nemo enim adſumantum . . adſuit . . . adſeret. *rec. man.* Auſert. *Mm.* Nemo enim comiſutam panoi novi adſuit . . auſeaet.
22 *Gat.* Novellum vinum in . . diſrumpet dinum novum utres veteres, & . . debet, & utraque ſervantur, & factum eſt. *Mm.* Vinum novellum in . . rumpet . . debet, & utraque ſervantur, & factum eſt.
23 *Gat.* & *Mm.* Cum ſabbathis.
24 *Gat.* Quid faciunt Diſcipuli tui ſabbathis quæ non licet eis facere, &.
25 *Gat.* Ait illis: Numquid legiſtis. *Mm.* Ait illis Jeſus, numquam.
26 *Gat.* Prepoſitionis . . non licebat ei manducare niſi ſolis Sacerdotibus, & dedit ei. *Mm.* Non licebat ei manducare, niſi ſolis . . . & dedit his qui cum ipſo erant.

ỳ. CAPUT III.

4 *Gat.* Eis ſi licet.
5 *Gat.* Manus illius ſanitati ſicut altera . . exeuntes.
9 *Gat.* Ut navicula præſto eſſet illi. *Mm.* Ut in navicula ſibi deſervirent.
11 *Mm.* Et ſpiritus immundos . . projiciebant ſe ei.
15 *Mm.* Valetudines. *Gat.* & *Mm.* Dæmonia, & ut circumeuntes prædicarent Evangelium, &.
16 *Gat.* & *Mm.* Impoſuit Simoni nomen Petrum.
21 *Gat.* Audiſſent Diſcipuli. *Mm.* Diſcipuli ſui.
22 *Gat.* Beelzebub . . hic ejicit. *Mm.* Beelzebud.
24 *Gat.* & *Mm.* Non poterit.
25 *Mm.* Non poterit . . ſtare, ſed finem habet. Nemo.
27 *Mm.* Prius alligaverit.
29 *Gat.* Non habet in ſe remiſſionem, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſed.
33 *Mm.* Et qui ſunt fratres mei.

ỳ. CAPUT IV.

6 *Gat.* Exortum eſt, ſole autem orto exæſtuavit . . non haberet. *Mm.* Æſtuavit . . non habuit.
7 *Gat.* In ſpinis, & creverunt ſpinæ.
8 *Gat.* & *Mm.* Trigeſimum . . ſexageſimum . . centeſimum. *rec. man.* Sexagenteſimum.
10 *Gat.* & *Mm.* De parabolis.
15 *Gat.* & *Mm.* In corde eorum.
19 *Gat.* & *Mm.* Efficiuntur.
24 *Gat.* Remitietur vobis, qui.
25 *Gat.* Non habet, auferetur.
26 *Gat.* & *Mm.* Si homo jactat.
30 *Gat.* Cui comparabulæ
31 *Gat.* Quod ſeminatum fuerit in terra, aſcendit. *Mm.* Minimum eſt.
34 *Mm.* Loquebatur omnia.
40 *Gat.* Quis putatis.

ỳ. CAPUT V.

4 *Mm.* Dominare.
7 *Gat.* Dei ſummi.
9 *Mm.* Nomen eſt mihi. Et.
12 *Gat.* Spiritus dicentes: Si ejicis nos, mitte. *Mm.* Spiritus immundi dicentes, mitte.
13 *Gat.* Impetu grex porcorum præcepit. *Mm.* Impetu habiit.
14 *Gat.* Quid eſſet facti. *Mm.* Quod eſſet facti.
15 *Gat.* Venerunt . . vexabantur. *Mm.* Venerunt.
19 *Gat.* Et Jeſus non adimiſit eum. *Mm.* Et non dimiſit eum.
40 *Gat.* & *Mm.* Et impediuntur.
41 *Gat.* & *Mm.* Tabitha cumi.
42 *Gat.* Obſtupuerunt omnes ſtupore maximo. *Mm.* Obſtupuerunt parentes ejus ſtupore maximo.

ỳ. CAPUT VI.

1 *Mm.* Ibat in.
3 *Gat.* & *Mm.* Nonne iſte eſt Fabri filius, & Mariæ. *Gat.* Frater Jacobi . . ſcandalizantur in eo.
5 *Mm.* Et ideo non poterat illic multam virtutem facere.
11 *Gat.* Non receperint vos, exeuntes.
16 *Mm.* Johannis hic.
19 *Gat.* Herodis autem inſidiabatur. *Mm.* Herodia autem.
22 *Gat.* Illi multa, quia.
27 *Gat.* Miſſo ſtatim ſpeculatore.
30 *Mm.* Quæcumque egerant.
34 *Gat.* Et exiens inde vidit. *Mm.* Et exiens inde Jeſus vidit turbam, &c.
38 *Gat.* & *Mm.* Dicunt ei: Quinque panes, &.
43 *Mm.* De piſcibus ſimiliter erant.
46 *Gat.* In montem ſolus orare.
47 *Gat.* Solus erat in.
51 *Gat.* Omnes qui viderant eum. *Mm.* Omnes enim qui viderunt, & magis.
53 *Mm.* Pervenerunt in terram Genezar.
54 *Gat.* & *Mm.* Egreſſiſſent. *Gat.* Cognoverunt eum viri loci illius, &.
56 *Gat.* Introiebat. *Mm.* Introeat . . in civitates, & in plateas.

Deſunt hic omnia in Ms. maj. Monaſt. uſque ad ỳ. 29. Cap. VII. Evang. ſecundum Luc. foliis integris dilaceratis.

ỳ. CAPUT VII.

11 *Gat.* Proderit.
18 *Gat.* Omne quod extrinſecus.
19 *Gat.* Quoniam non intravit in cor ejus, ſed in ventrem, & in ſeceſſum exiit purgans.
20 *Gat.* Coinquinant.
28 *Gat.* Catelli edunt.
29 *Gat.* Illi Jeſus; Propter . . & exiit.
32 *Gat.* Et mugillatum.
37 *Gat.* Facit . . facit.

ỳ. CAPUT VIII.

2 *Gat.* Turbæ huic. *rec. man.* ſuper turbam.
15 *Gat.* Eis Jeſus dicens: Videte, cavete . . Phariſæorum, & Saducæorum, & fermento.
19 *Gat.* Quomudo.
23 *Gat.* Et adprehendens manum cæci duxit eum . . & ſpuens . . ſi aliquid videret.
33 Satanas . . ſed quæ hominum.
34 *Gat.* Vult poſt me venire deneget ſeipſum.
36 *Gat.* Univerſum mundum.

ỳ. CAPUT IX.

1 *Gat.* Adſumpſit Petrum . . ſeorſum ſolus.
2 *Gat.* Candida velut.
5 *Gat.* In timore exterriti.
12 *Gat.* Helias jam venit.
14 *Gat.* Videns eum . . occurrentes.
16 *Gat.* Spiritum immundum qui.
17 *Gat.* Duxi Diſcipulis
19 *Gat.* Diſcerpſit eum conturbans, & eliſus.
24 *Gat.* Surde & mute ſpiritus, tibi præcipio.
35 *Gat.* Conſpexiſſet dixit.
40 *Gat.* Aquæ frigidæ (tantum) in . . , quia non perdet.
42 *Gat.* Mitti in gehennam ignis inextinguabilis, ubi.
48 *Gat.* Ignis ſalietur, & omnis victima ſalietur.
49 *Gat.* Inſalſum . . condietur . . ſalem, &.

ỳ. CAPUT X.

6 *Gat.* Illos Deus dicens: Propter.
7 *Gat.* Adherebit uxori ſuæ.
14 *Gat.* Regnum Cœlorum. *rec. man.* Dei.
18 *Gat.* Niſi ſolus Deus.
28 Scimus te, quid ergo erit nobis reſpondens.
32 *Gat.* Eſſent ventura.
37 *Gat.* Et unus ad.
38 *Gat.* Ego bibiturus ſum.
39 *Gat.* Calicem quem bibo.
41 *Gat.* Indignati ſunt de.
49 *Gat.* Vocat te magiſter.

ỳ. CAPUT XI.

1 *Gat.* Ad montem Oliveti.
2 *Gat.* Introeuntes in illud.
3 *Gat.* Facitis hoc? dicite.
8 *Gat.* Inſtraverunt.
13 *Gat.* Venit videre ſi.
20 *Gat.* Cum tranſiretaſſent.
31 *Gat.* Dicet nobis: Quare.
33 *Gat.* Hæc facio.

CA-

ỹ. CAPUT XII.
13 *Gat.* Quosdam cum Herodearus ex Pharisæis.
14 *Gat.* Doces: Dic ergo nobis licet.
20 *Gat.* Erant apud nos, &c.
25 *Gat.* Erunt tanquam.
27 *Gat.* Viventium.
28 *Gat.* Conquirantes, quoniam . . . eum: Magister quod est.
42 *Gat.* Vidua paupercula . . paupercula.

ỹ. CAPUT XIII.
1 *Gat.* Structuræ Templi, &c.
2 *Gat.* Vide has magnas.
6 *Gat.* Ego sum Christus, &c.
13 *Gat.* Sustinuerit usque in.
18 *Gat.* Ut ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbatho, erunt.
19 *Gat.* Tribulationis, tales.
22 *Gat.* Signa magna, &c.
37 *Gat.* Dico: Vigilate; omnibus dico: Vigilate.

ỹ. CAPUT XIV.
1 *Gat.* Et azæmorum post . . & occiderent eum dolo.
3 *Gat.* Nardi pistici.
7 *Gat.* Habebitis . . habebitis.
10 *Gat.* Scariothis . . Christum illis.
11 *Gat.* Pretium se.
17 *Gat.* Cum XII. Discipulis suis.
19 *Gat.* Singillatim: Numquid ego sum?
25 *Gat.* Quoniam non bibam de germine . . . bibam vobiscum novum in regno Dei.
27 *Gat.* Omnes vos scandalizamini in ista nocte.
29 *Gat.* Fuerint, sed.
32 *Gat.* Venerunt . . nomen est Gethsamani.
34 *Gat.* Vigilate mecum.
35 *Gat.* Procidit in faciam suam super.
37 *Gat.* Venit ad eos,& invenit.. Vigilare mecum.
40 *Gat.* Ingravati a sumno.
43 *Gat.* Scarioth . . missi a Summis.
44 *Gat.* Ducite.
47 *Gat.* Summi Pontificis.
54 *Gat.* Usque in . . & calefaciebat se ad ignem.
58 *Gat.* Post triduum.
60 *Gat.* Interrogabat quicquam.
64 *Gat.* Blasphemiam ejus: quid.
65 *Gat.* Propheiiza nobis, Christe, quis est qui te percussit: & ministri.
72 *Gat.* Verbi Jesu quod dixerat ei.

ỹ. CAPUT XV.
4 *Gat.* Non respondens quicquam.
7 *Gat.* Nam in carcere qui.
8 *Gat.* Illis per diem solempnem ut dimitteret unum vinctum. Pilatus.
11 *Gat.* Baraban peterent dimittere eis.
12 *Gat.* Vultis ut faciam.
13 *Gat.* Dicentes: Crucifige, crucifige eum.
15 *Gat.* Reddidit illis Jesum. *rec. man.* tradidit.
16 *Gat.* Duxerunt Jesum intro in atrium.
24 *Gat.* Super ea.
27 *Gat.* Crucifigerunt.
29 *Gat.* Va qui destruit . . ædificat.
32 *Gat.* Si Christus . . credamus ei.
33 *Gat.* Super universam terram.
34 *Gat.* Heloi, Heloi Lamazabathani.
35 *Gat.* Helcani vocat iste.
36 *Gat.* Unus est eis, &c.
38 *Gat.* In duas partes.
43 *Gat.* Audaciter.
45 *Gat.* Corpus Jesu Joseph.
47 *Gat.* Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Maria Joseph.

ỹ. CAPUT XVI.
1 *Gat.* Ungerent eum.
8 *Gat.* Tenuit, & pavor.
9 *Gat.* Nam Jesus mane.
15 *Gat.* In mundum prædicate.
18 *Gat.* Non eos nocebit.
20 *Gat.* Prosequentibus signis . . Amen.

Explicit Evangelium Cata Marcam.

ITEM INCIPIT EVANGELIUM.

CATA LUCAN.

CAPUT I.
3 *Gat.* Adsequuto a.
7 *Gat.* Processerent ætate in.
9 *Gat.* Poneret, in Templo ingressus.
11 *Gat.* Altaris supplicationis.
13 *Gat.* Zacharias, quia ecce exaudita est.
17 *Gat.* Parare Domino.
20 *Gat.* Tacens. *rec. man.* Mutus.
22 *Gat.* Annuens eis.
28 *Gat.* In mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.
29 *Gat.* Ipsa autem quæ eum vidisset turbata est.
30 *Gat.* Et dixit ei Angelus Domini.
35 *Gat.* Et id quod nascitur ex te.
41 *Gat.* Exultavit in gaudio infans.
45 *Gat.* Sunt à.
46 *Gat.* Magnificavit.
50 *Gat.* In progenie, & progenies.
54 *Gat.* Memorari misericordia.
56 *Gat.* Apud illam quasi.
59 *Gat.* Et vocaverunt.
63 *Gat.* Et postulans. *rec. man.* Accepit.
66 *Gat.* Quid putas.
67 *Gat.* Impletus est . . prophetabat.
71 *Gat.* Salutem, & liberavit nos ex inimicis.
74 *Gat.* De manibus.
77 *Gat.* Plebis ejus.
80 *Gat.* In spiritu, & gratia Dei erat cum illo, & erat in.

ỹ. CAPUT II.
1 *Gat.* Ut censum describeretur. *rec. man.* Profiterentur.
2 *Gat.* Hæc descriptio. *rec. man.* Professio . . . Cyrino nomine.
3 *Gat.* In suam regionem.
4 *Gat.* Et patria David.
5 *Gat.* Prægnante de Spiritu sancto.
9 *Gat.* Circa eos.
10 *Gat.* Nuntio vobis.
13 *Gat.* Cum Angelis multitudo exercitus.
14 *Gat.* In excelsis.
16 *Gat.* Festinanter.
17 *Gat.* Cognoverunt eum de verbo.
20 *Gat.* Pastores laudentes, & benedicentes Dominum.
23 *Gat.* Omne masculum.
25 *Gat.* Nomine Semeon.
28 *Gat.* In ulnas suas.
29 *Gat.* Nunc dimitte.
35 *Gat.* Multorum cordium cogitationes.
37 *Gat.* Et hæc erat vidua . . . serviens Deo die ac nocte.
38 *Gat.* Adsistens confitebatur . . . redemptionem in Hierusalem.
40 *Gat.* Erat cum illo.
48 *Gat.* Dolentes & tristes quærebamus te.
49 *Gat.* Nescitis quia.

ỹ. CAPUT III.
10 *Gat.* Faciemus ut vivamus? Respondens.
13 *Gat.* Quam constitutum est vobis, exigatis.
16 *Gat.* Vos in pœnitentia, venit autem.
19 *Gat.* Faciebat Herodis.
22 *Gat.* Super eum. Et vox facta est dicens: Tu es . . complacuit mihi.
23 *Gat.* Melchi.
26 *Gat.* Mathusalem.
27 *Gat.* Manathæ.

31 *Gat.* Mecha . . Mathathia.
35 *Gat.* Serog.
37 *Gat.* Mathusalem.

ŷ. CAPUT IV.

2 *Gat.* Temptatur.
5 *Gat.* Diabolus, &.
6 *Gat.* Ad illum . . eui voluero.
18 *Gat.* Eo quod.
27 *Gat.* In Hierusalem . . sub Neman.
34 *Gat.* Qui sis.
35 *Gat.* Exii ab homine. *rec. man.* Ab illo.
36 *Gat.* Pavor magnus in omnibus, & eonloquebatur.
41 *Gat.* Dæmonia etiam a multis.

ŷ. CAPUT V.

1 *Gat.* Genesar.
2 *Gat.* Retia in mare.
3 *Gat.* Ducere pusillum.
4 *Gat.* Relaxate.
7 *Gat.* Annuebant . . ut mergerentur.
10 *Gat.* Nolite timere.
16 *Gat.* Sedebat in deserto.
23 *Gat.* Peccata tua, an.
24 *Gat.* Dimittere peccata.
27 *Gat.* Leuvin . . Ad thiloneum.
34 *Gat.* Possunt. *rec. man.* Potestis jejunare.

ŷ. CAPUT VI.

4 *Gat.* Non licebat eis manducare nisi solis Saeerdotibus; aut non legistis in lege quia Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Et dicebat.
7 *Gat.* Aceusare illum.
8 *Gat.* Stetit & surgens.
20 *Gat.* Pauperes spiritu, quia.
23 *Gat.* Multa eopiosa est in cœlo Dominum hæc faciebant.
24 *Gat.* Qui habetis.
29 *Gat.* Percussit. *rec. man.* Percusserit.
38 *Gat.* Confessam & super effluentem.
42 *Gat.* Perspicies ejecere festucam.
45 *Gat.* Thesauro cordis sui, profert mala.
46 *Gat.* Quem dico vobis?
48 *Gat.* Domum suam, qui.
49 *Gat.* Supra harenam sine . . ejus domus magna.

ŷ. CAPUT VII.

1 *Gat.* Cum implesset omnia verba hæc.
3 *Gat.* Et tanaret.
6 *Gat.* Centurio rogans amicos dicens: Domine, noli vexari, Magister.
7 *Gat.* Intres; sed die verbo.
8 *Gat.* Servo meo dico: Fac.
10 *Gat.* Languebat.
13 *Gat.* Vidisset Jesus.
14 *Gat.* Adolescenti, tibi dico.
24 *Gat. & Mm.* Vento moveri.
25 *Gat.* Sed existis.
26 *Mm.* Et utique . . & amplius quam Propheta.
28 *Mm.* Regno Cœlorum.
29 *Gat.* Omnis populus, &c. *Mm.* Omnes populi audiens &.
30 *Gat. & Mm.* In semetipsis.
31 *Gat. & Mm.* Cui ergo.
34 *Gat.* Voratur. *Mm.* Vorator.
35 *Mm.* Ab omnibus a filiis suis.
37 *Gat.* Quod accubuit. *Mm.* Jesus aceubuit.
39 *Gat. & Mm.* Scisset . . qualis mulier.
42 *Gat.* Cum plus. *Mm.* Cum amplius.
45 *Gat.* Intravit, non cessit.
48 *Gat.* Ad illam Jesus . . peccata tua.
49 *Gat.* Recumbebant. *Mm.* Decumbebant.

ŷ. CAPUT VIII.

1 *Mm.* Per civitatem, & castellum.
2 *Mm.* Spiritus immundis.
3 *Gat.* Chutziæ . . eis de. *Mm.* Chusiæ.
5 *Gat. & Mm.* Ecce exiit. *Gat.* Comedunt.
6 *Gat.* Super petrosa.
10 *Gat.* Audientes, non audiant, & non intelligant.
12 *Gat.* Secus viam sunt seminati. Hii sunt. *Mm.* Secus viam sunt. Hi sunt.
13 *Gat. & Mm.* Radicem.
13 *Mm.* Non fecerunt.
16 *Gat.* Accendens lucernam, operuit eam vasso . . ut. *Mm.* Lucernam accensam operit eam vaso.
20 *Gat.* Illi: Ecce mater.
21 *Mm.* Verbum audiunt, audiunt & faciunt.
23 *Gat. & Mm.* Navigantibus autem illis, dormivit . . complebatur navicula fluctibus, & periclitabantur. *Mm.* Obdormivit.
24 *Mm.* Tranquillitas magna dixit.
28 *Mm.* Jesu Christe Fili.
29 *Gat.* In deserta loca. *Mm.* In deserto.
30 *Mm.* Quia multi intrayerunt.
33 *Gat.* In mare.
35 *Gat.* Hominem, a quo dæmonia exierunt, vestitum sana mente. *Gat.* Sanæ mentis.
36 *Gat.* Quæ viderant, & quomodo.
38 *Mm.* Rogavit.
39 *Mm.* Fecerit Deus.
43 *Gat.* In fluvio . . quæ in medicis. *Mm.* Quæ medicis.
47 *Gat.* Et procedens ad pedes . . indicavit. *Mm.* Narravit.
49 *Gat.* Vexari illum. *Mm.* Vexare Magistrum.
52 *Gat. & Mm.* Non est tamen mortua, sed.
53 *Gat.* Quia mortua esset. *Mm.* Quia mortua est.

ŷ. CAPUT IX.

1 *Mm.* Convocavit autem XII. Apostolos, & dedit.
4 *Mm.* Manete donec exeatis.
6 *Gat.* Exeuntes autem eircumibant.
10 *Gat.* Bethsaida. *Mm.* Betzaida.
11 *Gat.* Qui curari indigebant.
14 *Mm.* Discumbere super terram per eonvivia centenos, & quinquagenos.
19 *Mm.* De Senioribus.
22 *Mm.* Pati a Senioribus, & reprobari a Principibus.
27 *Gat.* Vere sunt aliqui qui hic stantes. *Mm.* Quia sunt aliqui hic stantes.
28 *Gat. & Mm.* Fere post dies octo . . Johannem & Jacobum.
29 *Gat.* Et factum est dum oraret, species . . refulgens. *Mm.* Et factum est dum oraret, facta est species . . refulgens.
33 *Gat.* Ut discederunt.
35 *Gat.* Meus electus.
36 *Mm.* Quæ audierant.
39 *Gat. & Mm.* Vix discendit.
41 *Gat.* Vobiscum. *Mm.* Generatio prava & infidelis.
46 *Gat. & Mm.* Cogitatio inter eos. *Mm.* Erat.
50 *Gat.* Sinite eum, & nolite prohibere.
55 *Gat.* Illos: Et abierunt.
56 *Mm.* Venit ad animas perdere.
57 *Mm.* Euntibus illis.
60 *Mm.* Sinite mortuos sepelire.
62 *Gat. & Mm.* In aratrum, & aspiciens.

ŷ. CAPUT X.

6 *Gat.* Super illam. *Mm.* Eam.
8 *Gat.* Adponunt.
11 *Gat.* Adhæsit de civitate. *Mm.* In pedibus extergimus . . ad propinquavit in vos regnum.
12 *Gat.* In die judicii.
13 *Mm.* In cinere pœniterent.
18 *Mm.* Fulgor descendentem de Cœlo.
21 *Gat.* Sic fuit placitum.
22 *Gat. & Mm.* Qui sit . . & qui sit . . revelare se.
24 *Gat.* Capierunt.
30 *Gat.* Suspiciens . . semi vivo relicto. *Mm.* Suspiciens.
35 *Mm.* Ego revertens reddam.
38 *Gat. & Mm.* Dum iret.
40 *Gat. & Mm.* Non est cura quod.
42 *Mm.* Maria autem bonam.

ŷ. CAPUT XI.

2 *Gat.* Pater noster. *Mm.* Pater sancte sanctificetur.
3 *Gat.* Quotidie.
4 *Mm.* Et nos dimittimus.
5 *Gat.* Habet. *Mm.* Habens.
8 *Gat.* Amen dico vobis.
11 *Gat.* Ex vobis Patrem petiit Filius ejus panem . . aut

aut ſi piſcem. *Mm.* Ex vobis Filius patri petit panem, numquid lapidem porriget ei? aut piſcem.

13 *Mm.* Spiritum bonum datum petentibus.

15 *Gat.* Belzebul. *Mm.* Beelzebud.

18 *Gat.* Me in Belzebul ejicere me. *Mm.* Ejeciſſe me.

22 *Gat.* & *Mm.* Auſert.

23 *Gat.* & *Mm.* Adverſus me. *Mm.* Diſpergit a me.

24 *Gat.* Ab homine perambulat per loca inaquoſa, & quærens requiem. *Mm.* Perambulabat per loca inaquoſa quæ non habent requiem, & non.

26 *Gat.* Dixit quippe hii beati .. cuſtodiunt. *Mm.* Dixit ad eos beati .. cuſtodiunt.

31 *Gat.* Plus Salomone hic.

32 *Gat.* Plus eſt Jona hic. *Mm.* Jona hic.

34 *Mm.* Si autem oculus tuus nequam.

36 *Gat.* & *Mm.* Tuum lucidum.

41 *Mm.* Ecce munda.

42 *Gat.* Vobis Scribæ, & Phariſæi. *Mm.* Vobis Phariſæis .. oportuerat.

53 *Gat.* Phariſæi quia. *Mm.* Phariſæi qui.

46 *Gat.* & *Mm.* Portari.

48 *Gat.* & *Mm.* Teſtificamini conſentitis.

54 *Gat.* & *Mm.* Ex ore ejus.

℣. CAPUT XII.

1 *Gat.* & *Mm.* Quæ eſt.

5 *Mm.* Occidit .. etiam dico.

6 *Gat.* Depondio. *Mm.* Paſſeres aſſe veniunt dependio.

7 *Gat.* & *Mm.* Plures eſtis vos.

8 *Gat.* Fecerit in me coram. *Mm.* Fecerit coram .. in illo.

12 *Gat.* Quid oporteat dicere. *Mm.* Quæ oporteat vos dicere.

14 *Gat.* & *Mm.* Ei o homo! *Gat.* Inter vos.

20 *Gat.* & *Mm.* Repetent.

22 *Gat.* & *Mm.* Veſtiamini.

24 *Gat.* Magni vos plures. *Mm.* Magis pluris.

29 *Mm.* Extolli.

30 *Mm.* His omnibus indigetis.

31 *Mm.* Quærite regnum Dei. *Gat.* Dei .. Dei & hæc.

32 *Gat.* & *Mm.* Cui complacuit Patri meo.

35 *Gat.* Ardentes; & vos.

36 *Mm.* Et pulſaverit oſtium confeſtim.

38 *Mm.* Et ſi venerit veſpertina vigilia, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi; qui jubebit illos diſcumbere, tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda & vigilia, & ſi in tertia, & ita invenerit, beati. *Gat.* Et ſi in tertia vigilia venerit, beati.

39 *Gat.* Sineret perfodiri. *Mm.* Sinet perfodiri.

41 *Gat.* & *Mm.* Similitudinem. *Gat. recent. man.* Parabolam.

45 *Gat.* & *Mm.* Pueros & ancillas.

46 *Gat.* & *Mm.* Qua ignorat .. cum hypocritis.

47 *Mm.* Non facit ſecundum ... multum. *Gat.* Multum.

49 *Gat.* Niſi accendatur.

50 *Gat.* Baptiſma autem.

51 *Gat.* Mittere in terram.

55 *Gat.* Æſtus erit, & ita fit. *Mm.* Calor erit, & ita fit.

58 *Gat.* & *Mm.* Tradat apud Judicem.

59 *Gat.* & *Mm.* Noviſſimum quadrantem reddas. *recent. man.* Minutum.

℣. CAPUT XIII.

4 *Gat.* In ſyloam .. ipſi omnes debitores erant pro omnibus habitantibus in. *Mm.* In ſyloam ... Ipſi debitores fuerant per omnes inhabitantes in

10 *Gat.* In Synagogis eorum docens in ſabbathis. *Mm.* In Synagogis.

11 *Mm.* Nec enim omnino poterat a ſurſum aſpicere. *Gat.* Aſpicere.

12 *Gat.* & *Mm.* Cum vidiſſet Jeſus, vocavit ad ſe.

14 *Gat.* Curaret Jeſus turbæ, quia ſex. *Mm.* Turbæ, quia ſex .. non dies ſabbathi.

15 *Gat.* & *Mm.* Non ſolvet.

19 *Gat.* Simile eſt Regnum Dei grano.

21 *Gat.* In farina ſatis tribus, donec fermentaretur totam. *Mm.* Donec fermentatum eſt totum.

27 *Gat.* Omnes operamini iniquitates. *Mm.* Omnes qui operamini iniquitates.

28 *Gat.* & *Mm.* Ubi erit. *rec. man.* Illic.

35 *Gat.* Vobis; non videbitis me. *Mm.* Vobis, non me videbitis a modo donec dicatis: Benedictus. *Gat.* Cum dicatis.

℣. CAPUT XIV.

3 *Mm.* Curare aut non.

4 *Gat.* Adprehenſum hominem ſanavit. *Mm.* Adprehenſum Joannem ſanavit eum.

10 *Gat.* Ad cœnam vocavit. *rec. man.* Invitavit. *Mm.* Vade in .. ad cœnam vocavit.

22 *Gat.* & *Mm.* Domine .. ut locutus es.

23 *Gat.* Compelle intrare quoſcumque inveneris, ut. *Mm.* Convoca intrare quoſcunque inveneris, ut.

30 *Gat.* Perficere.

31 *Gat.* Et non vadens prius ... Regi qui. *Mm.* Non vadens.

32 *Gat.* Sic erit omnis .. renunciaverit. *Mm.* Renunciaverit.

34 *Gat.* Sal quoque evanuerit.

℣. CAPUT XV.

1 *Gat.* Adpropinquantes Publicani. *Mm.* Applicitii ei Publicani.

7 *Gat.* Quod plus gaudium.

8 *Gat.* Et verter domum, & quæret. *Mm.* Et ſcopia mundabit domum.

9 *Gat.* & *Mm.* Dragmam meam quam.

10 *Mm.* Erit Anglis.

11 *Gat.* & *Mm.* Habebat.

17 *Gat.* & *Mm.* Mercenarii patris.

20 *Gat.* & *Mm.* Occurrens cecidit ſupra.

21 *Gat.* Tuus, fac me unum de mercenariis tuis dixit. *Mm.* Fac me ſicut unum.

28 *Gat.* Noluit venire ... egreſſus eſt, cœpit. *Mm.* Egreſſus eſt, cœpit.

29 *Gat.* Ecce quot annis. *Mm.* Ecce quot anni.

30 *Mm.* Tuam cum.

32 *Gat.* Gaudere te oportebat, quod frater tuus mortuus revixit. *Mm.* Gaudere oportet, quod frater tuus erat, & revixit.

℣. CAPUT XVI.

4 *Gat.* & *Mm.* Quid faciam .. in domus.

6 *Gat.* Batos olei . accipe litteras tuas.

7 *Mm.* Scribe cito 80.

8 *Gat.* & *Mm.* Feciſſet; dixit autem ad Diſcipulos ſuos, Filii .. ſunt filiis lucis in vita ſua.

10 *Gat.* & *Mm.* In modico & in majus .. & in majus.

15 *Gat.* & *Mm.* Apud Deum.

16 *Gat.* Johannem, ex quo regnum Dei evangelizatur. *Mm.* Johannem prophetaverunt; ex quo regnum Dei evangelizantur.

21 *Gat.* & *Mm.* Divitis .. ſedet.

28 *Gat.* & *Mm.* Teſtificetur.

℣. CAPUT XVII.

1 *Mm.* Væ homini illi per quem veniunt ſcandala.

3 *Gat.* Peccaverit frater. *Mm.* Dimittetur illi.

6 *Gat.* Diceris huic arbori, morire, & eradicare, & tranſplantare in mare. *recent. man.* Tranſportare. *Mm.* Morire, eradicare .. & obediret vobis.

7 *Gat.* Aut oves paſcentem cui .. dicit illi. *Mm.* Cui .. dicit illi.

9 *Gat.* Fecit quæ ſibi imperaverat. *Mm.* Fecerat.

10 *Gat.* Univerſa .. quia ſervi. *Mm.* Univerſa ... ſervi .. facere non facimus.

21 *Gat.* Hic Chriſtus aut .. intra vos. *Mm.* Inter vos.

23 *Gat.* & *Mm.* Nolite exire.

26 *Gat.* & *Mm.* Et adventus Filii hominis.

33 *Gat.* Salvare. *Mm.* Vivificavit.

34 *Gat.* Illa nocte erunt duo in lecto, unus.

℣. CAPUT XVIII.

8 *Mm.* Veruntamen quoniam Filius hominis veniens putans invenire fidem in terra?

9 *Mm.* Qui ſe confidebant quod eſſent juſti, & ſpernabant cæteros .. *Gat.* Aſpernabant.

10 Gat. Ascendebunt in.
11 Gat. Dicebat: Deus ... cæteri homines.
14 Gat. Amen dico vobis .. suam magis ille Pharisæus, ab illo. Mm. Amen dico vobis ... suam magis ab illo.
16 Gat. Receperit.
17 Mm. Ad me venire, talium est.
20 Gat. Non mœchaberis, non falsum.
24 Gat. & Mm. Ibunt.
28 Gat. Relinquimus.
29 Gat. Reliquerit aut parentes. Mm. Reliquerit domum, aut fratres, aut uxores.
40 Gat. Apud se.
43 Gat. Et sequutus est eum.

℣. CAPUT XIX.

4 Gat. & Mm. Sycimorum.
11 Mm. Dicentibus.
14 Mm. Legationem, dicentes.
15 Mm. Misit vocari ... quis.
21 Gat. Quia timui te, quod homo austerus es, tolles ubi non posuisti, & metis ubi non. Mm. Quia timui te, quod homo ... quod posuisti metis ubi non.
23 Gat. & Mm. Illud.
26 Gat. Auferetur.
28 Mm. Prædicabat ascendens.
29 Gat. Adpropinquaret Betphague, & Bethaniæ.
31 Gat. Vos interrogare voluerit. Mm. Vobis interrogare voluerit.
34 Mm. Necessatius eum habet.
35 Gat. Pullum ad Jesum.
37 Gat. Turbæ discedentium ... videbant. Mm. Turbæ discendentes.
39 Gat. Quidam de turbis. Mm. De turba.
42 Mm. Et quidem si.
43 Gat. Fossa &.
44 Gat. Filios qui. Mm. Stetnent.
46 Gat. & Mm. Orationis vocabitur.
47 Gat. Populi.

℣. CAPUT XX.

3 Gat. Autem dixit ... Interrogo.
4 Gat. & Mm. Baptismum Joannis unde erat, de cœlo, an.
5 Gat. Inter se ... Mm. Inter se ... dicet nobis quare non.
10 Mm. Ederent illi.
11 Mm. Dimiserunt, &.
12 Gat. Inter se ... Mm. Qui cum.
14 Gat. Qui & illi.
20 Gat. Se esse justos similarent. Mm. Similarent.
23 Mm. Autem Jesus dolum.
24 Mm. Denatium ut videam enjus habet.
26 Gat. Respondere ... in responsis. Mm. In responsis.
28 Gat. & Mm. Dicentes: Moyses .... sine filiis fuerit ut.
30 Gat. & Mm. Sine filiis.
32 Gat. & Mm. Novissima omnium defuncta est.
33 Mm. Omnes enim habuerunt.
34 Gat. Generantur, & generant. rec. man. Traduntur & nubunt ad nuptias. Mm. Nubent & tradent ad nuptias, generantur & generant.
35 Gat. Nubunt. Mm. Nubunt, neque dueunt.
36 Gat. & Mm. Neque ultra jam mori poterunt; sunt autem similes Angelis, & filii sunt Dei; quia resurrectionis filii sunt.
37 Gat. Quia vero resurgent mortui; Moyses. Mm. Quia vere resurgent mortui; Moyses.

℣. CAPUT XXI.

4 Gat. & Mm. Ex abundantia sibi.
8 Gat. & Mm. Sum Christus, &.
12 Gat. & Mm. Trahentes in Synagogis suis, & custodiis, tradentes ad Reges.
14 Gat. Ergo vos in. Mm. Quemadmodum quid respond.
17 Gat. Omnibus hominibus propter.
20 Gat. & Mm. Adpropinquavit desolatio ejus. Gat. recent. man. Vestra.
21 Gat. & Mm. In montes ... discendant.
23 Gat. Væ sis qui in utero habent, & quæ obera dant in illis diebus. Mm. Væ vobis quæ in utero habent, & quæ ubera dant.
31 Gat. Hæc omnia fieri.
33 Gat. & Mm. Non præteribunt.
34 Mm. Dotentur.
36 Mm. Effugere.
37 Gat. & Mm. Requiescebat.
38 Gat. Manificabat.

℣. CAPUT XXII.

3 Gat. Cognominatur Scarioth unus de. Mm. Scarioth unus de.
9 Gat. Paremus tibi, &. Mm. Paremus Pascha, &.
20 Postquam cœnatum est, dicens: Hic est Calix novi Testamenti in sanguine meo, quod pro vobis funditur.
21 Mm. Tradentis mecum.
22 Gat. Sicut quod diffitum est ... traditur. Mm. Sicut deffinitum est.
23 Quærere ex eis inter se qui. Mm. Quærere ex eis qui.
24 Gat. Facta autem hæc contentio. Mm. Facta autem hæc contentio.
25 Gat. Super eos benigni. Mm. Super benefici.
26 Gat. Sicut junior, & qui præcessor est fiat sicut ministrator. Mm. Sicut junior, & prius est, fiat sicut qui ministrat.
27 Mm. Recumbit? In gentibus quidem recumbit, in vos autem non sic, sed qui ministrat. Ego autem.
30 Mm. Thronos XII. judicantes.
31 Gat. & Mm. Jesus Simoni: Simon.
36 Mm. Non habet gladium, vendat. Gat. Emat sibi gladium.
37 Gat. Et quod cum injustis. Mm. Et cum injustis.
44 Mm. Decurrentes in.
46 Gat. Illis: Surgite, & orate.
49 Gat. & Mm. Percutiemus.
51 Gat. & Mm. Dixit ei: Sinite.
52 Gat. & Mm. Tanquam ad latronem venistis.
58 Mm. Ait: Ego non sum.
61 Gat. Domini sui sicut dixit.
62 Mm. Ei dicentes: Et.
68 Gat. Respondetis mihi, neque dimittetis.
70 Mm. Dixerunt ergo omnes, tu autem es.

℣. CAPUT XXIII.

2 Gat. & Mm. Gentem nostram, & solventem Legem, & Prophetas, & prohibentem ... dicentem Christum.
7 Mm. Quia &
10 Mm. Etiam Principes Sacerdotum constanter.
15 Gat. & Mm. Illum ad vos.
17 Gat. & Mm. Necesse autem erat.
19 Gat. & Mm. Missus fuerat in.
21 Mm. Dicentes: crucifige eum.
22 Gat. Iste homo ... inveni.
23 Mm. Invalescebant vocibus.
24 Gat. Petitiones.
27 Gat. & Mm. Multitudo populi.
29 Mm. Quoniam veniunt.
30 Gat. & Mm. Coopetite nos.
32 Gat. Ut crucifigerentur.
33 Gat. & Mm. Qui dicitur Calvariæ.
35 Gat. Expectantis ... Principes Sacerdotum cum Sadducæis ... seipsum salvum faciat. Mm. Expectans ... Saducæis ... se non salvum facit.
37 Gat. Si tu es Christus Rex.
39 Gat. Ex his qui pendebat. Mm. Ex hiis qui pendebant.
44 Mm. Hora tertia, & tenebræ.
51 Gat. Judeæ, hic accessit. Mm. Judæ.
54 Gat. Parasceven. Mm. Parasceven.
55 Gat. Cum ipso venerant ... fuerat. Mm. Cum ipso erant.

℣. CAPUT XXIV.

6 Mm. Vobiscum.
8 Gat. Verborum horum.
10 Gat. Mariæ Jacobi, & Joseph, & cætere. Mm. Mariæ Jacobi, & cæteræ.
13 Gat. Æmavus. Mm. Duo viri ex illis.
14 Gat. Loquebantur de his.
15 Gat. Consabularentur ... & ibat.
17 Gat. Ad alterutrum.

18 Gat.

18 *Gat.* Nomen erat Cleophas, dixit ad eum.... non cognovisti omnia quæ facta sunt in ea in diebus hiis.
19 *Gat.* Et verbo coram Deo, & omni plebe.
20 *Gat.* Principes Sacerdotum, & Principes nostri.
21 *Gat.* Quia ipse ... ex quo hæc. *Mm.* quod ipse.
23 *Gat.* & *Mm.* Qui dicerent.
24 *Gat.* Ipsum autem non viderunt.
25 *Mm.* Et duri corde.
26 *Mm.* Nonne oportuit.
27 *Gat.* & *Mm.* Et erat incipiens. *Mm.* Interpretare.
28 *Gat.* & *Mm.* Ad castellum quo ibant. *Mm.* Ipse voluit.
29 *Gat.* Advespatescit & inclinata est, jam declinat dies, & inttavit manere cum illis. *Mm.* Et rogaverunt illum ... quoniam ad vesperam jam declinat dies.
30 *Mm.* Accepit Jesus panem.
32 *Mm.* In vobis de Jesu dum.
36 *Gat.* Ipse autem Jesus stetit ... pax vobis.
38 *Gat.* & *Mm.* Conturbati estis, & quare cogitationes ascendunt in corde vestro.
39 *Gat.* Pedes meos quoniam habentes. *Mm.* Pedes meos.
41 *Gat.* Autem non eredentibus ei præ gaudio, & mirantibus dixit. *Mm.* Quod edam.
45 *Mm.* Sensus eorum ut.
46 *Gat.* & *Mm.* Sic scriptum est Christum pati.
47 *Gat.* & *Mm.* Prædicare.
49 *Gat.* Repromissionem patris usque dum induamini virtutem ex alto. *Mm.* Ab excelso.
50 *Gat.* Foras usque in Bethaniam.
51 *Gat.* Et elevatus est in cœlum.
52 *Gat.* Adorantes eum reversi sunt. *Mm.* Adorantes reversi sunt.
53 *Gat.* Benedicentes Deum. Amen. *Mm.* Benedicentes.

Gat. *Finitum Evangelium cata Lucan.*

ITEM NUNC ORDITUR EVANGELIUM SECUNDUM JOHANNEN.

Initium sancti Evangelii secundum Johannem. Gloria tibi Deus.

℣. CAPUT I.

3 *Gat.* Sine illo.
4 *Gat.* & *Mm.* In illo vita ast.
8 *Gat.* Non enim erat ipse lumen.
11 *Gat.* & *Mm.* In sua propria.
15 *Gat.* Perhibet ab ipso ... factus est, qui prior. *Mm.* Et non sciebam eum quia.
18 *Gat.* Unquam, nissi unigenitus. *Mm.* Unquam nisi unigenitus filius solus qui est.
24 *Gat.* & *Mm.* Et qui venerant ex Pharisæis interrogaverunt.
26 *Gat.* Baptizo vos in... autem vestrum stat quem.
27 *Gat.* Dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. *Mm.* Dignus ut solvere corrigiam calciamenti ejus.
30 *Gat.* Qui prior.
31 *Gat.* & *Mm.* Manifestaretur Israel.
38 *Gat.* Videns eos sequentes, dicit. *Mm.* Videns eos sequentes, dicit.
41 *Mm.* Hic fratrem.. Messiam qui dicitur Christus.
41 *Gat.* Filius Johna. *Mm.* Filius Johannis.
45 *Gat.* Er prophetiis. *Mm.* Et Prophetis.
47 *Gat.* & *Mm.* Ecce vir Israelita.
52 *Gat.* & *Mm.* Discendentes ad Filium hominis.

℣. CAPUT II.

5 *Gat.* In Chanaan.
11 *Mm.* Primum signorum.
29 *Gat.* Ut qui testimonium. *Mm.* Ut testimoninm.

℣. CAPUT III.

3 *Gat.* Nisi qui natus fuerit. *Mm.* Nisi renatus fuerit.
4 *Gat.* In utero matris ... & nasci. *Mm.* In utero matris ... & nasci.
6 *Gat.* & *Mm.* Quod autem ex spiritu.
8 *Mm.* Natus est aqua Spiritu sancto.
11 *Mm.* Videmus testificemur.
14 *Mm.* In solitudine.
16 *Gat.* & *Mm.* Hunc mundum ... unicum daret pro sæculo, & omnis.
17 *Gat.* In hunc mundum ut judicaret. *Mm.* In hunc mundum.
18 *Mm.* Non judicabitur.
23 *Gat.* In ænon ... adveniebant multi, & baptizabantur. *Mm.* In ænon juxta salim trans Jordanem ... adveniebant.
31 *Gat.* Super omnes, & de sursum loquitur, nam qui de terra est, terra est & ex terra loquitur; qui de Cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit. *Mm.* Supra omnes est, & de sursum loquitur; nam qui de terra est, ex terra loquitur. Et quod vidit.
35 *Gat.* & *Mm.* In manu ejus.

℣. CAPUT IV.

1 *Gat.* Faceret & baptizabat.
2 *Gat.* & *Mm.* Ipse Jesus.
3 *Gat.* & *Mm.* Judæam terram, &.
4 *Mm.* Ire per.
6 *Gat.* Sedebat super. *Mm.* Sedebat supra.
9 *Gat.* & *Mm.* Cum sim mulier.
12 *Gat.* Putaum istum, &.
13 *Gat.* & *Mm.* Biberit ex.
17 *Gat.* & *Mm.* Non habes virum.
18 *Gat.* Et nunc unum quem habes. *Mm.* Et hunc quem habes.
21 *Gat.* & *Mm.* Veniet hora.
23 *Gat.* Verii adoratores. *Mm.* Viri adoratores.
43 *Gat.* & *Mm.* Et venit in.
46 *Gat.* & *Mm.* Fecit de aqua vinum.
47 *Gat.* Cum audisset quia Dominus.
50 Discende, *recent. man.* vade filius ... eredidit homo sermonem quem. *Mm.* Discende filius ... credidit homini quem.
52 *Gat.* Hora quasi septima.
54 *Gat.* & *Mm.* Cum veniret.

℣. CAPUT V.

2 *Gat.* & *Mm.* Supet probatica.
4 *Gat.* Angelus enim descendebat, & movebat aquam, & quicumqun prius descenderet in natoria, sanus fiebat quaqunnque taneretur infirmitate. *Mm.* Angelus autam Domini ... & movebat aquam, & quicunque prius discenderet in natatoria post motionem aquæ ... teneretur infirmitate.
9 *Gat.* Factus est, & sustulit. *Mm.* Factus est homo, & sustullit.
10 *Mm.* Sanus fuerar.
13 *Gat.* Jesus autem declinabat a. *Mm.* Jesus autem declinavit se a.
14 *Gat.* & *Mm.* Filius eadem similiter.
19 *Gat.* & *Mm.* Sermonem meum audit ... non venier, sed transiet a morte ad vitam .... ad vitam.
28 *Gat.* & *Mm.* Vocem ejus, &.
29 *Gat.* Quia bona ... male egerunt. *Mm.* Male egerunt.
34 *Mm.* Ab hominibus testimonium.
42 *Gat.* Sed cognovimus quia dilectionem non habetis.
43 *Gat.* Non accepistis me. *Mm.* Non accepistis me.
45 *Gat.* & *Mm.* Vos accuset Moyses ... jam sperastis.

℣. CAPUT VI.

1 *Mm.* Tiberidianis.
4 *Gat.* In proximum. *Mm.* Proximus.
10 *Gat.* Omnes discumbere ... viri quasi.
11 *Gat.* Quantum valebant.
25 *Mm.* Quomodo huc.
26 *Gat.* Quia quæritis me ... signa & prodigia, sed

fed quia manducaftis ex panibus meis, &c. *Mm.* Quia quæritis me . . . figna; fed quia manducaftis panem, &c.
27 *Mm.* Significavit.
32 *Mm.* Verus enim panis.
36 *Gat.* Vidiftis, &c.
39 *Gat. & Mm.* Mihi Pater, non perdam ex eo quicquam, fed refufcitabo illud in.
42 *Gat.* eft, filius Jofeph, cujus nos . . . difcendit? *Mm.* Eft, filius Jofeph Jefus, cui nos .. difcendit?
44 *Gat.* Sufcitabo.
45 *Gat.* Audit a Patre meo, &c. *Mm.* Audit a Patre, &c.
50 *Gat. & Mm.* Panis qui de cœlo difcendit.
53 *Gat.* Loquebantur ergo.
46 *Mm.* Verus cibus . . verus eft potus.
62 *Gat.* Murmuraverunt.
65 *Mm.* Qui effent credentes.
72 *Gat.* Dicebant enim Judam Simonis Scariothis . . de XII. *Mm.* Dicebat enim Judam Simonem Scariothem . . de XII.

Y. CAPUT VII.

3 *Gat.* Perambulabat Jefus in Galilæam. *Mm.* Perambulabat Jefus Galilæam.
3 *Gat.* Quæ tu facis.
4 *Gat.* Nemo ergo in occulto facit . . . mundo huic. *Mm.* Nemo ergo in.
7 *Gat. & Mm.* Quia opera.
25 *Mm.* Numquid hic eft.
29 *Mm.* Ego autem fcio eum, & fi dixero quia nefcio eum, ero fimilis vobis mendax, & ego fcio eum, quia ab ipfo fum, & ipfe me fecit. Quærebant.
33 *Gat.* Principes & Pharifæi miniftros. *rec. man.* Judæi. *Mm.* Principes & Judæi miniftros.
35 *Gat.* Iturus eft docere gentes?
40 *Gat. & Mm.* Multi cum audiffent.
46 *Mm.* Numquam loquutus eft homo ficut hic homo loquitur. Refp.
52 *Gat. & Mm.* Scrutare & vide.

Y. CAPUT VIII.

6 Inclinato capite deorfum fcribebat digito fuo in terram. *Mm.* Inclinato capite fcribebat digito fuo in terram.
12 *Mm.* Lumen vitæ in fe.
14 *Gat. & Mm.* Unde veni aut quo.
16 *Gat. & Mm.* Juftum eft.
25 *Gat. & Mm.* Principium quod loquor.
27 *Gat. & Mm.* Patrem eis effe Deum dicebat.
41 *Mm.* Vos facite.
43 *Gat.* Non cuftoditis.
44 *Mm.* Mendax eft ficut & Pater ejus.
45 *Gat.* Ego autem quia veritatem. *Mm.* Ego quia veritatem.
46 *Gat. & Mm.* Dico, quare vos non.
48 *Gat.* Es Dæmonium.
52 *Gat.* Et Prophetæ mortui funt, & tu.
54 *Gat. & Mm.* Nofter eft.
55 *Mm.* Et mandata ejus.
59 *Gat. & Mm.* Ut jactarent.

Y. CAPUT IX.

8 *Gat.* Ante quia . . nonne hic eft? Alii autem nequaquam.
11 *Gat. & Mm.* Et vidi.
14 *Mm.* Sabbathum in illo die quando.
15 *Gat.* Lutum pofuit fuper oculos meos.
18 *Gat.* Qui viderant. *Mm.* Qui viderant eum.
24 *Gat.* Ergo hominem qui cæcus erat . . . quia homo *Mm.* Qui erat cæcus.
26 *Gat. & Mm.* Tuos oculos.
27 *Gat.* Et non audiftis.
31 *Gat.* Non exaudivit Deus, fed qui ejus cultor eft . . hunc exaudivit. *Mm.* Deus non exaudivit, fe qui ejus cultor eft.
34 *Gat. & Mm.* In peccato natus es.
41 *Gat.* Et audierunt ex Pharifæis qui. *Mm.* Et audientes ex Pharifæis qui.

Y. CAPUT X.

1 *Mm.* Per januam in . . fed afcendit in aliam partem, ille.
3 *Gat.* Oftearis.
4 *Mm.* Oves educerit.
7 *Mm.* Vobis, ego fum janus.
8 *Gat.* Venerunt ante me fures funt: : fed non exaudierunt eos.
9 *Gat.* Ofteum ovium, per me fi quis intraverit.
10 *Mm.* Et amplius habeanr.
11 *Mm.* Tradat pro.
15 *Gat.* Cognofco Patrem. *Mm.* Novi Patrem.
16 *Gat.* Accipiam eam.
18 *Mm.* Habeo accipiendi eam.
22 *Gat.* Facta autem tunc funt enchenia.
28 *Mm.* De manu Patris mei.
35 *Mm.* Apud quos fermo.
36 *Mm.* In hunc mundum . . quia blafphemat.
38 *Gat.* Et non vultis mihi credere. *Mm.* Et mihi non vultis credere.

Y. CAPUT XI.

1 *Gat. & Mm.* Sororum ejus.
4 *Gat.* Pro gloria Domini. *Mm.* Propter gloriam Deo.
6 *Gat.* Quia Lazzarus infirmatur . . in eo loco biduum. *Mm.* Quia infirmatur.
8 *Gat.* Hunc.
11 Exfufcitem eum.
17 *Mm.* Jam quartum diem.
22 *Gat.* Petieris a Deo.
26 *Mm.* Et omnis qui credit in me.
27 *Gat.* Dei, qui.
28 *Gat.* Magifter venit, &c.
31 *Gat.* Et abiit . . quia vadet ad.
32 *Mm.* Erat Jefus, cecidit.
33 *Gat.* Qui erant cum . . fremuit. *Mm.* Ut audivit eam . . fremuit.
39 *Mm.* Jam putet.
42 *Gat. & Mm.* Propter turbam quæ.
44 *Gat.* Ligatis manibus, & pedibus inftitis . . & dimittite abire. *Mm.* Ligatis pedibus, & manibus ejus inftitis.
45 *Gat.* Ad Mariam ut viderunt quæ fecit, crediderunt. *Mm.* Ad Mariam videntes quæ fecit, crediderunt.
50 *Gat.* Expedit nobis.
54 *Gat.* Effreem & illic morabatur. *Mm.* Moratur.
56 *Gat.* Qui putatis quia non venit. *Mm.* Quia non veniat.

Y. CAPUT XII.

2 *Gat.* Fecerunt ei cœnam, & Martha ibi miniftrabat . . unus ex.
5 *Gat.* Non venit. *Mm.* Non vendidit.
6 *Mm.* Habebat, & quæ mittebantur auferebat.
7 *Mm.* Sine illam.
8 *Gat. & Mm.* Habebitis . . . femper habebitis.
15 *Mm.* Venit tibi fedens.
17 *Mm.* Turba de eo quando.
25 *Mm.* Et qui perdiderit animam.
28 *Mm.* Clarifica Filium tuum.
29 *Gat.* Factum, Angelus enim ei.
35 *Gat.* Nefcit quo vadit. *Mm.* Nefcitis quod vadat.
40 *Gat. & Mm.* Et intellegant corde.
41 *Gat.* Gloriam Dei.
45 *Gat.* Qui mifit me. Ego lux.
47 *Gat.* Salvum faciam.

Y. CAPUT XIII.

2 *Gat.* Cum Difcipulus jam mififfet in corde ut . . Simon Scariothis.
10 *Gat.* Non indiget ut lavet, fed eft. *Mm.* Qui femel lavatus eft non indiget ut iterum lavet, fed eft.
11 *Gat.* Dixit: Et vos mundi eftis, fed non omnes.
13 *Mm.* Et fum.
14 *Gat.* Ergo lavi. *Mm.* Magifter, quanto magis debetis, & vos alter.
20 *Gat.* Qui accipit eum fi quem. *Mm.* Qui accipit eum quem.
27 *Gat.* Et tunc introivit. *Mm.* Et poft buccellam acceptam introivit.
34 *Gat.* Sicut & ego dilexi vos, ita & vos. *Mm.* Sicut & ego dilexi vos, ut & vos.
35 *Mm.* Cognofcent homines.
36 *Gat.* Non potes tu fequi me.

CA-

V. CAPUT XIV.

1 *Gat. & Mm.* Credite in Deum.
2 *Mm.* Alioquin dixissem.
3 *Gat.* Paravero .... & ubi sum ego, & vos scitis.
5 *Gat.* Viam nosse.
7 *Gat.* Me, & Patrem meum cognovissetis. *Mm.* Me, & forsitan & Patrem meum utique cognovissetis.
9 *Mm.* Non nostis.
13 *Gat. & Mm.* Petieritis in.
14 *Gat. & Mm.* Petieritis in.
17 *Gat.* Quem hic mundus ... nescit eum. *Mm.* Quia qui non videt eum, nescit eum.
19 *Gat.* Non videbit.
22 *Gat.* Huic mundo. *Mm.* Quod nobis manifestas te, & non huic mundo.
27 *Gat.* Pacem meam relinquo vobis, non quomodo. *Mm.* Pacem meam relinquo.
29 *Gat.* Credatis, quia ego sum. Jam.
30 *Mm.* Loquor vobiscum, quia venit enim.

V. CAPUT XV.

2 *Gat. & Mm.* Non facientem fructum ... omnem qui affert.
4 *Gat. & Mm.* Sic & vos.
5 *Mm.* Vos autem palmites estis; qui ... hic affert.
6 *Gat.* Aruat & colligent eos .... mittunt & ardent. *Mm.* Arescent, & projectus, & colligent eum ... mittunt & ardet.
15 *Gat.* Dico vos. *Mm.* Dico vobis servos, sed amicos quia ... quid faciet.
16 *Gat. & Mm.* Petieritis a Patre meo in.

V. CAPUT XVI.

2 *Gat.* Extra Synagogam facient vos. *Mm.* Eas quæ in Synagogis facient vobis.
3 *Gat. & Mm.* Facient, quia.
13 *Gat.* Docebit omnem ... loquitur .... hæc loquetur, & quæ adventura sunt.
17 *Mm.* Discipuli ejus ... hoc, quid.
18 *Mm.* Hoc, quid dicit.
19 *Gat.* Dixit de hoc conqueritis inter vos.
20 *Mm.* Plorabitis vos. Convertetur.
23 *Gat.* A Patre meo in. *Mm.* Patri meo in.
27 *Gat.* Ego a Deo exivi, a Patre & veni in. *Mm.* Ego a Patre meo a Deo exivi, & veni.
32 *Mm.* Ut relinquetis, & non sum solus.
33 *Gat.* Quia ego vici. *Mm.* Habetis .. quia ego vici.

V. CAPUT XVII.

5 *Gat.* Esset.
6 *Gat. & Mm.* Sermonem meum.
8 *Mm.* Ipsa acceperunt ... crediderunt vere quia.
11 *Mm.* Et nos unum sumus, Pater eum.
12 *Mm.* Peribit nisi.
15 *Gat.* Ex malo. *Mm.* Quia non rogo ... ex malo.
21 *Mm.* Ut omnes unum sint, sicut & nos unum sumus, sicut tu Pater in me, & ego in te. ut ipsi in nobis in unum sint.
22 *Mm.* Do illis.
23 *Gat.* Dilexi eos.

V. CAPUT XVIII.

3 *Mm.* A Pontificibus Pharisæis ministros misus venerunt illuc.
4 *Gat. & Mm.* Quid quæritis.
8 *Gat.* Jam dixi.
9 *Gat.* Impleatur. *Mm.* Impleatur sermo quem dixi.
11 *Gat. & Mm.* Non vis bibam.
14 *Mm.* Dedit.
23 *Mm.* Perhibeo de.
28 *Gat. & Mm.* Ad Caipham in.
31 *Gat.* Ergo Judæi: Nobis. *Mm.* Ergo ei: Nobis.
32 *Mm.* Quia esset morte moriturus.
36 *Gat.* De mundo ... ne traderet.
38 *Gat.* Exivit ad Judæos, & dicit eis .... ego nullam causam mortis invenio in eo. *Mm.* Ad Judæos foras, & dicit ad eos: Ego.
39 *Mm.* Consuetudo vobiscum, ut unum dimittam vobis vinctum in Pascha.

V. CAPUT XIX.

3 *Mm.* Et palmas.
4 *Gat.* Exiit iterum. *Mm.* (Deest hic versiculus in *Mm.*)
6 *Mm.* Non invenio causam.
13 *Gat.* Litbostratus. *Mm.* Lithosstrotus.
14 *Gat.* Dicit eis: Ecce. *Mm.* Dicit eis Judæis.
17 *Gat.* Golgota: & cum eo.
24 *Gat.* Impleatur. *Mm.* Impleatur ... & super vestem.
27 *Gat.* Ecce mater mea. *recent. man.* tua.
28 *Mm.* Quia jam omnia ... dicit.
31 *Gat.* Et tollerunt.
32 *Mm.* Qui simul crucifixus est.
33 *Gat.* Et viderunt ... & non freg.
35 *Gat. & Mm.* Quia vere dicit.
38 *Gat.* Occulte autem ... 39. Nicodimus.
40 *Gat.* Eum linteis ... sicut consuetudo est.
42 *Gat.* Propter cena pura Judæorum. *Mm.* Ubi posuerunt.

V. CAPUT XX.

1 *Gat.* Essent & vidit. *Mm.* Lapidem sublatum ab ostio monumenti.
2 *Gat.* Quem diligebat.
8 *Gat. & Mm.* Et illi alius Discipulus.
9 *Gat.* Sciebat scripturam quia oportet. *Mm.* Sciebat quia oporteret.
13 *Gat.* Dominum meum, & nescimus. *Mm.* Dominum meum de monumento, & nescio.
15 *Gat.* Quid? quem.
16 *Gat. & Mm.* Ei Hebreice Rabboni quod dicitur Magister. Et occurit, (Sc. cucurrit) ut tangeret eum. Dicit ei Jesus.
19 *Gat.* Discipuli propter ... in medio eorum, & dixit eis: pax vobiscum.
20 *Gat.* Et latus suum.
23 *Gat.* Remittentur eis, & quorum detenueritis detenta sunt.
26 *Mm.* Pax vobiscum.
27 *Gat.* Deinde Thomæ, porrige digitum.
29 *Gat.* Vidisti me, & credidisti: Beati qui me non viderunt.
31 *Gat.* Quoniam Jesus ..... ut credentes vitam æternam habeatis in.

V. CAPUT XXI.

2 *Gat.* A Chanaan.
4 *Gat.* Mane autem jam facto stetit in.
5 *Gat.* Pulmentarium non habetis.
6 *Gat.* Navis rete, & invenietis. Miserunt erga & jam .... a multitudine. *Mm.* Invenietis. Dixerunt ergo: Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo autem mittemus rete. Miseront ergo retia, & jam.
8 *Mm.* In mare. Non enim.
10 *Gat.* Præhendistis.
11 *Gat.* Toti essent.
12 *Gat.* Ausus est. *Mm.* Ei, tu ... Dominus esset.
13 *Gat.* Accepit panem, & dedit eis. *Mm.* Accepit panem, & benedixit, & dedit eis.
14 *Gat.* Manifestavit se Jesus cum Discipulis. *Mm.* Manifestatus est cum Discipulis.
15 *Gat. & Mm.* At Ille ait: Etiam ..... dicit ei Jesus: pasce oves meas.
17 *Gat. & Mm.* Tu omnia scis quia amo te: dicit ei Pasca Agnos meos.
19 *Gat.* Esset Dominum.
22 *Gat.* Donec venio.
23 *Gat.* Exivit ergo hic sermo ... non moriretur ... donec venio quid ad te, tu me sequere.
25 *Gat.* Et alia multa quæ non sunt scribta, quæ si scribarentur .... capere eos qui scribendi sunt libros.

Explicit Evangelium cata Joannem.

INDEX RERUM
AC VERBORUM,
Quæ in quatuor Evangeliis & Actis Apostolorum continentur.

A

Utrum

Ejus

quam

D

E

de

I

supra

Joan-

Judæi

K

L

Lex

N

O

ea

præ-

Re-

Sce-

Sol-

Te-

V

FINIS TABULÆ.

TABULA ÆRI INCISA
Libro Actuum Apostolorum affigatur pag. *667*.

FINIS TABULÆ.

TABULA ÆRI INCISA

Libro Actuum Apostolorum affigatur pag. *667*.